BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
22 M
31

45 · 13

13-12. G. 26

R. P. IOSEPHI GIBALINI,

È SOCIETATE IESV THEOLOGI,

DE VNIVERSA RERVM HVMANARVM NEGOTIATIONE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

R. P. IOSEPHI GIBALINI,

È SOCIETATE IESV THEOLOGI,

DE VNIVERSA RERVM HVMANARVM NEGOTIATIONE,

TRACTATIO SCIENTIFICA,

Vtrique foro perutilis.

EX IVRE NATVRALI, ECCLESIASTICO, Ciuili, Romano, & Gallico.

IN QVA NEGOTIORVM HVMANORVM ÆQVITAS per omnes negotiationis cauſas, materias, formas vniuerſales ac ſingulares contractuum, commerciorum, atque συναλλαγμάτων diuerſa genera, ex iiſque ortas obligationes, ſcientificè & ſolidè explicatur, humanarum ſcientiarum & artium rectus ac prauus vſus demonſtratur, ſingulorum ſtatuum, officiorum ac munerum rationes, atque adeò vniuerſa Oeconomica & Politica traduntur.

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

TOMVS PRIMVS.

BIBLIOTECA ROMA




LVGDVNI,

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, & GVILIELMI BARBIER.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google



ILLVSTRISSIMO, REVERENDISS.QVE D.

DOMINO CAMILLO DE NEVFVILLE, ARCHIEPISCOPO, ET COMITI LVGDVNENSI,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Galliarum Primati, Regiorum Ordinum Commendatori, Lugdunenſium, Seguſianorum, ac Bellojocenſium Proregi, &c.

VTRIQVE foro perutilem humanæ rei Scientiam Tuæ Amplitudini, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, idemque PROREX POTENTISSIME, eò lubentius conſecro, quòd præter debitum pridem, ac deuotum animi mei obſequium, in eo poſitus es munere, quod vtriuſque fori te facit arbitrum. Tuum eſt, inquam, mea cenſere ſcripta, authoritatis quâ polles virgulâ. Siue enim naturæ iura aggrediar; cui ſe magis totam illa indulſit quàm Tibi, cui

ſplendorem natalium, claritatem generis, nobilitatem ſanguinis, acumen ingenij, & in rebus agendis ſolertiam ſubtilem conceſſit adeò, itáque prouidam, vt quem gemino deſtinabat muneri, inſtar Iani veteris bifrontem feciſſe videatur in te tranquillitatis publicæ Authorem, ac vindicem, vnoque in corpore animum geminum poſuiſſe. Si rerum ſacrarum Interpres Eccleſiæ canones, Patrum Sancita, & Romanorum Flaminum edicta commentationibus illuſtrare ſtudeam, tot inter ſacra vererer eſſe ſacrilegus, niſi Galliæ Patrum Primario, elucubrationes haſce meas traderem, in nullo meliori lumine collocandas. Seu Ciuilibus tandem immixtus negotiis, fori contentiones pacare ſtudeo, tui iuris eſt authoritatem Regiam legum arbitram, & vindicem in adminiſtratione publica ſuſtinere. Si denique Romanis inſtitutis Galliæ noſtræ ſtatuta immiſceam, quem alium conſilij mei fautorem ſeligam, quàm eum, qui Romæ natus, vni viuit Galliæ, & in Heroum educatus incunabulis, Camillo altero longè felicior, quàm ille cladibus afflixit Galliam, hic erigit.

Macte ergo, Romanæ gentis gloria, ſimul & Galliæ, opus iſtud, quod totum tuum eſt, eâ foue benignitate, quâ Authorem ipſum complecteris. Totus ille pridem tuus, & eſt amplitudini tuæ

Addictiſſimus

I. GIBALINVS.

VNIVERSA DESCRIPTIO
OPERVM R. PATRIS
IOSEPHI GIBALINI
è Societate IESV Theologi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE RERVM HVMANARVM ÆQVITATE, & Sacrarum, atque Diuinarum ſcientia.

GRANDE opus molior, & in omnia quibus mortalium vita exercetur, negotia ſiue ſacra, ſiue profana, diffuſum. Quid enim in ſingulis prauum, vel rectum; quid æquum vel iniquum; quid ſacrum, profanúmve ſit, noua & ſcientifica methodo explicandum aggredior. Neque vnam dumtaxat materiam, vnum commercij genus, vnam artem aut ſcientiam, vnumque ſtatum & officium, vnam Religionis, aut politiæ partem attingo, ſed omnia, ſinguláque complector. Hocque, non aliis quàm immenſis humanarum cogitationum & operationum ſpatiis definitum opus, ambitioſo, ſed vero nomine *Totius humanæ vitæ*, vel *rerum humanarum, & diuinarum ſcientiam*, licuerit appellare.

Partior enim omnia mortalium negotia in duo ſumma genera *humana*, & *ſacra*, ſiue *Religioſa*. *Humana* nomino quæ in communi conſuetudine ſiue à ſingulis priuatim, & veluti ſolitariè, ſiue cum aliis agitantur: cuiuſmodi ſunt commercia, contractus, conuentiones, pacta, fœdera, bella, defenſiones, ſocietates, quæ tum inter ſingulos, tum inter populos, Reges externos, & nationes tractantur. Omnia denique συναλλάγματα, ſiue ἑκούσια, ſiue ἀκούσια, vti illa partitur Ariſtot.[a] exiſtant; quæ omnia & ſingula regit, aut emendat æquitas atque iuſtitia, quam idcirco Philoſophus triplicem facit συναλλακτικήν, ἐπανορθωτικήν, & διανεμητικήν. Quia verò eiuſmodi æquitas ſæpius obſcura eſt, vel variis hominum affectibus, & prauis opinionibus corrumpitur, eam tum in vniuerſum, tum in pluribus negotiis ſingularibus præſcribit ius quod inter homines intercedit, ſiue à natura profectum ſit, ſiue diuinis conſtitutum legibus, ſiue moribus, & tacito pacto introductum, ſiue denique ciuitatum, & populorum ſapienti voluntate ſancitum.

a *Lib.* 5. *Ethicor. cap.* 5.

Alterum negotiorum genus ſacra, & Religioſa comprehendit, quæ tum dignitate, propter quam extra humanum commercium collocantur, tum neceſſitate cæteris omnibus humanis præſtant. Abiecta enim Religione vitam pecudum inſtitui & hominis abiici, demonſtrat Lactantius.[b] Philo verò non magis à

b *Lib.* 5. *Inſtitut. cap.* 10. & *lib. de ira Dei cap.* 7.

pietate cæteras virtutes, quàm vmbram à corpore ſeparari poſſe, illaque auulſa, vitia omnia ſuboriri. ᴬ Et denique Triſmegiſtus. ᴮ Ex diuina religione percepta, medelam vitiorum omnium obtineri. Et ſicut blandior, illuſtriorque pulchritudo corporis in oculis reſidet. Ita totius animi ſpecies & forma vna εὐσεβείᾳ continetur, ex Iſidoro Peluſiota. ᶜ Humanam itaque vitam duobus veluti ſummis præſidibus, *æquitate*, & *Religione* regi neceſſe eſt. Nam ſine religione non modo impia; ſed etiam effera, iniqua, & omnium vitiorum colluuione ſordida, atque omnino belluina foret, ſine æquitate crudelis, & iniuſta, atque etiam ſacrilega exiſteret, vt quæ præcipuam quam Deo debet æquitatis partem, ſummo ſcelere violaret. *Vani ſunt omnes homines* (inquit Salomon) ᴰ *in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona noluerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex? Vani* μάταιοι inſani dicuntur: quæ enim maior inſania, quàm vel verum Numen quod omnia prædicant non agnoſcere, vel agnitum non colere. Cum hac in re, *cogente natura etiam ab inuitis pectoribus veritas erumpat*; inquit Lactantius. ᴱ Et totum hocce vniuerſum τῶν ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον nominet Baſilius. ᶠ Et ſanè ſi orbem quàm immenſus eſt, perluſtres, plures vrbes mœnibus, theatris, gymnaſiis, illuſtribus operibus, Literis, Regibus, amplis & magnificis ædibus, opibus denique deſtitutas reperies; nullam tamen templis, ſacrificiis, precibus, oraculis, aliiſque eiuſmodi ad ſacra & Religionem pertinentibus, vacuam, vti obſeruauit Plutarchus, ᴳ qui idcirco exiſtimat faciliùs ciuitatem ſine ſolo condi, quàm opinione de Diis, & Religione ſublata, coire, & conſtare poſſe: qua de cauſa in legibus quibus temperatæ ſunt ciuitates, principem ſemper locum obtinuit de Diis opinio, ipſorumque cultus. Sic Lycurgus Lacedæmonios, Numa Romanos, Ion antiquos Athenienſes, Deucalion Græcos, cæterique Legumlatores alios populos, votis, ſacramentis, vaticiniis, ſacrificiis, & variis aliis ritibus conſecrauere. Exiſtimarunt ſiquidem humanam ſocietatem coire, & diutius ſine Religione conſtare non poſſe, licet aliunde ſapientiſſimis, & æquiſſimis legibus inſtituta videatur, cùm non poſſint non eſſe iniquiſſimæ, & inſipientiſſimæ illæ leges, quæ numinis maieſtatem violarent, & hominem ad vitam pecudum, vti dicebamus, ſublata Religione abiicerent. Adde Religionem, & homines Deo per cultum debitum, & inter ſeſe, per eiuſdem Numinis communionem religare, quod ipſummet nomen ſonat. ᴴ Eſt igitur Religio vinculum omnis humanæ ſocietatis, quæ neque ſine illa conſtare aut coaleſcere; neque ſine eius cognitione regi & inſtitui poteſt. Non debuimus itaque tractationem de rerum & negotiorum humanorum æquitate, quam moliebamur, à ſacrorum explicatione ſeiungere, & hominem Religionis vel æquitatis cognitione deſtitutum relinquere, ne vel aduerſus cæteros homines iniquum; vel aduerſus Deum, impium faceremus. A vera porrò Religione θεογνωσίᾳ & εὐσεβείᾳ, receditur, tum defectu qui eſt Numinis contemptus, & ignoratio, tum exceſſu, qui eſt quidem Dei cultus, ſed ſuperfluo quodam vitiatus, dum impietate, vel ſuperſtitione peccatur. Verè enim dixit Clem. Alexand. ᴵ ἀκρότητες ἀμαθίας ἀθεότης, καὶ δεισιδαιμονία, & quidem alij in δεισιδαιμονίαν incurrunt, alij in ἀθεότητα, tanquam in κρημνὸν præcipites eunt, vti obſeruat Plutarch. ᴸ Eaque duo extrema vitia, ne in religionem peccetur, vitanda prorſus ſunt. Vt igitur vitæ humanæ, quam molimur hoc opere, inſtitutio ſuis omnibus numeris perfecta ſit, tum Religionem ſacrorum, tum rerum communium ac commerciorum, ciuiliſque conſuetudinis, ſiue politiæ æquitatem tradere nos oportet. Eaque fuit Iuſtiniani. *§. 1. de Iuſtit. & Iure.* & Vlpiani *l. 10. D. eodem* mens;

ᴬ *Lib. de Charit.*
ᴮ *cap. 8. Aſclepij.*
ᶜ *Lib. 3. Epiſt. 268.*
ᴰ *Sap. 13. verſ. 1.*
ᴱ *Lib. 1. cap. 2.*
ᶠ *In Hexahem.*
ᴳ *Aduerſ. Coloten.*
ᴴ *Lactant. lib. 4. c. 28. Hieron. in cap. 9. Amos. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4. S. Thom. opuſc. 19. cap. 1.*
ᴵ *In protreptico.*
ᴸ *Lib. de Iſide & Oſirid.*

dum

dum definiunr Iuriſprudentiam *diuinarum, atque humanarum rerum notitiam, iuſti atque iniuſti ſcientiam.* Res humanas vocant quæſtiones de republica, de legibus inſtituendis, de bello, de pace, de ſociis, de vectigalibus, de iure Ciuium: per res diuinas intelligunt quæſtiones de Religione, pietate, ſanctitate, ceremoniis, fide, iureiurando, remplis, delubris, ſacrificiis ſolemnibus, auſpiciis, auguriis. Itaque primis illis Reipublicæ temporibus ad Iuriſconſultos de omnibus diuinis & humanis rebus referebatur, vt de P. Craſſo. T. Coruncanio, & Scipione teſtatur Cicero, *lib.3. de Orator.* Vtrumque ius diuinum & humanum vnis Pontificibus tributum erar, penes quos legum omnium inrerpretandarum ſcientia eſſe credebarur, & ex Pontificibus quoquo anno conſtituebatur, quis præeſſet priuatis, id eſt quis iuridicundo præeſſet, ait Pompon. *l.2.§.1. D. de origine iuris.* Ita Scæuola dicitur à Valerio, [a] diu ac bene iura ciuium, ac cæremonias ordinaſſe. Er ab eodem, [b] Titus Manlius Torquatus, iuris ciuilis, & ſacrorum Pontificialium peritus. A Tacito *lib.3.* Ateius Capiro, humani diuinique iuris ſciens. Et à Macrobio [c] Pontificij iuris inter primos peritus. Ex quibus, aliiſve conſtat, iuriſprudenriam quæ de rerum humanarum æquitate iudicat, de diuinis quoque & ſacris pronuntiare oportere ſi perfecta ſit, neque abſolutum fore Iuriſconſulrum, qui Ius Canonicum & Pontificium ignorarir, vti oſtendit Ant. Faber. [d] Vnde inferr hæreticum, bonum Iuriſconſultum eſſe non poſſe, cum & Ius Pontificium, quod totam ferè Theologiam continet, ignoret. Er qui tot ſanctiſſimas leges, quæ in Codice & Nouellis continentur de fide, & hæreticis, de Eccleſiis, Clericis, & Epiſcopis, de ſumma Trinitate, & aliis Religionis Chriſtianæ myſteriis, vel non intelligar, vel contemnat. Nos igitur qui humanam & Chriſtianam vitam hoc opere omni ex parte inſtiruimus, de æquitate rerum humanarum, iuſti ac iniuſti notitia; deque ſacrarum & diuinarum ſcientia iure meritò diſputandum ſuſcipimus. Ideoque de humanarum rerum æquitate, ſacrarum & diuinarum ſcientia inſcribimus noſtrum opus. Immenſam verò & confuſam ampliſſimi argumenti molem ſic digerere placuit.

a *Lib.8. cap.8.*
b *Lib. 5. cap. 8.*
c *Lib. 7. cap. 13.*
d *In Iuriſprud. Papinian. Tit.1. princip. 3. Illat.1.*

Ordior à rebus & negotiis humanis quorum æquitatem imprimis per omnes negotiationis cauſas, materias, vniuerſales ac ſingulares formas contractuum, commerciorum atque συναλλαγμάτων diuerſa genera, ex iiſque ortas obligationes ſolidè & ſcientificè explico.

Deinde humanarum ſcientiarum omnium, & artium originem, cauſas, naturam, & rectum ac prauum vſum demonſtro. Et

Denique ſingulorum ſtatuum, officiorum, & munerum rationes, atque adeo vniuerſam œconomiam, & politiam trado.

Secundo loco res ſacras & religioſas in *ſcientia canonica* pridem à nobis promiſſa doceo, in ea ſiquidem de perſonis, actionibus, & rebus ſacris, Eccleſiaſtica hierarchia, & Religioſa politia, iure Pontificio, atque Religione vniuerſa diſputo.

Quamuis autem ex doctrina per certa, & vniuerſalia principia ſcientifica methodo quam in noſtris operibus conſectamur, rradita, facile fuerit viris eruditis ſingulares materias explicare, & controuerſias ad praxim & particulares caſus pertinentes dirimere, quod & nos per varia conſectaria ſæpius præſtitimus, viſum tamen ſapientibus fuit operæ pretium nos facturos, ſi præcipuas & ſingulares aliquot quæſtiones (per omnes enim ire, infinitæ foret operæ) ex immenſa illa rerum ſylua ſeligeremus, & ſeorſim, & veluti in exemplum, & faciliorem vſum definiremus.

Qua

Qua de cauſa aliquot opuſcula canonica ſeorſim dabimus, & prætetea conſultationum moralium volumen, hoc eſt ſingularium quæſtionum circa mores, de quibus vel SS. Patres, vel ipſi Pontifices, vel Concilia, vel docti denique Theologi olim conſulti reſponderunt, quorum mentem & reſponſa expendemus, atque interpretabimur, licueritque hoc opus *Diſciplinam moralem SS. Patrum*, vel, *Dogmata moralia SS. Patrum* nominare, exemplo eruditiſſimi Petauij, qui nobis inſigne opus de dogmatibus Theologicis SS. Patrum, pridem dedit.

Denique toti huic operi faſtigium & veluti coronidem imponemus, rerum diuinarum explicatam cognitionem, quæ cæteras omnes notitias mortales, humanas, & obſcuras ſuis radiis illuſtret, & rerum humanarum æquitatem ab ipſa diuina mente hauriat, veramque Religionem, & cultum ſummi Numinis maieſtati debitum facilè demonſtret. Hanc verò diuinam ſcientiam tradimus in Theologia Areopagitica, & Paulina, in quibus Diui Pauli, & S. Dionyſij ſubliiorem Theologiam noua methodo & illuſtri Commentario enucleamus.

Quatuor igitur hiſce veluti principibus tractatibus totum hoc opus abſoluimus; continetur nimirum *ſcientia de rerum & negotiorum humanorum æquitate*, quæ de omnibus humanis negotiis, commerciis, ſcientiis, artibus, ſtatibus, & officiis, vniuerſaque œconomia, & politia diſputat. *Scientia Canonica*, quæ omnia ſacra & Religioſa comprehendit. *Diſciplina moralis SS. Patrum*, quæ ipſorum pronunciata & oracula de ſingularibus morum controuerſiis quondam ipſis propoſitis interpretatur. Et denique *Theologia Areopagitica, & Paulina*, quæ rerum diuinarum enucleatam notitiam tradit.

Habes itaque (Erudite Lector) exploratum animi noſtri ſenſum & ſuſcepti operis inſtitutum, quod licet viribus noſtris impar, æqui bonique conſulas velim, grandioribus auſis faueas, næuos, qui in tam ingenti corpore non deerunt, pro tua eruditione & humanitate, polias & emendes. Atque ſæpius in tam vaſto & difficili opere fatiſcentis ingenij vicem miſeratus, doleas. Plerique homines non ſeſe ſatis explorant, & metiuntur; auida ſemper, & ambitioſa mortalitas maiora deſtinat animo, quàm aſſequatur: illuſtria rerum ſimulacra fingit, quæ opere nequit exprimere: inanibus ſibi cogitatis blanditur, vix vnquam meditata extundit, & torpente vel errante manu, quæ molitur animus plerumque non præſtat. Neque ego ita mihi blandior, vt quam mente illuſtrem huius operis idæam fingo, me omnibus rationibus perfectam, & exſculptam præſtiturum recipiam, aut etiam ſperem: ſatis mihi fuerit præiuiſſe aliis, qui & meliora meditabuntur, & cumulatiùs perficient; mihi tamen ipſe non deero, improbo labori non parcam; neque nobili & faſtidioſo operi in hac deuexa ætate ſuſcepto immori moleſtum fuerit; non ſolent noſtri ſodales ſcamma deſerere, niſi vincant, vel in ipſa lucta, deficiente ſpiritu, vitam relinquant. Annuet (vt ſpero) aliqua ſaltem ex parte, votis Deus, *Tuque Illuſtriſſime Camille*, cui noſtra iſta dicamus ſolito fauore humillimo Clienti animos facies, & languentem excitabis. Non diutius te morabor in hoc aditu, *(Mi Lector) Abi, & faue.*

SYNOPSIS

SYNOPSIS
SINGVLORVM OPERVM
R. PATRIS
IOSEPHI GIBALINI,
è Societate IESV Theologi.

DE RERVM HVMANARVM ÆQVITATE,
& Sacrarum, atque Diuinarum ſcientia.

EXPLICATO *noſtri Operis inſtituto, quod in plures tractatus partiri cogimur, eorum ſingulorum diſtinctam ſynopſim tibi tradimus, qui ita vnum opus conficiunt, & corpus componunt, vt & ab inuicem, & ab ipſo toto auelli nullo damno, aut iactura reliquorum poſſint, cùm etiam auulſa, perfecta quædam tota, & opera diſtincta maneant, & per ſeſe efficiant; licèt cum reliquis vnum quoque totum componere facilè videantur, vti in pluribus aliis contingit, quæ vniuerſitatem conficiunt, aut vnum per ordinationem, & relationem, ſiue vinculum ordinis, & connexionis conſtituunt.*

TOMVS PRIMVS.

T*Ractatio ſcientifica de vniuerſa rerum humanarum negotiatione.* Cuius æquitatem per omnes eius cauſas explicat. Es hic quidem primus Tomus humanæ negotiationis naturam, cauſam finalem, & effectiuam, materiam, eiuſque vniuerſales formas, præcipuum inſtrumentum rem nummariam, atque diuerſa rerum omnium maximè venalium onera complectitur.

TOMVS SECVNDVS.

EXplicat ſingulares humana negotia agitandi modos per contractus, conuentiones, & diuerſa commerciorum genera, atque ex illis, & variis delictis ortas obligationes.

TOMVS TERTIVS.

AGit de vſuris, & ſingularibus quibuſdam commerciis, atque æquitate & vſu fori Lugdunenſis, & priori quidem parte de vſuris fœneratitiis, eo quod intereſt, vſuris ſimulatis, atque aliorum contractuum mentita ſpecie veſtitis, nempe commodati, precarii, depoſiti, pignoris, locationis; quorum omnium doctrina fuſiùs traditur.

TOMVS QVARTVS.

ESt poſterior pars operis de vſuris, & proſequitur cæteros contractus quibus occultari ſolet vſura, nempe emphyteuſim, libellum, precariam, feuda, laudimia, cenſus, contractum dotalem, montes pietatis, cambia, & ſocietates, & denique vſum fori, ſiue vt loquuntur, plateæ Lugdunenſis, vſurariæ labis immunem eſſe demonſtrat.

TOMVS

TOMVS QVINTVS.

OMnium humanarum ſcientiarum, & artium originem, naturam, cauſas, effectus, prauum & rectum vſum demonſtrat.

TOMVS SEXTVS.

SIngulorum ſtatuum, officiorum, & munerum rationes, ac debita expendit, vniuerſamque œconomiam, & politiam accuratè tractat.

TOMVS SEPTIMVS.

EST *Scientia Canonica*, ſiue totius Iuris Eccleſiaſtici ſcientifica expoſitio. Cuius prior pars docet *Scientiæ Canonicæ* exiſtentiam, eſſentiam, obiectum, Iuris Canonici naturam, principia vniuerſalia, locos argumentorum, & analyſim.

TOMVS OCTAVVS.

EST *II. Scientia Canonicæ*. Itaque diſputat de perſonis, actionibus & rebus ſacris: continetque totam hierarchiam & politiam Eccleſiaſticam, quibus addimus notas in omnes difficiliores canones.

TOMVS NONVS.

COntinet quædam ſingularia opuſcula canonica. I. De clauſula regulari. II. De vniuerſa ſimonia. III. De iure patronatus, & præſentatione ad beneficia. IV. De electionibus. V. De nominatione Regia. VI. De optione canonica. VII. De diſtributionibus quotidianis. VIII. De penſionibus. IX. De decimis. X. De mutatione conditionum beneficiis impoſitarum à fundatoribus. XI. De natura iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuæ. XII. De dominio & ſeruitutibus. XIII. De appellationibus. XIV. De Iudicibus arbitris, conſeruatoribus, & Regularibus. XV. De pœnis.

TOMVS DECIMVS.

DIſquiſitiones Canonicæ, & Theologicæ, de cenſuris, & liber ſingularis de irregularitatibus, atque impedimentis canonicis, ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, & vſum prohibentibus.

TOMVS VNDECIMVS.

D*Iſciplina moralis SS. Patrum.* Siue illuſtriores quæſtiones morales de quibus. SS. PP. Pontifices, & Concilia, illuſtrioréſque Theologi quondam reſponderunt, quorum reſponſa interpretamur.

TOMVS DVODECIMVS.

COnſilia circa delectum & κρίσιν opinionum, de quæſtionibus diuerſis ætatibus, hodiéque agitaris.

TOMVS DECIMVSTERTIVS.

T*Heologia Areopagitica*, & fuſiores Commentarij, quibus S. Dionyſij triplicem Theologiam interpretamur, ἀποδεικτικὴν, συμβολικὴν & μυστικὴν, & primò quidem demonſtratiuam, ἀποδεικτικὴν, quam iterum triplicem facimus, nimirum, θεολογίαν, θεοπλαστίαν, & ἱερανίαν ἱεραρχίαν.

TOMVS DECIMVSQVARTVS.

EST II. Theologiæ Areopagiticæ, & explicat θεολογίαν συμβολικὴν, καὶ μυστικὴν, quam ex demonſtratiuæ principiis confirmat & illuſtrat.

TOMVS DECIMVSQVINTVS.

T*Heologia Paulina*, in qua S. Pauli doctrinam dogmaticam de lege, & Euangelio, fide, & operibus, vocatione gentium, & reprobatione Iudæorum, prædeſtinatione & gratia, Chriſti redemptione & Sacerdotio, Eccleſia, & eius miniſtris, atque alia plura illuſtramus.

Horum verò tractatuum aliqui iam editi ſunt, alij ferè aff cti propediem edentur, quamuis non eadem ſerie, qua recenſiti ſunt. Ordiemur enim à *Scientia Canonica*, vt fidem pridem obſtrictam liberemus.

SERIES

Erudito Lectori monitum.

CONSILIVM & inſtitutum noſtrum perſpicuè explicatum habes in programmate totius operis, quare in hoc aditu non aliud te monitum volo quàm de operarum huius editionis oſcitantia, vel imperitia, cui vni plurium errorum cauſas tribuere debes: eorum indicem diligentiùs accuratiúſque texere non placuit, cùm ſæpiſſimè inutiliter texatur. Tria dumtaxat in vniuerſum erratorum genera committi aduerto, primum eſt circa Authorum qui adducuntur nomina nonnulla prorſus deformata, quæ noſtræ inſcitiæ tribui dolerem, quaſi ex aliena fide, & errore mihi non cognita nomina retulerim, & Authores nequidem de nomine ſatis notos allegarim; ſanctè enim profiteor iniuria me hac in parte, vel oſcitantiæ, vel imperitiæ argui, & errati alieni ac Typographici veniam à te iure depoſco. Sanè ſi eruditus es, atque in voluendis Authoribus verſatus, deformationem nominis facilè agnoſces; Si vero rudis, & peregrinus in ea lectione, nequidem errorem ſuſpicaberis, ſed tu ipſe aliquando in ſimilem errorem impinges: quare neque mihi huius errati veniam dabis, neque me illius inſimulabis. Quod igitur leges pagina 14. *Honor. & Theodoſ. Aél.* emenda. *A A.* pag. 17. *Conſt. & Auguſtin.* lege, *Conſtans & Conſtant. A A.* pag. 23. *Rebeff.* pro *Rebuff.* & ibid. *litteris de committimis*, lege, *de committimus*, ſic enim vulgò loquuntur, ibid. Demoſtenes in *Leptinea.* pro *Leptinea*, pag. 25. *Viſmbach.* pro, *Viſembach.* pag. 45. *Gracchanum*, pro, *Grachannum.* pag. 46. *Dionyſius Habicara*, pro *Halicarnaſſ.* pag. 51. *Henlogenia*, pro, *Hermogen.* pag. 58. *Salmali.* pro, *Salmaſ.* pagina 59. *Salom.* pro, *Salonius.* pag. 69. *Ægnita*, pro, *Æegineta.* pag. 70. *Benodans*, pro, *Renodaus*, & ibid. *Pareſmus*, pro *Parthenius.* pag. 71. *Palyb.* pro, *Polybio.* pag. 74. *Solm.* pro, *Solinus.* pag. 75. *Serar. in medic.* pro, *Serar. in Iudic.* pag. 77. *Ierm.* pro, *Ierem.* pag. 79. Amb. *in Heram.* pro, *hexahem.* ibid. Alexand. *Seuerius.* pro, *Seuerus.* pag. 90. Couarru. *in regul. de peccatis*, pro, *peccatum.* pag. 113. *dicentius*, pro, *licentius.* pag. 122. *Alcimus Anitus*, pro, *Anitus.* pag. 124. *E.* pro Σ. ibid. *Canidenus.* pro, *Camdenus.* pag. 126. *Mænechiis.* pro *Mænechmis.* pag. 135. *Rhemi*, pro, *Rheni.* pag. 155. *Iliad. venſ.* pro, ↓ pag. 161. Plaut. *in Meneom.* pro, *in Mænechm.* pag. 187. *Ægelli.* pro, *Agell.* pag. 190. *Voſpiſius.* pro, *Vopiſcus.* Ibid. *Herminoo*, pro, *Hermenopul.* pag. 207. *Tolis lib. ſæpius*, *Tolet.* pag. 227. *Meroie*, pro, *Meroe.* pag. 234. *ligna Thyrina*, pro, *Thyina.* pag. 242. *Speradum*, pro, *Sporadum.* pag. 266. *victoriam Atticam*, pro, *Actiacam.* pag. 294. *Scelanorum*, pro, *Sclanorum.* pag. 305. *Benibus*, pro, *Bembus*, ibid. *Alixius*, pro, *Alexius.* pag. 319. *celerem manum* pro, *mannum.* pag. 300. *multos*, pro, *mulos.* Hæc pauca notaſſe ex prioribus huius Tomi foliis ſufficiat, vt ex iis quid in aliis erratum ſit pro tua eruditione emendes, & miſeram ſcriptorum vicem doleas, neque illis quam non admiſere culpam adſcribas.

Alterum erratorum genus contingit circa voces Græcas, quibus quamuis quantum licuit abſtinuerim, in eis tamen frequentiùs offenderunt Typographi, quorum hallucinationes ſi hoc loco emendare vellem, neceſſe foret plura ſanè, quæ ex Græcis excripſi, iterum hoc loco adducere, & ſingulas ſæpius litteras notare. Tu ipſe, ſi huius linguæ peritus es, facilè dignoſces, & emendabis.

Quod idem dico de tertio genere erratorum circa Typographiam, quæ nemo non aduertet, qui & verba Latina capiet, & ſententiam quam ex ſerie contextus non operosè colliget. Vale mi Lector, & noſtra non librariorum duntaxat errata, vel condona, vel vbi meliora occurrent, corrige.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

GVILLELMVS DE L'ANGE Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eiuſdem Societatis à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante 23. Decembris. 1650. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, Permitto Philippo Borde, & Laurentio Arnaud, vt librum cui inſcriptio eſt *R. P. Ioſephi Gibalini è Societate IESV Theologi, de vniuerſa rerum humanarum negotiatione, Tractatio ſcientifica, vtrique foro perutilis, in qua omnes & ſingulæ obligationes, ex humanis negotiis, commerciis, contractibus & delictis, atque vniuerſo genere συναλλαγμάτων orta ſcientificè & ſolidè explicantur. Ex Iure naturali, Eccleſiaſtico, Ciuili, Gallico, & Romano. tomis duobus*, ad ſex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni, die 19. Decembr. 1662.

GVILLELMVS DE LANGE.

Approbatio Doctoris Facultatis Pariſienſis.

INgenij ſubtilitas, rationum pondus, doctrinæ, in omnibus & fidei Catholicæ, & probis moribus conſonæ, ſoliditas, tam præclarè dimicant in opere inſcripto. *R. P. Ioſephi Gibalini de vniuerſa rerum humanarum negotiatione Tractatio ſcientifica*, duplicem Thomum complectens: vt fœliciter ignoretur, cui victoriæ palma tribuenda ſit. Quapropter non ſolùm Ciuitas Lugdunenſis, variis per totum terrarum orbem negotiationibus perilluſtris; verùm & vniuerſa Europa illud in ſinum ſuum excipere gratulabunda feſtinet, eiuſque Authorem, quaſi ſuum peculiare oraculum, vbi difficultates in ſuis negotiationibus conſcientiam ſpectantes occurrerint, omni cum fiducia conſulat. Ita Cenſeo ego infraſcriptus Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus; Lugduni die 3. Nouembris anno à Chriſto nato 1663.

F. CYRILLVS MOREL Carmeli Lugd. Prior.

Approbatio Vicarij Generalis.

EX ipſo nomine Authoris iam à multis aliis ab eodem eruditè conſcriptis operibus celeberrimi ſatis conſtat quanti facienda ſit hæc *Tractatio ſcientifica R.P. Ioſephi Gibalini, de vniuerſa rerum humanarum negotiatione*, & idcircò viſa ſuperiori approbatione nos quoque hunc ſecundum Tomum æquè ac priorem digniſſimum cenſemus qui in lucem prodeat, cùm non dubitemus quin vterque plurimum lucis afferat his ſubobſcuris difficultatibus ad conſcientiam pertinentibus, quæ quotidie circa varias hominum negotiationes oboriri ſolent: Lugduni die quarta Nouembris 1663.

DENEVFVILLE Abbas S^cti^ Iuſti, Vic. Generalis.

CONSENSVS.

VIſis Superioribus Approbationibus, librum hunc *De vniuerſa rerum humanarum negotiatione, Tractatio ſcientifica*, Typis mandari, & in lucem edi Sumptibus Philippi Borde, & Laurentij Arnaud, Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis Conſiliarius & Aduocatus in Lugdunenſi Præfectura non impedio: Lugduni 4. Nouemb. 1663.

BOLLIOVD MERMET.

PERMISSIO.

VIſo Aduocati Regij conſenſu, fiat vt petitur, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuo excudat hunc librum prohibemus. Datum Lugduni die 5. Nouemb. 1663.

CHARRIER.

SERIES CAPITVM, ARTICVLORVM, ET CONSECTARIORVM, Quæ in hoc priori Tomo de vniuerſa negotiatione reperiuntur.

Argumentum & partitio operis. *pag.* 1

LIBER PRIMVS.

De natura & cauſis negotiationis. *pag.* 5

CAPVT PRIMVM.

De natura negotiationis. *ibid.*

ARTIC. I. QVi n ſit negotiatio, quid mercatura. ibid.
II. Quotuplex ſit negotiatio. p.8
III. An negotiatio honeſta, & licita ſit. 11
IV. De vtilitate & nobilitate negotiationis. p.13

CAPVT II.

De cauſa finali negotiationis. *p.*15

ARTICVL. VNICVS. QVis ſit negotiationis finis. ibid.

CAPVT III.

De cauſa efficiente negotiationis, ſiue de perſonis negotiantibus. *p.* 16

ART. I. QVibuſnam licitum ſit negotiari. ibid.
II. An clericis prohibeatur negotiatio. p.18
III. De mercatoribus. 22
IV. De proxenetis. 24
V. De inſtitoribus, ſiue factoribus. 25
VI. De negotiorum geſtoribus. 28
VII. De mandatariis. 30
VIII. De procuratoribus. 35
IX. Conſectaria ex tribus proximis articulis. 37

Conſectarium j. Differentia inter vulgare mandatum, & procuratorium, ac negotium geſtum. ibid.
ij. An mandans ſoluere, qui non ſoluit, ſed debitori ſe ſoluturum promiſit, mandatum impleuerit. 38
iij. Caſus ſingulares circa procuratores ad accipiendam pecuniam. 39
iv. De mandato tranſmittendi merces certa quædam naui, aut illam cui impoſitæ fuerunt, non mutandi. 41
v. De procuratore ad merces, & ſolutionem. ibid.
vj. An geſta per falſum procuratorem poſſint à Domino poſt latam ſententiam rata haberi in ſuum fauorem. 42
vij. LL. aliquot emendantur, & illuſtrantur. ibid.
ART. X. De rationalibus & arcariis. 44

CAPVT IV.

De materia negotiationis, & mercibus. 53

ART. I. QVænam ſit materia commerciorum & negotiationis. ibid.
II. De mercibus. 60
III. Conſectaria ex duobus proximis articulis. 62
Conſectarium j. Caſus ſingulares circa negotiationem ex re aliena. ibid.
ij. An homo liber poſſit eſſe materia commerciorum & negotiationis. 64
iij. De commercio & venditione mancipiorum. 67
iv. De negotiatione & commercio Sanctorum

rum cadauerum, 68

v. De nundinatione humanorum cadauerum ad medicamenta. 69

v j. De nundinatione humanorum cadauerum ad cibos. 71

v ij. De nundinatione cadauerum ad ſepulturam. 73

v i i j. Nundinatio carnium, & aliarum partium viuentis hominis. ibid.

i x. De negotiatione per enuehiſationem. 75

x. An omnis negotiatio de re turpi & illicita, ſit etiam inualida: vbi traduntur regulæ generales. 81. & ſeqq.

x j. Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectatio. 90

x i j. De negotiatione lenonum & lupanarium, an permittenda ſit in Republica. 97

x i i j. An lucrum ex negotiatione cum Dæmone partum, retineri poſſit. 117

CAPVT V.

De notis & ſignis mercium. 118

Art. I. De variis rerum notis & ſignis. ibid.

I I. Quæſtiones de notis mercium, ſignis artificum, & ſymbolis gentilibus, quæ variis rebus imponuntur. 132

III. An liceat ſuis mercibus ac rebus alienum ſymbolum, & proprium ſignum alienis apponere. 134

CAPVT VI.

De menſuris & ponderibus mercium. 148

Art. I. Qvid pondus, quid menſura, & quotuplex ſit. ibid.

I I. De Romanis ponderibus. 149

III. De Græcorum, & Hebræorum ponderibus. 153

I V. De menſuris liquidorum & aridorum apud Romanos. 159

V. De liquidorum & aridorum menſuris apud Græcos & Hebræos. 164

VI. De menſuris linearum, ſiue interuallorum. 171

VII. De collatione veterum ponderum ac menſurarum inter ſe, & cum noſtratibus. 175

VIII. De legitimo ponderum ac menſurarum vſu in commerciis ſeruando. 176

IX. Quæſtiones conſectariæ. 178

Conſectarium j. Quale peccatum ſit pondera & menſuras corrumpere. 179

ij. An liceat minuere vel augere menſuram ſeruata pretij æqualitate. ibid.

i i j. Quomodo intelligenda ſit venditio, aliáve alienatio ad menſuram, vel numerum, & quid illa operetur. 180

i v. Caſus ſingulares, & legum aliquot intellectus. 184

CAPVT VII.

De inuectione, & euectione mercium. 186

Art. I. De variis interdicti commeatus mercibus. ibid.

I I. De legibus mercium quarumdam inuectiunem, & euectionem prohibentibus. 191

I I I. Quæſtiones conſectariæ. 195

Conſectarium j. An imminente annona poſſit Princeps vel Magiſtratus cogere ciues vt frumentum ſibi ſuperfluum certo pretio pauperibus vendant, aut illud ab his in hunc finem tollere. ibid.

ij. An cui interdictum eſt alicuius rei & mercis commercium, ſi illud tamen occultè exerceat, & rem illam aut per ſe, aut per ſuppoſitas perſonas vendat iuſto & communi pretio, peccet, teneaturque ad reſtitutionem. 196

iij. An domini quicumque habentes iuriſdictionem temporalem in aliqua ditione, poſſint interdicere aliqua commercia, aliáve imperare: v. g. ſubditis ſuis coctionem & molituram in aſſignatis à ſe clibanis & molentinis imperare, & in aliis prohibere. 198

i v. An repertus in via cum mercibus, aliiſve rebus extrahi vetitis, puniri debeat pœnis extractioni impoſitis. 201

v. An ſaccus quo exportatur frumentum contra prohibitionem, addicatur vnà cum frumento. 202

v j. An externi ligentur legibus rerum aliquarum commeatum, & commercium prohibentibus. ibid.

v i j. Caſus ſingulares. ibid.

v i i j. An vrgente penuriâ & ſterilitate, debitores hordei & frumenti, aut obligati ad eleemoſynam panis vel frumenti, teneantur debitum triticum & panem ſuppeditare; an verò poſſint hoc ſuum debitum pecunia pro ratione pretij, & taxæ panis & frumenti ſoluere. 203

Art. I V. De vecturis. 204

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De commerciis maritimis, mercium oneribus, & re nummaria, vniuerſoque negotiationis inſtrumento. 205

CAPVT PRIMVM.

De commerciis & negotiationibus maritimis. *ibid.*

ART. I. AN ſit aliquod maris,& fluminum dominium. ibid.
II. Quale ſit maris dominium, quiſve eius effectus. 211
III. De nauigationibus. 221
IV. De nauibus, & rei nauticæ adminiſtratoribus. 235
V. Leges nauticæ. 237
VI. Obligationes nautarum. 239
VII. De obligationibus vectorum & mercatorum. 243
VIII. Quæſtiones conſectariæ ex proximis articulis. 245
Conſectarium j. Ad quid obligetur nauta, ſi merces quas vehit, commiſſæ ſunt propter non ſolutum portorium, publicanis illud iniuſtè accipere recuſantibus. 245
ij. An nauta cogi poſſit nauigare. 246
iij. An nautis in nauis miniſterio laborantibus, tacita in naui pro præſtitis operis detur, hypotheca. ibid.
iv. Caſus alij ſingulares. 247
ART. IX. De naufragio, iactu mercium, & his quæ extrahuntur è mari. 248
X. De exercitoria & aliis actionibus aduerſus nautas. 262

CAPVT II.

De gabellis & vectigalibus. 263

ART. I. QVid & quotuplex ſit vectigal. ibid.
II. De cauſa efficiente, ſiue indicente vectigalia. 267
III. De cauſa finali propter quam iuſta vectigalia indici poſſunt. 272
IV. De forma & modo indicendi tributa. 287
V. De perſonis quibus tributum indicitur. 288
VI. De tributo perſonali, capitatione, operis vectigalibus, ſiue ſeruitiis perſonalibus. 289
VII. De tributo cenſus, ſiue in ſolum & agros. 297
VIII. De reliqua materia tributi, ſiue rebus ſuper quibus imponitur tributum. 304
IX. Quid, & quantum in vectigalia imponatur. 317
X. Qualis & quanta ſit obligatio ſoluendi vectigalia. 328
XI. Conſectaria ex doctrina ſuperiori. 335
Conſectarium j. An quando vectigal non debetur niſi peritum, fas ſit vel petentem exactorem eludere, vel merces occultare ne petat. ibid.
ij. An quando gabellarius petit gabellam poſt tempus definitum, debeatur. 337
iij. An qui non ſoluit vectigal ex re vendenda debitum, poſſit illam eodem pretio ordinario vendere, atque ſi ſoluiſſet vectigal. 338
iv. An qui emit rem à venditore quem nouit gabellam defraudaſſe, teneatur illam ſoluere. ibid.
v. An creditor Principis à quo nequit ſolutionem extorquere, poſſit licitè compenſationem facere defraudatione vectigalium. 339
vj. Vtrum actores mercatorum qui cum gabellariis tranſigunt, poſſint à ſuis donis integram gabellam repetere, cuius tamen duntaxat partem ipſi ſoluerunt. 343
vij. Monitum Confeſſariis. 346
ART. XII. Notationes de modo perficiendi, & implendi contractum. 347
XIII. Conſectaria ex quibus contractibus debeatur gabella. 350
Conſectarium j. An & quando ex venditione debeatur gabella. ibid.
ij. Quando ex venditione conditionali debeatur gabella. 351
iij. An gabella debeatur ex venditione nulla. 352
iv. An ex venditione, aliòve contractu reſoluto & reſciſſo debeatur gabella. ibid.
ART. XIV. De indulgentia & immunitate vectigalium. 357
XV. De præfectis vectigalium, & ipſorum exacto

exactoribus, redemptoribus, ac publicanis. 360
XVI. De pœnis fruſtrantium vectigalia. 371

CAPVT III.

De foro & nundinis. 372
Art. I. De foro. ibid.
II. De nundinis. 378

CAPVT IV.

De re nummaria vniuerſali negotiationis inſtrumento. 382
Art. I. Quid & quotuplex ſit nummus. 383
II. De origine & materia nummi. 386
III. De forma nummi. 392
IV. De nummi pondere. 395
V. De æſtimatione, & valore nummi 396
VI. De veterum nummis æreis. 403
VII. De veterum nummis argenteis. 407
VIII. De nummis aureis veterum. 415
IX. Conſectaria. 421
Conſectarium j. De veterum rationibus ærariis & nummariis. ibid.
ij. De variis loquendi modis & formulis. 424
iij. Quid ſit libra occidua, quid ſepticiana. 426
iv. De centeſimis & aliis Romanorum atque Græcorum vſuris. 427
v. Illuſtrantur aliquot leges. 432
Art. X. De nummis Gallicis. 435
XI. De collatione nummorum inter ſe. 437
XII. De conflatione nummorum. 438
XIII. De mutatione monetæ. 443
XIV. Cuius lucro aut damno contingat mutatio monetæ, debitoris an creditoris. 447
XV. De falſis & adulterinis monetis. ibid.

LIBER TERTIVS.

DE FORMA HVMANÆ NEGOTIATIONIS:

SIVE,

De variis negotiandi modis. 453

CAPVT PRIMVM.

De Pactis & contractibus. 453
Art. I. Quid ſit pactum, quid contractus, & quotuplex. ibid.
II. De cauſa efficiente pactorum & contractuum. 459
III. Conſectaria de perſonis paciſcentibus. 460
Conſectarium j. An pueri & impuberes contrahere poſſint. ibid.
ij. An filiifamilias contrahere poſſint. 461
iij. An & quando minores contrahere poſſint. 462
iv. Quomodo & quando Religioſi obligentur ſuo contractu. 467
v. An prodigi & furioſi contrahere poſſint. 470
Art. IV. De materia & forma contractuum. 474
V. De effectu contractus, obligatione & actione. ibid.
VI. Regulæ vniuerſales de pactorum & contractuum obligatione. 477
Regula I. De pacti nudi obligatione. 478
II. De pactis perſonalibus. 484
III. De pactis in rem. ibid.
IV. Quomodo pactum de re extendatur ad aliam. 486
V. De pactis contra ius & bonos mores initis. 489
VI. De pactis quæ turpem cauſam continent. 493
VII. De pactis poſterioribus, an priora elidant. 499
Art. VII. Conſectaria & legum aliquot illuſtratio ex proximis Regulis. 496
Conſectarium j. Quænam pacta tacita æquivaleant pactis expreſſis de non petendo & remiſſioni obligationis. ibid.
ij. De pactis hæredum cum legatariis, vel creditoribus hæreditariis. 498

iij. Re

ij. Reliqua conſectaria remiſſiuè. 500
Art. VIII. De tempore, loco, atque pactorum & contractuum obligationibus. ibid.

CAPVT II.

De præcipuis pactorum & contractuum qualitatibus. 503

Art. I. DE pactis & contractibus puris ſiue abſolutis. ibid.
II. De pactis & contractibus conditionatis. 505
Qvæstio I. Quid operentur conditiones de præſenti, vel de præterito, diſpoſitioni alicui adiectæ. 507
III. Quid operetur conditio de futuro, contractibus & diſpoſitionibus adiecta. 509
IV. De conditionibus tacitis, & quæ inſunt contractibus ac pactis. 511
V. De conditionibus impoſſibilibus, & ſubſtantiæ actus contrariis. 513
VI. De conditionibus turpibus. 515
VII. De quibuſdam conditionibus particularibus turpéſne ſint, an honeſtæ. ibid.
VIII. Qualis ſit obligatio contractus & pacti conditionati. 524
IX. De impletione conditionis. 527
Regula i. De conditionibus implendis ſecundum formam ſpecificam. 529
ii. De conditionibus implendis per æquipollentiam. 532
iii. De conditionibus impoſſibilibus tantum per accidens. 536
iv. De conditionibus impoſſibilibus in ſpecie. ibid.
Qvæst. X. An contractus conditionales indigeant nouo conſenſu poſt conditionis euentum. 545
XI. Conſectaria circa ſingulares quoſdam contractus conditionatos. 553
Conſectarium j. De ſponſalibus conditionatis. ibid.
ij. An matrimonium conditionatum adueniênte conditione indigeat nouo conſenſu ad ſui perfectionem & validitatem. 554
iij. Singulares caſus circa matrimonium conditionale cum duabus aut ſimul, aut ſucceſſiuè contractum. 568
iv. Quomodo & quando votum conditionale obliget. ibid.
v. De religioſa profeſſione conditionata. 562
Qvæst. XII. Aliquæ leges illuſtrantur & emendantur. 563
Art. III. De pactis & contractibus ſub modo. 565
IV. De pactis & contractibus in diem. 567
V. De pactis & contractibus alternatiuis. 571
VI. De pactis & contractibus annuis. 572
VII. De pactis & contractibus indiuiduis. 574
Regula i. An contractus circa quantitatem ſint diuidui, vel indiuidui. 576
ii. An contractus circa res particulares corporales ſint diuidui, an indiuidui. 577
iii. An contractus circa res incorporales, & intellectuales & ſeruitutes, ſint diuidui, & quomodo. 579
iv. An contractus circa factum aliquod & pœnam præſtandam ſint diuidui, vel indiuidui. 581
Art. VII. De pactionibus & contractibus incertis. 582

CAPVT III.

De pactionibus & contractibus inualidis, eorumque validatione, ſiue confirmatione. 545

Art. I. QVomodo contractus inualidus confirmetur iuramento. 586
Regula i. De confirmatione contractus naturaliter inualidi. 590
ii. De confirmatione contractus ciuiliter irriti. 591
Art. II. Conſectaria & ſingularium difficultatum explicatio. 603
Conſectarium j. Diſcrimen inter iuramentum promiſſorium, confirmatorium, & ſolùm obligatorium. ibid.
ij. An ſit aliquod diſcrimen inter iuramentum appoſitum contractibus irritis propter vtilitatem publicam, & inualidis propter vtilitatem priuatam. 605
iij. An poſterius iuramentum obliget, & confirmet pactum, & contractum factum contra prius iuramentum. 668
iv. Examinantur regulæ quibus dignoſcamus an iuramentum confirmet contractum cui adiicitur, vel ſaltem ſit obligatorium. 610
v. Caſus ſingulares ex hactenus diſputatis. 613
vj. Explicatur Anthentica *Sacramenta puberum*, C. ſi aduerſus venditionem. 615
vij. Illuſtrantur aliquot capita iuris Canonici.

nonici. 618

Art. III. De confirmatione contractus per ratihabitionem. 620

CAPVT IV.

De diſſolutione pactorum & contractuum. 625

Art. I. Qvomodo pacta diſſoluantur per irritationem à Prætore. 626

II. Quomodo pacta diſſoluantur nouatione & delegatione. 627

III. De diſſolutione contractuum per reſtitutionem in integrum. 630

§. 1. De perſonis quibus indulgetur reſtitutio in integrum, & primò de minoribus. ibid.

2. In quibus contractibus concedatur minori reſtitutio. 635

3. In quibus caſibus negetur minori reſtitutio. 635

4. De aliis perſonis quibus conceditur reſtitutio in integrum. 656

5. De modo petendæ & obtinendæ in integrum reſtitutionis. 663

6. De effectibus reſtitutionis in integrum. 665

R. P.

Digitized by Google

R. P. IOSEPHI GIBALINI

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

DE VNIVERSA RERVM HVMANARVM NEGOTIATIONE,

TRACTATIO SCIENTIFICA

vtrique Foro perutilis.

EX IVRE NATVRALI, ECCLESIASTICO, Ciuili, Gallico, & Romano.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ARGVMENTVM

ET PARTITIO OPERIS.

NEGOTIOSAM hanc mortalium vitam, eáque de cauſa moleſtiſſimam tum Chriſtiani, tum externi ſcriptores dixêre ſæpiùs. *Aſpicio genus humanum*, inquit Bernard. ſerm. de Quinque Negotiationib. *ab ortu ſolis vſque ad occaſum, huius mundi nundinas perambulare, alios diuitias quærere, alios honoribus inhiare, alios fauorabilis auræ ſuauitate raptari.* Pergit deinde quàm improbo labore negotiationes iſtæ peragantur, oſtendere : Et de diuitiis quidem : *Tranſis maria, & alium tibi aperis orbem nauigando ſecundum Sapientiam, tribus digitis diſtans à morte : Patriam fugis, relinquis parentes, diuelleris ab vxore, filios neſcis, & omnium neceſſitudinum*

oblitus , quæris vt acquiras , & acquiris vt perdas , perdis vt doleas. Neque minùs importunam eſſe nundinationem honorum , & gloriæ , ſubinde demonſtrat. Præiuetar Eucher. in Parænesi ad Valerian. qui idcirco vitam hanc *Moleſtiſſimam , atque incertis fatigationibus inquietam* vocat , indéque ad eius contemptum Valerianum incitat. *Abrumpatur illa interminabilis ſæcularium negotiorum Catena , & ille de neceſſitatibus multis vnus per vitam labor ; dirumpamus inanium curarum vincula , quorum ſuccedentibus ſibi nexibus implicamur , in quibus ſemper occupatio noſtra quaſi incipit : remoueantur illæ tam vacuæ , quàm cohærentes ſibi cauſæ , in quibus, quoad viuitur , ſtudium mortalium , dum ſubinde negotijs inchoatur , numquam finitur.* Hac de cauſa plurimi ſunt Patres , vt mortalium curas ad aliam , eámque quæſtuoſiſſimam negotiationem auocent , exemplo ipſius Dei , & Chriſti ; Verbi enim Incarnationem , & totam Incarnati vitam fuiſſe negotiationem oſtendit Auguſtin. *ſerm.* 34. *ex quatuor nouiſſ. & in Pſalm.* 30. *Conc.* 1. Leo *ſerm.* 3. *de Paſſion.* Damian. *ſerm.* 59. Hildebertus , *Epiſtol.* 5. Bernard. *ſerm. de Quinque Negotiation.* Optimam quoque Negotiationem eſſe Eleemoſynam in qua D E V M fœneratorem habemus , & pro terrenis facultatibus Cælum acquirimus , oſtendunt Chryſoſtom. *Homil.* 33. *ad popul.* Auguſtin. *ſerm,* 43. *de diuerſ. cap.* 10. Paulin. *Epiſtol.* 12. & *Epiſtol.* 43. Negotiationem prætereà noſtræ ſalutis neceſſariò faciendam pluribus explicat Bernard. *ſermon. citato de quinque Negotiation.* Et Paulin. *Epiſtol.* 4. vbi & eam cum Nauigatione Salomonica componit. Quia verò faciliùs in Religione (quam *negotiorum cæleſtium apothecam , in qua videlicet illarum mercium ſumma reconditur , quibus terra viuentium poſſeſſio comparatur* , dixit Damian. *Opuſc.* 11. *cap.* 19. hæc negotiatio geritur) ; idcirco ad eam amplectendam , abiecta ſæculi Negotiatione frequentiùs adhortantur Eucher. *in Paræneſi.* Bernard. *ſerm. cit.* Damian. *Opuſc. laudato. & opuſc.* 50. Vbi Blancam ex Comitiſſa Monialem laudat tanquam *peritam Negotiatricem nundinis intentam venalibus , quæ mundum proiecerit , vt acquireret Cælum.* Quia tamen pauci ad hanc Negotiationem Religioſam vocantur , cæteri mortales negotiis ſæculi implicati , cuiuſcumque tandem dignitatis ſint , negotiatores , ſi verè loquamur , ſunt ; quandoquidem *cauſa acquirendi eſt neceſſitas negotiandi* , vt aiebat Tertullian. *libro de Idololatria , capite vndecimo.* Omnes verò acquirendis diuitiis , honoribus , & gloriæ , quod obſeruabat Bernard. ſtudent , atque adeò ſuo more negotiantur. Neque ipſos excipimus Reges qui tam multis opibus egent , & ad eas comparandas tot negotia gerunt : Ipſe potentiſſimus Salomon non alia de cauſa nauigationem inſtituit , quàm vt eo commercio immenſas ſibi diuitias acquireret ; illa ſanè *viciſſitudo copiæ , vel inopiæ* , qua , vt loquitur Paulin. Epiſtol. 12. *humanum genus temperatur , oſtendit conſilium communis authoris fuiſſe* , vt mutuis commerciis vnius indigentia alterius diuitiis emendaretur : Neque enim vllus ita ſibi ſufficiens, & locuples eſt , vt nulla alterius re habeat opus. Ipſo itaque naſcente orbe , naturali quadam lege , & communi gentium omnium conſenſu, ac iure inductæ ſunt mutuæ rerum permutationes , quæ cùm perincommodæ ſæpiùs forent , neque facilè ad æqualitatem reducerentur , excogitato tandem nummo ſuffectæ ſunt emptiones , & venditiones , aliúque

contractus,

contractus, & συναλλάγματα, quibus omnia mortalium negotia geruntur, quibúſque iuſtitiam præeſſe oportet, quam idcirco *totius, atque vniuerſi inter Deos, & homines communionem continere* dixit Theages Pythagoræus lib. de virtute apud Stobæum. ſerm. 9. Porphyr lib. 3. de abſtinent. *Virtutum omnium obſonium*, condimentum videlicet, quod ſaporem, & gratiam cæteris virtutibus, & negotiis conciliat. Ambroſ. lib. 1. Officior. cap. 28. & ſerm. 16. in Pſalm. 118 Verſ. 1. virtutem, *quæ aliis potiùs nata, quam ſibi, communitatem, & ſocietatem noſtram adiuuat.* Et in Orat. de obitu Satyri, ſub fin. *Sibi parcior Iuſtitia, foris tota eſt, & quidquid habet, quadam inclementia ſui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.* Curam enim ſuam impendit omnem, vt in gerendis negotiis, quibus vniuerſa ciuilis ſocietas continetur, cuiuſque ius tueatur, & æqualitatem conſtituat, quæ ſæpè in contrapaſſo, & reponendo talione propter perſonarum diſparitatem reperiri nequit, vti contra Pythagoræos diſputat Ariſtoteles. lib. 5. Ethic. cap. 55. & lib. 1. Magnor. Morali. capit. 35. & fuſiſſimè Abulenſ. in Exod. capit. 21. quæſt. 26. Non immeritò igitur vitam omnem mortalium negotioſam nominatam eſſe diximus, reſque omnes humanas perpetuis negotiationibus agitari. Quia verò licet ſit *aliqua Iuſtitia quæſtûs ſecura de cupiditatis, & mendacij obſeruatione*, vt loquitur Tertullian. citato lib. de Idololat. cap. 11. plurimæ tamen negotiationes tum immoderata cupiditate omnium malorum radice, tum periuriis, & mendaciis, quod ſignificat Tertullian. tum aliis ex cauſis, ad quas eadem impellit lucri cupiditas, quod exprobrat Gentilibus Tertullian. lib. de Patient. capit. 17. iniquiſſimæ redduntur, dum rem pecuniariam animæ anteponunt. *Nam cùm lucri cupiditatibus quæſtuoſa pericula mercimoniorum in mari exercent, cùm pecunia causâ etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant; cùm denique ludo, & caſtris ſeſe locant, cùm per viam in morem beſtiarum latrocinantur.* Quidni de pluribus Chriſtianis expoſtulare licet, cùm, ſalutis æternæ diſpendio, inſana auri cupiditate excæcati negotiantur aliquando. Viſum eſt itaque factum me operæ pretium, ſi, quomodo coërcenda ſit iſta cupiditas, & omnis rerum humanarum negotiatio dirigenda, paulò fuſiùs per omnia commerciorum, & ſynallagmatum genera docerem, ne quod querebatur Eucher. in Parænesi. *Opes ſint materia contumeliarum, & pignora iniuriæ:* Et in *loco iudicij, impietas, in loco iuſtitiæ, iniquitas ſedeat.* Quo ſenſu verba Eccleſ. cap. 3. verſ. 16. interpretatur Caietan. ne in tabernis opificum, & mercatorum, in quibus opera, & merces venditantur, ſint loca exercendæ iniuſtitiæ, atque iniquitatis ſordibus inquinentur; ſed potiùs ſint ſapientiæ quæſtus, ac mercimonia. *Si diuitiæ appetantur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia:* Sap. 8. verſ. 5. Vbi vox ἡ πάντα ἐργαζομένη & ἐργασία, operam quæſtuariam, & quam nos dicimus negotioſam, ſignificat: quod obſeruat Pineda in Salomone præuio lib. 4. capit. 2. Quæ negotiatio ex Sapientiæ dictatis, non poteſt non eſſe æqua, & quæſtuoſa, qualem intendimus in hoc opere, quo diuinæ, humanæque Sapientiæ Regulas, & Inſtituta circa mortalium negotia tradere molimur.

Quanquam hoc labore magnam partem in Opere de Vſuris, & Com-

merciis, déque Vſu, & Æquitate Fori Lugdunenſis, nuperà nobis edito, defuncti ſumus: ibi enim iniuſtitias, & fraudes vſurarum, aliorúmque commerciorum, tum apertas, tum latentes, & ſimulatas deteximus. In præſentiarum tamen totam ipſam Negotiationem, eiúſque naturam, cauſas, ac modos omnes, & ſpecies ſcientifica methodo explicare aggredimur; neque ſolis mercatoribus, quos reſtricta communi huius vocis ſignificatione, Negotiatores nominant, ſed cæteris etiam omnibus, qui res humanas tractant, laboramus, cùm & ipſi negotium aliquod gerant, cuius æquitatem ad noſtras iſtas Regulas expendere omninò oportebit.

LIBER

LIBER PRIMVS

De Natura,& Cauſis Negotiationis.

Q VAMVIS benè multi varios Negotiationum modos, & formas ſuis Commentarijs pertractarint, vix tamen vnus hæc principia vniuerſaliora ediſſerenda paulò accuratiùs ſuſcepit, quod tamen neceſſarium omninò videbatur ad certiorem, faciliorémque cognitionem ſingularum Negotiationum, & ad conſulendum breuitati, atque Lectoris otio, qui in ſingulis diuerſarum Negotiationum tractatibus ſæpiùs eadem repetita, non ſine faſtidio legere cogitur. Nos itaque hoc priori & ſecundo libro omnia, quæ ad negotiationem tum forenſem, tum aliam ſpectant, in vniuerſum tradem.us. Tertiò diuerſas eius formas ac modos in vniuerſum explicabimus. Quartò de ſingularibus negotiationibus. Quintò denique ac poſtremò de implenda obligatione ex varijs humanis commercijs orta, per ſolutionem & reſtitutionem, diſputabimus, plurimaque alia ad æquitatem commerciorum pertractabimus.

CAPVT PRIMVM.

De Natura Negotiationis.

ART. I. *Quid ſit Negotiatio, quid Mercatura.*
II. *Quotuplex ſit Negotiatio.*
III. *De honeſtate Negotiationis.*
IV. *De vtilitate, & nobilitate Negotiationis.*

ESSENTIAM Negotiationis, eiúſque præcipuas proprietates primo Capite inueſtigamus, vt conſtet, qoa de re, & quo compendio fuerit inſtituta tota iſta Diſqutatio.

ARTICVLVS PRIMVS,

Quid ſit Negotiatio, quid Mercatura.

Quid ſit negotium, num. 1.
Vnde & quid ſit negotiatio. 2. 3. 4.
Quid mercatura. 4. & 5.
Quid ſit commercium, quid συνάλλαγμα. 6.
Emendatur l.40.D.de legatis. ibid.

1 NEgotium, ſi vim vocis ſpectemus, opus quodpiam ſignificat, & quaſi otij negationem, atque ἀσχολίας, vnde fit vt ad varia trahatur hæc vox, & tum diuerſas exercitationes, occupationes, ac munera; tum res ipſas circa quas aliquid geritur, apud peritos iuris, atque in ipſo communi, vulgariqoe ſermone ſignificet, ſic dicitur negotium, rerum adminiſtratio, curatio, geſtio: & paſſim in iore negotium alienum, ſuum, priuatum, publicum, voluntarium, hæreditarium, proprium, peregrinum, diffuſum, negotiorum geſtor, qui ſe vltrò negotiis alienis immiſcet, & vt interpretatur vetus gloſſarium ὁ πράγματα χειρίζων ἀλλότρια καὶ χωρὶς ἐντολῆς διοικῶν διὰ φιλίαν μόνην. negotiorum geſtorum teneri, negotiorum geſtorum actio ἡ ἐπὶ διοικήσει ἀλλοτρίου πράγματος παρὰ γνώμην δεσπότου ἀγωγὴ. Hinc denique varij loquendi modi: accedere ad negotia, illis ſe immiſcere, interuenire, offerre, implicare, negotia explicare, inchoare, intermittere, trahere, finire, deſerere, admouere aliquem negotiis, & ab illis remouere, negotium dare, mandare, id eſt, imperare, ſiue imponere aliquid oneris, aot operis. Liu. lib. 41. *Conſuli Senatus negotium dedit, vt ſeditionem comprimeret.* Eſtqoe frequens apud Liu. ea phraſis, in *lib. 2. lib. 5. lib. 9.* atque alibi: & Cic. 1. *Verrin. Prætores quibus erat negotium datum, vt noctu vigilias agerent.* Quia verò opus aliquandò moleſtum eſt, vſurpata quoqoe eſt ea locutio pro creanda alicui moleſtia ac labore, vt negotium, & moleſtiam faceſcere alicui. *l. 1. D. de calumnia. l. 5. D. de obſequiis parent. leg. 6. Cod. de teſtibus.* Quintil. *lib. 5. cap. 12.* Tull. 4. *Verrin.* atque alibi. E contrario verò dicitur quis nullo negotio, id eſt, facilè, nollo labore, & abſque moleſtia qoidpiam præſtare: Cic. ad Attic. lib. 4. *Cato Siciliam nullo negotio tenere potuit.* Et lib. 8. *Iurabat ad ſummum, quod nullo negotio faceret, amiciſſimum ſibi Cæſarem eſſe debere.* Secundò accipitur negotium pro contractu, ſiue tractatu vltrò citróqoe habito, quem Græci συνάλλαγμα vocant; in quo nempè quid datur, viciſſimque accipitur: cum enim quis ſuum tantùm accipit, non dicitur negotiom, neque συνάλλαγμα. ſic obſeruat Vlpian. *l. 7. D. de pactis.* Quare opponitur nudæ conuentioni, à Iulian. *leg. 5. D. de præſc. verb. conuentio iſta non eſt nuda, ſed habet aliquid negotij.* Solemniſque eſt ille

 loquendi

loquendi modus in iure. *Negotium contrahere*, pro, contractum de aliqua re inire *l. 5. D. de diuerſ. regul.* *In negotiis contrahendis alia cauſa habita eſt furioſorum, alia eorum qui fari poſſunt, quamuis actum rei non intelligerent: nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt: pupillus omnia tutore authore agere poteſt. & l. 50. D. de iure dot. negotio contracto conuenit. l. 5. §. tutela. D. de obligat. & action. nullum negotium inter tutorem, & pupillum contrahitur.* Atque alibi ſæpiùs. *l. 32. D de reb. credit. l. 49. D. de donat. inter vir. & vxor. l. 35. D. locati. l. 57. D. de obligat. & action. l. 2. D. de condiction. indeb. & l. 33. D. eod. l. 14. D. de precario.* Tertiò Negotium ſumitur pro ipſa quæſtione, & controuerſia, quæ de re aliqua mouetur, aut pro ipſa re, de qua diſceptatur: hinc mouere negotium, habere cum aliquo negotium. Cic. *lib. 7. ad Attic. video mihi cum homine audaciſſimo, paratiſſimoque negotium eſſe.* Et Cœlius ſcribens Ciceroni *lib. 8. epiſtolar. vt exiſtimarent homines, Pompeio cum Cæſare eſſe negotium.* Neque aliter Iuriſconſulti loquuntur. *l. 16. D. de legationibus. Ante ſuſceptam legationem ſi cuis negotium moueatur, etiam abſens defendi debet. & l. 54. D. de iure fiſci. vt hi, quibus negotia fiſcalia mouentur, ad defenſiones cauſa, bona fide veniant.*

2 A negotio deriuatur negotiatio; immò & pro ipſa negotiatione non ſemel vſurpatur negotium. *l. 3. & 5 D de inſtitoria action.* Inſtitor dicitur, quia negotio gerendo inſtat, aut præpoſitus eſt. Negotium menſæ *l. 77. §. menſa. D. de legatis 2.* Negotium tabernæ *l. 19. §. taberna. D. de inſtitoria actio.* Negotium exercere *l. 88. §. quiſquis. D. de legat. 2. l. 38. D. de oper. libert. l. 47. §. altero. & l. 58. D. de adminiſtrat. & peric. l. 19. §. 1. D. de inſtitor. l. 4. §. 1. de his qui notant infam. & l. 69. §. ſeruus. D. de legat. 1.* Eodem ſenſu dicitur ſeruus ſciente domino peculiari merce negotiari: *lege prima, & lege tertia, §. 1. de inſtitor.* qui vtenſilibus negotiantur *l. 12. D. de decurionib.* Negotiari ex vino *leg. 21. §. cum per, D. de action. empt.* Negotiari ex pecunia *leg. 16. D. de vſu, & habitat.* Pluribus locis ex æquo negotiari. *leg. 5. D. ad municipal.* quare quærit Paul. *in l. 32. §. 4. D. de auro, & argent.* an, cum teſtatrix filiæ ſuæ, omne ſuum ornamentum muliebre, vnà cum auro legaſſet, legato cederet non modò argentum, quod in domo, vel intra horreum vſibus eius fuit, ſed etiam quod in baſilica fuit muliebre, (nomine baſilicæ intelligit tabernam, quæ eſt veluti fori baſilica) immò & vocem tabernæ reſtituendam eſſe pro baſilica ſuſpicatur Gothofred. in notis: verum quidquid ſit de ea lectione, reſpondet Paul. etiamſi teſtatrix illa, negotiatrix foret, ſi tamen habuit proprium argentum, ad vſum proprium paratum, non videri argentum id legatum, quod negotiandi cauſa venale proponi ſoleret, niſi aliondè ea teſtatricis mens fuiſſe probatetur. Vlpian. *in l. 18. D. de iure patron.* quærit, an libertus prohiberi poſſit a patrono, in eadem colonia, in qua ipſe negotiatur, idem negotij genus exercere, & refert Scæuolam reſpondiſſe, id prohiberi non poſſe. Vides igitur *negotium cum negotiatione*, à Latinis Authoribus ſæpiùs confundi, eaſque voces promiſcuè vſurpari, ſicut & *negotiari*, & *negotiationem exercere*. Rationem huius locutionis reddere licet cum Soto *lib. 6. de iuſtitia, quæſt. 2. art. 2.* quia hæc ars tam multis implicata eſt curis & variis occupationibus, atque adeò ab otio alieniſſima, per quandam antonomaſiam dicta fuit negotiatio, ſiue otij quædam negatio, eiuſque occupationes, negotia nominata ſunt.

Non abſimili ratione Græci *ἀσχολίαν* pro qualibet occupatione, cura, ſtudio, impedimento vſurpant, atque etiam pro moleſtia, quam quis alicui procurat aut creat; eum videlicet occupatione aliqua, labore, aut cura moleſta, & importuna detinendo. Sic quoque *ἔργον* illis ſignificat opus factum, rem, negotium, officium, & functionem, *ἔργον ἰατρικὸν* munus medendi, & *ἐμὸν ἔργον* id mei muneris eſt, apud Iſocratem, *ἐργασία* opificium, occupatio, actio, exercitatio, negotiatio: nam *ἐργασίαν τῆς τραπέζης* exercitationem menſæ, dixit Demoſthen. & *ἔχει δυνατὴν τὴν ἐργασίαν.* & Ariſt. *lib. 8. Ethic. ἐργασίαν τῶν χρημάτων* quæ profectò negotiatio eſt, eadémque verbi *ἐργάζομαι* acceptio eſt: licet enim quidpiam operari, aut efficere communi notione ſignificet, Ariſtoteli tamen in œconomicis eſt vendere, & rem, ſeu pecuniam facere. Et Plutarch. in Timoleon. ſcorta meritoria, ſiue proſtibula vocat *ἀφ᾽ ὥρας ἐργαζόμενα γύναια.* Atque vt plura in hanc rem omittam, Matth. 25. ℣. 16. *ἐργάζεσθαι* eſt negotiari, *ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς*: quæ operatio alia ſanè non fuit, quàm negotiatio, ſiue exercitatio traditæ pecuniæ ad lucrum & quæſtum faciendum. Similia obſeruant Grammatici circa vocem *πρᾶγμα*, quæ & quodlibet opus, officium, munus, negotium, atque moleſtiam ſignificat: ac denique negotiationem ſiue forenſem & ciuilem, ſiue meritoriam mercatorum. Vnde Chryſoſtom. agens de iis, qui venalium rerum pretia augent, captantque lucrum cum proximorum inopia, *τὴν τῶν ὠνίων τιμὴν ἐπιτεινόντων καὶ τῶν πλησίον πραγματευομένων*, id eſt, qui proximos negotiantur, & habent quæſtuarios. Quomodò loquitur Plin. *lib. 29. cap. 1.* de medicis, qui nouas quotidie medendi rationes excogitabant ægrorum periculo. *Nec dubium eſt omnes iſtos famam nouitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari*: hoc eſt anima noſtra, & vita ad quæſtum, & quandam negotiationem abuti: vnde addit, *Palam eſt, vt quiſque inter iſtos loquendo polleat, imperatorem illicò vitæ noſtræ, necíſque fieri.* 3

Videamus itaque quid ſit negotiatio, quam à negotio deriuari, & cum illo ſæpius confundi docuimus hactenùs, quia cum, vti obſeruat Sylu. *verb. negotium. num. 1.* commutationes ad lucrum ordinatæ maximam ſollicitudinem requirunt, & valdè operoſum negotium, idcircò earum actus negotiatio dicuntur. Poſſet igitur in vniuerſum definiri negotiatio, alicuius rei comparatio, aut diſtractio ad lucrandum. Quæ negotiationis vſurpatio vniuerſalior profectò eſt, & plures actiones continet, quæ vulgò eo nomine non comprehenduntur: & omnes homines dici poterunt negotiatores, vti obiicitur apud author. Imperfecti operis in Matth. *Hom. 38.* ad illud *eiiciebat ementes, & vendentes de templo.* Nam qui arat, comparat boues, vt ſpicas vendat: qui operatur lignum, vt vtenſilia vendat: & linteonarius comparat linteamina, vt vendat & oſtendat: & fœnerator mutuat pecuniam, vt tollat vſuras. Quæ, aliaque enumerat ille author, in quibus ex vulgi ſenſu non eſt negotiatio; neque qui talia præſtant negotiatores, niſi abuſiuè, & impropriè dicuntur. Quare idem author negotiatorem dicit, qui rem comparat, vt eam immutatam, & integram lucrandi cauſa vendat: qui verò rem acquirit, vt ex ea quodpiam opus faciat, negat eſſe negotiatorem, ſed artificem potiùs, etiamſi deinde opus illud vendat; quia pretium illius rei non augetur niſi ratione artis, ex qua proinde to- 4

tum

tum lucrum, quod in augmento pretij conſiſtit, deriuatur. Atque ita negotiatio erit comparatio, & acquiſitio rei alicoius, ſiue per emptionem, ſiue per commutationem, alióve quodam modo, vt ex ea immutata, & integra, alteri reuendita, aliáve ratione tradita, lucrum fiat: verùm tunc negotiatio idem erit quod mercatura; & negotiator, atque mercator erunt ſynonima. Mercaturam enim vulgò definiunt comparationem mercis, vt denuò vendatur quæſtus faciendi causâ. Paſſim tamen DD. negotiationem à mercatura diſtinguunt, illos dabit Straccha *part.1. de mercat. num.5.* ex quibus aliqui faciunt nomen negotiationis generalius, quàm mercaturæ, vt ibid. Straccha, & Scaccia *de commerc.§.1.q.1.n.10.* E contrario verò Gab. *in 4. diſt.15. quæſt. 10. art.1. notab.1.* mercaturam dicit eſſe quidpiam vniuerſalius, quæ contingit etiam quandò quis rem, & mercem emit, vt ea vtatur tanquam ſibi neceſſaria, vel vt inſtrumento ſui laboris, non vt eam immotatam vendat: quandò enim hoc poſtremum intendit, non eſt ſimplex mercatura, ſed negotiatio. Sanè cum tota iſta vocum acceptio ex communi vſu, & ſenſu pendeat, atque in iſtis moralibus difficillimum ſit accuratas definitiones tradere, quæ aliis diſſimilibus rebus non conueniant; exiſtimarim adhærendum eſſe communiori DD. ſenſui, & negotiationem qoidpiam vniuerſalius eſſe, quæ & mercaturam, & quodlibet aliud commercij quæſtuoſi, ſiue locratiui genus complectatur. Neque ſanè omnes negotiatores dicuntur mercatores, cum alia plura ſint quæſtuoſa negotia præter mercaturam, vt contingit in artificibus, qui ex ſua arte reuera negotiantur. Ipſi etiam mercatores, qui merces emptas curant aliena opera elaborari, & perfici, vt eas vel ibidem diuendant, vel aliò tranſmittendas curent, ſunt in eo negotio mercatores: quod fatetur Straccha *1.p.de mercat. num.10.* & Scaccia *de comm. §.3.q.1. n.13.* Igitur non eſt perpetua illa mercatoris, & negotiatoris, qoam ipſimet afferebát, diſtinctio, quod mercator ex re à ſe comparata, immutata, & integra lucrum captet, non verò negotiator. Veriùs dicit idem Scaccia *num.10.* diſcrimen eſſe, quod mercator dicatur à merce, & in ſolis mercantiis reperiatur mercatura: neque omnes res venales dicuntur propriè merces, vt ſerui, & qui illos vendunt, non dicuntur mercatores, ſed venalitiarij, vt iterum monebimus inferiùs. Obſeruat quoque Hotman. *in comment. verb. iuris*, apud Romanos non eoſdem fuiſſe negotiatores, qui mercatores: dicebantur enim negotiatores ciues Romani, qui in prouinciis ſedem, ac domicilium fortunatum ſuarum habebant. Neque Romani ferè niſi cenſus tempore, hoc eſt qointo quoque anno, veniebant: mercatores verò cum Romæ domicilium, familiámque ſuam haberent, interdum ad aliquot menſes in prouincias excurrebant, mercium importandarom, exportandarumque cauſâ. Ex negotiatoribus autem in prouinciis conuentus conſtabant, quia cùm Proprætores, ac Proconſules forum habebant, ac ius dicebant, io priuatis quidem cauſis recuperatores ex eo nomero dare ſolebant: in capitalium verò reorum quæſtionibus, eos in conſilium adhibebant, & ſi cui patronus dandus eſſet, ex eodem numero rogatum aliqoem dabant: quæ omnia collegiſſe ſe ait Hotman. *ex 4. Ciceronis Verrin.*

Negotiatio igitur, eſt quælibet lucratiui commercij, & negotij exercitatio, & negotiator, quiſquis ex aliquo negotio lucrum captat, qoamquam neque tam ampla fuit buius vocis acceptio apud Romaoos, apod quos *Publicani*, hoc eſt qui publica populi Rom. vectigalia conducebaot, ſiue qui quidpiam à fiſco conducebant. *leg.1. D. de public. & vectigal. & leg.16. D. de verb. ſignific.* ex cáque conductione lucrum captabant, vti etiam hodie fit, diſtinguebantur à negotiatoribus: quod manifeſtum fit ex Ciceron. *Epiſtola 1. ad Q. Fratrem: Conſtat Aſia ex eo genere ciuium, qui aut quod publicani ſunt, nos ſumma neceſſitudine adtingunt, aut quod ita negotiantur, vt locupletes ſint.* Et io Maniliana. *Nam & publicani ſuas rationes, & copias in illam prouinciam contulerunt: deinde cæteris ex ordinibus homines gnaui, & induſtrij partim in Aſia negotiantur, partim ſuas & ſuorum in ea prouincia magnas pecunias collocatas habent.* Et ſanè conſtat tum ex ea oratione, tum ex illa pro Fonteio, negotiatores dici præſertim aratores, & pecuarios: publicanos verò fuiſſe, qui ab aratoribus decimas, à pecuniariis ſcripturam, à mercatoribus autem portorium exigebant. In orat. verò pro Fontejo, manifeſtè argentarios, & fœneratores negotiatoribus annumerat Tullius: quare vides negotiatoris nomen modò vniuerſaliùs, modò ſtrictiùs vſurpatum fuiſſe. Nos hoc loco vniuerſaliorem illam acceptionem ſequimur, vt à mercatura, quæ ſingularis quædam negotiatio eſt, illam diſtinguamus.

Eſt igitur mercatura negotiatio ex mercibus, & 5
mercatores, qui mercibus negotiantur, vti apertè colligitur ex *leg.207. D.de verb. ſignific.* quare qui aliis ex rebus negotiantur, aliis nominibus appellantur. Vt qui ex hominum, & ſeruorum venditione, aut commutatione negotiantur, mangones, vel venalitiarij dicuntur, non mercatores, quia homines mercis nomine non continentur: ſiue aotem merces immutatæ denuò vendantur, ſiue mutatæ, & laboratæ, ſi tamen verè ſiot merces, mercaturam, & mercatorem denominabunt, quamuis in ſtrictiori quadam ſignificatione, eaque Romanis nota, mercatores ſolùm dicerentur qui importandis, exportandiſque mercibus vacabant, eaque etiam de cauſa in prouincias excurrebant, licet domicilium Romæ baberent, vti monuimus. Qui verò merces comparant, vt deinde mutatas, & elaboratas vendant, dicuntur artifices; quod ita intelligendum eſt, vt ipſimet eas merces immutent, & in varia opera laborent: nam ſi eas emant, aut illas artificibus ad diuerſa artefacta fabricanda dent, ex illiſque dioeuditis lucrum captent, ſunt reipſa, & propriè mercatores. Quod nuper monebat Straccha, qui etiam aduertit *prima illa parte de mercat. num.4.* mercatorem eſſe qui negotiationis cuiuſcumque exercendæ cauſa merces emit, aut permutat, vt eaſdem, non mutata per ſe forma, diſtrahat. Nos in hoc tractatu mercatorem, & oegotiatorem in latiſſima ſua, & vniuerſali, propria tamen ſignificatioue vſurpamus, quamuis diſputatio magnam partem futura ſit de negotiatione ex mercibos, ac proinde mercatora, & mercimoniis, ſiue de commerciis.

Eſt porrò *commercium emendi, vendendique ius* 6
inuicem Vlpiano *titul.20. regula.* Theophil. *§.1. inſtit. de inutilib. ſtipulat.* nominat *τῦ ἐωνᾶζει πωλεῖν καὶ ἀγοράζειν ἐξουσίαν.* Liu. *lib.34. & 38. mutuum vſum.* Hermogenian. *in leg.5. D. de iuſtit. & iure,* mutuam rerum commutationem, quæ per contractus, negotiationeſque explicatur: quare pro permutatione accipit Accurſ. *in l.5. proximè citatam.* Hinc quædam dicuntur *commercij iure vendita. leg.6. D.de captiuis: commercio redempta. leg.10. 11. 12. & 13. C. de poſtlimin. reuerſ. commercio interdici.*

terdici. leg. 24. §. 1. *D. de minorib.* earum verò rerum commercium non eſſe dicitur, quæ hominum vſibus, dominioque ſubiici, & in obligationem deduci, alienarique, & adquiri non poſſunt. *leg.* 34. *§. vlt. D. de legat. l.* 6. *D. de contrah. empt.* atque alibi ſæpiùs. Idcircò diſputant Iuriſconſulti *in l.* 49. *§. Labeo, D. de legat.* 2. An ager, cuius commercium non habes, legari tibi poſſit. Trebarius, & Priſcus Fulcinius contraria ſentiunt: Paul. verò *in leg.* 62. *D. de adquir. rerum domin.* exiſtimat, rem cuius aliquis commercium non habet, etſi legari non poſſit, tamen cum vniuerſalitate tranſire, & hæredem inſtitutum, eius dominum fieri. *Si ſtipuler rem cuius commercium non habeo, inutilem eſſe ſtipulationem* pronuntiat Vlpian. *in l.* 34. *D. de verb. obligat.* Idem verò Iuriſconſult. *in l.* 40. *D. de legat.* 1. *ſi res aliena, cuius commercium legatarius non habet, ei cui ius poſſidendi eſt, per fideicommiſſum relinquatur, vult aſtimationem deberi.* De cuius pronunciati veritate noſtrum non eſt hoc loco diſputare. Moneo duntaxat diuerſam eſſe lectionem, nam vulgata habet negationem, *ei, cui ius poſſidendi non eſt*. Quam lectionem tuetur Robert. *lib.* 3. *animad.* 11. Gothofred. *in notis*, & alij. Eam verò negationem tollit Briſſon. *in comm. de verb. ſignific.* Cuiac. *in l.* 34. *de verb. oblig.* & Anton. Mercat. *lib.* 3. *notat.* 11. quæ lectionis varietas noſtro inſtituto nihil officit. Contendimus enim duntaxat, commercium eſſe ius vendendi, emendique inuicem, vti definiebat Vlpian. vel mutuum, ac proinde non eſſe niſi in iis rebus, quarum quis Dominium habet, aut poteſtatem de illis diſponendi; per contractum nempè, vel negotiationem, veluti emptionem, venditionem, locationem, conductionem, ſocietatem: aitque vocari à Græcis συνάλλαγμα, quod Budæus in comment. linguæ Græcæ συμβόλαιον interpretatur, & pacta, ac conuentiones ſignificat, ἀπὸ συναλλάττειν, vnde & συναλλαξία, & συναλλαγὴ quæ κοινωνίαν, ὁμιλίαν, ἀμοιβὴν, & συμβίβασιν ſignificat: atque etiam Hyſichio συνάξιν. Porrò συναλλάγματα duorum generum facit Ariſtoteles *lib.* 5. *Ethic. cap.* 5. nempe ἑκούσια voluntaria, & ἀκούσια inuoluntaria. Prioris generis ſunt emptio, venditio, mutuatio, fœnus, & eiuſmodi alia. Inuoluntariorum ἀκουσίων verò quædam ſunt λαθραῖα clandeſtina, vt κλοπὴ, μοιχεία, φαρμακεία, δουλαπατία, δολοφονία, ψευδομαρτυρία: alia ſunt violenta βίαια quæ vi adhibita inferuntur, vt flagellatio, mutilatio, mors, rapina, & eiuſdem modi plurima. Denique vt vno verbo dicam, omnia συναλλάγματα quæ iniurioſa ſunt proximo, inuoluntaria & ἀκούσια dicuntur Ariſtoteli: omnes verò contractus qui ineuntur cum alio dicuntur ἑκούσια συναλλάγματα, quia inquit Ariſtoteles principium horum συναλλαγμάτων voluntarium eſt, vtrique nimirum contrahentium; quod non contingit in aliis quæ iniurioſa ſunt proximo: licet enim voluntaria ſint iniuriam facienti, adulterium v.g. committenti, aut homicidium, vel furtum; non tamen voluntaria ſunt iniuriam patienti, vti ſapienter reſpondet S. Thom. *lect.* 4. *in* 5. *Ethic.* vide plura apud Comitol. 3. *part. de contract. lib. cap.* 2. ex his tamen colligit Budæus vocem Latinam commercij, non eſſe Græcorum συνάλλαγμα: nam licet furtum, homicidium, veneficium ſint συναλλάγματα, eaque ἀκούσια, non ſunt tamen commercia, quæ ius emendi, vendendique inuicem definiebat Vlpian. Ideóque quod Ariſtoteles loco citato dixit, alteram ſpeciem iuſtitiæ particularis verſari ἐν τοῖς συναλλάγμασι, *in commerciis*, malè reddidit interpres: & cum ibidem Philoſophus diuidit συναλλάγματα in ἑκούσια, & ἀκούσια, non ſatis aptè interpretatur commercia: nam hæc vox ſignificat tantùm ea συναλλάγματα, quæ, vt idem ait *primo Rethoricor.* continentur pactis, & conuentionibus πράττεται κατὰ συνθήκας, ſuntque ἑκούσια. Quare Philoſophus vno συναλλαγμάτων nomine, commercia, conuentiones omnes, & contractus, atque etiam omnia delicta complectitur; quod non facit Latina vox commercij, quæ ſolas mercium commutationes, venditiones, & emptiones ex prima ſui origine ſignificat; neque amplitudinem vocis Græcæ συναλλάγματος adæquat: quod vt faceret Caius Iuriſconſultus in ſumma iuris diuiſione, *actiones* appellauit, vt vniuerſalem nominis Græci ſignificationem æque vniuerſali nomine Latino redderet. Dicendum igitur συνάλλαγμα primò mutuum commerciorum vſum, quæ ſola olim permutatione exercebantur, ſignificaſſe, eamque primariam, & & maximè natiuam eſſe illius nominis notionem, indeque omnium generum commerciis eſſe communicatam, ita vt contractus, conuentiones, & pacta omnia cótineat. Quod ipſum fatetur, Labeo qui *l.* 19. *D. de verb. ſignific.* contractum, quem vltrò citróque obligationem definit, vocari ait à Græcis συνάλλαγμα. Denique ad omnia delicta, quæ à commerciis ſeparantur, productum eſt hoc nomen. Qua ſimili ratione Latinis commercium non modò commutationes, aut mutuum vſum mercium ſignificat, ſed in ampliori quoque ſignificatione omnes conuentiones, & contractus: quod Accurſius, & Alciat. in *leg. ex hoc iure. D. de inſt.* obſeruarunt.

Nos amplitudinem illam commerciorum exequimur hoc opere, nam pleroſque contractus in opere de vſuris explicuimus; cæteras verò conuentiones, quæ ad emptiones, venditiones, permutationes, & alias negotiationes pertinent, quaſque ex primaria notione deſignat commercij vox, explicabimus hoc tractatu: quinimmò quæ ad delicta pertinent, & ad ἀκούσια συναλλάγματα, quantum noſtri inſtituti ratio feret, libro vltimo exponemus.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit Negotiatio.

Varij modi acquirendi, & quæſtus faciendi ex Ariſtotele, eorumque diuiſio. num. 1. 2. 3.
Quid ſit καπηλεία, *&* κάπηλος: ἐμπορία, ἔμπορος. 3. 4.
Quid ſint cociones. 5.
Quid cauponaria. 6.
Varia negotiationis diuiſiones. 7. 8. 9. 10.

NEgotiationis variæ diuiſiones ferè ſunt materiales à ſubiecta materia, loco, perſonis, aliiſque circunſtantiis, quæ diuerſitatem ſpecificam, & formalem vix vnquam afferunt, maximè in his moralibus deſumptæ: verùm ad doctrinæ methodum, & intelligentiam, ſatis eſt notabiliter inter ſe diſtingui, quamuis ſpecifica, & formalis diſtinctio non ſit, cùm aut eiuſmodi non reperiatur, aut nos lateat: quare in ea diligentiùs inueſtiganda non laborant DD.

Ariſtote

1 Ariſtoteles 1. *Politic. cap. 7.* varias τῆς κτήσεως acquiſitionis ſpecies à natura, & ab arte deducit. Primas dat agriculturæ, & pecuariæ: & hunc quæſtum maxime naturalem, & œconomicum aſſerit, τὴν οἰκονομικὴν χρηματιστικὴν domeſticiſſimum quæſtum; illi ſubiungit commutatricem τὴν μεταβλητικὴν, quam geminam facit: vnam, quæ continet acquiſitionem rerum neceſſariarum, & vtilium, quæ deſunt, vſus non quæſtus gratiâ: quam œconomicam mercaturam vocat, & ait eſſe ſecundùm naturam: & ideo *cap.6.* ait eſſe εἰς ἀναπλήρωσιν τῆς κατὰ φύσιν αὐταρκείας in ſupplementum ſufficientiæ, quam natura deſiderat: quare huic ſpeciei commutatricis conuenit illud encomium ἀναγκαίας καὶ ἐπαινουμένης neceſſariæ, & laudabilis. Alteram ſpeciem μεταβλητικῆς commutatricis, dicit τὸ καπηλικὸν, ſiue καπηλικὴν, cuius finis non eſt vſus ſed quæſtus; eamque vituperat, & μεταβλητικὴν ψεγομένην dicit, quia non eſt ſecundùm naturam, ſed arte excogitata, ad augendas opes ſine modo in aliorum damnum. Negat autem eſſe à natura, non quod ſit ἀπ' ἀλλήλων, ſed quia fines naturæ excedit, & ſufficientiam naturalem: nam ibidem fatetur τὴν μεταβλητικὴν à natura profectam eſſe. Vides igitur, Ariſtotelem κτητικὴν, & χρηματιστικὴν diuidere in οἰκονομικὴν quæ per agriculturam, & pecuariam exercetur, & μεταβλητικὴν quæ per commercia, & commutationes fit, nempe rem, aut mercem, cum re, & merce: aut cum nummo commutando: inde dicti ſunt μετάβολοι, ſiue μεταβολεῖς negotiatores, διαπράκται, πραγματευταί. Huius verò commutatricis, & μεταβλητικῆς duas ſpecies iterum facit: vnam maximè naturalem, quæ nomen generale retinet; quæ non tam quæſtus, quàm vſus gratià ſuſcipitur, eſtque ad ſupplementum ſufficientiæ naturalis. Alteram καπηλικὴν dicit, & improbat, quæ eſt ſolius lucri causâ, & fines naturales excedit; itaque καπηλικὴν confundit cum μεταβλητικῇ, quam tamen alibi opponit. Ita implicatiſſimum Ariſtotelis textum explicat Molinæus *quæſt.69. de vſur.n.440.* quare.

2 Diuiditur 2. μεταβλητικὴ in καπηλείαν & ἐμπορίαν: & quamuis hæc poſterior vox ſumatur ſæpiùs pro quacumque negotiatione, ſicut & mercatura, vnde apud Demoſthen. ἐμπορικαὶ δίκαι actiones promercales, ſiue mercatoriæ. Et apud Polluc. *lib. 8. cap.10.* ἐμπορικὰ τέλη vectigalia, quæ collectoribus quinquageſimæ ſolnebantur; ἐμπορικὴ τέχνη Platoni ars mercatoria, ἐμπόριον forum, ſiue locus, in quo mercatus agitur, ſiue οἶκος ἐμπορίου, vt dicitur Ioan. 2. 16. ſi tamen propriè loquamur ἐμπορία, ea negotiatio, aut mercatura eſt, quæ per vrbes vagatur, aut nauigat; ſiue eſt negotiatio vaga (vt ita dicam) cùm καπηλεία ſit ſtataria, vti ſtatim exponam. Quare ἐμπόρους, & ἐμπορίω nominant, qui conducta vehuntur naui, quos & ἐπιβάτας, appellant, ἀπὸ τοῦ πόρου, quod iter mari confectum ſignificat: ſiue vt obſeruat Suidas, πόρος κυρίως ἐπὶ ὑγρῶν propriè de humidis dicitur. Hinc ἔμπορος ſignificat diuitem, qui ſemper affluentem Plutonem habet ὁ ἔχων ἀεὶ τὸν ἐπιρρέοντα πλοῦτον; ducta videlicet metaphora ab aqueo canali, ſiue meatu ἀπὸ τοῦ ὑδατικοῦ πόρου: nihilominùs hæc vox ad quamlibet negotiationem importandarum, exportandarúmque mercium ſignificandam ampliata eſt, vti iam monui; eius tres partes conſtituit Ariſtoteles 1. *Politic.cap.* 7. ναυκληρίαν, φορτηγίαν, παράστασιν; nauigationem, vectionem onerariam, & demùm negotiationem; quam aliqui explicant ſtatariam, ac vilem; qua ratione complectetur ἐμπορία ipſam καπηλείαν, & totam μεταβλητικὴν, cuius tamen partem duntaxat ἐμπορίαν facit eo loco Ariſtoteles. Malim igitur exiſtimare Philoſophum eo loco explicare quibus partibus, ſiue actionibus contineatur ἐμπορία, & vaga illa negotiatio, nempe nauigatione, deuectione mercium, earumque deinde exhibitione, ſiue repræſentatione, ad vendendum, commutandum, aliiſque modis negotiandum: hoc enim fere ipſa vox παράστασις. Igitur Ariſtoteli ἔμπορος eſt mercator, qui importandis, exportandiſque mercibus vacat, à quo deinde alij emunt, ad diſtrahendum, qui vocantur κάπηλοι μεταπράται, quaſi reuenditores.

Καπηλεία, καπηλικὴ, & τὸ καπηλικὸν vniuerſaliùs aliquandò ſumitur ab Ariſtotele, quod iam monuimus, pro quacumque negotiatione, & nundinandi ac merces mutandi ratione, quæ in emendo, vendendoque verſatur, & totam μεταβλητικὴν complectitur: victus enim quærendi natiuos modos, qui ex terræ prouentibus parantur, diſcernit ab illis, qui permutatione conſtant, in quibus eſt pecuaria, & mercatura, ſiuè negotiatio χρηματιστικὴ, & καπηλεία *lib.1. Eudem.c.4.* omnem rei quærendæ rationem eodem nomine complectitur, & quæſtuarias artes, in venditionibus, emptionibuſque conſiſtere vult, χρηματιστικὰς δὲ τὰς πρὸς ἀγορὰς καὶ πράσεις καπηλικάς. Quare omnis χρηματιστικὴ, quæ circa ἀγοράσεις, & πράσεις verſatur, dicitur Ariſtoteli καπηλικὴ, igitur κάπηλος idem erit qui μετάβολος, & μεταβολεύς. Sanè etymologicon magnum κάπηλον interpretatur μετάβολον ἐπιπωλητὴν. Deinde addit aliud eſſe ἐπιπωλεῖν, aliud καπηλεῖν, & in vniuerſum qui quidlibet venderent κάπηλοι dictos fuiſſe; qui frumentum, & triticum vendunt σιτοκάπηλοι, & ἀνδραποδοκάπηλοι à Polluce nominantur mangones, qui homines vendunt, pari ratione καπηλεύειν de quocumque genere venditionis accipitur. 3

2. Καπηλεία, ſiue καπηλικὴ eſt ſtataria quædam negotiatio eorum, qui in vrbibus circum fora reſident, vt coëmant, quæ aliunde venalia in vrbem importantur, aut quæ ſellularij artifices operantur; & eiuſmodi propolæ κάπηλοι vocantur: qui verò vltro citroque commeant, & mare nauigant importandis, exportandiſque mercibus, dicuntur propriò nomine ἔμποροι. Ita diſertè tradit Plato *lib. 2. de republic.* vbi docet quàm neceſſarij ſint benè conſtitutis ciuitatibus eiuſmodi κάπηλοι, qui in foro reſideant; vt agricolas, alióſve venalia in vrbem importantes onere liberent, & expeditos rus, ad ſuáve negotia remittant. In Sophiſta verò idem Philoſophus ἀγοραστικὴν diuidit in αὐτοπωλικὴν, & μεταβλητικὴν: dicuntur verò αὐτοπῶλαι qui de ſuo vendunt, quæ nempe ſuo labore, aut manibus confecerunt: agricolæ nimirùm, & artifices omnes μετάβολοι ſunt, qui ab aliis præſtinant, quod aliis vendant. Rursùs μεταβλητικὴ quæ aliena emit, vt vendat, duplex eſt, καπηλικὴ & ἐμπορικὴ, inter quas diſcrimen à nobis iam allatum conſtituit Plato: quod etiam agnouit Xenophon, qui ἐμπορίας, καπηλείας, & τοκισμοὺς apertè diſtinguit. Hinc Salmaſ. *lib. de vſuris cap.12.* mendum eſſe iure contendit, in lege Solonis à Caio relata. *l. 4. D. de collegiis:* vbi agit de ſodalibus, qui conueniunt ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν ad prædam, & mercaturam. Quis enim ferat ſocietates vnquam ad prædam iure bono coire potuiſſe? quare aliqui legi volunt ἐπὶ λήιον ad frumentum, ſed non docent λήιον frumentum eſſe: quare legendum eſſe εἰς καπηλείαν conijcit

Digitized by Google

coniicit non malè Salmaſius, ſodalitatē nempe contractam fuiſſe ad vtramque illam negotiationis ſpeciem, quam hactenùs explicuimus. Fauétque nobis Pollux *lib.* 1. *capit.* 5. ἐμπόρυς, & καπήλυς eodem modo diſtinguens, quos omnes continent μεταβόλυς, quamquam aliqui velint μεταβόλυς eſſe reuenditores, qui μεταπράται dicuntur, & ab ipſis καπήλοις emebant, vt eodem modo reuenderent. Et ſanè Oſiander quæſtuariam ad hæc tria genera ſumma reducit in Stragetico τῶν ὀβολοστατῶν, τῶν μεταβόλων, καὶ τῶν ἐμπόρων. Dicti quoque ſunt iſti reuenditores παλιγκάπηλοι, & ὑποκάπηλοι.

4 Hi porrò omnes ſtatarij mercatores in ſuis tabernis, & foro reſidentes ἀγοραῖοι nominantur ab Ariſtotele 3. *œconom.* eoſque ab ἐμπόροις diuerſos facit; ideoque cum καπήλοις confundi pluribus docet *cap.* 12. *citato* Salmaſ. Quare quod Herodot. *lib.* 2. dixit de Ægyptiis, apud quos γυναῖκες ἀγοράζουσι καὶ καπηλεύουσι, verti debet, mulieres in foro verſantur, & negotiantur; vbi ſine dubio loquitur de negotiatione, ſiue mercatura ſtataria, quæ in foro exercetur, & non de ἐμπορίας, & vaga; quam fœminæ non tractabant: neque enim aut nauigabant, aut huc, illucque importandis, exportandiſque mercibus diſcurrebant. Hinc etiam explicabis legem Thebanorum, cuius meminit Ariſtoteles *lib.* 3. *Politic. cap.* 5. qua qui foro, & negotiationibus non abſtinuiſſent per decennium, ab honoribus reipublicæ arcebantur, μὴ ἀπεσχημένοι τῆς ἀγορᾶς: vbi negotiatio non debet accipi, niſi de ea, quæ in foro, vti diximus, exercebatur, diuerſaque erat ab ἐμπορικῆς. Quærit enim eo capite Ariſtoteles, an opifices, & ſerui ciues eſſe poſſint, & proinde ad dignitates promoueri; atque in quibuſdam ciuitatibus viles etiam artifices admitti ad magiſtratus, quia id ex ſenſu indicant. Deinde ſubiungit hanc legem Thebanorum, qui opifices, qui in foro ſuas habebant officinas, & ſua vendebant opera, niſi ab ea negotiatione, atque adeo vili opificio decennio abſtinuiſſent, arcebāt à magiſtratu. Omnes igitur mercatores, qui in foro habitabant, aut in forum quæ habebant venalia, ſiue merces, ſiue propria, ſiue aliena opificia deferebant, quæ vel ipſi venderent ciuibus, vel aliis propolis, quos καπήλους nominatos docuimus, dicebantur ἀγοραῖοι, Latini foraneos appellarunt, quia ad emendum, vendendúmve totos dies in foro ſedebant: quod teſtatur Plato 2. *de repub.* vbi καπήλους πρὸς ὠνήν τε καὶ πρᾶσιν ἱδρυμένους ἐν ἀγορᾷ dixit: fuit tamen aliquod apud Latinos diſcrimen inter opifices, & eiuſdem artis negotiatores, diuerſiſque nominibus deſignabantur. Nam *Linteo* erat, qui lintea conficiebat; *Lintearius* qui ea vendebat: *Reſtio* erat reſtium opifex, *Reſtiarius* earum venditor: *Veſtifex* confector veſtium, *Veſtiarius* earū negotiator. Quare in veteribus inſcriptionibus leguntur negotiatores artis lintearię, cretarię, macellarię, proſarię: erant verò proſæ pexæ tunicæ. De eiuſmodi rei veſtiariæ negotiatoribus adi Plinium *libro* 28. *cap.* 25. κάπηλοι igitur, ſiue vt aliquandò nominarunt Plato, & Ariſtoteles μεταβόλοι, & ab ἐμπόροις diſtinxerunt veteres: Xenophon μεταβαλλομένους ἐν ἀγορᾷ, & alij ἀγοραίους, Latini cociones dixerunt, & καπηλείαν, ſiue μεταβλητικήν, vt ab
5 ἐμπορικῆς differt, cociaturam, aut vt alij cociatriam, vti in veteri gloſſario videbis. Neque ea vox ignota fuit Petronio, neque ipſi Plauto in Aſinaria, apud quem lena vult vendere præſenti pecunia, non numerato, mercem ſuam; ait ſibi eſſe manus oculatas, nihil credere, niſi quod vident, affertque triuum, & vulgare diuerbium *nihil cocio eſt*, qui nempe credit, & rem ſuam vendit credito, & non numerata pecunia, aut ſaltem accepto pignore. Feſtus exiſtimat dictos cociones, quaſi cunctiones, a cunctatione, *quod in emendis, vendendiſque mercibus tardè perueniant ad iuſti pretij finem.* Hinc Quintilian. in declamation. pro ciuibus, *Vendidit quantum voluit, quanto voluit, & vt hoc ad noſtras accederet moras, diu cocionatus eſt, omnis cum fide perſoluta pecunia eſt*: vbi ineptè a quibuſdam legi, diù concionatus eſt, obſeruat Salmaſ. καπηλικὴ igitur cocionaria eſt, vel cocionatoria.

Nihilominùs ſtrictiori quadam ſignificatione κάπηλοι fuere iidem qui οἰνοπῶλαι, qui vinum vendebant, ſiue caupones; & καπηλεῖα eſt cauponaria. Pollux *lib.* 7. *cap.* 33. ait καπήλους non dici ſolùm μεταβόλους mercatores, ſed vini mixtores οἶνον κεραννυμένους, adducitque Platonem, qui dum Strabonem laudaret ab οἰνουργίας, ipſum κάπηλον nominauit: indeque tabernam καπηλεῖον dixerunt legum doctores, & Sophocles in Phineo cuiuſdā palpebrā appellat καπηλείου θύρας tabernæ fores. Hermippus dixit credito & ſine pecunia ex taberna bibere ἐκ καπηλείου προδόσει πίνειν. Denique addit κοτυλίζειν propriè dici de caupone, & καπήλῳ qui minimis menſuris, & cyathis, quæ κοτύλαι dicuntur, & ſunt propriæ menſuræ liquidorum, potum vendit, quamquam abuſiuè quoque κοτυλίζειν vſurpetur de his omnibus, quæ non ſimul, & per auerſionem; ſed per partes venduntur. Qua eadem ratione καπηλεύειν de omni venditione dicitur; cùm tamen ſit proprium vini venditorum οἶνον πιπρασκόντων: ſic quoque nomen tabernæ, quod omnibus opificibus & negotiatoribus commune eſt, & ἐργαστήριον ſignificat, de caupona propriè ex communi vſu, quem apud Horatium non ſemel deprehendis, vſurpatur. Cauponam verò à Græco κάπη, quæ ſtabulum ſignificat, deducit Salmaſ. & de diſcrimine inter cauponas, & diuerſoria, ſiue καταλύσια, & πανδοχεῖα pluribus agit. Quia verò ſæpiùs iſti caupones ſolent vinum aqua corrumpere, atque decipere, ſit vt καπηλεία, καπηλεύειν pro deceptione accipiatur: ita fœminæ quæ fuco faciem ad decipiendum adulterant, dicuntur καπηλεύουσαι τὸ πρόσωπον, & à Nazianzeno, qui animo, & cogitatione decipit, & cauponatur καπηλεύει τὴν διάνοιαν, Æſchin. artes ludicras vocat κάπηλα τεχνήματα. Atque hactenùs de variis negotiationis diuiſionibus apud Græcos, quæ vt vides potiùs ad eruditionem & morum antiquorum notitiam, quàm ad ſpecificum diſcrimen pertinent: quod neque etiam reperitur in aliis, quas cæteri deinceps attulere partitionibus; quare eas potiùs enumerare, quàm expendere placet.

Facit itaque Molinæ. *q.* 69. *de commerc.* duplicem negotiationem, quarum altera eſt rerum abſolutè, ſiue dominij, & proprietatis rerum acquirendarum, vel transferendarum: altera non rerum abſolutè, ſed vſus, vel fruitionis ipſarum rerum. Ad primam ſpectant omnes contractus propriè commutatiui, vt permutationes, & venditiones propriè, abſolutè ſumptæ, quæ etiam facilioris commutationis gratiâ nummo fabricato inuentæ ſunt, *leg.* 1. *D. de contrah. empt.* & Ariſtot. *lib.* 1. *politic. c.* 5. *& lib.* 5. *Ethic.* Ad ſecundam ſpectant contractus, quos à ſuo effectu ſucceſſiuos vocat Molin. ad habendum, & compenſandum vſum, ſeu fruitionem rei alienæ, nullo modo commutatæ, vel alienatæ, vel non in totum, aut non perpetuò alienatæ, ex quibus oriuntur obligationes non momentaneæ tantùm, vt in priore

ſpecie,

ſpecie,ſed ſucceſſiuæ, vt contiugit in locationibus, emphyteuſibus & eiuſmodi aliis. Hæc autem poſterior ſpeciea duplex eſt, nam aliquandò nobis comparamus vſum fundi v.g. equi, aut alterius rei alienæ, cuius ſalua ſubſtantia manet in dominio, & poſſeſſione prioris domini, ſiue concedentis, & vtrimque oritur obligatio ſucceſſiua, & vt plurimùm dicitur locatio, &conductio: aliàs comparamus nobis vſum rei alienæ, cuius dominium, & poſſeſſio non manent penes priorem dominum, ſed abeunt in creditum, & debitor obligatur ad aliquid æquipollens, ſiue ad tantundem reſtituendum, & aliquid ampliùs dandum pro interuſurio, vt contingit in fœneratitio mutuo; æs enim alienum tranſit in dominium mutuatarij, qui tantundem reſtituere debet, & aliquid amplius pro vſu. Hæc eſt negotiatio fœneratoria, quam Ariſt. *lib. 1. politic. cap. 7.* ὀβολοστατικὴν vocat, & pluribus damnat.

8 Diuiditur itaq; ſecundò negotiatio in eam, in qua merx emitur, vt deinde prorſus immutata cũ aliquo lucro diſtrahatur, quam eſſe propriè dictam mercaturam paſſim docent: & in eam qua emitur quidpiam, vt ex illo opus, aut quidpiam aliud fiat, quod deinde lucri faciendi cauſa diuenditur, vt cum ex ferro fit gladius, ex cedro menſa, ex argento vas, ex lana pannus, ex panno veſtis, quæ omnia deinde venduntur. Eſtque ea negotiatio opificum, vti monebamus ſuperiori articulo; ad eam etiam refertur negotiatio pecuariorum, qui emunt pecora vt vbi ea nutrierint, & educarint, non ſine prouentu vendant.

9 Diuiditur tertiò negotiatio à Medina *Cod. de reſtitut. q. 30.* in œconomicam, politicam, & lucratiuam, prior ad ſui, familiæque ſuſtentationem neceſſaria emit: politica idem facit, ad politiæ, ſiue ciuitatis neceſſitates: lucratiua denique aliquid emit, vt illud deinde ſiue immutatum, ſiue melioratum cariùs vendat; quæ diuiſio quàm ſit parùm accurata ſtatim vides: ſanè Rebell. *2. p. lib. 9. quæſt. vltima, ſect. 1. n. 2.* eam negotiationem dici vult à S. Thoma, & Ariſtotele, naturalem, & politicam, qua emantur neceſſaria ad ſuſtentationem, aut res quæ deinde elaboratæ, cariùs vendantur: lucratiuam autem, quæ propriè negotiatio eſt, in qua pecuniæ cum pecuniia, aut res cum pecuniis, vel inter ſeſe permutantur, non ad vitæ neceſſitatem, ſed ad lucrum. Habes igitur aliam, & quartam negotiationis diuiſionem à Rebell. in naturalem, & lucratiuam, modo explicato.

10 Diuiditur quintò à Maior. *in 4. diſtinct. 15. q. 40. initio*, vſurpat enim eam primò pro quocumque actu lucratiuo temporalium, ſiue ſit artificis, ſiue quælibet alia ſæcularis occupatio: eſtque ea latior negotiationis acceptio. Secundò pro quocumque contractu lucratiuo, ſiue ſit emptio, ſiue locatio, ſiue mutuum vſuratium. Denique propriè pro emptione qua quædam emuntur, vt deinde cariùs vendantur: vocaturque ea negotiatio Lucratiua.

Hæ omnes porrò diuiſiones, vti iam monui, materiales duntaxat ſunt, & vel augeri, vel minui facilè poſſunt, non magno ſanè compendio, aut diſpendio. Nos de ſola negotiatione lucratiua diſputamus, quamuis quæ de illa docebimus, aliis quoque ſpeciebus aptari facilè poſſint, vbi & illæ eoſdem contractus, ac pacta, de quibus tractaturi ſumus, celebrabunt.

ARTICVLVS III.

An Negotiatio honeſta, & licita ſit.

Obiecta contra negotiationem lucratiuam. num. 1. 2. 3.
Negotiatio eſt honeſta. 4.
Periculoſa nihilominùs. 5.

LVcratiuam negotiationem, de qua vna diſputamus, dãnauit author operis imperfecti in Matt. explicans factum Chriſti eiicientis è templo negotiatores: quare nullum chriſtianum debere eſſe negotiatorem pronunciat, aut ſi velit eſſe, ex Dei Eccleſia proiiciendum. Qui locus etiam refertur *can. eiiciens, diſt.* 88. Afferunt & illud Dauidis *Pſal. 70. verſ. 15. & 16. quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias domini*. Nam pro litteratura tum hìc author, tum Auguſtin. Arnob. & Caſſiodor. legunt negotiationem, ipséque Appollinar. in paraphraſi ſic interpretatur ἐμπορίης ἀδίδακτος ἐὼν negotiationis neſcius exiſtens; fortaſſis antiqui illi non γραμματείας, ſed πραγματείας legerunt: & ſanè Auguſtin. in illum locum obſeruat, negotiationem tum Græca, tũ Latina voce dici ab actu, quod de Latina voce quæ negatione otij dicit, vti initio primi art. monuimus, manifeſtum eſt. De Græca voce etiam conſtat, cum πραγματεία ἀπὸ τοῦ πράγματος deriuetur. Quare πραγματείαν legiſſe Auguſtinum oportuit, quamquam & nomen γραμματείας negotiationem ſignificare potuit, cum & litteras, & numerum, ſiue numerationem deſignet, in eaque magnam partem negotiatio iſta vertitur: præterquam quod libri, & codicilli rationum, atque litteræ, quibus ſæpiſſimè negotiatio conficitur, illa ipſa Græca voce exprimi poſſunt. Quidquid verò ſit de vera lectione γραμματείας, aut πραγματείας, certum eſt negotiationem apud Latinos benè multos legi eo loco, ſiue lxx. Interpretes, apud quos correctiori editione legitur πραγματείαν, ſequuti fuerint, ſiue vocem γραμματείας ita intellexerint: indeque ſumpſere occaſionem negotiationis pluribus improbandæ. 1

Huic illuſtri auctoritati gemina eaque valida accedit ratio. Prima petitur à natura huius negotiationis, quæ vnum intendit lucrum; emit enim, vt cariùs inde vendat, qui finis ſanè minùs honeſtus eſt, & cupiditatis fomes. Sapienterque dixit Ambroſ. *lib. 3. offic. cap. 6. pretiorum captare incrementa non ſimplicitatis, ſed verſutiæ eſſe.* Atque S. Thom. *2. 2. q. 77. art. 4. ad 1. & in corp.* lucrum licitum quidem eſſe, quandò ad aliquem finem, honeſtũ vt ſuſtentationem ſuæ familiæ, commodum reipublicæ, pauperum ſubleuationem, alioſque eiuſmodi fines deſtinatur: at verò quando in eo ſiſtitur, ipſeque eſt vltimus finis, hoc eſt, vt ego interpretor, in illo terminatur tota intentio, & ſeries actionis, omninò malus eſt: quod Rebell. *lib. 9. q. vlt. n. 3.* aliique paſſim concedunt, in eoque ſine culpam, & turpitudinem ſaltem venialem agnoſcunt. Nam ſi in eo lucro operans ſuum vltimum conſtitueret finem, peccatum fore mortale nullus dubitat: verùm hic finis erit operantis, & non ipſius operis, de quo nos hoc loco agimus, dicimúſque huius negotiationis intrinſecum finem eſſe lucrum, quod ex ſe vel turpe eſt, vel ſapit turpitudinem, vt aliqui DD. loquuntur, & cupiditatem ex ſeſe accendit. 2

Adde

Adde ex Ariſtotele *lib. 1. politicor. cap. 9.* idcircò pecuniariam quæſturam non eſſe ſecundùm naturam, quia in infinitum creſcit, nulluſque eſt finis diuitiarum, vti dicebat Solon: media verò, quæ ſunt diuitiæ reſpectu familiæ, aut ciuitatis, infinita eſſe non poſſunt. Atqui negotiatio cum ex natura ſua lucrum captet, neque habeat certos terminus ſibi præſcriptos, infinitæ ſanè cuiuſdam cupiditatis eſt, neque proinde aliqua turpitudine caret.

3 Altera ratio ducitur ex periculis peccandi, quibus tota negotiatio expoſita eſt, & quæ vitare prudentis, ac Chriſtiani hominis eſt. Tyrij principis, cuius caſum deſcribit Ezech. *cap.* 28. crimina ex negotiatione prodiiſſe idē propheta ſignificat *verſ.* 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & eieci te de monte Dei, & perdidi te ò Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum.* Et infra, *Iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationē tuam.* Zachar. *cap.* 14. *Non erit mercator vltrà in domo domini exercituum.* Eccleſ. 11. *verſ.* 10. *Fili ne in multis ſint actus tui, & ſi diues fueris non eris immunis à delicto.* Et quamuis videatur Syracides damnare duntaxat πολυπραγμοσύνη, ſiue vitioſum animi ſtudium, cum multarum rerum cura coniunctum; illa enim varietas, & multitudo negotiorum obruit animum, & in pluribus delinquere facit, preſſiùs tamen de immenſa diuitiarum cupiditate, & coaceruatione illarum intelligendus eſt: vnde dicitur Græce ἐὰν πληθύνῃς ſi multiplicaueris, vel multiplicatus fueris, rerum, & diuitiarum copia abundaueris. Immò ſuſpicantur aliqui apud Cornel. in hunc locum, pro πληθύνῃς legendum eſſe πλουτήσῃς *diues fias.* cap. verò 26. *verſ.* 28. idem peccandi periculum eſſe in negotiatione, manifeſtè traditur, *Duæ ſpecies difficiles, & periculoſæ mihi apparuerunt: difficile exuitur negotians à negligentia, & non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum.* ἔμπορος igitur vix vitare poteſt delictum: nam Græcum πλημμέλεια, quod hoc loco vulgatus vertit, negligentiam, in Leuitico interpretatur delictum, fortè quia eſt negligentia ſui aut ſalutis. κάπηλος verò non vacabit culpa, ſiue non iuſtificabitur à culpa οὐ δικαιωθήσεται ἀπὸ ἁμαρτίας, quod peccatum labiorum, ſiue linguæ exponit vulgatus hoc loco, quia negotiatores, & maximè κάπηλοι, qui cociones, & caupones ſunt, eiuſmodi falſiloquiis obnoxij ſunt, quia multa loqui coguntur: ideoque Mercurium facundiæ præſidem, mercimoniis quoq; præeſſe voluerunt veteres, & Mercurium quaſi mercatorum κύριον dominum nominarunt. Quod obſeruauit Hugo Victorin. *lib.* 2. *Erud. Didaſca. cap.* 24. Vides igitur omnem negotiationem ſiue ἐμπορικὴν, ſiue καπηλικὴν, vtramque enim exprimit Syracides, periculosè, ob facilem in varia crimina lapſum, exerceri. Addit cap. ſeq. *propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum.* Exponunt aliqui de inopia cordis, ac mentis, qua laborant, qui propter diuitias conſectandas deliquunt: alij quia ad fugiendam inopiam, & obtinendas diuitias plurima peccari ſolent. Quidam legunt χάριν ἀδιαφόρου propter indifferens, diuitias nempe, quæ deſpici tanquam ἀδιάφορα deberent, plurimi peccant πολλοὶ ἥμαρτον, ſed ſequentibus verbis clariùs explicat. Qui quærit locupletari πληθῦναι abundare, congerendo immenſa quadam cupiditate diuitias, auertit *oculum ſuum*, animum quippe ab æquitate, & iuſtitia deflectit, *ſicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium emptionis anguſtiabitur peccatum.* Quia cupiditas niſi timore Dei comprimatur emptionibus, ac venditionibus peccatum, quaſi clauum inſerit: alij accipiunt de palo, ad quem tyrones ſeſe exercebant, & in quem ſpicula iaciebant: alij de palo ex quo varia ſuſpenduntur. Iſa. 22. *verſ.* 22. Sed hæc omnia, vti videbis apud Cornel. in hunc Eccleſiaſtici locum, eandem ſententiam habent, nempe difficultatem vitandi peccatum in illo diuitiarum, & negotiationis ſtudio; quia vt ait Caſſiodor. *in Pſalm.* 70. *per immoderata pecuniæ ambitum polluunt merces ſuas plus periuriis, quam pretiis.* Quare *lib.* 6. *capitul. Francor. Regum cap.* 228. vult de periculo moneri negotiatores: & *lib.* 7. *cap.* 44. negat pœnitentibus conuenire negotiationem, *quia difficile eſt, inter ementis, vendentiſque commercium, non interuenire peccatum.* Eaque de cauſa aduerſus negotiationem iniquiores eſſe videntur PP. vt Clem. Alexand. *lib.* 3. *Pæda. cap.* 11. Auguſt. *in Pſalm.* 70. Leo *Epiſt.* 92. *cap.* 9. Chryſoſt. *hom.* 19. *in Matth.* Ipſique etiam Ethnici hoc vitæ genus damnant, vt Apollonius apud Philoſtrat. *lib.* 4. eius *vita*, & *lib.* 8. Vbi etiam de mercatura nauigante, & de ἐμπορικῇ loquitur. Anacharſis apud Laërtium dicebat, forum eſſe locum ad fallendum, & ad cumulandas ſic diuitias τὴν ἀγορὰν ὡρισμένον τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾷν καὶ πλεονεκτεῖν, ſanè Mercurium furibus, & mercatoribus præſidem fecere; ideoque illum Suidas κλέπτα, & κλέπτην, & Phurnutus vocant. Verum plurima de fraudibus, periuriis, & aliis mercatorum peccatis dabit Luc. Penna *in leg. nec ipſe. C. de incol.* & *in Rubric. C. negotiat. ne milit.* Denique non minùs damnandi videntur mercatores, quàm fœneratores, cum vtrique pauperes opprimant: quod enim emerunt viginti nummis, vendent aliquando quadragenis; & ſanè inter negotiationis ſpecies numerant DD. quæſtuariam nullo diſcrimine cum mercatura. Et æque Chriſtus Matth. 21. negotiatores eiecit è templo, atque nummularios, quorum menſas euertit.

Dicendum nihilominùs eſt primò negotiationem ex ſeſe, & obiecto ſuo ſpectatam, licitam, & honeſtam eſſe: quod tradunt paſſim Theologi *in 4. diſt.* 15. *&* 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. vbi S. Thom. ait, lucrum, quod eſt negotiationis finis, etſi in ſui ratione non importet aliquid honeſtum, vel neceſſarium, nihil tamen importare de ſui ratione vitioſum, vel virtuti contrarium, indéque fieri vt lucrum ordinari queat ad aliquem finem honeſtum, aut neceſſarium; atque adeò negotiatio licita reddi. Quibus verbis euidenter oſtendit negotiationem ex natura, atque ſuo obiecto, & fine proximo, eſſe quidpiam indifferens: atque idcircò licitam, & honeſtam eſſe poſſe, niſi ex aliquo prauo fine, aut alia quapiam circumſtantia, inhoneſta, & illicita reddatur. Quæ tamen pugnare videntur cum iis, quæ ibidem affirmat S. D. negotiationem, de qua diſputamus, iuſtè vituperari, quia quantum eſt de ſe deſeruit cupiditati lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit; & ideò negotiatio ſecundum ſe conſiderata quandam turpitudinem habet, in quantum non importat de ſui ratione finem honeſtum, vel neceſſarium. Si autem negotiatio *de ſe*, id eſt ex natura ſua, *quandam turpitudinem habet*, nulla ratione poterit fieri licita: quod tamen fieri poſſe affirmabat S.D. & ex ipſius ratiocinatione neceſſariò colligitur. Cum enim tota honeſtas, aut turpitudo actuum deſumatur ex obiecto, ac fine proximo, ſi finis & obiectum negotiationis eſt aliquid, quod de ſui ratione nihil importat aut vitioſum, aut honeſtum, ſed indifferens, quod ad honeſtum, vel turpe ordinari poteſt; 4

atque

atque ita honeſtatem, vel turpitudinem induere: ſequitur ipſam quoque negotiationem eſſe quidpiam indifferens ad honeſtatem, & turpitudinem; ac proinde non eſſe ex ſe turpem, & malam: quod tamen videbatur affirmaſſe S. D. vt dixi. Idcircò ad intelligendam S. Doctoris mentem in eo articulo, ſapienter aduertit Caietan. diſtinguendum eſſe inter affirmationem boni, & negationem mali. De negotiatione igitur propter lucrum, non affirmatur malum, ſed negatur bonum, quia ſi eſſet ſecundum ſe mala, nulla intentione fieri licita poſſet: non eſt etiam ſecundum ſe bona, quia non ordinatur neceſſariò ad finem honeſtum, ſed habet potiùs quandam ſpeciem mali, vt ibidem dicitur, ad tertium, & ob eam rationem dicitur iuſtè vituperari propter lucrum terrenum, quod intendit, & frequentia peccata, quæ ſæpiùs incurrunt negotiatores. Quia tamen illud lucrum ad vlteriorem finem honeſtum ordinari poteſt, licita ſit negotiatio; illicita verò quando lucrum vt finem vltimum intendit: quod rariùs contingit, eaque eſt communis DD. mens, vti videbis apud Rebell. *leg.9.q.vlt., ſect.1,* Et alioquin lucrum illud iuſtum eſt ob mercatorum induſtriam, mercium aſportationem, varietatem temporum, ac locorum, ex quibus pretium variatur; ipſiuſque etiam pretij, cuius æquitas non conſiſtit in indiuiſibili, vt dicemus lib. ſequenti, diuerſitatem.

5 Dicendum eſt ſecundò negotiationem multis peccandi periculis expoſitam plerumque eſſe, & ex varijs circunſtantiis illicitam reddi poſſe. Hoc ipſum probant quæ initio aduerſus negotiationem adduximus: neque aliud ſanè efficiunt quæ ex Eccleſiaſtico referebamus, & vulgatum illud ex *Pſalm.* 70. *quoniam non noui litteraturam*: longè alias habet explicationes, ſiue de numero beneficiorum Dei, quæ ipſe numerare neſciat Dauid, & ideò velle ſe tota die ea annuntiare, *os meum annuntiabit iuſtitiam, tota die ſalutare tuum*, vt ſatisfaciat illi infinito numero, quia enim illum non nouit, illi ſemper prædicanda erunt eiuſmodi beneficia. Vide alia apud interpretes. Quæ autem bonā reddunt negotiationem, explicat Aug. quòd Dauid non ſibi ipſi ſuorum operum, & negotiorum meritum, ſed diuinæ potentiæ tribueret. Denique PP. inſectantur quaſdam negotiationes, quæ ex obiecto ſuo malæ erant, aut ex quibuſdam adiunctis, vt Leo *cap.9. citato, qualitas lucri negotiantem, aut excuſat, aut arguit*. Tertullian. *lib.11. de idololat. cap.*11. de iis qui vendebant ea, quæ ad cultum idolorum faciebant: ſic qui homines vendebant, quos Latini *venalitiarios*, Græci σωματεμπόρους, qui meretrices πορνοβοσκοὺς, & alij eiuſmodi, de quibus alibi. Alij verò PP. alias circunſtantias, ex quibus inficitur negotiatio, non proprio, ſed negotiantium vitio, & maximè ex effræni congerendi pecunias cupiditate, quæ ſæpiùs præcipites agit homines, inſectantur. Verum hæc omnia vitia iiſdem de cauſis in cæteras omnes artes deriuari poſſunt, vti fuſiùs apud Auguſt. *in Pſalm.*70. diſſeſit Negotiator: & in frumenta congerentibus, vt temporæ annonæ cariùs ea diſtrahant, arguit Ambroſ. *lib.* 3. *offic. cap.*6. ratione etiam loci, cuius ſanctitatem prophana negotia violant, damnantur aliquando mercimonia, qua de cauſa eos, qui etiam ad ſacrificia neceſſaria vendebant, Chriſtus è templo eiecit: quod autem Chriſtus quæritur eiuſmodi negotiatione domum ſuam fieri σπήλαιον λῃστῶν latronum ſpeluncam, damnat vitia, quæ ſolent comitari negotiationem, vti iam diximus. Sanè nihil tam ſanctum eſt, quo quis abuti non poſſit, vti oſtendit Nazianz. *orat.*20.*n.*19. Auguſt. *lib. de vera relig. cap.* 20. Et alij: neque aliud quàm eiuſmodi abuſum in negotiatione damnarunt PP. & ſi quidpiam ampliùs docuiſſe viſi ſunt, explicandi erunt de ea negotiatione, quæ in lucro finem ſuum vltimum conſtituit, quomodo S.Thom. 2.2. *quæſt.*77. *art.*4. Authorem operis imperfecti intellexit, quamquam in eo authore multi alij næui deprehenſi ſunt; neque in hoc ſingulari extergendo laborandum nobis eſt. Comparatio verò illa mercatorum, & fœneratorum nihil officit, cum enim licitæ forent vſuræ apud gentes illas, quid mirum, ſi inter negotiationis ſpecies numerarunt fœneratitiam cum mercatura τοκισμὸν ἐμπορίαν, & καπηλείαν, & ita diuiſerint μεταβλητικήν. Monendi duntaxat erunt negotiatores, vt ſapienter iſta ſalutis pericula caueant, tenendumque illud Tertulliani, qui licet *lib.de idololatria cap.*11. dixerit negotiandi quæſtus cauſâ, iuſtitiam parum ſecuram eſſe de cupiditatis, & mendacij obſeruatione; negat tamen inde omnibus negotiationibus controuerſiam fieri debere, ſed pro magnitudine periculi diligentiam obſeruationis adhibendam eſſe. Addo & eius aliud monitum *lib.de patient. cap.*7. *Gentilium eſt, omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortaſsè animæ anteponant, nam & faciunt cum lucri cupiditatibus quæſtuoſa mercimoniorum pericula in mari exercent, cùm pecuniæ cauſâ etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant: cùm denique ludo, & caſtris ſeſe locant, cùm per viam in mores beſtiarum latrocinantur. Nos verò ſecundum diuerſitatem, qua cum illis ſumus, non animam pro pecunia, ſed pecuniam pro anima deponere conuenit, ſeu ſponte in largiendo, ſeu patienter in amittendo.*

ARTICVLVS IV.

De vtilitate, & nobilitate Negotiationis.

Vtilitas negotiationis. num. 1.
Quid ſentiant DD. de nobilitate negotiationis. 2. 3. 4.
Noſtra ſententia. 5.

VTilitatem, ac commoda negotiationis nemo vnus ignorat, ideoque ciuitatibus, & rebus publicis neceſſariam eſſe dixit Plato *lib.* 2. *de repub.* cuius verba retulit quoque Calliſtrat. celeberrimus Iuriſconſult. *in leg.* 2. *D. de nundin.* & ſanè Romani tanti fecere mercaturam, vt collegium mercatorum in vrbe inſtituerint, teſte Liu. negotiatio enim diuitias importat vrbibus, exterorum neceſſitudines fouet, inopiæ plurimarum rerum, qua ferè ſingulæ regiones laborant, ſuccurrit: vnde Bald. *in conſil.*348. 1. *volumine.* Mercatorum & campſorum maſſam, ſummum bonum, & quintum elementum vocabat. Vide alia plura in hanc rem apud Straccham 2.*p. de mercat. n.*16. vbi de neceſſitate mercaturæ plurima in vtramque partem diſputat. 1

Maior eſt difficultas circa nobilitatem negotiationis, nam præcipuam ipſam eius ſpeciē, & ἐμπορικὴν inter artes ſordidas numerant, & nobilitati derogare cenſent Aleiat. *in leg. mercis, D. de verb. ſignific. & tractat. de præſumption.* Straccha *de mercat.* 2

cat. ſecunda par. num. 17. Bald. *in leg. nobiliores, C. de comm. & mercat.* Cæpola *in tract. de imperat. militum diligendo, in materia nobilit. in* 18. *opinion.* Ioan. Fab. *in l. falsè, C. de diuerſ. reſcript.* Vbi ait amitti priuilegium nobilitatis per mercaturæ exercitium. Guido Papæ, *deci.* 96. qui alios Iuriſperitos dabunt. Probántque tum ex Ariſtotele, qui *lib.* 7. *politic. cap.* 9. negotiationem numerat inter ſordidas artes, & Plato idem iam cenſuerat: tum ex veteribus moribus, nam vti refert *lib.* 3. *politic. c.* 3. Thebani arcebant à Magiſtratibus, & dignitatibus publicis, qui toto decennio foro non abſtinuerant. Lex Clodia Quæſtores Romanos, negotiationem exercere prohibebat: quare Sueton. de Domit. *cap.* 9. ſic ſcribit. *Scribas quæſtorios negotiantes ex conſuetudine, ſed contra Clodiam legem, venia in præteritum donauit.* Fuit & alia lex Clodia, quam tulit D. Claudius Trib. pleb. P. Cornelio, T. Sempronio Coſſ. an. V.C. D.XXXV. *ne quis Senator quive Senatoris pater fuiſſet, maritimam nauem, quæ plus quàm trecentarum amphorarum eſſet, haberet.* id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos: quæſtus omnis patribus indecorus viſus eſt. Ita Liu. *lib.* 21. & Tull. *Verr. VII.* Quare vides ipſam etiam ἐμπορίαν inter ſordidas artes numeratam; & ſanè Tarquinio Priſco obiectum eſt patre mercatore genitum fuiſſe, teſte Valerio Maxim. *lib.* 3. *cap.* 3. Denique Honor. & Theodoſ. Act. *nobiliores natalibus, & honorum luce conſpicuos, & patrimonio ditiores, pernicioſum vrbibus mercimonium exercere prohibent, vt inter plebeios, & negotiatores facilius ſit emendi, vendendique commercium. l. nobiliores* 3. *C. de comm. & mercat.* Idem iam olim conſtituerant Conſtant. & Conſtan. *l. ne quis* 6. *C. de dignitat. ne quis ex vltimis negotiatoribus, monetarijs, abiectiſque officiis, &c. aliqua frui dignitate pertentaret.* vbi Synopſ. Baſilic. habet ἔμπορον. Denique ſanciuit Iuſtinian. ne negotiatores militarent, aut negotiationem accepta militia deſererent. *l. vnica. C. negotiat. ne militent.*

3 Alij tamen, negotiationem, & mercaturam nihil officere nobilitati contendunt: nam Calliſtrat. celeberrimus Iuriſconſultus, *in leg. eos qui* 12. *D. de decurionib.* negat, eos, qui etiam vtenſilia negotiantur, eſſe viles perſonas, & decurionatu petendo in ſua patria prohibendos, maximè ſi ditiores ſint, ideoque illam dignitatem ſuſtinere queant. Et ſanè tanti fecere mercaturam Romani, vt mercatorum collegium in vrbe conſtituerint: quod obſeruat Liuius: quare clariſſimi viri mercaturam exercuerunt; neque ſuæ dignitati inde deſtractum eſſe exiſtimarunt: de Solone, Thalete, Hypocrate, Platone, & Catone, Plutarch. teſtatur, & alij: de Zenone Laert. de Veſpaſiano Sueton. qui illum etiam ad mangonicos quæſtus deſcendiſſe ait: de Pertinace Capitolon. de Tarquinio Priſco Dionyſ. Halicar. *lib.* 3. Quare Ariſtot. *lib.* 4. *politic. cap.* 3. aperte mercaturam à vilioribus artibus ſeiunxit, immò Mercurius Rex, & Philoſophus, & tandem inter deos relatus mercaturam exercuit, & in hominum mores induxit.

4 Denique volunt alij, negotiatores ditiores ex more regionis, maximè ſi non per ſeſe, ſed per alios negotiationem exerceant, inter nobiles cenſeri poſſe, non verò καπήλους, qui, vt dicebamus, in tabernis minutatim vendunt, quæ ab aliis emerunt: ſunt enim ſordidæ, & viles eiuſmodi negotiationes. Vide Stracc. *l. c.* Tiraq. *cap.* 27. *de nobilit. n.* 7. & Alciat. *tract. de præſumpt. regula* 1. *præſump.* 48. *num.* 10. & *lib.* 2. *de verb. ſignificat.*

5 Nobis non videtur operæ pretium, ſingulas iſtas ſententias, earumque momenta diligentiùs expendere, quādo iure Gallico negotiatio nobilitati derogat; quod Regiæ Conſtitutiones, maiorum authoritas, & perpetuus, conſtanſque regni vſus demonſtrant: quoad cæteras verò gentes, ipſarum quoque mores attendendos eſſe exiſtimo; neque ſanè quidquam eſt in maiori illa negotiatione, quod ita eſſentialiter pugnet cum nobilitate, vt ex peculiari quorundam iure coniungi non potuerint, maximè quando per alios exercetur, vti docebat tertia ſententia. Neque alia ſanè ratione negotiationem coluerunt viri illi nobiles, ipſique Imperatores, quos inter negotiatores recenſebat ſecunda ſententia. Neque prior illa, quæ negotiationem artibus ſordidis annumerabat, de omni negotiatione loquitur, ſed de cocionaria, quam καπηλείαν propriè dictam oſtendimus. Quamuis enim authores, quos adducit, vtantur aliquando voce ἐμπόρου, & ἐμπορίας, eam tamen vocem ſæpiùs in vniuerſaliori ſignificatione vſurpari, & pro quacumque negotiatione, etiam καπηλεία, propriè dicta docuimus, ſicut & καπηλείαν in ampliori quadam notione ipſam ἐμπορίαν comprehendere. Ariſtot. 1. *Ethic. ad Eudem. cap.* 4. omnes artes diuidit in τὰς φορτικὰς, τὰς βαναύσους, & τὰς χρηματιστικάς: φορτικὰς autem nominat τὰς πρὸς δόξαν πραγματευομένας μόνον, eas artes, quæ ad opinionem, & gloriam inanem hominum captandam comparantur; ideoque faſtuoſæ, graues, & importunæ aliis ſunt, id enim ſonat φορτικός, interpres reddidit odioſas artes βαναύσους, & βαναυσικαὶ τέχναι, ſunt artes ſordidæ & illiberales, ſiue mechanicæ. Nam βαναυσία, vel Polluci βαναυσουργία eſt ars, quæ ignis auxilio exercetur, indeque traductum eſt illud nomen ad omnes artes infimæ notæ: quod indicat Hieron. *lib.* 1. *aduerſus Pelag.* Vbi quos Græci βαναύσους vocant, ad opera manuum pertinentes reddit. Nam Poſſidonius apud Senec. epiſt. 88. *Artes vulgares, & ſordidas appellat, quæ manu conſtant, & ad inſtruendam vitam occupatæ ſunt, in quibus nulla decoris, nulla honeſti ſimulatio eſt.* Quare βάναυσος τεχνίτης eſt mechanicus, & ſordidus artifex. Ariſtot. igitur loco citato βαναύσους τέχνας, ait eſſe τὰς ἑδραίας, καὶ μισθαρνικάς, ſellularias, & mercenarias. Denique χρηματιστικὰς ait τὰς πρὸς ἀγορὰς καὶ πράσεις καπηλικάς: vides igitur philoſophum, ne ipſam quidem καπηλείαν inter βαναύσους τέχνας ſordidas artes numeraſſe. Illum æmulatus Tull. *lib.* 1. *de officiis*, diſcrimē inter mercaturam, & artes ſordidas conſtituit, *Illiberales*, inquit, *& ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur, eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis. Sordidi enim putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant carius*: ecce tibi καπηλείαν, *nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. Nec verò quidquam eſt turpius vanitate: opificeſque omnes in ſordida arte verſantur, nec enim quidquam ingenuum habere poteſt officina, minimèque artes hæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, &c. mercatura autem ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt, ſin magna, copioſa, multa, vndique apportans, multiſque ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda, atque etiam ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, vt ſæpè ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulit, videtur iure optimo poſſe laudari.*

CAPVT

CAPVT II.

De cauſa finali Negotiationis.

EXplicata natura negotiationis venio ad eius cauſas, ordiorque ab externis, quarum prima eſt finalis, de qua pauca admodum dicenda ſunt, quæ vnico articulo perſtringam.

ARTICVLVS VNICVS.

Quis ſit Negotiationis finis.

Triplex finis negotiationis. num. 1.
Quid, & quale ſit turpe lucrum. 2.

1 TRiplicem negotiationis finem conſtituere poſſumus: propriæ familiæ ſuſtentationem, comparando ea, quæ deſunt, & diſtrahendo ſuperflua, aut minùs neceſſaria: deinde ciuitatum commoda, quibus importandis, exportandiſque mercibus conſulitur, commercia, & communio cum aliis gentibus fouetur, & inopia eorum, quibus ſingulæ ciuitates carent, aliarum communicatione ſubleuatur, diuitiarumque, quas commercia inuehunt, congerie potentes, atque illuſtres euadunt: denique lucrum, & quæſtum, quem affert mercatura, quæ idcirco præcipua eſt inter χρηματιστικάς; neque in his finibus explicandis, qui per ſeſe ſatis manifeſti ſunt, inhærendum videtur, cum omnes ad lucrum, quod per ſe intendit negotiatio, reducantur, niſi mauis ipſum lucrum ad alios duos, nempè rei domeſticæ augendæ procurationem, familiæque ſplendorem, atque amplitudinem comparandam, ſeruandamque, & ciuitatum quoque commoda, atque opulentiam, referre. Nam cum lucrum, ſiue diuitiæ, quæ illo acquiruntur, ſint bona vtilia, atque proinde media quædam; in illis non poteſt conſtitui finis. Propter quam rationem negant in diuitiis conſtitui poſſe ſummum bonum Paulin. *Epiſt.* 5. *ad Seuerum*, Theodoret. *ſerm.* 6. *de prouident.* Chryſoſt. *hom.* 50. *in Matth.* ipſeque Plato *in Erixia.* ait χρήματα eſſe ſua natura χρήσιμα vtilia ad aliud. Verum quæ media ſunt, & vtilia, in aliqua tamen ſerie actionum poſſunt eſſe finis, quamuis deinde tota illa ſeries, aliò referatur vlteriùs, ſuntque illi fines intermedij, vti diximus in phyſicis, 1. 2. aſſignantes diſcrimen inter electionem puram, & non puram. Lucrum igitur per negotiationem comparatum, ſiue ipſamet negotiatio ad alium finem honeſtum referri debebit: quod verum eſt in omni arte quæſtuaria, quæ ſaltem ad vitæ, & familiæ ſuſtentationem, alioſque eiuſmodi fines dirigitur. Quare nihil peculiare eſt hoc loco circa negotiationem, quàm quod in vniuerſum ſpectat ad diuitias, & eas acquirendi rationem, cùm omiſſis fraudibus, & aliis eiuſmodi peccatis, quæ ab improbis negotiatoribus committi ſolent, & de quibus hoc tractatu diſputabimus, nullam labem affingere liceat negotiationi, niſi ratione diuitiarum, quibus congerendis intendit. Quare ſi quæ ſint probra diuitiarum, ea in negotiationem deriuantur, vt quod à virtute plerumque prohibeant, & ad vitia impellant, iiſque materiam, & occaſionem ſuppeditent. Quod argumentum copioſiùs tum noſtri, tum exteri ſapientes non ſemel verſarunt: Sen. *Epiſt.* 36. *& lib.* 6. *de benefic. cap.* 9. *& epiſt.* 80. *& epiſt.* 92. Teleſ. opere De paupertatis, & diuitiarum comparatione; Stobæ. *ſerm.* 5. Dio. *orat.* 79. aliique, Lactant. *lib.* 7. *inſtit. cap.* 1. Iſidor. Peluſiota *lib.* 2. *epiſt.* 146. Pſeudo Sixtus *lib. de diuitiis.* Theodoret. *ſerm.* 6. *de provid.* Aſter. *homil. de auaritia.* Baſil. *homil.* 7. *in diuit. auaros.* Ambroſ. *lib. de Nabuthe.* Chryſoſt. *homil.* 17. *in* 1. *ad Timoth. hom.* 7. *in ad Coloſſ. homil.* 4. *in Matth. homil.* 13. *&* 14. *in ad Roman. in Pſalm.* 33. *homil.* 12. *in* 2. *ad Corinth.* atque alibi paſſim, vbi infinita congerunt contra diuitiarum cupiditatem, earumque inanitatem, & incommoda deſcribunt. Verum hæc omnia contra diuitiarum abuſum, immoderatam earum cupiditatem, & probroſas, atque iniuſtas, & turpes rationes eas acquirendi dicuntur: quæ nos etiam omnia damnamus in negotiatore, quem idcircò vt ab iis omnibus caueat, hoc toto opere erudimus, volumúſque ab eo abeſſe omnem αἰσχροκέρδειαν. Eſt verò αἰσχροκερδὴς interprete Theophylacto, qui nullum recuſat lucrum vndecumque proueniat. Pollux verò definit eum, qui accipit à quibus non oportet, & non dat quibus, & ad quæ oportet, ὁ λαμβάνων ἀφ' ὧν οὐ δεῖ, καὶ μὴ διδοὺς οἷς καὶ ὅσα δεῖ. Denique τὸ αἰσχρὸν Græcis quatuor ſignificat, τὸ δειλόν, τὸ ἄκοσμον, τὸ ἄμορφον. Verum αἰσχροκέρδεια maximè comprehendit quid iniuſtum: lucrum enim turpe maximè iniuſtum eſt. Vnde Ariſtoteles omnibus artibus quæſtuariis, quibus lucrum pro fine eſt αἰσχροκέρδειαν cõmunem facit; & quia illæ artes magis eiuſmodi vitiò ſunt obnoxiæ, pro ſordidis, & inhoneſtis quodammodo habentur. Idcirco Celſus apud Origen. *lib. aduerſ. ipſum*, obiiciebat Apoſtolos fuiſſe ἐπιῤῥήτους, καὶ πονηροτάτους, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρους, allegabatque Barnabam in Epiſtola Catholica, vbi Chriſtum aiebat elegiſſe ſibi peccatores, nempè quia aſciuerat Telonarius, Publicanos, Nautas, & alios huiuſmodi, qui artium, quas profitebantur, infamia laborabant; & vitiis magis erant ea de cauſa obnoxij. Verum ſicut lucrum moderatum, atque ex iuſto fine licitum eſt: ita in negotiatione intendi, & quæri poteſt. Neque obiicias intendi à negotiatione incrementum pretij, vult enim cariùs vendere, quàm emerit, alioquin nihil lucraretur: nam illud incrementum pretij variis ex cauſis iuſtum eſſe poteſt. Primò in compenſationem laboris, & induſtriæ, atque periculi, quod in tranſuectione mercium incurritur: Deinde variantur pretia rerum plures ob cauſas, vt dicemus lib. 2. & denique quia pretij æquitas non conſiſtit in indiuiſibili, ſed latitudinem quamdam habet: quæ omnia l. c. diſtinctius explicabuntur. Caueat duntaxat fraudes, & vitia, quæ in negotiationem facilè irrepunt, prudens negotiator, audiatque Deum apud Iſaiam *cap.* 58. *verſ.* 6. ex interpretatione 70. λῦε πάντα σύνδεσμον ἀδικίας, διάλυε στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, ἀπόστελλε τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, καὶ πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον διάσπα, ſolue omnes obligationes, ſiue omne vinculũ iniquitatis; diſſolue omnes obligationes violentorum contractuum; dimitte confractos in remiſſionem, & omnem iniquã ſcripturã conſcinde. Quæ, de contractibus per iniqua commercia celebratis, accipienda omninò ſunt, neque ab eo ſenſu volgatus interpres abiit. *Diſſolue*, inquit, *colligationes impietatis, ſolue faſciculos comprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt liberos, & omne onus dirumpe.* Eodem recidunt omnes aliæ verſiones apud Maluend. Expreſſiſſima eſt illa S. Cypr. *lib. ad Quirin. c.* 1. *Diſſolue*

ue omnem nodum iniuſtitiæ, reſolue ſuffocationes impotentium commerciorum. Et S. Ambroſius *lib. de Nabuthe capit.* 10. *Solue omnem colligationem iniuſtitiæ, diſſolue obligationes violentarum commutationum, dimitte contractus in remiſſionem, conſcriptionem iniquam dirumpe.* Hæc igitur ſibi dicta negotiator exiſtimet, & caueat.

CAPVT III.

De cauſa efficiente Negotiationis, ſiue de Perſonis negotiantibus.

ARTICVLVS I. *Quibuſnam liceat negotiari.*
II. *An Clericis liceat negotiari.*
III. *De mercatoribus.*
IV. *De proxenetis.*
V. *De inſtitoribus.*
VI. *De negotiorum geſtoribus.*
VII. *De mandatarijs.*
VIII. *De procuratoribus, & adminiſtratoribus.*
IX. *De rationalibus.*
X. *Conſectaria ex tribus ſuperioribus articulis.*

NOn aliam ſanè cauſam efficientem adſignare poſſumus negotiationi, quàm ipſoimet negotiatores, quorum alij ſunt veluti cauſæ principales, alij inſtrumentales, aut adiuuantes, quia negotiationi, quæ plurimùm operoſa eſt, ſubſeruiunt, cùm vnus omnia præſtare nequeat. Præter ipſos igitur mercatores, quorum nomine, & ſumptibus exercetur negotiatio; ſunt inſtitores, negotiorum geſtores, adminiſtratores, procuratores, proxenetæ, mandatarij, quos commiſſionarios dicunt, rationarij, qui rationes ſeruant, de quibus omnibus pauca quædam pro inſtituto explicanda erunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quibuſnam licitum ſit negotiari.

Suarum rerum liber adminiſtrator poteſt negotiari. num. 1.
An militibus liceat negotiari. 2.
An nobilibus. 3.
An palatinis. 4.
An Rectoribus prouinciarum. 5.
An minoribus. 6.
An filiisfamilias. 7.
An in pænam poſſit prohiberi negotiatio. 8.
Quid ſint Dardanarij, & pantapolæ. ibid.

1 DIcendum eſt, omnes, qui ſuarum rerum liberam adminiſtrationem habent, poſſe negotiari, niſi peculiari aliquo iure prohibeantur. Vniuerſalis iſta aſſertio certiſſima eſt, neque iure negari poteſt: cum enim negotiatio ſit, quidpiam ſibi comparare, vt deinde ſiue mutatum, ſiue immutatum cariùs diſtrahatur, vndenam attento ſolùm iure naturæ impeditur, qui de ſuis bonis liberè diſponere poteſt, partem aliquam ſuorum bonorum impendere in acquireoda re, ex cuius deinde diſtractiooe quidpiam lucretur, ſiue ex illa quodpiam opus officij curet, ſiue eum immutatum prorsùs, quæ eſt vera negotiatio, diſtrahat, indéque aliquod lucrum faciat. Suppono verò rem illam eſſe negotiationis idoneam materiam, modumque illam aut acquirendi, aut diſtrahendi licitum eſſe, & lucrum etiam iuſtum: nam non diffiteor ex aliquo eiuſmodi capite illicitam reddi poſſe negotiationem. Verùm iſta non oriuntur ex perſona negotiante, & cui prohibitum ſit negotiari, quod modò quærimos: quia nullus omninò in aſſignatis circumſtantiis negotiari poteſt, cùm hæ circumſtantiæ reddant negotiationem eſſentialiter malam, ſi vel eius materia, inidonea ſit, vt res ſpiritualis, vel modus negotiandi turpis, vel lucrum, aut pretium iniquum. His itaque defectibus eſſentialibus ſecluſis, qui ſe tenent ex parte ſingularis alicuius negotiationis, ea de cauſa malæ, conteodo in perſona negotiaote nullam aliam conditionem poſtulari, qoàm vt habeat liberam, & omnimodam ſuorum bonorum diſpoſitionem, & nullo peculiari iure ab hoc negotio prohibeatur. Quare tota difficultas eſt in perquirendis legibus, quæ prohibeant certis quiboſdam perſonis exercitium negotiationis, & maximè huius, quam lucratiuam appellant, eo quod ex ſola merce, non ex arte, quæ illam immutauit, & meliorem reddidit, lucrum facere ſtudeat.

Igitur armatæ militiæ milites negotiari prohibentur à Iuſtinian. *l. vn. C. negotiatores ne militent.* Permittit quidem illis, relicta negotiatione militare, verùm ſi deinde ad negotiationem redeant, illos omni militia excidere vult. Idem dixit Leo Auguſtus *l milites* 12. *C. de re militari. Milites qui à republica armantur, & aluntur, ſolis debent publicis vtilitatibus occupari, nec agrorum cultui, & cuſtodie animalium, nec mercimoniorum quaſtui.* Et ſanè ne priuatis quidem negotiis occupari permittebantur milites, vt piſcatui, & venatui: vti diſertè habet *lex, officium* 12. *§. paternus. D. de re militari.* Quare milites negotiatores carent priuilegio fori, & ſi in cauſa negotiationis conueniantur coram Iudice ordinario, aut Conſule mercaturæ, ab illo prouocare, aut, vt loquuntur, declinare nequeunt ad Iudicem ſuum, qui eſt magiſter militiæ: ſic *in l. magiſteria* 6. *C. de iuriſdiction. omn. indic.* ſanciunt Honor. & Theodoſ. eamque eſſe communem ſententiam docet Straccha 3 *parte de mercaturanum.* 12. Verum de negotiatione prohibita militibus vide alia apud Forner. *lib.* 2. *ſelect. cap.* 3. Lælium Fannenſem *in lib. de militiis.* Sidon. *lib.* 1. *Epiſt.* Loquimur verò de militia armata duntaxat, non ciuili, & vrbana, de qua *leg.* 14. *C. de aduocatis, & leg.* 3. *Cod. de numerariis.* Ad hanc enim militiam ſiue *palatina* eſſet, eorum ſcilicet qui in Principis palatio præficiebantur alicui muneri: ſiue *comitatenſis*, eorum, qoi in eiuſdem erant comitatu: ſiue denique *prouincialis*, eorum, qui prouinciarum præfectis apparebaut. Ad hanc inquam triplicem militiam aditus patebat mercatoribus, & negotiatoribus, niſi ſordido aliquo

opificio

opificio occuparentur, vt fabri, aliique omnes, qui in officinis, & ergaſteriis exercentur, aut qui merces venales quotidie quæſtus cauſâ proſtituunt, quales ſunt cociones, & κάπηλοι, de quibus *capit.* 1. diſputabimus. Audi enim Theodoſ. & Valentinian. *Cunctos qui diuerſarum rerum negotiationibus detinentur, trapezitas ſcilicet, vel gemmarum, argentique, veſtiúmve venditores, apothecarios etiam, cæteroſque inſtitores, aliarum mercium quibuſcumque ergaſterijs adhærentes, iubemus à prouincialibus officiis remoueri, vt omnis honor, atque militia à contagione huiuſmodi ſegregetur. leg.* 12. *C. de cohortalibus.* Hos apothecarios Cuiac. *lib.* 2. *obſeruat. cap.* 40. nomine ſtationariorum exprimi exiſtimat, *in leg. ne quis* 6. *C. de dignitat.* eſſeque eos, qui viliſſimarum mercium apothecas ſecum deferentes, certis in locis aliquandò conſiſtunt, emptorem operientes: Græci tamen tum in hoc loco, tum alibi τελῶναι legunt, ſuntque publicani. Alij verò de apparitoribus interpretantur, qui per vrbes, & prouincias certis locis diſpoſiti, magiſtratibus, quæ geruntur denuntiant, vt *in leg.* 1. *D. de offic.præf. vrb.* & alibi. Quidquid verò ſit de hac voce, omnes viles negotiatores, atque opifices ab omni militia etiam vrbana, & ciuili reiiciunt Imperatores, Conſtant. & Auguſtin. in proximè citata Conſtitutione: *Ne quis ex vltimis negotiatoribus, vel monetariis, omnique officiorum fæce, diuerſiſque paſtus turpibus lucris, aliqua frui dignitate pertentet: ſed & ſi quis meruerit, repellatur, repulſos autem etiam propriis reddi conſortiis oportebit.*

3 Vetantur nobiliores mercimonia, & negotia exercere, ne ſua excidant nobilitate, maximè in Gallia: qua de re nuper egimus cap. 1. artic. 4. rationem reddit Honorius & Theodoſ. *leg. nobiliores* 2. *C. de commerc. & mercator.* vt facilius ſit emendi, vendendique commercium, quod difficilius foret plebeio cum nobili; ideóque tribus hominum generibus prohibebatur, nobilioribus, magiſtratu fungentibus (vt ſtatim iterùm monebo) & ditioribus; id tamen deinde contrario vſu ſublatum fuit: nam apud Hermenop. *lib.* 2. *tit.* 5. §. 19. ὅτι πάντα ἐξὸν αὐτοῖς κομμερκεύειν, omnibus commercia exercendi poteſtas eſt.

4 Aliqui apud Straccham 3. *parte de mercatura,* prohibent palatinis à negotiatione, quia *leg. vltim. C. de reſcind. vendition.* prohibetur palatinis aliquid emere ex rebus priuatis Principis, quarum ſunt ſub comite adminiſtratores. Sed ex hoc caſu ſingulari malè colligunt negotiationem prohiberi palatinis, alioquin idem de omnibus tutoribus, quibus prohibitum eſt res pupilli citra auctionem publicam emere, dicendum foret: potiori verò iure reiiciendi ſunt, qui apud eundem Straccham, eandem inhibitionem ad omnes Conſiliarios Principum extendunt. Si enim ex antiquis palatinis ad hos Conſiliarios argumentum aliquod dicere liceat; illis prohibebitur vilis illa negotiatio, & deformia opificia, quibus aditus ad omnem militiam etiam vrbanam, ſiue palatinam, ſiue comitatenſem, ſiue prouincialem, occludebatur: vti iam diximus *num.* 2.

5 *Principalibus conſtitutionibus cauetur, ne hi, qui prouinciam regunt, quive circa eos ſunt, negotientur, mutuamve pecuniam dent, fœnúſve exerceant,* inquit Modeſtin. *in leg. principalibus* 33. *D. de reb. creditis.* Prouinciarum itaque Præſidibus, eorúmque adſeſſoribus, & domeſticis tria prohibebantur, nempe negotiatio, mutuum, & fœnus, ſiue πραγματεύεσθαι, δανείζειν, quod deinde de fœnore iterum ſanxiuit, quamuis ſæpiùs iam reſcriptum fuiſſe dicat Gordian. *in leg.* 5. *Cod. ſi certum petat.* Vbi eos qui officia adminiſtrant, neque per ſe, neque per ſuppoſitas perſonas tempore officij ſui in prouincia fœnus agitare poſſe ſæpiùs reſcriptum ait. Græci legunt ὁ ἄρχων ἢ ὁ φίλος ἐν ἐπαρχίᾳ πραττεῖν, vbi vides tum de præſidibus, tum de aliis officialibus ipſis ſubiectis loqui Gordian. vbi etiam agitari huiuſmodi fœnus per intermedias perſonas διὰ μέσων προσώπων prohibet: Officiales tamen præſidis ταξεῶται ſi perpetui forent, vti aliquandò erant (ex Nouell. 95. *capit.* 1. §. 1.) fœnebrem exercere poterant. Harum Conſtitutionum æquiſſima ratio erat, ne præſides, eorumque domeſtici, ac palatini, negotiationis prætextu prouincias expilarent. An verò eiuſmodi legibus noſtri quoque teneantur magiſtratus, pluribus diſputant conſulti iuris *in allatam leg. principalibus.* In Gallia nobis controuerſia eſſe nequit, cùm Regij Magiſtratus eius dignitatis ſint, quæ negotiatione vileſceret, & pleríque vel nobiles exiſtant, vel nobilitatem conferant, quæ cum negotiatione conſiſtere nequit, ex nobiliſſimi Imperij conſtantibus, ſanctiſſimiſque legibus, ac moribus: & non modò nobilibus, ſed & omnibus magiſtratibus, & officialibus regiis, etiam infimis quibuſque prohibetur negotiatio, Ioann. Regis *conſtitut. Artic.* 6. quam commentatus eſt Rebuff. quæ fuit etiam S. Ludouic. ann. 1268. & poſteriorum deinde Regum Caroli VI. anno 1402. articul. 67. Caroli VII. anno 1435. artic. 279. & ann. 1452. artic. 305. & altera eod. ann. artic. 220. Ludouic. XII. ann. 1508. artic. 42. Franciſc. I. ann. 1515. artic. 84. & ann. 1517. art. 39. & ann. 1535. art. 11. & ann. 1512. artic. 25. & ann. 1540. artic. 3. 28. dec. & alia eod. ann. 4. Aprilis. Henric. II. ann. 1557. artic. 1. vbi maximè agit de rei nummariæ Regiæ ſingulis officialibus, quos ne quidem indirectam ſocietatem cum aliquo patrio, aut externo negotiatore habere patitur. Immò Henric. III. ann. 1579. Bleſis, & ann. 1584. artic. 40. voluit hac lege comprehendi quoſcumque Regiarum erogationum adminiſtros, & penſionum ſiue caſtrenſium, ſiue aliarum quarumcumque curatores, aut quæſtores.

Quibus ſuarum rerum adminiſtratio prohibita eſt, negotiatio quoque ſimul prohibetur: quod ex vniuerſali noſtra propoſitione initio conſtabilita neceſſariò ſequitur. Eiuſmodi ſunt furioſi, dementes, frenetici, lunatici, minores & pupilli, obſeruat tamen Stracc. 3. *part. de mercat. num.* 26. minores in matricula, & albo mercatorum recenſitos, ſi in ſua negotiatione lædantur, non poſſe beneficio ætatis petere reſtitutionem in integrum: ſecùs verò ſi in illud album nondum relati fuerint, quia ex publica illa approbatione præſumitur ſufficiens induſtria & capacitas ad negotiandum. Vnde quærit Straccha *leg. c. num.* 29. An ſi minor approbatus mercator, & in eorum albo recenſitus inter contrahendum bona ſua immobilia pignori, & hypothecę ſubiiciat abſque Prętoris decreto, valeat huiuſmodi hypotheca; quia etiã qui beneficium, & veniam ætatis impetrarunt, nequeunt validè abſque auctoritate Prætoris ſupponere hypothecæ ſua immobilia *leg. omnes, & l. eos,* 6

qui, C. de his, qui ven. atatis imp. Aliunde cum negotiarores ſoleant ex recepto more ſuis contractibus, & inſtrumentis eiuſmodi hy pothecas ſaltem generales appouere, ille iam approbatus mercator, non niſi ex recepto mercatorum vſu contrahit; itaque omnioò exiſtimant alij, qui cum ipſo tanquam cum mercatore agunt, immò & ſoleor exprimere, ſe taoquam maiores obligare, quare id exiſtimat probabiliùs Straccha.

7 Filiusfamilias ex omnibus cauſis obligatur tanquam paterfamilias ex certo iure, *l. filiusfamilias. D. de action. & obligat.* quia ſi mutuò acceperit mercaturæ cauſâ, non iuuabitur exceptione S. C. Macedoniani: quod obſeruauimus *in opere de vſuris lib. 1. cap. 5.* an verò eiuſmodi filinsfamilias mercator capi poſſit, & in ſolidum conueniri, au lucrum, quod facit cum aliis frattibus communicari, dicetur alibi commodiùs.

8 Pœnæ loco poteſt aliquis à Iudice prohiberi à mercatura, & negotiatione, ad exercendas fraudes, calliditates, & ſtellionatus: quare *l. annonam 6. de extraordinar. criminib.* Dardanarij, qui *annonam adtemperant & vexant*, & vt loquitur Varro, *incendunt, & excandefaciunt:* Lamprid. *vaſtant:* Plin. & Martial. *flagellant*, & denique ſupprimunt, vt deinde cariùs vendant, variis pœnis mulctantur, atque ab ipſa etiam prohibentur negotiatione. Sunt verò Dardanarij, quos Pollux *ἀναπιπράσκοντας*, & *ἀναπωλοῦντας* nominat: Nazianz. in orat. funebri Magni Baſilij *σιτώνας, καὶ σιτοκαπήλους*, & in oratione ad patrem his nominibus adiicit *τηροῦντας τὰς τῶν καιρῶν δυσκολίας παντοπώλας* dicti ſunt ab inſigni Mago Dardano, eo quod eiuſmodi ſuppreſſiones annonæ etiam incantationibus fieri exiſtimarent Veteres, vide Turneb. *lib. 9. aduerſa, cap. 17.* Sed de hoc vitio aliàs: moneo tantùm Dardanarium eſſe Feſto, cociatorem & aribilatorem. Hoc igitur crimen puniebatur prohibitione negotiationis, quæ eadem pœna aliis quoque criminibus imponi poterat. Alij etiam in certis locis vetabantur negotiari, aut circa certam aliquam mercem: de quibus omnibus inferiùs. Moneo duntaxat, hos pantapolas, olim eiectos vrbe, demùm in ipſam reuocatos fuiſſe à Valētinian. *Nou. 5.* in qua videtur ſignificare, iſtos pātapolas, Græcos negotiatores fuiſſe, quod durum videtur Samueli Petito *commentar. in ll. Atticas, lib. 5. tit. 5.* quaſi Romæ ſoli Græci *παντοπωλεῖν* inſtituerint; quandoquidem Romæ erant corpora negotiatorum, ex variis prouinciis: itaque vult Valentiniani verbis mutari interpunctionem, ita vt dicat Auguſtus ſe ad quietem, & abundantiam vrbis Græcos conſulere, in quorum vrbibus erant pantapolæ, *Vt quieti eius, & abundantia conſulamus. Gracos itaque negotiatores, quos pantopolas dicunt, vlterius non patimur ſacra vrbis habitatione ſecludi.* Cum vulgata lectio punctum adhibeat poſt *conſulamùs*, addat deinde, *Gracos itaque negotiatores.* Quæ interpunctio facilior eſt, & accommodatior verbis, ac phraſi Valentiniani, *vrbis Roma in tantum nos cura non defecit, vt quieti eius. & abundantia modis omnibus conſulamus.* Eaque de cauſa Græcos negotiatores, & pantapolas, quorum maxima ſit in emendis, vendendiſque mercibus diligentia, *non patitur vlterius ſacra vrbis habitatione ſecludi.* Quæ verborum cohærentia natiua omninò eſt: non verò illa, quam inducit Petitus, *vrbis Roma in tantum nos cura non defecit, vt eius quieti, & abundantia modis omnibus conſulamus Gracos.* Quid hoc enim eſt, abundantiæ, & quieti vrbis modis omnibus conſulere Græcos? Neque quidquam facit, quod vix eredi poſſit, ſolos Græcos pantopolas fuiſſe Romæ: ſatis enim eſt ſi eiuſmodi homines primùm è Græcia Romam venerint; deinde ſi plerique eorum Græci eſſent, vnde & Græcum nomen retinerent, itáque nominarentur, quòd, vt ait Pollux *lib. 7. cap. 3.* omnia venderent, *ὡς πάντα, πωλοῦντες, παντοπῶλαι*: locus verò, ſiue forum, in quo vendebant *παντοπωλεῖον* nominabant, quamquam & iſti omnia vendentes *πάντα πιπράσκοντες* vocarentur vulgò, *πανδοκεῖς, καὶ πανδοκεύτριαι* cauponarij, & cauponariæ, locus eorum *πανδοκεῖον*, res ipſa *πανδοκεύειν, καὶ πανδοκία.*

Denique neque fœminis probiberi negotiationem, neque etiam ſeruis, ſi illorum domini negotiari poſſint, oſtendit Straccha *3. parte citata. num. 38.* res obuia eſt, neque longiori diſputatione indiget. 9

A R T I C V L V S I I.

An Clericis prohibeatur negotiatio.

Negotiatio merè lucratiua prohibita clericis, & quibus. num. 1.
Pœna clericorum negotiantium. 2.
Quale ſit peccatum clerici negotiantis. 3. 4.
An neceſſitas excuſet. 5.
Negotiatio non lucratiua licita eſt. 6.
Quanam opera licita clericis. 7. 8. 9.

NObiliſſimam controuerſiam dirimere, & doctorum diſſidia componere, diſtinctione ſæpiùs allata duplicis negotiationis, non erit operoſum.

Dicendũ igitur eſt primò, negotiationem lucratiuam, qua quidpiam emitur, vt nullatenùs mutatum cariùs deinde lucri faciendi cauſa vendatur, vetitam eſſe, tum clericis ſacro aliquo ordine initiatis, vel beneficiatis, tum religioſis: ita paſſim Theologi, *in 4. diſt. 15. & in 2. 2. quaſt. 77. art. 4.* cum S. Thom. *ibid.* Rebell. 2. *part. de inſtit. lib. 9. quaſt. vltim. ſect. 2.* Molin. *tract. 2. diſp. 342.* Sylueſt. & omnes Summiſtæ, *verb. clerici.* Canoniſtas, & alios peritos iuris dabunt Straccha 3. *part. de mercat.* De Graſſis *tract. de effectib. clericatus, effectu 6. num. 1.* Neque attinet Doctores ſingulos recenſere, vbi omnes in eandem prorſus ſententiam conſpirant: & ſanè manifeſta eſt in iure eiuſmodi prohibitio. Primus S. Sylueſter legem tulit, vt ſacrati homines à mercaturis, emptionibus, & venditionibus abſtinerent, teſte Metaphraſte. Deinde Gelaſ. 1. *epiſt. 9. ad Epiſcop. Lucania, cap. 17.* grauiter in negotiatores clericos commotus, illos *ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio, vel cupiditate ceſſare* iubet, *aut in quocumque gradu ſint poſiti, mox à clericalibus officiis abſtinere cogantur.* Hoc Gælaſ. decretum referunt PP. Aquiſgranenſis Concilij ſub Ludouico *capit. 93.* & in ſua compilatione Gratian. *capit. conſequens 88. diſt.* Alexander III. *in Concil. Lateran. part. 17. cap. 3.* interminato anathemate prohibet *ne monachi, vel clerici, cauſa lucri negotientur, & ne monachi à clericis, vel laicis firmas habeant*, id eſt ne prædia colenda redimant, quod aliquando 1

do à monachia factitatum conſtat ex Theodoro Studita *catecheſi* 9. Ait porrò Alexander, ſe id probibere *ſecundum inſtituta prædeceſſorum ſuorum*. Rationem ferè vnam afferunt Pontifices, quod nefas ſit, vt ait Paul. 2. *ad Timoth.* 2. *militantem Deo implicare ſe negotiis ſecularibus*: aut vt legit Cyprian. *Epiſt.* 66. *obligare ſe moleſtiis ſecularibus*. Et quod Chriſtus eiecerit e templo negotiatores, ne domum orationis facerent ſpeluncam latronum. Sanè cùm negotiatio dicta fuerit à negotio, quod monebamus *cap.* 1. quia illa maximè negotioſa eſt, illi minimè ſe obligare, aut implicare debebit, qui Deo militat. Adde periculum peccandi, cui obnoxiam eſſe negotiationem oſtendimus *cap.* 7. *art.* 3. cui periculo ſe obiicere non debet clericus. Quæ omnia vrgent vehementiùs PP. dum clericos negotiatores damnant, & à ſacris hominibus ſæcularium negotiorum implicamenta remouent, Paulin. *Epiſt.* 2. *ad Seuerin.* Cyprian. *Epiſt.* 66. Augoſt. *ſerm.* 19. *de verb. Dom. & in qq. veteris, ac noui Teſtamenti cap.* 127. Si tamen illarum author eſt Auguſtin. & non potiùs Hilarius Diaconus. Chryſoſtom. *ſerm. de militia ſpiris.* Ambroſ. *lib.* 2. *de officiis cap.* 21. vbi vocat *ſordida negotiationis aucupia*. Et *lib.* 3. *de virgin.* nequitias fori rerum venalium, & negotiationis in hanc rem explicat Epiphan. *hereſi vltima.* Hieronym. *Epiſt. ad Nepotian.* Gregor. *hom.* 17. *in Euang.* Philippus Abbas *lib. de dignitate clericor. cap.* 14. Petrus Bleſenſis *Epiſt.* 17. Et in religioſos quoque negotiatores Theodorus Studita *ſerm* 9. *catecheſi & ſerm.* 13. Petrus Cluniac. *lib.* 1. *Epiſt.* 20. *ad Giſelbartum*, aliique paſſim, qui omnes queruntur per negotiationem, ſimiliaque ſecularia negotia, animum qui Deo vni ratione ſtatus clericalis, & religioſi adhærere deberet, in multa diſtrahi, atque in eo ſementem bonarum, diuinarumque cogitationum veluti ſuffocari. Baſil. *in Pſal.* 45. *ad illa verba, vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Dextrum oculum erui, vti factum Iabeſitia à Naas Ammonita dixit Damian. *lib.* 6. *Epiſt.* 5. & *lib.* 2. *Epiſt.* 5. & *lib.* 5. *Epiſt.* 8. & alij.

2 Quare non modò negotiationē ſapientiſſimè clericis, & religioſis prohibet Eccleſia, ſed etiam qui ſecùs faxint grauiſſimis pœnis mulctat. Nam primò excommunicatur clericus negotiator *c.* 1. *ne clerici, vel monachi*, & *cap. conſequens, diſt.* 88. & *cap. pen.* 91. *diſt.* quas tamen pœnas non eſſe latæ ſententiæ, ſed faciendæ duntaxat, obſeruauit Molin. *diſp.* 342. *n.* 2. *tract.* 2. & ex ipſo cōtextu ſatis euidenter colligitur. Secundò clericus tertiò monitus ab Epiſcopo, vt à negotiatione deſiſtat, ſi nihilominùs in illa pergat, amittit priuilegium clericale. *cap. contingit* 45. *de ſentent. excommunic.* & *cap. fin. de vita, & honeſt. clericor. Clem.* 1. *eod. tit.* Hoc priuilegium, quo excidunt clerici negotiantes, interpretatur Molin. *diſp.* 342. *citata*, de priuilegio immunitatis à gabellis, & tributis, quæ ratione negotiationis debentur. Itáque etiam ſentiunt Rebell. *ſect.* 2. *nuper citata*, Suar. *tomo* 5. *in* 3. *par. diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 17. & alij cum Sala *de emption. dub.* 2. *n.* 4. Turrian. *de iuſtitia diſp.* 59. *dub.* 2. *n.* 6. Sanch. *lib.* 2. *conſil. cap.* 4. *dub.* 51. qui ſequuntur Gloſſam *in Clem.* 1. citatam. Et ſanè videtur fauere huic opinioni Pontifex, nam clericos ſordida quædam officia exercentes, atque negotiantes priuat priuilegio clericali, ſi ter moniti non deſiſtant, ſed cum aliqua moderatione: nam ſi ſint coniugati, prorsùs priuantur priuilegio clericali, ſiue ferant habitum, & tonſuram, ſiue non; itaque ſi quis illis violentas intulerit manus, non incurret Canonis cenſuram. Si verò non ſint coniugati exercentes talia officia, vel dimittunt habitum, quo caſu priuantur omninò priuilegio clericali, vel retinent habitum, & tunc ſolùm excidunt priuilegio clericali in rebus ſuis, hoc eſt, immunitate gabellarum minimè gaudent. Nauarr. tamen *cap.* 27. *num.* 80. Sylu. *verb. excommunic.* 6. *n.* 6. *in* 5. *dicto.* vbi allegat ſummam Piſanellæ Archidiacon. Hoſt. & alios, volunt hos clericos excidere beneficio Canonis, etiam quoad ſuas perſonas: alij relinquunt illis priuilegium Canonis, ſed non fori. Mihi probatur allata nuper diſtinctio, vt ſi iſti clerici dimiſſo habitu negotientur, neque ter moniti deſiſtant, amittant priuilegium clericale, etiam Canonis, ſed non fori, vti etiam diximus aliàs tractatu de cenſuris, *in ipſarum ſynopſi, verb. negotiatio*: docetque Theſaurus *in praxi pœnitent.* 2. *part. verb. negotiatio.* Si verò retineat habitum, perdat immunitatem quoad omnia bona ſua, & non ſolùm quoad ea, de quibus negotiatur: nam ad hoc poſtremum non requiritur monitio, vt deſiſtat à negotiatione, vti oſtendit Sanch. loco allato. Denique ſi clericus abſtineat à negotiatione & habitum reaſſumat, priuilegia, quibus exciderat, recuperabit, vti diſertè habet allata *Clement.* 1. *de vita, & honeſtat. clericorum.*

Quarta pœna clericorum negotiantium eſt, quod 3
non poſſint teſtamento diſponere de acquiſitis per negotiationem, & mercaturam: ſunt enim eo ipſo Cameræ Apoſtolicæ applicata, neque illis ſuffragatur poteſtas teſtandi à Pontifice facta, ex Conſtitutione Pij IV. & Pij V. de quibus Nauarr. *de ſpoliis* §. 8. *n.* 8. Redoan. *de ſpoliis q.* 2. *n.* 3. Axor. 3. *part. lib.* 8. *cap.* 2. *q.* 1. & Filluc. *tract.* 43. *cap.* 4. Poterunt tamen iſti clerici negotiantea de eiuſmodi diſponere donatione inter viuos, quod ex ipſis verbis Pij IV. ſibi colligere videntur Azor. & Filluc. qui iidem addunt, hæredes, & legatarios huiuſmodi lucrorum, teneri ea reſtituere Cameræ Apoſtolicæ ante omnem ſententiam, cùm verè acceperint quod erat Cameræ acquiſitum, & de quo teſtator diſponere nequibat; quod probabiliùs negat. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 147. *n.* 10. quia cum hæc applicatio bonorum ex negotiatione partorum fiat Cameræ Apoſtolicæ, in pœnam criminis à Clerico negotiante facti, ea pœna non obligat ante ſententiam, vti in aliis pœnis contingit. Ex quibus potiori iure reiicias eos, qui apud Carolum de Graſſis *de effectib. clericatus, effectu* 6. *n.* 16. contendebant, contractus à clerico negotiante, circa ſuam negotiationem initos, nullos eſſe, & inualidos; cùm nulla cauſa eius inualiditatis afferatur: neque enim ſola prohibitio inualidat actum.

Ex harum porrò pœnarum grauitate, criminis, 4
& culpæ grauitatem colligunt, damnantque P. M. paſſim doctores, quos dabit Diana 1. *par. tract. de contractib. reſolut.* 72. quibus adde Lugo *de iuſtit. diſp.* 26. *n.* 24. contra Caietan. *in ſum. verb. clericus.* & Eman. Rodriq. *in ſum. verſ. negotiatio, num.* 2. qui ſolam venialem culpam agnoſcunt, ſi abſit ſcandalum, & contemptus: neque aliunde id negotiationis genus turpe ſit. Verum olim tractatu de cenſuris docuimus fuſiùs, ſolam culpam mortalem eſſe materiam excommunicationis maioris, ſuſpenſionis, & depoſitionis, atque aliarum eiuſmodi pœnarum, quamuis ſint tantùm ferendæ ſententiæ, & non latæ, ac proinde non incurrantur ipſo facto; quod malè negabat Caietan. Fateor tamen cùm Leſſio *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 4. & Sala *dub.* 2. *citato num.* 4.

Turrian. *diſp.59. dub.2.num.*4. Filluc. *tract.35.c.1. q.*8. *n.*10. & Lugo, ac Dian. citatis,clericum, qui ſemel tantùm, aut iterum negotiabitur, non peccare mortaliter,quia ea materia cenſetur leuis. Neque quis ex vno, aut altero actu dici poterit negotiator, aut mercator, vel vacare negotiationibus, vti ex communi omnium conſenſu docet Straccha 1. *part. de mercat. n.*6. hoc tamen vnum probibet, & punit Pontifex.

4 Nomine porrò clericorum intelligo tum initiatos Sacris, tum beneficiatos, quia alij, cum ad ſæcularia redire poſſint, non prohibentur tractatione negotiorum ſæcularium. Itaque cenſent Molin. *tract.*2. *diſp.* 342. Silu. *verbo clericus* 3.*q.*3.Rebel. & alij laudati, ex quibus tamen aliqui damnant peccati venialis. Verum ſapienter Salas *dub.*2.*cit. num.*5. eximit omni culpa, quandoquidem nulla illis eſt facta prohibitio,nullam ipſi legem violant, vti facerent, ſi vel ordinibus ſacris initiati, vel aliquo beneficio aucti forent. Quod poſtremum addidi, quia vt ait Sà *verbo cleric. num.*2.cùm quid præcipitur, aut prohibetur clericis,eo nomine deſignantur tum ſacri homines, tum beneficiati: & ſane illi maximè clericatum, vt ita dicam,palàm,& publicè gerunt, & addicti maximè ſunt miniſteriis, atque officiis, quibus vacare debent. Quæ addictio, & opera impendenda ex ſuſcepto munere rebus ſacris, præcipua cauſa huius prohibitionis fuit, ne ſcilicet dum ſe implicant negotiis ſæculi, Deo militare non poſſint. Confirmat de Lugo *num.*26. quia ſpolia beneficiarij mortui capiuntur ex bonis eius,etiam per negotiationem prohibitam, & illicitam acquiſitis. Igitur ſupponunt illæ Apoſtolicæ Conſtitutiones, eiuſmodi beneficiariis vetitam fuiſſe negotiationem: ſi tamen tenue foret eiuſmodi beneficium,a grauiori culpa excuſat Leſſius, & Emanuël Rodriq. ſicut eiuſmodi clericum alij eximunt obligatione recitandi horas canonicas: verùm ea tunc excuſatio petetur à neceſſitate beneficiati, qui abſque negotiatione, ex neceſſitate eiuſmodi nequeat emergere. Quo tamen caſu exigit Leſſius,vt ea negotiatio neque publica, neque ſordida, & dignitati clericali aduerſaria exiſtat: ſed de eiuſmodi neceſſitate ſtatim.

Clericorum nomine complector etiam religioſos, quod omnes æque fatentur, immò illos eſſe grauiùs puniendos, quoties ſe eiuſmodi ſæcularibus immiſcent, affirmat Alexander III. *in Concilio Lateran.* & refertur *cap. ſed nec* 4. *ne clerici vel monachi*: & ſanè omnia, quæ aduerſus clericos afferri hoc loco poſſunt, validiora ſunt aduerſus religioſos, quorum ſtatus remotior eſſe debet ab iis, quæ mentem à diuinis, & ſacris exercitationibus auocare poſſunt. Nomine denique religioſorum, ipſorum laïcos, & conuerſos comprehendi monet Silu. *verb.clericus* 3.*q.*3.allegans Petrum de Palude, Reginald. *lib.*25.*num.*325. & alios: immò & ad nouitios Turrian. *dub.*2. *citato.num.*6. extendit, quod non ſatis probat de Lugo, quia in odioſis nouitij non comprehenduntur nomine religioſorum.

5 Ab hac porrò lege clericos,& religioſos eximit grauis neceſſitas: quod fatentur Nauarr. *cap.*25. *num.*110. Molin. *tract.*2.*diſp.*342.Salas *dub.*2. *cit. num.*7. Sà *verb. clericus,num.*23. de Graſſis *loco citato, num.*24. Redoan.*tract. de ſpoliis,q.*2.*n.*16.46. & 64. Straccha 1.*par.de mercat.n.*6. Silu.*verb.clericus* 3.*num.*1 & alij, traditurque *cap.*1.*ne clerici, vel monachi*, vbi gloſſa id diſertè habet. Eodem trahunt aliqui *cap.*19. *conc. Eliberitani*, quod videtur concedere Epiſcopis facultatem negotiandi intra ſuam prouinciam: ſed nihil eſt quod nos cogat hoc caput de vera, & propria iſta negotiatione interpretari.

Ratio porrò huius exceptionis manifeſta eſt, cum enim negotiatio lucratiua prohibeatur clericis ſolo iure Eccleſiaſtico, noluit Eccleſia in adeò graui neceſſitate hanc ſuam legem obligare: ſi enim abſque ſimili negotiatione, commodè ſeſe ſuſtentare nequibit clericus, cogetur aut mendicare,aut aliquod aliud officium vile ſuſcipere, quod æquè dedecebit ſtatum clericalem. Vitandum tamen erit,quantum fieri poterit,ſcandalum omne, & ne genus illud negotiationis ex ſeſe turpe ſit, aut vitioſum; abſit etiam omnis fraus, & ſimulatio; neque prætexatur neceſſitas, quæ reipſa non exiſtat. Vnde qui in extremas oras diſſeminandi Euangelij cauſa nauigant, neque ibi ſeſe ſuſtentare poſſunt, niſi perſonam gerant mercatorum, atque aliquod mercimonium exerceant; non erunt Rei violatæ huius Eccleſiaſticæ legis. Quod verius eſt in illis Euangelicis operariis, qui in Braſilia, aut in aliis extremis oris merces, quarum ibi copia eſt, vili pretio comparant, quas deinde in Europam mittunt, vt ex earum pretio habeant vnde in eiuſmodi diſſitis locis ſeſe ſuſtentent: hos enim omnis culpæ immunes iuremeritò pronunciat Molina *tract.*2.*diſp.*342.

Ad extremum moneo quæ hactenus aduerſus Clericos allata ſunt, intelligenda eſſe de negotiatione per ipſummet Clericum exercitata, non per alium quempiam, modò tamen iſte non negotietur nomine Clerici, & ſit tantùm eius miniſter; ſed reuerà ſit cauſa principalis, quamdis vel ex pecuniis Clerici negotietur, vel illum in partem lucri vocet: ita Sà *verb. Clericus n.*2. Medina *C.de reſtitution. quæſt.*30. Valent. 2.2. *diſp.*5. *q.*10. *punct.*5. Salas *dub.*2. *num.*8. qui alios dabit, ſicut & Dian. *tract.de contract.reſolut.*72. & fuſiùs de Lugo *diſp.* 26. *cit.num.*36.de Clericis,aut Religioſis,qui dant pecunias mercatori, ex quibus ſimul cum ſuis negotietur: contra Gutierr. *de gabellis q.*93.*num.*30. qui & alios affert. Ratio eſt, quia eiuſmodi negotiatio caret omnibus vitiis, & indecentia,aliiſque defectibus, quos in Sacris hominibus cauere voluit Eccleſia ſua lege,quæ tantùm prohibet negotiationem Clericis,quam reuerà tunc ipſi non exercent, ſed exercere faciunt, quamuis materiam vnde exerceatur ſuppeditent.

6 Dicendû ſecundò eſt,aliam omnem negotiationem præter lucratiuam hactenus explicatam, licitam eſſe Sacris perſonis, ſicut & lucrum ex propriis operibus collectû, niſi ratione materiæ, aliarumve circumſtantiarum, aliqua eiuſmodi negotiatio, vel ars turpis, aut ſordida exiſtat. Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperiori, quæ ſolam negotiationem lucratiuam, in qua aliquid emitur, vt deinde non mutatum cariùs vendatur, cuiuſmodi non eſt illa, de qua loquimur, prohibet. Itáque docent periti iuris apud Stracch. 3. *par. de mercat. num.*5. Roderic. *tom.*3. *qq. regular. quæſt.*74. *art.*8. *concl.*1. & alij paſſim, quos in ſingularibus caſibus ſtatim afferemus. Et ſanè quod dixi de lucro ex aliquibus artis operibus captando,permittitur à Conc.Carthagin.IV.ex eius enim capite 51.& ſequentib. conflauit Gratian. *cap.*3. & 4. *diſt.*91. Ratio eſt, quia eiuſmodi negotiatio neque magnam diſtractionem ſpiritus, neque indecentiam continet, propter quam iure naturali, vel iure Eccleſiaſtico prohibeatur ſacris hominibus: nam vbi aliqua eiuſmodi

modi indecentia, aut magna euagatio reperiretur, ab illa abſtinere deberent.

7 Poterunt igitur primò Clerici, & Religioſi omnia opera, & artes exercere, quæ cum negotiatione coniunctæ non ſunt, quia non ſuſcipiuntur vt vendantur, & ex illis quæſtus fiat, ſed vt vel ſuæ neceſſitati conſulant, vel vt otium vitent. Sic Ciſtercienſes ſuos ipſi agros colebant, metebantque, non vt quæſtum per earum frugum mercimonia colligerent, ſed vt ex iis quæ ſuperfuiſſent, tenuiorum paupertatem ſubleuarent. Qua de cauſa ipſos commendat Stephan. Tornacenſis *ep.* 1. quanquam in eiuſmodi operibus videndum erit, ne nimio labore tum ſpiritus ſuffocetur, tum corpus opprimatur, quæ ſine dubio fuerit ratio, propter quam Petrus Cluniac. *epiſt. ad Sanctum Bernard. qua eſt* 28. *lib.* 1. *epiſt. S. Bernard.* damnat hoc opus agriculturæ in Ciſtercienſibus, & ſolum horti, olerumque culturam Monachis aſſignarit: agrorum verò ad ſeruos ablegarit S. Iſidor. *cap.* 5. quam tamen S. Baſil. *q.* 38. *fuſ. diſputat.* ſeciuſa nimia ſollicitudine, & labore, vti iam monuimus, approbauit. Et ſanè laborem, ſiue opus manuum ad vitandum otium, vetus Monachorum diſciplina perpetuò commendauit Hieron. *epiſtol. ad Ruſtic. de monachi inſtitut.* & refertur *cap. nunquam* 33. *de conſecrat. diſt.* 5. Caſſian. *lib.* 10. *c.* 24. vbi de Paulo Monacho Baſil. *in regul. fuſius quæſt.* 37. Benedict. *cap.* 39. aliàs 48. *regula*, & ibidē commentator à Turrecremata *tract.* 113. Auguſt. vel ſi quis alius author *ſerm.* 17. *ad fratres in Eremo.* atque alij paſſim. Vitandus tamen eſt error tum Vvicleffi damnantis Monachos ad laborem manualem, vt ex eo, & non mendicato viuerent: tum Meſſalianorum, qui negabant hæc opera licita eſſe Monachis. Vvicleffum impugnat Valden. *lib.* 4. *doctrin. fid. cap.* 3. *&* 4. & damnat Conc. Conſtant. *ſeſſ.* 8. vnde Alphonſ. Acaſt. *aduerſus hæreſes, verb. mendicitas*: Meſſalianos confutat Auguſt. *lib. de hæreſib. hæreſi.* 57. *& lib. de opere Monachor.*

8 Secundò poſſunt Clerici, & Monachi licitè opificia ſua vendere, exque ſuo labore, & opere negotiari, vt inde victum ſibi parent, aut aliis ſubueniant: quod Concil. Moguntin. I. Leone III. Pontifice celebratum, imperante Carolo, permittit, affertque & exemplum Apoſtolorum, & regulā S. Benedicti, qui præcipit, vt videant Præpoſiti, per quorū manus negotium Monaſterij geritur, ne quid in fraudes fiat, hoc eſt, vt habetur *cap.* 57. vbi aliquid ex operibus artificum venundandum erit, videant quibus ea cura mandabitur, ne qua fraus committatur. Quoad Apoſtolorum exemplum, habemus Paulum ſuis manibus laborantem, cū eſſet artis ſcenofactoriæ *Actor.* 18. Deinde nuper afferebamus *cap.* 3. *&* 4. *diſt.* 91. vbi conceditur Clericis ex artificioſo viuere, idque paſſim vſurpatum ab antiquis monachis, videre eſt in Palladio *c.* 39. *Lauſiac.* de Aphtonij monachis. Caſſian. *collat.* 18. *cap.* 7. de Palæmone, & *lib.* 5. *de inſtit. c.* 38. de Archebio, qui ſuo labore centum ſolidos, quos mater debebat, diſſoluit: de S. Vitale Abbate, Arſenio, Hilarione, & aliis, eorum acta teſtantur. Idque probant Baſil. *in regul. fuſior.* 37. *quæſt.* 2. *& in breuio* 285. Aug. *de opere monachor. cap* 22. *&* 25. qui, aliique hanc negotiationem ex artefactis probarunt; & qui damnaſſe videntur, vt Damian. *lib.* 6. *ep.* 11. & Caſſian. *lib.* 7. *c.* 10. non niſi ſingulares abuſus quorundam, qui hæc modica, & licita aliunde lucra vertebant in cladem pietatis, reprehendunt. Quare hanc noſtram ſententiam, de negotiatione ex variis artibus licita clericis, & religioſis, communem eſſe tradit Nauarr. *cap.* 27. *n.* 128. & pluribus adductis oſtendit Gutierr. *de gabell. q.* 93. *n.* 47.

9 Videndum nihilominùs eſt, ne hæc opificia, & negotiatio ,, quæ ex rllis fit, ſordida exiſtat, ſtatum clericalem dedecens, & nimium diſtrahat ab cultura ſpiritus, & denique ne obnoxia ſit peccandi periculis, fraudibus, atque cupiditati: & vt ait Hieron. *quaſi ars ſit ſancta, non vita, quidquid vendiderint, carioris eſt pretij*: ex quibus etiam facilè fama ordinis minuatur, aut omninò vileſcat. Quæ omnia ſapienter monet Baſil. *cap.* 6. *monaſtic. conſtitut. & in regul. fuſ. diſput.* 38. qua de cauſa viri aliqui ſancti, omnem hanc negotiationem quamuis alioquin licitam, ſuis prohibuerunt: quod de S. Martino teſtatur Sulpit. *in eius vita, cap.* 7. Non poſſunt igitur exercere clerici artem, ex qua ſequatur officij diuini neglectus; neque locare ſuas operas, vt ſint famuli aliorum in rebus ſæcularibus: nam ſi eorum opera præcipua eſſet in diuinis, nihil prohiberet quominùs illam alteri commodarent. Ars macellariorum, carnificum, tabernariorum, & cauponum, mundandi cloacas, præparandi coria, & pelles, non decent, ſicut nec locare operas ad fodiēda aliena prædia, aut fabrilia exercere: quia hæ omnes artes ſunt ſordidæ, & viles, & in depretiationem ſacri ſtatus veniunt. Ita omnes *in Clem.* 1. *de vita, & honeſtat. cleric.* An verò per ſuos famulos, eiuſmodi viles artes exercere queant, diſſident DD. Poſſunt illi quidem Locare ſuas domos ad eiuſmodi opificia, non tamen ita famulis ſuis exercenda tradere, vt ipſimet habeantur authores eiuſmodi operum, dicanturque tabernarij, aut caupones; quia tunc tota ratio, propter quam hæ ſordidæ artes prohibentur, clericis manet. Prohibentur etiam eſſe redemptores aliorum prædiorum *cap.* 1. *&* 3. 21. *q.* 3. quamuis neceſſitate vrgente id illis permittant Molina, & Salas. Vetantur ambulare in nundinis tanquam mercatores, aut etiam proxenetæ *cap. clericus*, 91. *diſt.* fucos, & pigmenta, quibus ſe fœminæ pingunt, confici, aut vendi à clericis damnat Ancharan. *in rubric. ne clerici, vel monachi, n.* 3. Moniales quoque non debent ea opificia, quæ vel ad vſus merè profanos deſeruiunt, vel cum damno, aut ſcandalo laïcorum ſuſcipiuntur, perficere, indeque, vel fugere otium, vel quæſtum captare. Quænam verò illa ſint in ſingulari, ſapientis Prælati fuerit expenſis variis circunſtantiis definire, & tum ſpiritus religioſi conſeruationem, tum exteriorum offenſionem, aliaque eiuſmodi attendere.

Primò poſſunt emere animo vendendi ſine lucro aliis, vt amicis. Secundò fructus ex ſuis agris, quos ipſimet colunt, aut per ſuos famulos, vendere cum lucro. Tertiò emere animalia, & greges, quos ſuis paſcuis ſaginent, indeque cariùs vendant, quia hoc eſt ſuorum paſcuorum fructus vendere. Quartò poſſunt lac, lanam, fœtuſque ſuorum gregum vendere, non tamen conducere greges alienos, vt fructus eorum vendant, ſicut neque alienos agros, aut ſyluas, vt inde lucrentur, vendendo; quia iam diximus, eiuſmodi redemptiones eſſe illis prohibitas, licet in illis nun ſit propria negotiatio. Quintò poſſunt ex propria ferri minera per operas conductas ferrum emere, vendere, & ad id mineram ſibi emere, ſiue vnà cum prædio, in quo eſt, ſiue ſolam. Sextò fructus proprij agri cariùs vendere, ad comparandum alios, viliori pretio licet: quæ, & alia eiuſmodi Molina, Leſ-

ſius,

ſius, & de Lugo proſequuntur. Septimò licet plura, quàm neceſſaria ſint ad domus ſuſtentationem emere, & deinde ſi opus videatur, illa ſuperflua vendere. Octauò poterit Lugduni emere merces, quas mitti curet Romam, vt ex earum diſtractione comparet pecuniam, quia indiget ibidem, & quam nequit Romam Lugduno ſine magna iactura tranſmittere, propter diuerſitatem valoris, & cambiorum detrimenta: neque opus eſt diſtinctione quam adhibet de Lugo *num.* 33. quia tunc iſte intendit tantùm ſe indemnem ſeruare. Alia vide apud Authores.

ARTICVLVS III.

De Mercatoribus.

Vnde dicatur mercator, & quid ſit. num. 1. 2. 5.
An omnis negotiator ſit mercator. 3. 4.
Quanta debeat eſſe mercatorum fides. 6.

1 MErcatorem alij à mercando, alij à merce veriùs denominant. Definit Cuiac. *in parat. C. de comm. & mercat.* Eum qui tabernam, aut negotiationem exercet, plerumque per inſtitores amplam, & copioſam, non emens, aut vendens per cotulas, vel lagenas, vel amphoras, ſed quaſi auerſione mercium magnam copiam: quod voluit Horat. illo verſu, *non ſatis eſt cara piſces auertere menſa*, vbi gloſſæ veteres interpretantur *auertere*, emere: nempe non ſingulatim & ordine plura emere, ſed vniuerſa ſimul vno pretio, quod fiebat in auctionibus, habemuſque eiuſmodi venditionis per auerſionem, plurima veſtigia apud veteres Iuriſconſultos, vt vini per auerſionem venditi Vlpian. *l.* 4. §. 1. *D. de peric. & comm.* & *in l.* 1. §. 1. *C. eod.* & Modeſtin. *l.* 62. §. 2. *D. de contrah. empt. res in auerſione empta, ſi non dolo venditoris factum ſit, ad periculum emptoris pertinebit.* Meminit & *Vlpian. l.* 1. §. 15 *D. de exercit. action.* conductionis nauis per auerſionem, quod aliàs monuimus *cap.* 8. *art.* 7. *lib.* 3. *operis de vſuris*, id eſt non in certam partem, vt certum onerum numerum imponeret, ſed vniuersè: quod aperte ſignificat Paul. *in l. vlt. §. fin. D. de leg. Rhodia. Si conduxiſti nauim amphorarum duo millium, & ibi amphoras portaſti, pro duobus millibus amphorarum pretium debes.* Paulus. *Imò ſi auerſione nauis conducta eſt, pro duobus millibus debetur merces: ſi pro numero impoſitarum amphorarum merces conſtituta eſt, contra ſe habet, nam pro tot amphoris pretium debes, quot portaſti.* Vbi vides Paul. opponere conductionem nauis *per auerſionem*, conductioni ad certum numerum onerum. Simili ratione locatio operis per *auerſionem*, & locatio per certas menſuras, opponuntur *l.* 36. *D. locati. Opus quod auerſione locatum eſt, donec adprobetur, conductoris periculo eſt: quod verò ita conductum ſit, vt in pedes, menſuraſque præſtetur, eatenus conductoris periculo eſt, quatenus admenſum non ſit.* Auctione igitur vendere, eſt quod Græci dicunt ἐν ὁμάδι in vniuerſo, κύβῳ alea. Valentin. *in Nou. de relevatis poſſeſſionibus in aggere.* Plutarch. in *Iſocrate* ἀθρόα τὰ ὤνια πιπράσκειν, cui opponitur κοτύζειν & πωμαχίζειν. Denique quaſi auerſo vultu τῷ προσώπῳ διαστρεφόντων, quod ſcilicet quaſi auerſi negotium contrahamus, re omni neque perſpecta, neque bene explorata: cum enim ſingulis rebus ſingillatim pretium ſtatuitur, aut res in ſuas partes, veluti diſſecatur, vt fundus in ſua iugera, aut pedes, res empta non confusè perſpicitur, ſed diligenter exploratur. Mercatores igitur dici, eos, qui per auerſionem vendunt, aut emunt, probat Cuiac. *ex l.* 4. *item ſi quis ſolitus*: vbi Sabinus videtur diſtingere mercatores ab his, qui cellam vini, & olei vendunt, ſcilicet minutatim. Budæ. *in annotat. ad Tit. de offic. Quæſt.* vocat ſolidarios negotiatores, quia vt interpretatur Rebuff. *tract. de mercat. num.* 19. *ſolidas, & integras merces vendunt.* Ex quibus omnibus vides mercatores diſtingui à καπήλοι, vti pluribus *cap.* 1. *artic.* 2. diſſeruimus. Verum illud diſcrimen modò non attendimus, accipimuſque mercatores pro iis, qui in mercibus negotiantur quæſtus causâ, illis permutandis, emẽdis, vendendis, importandis, exportandiſque; quod verò per auerſionem, aut minutatim vendant, videtur eſſe diſcrimen valdè materiale, & quod ad hanc tractationem vix quidpiam conferat. Volo duntaxat hoc loco, mercatorem eſſe illum, qui totæ negotiationi mercium præeſt, vel cuius nomine ea exercetur, ſiue qui eſt cauſa principalis negotiationis, cùm reliqui qui operas ſuas in eam conferunt, ſint cauſæ duntaxat adiuuantes, & miniſtrantes. Neque enim neceſſe eſt, vt ipſemet negotiator emat, aut vendat; ſufficit ſi inſtitorum, aut ſeruorum opera, qui eius nomine agant, vtatur, ipſeque rationes repetat, & expendat, vti tradit Alciat. *in l. mercis, D. de verb. ſignific.*

Non cenſetur porrò mercator, qui ſemel, aut 2
iterum duntaxat hanc mercium negotiationem exercuerit, vti pluribus relatis docuit Straccha *part.* 1. *de mercat. n.* 6. eo quod ex Bart. nomina verbalia alicuius officij ſignificatiua, quod quis ſua authoritate, & arbitrio ſumit, non cõmunicantur, ſiue vti loquuntur, verificentur vnico actu: neque ſanè quis hoſpitem ex ſtatu, & conditione ſiue munere dixerit eum, qui alium ſuæ domi aliquoties excepit. Ita neque mercatorem nominabimus, qui merces aliquot emit, vendiditque quæſtus causâ, quod tamen ita intelligendum monet *ibid.* Straccha *num.* 9. vt ille hanc negotiationem non profiteatur, aut in mercatorum album nondum relatus ſit, alioquin vnico actu mercatoris nomen acquireret, quia nomina à profeſſione dicta, profitendo acquiruntur: nomina verò ab vſu, & conſuetudine, ſine actuum generalitate data, nõ acquiruntur vnico actu, ſed vſu longiori, & exercitatione. Eſſe verò alicubi matriculam mercatorum, in quam referri debeant, qui illud officium exercere volunt, certum eſt: in Gallia tamen non eſſe illius vllum vſum monet Rebuff. *tract. de mercat. gloſſ.* 1. *n.* 4. vbi verò fuerit huiuſmodi matricula, vt quis in ipſa ſcribatur, oportebit tunc iuramentum præſtare. De quo vide Alciat. *tract. de præſumption. regul.* 3. Hæc tamen omnia non ſufficient, vt quis fruatur priuilegiis mercatorum, niſi reipſa mercaturam exerceat: quia aliquam artem non exercentes, artis priuilegiis non gaudent. Qua de cauſa Anaſtaſius Imperator conſtituit ſcriniarios magiſtrorum militiæ, licèt horum nomina in matriculis militaribus referri videantur, non frui iure militari in conficiendo teſtamento, *leg. ſcriniarios* 6. *C. de teſtam. milit.* nempe quia ſola matricula non facit militem: ideò qui militum effectu carent, & munere non funguntur, carent & priuilegio. Et *lib.* 2. *feud. tit.* 22. miles qui monachus fuerat effectus, amittit feudum militare, quod habebat,

Digitized by Google

bebat, quia *beneficium non pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.* Officium porrò illud feudale erat militare, & bellicum, quod monacho non competebat; ideóque feudum illius militis ad agnatum redire iudicatum fuit: in quo tamen Hotman. *in comm. vitium feudiſticum agnoſcit, vt qui feudum non habeat, qui ſeruire feudum non poteſt.* ex *lib. 2. tit. 36. & tit. 30.* cùm tamen multis locis mulieribus, & impuberibus feudi ius concedatur. Verum quidquid ſit de feudo retinendo ab eo, *qui illud ſeruire non poteſt*, de quo aliquid diximus *in Opere de Vſuris lib. 3.* Rebeff. *tractat. de mercator. gloſſa. 1. n. 5.* refert decretum Curiæ an. 1521. die 7. Ianuar. quo aduocatus excidit *litteris de cõmiſſimis*, quas impetrauerat, quia nõ exercebat amplius aduocationẽ. Conſtat itaq; priuilegia artis nõ concedi non exercentibus illam artem; ac proinde mercatorem, qui non exercet mercaturam, quam tamen profiteri ſe dicit, ideóque in matricula mercatorum ſcriptus eſt, non frui immunitatibus eiuſmodi muneri conceſſis, niſi tamen contraria foret gentis conſuetudo, quæ paſſim haberet pro mercatoribus, eos, qui in matricula cenſiti eſſent, ſiue in mercaturæ exercitatione pergerent, ſiue non: ſtandum enim eſſet illi conſuetudini, atque ſecundùm eam interpretari legem municipalem, & Statutum, quod de mercatore loqueretur: quod pluribus oſtendit Stracchа *5. part. à n. 13.* monetque *n. 15.* in quæſtione forenſi probandum eſſe, illum loquendi vſum conſuetum fuiſſe, quo tempore lex municipalis condita fuit: idem etiam dico cùm quis mercaturam exercere deſinit, etiamſi nomen eius in matricula detineatur. Vide Straccham. *7. parte.*

3 Dixi porrò mercatorem illum eſſe, qui mercium negotiationi incumbit, & præeſt: quid verò mercis nomine ſignificetur, fuſius explicabimus *cap. 4.* dum de materia negotiationis diſputabimus; ex quibus colliges, omnes illos, qui in alia quapiam re negotiantur, quàm in mercibus, non eſſe propriè mercatores, licet aliquando per abuſum ita vocentur, vti eo loco monebimus, conſtituta vera, & propria naturâ mercis. Simili ratione monebamus *cap. 1. art. 5.* artifices, licèt ſua opera vendant, quæ ex materia à ſe empta elaborarunt, non eſſe propriè negotiatores, & nihilominus dicentur mercatores, quamuis opus artefactum merx fortaſſis nominari nequeat; quia in illa negotiatione ipſi magis attendunt ſuam induſtriam, quàm mercem, ex qua priùs empta ſuum illud opus elaborarunt: & ſanè in communi hominum vſu, nequaquam artifices appellantur mercatores, quamuis qui illa artefacta ſolent emere, & deinde diſtrahere, & negotiatores, & mercatores omninò vocentur. Ex eadem mercis appellatione definiemus, an vſurarij, & fœneratores, mercatores dici queant, quamuis iniqui, & iniuſti: nam ſi pecunia merx ſit, quod diſputabimus *cap. 4. & 5.* fœneratores erunt mercatores, iniuſti quidem, vti iam monui; quia vendunt pecuniam maiori pretio quàm valeat. Quod idem dicendum de vſurariis, qui in venditione propriæ, & veræ mercis mutuum aliquod implicant, ratione cuius pretium augent, vti facilè contingit in dilatione ſolutionis, & dum creditò merces venduntur: qua de re *lib. ſequenti* diſputabimus. Si tamen quæramus, an iſti vſurarij, & fœneratores, mercatorum immunitatibus, & priuilegiis gaudeant; atque adeò in Statutis, & legibus municipalibus, mercatorum nomine intelligantur; exiſtimo neque vſurarios, neque fœneratores, immò neque locatores equorum, neque prædiorum conductores, & colonos, neque alios redemptores comprehendi. De quibus omnibus diſputat *illa part. 1. de mercat. num. 38. & 48.* Straccha.

Difficilius fortaſſis fuerit definire, an campſores, mercatores dici valeant: qua de re Straccha *1. part. n. 67.* & Raphaël à Turri, *de camb. diſp. 2. q. 17. n. 25.* qui id negant. Et quidem apud veteres, argentarij, de quibus latè diximus *in Opere de vſuris lib. 4. cap... art...* non erant propriè mercatores; quia argentariorum munus publicam cauſam habebat. *l. argentarius 10. D. de edendo:* & qui argentariorum fidei credebat, ſequutus fidem publicam dicebatur. *l. ſi ventri 24. §. in bonis, D. de reb. auctoritate iudicis*, &c. vti loco citato diximus. Atqui mercatores publicam cauſam non habebant, neque ad mercaturam exercendam fuit opus auctoritate publica, ſicut ad argentariam: quod eo loco notauimus. Deinde negotiatoribus quæcumque militia prohibebatur, non verò argentariis. *l. vnic. C. negotiat. ne milit.* Quare ſi campſores noſtri iidem ſunt cum antiquis argentariis, (quod aliàs diſputatum fuit) non erunt mercatores: nam pluribus in locis opus eſt auctoritate publica, ad exercendam campſoriam, ſiue habendam menſam, & bancam, à qua bancarij nominantur; vt de Hetruria refert Raphaël *q. citat. num. 38.* de Francia Guido Papæ *q. 87. ſub fin.* de Hiſpania Couarr. *in collation. veterum numiſmatum cap. 7. n. 4.* Sanè ſunt aliqua banca publica, vt Genuæ S. Georgij, Romæ S. Spiritus, Neapoli Sanctiſſimæ Annunciatæ, & alia alibi. Alia ferè ſunt alibi banca priuata, quæ ex Principum quidem permiſſione, & auctoritate ad priuatam vtilitatem, à priuatis quoque inſtituuntur; atque hi bancarij ferè campſores noſtri ſunt, aut cambialium (vt ita dicam) pecuniarum depoſitarij, vti diximus *Opere de vſuris lib. 5. c. 1. de cambiis, & art. 13.* Sed leuis admodũ mihi videtur iſta quæſtio de diſcrimine inter campſores, & mercatores, cùm ferè omnes campſores, ſimul mercatores, ſiue negotiatores ſint: inde enim fit, vt cùm commercia in diſſitis etiam locis exerceant, ibidem etiam cambia valeant agitare: quia tamen pecunia non ſemper ſumitur in eiuſmodi cambiis, loco mercis, non dici ſolent mercatores. 4

Verùm ad doctrinam, quam tradimus hoc loco, leuioris momenti ſunt hæ omnes controuerſiæ, quæ diutiùs nos morari non debent; ſicut neque illa, An vt quis dicatur mercator, & priuilegiis mercatorum gaudeat, maiorem ſuarum facultatum partem in mercimoniis, & negotiationibus habeat: & Vtrum iuuenes, qui mercatori miniſtrant, & negotiationis intereà rudimentum ponunt, cenſeantur & ipſi mercatores. Quæ omnia diſputat Straccha, non magno ſanè compendio in rem noſtram; nam quoad immunitates, & priuilegia conſulendus erit vſus regionis, quæ ſuis legibus illa ſtatuit, atque ex eo communi vſu ſtatuta municipalia interpretanda erunt: quod ab initio monui. 5

In mercatoribus requiri diligentiam, fidem, & æquitatẽ nemo eſt, qui ambigat: & quidẽ quoad fidẽ, ita voluerũt Athenienſes, ſine dolo malo negotiatores agere, vt tulerint legem, quæ vetabat in foro mentiri *κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν* in foro ne mentiantur, & maximè in venalibus *ἐν ὠνίοις.* Hanc legem laudat Hyperides apud Harpocration. & Demoſthen. *in Leptinea.* Quare Agoranomi, ad quos rerum venalium pertinebat cura, videbant 6

vt

vt eiuſmodi lex ſeruaretur, ne videlicet ſiue venditores, ſiue emptores cuiquam quidquam imponerent, aut fraudem facerent, ſiue in ipſis rebus venalibus, ſiue in falſis comminiſcendis: nam aliquando contingebat *σιτώνας*, ſiue frumentorum comparandorum curatores, vt annonam impunitiùs flagellarent, falſa quædam comminiſci, & in vulgus ſpargere. Voluerunt igitur Athenienſes, ne qua falſitas eſſet in commerciis: quare re nondum emptori tradita, ſed arra tantùm à venditore accepta, ſi venditor à contractu recedere vellet, competebat emptori aduerſus illum actio *βεβαιώσεως*, inde abiit in prouerbium Fides Attica *Ἀττικὴ πίστις*, quamquam vix tradebant res venales ſine præſenti pecunia. Vnde Plautus in Aſinar. *Græca mercari fide*. & Theophraſtus *in charactere ἀνελευθερίας*. *Poſtremò iis, qui cùm ab ipſo aliquid ſumpſerint, dicunt illi, refer in rationes: immò (inquit) depone: non enim vacat mittere flagitatum.*

ARTICVLVS IV.

De Proxenetis.

Quid ſit proxeneta, vel pararius. n. 1.
Ad quid teneatur. 2.
De eius Stipendio. 3. 4.

1 Προξενητὴς, ſiue vti nominat Seneca *lib. 2. de benefic.* pararius, ille eſt, qui in verſuris, atque vſuris, cæteriſque negotiis contrahendis conciliatorem, interpretem, & internuntium agit, ſiue facienda ſint nomina (vt habet eo loco Senec.) ſiue contrahendæ nuptiæ, ſiue amicitiæ, ſiue emendæ, vendendæq; merces, ſiue quidpiã aliud inter duos gerendum. Sunt itaque proxenetæ conciliatores, & interuentores, quaſique conglutinatores hominum inter ſeſe ſtipulantium, & ſpondentium, aut quemuis contractum, conuentumque ineuntium, inquit Budæ. *in comm. græc.* *ἀπὸ τοῦ προξενεῖν*. Erant & in oppidis Græcię *πρόξενοι*, quibus incumbebat hoſpitio publico excipere Senatores, Magiſtratus, Legatos, alioſque, quibus ius ſocietatis cum ciuitate interceſſerat: de quo publico hoſpitio plura Budæ. annotat *in Pandect. de captiuit. & poſtlimin. reuerſ.* illudque munus *προξενία* nominabatur, ſicut & priuatum hoſpitium *ἰδιωτεία*, quamquam & prior illa vox deinde ad priuatam quoque amicitiam, & ius, ac neceſſitudinem hoſpitij quamcumque deriuata eſt, & *πρόξενος* vſurpatur de priuato quoque hoſpite, & conciliatore. Vnde Gregor. dixit *μυστήριον λαμπρότητος πρόξενον* ſplendoris, & dignitatis conciliatiuum: & Chryſoſtom. *σωτηρίας καὶ ζωῆς αἰωνίου πρόξενος, ἡ προσευχὴ* oratio ſalutis, & æternæ vitæ conciliatrix. Dæmones quoque, qui nos ad malum impellunt, nominantur à Nazianzeno *πρόξενοι ἡμῖν κακίας*: Dionyſ. *capit. 13. cæleſt. hierarch. ſub fin.* vocat Angelos, diuini verbi interpretes, & conciliatores *προξενοῦντας*, & ideò S. Maxim. *in ſchol.* colligit Angelos eſſe pro nobis velut legatos *οἱ ὑπὲρ ἡμῶν πρεσβεύοντες*, quia verbum à Deo nobis datum *προξενοῦσι* interpretantur: & Pachimer. ait *in paraphraſ.* Deum quidem dare verbum euangelizantibus virtute multa, ſed conciliantibus tamen, & intercedentibus diuinis Angelis *προξενούντων καὶ μεσιτευόντων τῶν θείων Ἀγγέλων*, quia per illos omnis illuſtratio ad nos traducitur *δι' ὧν πᾶσα ἔλλαμψις εἰς ἡμᾶς διαπορθμεύεται*. Verum quamuis cuiuſlibet negotij conciliatores *πρόξενοι* dicantur, qui contractus, & negotia in commerciis conciliant, & veluti ſequeſtri ſunt, proxenetæ præcipuè nominati ſunt, & maximè circa pecuniarum verſuras: quare Demoſten. qui ſe omnium Heracleſium negotiorum proxenetam dicebat, quærit à Trapeſitana, ſibi rationes ſuæ menſæ exhibeat, vt ſciat quantum pecuniarum apud illum depoſitarum habeat: & alibi opponit pignori cœnicularias ædes, ſedecim minarum nomine, quas ipſi Pambotades ſuppeditauit, iſto interprete verſuræ faciendæ; ita vt pecunia illa pareret ſingulis menſibus octonos obolos fœnoris, hoc eſt drachmam, & trientẽ drachmæ in minam. Vides igitur noſtros collocandæ pecuniæ in foro, & cambio proxenetas, à Demoſthene deſcribi; quos iam olim in hoc foro Lugdunenſi & in pleriſque aliis vocant *Courretiers*, quod circumque ad concilianda negotia, & corrogandam pecuniam curſitent. Apud Polluc. *lib. 7. cap. 2.* *πρόξενος προπράτης* ex Dinarcho, & Iſæa. Ibidem verò Ariſtiphanes, vel vt alij legi volunt, Ariſtoteles vocat eundem *προπώλην*, & Plato *προπωλοῦντα* anteuenditorem: quia nempe priùs agit de pretio mercis, & de conditionibus contractus, ac commerciis, & non ſuo, ſed alieno nomine paciſcitur, atque ità venditionem conciliat; quamquam & propola, quem cum proxeneta confundit Pollux, dicatur aliquandò ille, qui primus merces vendit, quas in porta primus anticipat, & vt ait Perſius, primus tollit piper à ſitiente camelo. Hinc & Lucilius:

Sicuti cùm ficus primus propola recentes
Attulit, & pretio ingenti dat primitù paucos.

Cicero dum L. Piſonis Sordes deſcribit: *piſtor domi nullus, nulla cella, panis, & vinum à propola, & cupa.* vbi tamen Turneb. *lib. 1. aduerſ. cap. 1. propala* legi mauult, eumque intepretatur, qui merces pro palàm, velut ante palàm, aut de palo pendentes vendit: qui ſanè differt à noſtro proxeneta, & nundinationis, ac commerciorum conciliatore.

Proxenetam porrò Plato *lib. 12. de legib.* non minùs quàm venditorem ipſum de euictione teneri voluit: verùm hoc iure non vtimur; tenetur 2
tamen dolum malum præſtare, & vt ait Vlpian. *in l. 2. D. de proxenetis. Si dolo, & calliditate creditorem circumuenerit, de dolo actione tenebitur.* Quare non tenebitur niſi de lata culpa, cùm dolum malum requirat Iuriſconſultus: quo ſanè caſu & peccabit, & damnum, quod ſua fraude, & dolo intulerit, reparare debebit. Vbi verò dolus aberit, quamuis aut leuiſſimam, aut leuem culpam admiſerit, ad nihil tenebitur: neque enim ex culpa veniali, qualis eſt, quam Iuriſconſulti leuem, aut *leuiſſimam* dicunt, damnum illatum reparare quis obligatur, ſaltem ſub mortali, vti iam monuimus *in Opere de vſuris, lib. 1. cap... art...* de malitia vſuræ diſputantes, & ampliùs *lib. vlt.* explicabitur.

Voluerunt quidem aliqui, proxenetam vbi ſtipendium accepit, ſi res non ſucceſſerit, teneri actione ex locato conducto, quaſi locatum non præſtiterit: quod ſapienter reiicit Vlpian. *l. 2. citata*: eſtque aperta ratio; ipſe enim reuerà operam, quam locauerat, exhibuit, quamuis nihil efficere potuerit: neque enim receperat negotium omninò perfecturum, ſed quantum poſſet acturum. Alij ſaltem voluerunt proxenetam faciendi nominis, quaſi mandatorem teneri, quos æquè reiicit Vlpian. *l. 1. D. eod. quia hic monſtrat magis nomen, quàm mandat, tametſi laudet nomen.*

Stipen

3 Stipendium his proxenetis dabatur, quod & *προξενητικὸν* dicebatur, & *philantrepum*: Vlpian. *in l.2. D. de proxenet. ſi aliquid philantropi nomine acceperit*. Bud. *in Pand.* Alciat. *lib.8. parerg. cap* 21. & Hotman. *in comm. verbo iuris*, legi volunt *philantropia nomine*, quia *φιλανθρωπία* benignitatem ſignificat & *φιλανθρώπευμα* facinus benignitatis plenum, aut etiam benignè datum, *φιλανθρωπευόμενος* ad benignitatem, comitatemque compoſitus: itaque *philantropia nomine aliquid accipere*, eſt munuſculum accipere, vel mercedem, quæ benignitatis magis, quàm obligationis ſit. Retinendam tamen eſſe vulgatam lectionem *philantropi* contendit Cuiac. *lib.11. obſeruat. cap.* 18. nam gloſſæ veteres interpretantur ſalarium, ſiue ſalialium *στρατιωτικὸν φιλάνθρωπον*, & Diodor. Sicul. *lib.4. ἔπαθλον φιλάνθρωπον*, & *lib.14 ξένια καὶ τ' ἄλλα φιλάνθρωπα*, & 2. *Maccab. c.4. V.11. φιλάνθρωπα βασιλικά*.

4 Proxeneticis porrò nullus modus certa lege definitus erat, quare Præſes de illo cognoſcebat pro modo *quantitatis, & negotij, in quo opecula iſta defuncti* erant proxenetæ, *& miniſterium quale quale accommodauerant*, inquit Vlpian. *in l.3. D. de proxeneticis*: vbi & proxeneticon *ſordidum vocat*, quia offerri potiùs, quàm peti debebat: faciliùs tamen de præmio eorum, qui nuptiarum contrahendarum, amicitiæ, & pacis ſequeſtres, & interpretes ſũt, ius dicebat Præſes, quia hæc vix facilè niſi per interpretes expediri poſſunt. Vlpian. *l. vult. D. de ſponſalib. ferè plerumque conditiones* (nuptiarum ſcilicet) *interpoſitis perſonis expediuntur*: quæ interpoſitæ perſonæ aliæ non ſunt quàm interpretes, conciliatores, & proxenetæ. De eorum itaque proxenetarum nuptialium præmio Præſidem ius dicturum, ſapienter monebat Vlpian. *l.3. cit.* vbi præmium illud nominatum fuiſſe monet *ἑρμηνευτικὸν*, quaſi interpretatiuum, & pararium æs. Habemus, & Rubricam *lib.5. C. tit.1. de ſponſalibus, & arris ſponſalitiis, & proxeneticis*: vbi mendum eſſe ſuſpicatur Alciat. *lib.1. diſpunct. c.22.* legendumque *proxenetriis*. Erat verò *proxenetria* nuptiarum conciliatrix, quæ & *προμνήστρια* dicebatur apud Ariſtophan. *in nubib.* Stepbiades imprecatur mortem filio Promneſtriæ, quæ ſuaſerat, vt eius matrem duceret in vxorem. Agitur itaque in illa rubrica de arris ſponſalitiis, quæ dabantur ſponſis, & proxenetriis; deponebantur ſcilicet apud eiuſmodi proxenetrias, & conciliatrices nuptiarum: de quibus arris plura diximus *opere de vſuris lib.4. cap... art...* vt verò ad proxeneticon, & *ἑρμηνευτικὸν* propter conciliatas ab aliquo nuptias redeamus; illud tandem fuit Baſilij Imperatoris conſtitutione, quã ex Baſilicis refert Cuiac. & ex parte Hermenopul. *lib.4. tit.3.* definitum, vt ne plus viceſima parte dotis, & donationis propter nuptias, proxeneta nuptiarum ſibi cauere poſſit; ita tamen vt ſi viceſima excedat X. libras auri, X. tantùm libras ſibi caueat. Itaque ſi fuerit dos CC. librarum auri, X. ſibi rectè cauebit, ſi CCC. æquè X. non X V. ſibi rectè cauebit. Quia verò in hoc celeberrimo Lugdunenſi foro, & aliis, proxenetarum opera in emptionibus, venditionibus, commerciis, contractibus, & nominibus faciendis neceſſaria ferè eſt; neque ea leuis exiſtimatur, certum illis aſſignatur ſtipendium, ex communi lege fori.

ARTICVLVS V.

De Inſtitoribus, ſiue Factoribus.

Inſtitor quis ſit. num. 1.
A quo præponatur inſtitor, & quando. 2. 3.
Quando ceſſet eius munus. 4.
Ad quid obligetur inſtitor. 5. 6.
Quid ſit actio inſtitoria. 7.

INſtitor eſt, qui negotiationi, vel tabernæ, vel cuicumque negotio præponitur, quia, vt ait Vlpian. *l.3. D. de inſtitor. action.* negotio, & negotiationi inſiſtit, quamuis aliunde eius etbymon deducat Alciat. *lib.2. parerg. cap.* 20. Nos vulgò *Factrem*, barbarè nominamus, vt obſeruat quoque *deciſ.* 14. *Genuenſ. n.*43. quamquàm ea vox aliud in iure ſignificet: ſunt enim *factores*, qui ipſi ſcelus admiſerunt. *l.6. §. qui præpoſitum, D. de re milit. & l. ſolem. 7. D. de cuſtod. & exhibit. reor.* Dixi verò præponi cuilibet negotio, putà inſulæ faciendæ, ædificio conſtruendo, frumento coëmendo, pecuniis fœnerandis, agris colendis, mercaturis, redempturis, menſæ, veſtibus, linteis circumferendis, fulloniæ, mulis, ſarciendis veſtibus, ſtabulo, mercibus emendis, libitinæ, panibus, & eiuſmodi aliis: quæ omnia habentur *in l.5. D. de inſtitor. action.* Græci dixerunt *ἐργαστηριάρχην* tabernæ, & officinæ cuipiam præpoſitum. Neque tamen intereſt, an tabernæ, vel alicui certo loco, ad emendum, vendendum, vel aliã quamlibet negotationem præpoſitus ſit, vel nulli certo loco affixus, ſed ſolùm ad aliquod negotium, nullo certo loco, in quo illud gerendum ſit, deſignato: vt habetur diſertè *l.2. D. de inſtitor. action.* Nihil præterea refert quis ſit inſtitor, liber, an ſeruus proprius, aut alienus, vir, aut fœmina, filiafamilias, aut ancilla, pupillus, puer, puella, *leg.7. D. de inſtitor. action.* Differt à procuratore, quia inſtitor negotiationi quæſtuariæ, procurator negotio potiùs non quæſtuario præponitur, *l.5. §.3. D. de inſtitor. action.* 1

Non præponitur inſtitor, niſi à domino negotij, cui perficiendo præponitur, ſiue dominus ille ſit vir, ſiue mulier: *in l.7. §.1. D. de inſtitor. action.* idcircò Viſinib. *in œconom. iuris lib.14. digeſtor.* definit inſtitorem, tabernæ, aut negotiationi dominicæ præpoſitum: & ſanè cùm inſtitor remoueri poſſit pro arbitrio à præponente, vti habetur *in l. ſed etſi pupillus 11, D. eod.* immò fateantur paſſim DD. non poſſe ità conſtitui inſtitorem, vt non liceat illum ad libitum reuocare: neceſſe omninò eſt, præponentem eſſe dominum totius illius negotij, quod geri vult per hunc aut per alium pro arbitrio. Quod ſi plures fuerint domini eiuſdem negotij, debent communi conſenſu inſtitorem conſtituere, expreſsè, & non ab vno ſolo, argumento *leg. ſi tamen 4. D. de exercitor. action.* & ſanè cùm pro inſtitore poſſint ſinguli iſti domini pro negotio, cui illum præpoſuerunt, conueniri in ſolidum; abſurdum eſſet pro parte ſocij mei, dari aduerſus me actionem in ſolidum abſque meo conſenſu: neque enim poſſum ego præponere niſi parti meæ, non autem parti tuæ, aut alienæ, etiamſi ſimus ſocij, niſi ex tuo, aliorumve ſociorum conſenſu, à quo habeo vt ſocietatis nomine contraham, eodemque inſtitorem præponam. Ex quibus colligunt aliqui, 2

Digitized by Google

ſocios non fieri etiam tacitè aliorum inſtitores, alioquin ſemper eſſet eiuſmodi; quare ad id requiritur mandatum: idcircò dicitur inſtitor, qui alienæ negotiationi præponitur: quis enim dicat præponi aliquem proprio ſuo negotio? à quo enim præponeretur, à ſeipſo, an ab alio, qui ipſi mandaret, vt ſe ſuis negotiis præponeret? Hoc modo præpone te tuis rebus: aut quia pateretur te tuas res agere, illis te tacitè præponeret? Atque ita omnes eſſemus inſtitores. Quare cùm pars ſocij ſit mihi aliena, nunquam datur præpoſitio inſtitoris reſpectu alienarum partium, niſi de conſenſu expreſſo aliorum ſociorum, aut de eorum mandato. Vnde nata eſt inter DD. ea diſputatio, An ſocius habeat tacitum mandatum ab altero ſocio: quæ diſputatio inanis profectò eſſet, ſi ſocius cenſeretur alterius inſtitor: ſic enim tacitè mandatũ haberet, ab altero, à quo præpoſitus fuiſſet negotio pro ſua parte, & illum (vti dicemus ſtatim) in ſolidũ obligaret. Verum quomodò vnus ſocius alterum obligare poſſit, diximus *in opere vſurus lib. 4. c. vlt.* nam vbi negotium aliquod pro parte expediri nequit, quin totum, & pro omnibus expediatur, (vt aliqui contingere volũt in locatione) ſocius, qui non potuit rem ſuam agere, quin & aliorum ageret, & propter partem neceſſe habuit rem totã agere, validè egit, ſed communi diuidendo tenebitur is, in cuius vtilitatem geſtum eſt. Vide Cuiac. *tract. 8. ad African. in l. eius, qui, in prouinc.* Maneat itaque inſtitorem præponendum eſſe à domino negotij, ſiue vno, ſiue pluribus, ſi plures ſint.

Hæc porò præpoſitio duplex eſt, expreſſa vna,
3 tacita altera. Prior illa fit, quando dominus negotij dicit, vel ſcribit, ſe facere Titium inſtitorem ſuum, aut præponere huic ſuæ negotiationi: eſt enim expreſſum, quod verbis exprimitur. Quod pluribus probat Tiraquell. *in ll. connub. gloſſ. 7. n. 8 1.* Tacita præpoſitio eſt, cùm quis publicè ſe gerit pro inſtitore alicuius, & pro tali publicè habetur, domino negotiationis ſciente, & patiente. Requiritur igitur primò, vt ſe quis gerat pro inſtitore certi alicuius, putà Titij, vel Sempronij, tanquam ab ipſis præpoſitus: cùm enim inſtitor ſit nomen relatiuum ad illum, cuius negotiationi præpoſitus quis eſt, nõ poteſt intelligi inſtitor, niſi ſimul intelligatur cuius inſtitor ſit, & cuius negotij; quare in ſuis cautionibus inſtitor explicat cuiuſnam domini rem gerat. Exemplum habemus *in l. vlt. D. de inſtitor. action.* vbi libertus Lucij Titij, ab illo præpoſitus menſæ nummulariæ, quam exercebat; in hæc verba, Caio Seio cauit. *Octauius Terminalis rem agens Octauij Fœlicis, Domitio Feliolo ſalutem. Habes penès menſam patroni mei denarios mille, quos denarios vobis numerare debebo, pridiè Kalendas maias.* Debebit igitur inſtitor profiteri, ſe non nomine ſuo, ſed alterius agere, & contrahere, ſi ſe inſtitorem gerere velit, atque vt talis contrahere. Requiritur prætereà ſcientia, & patientia domini; nouerit videlicet, Titium ſe pro ſuo inſtitore gerere, quod tamẽ ipſe non impedit, ſed ſciens, & volens ab illo fieri patitur. Hæc verò ſcientia, & patientia domini talis eſſe debet, vt ex aliquo actu, & effectu, domini conſenſus colligatur: quid enim ſi conſtaret, illum non niſi inuitum tolerare, Titium ſe pro ſuo inſtitore gerere? & ſanè ex nuda tolerantia, aut diſſimulatione actus, non dicitur quis illum probare, aut illi ſe authorem facere, præſtando conſenſum, qui ad eius validitatem neceſſarius eſt, cùm ſæpe plura patiamur inuiti. Vide gloſſ. *in l. filiusfam. §. inuitus, D. de procur.* & Tiraq. *de retract. §. 36. gloſſ. 2. num. 30.* & alios relatos *in deciſion. 14. Genu. à n. 74.* Immò cùm quis videt, & ſcit aliquid fieri, & tamen illi non præſtat aliter conſenſum qui neceſſarius foret, niſi ſilendo, & ferendo; teſtatur potiùs ſe diſſentire, quàm conſentire: cur enim ſi ex animo conſentiat, non teſtatur aliquo facto ſuum illum conſenſum, quandoquidem rem illam publicè, & palàm in omnium oculis, ac luce geri videt. Opus igitur erit aliquo facto, ex quo colligamus, dominum negotiationis conſentire, vt Titius illi præponatur, & inſtitorem ſe gerat, vti illum facere nouit. v.g. ſi accepit merces, quas hic inſtitor comparauit, aut eius domum detulit, ſi eius litteras ſubſcripſit, aut acceptauit; quæſtum ab illo factum tanquam ſuum ſibi ſumpſit, rationes exegit, aut obſignauit, inſtitorem Titium vidit ſuæ officinæ præeſſe, in illa reſidere, merces vendere, aut emere: neque dicas *l. 1. §. magiſtrum, D. de exercitor.* & *l. vlt. D. quid cum eo, &c.* quoties patior aliquem negotiari nomine meo videri illum me tali negotio præpoſuiſſe, ideóque ex eius contractu, & actu obligari. Reſpondeo enim cum gloſſa *in l. fin. citat.* id intelligendum de negotiatione quæ per me cœpta fuit, & in iis, quæ per me fieri conſueuerunt, alioquin ex ſola ſcientia, & patientia non teneor ex facto alterius, niſi prætereà ea contigerint, & acta fuerint inter nos, quæ aliter intelligi nequeant, & neceſſariò arguant illum conſenſum, qui neceſſarius eſt ad eum actum inducendum, de quo quæritur.

Ceſſat inſtitorum munus primò prohibitione, ſi 4
palàm proſcriptum fuerit, ne cum eo contrahatur, alioquin qui præponit, tenebitur inſtitoria actione, niſi prohibuerit cum inſtitore à ſe præpoſito contrahi, publicè, & palam proſcribendo. Ita Vlpian. *in l. 11. D. de inſtitor. action.* vbi deinde explicat quid ſit palàm proſcribere, nempe *Claris litteris, vnde de plano rectè legi poſſit, ante tabernam, vel locum, in quo negotiatio exercetur, non in loco remoto, ſed euidenti: litteris latinis, aut Græcis, pro loci conſuetudine:* ita vt nemo ignorantiam prætendere iure poſſit: nam nullus præſumitur id proſcriptum eſſe, ignorare, quod eo loco propoſitum eſt, vbi contrahit, quodque ibidem multi legerunt. Deſcribit hoc loco Vlpian. antiquam proſcribendi leges formulam, quæ ipſa verba continet, vti obſeruat Cuiac. *lib. 7. cap. 29. obſeruat.* vbi refert ex bibliotheca Regia fragmentum antiquæ legis ære inciſæ. *Apud forum palam, vnde de plano rectè legi poſſit proſcriptum habuerint.* Et Ioſeph *lib. 19. Antiquit.* de quadam Conſtitutione Claudij Cæſaris ὅθεν ἐξ ἐπιπέδου καλῶς ἀναγνωσθῆναι δύναται. Eſt verò ἐξ ἐπιπέδου de plano: quod *in l. 13. D. de excuſat.* dicitur χαμόθεν: in ea verò Claudij Conſtitutione definiuntur dies 30. quibus proſcripta maneat, vnde de plano legi poſſit. Sueton. ait, Caium Cæſarum *cap. 40.* cùm plurima per ignorantiã ſcripturæ committerentur aduerſus turpia quædam eius edicta, *propoſuiſſe quidem legem, ſed & minutiſſimis litteris, & anguſtiſſimo loco, vti ne cui deſcribere liceret:* contra videlicet receptum morem, quo in celeberrimis locis, & grandioribus litteris, vti ab omnibus legi poſſent, edicta proponebantur. Vnde Auſon. *in actione gratiar. ad Imp. Gratian. Has ego litteras tuas, in omnibus pilis, atque porticibus, vnde de plano legi poſſint, inſtar edicti pendere mandauero.* Hinc ſolemnes iſtæ notæ, V. D. P. R. L. P. vnde de plano rectè legi poſſit. Vult igitur Vlpianus, prohibitionem, ne cum inſtitore contrahatur, proſcribi palam à Domino, ne quis ignorantiâ excuſetur; ipſeque deinde dominus inſtitoris facto teneatur. Pergit deinde *in ead. l. 11.* alias huius proſcriptionis conditiones tradere; debet enim eſſe perpetua, ſiue ſemper propoſita, & lectu facilis: proinde ſi vetuſtate, vel pluuia, vel

qua alia re, fumo ſcilicet, ac puluere fuerit obſcurata, vel ab ipſo præpoſito ſublata, ſi cum ipſo quis contraxerit, minimè doli particeps, actionem habebit aduerſus eos, qui præpoſuere. Deinde ſi præpoſitus mei decipiendi cauſâ ſcripturam detraxit, aut illiterauit, eaque de cauſa cum ipſo contraxerim, dolos ipſius, cuius ego minimè particeps ſum, mihi non nocebit, ſed præponenti. Tertiò non debet eſſe continua variatio in proſcriptione: vt ſi quis hodiè vetuerit de vino contrahere, cras de oleo, atque ita deinceps, vel ſi quopiam alio modo interdum cum inſtitore contrahi permittit, interdum prohibet, continua quadã, vti dicebam, variatione; tenebitur inſtitoria actione qui præpoſuit, & obligabitur facto inſtitoris, quia faciliuum eſt, eiuſmodi continua variatione decipi contrahẽtes, cui deceptioni cauſã dat dominus, & præponens, ſua illa incõſtantiã, ac leuitate. Quartò ſi plures habeat quis inſtitores, poterit denuntiare ne cum vno certo ex illis contrahatur; poterit quoque & certã perſonam prohibere contrahere, vel certũ genus hominum, vel negotiatorum, vel certis hominibus: hæc enim omnia in eius debent eſſe arbitrio, neque tunc tenebitur inſtitoria actione, modò prohibitio facta fuerit cũ iis conditionibus, quas deſcripſimus. Sextò ſi dominus in totum prohibuit cũ inſtitore, & præpoſito contrahi, iam ipſe non eſt præpoſitus, licet in eadẽ taberna maneat, aut loco negotiationis, ſed inſtar cuſtodis. Quare neq; merces, neque modicum quid ex taberna vendere poteſt. Quæ omnia habentur in ea lege vndecima.

Ceſſat Secundò inſtitoris munus, ſi fugiat, & decoquat, vt & deſinit ſocietas: ſed de hac re fuſiùs *lib. 3. ſeq.* interim adi Straccham *tract. de decoctorib.*

5 Obligatur inſtitor, Primò ſeruare conditiones præpoſitionis, ſi certa lege, vel interuentu cuiuſdam perſonæ, vel ſub pignore, vel non niſi certa quadã conditione dominus voluerit cum ipſo contrahi: *Æquiſſimum erit* (inquit Vlpian. *citata l. 11. §. 5.*) *id ſeruari, in quo præpoſitus eſt*: nempe tum ab ipſo inſtitore, tum ab aliis, qui cum illo contrahunt; alioquin ſi ſecùs fiat, totus ille contractus, & negotiatio non nocebit domino præponenti, vt iterùm monebimus inferiùs.

Secundò præpoſitus negotiationi tenetur de negligentia, & culpa leuiſſima: quod ex communi Bartoli, & aliorum doctorum ſenſu docet deciſio Genuenſis 172. Exiſtimo tamẽ inſtitorem non teneri niſi ex dolo, lata, & leui culpa, non autẽ leuiſſima, niſi fuerit aliter conuentum, vti dicebamus *in opere de vſuris*, diſputantes de locatione *art. 7.* non aliter tum locatorem, tum conductorem teneri, cùm non ſit alia ratio iſtorum, & inſtitoris, qui ſuas operas domino, qui illum negotiationi præponit, locat, pacta mercede, & ſtipendio. Quare vide quæ eo loco dicta a nobis ſunt.

Tertiò tenetur inſtitor reddere rationem ſuæ adminiſtrationis; quod commune eſt iis omnibus, qui alienæ rei adminiſtrationem ſuſcipiunt; niſi volens eam rationem reddat, condemnabitur, vti habet Genuenſ. deciſio 24. *n. 6.* Quare ſi ordinẽ à domino (vti loquuntur) acceperit, & nõ obſeruauerit, tenebitur ad intereſſe, ſiue quantum interfuerit domini, qui inſtitori commendauerit, illius culpâ non fuiſſe ſeruatum.

Quartò expenſæ factæ per inſtitorem, debent per dominũ, cui laborat, ſolui: ex Bart. *in l. filiusfam. n. 7. D. de donation* niſi nempe fuerit aliter conuentum, & ea de cauſa maius ſtipendium illi aſſignatũ fuerit, aut lucri certa pars, ad ferendum expenſarum onus: cùm enim domino, qui ipſum negotiationi præpoſuit, lucretur; æquum profectò non eſt, vt ſuis expenſis, ac ſumptibus, ſuóque damno id præſtet, niſi aliunde compenſetur.

Inſtitor obligat dominũ in iis, in quibus ab illo 6
fuit inſtitutus, ſiue præpoſitus; quare ex inſtitoris facto dominus eius obligatur. Quod traditur *toto tit. D. & C. de inſtitoria actione, & §. eadem ratione, inſtitut. quod cum eo.* Prætori enim, qui hanc actionẽ dedit, æquũ viſum eſt, ſicuti commoda ſentimus ex actu inſtitorũ, ita obligari nos ex cõtractibus ipſorum, & conueniri. *l. 1. D. de inſtitor. action.* & perinde eſt, ac ſi cum ipſo domino principaliter negotium geſtum eſſet: *§. vlt. inſt. quod cum eo.* & *l prætor ait 4. §. ſed ſi ſeruus, D. de edendo.* Si autem plures exerceant negotiationem per vnum inſtitorem, & miniſtrum, omnes tenentur in ſolidum, obligatione indiuiſibiliter deriuata, & formata in vnius inſtitoris perſona. Ratio manifeſta eſt, quia contrahentes cum illo inſtitore & præpoſito, ſequuntur fidem illorum, qui præpoſuerunt, & perinde eſt ac ſi cum ipſis contraxiſſent: vti iam monuimus.

Debet tamen inſtitor in eam cauſam, cui præpoſitus eſt, contrahere: v. g. pecuniam mutuo, aut cambio, aut cum fœnore ad negotiationem, cui incumbit, accipere, vel dare: neque refert ſi pecuniam acceptam inſtitor deinde in eam rem non impendat, ſed in proprios vſus conuertat, & fallat dominum, quia nihilominùs tenebitur dominus, & præponẽs. Æquum enim eſt, vt dolus, & fraus ab inſtitore cõmiſſa, noceat potiùs præponẽti, quàm creditoribus, qui miniſtro, & inſtitori bona fide credunt, quoſque iniquum foret decipi: vti colligitur ex *l. ſed ſi pupillus 11. §. de quo, D. de inſtitor. act.* quod idem dicitur de mutuo accepto ab exercitore *l. 1. § quod ſi mutuam, D. de exercitoria actione.* Verum de exercitore, cuius eadem ferè eſt ratio cum inſtitore, dicemus alibi commodiori loco.

Poteſt denique inſtitor obligare dominum quoad negotium, cui præpoſitus fuit, ad pœnam, quæ ſequitur ex natura contractus, quem in illa negotiatione celebrauit; non verò ſi ſit aliqua pœna extra naturam talis contractus appoſita: ita Baldus de Vbaldis *in tractatu de conſtituto, n. 5.*

Actio inſtitoria, vti illam definit Hotman. *in* 7
epitom. D. de inſtitor. action. eſt Actio perſonalis, prætoria, extraordinaria, quæ datur ei, qui cum inſtitore de rebus ad ipſius inſtitutionem, ac negotiationem pertinentibus contraxit, aduerſus dominũ, vel patrem, qui præpoſuit, vt quod inſtitorem illo nomine dare facere oporteret, ſi cum eo ciuiliter ageretur, tanti damnetur. Eſt *perſonalis*, quia conceditur aduerſus dominum, quaſi ipſe contraxiſſet, & quaſi inſtitorem præponendo, vt cum eo contraheretur, vti iam diximus, & conſtat ex *l. 7. §. interdum, D. ad S.C. Macedon.* Eſt *prætoria*, quia cõceditur a Prætore *l. 1. D. de inſtitor. act.* nam etſi iure ciuili, nemo ex negotio per extraneam perſonam geſto teneatur; æquum tamen viſum eſt Prætori, eum, ad quem alicuius negotiationis emolumentũ peruenit, ex contractibus eius causâ geſtis obligari: præſertim quia qui contraxerunt, eorum potiùs, qui præpoſuerunt, fidem, quàm qui præpoſiti fuerunt, ſequuti ſunt. Datur porrò optio iis, qui contraxerint, an aduerſus dominum præponentem, aut aduerſus inſtitorem, ſi liber ſit, experiri velint. *§. vlt. inſtit. quod cum eo.* & *leg. 7. §. interdum, D. ad S. C. Macedon.* Datur denique aduerſus dominum, vel patrẽ, quia licet filiusfamilias pecunia mutuo accepta Macedoniani exceptione iuuetur; pater tamen hac inſtitoria actione tenetur in ſolidum, ex proximè citata *l. 7.* non tenetur tamen dominus ex

ſerui inſtitoris contractu, niſi ad negotiationem ei iniunctam pertineat: vti iam monuimus ex *l.1. §. non tamen, D. de inſtitor. action.* Quatenùs verò in rem domini verſum eſt, de in rem verſo, alias de peculio actione, hoc eſt quatenus in peculio eſt, tenetur, *§.4. inſtitut. quod cum eo.* Actio verò de in rem verſo à Prætore, contra ius ciuile ex æquo, & bono introducta eſt: nam iure ciuili nemo ex alterius contractu, etiam ſi quid in rem ſuam verſum eſt, ei, cum quo contractum eſt, obligatur: *l.nemo 11.C. de obligat.& action.*

Datur & quaſi inſtitoria, ſiue indirecta inſtitoria, vel inſtitoria vtilis, cùm quis mandatum alterius ſequutus, cum altero contraxit: veluti ſi pecuniam crediditi *l.10.§.4. D. mandati.l.liberto 31.D.de negot. geſt.* ſi rem aliquam vendidit *l.Iulianus 13.§. ſi procurator 21. D. de act.empt.* vtilis ei, qui domini voluntate, cum ipſius ſeruo contraxit, quamuis inſtitor non fuerit *l.6. C. de inſtitor.* Reliqua de hac actione pertinent ad forū externū, quamquā ex his, quæ compendio tradidimus hoc loco, facilè fuerit quæ traduntur *D. & C. de inſt.act.* intelligere.

ARTICVLVS VI.

De negotiorum Geſtoribus.

Negotium geſtum quid ſit.n.1.
Negotiorum geſtoris obligatio.2.
Obligatio eius, cuius negotium geſtum eſt.3.4.
Actio negotiorum geſtorum.5.

QVamuis in aliis negotiis, quàm negotiatione reperiantur iſti negotiorum geſtores, quia tamen frequentiùs circa negotiationem ſolent reperiri, ideircò de his agimus.

1 Negotium geſtum dicitur, cùm abſque formali, aut virtuali mandato, negotium alterius geritur, & qui ita gerit eiuſmodi negotium, nominatur negotiorum geſtor. Non debet igitur negotiorum geſtor, ex aliqua priori obligatione teneri ad ſuſcipienda alterius negotia, v.g. mandati, vel officij, nempe tutoris, curatoris, coſtodis, procuratoris: non enim diceretur negotiorum geſtor, neque actionē de negotiis geſtis haberet. Idcirco *l.39.D.de negotiis geſtis*: ſi quis patris teſtamento tutor poſthumo datus fuit, & interea tutelam adminiſtrauit, nato poſthumo, erit tutelæ actio, eo verò non nato, negotiorum geſtorum. Et ſi duorum quis negotia, quia ſimul implicata erant, vtiliter geſſit, ex mandato tamen alterius, habebit duplicem actionem; vnam mandati aduerſus mandantem, alteram negotiorum geſtorum aduerſus alium. Mariti, v.g. mandato, tum mariti, tum vxoris negotia geſſit vtiliter: contra maritum aget actione mandati, contra vxorem verò actione negotiorum geſtorum, *l. ſi mandatum 14 C.de negot.geſtis.* Authoritatem porrò gerendi negotia aliena, accipit aliquis non à lege, mandato, aut officio aliquo, vt dixi, ſed à natura ipſa, & æquitate, quæ non patitur abſentium negotia deſeri. Quare iſte differt à tutore, curatore, mandatario, & procuratore, quia licet hi omnes gerant aliena negotia, id tamen faciunt vel neceſſitate compulſi ratione officij, vt de tutore, & curatore dicitur *l. tutori 20. C.de negot.geſt.* vel ratione mandati, vt in mandatario, & procuratore, cuius diſcrimen à negotiorum geſtore fuſiùs proſequitur Hotman. *in epitom. D. de negot. geſt. n.4 5. & 6.*

2 Obligatur negotiorum geſtor primò ex dolo, & culpa lata, ex Attica lege, cuius meminit Demoſth. in oratione πρὸς ἄφοβον ψευδομαρτυριῶν qui mala fide adminiſtrarit bona alterius, ea ipſe præſtito. Idē affirmat *l.3. §.interdum, D.de negot geſt.* Vbi tamen Labeo dicit teneri tantùm ex dolo, & culpæ non meminit, quod Molina *tract.2.diſp.353.n.6.* intelligit de eo, qui negotia omninò deſerta, & quæ nemo alius erat ſuſcepturus, gerit. Verum quamuis Labeo ſolius doli meminerit, non tamen excludit culpam: & ſane qui alterius negotia, ſponte licet, ſuſcipit; cenſetur induſtriam ſuam, & diligentiam promittere: quare diligentiam ſaltem ordinariam exhibere debet, alioquin latam ſaltem culpam admittit, immò & leuem, quamquā vbi ſola affectione operatur, vt loquitur Vlpian. & omninò gratis, nullaq; mercede expectata, aut ſperata, ex dolo ſolùm, & lata culpa obligari voluit ſapienter Rebell. *lib.17.q.vnic.de negotiorum geſtore, num.8.& 9.* maximè vbi negotia deſerta erant; quare.

Secundò tenetur ex leui, quotiès ex ſperato ſtipendio agit, & communia negotia, ſiue non omninò deſerta ſuſcipit: atque ità interpretamur *l. tutori 20.C.de negot.geſt* vbi Imperatores volunt præſtari dolum, & omnē culpam latam, & leuem, quia exactam diligentiā in eiuſmodi gerendis negotiis cōferre debet, præter bonam fidem; atque vt loquitur Theophil. *§.1. inſtit.de obligation, quæ ex quaſi contractu.* ἀκριβεστάτην καὶ ὑπερβάλλουσαν, *id eſt,* exactiſſimam, & pene modum excedentem, atque maiorem, quàm in ſuis rebus præſtare ſoleat, & quàm alius diligentior adhiberet. Denique quando negotium eſt non ſolùm in vtilitatem eius, cuius eſt, ſed etiam eius, qui gerit; ex leui culpa tenetur qui illud gerit: quod contingit quandò agit ex ſtipendio, & mercede, vti fit in procuratoribus, & adminiſtratoribus. Non tenebitur verò de leuiſſima culpa, vt ait Molin. *diſp.353.* Rebell. *q.citata.* Filluc. *tract.39.c.3.n.39.* Azor. *3.part.lib.11. de quaſi contractib.c.1.dub.2.* ex gloſſa, quam allegat; quia non tenetur ex ea diligentia, quæ omnem culpā, adeoque leuiſſimam excluderet: nam licet alius etiā diligentiſſimus fuiſſet idē negotium ſuſcepturus, ille tamē nō tenetur ex culpa leuiſſima, ſecluſo mādato.

Tertiò non tenetur præſtare caſus fortuitos. *l.22. D.de negot geſt.* & *l.ſi negotium 22. C. de negot.geſt,* *Negotium gerentes alienum, non interueniente ſpeciali pacto, caſum fortuitum præſtare non compelluntur.* Id ipſum dixit *l.37.§.1. D.de negot geſtis. Si pecunia quis negotium gerat, vſuras quoque præſtare cogitur, & periculum eorum nominum, quæ ipſe contraxit; niſi fortuitis caſibus debitores, ita ſuas fortunas amiſerint, vt tempore litis conteſtatæ ſoluendo non ſint:* quæ Tribonianus retulit ex Paul. *lib.1. ſentent.tit.4.§.3.* ſed mendosè ſuo more, quibuſdā additis, alius detractis; nam Paul. non meminit caſus fortuiti, quem eo æuo, qui pecuniæ negotiū geſſerat, præſtabat omninò, vt ex eius verbis conſtat: *ſi pecuniæ negotiū quis gerat, vſuras quoque totius temporis præſtare cogitur, & periculum eorū nominum, quibus collocauit, agnoſcere. ſi litis tempore ſoluendo non ſint.* Vbi non meminit caſus fortuiti, ſed omninò vult geſtorem negotij pecuniæ, agnoſcere periculum nominū, quibus collocauit, ſi ſoluendo non ſunt: ideóque voluit, eumdem vſuras totius temporis præſtare. Eraſit verò Tribonian. illa verba, *totius temporis*, quia eius æuo ex Conſtitutione Diocletiani, & Maximiani, nuper relata, iſti negotiorum geſtores non præſtabant caſum fortuitū, niſi pactū interueniſſet, vt diximus: ex mente tamē veterū Iuriſconſultorū præſtabant illū caſum, vt affirmabat nuper Paul. vt ait Labeo ex eoque Vlpian. *in leg.3. §. 9. D. de negot. geſt. ſi adfectione coactus, ne bona mea diſtrahantur* negotiis

Digitized by Google

negotiis te meis obtuleris, æquiſſimum eſſe, dolum duntaxat te præſtare. Sapienter verò aliter de caſu fortuito conſtituerunt laudati AA. quia cùm caſus fortuitus ſit à maiori vi, quæ à nobis nequeat impediri, illum præſtare non tenemur, niſi ex aliqua particulari cauſa ad id aliunde obligemur: v.g. ſi dominus admonuiſſet Titium, ne ſe abſente ſua negotia gereret, niſi vellet de caſu fortuito teneri; tunc Titiùs ſi negotium ſuſciperet, ea conditione, & veluti pacto obſtingeretur, vti habetur *citata l. ſi negotium. 2.* ſi eius vitio, aut propter moram culpabilem reſtituendi ſuam rem ei, cuius geſſit negotia, illa intereà pereat: tunc enim culpa negotij geſtoris præceſſit caſum, & illi quodammodo expoſuit. Quod disertè traditur à Caio *in l. ſine hereditaria 12. D. de negot. geſt.* vbi ait, qui alicuius negotia gerens, rem quampiam neceſſariò emerit, v.g. frumentum, aut vinum familiæ comparauerit, poſſe quod impenderit, iudicio negotiorum geſtorum conſequi, licèt res illa caſu aliquo interierit, putà incendio, aut ruina: *Sed ita ſcilicet hoc dici poterit, ſi ruina, vel incendium, ſine vitio eius acciderit.* Obſerua tamen, quod pauci aduerterunt, Caium eo loco agere de actione, quæ competit negotiorũ geſtori, aduerſus eũ, cuius negotiũ geſſit: ille enim repetere poteſt quæ alterius cauſâ emerat, etiamſi caſu fortuito, vt incendio, & ruina periiſſent, ſi tamen hæc ſine ipſius vitio, & culpa acciderint. Et rationem reddit optimam: *Nam cum propter ipſam ruinam, aut incendium damnandus ſit, abſurdum eſt, eum iſtarum rerum nomine, quæ ita conſumptæ ſunt, quidquã conſequi.* Quod verò dicebã de mora, traditur ab Vlpian. in *l. cum rei 47. §. vlt. D. de legat. 1.* vbi agit de culpa præſtanda ab hærede, qui in dando legato moratur. *Si fundus chaſmate perierit, Labeo ait, æſtimationem non debere: quod ita verum eſt, ſi non poſt moram factam id euenerit, potuit enim eum acceptum legatarius vendere.* Poſt moram igitur hæres præſtat interitũ rei legatę, quia ſi res ipſa legatario præſtita fuiſſet, potuiſſet non apud eũ, ſed apud alium mori: ita aduerſus moram admittentes ſtrictam interpretationem, ioſque ſtrictum, ſequimur. Vide quæ de mora pluribus diſputauimus *in opere de vſuris, lib. 2.* Tertiò ſi negotiorum geſtor inſolita aggreſſus eſt, quæ dominus, ſi præſens fuiſſet, neque ſuſcepiſſet, neque ab aliis, atque ab hoc ipſo ſuſcipi paſſus fuiſſet, caſu fortuito tenebitur: *leg. ſi negotia 11. D. de negotiis geſt.* Vbi ait Proculus, ſi quod damnum ſequutum in illis fuerit, ſequi negotiorum geſtorem; lucrum verò dominum abſentem: quod ſi in quibuſdam damnum, in quibuſdam lucrum, abſens penſare lucrum cum damno debebit. Noua igitur negotia inchoare geſtori non licet: inſolita verò ne quidem tentanda ab illo ſunt. Exemplum porrò affert *in ea leg.* Proculus, de eo, qui *venales nouitios* coëmerit; ſunt verò nouitij, ſerui recentes, qui opponuntur veteratoribus, ſiue veteranis, & inueteratis. Vlpian. *l. 37. D. de ædilitio edict. Præcipiunt ædiles, ne veterator pro nouitio veneat,* vt fallaciis venditorum occurrerent: ſolebant enim aliqui mancipia quaſi nouitia diſtrahere, vt pluris venderent: exiſtimabant enim ea mancipia quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & dociliora: trita verò mancipia, & veterana difficile eſt reformare. Venuleius tamen *l. vlt. D. eod.* veteratorem ſeruum exiſtimat eſſe, qui turpi alicui, ac ſordido miniſterio, quamuis recens, addictus eſt: nouitium verò, qui vel nulli, vel nobili alicui & liberali homine dignæ arti, veluti picturæ, medicinæ, muſicæ addictus eſt, quamuis multò ante Græcis νέωνητος, cui opponitur ὁ ὤνη δουλεύων. Si igitur quis abſentis negotia gerens nouitios coëmerit, quos ille empturus non erat, indeque damnum eueniat abſenti, illud præſtabit negotiorum geſtor.

Quartò incipiens gerere negotium alterius, & deinde ab illo deſiſtens, illudque imperfectum relinquens, tenetur de damno, inde, eaque de cauſa ſubſequuto: quia vbi quis ſemel abſentis negotia ſuſcepit, initur quidam veluti contractus de eo negotio gerendo, & perficiendo inter vtrũque. Ita Molin. *diſp. 553. n. 8.* Filluc. *tract. 39. c. 2. 42.* ex *l. nam & Seruius 21. §. ſi viuo, D. de negot. geſtis.* Vbi dicitur, *ſi viuo Titio, negotia eius adminiſtrare cœpi, intermittere mortuo eo non debeo*: ſicuti accidit cùm alter ex ſociis obiit: inchoata enim negotia perfici debent. Si ex multis negotiis gerendis vnum quis tantùm gerat, reliquis omiſſis, non tenebitur de damno ſequuto ex non geſtione aliorum, quia liberum ipſi fuit, vel nullum genere, & omninò omittere, vel quod liberet ſuſcipere, niſi fortaſſis illa ſimul ita implicata eſſẽt, vt vnũ abſque alio perfici nõ poſſet, aut ſi cauſa fuit cur alius, qui ea ſuſcepturus erat, nõ ſuſceperit: quia v.g. volebat omnia adminiſtrare, aut nullũ; tunc enim aut ſuſcipere oportuit illud quod nõ ſuſcepit, aut permittere debebat alteri, aut omnia ſimul ſuſcipere, ſicut ille alter facturus erat: ita Molina *n. 8. cit.* Filluc. *n. 41.* & apertè traditur *l. ſi pupilli. §. videamus 11. D. de neg. geſt.*

Quintò obligatur negotiorum geſtor ad reddendam rationem eorum, quæ geſſit, atque ad reſtituẽdum ſi quid ad ipſum peruenit ex negotio geſto, ſiue ſint fructus rei recuperatæ, abſentis nomine, ſiue quid aliud, vt pecunia ab eius debitoribus ſoluta, aliaque eiuſmodi, *l. 2. D. de negot. geſtis.* Sequitur obligatio eius cuius negotia geſta ſunt.

Is igitur cuius negotia vtiliter geſta ſunt, obligatur primò ad refundendas expenſas in gerendis 3
eius negotiis factas: *l. 2. D. de negot. geſt.* quod intelligendum eſt de eo, cuius verè negotium geſtum eſt, etiamſi qui negotium geſſit, exiſtimarit ſe rem alterius agere, *l. 5. §. 1.* & *l. liberto 31. §. 1. D. de negot. geſt.* ſufficit quoque negotium fuiſſe vtiliter geſtũ ab initio, etiamſi deinde caſu quodam deterius euaſerit, vt ſi domus, quæ cœperat refici, incendio abſumpta eſt, *l. ſed an vltro 10. §. 1. D. de negot. geſt.* vbi Vlpian. affert exemplum eius, qui inſulam fulſit, vel ſeruum ægrum curauit; etiamſi inſula exuſta eſt, vel ſeruus obiit: rideteque cum Celſo obiectionem Proculi, qui negauit in his caſibus dari ſẽper actionem ſumptuum, quos feciſſet negotiorum geſtor; potuit enim fulſiſſe inſulam, quam dominus ſumptui impar, vel ſibi minimè neceſſariam reliquerat: nam ille non vtiliter negotia gerit, qui rem non neceſſariam, vel quæ oneratura eſt patremfamilias, aggreditur. Addit tamen Vlpianus, illum, qui putauit ſe vtiliter alterius negotium facere, eſtque deceptus; illud enim domino non expediebat, aut oneroſum erat; non poſſe repetere ſumptus à ſe factos: *Vt enim euentum* (negotij ſcilicet) *nõ ſpectemus, debet vtiliter eſſe cœptum.* Sibi itaque imputet hoc damnum, qui impudenter, & temerariò, ſponteque ſua negotium alienum ſuſceperit. Non tenetur quoque dominus ad expenſas, quæ negotij geſti vtilitatem ſuperant: quod ſequitur ex dictis: ſi enim non tenetur ad iſtas expenſas niſi ratione negotij vtiliter ſaltem inchoati; reuerà non obligabitur niſi pro menſura illius vtilitatis, cui admetiendæ erant expenſæ, aliàs grauius damnum pateretur,

cùm eius negotia gererentur ab illo, qui non inuitatus ſe vltrò illis implicuit, quàm ſi omninò derelicta & infecta manſiſſent: ſæpiùſque iſti negotiorum alienorum geſtores in magnas anguſtias dominos redigerent.

Secundò, quando quis negotia abſentis domini ſuſcipit, quæ dominus ipſe neque gerere conſueuit, neque reipſa geſſiſſet, ſi præſens adfuiſſet: v.g. Caius emit Titio ſeruos, aut equos ad negotiationem, cùm tamen non ſoleat negotiari, liberum erit Titio negotium illud ratum habere, aut non habere. Si primum, tenebitur ad impenſas: ſi ſecundum, Caius & ſeruos, & equos ſibi ſeruabit, ſuumque, non Titij negotium geſſerit.

Tertiò ſi quis plura negotia alterius geſſit, & ex quibuſdam commodū, ex aliis incommodū ſecutum fuit, ſi omnia vtiliter cœpta ſunt, debet omnia rata habere, & ad eorum impenſas tenetur: ſi verò quæ fuerint non vtiliter ſuſcepta, poterit ea reiicere, & pro illis nihil debebit. Quod iam monuimus *ex l. ſi negotia 11. D. de negot. geſt.*

Quartò inanes præterea, & ſuperfluas impenſas ſibi negotiorum geſtor imputare debet.

Quintò, qui animo liberali ex pietate, aut miſericordia expenſas in alium fecit, nequit eas ab ipſo repetere actione negotiorum geſtorum; neque deinde animum mutare, ſi verè donauit: ſi autem non habuit animum donandi, idque variis indiciis ſignificauit, poterit ſuas illas expenſas repetere: immò ſi animum donandi, quem initio habuerat, ſubinde mutauit, poterit à momento mutati animi ſumptus à ſe factos exigere. Quæ omnia quoad forum externum, ex variis circunſtantiis, & coniecturis penſanda erunt. Quoad forum internum conſulendus erit animus negotiorum geſtoris, qui candidè, quænam ſua, in tota illa negotiorum geſtione mens fuerit, aperiat. Ita paſſim omnes *in l. 1.* & *l. alimenta 15. C. de negot. geſtis.* Molina *tract. 2. diſp. 554. n. 6.* Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 27. num. 3.* Quare ſi quid liberali donatione in curationem ægri famuli impendiſti, non licebit tibi illud repetere minuendo eius ſtipendium. Mater, atque auia, quæ filiis, aut nepotibus præbent alimenta, cenſentur ea ex affectione materna donare, ſine animo repetendi: *l. Neſennius 34. D. de negotiis geſt.* & *leg. alimenta 11. C. eod.* niſi aut aliud proteſtentur, aut contrarium fuiſſe illis animum aliunde colligatur: vt, quia liberi aliunde abundant bonis, & maiores fuerunt illæ expenſæ, quàm ferant matris, aut auiæ facultates: ſi bona liberorum, aut nepotum apud ſe habeant, ex illis enim, non ex propriis, alimenta, alioſque ſimiles ſumptus ſuppeditare cenſentur. Vitricus non præſumitur in dubio ſuppeditare gratis alimenta, & expenſas priuigno, præſertim ſi ipſe bona propria habeat. *l. ſi paterno 15. C. de negot geſt.* Quare pertinebit ad priuignum probare illa alimenta ſibi gratis à vitrico ſubminiſtrata fuiſſe, & in eo dubio cogi poſſe vitricum à iudice iurare exiſtimauit Molin. *diſp. 554 ſub fin.* Gloſſa verò *in l. ſi paterno, verſ. repetimus*: vult non poſſe hæc alimenta repeti à vitrico, ſi priuignus in eius ſeruitio fuerit.

Ex his colligit Rebell. *lib. 17. q. vnic. de negotior. geſt. num. 13.* dominum teneri ad ſoluendas vſuras negotiorum geſtori, qui pecunias ſub vſuris accepit ad eius negotia; aut ſi ex pecunia, quam in alterius negotia impendit, legitimas vſuras percepiſſet: quod affirmat Paul. *in l. atquin 19. §. non tantùm 4. D. de negot. geſt.*

4 Secundò tenetur is, cuius negotia vtiliter geſta ſunt, ad ſtipendium laboris, & induſtriæ eius, qui illa geſſit, quia non tenebatur illi gratis laborare, illaque opera digna eſt ſuo præmio, modò tamen non prædandi animo acceſſerit, quia tunc ſuum commodum, non abſentis domini quæſiuiſſet, & proprium non alienum geſſiſſet negotium, vt dicitur *l. ſi pupilli 6. §. ſed & ſi quis 3. D. de negot. geſt.* Vnde & pro inuentione rerum alienarum, quando deinde ad proprium dominum deferuntur, debetur præmium, maximè ſi ea de cauſa conquirantur, & ad id fiant aliquæ impenſæ, quia tunc vtiliter geritur alienum negotium: vide Rebell. & Layman. *loco citat.* Sanè *l. ſolemn. 55. D. de præſcriptis verb.* qui vt fugitiuos ſeruos dominis indicent, mercedem accipiunt, non timent condictionem, quia ob cauſam, eamque non improbam, acceperunt: quod ſi pactio propter indicium acceſſit, ex illo pacto orietur actio. Indiciæ igitur licito iure repetuntur, & quondam eiuſmodi indicia comprehendendi furis, vel fugitiui, vel rei furtiuæ, vel per præconem, vel per libellum publicè propoſitum promittebantur, vti ex Curtio Fortunatiano antiquiſſimo Iuriſconſulto obſeruat Cuiac. *lib. 11. obſeruat. cap. 18.* Vnde Apulei. *lib. 6. metamor.* *Nihil ſupereſt, quam tuo præconio præmium inueſtigationis publicitùs edicere*: hoc autem præconium deinde ſubiicit his verbis: *Si quis à fuga retrahere, vel occultam demonſtrare poterit fugitiuam illius filiam, illius ancillam, nomine illo, conueniat illo loco illum prædicatorem, accepturus tot indicij nomine.* Similia præſtat Venus apud Moſchum quærens ſuum Cupidinem, eſtque etiam hodiè pluribus in locis peruulgatus ille mos.

5 Actio negotiorum geſtorum duplex eſt, vna directa, altera contraria. Directa eſt actio ciuilis perſonalis, quæ datur ei, cuius quis ſua ſponte, ac ſine mandato negotia geſſit, vt quod eius vel non bona fide, vel negligenter geſſit, quantum illum eo nomine ex bono, & æquo facere oportebit, id eſt quanti eius intereſt, tanti damnetur: *l. actio 47. D. de negot. geſt.* Dixi *ciuilis*: nam etſi in Prætoris edictum relata eſt, *l. 3. D. eod.* tamen cùm vtilitatis, id eſt æquitatis cauſà inſtituta dicitur *l. 2. D. eod.* & *l. 5. D. de obligat. & action.* probabile eſt, eam legibus antiquis præteritam, à Iuriſconſultorum diſputationibus introductam fuiſſe.

Contraria negotiorum geſtorum actio datur ei, qui ſua ſponte alterius negotia geſſit aduerſus dominum, vt quod illo nomine illi abeſt, abfuturumve eſt, recuperet: *l. 1.* & *l. 3. D. de negot geſt.* quæ definitiones ex hactenùs diſputatis ſatis explicatæ manent, cætera ad forum externum pertinent; quandò nimirùm hæ actiones dentur.

ARTICVLVS VII.

De Mandatariis.

Mandatum quid. n. 1. 2.
Quotuplex ſit mandatum. 3.
Quinam mandare, & mandatum accipere poſſunt. 4.
Materia mandati. 5.
Effectus mandati, par mandatarij, & mandantis poteſtas, & quomodò. 6.
Mandatarius acquirit mandanti. 7.

Reciproca mandantis, & mandatarij obligatio. 8.
Actio mandati. 9. 10.
Solutio mandati. 11.

QVia ſæpiùs exercetur negotiatio inter abſentes, aut interpoſitis aliis perſonis, ſæpiùs quoque circa illam dantur mandata, quare diſputatio de mandatariis opportuniſſima, immò & neceſſaria eſt hoc loco: quod obſeruat quoque Straccha *tractat. de mercatura, in titulo mandati, ipſo initio.* Et ſanè ex doctrina vniuerſali hoc loco tradenda, plurimas difficultates libro tertio licebit explicare, circa ſolutiones, quæ plerumque inter mercatores ſolent fieri per litteras, quibus aliis mandant, vt certam ſummam perſoluant: quod ſolemne, & conſtans eſt in cambio per litteras.

1 Mandatum eſt conuentio, & contractus de alieno negotio, gratis, & abſque vlla mercede, bona fide, mandatoris periculo, ſuſcipiendo: ſiue vt alij breuiùs definiunt, gratuita ſuſceptio negotij, quod alius vel formaliter, vel virtute imperat. Appellant *contractum*, & *conuentionem*, aut (vt alij malunt,) *quaſi contractum*, eo quod non requirat præuium pactum, & expreſſam contrahentium voluntatem: ſufficit enim quod vnus imperet quidpiam, & alter illud aggrediatur: quod idem contingit in aliis quibuſdam obligationibus, quæ ex aliquo officio publico, vel facto licito, & honeſto, nullo præuio pacto naſcuntur, & quaſi contractus vocari ſolent, in quibus obligatió reſtituendi, non tam prouenit ex formali, & expreſſa contrahentium voluntate, quàm ex iuſtis legibus receptave conſuetudine; ita tamen vt vnus verum ius iuſtitiæ commutatiuæ aduerſus alterum acquirat: quod obſeruat Rebell. *4. part. lib. 7. quæſt. vnic. de mandat.* In his quaſi contractibus numerantur negotiorum geſtio, ſtipulatio, acceptilatio, procuratio, mandatum, & aliæ nonnullæ conuentiones. Hæc porrò mandati conuentio nuda dicitur, quia ſolo conſenſu conficitur *ϖεὶ συμφωνίας ἀγωγῆς ἐς* inquit Synopſ. Baſilic. Quare neque negotiorum geſtionem, neque factum vllum, neque præſentiam, neque certa verba, neque ſcripturam requirit, ſed ſola fide vtrimque data, aut veriùs, conſenſu perficitur. *l. 1. D. mandati*, & *l. 2. §. 1. D. de obligat. & action.* qua de cauſa inter abſentes contrahitur. *l. 2. citata.* atque adeò inter mutos. Nominant quoque *conuentionem*, quia voluntatem mandatum recipientis, ſiue mandatarij liberè conuenire cum mandante oportet: quare qui non libera, ſed quaſi ſeruili neceſſitate mandatum obit, non obligatur mandato: *l. æquum 19 §. 2. D. de negotiis geſtis. Si libero homini, qui bona fide mihi ſeruiebat, mandem, vt aliquid agat, non fore cum eo mandati actionem*, Labeo ait, *quia non libera voluntate exequitur rem ſibi mandatam, ſed quaſi ex ſeruili. Erit igitur negotiorum geſtorum actio: quia gerendi mihi habuit affectionem, & is fuit, quem obligare poſſem.* Quomodò hæc Labeonis ſententia cum Pomponij reſponſo *in leg. 13. §. ſi libera, D. commodati*: conſentiat videtint Iuriſperiti. Sanè Hotman. *in D. mandati, n. 2.* hunc nodum ſoluere noluit: ſed omiſſis eiuſmodi ambagibus, quæ ſæpiùs in iure occurrunt, certum eſt, mandatum potiùs æſtimari ex parte eius, qui illud accepit, nam licet nihil geſſerit, ex ſola tamen conuentione eo quod mandatum receperit, obligatur. *leg. 6. §. 1. D. mandati.* & ſanè mandatum Iſidoro dicitur, quod alter alteri manum det, nempè promittendo: itaque fortaſſis dabantur mandata præſentibus, apud Plaut. *in Captiu.* vbi Tyndarus Philocrati mandata dedit.

Hac per dextram tuam, te dextra retinens manu
Obſecro, infidelior, mihi ne ſis, quam ego ſum tibi.
—— —— mandauiſti ſatis.

Philocrat.

Satin habes mandata, quæ ſunt facta, ſi refero.

Nulla quoque certa verba requirit mandatum, ſiue *rogo*, ſiue *volo*, ſiue *mando*, quis dicat: hæc enim verba *roga*, & *recipio*, citra ſtipulationem mandatum perficiunt. *l. 1. D. mandati. l. quidam, D. de hæred. inſtit. l. 1. §. except. D. quarum rerum actio non dat. l. ſi negotium. l. ſi ſerui mei. D. de negot. geſt.* Mando quoque verbum precatium eſt; vnde Virgil. *idem orans mandata dabat.* Mandamus libero homini, imperamus villico, vel ſeruo. Tull. *lib. 1. de orator. Si mandandum aliquid procuratori de agricultura, vel imperandum villico ſit.* quare cùm is, qui quid rogatur, id ſe recipit gratuitò daturum, facturúmve, mandatum eſt. Fit quoque mandatum per nuntium, & litteras, inter abſentes. *l. 1. D. mandati*: quod in aliis quoque quibuſdam contractibus contingit, vt ſocietate; *l. 4. D. pro ſocio.* locatione & conductione. *l. ſi inter 21. D. de pignorib.* in emptione, & venditione. *l. 1. §. vltim. D. de contrah. emption.* Hæ verò litteræ non debent continere verba tantùm commendatitia, aut exhortatoria, aut conſilij: hæc enim mandatum non perficiunt. *l. 12. §. 12. D. mandati.* quia vt loquitur eo loco Vlpian. ea epiſtola *commendandi magis hominis, quàm mandandi cauſâ ſcripta eſt.* Neque qui ita ſcribit, præſtat factum, & negotium illud. Itaque familiares Epiſtolæ, quibus plerumque abſentes commendantur, ad pecuniam illis credendam, ad mandatum pertinere negat Imperator *leg. vltim. C. quod cum eo, qui in aliena poteſtat.* atque ex communi DD. doctrina in dubio non præſumuntur emiſſæ animo obligandi, ſed commendandi tantùm: idque verius erit in literis (vti vocant) credentiæ generalibos, quibus fidem haberi alicui volumus: quod enim obſcuræ & generales ſint, non obligant, niſi ſcribens voluerit ſuo periculo credi litteras deferenti, vel generalitas illa, laxitaſque litterarum quibuſdam circunſtantiis ad certam aliquam ſpeciem reſtringatur; veluti ſi inſtitor ipſe litteras deferat, tunc enim ſcribens præſumitur facultatem ei dediſſe in ea merce negotiandi.

Gratuita quoque eſt mandati conuentio, ideoque differt à locatione, & conductione, in qua mandans de mercede paciſcitur, & operas alterius compenſat: mandatum tamen non excludit ſpem donationis remuneratoriæ, immò neque promiſſionem remunerandi, vitandique ingratitudinem. Obligatio verò inde nata in mandante alia non eſt, quàm gratitudinis, quæ ſub mortali non obligat, nullaque acquiritur obligatio iuſtitiæ quoad hanc mercedem: quare ſapienter monet Molina *diſputat. 548. num. 5. tract. 1.* nefas eſſe vti hoc loco occulta compenſatione. Quod autem dicitur *leg. 1. C. mandati.* de ſalario apud Præſidem prouinciæ cognitionem eſſe, verum eſt, quia tunc ſalarium non petitur per mandati actionem, ſed extra ordinem, Prætoris, aut Præſidis cognitione: eoque pertinet *l. 7. D. mandati.* vbi Papinian. expendi vult, an procuratori pro labore ſalarium dare voluerint, quia mandatum gratuitum eſſe debet; neque ſibi contrarius eſt, *in l. qui nuntium 56. §. 3. D. eod. Salarium incerta pollicitationis, neque extra ordinem rectè petitur, neque iudicio mandati, vt ſalarium tibi*

Digitized by Google

conſtituat; quia ibi agit de *ſalario incerta pollicitationis*, cùm ſcilicet mandator neque definitè, neque certa quantitate ſalarium promiſit, ſed generaliter tantùm pollicitus eſt, ſe non ingratum fore, ſed honeſtum aliquod ſalarium præbiturum: tunc enim neque in iudicio ordinario, neque apud Prætorem peti poteſt, vti etiam edicunt Imperatores *l. ſalarium 17. C. mandati*. Neque repugnat Vlpian. *in l. 6. D. eod.* dum ait, *ſi remunerandi gratiâ honor interuenerit, erit mandati actio.* ibi enim honorem interueniſſe, non ſignificat honorarij pollicitationem interueniſſe, vt Latinæ linguæ peritiores facilè agnoſcent. Honor ſanè interueniſſe dicitur, quando honorarium ipſum traditum eſt: tunc verò ſapienter ait Vlpian. non competere conducti actionem, quaſi merces interueniſſet, ſed mandati; quoniam aliud eſt merces, aliud honor, ſiue honorarium: *l. 1. D. de extraord. cognit.* & ſalarium, ſiue honorarium aliquando datur in anteceſſum. *leg. idemque 10. §. idem Labeo, D. mandati.*

Dixi denique periculo mandatoris ſuſcipi negotium à mandatario: hinc enim ſolemnis illa in mandando formula: *Periculo meo crede*, benè credis. *l. ſi verò 12. §. ſi quis mandauerit 13. & ſeq. 14. D. mandat.* & *l. 22. §. 2. D. eod. l. Lucius 24. D. de fideiuſſorib. l. 1. §. 14. D. de depoſit.* ſanè ſtultitia quædam foret, res alienas ſuo periculo gerere, vti dicebat Salluſt. in Iugurtha.

2 Hinc non difficile intelliges quãtùm inter mandatum, commendationem, & conſilium interſit: Siquidem mandans negotium imponit, eiuſque gerendi ſe authorem probat, eius in ſe euentum, & periculum recipit. Qui commendat, magis perſo-perſonam, quàm negotium commendat, & ne illius quidem factum præſtat, vti nuper monuimus. Qui conſilium dat non reſpondet de ſuo, ſed de alieno negotio: quique conſilium accipit, non alteri, ſed ſibi negotium gerit, aut illius qui conſilium petit. *l. quintus 48. §. 1. D. mandati.* Deinde neque qui conſilium dat de euentu, & periculo, neque qui conſilium accipit, de negligentia, & fraude obligatur. *l. 2. §. 6. ſub fin. D. mandati.* & *l. 1. §. idem Pomponius 14. D. depoſiti.* Quare qui alicuius ſuaſu negotium alterius ſuſcipit, qui ita ſuaſit, mandati non obligatur, neque obligat: *l. idemque 10. §. ſi quis ea 7. D. mandati.* & pater, qui matris conſilio filiorum tutelam accepit; ſi eam malè geſſit, non liberatur, neque in matrem refunditur mala adminiſtratio: *l. 5. §. Papinianus. D. de admin. tutor.*

3 Diuiditur mandatum primò in expreſſum, & tacitum: Illud plerumque fit his verbis: *volo, rogo, mando*, ſiue per nuntium, ſiue per litteras, *l. 1. D. mandati.* Tacitum eſt, quod ſolo iuris intellectu conſtituitur: v.g. quandò ex aliquo noſtro facto, aut omiſſione alicuius, quod faciendum erat ad impediendum mandatum, intelligitur nos mandare: v. g. ſi quis altero pro ſe interueniente, aut fideiubente tacet, & non contradicit, atque adeò quod pro ſe abſente geſtum eſt, mandaſſe intelligitur: *l. 6. §. ſi paſſus. l. qui patitur 18. l. qui fide 33. l. ſi pro te 40. l. ſi is qui 50. D. mandati.* Immò ſi quis ratum habuerit quid ſuo nomine geſtum, obſtringitur (vt diximus) mandati; etiamſi falsò, qui geſſit, mandatum ſibi adſcripſerit: quod vltimum addit gloſſa *in l. ſi mater, §. hoc iure, D. de execut. rei iudicat* quam deinde ſequuti ſunt magno conſenſu DD. Prætereà ſi quis eiuſmodi literas ſcripſerit, rogare ſe vt cuicumque traderentur, mutuo pecuniam, eas deferenti daret; mandati ex his litteris obligari poterit, tametſi ignoraret cui traderentur: ita Bartol. *in l. ſi pupilli, §. 1. D. de negot. geſtis.* & alij deinceps. Temporis diuturnitate mandatum fuiſſe non probatur, niſi aliquod aliud ſignum ex enumeratis acceſſerit: Felin. *in cap. ſicut 18. §. 6. aduerte, de re iudic.*

Diuiditur ſecundò mandatum in generale, de rebus negotiiſque omnibus, & ſpeciale, de certo, & determinato aliquo negotio duntaxat. *l. 1. D. de procurator. l. ſolutum 11. §. vltim.* & *l. ſequi, D. de pignerat. action. l. 7. §. 1. D. quib. mod. pignor. ſolu. l. ſi quis mihi 25. §. 3. D. de adquir. hered.* Deinde vel hoc ſpeciale mandatum datur ad lites proſequendas, quod eſt propriè mandatum procuratorium; aut ad aliud quoduis negotium.

Tertiò aliud eſt mandatum abſolutum, aliud conditionatum, aliud in diem deſignatum differtur. *l. 1. §. 1. D. mandati.* Mandatum igitur diem, & conditionem recipit.

Quartò mandatum appellatur in procuratore negotiorum, in fideiuſſore, atque mandatore. Procurator ille eſt, qui cuiuſuis negotij præter lites gerendi mandatum recipit, vti iam monebimus de illo, *Art. ſeq.* Fideiuſſor, qui pro alio fideiubet, quamuis ſine mandatu expreſſo; ſi tamen eo patiente, & non contradicente fideiubeat, tacito ipſius mandatu negotium illius geſſiſſe dicitur: ſed de fideiuſſoribus *libro* 3. dicemus. Denique mandator is eſt, cuius mandatu, & ſuaſu aliquis ad credendam alteri pecuniam inductus eſt. Itaque aliud eſt mandatum procuratorium, aliud fideiuſſorium, aliud quod ſimplex, ſeu vulgare mandatum nominari poteſt.

Quintò diuiditur mãdatum à Caio, *in l. 9. D. mãdati.* in illud, quod cõtrahitur primò gratiâ tantùm mandantis: ſecundò alterius causâ: tertiò gratiâ mãdantis, & alterius cuiuſpiã ſimul: quartò mandantis, & mandatarij: quintò mandatarij, & alterius cuiuſpiam: ſextò denique ſolius mandatarij causâ. Sempronius mandat Caio, vt ſua negotia gerat, ſibi illum fundum emat, aut pro ſe fideiubeat: tunc ſolius Sempronij mandantis causâ agitur: aliàs mandat eidem Caio, vt Titij negotia gerat, illi fundum emat, vel pro illo fideiubeat: quo caſu non Sempronij mandantis, ſed ſolius Titij res geritur. Aliquando mandat, vt ſua ſimul, & Titij gerat negotia: quod mandatum, & Sempronium mandantem, & Titium reſpicit: aliàs ei mandat, vt ſub vſuris credat illi, qui rem ipſius mandantis mutuabitur: & tunc tum mandantis negotium eſt, tum ipſius mandatarij, qui ex mutuo data pecunia capiet vſuras. Quod ſi mandet Caio, vt Titio ſub vſuris credat, mandatarij ſimul, & amici Titij commodum intendit: nam ſi mandaſſet tantùm, vt Titio pecuniam crederet, & ſine vſuris, Titij gratiâ duntaxat mandaret, neque inde Caius mandatarius proficeret. Denique ſi mandet Sempronius Caio, vt ſuas ipſiuſmet proprias pecunias in emptiones prædiorum, potiùs quàm in fœnora impendat, ſolius Caij mandatarij gratià fit eiuſmodi mandatum: ſed illud potiùs conſilium, quàm mandatum eſt, & ob id non eſt obligatorium.

4 Venio ad perſonas, quæ mandatum dare, & accipere poſſunt: atque in primis omnis, & ſolus, qui ſe ipſe negotium aliquod gerendo obligare poteſt, de illo quoque mandatum dare valet, quia cùm, qui mandat author negotij fiat, euentuſque in ſe periculum recipiat, debet poſſe ipſe ſe obligare, alioquin ſolus mandatarius euentum, & periculum præſtaret, quod iniquiſſimum foret: cùm enim

(vti

Digitized by Google

(vti diximus) mandatum ſit gratuitum, ſummæ ſtultitiæ foret, aliena negotia ſuo periculo gratis ſuſcipere: quod ex Saluſtio monebamus. Ex hoc certa, vniuerſalique regula colliges, quinam mandatum dare poſſint: furioſus enim nequit *l. 2. de procurat.* cæcus autem, mutus, & ſurdus mandare poteſt, non modò præſens, ſed & abſens *l. 1. D. mandati.* non modò negotij dominus, ſed & ipſe mandatarius, qui mandatum recepit *l. 8 §. ſi quis, D. eod.* Deinde paterfamilias, & filiuſfamilias, ipſeque adeò ſeruus de rebus domini ſui gerendis, vel de rebus ſuis peculiaribus mandans, mandati actionem vel domino, vel in dominum parit. *l. 1. C. de furtis. l. ſeruum 53. D. de procurat. l. 3. §. Iulianus, D. de pecul. l. ſi ſeruus 66. D. de fideiuſſor.* mulier ſi ſuũ negotium gerit, mandati obligari poteſt, *l. idemque 10. §. & Papinianus, D. mandati. l. ſi mulieri 22. & l. Paulus 32. D. ad Vellejan.* at pro alio intercedendo non poteſt: v. g. nequit mandare alicui, vt alteri pecuniam credat, idcircò eius mandatum irritum appellatur *l. 7. D. ad Vellejan.* Denique pupillus, ſi ſine tutoris authoritate mandet, obligabitur, ſi eo mandato fiat locupletior. *l. etſi quis 14. §. 15. D. de religioſ.*

Mandatarij eſſe poſſunt, & recipiendo mandato obligari paterfamilias, & filiuſfamilias, *l. ſi verò 12. §. ſi filio l. pen. D. mandati. l. mandaſti 46. D. de negot. geſt.* in ſeruum mandatum non cadit, etiam bona fide ſeruientem: quod nuper obſeruaſſe me memini ex *l. atquin 19. §. libera, D. de negot. geſt.* manumiſſus ex ante geſtis, ſi modò etiam manumiſſus geſſit, tenetur, *l. cum actum 17. D. eod.* Aliud verò eſt, ſeruum ex iuſſu Domini agere, aut contrahere; aliud ex mandato. *l. 1. §. 1. D. quod iuſſu:* & *l. 3. C. quod cum eo.* nam iuſſus neceſſitatem imponit: mandatum verò liberum ſeruo arbitrium relinquit: & qui mandatu patris, dominive contrahit, tanquam procurator, & extraneus contrahit: in mandato ſiquidem (vt ſtatim dicebamus) requiritur libera voluntas, non ſeruilis neceſſitas: qui verò iuſſu contrahit, ex domini perſona contrahit. Quare in cauſa reſtitutionis in integrum diſpicitur, an filiuſfamilias iuſſu, vel mandatu patris negotium geſſerit: nam ſi mandatu, non reſtituitur, *l. 3. §. vlt. D. de negot. geſt.* & *l. 4. l. cum mandato 23. l. patri 27. D. de minor.* Præterea Pars, quæ iuſſu domini cum ſeruo contrahit, ſuam rem gerit: qui mandatu, mandatoris negotium gerit, & periculo eius contrahit, mandatique illum obligatum teneri oportet, *l. 1. §. idem Pomponius, D. depoſiti.* Differunt igitur mandatum, & iuſſum, ſiue imperium: quod etiam obſeruare licet *in l. ſi ſeruus 23. D. de precar. l. ſi mandati 9. C. quod cum eo,* &c. & ſeruus capax eſt iuſſus, non mandati. Mulieres verò aliena negotia, præter lites, ex dominorum mandatu gerere poſſunt. *l. 10. §. & Papinianus, D. mandati. l. 3. D. de negot. geſt. l. 7. §. 1. D. de inſtitor. action.* Denique quando plures mandatarij ſimul mandatum acceperunt, ſinguli in ſolidum obligantur; ita tamen vt vnius ſolutione reliqui liberentur.

5 Materia mandati in primis eſt alienum negotium mandatario, quia non ſibi, ſed alteri negotium gerit, *l. Quintus 48. §. 2. D. mandati.* & quamuis negotium mandatum ſit aliquando commune mandatario, & mandanti, vel alteri, cuius causâ fit mandatum; non geritur tamen ex mandato, niſi quatenùs alienum eſt mandatario: nam prout eius proprium eſt, agit mandatarius ex conſilio, potiùs quàm ex mandato, vti explicuimus ex *l. 2. D. mandati.* eius autem geri negotium dicitur, cuius id fieri intereſt, & ad quem negotio geſto, pertinet emolumentum, & non geſto, damnum. *l. cum mandatu 21. l. Quintus 48. §. 1. D. mandati.* Siue igitur ſolius mandatoris, ſiue ſolius alicuius alterius tertij, ſiue communiter ipſorum, aut communiter mandatarij, & mandatoris; aut mandatarij, & tertij interſit, quatenus non agitur de vtilitate mandatarij, eatenùs mandati obligatio contrahitur.

Secundò rei turpis, aut iniuſtæ, ſiue contra bonos mores, aut contra ius ſcriptum, mandatum nullum eſt, *l. 6. §. rei turpis, D. mandati.* Vt ſi quis luxurioſus mandaret alicui, vt meretrici pecuniam crederet, aut pro ea fideiuberet. *l. ſi verò 12. §. adoleſcens, D. eod.* ſi vt furtum faceret, *§. 3. inſtitut. mandati.* ſi homicidium, aut ſacrilegium, *l. ſi mandauero 22. §. idem, D. eod.* ſi vt fugitiuum ſeruum vendat: quod S. C. prohibetur, *l. quod ſæpè 35. § ſi quis, D. de contrah. empt.* In his mandans non obligatur mandati, & mandatarius punietur, ſi iſta exequatur, neque aduerſus mandantem actionem habebit, quinimmò mandatarius tenebitur in conſcientia reſtituere quæ pro eo iniquo mandato exequendo acceperit, niſi mandato impleto, in ſui laboris, & operæ ſtipendium ea retineret: qua etiam in compenſatione ſeruanda erit æqualitas. Præterea ſi quod damnum ea de cauſa alteri intulit, reſtituenda ſunt primò, & principaliter à mandante; in eius tamen defectum à mandatario reddenda erunt, ad idque in vtroque foro obligatur.

Effectus mandati eſt in primis par, eademque in negotio mandato gerendo, quatenùs mandatum eſt, mandatarij poteſtas, quæ mandatoris fuit: eſt enim (vti de procuratore dicebat Cicero) mandatarius quaſi quidam dominus, & alieni iuris vicarius. Vnde fit, vt cum quid alicui noſtro mandato traditum eſt, nobis traditum videatur *l. ſi procurator 13. D. de adquir. rerum dom.* qui per alium geſſit, ipſemet geſſiſſe videtur, *l. 5. §. 1. D. de admin. tut.* qui per alium damnum dat, ipſe dediſſe intelligitur, *l. 15. damnum. 169. de regul. iur.* qui per alium aliquid corrumpi mandauit, ipſe ſuis manibus corrupiſſe videtur, *l. ſi quis id quod 15. D. de iuriſdict.* cuius mandatu quis deiecit, qui mandauit deieciſſe videtur, *l. 1. §. ait prætor, D. vnde vi.* cui mandatu alterius rei cuſtodia traditur, is ipſe cuſtodire videtur, *l. quarumdam 51. D. de adquir. poſſeſ.* ſi cui noſtro nomine ſolutum eſt, nobis ſolutum intelligitur, *l. ſolutum 49. l. qui hominem 34. § ſi Titium, D. de ſolutionib.* Quæ omnia aliaque ſimilia diligenter collegit Hotman. *in Epitom. D mandati, num. 26.* hanc tamen mandatarij poteſtatem reſtrinxi illis verbis, *quatenùs mandatum eſt*: quia non habet mandatarius poteſtatem, niſi circa rem mandatam, & ſecundum formam, atque fines mandati præſcriptos a mandatore: ſi enim certam formam aliquem actum ſeruari voluerit mandans, eamque mandatarius non ſeruauerit, ſiue præter eam, ſiue contra eam agendo, non nocebit mandanti, ſed ad damnum quod inde caperet, tenebitur mandatarius; quare mandans poterit rem ſuam vindicare, ſi mandatarius eam vendidit præter formam præſcriptam, aut minori pretio, & tenebitur mandatarius de euictione, ex *l. cum mandanti 12. C. mandati:* & *l. ſi quis pro eo 46. D. eod.* quia qui certo pretio rem ſuam vendi mandat, non intelligitur alienandi, & vendendi poteſtatem, niſi eo conſtituto pretio, permiſiſſe: nihilominùs emolumentum ex formæ mandati tranſgreſſione ſubſequutum debetur mandanti: vt ſi equum quis iuſſerat 6

rat vendi centum, mandatarius vendidit centum & decem: mandauerat veſtem Titius emi C. mandatarius verò emit XC. mandanti competet actio mandati, pro illo intereſſe recuperando, quia rem mandantis egit mandatarius, & non ſuam, neque emolumentum ex re aliena capere poteſt, neque fines mandati tranſiliendo, nocere mandanti.

7 Alter mandati effectus eſt, quod mandatarius non ſibi, ſed mandanti acquirat, proinde totius rei periculum, ſi ex culpa mandatarij prouenerit, præſtat, vti nuper monuimus. Hinc verò grauis oritur difficultas, quænam per procuratorem, aut mandatarium alieno nomine geri, aut adquiri poſſint, eo quod ſolemnis regula iuris ſit per extraneam perſonam nihil adquiri poſſe, *§. vlt. inſtit. per quas perſ. l. 3. D quod vi, aut clam. l. ſi quis ſolutionis. 24. §. 2. D de vſur. l. cum vnus 12. D. de reb. auctor. iud. poſſid.* Denique Paul. generalem regulam tradidit, *in l. quæcumque 11. D. de obligat. & action.* geri negotium ab altero, vt ex eo contractu alteri cõpetat actio, non poſſe: ideoque neque ſtipulari, neque emere, vendere, aliòve modo contrahere, vt alteri obligatio quæratur, licere. Denique fuit hæc iuris ciuilis ſubtilitas, vt actione vni quæſita, vti alter ſine ceſſione non poſſit: E contrario verò alia regula, eaque vniuerſalis eſt, vt quæ obligationes nuda conuentione contrahuntur, eæ omnes etiam inter abſentes contrahi per nuntium poſſint, *l. 2. de obligation. & action.* Deinde cuius nomine quæque res emitur, & emi dicitur, *l. 1. & paſſim, C. ſi quis alteri, vel ſibi.* Hanc controuerſiam pluribus agitat Hotman. *in D. mandati, à num. 1 n.* & varias, diſſidenteſque peritorum iuris ſententias refert, atque conciliare conatur. Noſtrum non eſt, hanc antinomiam dirimere, quæ ferè ad forum externum ſpectat: nam quoad internum, cum mandatarius alieno nomine & ſumptibus, alienum quoque negotium, non ſuum gerat, certum nobis eſſe debet, illum non ſibi, ſed mandanti laborare, & acquirere.

8 Tertius effectus mandati, eſt reciproca mandantis, & mandatarij obligatio: & mandatarius quidem tenetur de dolo, & lata culpa; non autem de leuiſſima, quoties mandatum in ſolius mandantis vtilitatem, & gratuitò ſuſcipitur: quod ordinariè, & communiter contingit; qua de cauſa depoſito comparatur, *l. ſi ſeruus 61. §. quod verò, D. de furtis.* iam verò pridem nobis conſtat in iis, quæ alterius tantùm causâ ſuſcipiuntur, non niſi dolum, & latam culpam præſtari à gerente illa, *l. 5. §. 2. D. commodati: l. ſi ſeruus 108. §. cum quid, D. de legatis 1.* Itaque in depoſitu negligentia non coërcetur, *l. 1. §. 2. D. de oblig. & action.* Similia ſæpiùs toto *opere de Vſuris*, in variis contractibus obſeruauimus: & ſanè qui negligenti amico ſuum negotium credidit, de ſe ipſe vno queri debet. Quando verò mandatum in vtilitatem quoque mandatarij cadit, vti aliquando contingere, nuper monebamus, tenebitur de culpa leui, quia exactam diligentiam debet, non tamen leuiſſimam culpam præſtabit, & multò minùs caſum fortuitum, niſi aliter conuentum, & pactum fuerit: quod fieri poſſe traditur *l. & Ariſton. 39. D. mandati.* Præterea *l. 5. §. vlt. D. de praeſc. verb.* dicitur licere in mandato, contractus naturam per pactum excedere, ſi conuenerit vt mandatarius cuſtodiam præſtet: nomine verò cuſtodiæ, periculum, & fortuiti caſus illo loco intelliguntur, vt alibi ſæpiùs *l. 2. in fin. D. de peric. & commod. leg. ſi gratuitam 17. §. pen. D. de praeſc. verb.* Cùm verò *leg. procuratorem 13. C. mandati.* dicitur, procuratorem præſtare dolum, & culpam, & *in l. à procuratore 13. C. eod.* additur omnem culpam; de eo qui ſtipendia accipit, aut in ſui quoque vtilitatem aliena negotia gerit, explicandum erit: vel dic non ſatis conſtitiſſe inter veteres, vtrum culpa leuis, an etiam leuiſſima in mandato præſtaretur, cùm diuerſa fuerint eorum placita: quod non diffitetur Hotman. *in l. 11. & 13. C. mandati*: neque *in epitom. D. eiuſdem. n. 20.* controuerſiam definire voluit. Dico præterea, veteres illos exiſtimaſſe doli quandam ſpeciem eſſe, minorem in alienis, quàm in ſuis rebus diligentiam adhibere, *l. quod Nerua 32. D. depoſiti.* Idcircò cùm culpam præſtari volunt à mandatario, eam intelligunt, quæ fortaſſis leuis ſit in ſe ſpectata; ratione tamen fidei, quidam veluti dolus æſtimatur. Eóque refero, quod de eiuſmodi crimine habet Tull. *orat. pro Sexto Roſcio Amerin.*

Secundò tenetur fines mandati ſeruare: quare ſi ſua culpâ non ſeruarit, tenebitur, quanti mandatoris interfuerit, *l. ad comparandas, C. mandati. & l. 5. l. ſi quis præco 46. D. eod.* quia qui mandati fines egreditur, non quod ſibi mandatum eſt, ſed aliud quid gerit: laudaturque ab Agell. *lib. 1. cap. 13.* P. Craſſus, qui cùm Leucas oppidum Proconſul oppugnaret, mandaſſetque Architecto Athenienſi, vt ex duobus malis, quos ibi viderat, maiorem ad ſe mitteret, faciendo arieti ad muros quatiendos, illéque minorem, quem iudicaſſet magis idoneum huic operi miſiſſet, eum ad ſe vocatum virgis cædi iuſſit.

Mandator verò tenetur primò rem ſuo mandatu geſtam probare, atque ratam habere, niſi mandatum violarit, v. g. rem ſuo mandatu emptam recipere, alioquin pretium, & vſuras debebit, *l. ſi verò, §. ſi mihi, D. mandati.* Deinde ſumptus à mandatario factos in mandato conficiendo, ſuppeditare, *l. 1. C. mandati: l. idemque 10. §. idem Labeo, D. eod.* Neque intereſt quod ipſe mandans, ſi ſuummet negotium geſſiſſet, minores feciſſet impenſas, *l. ſi quis 27. §. pen. D. eod.* neque quod mandatarius conficere negotium, & ad exitum perducere minimè potuerit, *l. qui mutuam 56. §. vlt. D. mandati.* Denique licet pecuniam ad mandatum exequendũ, ſiue ab ipſo mandante datam, ſiue ab alio quopiam mutuo acceptam, ſine culpa perdiderit, veluti naufragio, incendio, latrocinio, aliòve caſu fortuito, illam tamen debebit præſtare mandator, *l. ſeruus 27. D. de in rem verſo: l. ſine hereditaria 22. D. de negot. geſt. l. quæ fortuitis 5. C. de pignorat. action. l. à procuratore 13. C. mandati. l. 10. D. eod.* quinimmò eo nomine mandatarius vſuras conſequitur, quarum quantitas ex æquo, & bono definietur à iudice. *l. ſi verò 12. §. ſi mihi, D. eod.*

Tenetur quoque mandator ex aliqua nonnunquam leui culpa, vt ſi ſeruus eius mandato emptus furtum fecerit mandatario: nam ſiue id ſciuerit, ſiue neſciuerit, detracta noxæ deditione in ſolidum, damnum præſtabit, *leg. inter cauſas 26. §. ſed cùm ſeruus, D. mandati: l. ſi ſeruus 61. §. quod verò, D. de furt.* poſtulat enim æquitas, ne mandatario officium ſuum detrimento ſit.

9 Tertius effectus, eſt actio mandati, quæ ex obligatione naſcitur vltro citroque, vt quòd eum, qui geſſit viciſſimque cuius negotium geſtum eſt, ex æquo & bono præſtare oportet, inuicem præſtent, *l. 2. & l. 5. D. de obligat. & action.* idcircò duplex eſt eiuſmodi actio: directa ſcilicet, & contraria.

Directa actio mandati eſt ciuilis, & perſonalis, daturque mandanti aduerſus mandatarium, qui

recepit

receperit mandatum, negotiumque ſibi demandatum ſuſcepit: vt ſi, quod vel non bona fide, vel negligenter geſſerit, quanti mandantis intereſt, eo nomine damnetur, *l.ſi quis alicui 27.§.2.D.mandati.* Mandanti (inquam) conceſſit, quia niſi mandatum reipſa præceſſerit vel tacitè, vel expreſsè, modo nuper explicato: etiamſi falſa mandati opinione negotium geſtum ſit, non dabitur actio ex mandato, ſed alia quæpiam. *l.ex mandato 20.D. mandati.* Si quis igitur rogatus rem emere, vel eam non emit, vel emptam reſtituere nolit, tenebitur hac actione, *l.8.§.vlt.D.eod.* Si quis rogatus excutere vires hæreditaris, eam velut exilem, & tenuem viliùs à me emerit, aut in facultates eius, qui mutuum rogabat, inquirere eum tanquam idoneum mihi renuntiauit, eadem actione tenetur, *l.ſi mandauero 42.D.mandati.* Quod idem fiet ſi Seianam domum emere iuſſus, Titianam emerit, *l.5.D.eod.* ſi mandati fines exceſſit, ſi contra mandati reuocationem, & denuntiationem fecerit, *l.ſi hominem 30.D.mandati.* In iis, aliiſque ſimilibus, in quibus vel dolo, vel negligentia peccauerit mandatarius, actione mandati tenebitur, & quanti intererit mandantis damnabitur, quia nunquam hæc directa mandati actio datur, niſi quatenùs intereſt actoris. *l.8.§.mandati.l.ſeruum 49. D. eod.* prætterquam in tutelæ, & pupillorum negotiis: nam qui contutorum mandato aliquid non geſſit, quamuis neque pupilli, neque mandantium interſit, mandati tamen tenetur, *cit.l.8.§. ſi tutores*: eius autem quod intereſt nomine veniunt etiam vſuræ: his adde, damnatum hac actione, infamia notari, *l.1. D.de his.qui not.infam.* & *l.21.C.eod.*

10 Altera actio mandati eſt contraria, daturque ei, qui alterius mandato negotium aliquod geſſit, aduerſus eum, qui mandauit, vt quod eo nomine illi abeſt, recuperet. *l.ſi verò 12.§.contrario, D.mandati*: *l.ſi mandatum 14. C.de negot. geſtis.* Dixi eo nomine, quia eatenus tantùm hæc actio competit, quatenus alienum negotium geſtum eſt: nam etiamſi quis in ſuo fundo ædificauit mandatu alterius, eatenùs actionem habebit, quatenùs eius causâ plus impendit, *leg. ſi quis mihi 16. D. mandati.* Si quid autem mandatario in conficiendo mandato contigerit, non ex mandati cauſa, ſed aliunde, vt ex morbo, naufragio, latrocinio, illud in hanc actionem non veniet, *l.inter cauſas 26. §.non omnia. D.mandati*: quod tamen ita moliendum eſt, vt ea dãna non contigerint directò propter mandati executionem. Grauis porrò difficultas eſt, an hæc actio contraria competat mandatario, qui mandanti fines exceſſit, vt ſi fundum emere iuſſus C.aureis, emerit CXXX. nam Sabiniani ſummum ius ſequuti negabant: Proculiani verò ex æquo, & bono concedebant, quatenùs id quod mandatum fuit, geſtum eſt, & non ſecundum exceſſum: quæ ſententia in foro interno ſequenda omninò erit: in externo verò illud, in quo mandatarius fines mandati exceſſit, non repetet quidem actione mandati, ſed negotiorum geſtorum, quatenus vtile fuit domino: ſed hæc forenſia ſunt.

11 Mandatum ſoluitur primò reuocatione, vel (vt loquuntur) pœnitentia mandantis, qui denuntiat per ſeſe, vel per alium mandatario, ne mandatum exequatur, *l.ſi verò 12. §.pen. l.ſi mandauero 22. §. vlt.l.ſi hominem 30. D.mandati.* Si tamen mandatarius neſciens mandatum eſſe reuocatum defectu renuntiationis ſibi factæ, mandatum exequatur, mandatorem obligabit; *l.ſi mandaſſem 15. D.eod. l. ſi ſeruus 32.D.de ſolution. l.4. D. de manum. vind.* Quare qui mandatum ignorans reuocatum eſſe, ſoluit, liberatur, *l.ſi verò 12. citata,* & *l.ſi quis ſeruo 18.D. de ſolut.* quorum ratio eſt, quia vti obſeruabamus *diſquiſ.5.de cenſur.quæſt.1.num.7.* cùm mandatum ſit tantùm intimatio voluntatis mandantis, mutata illa voluntate, & intimata, atque ſignificata mandatario, iam ſufficienter tollitur mandatum, & ceſſat omnis influxus, & motio in actionem; quam ſi nihilominùs pergat exequi mandatarius, iam agit ex propria voluntate, & non mandantis, cui proinde negotium priùs mandatum non poterit tribui, cùm ab illo reuerà non prodierit, ſed mandatario, qui iam ſuo nomine, non mandantis agit. Ad hanc verò validam reuocationem debet res mandata eſſe adhuc integra, poteritque eodem modo mandatarius & renuntiare mandatum, vel iam acceptum etiam obiicere, modò res adhuc ſit integra, & tempore moneat mandatorem; quia cùm hæc omnia gratuita ſint, & pendeant a libera voluntate, pro arbitrio fieri poſſunt, quamdiù non erit damnum tertij, quod vitare tenearis: immò Axor 3.*part. lib.9 de mandato, cap.7.* negat, pactum de non reuocando mandato, fieri poſſe, quinimmò ſi quis iuret ſe non reuocaturum, ſi deinde reuocet, validam fore reuocationem, quamuis ille periurium committat. Secundò mandatum reuocatum intelligitur, vbi inter mandantem, & mandatarium exortæ ſunt capitales inimicitiæ. *l. ſanè 23. D.mandati.*

Soluitur denique mandatum morte mandatoris, aut mandatarij, re integra, id eſt ſi nondum obiri cœptum ſit, *l.mandatum 15. C.mandati*: *l.inter cauſas 26.* & *l.57. D.eod.* niſi tamen mandatũ fuerit de re poſt mortem facienda, vt ſi quis mandauit Titio, vt poſt mortem ſibi quidpiam fieri curaret, hæres poterit mandati agere, vt perficiatur, *l.ſi verò, §.vlt. D.mandati.* Alios ſimiles caſus adducit Axor *cap.7. citato.* quem conſule.

ARTICVLVS VIII.

De Procuratoribus.

Procurator quis. numero 1.
Quotuplex procurator. 2.
Quinam procuratores conſtituere poſſunt. 3.
Quinam conſtitui. 4.
Obligatio procuratoris. 5. 6.
Actio inde nata. 7.
Ceſſatio procuratoris. 8.

CONſtitutio procuratoris eſt veluti pars ſubiectiua mandati, & procurator mandatarij: quare quæ de mandatario fuſiùs diſputata ſunt, valent quoque in procuratore, de quo tamen pauca ſingillatiùs explicanda videntur.

Eſt igitur procurator, qui alteri, in eius negotiis gerendis, vicariam præſtat operam de ipſius mandato. Græcis dicitur διοικητὴς quaſi actor, adminiſtrator, diſpenſator, defenſor, & tractator: hæc enim omnia ſignificat διοικῶ. Vnde Iſocrat. dixit ταπεινῶς βίον διοικεῖν humiliter vitam ſuam diſponere, & inſtituere: Plato verò τὰ πολιτικὰ διοικεῖν, τὴν πόλιν διοικεῖν Rempublicam adminiſtrare, ciuitatem moderari. Definitur procurator in ſynopſi Baſilic. *lib.8. tit.2.* διοικητὴς ὁ ἀντ' ἄλλου διοικῶν τὰ τοῦ

τοῦ ἀπόντος πράγματα actor ſiue mandatarius, cui demandata eſt negotiorum abſentis adminiſtratio, quique tam agit nomine negotiorum abſentis, quorum facit adminiſtrationem, ſiue quæ gerit καὶ ἐνάγων, καὶ ἐναγόμενος ὑπὲρ τῶν τοῦ ἀπόντος πραγμάτων ὧν τὴν διοίκησιν πεποίηται: dicitur etiam defenſor, mandatarius, & aduocatus διοικητὴς, καὶ ἐντολεὺς καὶ συνήγορος. Statim verò apparet quàm ſit neceſſarius Reipublicæ procuratorum vſus, ne qui rebus ſuis præſentes eſſe volunt, vel non poſſunt, poſſint ſaltem per alios agere, vel conueniri, vt habetur *l.1. D. de negot. geſt.* & vt loquitur Synop. Baſilic. ne abſentium tanquam indefenſorum ὡς ἀνεκδικήτων res vel poſſideantur, vel vendantur, vel pœnæ committendæ actionem patiantur, aut alia qualiber iniuria res ſuas amittant defectu defenſoris.

2 Procurator alius eſt ad lites, nempe qui mandatum ſibi negotium litis exercendæ gratis accepit, per quem actionem acquirimus, retinemus, & exercemus, *l.8. ſi quis, D. mandati: l. procuratorem 72. D. de procuratorib.* Dixi gratis accipi mandatum procuratorium, quia conſtat ex *artic. ſuperiori*, mandatum gratuitum eſſe oportere: & ſanè ſi pacta mercede procurator conſtitueretur, locator potiùs diceretur. Quod tam ſanctè à veteribus obſeruatum fuit, vt ſi quid vel principaliter, & directò, vel extrinſecùs, & per accidens ex lite eſſet conſequutus, illud reſtituere teneretur, *l. qui proprio 46. §. procurator, D. de procuratorib.* Solebat tamen ipſis aliquid gratitudinis causâ in remunerationem dari, quod & ſalarium, & honorarium dicebatur; quod ſi certum erat, peti poterat per Præſidem, ſi incertum, non poterat: vti diximus nuper de mandato. *ex l. 7. l. qui mutuam 56. §. vlt. D. mandati: l. ſalarium 17. C. eod. l. 1. §. in honorarij, D. de extr. cognit.* Hodie iſti procuratores ad lites locant ſuam operam, ſuntque in Iudicum Tribunalibus ad illud officium deſtinati, principis authoritate, habentque ſibi definita ſalaria. Eſt verò procurator tã Actoris, quàm Rei, cùm ab alterutro mandatum habet, *l.1. C. de ſatisdat.* & *§. vlt. inſtit. de his, per quos agere.* Defenſor verò dicitur ſolius Rei, cuius nomine, ſua ſponte, ac ſine mandato iudicium ſuſcipit, ſeſeque liti alienæ obtulit, *l. minor 51. D. de procurator. l. ſi cùm procurator 23. D. de re iud. l. iuſiurandum 32. §. 2. D. de iureiur.* Vnde habemus rubricam de procuratoribus, & defenſoribus. Deinde alius eſt procurator abſentis, alius præſentis, quem propriè dici volunt cognitorem: ideo rubricam de procuratoribus, & cognitoribus legimus apud Paul. *lib. 1. ſenten.* & *in C. Theodoſ. lib. 2.*

Alius eſt procurator ad alia negotia, quàm ad lites, qui aliquando ſimul & ad lites, & ad alia negotia deſtinatur, nonnunquam ad certas lites, aut certa negotia, aliàs ad omnes lites, aut ad omnia negotia, & denique ad omnes lites, & omnia negotia ſimul, qui dicitur procurator vniuerſorum bonorum, *l.7. D. de calum.* & *l.12. de ſolutionib.*

Secundò diuiditur procurator in mandatarium, & voluntarium. Mandatarius, qui & verus, & propriè dictus procurator eſt, is eſt, cui vel agendæ litis, vel gerendorum negotiorum mandatum factum eſt, *l.12. de ſolution. §.1.* Procurator verò voluntarius, qui ſua ſponte negotium alienum ſuſcipit, & quidem ſi litem ſuſcipiat, defenſor (vti nuper monuimus) ſi alia negotia, propriè negotiorum geſtor dicitur, quamuis & ſæpiùs procurator quoque nominetur, *l. ſi ſine 22. §. quod ſi. l. vltim. D. rem rat. hab. l. ſi quis. l. 58. D. de ſolution.* Nonnunquam quoque falſus procurator appellatur, *l.1. § vlt.* & *l.1. in fine, D. quod iuſſu. l. 43. & 44. D. de furt.* nihilominus per domini ratihabitionem procurator euadit, *l. licet 56. D. de iud.* Hoc tamen nomine voluntarij procuratoris non cenſetur, qui ſuam operam inuito, & repugnanti importunè obtrudit, nam potius ſuſpectus habetur, *l. quæ omnia 25. D. de procurator.*

Tertiò quidam procurator eſt rei alienæ, quidam eſt in rem ſuam, & deni que quidam particeps, ſiue intermedius nominatur. Primus ille, qui rem, aut litem alienam alieno mandato agit, proprius, & verus procurator eſt: alter ex alieno mandato litem ſuam agit, quia ſibi ceſſas, & mandatas ab alio actiones proſequitur, in rem atque vtilitatem ſuam, *l.4. C. de procurator. l.6. §. vlt. D. mandati*: v.g. qui alterius nomen, vel debitum, aut hæreditatem emit, *l.1. C. de contrario iudicio tutelæ,* & *l.34. D. de procurator.* is verò domini loco habetur, *l. ſed ſi tantùm 13. D. de pactis*: ad eum quippe euentus damni, aut emolumenti pertinebit, *l.1. § in propria, D. quando appellandum ſit*: ac proinde vtilem actionem habet, dominoque cui directa competit, præfertur, *l. procuratores 55. D. de procurator.* Procurator particeps, ſiue intermedius eſt, qui partim proprio, partim alieno nomine litigat, *l. 1. quando appell.*

Omnes qui ſuo nomine actionem habent, procuratorem dare poſſunt, niſi aliqua lege prohibeantur: nam quod quiſque ſuo nomine facere prohibetur, vix vnquam per alium facere permittitur: quare filiusfamilias in actionibus quæ ipſi competunt, procuratorem dabit, *l. 8. D. de procurator.* neque ſeruus ad lites, *leg. ſeruum 33. D. eod.* neque qui in hoſtium poteſtate eſt captiuus, aut ſeruus, *l.14. & 15. D. ex quib. cauſ. maior.* Minor, & pupillus ſine tutoris, aut curatoris authoritate, dant procuratorem, *leg. neque 11. C. de procurat.* Immò neque ipſe quidem curator ante litem conteſtatam dicitur, *l.8. §.2. D. mandati.* & *l.8. 11. & 25. C. de procuratorib.* Mutus, ſurdus, & cæcus dare poſſunt, *leg. mutus 43. D. eod.* denique infames procuratorem conſtituere nequibant iure antiquo, *l.1. §.4. & 7. D. de poſtul.* & Quintill. *lib. 3 cap.6. & lib.7. cap.5.*

Non omnes tamen paſſim conſtitui procuratores 4
poſſunt: nam ad id munus legitimam ætatem exigit Imperator, *l. 12. C. de procurator.* quam ætatem 25. annorum vulgò dicunt Interpretes. Hotman. verò *in D. de procurator. num.7.* requirit duntaxat decem & octo annos inchoatos, quia ad poſtulandum ea ætas duntaxat requiritur *§. vlt. inſt. quibus ex cauſis manumit. non licet,* & *l.1. §.3. D. de poſtul.* qua ætate fertur Nerua filius publicè de iure reſponſitaſſe. Cùm igitur ex ætate ſtrum attingere, & poſtulare liceret, cur non & procuratorem agere? non aliam igitur exigit Imperator in illa *l. 12.* in qua poſcit legitimam ætatem, ne quis ab officio procuratoris repellatur, quia legitima ætas in iure intelligenda eſt ſecundùm ea, de quibus hoc loco agitur. Alij vt hoc diſſidium componant, ætatem 17. annorum requirunt in procuratore ad negotia: at verò in procuratore ad lites XXV. annos; *cap. qui generaliter 5. de procuratorib. in 6.* Fœminæ in exercendis litibus procuratores agere non poſſunt, niſi in rem ſuam, & proprium lucrum mandatæ ſint illis actiones, *l 4. C. de procuratorib.* quamquam ex quadam æquitate pro parentibus, marito, & liberis cauſa cognita, & ſi nullus adſit alius defenſor, ipſis agere permittitur, *l. 41. D. eod.*

D. eod. ad cætera verò negotia procurationem accipere poſſunt. Serui procuratores eſſe nequeunt, neque qui Reipublicæ cauſa diutiùs abfuturi ſunt, neque qui morbo perpetuo tenentur, neque infames, milites, magiſtratum inituri, poteotiores, & inuiti procuratores dari queunt, adlites ſcilicet. Quæ ſingula ex *D. & C. de procuratoribus*, paſſim obſeruant Ioterpretes: ſed ea pertinent potiùs ad forum externum, quàm ad noſtrum inſtitutum, ſicut & illa alia quæſtio, In quibos cauſis, & actionibus poſſint dari procuratores, de qua quædam ſingularia obſeruat Cuiac. *lib.* 15. *cap.* 16. quamquã fortaſſis aliquid in conſectariis artic. proximo, ad tollendam aliquam antimomiam, perſtringemus.

5 Obligatur procurator primo contractu mandati domioo, *l.* 8. §. 1. *D. mandati.* modò procorator mandatum ratum habeat, *l.* 1. *D. de procur.* Nam ſi non conſenſerit, non obligatur, quamuis non contradixerit, *l.* 8. §. 1. *D. eod.* Secundò obligatur, vt rectè (hoc eſt boni viri arbitrato) cauſam agat, *l. ſeruum* 33. §. *ait prator. l. pen.* & *l. vlt. D. eod.* Tertiò cogitor à prætore iudicium accipere: ſi dominus pro eo ſatisdederit, etiam domino ante litem conteſtatam mortoo, *l.* 8. §. *prætor. l. ſi defunctus* 15. *D. de procurator.* qoamquam Paulus exiſtimet ſatis eſſe, ſi ex ſtipulato ob rem non defenſam agatur: & in eam ſententiam Sabinum addocit *l. non cogendum* 45. §. 1. *D. eod.* Quartò obligatur bona fide rationem reddere. *l. qui pro proprio* 46. §. 4. *D. eod.* Quintò tenetur de dolo *l. qui pro proprio, cit.* Quare ſi per alloſionem procuratoris abſolutus foerit adoerſarius, tenebitur actione procuratoris, ſiue mandati, *l.* 8. §. 1. *D. de procurat.* & *l.* 9. *C. eod.* Sextò inſtrumenta litis reſtituat oportet, *l. ſi procuratorem, D. mandati.* Septimò ex negligentia, & lata colpa, vt ſi non mandatum, ſed aliud geſſerit, v.g. pecuniam petere iuſſos, iuſiurandum detolerit. *l. ſi itaque* 19. *D. de iureiur.* Octaoò ex culpa etiam leui, *l. procuratorem* 15. *l. à procuratore* 13. *l. in re mandata* 21. *C. mandati.* Quia licet in hoc caſu ſolius mandantis vtilitas agator, ideóque ex generali regola teneri debeat ex ſola culpa lata; in contractu mandati, ſingolari iore receptom eſt, vt quæois etiam negligentia præſtetur, vti diximus articulo ſoperiori, tum propter bonam fidem, & amicitiam, qoæ in hoc negotio dominatur, tum ob aliquam artis profeſſionem, cuius ratio habetur, quoties minor diligentia, minúſve ſtudium adhibetur, quàm ab eius ordinis, ſioe profeſſionis hominibos adhiberi ſoleat, *l.* 5. §. *Celſus, D. locati. l.* 6. §. *ſicuti, D. de offic. præſid.* Quæ omoia veriora erant qoandò procuratio non erit gratuita, ſed pacta mercede, vt ferunt noſtri mores; atque non ſolius domioi, ſed ipſius quoqoe procuratoris vtilitatem ſpectabit.

6 Obligatur dominus ad ſumptus, quos probabili ratione fecit procurator, quamois litem perdiderit, *l.* 4. *C. mandati*: aut quamuis litem ad exitum perducere non potuerit, *l. qui mutuam* 56. §. *vlt. D. mandati.* Defenſor tamen, qui ſioe mandato litem ſuſcepit, ſumptus ſuos non repetit, niſi vicerit, quia tunc inotiliter geſſit, *l.* 5. §. *in hac. D. iudicatum ſolui.*

7 Hinc oritur doplex actio. Prima directa, domini in procuratorem, vt qood oon bona fide geſſerit, vel neglexerit, quanti domini ioterit tempere. Altera eſt actio contraria procuratoris in dominom, cuios litem exercuit, vt quod eo nomine illi abeſt, recuperet, *l. qui proprio* 46. *D. de procurator.* quibus ſimiles explicuimus in negotiis geſtis, & mandato.

8 Inhibetur procurator, Primò ſi dominus re integra mandatum reuocauit, *l.* 7. §. *vlt. D. mandati.* Secundò, ſi dominus re integra, & ante litem conteſtatam moritur, *l. ſi defunctus* 15. *D. mandati. l. nulla* 23. *Cod. eod.* Tertiò ſi dominus alium procuratorem dederit, *l. ſi quis* 31. §. *vlt. D. de procurator.* Quartò ſi capitales inter eos inimicitiæ exortæ ſint, *l.* 8. §. *vlt. l. ſi poſt* 14. *D. de procurator.* Qointò ſi adfinitas prior dirempta ſit. Sextò ſi longiùs abiturus, & diù abſutorus. Septimò ſi dignitatem ádeptus. Octauò ſi cauſa Reipublicæ abfuturos. Denique ſi quæpiam alia iuſta cauſa impediet, quæ à Prætore cognoſcenda erit.

Cætera, quæ de procuratoribos habentor in D. & C. atque iure Pontifico, forenſia duntaxat ſunt, vti monui, quia illa rubrica eſt tantùm de procuratoribus ad lites, atque aberrant à noſtro inſtituto. Hæc igitur libaſſe ſufficiat.

ARTICVLVS IX.

Conſectaria ex tribus proximis Articulis.

CONSECTARVM I. *Diſcrimen inter vulgare mandatum & procuratorium, ac negotium geſtum.*

II. *An mandatus ſoluere, qui non ſoluit, ſed debitori promiſit ſoluere, mandatum impleuerit.*

III. *Caſus ſingulares circa procuratores ad accipiendam pecuniam.*

IV. *De mandato transferendi merces certa quadam naui, aut illam cui impoſita fuerint, non mutandi.*

V. *De procuratore ad merces & ſolutionẽ.*

VI. *An geſta per falſum procuratorem poſſint à domino rata haberi in ſuum fauorem poſt latam ſententiam.*

VII. *LL. aliquot emendãtur & illuſtrãtur.*

EX his qoæ ſoperioribus articulis tradidimus, plora colligere licebit, & definire, qoorum aliqua obſeruabimus hoc loco. Cætera, qoia graniores quaſdam difficultates alibi commodiùs explicaodas cõtinent, in aliã diſputationẽ reiiciemus.

CONSECTARIVM I.

Diſcrimen inter vulgare mandatum, & procuratorium, ac negotium geſtum.

Communio inter vtrumque mandatum. 1.
Diſſimilitudo inter illa. 2.
Similitudo inter mandatũ, & negotiũ geſtũ. 3.

MAgnam omninò, inter duo iſta mandata cõmunionem eſſe facilè conſtat ex *art.* 7. & 8. 1
nam vtrumque ex amicitia, & officio proficiſcitur, vtrumque gratuitom eſt, noda conuentione, etiam inter abſentes, per nũtium, aut epiſtolam expreſsè, vel tacitè contrahitur: in vtroque bona fides, & diligentia requiritor, dolos, & culpa non modò lata, ſed etiam leuis ferè ſemper præſtator: ex vtroque naſcitur doplex actio mandati, directa nempe aduerſus mandatarium, & procuratorem: contraria mandatarij, & procuratoris aduerſus dominom, vti

fuit explicatum. Vtrumque renuntiatione, aut morte finitur, ſiue reuocatur: ex vtroque filiusfamilias & obligare, & obligari poteſt: neutrum in ſeruilem conditionem cadit: vtrumque mandatoris periculo geritur, & eſt generale, vel ſpeciale tantùm, procuratorium videlicet omnium litium, aut certæ cuiuſdam duntaxat: mandatum vniuerſale omnium negotiorum, aut vnius, vel alterius certi deſignati duntaxat: ex vtroque mandatarius, & procurator ſi damnentur, infamiam incurrunt. Rationem reddit Cicero orat. pro Sexto Roſcio Amerin. *In priuatis rebus, ſi quis rem mandatam non modò malitioſiùs geſſiſſet, ſui quæſtus, aut commodi causâ, verum etiam negligentius, tum Maiores, ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. Itaque mandati conſtitutum eſt iudicium, non minùs turpe, quam furti: Creao propterea, quòd quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his opera noſtra vicaria fides amicorum ſupponitur, quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem: non enim poſſumus omninò per nos agere; alius alia in re eſt magis vtilis, idcircò amicitiæ comparantur, vt commune commodum mutuis officiis gubernetur*, &c. multa ſiquidem alia pergit in huius criminis atrocitatem diſputare.

2 Differunt nihilominùs primò materiâ, quia procuratori litium proſecutio, alteri cæterorum negotiorum non forenſium adminiſtratio mandatur. Secundò perſonis, quia ſeruus litis exercendæ mãdatum habere non poteſt, aliarum rerum poteſt. Mulier procuratorē ſuo nomine dare poteſt, mandatum alterius causâ dare non poteſt: præterea ipſa procuratrix eſſe nequit, & tamen aliorum negotiorum, quæ virilia non ſunt, mandatum recipere poteſt. Minores ante decimum octauum annum procuratores eſſe nequeunt, aliarum rerum mandatarij eſſe poſſunt. Denique mutus, & ſurdus procuratores eſſe non poſſunt, cæterorum negotiorum geſtores eſſe poſſunt, *l. mutus 43. D. de procuratorib.* Tertiò differunt iure, quia procurator ante litem conteſtatam alium procuratorem dare non poteſt: mãdatarius quouis tempore, negotium ſibi demandatū & à ſe receptum alteri mandare poteſt. Quartò denique obligationibus, quia à procuratoribus ſatiſdationes certis de cauſis exiguntur quæ ab aliis mandatariis nulla de cauſa exiguntur.

3 Mandatum, & negotium geſtum conueniunt, quia in vtroque bona fides requiritur, dolus, culpa lata, & leuis præſtatur, non autem caſus fortuitus, niſi ex ſpeciali pacto: vtrumque per denunciationem ceſſat, & tum mandatarius, tum negotiorum geſtor adminiſtratione prohibetur: ex vtroque naſcitur duplex actio, vna principalis, & directa, altera contraria mandati quidem, *ex l. XII. tabular.* negotiorum geſtorum ex æquitate, quæ vtilitas appellatur *in l. 5. D. de obligat. & act.* eſtque forenſi Iuriſconſultorum diſputatione inducta, & à Prætore recepta, *l. 3. D. de negot. geſt.* Differunt verò mandatum, & negotium geſtum, quia illud eſt contractus, illud quaſi contractus. Deinde mandati obligatio nuda conuentione contrahitur, quamuis nihil dum negotij geſtum ſit; obligatio verò & actio negotiorum geſtorum naſcitur ex præſumpta tantùm conuentione, quamuis nulla expreſſa fuerit, ſed accedere debet realis negotiorum geſtio. Tertiò mandatum recipitur domini rogatu; in negotiorum geſtione ſponte negotium alterius geritur, ſæpè ignorantis, cùm mandatarius ſemper ſcientis res adminiſtret. Quartò qui pecuniam mandatario, vel procuratori alterius, ad ipſius negotia mutuo dat, vtrumque obligatū habet, procuratorem ſcilicet, & dominum: in negotiis autem geſtis, habet ſolum obligatum illum, cuius negotia geruntur, *l. 6. §. 1. D. de negot. geſt.* Quintò qui ex mandato alterius negotia procurat, non niſi omnibus expletis mandati partibus liberatur: ſecùs in negotiorum geſtore, ſufficit enim ſi vel in paucis amici labore, alicui conſulatur, vti loquitur Papinian. *in leg. tutores 39. §. 2. D. de admin. tutor.* & *leg. tutor. 20. C. de negot. geſt.* Sextò actio mandati infamiam affert damnato, non verò negotiorum geſtorum, *l. 1. D. de his, qui not. infam.* Actio denique contraria competit ei, qui bona fide, quamuis non vtiliter, negotium mandantis adminiſtrauit; non verò negotiorum geſtori, niſi vtiliter geſſerit, *l. 2. D. de negot. geſt.* quæ omnia diligenter obſeruauit Hotman. *in D. mandati, n. 34. & 35.* quæ hoc loco non inutiliter, (vt exiſtimo) reddere placuit.

Consectarivm II.

An mandatus ſoluere, qui non ſoluit, ſed debitori ſe ſoluturum promiſit, mandatum impleuerit.

MAndaui Sempronio, vt centum, quæ mihi debet, ſoluat Caio, cui tantundem debeo; Sempronius non ſoluit quidem, ſed Caio centum ſe debere ſtipulatus eſt. Quæritur, Num Sempronius mandati fines, quos diligenter ſeruandos eſſe monuimus *art. 7.* impleuerit, & num aduerſus illū actionem mandati habeam; non enim mandatā vt promitteret, aut ſtipularetur, ſed vt ſolueret. Deinde nunquid potero inhibere Sempronio ne ſoluat, quia poſſum reuocare mãdatum re integra, vti omninò eſt hoc loco, quamuis promiſſio, & ſtipulatio acceſſerit, quia non fuerat mandata promiſſio, ſed ſolutio. Inde vlterius ſequitur, Sempronio foro cedente, & decoquente, Caium creditorem meum iure aduersùm me agere poſſe, quia non eſt facta delegatio.

Reſpondetur, Si Caius creditor meus Sempronium, cui ſolutionem mandaueram, mei loco debitorem acceperit, contentuſque fuerit promiſſione ſibi à Sempronio facta vice ſolutionis mandatæ, mandatum tunc impletum fuiſſe, quia eo caſu promiſſio comparatur ſolutioni, vt in ſimili dicitur in *l. fin. C. ad l. falcidiam.* Deinde ſolutum videtur, quocumque modo creditori ſatisfiat: ſapienter enim Vlpian. *l. ſi rem 9. §. omnis, D. de pignor. action.* dixit *Satisfactum autem accipimus quemadmodum voluit creditor, licèt non ſit ſolutum.* Vide & *leg. ſolutum 11. §. ſolutam, D. eod.* Sum igitur ego liberatus illa promiſſione, & ſtipulatione Sempronij, quam Caius creditor meus loco ſolutionis accepit: quare nequeo reuocare mãdatum factum Sempronio, quia non modò res non eſt integra, ſed reuerà completum eſt mandatum. Neque Caius aduersùm me ampliùs agere poteſt, quia iam Sempronium in debitorem accepit, eſtque nouatio facta: quare ſi Sempronius decoquat, aut foro cedat, ſibi ipſi tribuat Caius, qui vice mea Sempronium debitorem acceperit, & promiſſione loco ſolutionis contentus fuerit: non eſt quidem facta delegatio illa in mei præiudicium, neque poteſt Sempronius obiicere, ſe fuiſſe à me liberatum. Oportet tamen in his omnibus Sempronium ſignificaſſe Caio creditori meo, ſe habere in mandatis à me numerandi ipſi centum,

centum, quæ debeo, ipſeque Caius mandatum ratum babeat, & Sempronium in debitorem mei loco recipiat: ſufficiet autem ſi ex eius libris conſtet, illud mandatum ipſi fuiſſe ſignificatum, & ab illo approbatum. Solent tamen creditores ita accipere hæc mandata, vt ſemper ſibi reſeruent ius, & actionem in primarium creditorem: ſed de his lib. 3. vbi de ſolutionibus.

Consectarium III.

Caſus ſingulares, circa procuratores ad accipiendam pecuniam.

4 PRimus. Petrus conſtituit Nicolaum ſuum procuratorem ſpecialiter ad emendum cuiuſuis generis merces ad quinque millia ſcutorum, quod tamen ſuum mandatum procuratorium validum eſſe vult, dummodò Alexander, & Cæſar eundem Nicolaum procuratorem quoque conſtituerint, ad eandem cauſam, eundemque effectum; cum quibus idem Petrus voluit pro rata poſſe conueniri, vi obligationis, quam Nicolaus procurator contraxerit cum quibuluis perſonis, non aliter, neque alio modo. Alexander igitur; & Cæſar procuratorem Nicolaum ad eumdem effectum conſtituerunt, addideruntque præterea, vt poſſet ſingulos illos obligare in ſolidum pro integra ſumma quinque millium ſcutorum: & ſanè Nicolaus inſtrumento ſuo, in quo ſe dicit procuratorem Alexandri, & Cæſaris, atque etiam Petri, prædictos omnes, & ſingulos dominos, ſiue conſtituentes in ſolidum obligauit Mæuio, ex cauſa mercium emptarum, & traditarum ad quinque millia ſcutorum. Quæritur, An reuera Petrus obligetur: ipſe enim in ſuo mandato voluerat tantum obligari pro rata cum Alexandro, & Cæſare, a quibus ſuum mandatum probari, & eundem procuratorem, ad eandem cauſam, effectumque conſtitui voluit: quod verò iſti addiderint in ſuo mandato, quo Nicolaum conſtituerunt ſuum in eadem cauſa procuratorem, facultatem illos ſingulos obligandi in ſolidum, & pro tota ſumma; non poteſt dare facultatem huic procuratori obligandi quoque Petrum in ſolidum, qui in ſuo mandato procuratorio cauit, ne poſſet conueniri cum aliis, a quibus volebat ſuum mandatum approbari, & procuratorem ſuum ad eamdem cauſam conſtitui, niſi pro rata proportione, vi eiuſmodi obligationis. Forma igitur mandati ſeruata non fuit, ac proinde nihil validè fuit actum vi illius mandati, cuius forma omninò tenenda erat, maximè propter adiectam illam clauſulam, *non aliter, nec alio modo:* quæ verba in ſuo mandato Petrus appoſuerat, quibus ſine dubio ſignificabat, ſe non conſentire obligationi *aliter factæ*, quàm fuiſſet expreſſum in mandato, cùm ea ſit vis eiuſmodi particulæ, & aliunde explorati iuris exiſtat, quæ contra formam geſta ſunt, nullius momenti eſſe, *l. cum hi* 8. *§. ſi Prætor* 17. *D. de tranſaction.* & *capit. cum dilecta. de teſtibus.* vbi vide Felin. *num.* 36. & alios, quos eam in rem adducit Straccha, *de mercat. titulo mandati, à numero* 8. Quare iudicatum fuit à quopiam, nullam eſſe Petri obligationem, vt potè contractam à procuratore ipſius, contra formam mandati ſibi facti. Reſpondet tamen in hac quæſtione Stracch. *eod. loco à n.* 10. Petrum manere obligatum in ſolidum pro ſua rata, iuxta ſui mandati tenorem, cuius meminit in obligatione procurator Nicolaus, in qua ſe & Petri procuratorem nominat, & ex illius mandato agere. Alij verò duo conſtituentes, obligantur in ſolidum quoque ad totam ſummam; iuxta ſui mandati formam. Itaque illa vox *in ſolidum* diuerſa reſpicit in illa obligatione, reſpectu diuerſorum conſtituentium eumdem procuratorem, quamuis ad eandem cauſam, propter diuerſam formam mandatorum ipſorum: quod minimè videri abſurdum oſtendit eo loco Straccha *n.* 12. Dicendum itaque eſt, procuratorem hoc caſu fines mandati non exceſſiſſe, & Petrum tantùm manere obligatum pro rata, quamuis in ſolidum; cæteros autẽ in ſolidum quoque obligari, ſed pro tota ſumma.

Secundus. Conſueuerunt negotiatores generaliter procuratores conſtituere: quo caſu dubitatur, an eiuſmodi procuratores poſſint pecunias accipere ad cambia. Reſpondetur cum Stracch. *loco citato, num.* 19. & Romano, *conſil.* 114. quem ſequitur Decius, *conſil.* 441. *numero* 9. *apud eundem Stracc.* in generali mandato comprehendi ea, quæ mandantes, & conſtituentes facere ſolent: nam in *leg. vel vniuerſorum* 12. conceditur procuratori pignori dare, ſi vel pignori dare mandatum ei fuerit, *vel vniuerſorum bonorum adminiſtratio ei permiſſa eſt, ab eo, qui ſub pignoribus ſolebat mutuas pecunias accipere*: eodem vniuerſali mandato continentur, quo ex conſuetudine loci fiunt. Si igitur negotiator generali mandato conſtituens procuratorem, ſolitus ſit ad cambia accipere, itaque fieri ſolent ex quadam recepta conſuetudine, in loco, vbi procurator conſtitutus negotiatur, ſi accipiat ad cambia, ſuum dominum & conſtitutum obligabit ad illa cambia vi mandati generalis, quod accepit, aut taciti mandati ad cambia: ſi enim noluiſſet ſuum procuratorem accipere ad cambia, debebat vel illud excipere in ſuo mandato, vel non dare mandatum generale ad negotiationem, quandoquidem ex recepto more facultas accipiendi pecunias ab cambia, intelligitur communiter in eo loco comprehendi eiuſmodi mandato generali. 5

6 Tertius. Simili ratione, ſoluenda eſt huic affinis quæſtio, An quando debitor, qui ſoluendo non eſt, vult tamen indemnem ſeruare ſuum creditorem, illi permittit pecunias accipere ad cambia: de quo caſu diſputauimus *in opere de vſuris lib.* 5. ea facultas ſolùm intelligenda ſit ad prima cambia, an verò ad recambia, donec ipſi fuerit ſatisfactum. Mercatorum enim vſus, & communis praxis conſulenda erit, alioquin ſpectata ſola forma verborum vniuerſalium, facultas accipiendi ad cambia, etiam recambia continet: quod in ſimili caſu reſpondiſſe Decium, refert Stracc. *n.* 20.

7 Quartus. Titius procurator conſtitutus, ad accipiendas mutuò pecunias, ſuo chirographo, & apocha fatetur, ſe eiuſmodi pecunias accepiſſe, cum tamen nondum reipſa acceperit: Quæritur, an dominus illo chirographo ſui procuratoris obligetur, quandoquidem mandati fines exceſſiſſe videtur. Diſſident in hac controuerſia DD. plurimi enim volunt Dominum obligari, cum Sarmiento *lib.* 5. *ſelectar. interpretat. capit.* 11. quia ex procuratoris confeſſione, & chirographo conſtat, pecuniam illi creditam, & numeratam fuiſſe: quod probant ex *leg. pecunia* 14. *Cod. de ſolutionib. leg. Lucius* 46. *§. tutela. D. de adminiſtrat. tutor. leg.* 2. *§. vltimo, Cod. de quadrien. præſcrip.* cùm ex illa igitur confeſſione conſtet de numeratione, conſtabit quoque de forma mandati ſeruata, ac proinde obligatur dominus. Neque ſanè

veriſimile eſt, procuratorem acceptam tuliſſe pecuniam illi, à quo reuerà nondum accepit, & ſaltem elapſo biennio non competet ampliùs domino exceptio non numeratæ pecuniæ: ex qua etiam exceptione, quæ dicitur competere mandatori, *leg. tam mandatori 12. C. de non num. pecun.* ſapienter argumentatur Sarmient. obligari mandatorem ex confeſſione mandatarij, alioquin illi non fuiſſet neceſſaria eiuſmodi exceptio. Alciat. tamen *in l. 2. §. vltim. D. ſi certum petat.* totam iſtam controuerſiam iudicis arbitrio permittit, vtpotè nondum iure certo definitam: neque id multum improbat Tiraquell. ſtatim afferend. diſtinguunt alij, atque iure canonico negant dominum obligari, quia ex eo iure ſemper competit exceptio non numeratæ pecuniæ: ex rigore verò iuris ciuilis dominum conueniri non poſſe, niſi poſt elapſum biennium, poſt quod ceſſat exceptio numeratæ pecuniæ, non verò ante illud; immò nunquam conuenietur principaliter, ſed ſolum in ſubſidium procuratoris, illoque primùm excuſſo.

Veriùs tamen cenſent Felin. *in cap. cùm olim 1. num. 3. de offic. delegat.* & *in cap. ſi cautio, n. 16. de fide instrum.* Tiraquell. *de retract. conuent.* §. 4. *gloſſ. 6, numero* 23. Fachinæ. *lib. 2. controu. cap.* 56. Stracc. *de mercat. titulo mandati, num.* 4. qui alios dabunt; dominum hoc caſu non obligari ex ſola confeſſione mandatarij, ſiue procuratoris ſui: nam vt dominus ex facto procuratoris obligetur, conſtare debet, illum mandatum expleuiſſe, neque ſibi poſitos fines tranſgreſſum fuiſſe, vti ſæpiùs monuimus *art.* 7. & 8. quod non ſatis conſtat hoc caſu, cùm inter confeſſionem acceptæ pecuniæ, & numerationem plurimùm interſit, neque hæc poſterior neceſſariò ſequatur ex illa priori, vti ſupponitur *leg. ſi ex cautione 13. C. de non num. pecunia.* & ex toto illo titulo paſſim. Quod verò dicitur aliquandò ex confeſſione probari numerationem, id intelligendum eſt contra ipſum confitentem, qui etiam habet exceptionem, non contra aliquem alium tertium, ſicque intelligenda eſt *lex pecuniæ 14. C. de ſolutionib.* vbi agitur de creditore, qui ſe accepiſſe pecuniam inſtrumento fatebatur: quæ profeſſio maiorem probationem afferre dicitur, quàm ſi chirographum acceptæ pecuniæ fuiſſet redditum. Non dicit itaque conſtitutio profeſſionem acceptæ pecuniæ eſſe probationem omnimodam, cuique nihil opponi poſſit, ſed eſſe maiorem alia, quæ fit reddendo chirographum acceptæ pecuniæ. *in leg. Lucius*, nuper adducta, agitur de tutore, cuius confeſſio nocet pupillo; tutoris ſiquidem facto, & contractu pupillus obligatur, cùm tutor generalem adminiſtrationem rerum pupilli obtineat. Denique *in l. 2. C. de quadrien. præſcription.* aliquid ſpeciale ſtatuitur circa fiſci procuratorem, à quo qui apocham habet receptæ pecuniæ, pleniſſimam ſecuritatem conſequitur; quod in aliis conſtat eſſe falſum, ratioque videtur eſſe, quia fiſci procurator habet generalem procurationem rerum ipſius; nos autem agimus de procuratore ſpeciali ad aliquid certum. Denique cum in aliis, quæ afferuntur, dicatur, exceptionem non numeratæ pecuniæ conuenire mandatori, certum eſt, illum non obligari ex ſola illa confeſſione ſui procuratoris, quoties probabiliter exiſtimabit, pecuniam non fuiſſe numeratam: quod verum erit in vtroque foro. Idemque dicendum eſt de procuratore ad accipiendam ſolutionem debitæ pecuniæ mandatoris:

eſt ſiquidem par vtrobique ratio.

Neque obſtat quod procuratoris confeſſio fuerit coram iudice facta, quo caſu, illam domino præiudicare cenſuit Iaſon *in l. 2. §. vlt. D. ſi certum petat.* id enim benè negat Fachinæ. *lib. 2. controu. cap.* 57. quia licet iudicis decretum efficiat, vt ea, quæ coram ipſo facta ſunt, præſumantur omnia ſolemniter acta, dolumque ab illis abfuiſſe; nulla tamen lex eſt, aut ratio, quæ dicat præſumi numerationem, ex profeſſione coram iudice facta.

Non nocet quoque domino in hoc caſu iuramentum, quo ſe obſtrinxit, ratum ſe habiturum quidquid à procuratore geſtum fuerit; inde enim non obligatur ex confeſſione procuratoris, vti *capit. citato* Fachinæ. docet, contra Alciat. *in l. 2. §. vltim. D. ſi certum petat.* quia clauſula ratificationis tacitè ineſt mandato procuratori dato: ex gloſſa *in leg. ſi procuratorem, verb. ratum, D. de procurator.* ideóque iuramentum de ea ratificatione facienda appoſitum nihil aliud facit, quam exprimere conditionem, quæ inerat mandato, & ad illius obſeruationem noua obligatione religionis obſtringit: verùm non operatur vltra iurantis intentionem, *leg. vltim. Cod. de non numer. pecun.* intentio porrò ipſius eſt, vt non obligetur, niſi pecunia reipſa ſuo procuratori numeretur.

Denique non nocet, quòd in mandato dicat dominus, ſe conſtituere procuratorem ad accipiendam mutuò pecuniam, & ad confitendum ſe recepiſſe, quia mens mandantis non eſt, vt procurator fateatur pecuniam ſe accepiſſe, ſi reuerà non acceperit, ex eaque confeſſione dominum obliget, ſed vbi eam acceperit, explicet, atque ſuo chirographo teſtetur eiuſmodi receptionem, ad ſecuritatem creditoris, à quo illam accepit.

Quintus caſus. Qui accepit mandatum ad 8
vendendum, aut locandum, habet etiam ad accipiendum pretium rei locatæ, vel venditæ, niſi in eo mandato excepta fuiſſet exactio huius pretij: ita Stracc. *de mercat. tit. mandati, n.* 23. & Fachinæ. *lib. 2. contr. c.* 93. contra Ludou. Roman. *ſingular.* 23. & *conſil.* 461. manifeſtò enim id habet *l. quod ſeruus 35. D. de ſolution. Sed & ſi quis pecuniam dominicam fœneratus eſſet à ſeruo, ſi permiſſu Domini ſeruus dominicum negotium geſſiſſet, idem iuris eſt: videtur enim voluntate eius, quis cum ſeruo contrahere, & ab eo accipere, & ei ſoluere.* Vbi vides, ſeruum peculiari negotiationi pecuniam fœnerandi præpoſitum poſſe, & pecuniam dare, & accipere. Dixi tamen videndum eſſe, ne in mandato ſit aliqua exceptio, vt *in l. 1. §. igitur præpoſitio, D. de exercitor.* vbi ſeruus præpoſitus erat *ad locandum tantùm, non ad exigendum*: quare rectè dicitur, eiuſmodi ſeruum præpoſitum à magiſtro nauis, ad locandam nauem, non poſſe exigere vecturas. Neque benè obiicitur *leg. hoc iure 86. D. de ſolution.* vbi negat Paul. litis procuratori rectè ſolui: nam rationem optimam reddit ipſe Paul. quia eiuſmodi procurator non habet actionem iudicati: *Abſurdum verò eſt, cui iudicati actio non datur, & ante rem iudicatam ſolui poſſe.*

Sextus qui accepit mandatum ad venden- 9
dum, poterit vendere habita fide de pretio, niſi aliud mandatum expreſſerit: quia enim eiuſmodi venditiones fieri frequentiùs ſolent, non poterit aut negligentiæ, aut malæ fidei, ſiue violati

mandati

mandati procurator accuſari, ſi credita pecuniâ vendidit: ita plures Conſulti iuris apud Stracc. *tit. mandati, n.* 26.

10 Septimus. Procurator ad recipiendam pecuniam ad certam cauſam in mandato expreſſam, ſi ſe eam accepiſſe dicat in apocha, aut ſimpliciter affirmet ad cauſam mandati ſe accepiſſe, quamuis mentiatur, quia ad quidpiam aliud accepit, obligat dominum: neque enim laborat creditor, an qui pecuniam accipit in cauſam mandato expreſſam, mentiatur, aut vera loquatur, *l.* 1. *§. non autem, D. de exercitor.* ita Stracc. & alij apud ipſum *num.* 27. *n.* verò 28. refert ex Baldo, mercatorem, qui vendidit Abbati pannum ad veſtiendos monachos, obligare omninò monaſterium, licet Abbas mentitus fuerit, aut mutata deinde voluntate pannum in alios vſus conuerterit.

11 Octauus. Mercatores Antuerpienſes litteras per Titium tabellarium mittunt mercatoribus Lugdunenſibus, in quibus litteris aliquid continetur in fauorem huius Titij tabellarij agendum. Negant Lugdunenſes, illum eſſe Titium illum, cuius meminere litteræ. Vel ſi mauis, Titius conſtitutus eſt procurator ad negotiandum, aut quidpiam aliud agendum, defert ille ſuum mandatum iis, quibuſcum agere debet, qui negant, illum eſſe verum procuratorem eiuſmodi mandato conſtitutum: cur enim fieri non poteſt, vt iſte hoc inſtrumentum mandati, furto ſubtraxerit? hoc caſu qui negant, Titium eſſe illum, de quo litteræ loquuntur, aut eſſe verum procuratorem, probare id debent: ita Stracc. & ab eo adducti *n.* 30. An verò ſi fuerit ſolutum ei, qui interceptis literis finxit ſe eſſe illum, de quo agebant litteræ, liberetur debitor, dicam alibi. Adi interim Scacciam *de camb.* §. 2. *gloſſ.* 5. *q.* 12.

12 Nonus. Qui mandatum accepit, vt pecuniarum certam ſummam ſub vſuris acciperet, & cum damno, prout meliùs videretur, & ſuo creditori eam ſummam ſolueret, vbi hoc præſtiterit, tenebitur ex quadam æquitate nominare perſonas, à quibus ſub vſuris accepit, vt pluribus diſputat Stracc. *à n.* 31. vt occurratur vſurariæ prauitati: in qua ratione, & definitione expendenda non moreris, cùm vſuram omnem excludamus, & de eo caſu diſputarimus *opere vſuris.*

Consectarium IV.

De mandato tranſmittendi merces certa quadam naui, aut illam cui impoſita fuerint non mutandi.

13 MErcatores Anconitani mandarunt Neapolitanis, vt ſibi certas merces emerent, & Anconam mari tranſmitterent, quærerentque aſſecuratores, qui periculum in ſe ſuſciperent; quod fieri poſſe putabant ſolito aſſecurationis pretio ſeptem ſcutorum in ſingula centena: denique ſolita cũ clauſula de non transferendis mercibus ex naui, in qua ſemel fuiſſent impoſitæ, in aliam. Neapolitani emerunt quidem merces, quibus nauim onerarunt, acceptis fideiuſſoribus, ſiue qui ſecuritatem, & periculum præſtarent, quibus tamen non dixere legem de non transferendis mercibus ex vna naui in aliam, quia dicebant ſe non inueniſſe aſſecuratores cum ea clauſula, niſi quindecim pro quolibet centenario ſoluerent: merces igitur ab vna naui in aliam tranſlatæ fuere, & vnà cum ipſa periere. Quæritur, An Neapolitani mandati fines exceſſerint, & de damno, ac culpa teneantur Anconitanis? agitat pluribus hanc controuerſiam Straccha *titulo mandati, à numero* 39. contra Decium, qui Neapolitanos excuſabat, & reiiciebat in Anconitanos onus probandi culpam à Neapolitanis admiſſam fuiſſe, eo quod potuerint reperire aſſecuratores, cum ſolita illa clauſula pro pretio communi, & conſueto ſeptem ſcutorum; neque potuiſſe cogitare Anconitanos velle tam inſuetum, & grande pretium quindecim in ſingula centenaria expendere. Contrarium ſapienter omninò contendit Stracc. & Neapolitanos eſſe reos violati mandati, quòd plura capita complectebatur, nempè mercium emptionem, earundem traiectionem mari, aſſecuratores, qui periculum præſtarent cum ſolita clauſula, *ne merces ex vna naui in aliam transferrent*: quod vltimum non præſtiterant. Neque enim aſſecuratores cum ea conditione, & lege acceperunt, vti expreſsè illis mandatum fuerat: violarunt igitur mandatum. Sicut ſi mandem tibi, vt mittas meas merces in naui Ioannis, ſi quia id non potuiſti, mittas eas in naui Pauli: ſi eæ perierint, ſine dubio teneris de damno, aut de pœna, ſi quæ fuit impoſita. In culpa igitur ſunt Neapolitani; neque Anconitanis incumbit ius probandi potuiſſe Neapoli reperiri aſſecuratores, cum ſolita clauſula, & ſolito pretio: in quam rem adducit *l. item quæritur* 13. *§. ſi nauicularius, D. locati. Si nauicularius onus Minturnas vehendum conduxerit, & cùm flumen Minturnẽſe nauis ea ſubire non poſſet, in aliam nauem merces tranſtulerit, eaque nauis in oſtio fluminis perierit; tenetur primus nauicularius. Labeo, ſi culpa caret, non teneri ait. Cæterum ſi vel inuito domino fecit, vel quo non debuit tempore, aut ſi minùs idoneæ naui impoſuit, tunc ex locato agendum.* Sanè non potuit Vlpianus clariùs noſtram ſententiam explicare. Eodem pertinet *l. vlt. §. ſi ea conditione, D. ad l. Rhodian. de iactu.* Stracchæ acceſſit Scaccia *de comm.* §. 2. *gloſſ.* 5. *n.* 370.

Consectarium V.

De Procuratore ad merces, & ſolutionem.

PRimò, procurator ad vendendum, licet habeat pleniſſimam licentiam, nequit ſibi ipſi vendere, neque eſſe ſimùl venditor, & emptor: ita Rota Genuenſ. *deciſ.* 4. *n.* 3. & Scaccia *de comm. & camb.* §. 1. *q.* 7. *part.* 1. *n.* 15. Sicut creditor habens facultatem à debitore vendendi pignus, non poteſt ſibi ipſi vendere: quod docet Neguſan. *de pignorib. memb.* 1. 6. *part. n.* 26. & Menoch. *conſil.* 296. *n.* 20. quod ego quidem verum eſſe exiſtimo, in foro externo ob præſumptionem fraudis, quam vitare intendit: verùm ſi fraus omnis prorſus abſit, & valida, & iuſta erit ea venditio in foro interno, cum nulla iniuria fiat mandanti. 14

Secundò, procurator ad emendum, ſi emat nomine proprio, cùm teneatur emere nomine alieno, fidem frangit, & tenetur de dolo. Qua etiam de cauſa mandatarius emendo ſeruum nomine proprio, efficitur quidem ſerui dominus, tenetur tamen crimine ſtellionatus, efficiturque infamis, vti ex Bald. *in l. fœliciſſima, C. de his, qui à non dom. manum.* docet Scaccia *de comm.* §. 2. *gloſſa* 5. *quæſt.* 14. *num.* 380. 15

Tertiò, procurator ad tranſuectionem mercium, 16

debet modum tranſuectionis ſibi præſcriptum ſeruare, videlicet ne ab vna naui in aliam tranſmittantur, ne alia naui, alióve nauiculario, quàm deſignato vehantur, alioqui mandati fines excedit, vti diximus *conſectar.*4.

17 Quartò mandatarius ad ſoluendum, qui eſt ſimul creditor mandantis, non poteſt pecunias, quas mandans ei remittit, cum aliquo ordine accipere pro ſuo credito, contra ordinem mandantis, & in reliquis debet ſeruare ordinem, alioquin tenetur actione mandati, quod violat: ita Scacc. *de comm.* §.2.*gloſſ.*5.*n.*376. Crediderim tamen, ſi mandatarius iſte, qui ſimul eſt creditor mandantis, non poſſet aliter recuperare ſummam ſibi debitam, quàm retinendo eam, quam alteri ſoluere iuſſus eſt, poſſe ſibi prouidere, & abſque iniuſtitia vti veluti quadam compenſatione.

Alia plura quæruntur circa ſolutiones per litteras cambij, quibus continentur mandata de ſolutionibus: ſed de his agemus commodiùs *libro tertio.*

Consectarium VI.

An geſta per falſum procuratorem poſſint à domino, poſt latam ſententiam, rata haberi in ſuum fauorem.

18 VLpian. *in leg. licet* 56. *D. de iudic.* ait, quòd *ſi quis, cum procurator non eſſet, litem ſit conteſtatus, deinde ratum dominus habuerit, videtur retrò res in iudicium rectè deducta.* Poteſt igitur dominus pendente iudicio, quæ falſus procurator geſſerit, rata habere: quod etiam poterit in ſui præiudicium poſt latam ſententiam ex *l.* 3. §. *falſus, D. rem ratam habere.* An verò eo caſu, id etiam in ſui commodum valeat, quærimus: ita enim affirmat gloſſa *in l. ſi mater*, §. *hoc iure*, *D. de exception. rei iud.* Galliar. *lib.* 1. *obſeruat.* 47. & alij; quia ratificatio mandato æquiparatur, & retrotrahitur, *l. vlt. C. ad Macedon.* Quare cùm iudicium hoc loco fuerit nullum, ob conſenſum domini non præſtitum, vbi ille acceſſerit, validabitur iudicium: veriùs tamen negat Fachinæ. *lib.*8. *controu. cap.*6. cum alijs, quos adducit, quia ratificatio fieri debet tempore, quo actus celebrari poteſt, *l. bonorum* 24. *D. rem ratam haberi*: poſt ſententiam autem latam actus iudiciales fieri non poſſunt, iam enim facti ſunt: igitur neque per ratihabitionem validati. Deinde fraudes fouerentur hac ratione, & iniuria fieret aduerſario victori: quilibet enim exitum iudicij expectaret, qui ſi ei commodior eſſet, falſi procuratoris geſta probaret, ſin minùs reiiceret, inutiliſque eſſet ſententia, & victoria aduerſario: nam ſi contra falſum procuratorem lata foret ſententia, dominus exciperet falſam procurationem; ſi verò viciſſet procurator, illius geſta rata haberet dominus. Quæ foret magna inæqualitas inter litigantes, vt vides.

An verò contumacia procuratoris in appellando noceat domino, conſule Fachinæ. *lib.* 10. *contr. cap.*97. quæſtio merè forenſis eſt, & aliquid de ea dicemus *lib.*3.

Consectarium VII.

LL. aliquot illuſtrantur, & emendantur.

PRimò in *l.*2. *C. mandati.* Seuerus, & Antoninus AA. ſic edicunt. *Cum ex cauſa fideiuſſionis, pecuniam patrem tuum exoluiſſe proponas, habes mandati actionem, qua non ſolùm pecuniam, ſe etiam pignera in obligationem deducta potes conſequi.* In hac Conſtitutione, vocem *mandati* alieno loco poſitam eſſe, & aut delendam, aut alibi collocandam ſapienter aduertit Hotman. *lib.* 6. *obſeruat. cap.* 5. 19
thema ſiquidem huius Conſtitutionis tale eſt. Marcellini pater mandatu Titij pro eo fideiuſſerat, cui ipſe quoque Titius pignoribus, ſiue potiùs hypothecis caueat: deinde poſt paulò Titio non ſoluente, fideiuſſor Marcellinus pecuniam fideiuſſionis, hoc eſt eam ad quam ſe per fideiuſſionem obligarat, exoluit, quæſitum poſteà fuit, quomodo Marcellinus fideiuſſor ad ſuum peruenire poſſet, ſiue quod ſibi eo nomine aberat, recuperare. Reſpondet Imperator, tum in hac *l.* tum in *l. ſi tibi* 8. *C. eod.* multò dilucidiùs duplicem Marcellino competere actionem; Vnam perſonalem, nimirùm contrariam mandati, per quam pecuniam à ſe ſolutam exiget, vti diximus *art.*7. ex *l.*6. *C. mandati*: *l. idemque* 10. §. *fideiuſſores*, *D. eod. l. mandati* 14. *C. de fideiuſſ.* Alteram realem, & hypothecariam, per quam rei ſibi obligatæ poſſeſſionem reuocabit, etiam ab ipſo Titio, ſi eam poſſideat. *l. ſi quis ſeruum* 36. *D. de noxal. action. l. ſi inter* 21. §. *vlt. D. de pignorib.* At in vulgari littera Conſtitutionis, dicitur fideiuſſor Marcellinus, per mandati actionem ius pignoris conſequi poſſe: quod abſurdum, & falſum eſſe nemo non videt. Cùm enim mandati actio perſonalis ſit, non rei poſſeſſionem, ſed obligatam perſonam perſequitur, *l. actiones* 25. *D. de oblig. & act.* inde factum eſt, vt tum gloſſa, tum DD. dum deprauatam litteram retinere conantur, varias interpretationes excuderint, ſed parùm omninò fœliciter. Itaque vel delenda omninò eſt vox *mandati*, vel initio conſtitutionis collocanda ſic: *cum ex cauſa mandati fideiuſſionis, pecuniam patrem tuum exoluiſſe proponas*, &c. Illa verò poſteriora verba, *habes actionem, qua non ſolùm pecuniam*, ſic accipienda ſunt, quaſi ſcriptum eſſet, habes duplicem actionem; vnam, qua pecuniam; alteram, qua pignus conſequaris. Si verò Titius debitor non Marcellino fideiuſſori, ſed ſuo creditori pignora obligaſſet, non potuiſſet Marcellinus vti hypothecaria, quam ſolutio ſola non adquirit fideiuſſori; opus itaque fuiſſet Tirium Marcellino cedere ſuam actionem hypotbecariam, *l. mandati* 14. *C. de fideiuſſ.*

Secundò *l.* 6. §. *ſi tibi mandauero*, *D. mandati*: ſic habet, *Si tibi mandauero, quod mea non intererat, veluti vt Titio credas, erit mihi tecum mandati actio, & ego tibi obligatus.* Quæ lectio omninò mendoſa eſt: nam mandati actio non datur, niſi cum mandatoris intereſt, & eatenùs competit tantùm, quatenùs intereſt, *l. ſi procuratorem* 8. §. *mandati*: *l. ſeruum* 49. *D. mandati.* Poſſe verò mandatoris intereſſe, vt Titio pecunia credatur, patet ex *l. Quintus* 48. §. 1. *D. eod.* Delenda igitur eſt particula negatiua *non*, vti pridem monuit Accurſius, & nuper oſtendit Hotmann. *lib.* 5. *obſeru. cap.*10. & Synopſ. Baſil. *hoc tit.* caret eiuſmodi negatione καὶ ἐμοὶ διαφέρει, ſi mea intereſſit. 20

Tertiò

Digitized by Google

21 Tertiò in eadem *l.6. §. Mariae, D.mandati.* ſic habet Vlpian. *Videbatur autem mihi iudicatum ſolui fideiuſſiſſe, & quaſi redemptor litis extitiſſet.* Hæc lectio mendoſa omninò eſt; thema eſt, neſcio quem pro Daphnide fideiuſſiſſe pacta mercede, & prætereà euentum litis ſuo periculo præſtitiſſe, qua de, cauſa ſibi de aliqua parte litis cauerat. Erat itaque ibi duplex pactio, vna mercedis pro fideiuſſione, altera de quota litis, pro præſtando eius periculo, quæ dicebatur redemptio litis, aut iudicij. *l. item 15. C. de procuratorib.* & *l. ſi contra 20. C. mandati.* Vnde illud Ciceron. 2. *Verin. Vt primùm è prouincia rediit, redemptio eſt huius iudicij facta grandi pecunia*: quod ſic interpretatur Pedianus. *Artifices corrumpendorum iudiciorum pacti ſunt cum Verre, & redemerunt omnem procurationem iudicij corrumpendi ſuo periculo, abſolutioniſque præſtandæ.* Aduocati igitur, & procuratores, aliique potentiores, qui litis euentum ſuo periculo præſtabant, aſſignata ſibi aliqua parte litis, dicebantur redemptores iudicij aut litis. Ea porrò pactio tanquam iniqua, aut fraudibus obnoxia prohibebatur iure ciuili, *l. ſi contra 20. C. mandati*, quæ negat, pactam pro ea redemptione mercedem, & conuentionem peti poſſe: vnde in Synopſ. Baſilic. *lib. 14. titul. de redempt.* qui alienam litem redemit ἐργολαβήσας τὴν δίκην, malè petit impleri promiſſionem in hac cauſa καλῶς ἀπαιτεῖ πληρωθῆναι τὰ ὑποσχεθέντα ἐπὶ ταύτῃ τῇ αἰτίᾳ, non enim habet mandati actionem, & in titulo definit redemptorem, qui pecuniam præſtitit, vt alienæ actionis, ac litis ceſſionem haberet. De his redemptoribus, & tota ἐργολαβίᾳ vide Cuiac. *lib.8. obſeruat. cap. 31.* Quærebatur igitur in themate huius legis, quam illuſtramus, an ille, fideiuſſor, qui damnatus fuerat; conſequi poſſet à Daphnide contrario iudicio. Vlpianus, ſi vulgarem, & mendoſam lectionem retineamus, reſpondet, ita ſibi videri, quod & fideiuſſiſſet, & redemptor litis fuiſſet: quæ reſponſio indigna prorſus Vlpiani nomine, & abſurda exiſtit, cùm illa pactio redemptionis damnetur iure ciuili, vti oſtendimus. Legi itaque vult Hotmon. *lib. 5. obſeruat. cap. 20. Videbatur autem mihi quaſi, vel quia iudicatum fideiuſſerat, non quaſi redemptor litis extitiſſet.* Ex fideiuſſione igitur actionem mandati concedit, non ex cauſa redemptionis, quia nimirùm illa interdicta erat, neque ratione illius quidpiam promiſſum poſcere poterat.

22 Quartò in *l. qui negotia 34. D. mandati.* quæritur, An ſi conuenerit, vt mandatarius pecunia, quam vi mandati exegit, vtatur tanquam credita, vſuraſque perſoluat, teneatur condictione mutui, & vſuras debeat. Huic geminæ quæſtioni reſpondet Africanus, primam quidem manere obligationem, & actionem mandati, neque mutari in obligationem mutui: quia nempè mutuum non nuda pactione, ſed re, & numeratione contrahitur, *l. 1. D. de obligat. & action.* & creditum nuda ratione contrahi negatur, *l. 4. §. non ſolùm, §. vlt. D. de peculio.* In hac tamen ſpecie Vlpianus, cõtra Africani mẽtem, verum eſſe mutuum, & condictionem mutui exiſtimat *in l. 9. §. vult. D. de rebus credit.* vbi in hanc rem laudat Neruam, Proculũ, & Marcellum, rationemque affert, quia hic procurator, & mandatarius accipere intelligitur ab ipſo domino nummos, quos ab ipſius debitore accepit, quoſque eiuſdem domini permiſſu ſibi vtendos tanquam creditos retinet. Eadem habet ibidem Vlpian. *l. ſingularia 15. D. eod.* quæ ratio pluribus aliis ex iure exemplis confirmari poſſet; nam & epiſtola tuo tabellario tradita, tibi per manus tradita eſſe dicitur. *l. pen. D. de adquir. rerum dom.* & *l. eum, qui 14. §. vlt. D. de furtis.* in hac igitur quæſtione Vlpian. & African. manifeſtò diuerſa ſentiunt; viderint interpretes qua ratione illud diſſidium componant. Quod ad alteram quæſtionem, An ille mandatarius, qui pecunia domini ab eius debitore accepta, tanquam credita vtitur, vſuras debeat: rationem dubitandi proponit ipſe African. videri non deberi, quia nummi illi, periculo procuratoris, & mandatarij ſunt: quæ res, mandati terminos excedit. Reſpondet nihilominùs African. deberi vſuras, de quibus conuenerit. Ratio eſſe poteſt, quia receptum eſt, vt in bonæ fidei contractibus, vſuræ debeantur ex pacto, *l. Lucius 24. l. publia 26. §. 1. de poſſ. l. 2. C. de vſur. l. 5. C. de pact. int. emptor.* cui reſponſioni, iam diximus. Vlpian. apertiſſimè aduerſari. Ideirco ad hanc antinomiam tollendam exiſtimabat Hotman. *lib. 12. obſeruat. cap. 27.* interendam eſſe negationem verbis Africani, legendumque, *tamen vſuras, de quibus conuenerit, præſtare non debeat.* Et ſanè nunquam debentur vſuræ ex pacto nudo, ſed tantùm per ſtipulationem, *l. Titius 24. D. de præſc. verb. l. idemque 10. §. 3. D. mandati.* vbi Vlpian. hanc opinionem Africani non minùs, quam alibi improbat. Vide alia circa hoc diſſidium, apud Gotoffred. *in notis ad l. 34. D. mandati.* qui tandem ait, Africanum ſtricti iuris, vlpianum æqui religioſiorem eſſe: qua etiam ratione Anton. Faber *lib. 3. coniectur. cap. 19. n. 34.* vtitur, vbi tamen nominat inexplicabilem ἀντινομίαν. Vide & Cuiac. *lib. 8. obſeruat. c. 8.* de hoc eodem Africani, & Vlpiani diſſidio.

Quintò in *l. inter cauſas 26. §. ſed cùm ſeruus, D. mandati.* quæritur, An ſi ſeruus, quem mandatu meo emiſti, furtum tibi fecerit, habeas aduerſus me noxalem duntaxat actionem furti, an contrariam mandati, in omne id, quod tua intereſt: & quidem ſi culpa mea, dolove factum ſit, vt damnum paſſus ſis, quia v.g. talem ſeruum emi mandauerim, de cuius moribus priùs mihi notis non te monuerim, certum eſt me tibi in ſolidum teneri, *leg. ſi ſeruus communis 61. §. quod verò, D. de furtis.* at verò ſi nulla mea culpa ſit, æquius eſt te mandati actione aliud non conſequi, quam vt tibi ſeruus noxæ dedatur, vt ſapienter habet illa *l. inter cauſſas, §. ſed cum ſeruus.* Difficultatem tamen facit exceptio in *eodem. §.* adiecta, *ſi tamen ſine culpa tua id acciderit*: ergo ſi culpa tua ſeruus meus furtum tibi fecerit, nequidem noxali actione experiri poteris: quare cum vix vnquam ſine culpa tua furtum tibi fiat. *l. cum duobus 52. §. damnum, D. pro ſocio,* vix aliquandò noxali poteris agere: iniquiſſimum tamen foret ex culpa, & negligentia tua permitti ſeruo, vt furtum tibi faciat. Denique quamuis mandatarius ſit in culpa, etiam lata, ſi liber, furtum tamen non fuiſſes paſſus, ſi mei gratiâ, mandatum de ſeruo mihi emendo non ſuſcepiſſes, & executioni mandaſſes. Neque ſanè quæritur in eo §. An mandatarius ob ſerui furtum noxaliter agere poſſit aduerſus mandantem; id enim certum eſt; ſed an noxali actione contentus eſſe cogatur, an verò mandati iudicio, in ſolidum agere poſſit. Ratio dubitandi eſt, quia æquum videtur, ne cui per ſeruum plus damni eueniat, quàm quanti ſeruus ſit, ac proinde dominus ſerui ipſius & noxæ deditione liberetur: aliunde tamen non minùs, immò magis poſtulare videtur æquitas, vt nemini damnoſum ſit officium ſuum, quod non ſui commodi, ſed eius, quorum contraxit, cauſâ ſuſcepit; quare cum mandatarius cauſâ ſolius mandantis 23

ſeruum ipſi emerit, non debet ex illo ſuo officio gratis exhibito, damnum aliquod pati, ſed aduerſus mandatorum ad illud recuperandum agere poſſe. Verùm cùm nulla mandantis culpa fuerit, poſtulabit ſanè ratio, vt noxæ deditione liberetur: ſi verò cum ſeruum ſibi repoſceret, mandatariũ indemnem præſtare debet, *l. ſi ſeruus Titij 70. D. de legat.* 1. in hac itaque controuerſia reſpondet Paul. ex Neratij mente, mandatario noxalem duntaxat, & non in ſolidum actionem competere: *ſi tamẽ* (inquit) *ſine culpa tua id acciderit*. An ergo dicemus quoties mandatarij culpâ furtum iſtud factum fuerit, ipſi non noxalem duntaxat, ſed in ſolidum quoque actionem deberi: quæ conſequentia manifeſta quidem, & neceſſaria videtur ex poſitis: abſurdiſſima tamen eſt, cùm mandatario exiſtenti in culpa, ampliorem, grauioremque actionem tribuat, quam ſi culpa careret. Quare Accurſius culpam illam mandatarij interpretatur de culpa in emendo commiſſa, contra apertiſſimam Pauli mẽtem, qui loquitur de culpa mandatarij, ex qua commiſſum eſt furtum. Deinde neque ea explicatio tollit difficultatem allatam: nam ſemper ſequetur mandatario, qui nullam in emendo ſeruo culpam admiſerit, licere noxali tantùm agere, ſi verò alicuius culpæ in emendo reus fuerit, non noxali duntaxat, ſed in ſolidum agere poſſe: quod nemo negabit abſurdiſſimum eſſe. Itaque Anton. Faber *lib. 3. coniecturar. cap. 5. n. 5.* tandem concludit emendandam eſſe vulgatam lectionem; & pro *tua* legendum eſſe *mea, ſi tamen ſine culpa mea id acciderit*, eritque tunc perſpicua Pauli veraque ſententia, nempe noxalem duntaxat actionem tibi competere, non contrariam mandati, niſi culpa mea furtum acciderit: idcircò addit, *Quod ſi ego ſciſſem talem eſſe ſeruum, nec prædixiſſem, vt poſſis cauere, tunc quanti tua intereſt, tantum tibi præſtari oportet*, quia nempe culpa mea furtum accidiſſe, dicere quis poterit, quamuis dolus abfuerit. Neque hæc emendario ſingularis, & inſolita eſt hoc loco; ſimilis enim facienda eſt *in l. ſi mandatu 45. §. vlt. D. mandati*, vbi ſcriptum eſſe *tuam* loco *meam* docet idem Fab. *ibid.*

24 Sextò Vlpian. *in l. ſi fideiuſſor 29. D. mandati.* quærit, An actio mandati danda ſit fideiuſſori, qui ſiue ſciens, ſiue ignorans ſoluerit pro reo, vel non vtiliter, vel efficaciter obligato, vel iam liberato; vbi allatis variis caſibus diſtinguit, aitque non eſſe audiendum, *ſi vel ſciens, vel ignorans iuris ſoluerit*, niſi fortè debitor conqueratur de omiſſa exceptione, quæ de apicibus iuris potiùs fuerit, quàm ex bona fide, ſi verò ignorans probabili ignorantia facti ſoluit, repetitionem habere debet actione mandati contra eum, pro quo fideiuſſit. His omnibus Tribonianus aſſuit totum §. penultimum, quem nullo modo eſſe Vlpiani, pluribus eruditè, & ſolidè demonſtrat Anton. Faber *lib. 18. coniecturar. c. 20.* ex ipſa phraſi, contextu, & ſubiecta materia. Vlpianus enim tota ea lege non agit, niſi de actione mandati, & de repetitione, quam fideiuſſor contra reum habere debet, per illam actionem mandati; non de condictione ſoluti, ſiue quod idem eſt, de repetitione aduerſus creditorem ipſum danda, vel deneganda, de qua parùm idoneo loco, & inutiliter in ſuo illo additamento diſputat Tribonian.

25 Septimò *in l. idemque 10. §. ſi procurator, D. mandati.* traiectionem manifeſtam eſſe horum verborum, *quæ legitimo modo in regionibus frequentantur*, contendit Cuiac. *lib. 13. obſ. cap. 15.* quem adi: neque enim nobis in his apicibus, quamuis eruditis immorandum videtur.

26 Octauò *l. ſi defunctus 15. D. de procuratorib.* totam eſſe Triboniani, pluribus contendit Anton. Faber *coniectur. lib. 12. cap. 16.* tum ex inepta loquutione, qua vtitur, tum ex ipſa ſententia conſtitutionis, quæ cum manifeſto iure, cumque Vlpiano, cui tribuitur, ac denique cum ſe ipſa pugnat: quæ omnia ſolide demonſtrat Faber. Hoc vnum nobis ſufficiat. Vult ea conſtitutio, vt defuncto antè litem conteſtatam domino, qui pro procuratore præſente, aut ſciente iudicatum ſolui ſatisdederat, cogatur procurator iudicium accipere: cùm tamen certum ſit, procuratorem non niſi poſt litem conteſtatam fieri dominum litis, *l. ab executore, §. vlt. D. de appellat.* & *l. nulla 23. C. de procurator.* certum prætereà eſt, morte mandatoris ante litem conteſtatam re integra, nondumque effecto domino procuratore, finiri mandatum, *l. ſi præcedente 18. C. mandati.* Cur igitur cogetur ille, qui ampliùs procurator non eſt, accipere, iudicium procuratorio nomine, quæ, aliaque in eam à Triboniano excogitatam legem obiicit Faber, quem etiam adeas velim *eod. lib. 12. cap. 10.* circa explicationem, & emendationem *l. ſeruum 33. §. vlt.* & *l. ſi quis in rem ſuam 34. D. de procuratorib.* de quibus aliquid fortaſſis dicemus lib. ſequenti, vbi de ceſſionibus diſputabimus. Præterea *l. pomponius 9. de negot. geſt.* quæ torſit interpretum ingenia, explicatur, & illuſtratur ab eodem Fabro *lib. 4. coniect. cap. 10.* & nos, vbi de ratihabitione *lib. ſeq.* diſputabimus, afferemus; ſicut & de *l. Seruius 21.* & *l. ex facto 30. D. eod.* dicemus *lib. 3.* vbi de correis interim adi Fab. *lib. 11. coniecturar. cap. 7.*

27 *L. actio 47. D. de negot. geſt.* manum Triboniani paſſa eſt, & eius aſſutamento corrupta. *Actio negotiorum geſtorum illi datur, cuius intereſt hoc iudicio experiri; nec refert directa quis, an vtili actione agat (quia in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obſeruatur, hæc ſubtilitas ſupernacua eſt) maximè cum vtraque actio eiuſdem poteſtatis eſt, eundemque habet effectum.* Omnia verba, quæ incluſa ſunt parentheſi, adiecta à Triboniano iniuſtè fuiſſe, exiſtimat Anton. Faber *lib. 4. coniecturar. cap. 7.* cùm actio negotiorum geſtorum, iudicium extraordinarium non ſit, ſed ordinarium: neque qui vt falſatam non eſſe legem oſtendant, pro voce *quia* reponunt *planè*, quidquam perficiunt, vt ibidem oſtendit Faber. Quare quod ex hac lege Reuard. *lib. de authoritate prudem. cap. 3.* colligit, actionem negotiorum geſtorum, non eſſe bonæ fidei, quod ei formula æquiùs, meliùs non adiiceretur, reiiciendum eſt, ſupponit enim, legem illam Pauli non fuiſſe vitiatam à Triboniano.

ARTICVLVS X.

De Rationalibus, & Arcariis.

Rationalis apud negotiatores quid ſit. 1.
Tria genera rationum. 2.
Quid ærarium, quid quæſtores. ibid.
Rationales principis, & fiſci. 3. 4.
Rationalis rei priuatæ. 5. 6.
Arcarij quinam. 7.
Suſceptores quinam. 8.

Nam

Numerarij. 9.
Tabularij. 10.
Rationes quomodò conficiendæ. 11. 12.
Quomodò reddendæ. 13.
Obligatio reddentis rationes. 14. 15. 16. 17.

1 RAtionales negotiationis nomine, qui totius negotiationis rationes gerunt, adminiſtrant, & conficiunt, tabulaſque accepti, & expenſi conſcribunt, quos noſtri Lugdunenſes tenere dicunt codicem rationum, & computi, ſiue rationarium, vti loquitur Sueton. *in Auguſto capitulo* 28. vbi ait, Auguſtum de reddenda Republica cogitaſſe, *cùm etiam Magiſtratibus, ac Senatu domum accitis rationarium imperij tradidit*, quod ſua manu perſcripſerat, vt ſignificat Tacitus *lib. 1. annal.* neque vox rationalis in iure inſolita eſt: rationalem enim Cæſaris habemus in Rubric. *D. de officio procuratoris Cæſaris, vel rationalis*, cuius munus erat conquirere, & exigere, quæ Cæſari, eiuſque fiſco debebantur, eorum rationes conficere; & denique rationibus fiſcalibus ius dicere. Erat prætereà eidem Cæſari, ſiue principi procurator priuatæ rationis, *l. 7. C. de edendo*, qui & rationalis priuatæ rationis dicitur, *l. vn. C. de annon.* rationalis priuatæ rei *l. 7. C. de bonis præſcript.* & *l. 4. C. de Epiſcop. & Cleric.* rationales, qui ſunt adhuc ratiociniis obnoxij, ad clerum tranſire prohibentur: qui in aliqua poteſtate, curationeque fuerunt, rerum à ſe geſtarum rationem priùs referre, ex conſtitutione Conſtantini debebant. Hoc exemplo priuatis ſingulorum aliorum rationibus præfectos, *rationales* dicere licuit, quos & ratiocinatores appellant: nam *l. 5. §. 16. D. de tributor.* ratiocinator tabernæ dicitur, qui rationes tabernæ adminiſtrat, & gerit, atque conficit: & hanc vocem pro calculatore, & perito rationis ſubducendæ vſurpauit Colum. *lib. 3. cap. vt diligens ratiocinator poſito calculo videt, id genus agricolationis maximè rei familiari conducere*: & Cicero *lib. 1. ad Attic. ep.* 11. queritur de quodam Hilaro liberto ſuo nequam homine ratiocinatore, qui ſanè eo officio domi ſuæ fungebatur: & eleganter *lib. 1. de offic. Hæc igitur, & talia circumſpicienda ſunt in omni officio, & conſuetudo, exercitatioque capienda, vt boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & in addendo, deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat, ex quo quantum cuique debeatur intelligas.* De his igitur rationalibus, ſiue ratiocinatoribus negotiationis nobis agendum eſt: nam & Labeo teſte Vlpian. *in l. 6. §. rationem, D. de edendo.* rationem negotiationem eſſe dixit. *Rationem autem eſſe, Labeo ait, vltro citroque dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſoluendi ſua cauſa negotiationem; nec vllam rationem à nuda duntaxat ſolutione debiti incipere.* Placet verò de omnibus iſtis, aliiſque, qui rationibus reddendis obnoxij ſunt, agere, & quanta ſit eorum obligatio explicare, vbi aliquid ex antiquo iure, & moribus circa diuerſos iſtos rationales obſeruauerimus.

2 Tria igitur genera rationum fuiſſe reperio, aliæ enim erant publicæ, ſiue publici ærarij: aliæ fiſci, ſiue principis, vel Cæſaris: aliæ denique priuatæ tum ipſius Cæſaris, tum aliorum.

3 Ærarium erat publica populi Romani pecunia ex tributis, & vectigalibus conflata, ſiue potius locus, in quo eiuſmodi pecunia ſeruabatur, à Valerio Publicola, in æde Saturni deſignatus, teſte Plutarch. in eius vita: iniquum enim eſſe exiſtimabat, in priuatam domum, publicam inferri pecuniam: cur verò potiſſimum Saturni ædem elegerit, varias cauſas affert Plutarch. eam potiſſimum eſſe cenſet Macrob. *lib. 1. Saturnal. cap.* 8. quod regnante in Italia Saturno, nullum furtum commiſſum fuiſſet, & nihil eſſet cuiuſquam priuatum: quod deſcribit Virgil. *lib. 1. Georgic.*

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni,
Nec ſignare ſolum, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant.

Apud Athenienſes, ærarium cella erat, pone ædem Mineruæ, & idcircò dicitur ὀπισθόδομος apud Demoſth. περὶ συντάξεως. Ærario præerant quæſtores, dicti ab eo quod inquirendæ, & conſeruandæ pecuniæ cauſa creati erant, vt ait Caius *D. de origine iuris*, §. 23. quod idem ethymon Vlpian. *in l. vnic. D. de officio quæſtor.* affert ex Iunio, Trebatio, & Feneſtella, quem Corraſius *in comm.* negat eſſe illum, cuius hodie commentarius erroribus ſcatens, mendoſo tam illuſtri nomine circumfertur: ſed antiqui illius, qui & Liuio, & Ouidio coætaneus fuit, atque hiſtoriam magiſtratuum, aliaque complura elegantiſſimè ſcripſit. Imperantibus Regibus fuiſſe Romuli quæſtores, atque adeò ipſum Romulum, & Numam binos habuiſſe populi ſuffragio creatos, refert Vlpian. *l. c.* ex Iunio Gracchano *lib. 7. de poteſtatibus.* Hunc Gracchanum Pſeudofeneſtella Gratianum nominat: Corraſius neutrum nomen probat, vultque eſſe Iulium Africanum, nobiliſſimum ſui æui ſcriptorem, quique ad Origenem epiſtolas aliquot ſcripſit. Sed quidquid de ea controuerſia ſtatuas, monet Vlpian. crebriorem apud veteres opinionem eſſe, Tullum Hoſtilium primùm quæſtores in Rempublicam induxiſſe. Controuerſiam, opinor, componit, aut dirimit Tacit. *lib. 11. Annal. Quæſtores*, inquit, *Regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt, manſitque Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret; creatique primùm Valerius Poſthumus, & Æmilius Mamercus an. LXIII. poſt Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur: deinde gliſcentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent: mox iam Italia, & accedentibus prouinciarum vectigalibus, poſt legem Syllæ, viginti creati ſupplendo Senatui, cui iudicia tradiderat.* Addit gratuitò tributã fuiſſe illam dignitatẽ, donec ſententia Dolabellæ velut venundaretur. Fuerunt igitur varij generis quæſtores. Primùm militares, ſiue militaris rei, Imperatori exercitus comitando creati; quos Vlpian. *l. vnic. D. de officio quæſtor.* ait prouincias ſortiri ſolitos. Mittebantur cum Populi Romani Imperatoribus, ad adminiſtrandam rem pecuniariam, & prædam, ac manubias in rationes publicas referendas, quod ſæpè teſtatur Liuius: vectigalia quoque Populi Romani in prouincia exigebant, ſtipendia ſoluebant militibus, ſingula demùm accepta, & expenſa publicis rationibus inferebant, quæ omnia vt faciliùs cum imperio, & poteſtate præſtarent, lictores, veſtem, cæteraque magiſtratus inſignia in prouinciis habebant; vnde Cicero ait, ſe à Plancio quæſtore Siciliæ dimiſſis lictoribus, inſignibus abiectis, veſte mutatã, abiecta quæſtoria perſona, comitiſque aſſumptã, exceptũ fuiſſe. Hinc porrò fiebat, vt his quæſtoribus militaribus ſumma cum Imperatoribus ſuis communio eſſet, & neceſſitudo, dixitque Cicero in diuinatione, maiores voluiſſe, Prætorem quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere, nullam neque grauiorem, neque iuſtiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris ſo-

cietatẽ:vt verò in caſtris erat prætoriũ tabernaculũ; ſic & quæſtoris quæſtorium. Liu. *lib.* 10. & Cicero *pro Plancio.* Quæſtores porrò vrbani, qui & ærarij, ærarium curabant, eiuſque pecunias expenſas, & acceptas in publicas tabulas referebant, ad illos ipſi Imperatores exercituum ex prouinciis decedentes, rationes ſuas ad ærarium referebant, vt habes apud Ciceron. *in Piſonem.* vbi Piſonem ipſum è Macedonia, quam expilarat, redeuntem, ſic loquentem per ironiam inducit. *Rationes ad ærarium retuli continuò (Cæſar) ſicut lex tua iubebat, neque alia in re legi tuæ parui; quas rationes ſi cognoris, intelliges nemini, pluſquàm mihi litteras profuiſſe: ita enim ſunt præſcriptæ ſcitè, & litteratè, vt ſcriba ad ærarium, qui eas retulit, præſcriptis rationibus ſecum ipſe caput manu ſiniſtra perfricans commurmuratus ſit. Ratio quidem herculè apparet: Argentum Oeche-te.* ita enim legitur hodie, vti primus reſtituit Budæ. mendoſè enim legebatur, *argentum, & doctum reibecha:* nullo ſenſu, cùm hic apertus ſit, ratio quidem comparet, ſed reliqua non extant; argentum οἴχεται abiit, exceſſit, non extat. Imitatus eſt Tull. Plautum in *Trinummo act. Scen.* 4. Valer. *lib.* 4. *cap.* 3. ait, legem a L. Mario, & M. Catone Tribb. pleb. latam, quæ minatur pœnam Imperatoribus, qui aut hoſtium occiſorum in prælio, aut amiſſorum ciuium falſum numerum litteris Senatui auſi eſſent referre, iubetque, eos, cùm primum vrbem intraſſent, apud quæſtores vrbanos iurare de vtroque numero, verè abs ſe fuiſſe præſcriptum ad Senatum. Auguſtus poſtmodum voluit curam ærarij a Quæſtoribus ad Prætores, Prætorioſue tranſire: ita Sueton. *cap.* 36. *in Auguſto:* quod etiam Nero ad Præfectos tranſtulit. Vnde Tacit. *lib.* 13. *annal.* de immutata ſæpiùs eius forma; apud quem etiam Piſo deſignatus Conſul cenſuit, ne mulctam a Tribunis dictam, quæſtores ærarij in publicas tabulas referrent ante quatuor menſes, vt medio temporis contradicere liceret, deque eo Conſules ſtatuerent. Erant & Tribuni ærarij, qui præerant dum pecunia ex ærario promenda erat: immò vt ſignificat Cicero *orat. pro L. Flacco*, Prætores quinque, tres quæſtores, & quatuor menſarios, præſentes eſſe oportebat, priuſquàm vllus ex ærario moueri poſſet nummus. Scipionẽ ſcribit Liui. *lib.* 38. à quæſtoribus, qui contra legẽ quidquam ex ærario promere non audebant, claues popoſciſſe, ærariumque apertum ſe dixiſſe, qui vt clauderetur effeciſſet: eratque quoddam ſanctius ærarium, ex quo nihil promi licebat, niſi ob extremas neceſſitates: eius meminit Cicero *lib.* 7. *ad Attic.* & aurum illic repoſitum, dicebatur aurum viceſimarium, quod ex viceſimis collectum foret, ex Liuio *lib.* 7. *&* 27. Conſtituit quoque Auguſtus ex nouis vectigalibus ærarium militare, ex quo nempe pecunia ſolis militibus diſtribuenda promebatur, ne ipſis ſtipendia deeſſent. Sueton. *in Aug. cap.* 49. & Zonaras, Agrippæ poſthumi damnati bona in ærarium militare relata ait, proprijque fuerunt huic ærario præfecti. Hinc lapis in Samnio ſic inſcriptus. L. NERATIO. C.F. VOL. PROCVLO. PRÆF. ÆRARII MILITARIS. Appian. *lib.* 3. meminit & alterius cuiuſdam ærarij, in quo pecunia ad Gallicum bellum deſtinata aſſeruabatur. Athenienſibus quoque fuit & ſanctius quoddam ærarium, in quo ſeponebant annis ſingulis mille talenta non impendenda, niſi hoſtis in Atticam impulſus, eam inuaderet: ſi quis ad alios vſus eam impendendam decerneret, & populum rogaret, capite iubebat. Ita Andocides, qui id inductum ait initâ cum Lacedemoniis pace. Thucydid. verò *lib.* 2. refert ad initia belli Peloponeſiaci. Erat & theorica pecunia θεωρικὰ χρήματα, quæ ex ærario publico viritim plebi diſtribuebatur ad ludos, & ſpectacula, vt haberet vnde theatri redemptoribus lucra penderet, authore Pericle. Lege deinde cautum fuit, vt ex ea pecunia, ingruente bello, militibus ſtipendia penderentur; quam tamen legem deinde populos refixit rogante Eubulo, & ex ea pecunia militum ſtipendia ſolui ſub pœna capitis vetuit. Ærarij publici pecuniæ cogendæ incumbebant coactores, à Græcis nominati ἀποδέκται ſuſceptores, hinc coactiones argentariæ, quas factitaſſe Flauium Veſpaſiani auum, ſcribit Sueton. Porrò rationes omnium iſtorum cùm reddendæ erant, aut conſtituendæ, obſeruabant antigrapharij, ἀντιγραφεῖς à Græcis dicebantur; & eorum libri ἀντίγραφα, quaſi contra ſcripta. Hinc Demoſth. contra Androt. ἕκαστος ἀντιγραφεὺς τῶν εἰσενεχθέντων, vnuſquiſque antigrapheus eorum, quæ in publicum conferebantur, aduerſæ rationes rationum. Cicero *orat. pro lege Agraria, contra Rull. & de reditu ſuo*, cuſtodes appellat. Vlpian. *in l.* 3. *§. ſi parens. D. de adm. tutor.* horum officium deſcribit; dum agit de tutoribus honorariis, quos vel teſtator, vel prætor voluit tutorum tutelam gerere: quamuis enim ipſi non adminiſtrent, excuſſis tamen priùs facultatibus eius, qui geſſit, conueniri poſſunt, & debent, cùm ſint dati quaſi obſeruatores actus eius, & cuſtodes, imputabiturque eis quandoque, cur ſi malè eum conuerſari videbant, ſuſpectum eum non fecerunt? Sic igitur iſti, qui publicas rationes obſeruare debent, & fidem eorum, qui eas conficiunt explorare, & aduerſarum rationum cōmentarium conficere, quos nos *Controroleurs* vocitamus, excuſſis quæſtorum, & ratiocinatorum bonis, conueniri poſſunt, ſi ſuo officio functi negligenter fuerint, & ipſos rationales, aut quæſtores ſuſpectos non fecerint. Horum cuſtodum alienæ fidei neceſſitatem iam pridem vidit Ariſtoteles *in polit.* ne pecuniæ publicæ interuertantur: ideoque voluit ἀντίγραφον fieri, κατὰ φρατρίας καὶ φυλάς, per phratrias, & tribus ſingulas, ſiue phratriadum, tribuumque. Phratrias autem interpretatur Budæ. *in Rubric. de offic. quæſtor.* conuenticula, contubernia, & ſodalitates, & quaſi pagos, qui propria ſacra, peculiariaque communiter habebant: dicebantur autem phratriæ, quòd communi puteo vterentur, qui græce φρέαρ dicitur, & φράτορες ὁμογάλακτοι καὶ ὀργεῶνες, apud Polluc. Eiuſdem phratriæ & tribus ſanè populus Athenienſis diuiſus erat in duodecim tribus, & ſingulæ trib. in treis φρατρίας ita tamen reddidit græcè curias Dionyſ. Halicarn. *lib.* 6. Plutarch. *in Romulo*, dixit ſingulas tribus φυλὰς habuiſſe decem phratrias δέκα φρατρίας. Valerius Publicola Vindicium manumiſſum ciuitate donauit, permiſitque in qua vellet φρατρίᾳ ſuffragium ferre, teſte Plutarch. in eius vita. Exiſtimauit igitur Ariſtoteles, antigrapha, ſiue commentarium aduerſarum rationum, in ſingulis tribubus palàm præſcribendum, quo publicæ pecuniæ adminiſtratorum, tabulæ, & rationes explorarentur, & rationalium publicorum fides exigeretur.

Alij erant rationales Cæſaris, ſiue principis, & fiſci, qui adminiſtrabant publica iura principis, qui & procuratores, atque rationales fiſci nominabantur: hinc *in C. rubric. de officio procuratoris Cæſaris, vel rationalis,* Iulius Capitolin. in Maximin. *Erat fiſci procurator in Lybia, qui omnes Maximini*

ſtudio

ſtudio ſpoliauerat; hic per ruſticanam plebem interemptus, ſed per eos, qui rationalem in honorem Maximini defendebant, viderunt authores cadis eſſe. Fiſci igitur procurator, & rationalis idem eſt Iulio Capitolino, ſicut & Lampridio in Alexand. Seuero, *Vbi* (inquit) *aliquos voluiſſet vel rectores prouinciis dare, vel præpoſitos facere procuratores, id eſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt ſi quis crimmis quid haberet, manifeſtis rebus probaret.*

Fiſcus verò pecuniam principis, illiuſque patrimonium, quod nos domanium nominamus, continebat: ærarium verò publicam populi pecuniam, Plin. in panegyr. *At fortaſsè non eadem ſeueritate fiſcum, qua ærarium cohibes, immò tantò maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis.* Spartian. de Adriano: *Damnatorum bona in fiſcum priuatum redigi vetuit, omni ſumma in ærario publico recepta*: alibi vocat priuarum ærarium, de Antonino agens: *Quæ in priuatum ærarium congeri noluit, quare Senatu præcipiente in ærarium publicum ſunt relata.* Vlpian. *l.* 1. §. *hoc inſtitutum, D. ne quid in loco public.* res fiſcales quaſi proprias, & priuatas principis interpretatur, & ibidem vocat fiſci patrimonium: quare mirum videtur, Aſconium Pædian. *in* 2. *Verrin.* fiſcum pro publico theſauro ærarij vſurpaſſe. Sunt verò fiſci, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartea, vtenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Cicero *act.* 1. *in Verrin.* *Reperiebam fiſcos quamplures cum pecunia Siciliensi, a quodam Senatore, ad equitem Romanum eſſe tranſlatos: ex his quaſi decem fiſcos ad Senatorem illum relictos eſſe comitiorum nomine.* Idcircò publica illa pecunia, quæ principi ad tuendam ſuam dignitatem tribuebatur, in fiſcus relata, fiſcus dicebatur: quod eodem nomine omnes fundi, & iura, quæ principi, & Cæſari eadem de cauſa attributa fuerunt, fiſci dicta ſunt; indeque res fiſcales, & confiſcatæ, quæ mulctæ nomine fiſco ſunt adiudicatæ: cuius vocis meminit Sueton. *in Aug. capit.* 15. & *in Tyberio cap.* 49. ſuccedentibus tandem ætatibus, omnia publica, nimirùm canones, oblationes, indictiones, cœperunt principes in ſuum transferre fiſcum; indeque confuſum ſenſim eſt publicum ærarium, cum fiſco, ſeu cenſu principali: quare Vlpian. *leg. inter publica* 17. §. 1. *D. de verb ſign.* fiſco tribuit *publica vectigalia portuum, venalium rerum, ſalinarum, & metallorum, atque piſcariarum*, idem ex toto titulo de iure fiſci facilè colliges. Et primus Octauius Cæſar ærario abuſus eſt, & verbo, non re ærarium à fiſco diſtraxit, quod annotauit Dion. *lib.* 53. eius exemplum ſequutus eſt, qui ipſi in Imperio ſucceſſit, Tiberius, qui plurimis ciuitatibus ademit ius metallorum, & vectigalium, ſibique attribuit, teſte Sueton. in *ipſo cap.* 49. Sanè contra vetitum omnium politiarum morem, ærarium à fiſco, fiſcaliue canone minimè diſtinguimus: fiſcum enim, vt dixi, vt à publica populi pecunia diſtinguerent, rem vel rationem priuatam principis nominant, vnde erat rationalis, rei, aut rationis priuatæ principis, vti initio monuimus, qui erat quoque fiſci rationalis. Lamprid. de Alexandro, *Rationales citò mutabat, ita vt nemo niſi annum compleret, eoſque ſi boni eſſent, oderat, malum neceſſarium vocans*: de horum enim rationalium, & procuratorum (vti appellabant) fraudibus, & quantùm ipſorum nequitiâ principes abuterentur, ad corrogandas pecunias, frequentes ſunt veterum querelæ: audi enim Suetun. de Veſpaſiano *cap.* 16. *Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliſſima officia ſolitus promouere, quo locupletiores mox condemnarent; quibus quidem vulgo pro ſpongiis dicebatur vti, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes.* Traianus improbas eiuſmodi exactiones, & calumnias, de quibus ab vxore Pompeia Plotina monitus fuerat, damnans, fiſcum dixit eſſe lienem; ſicut enim creſcente illa, reliquæ corporis partes tabeſcunt: ita turgente principis fiſco, cætera Reipublicæ membra ſubſidunt, & marceſunt. Eundem Traianum commendabat Plin. quod maiore ſeueritate fiſcum, quam ærarium cohiberet: additque, *quæ præcipua tua gloria eſt, ſæpius vincitur fiſcus, cuius mala cauſa eſt nunquam, niſi ſub bono Principe.*

Palphurius, & Armillatus primi fuere, qui per calumnias plurima fiſco vindicarunt: vnde Iuuenal. *ſatyr.* 4.

> *Si quid Palphurio, ſi credimus Armillato:*
> *Quidquid conſpicuum, pulchrumque ex æquore natat,*
> *Res fiſci eſt, vbicumque natat, donabitur ergo,*
> *Ne pereat.*

Hic porrò rationalis, vel procurator fiſci, & Cæſaris, non modò rationes fiſci adminiſtrabat, ſed iudicabat quoque de rebus ad fiſcum pertinentibus. *l. ad fiſcum, C. vbi cauſ fiſc.* & *l.* 1. *D. de offic. proc. Cæſar. vel rational.* eiuſque acta, & geſta æque comprobari dixit Vlpian. atque ſi à Cæſare geſta eſſent: quod confirmat Tacit. *lib.* 12. *de Claudio.* voluiſſe parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet, idque Senatus quoque conſultò voluit, pleniùs quàm antea, & vberius: quæ tamen Suetun. precibus impetraſſe dixit. Aliquando hic idem procurator vice præſidis prouinciæ fungebatur, ac proinde de rebus omnibus, tunc quaſi præſes cognoſcebat, *l. ex conſenſu* 23. §. 2. *D. de appellation. l.* 3. *C. vbi cauſ. fiſc. l.* 4. *C. ad l. fab de plag.*

Erat rationalis ſummæ rei, ſic enim inſcribitur conſtitutio Conſtantini *ad Buleforum rationalem rei, in l.* 7. *C. vbi cauſ. fiſc.* & *in C. Theod. l.* 7. *de iure fiſc. verecundo rationali ſummarum*: & in notitia Imperij reperiuntur aliqui rationales ſummarum, per prouincias conſtituti, qui nimirùm ſummas ad ærarium, & fiſcum pertinentes colligebant: ita interpretatur Budæ. 4

Præter publicum illud Cæſaris, & Principis patrimonium, quod alibi à Republica ad tuendam dignitatem tribuitur, quod fiſcale, vel imperiale, & noſtro more, coronæ domanium dicitur, aliud priuatum fuit, quod & Cæſaris dicitur: vtriuſque huius patrimonij meminit Vlpian. *in l. cum ſeruus* 39. §. 8. & 10. *D. de legat.* 1. vbi diſtinguit prædia Cæſaris, quæ in formam patrimonij reducta, ſub procuratore patrimonij eſſent, ab aliis hortis, & fundis, qui principalibus vſibus deſeruirent, & Auguſti forent: additque furioſi hominis eſſe hortos Auguſti, aut rem principis vſibus ſeruientem legare, quia non ſunt in commercio. Alia verò, quæ in formam patrimonij redacta ſunt, non ſunt ſine iuſſu Principis, etiam in commercio; quæ diſtinctio obſeruanda eſt: quædam enim bona Principis non ſunt abſolutè in commercio, quia vt nos hodiè loquimur, ſunt bona coronæ, quæ alienari non poſſunt, & ſemper recuperari poſſunt. Alia verò ſunt in commercio libero Principis, quia priora illa fructuario tantùm iure, hæc verò mancipio poſſidet, & libero iure, dicunturque in formam patrimonij redacta, quia inquit Gotfred. patrimonio Cæſaris, veluti cuidam 5

corpori

corpori iungebantur. Procuratorem patrimonij, qui & rei priuatæ dicitur, eiuſque meminit Capitolin. *in Macrino*, inſtitutum fuiſſe primum à Seuero, Albino victo, teſtatur Spartian. nam anteà rei familiari principis, liberti plerumque, nonnunquam equites ſine aliqua muneris, & adminiſtrationis forma, duo pluresve præficiebantur, ex Tacito *lib.3. Ann.* deinde procurator rei dominicæ appellari cœptus, & deinde comes rerum priuatarum: ſed redeo ad duplicis patrimonij, fiſcalis ſcilicet, & Cæſaris diſcrimen. Calliſtrat. *in l.3.§.10. D. de iure fiſci.* theſauri in locis fiſcalibus, vel publicis, religioſiſve reperti mediam partem fiſco ait vindicari. *Item ſi in Cæſaris poſſeſſione repertus fuerit, dimidiam æque partem fiſco vindicari*: vbi vides loca fiſcalia, & publica, a poſſeſſione Cæſaris diſtingui, quia non omnis illius poſſeſſio fiſcalis eſt, & ſacri patrimonij: & Vlpian. *in l. fiſcus 6. §.1. D. eod. quodcumque priuilegij fiſco competit, hoc idem, & Cæſaris ratio, & Auguſta habere ſolet.* Aliæ ſunt igitur rationes fiſcales, aliæ Cæſaris. Scæuula *in l. Titius vltim. §.1. D. qui potior in pignor.* meminit conductoris horreorum Cæſaris, & ait procuratorem exactioni præpoſitum, qui ob penſiones ab conducture non ſolutas, volebat ſibi retinere quædam illius marmora, in quæ credita habebat expreſſam hypothecam, non potuiſſe ea marmora ſibi vindicare, ſed creditorem hypothecarium illi præferendum fuiſſe. Denique Herennius Modeſtinus *l. οἱ ἐπίτροποι 49. D. locat.* diſtinguit prædia Cæſaris à prædiis fiſci χωρία Καίσαρος ἀπὸ τῶν χωρίων, τῶν ταμείου. Laudat Capitolin. Antonin. pium, quod adeò moderatè, reuerenterque ſacras imperij opes tractaret, vt priuatum patrimonium duntaxat in filiam contulerit, & cùm ſuperfluas modò ſpecies imperatorias, & prædia vendidiſſet, ipſe in propriis vixerit fundis. Denique poſterior ætas hæc duo bonorum, & facultatum principis genera diſtinxit accuratiùs, & priuatas facultates, ac bona vocarunt, quæ priuato iure ſanguinis, ac propriorum hæreditate, emptionibus, donationibus, aliove ſingulari, & priuato titulo, non ſceptrorum iure quæſita forent. Principalia verò, & dominica bona, ac fiſcalia dixerunt, quæ ſceptri, & coronæ titulo comparata fuere: quæ omnia non modò in Romano imperio, ſed in omnibus ferè gentibus, ſed maximè in noſtra Gallia conſtanter obſeruata fuiſſe fusè & eruditè demonſtrat Chopin. *lib.1. de doman. Gallico.* His omnibus facultatibus priuatis Cæſaris inuigilabat procurator, & rationalis, qui à procuratore & rationali fiſci, bonorumque principalium munere differebat: vnde poſteriore ætate erant curatores dominicæ domus, comites ſacrarum largitionum, & rei priuatæ, priuati ærarij, ſacri patrimonij, de quibus modò dicere, & religioſiùs illorũ munera diſtinguere nihil attinet.

6 Erant & priuatis quibuſque ſui rationales: nam vnuſquiſque paterfamilias diligenter ſuas tabulas ſingulis diebus conficiebat, vt docuimus *opere de vſuris lib.1. cap.3. A. 1. n.13.* vbi de aduerſariis codicibus rationum, tabulis, & Kalendariis: præterea in amplioribus familiis erant procuratores domeſtici, & ratiocinatores, vt de ſe fatebatur Tull. initio relatus: quis enim familiam maximè amplam alere queat, niſi codicem accepti, & expenſi conficiat? Idque verò negotiatoribus in primis neceſſarium eſt, ab illiſque perpetuò vſurpatum fuit, vt rationalem quendam haberent, aut ipſi ſuas rationes conficerent, & tabulas accepti, expenſique præſcriberent.

Præter rationales, ſiue ratiocinatores, erant olim, 7
ſuntque hodiè Arcarij, ſuſceptores numerarij, & tabularij, de quibus ſingulis pauca indicanda ſunt.

Arcarius eſt ſeruus præpoſitus arcæ, in qua domini pecunia repoſita erat, qui idem actor, & diſpenſator: vnde Catull. *cui neque ſeruus, neque arca*: & Scæuola *l. Thais 41. D. de fideicomm. libertat. Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes à domino ſcriptas exhibet, nec poſteà nomen vllum fecit.* Quia verò in prouinciis, alia in fiſci rationes, alia in quæſtorium, alia in præfectorum prætorio domum inferebantur, idcircò diuerſæ erant arcæ. Quæſtoriæ meminit Symmac. *lib.1. ep.19. ex arca quæſtoria, itemque ex formarum conditis*: arca fiſcalis *l. in prouinciis 4. C. de numerar.* in ſingulis prouinciis collocari iubentur duo numerarij: vnus ad *fiſcalis arcæ ratiocinium*: alter ad *largitionales titulos.* In eam arcam tributa inferebantur: quod ſignificat *Nou.128.* erat & arca præfecti prætorio ſeparata à fiſcali, vt colligitur ex *l.13. C. de ſuſceptorib. & arcar.* & *l.3. C. de canon. largit. tit.* Hanc arcam præfecti prætorio vocabant etiam menſam τράπεζαν, de qua *in l.6. C. de exactorib. tribut.* Maiorian. Imperator reſcribens ad Baſilium PP. *Sancimus vniuerſorum fiſcalium titulorum vel ad arcam magnificentiæ tuæ, vel ad vtrumque ærarium pertinentium, reliqua à poſſeſſoribus non petenda.* habemus *lib.10. C. Rubricam, de ſuſceptorib. & arcariis.* Caſſiodor. *lib.1.* arcarios præfectorum dixit. His arcariis deputat pondera & menſuras Sidon. vt & *l. pen. C. de defenſorib. ciuitat.* Erat denique arca Pontificum & Arcarius Pontificialis, quod colligimus ex veteri monumento relato ab eo qui notas ſcripſit in Caſſiodor. *lib.1. variar. epiſt.10. Caius Calphurnius, & Septimia Ammias coniux comparauerunt ſibi duas memorias, & Calphurnio Ammiano Equiti Rom. filio ſuo, & libertis libertabuſque, poſteriſque eorum armarium diſtegum cum taberna & hortulo. Si quis hoc armarium vendere voluerit, tunc inferet arcæ Pontificum* H.S.L.M.I.N.

Negotiatoribus porrò ſunt ſui arcarij quos & capſarios dicunt, qui arcæ, ſiue capſæ, in qua negotialis pecunia reconditur, cuſtodes ſunt, quamquàm veteribus Iuriſconſultis capſarij erant, qui in balneis veſtimenta lauantium pacta mercede ſeruabant: ex Paulo *l.3 §. fin. D. de officio præf. vigil.* quod etiam ſignificat Epiphan. *in Panar. lib.2.* peſſimos Adamitarum mores deſcribẽs, qui cum conuentus nudis corporibus in hypocauſtis haberent, aderant ad fores, qui eorum veſtimenta ſeruarent. ἱματοφύλακες capſariorum inſtar πρὸς ταῖς θύραις ἔνδον καθεζομένων ἐπ' αὐτῶν ἐπιτεταγμένοι: pars autem balnei in qua conſtituebantur capſarij ἀποδυτήριον dicebatur. Dicuntur & capſarij, qui euntibus in ſcholas pueris libros portant, *l.13. D. de man. vind.* vide Iuuenal. *ſatyr. 10.*

Quiſquis adhuc vno partem colit aſſe Mineruam,
Quem ſequitur cuſtos anguſta vernacula capſa.

Et Sueton. *in Neron. cap.36.* ait, cum pædagogis & capſariis damnatorum liberos necatos fuiſſe; quinam verò forent illi capſarij, quos Paternus *l. fin D. de iure immu.* numerat inter illos, quibus grauiorum munerum vacatio tribuitur, & accenſet menſoribus, medicis, optionibus, aliiſque eiuſmodi; diſputant interpretes, ſicut & de optionibus: quidquid ſit, capſarij nominantur à capſa: quare & eos, qui capſam numariam apud negotiatores ſeruant, capſarij non malè à noſtratibus nominantur.

Suſcepto

8 Suſceptores, quos hodiè receptores nominamus, erant qui quæ Principis ærario debebantur, ad illudque deferebantur, ſuſcipiebant, iubebanturque modum iugationis, poſſeſſionum, & ſpecies ſingulas, quæ fiſco inferebantur, vel earum quantitatem, & numerum perſcribere præſentibus ciuitatum defenſoribus, qui erant quaſi quidam Tribuni plebis, *l. 4. & l. 10. C. de ſuſceptorib.* & ſingulis annis mutabantur, niſi vel mos ciuitatis, vel hominum raritas, in biennium creari cogeret, *l. 4. citata: ne ſi perpetui exactores eſſent, tenerentur in cõtinuata vexandorum prouincialium poteſtate, velut concuſſionum dominatione.* Illi verò non tantùm noui, & præſentis anni, quo creabantur, debita recipiebant, ſed etiam reliqua anni præteriti. *l. 3. C. eod.* vbi Cuiac. illud, quod in vulgata lectione habetur, *ſpecies, quas ex reliquis inferunt, quia noua ſunt, adcreſcentes, ſuſcipiant*, emendat ex Cod. Theoſian. *ac recentes*: quæ lectio ſine dubio magis ſibi cohæret. Tenebantur portò hi publici ſuſceptores abſque omni mora ſuſcipere, ne quis per hanc occaſionem ſumptus facere cogeretur: quare ſi per ſuſceptores mora fieret, de eo publicè conteſtationem collator faciebat, *l. 4. C. de collation. fundor. patrimon.* Inde fiebat, vt collator non incideret in commiſſum, cùm per ipſum non ſtaret, quominùs fiſco fundorum ſuorum nomine, aurum exolueret, immò & liberabatur, ipſique dabatur apocha, perinde ac ſi reuera ſoluiſſet. Damnum verò fiſco ſuſceptor reſarciebat in duplum iudice imminente, vel ipſe iudex, ſi in ſuſceptore exigendo negligens fuiſſet. Hi omnes obnoxij erant reddendis rationibus, & ſi aliquid in eo munere prætermiſiſſe, aut decoxiſſe comminceren tur, idem poſtea replere nequibant, *l. 12. C. de ſuſceptorib.* atque ex inueteratis legibus ſuſceptores horreorum, fide, & periculo nominatorum, creabantur: neque nominator ex nominati bonis emere poterat per ſe, vel per alium, *l. 1. C. eod.* Erant autem varij ſuſceptores auri, argenti, horreorum, vini, pro varietate rerum, quæ vtique ærario inferri debebant.

9 Numerarij, à numerando, & ſupputando dicti ſunt: Auguſt. *lib. 2. de lib. arbit.* illos numeratores nominat, quòd *ſummè, atque mirabiliter computarent.* Aderant Præfectis prætorio, Præfectis vrbi, Præſidibus, Ducibus, illis chartas publicas adminiſtrabant, *l. C. Theodoſian. de numerar.* eodemque prorsùs fungebantur munere, quo tabularij in ciuitatibus, & curiis; immò numerariorum nomen de tabulariis rectorum prouinciarum vſurpatum olim fuiſſe colliges ex *l. 15. C. de ſuſceptorib. præpoſitor.* & *l. 4. C. de numerar.*

10 Tabularij ciuitatum, & prouinciarum, chartas, ac rationes tractabant, atque ſupputabant; præerãt publico tabulario, in quo non modò publica inſtrumenta, ſed etiam priuatorum aliquandò ſeruabantur, vt debitorum obſignatæ pecuniæ: adhibebantur quoque in rebus priuatorum, vt pro imperitis ſcribendi, ipſi ſcriberent, & ſtipularentur; initio quidem ſerui publici fuerant ex *l. vlt. C. de ſeru. reipublic.* & Capitolino *in Gordianis*: deinde ſanxiuerunt Arcad. & Honor. vt nulli ſeruo ad illud officium aditus pateret. Erant præterea conditionales, id eſt eiuſmodi conditioni ita addicti, & mancipati, vt ad aliam dignitatem, vel militiam aſpirare non poſſent: numerarij verò conditionales non erant, niſi qui Præſidibus, & Conſularibus aderãt, quibus eam ob cauſam conditionale tabulariorum nomen imponitur, *l. 2. C. de numerar.* Vide hæc, aliaque apud Cuiac. in *l. 13. C. de ſuſceptorib.* De tabulis verò, & tabulario diximus *lib. 1. cap. 3. art. 1. operis de vſuris.*

Hactenùs de variis perſonis, quæ rationi reddendæ obnoxiæ fuerunt, apud veteres occaſione rationalium antiquorum, & ratiocinij negotiationis: nunc de ipſis rationibus agimus.

Rationes igitur primò conficiendæ ſunt: illarum autem duæ partes exiſtunt, prior accepti, poſterior expenſi: nos vulgò receptã, & impenſam dicimus. 11
Itaque duæ ſunt paginæ, vel tabulæ, quia, vt alibi monui, in tabulas ligneas primũ referebantur. Acceptum igitur referre, eſt ſcribere ſe accepiſſe, ſiue in paginam acceptorũ referre. Sueton. *in Tiberio c. 15.* laudat eius Principis exquiſitam dil gẽtiã, qua ſingula *peculio referret accepta*, id eſt in peculium adſcriberet: Cicero ait, ſe ampliùs ſeſtertiũ ducentis acceptum hæreditatibus retuliſſe. Altera pagina, ſiue tabula, eſt expenſi: expenſum autem ferre, eſt ſcribere, ſe ſummam quandam expendiſſe. Cicero *lib. 1. ad Attic. ep. 4. Feciſti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me miſiſti, pro eo tibi præſentem pecuniam ſolui imperaui, ne tu expenſum muneribus ferres, id eſt ne te mihi donaſſe exiſtimaſſes.* Plaut. in Monſtellar. *Act. 1. Scen. 3.*

Benè igitur ratio accepti, atque expenſi inter
nos conuenit,
Tu me amas ego te amo: merito id fieri vterque.
exiſtimat.

Hinc eleganter Plin. *lib. 2. c. 7.* de numine Fortunæ. *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis, omnium vocibus fortuna ſola inuocatur, vna nominatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuitiis colitur: huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta; & in tota ratione mortalium ſola vtramque paginam facit.* Quia quidquid lucri, aut damni, quaſi expenſi, & accepti mortales faciũt, omnia fortunæ adſcribũt. Vt verò fideliter omnia rationibus referantur, fiunt aduerſaria, in quibus ſcribuntur tumultuariò ſingula, quæ vel accipiuntur, vel expenduntur, inde ordine quoque in codice rationum, vel rationario, vel tabulis, digeſta reponuntur per ſingula capita, quæ nominat Cicero, nos articulos dicimus: deinde ſolent fieri breuiaria, quæ continent ea, in quibus pecuniæ expenſæ ſunt. Sueton. *in Auguſt. cap. vlt.* ait, illum vno volumine complexũ eſſe *Breuiarium totius imperij, quantùm militum ſub ſignis vbique eſſet, quantùm pecuniæ in ærario, & fiſcis, & vectigaliorũ reſiduis.* Breuiarium Seneca dixit ſummarium, & rationarium: ipſemet Sueton. vti iam monuimus. Hoc porrò breuiarium imperij interpretatur Budæ. *annotat. in rub. de officio quæſtor.* volumen, ſeu libellum, quem ſtatum generalem vocitamus, quo Princeps ſingulis annis tam de ærarij pecunia, quàm de fiſcali ſtatuit quid eo anno fieri velit, quam ſummam miniſterio, & inſtrumento aulico attribui, quam rei militari, quam ſtipendiis, quam venatico apparatui, quam auitio, equitioque, quam largitionibus, quã in varios euentus, & caſus incertos, vt legationes, legatorum externorum munera, & lautias, ſeponendam. In eo etiam breuario princeps anniuerſaria conſtitutione, ſtipendia quædam augeri, quædam circumcidi, quædam expungi, eradique iubet: vnde Plinius in panegyrico, eraſos nominat, quos nos extra ſtatum poſitos dicimus. Ex his rurſùs ſecundaria quædam breuiaria faciunt ærarij Præfecti, quæ coactoribus ſuæ prouinciæ præbent, in quibus pecunias prouinciæ ſuæ attributas, variis nominibus expenſant, ex quibus veluti ſubbreuiariis fiunt rurſus pittacia, breuiaque dicuntur,

& breues, vulgò nominant bordetellos, hoc eſt commentariolos ſummam rerum continentes. Pittaciorum meminit *lex Actuarij* 5. *Cod. de erogat. annon. militar.* quæ ſunt rationes, & commentarij annonæ militaris: ea pittacia ſi actuarij celauerint, nec tradiderint expleto XXX. dierum ſpactio, atque ita fraudauerint, milites annonis de ſuo damno ſarcire cogebantur *ex l.citata.* Actuarij totius numeri rationes tractant, & à Græcis appellantur *ὑπομνηματο-φύλακας*, dicũt iidẽ *πυκτάς καὶ πυκτία, ἀπὸ τοῦ πυκτίζειν*, quod eſt *ἀσφαλίζεσθαι, καὶ συγκλείεσθαι.*

12 Ex hoc modo conficiendi rationes publicas ærarij, aut fiſci, vides modum rationum priuatarum: omnis enim adminiſtrator tenetur rationarium conficere, cùm & rationem reddere, & reliqua ſoluere, vt iterum monebimus inferiùs, debeat. Ita de tutore habemus *in l.1.§.officio,* & *§.de rationibus.D.de tutel. & rationib.diſtrahend.* de curatore *l.aduerſus* 2.*l.rationes* 14. *C.de admin.tutor.* in hoſpitalario, vel orphanotrophio *l. orphanotroph.* 1. *C.de Epiſcop. & cleric.* & *Clem.*2.*§.vt autem de religioſ.domib.* de executore teſtamenti *l.nulli* 28. *C.de Epiſ. & cleric.* & *c. tua nos, cap. Ioann. de teſtament.* de procuratore ſiue ad lites, ſiue ad negotia *l. qui proprio* 46. *§. procurat. D. de procurator.* de ſimplici geſtore negotiorum, *l.2.D.de negot.geſtis.* Denique ſiue voluntarius, ſiue neceſſarius, ſiue à lege, ſiue à iudice, teſtatore, parte commiſſus, ſiue ſine mandato adminiſtrator alienæ rei, eius rationem reddere, & rationarium proinde conficere debet: ita Alciat.*in l.fin C.de edendo,* & alij paſſim, quorum bene multos dabit Commentator *conſuetud. Pariſ. tit.*1.*§.*9. *gloſſ.*6.*num.*15. qui tamen bene excipit adminiſtratorem rei, quæ neque reditus, neque impenſas habet, & ſi quando vtilius, & commodius ſit ei, cuius res adminiſtrantur, neque inuentarium, neque rationarium, neque tabulas confici, vti aliquando poterit contingere; tunc ſanè non erit opus vllo codice rationum. Verum ad has rationum tabulas maximè tenentur negotiatores, quorum occaſione ad hæc digreſſi ſumus, qui niſi accepti, & expenſi rationes accuratè digerant, magnam rerum ſuarum perturbationem, & negotiationis damnum patientur. Debent igitur in primis omnia ſigillatim, & explicatè, ac dilucidè deſcribi, alioqui vix poterit reddi ratio, neque cognoſci, vtrum omnia, & ſingula verè, an falsò relata ſint, ſiue expenſa ſiue accepta: quare non ſufficiet in genere tantùm complecti acceptum & impenſum; neque talis ratio foret admiſſibilis: explicare enim, & notare oportet à quo quidpiam acceptum ſit, cui datum, & expenſum: quantum, & qua cauſa, & qua die, vti paſſim DD. colligunt *ex l.comperimus* 4.*C.de nauicnlariis.l.apparitores* 5 *C.de exaction. tributor. l. neminem* 4. *Cod. de ſuſceptorib. & cap. leg. ſiue ex prætoriano* 3. *Cod. de executor. exactor.* quod tamen de annotanda die diximus, intelligendum eſt, quandò ſine ea nota difficilè intelligitur, quid certò expenſum, quid acceptum fuerit: quare in *l. comperimus, iam allata,* iubentur nauicularij notare diem illationis mercium in nauim, cum enim continuò alias, atque alias ſpecies inferant, & exportent; neque illatio, neque quod illatum fuerit, cognoſci, die illationis non expreſſa, facilè poterit: quando autem ex omiſſione diei, nulla naſcitur incertitudo, ſatis fuerit deſignare menſem, aut certum aliquod tempus accepti, & expenſi, vt vindemiarum, aut meſſium tempeſtatem, eo quod ratio æquè benè diſpungi poſſit: quia ratio, quæ nequit intelligi, non videtur reddi, vt habet *l.argentarius* 10.*§.edi. D.de edendo.*

Dixi præterea annotandam eſſe in rationibus earum cauſam, quod pluribus tradit Straccha *de mercat.* 2. *part.n.*60. hoc eſt, ex qua cauſa quidpiam latum, ſit acceptum, aut expenſum: hinc illud Pomponij in *l.nuda ratio* 26. *D.de donation. Nuda ratio non facit aliquem debitorem, vt putà, quod donare libero homini volumus, licet referamus in rationes noſtras debere nos, tamen nulla donatio intelligetur.* Non ſufficit igitur ſcribere in rationibus, nos debere quidpiam Titio, niſi cauſam, propter quam eiuſmodi debitum contractum ſit, exprimamus; neque ea aut incerta, aut obſcura eſſe debet, quia idẽ foret cauſam non addere, aut incertam, & incognitã afferre, ideoque DD. requirunt cauſam *aptã, potentem, & cohærentem*: cauſa tamen coniecturalis, proderit ad probationem, & confirmationem ſcripturæ, quæ ſine ſcriptura non ſufficeret, tunc enim oporteret veram cauſam probare.

Volunt alij apud Stracc. 2.*p.citata.num.*61. adſcribi, vt quondam Conſulem, hodie Principem imperantem in ea ditione: quod mihi neceſſarium non videtur, ſi dies ipſa, annus, & menſis deſignetur. Vult quoque *n.*53. codicem mercatorum, nomen, & inſcriptionem præferre: v.g. hic codex eſt Sempronij, aut Titij, & Caij, quia ex eiuſmodi inſcriptione, ſumitur argumentũ plurium rerum, maximè negotiationis communiter geſtæ ab his, quorum nomẽ præfert inſcriptio rationarij. Et ſanè Socinas acutiſſimi vir ingenij, cùm ageretur de extincta quadam ſocietate, propter alterum ſocium defunctum, probauit ſocietatem renouatam eſſe, & perſeuerare ex titulo, & præfatione codicis. Paul. Caſtrenſ. cum quæreretur de vitiato codice, eo quod inſcriptio ex aliqua parte deleta eſſet, erat enim huiuſmodi: *hic codex Titij, & ſociorum.* eraſaque fuerat *ſociorum*: ex ipſis rationibus collegit, reuerà ſociorum nomen reponendum eſſe, quod & Titius fieri permiſit, ne alioquin eius ratiocinario fides negaretur.

Moneo verò cum Commentatore Pariſienſi *l. c.num.*19. claram iſtam, & diſtinctam, atque explicatam rationem, qualem deſcripſimus, non eſſe adeò religioſè obſeruandam inter conſanguineos, maximè nobiles, ſufficereque ſi exprimatur quantum veroſimile ſit, & probabile expenſum fuiſſe in alenda familia, cultura agrorum, cuſtodia ditionis, & territorij, abſque minuta, & faſtidioſa ſpecificatione, expreſſioneve ſingularum, & minimarum rerum: quæ fuit etiam Panormitan. mens *libro* 1.*conſil.*12. *in* 6.*dub.* modò tamen non ſit vehemens aliqua præſumptio aduerſus illud generale capitulum, ex qualitate rei, impenſarum, perſonæ, temporis, & cæterorum eiuſmodi, ex quibus facilis coniectura duci queat, & ne adminiſtratio credita fuerit cum onere ſtrictioris rationis reddendæ. Deinde quandò conſtet de opere aliquo, & impenſa in illud facta, quamuis difficilè fuerit, illam per minuta quæque capita aut explicare, aut obſeruaſſe, ſatis fuerit dicere, in tale ædificium, v.g. eam ſummam inſumptam fuiſſe, quam per inſpectionem operis, & peritorum æſtimationẽ probare licebit. Denique hæc ſcrupuloſa per omnia ſingularia, & minima ſpecificatio & ratio exigenda non erit ab eo, cui in teſtamento legata, vel prælegata fuerit liberatio, à reddenda ratione, quia licet nihilominus obligetur rationum codices edere, & reſtituere, ſicut & reliqua ex aliis, quæ apud ſe retinet, atque compenſare damna quorum vel dolo, vel ex lata culpa, cauſa fuit, ac proinde

proinde neceſſariò de his omnibus rationem reddere, teſtamento, vel legato nihil obſtante, vti ex communi DD. quos allegat, & variis iuribus oſtẽdit idem Commentator, *num.* 21. Quare tutores, quos teſtator *ἀνεκλογίστους* eſſe voluerat, niſi bonam fidem in adminiſtratione præſtiterint, damnari debere, reſpondit Iulian. *l.* 5. §. *Iulianus, D. de admin. tutor.* ne voluntas teſtatoris inutilis ſit, & videtur, legatique, vel teſtamenti clauſula velut ſuperflua habeatur, nihilque omninò operetur, non poterit ab hoc ſcrupuloſa ſpecificatio, & probatio exigi, nec ratione negligentiæ, ſiue leuis culpæ damnari: quod idem dicendum erit, ſi quis iuraſſet non petere rationem adminiſtrationis ſuæ rei, ſed ſtiturum dictis, & ſententiæ certi alicuius arbitri.

13 Habemus confectas, ſcriptaſque rationum tabulas, ſequitur de iis reddendis agamus: Et quidem aliud eſt rationes edere, aliud reddere: nam edere iuſſus, facultatem illas inſpiciendi præbere debet, non autem reliquum ſoluere cogitur, *l. boues* 89. *D. de verbor ſignificat.* at verò rationes reddere, eſt rationes offerre primùm legendas, deinde computandas, vt explorari queat probè, an improbè referantur accepta, & expenſa, *l. cum ſeruus* 82. *D. de condictionib. & demonſtrat.* Itaque & libros rationum, cautiones, & omnia inſtrumenta actus ſui exhibeat oportet, vt omnia ſubducantur diligenter, & ratio putetur: veteribus enim Latinis rationem putare, erat ſummam puram facere ex Varr. *lib.* 5. *de lingua Latin.* vel vt ait Non. Marcell. ex ea ſi quid fraudis, mendacij, aut iniqui inerat, ſeparare, & expungere: veteres enim dixerunt putare, auctore Agell. *lib.* 6. *cap.* 5. vacantia ex quaque re, ac non neceſſaria, aut etiam obſtantia, & aliena auferre, & excidere, atque quod vtile, & ſine vitio eſt, relinquere: hinc Cato *de re ruſtica, cap.* 5. *rationem cum domino crebro putet.* & Plaut. *in Aulular. ratio putatur cum argentario.* Græci dicunt *ἐκκαθᾶραι λογισμόν*: vnde vides, non eſſe idem rationes reddere, & rationes referre: hoc enim poſtremum ſignificat impenſum, & acceptum præſcribere; dicitur etiam referre rationibus, quod eſt rationibus aſcribere, ſiue in rationibus notare. Sueton. de Veſpaſian. cap. 22. *Expugnatus à quodã quaſi amore ſui deperiret, cùm perducta pro concubitu ſeſtertij quadringinta donaſſet, admonente diſpẽſatore, quemadmodum ſummam rationibus referri vellet: Veſpaſiano (inquit) Adamato.* Referre in rationes, in ærarium, in publicas tabulas, eſt quod vulgò dicunt, regiſtrare; quo ſenſu dicuntur quoque quæſtores, & alij rationes ad ærarium referre: diſpungere rationes, eſt examinare, ſiue vt ait Vlpian. *in l. cognoſcere* 56. *conferre accepta, & data, l. ſi ſtatu libere* 6. §. 7. *examinandas rationes, & diſpungendas, atque excutiendas dixit.* Et *l. cum plures* 15. *D. de ſtatu liber.* quæris, vtrum ſemel, an etiam ſæpiùs recognitio, & diſpunctio creditoribus concedenda ſit. Græci in ſynopſi diſpungere dicũt, *διακρίνειν*: Tertullian. *apolog. cap.* 13. de reformando orbe, & iudicio loquens; *Suſcitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recenſitis ad vtriuſque meriti diſpunctionem.* Et *cap.* 4. *de teſtimon. animæ: Aſſirmamus, te manere poſt vitã diſpunctionem, & expectare diem iudicij:* vbi diſpunctionem mortem nominat, quia in ea fit ſeparatio. Et *in carm. de Sodoma*, agens de vxore Lothi in ſtatuam verſa.

Dicitur & viuens alio iam corpore ſexus.
Munifices ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Lib. 4. *adu. Marcion cap.* 12. *Tradidit igitur pater filio diſcipulos nouos, oſtenſis prius cum illo Moyſe, & Helia in claritatis prærogatiua, atque ita dimiſſis, quaſi iam & honore, & officio diſpunctis lib.* 5. *adu. eund. Marc. cap.* 12. interpretatus illud Pauli 2. *ad Cor.* 5. *Oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti,* ſic ait, *Et tribunal autem nominando, & diſpunctionem boni, ac mali operis, vtriuſque ſententia iudicem oſtendit.* Qui omnes loquendi modi ſumpti ſunt a rationibus diſpungendis: ſolebant enim rationibus puncta præfigere, quæ deinde in dati, & accepti ſubductione, & computatione, ſubtrahebantur, dicebantur diſpungi: fuitque ille antiquus mos, vt iis, quæ ſibi conſtabant, puncta aſcriberent. Sic milites præſcriptis punctis in albo ſignabantur; ſic ſuffragatores candidatis, quibus fauebant, puncta præfigebant: hinc quoque Horatianum illud.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Dum verò aliquid è rationibus tollebant, puncta illa delebant, & ex codice eo modo eximebant; in Kalendariis quoque verſo Stylo expungebant nomina, ſeu debita diſſoluta: quare expunctæ rationes ſunt, vbi calculo, & diſpunctioni finis impoſitus fuit, & perfecta ſubductio. Hermogenian. *in l. in omnibus* 13. *D. de diuerſ. temp. præſcription. Reipublica rationes ſubducta, & expuncta, aduerſus eum quidem, qui adminiſtrauerit, vltra XX. aduerſus verò hæredem vltra X. annos retractari non poſſunt.* Græci vocant *διαγραφήν*, & *ὀβελίζειν*. Expunctus miles nominatur, qui exauthoratus, ex albo & numeris eraſus, Plaut. *in Curcul. act.* 4. *ſc.* 4 miles pulchrè centuriatus es, *ex puncto in manipulo.* Perſ. *Satyr.* 2.

—— pupillumue vtinam, quem proximus hæres
Impello, expungam.

E vita ſcilicet, aut ex tabulis, teſtamentariis: hinc ſæpiùs Tertullian. expungere vſurpat, pro perficere, complere: in Apologet. *cap.* 2. *Debito pœna nocens, expungendus eſt, non eximendus:* & *cap.* 15. *In templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque æditnorum, & ſacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris thure fragrante libidinem expungi.* Vbi libidinem expungi dicit, exprimi, & compleri, quod minutiùs *libido defungitur.* Et Plaut. in Amphitruo; *Vt meo ne victis hoſtibus diſpartitam expungat gloriam.* Tertull. *eiuſd. Apolog. capit.* 20. *Vnum tempus eſt diuinationi futura præfantis apud homines, ſi fortè diſtinguitur, dum expungitur,* id eſt completur, & *aduerſ. Iuda. cap.* 4. *Circumſionis carnalis, & legis veteris abolitio, expuncta ſuis temporibus demonſtratur,* id eſt perfecta renunciator. Sic *lib. de patient. Omnem patientia ſpeciem expunxit.* Plura alia ſimilia congeſſit ex eodem Tertullian. Pamel. in notis *ad lib. Tertull. aduerſ. Iuda. cap* 4. *n.* 15. & *in epiſtol.* 38. *Cyprian. n.* 5. vbi Cyprian. *Cumque ego vos, pro me vicarios miſerim, vt expungeretis neceſſitates fratrum noſtrorum ſumptibus.* Sed redeamus in viam. Expunctæ ſunt rationes, vbi ſubductæ ſunt, & perfectæ; quadrare verò dicuntur, ſiue ſumma quadrans, in qua nihil excurrit, in qua nulla ſunt reliqua, quia æqualis eſt ſumma accepti, & expẽſi. Cic. 3. *Verrin. Expẽ a Chryſogono ſeruo ſeſtertia ſexcenta millia, accepta pupillo Malleolo retulit: quomodò igitur ſexcenta eodem modo quadrarint, vt illa Cn. Carbonis, reliqua ſeſtertia ſexcenta facta, vos æſtimabitis.* dicebantur & paria facere, cùm quantum erat in pagina accepti, tantũ

quoque in paginam expenſi relatum fuerat. Colu-mell.*lib.*1.*c.*8.loquens de villico. *Neue negotietur ſibi, pecuniamque domini aut animalibus, aut rebus aliis promercalibus occupet: hæc enim negotiatio curam domini auocat, nec nunquam patitur, eum cum rationibus domini paria facere, ſed vbi numeratio exigetur, rem pro nummis oſtendet.* Eodem loquendi modo vtitur Scæuola *l.* 40. §.5. *D. de ſtatu liber.* & Calliſtratus *l.* 1. §. 10. *D. de iure immunit.* Vlpian. *verò l.* 1. §. 1. *D. de manum.* pariare dixit. Pariatio ſcriptura eſt, qua cauetur pares eſſe, ſiue quadrare rationes: adſcribitur enim id in pariationibus. Scæuola *l. vlt* §. 3. *D. de condict. indebit.* Denique pariator, qui paria facit, opponitur reliquatori. Paul. *l.* 81. *D. de condit. & demonſtrat.*

Ad ſubducendas verò, & diſpungendas rationes, ſolebant adhibere peritos calculatores, ſiue à Partibus eligerentur, ſiue à Iudice darentur: qua de re vide Straccham 2.*p. de mercatura, n.* 67. *&* 8. erant verò calculatores, qui ſuam operam in eam rem locabant, quorum meminit Vlpian. *l.* 7. §. 2. *D. de operib. libertor.* eoſque librariis, & nomenclatoribus adiungit. Rationatores vocari dixit Modeſtinus *l.* 25. *D. de excuſat. tutor.* καλλυλάτορας ἐς διαψηφιςὰς λέγομεν, eoſque ſicut & librarios, negat habere immunitatem, ἔχειν ἀλειτουργησίαν: inter eos autem erant aliqui impoſtores, quos Græci ψηφολόγους, & ψηφοπαίκτας appellant, quibuſque ſimiles dictitabat Ariſtoteles dialecticos, quòd vt illi fallaci ratiocinatione ſcitè, & lepidè hominibus imponunt: ita dialectici falſa colligendo ſuis cauillationibus in errorem inducant. Hos impoſtores Budæus *ann. in pandectas.* deſignari exiſtimat ab Vlpian. *l.* 7. *D. de extraordinar. criminib.* per ſaccularios, *qui vetitas in ſacculo artes exercentes partem ſubducunt, partem ſubtrahunt.* Verùm fallitur Budæ. hi enim ſaccularij, fures erant, ex ſaccis furantes, vt eſt in Synopſi Græca οἱ ἀπὸ σάκκων κλέπτοντες: quod vel faciebant quibuſdam præſtigiis, vt ille Euthalias, cuius meminit Synæſio epiſtol. & βαλλάντια nominat, qui miro artificio ſacculum, in quo erant nummi ærei, pro aureis ſupponebat: vel ſunt ij, qui ex alienis ſacculis, per vetitas artes, id eſt magicas, ſubducebant pecunias, vti interpretatur Cuiac. *lib.* 10. *obſeruat. cap.* 27. dicuntur & ij ſacellarij, ſicut & ſacellus βαλλάντιον in gloſſis: & Marcellus de medicamentis, *in ſacello lineo ſuſpendes.*

14 Subductis igitur, expunctiſque rationibus, etiam à perito ratiocinatore, & calculatore, obligatur, qui rationes geſſit, & reddidit, probare veritatem eorum, quæ in rationario continentur: ſi aliquod dubium, aut difficultas de illis excitetur, *l. qui ſub conditione* 3. *D. de condit. & demonſtrat. qui ſub conditione rationum reddendarum liber eſſe iuſſus eſt, debet docere, conſtare fidem omnibus, quæ geſſit,* &c. Quis verò in ea lite, & contentione dicatur actor? quis reus; maximè in Prætorio Pariſienſi diſputat Commentator conſuetud. Pariſ. *tit.* 1. §. 9. *gloſſ.* 6. *n.* 22. & 23. quæ controuerſia noſtri inſtituti non eſt: hæc autem probatio fit, non modò per teſtes, & inſtrumenta authentica, ſed etiam per priuatas ſyngraphas, per rei, & operis prouidentias, atque varias coniecturas; de quarum aptitudine Iudex arbitrabitur, quia, vt idem refert Commentator ex Friderico de Senis: *Iura noluit angariare probationes, ſed contentantur his, quæ conuenienter ſecundum materiam ſubiectam haberi poſſunt.* Quæ maximè vera ſunt in materia negotiationis, in qua & ſyngraphæ, & apochæ priuatæ fidem faciunt: quare quamuis dominus, cui redditur ratio, admittat receptum, ſi tamen aliqua capita expenſi neget, debebit adminiſtrator ea probare; neque obiici poteſt, non poſſe diuidi confeſſionem, quia id falſum eſt in facto, ſiue in capitulu ſeparato ex interuallo facto, quamuis opinio illa communis, forraſſis falſa fuit, vti exiſtimat Commentator: debuit tamen ille adminiſtrator, vt appareret de contentis in ſuis rebus ſatisfacere; neque ſi veritas rationũ conſtet in vno articulo, eo ipſo conſtat in cæteris omnibus: eſſet enim magna confuſio, ſi onus probandi expenſum, incomberet domino, qui ſuæ rei, & adminiſtrationis datæ rationem exigit: quare tenetur hic adminiſtrator inſtrumenta, & apochas nomioum à ſe ſolutorum, apud ſe retinere, & deinde redditis rationibus, domino reddere. Quod ſi quis tantùm ſui ipſius causâ, & ad ſui inſtructionem rationes conficiat, vt ſæpè contingit mercatoribus, & non quia adminiſtrat rem alienam; non erit opus his omnibus cautionibus: ſibi enim ipſe probat ſufficienter quid impenderit, aut acceperit, immò & contra illum probabit. Vide eumdem Commentator. *conſuetud. Pariſ. tit.* 1. §. 8. *n.* 20. neq; ſufficit rationes in pluribus capitibus conſtare, veraſque probari: nam ſi vel vnico capitulo impenſæ alicuius ſit dubium, probanda erit ea impenſa reddenti rationes; quod neceſſario conſequitur ex dictis, quamuis ex conſtanti veritate cæterorum articulorum, præſumere liceat de veritate vnius, aut alterius, de quo diſceptatur, maximè ſi ſint exiguæ alicuius quantitatis, & valoris: & ad probationẽ tũc, ſaltem iuramentum reddentis rationes ſufficeret, ex communi DD. ſententia, quos refert, & ſequitur nominatus author *in conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 9. *n.* 27. vbi explicat paruas, & minutas impenſas, eas, de quibus vix commodè poſſunt parari inſtrumenta probationum, quia in illis maiores fierent ſumptus, quàm ſint impenſæ ipſæ probandæ: cuiuſmodi eſſet quinque ſolidorum inquit Bald. eam tamen quantitatem ſapientiùs Iudicis arbitrio definiendam permiſit, ex rei, actus, & perſonæ qualitatibus, aliiſque circunſtantiis, in quibus etiam, qui diligentiores ſunt, ſolent, aut non ſolent ſibi parare probationes, aut cautiones. Debebunt tamen illæ impenſæ quamuis minutæ in codice rationum ſcriptæ extare; nempe cui, quam ob cauſam, & quantum datum fuerit: quæ omnia ſingula affirmata erunt, & iuramento aſſerta, ne detur occaſio deceptionis, ſi ſufficiat iuramentum abſque vlla ſpecificatione: ſicut *magni Papalardi volunt*, inquit Ioan. And. *in add. ad Specul. de inſtr. edi.* § *nũc verò aliquo, verſ.* 21. *quid ſi executor.* refertque, neſcio quem, voluiſſe ſibi credi, ſe expendaſſe duo millia nummorum in minutis diſtributionbus.

Secundò aduerſus eum, qui vel non exhibet, vel non confecit librum rationum, iuratur in litẽ *l.* 1. §. *officio, D. de tutel. & ration. diſtrah.* licet enim loquatur de tutore, habet tamen locum in omni adminiſtratore, ex cõmuni DD. & de mercatore, qui negat, ſe conficere rationes, oſtendit Straccha 2. *part. de mercat. n.* 69. & ex eo conuincitur de dolo, atque propter difficultatem probationis damnabitur ad omne, quod intereſt declarandum, per iuramentum in litem veritatis, quod aduerſario deferetur per Iudicem, præmiſſa taxatione, pro perſonarũ, & negotij qualitate, ſecundũ ea, quæ notantur *in l. in actionib. D. de in litẽ iurand. in l. ſi quando. C. vnde vi, cap. final. de his, qui met. cauſ. in l. tutor. qui repertoriũ, in princ. D. de admin. tutor.* inquit laudatus Comment. *n.* 34. numero verò 35. obſeruat idẽ

contingẽ

Digitized by Google

contingere in eo, qui rationes confecit, ſed ita obſcuras, & implicatas, vt neque de quantitate rerum, neque de valore accepti, & expenſi conſtare poſſit, atque rationes diſpungi nequeant: perinde enim ſe habet, atque ſi nullas rationes confeciſſet.

15 Tertiò tenetur adminiſtrator rationum de dolo malo, atque etiam lata culpa, *l. qui plures* 42. & *l.* 5.§.7. *D. de adminiſtrat. tutor. l. non ſolùm* 8. §. *ſi heres*, & *l. fin.* §. *inter cætera, D. de liberatione legata*. quibus locis agitur quidem de tutore, ſed inde ad omnes, qui rerum alienarum adminiſtrationem habent, atque ea de cauſa rationem reddere tenentur, iure merito DD. argumentantur, cum in his omnibus ſit identitas rationis, & fraus, ac dolus nemini debeat patrocinari: quod idem tum in tutoribus, tum in procuratoribus, mandatariis, & negotiorum geſtoribus oſtenditur, quia nemo ſua culpabili negligentia damnũ alteri inferre debet impune. Circa culpam leuem maior videbitur eſſe difficultas, cùm tamen iſti ſerui à rationibus, eas accepta mercède, & ſtipendiis gerãt, & conficiant, ex culpa leui obligantur; non tamen ex leuiſſima; neque ad caſus fortuitos, ex vniuerſali regula, quã toto *opere de vſuris* atque hoc ipſo capite pluribus articulis proſequuti ſumus, in omni contractu, aut quaſi contractu, in vtriuſque contrahentis vtilitatem celebrato, obligationem eſſe ex leui culpa, cùm debeant eam adhibere diligentiam quam quiſque diligens in ſuis negotiis adhiberet, ſi diligens haberi vellet.

16 Obligatur hic adminiſtrator rationum, ad reliqua. Scæuola *l.* 24. *D. ad municip.* atque alibi ſæpius. De reliquorum vſuris, quas deberi aliqui volunt, alij in quibuſdam cauſis negant: certum nobis eſt ex citato opere, non deberi, niſi ratione eius, quod intereſt, non verò ex eo quod ſeruari reliqua permutantur reliquatori: in eo enim eſt mutuum implicitum, ac proinde vera vſura fœneratitia, diuino, humanoque iure proſcripta.

17 Denique adminiſtrator rationum obligatur damnum, quod ſua culpa, aut fraude attulit, reparare: quod ipſa naturalis æquitas poſtulat, alioquin redditio rationum non ſeruaret indemnem illum, cuius res male geſtæ ſunt culpâ gerentis, & adminiſtrantis. Certè vſque adeò religioſi fuere Græci in exigendis rationibus, etiam ab ipſis magiſtratibus, vt voluerint illos intra triginta dies ab abdicato magiſtratu rationem reddere geſtorum apud Scribam & Logiſtas. De Logiſtis, plurima Samuel Petitus *in ll. Atticas, lib.* 3. *tit.* 2. & hunc modum reddendi rationes præſcribebãt. *Hoc de publico accepi, hoc expendi*; *vel nihil de publico accepi, nihil expendi*, & donec reddidiſſent rationes, non licebat illis quidquam diis conſecrare, aut appendere, aut teſtamentum facere, quia tunc ea, quæ conſecrarent, appenderent, aut teſtamento darent, erant oppignerata Reipublicæ, donec rationes retuliſſent: non poterant etiam adoptari ab aliis, quia adoptione in alienam tranſirent familiam, & fierent alieni iuris, quod in fraudem Reipublicæ verteretur: qua etiam de cauſa nefas illis fuit peregrè, & extra fines Atticæ proficiſci, ne connaſatis, aut interceptis publicis pecuniis, reque malè geſta diffugerent. Denique neque ad nouum magiſtratum promoueri, neque ob rem benè geſtam corona donari, nondum expunctis rationibus poterant: quæ omnia eruditè comprobat, & illuſtrat Petitus loco allato. Simile quid ſtatuit Eccleſia, de non promouendis, ad ordines, obligatos ex aliquo officio publico ad ratiocinia, niſi excuſſo illo munere, & redditis rationibus: qua de re fuſiùs diſputauimus *lib. ſingulari de irregularitate cap.* 3. *quæſt.* 5. *à n.* 10.

Porò hæc omnia valent circa Arcarios, qui rationem quoque pecuniarum, quas in arcam retulerunt, aut ex ea eduxerunt, reddere debent, teneturque ex dolo, lata, & leui culpa; cum apud illos deponatur pecunia, etiam in ipſorum commodum, & omnia, quæ de cuſtodibus, & depoſitariis diximus *opere de vſuris lib.* 3. *cap.* 6. ad hos quoque Arcarios pertineant; neque aliud addendum occurrat. Qui à rationibus reddendis ſoluti, & liberi erant, dicebantur *ἀνυπολόγιστοι* ab Vlpian. *l.* 5.§.5. *D. de adm. tutor.* à Scæuola verò *l.* 23.§. *D. de pecul. legat.* *ἀνεξέταστοι*, & ab aliis *ἀνυπεύθυνοι*.

CAPVT IV.

De materia Negotiationis, & mercibus.

Articvlvs I. *Quænam ſit materia commerciorum, & negotiationis.*
II. *De mercibus.*
III. *Conſectaria ex ſuperioribus articulis.*

EXPLICATIS externis negotiationis cauſis, fine ſcilicet, & efficiente, venio ad cauſas internas, materiam, & formam; de hac ſequentibus libris acturus, materiam reliquo iſto perſequar: nam in hac materia, ſiue rebus, circa quas negotiatio, & commercia exercentur, plurima conſideranda ſunt, vt pondera, & menſuræ, ſigna, ac notæ, mercium aſportationes, & vecturæ, tributa, ſiue onera rebus venalibus, & mercibus impoſita, & deniqne inſtrumenta, quibus omnia iſta perficiuntur, aut exercentur commercia, nempè pecunia; de quibus ſingulis inſtituentur diſputationes ſequentibus capitibus.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit materia commerciorum, & negatiationis.

Omnis, & ſola res pretio æſtimabilis, eſt materia negotiationis. n. 1. 2.
Res ſacra ſubducta commerciis. 2.
Dij à Romanis venditi. ibid.
Quomodò materia negotiationis debeat exiſtere. 3. 4. 5.
De iactu retis. 4.
Quomodò materia negotiat. eſt certa. 6. 7.
Materia negotiationis debet eſſe propria, & non aliena. 8.
An defectus idonea materia reddat inualidam negotiationem. 9. 10.
Gemina huius rei regula. 10. 11.

QVamuis ſingulis commerciis, & negotiationibus ſua ſit certa materia, quũ inter ſe differant

rant, etiã in iure, ac proinde illa potiùs aſſignanda eſſet, dum de ſingulis diſputabimus; nihilominùs quia tota ea diſtinctio negotiationum penes ſolam materiam ſpecifica, & formalis non eſt, ſed materialis duntaxat; quæ vix vlla explicatione à nobis indigeat, cùm de ea potiùs conſulendi ſint ipſi aut artifices, aut negotiatores, quàm DD. maximè ij, qui vnum forum internum ſpectant, pauca quædam de commerciorum materia in vniuerſum dicere viſum eſt hoc loco: ſi quæ enim peculiares ſint difficultates in quorumdam commerciorum materiis; ea commodiùs explicabuntur, dum de eiuſmodi commerciis ſingillatim agemus, maximè vbi de emptione, venditioneque tractabitur. Hoc igitur loco vniuerſalem duntaxat doctrinam paucis propoſitionibus complectar.

1 Dicendum eſt primò omnia, & ſola pretio æſtimabilia, materiam commerciorum humanorum, & negotiationis eſſe poſſe, niſi aliquo peculiari iure negotiationi aliunde ſubtrahantur.

Hæc aſſertio à nemine vno negari poteſt, & prima quidem pars, ex ipſis terminis euidens fit: cùm enim hæc negotiatio lucratiua ſit, & per varios contractus commerciorum fiat, non poteſt habere materiam, niſi pretio æſtimabilem, cùm in omni commercio humano, vel pecunia pro re, vel res pro alia re detur, aut commutetur, vti dicebamus *cap. 1. art. 1. & 2.* & in eiuſmodi commutationibus, ac commerciis vna res detur in compenſationem, vel pretium alterius, ac proinde vt ſeruetur æqualitas, vtriuſque rei valor ac pretium comparanda, ac commenſuranda ſunt; quod fieri nequit, ſi altera ex his rebus non ſit pretio æſtimabilis, eaque de cauſa *diſputat. de ſimonia q. 2. conſect. 3.* diximus cum Suare *tract. 2. de relig. lib. 4. cap. 4. n. 7.* Leſſio *lib. 2. cap. 35. n. 162.* Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 35.* Soto *lib. 9. quæſt. 5 art. 1.* Valent. *tom. 3. diſp. 6. punct. 4.* Ferdin. Acaſtro *tract. 17. diſp. 3. punct. 1. num. 6.* Fillic. *tract. 45. cap. 1. num. 19.* Bonac. *diſputat. de ſimon. q. 3.* ſimoniam continere iniuſtitiam, quoties in ea res ſpiritualis, vt ſpiritualis eſt, ſiue præcisè ratione ſpiritualitatis, & non ratione alicuius temporalis illi annexi venditur; quia res ſpiritualis vt ſic, pretio humano inæſtimabilis, & inuendibilis eſt, gratiſque ex voluntate eius, qui eius dominus eſt, & non ſolùm diſpenſator, donanda, & alij habent ius ad illam gratis accipiendam. Fit igitur iniuria ementi, dum illi venditur, quod vendi nequit: & quia fuſiùs loco citato quæſtionem iſtam expendi, hæreo in præſentiarum in ſola inæſtimabilitate pretio humano, & æſtimatione: ea enim inæſtimabilitas rem ſpiritualem vt ſic, ſubducit humanis commerciis & negotiationi. Addidi humano pretio inæſtimabilem, quia quædam ſunt bona ſuperioris ordinis, quæ per bona inferioris ordinis compenſari vix poſſunt, vt pudicitia, vita, fama; ea tamen bona ex communi hominum ſenſu, & æſtimatione ſuum aliquod pretium habent, quo compenſari aliqua ratione cenſentur, vti ſæpiùs diximus, & iterum explicabimus *lib. vlt.* vbi agemus de reparatione iniuriarum circa eiuſmodi bona illatarum. Hoc vnum modò contendo, quæ æſtimatione humana inæſtimabilia ſunt, non poſſe cadere in humana commercia: è contrario verò quæ æſtimabilia ſunt, negotiationis materia eſſe poſſunt, quamuis ſæpiùs turpis, & illicitæ, vt ſtatim dicam.

2 Altera pars aſſertionis erat, nonnulla peculiari aliquo iure ſiue naturali, ſiue poſitiuo ſubtrahi humanis commerciis. Et quidem iure naturali, quoties ratione materiæ commercia aliqua turpia, vel iniuſta ſunt in talibus circumſtantiis, non erunt idonea materia negotiationis, vti contingit in proſtibulis, & infami lenonum nundinatione, de qua aliquid. *art. 3.* & in emptiriis ſicariis. Iure verò ciuili plurima commercia ſiunt exuta, vt loquitur Paul. *in l. 34. §. 1. D. de contrahenda empt.* & eorum nullam eſſe emptionem dicit. Eiuſmodi ſunt in primis res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ, quarum nulla eſt emptio, niſi profanæ fiant, *l. 6. l. 22.* & *l. 34. D. de contrab. empt.* quamuis Deos, Lares, & Penates vendere, & oppignerare ius eſſet apud Romanos: quod illis exprobrat Tertullian. *cap. 13. Apolog. Domeſticos Deos, quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis, pignerando, venditando.* De diis verò publicis addit: *Publicos æque publice iure fœdatis, quos in haſtario vectigales habetis: ſi Capitolium, ſi Olitorium forum petitur, ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione quæſtoris, diuinitas addicta conducitur. Sed enim agri tributo onuſti, viliores: hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora. Nam hæ ſunt notæ captiuitatis. Dij verò, qui magis tributarij, magis ſancti, maieſtas quæſtuaria efficitur. Circuit caupanas religio mendicans, exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri. Non licet Deos noſſe gratis, venales ſunt.* Lacerda in notis aliter verba Tertulliani interpungit. *Publicos æque publico iure fœdatis. Quos in haſtario vectigales habetis.* Ita vt duo genera Deorum conſtituat, priuatos, & publicos, qui eodem iure tractabantur, & fœdabantur, venditionibus, & oppignerationibus, & ab hoſtibus inter manubias relatos, qui in haſtario, non in templo collocabantur, vt ſub haſta, & voce præconis addicti venderentur: vnde Iulius Firmic. *capit. 16. Vendebatur Deus, vt prodeſſet emptori, & emptor ſuppliciter adorabat quidquid paulò ante viderat ſubhaſtatum.* Dicebãtur autem à Tertulliano, *publico iure fœdari*, per eiuſmodi auctiones, quæ fœdæ habebantur: vnde Prudent. *in Laurentio.*

Addicta auorum prædia.
Fœdis ſub auctionibus.

Venales, & tributarij dicuntur quoque iſti Dij à Tertullian. quia pendebant veluti tributum ſuis ſacerdotibus, qui ipſorum nomine mercedem, & ſtipem exigebant. Itaque *caupenas circuibat religio:* quo ſenſu apud Themiſti. *orat. 5.* auaritia cauponẽ facit κάπηλον φιλοχρηματία ποιεῖ. Et de his ipſis Naziànz. *orat. 1.* vt aliquid lucrarentur ex caupona ὥστε αὐτοῖς τι παρακερδαίνειν ἐκ τῆς καπηλείας, modum deſcribit Apulei. lib. 8. *Deam Syriam circumferentes mendicare compellunt.* quod habet quoque Halicarnaſſ. *lib. 2.* & Minut. *in Octauio. mendicantes vicatim Deos ducunt.* Vide apud Clem. Alexand. *in protreptic.* Deum quendam μηναγύρτην nominatum, quod ſingulis menſibus ſtipem poſceret, aut afferret: quare quamuis res ſacræ, ex legibus nuper allatis extra humana commercia fierent, turpi tamen, vt vides, nundinationi apud Romanos ſubiiciebantur.

Præter religioſas res, illæ etiam, quæ vſibus publicis perpetuò fuerant attributæ, vt fora, theatra, baſilicæ, viæ publicæ, vendi non poterant, *l. 6. l. pacta conuenta 72. §. 1. l. libera 51. D. de contrah. emption. l. continuus 137. §. cum quis, D. de verbor. obligat.* Erant & aliæ quædam, quarum venditio prohibita fuerat, ac proinde alia omnis negotiatio per quam in alium, quàm eorum dominum transferrentur: de quibus aliquid dicemus *art. 3. in conſectar.* & *libro tertio ſequenti, vbi de emptione.*

Dicen

3 Dicendum eſt ſecundò materiam negotiationis debere eſſe rem aliqua ratione exiſtentem, & certam, atque in poteſtate illius, qui ex ea negotiatur.

Hæc aſſertio, ſola ferè explicatione indiget. Requiri igitur primò rem, quæ eſt materia commerciorum, aliquo modo in rerum natura exiſtere, hoc eſt vel in ſeſe, vel in aliqua parte ſui, aut ſaltem in ſpe; quæ ſi quidem neque exiſtunt, neque exiſtere poſſe intelliguntur, vt chymæra, & hircoceruus, in commercium ſani hominis venire non poſſunt: in his numerant hæreditatem viuentis, quia impoſſibile eſt intelligere hæreditatem hominis adhuc viuentis, quare eius venditio nulla eſt. *l. 1. D. de heredit. vel action. vendit.* neque dicas vendi hæreditatem nondum delatam quidem, ſed deferendam, quæ exiſtit ſaltem in ſpe. Nam dico, id ipſum prohiberi *l. cit.* eamque venditionem nullam pronuntiari, quia quamuis aliqua ratione in ſpe exiſtere cenſeri poſſit, & eius ſaltem ſpes, ſicut & aliorum quorumdam, vt ſtatim dicemus, vendi poſſet, ac proinde venditio euiuſmodi nulla non ſit defectu materiæ exiſtentis; vel impoſſibilis, quia tamen eſſet contra bonos mores, & periculum creari poſſet illi, cuius hæreditas venditur, ſapienter omninò reiecta eſt ea venditio, tanquam nulla, & inualida: immò venditor, vbi ad illum delata fuerit, ea priuabitur, & fiſco addicetur. *l. 2. D. de his quibus vt indignis.* & *l. quidam in iure 29. §. vltim. D. de donation.* Donationes bonorum viuentis ab alio, quàm ipſo factæ, nullæ ſunt. Neque obiicias *l. 3. §. cum ſpecialiter,* & *l. ſi ſocietatem, D. pro ſocio:* iniri poſſe ſocietatem de hæreditatibus ſociis deferendis: nam loquuntur illæ leges de hæreditatibus incertis, & in vniuerſum, ſi quæ deferentur; non de vna aliqua hæreditate determinata certi alicuius viuentis: ſi tamen ille, de cuius hæreditate agitur, conſcius foret illius, aut venditionis, aut donationis, & in eadem nihilominùs voluntate perſtaret, valida foret ea vel venditio, vel donatio, aliaque negotiatio, *l. vlt. C. de pactis,* & *l. ex 10. D. de inutilib. ſtipulation.*

4 Alia quædam in re quidem non exiſtunt, ſed in ſpe, id eſt præſtari nondum poſſunt, ſed vt poſſint, ſperatur, veluti fructus fundi, partus ancillæ, fœtus pecorum, alea in venatione, aut piſcatione. Horum omnium ſpes, negotiationis materia eſt, illaque ſpes vendi poteſt, *l. 8. D. de contrah. emption. l. 7.* & *l. 11. D. de heredit. vel action. vendit.* adeò vt etiam captus piſcium, auium, miſſilium vendi poſſit, & quamuis nihil capiatur, nihilominùs pretium debetur, *l. ex empto. 11. §. qui autem, D. de action. empt.* Vulgò tamen niſi aliud exprimatur in venditione fructuum ex agris, fœtuum ex pecoribus, & aliorum eiuſmodi, cenſentur vendi fructus ipſi, non autem ſola ſpes ipſorum; quare ſi deinde fructus non exiſtant, nulla eſt emptio, quia non ſpes fructuum, ſed ipſi tantùm fructus futuri empti ſunt; neque proinde ſi nulli exiſtant, debetur pretium, *l. nec emptio. 8. D. de contrah. empt.* & ſi venditor ſciret fruſtrandam eſſe illam ſpem, aut cauſa eſſet ne obtineretur, quod ſperabatur, teneretur emptori quantum inde ſperabatur, atque ad omnia damna inde conſequuta, *l. nec emptio, citata,* & *l. ſi iactum. 12. D. de action empt.* vbi Celſus ait, *quod ſi piſcator retem iactare nolint; incertum eius rei æſtimandum eſt:* neque quantum veroſimiliter capi potuiſſet: quod colligitur ex conſuetudine piſcatoris: quare viri boni arbitrio æſtimandum relinquerem.

Quæres, an, ſi vi ventorum impacti nautæ in aliam nauim piſcatoriam, ex illa, niſi præciſis funibus explicare ſe potuerint, ob eamque cauſam nulli piſces capti fuerint, piſcium non captorum habenda ſit ratio.

Reſp. non habendam, ex *l. 19. §. 3. D. ad l. Aquil.* vbi Labeo, & Proculus idem dicunt circa retia, in quæ nauis piſcatorum inciderat, quando iactus retis emitur, ſiue aliquid capiatur, ſiue nihil, pretium conuentum reddendum eſt, vti iam monui, quod idem dicendum eſt, ſi quis *indaginem plagis impoſitis à venatore; vel pantheram, ab aucupe emerit: nam etiamſi nihil capit, nihilominùs emptor pretium præſtare neceſſe habebit,* inquit Vlpian. *l. emptorem 12. §. vlt. D. de action. empt.* eſt verò πάνθηρα, vt interpretatur Alciat. *lib. 1. parerg. cap. 42.* vniuerſa venatio: alij intelligunt rete, quo vniuerſæ auiculæ capi poſſunt, & neutro genere accipiunt, πάνθηρον, exemplo τοῦ παναγρ piſcatorij, quod nunquam Latinis, Græciſque ignotum hactenùs reiicit Alciatus.

Ambigui verò iuris eſt, an qui emit iactum retis, captum omnium rerum, quæcumque illæ ſint, ſibi comparârit: an verò piſces duntaxat, ſi qui prehenſi fuerint. Iam olim hanc quæſtionem diſceptatam fuiſſe narrat Sueton. *lib. de claris Rhetoribus,* in cauſa quorumdam adoleſcentium, qui cum Oſtiam veniſſent, litus ingreſſi iactum retis à piſcatoribus emerint, in quo non piſcis, ſed ſporta auri obſuta apparuerat: quid verò in ea cauſa iudicatum fuerit, Suetonius non aperuit: & ſanè antiquior fuerat illa controuerſia apud Coos, cum Ionici adoleſcentes iactum quoque retis emiſſent, extracta eſt magni ponderis menſa aurea, ſiue tripus, quam tum adoleſcentes, tum piſcatores ſibi vindicabant; Coi verò ad Miletum Ionium Metropolim negotium reiecerunt. Mileſiis cum non occurreret, quid ex animi ſententia iudicarent, placuit Apollinem Delphicum conſulere, qui neutri parti litigantium, ſed ei, qui in tota Græcia, ſapientiâ præſtaret, auream illam tripodem dandam eſſe reſpondit; quorum omnium conſenſu ad Thaletem delata eſt, qui Bianti ceſſit, Bias Pittaco, hic aliis: ſic vt tandem per ſeptem Sapientes delata ad Salonem perueniret, qui ſolum Deum ſapientem eſſe affirmans, illam Apollini conſecrauit. Anceps verò hoc iudicium reddebant vtriuſque partis momenta: piſcatores enim afferebant, ſe captum piſcium, non omnium rerum indefinitè vendidiſſe, neque aliud emptores, dum ad mare, & ad piſcatores acceſſerunt, cogitaſſe; neque ipſi auſi fuerint affirmare, ſe de aliis omnibus rebus, quàm de piſcibus cogitaſſe, non etiam de tripode: & quamuis id daremus, cùm tamen piſcatores non niſi de piſcibus, quorum captui vacabant, ſenſiſſe affirment, imperfecta ſanè fuerit venditio, cùm in eandem rem venditam emptores, venditoreſque non cõſenſerint, immò neque de illa tripode conſentire potuerint: Vnde enim de illa cogitare potuerint? An caſus ita fortuiti, & prorſus inſolentes intelligendi in vulgaribus conuentionibus, quæ habent ſibi determinatam materiam ordinariam, & vulgatam: & ſanè exiguum pretium, de quo conuenerunt, euidenter oſtendit, quam longè ab aliis omnibus rebus, quàm à piſcibus abfuerit ipſorum cogitatio; alioquin piſcatores iactare rete noluiſſent, cùm incertum æſtimandum eſſet, vti nuper monebamus. An æſtimationem ſummæ infinitæ, & pretij cuiuſdam incredibilis feciſſent Iudices? quia potuit menſa aurea extrahi, vt reuerà contigit:

tigit : ſanè nou fuiſſet ab æquis Iudicibus alia facta æſtimatio, quàm piſcium, quos ex conſuetudine capi potuiſſe conicerent. Opponebant verò emptores, ſe quidem de piſcibus nihil egiſſe, ſed iactum rectis, omnemque aleam, ſpem omnem,& fortunæ euentum emiſſe; neque inſolens eſſe, vt qui in mari piſeantur, quodlibet aliud, quàm piſces educant: quare cùm id frequenter accidat, tam de omni re, quæ in retia poteiat incidere, quàm de piſcibus cogitaſſe dici poteſt, qui aleam capturæ, & iactum retis in mari emerit. Vnde etiam diſcrimen apparet inter iactum rectis in flumine, & in mari; quia vix vnquam accidit, vt in flumine res aliæ pretioſæ, præter piſces, retibus educantur, ideò de illis cogitaſſe iuremerito non cenſentur ij, qui iactum retis emerunt. At verò quia in mari ſimilia multa accidunt, de illis quoque, & non de ſolis piſcibus cogitaſſe exiſtimantur; ideoque quicquid è mari fuerit extractum, debebitur emptoribus capturæ, non verò quidquid extractum fuerit è flumine, ſimili emptione debebitur. Confirmatur ex eo quod inſula nata in mari ſit occupantis, quia id raro accidit: in flumine verò ſit habitantis iuxta ripam, & littus vicinius, quia id frequenter contingit. Deinde ſiquis miſſilia emerit, licet aues, veſtes, aut alia quæpiam, quàm nummi, iacta fuerint, ea ſibi poſtulabit, quia in illis aliarum rerum, quàm ſolius pecuniæ ſpes, & expectatio eſt. Cur igitur cùm in mari plura alia quàm piſces educi ſoleant, qui capturam emerit, omnia, & ſingula, quæ capta fuerint, ſibi non vindicabit? Denique ſi piſciculus in rete incidiſſet, in eoque occiſo gemma ingentis pretij reperta foret, ſiquis indaginem plagis impoſitis emiſſet à venatore, aut pantheram ab aucupe; & collo, aut pedibus feræ, vel auis, quidpiam magni pretij appenſum fuiſſet, an illud emptores ſibi repeterent? cur Pirrhias, qui apud Pauſaniam, ſenem captum à latronibus emerat cum pice, in qua aurum abſconditum reperit, ſeni illi tanquam benefactori ſuo bouem immolauit, ſi auri illius repetitio emptoribus non competebat? neque res hæc pretio diiudicanda eſt, quia minus pretium imponitur, quo magis res, quæ capietur, eiuſque æſtimatio incerta eſt. Hæc, aliaque pluribus in vtramque diſputat Ærodius *lib.4.rerum iudicatar.tit.7.cap.1.* neque quidquam definit. Quare & nos iudicium noſtrum ſuſtinebimus modo, *lib.2. capit.8. art. 1.* iterum aliquid dicturi.

5 Atque hæc omnia, de quibus diſputauimus, licet in ſe nondum exiſtant, futura tamen ſunt, & in ſpe exiſtunt quodammodò, ideóque ratione illius in commercia humana veniunt: quædam verò alia ſunt, quæ licet aliquandò extiterint, neque nunc ampliùs exiſtunt, neque extitura ſperari vnquam poſſunt vi naturæ, & humano modo, vt homo mortuus, domus combuſta, arbores tempeſtate diſiectæ: hæc enim omnia nunquam eadem numero, & indiuiduo reponentur. His annumero partum ancillæ, v.g. 50. annorum, *l.ſi ſterilis 21.D.de action. empti.* de iſtis quæritur, An ſint materia negotiationis, venditionis v.g. diſtinguendum porrò eſt: nam vel vterque contrahens peremptam, & deſtructam eſſe rem ignorauit, vel vterque ſciuit, vel alteruter duntaxat. Si vterque ignorauit, nullus eſt contractus, nulla negotiatio, nulla venditio, quæ ſine re non conſiſtit, *l.8.l.etſi 15. l.in lege 77. D. de contrab. emption.* quod idem de maiore rei parte iudicandum erit, ex illa enim res æſtimanda eſt: ſi autem vel media, vel minor tantùm pars rei perempta ſit, valebit contractus, & venditio, quamquam Iudicis erit, pretium ratione eiuſmodi defectus minuere, *l. domum 57.* & *l.58. D.de contrab. emption.* Si vterque contrahens ſciuit rem peremptam eſſe, aut totam, aut ex parte, nihil agitur, & contractus negotiationis non valet, quia cum ex vtraque parte dolus interceſſerit, actio, quæ bonæ fidei eſt, neutra ex parte competit, quin etiam doli inter illos compenſatio ſit, *l.ſi ambo 10. D. de compenſat. l. viro 39. D.ſoluto matrim.* in foro verò conſcientiæ vterque obligatur dolum à ſe commiſſum emendare: qui autem ampliùs læſus eſt, poterit à contractu ſi velit reſilire; ſi autem æqualis læſio, & iniuria fuerit, poterunt ſinguli contenti eſſe ea compenſatione: qua de re plura dicemus *lib.3. proximo.* vbi de circumuentione in emptionibus: & aliqua diximus *Opere de Vſuris lib.3.cap.2.art.3.* vbi de contractibus per fraudem, aut dolum celebratis. Dum autem alteruter contrahentium, rem, de qua contrahitur, peremptam eſſe ſciuit, aut ignorauit, diſtinguendum eſt: nam ſi venditor ſciuit, & emptor ignorauit totam rem eſſe peremptam, venditio eſt nulla; ſi autem pars aliqua ſiue minor, ſiue maior ſuperſit, valida quidem eſt emptio, ſed venditor propter dolum, in id quod intereſt emptoris, tenetur, *leg. domum 57. D. de contrahend. empt.* & *leg. 9. D. de peric. & comm.rei vend.* Quod ſi è contrario emptor ſciuit, & venditor ignorauit, & tota res perempta fuit, venditio eſt nulla; ſi vel minima ſuperſit, valet venditio, cogeturque emptor propter dolum cōmiſſum implere contractum, *ex citata l. domum*, & ſibi ipſi imputare debet, quod rem emerit, quam peremptam ſciebat; neque ſe deceptum eſſe excipere poteſt, cùm ipſe potiùs alterum contrahentem deceperit. Atque hactenus de exiſtentia requiſita in materia negotiationis.

Maior difficultas eſt in eius certitudine, quam in altera parte aſſertionis exigebam. Certum appellat Caius id, cuius qualitas, & quantitas apparet, *l.ſtipulationum 74.D.de verbor.obligat.* Certum autem corpus vocant Iuriſconſulti, quod Logici indiuiduum: & incertum iiſdem genus eſt, neque aliter iſta inter ſe opponuntur, quàm vt genus, & indiuiduum. Certus locus eſt, cuius quantitas, & qualitas definita eſt, vt fundus Tuſculanus, aut fundi Tuſculani tria iugera. *leg. ita ſtipulatus 115. D.de verb. obligat.l.4.D pro emptore: l.1.D.de euict. l.6.D.de ſeruit.* Incertus fundus eſt, cuius neque quantitas, neque qualitas apparet, *l.cum poſt 69.§.gener.D.de iure dotium.* veluti qui pro indiuiſo dicitur, qui propterea certo opponitur, *in leg.1. §. hoc interdictum, D. vti poſſidetis.l.1. D.de euict. l.placet 25. D. quibus modis vſusfruct.amitt.* & *l. ſi is, cui 94. D.de ſolution.* Certus homo, cuius qualitas deſignatur, vel nomine, vt Stichus, Pamphilus, Caius: vel demonſtratione, vt ſi digito notetur, ſi dicatur, hunc hominem meum eſſe aio: vel natione, vt Syrus, Phrix, Lydus, Romanus; vel aliqua nota, vt filius Ciceronis, filius Areſcuſæ, *l. Quintus, D.de auro, & argento legato. l planè 34. §.2.l. cum 27.& 47. §.1.l.ſed ſi 51. l.ſi ſeruus 108.§.qui quinque, D. de legatis 1.* Incertus homo, qui ex nulla ſuperiore nota deſignatur, ſed in genere tantùm, vt ſi teſtator dicat, hominem, cui do, lego; neque enim qualis ſignificetur, intelligitur, *leg.vbi autem 75.D. de verb. obligat. l. cum incertus 13. D. de legat.1.l.heredes 25.§.ſi incerto, D.familiæ Erciſcund.* Certa dies, cuius numerus definitus eſt, vt Kalendæ Ianuariæ centeſimæ. Incerta, cuius tempus

pus eſt incertum, vt cum pubes fuerit, cum nupſerit, cum magiſtratum obtinuerit, aut geſſerit, *l. ſi dies 21. D. quando dies legat.* Certum vinum, aut frumentum, cuius qualitas, & quantitas apparet. Incertum cùm neutra, aut alterutra tantùm definita eſt, vt vini amphoræ centum, aut vini campani amphoræ centum: quæ poſtrema loquutio quantitatem exprimit quidem, non qualitatem, cum vini campani plura ſint genera, quare incertum dicit: quod ſi adiiciat, optimi, tunc qualitatem exprimit, non verò ſi dicat boni, bono enim eſt aliud melius; aliquandò tamē vnica nota ſufficienter demonſtratur, certaque eſt res, abſque alia expreſſione qualitatis, & quantitatis: v.g. Lego frumentum, quod eſt in tali meo horreo: vinum, quod illo meo vaſe, aut apotheca continetur: veſtem, quæ in illa arca ſeruatur; idem enim eſt, ac ſi diceret, quale, quantumque eſt vinum, aut frumentum, quod in eo horreo, aut apotheca ſeruatur: quæ omnia traduntur *l. 74. l. 75. & l. 94. D. de verb. obligat. l. cum res 47. §. 1. D. de legat. 1.* Certa denique pecunia dicitur, cum eius qualitas, quantitaſque deſignatur, vt Ludouiceorum decem millia, centum millia librarum Turonicarum, aut pecunia, quæ in illa arca, aut crumena continetur: ſignificat enim qualem, quantamque in arca clauditur, *l. 7. §. pen. & l. vlt. D. de contrah. emption.* incerta pecunia eſt, cuius qualitas, aut quantitas non exprimitur: v.g. ſpondes dare nummos? ſpondeo: nummorum decem millia dabis? cum enim ſint innumera nummorum genera, nihil ex ea loquutione certi cognoſcitur. Eo pertinet *l. cum poſt 69. §. gener. D. de iure dotium. l. planè 34. §. 2. l. ſed ſi 51. leg. ſi ſeruus 108. §. qui quinque, D. de legat. 1.*

7 Dixi igitur in aſſertione, materiam negotiationis debere eſſe certam, nempe conſtare quid, quale, & quantum ſit, de quo negotiatores inter ſeſe agitant, alioquin temerariò, & impudenter agunt; neque certam alteri obligationem imponere, aut in ſe ſuſcipere circa rem incertam poſſunt, abſque periculo temeritatis, aut iniuſtitiæ. Magna tamen lis eſt, quænam certitudo ſufficiat, aut exigatur ad firmitatem contractus, an nempe ſatis ſit de corpore, an verò etiam de qualitate conſtare oporteat. Qualitatem appellant in animantibus naturalem; nimirum ſexum, vtrum mas, an fœmina vendatur: non autem extrinſecùs accidentia, veluti ætatem, ſi ſenex pro iuuene vendatur, ſi mulier pro virgine, *l. alioquin 11. D. de contrah. empt.* in agris qualitatem dicunt, vt aliud ſit pratum, aliud aruum, aliud vinea, *l. ſi in qualitate 22. D. de action. empt.* in vaſis, aliiſque operibus qualitatem appellant materiam: v.g. ſi ſyphus ſit aureus, aut æneus, *l. quid tamen 14. D. de contrah. empt. l. ſi ſterilis 21. §. quamuis, D. de action. empt.* quamquam alibi modò materia, modò ſubſtantia dicatur, *vt l. 9. D. de contrah. empt.* De corpore quidem fatentur Iuriſconſulti conſtare debere, ſi enim venditor vendat Dauum, & emptor exiſtimet ſe emere Stichum, reuerà non conſentiunt in idem obiectum venditionis. De ſubſtantia verò diſputant magna contentione, v.g. ſi venditor putet ſe vendere vas æneum, emptor aureum emere, cùm tamen æneum ſit: tunc enim iſti negotiatores conſentiunt in corpus, non verò in materiam, ſiue ſubſtantiam, aut, vt alij nominant, qualitatem illius vaſis, cùm alter eorum erret, neque quidquam magis conſenſui contrarium ſit, quàm error. Et quidem Marcellus *l. 9. & l. Labeo 45. D. de contrah. empt.* contendit, errorem in materia non vitiare emptionem, vt ſi acetum pro vino, æs pro auro, plumbum pro argento vendatur. *Quia in corpus conſenſum eſt, etiamſi in materia ſit erratum.* Idem exiſtimauit Paul. *l. ſi ſterilis 21. §. quamuis, D. de action. empt. diximus,* inquit, *cùm in corpore conſentiamus, de qualitate autem diſſentiamus, emptionem eſſe.* Ita enim legit Hotman. *in Epit. D. de contrah. empt. num. 11.* Cuiacius tamen *lib. 2. obſeru. capit. 5.* negationem reponendam eſſe contendit, & legit, *emptionem non eſſe*: & illud *ſupra diximus*, non eſſe referendum ad Pauli libros, ſeu ad *l. in venditionibus 9. & l. quid tamen 14. D. de contrah. empt.* Atque adeò eiuſmodi verba, nō eſſe Pauli, ſed Triboniani: atque ita Paul. diſſentiet à Marcello, ex lectione Cuiacij, aut cum illo conſentiet, ſi vulgatā lectionē Florentinā retineamus, vti retinendam eſſe contendit Hotmann. eo quod Paul. addat, venditorem teneri quanti intereſt emptorem non eſſe deceptum. Dabitur igitur actio ex empto, quæ intelligi nequit, niſi conſtiterit emptum. Id ipſum ſtatuit de ſtipulationibus idem Paul. *leg. id quod 22. D. de verb. obligat.* verùm quidquid ſit de mente Pauli, ſanè à Marcello diſſentit Vlpian. *leg. 9. D. de contrah. empt.* & errorem in materia vitiare emptionem, ac nullam reddere contendit: & in omnibus illis exemplis, quæ Marcellus attulerat de aceto vendito pro vino, diſtinguit, An ab initio tale fuerit, tūc enim aliud pro vino venditum fuit, & erratum in materia: ſi verò vinum fuit, quod nunc acorem illum induit, cùm eadem ferè ſit vini, & aceti οὐσία, non fuerit in illa erratum. Itaque vt habetur in Synop. Baſilic. *lib. 19. tit. 2. cap. 7. & ibid. in ſcholiis,* aliud eſt acetum ex vino factum ὄξος ἀπὸ οἴνου: aliud, quod fit ex omphacio, & vuis immaturis ὀμφάκιον ἐξ ἀρχῆς ὄξος τυχὸν ἔμφακον γάρυμον. Vlpian. hoc acetum fieri ait, embammate, & inſtinctu: tum *illa l. 9. citata,* tum etiam *l. 9. de tritico, vino legat.* quod idem eſſe embamma apud Nicandrum, obſeruat Cuiac. *lib. 15. obſeruat. cap. 27.* Idem tamen Vlpian. *l. 14. D. de contrah. empt.* cum inauratum pro auro venditur, valere emptionem dicit, & viriolæ, quæ aurea dicebatur, cum tamen magna ex parte ærea inuenta eſſet, venditionem conſtare: ibi tamen erratum fuit in materia, vt vides. Secum igitur pugnat Vlpian. qui contra Marcellum, errorem in materia vitiare emptionem contendebat, cuiuſmodi contrarium affirmat in viriola, magna ex ex parte ærea, quæ tamen pro aurea, ingenti pretio vni hæredum vendita fuerat. A Iuliano quoque diſceſſit Vlpian. nam *l. 41. D. de contrah. empt.* ait Iulian. *menſam argento coopertam mihi ignoranti pro ſolida vendidiſti imprudens, nulla eſt venditio, pecuniaque eo nomine data condicetur.* Verum quidquid ſit de hoc diſſidio veterum Iuriſconſultorum, fusè oſtendimus opere de Vſuris *lib. 3. cap. 2. art. 3.* dolum, & errorem ſubſtantialem inualidare contractum, & Vlpiani locum retulimus, atque Cuiacij, (cui deinde aduertimus Gotoffredum, & Hotmannum adhæſiſſe) conciliationem reiecimus. Viderint alij, quomodò eam diſſentionem Iuriſconſulti, cum ſe ipſo, & aliis execuſent, neque hoc loco addendum quidpiam videtur iis, quæ de errore, & ignorantia circa materiam ſiue rem, de qua contrahitur, diſputauimus: moneo duntaxat, ne quid prætermiſiſſe videamur, viriolas, ſeu virias eſſe armillas manuum, quæ ψελλια, κλάνια, περικάρπια, βραχιόνια, χειρίδια dicuntur, & numerantur inter ornamenta muliebria. Ambroſ. *lib. 1. de Abraham. cap. 9.* agens de Rebecca donata inauribus & viriis à ſeruo Abrahami: ideo accepit

pit inaures aureas, & virias, quas miſit *Abrabam*, & mox, *inaures habebat, quæ non grauarent aurem, ſed demulcerent; virias, quæ manum non materiali auro onerarent, ſed ſpirituali actu leuarent.* Tertullian. *cap. 4. de pallio. veſtigia cæſtu in viriis occupauit*, aut, vt alij, *viria* occupauit. Salmaſ. in notis legi vellet, *veſtigia cæſtuum virus occupauit*, & virus poſitum pro birus, quia cum hic Tertull. agat de Cleomacho Cinædo, *qui de maſculo fluxiſſet*, de viro factus fœmina, non potuit illi exprobrare virias, ſiue viriolas, quæ erant armillæ, viris militaribus virtutis ergo donatæ. Deinde veſtigia cæſtuum, quæ occupari dixit à viria, non alia eſſe poſſunt, quàm cicatrices vulnerum à cæſtibus relictæ. Hæc verò vulnera non in manibus, quibus religabantur cæſtus, ſed in capite erant: eam enim corporis partem cædere, & tundere ſatagebant in pugillatu: vnde ὠτοκαταξίδαι, & ὠτοθλα-ſίαι dicti ſunt pugiles. Quomodò igitur viria, veſtigia cæſtuum, quæ in capite relicta erant, occupare poterat: at verò virus, ſiue birus σαφῶς erat lacerna cucullata, & aliquandò capitur pro capitio, & cucullo, ſicut pallium, aut palliolum pro integumento capitis. Vnde Fulgentius ait, rutulum eſſe pallium, quo ſacerdotes caput tutabant: & Petronius *adraſum pallio incluſerat caput.* Quæ, aliaque congerit Salmaſ. Cleomachus igitur effœminatorum, & Cinædorum more, cucullo, aut mitra tectum habebat caput, vt veſtigia, & cicatrices cæſtuum, quæ capiti inerant, velaret. Verum obtuſior eſt hæc Salmaſij coniectura: habemus enim, virias, ſiue viriolas ornamentum eſſe muliebre, ipſeque tandem fatetur Salmaſ. Deinde viriam in virus, & virus in birus, aut birrum, vel berrum transformat infœliciter Salmaſ. Et denique facilè intelligimus veſtigia cæſtuum in manibus, quibus fortius religati cæſtus aliqua ſine dubio veſtigia relinquunt. Eſtque elegans Tertulliani oratio de Cleomacho, qui ex gladiatore, Cinædus factus, & fœmina, *cum de maſculo fluxiſſet*, vice cæſtuum, manus viris, mulieris inſtar ornabat: ſed hæc παρέργως dicta ſunt. vide Alciat. *lib. 4. parerg. cap. 18.*

Hæc porrò certitudo, quam in materia negotiationis poſtulabam, non impedit, quominùs res vniuerſales, ſiue rerum aliqua vniuerſitas, eiuſmodi materia eſſe poſſit: nam res ſingulares vendi poſſunt, vt cùm bona debitoris damnati auctione venduntur, quæ bonorum emptio dicebatur, §. 1. *inſtit. de ſucceſſionibus ſublatis.* & qui emebat, bonorum emptor, *l. Fuſidius 29. D. de rebus authoritate iudicis poſſidendis.* qua de re *lib. ſeq.* vbi de auctionibus: ſufficit modò, res illas certas, variis caracteribus deſignari, atque ab aliis diſtingui.

8 Tertia conditio, quam in materia negotiationis poſtulabam erat, vt in dominio, & libera poteſtate illius, qui de ea negotiatur, exiſtat: vno verbo, non ſit aliena. Res autem dicitur aliena vel actu, vel potentia, vt obſeruat Rebell. 2 *part. lib. 1. qu. 7. num. 1.* actu aliena eſt, in quam aliquis nullum ius, aut dominium habet. Potentia res aliena eſt. quæ licet vni adhuc propria ſit, tamen alteri debetur, illique tradenda eſt, qua ratione fiet aliena actu. Ita debitor etſi verum dominium habeat in ſua bona, quia tamen aliqua illorum tradere debet ſuis creditoribus, aut illis fortaſſis vinculo hypothecæ ſunt obligata, ea dicuntur eſſe aliena debitoris, non actu, cùm verè adhuc ſint in eius iure, ac dominio, ſed in potentia, quia ad exoluenda debita, aliqua illorum alienari neceſſe eſt. De his rebus alienis quæritur, an poſſit fieri negotiatio, & veri contractus celebrari: verùm de alienis in potentia agemus, vbi de ſolutionibus quæremus, an debitor poſſit ſua alienare in fraudem creditorum. De rebus itaque alienis actu duntaxat diſputamus, in vniuerſum tamen, an ſint materia idonea negotiationis; de ſingulis deinde in diuerſis negotiationis ſpeciebus acturi ſic.

Primò igitur aio. Res aliena, quam venditor, ſiue eam tradens, ſcit eſſe alienam, poteſt eſſe materia validæ venditionis, & alterius contractus oneroſi, cuiuſmodi eſt omnis negotiatio. Validæ inquam, non omni quidem, & abſoluta validitate, ſiue quoad omnem effectum, ſed aliquem duntaxat, obligationem nimirùm venditoris, ad euictionem, & reparandum intereſſe emptoris; non autem ad dominij translationem. Non acquirit igitur dominium emptor illius rei, quæ & ab eo auferri poteſt; tenetur tamen venditor euictionis nomine, vt ſi res euincatur, quanti emptoris intereſ fuerit, præſtet. *l. ex empto 11. D. de action. empt.* tantiſper autem dum emptori habere licet, non poteſt eo nomine agere aduerſus venditorem, *l. 1. D. de rerum permutat.* & *l. 3. C. de euiction.* Quandò igitur ſolus venditor ſcit, rem eſſe alienam, venditio valida erit, modò explicato, *l. rem alienam 28. D. de contrah. empt. rem alienam diſtrahere, quem poſſe, nulla dubitatio eſt, nam emptio eſt, & venditio: ſed res emptori auferri poteſt.* Quia nempe in illum nequit transferri dominium ab eo, qui rei, quam tradit, dominus non eſt, ideóque ea ratione inualida eſt alienatio: quia tamen illi, vt dixi, venditor de euictione tenetur, atque ad totum intereſſe, vti fuſiùs explicat Conrad. *q. 7. de contract.* ex ea parte valida eſt venditio: & præterea, quia venditor prætij accepti dominium comparat. Nam *l. qui vas 46. in fine, D. de furtis* Vlpian. id apertè ſignificat. *Cùm fur rem furtiuam vendidiſſet, eique nummos pretij, dominus rei per vim extorſit, furtum eum nummorum feciſſe, rectè reſponſum eſt. Idem etiam vi bonorum raptorum actione tenebitur: quod enim ex re furtiua redigitur, furtiuum non eſſe, nemini dubium eſt. Nummus ergo hic qui redactus eſt ex pretio rei furtiuæ non eſt furtiuus.* Ratio eſt, quia aliud eſt res, aliud pretium rei, *l. 18. de nouat. l. 42. §. 1. D. de vſufruct. l. 82. D. de verb. oblig.* quare pretium regulariter, loco rei non fungitur: excipe *l. 22. in fin. D. de hæred. petition.* ideóque meum ſtatim non eſt, quod ex mea pecunia comparatum eſt, *l. 1. C. ſi quis ſibi, vel alteri.* niſi ſim miles, *l. 8 C. de rei vindicat.* eſt tamen quæſtio, an id valeat, quando pupilli, vel minoris pecuniâ res comparata fuit: qua de re *lege 51 verſ. planè, D de peculio. l. 88. D. de ſolut. l. 3. C arbitrium tutelæ. l. 2. C ex facto tutor.* quid ſi Eccleſiæ pecuniâ res empta ſit? *l. 32. C. de Epiſcop.* quid, ſi pecuniâ vxoris? *l. 12. C. de iure dot, leg. vlt. C. de ſeruo pignori dato manum. l. 44. D. de iure dotium.* quid, ſi pecuniam apud menſam argẽtarij, vel menſularij fide publica depoſui, & ex ea pecunia rem ſibi emeris? *l. 14. §. 2. D. de rebus author. iudic.* in cæteris omnibus rei loco non fungitur pecunia, vt dixi; ideoque pecunia ex rei mobilis venditione redacta, non erit mobilis, non erit viri, non vxoris, non patrimonialis; nec ſemper verum eſt, ſubrogatam pecuniam, in locum rei ſubrogatæ ſuccedere, ſicut res empta non ſuccedit in conditionem pecuniæ, ex qua res empta eſt; ideoque res non fit mea, vel patrimonialis, *l. 6 C. de rei vindic.* vel dotalis, *l. 12. C. de iure dotium* niſi fortaſſis in quibuſdam particularibus, ex iure ſingulari nu-

per

per allatis. Qua de re vide Socin. *regula* 302. Igitur pretium rei furtiuæ, non idcircò furtiuum eſt, illiuſque dominium ſibi comparare poteſt, qui rem alienam aut etiam furtiuam vendit, ſed de euictione obligabitur, vt dixi.

Neque dicas, emptorem nõ tradere venditori dominium pretij, niſi quatenùs illi conceditur dominium rei venditæ, ad quod acquirendum abdicat ſe dominio ſuæ pecuniæ: quare cùm in ea venditione rei alienæ non tradatur dominium illius emptori, neque emptor ſuæ pecuniæ dominium transfert in venditorem: nam falſum eſt, hanc venditionem eſſe conditionatam, aut emptorem eam conditionem apponere pretio, quod dat; ſed ſolùm vt illa res ſibi vendatur, præterquam quòd illi ſatis conſultum eſt, cùm venditor illi de euictione obligetur, atque ad totale intereſſe.

Secundò quoties emptor conſcius fuerit, rem, quam emit, non eſſe vendentis, ſed alienam, ſiue id venditor ſciat, ſiue non, tunc venditio inualida erit, quia venditor eo caſu non obligatur de euictione, neque damna inde conſequuta reſtituere debet. *l. ſi fundi res, C. de euict.* & *l. ſi in emptione 34. D. de contrab. empt.* quia emptor conſcius huius vitij rei emptæ, totum illud periculum in ſe ſuſcepit, niſi contrarium, in pactum expreſſum, deductum fuerit. Quæ omnia docent communiter Anton. Gomez *tom. 2. cap. 2. num.* 8. Molin. *tract. 1. diſp.* 327. *conc.* 2. Leſſius. *lib. 1. cap.* 20. *n.* 162. Rebell. 2. *part. lib. 1. quaeſt.* 7. *n.* 5. Layman. *lib. 3. tract. 4. cap.* 17. *num.* 21. De Lugo *diſp.* 25. *de iuſtit. num.* 25. Ferdinand. Acaſtru *diſp.* 1. *de iuſtit. punct.* 13. Ex quibus tamen aliqui, id quod diximus, venditionem rei alienæ inualidam eſſe, quando emptor conſcius eſt, quia cùm omne periculum in ſe ſuſcepiſſe videatur, venditor non illi tenebitur de euictione; reſtringunt ad alienationem, & venditionem rei furtiuæ. Gloſſa *in l. ſi in emptione. §. item ſi emptor, D. de contrab. empt.* Molin. Rebell. & alij: cùm enim iura nuper allata, venditionem rei alienæ validam eſſe modo allato pronuntiarint, & neque diſtinxerint, an emptor ſit ignarus, aut conſcius illius vitij, & ſola furtiuæ rei venditio excipiatur ab ea communi regula, *in l. ſi in emptione, citata.* in reliquis alienationibus rei alienæ, communis regula tenenda erit: & in alienatione rei furtiuæ facta emptori conſcio, tenebitur alienator de euictione, non poterit tamen venditor rem ab emptore alienatam repetere, oblato ei pretio, ſi ipſe nolit: quod obſeruat Salas *de vſuris, dub.* 40. *ſub fin.*

Tertiò dubitans, rem alienam eſſe, poterit illam ab alio accipere contractu lucratiuo, vel oneroſo, modò promittat veritatem inquirere, & deinde vero domino comperto reſtituere, cùm ſic nulla ipſi fiat iniuria: ita Couarr. *in regul. peccatum, 3. p. initio, num.* 4. Medin. *C. de reſtitut. quaeſt.* 10. Rebell. 2. *p. lib. 1. q.* 7. *n.* 7.

Quartò rem alienam vſu conſomptibilem poteſt aliquis ſiue ſciens, ſiue dubitans eſſe alienam, ab alio accipere, quolibet contractu lucratiuo, aut oneroſo, modò probabiliter exiſtimet, eum, à quo illam accipit, non fieri inde impotentem, ad ſatisfaciendum domino, & reipſa ſatisfacturum per aliam eiuſdem ſpeciei, ac bonitatis, atque omninò æquipollentem, vt fieri facillimè poteſt in eiuſmodi rebus: & dominus nullum ex mora ſolutionis, damnum, aut moleſtiam incurrat; obligatur tamen in conſcientia, ſi non reddatur vero domino ſuo tempore, illam in defectum principalis debitoris illi reddere, ſiue ſoluere, & dum contrahit de eiuſmodi re aliena, illum animum habere, alioqin contrahendo peccabit. Eſtque ea obligatio quaſi ex contractu, quia ſub affirmata conditione res aliena tunc accipitur, atque ex æquitate naturali, vera iſta ſunt. Nam in foro externo, & iudiciali, ſi res furtiua ſit, ne quidem hoc modo diſtrahi poteſt, *ex l. 34. §. item, D. de contrab. empt.* vbi cuiuſuis rei furtiuæ venditio irrita eſſe decernitur: quæ omnia tradit Couarr. *in regul. peccatum, 3 part. init. num.* 2. vnde colligit nullius rei furtiuæ, aut alienæ dominium in recipientem transferri, niſi cum bona fide conſumatur: quod etiam tam obſtinatè docuit Molin. *tract. 1. diſp.* 330. vt contrariam ſententiam de tranſlatione dominij in hoc caſu, circa eiuſmodi res vſu conſumptibiles, quæ functionem accipiunt in ſuo genere, falſam & ſingularem dixerit: cùm tamen eam doceant plures Theologi *in 2. 2. quaeſt.* 78. *art.* 3. vt Baun. & Aragon. & Salom. *contrau.* 7. Caietan. *tom. 2. opuſc. 8. quaeſt.* 4. Soto *lib. 6. de iuſtit. quaeſt. 1. art.* 4. Valent. *tom. 3. diſp. 5. q. 21. punct. 3. n.* 26. Cordub. *quaeſt.* 232. *&* 233. & qui alios dabit Salas *de vſur. dub.* 40. *num.* 3. atque omnium nouiſſime Ferdinand. Acaſtro *diſp. 1. de iuſtitia, punct.* 13. *num.* 9. qui tamen omnes, hanc dominij tranſlationem fieri dicunt, ſolùm ex præſumpta domini voluntate, quia cum nullum damnum, aut incommodum patiatur ex ea rei ſuæ alienatione, in eam conſentire præſumitur, illéque conſenſus præſumptus, eſt cauſa transferens dominium ſequuta rei traditione: quare non benè obiiciunt Couarruu. & Molin. dominium transferri à non domino, nam reuera dominus rei, eius dominium hoc caſu transfert præſumpto ſuo conſenſu, & voluntate.

Dicendum eſt tertiò defectum materiæ idoneæ negotiationi, aliquando reddere negotiationem, & contractum nullum, atque inualidum, aliàs illicitum, & iniuſtum duntaxat: quo caſu emendandus erit contractus, & tollenda inæqualitas, ſi quæ poſita fuerit. 9

Hæc propoſitio probatione non indiget: iam enim ſæpiùs toto opere de vſuris, præſertim *lib. 3. cap.* 2. docuimus, contractus iniuſtos, & illicitos, non ſemper eſſe nullos, & inualidos: quod etiam conſtat ex iis, quæ de valida alienatione, & venditione rei alienæ, & communi DD. nuper ſtatuebamus. Et ſanè quoties rei venditæ pretium excedit eius valorem, venditio iniuſta eſt, non tamen inualida, eſtque reducenda ad æqualitatem illa inæqualitas: qui vendit res, vendi prohibitas, illicitè vendit, validè tamen, & niſi alicui creetur damnum, & iniuria, nulla erit reparanda inæqualitas, ſed ſola mulcta violatæ legis, vbi imponetur, luenda.

Tota difficultas eſt, in aſſignanda regula, ex qua 10
certò dignoſci poſſit, quandonam ex vitio materiæ, contractus, & negotiatio ſit inualida, non tantùm irritanda, aut illicita, & iniuſta: quod in ſingulis verè contractibus inquirendum eſt; gemina tamen in vniuerſum tradi poteſt.

Prima eſt, quando vitium illud materiæ impedit, ne eius dominium in alium transferatur; ſiue quia eius tranſlationem ius naturale impedit, vt in venditione rei alienæ, aut ſpiritualis contingit: ſiue quia ius poſitiuum talem contractum irritat, & inualidum reddit, & non tantùm irritandum eſſe dicit: tunc enim contractus, & negotiatio circa illam nulla neceſſariò eſt, cum neque vnus illam ſibi comparare, neque alter ſua traditione illius

eum

eum dominium facere queat. Expendenda igitur erunt verba, & mens legis prohibentis certam aliquam negotiationem, ſine ratione rei, ſine ratione perſonarum,& præſeribentis certam aliquam formam, aut modum illius; an ſint verba irritantia, an prohibentia duntaxat: an actum irritum,& pro infecto habendum, an irritandum, ſine annullandum, & nullum declarandum eſſe præcipiant: an forma, quam præſcribunt actui, & contractui ſit ſubſtantialis,an verò ſolùm accidentalis. Quæ omnia monuimus illo *cap.2. lib.3.* vbi verò omnibus iſtis expenſis non ſatis conſtabit de mente legis, & de validitate, aut inualiditate illius contractus, & negotij, conſulenda erit praxis, & vſus ſapientum, an videlicet ſoleant eiuſmodi contractus ſuſtineri, emendata illorum iniquitate, ſi quæ fuerit: an verò ſoleant haberi pro inualidis, taleſque declarari à foro externo. Non poſſumus enim meliorem habere legum interpretem, quam ſapientum vſum, aut fori externi iudicium, cui poſſumus nos, & debemus aptare; niſi manifeſtò appareret iniuſtitia ſententiæ, aut iudicij, aut ſola præſumptione duceretur, nobiſque contraria veritas certò comperta foret.

Altera regula eſt, vt inſpiciamus, an contractus negotiationis illius: ſit inualidus circa omnes effectus,an verò validus circa aliquos: ſiue an nullos omninò effectus, an verò aliquos habeat. Si primum, erit prorsùs inualidus: ſi ſecundum, dicitur validus, vti oſtendebamus in venditione rei alienæ, quam Iuriſconſulti, eoſque ſequuti Theologi, validam eſſe concedunt, non quidem quoad translationem dominij in emptorem, qui eſt tamen eius præcipuus effectus; ſed quoad obligationem venditoris, ad euictionem, & ad reparandum intereſſe emptoris, à quo tamen repetere non poterit venditor rem à ſe venditam, quamuis mala fide: niſi emptor conſcius fraudis, totum periculum euictionis, & damnorum conſequentium in ſeſe ſuſcepiſſet, tunc enim ad nihil obligaretur venditor emptori, vt diximus. Quoties igitur contractus habebit aliquos effectus, licet non habeat omnes, quos habere deberet, validus erit,& non omninò nullus.

ARTICVLVS II.

De Mercibus.

Merx quid. 1. 2.
Quid ſint venales, quid venalitas. 2.
An pecunia ſit merx. 3.
An dos ſit merx. ibid.
An legatum. ibid.
An in generali hypotheca comprehendantur merces. 4.
Promercales res. 5.

PRæcipua negotiationis materia merx eſt: ab illa enim dictos eſſe mercatores, qui præcipui ſunt inter negotiatores, monuimus *cap.3. art.3.*

1 *Mercis appellatio*, inquit Vlpian. *l.66. D. de verbor. ſignific. ad res tantùm mobiles pertinet*: ideoque Alexand. *conſil.* 36. reſpondit abſurdum non eſſe, ſi legem municipalem, quæ à ſocio initum mercatum ratum habere mandat, de re tantùm mobili intelligeremus, quandoquidem mercatus à merce deducitur: quare vbi merx non eſt, neque mercatus erit. Quod diſplicet Aleiato *comm. in eam l.* eò quod mercatum potiùs à mercari, quàm a merce deriuari exiſtimet. Et *in l. 107. D. eod.* idem Alciat. definit mercatorem, qui negotiationis exercendæ, quæſtuſque faciendi causâ merces emit, vt vendat. Ideoque, cùm quis conducit, & locat poſſeſſiones, mercator non eſt, quia eæ merces non ſunt: neque qui vinum, oleum, triticum, & alias fruges in ſuis agris collectas vendit,quia non emit vt vendat.

Non tamen omnes res mobiles, quamuis venales mercis nomine continentur: nam homines, 2
& ſeruos eo nomine non deſignari refert ex Mela African. *in l. 207. D. de verbor. ſignific.* Ideóque mangones non mercatores, ſed venalitios appellari: venalitij verò ſunt, qui quæſtus causâ venalitiarum rerum negotiationem exercent, inquit Alciat. *in illam l.207.* ſunt autem venalitiæ res, quæ in vſum indigentium propoſitæ, venales ſunt: quapropter, qui ipſas à mercatoribus minutatim emunt,vt rursùs vēdant,venalitij ſunt,quos nos *καπήλους cap.1. art.2.* nominabamus,& ab *ἐμπόροις* diſtinguebamus: ſic & propolæ, & annonarij, quique a ruſticis eſculenta emunt, vt deinde vendant, venalitiarij ſunt. Verum quamquàm venalium nomen commune ſit omnibus rebus, quæ mercis numero, aut pro merce habentur, in iure tamen abſolutè poſitum reſtringitur ad ſeruos nouitios: ſic Pompon. *in l.11. D. de negot. geſtis*, dixit. *venales nouitios coëmere*, & Venulei. *in l.vlt. D. de adilitio edicto. Quicumque ex venalitio nouitiorum emptus, alicui miniſterio prepoſitus ſit, ſtatim eum veteratorum numero eſſe*: nouitium ſiquidem ſeruum veteratori opponebant, quod aliàs monuiſſe me memini. Plin. *lib.35. cap.17.* agens de creta: *Eſt & viliſſima, qua circum producere ad victoria notam, pedeſque venalium trans mare aduectorum denotare inſtituerint maiores.* Solebant enim mancipiorum pedes creta ſignare: vnde Iuuenal.

Nuper in hanc vrbem pedibus,qui venerat albis.

Tibullus idcircò gypſatos pedes vocat, & Ouid. in amoribus.

Nec tu ſi quis erit capitis mercede redemptus
Deſpice gypſati nomen inane pedis.

Hos itaque ſeruos Plin. vt vides nominat abſolutè venales,& Quintil. *declamat. 338. cum fortè videret puerum venalibus interpoſitum, & cognouit,& agnitus eſt.* Sueton. *lib. de claris Rethorib. Venalitij cum Brunduſij gregem venalium è naui educerent, formoſo, & pretioſe puero, quod portitores verebantur, bullam, & prætextatam togam impoſuere: facile fallaciam celarunt: Romam venitur, res cognita eſt, petitur puer, quod domini voluntate fuerit, in libertatem.* Inde venalitia familia, quæ venalis eſt, *l.ſed ſi 31. §.fin. D. de donat. inter vir. & vxor.* & Sueton. *in Aug. cap.41. Magna quondam ſterilitate, ac difficili remedio, cùm venalitias familias, & laniſtarum familias vrbe expuliſſet.* Venalitia quoque pro mancipiis eiuſmodi vſurpantur. Vlpian. *l.5. §. fin. D. de iure delib.* qui poſſit etiam ea, quæ nimium ſumptuoſa ſint, velut iumenta, aut venalitia; item ea, quæ mora deteriora fiant, vendere. Qui ſeruorum, & venalium negotiationem exercebant, venalitiarij dicebantur, vt diximus ex African. *l.107. D. de verbor. ſignific.* aut vitam venalitiam exercere, ab Vlp. *l.1. §.1. D. de tributor.* aut venalitij. *l.vlt. D. de adilit. edict.* Cicero orat. pro Cornel. Balb. *Neque diuitiæ me mouent, quibus omnes Africanos,& Lælios*

multi

mulei venalitij, mercatoreſque ſuperarunt. vbi vides venalitios à mercatoribus diſtingui. Græci *σωματέμποροι*, & peculiari quoque voce mangones. Sen. *lib.4. de beneſic. cap.13. mercator vrbibus prodeſt, medicus agris, mango venalibus*. Sueton. Auguſti libidines enarrans *cap.69. Conditiones quæſitas per amicos, qui matresfamilias & adultas ætate virgines denudarent, atque perſpicerent, tanquam Thoranio mangone vendente*. Solebant enim, ne quæ vitia corporis laterent, venalibus veſtimenta detrahi, dum emebantur, vt ait Seneca: dicitur & aliqoando mango venalitius, qui ſeruos venales expoſitos emere præoccupat, vt cariùs vendat: ita verò appellatos exiſtimat Alciat. quod homines agant in manum, id eſt in poteſtatem, quamquàm ea vox non pertinet ad ſolos venalitios, ſed ad aliarum quoque mercium negotiatores; vnde illud Senecæ. *Mangones ſi quod eſt, quod diſpliceat, lenocinio abſcondunt*. Plin. *lib.37. cap.vlt.* mangones gemmarum dixit, & *lib.24. cap.6.* mangones terebinthina reſina corporum gracilitatem emendare, & *lib.21. cap.26. hyacinthus in Gallia eximiè prouenit, radix eſt bulbacea, mangonicis venalitiis pulchrè nota, quæ è vino dulci illita pubertatem coercet, & non patitur erumpere. lib.30. cap.5.* eoſdem mangones, ait, vti ſanguine, & teſticulis agnorum, qui caſtrantur, vt lanugo tardior ſit pubeſcentium. *lib.32. cap.10.* meminit cuiuſdam Salpe obſtetricis, quæ variis medicamentis, quæ ibidem enumerat, *pueros mangonizans*, id eſt pueros pubeſcere negauit mangonio. Solebant enim mangones, quò pueros cariùs venderent, ne tam citò pubeſcerent impedire, aut etiam illos caſtrare: vnde Martial.

Non puer auari ſectus arte mangonis.
Millia pro puero centum me mango popoſcit.

Vlpian *l.17. §. D. ad l. Aquiliam. Et ſi quis puerum caſtrauerit, & pretioſiorem fecerit, Viuianus ſcribit ceſſare Aquiliam*. Id porrò factum etiam à mangonibus ſignificat Quintilian. *lib.5. cap.12. Mancipiorum negotiatores forma puerorum exciſa virilitate lenocinantur, &c. Sed mihi naturam intuenti, nemo non vir, ſpadone formoſior erit; nec tam aduerſa vnquam videbitur ab opere ſuo prouidentia, vt debilitas inter optima inuenta ſit: nec id ferro ſpecioſum fieri putabo, quod ſi naſceretur, monſtrum erat, libidinem iuuet, ipſum effœminati ſexus mendacium, &c.* Quare id fieri, malus etiam Princeps Domitianus inhibuit, de quo Sueton *cap.7. caſtrari mares vetuit, ſpadonum, qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt*. Vnde Stat. Sylu 4.

Qui caſta Cereri diù negata
Reddit iugera, ſobriaſque terras,
Qui fortem vetat interire ſexum.

Et Martial. lib.6. Epigram. 2.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tædæ,
Luſus & immeritos execuiſſe mares,
Vtraque tu prohibes Cæſar, populiſque futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude iubes.

Et

Plus debet tibi Roma, quod pudica eſt.

Vide & Xiphilin. *in Domitian.* Ammian. Marcel. *libro 18.* & Iuſtin. *apolog. 2.* ab hac igitur mangonum arte, qua pueris, puelliſque, quo faciliùs vendi poſſent, colorem fuco inducebant, & robur inani ſagina mentiebantur, atque eunuchiſmum procurabant, mangones dicti ſunt mercium interpolatores, qui & equos mangonizant, eos mangones Græci *ἱπποκάπηλους* dicunt, & qui corpora arte einſmodi colore quodam fuco induunt, mangonizare dicuntur. Plin. *lib.23. cap.1. Succus radicis vitis nigræ, cum eruo, lætiore quodam colore, & cutis teneritate mangonizat corpora.* Hinc & mangonici quæſtus, qui eiuſmodi artificiis, & fraudibus parantur: Sueton. *Neceſſarióque ad mangonicos quæſtus ſuſtinendæ dignitatis causâ deſcendit.* Hinc denique mangonium artificium quod ad merces faciliùs vendendas, & ad illudendum emptori adhibetur. Plin. *lib.10. cap.50. nec tamen in hoc mangonio quidquam totum placet.* Ex quibus tandem omnibus colliges, mercis nomine non deſignari in iure res omnes venales, etiam mobiles, quamuis in latiori ſignificatione vulgari iſtæ voces vix accuratiùs diſtinguantur, ſed omnia, quæ mercis locum habere poſſunt, & materiam negotiationi ſuppeditare, mercem nominemus.

Quæritur tamen primò an pecunia eo nomine 3
aliquandò deſignetur: poſſe enim pecuniam in quibuſdam contractibus, mercis, & non pretij tantùm vicem ſubire, fuſiùs oſtendimus *lib.3. c.4. art.5. num.3. opere de vſuris.* & quidem Bald. *in l. cum proponas. C. de nautico fœnor. num.3.* exiſtimat, quotiès nauis proſcribitur ratione illicitarum mercium, proſcribi quoque pecuniam in ea contentam, quia in caſu illius legis, erat pecunia mutuata, quæ tamen fuit proſcripta cum mercibus; negat tamen idem Bald. legem municipalem, quoties de mercibus loquitur, ad pecuniam extendendam: ſed hanc diſtinctionem reiicit Straccha *1. par. de mercatur. num.75.* quia nulla ratio eſt, propter quam nomen mercis alio modo ſumi debeat in iure communi, quàm in municipali, in hocque ſit ſtrictior mercis ſignificatio, quàm in iure communi. Ideoque exiſtimat idem Straccha *num.76.* mercis quoque nomine pecuniam contineri, quandoquidem habemus ex conſtanti iure mercem de mobilibus dici, & pecuniam inter mobilia numerari æquè certum ſit: quod probat pluribus ex Decio. Nam *in l. ſi chorus 79. §.1. D. de legat.3.* legatis mobilibus, nummi repoſiti, qui mutuo dandi erant, non continentur; ergo alij omnes nummi legati cenſebantur: & ibidem additur, nummos præſidij causâ repoſitos, intelligi legatos, eamque eſſe omnium opinionem. Hoc tamen argumentum, quod Straccha fortiſſimum appellat, mihi infirmum videtur: nam licet pecunia inter res mobiles cenſeri debeat, & merces ſola mobilia deſignet, non tamen omnia mobilia, immò neque omnes res venales, mercis nomine perpetuò deſignantur, vti nuper oſtendimus. Itaque quærendum vlteriùs reſtat, an inter ea mobilia, quæ mercis nomine propriè ſignificantur, numeranda ſit pecunia, quandoquidem licet mobilia mercis nomine appellentur, non tamen omnia: & quidem cùm voces in frequentiori ſignificatione accipiendæ ſint, & paſſim in iure pecunia non deſignetur nomine mercis; neque etiam in ſtatutis municipalibus deſignabitur, niſi aliunde ampliandam eſſe mercis ſignificationē, & ad pecuniam extendendam, variis ex coniecturis colligatur: neque quidquam iuuat Straccham *l. ſi chorus* nuper allata, ex illa enim colligitur duntaxat, pecuniam contineri nomine mobilium, quia vox illa abſolutè poſita, mobilia omnia complectitur, inter quæ numerari pecuniam nemo negat, quamquàm ſi diligentiùs eam legem expendamus, videmus in quæſtione poſitum eſſe, an mobilium legato nummi continerentur, ideoque id fuit explicandum, & confirmandum adhibita diſtinctione nummorum, qui repoſiti erant

præſidij tantũ cauſâ, ad obuias videlicet neceſſitates: & qui mutuo dandi, repoſiti erant, priores enim legari dixit lex, non iſtos; cuius diſcriminis rationẽ non adeò facilè, niſi fallor, aſſignabunt interpretes, cum hi omnes nummi eſſent in dominio teſtatoris, & inter mobilia cenſeantur: cur igitur legatum æquè omnes non comprehendit, quandoquidem teſtator nullos excepit, & verba legati æquè omnes deſignent? quod enim dici poſſet, nummos fœnori, aut mutuationi deſtinatos, iam fuiſſe quodammodò in dominio mutuatarij, ineptum eſt; deſtinati quidem erant, vt alterius domini fierent, nondum tamen illius facti erant: vnde tam legato mobilium ſignificabantur, quam merces, aut alia mobilia, quæ deſtinarat teſtator alicui donare, aut vendere. Verùm quidquid ſit de diſcrimine horum nummorum ex variis cauſis repoſitorum, vt legato mobilum contineri, aut excludi dicantur; vnde non probatur aliud ea lege, quàm pecuniam in mobilibus cenſeri, non tamen nomine mercis, idcircò neceſſariò deſignari, ſiue in iure communi, ſiue in ſtatuto municipali; quare conſulendus erit communis vſus, & frequentior eiuſmodi vocum acceptio.

Secundò quærit Stracchà 1. *part. citata, num.* 78. an dos mercantia diceretur in lege municipali: quod ſapienter negat ex Bartol. quia dos non eſt contractus quæſtuarius ſicut mercantia; neque pecunia dotalis merx eſt: quod tamen non probat Straccha. Cur enim ſi pecunia merx ſit, pecunia quoque dotalis merx non erit, ſed dotalis? num enim in dotem merces dari poſſunt, ſicut & nomina, aliáve mobilia? quare dixerim ideò pecuniam dotalem mercem non eſſe, quia in eo contractu eſt potiùs pretium: dicebantur enim coëmi vxores, vti fuſiùs oſtendimus *opere de vſuris, lib.* 4. *cap*....

Tertiò legatum non contineri ſtatuto, quod iubet ex qualibet mercantia, & negotiatione quodpiam vectigal ſolui, probat fuſiùs idem Straccha *citata parte* 1. *à num.* 80. ex Barthol. contra Iaſonem, qui ſubdubitabat, quando in ſtatuto adhibebatur particula *qualibet mercantia*, quia eiuſmodi vox videretur comprehendere omnes, & quoſcumque modos, etiam minùs proprios mercantiæ. Verum nullus numerauit legata inter mercantias, etiam minùs proprias, niſi per ſummam vocum abuſionem, alioqui omnes rei cuiuſcumque diſpoſitiones, mercantiæ ſaltem minùs propriæ dici poſſent, & ex omnibus illis vectigal deberetur, vbi aliquod eiuſmodi ſtatutum de qualibet mercantia haberetur.

4 Quartò an in generali bonorum omnium hypotheca merces quoque, & venalia cætera veniant, diſputat Stracch. poſt titulum mandati, & venire contendit, cùm hæc quoque omnia ſi rogatus eſſet, obligaturus fuiſſet, qui obligat omnia ſua bona, & nulla ſit ratio, quæ eximat ab eiuſmodi generali hypotheca merces, ſicut neque cætera mobilia: de quibus vide quæ diſputauimus opere de vſuris *lib.* 3. *cap.* 7. *de hypothecis*.

His omnibus addendum eſt, à merce deduci mercimonium, quod & negotiationem, ſiue contractum, qui fit in illa, ſignificat: vnde dicitur impia mercatio, ſiue infame mercimonium; & aliquando ipſam mercem, vnde Plaut. *in Amphytr. vt nos in veſtris voltis mercimoniis emundis, vendundiſque me lætum lucris efficere.*

5 Promercales res interpretatur Angel. Politian. res ſimpliciter venales: vnde dixit promercale imperium; quam ſignificationem reiicit Alciat. *lib.* 1. *prætermiſſor.* cùm ait non generaliter venale ſignificare, ſed quod præter ſuos vſus, venale paterfamilias habet, allegatque Catonem, & Columell. alioquin cùm Paulus *l.* 10. *D. de impenſ. in res dotal. fact.* ſcripſit, *ſi in re promercali impenſæ factæ ſint, non voluptarias, ſed vtiles eſſe*: omnes impenſæ vtiles eſſent, quæ in aliquam rem factæ eſſent naturâ ſua vendibilem: idem exiſtimat Bud. & Tiraq. *de vtroque retract.* §. 1. *gloſſ.* 7. *n.* 10. vbi de auro promercali.

ARTICVLVS III.

Conſectaria ex duobus proximis articulis.

Consectarium I. *Caſus ſingulares circa negotiationem ex re aliena.*
II. *An homo liber poſſit eſſe materia commerciorum, & negotiationis.*
III. *De commercio, & negotiatione mancipiorum.*
IV. *De negotiatione, & commercio ſanctorum cadauerum.*
V. *De nundinatione humanorum cadauerum ad medicamenta.*
VI. *De negotiatione humanarum carnium ad cibos.*
VII. *De nundinatione cadauerum ad ſepulturam.*
VIII. *Nundinatio carnium, & aliarum partium viuentis.*
IX. *De negotiatione per eunuchiſmum.*
X. *De negotiatione ex rebus illicitis.*
XI. *Caſus ſingulares ex ſuperiori cõſectario.*
XII. *De negotiatione lenonum, & lupanariũ.*
XIII. *An lucrum ex negotiatione cum damnone partum, retineri poſſit.*

EX his, quæ paucis de materia negotiationis in vniuerſum explicuimus, nonnulla colligemus hoc loco: cætera ex ſingulis deinde tractationibus illaturi.

Consectarium I.

Caſus ſingulares circa negotiationem ex re aliena.

Cuius ſit lucrum partum ex re furtiua numero 1. 2.
Lucrum ex adulterata teſſera quale. 3.
An venditor rei alienæ teneatur reſtituere pretium. 5. 6.

DIximus *artic.* 1. *conc.* 2. in tertia conditione, quam requirebamus in materia, vt negotiationi idonea foret, venditionem, & diſtractionem rei alienæ non eſſe validam quoad tranſlationem dominij in eum, qui rem eiuſmodi ſibi comparat: vbi tamen venditor ſolus conſcius eſt, aut ſaltem vbi emptor ignarus eſt illius vitij, venditionem 1
illam

illam eſſe validam quoad obligationem euictionis, & totius intereſſe emptoris, quam ſubit venditor, qui etiam nequit aduerſus emptorem agere, & ab illo rem repetere. Et præterea pretium rei alienæ ita diſtractæ acquiri venditori, neque in ea re committi inæqualitatem, quandoquidem pro eo pretio venditor obligatur emptori de euictione, vti diximus eo loco, & opere de vſuris *lib.* 1. *cap.*... vbi quæreremus de bonis per vſuram acquiſitis; ex quibus has ſingulares difficultates diſſolues.

2 Primò igitur, ſi fur, aut quis alius iniuſtus poſſeſſor, ex alienis pecuniis, aut ex re aliena à ſe vendita comparatis negotietur, & quidpiam lucretur, totum illud lucrum eius erit, quia illud non eſt fructus rei, aut pecuniæ alienæ, ſed induſtriæ ex illa negotiantis, qui tamen perſonaliter obligatur, tum ei, à quo rem illam, aut pecunias abſtulit, vt totum damnum, atque intereſſe reſarcire cogetur: tum aliis v. g. emptoribus, aut campſoribus, ſi ab illis pecuniæ illæ, & res euincantur. Ita S. Thom. 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Adrian. *de reſtitution. vbi de vſura, in* 3. *dub.* Richard. *in* 4. *diſt.* 15. *art.* 5. *q.* 6. Paludan. *in ead. diſt. q.* 2. *art.* 5. & Scot. *ibid.* Couarr. *lib.* 3. *reſolution. cap.* 3. *num.* 6. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 327. *concl.* 2. & *diſp.* 719. & 720. *n.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 111. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. & *tract.* 4. *cap.* 17. *n.* 22. & alij, quos adduximus citato opere *lib.* 1. vbi de reſtitutione vſurarum; & iterum obſeruabimus inferiùs in appendicibus. Vbi de reſtitutione fructuum rei alienæ.

3 Secundò cum quis falſa, & adulterina, vel corrupta aleæ teſſera vſus lucrum facit, cuius partem ſocio fraudis quidem conſcio, ad illam tamen non cooperanti donauit, non tenetur ille ſocius ad reſtitutionem, ſi ille luſor pecunias per fraudem cõparatas, cum ſuis miſcuerit: ita Medin. *q.* 10. *de reſtitution.* & Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. *num.* 22. eo quod illa mixtione pecuniarum totius illius cumuli dominium acquiſiuerat: verùm de eo dominio per mixtionem, & confuſionem acquiſito fuſiùs diximus opere citato *lib.* 1. *cap.*... vbi de dominio vſurario. Itaque ratio noſtri conſectarij hoc loco eſt, quod cùm qui accepit dono pecunias, quas luſor ille per fraudem acquiſierat, & cum ſuis miſcuerat, non poſſit diſtinguere, an pecuniæ ſibi donatæ, eſſent illæ ipſæ, quæ fraude comparatæ fuerant, an illæ, cum quibus commixtæ erant, non poteſt obligari ad illas ipſas, quas accipit reſtituẽdas, neque etiam ad alias, quia donator poteſt fraudem, quam fecit, & damnum, quod intulit reparare: & donatarius certus non eſt, ſe habere rem alienam, quamuis aliquid dono acceperit ex eo cumulo pecuniarum, in quo erant aliquæ, quæ non erant donatoris.

4 Tertiò Titius centum ludouiceis furtiuis equũ à Sempronio furti ignaro emit, quod vbi illius pecuniæ dominus comperit, pretium equi, ſiue centum illos nummos ſibi ſubductos à fure, repetit à Sempronio: qui ſi illos aut conſumpſit, aut cum ſuis miſcuit, non tenetur ipſos reſtituere: ex Medina *quæſt.* 10. *de reſtitution.* Sanch. *lib.* 2. *in decalogo. cap.* 23. *num.* 15. Petr. Nauarr. *lib.* 4. *de reſtit. cap.* 1. *n.* 7. Sair. *lib.* 10. *clauis, tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 13. Vaſq. *de reſtitut. cap.* 9. §. 2. *dub. vlt.* Layman. *l. c. n.* 23. quia cùm bona fide proceſſerit, non obligatur ratione iniuſtæ acceptionis, neque ratione rei acceptæ, quam non poſſidet, cùm ipſam conſumpſerit, aut eius per confuſionem cum ſuis rebus dominiũ acceperit, aut ſaltem à ſuis ſeiungere nequeat, neque inde factus fuerit locupletior: ſuppono enim, equum iuſto pretio venditum eſſe, ac proinde per illam venditionem equi non eſt factus ditior Sempronius. Neque obiicias cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 18. *n.* 157. & *l. Marcellus*, §. *Pomponius*, *D. de rei vindic.* & § *ſi duorum, inſti. de rerum diuiſion.* vbi duorum dominorum materiæ confuſæ ita fuerint, vt ſeparari nequeant, vtrique vindicationem pro parte ſua competere: nam præter ea, quæ circa eam legem *loco citato* diximus, Reſpondeo cum Layman. aliquid ſingulare in hac parte reperiri ſtatutum circa pecunias: cùm enim illæ perpetuò ab vno in alium tranſeant, perpetuò dubitaremus, an noſtræ pecuniæ ſimus veri domini, & an . . . quæ fortaſſis alienæ ſint.

Quartò qui bona fide rem alienam etiam furtiuam vendidit, neque inde factus eſt ditior, non tenetur deinde domino, vbi comparuerit, pretium reſtituere, cum neque obligetur ratione rei acceptæ, quæ neque ipſa, neque vllum ex ea emolumentum apud ipſum extet, neque etiam ex iniuſta acceptione, cùm in ea nullam iniuſtitiam, aut iniuriam commiſerit: ſic Caietan. *verb. reſtitutio*, negat illum, qui inuitatus ad cœnam bona fide de alieno vitulo comedit, æqualem ſumptum domi ſuæ facturus, teneri ad reſtitutionem: ſi autem hic alienæ rei venditor, ea venditione locupletior euaſerit, totum illud lucrum domino reſtituere debet, vice ipſius rei, cuius eiuſmodi lucrum fructus aliquis eſt; neque enim ex re aliena diteſcere debemus: ſi tamen lucrum ex induſtria vendentis potiùs quam ex ipſa re proueniſſet, quia v. g. in alium locum vbi rarior erat, detulit, aut quidpiam circa illam præſtitit, vnde cariùs vendidit; illum exceſſum, quo ditior fuit factus, tanquam ſuæ induſtriæ fructum ſeruare ſibi poterit. 5

Quintò vbi venditor comperit rem à ſe bona fide venditam, alienam eſſe, non tenetur monere emptorem, vt eam domino reſtituat, quia non obligatur cum pari ſuo damno curare vt alteri reſtituatur, quod ſine ſua culpa fuit alienatum, teneri tamen emptori de euictione, ſi res euincatur, aut domino reſtituatur, exiſtimat Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 133. quod poſtremum negat Caietan. *verb. reſtitutio.* Nauarr. verò *cap.* 17. *n.* 7. & 8. exigit tantùm, vt venditor cedat emptori actionem de euictione aduerſus primum venditorem, iuxta *l. in creditore, D. de euictione*; quod aliqui intelligunt modò ea actio poſſit eſſe vtilis emptori, ſecùs verò ſi futura ſit omninò inutilis, quia aut primus venditor deceſſit, aut ſoluendo non eſt, aut non comperitur. Communior, veriorque eſt ſententia Leſſij, quam ipſe fuſiùs confirmat *cap.* 14. *dub.* 5. quia emptorem indemnem ſeruare tenetur venditor, vt ſi vitrum à fure pro gemma emptum, alteri eodem pretio vendidiſſet, reuerà de damno teneretur emptori. Neque ſatisfacit Nauarr. dum reſpondet, in eo caſu vitium eſſe intrinſecum rei venditæ, de quo venditor tenetur: at verò rem venditam eſſe alienam, pertinere ad vitium extrinſecum, de quo non obligetur venditor. Nam vnde oriatur emptorem eſſe rationabiliter inuitum, & pati damnum, atque iniuriam, atque propter fraudis ignorantiam inuoluntariè contrahere, inualidum omninò erit pactum, & reſtituto pretio reſcindendum, aliáve ratione prouidendum emptoris indemnitati, quoties ex ea emptione damnum patitur, vt dixi: nam ſi accepta re non ampliùs compareat, in Indiam v. g. nauiget, ibique re aliena nuper empta, tanquam propria vtatur, ad nihil ipſi tenebitur venditor, 6

ſicut neque ſi bona fide pretium conſumpſit, neque ditior euaſit, vt iam monui. Immò ſi emptor domino proprio reſtituat antequam venditori rem exhibuerit, non teneri ad pretium reddendum, exiſtimat Leſſ. *cap.14.cit.* maximè ſi venditor, vti ferè contingit, damnum inde incurrat, quia v. g. pretium non poterit recuperare à domino, vti facere potuiſſet, ſi rem ſibi ab vltimo redditam, ipſemet domino reſtituiſſet. Verùm de hac quæſtione, & aliis circa emptorem, & venditorem rei alienæ, quæ ferè ad obligationem reſtituendi pretij, aut rei pertinent, commodiùs agemus *in Appendicibus*, vbi de reſtitutione: interim adi Sanch. *lib.2. in decalog. cap.23.n.15.* Laym. *lib.3.tract.4, cap.17. num.24.*

Consectarium II.

An homo liber poſſit eſſe materia commerciorum, & negotiationis.

Homo ſui iuris alteri ſe vendere poteſt. n.1.
An parentibus liceat vendere liberos. 2.
Cauſa huius venditionis. 3.4.
An matri liceat liberos vendere. ibid.
An Reſpublica poſſit aliquem hoſti reddere ſeruum. 5.
Alij quidam vendi ſoliti à P. R. 6.7.

1 Certi iuris eſt vnum hominem ſibi alterius dominium comparare poſſe, quod ex legitima ſeruitute iure gentium inducta, de qua commodiori loco hoc ipſo opere diſputabimus, manifeſtum fit. Hinc verò neceſſariò colligitur hominem poſſe commerciorum, & negotiationis idoneam eſſe materiam, quandoquidem illius dominium ab vno in alium venditione, aliòve contractu ſiue gratuito, ſiue oneroſo, & lucratiuo, ſicut cæterarum rerum, & mercium, aut quaſi mercium, transferri iure poteſt; quia tamen circa hanc negotiationem aliquæ controuerſæ ſolent excitari, eas hoc loco definire placet.

Et primò quidem qui ſui iuris eſt, ſe alteri in ſeruum vendere poteſt, quod Hebræis permittit Deus Leuit. 25. *verſ.36.* propter paupertatem: & quamuis anno Iubilæi finiretur illa venditio, ſicut & reliquorum omnium, ſi tamen eiuſmodi ſeruus vxorem à domino accepiſſet, ex eaque liberos ſuſcepiſſet, tum vxor, tum liberi durante ſeruitute ſuſcepti, ſerui remanebant, ſoluſque parens libertati reſtituebatur; ideóque ſi captus coniugis, & liberorum amore, ne illos deſereret, libertatem recuſaret, vbi coram Iudicibus ſuam mentem teſtatus fuerat, perforatis ad oſtium domus ſubula auribus, ſeruus perpetuò remanebat. *Exod.* 21. Germani vbi ludo omnia perdidiſſent, nouiſſimo iactu de libertate, & de corpore contendebant, victique voluntariam ſeruitutem adibant, vt Tacitus *lib. de morib. Germanorum*, narrat. De veteri more oppignerandi corpora, & libertatem fuſiſſimè diſputauimus *opere de vſuris lib.3. cap.7. art. 3. à num.7.* quibus adde eundem morem apud Gallos viguiſſe. Sic enim habet Cæſar *lib. 6. de bello Gallico. Plerique cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuriâ potentiorum premantur, ſeſe in ſeruitutem dicant, nobilibus in eos eadem omnium ſunt iura, quæ dominis in ſeruos.* Denique iure ciuili licere cuique ſeipſum vendere aliis conſtat ex *l.1.D.quibus ad libert. proclamare non licet: l.libertis, D.de liberali cauſa: l. & ſeruorum, D. de ſtatu hominum,* & *§. ſerui autem, inſtit. de iure perſonarum.* Ratio eſt, quia cùm quis ſit dominus ſuæ libertatis, poterit illam abiicere, & cum re alia commutare eiuſdem valoris, v.g. cum vita, quæ auferri poterat, aut periclitabatur aliunde, vt dum quis captus ab hoſtibus occidi poterat, & mulctatur ſola libertate, & ſeruatur, vnde ſerui nomen deduci volunt. Deinde qui inopiâ preſſus nequit aliter ſuam vitam ſuſtentare, & ſeruare, quàm addicta libertate ſeruanti. Denique à priori probat Delugo *diſp.6.de iuſtit.num.14.* quia ſeruitus aliud non eſt, quam obligatio, omnes ſuas operas, & obſequia alteri in omnem, & totam vitam impendendi: ſicuti igitur poteſt ſe aliquis anticipata mercede obligare ad ſeruiendum per annum, quod deinde facere ex contractu, atque adeò ex iuſtitia tenebitur: ita poterit ſe obligare ad eadem obſequia, eaſdemque operas per longius tempus, atque adeò in totam vitam. Hæc tamen ratio non videtur efficax, ex ea enim ſequitur quidem, aliquem poſſe ſuas operas, & obſequia vendere in totam vitam, non tamen in ſeruitutem: alia enim erant iura dominis in ſeruos, alia in famulos, vt conſtat; ideircò Deus etſi probabat, permittebatque eam ſeruitutem inter Hebræos, eam tamen molliebat, cùm prohibebat *Leuit.* 25. ſeruos eiuſmodi affligi per potentiam. *Non affliges eum*, inquit, *per potentiam*: aut vt alij vertunt, *Non dominaberis in eum cum duritia: non comprimes eum ad extenuationem: non ſubiugabis eum in fractione*: hoc eſt ne rigido illo ſeruorum iure tractarentur. Vera igitur ratio eſt, quia cùm quis eſt dominus ſuæ libertatis, ex duobus malis pœnæ, minus eligere ſapienter poteſt, vt diximus. Ne tamen plures ſua iſta libertate abuterentur, nonnullas conditiones ſapienter præſcripſerunt leges, ſine quibus eiuſmodi venditio non ſubſiſtet; nempè, vt qui venditur ſciat ſe eſſe liberum: ſit maior viginti annis: non ſeipſum quidem vendat, ſed ab alio vendi permittat ad participandum de pretio, illudque reipſa participet, & qui illum vendit, ſciat eſſe liberum, qui verò emit, putet eſſe ſeruum: vbi tamen ius Cæſareum non obligat, venditio eiuſmodi, conditionum defectu non erit inualida: ita Delugo *diſput.6. de iuſtit.num.14.* Leſſ. *lib.2.cap.5.dub.4.num.5.* Rebell. *lib.1.quaſt.9.n.9.* Molin. *tract.2.diſput.33.* Ferdinand. Acaſtro *diſput. vnic. de iuſtit. punct. 9. num.5.* Sylu. *verb. ſeruitus, quaſt.3.* Angel. *verb.eod.* Quare non tenebitur dominus etiam oblato pretio ſeruitutem eiuſmodi ſeruo reſtituere.

Secundò, iam olim apud Romanos licuit patribus vendere filios: quod Tull. *lib.1.de orator.* teſtatur iis verbis. *Memoria enim proditum eſt, quem pater ſuus, aut populus vendidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium* Et *orat. pro Cacinna. Quid quem pater patratus dedit, aut ſuus pater vendidit, quo is iure amittit ciuitatem? vt religione ciuitas tollatur, ciuis Rom. traditur, qui cùm eſt acceptus, eſt eorum, quibus eſt deditus, &c. ſi pater vendit eum, quem in ſuam poteſtatem ſuſceperat, ex poteſtate dimittit.* In hoc tamen iure patriæ poteſtatis nonnunquam variatum eſt: & initio quidem Romulus patri permiſit omnem poteſtatem animaduertendi in filium, ſi quid pœna dignum commiſiſſet, ita vt illũ occidere, aut vẽdere poſſet; & quod ad hoc poſtremũ maior fuit patris in filiũ, quàm domini in ſeruũ poteſtas. Seruus 2
enim

Digitized by Google

enim venditus, deinde à nouo domino libertatem adeptus, ſui iuris fiebat: filius verò à patre venditus, ſi liber fieret, rurſus in patris poteſtatem recidebat, & poſt tertiam demum venditionem eximebatur à poteſtate: ita Dionyſ. Halic. lib. 1. qui non ſatis explicat, an legem Romulus ea de re tulerit, an verò id moribus vſurpari permiſerit: quod poſtremum veroſimilius eſt: ſcribit enim Pomponius *l. 2. de origin.* Popolum Romanum ſine certa lege, ſine iure certo primùm agere inſtituiſſe, omniaque manu à Regibus gubernata fuiſſe. Verùm ſiue conſtitutione Romuli, ſiue moribus duntaxat inductum eſſet hoc ius patriæ poteſtatis circa filiorum venditionem, illud abrogauit ſua Sanctione Numa, vetuitque parentibus filios ſuo conſenſu connubio iunctos vendere: quod idem Dionyſ. teſtatur, additque eum deinde antiquum liberos vendendi morem à Decemuiris *in l. XII. tabular.* relatum fuiſſe: ſic enim habet. *Patri Endo liberis iuſtis ius vitæ, neciſque, venundandique poteſtas, ſi pater filium ter venundauit, filius à patre liber eſto.* Verùm magnam facit difficultatem Conſtitutio Conſtantini *Cod. de Patria poteſt.* Vbi affirmat, libertati à maioribus tantùm impenſum eſſe, vt patribus, quibus ius vitæ in liberos, neciſque poteſtas olim permiſſa erat, ius non eſſet libertatem iis eripere: quare ſuſpicantur aliqui, ius illud nequidem ſub Regibus viguiſſe, & *l. XII. tabular.* de emancipatione per imaginariam venditionem interpretantur: ſed quid ad Tullium reſpondebũt, qui diſertè aſſerit, patres vendidiſſe liberos, eiſque nullum fuiſſe poſtliminium. Quare dicunt alij Cõſtantinum duntaxat ſignificare, non licuiſſe patribus filios ſuos in ſuam ſeruitutem redigere, quod coactum omnino eſt: negat enim Conſtantinus licuiſſe patribus libertatem filiis eripere, ſiue ſua, ſiue alterius causâ.

Tertiò itaque reſpondet Ræuard. ad *l. XII. tab. cap. 3.* libertatem à Conſtantino pro ingenuitate vſurpatam fuiſſe, quia ita filij à patribus vendi, & ſeruituti addici poterant, vt tamen ſalua ipſis maneret ingenuitatis prærogatiua: & deinde manumiſſi inter ingenuos, non autem inter libertinos cenſerentur. Quod ipſum affirmat Paul. *lib. 1. ſent. tit. 1. Qui*, inquit, *contemplatione extremæ neceſſitatis, aut alimentorum gratiâ filios ſuos vendiderint, ſtatui ingenuitatis eorum non præiudicant: homo enim liber nullo pretio æſtimatur.* Verum Paulus ad poſteriorem Cæſarum ætatem, à quibus iſtud inſtitutum fuiſſe nemo ignorat, alludit: quare dicendum eſt cum Hotman. *comm. in hanc l. XII. tabul. lib. 3. antiq. Roman.* trinam illam venditionem, cuius meminit l. illa XII. tab. pertinere ad emancipationem, quæ per trinam venditionem imaginariam fiebat: quod diſertè affirmat Vlpian. *titul. regul. X. liberi parentum poteſtate liberantur emancipatione. id eſt, ſi poſteaquam mancipati fuerint, manumiſſi ſunt: ſed filius quidem ter mancipatus, ter manumiſſus ſui iuris fit: id enim l. XII. tabularum iubet his verbis. Si pater filium ter venundauit, filius à patre liber eſto: cæteri autem filij præter filium, tam maſculi, quam fœminæ, vna mancipatione, manumiſſioneque ſui iuris fiunt.* Non potuit clariùs ſuam mentem explicare Iuriſconſultus circa intelligentiam huius legis, & trinæ illius venditionis. Quod ipſum diſertiùs explicat, & modum illius tradit Caius *lib. 1. inſtitution. tit. 6. Filius maſculus tribus emancipationibus de poteſtate patris exit, & ſui iuris efficitur: emancipatio autem, hoc eſt manus traditio, quædam ſimilitudo venditionis eſt, quia & in emancipationibus præter illum, hoc eſt certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iſte naturalis pater filium ſuum fiduciario patri mancipat, hoc eſt manu tradit, à quo fiduciario patre, naturalis pater, vnum, aut duos nummos, quaſi in ſimilitudinem pretij accipit, & iterùm eum acceptis nummis fiduciario patri mancipiat, & tradit. Hoc ſecundò, & tertiò fit, & ſic de patris poteſtate exit.* Addit hanc emancipationem, quæ quõdam ante Præſidem fiebat, ſua ætate ante Curiam fieri, præſentibus quinque ciuibus Romanis teſtibus, & aliis duobus, qui vice libripendentis, & anteſtati fungantur, ſintque adeò ſeptem teſtes: *Vbi autem tertiò mancipatus fuerit filius à patre naturali, fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, vt ei à fiduciario patre remancipetur, & à naturali patre manumittatur, vt ſi filius ille mortuus fuerit, ei in hæreditate naturalis pater, non fiduciarius pater ſuccedat.* Fœminæ verò, vel nepotes maſculi ex filio, vna emancipatione de patris, & aui exeunt poteſtate: quod *in ea l. XII. tabular.* contineri, neque Vlpian. neque Caius ſignificant: vnde verò deriuatum id fuerit, non conſtat. Ex his tãdem omnibus colliges, verè dixiſſe Conſtantinum maiorum ætate parentibus fuiſſe ius in vitam filiorum, non in libertatem, cùm illis temporibus venditio ipſorum realis non eſſet, ſed imaginaria, quam & Decemuiri, *in l. XII. tabul.* retinuerint, & diutiùs communis vſus obſeruauerit, vti oſtendimus ex Cicerone.

Eiuſque venditionis cauſam idoneam fuiſſe, vt parentes ſuæ ſuccurrerent inopiæ, omnes æque cõſentiunt: quod apud Hebræos vſurpatum quoque fuiſſe conſtat ex Nehemia, ſiue *lib. 1. Eſdræ.* vbi populus fame oppreſſus ita queritur. *Filij noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.* Sanè in antiquis fabulis huius commercij veſtigia habemus: nam apud Ouid. 8. *Metam.* Eriſicthon poſt dilapidatas opes filiam tandem vendidit.

——Et tandem demiſſo in viſcera cenſu,
Filia reſtabat, non illo digna parente,
Hanc quoque vendit inops.

Huic deinde venditioni modum aliquem poſuerunt Imperatores: nam Conſtantin. *in l. 2. C. de patrib. qui filios diſtrax.* permittit parentibus egeſtatis causâ liberos ſanguinolentos vendere: ſic enim omninò legendum eſt cum Tiraq. *lib. de retract. gentilit. §. 26. n. 16.* Alciat. *lib. 2. de verb. ſignif.* & Hotman. non verò vt Accurſ. aliique complures; neque improbat Conarr. *lib. 3. variar. cap. 14. n. 4. ſanguinolentus*: quaſi pater, qui vendit liberos ſit ſanguinolentus, hoc eſt, vt interpretantur, ſanguine, & capite puniendus. Alij alia comminiſcuntur parùm appoſitè: at verò ſi legamus infantes ſanguinolentos, perſpicuus erit ſenſus, ſunt enim ſanguinolenti infantes recens nati, vt colligitur ex *C. Theodoſ. lib. 5. tit. 7. de expoſit. l. 1.* & *lib. 3. tit. 8. de his, qui ſanguinolentos emptos, vel nutriendos acceperint.* ἐξ ὠδίνων τῶν μητρώων infantes à ſanguine, & vt ait Iuuenal. ſat. 7.

——modo primos incipientes
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentes.

Græci ἀρτιγενεῖς, & ἀρτιβλαστεῖς vocant: Donat. *in Andriam.* à matre ſanguinolentos dixit. Hinc Capitolin. in Albino. *Exemptus vtero, quòd contra conſuetudinem puerorum, qui naſcuntur, & ſolent rubere, eſſet candidus, Albinus dictus eſt.* Referunt aliqui veterem collectionis formulam apud Eccleſiam S. Martini. *Nos in Dei nomine matricularij S. Martini, dum mane ad oſtia ipſius Eccleſiæ obſeruan*

obſeruanda conueniſſemus, ibi infantulum ſanguinolentum inuenimus, & per triduum, an quiſquam ſuum eſſe diceret perquaſiuimus; nullo inuento, Cato nutriendum eum dedimus, vt eum in ſuo ſeruitio iuxta legis ordinem retineat, pro quo pretium accepimus ſolidorum decem. Vides, non modò parentes, ſed etiam alios, qui infantem expoſitum ſanguinolentum repeɾiſſent, vbi de eius Patre fruſtra per triduum inquiſiuiſſent, potuiſſe illum vendere alteri in ſeruum. Ex hac porrò Conſtantini conſtitutione colligunt aliqui, non licuiſſe parentibus liberos adultos vendere propter egeſtatem, ſed ſolùm ſanguinolentos: verùm cùm eadem reperietur ratio, vtique licebit etiam adultos vendere, vti argumentatur Couarrun. *loc. cit.* quod certum eſt, ſi ſolum ius naturale ſpectemus, idque docent Sot. *lib.4. de iuſtit. quaſt. 2. artic. 2.* Tiraq. *de retract. gentil. §. 26. num. 17.* Azor 3. *part. lib. 8. de emptione, cap. 6. quaſt. 5.* quia filij obligantur ſuam libertatem parentum vitæ poſtponere. Et ſanè ann. 450. imperante Valentiniano III. tam dira fames vniuerſam Italiam vexauit, vt parentes liberos venderent ad emendos cibos: quare idem Valentinian. conſtitutionem edidit anno ſequenti, menſe Ianuario, qua permittebat parentibus filios redimere, *adiectione quinta, hoc eſt, vt quinto ſolido vnus adderetur, decem duo, ſimiliter creſcente numero, quamcumque ſummam venditio facta deſignaret*: vetuitque barbaris vendi, aut ad tranſmarina duci, qui ſecùs faceret, ſex auri vncias fiſco penderet. Huiuſmodi verò pueros redemptos ingenuitatem retinere præcepit. *Refertur poſt Cod. Theodoſian. in lib. 2. Nouell.* At verò controuerſia eſt de lege Conſtantini, quæ ſolam infantium ſanguinolentorum venditionem permittere videtur, neque abſque cauſa, quia liberi iam adulti poſſunt ſuis operis, & labore parentum inopiam ſubleuare, neque ad hoc vendi debent: quod ſi nihil ſuis operis promouere poſſent, inutiles forent domino, qui proinde illos vix emeret. Sanguinolentus autem infans nequit aliter ſuccurrere ſuis parentibus: communior tamen ſententia negat hanc Conſtitutionem conſtantinianam, patriam poteſtatem ad infantium duntaxat ſanguinolentorum venditionem reſtringere.

4 Deinde ius Cæſareum hanc poteſtatem facit ſoli patri, non matri, in cuius poteſtate non ſunt liberi, & ad ſubleuandam duntaxat egeſtatem: at verò ius naturale id etiam permittit matri: neque ſolam egeſtatem requirit, ſed quamlibet aliam cauſam æqualem: ita Molina *diſput. 33. num. 21. tract. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 5. num. 17.* Couarrun. *citato loco.* Rebell. tamen 1. *part. lib. 1. quaſt. 9.* & Ferdin. Acaſtro *de iuſtitia, diſp. vnic. p. 9. num. 6.* negant patres poſſe diſtrahere liberos in ſeruos propriè dictos, ſed ſolùm in famulos: cùm enim pater non habeat ius dominij in liberos, ſed ſolius iuriſdictionis, ius, quod non habet, alteri concedere nequit. Quòd verò dicunt Molin. & Leſſi. filios eſſe fructus parentum, à quibus vitam acceperunt, ac proinde poſſe illis frui, & vti ſicut ipſimet filij, qui cùm ſe in ſeruos vendere poſſint, poterunt & eos parentes vendere in ſimilem ſeruitutem. Hæc inquam argumentatio non vrget, quia poſſunt vti parentes ad ſuam ſuſtentandam vitam, filiorum operâ, & laboribus, etiamſi illos in ſeruos vendere nequeant, ſed ſolùm in famulos. Deinde etiam filios emancipatos poſſent ſic vendere: quod tamen leges prohibent, vt ſtatim dicam. Denique quia inde non oſtenditur, parentes eſſe dominos libertatis liberorum, quare mirum non eſt, quod filius poſſit ſe vltrò ſeruum alterius facere; & tamen pater eidem ſeruituti filium addicere nequeat: quare ſi quid poteſt pater circa hanc ſeruitutem, id non poteſt, niſi ex iure poſitiuo, quod patriam poteſtatem ampliauit, vel ex filiorum conſenſu.

Neque permittunt leges hanc poteſtatem patri, niſi circa filios, qui ſunt in eius poteſtate: vbi enim vel ſunt emancipati, vel eorum libertas cum aliis ita implicita eſt, vt ſine eorum damno tolli nequeat, nihil circa ipſam poterit pater, v.g. circa filium vxoratum, aut clericum, eius enim ſeruitus & vxori damno eſſet, & Ordinem clericalem maximè dedeceret. Denique filius à patre ex eiuſmodi legitima cauſa venditus, poterit, vbi ad fœliciorem fortunam venerit, cogere, vt ſeipſum redimat: quod iidem DD. fatentur, & Felin. *in cap. cum dilecta, de reſcriptis in octaua fallentia.* Ipſe etiam filius ſe redimere poteſt, & quilibet alius iuſtum pretium offerendo, vel aliud mancipium: & filius ita redemptus redibit ad ingenuitatem, vti edicit *l. 2. C. de patrib. qui ſuos filios diſtraxer.* vide plura apud DD. nuper allatos, & Sanch. *lib. 1. conſil. cap. 1. dub. 3. à n. 2.* Cæterum diù perſeuerauit hic mos: viguiſſe enim tempore Maximini refert Euſeb. *lib. 9. hiſtor. cap. 8.*

Licuit etiam Reipublicæ, aliquem in ſeruum hoſtibus dedere: quod monebamus nuper ex Tull. *orat. pro Cinna. Quid quem pater patratus dedidit, aut ſuus pater vendidit, quo is iure amittit ciuitatem?* & c. dedebãtur autem hoſtibus, qui cum eis pacem fecerant, quam Populus Romanus ratam habere nollet: eam deditionem pater patratus fecialium princeps patrabat, eique nullum erat poſtliminiũ, etiamſi illam hoſtes non recepiſſent, vt ait Cic. *lib. 1. de oratore*, agens de hoſtilio Mancino, de quo fuit magna ea de cauſa controuerſia, cuius meminit idem Cic. *lib. 3. de offic.* & *in topicis.* atque Pomponius *in l. vltim. D. de legationib.* Plutarch. *in Gracchorum vita*: Liu. *lib. 55. & 56.* Valer. *libr. 1. capit. 6.* habes etiam de Veturio & Sp. Poſthumio, qui à Samnitibus dediti, repudiati ſunt, apud Liu. *lib. 9.* An verò homo obſes dedi poſſit, & in ſeruum, ſi pacta non ſeruentur, vide Felin. *in cap. ex reſcripto, de iureiurando, num. 6. 7. & 8.* 5

Moris fuit apud Romanos, vt qui conſcripto exercitu citatus non reſpondebat, vnà cum bonis ſuis omnibus venderetur: apud Valer. Maxim. *lib. 6. c.* Vatienus qui ſibi ſiniſtræ manus digitos, ne bello Italico militare cogeretur, abſciderat, publicatis bonis in perpetua vincula damnatus eſt. Meminit & alterius, quem M. Curius conſul vnà cum omnibus eius bonis vendidit: de quo etiam agit Florus *lib. 14.* Sueton. *in Auguſto cap. 23.* ait, ipſum plurima in re militari ad antiquum morem reuocaſſe. *Equitem Romanum quòd duobus filijs adoleſcentibus causâ detrectandi ſacramenti pollices amputaſſet, ipſum, bonaque ſubiecit haſtæ, quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto ſuo addixit, vt relegatum in agro, pro libero eſſe ſineret.* Fuiſſe autem illũ morem, vt qui militiã detrectarent, debilitato aliquo membro, ipſi ſe inhabiles redderent: atque ita ſæpiùs parentes filios debilitabant, vt eos militia ſubtraherent, quos parentes deportari iuſſit Traianus, vti teſtatur Arrius Menander I.C. *in l. 4. §. 11. & 12. D. de re militari.* Fortunatianus Rethor refert, decem milites tem- 6

pore

pore belli pollices ſibi amputaſſe, & læſe Reipublicæ reos eſſe. Marcellinus de Gallorum moribus loquens negat, quemquam illorum ſibi pollicem præſcidiſſe, vt munus Martium in Italia caueret, eoſque apud ipſos vocati iocularitet Murcos. Auguſtum porrò, qui Equitem Romanum eo quòd filios ita debilitaſſet ad vitandam militiam, haſtæ vna cum ſuis bonis ſubiecit, veterem morem ſequutum fuiſſe conſtat ex his, quæ iam retulimus, & *ex l.4. mox. citata.* Dionyſ. Halic. *lib.*8.& denique Tull. pro Cæcinna. *Iam populus cùm eum vendidit, qui miles factus non eſt, ei non adimit libertatem, ſed iudicat non eſſe eum liberum, qui vt liber ſit, adire periculum noluit.* Vide & quid ſimile apud Francos ſeruatum, *lib.4.legum Francic. cap.*71. adi & Duaren. *lib.*1. *diſp.*4. domus enim ſimilium, & villæ diruebantur. Denique apud Græcos eadem pœna punitum fuiſſe detrectantem militiam obſeruauit vetus ſcriptor apud Suidam: quòd verò Auguſtus illum Equitem ſuo liberto addixerit, eò quòd videret Publicanos imminere emptioni, cauſa fuit, quòd cùm Publicani eſſent ex Ordine Equeſtri, illique Equiti fauerent, eum emere volebant, vt ſtatim dimitterent: quod vt caueret Auguſtus, addixit ſuo liberto, qui illum relegatum in agros pro libero eſſe ſineret, quæ relegatio pœna ſeruorum, qui dominum offenderent, erat, teſte Vlpian. in *l.*35. §.3. *D. de heredib. inſtituend. ſi ſeruus miſſus fuerit in villam, interim illic futurus, quia dominum offenderat, quaſi ad tempus relegatus, reponſum eſt, eum ad villa legatum non pertinere.* Liuia apud Dion. inter leuiores pœnas, quibus ciues ab Octauio puniri voluit, non prætermiſit, κατάκλειſιν ἐν ἀγρῷ.

7 Incenſi quoque vendebantur à Republica. Dionyſ. Halicar. *lib.* 4. ait tantùm illos virgis cæſos fuiſſe, bonis primùm publicatis: Verùm Vlpian. in titulis id diſertè affirmat. *Maxima*, inquit, *capitis diminutio eſt, per quam ciuitas, & libertas amittitur, veluti cùm incenſus aliquis venierit.* Et Tull. *pro Cæcinna. Cùm autem incenſum vendidit, hoc indicat, cùm ij, qui in ſeruitute iuſta fuerũt, cenſu liberẽtur, eũ, qui liber eſſet, cenſeri noluerit, ipſũ ſibi libertatẽ abiudicaſſe.* Eſt enim incenſus, qui cenſũ ſuum non eſt profeſſus, eo enim ipſo videtur ſibi libertatem abiudicaſſe, vt ait Cicero, quandoquidem ipſi ſerui dum voluntate domini cenſebantur, libertatem conſequebantur. Vnde illa apud eund. Ciceron. *lib.*1. *de orator.* controuerſia. *Quid de libertate, quo iudicium grauius eſſe nullum poteſt, nonne ex iure ciuili poteſt eſſe contentio, cum quæritur, is, qui domini voluntate cenſus ſit, ſi luſtrum non ſit conditum, ſitne liber?*

Ciues Romani, qui capitale crimen admiſiſſent, verberibus cæſi, deinde ſi Romæ eſſent, trans Tyberim venundabantur: qui autem flagris cædebantur ſub præcone, aut ſi remiges eſſent, ſub portiſculo, ſeu κλοιῷ: vnde Horat.

Sectus flagellis hic triumuiralibus
Præconis ad faſtidium.

Atque ex his ferè cauſis homines liberi vendebantur: de oppigneratione verò diximus *opere de vſuris*, vti initio monui.

Consectarium III.

De commercio, & venditione mancipiorũ.

*Licita mancipiorum venditio.*1.
*An oblato pretio, à morte, aut mutilatione liberatus poſſit in ſeruum retineri.*2.
*De commercio mancipiorum Braſilorum, & Æthiopum.*3.
An Chriſtiani ſerui eſſe poſſint infidelium. 4.

NEmo dubitat, mancipiorum, & ſeruorum, qui legitimam, & iuſtam ſeruitutem ſeruiunt, negotiationem licitam eſſe, niſi quidpiam aliud, vti in cæteris negotiationibus, contingit, officiat. Neque hanc communem, certamque ſententiam, cuiuſque veſtigia in toto iure canonico, & ciuili vbique leguntur, ampliùs confirmare neceſſe eſt: & ſi quæ ſint circa venditionem aliquam peculiarem difficultates, aliunde quàm ex ratione ſeruitutis, & vendibilitatis petuntur, & ad alias materias pertinent, ad quas digredi ineptum foret: pauca tamen hoc loco annotanda veniunt. 1

Et primò quidem quæritur, An eum, quem oblato pretio, à morte, aut graui mutilatione imminente redemiſti, poſſis tibi in ſeruum perpetuum aſſerere. Reſpondet Molina *tract.* 2. *diſp.* 33. id poſſe. Primò quoties ille iuſtè morte, aut mutilatione mulctandus erat, quia ea commutatio in perpetuam ſeruitutem, pietatis quoddam genus erit. Secundò quoties per iniuriam mutilandi, aut mactandi ſunt, ſi poſſis eos abſque pretio liberare, ad id obligaris; neque propter præſtitum illud officium pietatis, potes illius libertatem tibi vindicare, immò ſi liceat huic miſero pretium ſoæ liberationis mutuò dare, non debes illo libertatem ipſius emere, quandoquidem proximi defenſio, cum minima eius iactura exerceri debet. Si denique pretium liberationis dari mutuò minimè poteſt, quia non affulget vlla ſpes futuræ aliquando ſolutionis, ob inopiam redimendi, aut magnitudinis pretij; expendi vult Molina, an ſpectato communi valore rerum, & mercium aliarum, in eo loco pretium illud attingat valorem perpetuæ ſeruitutis: non licebit enim aliam ab illo ſeruitutem exigere, quàm eam, cuius valor ſufficienter compenſabitur illo pretio: ſi enim æquiualeat ſeruituti perpetuæ, illa exigi poterit; ſi verò tantùm æquale ſit temporali ſeruituti, illa duntaxat erit poſtulanda. Quod idem docuit Nauarr. *cap.* 23. *n.*95. idque probare videtur aperta ratio: cum enim eo caſu non obligeris eum miſerum redimere tuis expenſis, poteris iure poſtulare, vt in compenſationem pretij à te ſuppeditati, tot tibi præſtet officia, quot valet illud pretium. Atqui illud adæquat perpetuam ſeruitutem: ergo ſub conditione illius dari poterit, ſiue illo emere licebit perpetuam ſeruitutem, alioquin non licuiſſet quondam parentibus liberos in ſeruos vendere, propter inopiam, qua premebantur, tum quia eo caſu ipſe emptor tenebatur gratis ſuccurrere, tum quia illa alimenta non adæquaſſent valorem libertatis, aut ſeruitutis perpetuæ, quæ illis emebatur. Denique cùm obligatio miſericordiæ ſit ſolùm ex charitate, non ex iuſtitia, non peccabis contra iuſtitiam, neque iniuriam facies illi, cuius libertatem pretio tibi redimes, eſto pecces fortaſſis contra charitatem, quæ tunc te obligabat, vt eius miſeriæ ſuccurreres. Exiſtimat nihilominùs Ferdinand. Acaſtro *diſp. vnic. de iuſtit. punct.* 9. *num.*8. non poſſe miſeros eiuſmodi homines, etiamſi pretium, quo à morte aut mutilatione imminente redimuntur, adæquetur perpetuæ ſeruituti, in eam ſeruitutem emi, ſed 2

quandoquidem nulla eſt ſpes futuræ vnquam ſolutionis, gratis pretium illud ipſi concedendum eſſ, quia tunc ſunt in extrema neceſſitate, & cui tenemur, quæ ad eam vitandam neceſſaria ſunt, non ex charitate modò, ſed etiam ex iuſtitia ſuppeditare, quandoquidem prima rerum diuiſio facta non eſt, niſi ſub ea conditione implicita, vt extremè indigenti applicarentur. Iniuſtus igitur eſt, qui propter pretium alicui debitum illi libertatem eripit; ſi tamen labore ſuo, & operâ ipſum non dedecente, pretium compenſare poteſt, tenetur ad eam compenſationem, ſicut etiam ſi ad pinguiorem fortunam deueniret: at verò ſeruitus & obſequia ex illa debita ingenuum dedecent, quare nequis ſub obligatione ſeruitutis, & ſeruilium obſequiorum, redemptionis pretium illi concedere: neque illi eam conditionem, vt potè duriorem, quàm poſtulet æquitas, tenentur acceptare. Ideoq; parentibus extremè indigentibus, eaque de cauſa liberos vendentibus, neque habentibus vnde pretium illud aliunde compenſarent, tenereris gratis ſubuenire, neque filios emere poſſes. Conſtitutio verò Conſtantiniana, & antiquiores etiam leges eam venditionem permiſerunt patribus in grauiſſima, non in extrema tamen neceſſitate conſtitutis, alioquin illis etiam titulo iuſtitiæ ſuccurrendum eſſet. De externa, & graui neceſſitate vide quæ diximus *diſquiſit.2. de clauſura regulari, c.2.à num.36.*

3 Quæritur ſecundò, an licitum ſit commercium mancipiorum, quæ ex Braſilia, Æthiopia, & Indiis tum orientalibus, tum occidentalibus Hiſpani, & Luſitani in Europam tranſuehunt. De hac quæſtione fuſiſſimè diſputant Molin. *tract. de iuſtit. diſput. 34.35.& 36.* Rebell. *1.p.lib.1.q.10.* Azor *3 p.lib.8. de emption. cap.6.q.5.* Sanch. *lib.1. conſil cap.1.dub. 4.* Nauarr. *cap.23. n.96.* Fagund. *de iuſtitia lib.2. cap.1.2.3.& 4.* aliique DD. Hiſpani, quos conſulas, qui ferè damnant eam emptionem à mercatoribus in Æthiopia, Braſilia, aliiſque eiuſmodi locis factam, cum ferè illi iniuſtè facti fuerint ſerui: qui verò aliquem iam in Europam deuectum emunt, cùm probabiliter exiſtiment à primis mercatoribus legitimè emptum fuiſſe, pro ratione illius probabilitatis peccant, aut non peccant: at verò qui ex Iapponiis, Sinis, aliiſque eiuſmodi regionibus, in quibus vix eſt vſus eiuſmodi ſeruitutis, emunt in ſeruos, peccant ferè ſemper, cùm iniuſta ſeruitute plerumque detineantur. Ita diſtingunt allati DD. quibus adhæſit Ferdin. Acaſtro *citata diſp. vnic. de iuſtit. punct.9.num.11.* Nobis huic toti explicandæ controuerſiæ diutiùs immorari non placet, cùm infame illud commercium iamdiù à noſtra Gallia exulet, cum etiam ſerui vbi Galliam attigerint, libertatem conſequantur: quod fatetur ipſe Rebell. *lib.1. quæſt.13. num.7.* cuius tamen parum aptam rationem reddit, ne ſcilicet *pauperibus indigenis, quibus regnum abundat, deſint heri, à quibus ſuſtententur, ſi aliunde ſerui conquirantur.* Quod idem ex ipſo retulit, adeóque probauit Ferdinand. Acaſtro *diſp. vnic. citata, p.11. ſub fin.* & Delugo *diſp.6. n.39.* quaſi verò ſoli Gallicani opima, & fertilis gleba non ſufficiat tum indigenis pauperibus, tum ſeruis aliunde comportatis alendis, cum ſuo etiam frumento, ita Hiſpaniæ, & Luſitaniæ inopiam, & infertilitatem ſuſtentet, vt ſi Gallica deſit annona, inopia laborent.

4 Quæritur Tertiò an ſerui chriſtiani ſeruire poſſint infidelibus, aut hæreticis, vel Iudæis. Reſpondetur, non poſſe, & vindicandos: ſic definit Conc. Aurelian. III. cap.10. & Conc. IV. cap.8. & Matiſcon. I. cap.10. Toletan. IV. c.64. vide Siman. *de iuſtit. catholic. tit.61 .n.10.* Bann. *2.2. q.40. dub.1.* & alios paſſim: idque ſapienter inſtitutum eſt ob periculum perueſionis quod erit in famulis, quare de eo agemus commodiùs alibi. Cum enim ſeruitus illa non ſit in vſu in Gallia, neque ferè in Europa, niſi in Hiſpania, & Luſitania, illis eam controuerſiam agitandam lubentes relinquimus.

CONSECTARIVM IV.

De negotiatione, & commercio Sanctorum cadauerum.

An oſſa ſacra ſint materia ſimoniæ. n. 1.
Reliquiarum venditio prohibita. 2.3.

SOlent humana cadauera vendi tribus de cauſis. Primò ad ſacrum cultum, & venerationem. Secundò ad medicamenta morborum, vel cibos. Tertiò ad ſepulturam: quæritur itaque, an iſtud commercium licitum ſit.

Et quod attinet ad Sanctorum oſſa, & cineres, 1
quibus venerationem, & cultum ſacrum exhibemus, & quas eam ob rem magno ſæpiùs ſtudio comparamus, illa conſtituunt materiam ſimoniæ, vt diximus *tract. de ſimonia, q.12. conſect.4.* quandò non accipiunt aliunde ſuam æſtimationem, quàm ex relatione ad animam ſanctam, & idcircò habent connexionem antecedentem cum rebus ſpiritualibus, vti eo loco fuit expoſitum: poſſunt tamen vendi ratione capſarum, quibus includuntur, modò non pluris æſtimentur, quòd huius, aut illius Sancti partes ſint, tunc enim foret manifeſta ſimonia: quæ omnia loco citato ſunt explicata. Vide Sanch, *lib.2. in decalog. cap.41. n.22.* Fagund. *lib.1. in Eccleſ. præc. cap.4. n.27.* Suar. *tract.2. de relig. lib.4. capit.14. num.14.* & *tom.1. in 3.p. diſp.55. ſect.2.* Aug. Triumph. *de poteſtat. Eccleſ. q.17. art.6.* Azor, Filluc. Reginald. & alios, quos dabit Diana *4.p. reſolut.223.* Redoan. *tom.15. tract. DD. c.4. de ſimonia mentali*, & alios. Quare non immeritò damnandi ſunt, qui, vt ſuæ ſeruirent cupiditati, turpi nundinatiune Sanctorum reliquias furto ſubreptas diſtraxerunt, qui & ſæpiùs deprehenſi, puniti ſunt, aut etiam diuinitùs aliquandò caſtigati. Narrat. Folcard. Abbas in vita S. Berthulphi *c.24. 25.26.& 27. apud Suri. tom.5. vita SS.* quomodò quidam Britannus, nomine Electus, oſſa S. Berthulphi ſubripuerit, & aliorum SS. reliquias, vt eas Adelſtano Anglorum Regi ingenti pretio diuenderet; qui tamen ab Arnulpho Marchione deprehenſus, & mulctatus fuit. Refert quoque Æginardus Luniſonem quemdam acceptis quatuor nummis, & quinis argenti ſolidis, capſam B. Marcellini, nebuloni cuidam præsbitero Heduinni Abbatis dediſſe, Romam conquirendi reliquias causâ miſſo, vt ex illa capſa quid vellet auferret. Habet & Matthæus Pariſ. *in Hiſtor. Angl. edit. Pariſ pag.307.* de quodam Anglo clerico ſacelli Balduini Imperat. Conſtantin. qui Imperatore mortuo aufugit cum plurimis reliquiis, quas magno pretio in Anglia diſtraxit. S. quoque Audoenus *in vita S. Eligij lib.2. cap.56.* refert quemdam clericum Nouiomenſem, qui conceſſas à Nouiomenſibus quaſdam S. Eligij reliquias ciuibus vendidit ad ornandam Baſilicam, quam eidem Sancto exexerant, & noluit niſi accepto pretio auferri; quod

vbi

Digitized by Google

vbi in ſinum coniecit, repentino incendio correptus, non niſi oleo ab monumentum S. Eiegij liberatus eſt. Quod idcircò accidiſſe, ait S. Andoen. *loco cit. Vt pudefiat, & reprimatur ſimilium improba cupiditas, qui non verentur exacta pecuniâ, Sanctorum reliquias venundare.* Quinimmò eò proceſſit mangonum quorundam improbitas, & audacia, vt impia nundinationo ſuppoſititias reliquias pro veris ingenti pretio diuenderent. De ſuppoſititio S. Auguſtini, ab eius corporis cuſtode Ticini, dato cuidam nobili viro Senenſi, narrat Ioſeph Pamphilus, Epiſcopus Segnienſis, *in chronic. FF. Eremit. S. Auguſtini, ad an.* 1477. & Iordan. de Saxon. *ſerm.* 59. *&* 64. *de S. Auguſt tranſlat.* De alio quodam eiuſmodi ſycopbanta, & falſarum reliquiarum propala agit Baron. ad an. Chriſti 1227. Vvilhelm. *lib. 2. de geſtis Anglor. c.* 11. & fuſiſſimè Glaber. *lib. 4. cap.* 1. de alio ſycophanta Burdigalenſi. Gregor. Turon. *lib. 9. hiſtor. Franc. cap.* 6. De Adilberto, qui ſuos etiam capillos, & vngulas pro ſacris reliquiis dabat, ſcribit S. Bonifac. ad Zachariam Rom. Pont. apud Sirmiond. *tom. 1. concil. Gal. pag.* 553. Monachorum abominandas fraudes in hac parte refert Gregor. *lib 3. Regiſtri, ep.* 12. *&* 30. & aliorum quoque monacburum ſimiles mangonias deteſtatur S. Auguſt. *lib. de opere monachor. cap.* 28. de ſubdolo ſacerdote, qui frænum equi S. Thomæ Cantuarienſis ſuppoſititium, militi cuidam magno vendidit. Meminit. Manriq. *in annal. Ciſterci, ad ann.* 1173. ex Cæſario Heiſterbac. Vide & Neubrigenſ. *lib.* 5. *cap.* 20. *&* 21. de ſicario quodam ad furcam acto, ab inſana plebecula Londonienſi tanquam martyre culto, eiuſque reliquiis venerationis causâ diſtractis. Denique de quorumdam Sacerdotum hac in parte auaritia vide Ioannem Lucium *lib. 3. tit. 3. placit. Curia*, de Dominica Cruce ſubrepta ex adytis Palatini Sacelli Pariſienſis, an. 1576. Conſule Chopin. *lib. 3. de ſacra Politia, ſub fin.*

2 In hac mangonia, & inſana cupiditate, quam omnes iure meriro deteſtãtur coercenda plurimùm laborauit Eccleſia: in primis enim quarumcumque reliquiarum venditionẽ prohibuit Innoc. III. *in Conc. Lateran.* & refertur. *cap. final. de reliquiis.* quod ipſum ſtatuit Trident. *ſeſſ.* 24. *decreto de venerat. & inuocat. Sanct.* quod olim ſanciuerunt Imperatores. *Humanum corpus*, inquit Theodoſ. *nemo ad alterum locum transferat, nemo martyrem diſtrahat, nemo mercetur. l. vlt. de ſepulcr. violat. in C. Theodoſ.* & *in C. Iuſtino de ſacroſ. Eccl. l.* 3. *nemo martyr. diſtrahat. nemo mercetur.* Deinde ſolliciti fuere in inquirenda veritate, & aperiendis fraudibus: vt vides factum à S. Gregorio Romæ, atque eius mandato ab Auguſtino monacho in Anglia, quò illum miſerat. *Epiſt. ad Auguſt. interrogat.* 9. Synodo Turon. an. 1583. habita. Conc. African. cap. 30. Conc. Carthagin. I V. c. 41. Synod. Franc. Præſide Bonifacio ſub Zacharia R. P. apud Sirm. *tom.* 1. *Conc. Gall.* Ideoque non niſi probatas ab Eccleſia, & Epiſcopo reliquias coli, ſæpiùs ab illis, aliiſque vetitum, & nondum vindicatorum ſacra obſeruantia reiecta fuit. Vide quàm ſeuerè prohibeat Anſelm. *lib. 3. ep.* 51. virginibus Rumeſienſibus interminata ceſſatione à diuinis, ne exhibeant cultũ mortuo cuidam, quem ipſæ pro ſancto haberi volebant, iubetque mortuum illum à villa propelli: & tamen ſi Ioanni Picard. in ſcholiis ad illam epiſtolam credimus, erat ille Valdeoſus, vel Veldeoſus, Valdeſus, Valtheoſus nobiliſſimus Comes ob leuiſſimam ſuſpicionem coniurationis iuſſu Guillielmi Nothi capite damnatus, & miraculis clarus, quod ex Anglicanis ſcriptoribus demonſtrat: Verùm cùm nondum vindicatus ille eſſet, neque quæ circumferebantur miracula ab Eccleſia comprobata, iure merito ſacrum eius cultum prohibuit Anſelm. cuius menti conſentit decretum Synodi Londonenſis, ann. 1202. vti refert *ibid.* Picard. *Ne quis temeraria nouitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus, quod contigiſſe nouimus, ſine Epiſcopali auctoritate reuerentiam ſanctitatis exhibeat.* De ſagacitate S. Martini in detegenda eiuſmodi fraude, habet Sulpit. *in eius vita, cap.* 8. Denique ſancitum eſt, vt omnis quæſtus in exponendis Sanctorum reliquiis caueretur à Trid. *l. c.*

Quod tamen minimè impedit, ne gratitudinis ergo quidpiam impendi poſſit illas donantibus, quomodò interpretor factum Canuti magni Angliæ, & Daniæ Regis, qui Româ rediens brachium S. Auguſtini centum talentis argenti, & vno talento auri Papiæ ſibi comparauit. Licebit quoque ab hoſtibus redimere, maximè ab infidelibus, qua in re commendatur à Paulo Diacono *lib. 6. de geſtis Longobard. cap.* 48. Luitprandi Regis pietas, qui vaſtata Sardinia, ingenti pretio S. Auguſtini corpus redemit, & Ticinum tranſtulit. Quantus verò fuerit Principum, & procerum noſtrorum in conquirendis, & redimendis ſacris illis, eximiis in expeditionibus ad Palęſtinã, & Orientẽ ſuſceptis ardor, fuſiſſimè habet Matthæ. Pariſ. in hiſtor. Anglic. ad ann. 1191. & noſtri quoque paſſim annales: huius ardoris initium videtur referre Rupert. *lib.* 14. *comm. in Ioann.* ad milites Chriſti Crucẽ cuſtodientes, qui ſortiti ſunt illius veſtimenta, eo quod poſſent illa magno lucro diuendere diuitibus aliquot Chriſti diſcipulis. Verùm hactenùs de venditione humanorum cadauerum ad ſacrum cultum, ſiue de vendirione, & nundinatione ſacrarum reliquiarum: vide Ferrandum erudito opere diſquiſitionis reliquiariæ *lib.* 1. *cap.* 10.

CONSECTARIVM V.

De nundinatione humanorum cadauerum ad medicamenta.

Medicamenta varia ex humano corpore. 1.
Quid ſit mumia. ibid.
An vendi queant cadauera ad medicamenta. 2.
Abuſus ad magica. 3.

SEcunda nundinario humanorum cadauerum fit propter vſum medicamentorum, aut ciborum: plurima enim ex hominis corpore duci medicamenta, iam olim ſibi homines perſuaſere. Tritum illud ad Epilepſim, calidum ſanguinem ex 1
vulnere gladiatoris hauriendum. Qua de re vide Lipſi. *in Saturn. lib. 1. cap.* 21. & Plinium, qui alia permulta ex hominis corpore aſcita remedia proſequitur *lib.* 28. *c.* 1. & ſimùl monſtroſam, fœdamque, ac crudelem medendi rationem deteſtatur. Plurimam quoque vim medicam in cadaueribus quibuſdam aſſeruatis agnoſcunt Dioſcorid. *lib.* 1. *cap.* 83. Galen. *lib. 7. de medicam. facultat.* & Paul. Ægnita *lib.* 7. vnde verò ea vis iis corporibus accidat, diſputant Medici: eaque eſt illa, quam deinde Arabes mumiam dixerunt. Et licet Mathiol in

Digitized by Google

in Dioſeoridis *lib.1. cap.*83. Scalig. *exercit.*104. *n.*9. Philand. *ad lib.*8. *Vitru. cap.*3. & fusè Libau. 3.*par. ſingul.lib.*7.*c.*18. mumiam dixerint eſſe piſſaphaltum, id tamen ex eo facilè reiicitur, quòd piſſaphatum ſit quidpiam à natura progenitum, & nun factitium: mumia verò mixturam aliquam, & conditutam habeat. Itaque nihil aliud illam eſſe, quàm cadauera ab Ægyptiis plurimo aromate, atque aliis exſiccantibus condita, vncta, & inferta, atque exſiccata, & imputribilia reddita, & quaſi ænea, quæ gabbaras vocant, teſte Auguſtinu *ſerm.* 1 au. *de diuerſ. cap.*12. exiſtimauit Belluni. *lib. de funere medicato*, reiectis omnibus aliurum opinionibus. Mudum verò, quu fieret iſta conditura apud Ægyptios, fuſiùs deſcribit Herudot. *in Euterpe.* Diodor. *lib.*2. *bibl. cap.*5. atque ex illis, aliiſque eruditè ſuu more Theuphil. Raynaud. *tract. de incorruptilit. cadauer. cap.*6. *à n.*33. Tantam verò vim medicam mumiæ ineſſe dixerunt aliqui, vt illam de grauiſſimorum Medicurum ſententia perpetuò circumferret Franc. I. chriſtianiſſimus. Aliqui diſtingunt cum Scaligero *laudata exercit.* & Ludun. Guiunin *lib.*1. *variar. lection. cap.*5. duplicem mumiam, vnam, quæ eſt apud Ægyptios, Syros, & Arabes, conſtatque ex mirrha, & aloë, atque corporum ex iis conditurum materia, atque hanc mumiam vix ad nos deferri dicunt iidem authores, eo quòd non habeatur, niſi ex nobilium ſepulchris, quæ iſti effoſſores vix ſine capitis periculu viulare poſſunt. Alia verò mumia eſt, quam ad nos paſſim deferunt: illam exiſtimat Scaliger eſſe plebeiurum corporum ex alphaſtu condimentum, cui etiam immiſcere ſulent aliquid ex curpure medicato, variis aromatis farto, vti exiſtimat Bellonius, & alij nuper laudati: verùm quidquid ſtatuatur de natura mumiæ, quam omnes cunueniunt ex cadauere humano partim cunſtare.

2 Aio, cadauera humana, eorumque partes, ſi in vſum medicamentorum proſint (de mumia negant Guion. l.c. & Benodæus *lib.*3. *de materia medicam. cap.*1.) vendi poſſe, quia eiuſmodi medicamentorum vſus licitus eſt, etiamſi illis humanæ carnes immiſceantur: quod docent Valent. 2.2. *diſp.*9. *q.*3. *punct.*1. *verſ. Neque obſtat.* Sanch. *lib.*1. *in Decal. cap.*18. *n.*14. debent tamen abeſſe illæ circunſtantiæ, quæ nundinatiunem illam per ſeſe licitam inficere, & malam reddere poſſunt; nimirùm mangonia, & fraudes, quæ frequentes ſunt in hac parte. Deinde ne ea de cauſa fiant cædes, vti Ekius *c.*2. *adu. Iudaos.* narrat fieri à Iudæis, vt ſuis puerperis conſulant, quæ ſine ſanguine chriſtianu partum eniti nequeunt: infantes enim aut abactus à parentibus, aut à lamiis magno pretio coëmptos, venis exciſis, aut confixo corpore, aut prælu ſubactos torquent, vt ſanguinem exprimant, quem hauriunt puerperæ, & aliquando duratum mittunt ad loca, in quibus chriſtiani non degunt, vt ibi in puluerem redactum puerperæ hauriant.

Secludu deinde omnes abuſus, quorum primus eſt ad effrænatam quandam libidinem, quam in cadauere fœmineo inaudita ubſcœnitate aliqui exſaturarunt: quod de Periandro Laërtius: de Dimoete Parrhenius *in Eroticis cap.*31. de quodam veſpilone Vratiſlanienſi circa cadauer virginis peſte defunctæ, Libauius *tract. de cruentatione cadaueris, theſi* 245. de alio quodam ſæuiente lue Theophil. *cap.*6. *citato, n.*33. de Sigiſmundu Malateſta, Puntan. *lib. de imman. cap.*1. narrant, meminerentque acta S. Simeonis Stilitæ *cap.*10. Diuinæ in huiuſmodi ſpurcitiam vindictæ, & de tam infandi criminis pœna diſputant Iulius Clarus §. *fornicatio, num.*18. Paulus Fuſcus *ſingulari* 25. *litt. Q.* Nicol. Buer. *deciſ.*316. *à n.*20. Lelius de Zanchis *de priuilegiis Eccleſ. in* 135. *n.*38. Leſſi. *lib.*4. *cap.*3. *n.*1u. Ferdin. Acaſtro Palau *tract.*2. *diſp.*2. *punct.*13. *n.*5. & alij ſtatim adducendi. Sanè apud Ægypuus virurum cadauera illicò à morte condiebantur: mulierum verò maximè illuſtrium, & formoſarum, non niſi quarto ab obitu die, ne eiuſmodi effræni intemperantiæ daretur uccaſio.

Eſt & alius aliquandò abuſus circa humani corporis partes ad magica upera; neque id mirum: 3 magiam enim *primum è medicina natam* affirmat ex umnium cunſenſu Plin. *lib.*30. *cap.*1. *ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, velut altiorē ſanctioremque, quàm medicinam: ita blandiſſimis, deſideratiſſimiſque promiſſis addidiſſe vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus.* Sanè Apulei. *lib.*3. *metamorphoſ.* deſcribens officinam Theſſalæ veneficæ: *Omne genus ignorabiliter lamina litterata, infelicium nauium durantes claui, defletorum, & ſepultorum cadauerum expoſita multa ad medicum membra, hic nares, & digiti, illic carnoſi claui pendentium, ſiue ſuſpendio necatorum, alibi trucidatorum ſeruatus cruor, & extorta dentibus ferarum trunca caluaria.* Et libro ſecundo Mileſior. *Nam nec mortuorum quidem ſepulchra tuta dicuntur* (à Lamiis nempe, & veneficis) *ſed & buſtis rogis reliquia quadam, & cadauerum praſegmina, ad exitiales viuentium fortunas petuntur, & cantatrices anus in ipſo momento choragij funebris prapeti celeritate alienam ſepulturam anteuertunt.* Pergit deinde pluribus, & quàm cautè ſeruentur in Theſſalia cadauera mortuorum, ne eiuſmodi iniuriæ pateant. Nam illic *ſaga mulieres ora mortuorum paſſim demorſicant, eaque ſunt illis artis magica ſupplementa.* atque ea de cauſa ipſæ veneficæ pueros, aliuſque occidebant. Vide Horat. de Canidia *lib. Epod.* 17. at verò *Epod.*5. deſcribit infanticidium ab illa, & duabus aliis veneficis patratum.

Abacta nulla Veia conſcientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo poſſit infoſſus puer:
Longo die bis, terno mutata dapis
Inemori ſpectaculo,
Cum promineret ore, quantum extant aqua
Suſpenſa mento corpora.

Deinde ſubdit de maleficiu Philtrico ex infantis illius occiſi medulla, & iecure.

Exſucta vti medulla, & aridum iecur
Amoris eſſet poculum,
Interminato cum ſemel fixa cibo
Intabuiſſent pupula.

Quibus ſimilia fuſiſſimè deſcribit Lucan. *lib.*6. *Pharſalic.* de Erictho maga primi nominis, & omnis carminis ſepulchralis magiſtra, vti ſimilem veneficam Pamphilem vocat Apuleius *lib.*2. *metamorphoſ.* eam conſuluerat Sextus Pompeius Magni filius, vt euentum belli præſciret. Vide alia apud Grilland. *q.*5. *n.*17. & Delrio *lib.*3. *diſquiſit. magic. part.*1. *q.*5. *ſect.*2. Hi igitur abuſus fœdi, & impij humanorum cadauerum, nundinationem illorum, per ſeſe alioquin licitam ad medicamenta, ſceleratam facient. *Facinus enim eſt* (vt ait Quintilian. *declamat.*14.) *tumulos, buſtaque ſcrutari, & amputatis cadaueribus ipſas in ſcelera armare manus.* Quibus verbis aliud caput attingit Quintilian. ex quu eiuſmodi negutiatio mala fiat; nempe effoſſio, & violatio alieni ſepulchri, atque manium inquietatio:

quietatio : verùm de hoc ſcelere alibi commodiùs diſputabimus. Per accidens enim cum cadauerum nundinatione coniungitur : poſſunt enim aut inhumata eſſe, aut ſine violatione caſu, vel ruina, aut incendio exhumari. Nam & in arenis quibuſdam condita corpora, deinde procella ventorum retecta, mumiam conficere aliqui eiuſmodi cadauerũ propolæ contendunt, quos Bellon. *lib. de funere medicato*: & Cardan. *lib.*18. *de ſubtilitate*, confutant quoad naturam mumiæ. Aliò igitur pertinet violatio, & effoſſio ſepulchrorum, quàm ad nundinationem cadauerum, etſi cum illa aliquando reperiatur, ſed non ſemper, cùm vel ad theſauros, qui ſimùl infodi ſolebant, vel ob alias huiuſmodi cauſas violari monumenta ſoleant, vti ſuo tempore dicemus.

CONSECTARIVM VI.

De negotiatione humanarum carnium ab cibos.

Cibi ex humanis carnibus. 1.
*Venditio humanæ carnis extra extremam neceſſitatem illicita.*2.
*An comeſtio humanarum carnium ſit intrinſecùs mala.*3.4.
Non tamen etiam extrema neceſſitas ad illam obligat. 5.
An nundinatio humanarum carnium ſit licita. 6.

1 MOnui nuper, non ad medicamenta duntaxat, & remedia. ſiue naturalia, ſiue magica, diſtrahi humana cadauera, ſed etiam ad cibos, & alimenta : vnde humanarum carnium aliquandò ſunt inſtitutæ negotiationes. Carnis verò nomine Latini veteres, carnes mortuas intellexerunt : vnde Donat. in Terent. ait dictam carnem, quod careat anima, & carnifex dicitur, quia carnes ex homine facit. Notæ ſunt cœnæ Thyeſtææ, atque apud Gnoſticos humanæ infantium viſcerationes, de quibus Iuſtin. *Apolog. ad Anton. Pium.* Athenagor. *in Apolog.* Theophil. *lib.*3. *ad Autolyc.* Origen. *lib.*6.*&* 7. *contra Celſ.* Euſeb. *lib.*5. *hiſtor. cap.*1. Epiphan. *hereſi* 26. Minut. *in Octauio.* Tertull. *Apologet. cap.*7. nam impurorum iſtorum nebulonum obſcoenitates tribuebantur chriſtianis. *Dicimur ſceleratiſſimi de Sacramentis infanticidij, & pabulo inde*, inquit Tertull. & mox : *Quis vnquam taliter vagienti infanti ſuperuenit? quis cruenta, vt inuenerat Cyclopum, & Sirenum ora indici reſerauit?* Erant hæc igitur Gnoſticorum ferina, & impia conuiuia, in quibus nefanda ſua ſacra obſcœnis conuentibus celebrabant. Verùm abſque eiuſmodi ſacrilega impietate, aliquos carnibus humanis alitos eſſe, nemo dubitat : Plin. enim *lib.*6. *cap.*30. *circa occidentalem Nili plagam*, memorat quoſdam populos Antropophagos humana carne veſcentes : & *cap.*17. de quodam Scytarum genere, quos ait eſſe *Antropophagos Scytas humanis corporibus veſcentes. Ideo*, inquit, *iuxta vaſta ſolitudines, ferarumque multitudo, haud diſſimilem hominum immanitatem obſidens.* Eadem de iſtis Scytis *lib.*7. *cap.*2. refert, de quibus idem etiam habet Tertull. *in Apolog. cap.* 9. & Solin. *cap.*55. De Meſſagetis idem Tertullian. *lib.*1. *adu. Marcion.* & Hierony. *lib.*2. *ad Iouin.* Thodoret. *ſermon.*9. Strabo *lib.*2. De Canadenſibus, Braſilis, & pluribus Americæ populis res notiſſima eſt; immò & in quibuſdam Æthiopiæ pagis venales extare in communi macello humanas carnes produnt Hiſtorici : Porphyr. *lib.*4. *de abſtinent.* ait Meſſagetas & Derbices cenſere eos omniũ miſerrimos, qui ſponte ſuo fato morerentur, ideoque amicos ſenio confectos ſacrificant, & epulantur. Refert Petron. *in ſatyr. ſub fin.* gentium quarundam legem eſſe, vt defuncti conſumantur à propinquis, ideóque obiurgantur ægri, quod carnem ſuam peiorem faciant. Ariſtot. *lib.*7. *Ethic. cap.*6. narrat, aliquas circa Pontum gentes, eiuſmodi ferinis cibis oblectari, alioſque humanis veſci carnibus, alios ſibi inuicem infantes ad epulandum mutuo concedere : addit & de quadam muliere, quæ grauidas diſſecare, & fœtus inde abſtractos comedere conſueuerat : de alio quodam, qui matrem mactauit, & comedit, atque conſerui iecur : quod totum tribuit morbo, & inſaniæ. Denique addit de Phalaride, quod ampliùs explicat apud Athenæ. *lib.*9. Clearch. ait enim illum pueros recèns natos deuorare ſolitum. Hieronym. *lib.*2. *in Iouin.* teſtatur Scotos paſtos humanis carnibus, & dum venantur per ſyluas inuentis pecudum, & ſuum gregibus, & pecorum armentis, paſtorum nates, & fœminarum mammas in ciborũ delicias abſcindere; idque vrgente diriſſima fame factitatum ab humaniſſimis licet Europæ populis, dolent Annales : quod in obſidione Hieſololimitana imperãte Veſpaſiano anno Chriſti 72. contigiſſe teſtatur Ioſeph *lib.*6. *de bello Iudaic. cap.*25. vbi & de nobili, & prædiuite matre Maria nomine, quæ lactantem filium occiderit, & coxerit, comeſturã narrat. Romæ an. 410. poſt Alarici obſidionem tam grauis fames deſæuiit, vt Zozim. *lib.*6. affirmet populum in Circenſibus ſpectaculis rogaſſe Attalum, qui imperium inuaſerat, vt pretium humanæ carni imponeret : & ſanè plures humanos cibos guſtaſſe ſuſpicio fuerit, teſte Sozomeno *lib.*9. *c.*8. & apertiùs explicat Hieronym. ep. 16. ad princip. de illa ipſa clade loquens. *Capitur vrbs, quæ totum cœpit orbem, immò fame perit antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur, inuenti ſunt. Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua inuicem membra dilaniarunt, dum mater non parcit lactenti infantia, & ſuo recipit vtero, quem paulò ante effuderat.* Anno denique 539. Silueno Roman. Pontifice, à Iuſtiniano tunc imperante in Inſulam Palmariam relegato : & belli Gotbici anno quarto immenſa fames vniuerſam Italiam ita vexauit, vt homines alterni ſe eſitarent, duæ fœminæ diuertentes ad ſe peregrinos ſeptendecim, diuerſis dicbus dormientes occiderint, comederintque, donec decimus octauus, qui apud illas & ipſe diuerterat, dum euigilans vidit ſibi necem intentari, vtramque obtruncauit. In Liguria verò plurimæ matres infœlicium natorum membris veſcebantur : quæ pluribus habet Procop. *de bello Gothico lib.*2. & Theophanes *in Miſcella*, de Seguntinis ab Annibale oppreſſis : de Petaniis vrgente fame : de Numantinis obſidente Scipione, apud quos inuentæ ſunt matres, quæ adhuc ſinu reconderent ſemeſa liberorum corpora teſtatur Petron. *l.c.* & eleganter deſcribit Fab. *declamat.* 12. Petanij illi, de quibus meminit Petron. ſunt Petilini, de quibus Liu. *lib.* 23. Palyb. *lib.*7. Valer. *lib.*6. neque diſſimilia alibi quandoque contigiſſe leguntur, quæ apud Hi- 2
ſtoricos facilè obſeruabis.

Quæritur itaque, an nundinatio carnis humanæ in cibos ſit licita, quandoquidem iis aliquæ gentes veſcuntur, & ſaltem vrgente fame, non ſuppetentibus aliis cibis.

Reſpondetur, & dico primò eiuſmodi nundinationem, ſaltem extra caſum extremæ neceſſitatis, eſſe illicitam: quia antropophagia inter ferinos habitus θηριώδης, numeratur ab Ariſtotele, loco citato, & non niſi extremæ cuiuſdam barbariei eſt, atque, vt loquitur Martin. & Caietan. ſtatim afferendi, beſtialitatis, à qua natura humana abhorret, omneſque gentes, quæ pecudum more non viuunt: pugnat quoque cum naturali pietate defunctorum cadaueribus exhibita, inſtituitque perpetuò natura, vt alimentum conſuetum ſit ignobilius alito, vt conſtat ex plantis, animalibus, & ipſo homine: plantæ enim ſucco terræ aluntur, animalia plantis, homo plantis, & animalibus quibuſdam; immò ipſamet animalia, quæ alia vorant, crudeliora exiſtimantur, maximè ſi eiuſdem ſpeciei comedant, quod rarò contingit, & non niſi vrgente fame. Quis dicat igitur, hominem, ſiue humanam carnem, eſſe conſuetum, & à natura inſtitutum hominis cibum? alioquin liceret impunè, & abſque religione homines mactare, & carnes deinde humanas, ſicut & bubulas, aut vervecinas in macello vendere, ſicuti à quibuſdam Barbaris factum dicebamus; atque adeò venari eam in cauſam homines, ſicut & feras, quod & eædem gentes faciunt. Verùm apage mihi ferinam iſtam nundinationem, & ferale, atque immane macellum: vnde reiicias crudelem Zenonis, & Diogenis Philoſophiam apud Theophil. Antiochen. *lib. 3. ſub initium.* Zeno enim, Diogenes, & Cleanthes probabant morem veſcendi carnibus humanis, ita vt patres à filiis aſſati, & deuorari dicant: & ſi quis reiiciat deteſtandum illum cibum, & membrum oblatum recuſet, fas eſſe cæteris ipſummet mactare, & edere. Diogenes verò magis impiè docet, liberos in ſacrificiis cædere parentes, & eorum carnibus conuiuari. Herodotus refert, Cambiſem Harpagi filios necaſſe, & coctos patri appoſuiſſe: & apud Indos paſſim parentes à filiis comedi. Sextus verò Empyricus *lib. 3. hypotypoſ. cap. 23.* ait, Chryſippum in libris de politia, humanarum carnium eſum inducere, & ſi ex viuentibus abſcindatur aliqua pars ad eſum vtilis, eam conſumi à nobis vult, vt ex noſtris alia pars fiat: & ex libris περὶ τοῦ καθήκοντος de officio, dum de parentum diſputat ſepulturis, partes vtiles in alimentum conuerti mandat, inutiles defodi, aut comburi, aut proiici: quare iure merito Sextus, hanc eſſe Cyclopum, aut Læſtrigonum philoſophiam, & politiam dixit.

3 Dico Secundò nunquam quacunque vrgente fame fas eſſe hominem innocentem occidere, vt eius carnibus veſcaris: ita omnes, quia nunquam licet directè, & per ſe innocentem occidere. Neque homo deſtinatus eſt in cibum alterius hominis, vt cætera animalia, quæ idcircò in eſum cædere licet: idque etiam concedunt, qui aliquo caſu volunt licitum eſſe eſum carnis humanæ. Quare tota difficultas hoc loco eſt, an comeſtio carnis humanæ ſit ex natura ſua, & per ſe mala, ideoque nullo caſu vrgentis extremæ neceſſitatis, & famis vſurpari abſque peccato poſſit. Ità enim ſentit Victor. *relectio. de temperant. n. 6.* Azor 1. *part. lib. 7. cap. 33. q. 4.* ex S. Thom. 2. 2. *q. 142. art. 4. ad 3.* dum inter intemperantias, quæ *modum humanæ naturæ excedunt*, & maximè *exprobrabiles ſunt*, numerat delectationem *in comeſtione carnium humanarum, in coitu beſtiarum, & maſculorum.* Quæ duo poſtrema crimina nullo vnquam caſu honeſtari certum eſt: ergo neque prius illud. Et ſanè natura illi admodùm repugnat, vt ex quodam horrore omnibus aduersùs ferinam illam comeſtionem indicto colligitur: quare eiuſmodi comeſtionem vrgente licet fame vlti ſunt ipſi etiam crudeliſſimi hoſtes. Refert enim Porphyr. *lib. 2. de abſtinent.* Amilcarem ducem Carthaginenſem, milites, qui vrgente obſidione primùm in pugna cæſos, deinde captiuos, tum domeſticos, & demùm ſe inuicem comederant, in ſuam tandem poteſtatem redactos omnes elephantibus conculcandos dediſſe, *indignos eos iudicans in cæterum cum hominibus miſceri, qui ſcelus tam impium commiſiſſent: ideò neque eius filius Annibal, cum exercitum in Italiam duxiſſet, audire ſibi quendam conſulentem voluit, vt ſuos milites aſſuefaceret carnium humanarum eſui, ne commeatus neceſſitate vrgeretur.* Id tamen licitum foret, ſi comeſtio carnium humanarum non eſſet intrinſecè mala.

Dico nihilominùs tertiò vrgente extrema neceſſitate, carnium humanarum comeſtionem abſque peccato vſurpari poſſe, ac proinde non eſſe ex natura ſua malam: ita Nauarr. *cap. 23. n. 122.* Sa *verb. comedere, num. 1. editiò. Complut. & Rom.* Caietan. 2. 2. *q. 148. art. 2. ad 2. argum Martini.* Tolet. *de peccatis mortalib. cap. 60.* Leſſi. *lib. 4. dub. 1. n. 10.* Sanch. *lib. 1. in decalog. cap. 18. num. 12.* Bonacina *diſp. 2. de peccat. q. 8. p. 2. n. 13.* Layman. *lib. 3. ſect. 4. n. 3.* Ferdinand. Acaſtro *tract. 2. p. 13. n. 5.* Abulenſ. *in 4. Reg cap. 6. q. 32 n. 122.* quia ſecluſis omnibus circunſtantiis, quæ poſſent hanc comeſtionem corrumpere, tota eius in ſeſe ſpectatæ malitia conſiſtit in eo horrore, quem nobis natura ingenerauit, in indecentia, & inordinatione cibi, quem in alimentum hominis natura non deſtinauit: verum horrorem illum vincit ipſius mortis horror, qui etiam ad fœdiſſima quæque, & obſcæna voranda cogit, & ad cibos, qui nullo modo ad alimentum humanum ſunt deſtinati. Quod confirmatur ex eo quod concedant aduerſarij carnem humanam in medicamentum præparatam, & conditam, vt in mumia contingit, comedi poſſe: at verò condimentum illud non mutat naturam huius cibi, ſed ſalubriorem, atque ſuauiorem abſterſo illo horrore, & fœditate reddit. Et ſanè ſi Rei cadauer feris laniandum proiicere licet aduerſus pietatem defunctis debitam, cur non licebit ex ea carne veſci vrgente fame extrema, aduerſus horrorem naturalem? Quis neget, vt ſapienter obſeruat Layman. plurima, quæ videntur à natura hominis aliena, & inclinationi naturali repugnantia, grauiſſima vrgente neceſſitate ſine peccato vſurpari: vt inebriatio, ſiue priuatio rationis, ad breue aliquod tempus per narcotica, aut etiam vinum, & abſciſſio brachij ad propriam vitam conſeruandam: quod paſſim omnes admittunt, quorum ratio eſt, quia in his nulla fit vlli iniuria, & grauius damnum præponitur minori, quod poſtulat ratio; ideoque non inhonoratur natura (vt loquuntur.) Cur igitur in noſtro caſu inhonorabitur, cùm caro mortui hominis ſumetur ad tuendam vitam hominis viuentis? Neque repugnat S. Thom. nuper allatus, qui cùm expreſſis verbis agat de delectatione in comeſtione carnis humanæ, & delectatione coitus beſtialis, & ſodomitici, non loquitur de caſu neceſſitatis, in quo etiam non poterat fieri comparatio, quia neceſſitas extrema tuendæ vitæ vrgere poteſt

Digitized by Google

poteſt ad comeſtionem carnis humanæ, non verò ad ſpurcitias beſtialitatis, & Sodomiticas, cum illæ obſcænitates & ex natura ſua malæ ſint, & nunquam ſint media conſeruandæ, ſed ſolùm conſpurcandæ vitæ. Deinde quamuis tria illa, quæ eo loco adducit S. Thom. ſint contra naturam, non tamen eodem modo cum illa pugnant, neque ea in re ipſa inter ſe comparat S.D. ſed ſolùm ea adducit in exemplum eorum, quæ *excedunt modum naturæ*, nulla prorsùs inſtituta comparatione. Ex his omnibus colligunt laudati DD. vrgente tyranno ad comeſtionem carnis humanæ, modò non id faciat in odium illius abſtinentiæ, ad improbandam noſtram conſuetudinem, ex alioque prauo fine, licitam fore eam comeſtionem.

5 Dico quartò neminem tamen teneri ad vitandam præſentem mortem, veſci carnibus humanis, ſed poſſe ab illis abſtinere: quod laudati DD. tradunt, quia non tenemur quibuſcumque modis, etiam licitis vitam ſeruare, cum illam & negligere, & periculo exponere virtutis causâ fas ſit, vt pluribus exemplis oſtendunt Vict. Leſſi. & Bonac. *locis cit.* non enim teneor veſci canibus, felibus, muribus, quiſquiliis, & aliis obſcænis cibis in obſidione; neque pretioſſimis pharmacis in morbo læthali; neque aut ſolum mutare, aut balneas adire, ſecluſo ſuperioris imperio: non obligor inuadentem lædere, aut occidere: poſſum lue contactis miniſtrare, quamuis mea opera non ſit illis neceſſaria: & denique Carthuſianus extrema neceſſitate poteſt abſtinere à carnibus, & virtutem præferre vitæ.

6 Ex his omnibus ſoluitur controuerſia initio propoſita, An nundinatio humanarum carnium ſit licita: Si enim de publica aliqua, & continua nundinatione, ſicut de aliarum rerum nundinatione loquamur, ferina illa eſt, & illicita, quandoquidem communis, & conſueta illa comeſtio, abſque extrema neceſſitate, mala omninò eſt, vti oſtendimus. Si verò quæras, vtrum vrgente eiuſmodi, quam deſcripſimus fame, poſſit aliquis carnem humanam, quam habet, alteri vendere; ſi nihil aliud ſpectemus, abſolutè loquendo poterit, quia & ipſe, & ille alter poteſt eo caſu illa carne veſci, modò abſint cædes, aliaque, quæ impiam eiuſmodi comeſtionem, aut venditionem redderent.

Addo nihilominùs, vix vnquam fieri poſſe, vt etiam in extrema illa neceſſitate, carnis humanæ eſus, niſi impotentia mentis, ad quam dira rabies redegit aliquem excuſet, licitus ſit, quia illo eſu non ſeruabimur, ſed potiùs peribit vita: cùm enim, vt diximus, non liceat mactare hominem, vt eo veſcamur: & ſolus eſus carnium hominis ſuo fato defuncti, aut iure occiſi, licitus ſit, carnes hominis morbo extincti nociuæ, & vitio morbi corruptæ erunt, cùm etiam cæterorum animalium ſic extinctorum carnes mandi ſine periculo non ſoleant: rerum verò corpora vel nulla tunc ſunt, vel antequam ſubduci poſſint, corrupta. Nihil igitur ferè aliud excuſat tunc hanc comeſtionem, quàm inſania quædam, quæ nundinationem vendentis carnem non excuſabit: & ſicut venditio aliorum ciborum noxiorum illicita eſt, ita ferè ſemper nundinatio carnis humanæ, etiam vrgente grauiſſima fame, illicita erit, & vix immunis à culpa reddi poterit.

Consectarium VII.

De nundinatione cadauerum ad ſepulturam.

POſtrema nundinatio humanorum cadauerum erat, vt tumulo componantur, aut in loco certo, maiori ſecuritate, aut ſolatio aſſeruentur: quod in more poſitũ fuiſſe Ægyptiis docet Silu. *lib.* 13.

—— Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſucco
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat
umbram.

De hoc more adhibendi ad menſam eiuſmodi cadauera, vide Biſciolam *tom.* 2. *ſubſec. lib.* 6. *cap* 8. *à num.* 12. ſanè etiam defunctos amicos à conuiuiis ſuis abeſſe non patiebantur. Cùm verò apud omnes gentes magna ſemper fuerit religio componendi tumulo cadauera, aut cineres; ideoque fuerint gentilia, aut domeſtica ſepulchra, quibus ſuos gentiles, & cognatos inferri cupiebant, è remotioribus aliquandò locis in illa deferri iubebant, atque ſi apud hoſtes defungebantur, ab illis vindicabant: quod etiam hodiè factitari videmus, neque in re tam certa confirmanda ex veterum monumentis, vti facilè fieri poſſet, & nos diximus aliqua *tract. de ſimonia*, diutiùs immorarij placet, ne longiùs ab inſtituta diſputatione aberremus. In hoc porrò caſu licebit cadauera emere in hunc finem, atque etiam vendere, ſi qui illa detinent, ſicut poſſent viuentes captos iure detinere, vt in bello iuſto, & liberationis pretium capere: & qui demortui ſuppellectilem ſibi retinere poſſet, poterit & cadauer; neque illud niſi accepto pretio reddere repoſcenti tenebitur; ſuntque vſitatæ eiuſmodi cadauerum eorum, qui bello cæſi ſunt, redemptiones.

Consectarium VIII.

Nundinatio carnium, & aliarum partium viuentis hominis.

Viuentis hominis partes veniunt in commercium. n. 1. 2.

Capilli, & corporis præſegmina vendi poſſunt in bonum finem. 3.

Quandò aliæ partes hominis viuentis vendi poſſint. 4.

Quænam vendi nequeant. 5.

NOn modò cadauerum humanorum membra, & partes, ſed etiam viuentium in commercium venire poſſunt: nam & Abſalonis capillitium puellæ Solymitanæ emebant ducẽtis ſiclis pondere publico, *lib.* 2. *Reg. c.* 14. *p.* 16. Philiſtæi à Dalila Samſonis amaſia, mille & centum argenteis eiuſdem Samſonis emerunt cæſariem, quam inuicti crinis ornatum, & prærogatiuam virtutis nominat Ambroſ. *lib.* 3. *offic. c.* 26. atq; in fabulis Scylla patris ſui Niſi Megarorũ Regis comâ, à qua eius regnũ, & vita pendebat, emit Minoïs tunc Megaram obſidentis amores, & nuptias, quas deperibat: Itaque patri dormienti comam abſcidit, & Minoï parricidale flagitij pretium obtulit. Apollodor. *lib.* 3. *biblioth.* Pauſan. *in Atticis.* Seru. *in ſchol. ad primum Georgic.* Ouid. *lib.* 8. *metamorph.* qui de fatali Niſi coma ſic cecinit. 1

——cui ſplendidus oſtro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhærebat magni fiducia regni.

Deſcribit deinde Scyllam crinem patris dormientis abſcindentem, & ad caſtra Minoïs fugientem, illique *ſpolium*, vti loquitur, *ſceleris* tradentem.

Fert ſecum ſpolium ſceleris, progreſſaque porta,
per medios hoſtes (meriti fiducia tanta eſt)
Peruenit ad Regem, quem ſic affata pauentem
eſt.
Suaſit amor facinus, proles ego Regia Niſi
Scylla tibi trado, patriamque, meoſque penates;
Præmia nulla peto, niſi te, cape pignus amoris
Purpureum crinem, nec me nunc tradere crimen,
Sed patrium tibi crede caput, ſcelerataque dextra
Munera porrexit.

Tam impium facinus Minos auerſatus, munus, & ſceleratam prolem, tanquam monſtrum reiecit, illi dira quæque imprecatus.

Dij te ſummoueant ô noſtri infamia ſæcli
Orbe ſuo, telluſque tibi, pontuſque negetur.

In Niſo Samſonem, in Scylla Dalilam agnoſcit *lib. 5. ſingular. capit. 7.* de Roa; fabulæque illius inuentorem exiſtimauit Serar. *in capit. 16. Iudic. quaſt. 16.* Cadmum, qui è Palæſtina, & Phœnicia in Atticam, & Peloponeſum profectus eſt, & ſicut litterarum ibi fuit inuentor, ex Plin. *lib. 7. cap. 56.* ita & plurium fabularum author. Neque inter ſe diſſentire Cadmi, Niſi, Minoïs, & Herculis ætatem, & chronologiam docet ibidem Serar. Simile quidpiam tradit Apollodor. *lib. 2. de Cometha Pterelai filia, quæ, vbi Amphytrionis amore inflammata eſt, aureum de patris capite capillum præſecuit, & mortuus quidem eſt Pterelaus, omneſque inſulas ſubegit Amphytrion, ſed non ideò ſalacem, crudelemque illam vxorem accepit, quin verò prout digniſſimum erat, interfecit.* Thomas Farnabius in ſcholiis ad locum Ouidij citat. non abſimilem hiſtoriam de Romilda Forouilienſi narrari dicit à Georgio Sapino.

2 Neque ſola coma hominum, mulierumve quæritur, & venalis habetur, ſed etiam aliæ quædam hominis partes nonnunquam à grauidis fœminis pica laborantibus in alimentum ſumuntur. Narrat Langius *lib. 2. ep. 12.* propè Anderuacum in agro Colonienſi, mulierem eo morbo vexatam maritum occidiſſe, vt eius carnibus veſceretur, & reliquum ſalitum ſepoſuiſſe: ſed quod magis in rem noſtram facit, quandam aliam Sacerdotis è balneo exeuntis Lambergi talum momordiſſe, fruſtumque ſibi mandendum abſcidiſſe. Aliam verò humero piſtoris nudati, dum panes in furnum mitteret, veſci appetiuiſſe, eiuſque maritum tres morſus cum illo piſtore pactum fuiſſe, quorum duos ille ſuſtinuit, tertium recuſaſſe, vnde mulier tres pueros enixa eſt, duos viuos, tertium mortuum. Notum illud Turcæ Imperatoris iudicium, cùm Iudæus Conſtãtinopoli mutuò pecuniã dediſſet Chriſtiano, pactus in vſuram librã carnis ipſius, quam reddita ſorte, ſoluere detrectabat Chriſtianus, quem tamen ad implendum contractum damnauit Turca, ſed ea lege, vt ſi Iudæus errante manu aliquid ſupra libram, aut illa minus abſcidiſſet, & debito careret, & capite lueret, quam conditionem Iudæus accipere noluit, & crudeli illa vſura cedere coactus eſt. Quæritur itaque, an iſta viuentis hominis partium nundinatio licita exiſtat.

Reſpond. & aio primò capillos, & alia corporis præſegmina ad vſum aliquem bonum, & honeſtum vendi poſſe; neque damnat venditionem comæ Abſalonis Scriptura: & ſanè magno pretio habiti ſunt capilli, quos magno apparatu Diis conſecrabant, & conſecratos ſeruabant ſollicitè: quod fusiùs oſtendit Bonfrer. *in Leuit. ad cap. 19. verſ. 17.* Victorius *variar. lection. lib. 6.* Antonius Hotman. *lib. de barba, & coma*, & Critici paſſim. Audi Tertullian. lib. de anima. *Quis non exinde aut totum filij caput reatui deuouet, aut aliquem accipit crinem, aut tota nouacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro obſignat pro publica, aut priuata deuotione.* Sueton. *in Nerone cap. 12. Gymnico, quod in ſeptis edebat, inter Buthyſiæ apparatum, barbam primam poſuit, conditamque in auream pixidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam Ioui Capitolino conſecrarunt.* Vides igitur, quàm ſolemni apparatu barbam ſuam conſecrauit Nero; deſcribit ludos gymnicos, & ſacram mactationem boum; id enim ſonat βυθυσία, quæ bouicidia dixit Sotin. & Varro. de ll. fordicidia à fordeis, ſiue bubus cædendis: forda enim eſt bos quæ fert in ventre. Ea autẽ die immolabantur boues prægnantes φορίδες, ſic dicta ſunt ταυροβόλια tauricidia, & bouicidia: indeque taurobolum matris Deûm, quod tauri in eius ſacro cædebantur. Aureæ verò pixidis, in qua Nero ſuum crinem recondidit, meminit quoque Dio, dum eamdem conſecrationem narrat: & ſimile quid habet Petron. *capit. 29. Satyric.* deſcribens ædes Trimalchionis. *Veneriſque ſignum marmoreum, & pixis aurea non puſilla, in qua barbam ipſius conditam eſſe dicebant.* Erat verò barba illa ipſius Veneris. Macrob. ſiquidem *lib. 3. capit. 8.* Veneris barbatæ meminit. *Signum*, inquit, *Veneris eſt Cypri barbatum corpore, veſte muliebri cum ſceptro, ac ſtatura viri, & putant, eandem marem, & fœminam eſſe.* Et vt conſtet, quam pretioſi haberentur capilli, Romæ è regione conditorij Ciceronis, cadauer muliebre, quod ex inſcriptione conijcitur eſſe Tulliolæ, integrum propter condituram aromatum repertum eſt; in eo viſebantur capilli aureo implicitu reticulo: quod refert Rodigin. *lib. 3. capit. 24.* vt videas qua cura etiam in cadauere ſint habiti capilli, quandoquidem pretium capillis poſitum fuit: Cur igitur vendere non licebit, ſicut & reſecare? de capillamento autem aſcititio, ad quod maximè componendum vendi, & emi ſolent capilli, plura diſputauimus *opere de vſuris lib. 1. cap 9. art. 5. n. 82. & 83.* 3

Aio 2. licitam eſſe venditionem aliarum partium hominis, ad honeſtum finem, modò ſine mutilatione, atque periculo vitæ, aut peccato ex aliqua alia circumſtantia abſcindi poſſint. Quare licebit permittere, vt quis ad medicamentum, ſanguinem ex vena ferro ea de cauſa exigat, & lac ex fœmina, vti docet Layman. *lib. 3. ſect. 4. num. 3.* neque vllus opinor negabit. Ratio eſt, quia licèt bona ſubſtantialia hominis, in quibus eſt vita ipſa, non ſubdantur dominio, & libertati hominis, cum antecedant ipſam libertatem, quæ eſt proximum dominij fundamentum, bona tamen accidentaria, & quæ non ſunt neceſſariò connexa cum ipſo eſſe hominis, eius dominio ſubduntur; quare illa ſibi retinere, aut abijcere poterit, modò aliunde non peccet, quamuis ex eorum abiectione damnũ aliquod 4

aliquod patiatur, cuius compenſationem poſcere poterit. Cuius argumentationis conſequentia certiſſima eſt: qui enim dominus eſt rei alicuius, poteſt illam pro arbitrio deſtruere, aut conſeruare, & prout libuerit de ea diſponere. Si igitur homo dominus eiuſmodi partium ſui corporis eſt, illas conſeruare, aut abiicere poterit: ſi verò non magis illarum, quàm ſui ipſius dominus eſt, non magis illas, quàm ſeipſum deſtruere valebit: tota itaque difficultas eſt in explicando iſto dominio, quod faciemus *lib. vltimo, vbi de iniuriis*; & quæremus, an homo ſit dominus ſuæ vitæ, & membrorum. Interea vide Molin. *tract.* 3. *diſp.* 1. *&* 9. Laym. *lib.* 3. *part.* 3. *tract.* 3. *cap.* 1. de Lugo *diſput,* 10. *ſect.* 1. & alios de dominio, & iniuriis diſputantes, ex quorum, & cæterorum omnium communi, certaque ſententia ſupponimus hoc loco, hominem neque ſuæ vitæ, neque ſuorum membrorum dominium, ſed ſolum vſum, & adminiſtrationem habere: vnde neque ſe vita priuare, & interficere poteſt abſque iniuſtitia, vti eo loco demonſtrabimus: quod ipſis quoque quondam Philoſophis placuit, vti oſtendit Serar. *in iudic. cap.* 16. *quæſt* 31. neque membris ſe mutilare poteſt, poterit tamen & vitam exponere periculo ex honeſta cauſa, & mutilatione membri vnius, totum corpus ſeruare, vti eo loco per varia conſectaria demonſtrabimus. Ex quibus omnibus perſpicua manet noſtra aſſertio; nemnempè quoties ex fine aliquo honeſto poterit ſibi aliquid decerpere, abſque cæde, aut mutilatione, aut peccato aliunde proueniente, quàm ex ſola exciſione, id licitè faciet, & damnum, quod inde patietur pretio aliquo ſibi oblato compenſare, quia nulli tunc iniuriam facit, vtiturque iure, quod habet in vſum, & adminiſtrationem ſuorum membrorum; neque amplius peccat, quam cùm accepto ſtipendio ſuam operam in labore difficili, immò, & periculoſo locat, aut cùm militiæ nomen dat, & pugnat. Poterit igitur primò pati ſectionem venæ, vt fluentem, & calidum ſanguinem aliquis Epilepticus hauriat. Secundò, fœmina mammas alicui phtiſi laboranti, aut fame pereunti, vt illa laudatiſſima filia parenti ad famen & inediam damnato fecit, ſugendas præbere poteſt, vt fatetur Laym. *libro* 3. *ſect.* 4. *numer.* 3. quia iſta ſunt vel corpori ſuperflua, vel non ita neceſſaria ad tuendam vitam, vt iis carere aliquis non poſſit; exigua, aut nulla prorſus iactura. Non poſſet tamen quis tantam copiam ſanguinis præbere pluribus Epilepticis, aut vni alicui, vt inde interitum incurreret; poterit tamen copioſiorem miſſionem ſanguinis pati, ſi non inde debilitandus foret: ſicut & nutrix, quæ alendo infanti ſæpiùs debilior euadit. Tertio poterit morſum aliquem carnis, ad grauidæ fœminæ picam ſedandam, & ne inde fœtus, quem vtero gerit, diſcrimen incurrat, paciſci, quia ex reſecatione illius particulæ carneæ non mutilabitur, neque magnum incurret damnum: non poterit tamen ab inuito reſecari illa particula, cùm non ſit in alterius dominio quoad corpus, & ſua membra, niſi vbi nocens, & puniendus eſt à Iudice: quare reo commerito pœna æqualis iſti carneæ particulæ abſciſſioni poterit imperari, vt eam patiatur; ſicut aliquandò plectitur mutilatione membri, quo peccauit, vt abſciſſione manus. Non tenetur etiam quis volens, eam morſicationem à fœmina grauida ferre, vt eius morbo ſuccurrat: quare non peccauit ille piſtor, qui noluit tertium morſum, quem pactus erat pati, verùm à mercede promiſſa abſtinere. Ratio eſt, quia non periclitatur certò vita fœtus, ob quam vnam ſeruandam, videri poſſet lege charitatis, eiuſmodi morſicationes teneri permittere, cum neque ſemper fœtus ex negatione rei, quam parens grauidá appetebat, extinguatur; neque ineptis eiuſmodi, & ſæpiſſimè noxiis ægrorum appetitibus obſequendum ſit, alioquin ſi grauida digitum alicuius mandere vellet, abſcindẽdus eſſet: quia illa abſciſſio, aut exigua mutilatio, non videretur vitæ fœtus comparanda. Et ſanè ſi hoſtis minitaretur ſe caput Caio amputaturum, niſi tu tibi brachium, aut manum abſcindi patereris, non tenereris ad eã ferendam mutilationem, quia mors Caij non ſequetur ex non abſciſſione tuæ manus, ſed ex ſcelere, & malitia hoſtis illius, quam tuo tanto damno impedire non teneris, niſi ſit ille [illegible] in qui- [illegible] obligeris tuo capite vitam alterius tueri, verbi gratia, ſi ageretur de ſeruanda vita Principis, aut de ſalute totius Reipublicæ, & aliis ſimilibus euentis, de quibus alio loco diſputandum eſt.

Iudæus verò ille, qui in vſuras mutuo datæ pecuniæ, libram carnis mutuatarij chriſtiani pactus erat, peccarat crudelitate, & iniuſtitia: chriſtianus verò ſi vrgente grauiſſima neceſſitate, & cum aliis conditionibus æquioribus, pecuniam, etiam quocumque alio grauiſſimo fœnore oblato reperire non potuerat, non peccarat promittens in vſuram, ſuæ carnis fruſtum, quia ſeruabat vitam, & fortunas particulam carnis tradendo, cum membrum potuiſſet dare, ad tuendum totum corpus, ſi id neceſſe fuiſſet.

Denique quæ ſine ſcelere nequeunt ab homine diſtrahi, illa in negotiationem venire non poſſunt: non agó tantùm de ſcelere cædis, aut mutilatione, vt in iis, qui medullas crurum, aut cerebrum infantium ad medicinam quærunt, teſte Plinio *lib.* 28. *c.* 1. de iis enim hactenùs egimus. Loquimur itaque de alio quocumque ſcelere, quod in eiuſmodi abſciſſione neceſſariò reperitur: illud enim totam negotiationem illicitam faciet, vt patet: verbi gratia, ſemen humanum, quod ſine mutilatione excerni poteſt, non tamen ſine pollutione voluntaria, quæ intrinſecè mala eſt, vt ſuppono ex communi ſententia apud Sanch. *lib.* 9. *diſput.* 17. *num.* 13. Baſil. Ponc. *lib.* 10. *de matrim. capit.* 12. *num.* 8. & alios paſſim. Si aliquis igitur ſemine humano ad medicamenta, aut impia aliqua ſacra, vti Gnoſtici, vti vellet, non poſſet illi vendi non tantùm ob malum finem, in quem illud petit, ſed quia nequit illud abſque ſcelere excerni.

CONSECTARIVM IX.

De negotiatione per eunuchiſationem.

Eunuchorum nundinatio veteribus vſitata, eaque pretioſa. 1.
Cauſa eunuchiſandi. 2. 3. 4. 5. 6.
Duo eunuchorum genera. 7.
Quandonam eſt licita eunuchiſatio. 8.
Quandonam ſit illicita exſectio. 9.

Reiiciuntur cauſæ, quæ ſuadebant licitam eſſe eunuchiſationem. 10. 11. 12.
Ne quidem ob ſuauitatem vocis 13. 14.
Regula vniuerſalis. 15.

1 FRequentem iam olim, & quæſtuoſam fuiſſe eunuchorum nundinationem patet ex Panionio Chio, qui apud Herodot. *lib.* 8. ex illo quæſtu impuriſſimo ἀπ' ἔργων ἀνοσιωτάτων vitam ſuſtentabat: quos enim pueros forma præditos coëmerat, eos exſcindebat, vt Sardem, aut Epheſim ductos ingenti pecunia venderet, quomodo Hermotimum à ſe emptum exſecuit, magno illius bono, ſuoque damno. Nam Hermotimus Sardibus Regi oblatus, magno in honore apud Xerxem habitus, & cæteris eunuchis præfectus eſt: & tandem Panionium in pœnam acceptæ iniuriæ, iuſſit quatuor ſuos liberos [illegible] abſcindi. Queritur ſanè Lactant. *lib. de opific. Dei*, *cap.* 13. quod ita homines plerique ad infames quæſtus abutantur. Meminit & Quintilian. *lib.* 5. *inſtit. capit.* 12. mangonum, & venalitiorum iſtorum, qui formæ puerorum exſciſa virilitate lenocinabantur. Eunuchos apud Perſas, pretioſiores fuiſſe, quam non exſectos teſtatur Herod. *lib.* 7. In ipſo imperio Romano tam pretioſa erat iſta mangonia, eóque creuerant ſpadonum pretia, vt Domitianus ea minuere, aut moderari coactus fuerit, teſte Suetonio capit. 7. *ſpadonum, qui apud mangones reſidui erant, pretia moderatus eſt*. Idemque ſtatuiſſe Aurelianum, & numerum ipſorum matronis famulantium definiiſſe, tradit Vopiſcus. *Eunuchorum modum*, inquit, *pro ſenatoriis profeſſionibus ſtatuit, idcircò quod ad ingentia perueniſſet*. Similia de Alexandro habet Lamprid. *Cùm Heliogabalus mancipium eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit*. Neque fuiſſe pueros à mangonibus exſectos, niſi vt illos pretioſiores facerent, teſtatur Martial. qui idcircò ſectorem auarum nominat.

Non puer auari ſectus arte mangonis.

Et Claudian. *lib.* 1. *in Eutrop.*

——rapitur caſtrandus ab ipſo
Vbere, ſuſcipiunt matris poſt viſcera pœnæ.
Aduolat Armenius, certo mucrone reciſos
Edoctus mollire mares, damnoque nefandum
Aucturus pretium.

Vlpian. *l.* 27. §. *eiſi*, *D. ad leg. Aquil. Si puerum quis caſtrauerit, & pretioſiorem fecerit, Vinianus ſcribit ceſſare Aquiliam, ſed iniuriarum erit agendum aut ex edicto ædilium*. Iuſtinian. pluris æſtimat ſeruos eunuchos, quàm alios *l.* 3. *C. communia de leg.* & *leg.* 1. *Cod. de communi ſeru. man.* §. 6. Conſtantin. permittit *l.* 2. *C. de eunuch.* eunuchos Barbaræ gentis extra Romanũ imperium factos, quibuſcumque negotiationibus, & commerciis vendendi, & emendi facultatem, in rebus tamen vectigalibus numerantur *l. vlt.* §. *ſpecies* 7. *D. de public. & vectigalib.*

Pretioſiores porrò erant eunuchi, & qui puerum eunuchabat, aut vt maualt Varro eunuchiſabat, illum pretioſiorem faciebat, vt loquitur Synopſ. Baſil. ὁ εὐνουχίσας παῖδα, καὶ ποιήσας τιμιώτερον, variis ex cauſis.

2 Prima erat forma, & ſpecies, quæ diutiùs florebat: quare dicebat Quintilian. mangones formæ puerorum exciſa virilitate lenocinari. Dio Chryſ. *orat.* 21. probat, Perſas amare pulchritudinem, ὅτι καλοὺς εὐνούχους ἐποίουν. Teſtatur Herodot *lib.* 6. ipſos formoſiores exſcidiſſe. Athenæ. *lib.* 12. ait ex Clearcho Solenſi, Medis cauſam caſtrandi fuiſſe τὴν τρυφὴν delitias, & mollitiem: & ſanè eunuchorum habitus totus in fœmineum degenerat, quod facies glabra, vox acuta, pinguedo flaccida, & totius corporis reliquus habitus, atque animi affectus ſatis ſuperque oſtendunt. Et confirmat ex Hypocrat. & Galeno Mercurial. ex quibus Theophil. Raynaudus Heriberti nomine *lib. de eunuchiſmo cap.* 3. §. 2. *n.* 14. id eruditè demonſtrat.

Secunda cauſa huius æſtimationis eſſe potuit, quòd aptiores eſſent ad opera, quibus admouebantur, quam cætera mancipia: quia carent pluribus corporis incommodis, quibus cæteri ſunt obnoxij: nam primò ſunt à lepra, & elephantiaſi immunes; neque proditum vnquam eſt aliquem eunuchum elephantiacum fuiſſe, immò quidam iam lepra correpti ſe euirarunt, ne malum graſſaretur, vt ait Aetius *lib.* 13. *cap.* 125. cuius rei rationem reddit eo loco, quam abſonam eſſe oſtendit Mercurial. *lib.* 3. *variar. capit.* 20. aliamque petit ex eo quod lepra ex caliditate, & ſiccitate iecoris, & vniuerſi corporis oriatur, ideoque ſit Ægypto familiaris. Eunuchi verò ſunt frigidi, & humidi, quare mirum non eſt, ipſos lepræ, & cuiuis alteri morbo ex calore, & ſiccitate genito minùs obnoxios eſſe, idcircò ipſos à varicis immunes præſtat Ariſtot. *ſect.* 10. *problem. q.* 37. Sunt autem varicæ venæ laxiores, & craſſiores in coxis, & cruribus, ex craſſo, & melancholico ſanguine: quare cùm eunuchi temperamento pueros, & mulieres referant, eo incommodo cum illis quoque carent: quod de mulieribus tradit idem Ariſtot. *lib.* 3. *de hiſtor. animal. capit.* 19. & *lib.* 1. *de gener. animal. cap. item* 19. Et ſi quibuſdam id accidat, ante menſtrui profluuii tempus accidere, cum eo enim prauus ille humor, qui varices cauſaret, eiicitur. Carere præterea eunuchos podagra pluribus confirmat Tiraq. *ad l.* 15. *connub. num.* 45. & docet Ariſtot. *ſect.* 10. *problem. quæſt.* 37. & ſanè mulieres ætate Hypocratis vix podagra laborabant, quod deinceps tamen in aliquibus compertum eſt, ſicut & in eunuchis. Vide Paræum *lib.* 18. *cap.* 12. accuſant aliqui ingluuiem, & venerem. Non calueſcunt etiam eunuchi; ex Hypocr. *lib.* 6. *Aphoriſ.* & *lib. de natura pueri*. Ariſtot. *lib.* 3. *hiſtor. anim. capit.* 11. & *ſect.* 10. *problem. q.* 56. Plin. *lib.* 11. *cap.* 37. quia ſunt frigidioris temperamenti, & caluities oritur ex capitis exſiccatione, quam etiam affert vſus veneris: & Romani coluere Venerem Caluam, teſte Lactant. *lib.* 1. *cap.* 20. & Auguſtin. *ep.* 44. quia Venus intemperans caluos facit. Capitolin. tamen *ſub finem vitæ Maximini*. & Vegeſ. *lib.* 4. hunc Caluatæ Veneris cultum repetunt a fœminis Aquileienſibus vltro decaluatis, cũ deeſſent viris nerui ad ſagittas intorquendas. Non læduntur Eunuchi à virulentia halitus venefici, & peſtiferi: ita Scaliger *exercit.* 277. ex Dione Caſſio in Traiano. Denique eunuchos longæuiores eſſe tradit Albert. Magn. *tract. de morte, & vita, cap.* 8. & Franciſcus Le Roy *tract. de axiomatis Ariſtotelis, verb. caſtrati*.

Tertia cauſa pretij eunuchorum eſſe poterat, quòd iis tutiùs, quam aliis quædam munia crederentur. Primum munus erat, quorumdam Deorum cultus: nam apud Ægyptios Sacerdotes exſectos fuiſſe tradit Athenæ. *lib.* 7. *c.* 13. ex Anaxandride: Heliupolitanos Herod. *lib.* 2. Epheſinæ Dianæ Strabo *lib.* 14. Hierophantas Athenienſium cicutæ ſorbitione ſe euiraſſe ait Hierony. *lib.* 1. *in Iouinian.* 3

Iouinian. de Rheæ, ſiue Cybeles matris Deûm ſactificulis res eſt peruulgatiſſima. Vide Arnob. *libro* 5. *&* 8. Lucian. *leg. de Dea Syria.* Deque furore ſeſe exſecantium in illis ſacris Apulei. *lib.9. mileſior.* Hierony. *epiſt.* 18. Audi Iuuenal. *ſatyr.6.*

——ecce furentis
Bellonæ, matriſque Deûm, chorus, intrat, & ingens
Semuir obſcœno facies reuerenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta,
Iampridē cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & Phrygia veſtitur bucca tiara.

Claudian. *lib.1. in Eutrop.*

Vel ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybelem,
Rauca Celenæos ad tympana diſce furores,
Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pium
Inguinis, & reliquū Phrygiis abſcindere cultris.

Prudent. *hym.10. S.Romani.*

Sunt ſacra, quando voſmetipſi exciditis,
Votiuus & cum membra detruncat dolor
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectiſque matrem brachiis, placat Deûm
Funere, ac rotari ius patitur myſticum,
Parca ad ſecandum dextera fertur impia,
Cœlum meretur vulnerum crudelitas:
Aſt hic metrenda dedicat genitalia;
Numen reciſo mitigans ab inguine,
Offert pudendum ſemiuir donum Deæ,
Illam, reuulſa maſculini germinis
Vena effluentis paſcit actum ſanguine.
Vterque ſexus ſanctitati diſplicet.
Medium retentat inter alterum genus,
Mas eſſe ceſſat ille, nec fit fœmina,
Felix Deorum mater imberbes ſibi
Parat miniſtros leuibus nouaculis.

Hi verò nebulones, quamuis in ſacris caſtimoniam ſua exſectione præferrent, erant tamen etiam inter illa ſacra ſpurciſſimi, vnde infanda eiuſmodi myſteria acriùs inſectantur PP. Arnob. *lib.5.* Iul. Firmic. *lib.3. de error. profan.* Auguſtin. *lib.2. de ciuit. cap.7. lib.6. cap.8. lib.7. cap.24. &* 25. Lactant. *lib.5. cap.9.* & *libro* 1. *cap.*21. Quinimmò tam propudioſæ obſcœnitatis puduit ipſos Ethnicos, qui idcircò hanc exſectionem in honorem Cybeles ad ſenſus quoſdam myſticos ineptè traducere tentarunt, vti videbis apud Iul. Firmic. *cap.3. citat.* Auguſtin. *lib.7. de ciuit. capit.*24 Euſeb. *lib.3. de preparat.* & Iſidor. *lib.8. cap. vlt.* Iulian. *orat.5.*

Secundum munus, quod eunuchis ſolis mandabatur, erat cura Gynecæi, vt qui tutò, & ſine ſuſpicione poſſent cum fœminis conuerſari, quare eunuchum aliqui deriuant ab *εὐνὴ*, id eſt cubile, & *ἔχω*, quod Heliodo eſt cuſtodire, quaſi eunuchus ſit lecti cuſtos, idcircò in Gynæconitide (de qua ædium parte vide Vitruu. *lib.1. cap.*10.) diù, noctuque verſatos eſſe ſpadones teſtatur Philoſtrat. *lib.1. de vita Apollon.* quia aberant à zelotipia, vt ait Heliod. *lib.9. hiſtor. Æthiop.* Clem. Alexand. *lib.3. pedag. capit.4.* & Lucian. *in eunucho* ſcribit, quendam adulterij poſtulatum, abſolutum eſſe, quòd Iudices non crederent hoc crimen in eiuſmodi perſonam cadere poſſe: quare mirabatur Phauorinus apud Philoſtrat. *lib.1. de vitis Sophiſt.* ſe, cùm eunuchus eſſet, adulterij accuſari potuiſſe: illum aliqui hermaphroditum fuiſſe dixerunt. Reginis famulatos eſſe eunuchos, habes in Curtiu *lib.* 4. & Eſther *capit.* 4. vnde Terentius *eunucho act.1. ſc.2. eunuchum dixti velle te, quia ſola his vtuntur Reginæ.* Sanè Semiramidem Reginam omnium primam mares caſtraſſe dixit Ammian. *lib.*14. vbi & ſtipatas eunuchis matronas Romanas deſcribit. Hieronym. *epiſt. de cuſtodiend. virginis.* ait abs ſe viſam primariam matronam cum hoc comitatu ad S.Petri Baſilicam. Plantianus filiæ ſuæ Plautillæ, quæ poſtea Antonino nupſit, centum eunuchos aſſignauit Romanos, quorum aliquibus erant vxores, & liberi, quos iam exſectos ſe vidiſſe ait Dio Nicæus *in Seuero.* Eunuchos vectaſſe matronas, & lecticas detuliſſe ſignificat Clem. *lib.3. pædag. cap.* 4. & de Paula quondam ſuccollantibus eunuchis vecta, teſtis eſt Hieronym. *in eius Epitaphio.*

Tertiò munera aulica illis credebantur, non tan- 4
tùm domeſtica ianitorum, cubiculariorum, à reſponſis, & poculis, cæteraque eiuſmodi, vt videre eſt apud Xenoph. *lib.7. Cyropæd.* Diodor. Sicul. *lib.*11. *in lib.* quoque. *Eſther. cap.*1. Ælian. *lib.*2. *hiſtor. variar. cap.*10. vbi Magos cuſtodiam Ochi mandaſſe eunuchis narrat, meminitque Cteſias de Pharnacia eunucho cubiculario Xerxis: de Vagao Holofernis cubiculo, præfecto Iudith, *capit.*12. Ipſorum etiam curæ committebantur pueri Regij educandi; quod docet Plato *lib.3. de legib.* Dio Chryſoſtom. *orat.*31. & Bagoas apud Lucian. *in eunucho.* Denique Regum cadauera, donec humo conderentur, aſſeruabant. Quare Heraclius iuſſit, ſuum ſepulchrum omnibus triduo patere cuſtodibus eunuchis: quod ſcribit Nicephorus Conſtantinop. *in hiſtoria.* Non modò autem hæc domeſtica miniſteria, ſed primæ illis dignitates, atque ipſa Reipublicæ cura mandabatur, & quidem ærario, ſiue gazis, & theſauris Regum præfuiſſe, habes *ex capit.* 8. *actor.* Idcircò Lyſimacus vocatus à Demetrio Gazophilax, probro duxit, quaſi illum ſpadonem exiſtimaſſet, vti obſeruauit Plutarch. *in Demetrio.* Militiæ præfectos fuiſſe colliges *ex ſerm.* 2. De Archieunucho ciuitati Præfecto meminit Gregor. *lib.* 6. Septem illi qui Aſſuero aſtabant, eius erant conſiliarij, *Eſther capit.*1. inter aulæ Dauidicæ præcipuos miniſtros numerantur eunuchi, 1. *Paralip. capit.* 18. eoſque verè euiratos fuiſſe exiſtimat Pineda *lib.* 1. *de Salomone, cap.*11. *num.*3. Omnia potuiſſe apud Ochum Perſarum Regem eunuchum Bagoan, tradit Diodor. *libro* 16, eadem gratiâ valuit apud Xerxem Hermotimus; apud Ptolemæum Photinus: apud Sinnacem Parthum Aldus ademptæ virilitatis, ex Tacit. *lib.6. ann.* Apud Conſtantium omnia potuiſſe eunuchos, queritur Athanaſ. *epiſt. ad ſolitarios.* In his gratioſiſſimus erat Euſebius cubiculo præfectus, quem deinde Iulian. qui omnes has ſordes ex aula eiecit, capite puniuit, teſte Sozom. *lib.5. cap.5.* Imperante Arcadio Eutropius eunuchus ſeruilis ſortis in Conſulem euectus eſt: quod notauit Socrates *lib.6. capit.6.* Sozomen. *lib.8. capit.* 2. & queritur Claudian. quo tempore tanta erat eunuchorum potentia, & gratia, vt plurimi per exſectionem dignitates ambirent, & ex vulnere occumberent, vt refert Suidas *verb. ἀνάδων.* Flauius quoque Antiochus patriciatum, & conſulatum adeptus eſt imperante Theodoſio Iuniore Arcadij filio. Denique ſummi honorum apices illis patebant, excepta purpura, vt ait Euagrius agens de Amantio eunucho *lib.4. c.*21. Heliogabalus mancipium eunuchorū vocatur à Lampridio in Alexandro. Quis Narſetis, Chryſaphi, & eiuſmodi aliorum potentiam ignorat? fuere & conſiliarij Reginarum: de Cleopatra enim ſic cecinit Horat. *lib.1. od.37.*

——dum capitolio
Regina dementes ruinas
Funus, & imperio parabat
Contaminato cum grege, turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria.

Cauſa verò, propter quam ad eas dignitates euehebantur à Priocipibus, erat peruulgata opinio eorum fidelitatis, vt ait Xenoph. *lib.7. Cyropad.* & eam ob rem pretioſiores fuiſſe enochos apud Perſas ſcribit Herodot. *lib.6.* & Corippus *lib.3.* ipſos ex ſumma fide commendat.

5 Quarta cauſa, quæ pretium faciebat eunuchis, erant obſcœnæ Principum, aliorumve deliciæ, & Pæderaſtia, quam fuiſſe primam eunuchationis originem dixit Lucian. *in dialogo amor.* & de Perſis eam ob caoſam pueros emaſculantibus ad longiorem patienriam impudicitiæ, vt loquitur Senec. *controu. lib.10. controu.4.* aut vt Hieronym. *lib.1. in Iouinian.* in longam, ſecoramqoe libidinem, ſignificat Herodot. *lib.1.6. &* 8. ideoque tantũ formoſos exſecabant: quod obſeruat quoque Dio *orat.21.* & omninò affirmat Clem. *lib.3. pædag. c.4.* Iuuenal. *ſatyr.* 10.

—— nullus Ephebum
Deformem ſæua caſtrauit in arce tyrannus,
Nec prætextatum rapuit Nero Loripedem, vel
Strumoſum, atque vtero pariter, gibboque tumentem.

Petron. *Satyr. cap.76.*

Heu pudet effari, perituraque prodere fata,
Perſarum ritu malè pubeſcentibus annis.
Subripuere viros, exſectaque viſcera ferro
In Venerem fregere, atque vt fuga mobilis æui
Circumſcripta mora properantes differat annos
Quærit ſe natura, nec inuenit.

Senec. *lib.1. de ira, ſub fin.* eò creuiſſe libidinem qoeritur. Qoiotilian. *lib.5. inſtit. c.12.* & Libam. *in apologia pro patre*, qoi filium occiderat, ne à Tyranno captus, & exſectus ſcortum fieret: atque ob eandem libidinis ſecuritatem fuiſſe in deliciis eunuchos fœminis peruulgatum eſt; neqoe alia de cauſa haoc *deteſtationem*, vt loqoitur Apuleius, Semiramidem excogitaſſe Ammiao. aliique tradunt. Aodi Claudia. lib.1. in Eotrop.

——ſeu prima Semiramis aſtu
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, leneſque genæ ſe proderę poſſent,
Hos ſibi coniunxit ſimiles, ſeu Perſica ferro
Luxuries vetuit naſci lanuginis vmbram,
Seruatoque diù puerili flore coëgit
Arte retardatam Veneri ſeruire iuuentam.

Claudat aculeata, & iuſta Cypriani qoerela *epiſt.2. ad Donatum. Quæ alimenta vitiorum hiſtrionicis geſtis inquinari videre contra fœdus, iuſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares, omnis honos, & vigor ſexus euirati corporis dedecore emollitur, pluſque illic placet, quiſquis ma-*
6 *gis virum in fœminam fregerit.*

Poſtrema denique pretij euonchorum cauſa, eſt ſuauitas vocis ad concentus muſicos: acuta enim eſt, & ſoauis, ſicut & puerorum, ac fœminarum. Quod obſeruat Ariſtot. *ſect.11. problem. q.16.34. &* 65. Ludooic. Cœlius *lib.19. cap.12.* Macrob. *lib.6. Saturnal. cap.10.* vbi ait ſæpiùs ignorari, an mulier, an euouchus loquatur. Cuius rei cauſam ex ſuperflui humoris abundantia, atque ex frigiditate eo loco explicat Diſarius.

Cum igitur tam pretioſi eſſent, poſſintque etiam hodie eſſe variis ex cauſis eunuchi, quæritur, An eorum nundinatio vſque adeò quæſtuoſa, licita quoque exiſtat.

Obſeruandum eſt, quod fuſiùs diximus *lib. de irregularit. cap.3. q.1. conſect.4.* duo eſſe genera eonuchorum, natos nempe, & factitios: quamuis enim pauci omninò naſcantur cum hoc defectu, vt obſeruat apud Aug. *author. qq. ex vtroque teſtam. quæſt.116.* ſunt tamen aliqui eioſmodi à natura, ſioe quòd careant eo membro, ſiue quòd ex conformatione, alióve defectu, vt frigiditate, inhabiles ſint coniogio. Alij verò arte hominum fiunt tales, ſiue attritione, & contuſione, ſiue excisione, ſiue medicamentis: vnde variæ eunochorũ ſpecies, & varij eunuchandi modi, de qoibus omnibus quantum noſtro inſtituto ſatis erat, ex Paul. Æginera *lib.6. cap.68.* diximus. Vide Valeſ. *cap.24. ſacra philoſophia.* Nanceliom *libro 7. microcoſmi, capit.10. problem.6.* Paulum Zachiam. *lib.2. tit.3. quæſt.7. num.6.* Abulenſ. *in cap.19. Math. q.89.* & Heribertum, ſioe Theophil. Raynaudum de eunuch. *cap.2. §.2. n.2.* & toto illo opere. 7

Aio igitur primò excisionem virilitatis, ſiue per deteſtationem, vt loquitur Apulei. & amputationem prolium, ſiue quo alio modo fiat, licitam eſſe in iis omnibus caſibus, in quibus alicuius alterius membri mutilatio, aut debilitatio licita foret; nempe in iuſtam pœnam à Iudice, vel mulctam ab hoſte, & ad totius corporis conſeruationem. 8

Hæc aſſertio docetur ab iis omnibus, qoi eunochiſationem aliquo caſu licitam eſſe voloot, qoos ſtatim afferemus. Neque ſanè ſi aliquando licita poteſt eſſe, vniuerſalior, aut certior regula tradi poteſt illâ, quam attulimos, vt eo caſu licita ſit, quo permiſſa erit alterius alicuius membri amputatio, aut debilitatio, cùm non magis homo ſit dominus aliorum membrorom, quàm iſtius; quare vbi par erit cauſa, æquè iſtud demeti (vt loqoitur Arnob) aut debilitari, inutileque reddi poterit atque aliud. Itaque ſicut hoſtis victor poteſt iosto bello captos aut vita priuare, aut libertate, vel naſo, oculis, alióve membro molctare: ita & virilitate. Sic Phocas tyrannus ab Heraclio victore truncari pudendis, tum capite minui iuſſos eſt: quod habet S. Nicephorus Conſtant. *in hiſtoria.* Debet tamen ſeruari æquitas ea in re, vt culpa ſit proportionata tam immani pœnæ, quæ etiam ipſi ooxio, & reo inferri debet, non aliis, vt eius liberis alionde innoxiis. Quare truculentia fuit Leonis Armeni, qoi filios Michaëlis Theophilactum, & Ignatiom euirari curauit: neqoe beoè audiit Darios, qui penè Iones omnes exſectione molctauit, apud Herodot. *lib.6.*

Deinde poterit hæc deteſtatio in pœnam à Iodice imponi, ſi crimen ita poſtulet: contra quam velit Alciat. *lib.7. parerg. cap.23.* & Benedictus *ad capit. Raynutius, de teſtament. verſ. qui cum alia. num.16. & 17.* Sanè lex Salica iubet ſeruum, qoi quadraginta denarios ſobripuerat, caſtrari, *titul.13. de furto ſeruorum*, §. 2. & ſeruus, qui cum aliena ancilla mœcatus fuerat, ea mortua caſtrabatur, *titul.19. de adult. ancillæ*, §.6. Ioſtinian. qooſdam Bizantinos Pæderaſtas virilitate priuauit, & vltimo ſupplicio affecit, ſicut & Philippus Pulcher corruptorem Regiæ nurus eadem ratione puniuit.

Denique vbi fas erit exſectione vitã conſeruare proles computandas permittere chirurgo, ſicut & brachium,

Digitized by Google

brachium, aliudve membrum, licebit: ita Sylu. *verſ. corpore vitiati, num.3.* Tolet. *lib.1.cap.61.* neque intereſt, quænam pars laboret morbo, vt licita ſit eiuſmodi deteſtatio, contra quàm aliqui velint; nimirùm vt ſi pudenda corrumpantur, ſecari poſſint, non verò ſi aliqua alia pars, vt ob lepram graſſantem, immò poteſt & quis ſecandi peritus, hoc caſu ſe ipſum demetere, ſicut & pedem abſcindere, ſi certæ morti ea ratione ſubducere ſe poſſet, aut ſi tyrannus mandaret alicui, vt ſi vitam ſaluam vellet, manum ſibi abſcinderet: id abſque culpa facturum docent Molin. *tract.3.diſp.10.* Tolet. *lib.5.cap.6.* Leſſ. *lib.2.cap.9. num.101.* Filluc. *tract.29.num.79.* Bonac. *diſp.2.de reſtitution.q.vlt. ſect.1.p.6.* contra Turrian. *tom.2. diſput.29.dub.1. num.5.* qui Sot. Bann. & Salonium ſequutus eſt. Quæ omnia confirmantur, quia qui ita ſeipſum abſcidit, aut abſcindi volens paſſus eſt, ad vitæ conſeruationem, aut qui inuitus à Iudice, aut hoſte paſſus eſt, etiamſi ſuo ſcelere cauſam illi morbo, vel pœnæ dederit, non eſt tamen irregularis; quod ſolidè, & fuſiſſimè oſtendimus conſectar.4. citato.

9 Aio ſecundò nullo alio caſu licitam eſſe exſciſionem virilitatis: eam enim iura omnia ſacra, profanaque damnant, & grauibus pœnis plectunt. Adrian. ſeruo ſpadonem facienti, & ei, qui caſtrandum exhibuerit, ipſique medico, qui exſecuerit, capitale eſſe vult, vt refertur *in l.4.D.ad l. Corneliam, de ſiccariis.* Domitianus apud Sueton. *cap. 7.* caſtrari mares vetuit, ideóque ſæpiùs à Martiale commendatus, vt obſeruauit Biſciola *tom.1. ſubſeciu. lib.1.cap.22.* & ab Statio *lib.3. ſyluar. carmine de coma Earini*: *& lib.4.ſyluar. carmine de via Domitiana.* Aliò verò ſpectat quod Apollonius apud Philoſtrat. *lib.6.vita, cap.7.* dicebat, eundem Domitianum feciſſe *terram eunucham*, quia vetuerat in Aſia plantari vites, & vt ait Sueton. nequis in Italia nouellaret, ne videlicet cultura frumenti negligeretur. Domitiani legem in exſectionem confirmauit Nero apud Dionem: ſub Antonino ſolus Præfectus Auguſtalis facultatem exſectionis facere poterat, vt colligitur ex S.Iuſtino, *in apologia,* apud quem adoleſcens Chriſtianus, vt doceret falſum eſſe, quod de promiſcua Venere Chriſtianorum in ſacris ferebatur, libellum obtulit Fœlici Alexandrino Præſidi, vt liceret ſe medico excidendum præbere, quod ille recuſauit. Conſtantin. *l.4.C.de Eunuchis*: qui eunuchos facerent in urbe Romana, capite puniuit, mancipium, & locum, in quo quid tale fuerat commiſſum domino diſſimulante, fiſco addixit: alias Principum Conſtitutiones dabit Balſamon *ad Can.24. Apoſtolorum.* & plura alia Gregor. *lib.7. ſyntag.cap.2. & lib.36. cap.16.* Denique Iuſtinian. *Nouella 142.* caſtratores caſtrari iuſſit, ex qua ſectione ſi euaſiſſent, bona eorum addixit fiſco, ipſoſque in gypſum mitti perpetuò voluit: mulieres verò, quæ id attentarint, mitti in exilium, confiſcatis bonis; quas pœnas ad mandantes, locum, & perſonas præbentes, offerentéſve extendit. Leo verò Imperat. Conſtit. 60. *περὶ τῆς τῶν ἐυνουχιζόντων τιμωρίας* probauit, excepto taliune mutilationis. *Non enim,* (inquit,) *quia is, qui caſtrauit, quaſi refingere creaturam Dei auſus eſt, in contumeliam Creatoris continuò vindicem, id imitari, & pariter refingere æquum eſt.* Vide Gregor. *loco citato.*

Ius Eccleſiaſticum irregulares facit, tum qui exſcindũt, tum qui ſe exſcindi volentes patiuntur, vti fuſiùs oſtendimus *conſectar.* 4. nuper citato, *ex Can.21.22.23. & 24. Apoſtol. ex Can.1. Nicæ.* & aliis. Idcircò Ambroſ. *lib de viduis.* dixit eſſe ſtatuta maiorum contra abſcindentes ſeipſos. Laxata tamen ea fuit diſciplina apud Græcos, qui iſtos eunuchos Pontificiali etiam dignitate ornarant: vnde data occaſio veri, aut falſi rumoris, fœminam in eam Sedem inuectam fuiſſe. Qua de re conſule epiſtolam S. Leonis IX. ad Michaëlem Cerularium, ac Leonem Acridanum *cap.3.* vide & Ærodium *lib.1 rerum indicatar. tit.4. cap.14.* Baronius in obitu Leonis IV. Pontificis Romani, Florimund. Reimundus, *tract.de Ioann. Papiſſa.* Poſſent hoc loco adduci Patrum in hanc carniſcinam iudicia, quorum aliqua loco laudato de irregularitate adduximus. Plura dabit Heribertus, ſiue Raynaud. in citato opere de eunuch. præſertim *cap. 4.5. 7.* vnus Cyrill. apud Suidam *verb. σπάδων,* omnia huius criminis probra complectitur. Addunt & aliqui ius diuinum *Leuit. 22. num.24.* vbi animal emaſculatum ſibi offerri prohibet Deus. Ideoque Ioſeph. *lib.4. antiq. cap.8.* negat licuiſſe Iudæis vel vllum animal caſtrare, & fugiendum eſſe vult commercium eunuchorum, quibus cùm ſit anima effœminata, id ad corpus transferunt. Et *Deut.23.* ſic edicit: *non intrabit eunuchus attritis, aut amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro Eccleſiam Domini.* Vide Interpretes, qui vario modo ingreſſum illum in Eccleſiam exponunt, ſiue de coniugio cum Iſraëlitide, ſiue de coaptatione in præfectos populi, ſiue de iure ciuitatis, ſiue de ipſo in atrium templi ingreſſu. Quidquid enim cenſeas, inde colliges, quàm abominandum eſſet id genus hominum Deo, immò ferè omnibus gentibus, ſi Perſas, & Aſſyrios excipias, qui & ipſi non niſi ex impotenti libidine ipſos probarunt: ipſeque ſpurciſſimus Terentius *in eunuc.act.4.ſc.4.* eunuchum monſtrum hominis vocitat.

Quod ipſa naturalis ratio docet: hæc enim exſectio & Deo, & naturæ, quam immutat, & corrumpit, iniurioſa eſt. Quod eleganter explicat Ambroſ. *lib.5.in Herah.cap.3.ſub fin. Tollis homini quod natus eſt, & virum de viro exuis, abſciſſaque corporis parte ſexum negas, ſpadonem efficis, vt quod negauit natura in hominibus, impleret audacia.* Similia habet Zonaras *in can.22.Apoſt.* oſtendens hos euiratos, & vt loquitur, exmares factos, neque viros, neque mulieres eſſe, ſed prodigioſam quandam naturam. Et Alexander Seuerius apud Lamprid. tertium genus hominum appellabat eunuchum, quia nempe nec vir, nec mulier eſt: quod dixit etiam Lactant. *lib.2. cap. 21,* Epiphan. *in hæreſi Valeſiorum.* Nazianz. *orat. de Athanaſ.* Prudent. *hymn. 10. de S. Roman.* Lucian. *in eunuc.* & alij. Quare elegãter Mamertin. in panegyr. Iulian. *Quos quaſi à conſortio humani generis extorres, ab vtroque ſexu, aut naturæ origo, aut clades corporis ſeparauit.* Varro ait in lege Mæuia ſcriptum, *qui ſe eunuchiſat in parte patriam, & parentem extinguit.* Denique cùm homo non ſit dominus ſuorum membrorum, illá amputare pro libito fieri nequit, & ſine grauiſſima, atque iuſtiſſima cauſa, vt ſupponimus ex diſputatione de dominio, ſub finem huius operis.

Aio tertiò ex cauſis nuper allatis, quæ pretium 10
quondam faciebant eunuchiſmo, nullam prorsùs eſſe, quæ licitam, & honeſtam reddat eunuchiſationem, & ne ipſam quidem vocis ad ſacros concentus ſuauitatem, illam à culpa immunem facere.

Huius aſſertionis prior pars oſtenditur expen-

Digitized by Google

ſione cauſarum eunuchiſmi, quas initio recenſuimus, cùm aliæ obſcœnæ prorſus ſint, aliæ protsùs inanes: nam formæ,& iuuentæ flos ad Principum, Reginarumque delicias turpitudinem, & nequitiam continet, & falſa præterea eſt, cum euirati illi & olidi, & luridi, ac deformes euadant, vt Cyrill. *apud Suid.* Ammian. *lib.*14. & alij ſapienter obiiciunt, ipſaque probat experientia. Vide Adrian. Iun. *lib. de coma cap.*2. ideoque eorum occurſum inauſpicatum, & horridulum fuiſſe pluribus oſtendit Brodæus *lib.* 4. *Miſcella. cap.*1. & de Roa. *tom.*2.*ſingular. cap.*1. Hieronym. *epiſt. ad Euſtochi. de cuſtod. virginit.* facies eunuchinas ridet, & pro turpiſſimis habet: & Horat. *epod.* 9. indignatur Romanum militem ſeruire Cleopatræ, eiuſque eunuchis.

Romanus (heu poſteri negabitis)
Emancipatus fœminæ
Fert vallum, & arma miles, & ſpadonibus
Seruire rugoſis poteſt.
Interque ſigna, turpe militaria
Sol aſpicit Conopeum.

11 Altera cauſa, quæ petebatur ex minoribus corporis incommodis, inepta eſt, nam eadem ratione conſtitutionem, & habitum fœmineum, quem imitatur eunuchiſmus, præponere poſſes virili, cum illæ quorumdam affectuum, quos mares patiuntur, ſint immunes, molliores ſunt eunuchi, & franguntur in fœminam: vnde Apuleius *lib.*7. *mileſio.* volentibus aſinum præſtigioſum, & ferocientem occidere, ſuadet emaſculare. *Poſſum*, inquit, *petitis è domo ferramentis huic præparatis, trucem amatorem iſtum, atque inſuanem diſſitis femoribus emaſculare, & quouis verueco manſuetiorem facere.* Quanta verò ex eunuchiſmo incommoda proueniant, oſtendit Galen. *lib.* 1. *de ſemine, cap.* 7. Aretæus *lib.*1. *cap.*5. atque ex ipſis Laurentius *lib.*7.*anatom. cap.*7. *quæſt.*1. ex quibus Galen. colligit, membris omnibus eſſe nobiliores proles. Denique in exſciſione graue periculum vitæ incurritur: quoſdam enim ex ea interiiſſe narrat Acaſtro *verb. eunuchus*: & can. Apoſtolorum 22. 23. & 24. eum, qui ita ſe exſecuerit, ſui homicidam, vitæ ſuæ inſidiatorem nominant. Vide Baltalar Gomeſium Amexcua *lib.*1.*de poteſtate in ſeipſum, cap.*9.*n.*12.

12 Tertia cauſa, de maiori ad quædam munia aptitudine, æque inſulſa eſt: nam & à ſacris arcentur chriſtianis, ſuntq; irregulares, vti fuſiùs olim oſtẽdimus; neque apparet quid ad veri numinis cultum exſciſio conferre poſſet, & quo iure in eum finem illam vſurpare liceat; contra quàm aliqui voluerint, quos caſtigat Couarru. *in Clemen. ſi furioſus, initio num.*6. Neque verè dixit Maiol. *lib.*1.*de Megula cap.*15. *num.* 3. aliquem zelo fidei poſſe ſibi amputare virilitatem: quo iure iſta deteſtatio ad zelum fidei pertinebit? An licebit ex eo zelo aliud membrum amputare? Nam licet flagellationes, aliaque carnis tormenta pœnitentiæ zelo cum laude ſuſcipiantur, non tamen membrorum abſciſſiones, in ipſiſque etiam carnis cruciatibus moderatio ſeruanda eſt: quod de flagellationibus oſtendit Gretſer. *lib.*1.*de diſciplinis, cap.* 11. & Theophil. Raynaud. *in erudito opere Heteroclitorum pietatis, part.* 1. *ſect.* 2. *num.* 18. Sanè ne ad continentiam quidem, quæ maximè ſacros miniſtros decet, ſeruandam probanda eſt hæc exſciſio: quod olim circa Origenis factum docui *lib. de irregularit.* & ſanè Patres improbarunt: ſicut & in valeſiis hæreticis, vti retulimus ex Epiphan. *hereſi* 58. Factum Origenis excuſat à culpa Petrus Alloix *lib.* 1. *Origen. defenſ. cap.*6. & *lib.* 4. *quæſt.*3. §.1. cùm nondum extaret canon Nicænus: canones verò Apoſtolorum ipſum laterent, & amor virtutis illud excuſarit, ſicut & alios quoſdam, qui tuendæ caſtiſtatis cauſa ſe mutilarunt. Iuuenis quidam apud S. Hieronym. linguam in ſcortum expuit: Eba cum ſuis puellis ſe denaſauit: Apud Baron. ann.870. ſimilia complura dabit Spinell. *tract. de virginib. numero* 46. & Bernardinus *lib.*7.*de perſeuerant. cap.*7. Verùm quidquid ſit de culpa Origenis, quam bene multi veteres agnouere; certum eſt, immunitatem à carnis tentationibus non benè quæri per eam exſectionem, cùm non membra, ſed voluntas perniciem afferat: qua de re vide Gerſon. 2. *part. dialog. de cœlibatu, art.*3. Idcircò Leſſ. *lib.* 2. *cap.*9. *num.* 98. Et ſanè hæc exſectio tacitam quamdam blaſphemiam arguit, quaſi Deum malè naturam inſtituiſſe velint; eſtque furor, & inſania eſt, vt ait Baſil. *lib. de vera virginit.* arbitrari non aliter cauſam peccati auferri poſſe, quàm abſciſſione membrorum. In quam rem diſſerit etiam Chryſoſtom. *homil.*64.*in Matth.* & Ambroſ. *ſub fin. lib. de viduis.* Neque virginum quarumdam, quæ ſe deformarunt, exempla rectè adducuntur: nam vis externa afferebatur earum pudicitiæ, quam alia ratione tueri non poterant, quare iſtam ſingulari numinis impulſu amplexæ ſunt. Sanè quod olim monuimus, ipſa experientia docet, eunuchos factitios eſſe ſalaciores: quare ait Arnob. *lib.* 5. æſtuatum eſſe in conciliis Deorum, quomodò Athydis libido, & intractabilis feritas domari poſſet, & tandẽ ſtatutum, vt vino madidaretur, & virilibus ſpoliaretur abſciſſis. *Quaſi verò*, inquit, *affecti, corporalibus his damnis fiant languidioris audaciæ, & non quotidiè videamus eos, qui ſibi demeſſuerint has partes, maioris petulantiæ fieri, atque omnibus poſtpoſitis pudoris, & verecundiæ frenis, in obſcœnam prorumpere virilitatem, flagitiorum confeſſione vulgata.* Idem queritur eunuchus apud Libam. *tom.*2. *ſerm.* 20. & docet ratione, atque experimentis Baſil. *lib. de vera virginit.* Cyrill. apud Suidam ſæpiùs citatus. Aug. *lib.*6. *in Iulian. cap.*14. Epictet. apud Arrian. *lib.* 2.*cap.* 20. ex quibus videas, quàm incautè ſpadonibus cura Gynecæ imandaretur, quod pluriũ eiuſmodi cuſtodum inſania, & ſpurcitia docuit ſæpiùs, & Leontium, alioſque qui, vt ſine ſuſpicione cum fœminis verſari poſſent, hoc remedio vſi ſunt, fucum feciſſe, vt ſuam libidinem occultiùs, ſecuriùſque explerent. Alia quædam nos attulimus lib. de irregul. Plura dabit Heribertus *opere de eunuch. cap.* 4. §. 3. Denique quàm inepti ſint ad aulica miniſteria eunuchi, eorum flaccida, & mollis indoles, atque improbitas oſtendunt: & ſanè peſſimè, vbi apud Principes gratiâ valuerunt Rempublicam adminiſtraſſe certum eſt: quare plures Principes illos ex aula eiecerunt, quibus eorum perfidia innotuit; cùm tamen, quod ſummæ fidei haberentur, in aulam fuiſſent acciti, magno damno Principum, qui ſe ſuaque temerariò illis crediderunt. Quæ omnia exemplis paſſim obuiis confirmare non placet: moneo duntaxat pleroſque, qui Reſpublicas adminiſtrarunt; dicunturque eunuchi, non fuiſſe reuera emaſculatos, idque nomen muneris cuiuſdam aliquando fuiſſe: quod pridem obſeruauit Elias Creteuſis *in orat.* 3. *Nazianzeni.* Perer. *in cap.* 37. *Geneſ. diſp.* 9. Caſtro *in Ierem. cap.* 29. Maldonat. *in Ierem. cap.* 38. Sanctius *Prolegom.* 1. *in Daniel.* Lorin. *in cap.* 8. *actor. Apoſtol. n.* 27. & alij.

Vltima denique cauſa, quæ honeſtare poteſt 13
exſciſionem

exſciſionem virilitatis, eſſet ſuauitas vocis ad concentus ſacros, quibus iſti euirati paſſim adhibentur: quam cauſam probant Salon. 2.2. *q.* 6. 5. *contron.* 2. Trull. *lib.* 5. *in decalog. cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 4. nec abeſſe videntur Sayr. *lib.* 7. *clauis cap.* 9. *n.* 38. & Mendoza *in* 1. *Reg. cap.* 8. *verſ.* 15. *num.* 9. acriter verò illam defendit Paſqualigus *deciſion.* 498. & *in qq. canon. cent.* 1. *q.* 100. duo tamen hanc honeſtatem euirationis exigunt. Primum eſt, vt pueri, qui exſecantur, ſui iuris ſint, & polleant vſu rationis, atque commoda incommodave, quæ inde conſequentur, percipiant, & ſuæ exſciſioni conſentiant: cùm enim neque ſacris admoueri ſine diſpenſatione, neque ex Conſtitutione Sixti V. coniugio illigari queant, æquum non eſſet, illos inuitos tam grauibus incommodis vexari. Alterum, quod exigunt, eſt vt ſine periculo fiat exſectio, quod in tanta Chirurgorum, & ſectorum peritia non fuerit difficile. Ita explicatam hanc ſententiam probant, quia poteſt quilibet diſponere de ſuis membris, vti neceſſe fuerit ad totius perfectionem, & conſeruationem: dum igitur agetur de conſeruando homine per honeſtam ſuſtentationem, qua omninò carebit, amiſſa ſuauitate vocis, & qua retenta vitam quoque honeſtam traducet; cur non poterit in eum finem de membro minùs nobili, & neceſſario diſponere, illudque abiicere, aut ita debilitare medicamentis, vt vſui non ſit, & vocis illam ſuauitatem vnicum ipſi vitæ ſuſtentandæ ſubſidium retinere, & carere illis commodis, quæ ex eo membro ſequerentur, quandoquidem eiuſmodi carentiam multò minus malum eſſe exiſtimat, quàm mendicitatem, quia & libenter coniugio carebit, & ſacrorum veniam facilè impetrabit.

14 Nihilominùs contrariam ſententiam veriùs docent Turrecremat. *in c. ſi quis a medicis d.* 55. Præpoſit. *ibidem, num.* 1. Geminian. *num.* 2. quos allegat, & ſequitur Barboſ. *in collect. ad c. ſi quis abſciderit d.* 55. *n.* 1. Tanner. 2.2. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 5. *num.* 101. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 1. *n.* 2. Bonac. *diſp.* 7. *de conſ. quæſt.* 2. *punct. num.* 34. Lugo *diſp.* 10. *num.* 21. Thomas Hurtado *tom.* 2. *reſolut.* 38. *moral. tract.* 12. *num.* 758. Megala *tom.* 2. *promptuar. verb. eunuchus, num.* 2. Bellet. *diſquiſit. cleric. p.* 1. *titul. de diſciplina clericor.* §. 7. *num.* 12. Diana 3. *part. tract.* 5. *reſolut.* 38. & *part.* 6. *tract.* 8. *reſolut.* 36. Theſaur. *in praxi pœnit. verſ. membrorum mutilatio.* Lezzana *tom.* 3. *qq. regular. verb. homicidium. num.* 4. & *verb. irregularitas. num.* 75. & qui alios dabit Heribertus *de eunuchis cap.* 4. §. 5. Rangol. *in lib.* 1. *Regum cap.* 8. *ad verſ.* 16. Probatur in primis, quia iſti caſtrati habentur irregulares, & contrarium probabile eſſe falsò dixit Ferdinand. A caſtro *diſp.* 6. *de cenſuris, punct.* 12. *num.* 4. fatenturque ipſi aduerſarij, ipſos indigere diſpenſatione; quæ irregularitas non eſt ex defectu, vt patet, alioquin qui naſcuntur eunuchi, aut qui per vim abſciſſionem paſſi ſunt, forent quoque irregulares, cùm eodem defectu laborent, quod tamen falſum eſſe docuimus. Deinde ſi ad captandum commodum aliquod temporale, & vitandam inopiam liceret ſibi virilitatem adimere, cur non ad ſeruandam continentiam, & graue damnum ſpirituale fugiendum idem licuiſſet? quod tamen damnant PP. in Origene, & aliis, & vidimus: Cur non honeſta fuit exſectio ad captanda munera aulica, curam Gynecæi, & ſummos honores, atque immenſas opes? quod tamen ipſimet Ethnici acriùs ſunt inſectati. Adde omnia illa, quæ probant exſectionem malam eſſe, reperiri in illa, quæ fit ad vocis teneritudinem, vt patet. Neque benè adducitur Balſamon *can.* 4. *in Trullanum*, qui refert ſuo tempore totum, ferè chorum cantorum ex eunuchis conſtitiſſe. Quia nuper monuimus apud ipſos ea ætate laxatam fuiſſe diſciplinam ea in parte, & *lib. de irregularitate* id etiam expendimus: ſanè non potuit gratiſſima eſſe illa muſica, quæ tota ex vocibus eunuchinis acutis conficeretur. Denique inania ſunt, quæ Paſqualigus adducit, cum non agatur de totius corporis conſeruatione, ſed ſolius vocis, neque ea abſciſſio ſit vnicum remedium: certitudo verò comparandi ea ratione diuitias, non ſatis firma eſt, cum poſſit aliis de cauſis vox interire, aut abſona reddi, & vt dicebam, licita ex illa ipſa cauſa fuiſſet olim exciſio, ad captandum introitum in aulam; neque etiam fiet abſonus concentus muſicorum, cum pueri in quibus eſt illa teneritudo vocis, poſſint ſibi inuicem ſuccedere: & denique conſuetudo, quam afferunt aliud non probat, quàm eunuchos applicari choris muſicis, non verò eam ob cauſam eſſe caſtrandos.

Aio quartò negotiationem eunuchorum aliquandò illicitam, & turpem eſſe, aliquandò verò licitam, & honeſtam. Nunquam enim licet negotiandi causâ quemquam eunuchare ſiue ferro, ſiue medicamentis, vti hactenùs demonſtrauimus: 15
quare damnanda eſt illa veterum venalitiorum nundinatio, qui vt mancipia pretioſiora facerent, illorum formæ abſciſſa virilitate lenocinabantur. Neque hanc negotiationem per eunuchiſationem finis vllus poterit honeſtare: qui tamen puerum ea de cauſa eunuchatum à ſe, vel ſuo iuſſu venderet, validè venderet; nam in ea venditione iniuſtitia non committeretur, quamuis in eunuchiſatione commiſſa fuiſſet, maximè ſi quis inuitus illam fuiſſet paſſus. Non apparet etiam vlla alia ratio inualiditatis in eo contractu: quare & dominus illius ſerui ſuo imperio abſciſſi dominium illius in emptorem transferret, & pretium ſuum faceret, ſi nihil aliud quàm abſciſſio impediret.

Licitam verò, & aliquandò honeſtam eunuchorum nundinationem, quæ erat ſecunda pars noſtræ aſſertionis, inde liquet, quod eunuchus fieri poteſt aliquis ſine culpa cuiuſquam, ſi vel talis natus ſit, vel in pœnam ab hoſte, aut Iudice, vel ob neceſſariam totius corporis conſeruationem, ſicut docuimus. Quamuis enim reus ſua culpa dederit cauſam eunuchiſationi, aut etiam qui eunuchauit, peccauerit; cùm tamen venalitius illam neque fecerit, neque curarit ad negotiandum, ſed talem quacumque de cauſa factum, vel natum inuenerit, aut emerit, poterit eundem diſtrahere, atque ſi exſciſio eum pretioſiorem fecerit, maiori pretio diuendere, quàm ſi non eſſet eunuchus, quia reuerà tunc in communi hominum æſtimatione pretioſior eſt, neque venalitius ipſum, vt pretioſiorem faceret, abſcidit. Vnde etiam ſequitur eunuchum ipſum, qui ſuauiorem vocem habet, aut ad alia munera aptus eſt; poſſe ea de cauſa maiorem ſuæ operæ, aut obſequij mercedem poſtulare, modo ea obſequia honeſta ſint, vt ſuppono: ſi enim inhoneſta forent, idem ſentiendum foret hac in parte, quod de venditione rerum indifferentium, quibus tamen emptor abuſurus creditur, vt diximus opere de vſuris, *lib.* 1. *cap.... art.... num....* Inhæſimus porrò in hac noſtra aſſertione Conſtitutioni Conſtantini *l.* 2. *C. de eunuchis*. qui Romanos eunuchos vbiuis terrarum fieri, & factos diſtrahi, & vendi ſub grauiſſimis pœnis prohibuit: Barbaros verò eunuchos extra Romanum imperium

imperium factos cunctis negotiationibus vendendi, emendive, vbi voluerint facultatem facit.

Conſectarium X.

Status quæſtionis. num. 1.
Duplex conuentio turpis. 2.
Regula prima. 3.
Pretium acceptum ob turpem operam præſtitam retineri poteſt. 4.
Reiiciuntur alij modi dicendi 5. 6.
Exigi poteſt pacta merces operis iniqui. 7.8.
An votum de re turpi obliget. 9.
Secunda regula, Conuentio de re turpi eſt inualida ante executionem. 10.11.
Tertia regula, Quandonam conuentio de re turpi, etiam iure poſitiuo inualida ſit. 12.
Pronuntiata vniuerſalia. 13.

1 CErtum quidem eſt, negotiationem, omnemque conuentionem de re turpi, & illicita, turpem quoque, & illicitam eſſe. Verùm quia nuper *art.* 1. diximus materiam illicitam, non facere ſemper negotiationem circa illam inualidam, & iniuſtam; neque impedire quominùs aliqua obligatio ex illa naſcatur: Quærimus hoc loco, an omnis negotiatio turpis, & illicita, quia eſt de re quadam turpi & mala, ſit etiam inualida, ac proinde, an lucrum, quod ex illa ſequitur, validè, immò & licitè accipiatur, atque retineatur: v. g. pretium meretrici datum, vel homicidæ, vel alicui alteri ſuam operam ad aliquod maleficium præſtanti, retineri ab illo poſſit, an verò reſtituere debeat, & ſi nondum pretium pactum accepit, illud accipere, immò & exigere poſſit, & promiſſor tradere obligetur, ſiue ius naturale tantùm, & forum internum; ſiue ius ciuile, & forum quoque externum ſpectemus. Qua in re diſſident ſanè inter ſe DD. in plures partiti factiones, vt ex eorum reſponſis circa ſingulares caſus, & difficultates conſtat: vix enim controuerſiam in vniuerſum, aut in ſeſe ſpectatam, & à caſibus ſingularibus abſtractam definierunt, (quod nos facere conamur) ſed ad aliquam materiam ſingularem, meretricium, ſimoniam, ſententiam iniuſtam, & alia eiuſmodi, determinatam ſpectarunt: Nos verò regulas vniuerſales ex eorum dictis colligemus noſtro more, ex quibus deinde ſingulares difficultates ſequenti conſectario explicabimus.

2 Obſerua verò cum Hotman. *in D. de condictione ob turpem cauſam, num.* 1. conuentionum alias natura, alias ciuiliter turpes haberi, *l. probrum* 42. *D. de verborum ſignif.* Natura turpes ſunt, quibus de eo, quod natura probrum eſt, conuenit, veluti de adulterio, homicidio, furto, vt *in l. citat.* babet Vlpian. Item de nouercæ, priuigni, nurus, & ſoceri nuptiis, *l. vltim. D. de condict. ſine cauſa.* Sunt enim inceſtus illæ nuptiæ, non matrimonium iure gentium, inquit eo loco Papinian. Ciuiliter turpes ſunt, quæ Romani iuris inſtituto flagitioſæ ſunt, cùm apud alias quaſdám gentes fortaſſis probæ habeantur, veluti vt ſoror in matrimonio habeatur, *l. ſi ſtipulor.* 35. *D. de verb. obligat.* Audi Æmilium Probum. *Cimoni*, inquit, *non fuit turpe Athénienſium ſummo viro ſororem germanam habere in matrimonio: quippe cum ciues eius, eodem vterentur inſtituto. At id quidem noſtris moribus nefas habetur.* Quod idem de auitæ, materteræ, auunculi, aut patrui nuptiis dicendum eſt, *ex l. vlt. D. de condict. ſine cauſa.* Cum tamen inceſtus licitus foret apud Perſas, teſte Catullo, Auguſtin. *in Leuit. cap.* 18. quod ipſum Mirrha teſtatur apud Ouid. 1. *metam.* vt ſeſe ad flagitium incitet. Qua ratione furtum quoque, quod apud Ægyptios permittebatur, & apud Lacedemonios laudi erat, non natura, ſed ciuiliter tantùm probroſum dici deberet. Et ſanè aliqui verba Vlpiani *in l.* 42. *de verb. ſignific.* iam allata, ita interpungunt apud Alciat. *in comm.* vt furtum ciuile tantùm probrum eſſe ſignificet. *Probra quædam*, inquit, *natura turpia ſunt, quædam ciuiliter, & quaſi more ciuitatis, vt puta furtum, adulterium ex natura turpe*, quod nempe vbique gentium probrum eſt, *corrumpere alienum matrimonium, etiam communi gentium more damnatur*, inquiebat Lactant. *in Epitome cap.* 6. Denique addit Vlpian. illud natura probrum non eſſe, *quod poteſt etiam in hominem idoneum incidere, v. g. tutela damnari, non naturâ probrum eſt, ſed more ciuitatis.* Simili ratione aliquid dicitur eſſe contra bonos mores, quia vel aliquid natura malum continet, vel pugnat cum moribus in ciuitate receptis: & pacta, atque ſtipulationes contra bonos mores ſæpiùs Iuriſconſulti nominant, non tantùm quæ præbent occaſionem aliquid turpiter, & iniquè agendi, vt committendi adulterium, vel homicidium, ſed etiam quæ ſimul mores, quos in Republica ſeruari æquum eſt, violant, ſiue illi æquè cum naturali honeſtate pugnent, ſiue non. Sic appellat aduerſus bonos mores factam iniuriam *l.* 15. *§. item ait. D. de iniuriis.* Quia aduerſus bonos mores ciuitatis facta eſt, quia æui mores cuiuſque ciuitatis boni præſumuntur. Aduerſus bonos mores peccat, qui aduerſus bonos mores ciuitatis, in qua viuit, quidpiam commiſit. Simili ratione Paul. *in l.* 4. *D. de conditionibus Inſtitutionum*: conditiones contra bonos mores numerat cum iis, quæ vel contra edicta Imperatorum, vel leges ſcriptæ ſunt, aut deriſoriæ ſunt. Papinian. *in l.* 121. *D. de verb. obligation* ſtipulationem, *qua mulier ab eo, in cuius matrimonium conueniebat, ſtipulata fuerat ducenta, ſi concubina tempore matrimonij conſuetudinem repetiſſet, & bonis moribus conceptam* fuiſſe reſpondit; ideoque nihil eſſe cauſæ cur mulier impleta conditione, pecuniam adſequi non poſſit: vnde colligunt contra bonos mores Romæ quoque receptos fuiſſe, ſi maritus vxori concubinam adiungens, & quod inde neceſſariò ſequitur, conſtitutionem 1. *C. de concubinis*, quæ Conſtantino tribuitur, non primùm ab illo editam fuiſſe, cùm multò ante moribus Romanis ſeruaretur, vt conſtat ex hoc Papiniani reſponſo, *& l. vlt. ſub fin. D. de diuortiis.* & Paul. *lib.* 2. *ſentent. titul.* 20. *§. fin.* Agimus verò hoc loco de negotiatione, & lucro ob turpem, & illicitam cauſam, ſiue ea naturâ turpis ſit, ſiue ciuiliter, quamquàm ſemper ferè contingat, turpem eſſe naturâ, quandò ciuiliter turpis eſt, quia aut boni mores ciuitatis damnant quod natura turpe eſt, aut quod naturâ ſua malum non eſt, aut turpe, ſed dum moribus, aut legibus prohibetur, iam malum, & turpe eſt, & vix violantur illæ leges, & mores abſque culpa, etiam theologica, vt loquuntur: quia tamen quæ natura probroſa, & turpia ſunt, non ſemper habentur talia ciuiliter, quia tolerantur à legibus, neque puniuntur, neque ratione illorum

Digitized by Google

illorum dator actio; idcircò ſæpiùs vſui eſt in pactionibus iſta diſtinctio, eorum, quæ naturâ, vel ciuiliter prubroſa, & turpia ſunt, vti aduertit Alciat. *in com l.42.D.de verbor. ſignificat.* maximè ad conuentionis validitatem, & obligationem in vtroque foro diiudicandam, quod hoc loco præſtare tentamus.

Regula Prima.

3 QVamuis negotiatio, & conuentio de re turpi, & illicita, turpis, & illicita ſit, non ita tamen iure naturali inualida eſt, vt opere prauo commiſſo, & re turpi poſita, pretium illius conuentum accipere, retinere, atque adeò exigere nefas ſit.

Huius propoſitionis vniuerſaliſſimæ ſenſus perſpicuus fiet ex ſubiectis exemplis. Pactus es pretium meretrici, vt ſui copiam faceret: propolæ, vt tibi venenum venderet, aut rem aliam, quam ſe non venditurum vouerat: ſicario, vt hominem occideret: Iudici vt ſententiam iniuſtam ferret: ſagæ, vt veneficium faceret. Et meretrix ſe comprimi paſſa eſt: propola venenum tradidit: ſicarius hominem interfecit: Iudex tulit ſententiam iniquam: ſaga veneficium meditatum, & promiſſum perfecit, tuque iis omnibus pactum pretium exhibuiſti. Valet tota ea negotiatio, quamuis eam faciendo, & exequendo peccatum ſit; neque tunc pretium a te datum, & promiſſum vi conuentionis repetere vales, neque qui illud poſt exhibitam tibi operam, quam promiſerant, acceperunt, reſtituere tenentur: immò ſi iſti omnes fecerunt, quod ſe perfecturos promiſerant; nempe vſuram corporis, venenum, cædem, iniquam ſententiam, aliaque eiuſmodi crimina ex pacto conuento commiſerunt, vel tecum, vel tui causâ, vti fuerat pactum; pretium à te promiſſum exigere poſſunt, tuque dare obligaris, atque ita pactionem conuentam implere, quia id potes ſine peccato præſtare: dando enim pretium promiſſum non peccabis, quamuis promittendo peccaueris, & illi cum quibus pactus es.

4 Aio igitur in primis, eum, qui operam in opere turpi præſtitit, pretium pacto conuento promiſſum accipere poſſe, & retinere: ſuppono enim qui promiſit, & alterius conduxit operam, promittere potuiſſe, & dare quod dedit; ſecludo quoque legem omnem poſitiuam irritantem eiuſmodi pacta: attendo ſolam æquitatem naturalem. Ita ſentiunt Leſſius *lib. 2. cap. 14. dub.* 8. Molina *tract. 2. diſp.* 94. Vaſq. *de reſtitution. cap. 7. dub.* 1. & Homobon. *in exam. Eccleſ. part. 2. tract. 9. cap. 9. q. 24.* Azor. *3. p. lib. 4. cap. 21. q.* 2. Sayrus *in claui lib. 10. tract. 5. cap. 3. n. 34.* Villalob. *tom. 2. tract. 11. diffic. 16. num.* 8. Malder. *in 2. 2. tract. 1. cap. 9. dub. 7.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 14. dub.* 1. Rebell. *2. p. lib. 18. q. 1. num. 9.* Ferdinand. A caſtro *de iuſtit. diſp. 2. p. 9. num. 4. & 5.* Sà *verb. promiſſio, n.* 3. Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp. 14. n.* 5. Salom. *in 2. 2. q. 62. art. 5. contr. 4. concl. 1. & 2.* Sylu. *2. 2. q. 32. art. 7. concl.* 3. Dian. *tract. 16. ſiue 2. Miſcellan. 2. part. reſolut.* 28. Lugo *diſp. 18. num.* 54. Fagund. *de iuſtit. lib. 3. cap. 6. num.* 3. S. Thom. *2. 2. q. 32. art. 7.* expreſſè de pretio meretricis. & ibid. eius Comment. Caietan. & Aragon. Bann. *ibid. in art.* 5. Antonin. *2. part. tit. 2. cap.* 5. Angel. *verb. reſtitutio, & verſ. turpe lucrum,* §. 1. Armilla *verb. reſtitutio,* §. 19. Syluiſt. *verb. reſtitutio 2.* §. 2. & *verb. reſtitutio 4.* §. 2. & *verb. eleemoſyna, q.* 4. Nauarr. *cap. 17. n.* 31. Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 6. n.* 8. Petrus a Naua *lib. 4. cap. 2. n.* 114. Couarru. *in reg. peccatum, 1. part.* §. 2. *n.* 2. atque alij paſſim. Non pauci tamen, neque ignobiles DD. nobis repugnant: nam primò Comitol. *lib. 3. reſponſ. q.* 6. in vniuerſum negat aliquid pro peccato facto accipi poſſe, quod & alij DD. ſentiũt apud Couarru. *in regul. peccatum, 2. part.* §. 2. *num.* 9. quam ſentẽtiam probabilem quoque cenſent Leſſius, Diana, Fagund. & alij quidam, licet noſtram probabiliorem iudicent. Secundò Medina *Codic. de reſtitut. quæſt.* 20. negat, quidquam pro opere peccaminoſo ratione ſui accipi poſſe per modum pretij, ſed ſolum ratione donationis gratuitæ, quæ ſæpè interuenire ſolet, ſecùs verò ſi opus ſit ſolum illicitum ratione circunſtantiæ cuiuſdam extrinſecæ, vt loci, temporis, ſcandali iuramenti, quia opus illud ſepoſita illa circunſtantiâ bonum eſſet. Tertiò Couarru. *in regul. peccatum. 2. part.* §. 2. *num.* 7. fatetur quidem accipi, & retineri poſſe pretium criminis naturâ ſua æſtimabilis propter induſtriam, aut operam præſtitam: v. g. ſi quis contra leges ædificet, laboret die feſto, homini occidendo locet ſuam operam: in aliis verò, in quibus neque labor impenditur, neque malitia eſt æſtimabilis, nihil pretij, aut mercedis vice capi, vel retineri poterit. Quartò Paludan. *in 4. diſt. 15. quæſt. 3. artic. 5. concl. 3. & 4.* lucrum ex turpi cauſa neque acquiri, neque retineri poſſe vult, quando eſt turpitudo ex vtraque parte tum accipientis, tum dantis: quam ſententiam communem eſſe dicunt Nauarrus, & Couarru. Quintò Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 7. art.* 1. & Corduba *lib 1. quæſtion. q.* 31. & in ſumma Hiſpanica *q. 66. & 67.* voluit, pro peccatis contra iuſtitiam nihil accipi, aut retineri poſſe, ſecùs verò pro peccatis cõtra quampiam aliam virtutem. Sextò Gabriel. *in 4. diſt. 15. q. 6. art. 1. notab. 4. & art. 2. concl. 4. & art. 3. dub.* 3. & Adrian. *in 4. de reſtitutione, q quæ incipit, Reſtat inquirere, an extorta*: reſtringunt illam ſententiam ad peccata concuſſionis pro quibus nihil liceat accipere: concuſſionem verò contingere dicunt quoties aliquis officij ſui benè gerendi prætextu, quidpiam indebitum extorquet, & vltra ſtipendium aſſignatum. Quare Aduocatus pro iniquo patrocinio, Iudex pro iniqua ſententia quidpiam accipiens, illud reſtituere debebunt, non verò quod datum fuerit pro homicidio, aut aliis contra iuſtitiam ſceleribus: ideóque differt hæc ſententia à priori illa, quam docuerunt Sotus, & Corduba. Alij denique excipiunt crimina, quæ in foro externo puniuntur: nam pacta de illis faciendis, vbi patrata ſunt, non debere ſeruari, neque quod promiſſum fuit accipi, aut ſeruari poſſe dixit Couarru. §. 2. *citat. num.* 7. Leſſ. *lib. 2. cap.* 18. & 20. Sà *verb. promiſſio. num,* 3. Gutierres *de iuram. cap. 6. à num.* 3. Verùm his omnibus reiectis dixi cum communiori ſententia, pretium pactum pro turpi, & criminoſo opere patrato, capi & retineri iuſtè poſſe, ſecluſo omni iure poſitiuo, de quo agemus poſtrema regula: quod euidenter demonſtro. Nulla in ea acceptione, aut retentione committitur iniquitas: igitur licita eſt hæc acceptio, & retentio. Quæ conſequentia certiſſima eſt, non enim illicita eſſe poteſt rei alicuius acceptio, & retentio, niſi aliquid peccetur vel in acceptione, vel in retentione. Antecedens verò manifeſtum eſt: vel enim peccatur contra virtutem, quam violauit opus peccaminoſum, pro quo committendo promiſſum fuerat hoc pretium, quod nunc pro commiſſo reipſa datur,

vel

vel violatur iuſtitia, quia aliquid indebitum accipitur, aut alia quapiam ratione læditur ius alterius illa acceptione mercedis promiſſæ; neque ſanè vlla alia turpitudo fingi poteſt in acceptione, de qua agimus. Atqui neutra ex iſtis iniquitas committitur in eiuſmodi acceptione. Et primò quidem non peccatur contra virtutem, quæ per opus, cuius pretium modò accipitur, violata fuit, quia iſta donatio, & acceptio pretij promiſſi, non eſt approbatio, aut complacentia criminis iam admiſſi, aut noua ad illud incitatio, ſed executio promiſſionis & compenſatio operæ præſtitæ: & licet tum dantem, tum accipientem pœniteat præteriti ſceleris, ſtatuerintque deinceps ab illo abſtinere, vult tamen alter, quod promiſit, & cuius ſe debitorem conſtituit conducendo operam, aut emendo, rem alterius præſtare, & alter pactum ſibi ſtipendium, aut pretium recipere, quandoquidem id faciendo non peccat illo peccato, quod iam admiſit. Deinde non peccatur contra iuſtitiam, quia qui donat illud pretium, eius dominus eſt, vt ſuppono; & res, aut opera, quam compenſat eo pretio digna erat, & vendibilis; cùm & vtilitas, & voluptas, aliaque, quæ in ea re, aut opere reperiuntur æſtimabilia, & iuſto pretio compenſabilia ſint, quare licet ratione malitiæ neque vendi, neque permutari licitè poſſint; ideóque peccetur in ea venditione, non tamen committitur iniuſtitia; neque ius alterius, quod reparandum ſit, læditur; pretium, & quod rependitur, æquale eſt rei venditæ, vti Vaſq. *cap. 7. citato dub.* 1. Leſſius, Delugo, & Couarru. explicant. Neque peccatum, quod in venditione alicuius rei committitur, quodque facit eiuſmodi venditionem illicitam, & peccaminoſam, reddit illam neceſſariò inualidam, & impedit quominus ſubſiſtat, obligeturque emptor pretium rei emptæ, & acceptæ, ſoluere venditori, qui etiam rei ſuæ pretium validè accipit, & retinet, vt infinitis exemplis conſtat. Vt, ſi vendidiſti rem in loco ſacro violata religione: ſi venenum occiſuro inimicum, aut abortum procuranti: ſi gladium, ſi cibos prohibitos die ieiunij, ſi militem in bello iniuſto habuiſti; ſi ſcalas ad furtum nocturnum: an verò iſtorum omnium pretium non accipient, qui hæc omnia vendiderunt? Quamuis meretrix corporis ſui abuſum pati non poſſit ſine peccato, neque ad illum pacto conuento, pretioque ſe obligare; pretium tamen pro eo iam præſtito, accipere potuit, & ſicarius ſtipendium locatæ operæ ad homicidium; neque ea acceptione iuſtitiam violant, vt vides. Quorum omnium ratio eſt, quia potes aliquandò validè vendere rem, & pretium eius retinere, quam tamen ſine peccato vendere nequis, ratione ſcandali, voti religionis, charitatis, aut caſtitatis, aut alicuius alterius virtutis, quam ea venditione violas, quia ad valorem venditionis ſufficit ſi vendas rem condigno pretio, quamuis eam non poſſis licitè, neque fortaſſis iuſtè à te abiicere: v. g. meretrix non poteſt licitè corpus ſuum vendere, vxor verò neque iuſte, neneque licitè id poteſt, cùm ius mariti lædat, ac proinde ea venditio ſit contra iuſtitiam ratione mariti. Validè tamen vendit ſuum corpus, quia in cõmuni hominum exiſtimatione illa corporis ſui copia æſtimatur aliquo pretio, & omne opus quatenùs alteri aut vtile, aut delectabile eſt, æſtimabile quoque eſt, atque ex natura ſua vendibile, & quamuis propter aliquam circumſtantiam etiam huic operi ſingulari, & in indiuiduo intrinſecam, in ea venditione peccetur contra aliquam virtutem, non tamen peccatur contra iuſtitiam reſpectu emptoris, cui venditur, quamuis fortaſſis peccetur cõtra ius alterius alicuius, atque ratione illius ſit iniuſta venditio, vt in adulterio, in quo læditur ius alterius coniugis, & illi fit iniuria, non tamen committitur iniuſtitia aduerſus adulterum; ideóque nequit ratione illius iniuſtitiæ inualidari ea conuentio, ita vt peracto adulterio non poſſit ab adultera capi pretium conuentum: ex quibus vlterius ſequitur conuentionem, cuius opus iam exhibitum eſt, validam eſſe ratione pretij pacti, & exhibiti, quandoquidem illa pretij acceptio non eſt contra iuſtitiam aduerſus dantem, cui nulla fit iniuria, neque vllum ipſius ius læditur. Ergo ſubſiſtit ea acceptio, neque reſcindenda eſt reſtituto pretio. Non eſt etiam illicita quamuis illicita fuerit promiſſio, & conuentio, quia in ea nullum (vt oſtendi) admittitur peccatum, ſed iam commiſſum fuit cauſâ obtinendi illius pretij commiſſi: vnde vulgare illud dictum. *Turpiter promitti, ſed patrato iniquo opere licitè ſolui promiſſum.* Addit Delugo *diſp.* 18. *num.* 48. ſatis eſſe ad valorem venditionis, eiuſque iuſtitiam, quod venditor conuento pretio ſe priuet aliquo bono, quod poterat ſine emptoris iniuſtitia retinere: quare ſiue licitè, ſiue illicitè ſe illo bono priuet, patitur in gratiam emptoris aliquod damnum pretio dignum, quod damnum pati non debet: eius igitur pretium, & compenſationem capere poterit: quare cum vulgò dicitur non poſſe validè vendi rem ab eo, qui eius liberam adminiſtrationem, & dominium non habet, id intelligendum eſt, vt non poſſit vendi ab eo, qui rem illam ſine iniuſtitia aduerſus emptorem retinere non poteſt, cui rem illam ſine venditione dare poteſt, ſi illi dare velit. Id porrò, quod venditur a meretrice, & vxore adultera, & ab alio, qui ex pretio pacto turpe quid præſtat, eſt carentia illius honeſtatis, ac rectitudinis, quam ſibi iuſtè retinere poterat abſque cuiuſquam iniuria, maximè emptoris, in cuius tamen gratiam illa ſe priuat, illicita quidem venditione, ſed valida tamen.

In hac ſubtiliori ratiocinatione diſplicet quòd Delugo velit rem, quæ in iſtis turpibus pactis, & negotiationibus venditur, eſſe ipſam honeſtatem, & rectitudinem caſtitatis, religionis, & illius alterius virtutis in quam peccatur opere prauo, de quo iſti ſcelerati negotiatores paciſcuntur: nam vel venditur carentia honeſtatis, quam ſibi quis retinere poterat, & debebat, eaque de cauſa eſt illicita venditio, vt videtur ſentire Delugo; vel ipſamet honeſtas, qua ſe priuat. Primum dici nequit: neque enim carentia mercis venditur, ſed ipſa merx, quãuis venditionem neceſſariò conſequatur carentia mercis illius in venditore, cùm vi venditionis illã à ſe abiicere, & emptori tradere debeat, & ſi venditio perfecta ſit, iam tradiderit; neque ante eam traditionem debeatur illi pretium, niſi conuentum ſit ex legitima cauſa de anticipata ſolutione. Deinde carentia, cùm ſit non ens, vendi nequit niſi ratione alicuius entis, quod ens venditur, cuique annexa eſt carentia per quandam neceſſariam conſequutionem. Et ſanè in exemplo allato à Delugo in adulterio, & meretricio non venditur carentia caſtitatis, & iuſtitiæ ſeruandæ marito, ſed vſus corporis, cui annexa eſt carentia illarum virtutum, immò venditur actus poſitiuus contra eas honeſtates, quod in aliis operibus prauis, de quibus fiunt iſta pacta, contingit. Et ſanè carentia virtutis æſtimabilis non eſt, ſed res vtilis, vel delectabilis, quam

eiuſmodi

eiuſmodi carentia conſequitur, vt abuſus corporis, & actus venereus, cædes, furtum, quæ non emuntur, niſi propter vtilitatem, aut delectationem, quam ex illis percipere cupiunt, non verò propter carentiam honeſtatis. Neque etiam dici poteſt, in venditione operis turpis vendi ipſammet honeſtatem qua ſe priuat qui ita turpiter operatur; quia quod venditur fit emptoris, illique traditur; neque emptor hoc loco quærit illam honeſtatem, in quam ipſemet ſua conuentione peccat, & deinde in illius executione accipit à venditore reuera rem turpem, non honeſtam; copiam corporis alieni, operam ad cædem, ac furtum: quæ omnia ſunt æſtimabilia, quamuis habeant aliunde adiunctam malitiam, ſine qua emptori tradi nequeunt, ſed vbi tradita ſunt, non reddunt iniquam, & inualidam acceptionem pretij, quod pro ipſis promiſſum, aut datum fuerit. Quæ eſt communis DD. noſtræ ſententiæ, firmaque ratiocinatio.

5 Ex quibus omnibus teucias primò quod aiebat Medina, non poſſe capi pro opere turpi, niſi quod gratuitò donatur, non verò per modum pretij, cum peccatum non ſit venabile quid, aut æſtimabile. Nam oſtendimus peccatum quidem vendibile non eſſe, neque vendi, ſed opus peccaminoſum, non ratione peccati quod iſti negotiatores abeſſe vellent, ſed ratione vtilitatis, & delectationis, quam in illo opere, illicitè tamen quærunt, vti demonſtrauimus. Vnde etiam habes contra Couarruu. non modo id verum eſſe in opere cuius materia æſtimabilis eſt, vt ædificatio, & labor, atque opera; ſed etiam in alio, in quo eſt ſola delectatio; quamquam vix ea ita ſolitaria eſt, vt plurima æſtimatione digna non adiungantur, vt in venere. Et ſanè ſiue actio quæ emitur ſit laborioſa, ſiue non, modò ſit vtilis, & grata danti pretium, æſtimabilis erit. Paludani verò & plurium aliorum ſententia, non poſſe capi pretium praui operis, quoties turpitudo eſt ex parte dantis, & accipientis, quia quod turpiter accipitur, turpiter quoque retinetur, ſupponit euidenter falſum, & id ipſum, de quo inſtituitur diſputatio, nempe acceptionem pretij praui operis eſſe turpem. Et iam oſtendimus illam cum ſequitur peccatum iam commiſſum, eſſe licitam, ſicut & donationem, neque turpis appellatur eiuſmodi donatio, niſi quia fit ex cauſa turpi: quod ſi donatio & acceptio præceſſerit peccatum, fuit quidem turpis, quia ob turpem cauſam, & ad illam obtinendam facta fuit, facto tamen peccato, eius retentio licita erit, quia iam ceſſauit turpitudo, quæ fuerat in acceptione, & donatione, nempe propoſitum peccandi, & obligatio ad illud. Neque ſanè quidquid turpiter accipitur, neceſſariò turpiter retinetur: poteſt enim ex mutatione circumſtantiarum turpitudo, quæ fuit in acceptione ceſſare, & proinde retentionem non inficere. Si enim tibi ſcienti Sempronius rem alienam vendidit, peccaſti illam accipiendo, vti diximus *art.2.* Si tamen deinde Sempronius illam ſibi iure comparauit, tranſactione v.g. facta cum Caio, cuius erat, potes illam retinere, neque teneris reſtituere, quia licet peccaris contra iuſtitiam, rem alienam ſciens emendo, non tamen illam retinendo peccabis, vbi iam facta eſt venditoris.

6 Non ſunt etiam à communi, & noſtra ſententia excipienda peccata contra iuſtitiam, vti volebant Sotus, Corduba, Gabriel, & Adrian. quia eadem planè ratione opus prauum prauitate iniuſtitiæ æſtimabile eſt, & vendibile; atque prauum prauitate intemperantiæ, aut irreligioſis, vti vides comparando inter ſeſe peccatum intemperantiæ, adulterij, homicidij, furti, & ſacrilegij. Neque dicas quod accipitur peccando contra iuſtitiam, iniuſtè recipi, iniuſtam verò acceptionem nullam, & inualidam eſſe, atque adeò obnoxiam reſtitutioni, quia iniuſtitia, quæ reddit inualidam acceptionem eſt ea, quæ committitur aduerſus dantem, non aduerſus aliquẽ alterum, cui quidem ſi fiat iniuria, & damnum irrogetur, ſatisfaciendum erit, quod non fiet neceſſariò per reſtitutionem rei acceptæ, & pretij pro iniuria illi irrogata; quod vides in adulterio, & homicidio: adulter enim fecit iniuriam marito, non adultero ſuo, à quo ſui criminis ſtipendium accepit: homicida fecit iniuriam homini quem occidit, atque aliis, quorum intereat ipſum viuere; non committit autem iniuſtitiam aduerſus illum in cuius gratiam illam cædem admiſit, & à quo mercedem tanti facinoris habuit. Quare reparãda quidem eſt iniuria ab adultera, & homicida facta: quæ reparatio non fiet per reſtitutionem ſtipendij horum criminum, quia neq; impediuntur cùm iam commiſſa ſint, neque damnũ compenſabunt, imò ſi adultera, & homicida pretium ſuæ turpitudinis retineant, erunt potentiores ad reparandum aliqua ratione damnum illatum: quod autem afferunt ex Auguſt. *ep.*54. tangit aliam difficultatem ſequẽti conſectario explicandam. Denique quod peccatum pro quo commiſſo datur pretium promiſſum, puniatur in foro externo, non facit vt iure naturali dumtaxat ſpectato non ſit æque æſtimabile, atque ſi non puniretur, ac proinde non ſit æque vendibile: an verò ex ea punitione ſequatur, ius ciuile irritare iſtas conuentiones; & incapaces reddere iſtas paciſcentes quidpiam vi illarum, vbi executioni mandatæ ſunt, acquirendi, definiemus tertia Regula.

Aio ſecundò admiſſi ſceleris pactam mercedem non modo retineri, ſed etiam exigi poſſe. Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperiori. Si enim merces illa licite accipitur, cur non etiam retinebitur? nam quænam turpitudo noua aut iniuſtitia fingi poteſt in retentione, quæ non fuerit in acceptione. Neque enim in illa retentione potius probatur aut fouetur peccatum commiſſum quàm in acceptione, neque noua iniuſtitia aduerſus dantem committitur, neque aduerſus alium quempiam, ſi in ipſa acceptione cõmiſſa non fuerit. Nam ſi damnum & iniuria in cõmittendo facinore illata ſunt, illa quidem reparanda ſunt, verum neque de nouo inferuntur acceptione, neque retentione mercedis pro ea iniuſtitia patrata, neque non acceptione eiuſmodi mercedis, aut eius non retentione, vel reſtitutione reparabitur, vti nuper euicimus; neque aduerſarij conſentiunt de eo cui facienda erit reſtitutio, ſi fiat enim pauperibus, aut qui dedit, quod aliqui volunt, aut fiſco, non reparabit damnum illatum Tertio per opus prauum quod ea mercede compenſatum fuerat. Itaque omnes eadem ratione philoſophantur de retentione huius mercedis, atque de acceptione, & vtramque vel ſimul damnant vel ſimul probant. 7

Quod vero attinet ad petitionem huius mercedis quam dixi licitam eſſe, docent Leſſ. *lib.2. cap.*18. *num.*18. Layman. *lib.3. tract.4. cap.6. num.*8. & alij qui accipi poſſe fatebantur: quia promiſſio in hoc caſu obligat promiſſorem ad rem promiſſam ſoluendam, v. g. mercedem operæ præſtitæ, quamuis ad rem turpem. Ita Leſſ. & Laym. *locis citatis.* Vaſq. *de reſtitut. cap.7. dub.*11. Caietan. 2.2. *quæſt.*32. *artic.* 7. & alij qui priorem noſtram aſſertionem docuerunt. Tu enim promiſiſti titulo oneroſo & ex contractu veluti locationis, aut emptionis, aut 8

cuiuſpiam innominati: ſi igitur inquit Leſſius opera præſtita tantũ valet, quantũ res aut merces promiſſa, naſcitur obligatio iuſtitiæ in promiſſore, quãdo enim contractus impletus eſt ab vna parte, debet ab altera ex æquitate & iuſtitia naturali impleri, ſi id facere poſſit abſque peccato, quod fuſiùs oſtendimus *opere de vſuris lib. 3. cap... art... n...* atque ex his.

Colligitur ratio à priori, quia promiſſio obligat promiſſorem quoties ſine peccato poni poteſt, etiãſi dum facta fuit, eſſet illicita: ſed poſito peccato de quo pactando conuentum erat, poteſt deinde ſolui pretium promiſſum, vti hactenus euicimus. Obligat igitur promiſſio de illo facta. Et ſane ad dignoſcendam obligationem promiſſionis, non debet attendi an res illicitè promittatur, & an res illa ſecundum ſe illicita ſit, ſed an poſita tali promiſſione adhuc illicita maneat, & ſine peccato poni non poſſit; tunc enim promiſſio nõ obligabit. At verò ſi poſita promiſſione illicitè facta, res tamen promiſſa poteſt licitè dari, aut poni, reuera obligabit, niſi aliũde lege poſitiua irritetur; quia illud quod obligationẽ impediebat, erat malitia promiſſionis & exequutionis ipſius. Atqui nulla eſt malitia in eiuſmodi exequutione ex dictis, ergo illa nõ impediet obligationem exequendi promiſſionem, licet peccatum fuerit in promittendo, quia promittebatur propter turpem cauſam, & ad cõmittendum peccatum, ad quod proinde terminabatur tota promiſſio, nunc verò terminatur ad ſolutionem rei promiſſæ quæ quidpiam licitum eſt. Vt enim obſeruat Vaſq. *dub. citati n. 96. & ſeqq.* promiſſio illa ob turpem cauſam impleri poteſt vel propter peccatum, quod fieri intendit, aut iam factum compenſatur & approbatur, quod illicitum omnino eſt, & tunc nulla erit ea donatio: vel impletur promiſſio non ex motiuo, peccati, ſed vt impleat promiſſor id ad quod ex fidelitate & iuſtitia, poſt acceptionem promiſſionis obligatur, in quo motiuo nulla eſt, quod alias monui, peccati preteriti approbatio, ſed laboris, quamuis in re mala præſtiti compenſatio, quatenus ille labor propter vtilitatem aut delectationem quam ex illo percepi, & de qua pactus fueram, æſtimabilis eſt. Addit Vaſq. cauſam propter quam impletur promiſſio non eſſe neceſſariam circunſtantiam ipſius impletionis, quæ fidelitatem aut iuſtitiam tamquã propriũ obiectũ formale reſpicit, & poteſt ex fine malo, aut bono impleri. Debetque abſtinere a fine malo promiſſor implendo ſuam promiſſionẽ, vti abſtinere poteſt: quod ſi nolit, & finẽ prauũ ſibi proponat in illa impletione, approbationẽ v.g. turpitudinis præteritæ, peccat quidem, non tamen idcirco eximitur obligatione implendæ promiſſionis, ſed tenetur implere quod promiſit ex bono fine, atque abſtinere ab illo prauo fine, quem promittendo ſibi fixerat, vti reuera abſtinere poteſt; alioquin vbi quis ſibi malũ aliquem finẽ deſtinaret in implenda promiſſione etiã licita, non obligaretur promiſſionẽ ſuam implere, immo neque quemlibet alium actũ, ad quẽ aliũde obligaretur, vbi motiuum illius peruerſũ pro ſuo arbitrio ſumpſiſſet, v.g. quis debet puellæ mille nummos, quos illi bono animo promiſerat in dotẽ, aut ex quopiam contractu iuſto, & vult illos ſoluere ad ſibi demerendã illã, tẽtandãque eius pudicitiã; ſi cum tali fine eos ſoluat, peccat; non tamen eximitur obligatione illos ſoluendi. Quiquid pã Deo vouit poterit illud ex malo quopiã fine implere, an propterea liberabitur obligatione voti? non ſanè, & malũ eiuſmodi finẽ abiicere illũ oportebit, atque aliũ bonum aſſumere, quod eſt in eius arbitrio. Ratio a priori iſtorũ omnium eſt, quia vbi res aut actus ex obiecto ſuo malus non eſt, immo potius ad virtutem aliquam pertinet, licet ex prauo fine inficí & vitiari poſſit, id tamen neceſſariũ non eſt, cùm ille finis ipſi extrinſecus ſit, & non eſſentialis, qui proinde poni & remoueri poteſt, immutato eius obiecto & fine eſſentiali; quare ſi ſit obligatio ponẽdi illum actum, ea obligatio non tollitur per finẽ eiuſmodi prauum extrinſecũ, quem operãs ſibi aſciſcit, & quo corrumpit actum ex ſeſe & natura ſua bonũ, ſed tenetur illam turpis finis circunſtantiã à ſuo actu remouere eadem facilitate, qua ſibi illam fixit. In impletione igitur promiſſionis videndum eſt, an res quæ ex certo quodam fine & motiuo promiſſa eſt, debeat neceſſariò ex illo eodem impleri, eo quod talis finis ſit intrinſecus & eſſentialis illius obiecto; an vero alio quopiam fine quam quo promiſſa eſt, poſſit impleri, eo quod finis ille ſit tantum extrinſecus, & operantis duntaxat, & non ipſius actus. In primo caſu quando finis promiſſionis prauus fuit, rei quoque promiſſæ poſitio, ſiue impletio mala erit, quia tendet in finem prauũ eius obiecto eſſentialẽ, à quo proinde tolli nequit; & quãuis alius quiſpiã externus accedere poſſet, ille tamen nõ tolleret prauitatem finis interni, ſiue obiectiuã, à qua neceſſariò malitia formalis in illum actum & malitiã impletionis, ſiue rei promiſſæ deriuabitur, vt in furto ad dãdam eleemoſynã facto: contra quam fiat quãdo finis obiectiuus actus eſt bonus; corrumpi enim poteſt à fine prauo, quamuis tantum extrinſeco, neque poteſt fieri actus bonus ob finem prauũ, oratio v.g. ad mortem inimico optandam; cuius diſcriminis rationem reddidimus 1. 2. & in ſciẽtia canonica: ſatis modo ſit operantem tendere in illud obiectũ non præciſe ſecundum ſolam honeſtatẽ obiectiuã quam habet, ſed vt in effectum ex illis circunſtantiis, illoque maximè fine quem ſibi præſcribit, qui in illo actu eſt ratio formalis ſub qua, & ratio eſſentialis obiecti; ſiue ratio formalis quæ, eamque totam reſpicit prout ſubeſt illi fini, licèt extrinſeco, in quem collimat operans, & ad quem totum ſuum actum dirigit. Quando igitur actus aut res quæpiam promiſſa habet neceſſariò illum eundem actum quando ponitur, quem habuit quando promiſſa fuit, ac proinde promiſſio eiuſque impletio ex eodem fine & motiuo neceſſariò ponuntur, ſi promiſſio fuit praua, erit quoque praua eius impletio, quemcunque finem extrinſecum ſibi aſſumat promiſſor, dum ſuam promiſſionem implebit, & rem promiſſam ponet, quia illa impletio ſiue rei promiſſæ poſitio ex ſua natura & fine intrinſeco, atque obiectiuo mala eſt. At verò quando promiſſio & eius impletio non habent neceſſariò eundem finem, neque res promiſſa ex ſuo obiecto mala eſt, poteſtque ad malum aut bonum finem ex arbitrio promittentis aſſumi, neceſſe non eſt, vt ſi promiſſio mala fuit, impletio ipſius etiã mala ſit, quia idcircò promiſſio mala fuit quia promittẽs illã pro ſua voluntate ad prauum finẽ deſtinauit. Neque enim prauus ille finis eſſentialis & intrinſecus eſt rei promiſſæ. Impletio itaque ex alio quopiam fine fieri poteſt, qui ſi bonus ſit, bona quoque erit illa impletio, obligaturque promittens ex alio fine implere, quam quo promiſerat; cum ſit in eius poteſtate, & finem quem habuerat promittendo poſſit deponere, immo & illius ſuſcepti pœnitere, atque adeo tenetur promiſſionem licet illicitè ſuſceptã implere, cùm id licitè & ſine culpa poſſit, ſi lubeat. Quod totũ facile eſt explicare in hac turpi negotiatione, de qua agimus. Titius promittit certam pecuniã Corneliæ, illa viciſſim ſui corporis copiã: vtraq; promiſſio turpis eſt & illicita. Sed promiſſio Corneliæ eſt naturã ſua, & ex fine intrinſeco turpis,

quia

quia res promiſſa, nempe vſus corporis extra legitimũ matrimonium, turpis & malus eſt. Promiſſio Titij illicita quoque eſt, ſed ex fine promittentis, atque extrinſeco rei promiſſæ, quæ eſt pecunia, cuius datio non habet ex natura ſua finem aliquẽ intrinſecum malum, alioquin nunquam poſſet bene & licitè dari. Quare quando fit ob turpem cauſam, turpis, quando ob bonam, bona eſt. Porrò in arbitrio illam dantis aut promittentis eſt, quem ſibi voluerit finem conſtituere. Inde ſequitur vt impletio promiſſionis quam ſui corporis fecit Cornelia, ſit æque mala atque fuit ipſa promiſſio, neque abſque peccato poni poſſit, quia ex fine intrinſeco mala eſt, ideóque promiſſio non modo illicita fuit, ſed etiam inualida, cum ad ſui executionem obligare non poſſit, alioquin obligaret ad committendum peccatum, vt ſtatim monebimus. At vero promiſſio Titij dandæ pecuniæ pro copula Corneliæ obtinenda, illicita fuit, ſed ex fine tantùm extrinſeco, ad quẽ donatio pecuniæ, quã promiſit Titius, ab ipſo relata & ordinata fuit, neque ante obtentũ illum finẽ obligare potuit, quia obligaſſet ad peccatum, vt dixi. Obtenta tamen illa copulâ, datio pecuniæ promiſſæ poterit alium finem habere, quã copulam obtentam, quandoquidem eiuſmodi finis erat illi extrinſecus, qui proinde remoueri poteſt, & aſſumi finis alius bonus, nempe fidelitatis & iuſtitiæ quæ ipſum obligat implere promiſſionẽ onerosam, quando ſine culpâ poteſt impleri. Quare tandẽ Vaſq. *n. 99. & 100.* ait cauſam ob quam fuit facta promiſſio, neque eſſe finẽ, neque causã impulſiuã ipſius executionis hoc loco; ad id enim deberet allicere voluntatẽ per ſui complacentiam in eo actu, quod nequit facere hoc caſu, alioquin volũtas ſibi complaceret in peccato cõmiſſo, ad quod cõmittendũ facta fuerat promiſſio, immo poteſt & debet dolere voluntas de eo peccato. Quãuis igitur nõ fuiſſet mandata executioni promiſſio, niſi mala actio præceſſiſſet, quia tũc non fuiſſet obligatoria, nõ tamen propter illã tanquã propter finẽ fit ipſa executio, ſed quia vult ſe liberare obligatione qua tenebatur, quãuis illicitè & per actũ prauũ fuiſſet ſuſcepta: alioquin omnes cõtractus illiciti, & peccaminoſi, eſſent quoque inualidi, ſi obligarẽt ad peccatũ cõmittendum, & aliter impleri nõ poſſent; quia ſi fuerunt illiciti, peccatũ cõmiſſum eſt in eorũ celebratione, & tamẽ ſi aliunde nõ irritẽtur, obligãt ſine dubio, quoties obligatio per illos malè ſuſcepta, poteſt tamẽ ſine peccato impleri. Confirmatur quia quoties poteſt quis licitè retinere acceptũ, tenetur qui promiſit, illud dare ratione fidelitatis, quãcũque ob causã ſiue turpẽ, ſiue honeſtã promiſerit. Quid enim amabò illũ ab obligatione tũc liberabit?

Dices inde ſequi votũ Deo factũ ad obtinẽdã rẽ turpem, vt amicæ copulã, inimici cædẽ, obligare, & iis rebus obtẽtis eſſe implendum; quia poſt eã rem obtentã, turpẽ licet, impleri deinde ſine culpa poterit, ſicut dicebamus de promiſſione humana, quæ poſito peccato, & causâ turpi, propter quã facta fuerat, impleri poteſt ſine peccato, ac proinde obligat.

Reſp. votũ fieri poſſe cum conditione turpi plurib. modis. Primo in odium turpitudinis, v.g. ſi ludã, ſi peierẽ, ſi fornicer, erogabo centũ aureos pauperibus, viſitabo limina Apoſtolorũ, ieiunabo, fiam religioſus. Quod votũ licitũ & validũ eſt: quia qui ita vouet, promittit ſe quidpiã acturũ vt turpitudinẽ impediat, nõ vt illam cõmittat, eamq; cõmiſſam plectat eo voto quod obligat tum ad turpitudinem euitandã, tũ ad eam caſtigandam, ſi cõmiſſa fuerit. Quare nihil agit omnino, vnde turpitudo deriuetur in illud votũ, & ipſũ inualidũ reddat. Quod ſapiẽter aduertit Durand. *in 3. d. 39. q. 5.* & Caietan. *2. 2. q. 88. art. 2.* Suar. *lib. 2. de voto c. 5. n. 4.* & Vaſq. *de reſtitut. c. 7. n. 103.* Secũdò fieri poteſt votũ ad impetrandam rem malam & turpẽ, ſiue ad auxilium pro malo & turpi facto, ſiue ad gratiarũ actionẽ pro re turpi intenta, v.g. ad obtinendã inimici cædem, vel copiã fœminæ impetrandã; hoc votũ impiũ, ſacrilegũ & prorſus inualidũ eſt. Ita Caiet. *verb. votũ, & 2. 2. q. 88 art. 2.* Sylu. *verb. votũ 2. q. 2.* Nauar. *c. 12. n. 30. & 43.* Suar. *lib. 2. de voto c. 5. n. 7.* Sanch. *lib. 4. in decalog. c. 6. n. 13.* qui alios dabit: quia facit Deũ auctorẽ mali quod ab illo eiuſmodi voto impetrare vult. Eiuſque etiã executio mala eſt, quia cũ fiat in compenſationem illius rei turpis obtentæ, Deum quoque auctorem mali facit, aut fatetur, quod omninò impium eſt. Et ſane cùm iſte non vouerit niſi cũ reſpectu ad illũ actum turpẽ, atque ad illũ obtinendum, neque deinde exequitur rem promiſſam, niſi in ordine ad eandem turpitudinẽ, cuius agnoſcit Deum datorẽ aut auxiliatorẽ, ſeque ea de cauſa illi obſtrictum fatetur, neceſſariò dicendum eſt ex intentione operãtis totum illud votũ ad eiuſmodi prauũ finẽ dirigi. Neq; enim promittitur v.g. eleemoſyna, aut deinde datur, niſi ſub ratione mercedis, & veluti ſtipendij pro auxilio ad turpẽ actũ, vel rẽ dato. Quare tota materia voti reuerà quadã turpitudine inficitur, ac proinde votũ ipſũ reddit nullũ & ſacrilegũ, cum ab illo nequeat ſeparari turpitudo, aut intentio obtinendi illam mediante re promiſſa.

Dices nihil poſtulari à Deo per eiuſmodi votum, quod facere nõ poſſit, ac reipſa interdũ faciat, v.g. victoriã in bello iniuſto, quia tunc non petitur vt Deus ſit auctor iniuſtitiæ, ſed quod ſæpius ipſe facit, ita illã actionẽ materialẽ dirigat, vt quãuis ego in illa faciẽda peccem, nihilominus victor euadã. Siue pero vt mihi Deus victoriã concedat eo modo quo mihi illã iuſtè, & ſanctè cõcedere poteſt. Neque ſanè intendo facere Deũ auctorem peccati, vt malè ſupponere videtur Caiet. Immo id in mea intẽtione excludo, cùm ſolũ intendã à Deo eo modo, quo (vt dixi) illã dare ſanctè poteſt, licèt ego in illa petenda, procuranda, & intendenda peccem propter iniuſtitiam, quam in illo bello quod ſuſcipio, vel gero aut fateor, committo. Sicut ſi dicerem, licèt iniquus ſim, & iniquè bellum geram, ſcio te poſſe facere, vt hac iniqua actione obtineam, quod quæro, neque tu idcircò iniquus eris, hoc igitur mihi concede, quod ſi feceris, reum me voti talis habebis. Quidnam amabò, in toto illo voto reperitur quod Deum mali faciat auctorem?

Reſp. cum Suar. *cap. 5. citato, n. 14.* votũ eiuſmodi iniquũ, & ſacrilegũ eſſe, quia in eo vouens ordinat totã Dei actionẽ ac permiſſionem quã poſtulat, ad prauũ finẽ, & iniuſtã victoriã, quod per ſe malũ eſt. Neque enim bonũ aut procurare, aut facere, aut ab aliis fieri velle propter malũ finẽ poſſumus abſque culpa, quę in hoc caſu grauem iniuriã Deo infligit, cùm eius actionẽ ſanctiſſimã, in turpẽ finem nobis vſui eſſe quæramus, & velimus Deũ ſuã cooperationẽ & auxiliũ ordinare ad fauendum noſtræ impiæ volũtati & petitioni. Neque præciſiones quas hoc caſu Caiet. fingit reipſa poni aut ſolent aut poſſunt ab operãte, & reuerà tota illa petitio rẽdit in finem prauũ cõcupitũ, & res quæ promittitur ad illũ obtinẽdũ ordinatur, & ideo, ab eo neceſſariò inficitur.

Dices hinc ſequi non licere in bello aut duello iniuſto aliquid vouere pro propria incolumitate: v.g. ſi incolumis euadat, Religionem; cuius tamen contrararium affirmãt. Caietan. Nauarr. & alij, quos

adducit & ſequitur Suar. *cap.5. cit. n.16.* probatur conſequentia, quia noſtra illa incolumitas quam hoc caſu petimus, ordinatur ad iniuſtam victoriam, immo ipſius magna pars eſt, neque duo iſta ſeparari in ipſa intentione poſſunt.

Reſpondetur diſcrimen eſſe, quia in iſto exemplo, neque malum intenditur, neque etiam bonum quæritur per turpe medium; ſicut in priori, in quo iniuſta victoria quærebatur per Dei actionem, quæ tãquam medium ordinabatur ad ipſam obtinendã. Hic vero quod quæritur eſt propria incolumitas, quæ per votũ poſtulatur à Deo, eo quod ſit in graui periculo in bello, neque ordinatur illa conſeruatio noſtræ vitæ tanquã mediũ ad iniuſtam victoriã, ſed ad ſuæ naturæ cõmodum, quod totum bonũ eſt. Neque etiam iniuſta victoria ordinatur ad propriã icolumitatẽ tanquam mediũ, cum bellũ & duellũ ſint potiùs mediũ ad deſtruendã vitã, quàm ad illã conſeruandam. Itaque ſi iſta omnia in ſua intẽtione ſeparet vouens, votum illud bonũ erit & obligabit. Similiter ſi fur vouet ne in furto deprehendatur, obligatur ſuo voto ex Armilla *verb. votũ, n. 3.* & captus in bello iuſto, aut à Prætore, vouet ſi pœnam euaſerit, voto ſuo tenetur ex Azor *lib. 11. cap. 15. quæſt. 3.* Sanch. *lib. 4. & in decal. cap. 6. num. 23.*

Tertiò fieri poteſt votum in gratiarum actionem alicuius rei turpis obtentæ, v.g. victoriæ iniuſtæ, expugnati pudoris, & eiuſmodi aliorum: quod votum vel eſt purè gratificatiuũ, vel etiam ſimul impetratiuum. Primum non ſuſcipitur niſi re omnino obtéta, ita vt & promiſſio ipſa, & rei promiſſæ executio exiſtant poſt finem illum prauum iam obtentum; v. g. poſt victoriam iniuſtam vouetur peregrinatio, & fit in gratiarũ actionem. Aliàs verò votum quoad promiſſionem fit ante victoriam, & eius deinde executio victoriam obtentam conſequitur in gratiarũ actionem, quod votum ſimul gratificatiuum & impetratiuum eſt. Poſtremũ hoc votũ inualidũ eſt, & quoad promiſſionẽ, & quoad ipſam exequutionem, quoad promiſſionẽ quidẽ quia ipſa eſt impetratiua illius praui finis, & ad illum ordinat auxilium quod à Deo poſtulat, facitque ſui ſceleris auctorẽ, & cooperatorem, vti diximus. Quoad executionẽ quoque iniquum eſt tale votum, quia vt diſputat Suar. *n. 20.* ſic profitemur Deum auctorem fuiſſe illius iniuſtæ victoriæ, aut turpis alterius rei, pro cuius obtẽtione illi gratias agis, ſoluiſque pretiũ Deo, iniquo pacto cum illo facto comparatum, quod quàm iniurioſum Deo ſit, nemo non videt. Quare cõſulit Suar. vt qui actionẽ illam primam ſine peccato facere voluerit, illam omnino a voto præſcindat, & ab impetratione ſeparet. Ponat videlicet illam ſpõte abſque intuitu voti, & abſque obligatione vi illius contracta; ſed lubens in gratiarũ actionẽ boni cuiuſdam effectus, ex cauſa tamẽ mala conſequuti; atque ita malitiam quã effectus à ſua cauſa accipiebat, præſcindat.

Votum autem porè gratificatiuum, ſiue puræ gratiarum actio, & quoad promiſſionem, & quoad executionẽ, quod proinde non niſi effectu conſequuto ſuſcipitur, validũ & bonũ erit, ſi effectus per actionẽ iniquã conſequutus bonus ſit, & omnis malitiæ actionis per quam cõparatus fuit, expers, alioquin ſi malitia cauſæ in eo quodammodo perſeueret, malus erit, vt patet. Ita Soar. *cap. 5. cit. n. 19.* Ferdin. Acaſtro *diſp. 1. de voto puncto 8. §. 3. n. 4.* contra Sanch. *lib. 4. in decalog. cap. 6. n. 13.* Leſſ. *lib. 1. cap. 40. n. 37.* Layman. *lib. 4. cap. 7. n. 2.* quia in hoc caſu ſeparatur bonitas effectus à malitia cauſæ. Neque enim aguntur Deo gratiæ pro peccato commiſſo, aut pro iniuſtitia victoriæ, aut Dei actio in malum finẽ refertur; ſed pro tali effectu bono, & vt fuit à Deo, à quo nõ potuit non benè fieri. Quare magnum diſcrimen eſt inter hanc gratiarũ actionem puram, & non puram, ſiue cum impetratione cõiunctam, & vi illius poſitam, quia cum impetratio referat ipſam actionem, & auxilium Dei, atque illud bonum effectus ad finem malum, malitia nequit ab illa ſeparari, quam etiam deinde in ipſammet executionẽ deriuat: quod non contingit in pura actione gratiarum, niſi malitia in effectu aliquo modo perſeueret, vt qui gratias agit pro ciuitate, aut fundo bello iniuſto, aut lite iniuſta obtentis. Si adhuc fundum aut ciuitatem illã ſibi retineat, peccat, & inique vouet, quia gratias agit Deo pro retentione iniuſta, & illam nouum beneficiũ exiſtimat, éſtque in ea actione gratiarũ virtualis quædam petitio retentionis illius, & confirmatio propoſiti retinendi quod iniuſtè comparatum eſt. At vero quando malitia actionis non perſeuerat in eius effectu aliunde bono, poteſt pro eo effectu pura gratiarum actio inſtitui, vt pro filio ex illicita venere ſuſcepto. Poteſt enim quis & deteſtari turpem venerem, & prolem tamen ex illa ſuſceptam ſibi gratulari, non tamen vt ex tali venere ſuſcepta fuit. Vide eundem Suar. *num. 4.*

Quartò denique poteſt fieri votum ſub conditione turpi, quæ rationem habeat puræ omnino conditionis, & nullo modo finis, quod votum obligatorium eſt. Ita Nauarr. & Caietan. citati. Vaſq. de *reſtitut. c. 7. n. 103.* Sanch. *c. 6. citato n. 17.* Suar. *c. 5. n. vlt.* Caiet. 2. 2. *q. 88. art. 2. dub. 4. & verb. votum, cap. 2.* Tabien. *verb. votum,* 2. Valent. 2. 2. *diſp. 6. q. 6. punct. 2.* Neque alij negant, niſi quia exiſtimant eſſe impoſſibile, vt votũ fiat cum aliqua conditione ita pura, vt nullo modo induat vicem finis, eorumque omnia argumenta idẽ ſupponunt. Ita Abulenſ. *in c. 30. n. q. 92.* Sylu. *verb. votum 2. q. 2. dicto 3.* & alij. Et ſane vix id contingere poſſe exiſtimant Caiet. & Val. ſed malè, quia ſi Dux pugnans contra Turcas voueat religionem ſi Turca vicerit, ſanè non intendit ſuo voto victoriam Turcarum. Si quis idem vouerit, ſi vxor adulterium admittat, ſi ſoror fornicetur; & in eiuſmodi aliis fingi poteſt, quamuis vouentes vix ſoleant diſtinguere finem à cõditione ſub qua vouent, niſi vbi deinde à perito interrogantur ſingillatim, quid vouerint, & ſæpius etiam interrogati vix certi quidpiam de ſua illa intentione prononciare poſſint. Noſtra tamen aſſertio conſtans eſt, quia pura conditio voti cùm finis non ſit, non poteſt impedire validitatem voti, quod & bonum eſt, & ad malum non dirigitur, quamuis non niſi poſita aliqua mera cõditione turpi obligaturũ ſit; quã conditionẽ neque ipſi ponimus, neque ab aliis poni volumus, neque vt ponatur vouemus.

Ex his porrò omnibus facilè fuerit offerre diſcrimen inter votum & promiſſionem humanam. Cur nempe quando eſt pro opere turpi obtinendo, poſt illius executionẽ promiſſio humana implenda ſit, ſiue res promiſſa ponenda ſit, quia poni poteſt ſine turpitudine, & votũ impleri nõ debeat in illo caſu, quia ſine culpa impleri nequit. Quia tunc ſolùm votum impleri nequit, quando eſt vel impetratoriũ, vel ſimul etiam gratificatorium de re turpi obtenta. Ne videlicet Deum faciamus auctorẽ illius turpitudinis, ſiue promittendo quidpiam pro illa obtinẽda, ſiue gratias agẽdo pro obtenta, quoties ea gratiarũ actio nõ eſt pura, pro effectu bono ex actione mala cõſequuto, ſine vlla tamẽ relatione ad actionẽ malã. At verò in humana promiſſione facta pro re turpi obtinẽda ab aliquo, licèt promiſſio turpis fuerit, exequutio deinde rei promiſſæ quæ aliunde ex

ſeſe

ſeſe bona eſt, non eſt neceſſariò turpis, quia etſi per illam agnoſcamus hominem auctorem aut cooperatorem turpitudinis commiſſæ, illi tamen nullam iniuriam facimus: & aliunde eius operam & laborem æſtimabilem compenſamus ex iuſtitia; quandoquidem ad illam compenſationem nos obligavimus. Quæ obligatio fuit quidem illicita, non tamen inualida, vt hactenus oſtendimus. Eodem modo, quo ſi quis à Sempronio petiiſſet gemmam ad expugnandam Fuluiæ pudicitiam, quæ gemmam eiuſmodi deperibat, promitteretque duplex pretiũ, ſi optatis potiretur; re perfecta ad illud pretium duplicandum teneretur; quid enim turpitudinis in illa ſolutione pretij reperitur?

Secunda Regula.

CONuentio & negotiatio de re turpi inualida eſt iure naturali ante eius executionem inchoatam, & licet ab vno inchoata ſit, ſi tamen ab altero ſine turpitudine perfici & compleri non poterit, complenda non erit.

10 Hæc regula ab omnibus conceditur, & ex ſuperiori neceſſario conſequitur, in qua oſtendimus poſita re aut actione turpi, rem pro illa promiſſam, accipi, exigi & retineri poſſe, quoties ſine turpitudine accipi poteſt. Vti eo caſu poſſe demonſtrauimus, quia tota ratio implendæ aut non implendæ promiſſionis eiuſmodi, eſt turpitudo quæ in illius impletione reperitur, aut non reperitur.

Dixi igitur primò eiuſmodi turpem negotiationem, quamdiu mandata non eſt exequutioni ab vlla parte, non obligare, & implendam non eſſe. Pepigiſti cum meretrice, cum ſicario, ſaga, & aliis ſimilibus, neque adhuc crimen admiſſum eſt, neque tu pecuniam & pretium numeraſti: reſque vt loquuntur integra exiſtit, ſine dubio diſſoluendus eſt contractus, aut potius non ſeruandus, cum inualidus prorſus exiſtat, alioquin ad peccatum obligaret, quandoquidem ſine crimine mandari executioni non poteſt.

11 Dixi ſecundò quamuis huius negotiationis, & conuentionis exequutio iam incepta ſit ab vno contrahente, ſi tamen ab altero ſine culpa perfici nequit, omittenda omnino erit. Numeraſti pretium pactũ meretrici, ſiccario, veneficæ, ſed meretrix ſui vſum nõdum præbuit, neque ſiccarius cædem, aut ſaga veneficium cõmiſit, non debet promiſſionem cum eiuſmodi ſcelere complere, neque ad id obligari poteſt, vt conſtat. Quare pretium reſtituere debet ei qui illud dederat, niſi peculiari aliquo iure in pœnam pacti criminis illo priuetur; & illud vel fiſco, vel pauperibus addicatur. Vnde vides caſum iſtum longè diuerſum eſſe ab illo, quẽ in poſteriori parte ſuperioris regulæ poſueramus: in illo ſiquidem ſupponebamus totum crimen iam commiſſum fuiſſe, copulam v.g. illicitam, cædem, veneficium, & quod deerat ad complẽdam totam exequutionem huius conuentionis, adhiberi ſine crimine poſſe: v.g. ſolutionem & acceptionẽ pretij pacti pro opere turpi, quod iam patratũ eſt, vti fuſiſſime fuit expoſitum. At verò in caſu huius regulæ, complementum quod deeſt, eſt ipſum crimen, de quo patrando fuerat facta conuentio; quare ab illo prorſus abſtinendum erit, vt patet.

Tertia Regula.

12 IVs poſitiuum aliquando eiuſmodi conuentionẽ turpem inualidat, redditque incapacem contrahentem pro turpi opere committendo, quidquam acquirendi, aliàs crimen commiſſum priuatione ſtipendij & conuentę mercedis puniri mandat, aut per iudicem re ipſa punit, aliàs denique denegat tantùm actionem ad pretium pactum poſtulandũ. In priori caſu inualida eſt tota negotiatio, neque vi illius quidpiam accipi, exigi, aut retineri poteſt, etiã in foro interno. In vtroque autem poſteriori caſu totum illud pretium & acquiri, & exigi, & retineri poterit, in foro interno, donec per ſententiam ſaltẽ declaratoriam criminis, illo excidiſſe pronũcietur.

Huius vniuerſaliſſimæ regulæ ſenſus perſpicuus eſt, & diſſidentes DD. ſententias atque diuerſa & pugnantia iura amicè componit. Neque vlteriori probatione indigere videtur. Certum enim eſt ex *opere de vſuris lib. 3. cap. 2.* legem humanam poſſe irritare contractus, & reddere perſonas incapaces ad contrahendum, & quidpiam acquirendum vi contractus, quem irritum & inualidum eſſe vult; ac proinde vi illius nullum comparari tunc dominium. Certum ſecundò eſt omnem legem prohibentem, non eſſe ſemper & neceſſariò irritantem. Certum eſt tertiò contractum ſæpius in iure dici nullum & irritum, quia annullari & irritari debet, aut poteſt à Iudice, qui quamdiu talem actum non pronuntiabit eſſe nullum, & irritatum, ſubſiſtet & obligabit, donec reipſa irritetur. Denique aliquãdo contractus, aliúſve actus, neque irritatur a lege, neque irritari mãdatur, quamuis ad illum ſuſtinendũ non concedatur actio in foro externo, in quo actor nõ audietur, ſed repelletur vbi agere volet: in quibus omnibus caſibus certum eſt vim ineſſe cõtractui, & quidquid per illum promiſſum fuerit, aut acquiſitum, ſuum valorem æquè obtinebit, atque ſi leges de illo ſiluiſſent, donec Prætor de illo ſtatuerit, vel vi legis quæ iubet, vt actum irritet, vel ex ipſo ſuo officio, puniẽdo contrahentes, dum rebus per eiuſmodi iniquum contractum acquiſitis hos priuat. Nam ſi ſolũ actio denegetur nulla fiet mutatio circa naturam & valorẽ contractus. Quæ omnia cõſtant, tum ex loco citato, tum ex noſtra ſciẽtia canonica. Ex quibus explicata & demonſtrata manet noſtra Regula. Nam quoties lex humana ſiue ciuilis ſiue canonica turpẽ aliquã cõuentionẽ irritam & nullam eſſe volet, & incapaces faciet cõtrahentes aliquid per illam ob turpitudinẽ ipſius, acquirendi, nihil ſanè tunc iure acquirẽt, & ſi quid acquiſierint retinere non poterunt, illudque reſtituere debebunt, propter inualiditatem contractus, non ex natura rei, ſed lege humana inductã. Quãdo autẽ lex ſolùm irritari mandabit eiuſmodi turpem negotiationem per Prætorem in pœnam admiſſi criminis; opus erit ſententia iudicis ad indicẽdam illam nullitatem, & quamdiu Prætor nihil pronuntiabit, perſtabit validus contractus, & quod vi illius debitum erit, aut acquiſitum, & accipi, & retineri poterit, modo nuper explicato in duabus prioribus Regulis. Quod verius multò erit quoties lex ſolam actionẽ denegabit. Quæ omnia ex principiis vniuerſaliſſimis certa ſunt, & in omnibus aliis negotiationibus valent, quoad forum externum. Attendendum enim ſemper eſt, an ius illis aſſiſtat, probando illos & dando actionem, an reſiſtat irritando, an irritet iubendo, vel prohibendo, aut puniendo, an denique non aſſiſtat denegando actionem. Atque in his omnibus nemo difficultatẽ mouet, ſed laborant vt definiant quomodo circa ſingulas conuẽtiones de quibus diſputatur, ius poſitiuũ ſe habeat. An illis aſſiſtat, an reſiſtat, an tantum non aſſiſtat. Quod de conuentionibus ob turpem cauſam quærunt Iuriſconſulti *in D. & C. de*

condictione ob turpem cauſ. Et vix vniuerſalem doctrinam tradunt: ſed circa ſingulares quaſdam pactiones & cauſas: neque noſtrum fuerit tantas lites æſtimare. Quare noſtro inſtituto ſufficiet quædam pronunciata, quæ ſapienter tradidit Couarr. *in regul. peccatum 2. pars. §. 2. n. 6.* referre.

13 Primò apud Iudicem nemini licet agere ad mercedem, vel pretium eius operis quod habet crimen ab eodem Iudice puniendum externa pœna. Quod euidenter oſtendit *l. mercalem 5. C. de condictiou. ob turpem cauſam.* Vbi qui vxoris ſuæ mercalis mercedem exigebat, repellitur, quia eo ipſo crimen & turpitudinem lenocinij fatebatur.

Secundò in pari turpitudinis cauſa lex humana denegat actionem, & repetitionem eius quod propter aliquod ſcelus committẽdum datum fuerit; *ex l. 4. in princ. D. de condictione ob turp. cauſ.*

Tertiò quamuis lege humana denegata ſit repetitio eius quod ob crimen & maleficium datum fuerit, non idcirco qui accepit, tutus erit in conſcientia, ſi alioquin ex iure naturali, vel propter materiæ inualiditatem, vel aliqua alia de cauſa, tenebatur ad reſtitutionem eius quod acceperat, quia inualidè acceperat. Quia lex denegans danti repetitionem, non idcirco dat ius accipienti, ſi aliunde non habeat. Itaque res tota examinanda fuerit, eodem prorſus modo, atque ſi lex humana nihil ea in parte omnino ſtatuiſſet. Quare exigemus totam illam obligationem ad duas proximè à nobis traditas Regulas, in quibus iſtam controuerſiam ex ſola æquitate iuris naturalis definimus.

Quartò etiamſi quoties propter parem turpitudinis cauſam datio, & receptio illicita eſt, minimè conueniat dari repetitionem, vbi tamen receptio licita eſt, non tantùm negatur repetitio, ſed & retentio accepti iuſtiſſima eſt; *ex l. 4. §. ſed quod D. de condict. ob turp. cauſ.* quod ipſum plurimus oſtendimus in prima Regul. 2. & 3. p.

Hinc colligunt an dati ob turpem cauſam reſtitutio facienda ſit, & cui. Verùm vbi licitè & validè acceptum fuit, id minimè reſtituendum eſſe iam conſtat ex priori noſtra Regula. Quando verò validè acceptum non fuit propter cauſas in ſecunda regula allatas, ſtatim conſtat illud reſtituẽdum eſſe, cum retineri nequeat, cui verò, quando, & quomodò reſtituendum ſit, pendet ex communibus aliis principiis de reſtitutione, de qua diſputabimus in appendicibus.

Consectarium XI.

Caſus ſingulares ex ſuperiori Conſectario.

Fæmina licitè mercedem ſui corporis accipit, & promiſſam exigit. 1.
Pretium ab illa acceptum cum pacto abuſus corporis retineri nequit. 2.
Qui prodigè promiſit, peccato patrato tenetur dare promiſſum. 3.
Conuentio vt quis faciat aut omittat, quod facere aut omittere tenetur, eſt turpis & inualida. 4. 5.
An Iudex capere poſſit pretium pro ſententia iuſta ferenda. 6. 7.
Quid de aliis Officialibus. 8. 9.
Quid de alijs ex iuſtitia obligatis. 10.
An liceat accipere pretium vt fiat aut omittatur quod quis ex charitate, aliáve virtute, & non ex iuſtitia facere, aut omittere tenetur. 11. 12.
Caſus ſingulares. 13.
Quid ſtatuat in hac re ius poſitiuum. 14.

Ex iſta vniuerſali & conſtanti doctrina facilè fuerit quid de ſingularibus quibuſdam turpibus negotiationibus ſtatuendum ſit, demonſtrare.

Primò igitur fœmina licèt copiam ſui faciendo peccarit, licitè tamen eam ob cauſam ſibi datum accipit, & retinet, atque ſi promiſſum fuerat exigit. Ita S. Thom. 2. 2. *q. 62. art. 5. ad* 2. Vaſq. *de reſtitut. cap. 7. dub.* 1. Leſſ. *lib. 2. cap. 14. dub.* 8. Molin. *tract. 2. diſp.* 94. Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 6. n.* 8. Turrian. *tom. 2. diſp. 14. dub.* 1. Lugo *diſp. 18. n. 45.* Ferdinand. Acaſtro *diſp. 2. de iuſt. part. 9. n. 4.* Sanch. *lib. 3. in decalog. cap. 9. n.* 28. & alij quos magno numero dabit Diana *2. part. tract. 2. Miſcell. reſolut.* 40. Fagund. *lib. 3. de iuſt. cap. 6. n. 3.* Iuris vero Canonici & Ciuilis DD. refert & ſequitur Couarr. *in regul. de peccatis. 2. p. §. 2. n. 1. & 2.* quibus adde Anton. Gomez *in l. 53. Tauri, n. 68. & l. 62. n. 3.* Gutierr. de iurament. *cap. 6. n. 2.* & alios, qui etiam fatentur poſſe pretium conuentũ peti in iudicio à meretrice, eò quod Marcellus & Labeo dicunt *in l. 4. §. ſed & quod meretrici. D. de condict. ob turp. cauſ.* quod datum fuit meretrici, ab ea repeti non poſſe. Vnde tamen non ducitur, vt vides, firmum argumentum, cùm propter turpitudinem dantis, æque atquè accipientis negata fuerit repetitio dati, & illa negatio actionis ad repetendum, nullum, vt monuimus, det nouum ius, aut retinendi, aut accipiendi, ſi illud priùs non habebat. Quare non modò iſtam in iudicio pretij conuenti petitionem meretrici negant plures alij prudentes Iuris cum ipſa gloſſa, quos adducit Couarr. *n. 1.* ſed etiam acceptionem ipſam illicitam fuiſſe, & nullã contendunt. Idcirco idem Couarr. *n. 2.* probat efficacius ex *l. affectionis 5. D. de donation.* vbi Vlpian. negat prohiberi donationes affectionis gratiâ factas, ſiue honeſtis perſonis, vt Amicis, ſiue inhoneſtis, vt meretrici. Et in Synopſi Græca *l. 47. titul. 1. cap. 1. ἄσεμνος δωρεὰ ἔρρωται, ὅσον εἰς πόρνην.* Inhoneſta donatio valet, veluti circa meretricem; quem valorem communius DD. interpretantur, nõ tantũ quoad exceptionem, ſed etiam quoad actionem. Et Papinian. negat in *l. 31. D. eod.* donationes in concubinam collatas reuocari poſſe. Deinde cùm certis perſonis prohibeantur eiuſmodi donationes, optimè colligitur aliis licitas eſſe; vt quid enim opus foret quibuſdam peculiari lege prohibere, quod omnibus communi iure & lege prohibitum eſt. Sic militi prohibetur donare focariæ ſuæ, *l. 2. cap. de donation.* eſt verò focaria quæ focum colit & cuſtodit. Vide Turneb. *lib. 8. aduerſ. cap.* 9. & ne quidem teſtamento aliquid ipſi relinquere, *l. miles ita 41. §. 1. D. de teſtamento militari:* quod aliqui ad ſacros milites ſiue clericos extendunt: ſunt & aliæ quædam perſonæ quibus fiunt eiuſmodi probibitiones, de quibus omnibus agemus inferiùs, vbi de donationibus, & teſtamentis ex iure tum Romano, tum Gallico. Vide interea Papon. *in notar. lib. 5. tit. de donationib.* quo etiam loco quæremus, an ea prohibitio ſit illarum donationum irritatio. Inde tamen nihil aduerſus noſtram aſſertionem colligitur, qua cõtendimus donationem meretrici factam validã fuiſſe, atque ab ea poſt abuſum ſui corporis

corporis cōceſſum retineri & exigi potuiſſe, quod prima noſtra Regulâ probauimus: niſi peculiari lege & iure ſimilis donatio alicui prohibita fuerit, eaq; lex vigeat, vt factū in milite videmus: ad quod tamen requirit deinde ſententiam iudicis Leſſ. *cap. cit. n.* 58. & Sotus *lib.* 4. *q.* 7. *art.* 1. *ad* 2. eam conſtitutionem interpretatur de donatione prodiga militis, quæ conſuetum ſtipendium meretricium multùm excederet.

Non placet autem quod Cynus, Angelus & alij apud Conarru. atque etiam Abbas *in cap. Quia plerique, de immun. Eccleſ. num.* 14. diſtinguunt inter meretrices publicas, & alias quæ occultius peccant, & honeſtæ habentur, ſiue maritatæ ſint, ſiue non, ſiue ſacræ, ſiue profanæ, quas negant poſſe accipere aut retinere turpitudinis commiſſæ pretium. Nam quamuis aliquæ iſtarum grauius peccent, non idcirco lege aliqua redduntur incapaces turpis illius lucri & quamuis lex non agat niſi de meretrice, à qua dicit non poſſe repeti pretium datum, non idcirco tamen cæteras fœminas incapaces reddit alicuius dominij circa turpe ſui corporis lucrum, neque iuri naturali derogat ea in parte.

2 Secundò pretium pro abuſu corporis datum fœminæ, & acceptum ante abuſum illum corporis cum pacto explicito, vel implicito, retineri ab ipſa nequit, quia vel vult pactum ſeruare, & ſui copiam facere, atque adeo peccat contra caſtitatem, vel illum animum, vti debuit, abiicit, & peccat contra iuſtitiam retinendo pretium cum voluntate non dandi aut faciendi illud pro quo tale pretium ex pacto conuento datum fuit.

Quod ſi quidpiam fœminæ gratuitò datum fuerit ad expugnandam eiuſmodi munere eius pudicitiam, nullo tamen pacto explicito, aut implicito, immo fœmina ſignificante, quàm longè abſit ab earum moribus, quæ eiuſmodi donis ſe illici patiuntur, poterit tale quid fœmina retinere. Ita Molin. *tract.* 2. *diſp.* 735. *n.* 3. Rebell. 1. *part. lib.* 3. *q.* 7. *n.* 6. Valer. *in different. verb. reſtitutio. diff.* 34. Dian. 2. *p. tract.* 2. *Miſcell. reſolut.* 40. & Lugo *diſput.* 18. *numer.* 4. vbi conſuluit nobili fœminæ torquem aureum ingentis pretij ſibi datum retinere. Quia iſta gratis dantur abſque vlla, vt diximus, explicita aut implicita conuentione, ſed ad alliciendum duntaxat animum. Non peccatur igitur contra iuſtitiam, quamuis munerator ille ſua ſpe fraudetur, neque obtineat quod ſperabat; quia ſperabat illicitè, & quod ſine vtriuſque peccato obtinere non poterat, & quod iure merito illi denegatur. Non peccatur etiam contra caſtitatem quæ illibata manet, immò & contra tot illecebras magna animi conſtantia ſeruatur. Sic qui munus ſpe obtinendæ dignitatis aut beneficij datum accipit, & retinet, non peccat contra iuſtitiam, licèt ſperatam dignitatem non conferat, ſi nullum pactum formale aut virtuale præceſſerat. Neque dicas fœminam retentione muneris, turpi intentione donati cooperari peccato donantis ex prauo animo, & fouere ſpem turpem quam habet. Nam peccatum donationis non continuatur à fœmina, cùm iam donatio præterita fuerit, & eius continuatio non pendet amplius à voluntate donantis, qui rem donatam à ſe abalienauit. Quare licèt perſeueret in mala voluntate propter quam donauit, non tamen pergit donare quod amplius in ſua poteſtate non eſt, neque repetere poteſt. Ac proinde, qui rem donatam retinet, non idcirco ſua retentione dici poteſt cooperari peccato in donatione iam præterita commiſſo; non fouet etiam turpem ſpem donatoris fœmina, immò ipſam deſtruit & inanem reddit, dum rem ſperatam liberè & palam denegat. Potius verò peccabit fœmina in acceptatione eiuſmodi munerum, quando ſcit ea offerri turpi intentione. Et ſanè non ſolent honeſtæ fœminæ talia munera capere, ne ipſæ illis capiantur, & licet non peccent contra iuſtitiam, quia eiuſmodi acceptio muneris non continet vllam promiſſionem dandi rem ſperatam, & conſentiendi turpitudini donantis, ſed affert duntaxat obligationem gratitudinis in rebus honeſtis & licitis; peccant tamen ordinariè peccato ſcandali & contra charitatem, quia fouent illa acceptatione turpem ſpem donatoris, & inducunt ad tentanda alia media, & ſi ſciret non acceptanda fuiſſe ſua munera, illa non dediſſet, aut ſi dum oblata ſunt, recuſata fuiſſent, omnem animum de re obtinenda prorſus abieciſſet. Immò tali acceptatione, iam ex parte animum fœminæ expugnatum eſſe ſibi perſuadet, vnde & audentior fit: quando tamen neque animum donantis ipſa munera ſignificant, neque ex circunſtantiis colligitur, immò non poſſunt recuſari niſi ſignificetur turpitudo donantis, eo quod ſint aliæ cauſæ honeſtæ quas illis muneribus obtendit, & in iis circonſtantiis vix pudiciſſimæ etiam fœminæ illa recuſare ſolent, poterunt a fœmina acceptari, quamuis de prauo animo donantis quidpiam ſuſpicetur, immò & ſciat, non tamen ab ipſo qui ſuum ſenſum ſignificarit, ſed aliunde, modò ſe ſcire omnino diſſimulet, ne inde ille in ſpem veniat potiendi optatis: immò & ea faciat, dicatque fœmina, quæ ſpem omnem turpem donantis inanem fore oſtendant, ipſaque moraliter certa ſit, ſe talibus muneribus non ceſſuram.

3 Tertiò qui promiſit prod gè quidpiam pro peccato patrando, illo deinde patracto tenetur dare id totum quod promiſit, quamuis conſuetum illius operis pretium excedat, modo fraus omnis & vis ex parte promiſſarij abfuerit, v. g. promiſit quis meretrici centum aureos, cui multò pauciores in pretium corporis dari ſolent, tenetur tamen ad dandum id totum quod promiſit. Volo autem fraudem omnem abeſſe. Quia cùm hi contractus ſint quædam veluti locationes aut emptiones, in quibus pretium ex variis circunſtātiis creſcit aut minuitur, ſi fraus intercedat, nō ſolùm in exceſſu pretij committitur prodigalitas, ſed etiā iniuſtitia, quare ad æqualitatem omnino reducendus eſt contractus ſublato pretij exceſſu, ratione cuius iniuſtitia, & non ſolum prodigalitas commiſſa fuerat. V. g. fœmina quæ de ſuo corpore paciſcitur, fingit ſe hactenus honeſtam fuiſſe, & non vulgari corpore, aut ſe aliis ſolitam tanti illud vendere, cùm tamen viliori pretio vendat. Sanè ſua fraude excedit iuſtum valorem rei, ideóque illum valorem reſtituere debet, ipſeque emptor vbi id reſciuit non tenetur ad illum exceſſum dandum, cum in ea promiſſione ad quam per fraudem inductus eſt, iniuriam paſſus ſit, quoad totum illum exceſſum. Secus contingit in honeſta fœmina, quæ poterit quodlibet pretium exigere, cùm id quod vendit, valeat quantum æſtimatur, ideò ſi exigat matrimonium cum viro nobiliori aut ditiori, illudque ex animo promiſſum ſit à defloratore, tenebitur implere ſuam promiſſionem, quamuis tale matrimonium videatur multum excedere in communi æſtimatione corpus talis fœminæ. Ipſa tamen potuit æſtimare quantum voluit, & non vendere niſi illo pretio, cùm liberè vendiderit, & alter conditionem illam acceptarit, atque pretium promiſerit

nulla fraude eitcumuentus. Volo igitur ab hac pactione de qua agimus, fraudem omnem abeſſe, & dico id totum quod promiſſum fuit, licèt excedere pretium conſuetum videatur, deberi patrato iam crimine, pro quo promiſſum fuerat. Ita Molin. *tract.* 1. *diſp.* 271. De Lugo *diſp.* 18. *num.* 60. contra plures DD. quos refert & ſequitur Sanch. *lib.* 3. *in decal. cap.* 9. *num.* 27. & Suar. *lib.* 2. *de iuram. c.* 28. Ratio à priori eſt, quia licèt promiſſio ratione illius exceſſus pretij prodiga fuerit, ac proinde illicita, eius tamen exequutio ſiue donatio rei donatæ prodiga non eſt, ac proinde inde non fiet illicita: non eſt autem prodiga iſta donatio, quia datio illa prodiga eſt, quæ gratis & ſine cauſa ſufficienti fit. Atqui iſta datio neque gratis, neque ſine grauiſſima cauſa fit; cùm fiat ex obligatione promiſſionis prioris quæ obligat, quandoquidem res promiſſa poni poteſt ſine peccato, vt videmus in eo qui promiſit coniugium puellæ inferioris ſortis, tenetur enim illam ducere, quod verius etiam erit ſi ſub ea ſpe, aut promiſſione illam defloratit. Quod fuſiùs oſtendimus *in opere de vſuris lib.* 3. *cap.* 4.

Quartò cõuentio de certo pretio vt aliquis faciat aut omittat illud, quod ex iuſtitia facere aut omittere tenebatur, eſt negotiatio turpis, atque inualida. Quare neq; qui pretiũ pactus eſt obligatur illud dare, neque alter accipere & retinere poteſt, ſed omnino reſtituere debet. Ita Cordub. *lib.* 1. *queſtion. q.* 32. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 93. Medina *C. de reſtitut. q.* 25. Vaſq. *de reſtit. c.* 7. *dub.* 5. *n.* 32. Couarru. *in regul. peccat.* 1. *part.* §. 3. *num.* 1. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 92. Valent. 2. 2. *di. p.* 5. *q.* 6 *p.* 5. §. 2 *q.* 94. Rebell. 2. *part. lib.* 10. *q.* 20. Nau. *cap.* 17. *n.* 96. Sair. *in claui lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 12. Petrus Nauarr. *lib.* 4. *de reſtitut. cap.* 2. *n.* 94. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 9. Lugo *diſp.* 18. *num* 63. Ferdin. Acaſtro. *diſp.* 2. *de iuſtit. punct.* 10. *num.* 3. aliique paſſim omnes.

Dixi pretium eſſe reſtituendum, non præmium, aut munus quod & offerre, & oblatum accipere & retinere licebit, cùm fas ſit quemlibet ad virtutum actus, & ad ſuum officium præſtandum præmiis excitare. Itaque docent Petrus Nau. *n.* 98. Rebell. Vaſq. & Ferdinand. Acaſtro laudati, quod tamen intelligendum eſt ex natura rei, & niſi quibuſdam perſonis prohibeant leges hanc munerum acceptationem, illamque irritam faciant. Quod expendemus alibi, vbi de Iudicibus. Nunc verò diſputamus de pretio conuento pro iis quæ ex iuſtitia debentur, dicimuſque eiuſmodi conuentionem nõ obligare, & vi illius non poſſe pretium eiuſmodi accipi, & retineri, neque qui illud promiſit, ad illud dandum teneri. Ratio eſt, quia qui pretium accipit pro eo quod alteri ex iuſtitia debet, vendit quod non eſt ſuum: immo quod eſt illius, cui vendit; pro illo igitur pretium exigere, aut capere non poteſt: quod enim ex iuſtitia mihi debetur, idem eſt ac ſi iam meum eſſet. Vendis igitur mihi meam rem, quare iniuſtè pretium meæ rei capis, eadémque iniuſtitia retines. Nam ſi Caius deberet centũ Sempronio, à quo ex pacto vt ſoluat debitũ accipit viginti, ſane Caius non ſoluit centum quæ debebat, ſed octoginta dumtaxat, detractis ſibi viginti in pretium ſolutionis, & tamen obligabatur ex iuſtitia dare centum Sempronio, eáque integra & abſque vllo onere. Quare pretium illud ſolutionis detrahitur ex eo quod ex iuſtitia ſolui debeat, ac proinde iniuſtitia manifeſtè committitur. Confirmatur. Qui pro opere ex iuſtitia debito pretium ex pacto conuento accipit, nullum prorſus titulum habet & cauſam capiendi aut retinendi, cùm pactum iſtud gratuitum non ſit, vt patet, quod enim vi illius datur, datur vt pretium; non eſt etiam oneroſum, quia ex pacto oneroſo naſci debet in paciſcentibus noua obligatio, quod hic non fit, quia ille iam obligabatur ex iuſtitia facere, aut omittere id de quo paciſcitur, & non facere aut omittere, quod facere, & omittere tenebatur, niſi iniuriam irrogare & facere iniuſtitiam vellet.

Dices aliquando pretium operis alicui ex iuſti- 5
tia debiti non dari ab eo cui ex iuſtitia debes, ſed ab alio tertio, cui obſequium ea in re præſtas, quod illi non debebas; eius igitur obſequij & obligationis quam aduerſus illum tertium contrahis, pretium capere nihil prohibebit. Debes ex iuſtitia Caio centum quæ ſoluere hactenus omiſiſti, Sempronius Caij amicus vt te obliget ad numeranda illa centum Caio, tibi viginti promittit. Cur illa viginti non poteris accipere à Sempronio, cui nihil ex iuſtitia debebas. Neque videtur diſſentire Sotus.

Reſpondet Leſſi. vbi res vendi nequit, neque affectum erga illam vendi poſſe, alioquin vſurarius qui in mei gratiam tibi mutuò dat, poſſet aliquid ſupra ſortẽ accipere, non pro mutuo quidem quod tibi dat, ſed quia in mei gratiã tibi dat, neq; obligabatur illud officium mihi præſtare. Vſuram tamen nemo negabit illo caſu committi: quia quod dabitur ſupra ſortẽ, reuerà dabitur pro mutuo, & pro illo affectu, quem aduerſum me habet mutuator, cùm tibi in gratiam mei mutuatur.

Quare Vaſq. *n.* 47. & Lugo *n.* 64. Layman. *c.* 4. *cit. n.* 11 *ſub finem*, ſapienter reſponderunt tertium illum, qui tibi quidpiam promittit, vt facias quod ex iuſtitia facere te oportebat, vel illud promittere in gratiam eius, cui ex iuſtitia debebas, ne damnum aut iniuriam à te patiatur, dum ipſi negas quod ex iuſtitia præſtare debebas: vel promittit in tui ipſius gratiam, ne tua obſtinatione committas iniuſtitiam, indeque tibi aut infamiam, aut malum quodpiam aliud accerſas, aut ne in Deum & conſcientiam pecces. Si primo modo promiſit, non potes promiſſum illud capere, aut retinere: ſecus verò ſi ſecundo modo, in tui ipſius ſolius gratiam promiſit. Quia primo modo dat pretium rei, quam tu gratis, Caio v. g. dare debebas, & hic amicus Caij, qui ipſius partes hac in cauſa, & negotium gerit, emit à te, quod illi vendere nequis, cùm gratis ex iuſtitia illud ipſum Caio debeas. In ſecundo verò caſu cùm non ſpectet indemnitatem Caij, neque eius vicem aut perſonã ſuſtineat, ideoque non det pretium pro illius damno auertendo, aut amolienda iniuria, ſed ſolum intendat, & procuret tuum bonum ſiue ſpirituale, ſiue temporale, ad quod ius nullum habet ex iuſtitia; immò neque tu ipſe, cuius iſte promiſſor cauſam agere videtur, illud tibi ex iuſtitia debeas, cùm non detur iuſtitia eiuſdem ad ſeipſum, reuerà non promittit aut dat pretium pro re quam tu debeas ex iuſtitia illi vel alteri, cuius vices ſuſtinet, dare. Quare nihil eſt vnde obligeris ad eiuſmodi pretium reſtituendum. Si enim offerres Titio expenſas omnes ad vitam ſuſtinendam neceſſarias, ne latrociniis alere ſe pergat; reuerà & beneficium tunc accipere, & ſibi retinere iure poſſet. Itaque quoties pretium ad faciendum opus ad quod aliquis ex iuſtitia tenetur, accipietur ab eo cui tale opus non debetur, videndum erit quo animo promittat

mittat, & det pretium talis operis, vt definiatur, an capi & retineri queat. Atque ex hac vniuerſaliſſima doctrina, plures ſingulares caſus explicantur.

6 Nam primò Iudex qui pretium accepit pro ſententia iuſta ferenda, ad illius reſtitutionem obligatur, vt euincit ratio allata, & apertè tradit Aug. *Epiſt.*54. *ad Macedon.* & refertur *cap.non ſane* 14. *q.*5. Adde *cap. cum ab omni, de vita & honeſtat. Clericorum.* vbi hoc genus commutationis iniquiſſimum dicitur. Vide *c.qui rectè* 11.*q.*3. Lex XII. Tabular. Iudicem qui ob rem iudicandam pecuniam accepiſſet, capite plecti iubebat teſte Gellio *lib.*20.*c.*1. At verò *l.*7.*D.ad l.Iuliã Repetundar.* qui ob iudicem arbitrúmve dandum, mutandum, iubendúmve vt iudicet, néve quis ob hominem condemnandum, abſoluendúmve, néve ob litem æſtimandam, iudiciúmve capitis, pecuniæve faciendum vel non faciendum aliquid acceperit, tenetur illa lege Iulia. Primus qui Athenis Iudicibus pecuniam contulit, dicitur fuiſſe Anytus Anchemonis filius, cùm circa exitum belli Peloponeſiaci proditionis Pyli cauſam diceret. Vlpian. verò *l.*2. *D. de condic. ob turpem cauſ.* ſic habet. *Sed ſi dedi vt ſecundùm me in bona cauſa iudex pronuntiaret, eſt quidem relatum, condictioni locum eſſe, ſed hic quoque crimen contrahit, iudicem enim corrumpere videtur, & non ita pridem Imperator noſter conſtituit, litem eum perdere.* Qui igitur iudici pecuniam dat, vt iuſtè in eius cauſa ſententiam dicat, turpiter agit, & crimen contrahit, propter quod cauſam, quamuis iuſtiſſimam perdit. An verò illi etiam negetur repetitio dati, neque enim id neceſſariò ex verbis Iuriſconſulti ſequitur; diſputat Couarru. §.3. *citato n.*1. Verùm quidquid iuris Interpretes de actione ad repetitionem dati concedenda danti pecuniam Iudici, vt iudicet, definiant; certum nobis eſt, quod etiam concedit *ibid.* Couarru. datum Iudici, abſque crimine corruptionis, vt iudicium pronuntiet, eſſe reſtituendum danti, qui paſſus eſt iniuriam à Iudice, qui illi vendit quæ ex iuſtitia dare debebat, vti explicuimus in noſtra propoſitione.

Si tamen pecunia Iudici detur vt abſque mora ſententiam dicat, tunc, inquit Couarr. nec cauſa amittitur, nec repetitio tanti negatur. Et ſanè ſecluſa prohibitione legis, quoties Iudex laborem extraordinarium ſubibit, & diligentiam, ad quam ex iuſtitia non tenebatur, afferet; ſine aliorum tamen litigantium damno, ſi in eius arbitrio ſit, ex pluribus cauſis, quam lubuerit primo loco iudicate abſque aliarum iniuria, poterit horum omnium causâ pretium aliquod ex pacto ſuſcipere, vt ait Layman. *l.c.* quia nouam obligationem expediendæ citiùs cauſæ ſuſcipit, quæ obligatio pretio æſtimabilis eſt. Vbi tamen ſapienter monet cum Molin. *tract.*2. *diſp.*88. cauendum omnino eſſe ne in his alteri damnum afferat, & ſcandalum vitetur.

7 Secũdò Iudex qui munera acceperit, modo propter illa nõ minus rectè iudicet, nõ peccat, ſecluſa lege prohibente eiuſmodi acceptionem, vti iã monuimus. Neque illa reſtituere debet ea donanti, quamuis cauſam perdiderit: quia licet intenderit ſuis muneribus conciliare ſibi animum Iudicis, atque adeo victoriam litis obtinere, ea tamen non fuit conditio ſine qua non, neque mens Iudicis acceptantis. Quare non peccauit accipiendo, neque retinendo contra æquitatem naturalem. Et ſi quæ lex illam acceptionem munerum prohibuerit, non tamen obligat ad ipſorum reſtitutionem, niſi declaret non modo illicitam, ſed inualidam quoque fuiſſe talem acceptationem. Sicuti dicitur de legato Papæ *in cap. ſtatutum, §. ſi quid, de reſcriptis in* 6. & de Eccleſiarum Viſitatoribus *cap.*2. *de cenſibus in* 6. in quibus tamen excipiuntur eſculenta & poculenta ex mera liberalitate oblata, *citato cap. ſtatutum, §. inſuper*, & *cap. fœlicis, de cenſibus in* 6. Sed de his alias. Interim adi Syl. *verb. Iudex* 148. Rebell. *lib.*18.*q vlt.* Molin. *tract.*2. *diſp.*85. Myſinger. *cent.*2. *obſeruat.*15.

Tertiò idem de Tabellione, ſigillorum Cuſtode, Aduocato & aliis Officialibus, qui quidpiam ex iuſtitia debent. Si enim non niſi pacto pretio, aut dato munere abſque pacto, præſtare velint quod ex iuſtitia præſtare tenentur, vt inſtrumentum conficere, ſigillum apponere, cauſam agere, non diutius protrahere, reuerà faciunt iniuriam, & iniuſtè vexant; neque illius vexationis pretium retinere poſſunt. In quibus tamen omnibus videndum eſt, an ita omnia ex iuſtitia facere debeant; & ad id ſtipendia ſeu ſalaria publica, eaque ſufficientia habeant, & quænam illa ſint, quæ ſingula alibi exponenda ſunt. 8

Quartò hæc omnia valent in publicis Officialibus, vt Medicis, Profeſſoribus, aliiſve eiuſmodi, qui à Republica conducti ſunt, & ſtipendiis inſtructi, vt hæc munera gratis exhibeant obuiis, aut non niſi certa mercede definita, à ſingulis exigenda: quoties enim ſuæ operæ ex iuſtitia debitæ pretia accipient, peccabunt, & ad reſtitutionem obligabuntur: niſi, vti iam monui propter extraordinarium, & non debitum laborem, quem alicui impendunt. Quoad munera verò videndum erit, quid leges & conſuetudo ferant. 9

Quintò qui teſtimonium ferre tenetur ex iuſtitia, pretium ſui teſtimonij capere nequit, neque etiam cùm teſtimonium dicit, vt verum dicat. Si tamen in teſtimonio illo ferendo aliquas ipſum expenſas ferre oportet, illarum compenſationem iure poſtulabit.

Sextò Depoſitarius, pretium, vt reſtituat depoſitum, nequit exigere: quia ex iuſtitia ad id obligatur; niſi pro cuſtodia quid fuerit promiſſum, aut aliquid in ſeruando depoſito expenderit, in eoque reddendo expenſus ſit, quæ omnia *opere de vſuris lib.*3.*cap*...explicuimus.

Septimò qui tenetur ex teſtamento dare centum in dotem alicui puellæ, non poteſt aliquid accipere ab ea quam potiùs eliget quàm aliam: quia cum ex iuſtitia debeat dare alicui centum, ſi ab hac quam eligit accipiat viginti, non dabit niſi octoginta, cum tamen ex iuſtitia debeat centum. Quod ſi illa puella, vt ſe gratam exhibeat illi abſque vllo pacto, munus aliquod offerat, capere poterit. Verùm in his & ſcandalum, & fraus cauenda ſunt, ſinceruſque animus habendus, neque id vnquam conſulendum, cùm in eo facilis omnino lapſus ſit.

Octauò qui rem alienam inuenit non poteſt accipere, aut exigere pretium aliquod, vt illam domino ſuo reſtituat; quia ad id ex iuſtitia tenetur. Si tamen in ea recuperanda, vel ſeruanda, vel reſtituenda factæ ſint, faciendæve fuerint aliquæ expenſæ, eas exiget, quidquid etiam gratitudinis ergò oblatum fuerit, iure capiet, & retinebit. Ita Couarru. §. 3. *citato num.* 3. & nos aliàs. 10

Vltimò conuentio, vt pacto pretio fiat aut omittatur opus ab eo qui illud facere, aut omittere, tenetur ex charitate, vel qualibet alia virtute præter-

quam

quam ex iuſtitia, licet ſit aliquando turpis, non tamen eſt inualida, neque ex ea naſcitur obligatio reſtituendi pretij ex iuſtitia; ſed neque ex alia virtute, niſi quando ea acceptio pretij facit vt præceptum non impleatur, hoc eſt vt opus ex illa virtute debitum non ponatur, quod & quale præceptum eſt, quando præceptum viget.

Hæc vniuerſaliſſima Regula diſſidia DD. qui in plures ſententias abierunt, vt videbis apud Vaſq. *de reſtitut. cap.7. dub.5.* Dian. *3.p. tract.5. miſcellan. reſolut.* 55. Lugo *diſp.* 18. *n.* 66. Layman. *lib.3. tract.4. cap.4. n.* 10. & alios, componit.

Obſerua igitur primò præceptum alicuius virtutis non impleri, quoties opus quod imperat, non ponitur ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm modum atque qualitates ſecundùm quas poni imperatur. Et contrario verò tunc impletur præceptum, quando fit opus ab illo imperatum, & ſecundùm qualitates ſub quibus, & cum quibus præcipitur. Quare quidquid impedit ne opus fiat tale quale tunc præcipitur, impedit etiam præcepti obſeruationem, quam non tollit quidquid non pugnat cum opere imperato; ſiue non facit, quin opus poſitum ſit tale quale præcipitur ab illa virtute. Et ſi tunc præceptum illius virtutis vrgeat, obligabit ad ponendum opus imperatum ſecundùm ſubſtantiam & modum ſub quo præcipitur, atque adeo ad tollendum tunc quidquid impedit ne opus tunc ex præcepto ponendum re ipſa ponatur.

Obſerua ſecundò quiſquis paciſcitur de præſtando quopiam opere, niſi illud ipſum opus præſtet, non poſſe pretium pactum conuentum accipere, aut retinere; quia reuerà non dat quod vendiderat, & accipit pretium rei de qua non conuenit, neque præſtat id cuius præſtandi pretium accipit. Debet igitur vel opus illud præſtare, vel eius pretium non accipere, aut non retinere tanquam illi debitum, quia reuerà non illi debetur.

Obſerua tertiò aliquando pretij acceptionem impedire, ne ponatur opus ex quapiam virtute tunc debitum, vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum qualitates vi illius præcepti debitas, vnde fit vt tunc virtus quæ ob obligat ad tale opus, obliget quoque ad non acceptionem pretij pro illo opere, aut ad eius reſtitutionem, quatenus eſt imdimentum ne opus tunc præceptum ponatur: aliàs verò pretij acceptio, aut retentio pro opere imperato ponendo, non impedit quominus ponatur tale, quale ab illa virtute præcipitur. Quare ea virtus tunc non obligat ad non acceptionem aut reſtitutionem pretij pro eo opere debito, quia poſito illo pretio conuento, æquæ bene ſeruatur præceptum virtutis tunc obligantis, ſiue pretium pro opere debito accipatur, ſiue non accipiatur, ſiue retineatur, ſiue reſtituatur. Quia totum opus debitum reuerà ponitur & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundùm qualitates debitas, & tota illa conuentio de pretio per accidens omnino ſe habet ad obligationem talis virtutis: quæ omnia manifeſta fient exemplis. Debes ex voto calicem centum aureorum certæ cuidam Eccleſiæ, ſi vt illi obligationi religionis ſatisfacias, accipias in pretium viginti: non ſatisfacis obligationi illi, quia religio tunc te obligat ad calicem centum aureorum donandum, quod non facis, ſed partim donas, partim vendis pretio quod ab Eccleſia, vel ab alio quopiam accipis. E contrario verò ſi ex præcepto temperantiæ tenearis ad hodiernum ieiunium, licèt ad implendam eam temperantiæ obligationem pretium ab aliquo accipias, ponis tamen totum ieiunium imperatum, & præceptum imples: quia acceptio pretij non facit vt illud ieiunium non ſit illud ipſum quod imperatum eſt, ſed merè per accidens & concomitantur ſe habet ad opus ieiunij imperatum; quod idem eſt, ſiue ad illud ponendum te ſola obligatio temperantiæ, ſiue pactum conuentum vrgeat. Quod idem de auditione Miſſæ, & aliis ſimilibus dicendum eſt: in iis enim omnibus acceptio, aut non acceptio pretij, non facit vt non ponatur opus, quale ab aliqua virtute tunc præcipitur.

Hiſque obſeruatis facilè eſt noſtram aſſertionem vniuerſalem ſtabilire.

Aio in primis nunquam pretium pro aliquo opere ex alia virtute quàm ex iuſtitia debito, reſtituendum eſſe ex debito iuſtitiæ, quia ea obligatio proficiſceretur vel ex re accepta, vel ex iniuſta acceptione; non ex re accepta, quæ tua per tranſlationem dominij ab eo, in cuius libero dominio erat, facta eſt, neque vllam ea in parte iniuriam ipſi feciſti; quamuis enim idcircò pretium illud dederit, quia non ſperabat ſe aliter à te obtenturum illud opus ſibi ex alia virtute debitum, non tamen inuitus proptereà tranſtulit dominium: nam ad id ſufficit voluntarium mixtum, ſiue ex metu, ſiue ex ſpe. Neque metus reddit inualidum contractum, niſi fuerit iniuſtè incuſſus.

Aio ſecundò quoties acceptio & retentio pretij, facit ne opus ex aliqua virtute debitum, ponatur, quale ſecundùm ſubſtantiam & qualitates debetur; turpis eſt & inualida conuentio, ideóque neque illud pretium capi, neque retineri poteſt: quia vti iam oſtendi in notatis, non ponitur reuerà opus præceptum, neque ipſum præceptum impletur. Virtus igitur, quæ tunc obligat ad ponendum tale opus, obligat quoque ab tollendum impedimentum illius, quod tunc eſt acceptio & retentio pretij pro illo opere debito dati. Ergo vel non fuerat accipiendum pretium, vel ſi acceptum fuit, reſtituendum eſt: alioquin non impletur obligatio virtutis tunc vrgentis.

Aio tertiò quoties opus ex aliqua virtute debitum poni poteſt, quale & ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundum qualitates debitum eſt, quamuis pro eo faciendo pretium promittatur, non erit reſtituendum pretium acceptum. Quæ aſſertio manifeſta fit ex ſuperiori, vt vides, & ex regula contrariorum.

Aio quartò hanc conuentionem dandi pretij pro opere ex alia virtute, quàm ex iuſtitia debito, non eſſe neceſſariò turpem; quia poſſum te promiſſis allicere vt fungaris tuo officio. Promittere puellæ dotem, ſi caſtè vixerit: vxori ſi rei familiaris curam geſſerit; & Caio dare centum ſi iuramentum obſeruet, ſi audiat Miſſam, in quibus aliiſue conuentionibus nullus opinor turpitudinem agnoſcit.

Ex quibus ſingulas difficultates diſſolues.

Nam primò neque iniuſta, neque inualida eſt acceptio pretij pro opere debito ſoli operanti, vt ne inebrietur, ne caſtitatem violet; quia pretium illud non impedit quominus ponatur totum opus debitum, & quale debitum eſt, vt dixi: prætterquam quod amicus qui emit rem illam tibi vtilem, ſibi quoque vtilem exiſtimat, cùm tuum bonum, ſuum quodammodo faciat: qoare non vendis quod emptori non eſt vtile, atque adeò non vendibile, vt aliqui obiiciunt.

Secundò licèt opus debitum pro quo tibi datur pretium, non ſit laborioſum, neque expenſas

à

à te requirat; poteris pretium retinere, modo illud, vt dixi, non mutet ſubſtantiam aut qualitates operis debiti: contra Leſſium *lib.2.cap.14 num.69.* qui exemplum affert in eo qui accipit pretium ne oderit alterum: verumetiam in eo non eſt leuis labor, vt diſputat Tanner. *2.2.diſp.4.quæſt.6.dub.10.num.* 191. qua omiſſa controuerſia, ſufficit ſi res pro qua datur pretium ſit illo digna, nam ſi extet improportio illa ex parte committetur iniuſtitia, & ille exceſſus emendandus foret.

Tertiò cùm Superior dat aliquid ſubdito vt faciat id ad quod ex obedientia tenetur, non ex iuſtitia, v.g. ſumat Euchariſtiam, ſeruet regulam, fiat Chriſtianus, baptizetur: non tenetur ad reſtitutionem, quia non peccat contra iuſtitiam, & illa Superioris munificentia non impedit quominus totum opus debitum ponatur. Non diſputo autem vtrum in aliquo ex illis caſibus omittatur aliqua alia turpitudo, v. g. ſimoniæ, eo quòd vendatur aliquid ſpirituale; contendo ſolùm etiam poſita ſimonia non reddi eam venditionem iure naturæ inualidam, & iniuſtam, quia venditur res maioris valoris quàm ſit pretium. Quamquàm inde oriatur iniuria religionis, pretium à ſimoniaco acceptum reſtitui non debet, niſi in ſimonia beneficiali, ingreſsùs in religionem, & ſuſceptionis ſacrorum ordinum, quod monet quoque Vaſq. *cap.7.citato. numero* 44. Sanch. *lib.2.conſilior. cap. 3. dub.* 3. & *dub.* 113. & nos fuſiſſimè tractatu de Simonia.

Quartò qui ex voto debet Eccleſiæ alicui quingenta, aut ex religione ſuperflua ſua, vel eleemoſynam pauperibus, aut ex obedientia certam ſummam largiri, ſi pretium aliquod accipiat, vt ſuo voto, religioni & obedientiæ ſatisfaciat, debet illud reſtituere; quia pretij pro eo opere debito acceptione aut retentione non ponitur opus debitum, & tota ſumma debita ex voto, religione, & obedientia, vt patet, cùm ex illa detrahatur pars quæ pretio accepto reſpondet, illa ſiquidem pro eo pretio vendita eſt, & non donata, cùm tamen illam deberes ex voto, religione, vel obedientia.

Quintò qui tenetur ieiunare, audire miſſam, confiteri, licèt pretium accipiat pro illo debito opere faciendo, illud reſtituere non tenetur; quia ponit totum opus debitum, neque pretium quod pro illo paciſcitur, impedit quominus præceptum virtutis tunc obligantis impleatur: quare nihil aſſignari poteſt propter quod ea virtus illo caſu obliget ad pretij accepti reſtitutionem.

Sextò charitas non ſemper obligat reſtituere pretium pro opere proximis ex eadem charitate exhibendum, aliquando verò ad eam reſtitutionem obligat; quia nonnunquam pretij acceptio impedit ne ponatur opus proximo debitum, aliquando non impedit. Quare id ex noſtra regula vniuerſali perpetuò expendēdum erit. V.g. ſi obligaris proximo extremè laboranti ſuccurrere, ſi id facere nolis niſi accepto pretio, ipſum non tenebetis reſtituere; quia tunc iuſtitia non obligabat ad ſubueniendum proximo, vt ſupponimus, ergo multò minus ad ſubueniendum ſine pretio, ſiue ad non accipiendum pretium, neque ad acceptum reſtituendum obligabit. Itaque reſtabit ſola obligatio charitatis, illa verò impleta eſt per ſubuentionem exhibitam. Si verò charitas tunc obligabat ad ſubueniendum proximo gratis, obligabat ad non accipiendum pretium, & ad illud acceptum reſtituendum; quia per illam acceptionem & retentionem pretij, impedita eſt obſeruatio præcepti charitatis tunc vrgentis: cùm non fuerit poſitum opus imperatum, nempè ſubuentio gratuita proximi, qualis non eſt quando pro ea pretium accipitur, & quamdiu retinetur: toto enim illo tempore non ſatisfacit præcepto ſubueniendi gratis, ei qui per ſe, vel per alium poteſt ſoluere pretium eiuſmodi ſubuentionis. Sic diximus aliàs cum communi ſententia, non teneri nos dare indigenti qui poteſt mutuò accipere, aut emere. Ita vix vnquam pretium acceptum, pro opere ex ſola charitate debito proximis erit reſtituendum.

Septimò licèt aliquando lex obligans ad quodpiam opus, obliget ſimul ad non accipiendum pro eo pretium, quia tunc non ponetur opus præceptum, vti iam monuimus; non obligabit tamen poſteà ad pretium acceptum reſtituendum; quia toto conſequenti tempore præceptum illius virtutis ad tale opus ponendum, & reſtitutio pretij per accidens ſe habebit ad præcepti impletionem, quare niſi aliunde ſit obligatio ad eiuſmodi reſtitutionem, nulla omnino erit; cùm virtus, cuius præceptum acceptione pretij violatum eſt, amplius ad illud opus non obliget. Quod ferè contingit quando eſt obligatio in diem certum, cui quodammodo alligata eſt, & extra illum ceſſat. V. g. obligaris hac ſexta feriâ ex voto paſcere gratis tres pauperes, exacto iſto die non amplius voto tuo ſatisfacere teneris, neque potes. Si igitur accepiſti pretium vt tuum votum impleres & paſceres illos pauperes, peccaſti contra votum, quia non paviſti gratis vti obligabaris. Cùm tamen tuum votum non amplius obliget ad illam paſtionem gratuitam, non te obligabit etiam ad pretiū reſtituendum; quia ea reſtitutio nō faciet, vt opus quod debebatur fuerit impletum, neque vt nunc impleatur vi præcepti Religionis, aut voti, quod amplius non obligat. Simili ratione peccaſti contra charitatem accipiendo pretium pro ſubuentione, aut defenſione, quam proximo in tali neceſſitate exhibere gratuitò debebas; tranſacta verò illa neceſſitate non teneris pretium illicitè acceptum reſtituere; quia præceptum ſubueniendi gratuitò proximo non te amplius obligat. Et ſanè qui vrgente neceſſitate proximi, illum ſubleuare tenetur, peccat, ſi id non faciat, non tamen exacta illa neceſſitate, tenetur aut illi amplius ſubuenire, aut quod tunc non contulit, vti ex charitate debebat, modo conferre. Peccaſti contra Religionem vendendo rem ſpiritualem quam gratis tradere debebas, verùm niſi ſimul peccaueris contra iuſtitiam, quod *tract. de Simonia* fuſius diſputauimus, non obligaberis ad reſtitutionem iure naturæ, quia iam non potes rem illam ſpiritualem amplius gratis dare, vti poſtulabat Religio, & reſtitutio pretij malè accepti non impedit irreuerentiam quæ in rēm ſpiritalem commiſſa eſt. At verò ſi pretium accepiſti vt ſatisfaceres voto dandi quingenta Eccleſiæ, debes pretium eiuſmodi reſtituere, quia potes adhuc tuo voto ſatisfacere; nam reddendo pretium Eccleſiæ, cenſeris illa redditione complere ſummam debitam ex voto, quam imminueras accepto illo pretio; partem ſiquidem illi correſpondentem vendideras, cùm tamen gratis dare deberes, aut ex tota ſumma debita partem aliquam in pretium tibi ſeruatas. Non igitur integram quæ debita erat dederas, quare reſtituenda eſt.

Hactenus in iſtis omnibus ſpectauimus dumtaxat ius naturæ, nam de iure poſitiuo magna lis eſt, propter *l.3.6 & 7.C.de cōdict ob turp.cauſ.* & *l.4.D. eod.l.1.§.ſi vt maleficium, D. de pactis.l.1. D.de calumniat.* Aliqui enim volunt præcipi pretij turpiter accepti reſtitutionem, quos affert & ſequitur

Vaſq.

Vaſq. *de reſtitut. cap.* 7. *num.* 37. Alij tamen eas omnes leges interpretantur, de pretiis propter opera ex iuſtitia debita. Alij dicunt negari tantum actionem ad exigenda turpiter promiſſa, aliquando quoque dari repetitionem illorum in iudicio quando non fuit turpitudo ex parte dantis, ſed ſolùm ex parte accipientis. Quæ ſingulæ ſententiæ propter DD. authoritatem, cui in interpretando iure dubio, aut obſcuro plurimùm tribuendum eſſe cenſeo, ſuam probabilitatem obtinent. Moneo tamen non eſſe obligationem reſtituendi huius pretij ante ſententiam ſaltem declaratoriam, niſi præſupponatur obligatio ex iure naturæ, aut leges reddant incapaces ita turpiter paciſcentes, quidpiam acquirendi per huiuſmodi turpia pacta quæ irritant & inualidant, & non tantùm illicita faciunt, aut puniunt.

Consectarium XII.

De negotiatione lenonum & lupanarium, An permittenda ſit in Republica.

Prima opinio, lupanaria publica non eſſe ferenda in ciuitate. 1.
Excluſa à Iudæis meretrices. 2. 3. 4.
Patrum ſuffragia. 5.
Prohiberi lupanaria publica Iure Eccleſiaſtico & Patribus. 6.
A pleriſque Gentibus prohibita lupanaria. 7.
Quis ſit Leno. 8.
Iuſtiniani conſtitutio de Lenonibus arcendis. 9.
Aliorum Principum edicta. 10.
Senſus eorum qui permiſerunt lupanaria, & vt ab illis damnata varijs modis fuerint meretrices. 11. 12.
Permiſſio publica lupanarium impugnatur. 13.
Lupanaria fontes omnium vitiorum in ciuitates, & primo quidem illas opibus exhauriunt. 14.
Publica luxuries quantum malum ſit. 15.
Inde omnia alia vitia. 16.
Ineptitudo ad grandiores auſus. 17.
Qui negant lupanaria non poſſe ſine peccato permitti. 18.
Prima obiectio ex Auguſtino ſoluitur. 19.
Secunda obiectio ex vſu quarumdam gentium. 20.
Tertia obiectio à Iure Romano antiquo. 21.
Quarta obiectio ex vitatione maioris mali. 22.
An liceat locare, domum meretrici. 23.
An meretrici & lenoni vectigal imponi queat. 24.
De marito vxori ſuæ lenocinante. 25.

HAnc negotiationem turpem eſſe nemo vnus qui pudorem amet, dubitabit, an verò valida ſit, conſtat ex iis quæ diximus nuper duobus proximis conſectariis; vbi enim exhibitum fuerit opus de quo conuentum erat, quamuis turpe, ſoluenda erit pacta merces. Quare tota difficultas eſt, an eiuſmodi fœda negotiatio in Republica ferenda & permittenda ſit.

Et quidem lupas iſtas, *popularium libidinum mundit.as,* vt loquitur Tertull. *lib. de pallio cap.* 4. & *lib. de ſpectacul. cap.* 17. *proſtibulas publica libidinis hoſtias*: Arnob. *lib.* 1. *in vulgarem libidinem proſtitutas.* Zeno Veronenſ. *publicanas mulieres* in Republica ferendas non eſſe, lupanaria omnia, & vt vocat Tertullian. *in exhort. ad martyr. cap.* 1. *loca libidinum publicarum*: & Cyprian. *lib. de ſpectaculis, publica obcœnitatis magiſteria*, omnes fornices, luſtra, & luſtrales celiulas è bene morata ciuitate amandanda eſſe plura ſuadere videntur. 1

Primum enim ne apud Iudæos quidem publicum eiuſmodi meretricium paſſus eſt Deus. Sic enim edicit *Deut.* 23. *verſ.* 17. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſraël.* Quod malè Chaldæus reddidit: *Non erit mulier de filiabus Iſrael vxor viro ſeruo, neque accipiat vir de filiis Iſrael vxorem ancillam.* Quod pugnat cum verborum Hebræorum proprietate; neque enim ille cum ſeruis vel ancillis connubialis contractus, quamuis illicitus eſſet, meretricius dicitur, quare cæteri omnes verba illa de turpi cum meretrice & fornicaria commercio ſunt interpretati. Nam πόρνη, & Kedeſchrach, & Zonah, atque etiam latinum meretrix perpetuò in ſacris litteris pro proſtibula & fornicaria, atque demum pro muliere turpis & malæ famæ capi pluribus adductis locis ſacris oſtendit Serrar. *in cap.* 2. *Ioſue quæſt.* 3. Vide etiam Lorin. *in Leuit. cap.* 21. *verſ.* 7. *& in cap.* 25. *Num. verſ.* 6. Sane πορνεία fornicatio comprehendit etiam ipſam μοιχείαν, eſtque πόρνη quæ corpore ſuo meret, πόρνος ſcortator, ſeu vt alij malunt Cynædum, pathicum puerum meritorium, & ſcortum maſculum ſignificat. πορνεῖον & πορνευόμενος de alienæ libidinis victimis ſiue fœminis, ſiue maribus dicitur. De iis vocibus plura dabit Salmaſ. *lib.* 1. *de fœnore trapeſitico.* 2

Ex hoc igitur loco Auguſtin. *quæſt.* 17. aliique colligunt omnem fornicationem & meretricium Iſraelitis prohiberi. Neque recte ſentiunt quidam meretricium in ea Republica toleratum fuiſſe, modo non eſſet Iſraëlitidarum: nam cùm, & meretricem Iſraëlitidem, & ſcortatorem Iſraëlitam prohibeat Deus, non patitur Gentilia proſtibula, nam ad ea non accederent Iſraëlitæ ex hac lege, neque opinor Gentiles lupas ſuas in chananitide quærerent. Et ſanè meretricium omne à gente Iudæa hac lege proſcriptum fuiſſe teſtatur Origen. *lib.* 4. *contra Celſ. ante medium.* & *lib.* 5. *ſub fin.* Clem. Alexand. *lib.* 3. *ſtromat.* Ioſeph *lib.* 4. *cap.* 8. vbi negat meretrici ius fuiſſe nuptiarum. Philo *lib. de ſpecial. legib.* ait capitale fuiſſe in eo populo quæſtum corpore facere.

Dices conſtare ex ipſa ſcriptura meretrices quoque fuiſſe apud Iudæos; vt quid enim *Leuit.* 21. *verſ.* 7. prohibentur ſacerdotes ducere in vxorem *Scortum & vile proſtibulum*, niſi aliquæ eiuſmodi proſtibulæ inibi eſſent? Immo aliqui cum Abulenſi *in illum locum quæſt.* 11. dicunt hanc legem non obligare Leuitas, ſed ſolos ſacerdotes. Cur *eodem cap.* 21. *verſ.* 9. filia ſacerdotis in ſtupro deprehenſa Flaminis exuri iubetur? niſi quia vt ait Abulenſ. *quæſt.* 15. aliis nulli adhuc deſponſatis nulla impoſita pœna erat. Cur denique *verſ.* 14. Pontifex prohibebatur *viduam, repudiatam & ſordidam*, atque 3

meretricem

meretricem ducere; ſed ſolum *puellam de populo ſuo?* Per ſordidam & meretricem intelligit, quod antea dixerat ſcortum, & vile proſtibulum, nempe publicè proſtitutam, & quæ ſe etiam occultè pro mercede cognoſcendam præbeat. Cur inquam iſta prohibeatur niſi in populo de quo iubetur puellam ſibi legere, ſint etiam ſordidæ & meretrices, ſicut & viduæ atque repudiatæ, à quarum omnium nuptiis abſtinere iubetur. Deinde *Geneſ.* 18. Iudas cõgreditur cum Thamare, quam exiſtimabat eſſe meretricem. Et *Iudic.* 11. Iephte ex meretrice natus eſt; ideóque à fratribus ex legitima vxore ſuſceptis domo pulſus, & paterna hæreditate exturbatus. Eius autem mater dicitur *ibi verſ.* 1. Zonati, & à LXX. *πόρνη*, quas voces ſcortum ſignificare monuimus: & *verſ.* 2. *ἑταίρας*; quia nequidem fuit pellex & concubina, quæ erat apud Hebræos quoad ſolum thorũ, & non quoad dignitatẽ vxoris viro iunctæ, vti oſtendit Serar. *in c.* 8. *Iudic. q.* 17. & *c.* 9. *q.* 1. ſed reuerà meretrixi atque adeo ex illegitimo Thoro natus fuerit Iephte, imò ex adulterio; quod probat Serar. *in c.* 11. *Iudic. q.* 1. ex Ioſepho qui non ſolũ dixit illũ *ὡς ὁμομήτριον καὶ ξένον κατὰ τὴν μητέρα*, ſed etiam ipſam ait fuiſſe *δι᾽ ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν ἐπαχθεῖσαν αὐτοῖς (ἀδελφοῖς) ὑπὸ τοῦ πατρός*. 3. *Regum, c* 3. duæ meretrices contendunt coram Salomone. Et denique cùm ipſe Ioſephus, vti referebamus, neget ex Moſis lege meretriei ius eſſe nuptiarum, reuerè ſupponit ea in gente meretrices aliquot fuiſſe. Quare illa Deuteronomij lege, quã verſamus, non videtur prohiberi omne meretricium, ſed certum aliquod, nempe quod ſacrum erat, quia quæ illud exercebãt fœminæ Diis Deabuſve conſecratæ erant, & illa ſui corporis proſtitutione ſua colebant Numina. Quod de Comanis vrbe Pontica, in qua eiuſmodi plures erant Lunæ dicatæ fœminæ, tradit Strabo *lib.* 2. & *ibid.* de alteris Comanis Cappadociæ, & de Corintho, in qua meretrices *αἳ τῆς Ἀφροδίτης ἦσαν ἱεραί*, eaſque vocat *lib.* 8. *ἱεροδούλους*. De iiſdem plura Athenæ. *lib.* 13. vbi de Aphrodiſiis ſacris ab eiuſmodi proſtibulis celebratis. Vide & Herodot. *lib.* 1. *ſub fin.* Iuſtin. *lib.* 21. & Dion. Chryſoſt. *in ſua Corinthiaca.* Quin immò Serar. *in c.* 2. *Ioſue. q.* 5. ſuſpicatur Rahabã meretricem, quæ excepit exploratores Iſraëlitas, ſacrarum eiuſmodi meretricum vnam aliquam fuiſſe, eoque corporis ſui infami quæſtu Lunã coluiſſe. Hoc igitur meretricium cum impietate coniunctum, & apud Ethnicos vſurpatum ferri & tolerari in gente Hebræa prohibuit Deus; non verò ſimplex meretricium, quod licèt turpe eſſet, non tamẽ authoritate publica vindicabatur, niſi in certis caſibus, aut niſi cum adulterio coniunctum fuiſſet.

Confirmatur ex iis quæ addunt eo loco LXX. *οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων ἰσραὴλ καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν ἰσραήλ*: non erit ferens teletas de filiabus Iſraël, non erit initiatus de filiis Iſraël. Quæ ab Hebræo & vulgata Latina, neque ab Auguſt. *q.* 38. referuntur. Lecta tamen ſunt à Cyrillo, Theodoreto, & Procopio. Cyril. *lib.* 15. *de adoration.* *τελεσφόρον* interpretatur quaſi ex neceſſitate tributum aliis pendentẽs *φόρους τελοῦντας*, & mercedes ex impudicitia ab emptoribus colligẽtes *τὰ ἐκ τῆς ἀσελγείας μισθώματα τοῖς πριαμένοις, συλλέγοντας*. Procopius quoque exponit de tributo, quod à meretricibus penditur lenonibus. Et ſane *τέλος* tributum eſt, & *τελεῖν* tributum pendere: vnde voces *τελεσφόρος*, & *τελισκόμενος* deducit Procopius. Theodoretus verò *q.* 28. *in Deuteronom.* vbi quærit quid ſit *τελεσφόρος*, *τελισκόμενος*, *καὶ τελισκομένη*, deriuat à *τελεῖν* quod eſt initiare, & *τελετὴ* initiatio. Ideóque de quadam impia infandaque initiatione, quæ in dæmonum ſacris fiebat explicat. Sicut enim, inquit, fideles *πιστοὺς* vocamus eos qui diuinis myſteriis participant *θείων μυστηρίων μετέχοντας*, ita gentes vocabant *τελεσκομένους* eos, qui quorumdam dæmonum myſteria docebantur, *τοὺς δαιμόνων τινῶν διδασκομένους*. At verò *τελεσφόρον* eum qui myſteriis initiat, *τὸν μυσταγωγόν*. Et denique *τελισκόμενον* eum qui myſteriis initiatur *τὸν μυσταγούμενον*. Hieronym. quoque illud *Oſee, verſ. cum effæminatis*; vbi LXX. legunt *initiatis*, ad mulieres Priapo initiatas Sacerdotes refert. Ibi vero habent LXX. *τετελεσμένων*. Aquila legit *ἐνηλλαγμένους* mutatos, quia in alterum ſexum frangebantur: Symmach. *ἑταίρας*. Theod. denique *κεχωρισμένους* à populo ſeparatos, per conſecrationem ſcilicet & initiationem, quam tamen ad fœminas refert Hieruny. quæ in eiuſmodi ſacris cæteros initiabant. Et ſane Heb. eſt Kedaſots, quod eſt fœmineum, & Symmac. vt monui vertit *ἑταίρας*. Prohibet igitur Deus ne Iſraëlitæ more gentili ſe idolis conſecrẽt, aut Deo per meretricium quæſtum viros quos admittent, initiare & conſecrare ſe exiſtiment, & inde tributum ipſi templu pendere in honorem verĩ Numinis poſſe cogitent. Quemadmodum factitatum ab Aſſyriis & Babiloniis poſt paulò monebimus. Ideóque ſtatim addit: *Non offeres mercedem proſtibuli in domo Dei tui:* quemadmodum vſurpabatur à Gentilibus; nam ex meretricio quæſtu donaria Idolis, victimas, aliaque neceſſaria in templi ſumptus, ipſaſque ſtatuas conficiebant, vti de Samaritanis queritur Michæ. *capit.* 1. *verſ.* 7. *Omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſque ad mercedem meretricis reuertentur*: quia nempe quidquid ſacræ iſtæ meretrices, venali pudore lucri comparabant, aut in templorum execrabiles ſumptus, aut in conflanda, vel ornanda Deorum ſimulachra conferrent, vt de Babyloniis Herodot. *lib.* 1. de Phœnicis Auguſt. *lib.* 4. *de ciuit. cap.* 10. de aliis alij. Et Deus ipſe id videtur innuere Baruch. 6. *verſ.* 9. *Coronas aureas habent ſuper capita ſua Dij eorum, vnde ſubtrahunt Sacerdotes ab iis aurum & argentum, & erogant illud in ſemetipſos. Dant autem, & ex ipſo proſtitutas, & meretrices ornant, & iterum cum receperint illud à meretricibus, ornant Deos ſuos.* Nempe ſolebant Sacerdotes in illis delubris cum meretricibus agere, quaſi opus religioſum exercerent, illiſque in mercedem dabant aurum argentúmve, quod ex ipſis Deorum ſuorum coronis ſubducebant, quam deinde ex nefario illo concubitu in delubris Deorum collectam ſacram eſſe perſuadebant, neque niſi in ſacros vſus expendi poſſe, ac proinde ab ipſis repetebant, quæ paulo ante in pretium proſtituti pudoris dederant. Addit deinde *verſ.* 42. de proſtitutione fœminarum Babyloniarum in honorem ſui numinis. *Mulieres circundatæ funibus in viis ſedent ſuccendentes oſſa oliuarum, cum autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quod ea non ſit digna habita, ſicut ipſa, neque funis eius diruptus ſit.* De quo loco ſanè implicato, fuſiùs diſputat de Roa *lib.* 3. *ſingul.* à *c.* 9. deſcribit Baruch. quàm impura eſſent ſacra Babyloniorum ex ſacrificiorum & votorum obcænitate. Mulieres enim quæ venalem habebant pudicitiã vt meretricio quæſtu Deorum

ſuorum ornarent ſimulchra, in viis aut ante delubra proſtabant, in venereis diuerticulis, ſiue tentoriis, quæ funibus obſepiebant; & quo prætereuntium oculos ad concubitum allicerent, non modo iis ſe corollis, & vittis ornabant, ſed etiam olearum nucleos, quod amatorij veneficij genus erat, forulis imponebant, & ſuperſtitioſè comburebant, & ſecum fœliciter actum arbitrabantur, eoque ſibi gratulabantur nomine, ſi rupto fune intra illa ſepta, & tentoria, adulter aut peregrinus amator irrupiſſet, & alias quæ in eodem erant ſtadio, ac quæſtu procaci exagitabant conuitio, quòd nõ fuiſſent nactæ hominem ex cuius congreſſu pretium comparaſſent, quo à conciliato Deo gratiam inirent. Quæ omnia lucem accipient ab Herodoto *lib.* 1. vbi de Babyloniorum venere. Hunc itaque venalem pudorem in ſpeciem Religionis vetuit Deus *Deuteron.* 23. neque lucellum inde comparatum in ſuũ templum inferri voluit. Omne quoque maſculum ſcortum ibidem ſuſtulit. Quod tamen parum fideliter obſeruatum eſſe ſequentibus ætatibus conſtat ex *lib. 3. Reg. c.* 15. *verſ.* 12. Maacham mater Aſæ Regis Iudę dicitur fuiſſe Princeps in ſacris Priapi. Immò in ipſo templo publicas proſtitiſſe meretrices, habes *lib. 2. Machab. c. 6. verſ.* 4. neque etiã defuiſſe proſtitutos pueros excitato ab Iaſone gymnaſio Epheborum *eod. lib. cap. 4. verſ.* 22. traditur. Nihil igitur eſt vnde certò colligamus omnia lupanaria & fornices à Republica Iudæa ablegata, & nulla ratione tolerata.

Reſpond. nihilominus hæc omnia non conuellere communem veramque ſententiam nuper ſtabilitam; atque vt ab hoc poſtremo ordiar, non dubitarim has ſordes maximè à diuino templo ablegatas eſſe, ne lupanar quoddam eſſet inſtar fanorũ Gentilium, quæ idcirco in lucis ædificari ſolebant, quod ſignificatur *Deut.* 12. & alibi ſæpius, quia ibi commodiora præbebant diuerticula libidinum. Eamque ob cauſam obſeruat Philo *lib. 2. de Monarch.* nullos fuiſſe lucos in templo, ne eſſent latebræ maleficiis & inſidiis opportunæ, vitæ nimirum & pudori violando. Cùm Deorum templa proſtibula quædam & meretricios fornices fuiſſe oſtendat Iuuenalis *ſat.* 9. vbi deſcribit hominem profligatæ libinis, qui illius explendæ gratiâ Deorum templa quaſi publica lupanaria obire conſueuerat.

Nuper enim, vt repeto fanum Iſidis & Ganymedem
Pacis, & adducta ſecreta palatia matris
Cererem, nam quo non proſtat fœmina templo?
Notior Aufidio Moecho celebrare ſolebas.

Noluit ſanè Deus religionis ſpecie impiari ſuum cultum & templum, neque ex turpi ſordidoque meretricom & exoletorum quæſtu ditari. Verùm inde non colligitur legem vniuerſalem quam eo Deuteronomij loco tulit, & quâ πορνείαν & meretricium ab illa ſua gente ablegauit; ad has tantum ſacras, vt vocabant, meretrices ita reſtringi, vt alias omnes impunè tolerari vellet, cùm in ea lege nullum omnino ſit verbum quod ad eam limitationem nos cogat, & verborum propria ſignificatio, atque communis in legibus ferendis interpretandiſque retinenda ſit, niſi grauiſſimæ rationes aliam fuiſſe Legiſlatoris mentem euincant. Et ſane non potuit efficacius Deus ſordès meretricias à templo remouere, quam ſi nullum meretricium impunè permitti iuberet, & ſi quando aliquæ fœminæ ea in parte peccarent, nullum ex eo turpi quæſtu munus in templum inferri pateretur, ne nimirum ſibi blandiantur, & criminis veniam, aut facilem reconciliationem, expiationémve, vel diſſimulationem, atque impunitatem obtinere ſe exiſtiment ſuis muneribus & mercedibus, quarum participem facerent ſacram ædem: cum æquè munus illud Deus abominetur atque canis pretium. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Dei tui, quidquid illud eſt, quod voueris, quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Mendoſè verò irrepſit in aliquos codices *carnis*, quaſi meretrix ſit ob corruptionem carnis duntaxat. Atque ita pars hæc poſterior verſus priorem explicet. Verùm retinenda eſt communis lectio *canis*, nam & Græci habent *ἄλλαγμα κυνὸς*. Pretium itaque canis Lyran. Abulenſ. Caietan. & Auguſt. in Deuteron. à quibus vix abeſt Lorin. accipiunt de pretio primogeniti canis, quod niſi Deus hîc prohiberet, redimendum erat. Hanc expoſitionem iure merito reiicit Bonfrerius *comm. in hunc locum.* Vnde enim habent hi DD. lege primogenitorum redimendorum contineri canes, cur non æquè dicam eadem contineri feles & ſimias? Cur enim illa excipient ab vniuerſali lege. Immò lex de redimendis primogenitis pretio ſiclorum quinque, *Num.* 18. *verſ.* 16. ad ſolum hominem non ad cætera animalia pertinebat. Iumentorum verò primogenita commutabantur oue, non redimebantur, *Exodi* 13. de aliis animalibus ſilet lex. Quare alij exponunt de pretio venditi canis, quod tamen non inferebatur templo, eo quod vile quid eſſet canis, & animal immundum. Ita Vatablus, Oleaſter, Sà, & Martin. de Roa *lib. 3. ſingular. c.* 13. Verum idem de ſimia & fele dicendum foret. Ioſeph. *lib. 4. antiq. cap.* 8. intellexit de pretio pro admiſſura canis venatici ac paſtoralis. Neque improbat Bonfrerius, quia hic indicatur aliquid turpe, & indecorum Deo. Deinde quis credat Ioſephum Sacerdotem huius legis, quæ omnino ad Sacerdotes pertinebat, mentem non percepiſſe: eadem tamen turpitudo exiſtit in admiſſuris aliorum animalium, quorum etiam pretia offerri non potuiſſent templo. Cur enim de admiſſura canis præcipua ſanciretur lex. Quare nomine *canis* aut cynicum, aut effrænem & effrontem quandam libidinem capere licet. Citat Lorin. catenam M S C. in qua ex Cyrillo Alexand. canis explicatur expoſitus ad immunditiam & *ἀκολασίαν*. Itaque per mercedem proſtibuli ſignificatur meretricis etiam occultæ; per pretium canis ſignificatur pretium datum impudenti & publicæ proſtanti ſcorto in fornice & lupanari, quæ merces neque poterat Deo offerri, neque victima, neque aliud quidpiam ex eo turpi pretio comparatum. Id enim ferunt illa verba. *Quidquid illud eſt quod voueris.* Quod additione græca ſignificatur *πρὸς πᾶσαν εὐχήν*. Neque leuis fuit ea pœna reiiciendi meretricom & ſcortorum dona, nam expulſionem quandam à ſacris, & excommunicationem à ſacrificiis, aliiſque diuinis rebus continebat. Vnde etiam hodie oblationes excommunicati reiiciuntur, vti fuſiùs oſtendimus *opere de cenſuris, diſquiſ. 7. q. 5. conſectario 5. & in ſynopſi cenſurarũ verb. oblatio.* Ex quibus ſequitur non fuiſſe in ea Republica diſſimulatum meretricium quandoquidem grauiſſima excommunicationis ſiue repulſionis à ſacris pœna plectebatur.

Quæ verò nuper afferebãtur, vt oſtẽderetur fuiſſe meretrices apud Iudæos, non admodũ vrgent; nã Thamar *Geneſ.* 38. deprehẽſa ex intumeſcẽte vtero

fornica

fornicata, iubetur à Iuda comburi, qui tamen à ſe quamuis neſcio vitiatam agnouit, ſententiam retractauit, vnde potius colliges punitum fuiſſe apud Hæbræos meretricium; & quæ illo loco ſignificantur meretrices Chananitides erant, non Iudææ, prӕterquam quod nondum lata lex erat quæ omne meretricium à Iudæis ſemouit. Deinde quod *Leuit.* 21. *verſ.* 7. prohibentur Sacerdotes ducere ſcortum & vile proſtibulum, non arguit fuiſſe permiſſas proſtibulas. Primò quia L X X. vertunt *βεβηλωμένην*, profanam, pollutam, vitiatam, violatam. Itaque licet non meretrix, ſi tamen corrupta aliquando eſſet, non poterat nubere Sacerdoti. Deinde cùm nulla alia pœna lata fuiſſet in eiuſmodi ſcorta, niſi reiectio oblationum ipſarum à templo; potuiſſet facile aliquis ſibi perſuadere expiato crimine, & peracta pœna, atque mutata vitæ conditione, eius oblationes repelli non poſſe, cùm reuerà neque illa amplius eſſet meretrix, neque illa oblatio eſſet merces aut pretium ſcortationis, atque adeo poſſe tunc ambire nuptias etiam Sacerdotum. Quod tamen lex prohibet, quæcumque pœnitentia, & vitæ mutatio præceſſerit. Ita eam explicat Philo *lib.* 2. *de Monarch.* & Ioſeph *lib.* 3. *antiq. capit.* 10. Eadem ratione exponendum eſt *eodem capit.* 21. ſimile mandatum, quo iubetur Pontifex neque viduam, neque ſordidam, aut meretricem, aut repudiatam ducere, ſed virginem & puellam de populo ſuo, quæ poſtrema verba vtrum ad genus Leuiticum reſtringenda ſint, an verò ad totum genus Iudaicum, diſputat fuſiùs Bonfrer. *in comment.* Sanè in eodem libro Leuitico *capit.* 19. *verſ.* 29. manifeſtiſſimis verbis prohibetur meretricatio. *Ne proſtituas filiam tuam ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.* Non diffitemur ſpurium fuiſſe Iephtem, fatemur quoque fœminas, quæ coram Salomone diſceptarunt, meretrices fuiſſe, non cauponarias dumtaxat, quamuis plurimi, iique eruditi id negent. Inde tamen nihil aliud efficitur quàm in petulca gente, & ad omnem libidinem prona Leges iſtas de meretricio, aliquando violatas fuiſſe vitio temporum, quod poſteriori ætate frequentius fuit, vti *ex lib.* 2. *Machabæorum capit.* 7. & ex Euangelio colligitur, ſicut & multæ aliæ prauitates inoleuerunt. Nam imperante Ioſia 4. *Reg.* 27. *verſ.* 27. ſcorta maſcula Hieroſolimæ erant, quæ ille ſuſtulit euerſis domunculis in quibus propè templum habitabant. Vnde ſi quis confirmet (inquit Mariana, ſtatim adducendus) eam turpitudinem Iudæis conceſſam fuiſſe, rem ineptiſſimam faciet: multa enim vitiantur quotidie, aut vecordia populi, aut negligentia magiſtratuum.

Reſpond. denique lege Deuteronomij prohiberi publicanas mulieres & meretricium profeſſas, vt loquitur Plautus, & de Viſtilia & teſtatur Tacit. *ann. lib.* 2. ſiue prohiberi publica lupanaria magiſtratus auctoritate, vel conſtituta, vel permiſſa, de quibus dumtaxat agimus; occulta aliqua aſcorta, quæ palam non proſtarent ita tolerata eſſe, vt tamen ipſorum oblationes in templum non inferrentur. Neque aliquid amplius probant, quæ nuper allata ſunt, vt oſtenderetur aliquas apud Hebræos repertas eſſe meretrices, ſicut & alia vitia obſeruata. Confirmantur hæc omnia ex eo quod Deus exprobrans ſynagogæ idololatriam, eam fornicationis nomine deſignat, vt eius criminis atrocitatem explicet; comparat enim publicis & vulgatis ſcortis quæ ſe omnibus paſſim proſtituunt, & in tota Iudæa vbique publica lupanaria, id eſt, falſorum Deorum cultui dicata loca excitari queritur Ezechiel *capit.* 16. *verſ.* 15. *Expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres, & ſumens de veſtimentis tuis feciſti tibi excelſa hinc inde conſuta, & fornicata es ſuper eis.* Et *verſ.* 24. *Et ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Ad omne opus viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum, & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.* Vbi quoque Hierony. *Ædificaſti tibi lupanar.* L X X. *habitaculum fornicationis ᾠκοδόμησας τὰς πορνείας, ᾠκοδόμησας ἔκτυπα πορνικὸν καὶ ἐποίησας σεαυτῇ ἔκθεμα ἐν πάσῃ πλατείᾳ πασῶν:* quia in omnib. triuiis, aut quadriuiis exſtruxerat ſibi quandam arã; omniumque Deorum quotquot ſeſe offerebant ſimulachra. Quàm exoſa igitur Iudæis, & non permiſſa lupanaria, quandoquidem non potuit Deus, quàm eſſet idololatriæ ſcelus execrandum perſuadere niſi comparatione criminis quod in conſtituendis lupanaribus publicis commiſiſſent.

Secundò ſuffragantur PP. & antiqui ſcripto- 5
res, nam Philo *lib. de Ioſeph.* illum inducit ſic procaci dominæ reſponſantem. *Apud noſtrates nulla eſt meretrix, capitali ſupplicio propoſito talem quæſtum exercentibus.* Quæ eadem habet *lib. de ſpecialibus legibus.* Origen. *lib.* 4. *&* 5. *aduerſus Celſum,* miratur & commendat Rempublicam, quæ tam diu ſteterit ſine publica eiuſmodi libidine. Nam ſapienter *Hom.* 8. *in Ezech. capit.* 16. diſtinguit inter eas quæ cum aliqua verecundia crimen occulunt, & eas quæ nullo pudore contegunt, & cum omni procacitate ſe proſtituunt. Clemens Alexand. *lib.* 3. *ſtrom.* idem cenſet. Sanè Auguſtin. *lib.* 2. *de ciuit. capit.* 20. peſſimam ac flagitioſiſſimam Rempublicam deſcribens, inter eius iniquiſſimas leges hanc refert. *Abundent publicè ſcorta, vel propter omnes, quibus frui placuerit, vel propter eos maximè qui priuata habere non poſſunt.* De pluribus aliis e iuſdem generis allatis ſubiicit. *Quis hanc Rempublicam non dicam Romano imperio, ſed domui Sardanapali comparauerit.* Et *libro* 14. *capit.* 18. de vſu ſcortorum ait, *Quàm terrena ciuitas licitam turpitudinem facit.* Vnde explicabis quæ iunior ſcripſerat idem Auguſtin. *libro* 2. *de Ordine,* quibus has ſordes ferendas quamuis ab inuitis velle videbatur.

Iuri Diuino Moſaïco ſubiicio Eccleſiaſticum. 6
Nam Synodus Trullana *can.* 86. iubet eos qui meretrices in vnum cogunt, & alunt *πόρνας ἐπισυνάγοντας, καὶ τρέφοντας* ad impurum nimirum quæſtum, & in animarum perniciem, vt ibidem dicitur, deponi *καθαιρεῖσθαι* ſi Clerici ſint; ſi veró laïci *ἀφορίζεσθαι*, ſegregari ſiue excommunicari. De earum vocum notione plura diximus *opere de cenſuris.* Qua lenonum grauiſſima pœna ſignificat Synodus quantopere lupanaria in orbe Chriſtiano permitti non velit, & quamuis priorum Synodorum decreta non habeamus, inde colligere non licet, eos exiſtimaſſe eiuſmodi libidinis publicæ luſtra & ganeas diſſimulanda, ferendaque eſſe in Republica Chriſtiana, ſed potius vel pauca illa fuiſſe, vel nõ inter Chriſtianos neq; eorũ auctoritate permiſſa, ſed Ethnicorũ magiſtratuũ legibus, quib. ipſi obſiſtere nõ poterant. Deinde cũ in omnẽ libidinẽ maxime publicã incumberentur, vti ex illorũ ſcriptis cõſtat, quis dicat huic publicę pudoris vẽditationi pepercisse, vt quid Ethnicis

tam vehementi frequentique otatione obcænitates publicas exprobraſſent, ſi & ipſi hæc luxuriæ publicæ, vt loquitur Sen. *Ep.*114. gurguſtia apud Chtiſtanos diſſimulabant? quorum tamen continentia gloriabantur, & quos volebant ab iis omnibus abſtinere, quæ ſuſpicionem aliquam communicandi cum Gentilium laſciuia præbere poterant Atque ne à noſtro inſtituto longius abeamus, Chriſtianorum ne quidem ianuas corollis ornari ſuſtinebant, quia lupanaria lauris coronabantur & corollis. Vnde Propert. *lib.*1. *Eleg.*16. proſtibuli ianuam quæ ad montem Tarpeium erat ſic loquentem inducit.

> *Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ*
> *Semper, & excluſi ſigna iacere faces.*

Er Apulei. *lib.*4. eiuſmodi domum totam lauris obſitam deſcribit, idcireo ne in ſolemnitate quidem publica, in qua vt ait Tertull. *loco ſtatim allegando, Quàm recentiſſimis & ramoſiſſimis laureis poſtes præſtruebant, quam elatiſſimis & clariſſimis lucernis veſtibula onubilabant?* Et tamen ne in ea quidem publica lætitia domos ſuas ſic ornari patiebantur Chriſtiani, quamuis inde Cæſarum, & Romanorũ hoſtes haberentur & læſæ maieſtatis Rei, teſte Tertullian. *lib. Apologet.c.*35. *Cur die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honeſta res eſt ſolemnitate publica exigente, induere domus suo habitum alicuius noui lupanaris.* Et *lib.*2 *ad vxor.c.*6. de Chriſtiana quæ Gentili nupſit. *Et procedit de domo laureata, & lucernata, vt de nouo conſiſtorio libidinum publicarum.* Qua de cauſa queritur *lib. de Idololat.cap.*5. *At nunc luceant taberno, & ianua noſtra, plures iam inuenies Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quàm Chriſtianorum.* Et *lib. de Idololatria cap.*13. *Cæterum à ſæculo coronantur & lupanaria*, &c. *At enim Chriſtianus nec ianuam ſuam laureis infamabit.* An ambò Tertullian. aliique eius æui tuliſſent apud Chriſtianos lupanaria, & luxuriem publicam in ea diſciplinæ ſeueritate. Audi eundem Tertull. *lib.de ſpectaculis c.*17. *Similiter impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo etiam à theatro ſeparamur quod eſt priuatum conſiſtorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur, ita ſumma gratia eius de ſpurcitia plurimum continuata eſt*, &c. *Ipſa etiam proſtibula publica libidinis hoſtiæ in ſcena proferuntur plus miſeræ in præſentia fœminarum, quibus ſolis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur, locus. ſtipes, elogium etiam quibus opus non eſt prædicatur*, &c. *Erubeſcat Senatus, erubeſcant Ordines omnes. Ipſa illæ pudoris ſui interemptrices de geſtibus ſuis ad lucem & populum expaueſcentem ſemel anno erubeſcunt. Quod ſi nobis omnis impudicitia prohibetur, cur liceat audire, quæ loqui non licet?* &c. *Cur æquè liceat videre quæ facere flagitium eſt?* hunc Tertull. locum diſertis verbis imitantur Cypr. *ep.* 2. & *lib.de ſpectac.cap.*5. Lactant. *lib* 6. *inſtitution. c.*20. Auguſt. *lib.* 2. *de ciuit.c.*4. *ad* 14. An iſti PP. qui omnem impudicitiam amoliri iubent Chriſtianis, illis impune permittant lupanaris ſpurcitias? An qui nolunt illos ſpectatores theatri ſedere, fornices ſubire patientur? & in illis gerere, quæ in theatro ſpectarunt? Quid his Chriſtianorum querelis repoſuiſſent Ethnici? Nunquid obiicientibus theatra, obiecciſſent & ipſa publica lupanaria apud ipſos permiſſa? Quod igitur ibidem ait Tertull. *habes theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ*, dicendum de interdictione lupanarium, quæ non magis permittenda ſunt Chriſtianis quàm publica luxuries, & theatri obcænitas. An ea ætate procaci diſſimulatione tuliſſet Eccleſia theatra apud Chriſtianos? quis ergo credat diſſimulaſſe lupanaria? cùm luſoriam & agoniſticam ſcenam damnarit in Ethnicis Tertull. *ibid. cap.*18. *Quod tragœdiæ & comœdiæ ſcelerum & libidinũ auctrices, cruentæ & laſciuæ, impiæ & prodigæ, nullius rei, aut atrocis aut vilis commemoratio vtilior eſt; quod in facto reiicitur etiam in dicto non eſt recipiendum.* Chriſtianorum verò diſciplina in publica libidinum officina fieri pateretur impunè, quæ audiri non permitteret in theatro? quis ſi ſapiat, ita ſentiat? De amphiteatro adiicit *cap.*19. *Si ſæuitiam, ſi impietatem, ſi feritatem permiſſam nobis contẽdere poſſumus, eamus in amphiteatrum.* Quidni & nos in hac re illud idem vſurpemus? Si impudicitiam, ſi publicam ſpurcitiam, ſi ſcortitionem, ſi obcænitatem permiſſam nobis contendere poſſimus, eamus in lupanar, quod cum titulo omnibus proſtat, & quod nullo metu ſeuerioris diſciplinæ, ſiue Secularis, ſiue Eccleſiaſticæ penetrare fas fuerit. Cùm omnia quæ exhibentur in theatro re ipſa fiant in lupanari. Neque abſimilia habet Cyprian. *lib.de ſpectaculis*, vbi & lupanaria cum theatris coniungit, & ab illis ad iſta viam eſſe oſtendit. *Quem*, Chriſtianum ſcilicet, *ſi rurſus perrogent, quo ad illud ſpectaculum itinere peruenerit, confitebitur, per lupanarium, per proſtitutarum nuda corpora, per publicam libidinem, per dedecus publicum, per vulgarem laſciuiam, per communem omnium contumeliam*, &c. *Auſus ſecum Spiritum Sanctum in lupanarium ducere, ſi potuiſſet, qui feſtinans ad ſpectaculum, dimiſſus, à Miſſa ſcilicet, & adhuc gerens ſecum, vt aſſolet, Euchariſtiam inter corpora obcæna meretricum tulit; plus damnationis de ſpectaculi voluptate.* Quare damnant maximè hi Patres ſpectacula & theatra, quòd ſunt viæ ad lupanaria, & quia in illis docetur & repræſentatur, quod deinde occultè geritur in ipſo lupanario, neque aliud diſcrimen conſtituit Cyprian. *ibidem*, inter theatrum & lupanar. *Concurritur in illud pudoris publici lupanarium, ad obcænitatis magiſterium, ne quid ſecreto minus agatur, quàm quod in publico diſcitur*, &c. *Quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit, cui vitia nec licet cogitare? Quid oblectatur ſimulacris libidinis, vt in ipſis depoſita verecundiâ, audacior fiat ad crimina: diſcit facere, quod conſueſcit videre. Illas tamen quas infœlicitas ſua in ſeruitutem proſtituit, libinis publica occultat locus, & dedecus ſuum de latebris conſolantur, erubeſcunt videri etiam quæ pudorem vendiderunt.* Quis igitur dicat ſeueriorem illam diſciplinam non permiſiſſe Chriſtianis impunè ſpectare theatri turpitudines, & paſſam tamen eſſe illos habere proſtibula publica, & libidinis publicæ loca, vt loquitur Cyprian. in quibus pudor proſtitutarum venditur, & crimen quod in theatro docetur, nullo metu exercetur. Adde eoſdem PP. ex eo ſæpius capite Ethnicorum ſacra fuiſſe inſectatos, quòd in illis plurima obcæna fierent, eſſentq; ſacra quædam, eóque magis ſcelerata & prodigioſa lupanaria, vt in Arnob. Tertull. Cyprian. Octauio, cæteriſque paſſim leges, quod iure merito facere non potuiſſent, ſi & Chriſtiani lupanaria publica, licèt non in ædibus ſacris habuiſſent. Denique quænam fuerit prima illa ætate Chriſtianorum diſciplina, accipe ab Origene *lib.*3. *contra Celſum. Iam erga peccantes, quàm ſeuera diſciplina, præcipuè contaminatos libidine, quos è ſua Republica reiiciunt noſtri*, &c. Quare mirum videri non debet ſi Patres prioris illius æui, nihil ferè de lupanaribus apud

Chriſtia

Digitized by Google

Chriſtianos prohibendis edixerint aut ſcripſerint, cùm quæ aduersùm Ethnicos ea in cauſa diſputabant, dum illis lenonum, theatri, & lupanarium obcænitates exprobrabant, ſatis Chriſtianos erudirent, quibus nequidem ſpectare theatra impura permittebant, à quibus, *omnem*, vt loquebatur Tertull. *impudicitiam amoliebantur*: & apud quos eiuſmodi libidinum publicarum ganeæ & luſtra nulla prorſus erant: quare ex hoc veterum PP. circa prohibitionem lupanarium publicorum ſilentio illa potiori iure non fuiſſe apud Chriſtianos colligimus, quàm permiſſa & tolerata à ſacro Magiſtratu, & hoc loco valet, quod Cyprian. *lib. de ſpectaculis*, & Tertull. *ſimili tractatu capit.* 20. circa prohibitionem ſpectaculorum & theatri ſcribunt, quam *ſuaniludij* quidam, vt loquitur Tertull. non reperiri in ſcripturis ineptè obiiciebant, indeque deſperata argumentatione tergiuerſationem admittendæ voluptatis obtendebant. Qua ſimili defenſione tolerantiam publicorum lupanarium parum ſapienter aliqui ſuſcipiunt, quòd illa neque veteres Eccleſiæ leges, neque Patres ſeuerius prohibuerint. Audiant illi Cyprianum loco laudato. *Præſcribat iſtis pudor, etiamſi non poſſunt ſancta litteræ. Quædam enim ſcriptura magis prouidet, non præcipiendo: verecundiam paſſa plus interdixit, quia tacuit. Veritas ſi ad hæc vſque deſcenderet, peſſimè de fidelibus ſuis ſenſiſſet; nam & plerumque in præceptis quædam vtilius tacentur: admonent ſæpe dum interdicuntur: ita etiam tacentur dum in litteris ſcripta ſunt: & præceptorum loco ſeueritas loquitur, & ratio loquitur quæ ſcriptura conticuit: ſecum tantum vnuſquiſque deliberet, & cum perſona profeſſionis ſua loquitur, nihil vnquam indecorum geret: plus enim ponderis habebit ſententia, quæ nulli ſe alteri debebit, quam ſibi.* Non opus verò eſt ætatum conſequentium Patres adducere, qui in has ſpurcitias vſque eò inuehuntur. Audi vnum Chryſ. Hom. 29. in Matth. τῶν πορνῶν τὰ καταγώγια πολλῆς τῆς δυσωδίας γέμοντα, πολλῆς τῆς ἀηδίας.

7 Venio ad ius ſeculare, quod has fornices è Rebuſpublicis exulare ſeuerè mandat. Nam pleræque gentes lenones & lupanaria non permiſerunt, & illæ ipſæ quæ permiſerunt, pœna aliqua aut infamia damnarunt. Nam Philarchus apud Athenæ. *lib.* 13. *cap.* 32. teſtatur in Crorum ciuitatibus amicas non fuiſſe permiſſas. Periander Rex Corinthiorum, quæ pudorem proſtituiſſent ſubmergi iuſſit. Ita Heraclides *de politiis, in politia Corinthiorum*. Apud Athenienſes, qui non modo puerum ingenuum, aut liberum, ſed etiam fœminam produxiſſet, dica illi ſcribebatur, & conuictus morte luebat, quam legem ex Æſchine & Demoſthene collegit Samuel Petit. *in ll. Atticas, libro* 6. *tit.* 5. vbi totius illius iudicij rationem & modum ex iiſdem Auctoribus explicat. Apud eoſdem, qui corpus ſuum proſtituerant eóque quæſtum fecerant, maxima capitis minutione notabantur, id eſt omnibus ciuitatis iuribus, ſacris & profanis exciderant, cum liberis poſteriſque. Quod ſi quis τῶν ἑταιρηκότων, pœnam inſuper haberet, capite luebat ex lege quam eodem loco adducit Petitus. Cauit quoque Solon neminem pro mœcho haberi in domo meretricia, ſiue cum meretrice, quæ in lupanari vel publicè proſtat. Hæc enim impudica proſtibula, etiam ſeruorum patere debent iniuriæ, vbi vt vides dum lupanaria permittit, eadem punit, dum iubet eiuſmodi proſtitutas, quoſlibet etiam ſeruos & viles excipere, eorumque iniuriæ ſubiicit. Et ſanè meretrices erant ferè aut peregrinæ, aut ancillæ, & pecunia emptæ, etiam apud Romanos. Vnde Hieronym. *in epitaph. Fabiolæ*: per lupanaria atque ancillulas libido permittitur. Entymachus quòd puellâ Olynthiam proſtituiſſet, capite luit. Ita Diuareh. contra Demoſth. Cleomenes Methymneorum Tyrannus tres quatuórve lenas, quæ mulieres liberas proſtituebant ſacris incluſas, demergi iuſſit: Athen. *libro* 10. *capit.* 14. Cùm Decius Mundus Paulinam caſtiſſimam Saturnini vxorem expugnare non potuiſſet, à Sacerdotibus Iſidis Idæ, libertæ opera vſus, ſibi proſtitutam corrupit; finxerunt enim illi Deum Anubin ipſam ad cænam & amplexum inuitare, & numinis obcæniſſimi ſpeciem Decius repræſentauit. Tiberius Sacerdotes illos & Idam cruci affixit, templum Iſidis euertit, ſtatuam Diuæ in Tiberim profluentem deiecit, & Decium quem ætas & amor aliqua ratione excuſabant, relegauit. Sane apud Romanos quamuis fornices & lupanaria permiſerint, lenonum nomen odibile fuit, vt ait Iuſtinian. *Nouell.* 14. inferiùs afferenda. Nam inter capita Iuliæ legis de adulteriis, lenocinij accuſatio eſt. Quare ea lex non tantum Stuprum vel adulterium inferentem, ſed etiam ſuadentem conſtringit. Quod affirmat Vlpian. *l.* 12. *D. ad l. Iuliam de adulter.* Eadem pœna punitur tanquam lenocinij reus, ſi quis de adulterio ſuæ vxoris quid acceperit, *leg.* 2. *§. lenocinij. D. eod.* Hinc fit vt de adulterio tranſigi nequeat, quia tranſactio non fit nullo dato, vel retento. Habetur quoque pro lenone, qui vxorem adulterij damnatam ſciens duxerit, & qui patitur vxorem ſuam delinquere, atque ita matrimonium contemnit, nec contaminatione indignatur, ſi ob quæſtum id faciat; non tamen ſi ex ignauia, negligentia & nimia credulitate. Quæ omnia ex iure demonſtrat Gregor. *libro* 36. *ſintagmat. cap.* 11.

Lenones porro & lenas dicimus qui mulieres 8
quæſtuarias proſtituunt, qui & infames ſunt, ſiue illi lupanarium magiſtri, & vt loquitur Tertull. *de pallio cap.* 4. latrinarum antiſtites ſint, ſiue domi ſuæ aut in caupona habeant illa proſtibula. *Nam palam quæſtum facere dicimus, non tantum eam, quæ in lupanario ſe proſtituit, verumetiam ſi qua, vt aſſolet, in taberna cauponis pudori ſuo non parcit*, inquit Vlpian. *leg.* 43. *D. de ritu nuptiar.* & *leg.* 27. *D. de petit. hæreditat.* ait *in multorum honeſtorum virorum prædiis lupanaria exerceri.* Quare dum cauetur *l.* 8. & 10. *D. ad l. Iuliam de adulteriis*, eum qui ſciens dolo malo domum ſuam præbuerat ad ſtuprum vel adulterium, lege Iulia teneri; domus accipitur pro qualibet habitatione, etiamſi non ſit propria habitantis; *ex l.* 22. *D. eod.* leno igitur eſt & *lenocinium facit, qui quæſtuaria mancipia habuerit, & qui in liberis hunc quæſtum exercet, ſiue principaliter hoc negotiũ gerat, ſiue alterius negotiationis acceſſione vtatur, vt puta ſi caupo fuit, vel ſtabularius, vel balneator.* Ita definit Vlpian. *l.* 4. *§. ait prætor. D. de his qui not. infam.* Qua ſimili ratione lenã deſcripſit idẽ Iuriſconſ. *l.* 43. *§. lenocin. D. de ritu nuptiar.* Ex quibus Gloſſographus vetus ſuam & ipſe deſcriptionem concinnauit, Vlpianum enim exſcripſiſſe videtur. Cùm lenonum igitur nomen odibile fuerit antiquis legibus & Principibus, vti affirmabat Iuſtinianus; non potuit lupanaris quoque nomen exoſum non fuiſſe. Paul. *l.* 1. *§. qui puero. D. de extraordinar. criminib.* puerorũ, puellarum, mulierum lenones, deportatione vel

capite pro ratione criminis puniendos exiſtimat. *Qui puero ſtuprum, abducto ab eo vel corrupto comite, perſuaſerit, aut mulierem puellámve interpellarit, quidve impudicitia gratià fecerit, domum præbuerit, pretiúmve quo id perſuaderet, dederit, perfecto flagitio punitur capite, imperfecto in inſulam deportatur, corrupti comites ſummo ſupplicio afficiuntur*: quia nimirum iſti comites de lenocinio ſuſpecti ſunt. Quare lenones duntaxat mancipiorum ancillarúmve earum, quæ apud ædiles, vti dicemus inferiùs, matronalem habitum, & nomen depoſuiſſent, impunitos reliquerunt, quamuis & hos quoque infamia notarint, neque alia lupanaria permiſerunt. Conſtantin. aduerſus puellarum veluti lenas, quæ illas lenociniis & blanditiis deprauant, ſic edixit, *Vt quia parentum cuſtodia* (circa puellas) *nutricum fabulis, & prauis ſuaſionibus ſæpe deluduntur, his primùm quarum deteſtabile miniſterium fuiſſe arguetur, redemptique diſcurſus, pœna immineat, vt eis meatus oris & faucium qui nefaria hortamenta protulerint, liquentis plumbi ingeſtione claudatur. l. 1. de raptu virginum in C. Theodoſ. lib. 9. tit. 1.* Et quãuis ea coſtitutione Conſtantinus agat de raptu virginum, quia tamen deluſam puellam ſuſpicatur lenocinante cuſtodià, cuius ſuaſionibus rapi ſe poſcit, &c. idcirco grauiſſimo illo ſupplicio perfidam eam cuſtodiam punit. Sed habemus eiuſdem Augusti ſanctionem expreſſiorem aduerſus lenonem *l. 1. de lenonib. in C. Theodoſ. lib. 15. tit. 8.* qua vetuit ancillas Chriſtianas tradi lenonibus, eaſdemque redimi permiſit ann. Chriſti 3015. *Siquis fœminas quæ ſe dedicaſſe venerationi Chriſtianæ legis ſantiſſimæ dignoſcuntur, ludibriis quibuſdam ſubiicere voluerit, ac lupanaribus venditas faciat vile miniſterium proſtituti corporis explere, nemo alter eaſdem coemendi habeat facultatem, niſi aut ij qui Eccleſiaſtici eſſe noſcuntur, aut Chriſtiani homines demonſtrantur, competenti pretio perſoluto.* Soliti enim erant Ethnici furente perſecutione Chriſtianis fœminis ita illudere, vt teſtatur Tertull. *in Apologetic.* Baſil. *lib. de virginitat.* Acta SS. martyrũ Nicomedientium Indes eunuchi, & Domnæ virginis, Prudent. *Hym.* 14. de S. Agnete. Acta S. Luciæ, Euſeb. *lib. 8. hiſtor. cap.* 15. Ambroſ. *lib. 3. de virginib.* Pallad. *in Lauſia cap.* 53. Acta Agapes, Chioniæ & Irenes ſororum apud Sur. Kal. April. & alij. Meminit quoque Hieronym. *lib. 2. in Iſai. in cap. 2.* & Sozomen. *lib.* 1. *c.* 8. edicti quo cænoſas ſordidiſſimarum libidinum cloacas obſtruxit, cum in fornicibus ſpectaculorum inter ſcorta ſtarent pueri publicæ libidini expoſiti, Theodoſ. & Valentin. patribus & dominis qui filiarum ancillarúmve ſuarum lenones fuerint, omne ius & patriam poteſtatem ac dominium ſuſtulit. *l. 6. cap. de ſpectaculis. & l. 2. C. de lenonib. in C. Theodoſ. Lenones patres ac dominos qui filiis vel ancillis peccandi neceſſitatem dant, nec iure frui dominij, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet hanc indignatione ſubduci, ne poteſtatis iure frui valeãt, néve quid eis ita poſſit acquiri, ſed ancillis, filiabuſque, ſi velint, conductiſve pro paupertate perſonis, quas fert damnauit humilior, Epiſcoporum liceat, Iudicum etiam, defenſorúmve implorato ſuffragio, omni miſeriarum neceſſitate abſolui, ita vt ſi inſiſtendum eis lenones eſſe crediderint, vel peccandi ingerant neceſſitatem inuitis, amittant non ſolùm eam quam habuerunt poteſtatem, ſed proſcripti pœna mancipentur exilij, metallis addicendi publicis; quæ minor pœna eſt, quàm ſi præcepto Lenonis cogatur quiſquam coitiens ſordes ferre, quas nolit.* Et ne quis dicat hac conſtitutione illos dumtaxat lenones coërceri qui inuitas proſtituebant, & de ſolis patribus ac dominis qui filias & ancillas ſuas aliorum libidini ſubiiciebant, qui verò lupanaria habebant in quibus admitterent eas quæ ſponte lupabantur, hac lege non teneri; accipe aliam conſtitutionem quæ priori ſubiicitur, *C. de ſpectaculis*, quæque vniuerſaliſſima eſt, & omne lenocinium ac proinde lupanar prohibet & plectit. *Ne quis deinceps lenocinium exerceat πανδὴ πορνοβοσκεῖν, & nullus reditus inde largitionibus inferatur, nullus ancillam ingenuámve proſtituat. Alioquin humilior, qui id fecerit coercitus exilij & metalli pœna damnabitur: honeſtior bona & militiam ac dignitatem amittet. His quoque abſtineant Thymelici. Quod ſi ancilla proſtituta ſit, vt gratuito vindicetur ab omnibus viris, aut fœminis, Clericis aut Monachis; & vti hæc obſeruent Magiſtratus tam minores quam maiores & officia eorum; corporis & viginti librarum imminente pœna.*

Tandem Iuſtinian. Conſtantinopolim atque 9
orbem Romanum omnibus iſtis ſpurcitiis purgauit, edita ſeueriſſima Sanctione quæ eſt Nouell. 14. Kalendis Decembris ann. 535. meretricum ſodalitia ſuſtulit, & ad illas quæ ad meliorem frugem recipere ſe vellent alendas, domum ſuaſu Theodoræ Auguſtæ ædificauit, magniſque prouentibus dotauit teſte Procop. *c. 1. de ædificiis Iuſtinian.* Commendata igitur caſtitate, quæ ſola Deo animas exhibere poteſt, prohibet lenocinium exercere *πορνοβοσκεῖν*, & domi habere mulieres, vel publicè proſtituere libidinis causà *ἢ δημοσίᾳ προϊστᾶν ἐπ' ἀσελγείᾳ*, & quaſi negotiationis vice talia in commercium adducere *ἄλλης τινὸς πραγματείας τὰ τοιαῦτα ἐμπορεύεσθαι*, neq; ſynagraphas neq; cautiones eo nomine accipere, neque eã in rẽ ornamenta, veſtimenta aut alimenta dare. Omnẽ cautionẽ quã ea de cauſa ſumpſerint ab his infœlicibus lenones reddere vult, neque quod iis dederint repetere poterunt, ſed exulare debent & vrbe diſcedere mandat tanquam pernicioſus & communes pudicitiæ hoſtes. *ὡς ὀλεθρίους, καὶ κοινοὺς λυμεῶνας τῆς σωφροσύνης.* Qui itaque deinceps ex eiuſmodi proſtitutis fœminis quæſtum faciet, à Prætoribus populi comprehenſus omnia nouiſſima ſuſtinebit, id eſt vltima ſupplicia. Quo ſenſu *Nou. 6. cap. 2.* dicitur *nouiſſima ſententia*, id eſt definitiua, & apud Varron. lib. 5. *noua verba.* apud Virgil. 4. Æneid. *nouiſſima verba.* Deinde lenoni domum ſuam locans, aut in ea patiens lenocinium committi, decem auri libris mulctatur, & de ipſa habitatione periclitatur. Denique exilium & ſupplicium in corpore patiuntur lenones. Huc referri putat Gotofred. in notis, quod legimus puniri eum qui domum ſuam ad ſtuprum faciendum cum muliere, aut maſculo præbuit *l. 8. & 9. D. adulter.* vel ad paraſynaxes & conuenticula tam diurna quàm nocturna, *l. 8. §. 3. C. de hæretic. Nouell.* 123. Quid quod aleæ & aleatorum ſuſceptorem verberare impune licuit, eique damnum dare, & res auferre? *l. 1. D. de aleatoribus.* Huc etiam refert *titulum de receptorib.* Adde *Noull. 43. §. vlt. Nouell.* 58. §. 2. Hinc etiam colligi poteſt meretricem domus conductricem, vel ante tempus locationis finitum migrare cogi poſſe. Nam ſi lenonem quis ſciens, non impunè ſuis in ædibus habitare patitur, vt edicit iſta conſtitutione Iuſtinian. nec meretricem in ipſis habitare meritò pati debebit. Vide Papon, *lib. 22. Arreſt. 9. & Arreſt.* 14. Peccat enim grauiùs, aut certè non leuiùs hic, quam leno. *l. 43. §. 6. D. de ritu nuptiar.* quod ſi vterque poteſt ante tempus locationis expelli,

pelli, multò minus ad conductionem admittendus eſt. Denique vetitum fuit etiam antiquo iure. lupanar, maximè in vrbibus exſtruere. διὰ τὴν τῆς ἑτέρας οἰκίας ὕβριν, ait Harmenop. *lib. 2. tit. 4.* ne qua vicinæ domui fiat iniuria. Quod autem Iuſtinian. Prætoribus populi de lenonibus cognitionem dat, Cuiac. in *Nouell.* 13. Præfectos vigilum interpretatur. Qui enim olim Romæ Præfectus vigilum dicebatur, & in prouinciis νυκτοστρατηγὸς, *leg. vltim. §. legati, D. de mun. & hon.* & in Ægypto Straboni νυκτερινὸς στρατηγὸς, Conſtantinopoli νυκτέπαρχος, cœpit deinde Prętor plebis Conſtantinopoli appellari, quæ appellatio etiam poſt Iuſtinian. perſeuerauit. Nam in *§. legati citato, & l. 2. de ſeru. fugit.* & *tit. de officio præfecti vigil.* qui appellatur præfectus vigilum, ſiue Nictoſtrategus, dicitur in libris Βιγλῶν, Prætor plebis. Auguſtus Romæ incendiis arcendis & excubiis agendis conſtituit ſeptem cohortes vigilũ ex libertinis; Vigilibus præpoſuit Tribunos, & ſuper omnes Præfectum vigilum, *l. 3. D. de officio præfect. vigil.* quem Dio affirmat ſolum pro tempore conſtitutum fuiſſe, idcircò extra ordinem conſtitutus dicitur, *l. 2. D. de origin. iur.* Conſtituerat prius Vicomagiſtros, quos Dio vocat στενωπάρχους, qui diutiùs Romæ & Conſtantinopoli durarunt. Eadem verò fuiſſe Præfecti vigilum & Prætoris publici munia longiori enumeratione demonſtrat Cuiac. *in Nouell. 13. citat.* in qua de prætoribus agitur. Cæterum Imperator æquiſſimam illam ſuam conſtitutionem de lenonibus arcendis ſapientiſſimè concludit his verbis. *Credimus enim in domino Deo etiam hoc noſtro circa caſtitatem ſtudio, magnum fieri noſtra Reipublica incrementum, Deo nobis omnia proſpera, per talia opera conferente.* Theophil. Imperator meretricibus & lupanaribus exturbatis domum eam Xenonem peregrinis hoſpitio excipiendis fecit inſigni amplitudine & pulchritudine. Cedreno auctore Alphonſus quoque Aragonius lupanaria prohibuit, ſicut & Bohemi apud Pium II. Denique ipſi barbari capite puniunt in inſula Palmaria violatam ante coniugium caſtitatem, vti narrat Petrus Martyr. *in lib. de nouo orbe & inſulis nuper repertis.*

10 Sed omnium ſemper hac in parte religioſiſſimi fuere Reges noſtri Chriſtianiſſimi. Nam omnes ganeas, luſtra & fornices prohibuerunt, & meretrices atque publicanas mulieres perpetuò damnarunt, quod de S. Ludouico teſtantur Gaguin. *lib. 7. Annal. Gall.* & Paul. Æmil. *lib. item. 7. conſtitutione 1254. edita. Expellantur publica meretrices tam de de campis quàm de villis, & factis monitionibus & prohibitionibus, earum bona per locorum Iudices capiantur, vel eorum auctoritate à quolibet capiantur, etiam vſque ad tunicam & pellicem. Qui verò domum publica meretrici ſcienter locauerit, volumus, quod ipſa domus incidat in commiſſum.* Quia verò ſanctiſſima inſtituta vitio hominum corrumpuntur, ſæpius hoc edictum ſubſequentibus ætatibus innouarunt poſteriores Reges. Quare Carolus IX. in comitiis Bleſenſibus Art. 101. omnia lupanaria proſcripſit, & deinde ann. 1565. 1. Ianuar. litteras dedit ad huius edicti exequutionẽ, obſeruationemque vrgendam. Decreto Senatus Pariſienſis 4. Decemb. ann. 1508. luſtra omnia & gurguſtia atque ganeæ vetantur: *Berdel, maquerelage en clapier public.* Quod etiam ſancitum fuit decreto Curiæ vacationum 15. Octob. an. 1588. quo indicitur etiam mulcta pecuniaria locanti domum meretrici. Vide conſtit. Aurelian. *art. 101.* & ſimilia decreta apud Papon. *loco nuper laudato.* Non vna tamen fuit & conſtans harum ſanctionum praxis: refert enim in ſuis aduerſariis P. le Maiſtre ann. 1519. 4. Februar. damnatam fuiſſe propudioſam mulierem etiam nuptam ex propriis & non conductis ædibus intra dies octo migrare, quibus exactis niſi migraret cogi poſſe, & in carcerem detrudi, nihil morante interceſſionum & appellationum auxilio, poſt annum tamen emendatioris vitæ reuerti poſſe. Anno tamen 1598. vlt. Februar. infamis vidua cui tota vicinia dicam impegerat, eaque de cauſa domo ſua decedere iuſſa erat à Præfecto Pariſienſi, cùm Senatum appellaſſet Præfecti iudicium infirmatum eſt, & domum ſuam propriam incolere permiſſa eſt adiecta graui comminatione, niſi à libidinoſa vitâ diſcederet. Vide Mornacium *in leg. Ancillarum 27. D. de petit. hereditat.* Neque id mirum, cum nequidem ebrietatem impunitam reliquerint ſapientiſſimi Principes, vti conſtat ex *lib. 1. capitular. cap. 167. lib. 3. cap. 38.* & *cap. 72. lib. 5. cap. 96.* Quare maiorum veſtigiis inſiſtens Franciſcus eo nomine primus, edixit ann. 1436. vt qui ebrius deprehenſus fuerit carceri mancipetur pane & aqua macerandus, quod ſi ſecundò in idem crimen incidat, flagellationem adiici priori pœnæ mandat, quæ ſi non coërceat hoc vitium; ebrioſus qui tertiò deprehendatur, flagris publicè vapulet. Et denique ſi neque bis pœnis emendetur, amputatis auriculis infamis perpetuò exulet. Iubet præterea ne ebrietas quempiam excuſet à delicto, ſi quod eo tempore committat, iubeatque pœnam flagitio debitam, quæ ſanctiſſima inſtituta ſi ea qua par foret cura & diligentia ſeruarentur, nulla fœlicior Reſpublica foret.

Placet verò his ſanctiſſimorum Principum 11 exemplis & legibus addere illarum ipſarum ciuitatum & Rerumpublicarum quæ infandas iſtas turpitudines permiſerunt, facta & ſenſum. Nam non omnino impunita reliquerunt hæc flagitia, quæ ſummopere horrebant, dum illa permitterent. Athenienſes teſte Plutarcho in Solone, vt criminis atrocitatem nominibus minuerent, meretrices hetairas, ſocias, & amicas appellarunt, lupanaria dixerunt Romani ganea. ἀπὸ τοῦ γᾶς τῶν ὄντι τῆς γῆς. vt obſeruat Donat. *in Adelph. actu & ſcena 3.* quòd in terra non vt cænacula in ſuperiori domus parte eſſent. *Deuitat enim publicum permiſſa & impunita libido conſpectum, & verecundia naturalis, habent etiam prouiſum lupanaria ſecretum*, ait Auguſt. *lib. 14. de ciuit. cap. 18. faciliúſque potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis, quàm impudentia remouere latibula illius fœditatis. Sed hanc etiam ipſi turpes turpitudinem vocant: cuius licèt ſint amatores, oſtentatores eſſe non audent.* Chryſippus Philoſophus in Iſagogico de bonis & malis apud Origen. *lib. 4. contra Celſum. Primum extra vrbes, & perſonata meretrices proſtituebant ſe libidini prætereuntium; deinde vnà cum pudore depoſuerunt perſonas, foris tamen manſerunt, arcentibus legibus: poſtremum deprauatiore in dies diſciplina intra vrbes penetrare auſa ſunt.* Subdit deinde Origen. *Erant aliquando qui vocabantur amphiboli proſtantes ad proferendum ſtuprum, vel inferendum, & ſeruientes libidini ad ſe intrantium, exacti ſunt ab ædilibus.* Vides igitur non niſi corruptiſſima diſciplina meretrices quæ, vt ait Arnob. *lib. 2. venalia proſtituerent corpora,* ciuitates penetraſſe, ſubmotas ab illis fuiſſe, deinde non niſi in fornicibus habitaſſe, & vilia fere mancipia fuiſſe, atque ad fornices ſediſſe opertas. Quæ om-

nia facile foret ex antiquis Auctoribus comprobare. Nam apud ipſos Palæſtinos, proſtabant in ſemitis, vti ex facto Thamaris colligitur, vnde Semitariæ dictæ ſunt. Catul. *ep.*38. ad Contubernales, vocat ſemitarios mæchos qui in ſemitis ſcorrilla ſubigunt. Horat. *lib.* 2. *ode* 11. deuium ſcortum, quod non eſt in propatulo libidini expoſitum, *Quis deuium ſcortum eliciet domo.* Deinde habitaſſe in fornicibus, quæ erant loca ſubterranea, Senec. *lib.* 1. *controuerſ.* 2. *Redoles adhuc nigri fornicis fuliginem.* Lupanar Græci dixere βόθυνον foueam, ſpecum profundam; quin exerrabant circa tumulos & ſepulchra, quod trahit Turneb. *lib.* 13. *c.* 19. illud Martialis *lib.*3.*ep.*92. *Admittor inter buſtuarias mæchas*: atque *lib.*1.*ep.*35. *admittunt ſpurcas & monumenta lupas.* Plautus eas vocat proſedas, piſtorum amicas, reliquias alicarias. Vnde & vulgares illi verſus quos ex Plaut. affert Varro *lib.*6.*de lingua Latina*, quibus iſtorum ſcortillorum vilitatem, & deſpectum explicat, quoſque Scalig. *in coniecturis ſuis ad Varronem*, ſic digerendos cenſet.

Non quaſi vt hac ſummis limaces liuida,
Diabolares, ſchœnicola, miracula,
Cum extritis talis, cum crotilis cruſculis,
Capillo ſciſſo, atque exſciſſatis auribus.

Quænam amabò iſta turpitudo, quæ prurientem etiam & effrænem libidinem caſtigare vel adſpectu poſſit. Expendamus amabò iſta conuitia.

Primò igitur *limaces* dicuntur vel à limace quæ plantarum arrodit folia. Ita meretrices ſuos amantes κατεσθίουσι. vel à limando, ſic Θήρων paraſitus quidam apud Menandrum ἔφη τοὺς ἀνθρώπους φάτνην αὐτοῦ ἐκείνους εἶναι, habebat nempe homines tanquam præſepium quod limabat & arrodebat dentibus, qua ſimili loquutione vſus eſt Plaut. de ſuo paraſito. *Recepit ſe in præſepim ſuam.*

Secundò *Diabolares*, à duobus obolis quibus pudorem vendunt. Plaut. in Pœnolo.

Seruorum ſordidulorum ſcorta diabolaria.

Et Pacuuius.

——————non ego ita fui
Vti nunc ſunt meretrices diabolares, ſuam
Quæ nummi cauſa paruipendunt gratiam.

Tertiò dicebantur quoque βλιτάδες, *nugatoriæ mulieres*, vt vocat Feſtus. *Blitum* Plinio *lib.* 20. *cap.*22. *iners videtur ac abſque ſapore, aut acrimonia vlla, vnde conuitium fœminis apud Menandrum faciunt mariti.* Plaut. *Lictea blitera meretrix.* Catull. non aſſis facit blitum lupanar: vocat meretricem ipſam lupanar, blitum fatuum vile: *Blitea & lutea eſt meretrix niſi quæ in vino ſapit, ad rem ſuam.* Lutea contemptiſſima, nullius pretij è luto facta. βλάξ ſtolidus, ineptus, inſulſus, βλιτὰς γυνὴ, Suidæ iners, ſtupida fatua: βλιτόμαμμος Ariſtophani, ſtolidus more puellorum, vnde Gallica fortaſſis vox *Belitre.* Perge ad alias proſtibularum viliſſimarum contumelias.

Quartò itaque *Schœnicola* ab ſchæno, inquit Varro, nugatorio, vel vt repoſuit Victorius, nugatorio, id eſt futili, καὶ κατασπερολόγῳ nugatorias mulieres vocat Feſtus τὰς εὐτελεῖς καὶ εὐκαταφρονήτους. Sanè toti χλιδῶνες muliebres, quæ iocalia nominamus, nugæ muliebres veteribus dicebãtur. Quare Pollux *lib.* 5. *cap.* 16. vbi nomina mundi muliebris recenſuit, addit difficile eſſe eorum formas deſcribere, quia nondum liquet an illis ioco vel ſerio vtantur.

Quintò *miracula*, à *mirris* inquit Varro, *id eſt monſtris, à quo Actius perſonas diſtortas oribus, deformes miriones dixit.* Feſtus author eſt, miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiques de rebus turpibus vſurpaſſe, quod præ ſui turpitudine, & deformitate mirabilitatem concitarent, ſicuti monſtra faciunt. Vnde Catull. *Sed tu Copone omnia monſtra facis.*

Sextò *extritis talis* interpretatur Scaliger qui ab Athen. dicebantur λαμπόδιον altero pedum putrido, aut qui habebant, δρεπανοειδεῖς πόδας falcatos pedes, quos falcones olim nominatos teſtatur Feſtus, quia ſicut inter mulierum laudes καλλιπλόκαμος καὶ καλλίσφυρος, ſic inter vitia compernis valga, vara. Lucil. *lib.* 17. *Satyr.*

Num cenſes καλλιπλόκαμον καλλίσφυρον ullam,
Non licitum eſſe vterum, atquè etiam inguina tangere mammis.
Compernem aut varã fuiſſe Amphitruonis ἄκοιτιν
Alcmenã, atque Alias, Helenã ipſam denique nolo
Dicere, tute vide, atque diſſyllabon elige quoduis
κούρην εὐπάτορ[*aliquam rem inſignem habuiſſe,*
Verrucam, nænum pictum, dentem eminulum vnum.

Septimò *cum crotilis cruſculis*, exilibus & tenuibus cruſculis potiùs quàm cruribus.

Octauò *Scrantia* vel *ſcratia* ab excreando inquit Varro. Scracere olim τὸ χρέμπτεσθαι, quòd olim nos *crachcr*: deſpicabiles & diſputabiles iſtæ proſtibulæ. Non. & Feſtus dicunt ſcraptæ. Hinc Titi unius Prilla.

Rectius Mecaſtor piculeta poſtuma
Lectum hodie ſtratum vidi, ſcrapta mulieris.

Eſt etiam ſcrantia quæ tuſſiendo & excreando exhauſta aut ſicca eſt. Plaut. in Curculione. *Tu qui ſcreanti ſicca ſemiſomna adfers potionem.* Et in Epigrammate: *Quæ ſucco caret, vt putriſque pumex nemo viderit hanc vt excreantem, quam pro ſanguine puluerem ſcobemque in venis medici putant habere.* Plaut. vult ſcortum ſuctum ſuccidum in milire, id eſt ſucci plenum, & non ſputans: & de cauſis repudij Iuuenal.

Iam grauis es nobis nimiumque emungeris, exi.

Et apud Afranium quædam repudij cauſas à ſe reiicit. *Vigilans ac ſolers, ſicca, ſana, ſobria, viroſa non ſum, & ſi ſum non deſunt mihi, qui vltro dent, ætas integra eſt, forma ſatis.*

Nonò *Scrupeda*, Varro varias deriuationes affert. Significat illas quæ ægre incedunt, quaſi per lapillos & ſcrupos: quæ ita conſiſterent veteres dixere petreias. Suſpicatur Scaliger Plautum à quo iſta deſumpſit Varro, cũ ex Græco iſta transferret, Græca etiam vocabula retinuiſſe, & ſcrupedas quaſi crupedas dixiſſe. κρούπεδαι & κρούπαλαι græcè vocãtur, quas nos ſculponeas dicimus; ſculponeæ porrò ſunt calcei ex lana confecti. Plaut. in Caſin. *Qui quæſo potius, quam ſculponeas quibus batuatur tibi os*: & Cato *de re ruſtica cap.* 68. ſculponeas bonas alternis annis dari oportet familiæ ruſticanæ, ſcribit. Homines duris pedibus & ligneis κρουπίδας & κρουπίζοι, quia inquit Heſich. κρούπεζα ſάνδαλα καὶ ὑποδήματα ξύλινα μεθ' ὧν τοῖς ἐλαίας πατοῦσι. Deinde τὰς κρουπίδας interpretaris θέλουσι δηλοῦν τοὺς τραχεῖς πόδας ἔχοντας. Ij *ſtritabillæ* à ſtitillando inquit varro: & ſtritare ab eo qui ſiſtit ægrè. Quod ob vitioſos nempe pedes ægrè conſiſtant. Variant tamen codices; quidam legunt *ſtrictipellæ*, quæ nimirum ſtringunt cutem, & rugas in facie extendunt: Ad id vtebantur Tentipellio, quod Dioſcorides vocat τελάνωθρον

——tentipellinum
Inducis, rugæ in ore extenduntur tuæ.

Alij legunt *ſtrictiuellæ*, quæ vox non eſt incognita Nonio, ſunt verò quæ pſilothro, punice & volſellis

crebro

crebro vtuntur ad cilia caſtiganda, & cæteros pilos euellendos, quæ nimio calamiſtrorum vſu pellem adurunt. Quæ idcirco dicebantur incoctæ mulieres. Quare qui vibrant ferro capillos, homines molles, & effœminatos, Strabo *lib.* 14. vocat *κατυειτάς.*

Decimo *Scauripede.* Scauri ſunt homines prauis fuiti malè talis. Quod nuper dicebamus, extriris talis. His igitur laudibus onerant ipſi procaciſſimi Poetæ hæc publica ſcortilla, vt videas quàm in corruptiſſima quoque ciuitate deſpicabilia eſſent, & quo iure apud Chriſtianos impunè ea ferre fas ſit; cum non proſtarent in fornicibus Romanis, Græciſque, niſi viliſſima & turpia mancipia. Fas quidem fuit cuilibet fœminæ vulgare corpus, ſed id apud ædiles profiteri ipſam oportebat, atque ita cedere omni dignitate & omni iure matronali, atque ornamentis, cenſerique inter togatas. Tacitus *lib. 2. ann. ſub fin. Viſtilia licentia ſtupri apud ædiles vulgauerat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum aduerſus impudicas in ipſa profeſſione credebant.* In quem locum vide notas Ludouici Aurelianenſis: quænam etiam matronæ dicerentur adi Agellum *lib* 8. *cap.* 6. & Cuiac. *lib.* 3. *obſeruat. cap.* 18. & ſimul obſerua non impunita omninò fuiſſe hæc ſcorta publica, ſed damnata ignominiâ turpiſſimæ profeſſionis, quam ſatis eſſe ad caſtigandam effrontem illam libidinem exiſtimatant Romani. Quia tamen aliquæ etiam primi & ſecundi ordinis matronæ in quarum ſtupra ad ſeruandum publicū decus ſemper grauius eſt animaduerſum, vt impotenti ſuæ libidini indulgerent, lenocinium aut ſtuprum apud ædiles procaciter profitebantur, atque ita amiſſo iure matronali impunè deinceps peccabant; idcircò imperante Tiberio Senatus decreto cautum fuit, ne cui illa apud ædiles vulgati corporis profeſſio ſuffragaretur. *Eodem anno*, inquit Tacitus, *grauibus Senatus decretis libido fœminarum coërcita, cautumque ne quæſtum corpore faceret cui auus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuiſſet.* Cui decreto Viſtiliæ facinus cauſam dediſſe ſignificat, quæ & in inſulam Seriphon abdita eſt. Idem habet Sueton. *in Tiberio cap.* 35. *fœminæ famoſa vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exoluerentur, lenocinium profiteri cœperant,* &c. *eas ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exilio affecit.* Ea itaque profeſſio ex noua lege nihil deinceps ad vitandas ſtupri aut adulterij pœnas profuit. Vnde Papinian. *l.* 10. *D. ad leg. Iuliam de adulteriis, Mulier quæ euitandæ pœnæ adulterij gratiâ lenocinium fecit, aut operas ſuas ſcenæ locauit, adulterij accuſari damnarique ſenatusconſulto poteſt.* Profitebantur porrò apud ædiles, quia illi curam habebant fornicum & popinarum, ac proinde perſonarum quæ in iis verſabantur. Vnde Seneca, *Inuenies voluptatem circa balnea, ſudatoria, ac loca ædilem metuentia.* Iuſtin. *lib.* 21. ſcribit Dionyſium apud ædiles aduerſus lenones iurgari ſolitum. Ædiles igitur ſcorta publica curabant, & ſi quam vulgantem corpus extra eum numerum cōperirent, mulctabant. Luc. *lib.* 10. narrat P. Fabium Gurgitem ædilem aliquot matronas ſtupri apud populum damnatas, pecunia mulctaſſe. Et *lib.* 25. à Vilio Tapulo & M. Fundanio ædilibus plebeis idem factum fuiſſe, & ab illis matronas aliquot in exilium actas. Deque eo etiam crimine viros ipſos iudicabant, quod ex eodem Liuio *lib.* 8. colligitur. Eodem refert Lipſius *in notis ad* 2. *Ann. Taciti,* verba Laberij apud A. Gellium, *lib.* 16. quæ ita emendauit. *Duas vxores hoc hercle plus negotij eſt, inquit cocio, ſed ædiles viderint.* Ex quibus tandem habes non niſi viliſſimis mulierculis ita permiſſum fuiſſe meretricium & lenocinium Romæ, vt illud palam profiteri apud ædiles cogerentur; & ſi quæ matronæ eſſent, aut honeſti ordinis fœminæ, ea ſe profeſſione exuerent dignitate, ac iure matronali, quod iam oſtendimus; atque etiam ſtolam & cætera ornamenta matronarum abiicerent. Vnde illæ Tertull. *lib. de cultu fœminarum cap.* 12. querelæ. *Quantò autem blaſphemabile eſt, ſi quæ ſacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ aut expictæ? aut quid minus habent infœliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas ſi quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coërcebant, iam certò ſæculi improbitas quotidie inſurgens, honeſtiſſimis quibuſque fœminis vſque ad errorem dignoſcendi coæquauit: quamquam lenocinia formæ nunquam non proſtituto corpori coniunctæ & debitæ ſcripturæ ſignificent.* Et *in Apologet. cap.* 6. docet variis exemplis quantum à maiorum conſultis Romani deſciuerint & exorbitarint, & neceſſaria atque aptiſſima quæque diſciplinæ obliterauerint. *Quónam illæ leges?* &c. *quæ theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant? quæ dignitatum & honeſtorum natalium inſignia, non temerè nec impunè vſurpari ſinebant?* &c. *Video & inter matronas, atque proſtibulas, nullum de habitu diſcrimen relictum.* Et fuſiùs *de pallio cap.* 4 *Conuerto & ad fœminas, habes ſpectare quod Cæcinna Seuerus grauiter Senatui impreſſit, matronæ ſine ſtola in publico. Denique Lentuli Auguris conſultis, quæ ita ſe exauctoraſſet, pro ſtupro erat. Quoniam quidem indices, cuſtodeſque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta, ſedulò quadam deſueſceterant.* Ait Tertull. ſua ætate palam videri, quod olim Cæcinna grauiter & altè impreſſerat Senatui ſiue *altè & impreſſè* dixerat, dum in corruptos mores inueheretur. Matronas nimirum in publicum prodire ſine ſtola. Quod tamen ex Lentuli conſultis erat obnoxium pœnæ ſtupri, quæ ſiquidem fœmina ſtolam abiiciebat, videbatur ſeſe dignitate matrimonali exauctorate, ideóque tanquam ſtupri rea plecti poterat: habitus enim dignitatis matrimonalis iudices & cuſtodes erant, ac ſimul quædam factitandi lenocinij impedimēta, quæ tamen ætate Cæcinnæ & Lentuli ex inhabitu quadam & turpi cōſuetudine, nonnullæ matronæ abiicere audebant. Quam corruptelam multò maiorem eſſe ſuo tempore queritur idem Tertull. *At nunc,* inquit, *lenocinando in ſemetipſas quo plenius adeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & caliendrum, ipſas quoque iam lecticas. & ſellas queis in publico quoque, domeſticè ac ſecretè habebantur, eierauere.* Hæc erant matronalia ornamenta, quibus & venerationem ſibi conciliabant, ne facilè & inuerecundè adirentur; atque de plano prohibebant, & dum prodirent in publicum lecticis aut ſellis geſtatæ, æque ſecretæ erant à turba, & omnibus obuiis, atque ſi domi ſe'e continerent; hinc Horat. *lib.* 1. *Sat.* 2.

Matronæ præter faciem nihil cernere poſſis,
Cætera (ni Latia eſt) demiſſa veſte tegentis,
Si interdicta petes; vallo circundata (nam te
Hoc facit inſanum) multa tibi tum officiunt res;
Cuſtodes, lectica, c'mifiones, paraſitæ,
Ad talos ſtola demiſſa, & circundata palla.

Stola matronalis veſtis erat ad talos demiſſa, quam inſtita ambiebat. Horat. 1. *ſerm.* 2.

——ſunt qui nolunt tetigiſſe niſi illis,
Quarum ſubſuta talos tegit inſtita veſte.

Supparum

Digitized by Google

Supparum eſt veſtimentum puellarum lineum, internum, ſiue ſubucula. Lucan. *lib.* 2.

Colla monile decens, humeriſque hærentia pronis
Suppara, nudatos cingunt anguſta lacertos.

Crepidulum ſiue vt habet Feſtus crepitulum ornamentum capitis, quòd in ipſius motu crepitum faciat ita dictum; caliendrum quoque quod caput operit, eſtque altius. Vnde Horat. *lib.* 2. *Satyr.* 2.

——Altum ſaganum caliendrum
Excidere.

Arnob. *lib.* 2. inter geſtamina deorum numerat falciculas, clauas, caliendra, fomites, talaria de lecticis & ſellis, quibus tegebantur matronæ. Vide etiam Mercurial. *lib.* 3. *de gymn. arte cap.* 11. Illa non permittebantur meretricibus. Dionyſ. *lib.* 58. Senec. *de remediis fortunæ.* Apuleius *in Aſino* Sueton. *in Domitiano, cap.* 8. Hinc frequens vſus lecticanorum Romæ *l.* 99. §. 4. *D. de legat.* 3. Vide Briſſon. *lib.* 2. *ſelectar. cap.* 4. Pergit Tertull. nouarum matronarum habitum, quem lupæ ipſæ affectent, deſcribere. Subdit enim allatis nuper verbis. *Adſpice lupas popularium libidinum nundinas, ipſas quoque frictrices, & ſi præſtat oculos abducere ab eiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis, adſpice tamen vel ſublimis. Iam matronas videbis cùm latrinarum antiſtes ſericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem monilibus conſolatur, & armillis, quas ex virorum fortium donis ipſæ quoque matronæ temerè vſurpaſſent, omnium pudendorum manus conſcias inſerit, impuro cruri purum, aut mulleolum induit calceum.* Quamuis inquit, præſtaret abducere & auertere oculos ab eiuſmodi propudiis occiſæ caſtitatis, & vt loquitur Apulei. *lib.* 5. interfectæ virginitatis, eas tamen dignate, vel limis oculis, & quaſi per tranſennam, & iam matronas eas videbis, nempe matronarum habitu ornatas. Videns vt *latrinarum antiſtes*, id eſt vt paſſim interpretantur, leno, adeſt lauandis, tergendis, poliendiſque meretriculis, ipſas veſtit, ornat, fingit, & calciat: ita vt latrinæ ponantur à Tertull. pro lauatrinis, aut lauationibus, aut potiùs vti exponit Salmaſ. *in notis ad Tertull.* antiſtes latrinarum eſt Antiſtita veneria ſiue latrinarum & cloacinæ veneris ſacerdos. Nam de ſegniori ſexu vocem *Antiſtes* vſurpauit alibi Tertull. *in lib. de pudicitia. Eius templi æditua, & antiſtes eſt pudicitia, quæ nihil immundum & profanum inferri ſinat.* Huius igitur lenæ habitum deſcribit Tertull. non quem illa alias lupas induat, quamuis ex hac antiſta reliquarum ornatum ſatis aſpectari ſignificet. *Sericum ventilat*, id eſt iactat & gerit, ſiue laxa fluxaque veſte ſerica ventulum excitat. Quo ſenſu ſuperiùs de Alexand. Macedone dixerat. *Pectus ſquammarum ſignaculis diſculptum textu pellucido tegendo nudauit anhelum adhuc ab opere belli, & vt mollius ventilante ſerico extinxit. Non erat ſatis animi tumens Macedo, niſi illum etiam veſtis inflatior delectaſſet.* Hæc igitur antiſtes latrinaria ſericis, tunicíſque fluentibus auras excipit, vt loquitur Ouidius. Pergit Tertull. *Immundiorem loco*, id eſt latrinis, *ceruicem monilibus conſolatur*: Eodem ſenſu Plautus *in milite*, ceruicem meretriciam ipſa lenonis domo immundiorem dicit. Hunc tamen in aliquod ſolatium munilibus ornat armillis, quas ex virorum fortium donis ipſæ quoque matronæ temerè vſurpaſſent, conſcias omnium pudendorum manus inſerit. Vnde vides armillas matronarũ fuiſſe ornamentum. Denique *impuro cruri purum & mulleolum calceum induit*, purus vocat albus, mulleos autem à rubro mulli colore nominauit purpureos: ita Turneb. *lib.* 19. *cap.* 24. Larcerd. *in cap.* 4. *Tertull. de pallio*: quamuis Salmaſius aliquid aliud in mulleis calceis velit. Hos vero calceos fœmininos fuiſſe & matronales hinc colligo. Apulei. *lib.* 7. *calceis fœmininis albis illis & tenuibus indutus.* Et Volpiſcus in Aureliano, *calceos mulleos & cereos, & bederaceos, viris omnibus abſtulit, mulieribus reliquit.* Ex quibus omnibus vides habitum meretricum apud Romanos, atque etiam Athenienſes apud Suidam νόμ⊗ Ἀθήνῃσι τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν. floridas nimirum veſtes induebant. Vide Artemid. *lib.* 2. *cap.* 3. & Clem. *lib.* 3. *Pædag. cap.* 3. Idem ſuis Locrenſibus ſtatuit Zaleucus, teſte Diodoro Siculo. Eadem lege vſi ſunt Syracuſani, quod ſcribit Philarchus apud Athenæum *lib.* 12. Imo Athenienſes non patiebantur ornatam prodire in publicum. Vnde illa lex apud Hermogenem: περὶ ταίνων, ἑταίρα χρυσία εἰ φοροίη, δημοσία ἔστω, meretricem quæ aurum geſtauerit debere eſſe publicam, nempe permittendam ingenuorum & ſeruorum paſſim libidini, eiuſmodi ſunt ὅσαι παρασιδήνως πωλοῦνται. Si autem ſcribas δημόσια, ſenſus erit, aurum quo ornata fuerit meretrix publicum fieri, & in ærarium referri. En tibi igitur caſtigatum meretricium; quidquid ſit, veſtibus & mundo volebant diſtingui meretrices à pudicis. Hermogenes ibidem μὴ ὁμοίας εἶναι ταῖς ἐλευθέραις μηδὲ τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσθαι. Sed redeo ad Romanos, apud quos, vti iam monui, vbi aliquæ ingenuæ lupari volebant, inſtitam, ſtolam, vittas, & reliquum cultum matronalem ponebant, & togam meretriciam ſumebant, quod poſt profeſſionem apud ædiles factam, alterum ipſorum probrum lenocinij & meretricij pœna fuit. Quam etiam perſonam ſumebant, quoties in lupanar conferre ſe quæpiam audebant. Audi Iuuenalem *Satyra* 6. de impudica Meſſalina Claudij Imperatoris vxore, quæ vt ſuam ſatiaret libidinem ſe in lupanari proſtituebat.

Quid priuata domus, quid fecerit Hippia curas?
Reſpice riuales diuorum: Claudius audi
Quæ tulerit. Dormire virum cùm ſenſerat vxor,
Auſa palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,
Linquebat, comite ancilla non amplius vna,
Et nigrum flauo crinem abſcondente galero.

Nempe meretricio galero & crine flauo qui meretricum color erat, factitio, & adſcititio, nigrum crinem nempe matronalem abſcondente, vt publica meretrix videretur. Mœchos etiam obtecto capite cucullo per lupanaria noctu vagari ſolitos notum eſt: ſapienter enim Ambroſius *lib.* 2. *Solent erubeſcere qui lupanar intrauerint.* Ipſaſque meretrices obnuptas fuiſſe, Arnob. *lib.* 2. *Stant in lupanaribus prompta, in fornicibus obuincta.* Et Tertull. *lib. de cultu fœminarum. cap.* 22. *Thamar illa quia ſe expinxerat & ornauerat, idcirco Iudæ ſuſpicioni viſa eſt quæſtui ſedere, adeò quia ſub velamento latebat, habitus qualitate quæſtuariam mentiente, & fecit ve quæſtuariam; & voluit, & compellauit, & pactus eſt.* Non ſignificat Tertullian. Thamar habitam fuiſſe pro meretrice ex velatata facie, velum enim pudoris ſignum erat. *Geneſ.* 24. *verſ.* 65. ſed ex theriſtro ſiue pallio, & ornatu, vnde L X X. καὶ ἐκαλλωπίσατο. Iſidor. *lib.* 9. *cap.* 15. meretriciæ veſtis ſignum ait fuiſſe pallium lineum, quo & matronæ adulterij damnatæ induebantur, ſtolâ enim depoſita togam induebant: vnde toga pro ornamento meretricis, togata pro meretrice, teſte Acrone in Ho-

ratium

ratiũ *ſerm.* 2. Iuuen. *Satyr.* 2. Martial. 1. *&* 10. *Epigr.* & matronis tugatæ opponũtur., cũ matroualis eſſet ſtola & palla. Nonius *c.* 14. Feſtus, Vlpian. *l.* 23. §. 2. *D. de auro*, &c. Denique Hieron. aduerſus Heluidium, mulieres impudicæ apud Romanos flauo crine, veſte variegata, eaque ſobdoctiore à cæteris mulieribus diſcriminabantur. *Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate veſtium nuda impudicis oculis ingeruntur.* Toga quidem apud Romanos fuit communis habitus virorum, fœminarum, puerorum, puellarum; & vt loquitur Varro commune fuit veſtimentum diurnum, nocturnum, muliebre, virile. Erat tamen aliqua toga meretricia, quia minirum ipſæ ferè erant in ſola toga breuiori, atque adſtricta, & fere ſine manicis; puta & nullo cultu variegata; cùm matronalis picta & ferè ſemper purpurea, vnde & prætexta dicebatur, Denique meretricia ſæpe ita tenuis, & pellucida vt oculos tranſmitteret. Vnde Iouenal. *Satyr.* 2. *verſ.* 67. dum carpit tenuem veſtem qua criticus indutus perorabat, qualem ne meretrix quidem indueret.

——— ——— Sed quid
Non facient alij, cùm tu multitia ſumas
Critice, & hanc veſtem populo mirante perores.
Damnetur etiam ſi vis Corſinia, talem
Non ſumet damnata togam.

Et Martial. *lib.* 2. *epigram.* 39.

Coccina formoſa donas & ianthinam mœchæ
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Ideoque *Horat.*

——— ———Quid inter
Eſt in matrona, ancilla peccéſne togata.

Martial. *lib.* 10. *epiſt.* 52.

Thelim viderat in toga ſpadonem,
Damnatam Numa dixit eſſe mœcham.

Vittis quoque crines ſuos honeſtæ mulieres coërcebant, contra quàm meretrices, quod affirmat Seru. *in* 7. *Æneid.* Ouid. *lib.* 1. *de arte amandi.*

Eſte procul vitta tenues inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.
Scripſimus hæc illis quorum non vitta pudicos
Conſtringit crines, nec ſtola longa pedes.

Præterea faſcia pectoralis qua ſub tunicas pectus & mammillas tegebãt erat matronis, & virginibus propria, dicebatur ſtrophium. Nonius, ſtrophium faſcia breuis eſt, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum, adducitque Turpilli verſus.

Me miſeram quod inter vias epiſtola excidit mihi,
Infœlix inter tuniculam & ſtrophium collocaueră.

De illa faſcia Iſai. *cap.* 3. *verſ.* 24. & Ierem. *cap.* 2. *verſ.* 32. quod nuper de pellucida veſte dicebam, confirmatur ex Thamaris theriſtro, quòd pellucidum fuiſſe, indeque viſam illam Iudæ meretriciam exiſtimat Sopranus *de re veſtiaria Hebræor. diſput.* 3. *cap.* 1. §. 6. de tota hac differentia cultus matronalis & luparum vide Briſſon. *cap.* 4. *ſelector. ex antiquo iure.* & *lib. ſingul. de iure connubior.* Et quia qualis quiſque extrinſecus videtur, talis iudicari poteſt, *l.* 50. *D. locati.* qui virginem aut matronam ancillari veſte, aut meretricia veſte, certe non matronali habitu veſtitam fœminam appellarit, id eſt blanda oratione eius pudicitiam attentarit, aut impudicè amarit, iniuriarum non tenetur, *l.* 15. §. 15. *D. de iniuriis.* quia fœmina ſibi ipſi imputare debet, ſi veſte ancillari, vel meretricia induta impudicè ametur tanquam ancilla, & meretrix.

Tertiò Matronæ & virgines nunquam ſine comite prodibant in publicum, vnde qui illis comitem abducebant, iniuriarum tenebantur, cùm & comitem ab eis abducere nefas eſſet. Vlpian. *l.* 15. §. 15. & 16. *D. de iniurijs.* De his comitibus Plaut. *in Amphitrione*, vbi Almenam ſic loquentem inducit *actu* 3. *ſcen.* 2.

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas,
Iubent ire mihi comitem: Iup. Sanan. es? Alcum.
Si non iubes,
Ibo egomet, comitem mihi pudicicitiam duxero.

Quare qualis debet eſſe iſte virginum viduarumque comitatus ſæpius præſcribit Hieronym. *Noli ad publicum ſubinde procedere, & ſpadonum exercitu præeunte viduarum circumferri libertate.* Et mox; *Nec procurator calamiſtratus, nec formoſus collectaneus, nec candidulus, & rubricundus aſſecla adhæreat lateri tuo.* Et Epiſt. ad Lætam de inſtitutione filiæ. *Placeat ei comes non compta, nec formoſa, atque laſciua, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur, ſed grauis, pallens, ſordidata, ſubtriſtis.* Et epiſt. ad Demetriam. *Graues fœminæ & maximè viduæ ac virgines tibi comites eligantur, quarum probata eſt conuerſatio, ſermo moderatus, ſancta verecundia.* Rationem ſubdit. *Mores enim & ſtudia dominarum, plerumque ex ancilarum & comitum moribus indicantur.*

Quartò infames erant hæ lupæ: quare Cuiac. 12
in l. Iuliam de adulteriis, ait illa non teneri infames fœminas aut quæ lenocinium fecerunt, aut faciunt, quæ ex edicto Prætoris notantur infamia. Sed ſi vltrò conſulta operâ in fraudem legis Iuliæ, ad euitandam pœnam adulterij quæ erant matreſfamilias lenocinium facere cœperunt, adulterij accuſari & damnari poterant, *ex l.* 10. §. *vlt. D. ad leg. Iuliam de adulterijs*, atque ex Senatuſconſulto nuper relato, cuius pars eſt *l.* 14. §. 1. *D. eod.* Infames porrò fœminæ, etiamſi ſimilibus nuptæ adulterij accuſari, & damnari non poſſunt, quaſi indignæ hac cenſura, quæ matrumfamilias honeſtatem & nomen amiſerunt propter infamiam. Neque pugnat nobiſcum *l. ſi vxor* 13. §. *ſed & in ea. D. eod.* vbi Vlpian. dicit in *vxore quæ vulgaris fuerit* poſſe maritum adulterium vindicare: & ſanè ſecum ipſe pugnaret Vlpian. qui illius legis initio dixit, quamuis maritus iure accuſare non poſſit adulterij eam, quæ vxor non fuit, ſed concubina, poſſe tamen eam accuſationem extraneos inſtituere. *Modo ea ſit, quæ in concubinatu ſe dando matronæ nomen non amiſit, vt puta, quæ patroni concubina fuit.* Nam liberta patroni concubinatu matronæ nomen nõ amittebat, *l.* 16. *D. de ſponſalib. l.* 41. *D. de ritu nuptiar. lib.* 1. & *l.* 3. *D. de concubinis.* Alterius verò quàm patroni concubinatu matrona eſſe deſinebat. Dum itaque Vlpian. affirmat adulterium in vxore vulgari vindicari à marito, non vult infamem & exortam dignitate matronali poſſe accuſari adulterij, cùm id paulò ante in concubina, quæ matronæ nomen amiſit, negarit; obſeruandum autem eſt non omnem vulgantem alicui corpus, & in libidinem proſtitutam, etiamſi contempta religione matrimonij ſui vſum multis præbeat, infamem eſſe niſi vel in adulterio deprehenſa ſit, vel damnata, aut propalàm quæſtuoſa, & alat corpus corpore, quæ denique licentiam ſtupri, aut lenocinij priſco more profeſſa ſit apud ædiles; hæc enim ipſo iure infamis eſt, *l.* 3. §. *lege. D. de teſtibus.* & *l. palam* 43. *D. de ritu nuptiar.* diciturque illa meretrix, inquit Cuiac. quòd mercatur capturam: atque hæc, vti dicebamus, adulterij accuſari nequit quaſi indigna cenſurâ propter infamiam; quæ verò proſtituit ſe ſine pretio libidinis causâ, & necdum damnata

nata & deptehenſa eſt, & quæ nondum matrisfamilias nomeu amiſit, aecuſari à maritu poterit adulterij, & de ea loquitut Vlpian. *in illa l. 14.* cùm ait maritum vindicare poſſe adulterium *in vxore vulgari.*

Quintò hine fiebat, vt à ſacris publica illa & infamia pruſtibula arcerentur. Vnde apud Senee. elegans illa controuerſia 2. *lib. 1. Cum in lupanar veneris iam tibi omnia templa precluſa ſunt.*

Sextò hine factum vt lenones nihil teſtamento capere poſſint, & ſi velint lege agere, non admittantur, ſintque ob turpitudinem inteſtabiles: quod docet Ætod. *lib. 5. rerum indicat. tit. 10. cap. 2.* Quidam, inquit, veterum lenonem hæredem inſtituerat: is cum P. Metellum Prætorem vrbis adiiſſet, bunorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas non impetrauit. Vt enim in lupanari probi, honeſtique viri non admittuntur; ſic turpes atque inteſtabiles perſouas teeipi in iure non debere. Præterea nec factum teſtatoris comptubandum, neque eas tabulas pro iuſtis haberi poſſe, quibus veluti in ſtabulum contaminatum fortunas ſuas proiecerit, effuderit. Intereſſe Reipublicæ, vt boneſtæ perſonæ, & verbis honeſtis vocentut ad hæreditates: abſque iniuria ius ei denegari poſſe, qui ſe ab omni boneſto vitæ genere ſegregauit; quique in iis quos proſtituir, iniuriam vendidit.

Septimò iniuriæ etiam ſeruorum exponebantur iſtæ lupæ, licèt ipſæ vim vi repellere poſſeni, quod in eauſa Manuliæ meretricis quæ à ſuis ædibus Hoſtilium Matocinum ædilem curulem, vi irrumpentem lapidibus ſummuuerat, iudicatum fuiſſe narrat Ætod. *lib. 6. rerum iudicat. tit. 5. cap. 8. leg. item apud Labeenem 15. §. Si quis virgines. D. de iniuriis.* Non datur meretriei actio iniuriarum aduerſus eum, qui illam cauſâ libidinis interpellarit, *l. verum. 39. D. de furtis.* Nun tenetur actione furti, qui fores domus meretricis, cauſâ libidinis fregerit, etiamſi ex ea fractiune furtum ab aliis fuerit cummiſſum, *l. unica C. de raptu virginum, & §. item lex Iulia. Inſtit. de public. iudic.* Raptus & vis illata meretrici non punitur pœnis à iure aduerſus raptores deetetis. Ex quibus tamen omnibus ſapienter ubſeruauit Couarrun. *lib. 3. var. capit. 13. n. 2.* malè colligere Decium *in l. inuitus. D. de regul. iuris.* cogi poſſe meretricem in lupanari proſtitutam, quemcomque data iuſta mercede admittere. Neque enim poteſt quis ad flagitium cogi; immo neque inuitari, quantumuis ad illud committendum patatus ſit. Neque ſane nos hoc contendimus hoc loco, ſed illud vnum, quàm infames habitæ ſint hæ proſtibulæ, quæ omnium iniurias perpeti cogerentur, neque de illis queri iure poſſiut. Atque vt tandem hoc eaput eoncludam, vides quàm non omnino impunita fuerint etiam moribus corruptiſſimis vitiata Romana Republicâ, lenocinia, meretricia & lupanaria, cùm & infamiâ & aliis pœnis à nobis recenſitis caſtigata fuerint, & permiſſa dumtaxat viliſſimis permis perſonis, quibus liceret eſſe obcænis. Quæ impunitas pœna quædam fuit, cùm tot probra & incommoda ſecum afferret. Qua ratione cum Chij ſpartam obambulantes in Curia Ephororum crapulâ vomuiſſent, in eius contumeliæ vltionem iuſſerunt Ephori præconem per vrbem proclamare. *Chiis ſpurcis obcæniſque eſſe, ius faſque eſto.* Quod idem ipſos eoſdem Ephoros in cauſa Clazomeniorum, qui per laſciuiam illorum tribunalia fuligine reſperſerant, præſtitiſſe narrat Ælian. mandato hoc publicu præconio. *Indecorè agere Clazomeniis ius eſto.* Illud idem fecerunt Romani dum luſtra, fornices & ganeas nulla corporis aut pecuniæ pœnâ ſancita permiſerunt: nempe mancipiis & infantibus, lenonibus atque ſcortis obcænis eſſe licere. Quare liceat in re non abſimili Tertulliani *lib. de ſpectac. cap. 22.* verba vſurpare. *Quid mirum de inequata iſta hominum miſcentium & commutantium ſtatum boni & mali per inconſtantiam ſenſus & iudicij, varietate, &c. quibus quanta peruerſitas? Amant, quos mulctant, depretiant, quos probant: artem magnificant, artificem notant; quale iudicium eſt, vt ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur? Immò quanta confeſſio eſt mala rei, quarum auctores, quum acceptiſſimi ſunt, ſine mora non ſunt. Quum igitur humana recordatio etiam obſtepente gratia, voluptatis damnandos eos cenſeat ademptis bonis dignitatum in quemdam ſcopulum famoſitatis: quanto magis diuina iuſtitia in eiuſmodi artifices animaduertet?*

Huic tam illuſtri aduerſus impunem lenonum 13
& lupanarium publicorum promiſſionem atque tolerantiam authoritati hactenus allatæ adiicio rationem potentiſſimam, quæ perſuaſit rerum publicarum conditoribus aut moderatoribus, eiuſmodi publicas turpitudines ſeuerius prohibere & caſtigare, vti demonſtrauimus. Neque ſanè alia illa cauſa fuit quam quod ex luxuria publica corrupti mores, & omnia, in Rempublicam vitia atque mala deriuarentur. Neque iniuriâ Plautinus Lydus *in Bacchidib.* dixit domum meretricis Orci ianuam, rapidúmque fluuium, vbi tutè tranſiri non poſſit, vbi aculeata omnia, & quæ animam fodicant, bona diſſimulant facta, & famam ſauciant. Et Salomon qui ſuo damno expertus fuerat mala quæ cauenda monet *Prouerb. 5.* vbi pluribus monuit; ne quis foribus domus meretrieiæ appropinquet: *cap. deinde 7. verſ. 27.* addit *Via inferi domus meretricis penetrantes in interiora mortis.* Lactant. *lib. 6. cap. 23.* Diabolo tribuit lupanarium inuentionem. *Ac ne quis eſſet, qui pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoque conſtituit, & pudorem infœlicium mulierum publicauit, vt ludibrio haberet, tam eos, qui faciunt, quam quas pati neceſſe eſt. Num. cap. 25. verſ. 8.* vbi de Phinee qui Zanibri ingreſſum in lupanar vnà cum ſcorto Madianitico ſimul gladio confodit. LXX. pro lupanari habent *καμίνον* fornacem. Et Procopius *καμινίον*, Simmach. *τὸ πόρνειον*, inflammata enim ibi libido totam deinde ciuitatem corripit, & incenſam in cineres redigit: ſunt ea caſtra luxuriæ vti illa vocat Tullius in Verrem, quæ olim ad ripas fluminum collocabantur, vt obſeruat Cerda *in 1. Æneid. ad verſ. 1617. notat. 6.* & iudicat ipſe Tull. diſputans de luxuria Verris qui tabernaculis poſitis caſtra luxuriæ collocaret, & in acta cum mulierculis iacebat ebrius. Sic enim legendum eſſe, non autem *noctu* ſapienter obſeruauit Cuiac. *lib. 8. obſeruat. cap. 1.* Remouebant enim, vti nuper monebam hæc luxuriæ publicæ loca à ciuitatibus, ne illis certam perniciem afferrent. Verùm vt ad aliqua ſingularia vitia quæ ex hac permiſſione lupanarium conſequuntur magno ciuitatum damno & ruina, veniam: Certum in primis eſt, inde euerti fundatiſſimarum familiarum opes & facultates, cùm adoleſcentes incautos hæc poſtibula ad turpem egeſtatem adigant. Ideoque à voracitate dictæ ſunt lupæ. Laurentia enim Fauſtuli paſtoris vxor, quæ Romulum & Remum à patre Amulio propter ſtuprum filiæ expoſitos nutriuit, non idcirco lupa dicta fuit, quia vt ſcribit Cedren.

in

in compendio hiſt. nutrices omnes infantium expoſitorum in ſiluis eo nomine vocabantur, eo quod in montibus & ſyluis degerent inter lupos; rectè enim obiicit Delrio *in Senec. Herc. verſ.* 951. maritos & filios, qui magis aſſidui circa greges erant, lupos potius dicendos fuiſſe. Lupa itaque Laurentia dicta fuit, quod inter paſtores vulgati fuerit corporis, vt ait Lactant. *lib.* 1. *cap.* 20. atque ita facultates paſtorum lupæ inſtar voraret, cumque illa honoribus eſt affecta diuinis, eius ſimulachrum lupæ figura expreſſum fuit, non corporis quidem, ſed mentis ac morum. A lupa verò dictum lupanar, addit Lactantius, cùm apud Athenienſes meretrix quædam nomine Leæna Tyrannum occidiſſet, neque fas eſſet in templum inferre meretricis ſtatuam, leænæ animalis cuius nomen gerebat, collocauere. Monebam nuper dictas meretriculas fuiſſe limaces, à limando & rodendo; quòd adoleſcentes vſque ad oſſa corrodant apud Terentium *in Adelphis actu* 2. *ſcena* 1. Sic Sannio leno meritis ſeipſum laudibus ornat.

Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium, periurus, peſtis.

Illum auarum nominat Ouid *lib.* 1. *Amor.* & *Eleg.* 8. deſcribit Lænam quæ puellam inſtruit quomodo munera extorqueat ab amaſio. Inſidioſum, lenonem vocat Horat. Improbiſſimum, Cicero. Denique vendunt pudorem iſtæ lupæ, ideoque quæſtuariæ aut quæſtuoſæ dicuntur: Plaut. *in milit. Dummodo eam des, quæ ſit quæſtuoſa, quæ corpus alat corpore*: ipſæ voces πόρνη & πρακτικὰ, πόρνη meretrix, πορνοῦ οἶκον & πορνεῖον lupanar, πορνοβοσκεῖν lenocinari, πορνοβοσκὸς leno, & πορνοβοσκία lenonina ars, πορνεία ſcortatio ſiue fornicatio πορνεύειν meretricari, & pudicitiam proſtituere; perpetuò quæſtum ſignificant adiungi & quæri, nimirum à verbo περνᾶν quod eſt vendere. Quare Cyrill. *in cap.* 3. *Oſeæ*, ſic deſcribit meretricem: non prolis cauſâ, ἀλλὰ ταῖς τῶν προσιόντων ἀσελγείαις πωλοῦσα ὥραν; ſed accedentium ad ſe libidini formam vendens. Theodoret. *lib.* 1. *hiſtor. cap.* 1. γυναῖον ἑταιρικὸν τὴν ὥραν ἀπεμπολοῦν. Similia habet. Chryſ. *Hom.* 21. *ad populum, de occurſu virginis & meretricis.* Tibull. *lib.* 1. *Eleg.* 4.

Iam tua qui venerem docuiſti vendere primus
quiſquis es, infelix vrgeat oſſa lapis.

Hinc frequens eſt apud comicos & alios Poëtas blanditias vendere, amorem, amicam mercari, emere. Homer. *odyſſ.* 14. ὠνητὴ παλλακίς, venalis pellex: & Horat. emere ſcorta: & Tertullian. *lib. de patient. cap.* 5. *Quod ſi pretio in fœminis cogitur venditio illa pudicitiæ, vtique impatientia contemnendi lucri ordinatur.* Nemo gratis ad iſta flagitia committenda deſcendit; pretio quæſtúve, qui, quæque hanc meretriciam vitam inſtituunt, ad eam ſe conferunt. Vnde Comicus.

Sed poſtquam amans acceſſit pretium pollicens
Vnus, & item alter, ita vt eſt ingenium omnium
Hominum a labore procline ad libidinem
Accepit conditionem, dein quæſtum accipit.

Quare libido & auaritia meretricem facit ἡ ἀσέλγεια, καὶ πλεονεξία. Neque aliò refertur cura illa ornatus, & mundi ambitio; quare Petron. *cap.* 86. *Quò enim ſpectant flexa pectine coma? quò facies medicamine attrita, & oculorum quoque mobilis petulantia, quò inceſſus tutè compoſitus, & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrantia, niſi quod formam proſtituis vt vendas.* Hinc denique apud Plaut. *in menæch. ſeruus Meſſenio. Actu* 5. *ſcen.* 1.

Non ita eſt hac hominum natio hic Epidamni,
Voluptuarij atque potatores maximi
In vrbe hac habitant: tum meretrices mulieres,
Nuſquam perhibentur blandiores gentium,
Propterea huic vrbi nomen Epidamno datum,
Quia nemo fermè huc ſine damno diuertitur.

Et *ſcen.* 3.

Non ita ſunt hic meretrices illecebræ argentariæ.

Quantum verò ſuæ merci pretium, & quam pœnitendum emptori, pleræque eiuſmodi πανδοκεῖαι olim fecerint, hodieque faciant, ignotum eſt nemini. Notum illud Ἀνδρομέδου famoſi ſcorti, quæ talentum magnum vnius copulæ pretium petebat. Ariſtophan. dicit quoſdam ſcortari ἀργυρίου χάριν, argenti gratiâ. Qui honeſtiores videri volebant, quos vocabant χρηστοὺς, non argentum petebant pro pretio proſtituti corporis, ſed ὁ μὲν ἵππον ἀγαθὸν, ὁ δὲ κύνας θηρευτικὰς, equos ille bonos, ille canes venaticos. Quanta verò ex hac profuſa in ſcorta & lenones largitione importetur honeſtiſſimis familiis, atque ciuitatibus clades, nemo non nouit. Vnde *Prouerb.* 23. *verſ.* 27. *Fouea enim profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus, aliena inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Vbi LXX. *Dolium perforatum eſt aliena domus, & puteus anguſtus alienus, hic enim breui peribit, & omnis iniquus abſumetur.* Nempe domus meretricis; & potiori iure fornix dolium pertuſum æmulatur, quamlibet pecuniarum vim infuderis, breui dilabitur & perit, nam meretricis auiditas nunquam expletur, perpetuò ſitit. Auguſt. *ſerm.* 50. *de tempore. Sæpe perdit luxuria quod congregauit auaritia.* Idcirco monuerat idem Sapiens *cap.* 5. *verſ.* 10. cauete à meretrice. *Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena.* Ne videlicet opes quas tibi magno labore & ſudore comparaſti, quæque ſunt robur tuum, vt dicitur *Oſee* 7. *verſ.* 9. *Iſai.* 3. *verſ.* 1. *Iob.* 3. *verſ.* 24. tranſeant in domum alienam, vbi patrimonium libidine decoxeris. Quod de adoleſcente illo prodigo qui ſubſtantiam ſuam conſumpſit viuendo luxuriosè cum meretricibus, proditum eſt in quam ſententiam Chryſ. *hom.* 86. *in Ioan. Qui meretricibus dat, ridiculus & inſanus eſt, & multos ſibi inimicos parat, & breuem voluptatem, vel nullam potius, quæcumque illis dat, ex his nulla gratia habebitur; vas enim pertuſum eſt domus aliena. Præterea muliebre genus temerarium eſt, eius aſſimilatur cupiditas tunc ceſſat cùm omnibus rebus amantem ſpoliauerit; immo ne tunc quidem, ſed magis conuitiatur, & inſultat iacenti, eumque maiorem in modum ridet, & tot eum malis circumuenit quæ nullo modo narrari poſſunt.* Quæ eadem habet *Homil.* 63. *ad popul.* vbi addit meretrices eſſe patrimoniorum ſyrtes & ſcopulas appellandas, ex quibus qui in illos inciderit, pereat vnà cum ſuis facultatibus omnibus neceſſe eſt: eòque pertinet Scyllæ & Charibdis fabola; in ea enim meretricum expreſſam imaginem agnoſcit Fulgent. *in mythologia.* Huc quoque facit quod addebat Salomon *cap.* 23. *citato verſ.* 28. *Inſidiatur in via quaſi latro.* Alludit ad veterem morem quo ſcorta iſta publica palliis contexta ad vias & ſemitas præſtolari mœchos ſolebant, illæ enim victores per inſidias inuadunt, nummos emungunt, & animas ac ſæpe corpora, vt ſtatim dicemus, neci dant. Chald. tranſtulit. *Sicut fera rapiens oculis inſidiatur.* Nec vnam certam feram deſignauit, vt ſignificaret in vna meretrice plures eiuſmodi ſtabulari feras. Lupam quidem, vt nuper monebamus, habetque Auguſtin. *libro* 18. *de ciuitate cap.* 11.

Digitized by Google

De leone & dracone tradit Chryſoſt. *hom. 15. de varijs in Matthaeum locis*. De canibus impudentiſſimis, Nazianz. Inſidiatur porro oculis, quia non modo obſeruat oculis acutiſſimis, quomodo capiat inſidiis quas ſtruxit, ſed etiam ipſis oculis prædas agit, & dilaniat, neque vnguibus aut dentibus opus habet, quibus laceret, quibus inſidiatur, ſed ſuauibus oculis incautos & volentes decipit. *Prouerb. 29. verſ. 3. Qui nutrit ſcorta perdet ſubſtantiam.* LXX. *Qui paſcit meretrices diſperdet diuitias.* Cuius profuſionis & diſperditionis infamiam è pluribus deſcribit Chryſoſt, ſerm. *de filio prodigo.* De prodigalitate conſule Ariſtot. *lib. 4. Ethic. cap. 1.* qui illud maxime obſeruat decoctione patrimonij mortem ſibi quemque conciſcere, quia patrimonio ac facultatibus viuitur. Eratque illa ſolemnis formula apud Briſſon. qua prodigo interdicebatur bonorum ſuorum adminiſtrationi. *Quãdo bona tibi paterna, auitáque tua nequitia diſperdis, liberoſque tuos; ad egeſtatem perducis ob eam rem, tibi ea re commercio interdico.* Illa porro nequitia per quam ſua bona diſperdit aliquis eſt potiſſimum luxuries, ideoque ei qui luxurioſo dat pecunias, non eſt ius illas repetendi, quia ſciens ac volens homini certiſſimè perdituro illas donat: *l. 12. §. ſi adoleſcens. D. mandati.* Tiberius Senatori cuidam luxurioſè viuenti curatorem aſſignauit, quaſi pupillus eſſet, vt inquit Dio Caſſ. *lib. 57.* Prouerb. 31. *verſ. 3. Ne dederis ſubſtantiam tuam mulieribus.* Hebr. *Robur tuum.* Chald. *Fortitudinem tuam.* LXX. *Diuitias tuas.* Subdit vulgatus, *& diuitias tuas ad delendos Reges.* Hebr. *Vias tuas.* Chald. *Vias tuas filiabus Regum.* LXX. *Mentem tuam & vitam in ſeram conſilij mutationem, εἰς ὑστεροβουλίαν.* Theodotion. *εἰς μετάμελειαν* in pœnitentiam. Senſus eſt: Ne dederis opus & facultates tuas regias mulieribus; quamlibet enim regiæ ſint & immenſæ, citò deficient, néve intemperanti & immodica libidine corpus conficias, & vires labefactes, vti inferius iterum monebimus: *Et diuitias tuas ad delendos Reges*, ne theſauros impendas ad debellandos finitimos Reges: quæ expoſitio non cohæret ſuperiori ſententiæ. Hæc aptior eſt, ne libidine & mulierum amore colliqueſcas, ne ſimul tuo exemplo trahas tecum Reges, id eſt, eos qui tecum Rempublicam adminiſtrant, & veluti partito tecum imperio imperant: vel potius ne mulierum amorem ſecteris, & ſic ea præſtes, eoſque induas mores, quibus Reges & regna peſſum ire ſolent. Nam libido eos ignauos, inertes & ſtupidos reddit, atque à rerum publicarum faſtidioſa & operoſa adminiſtratione auertit. Quod Hercules, Sardanapalus, Heliogabalus, Nero, aliique ſuo exemplo cõprobarunt: qui exhauſtis in omnem libidinem diuitiis, poſtquam homines, & Regẽ exuerunt, priuati quoque regno & ſua vita ſunt. Inde tibi ſera erit pœnitentia, & conſilij mutatio, quod LXX. in ſua verſione volebãt. An igitur ſapiens erit ille Reipublicæ moderator qui dum publicas fornices & lupanaria permiſerit, & gurgitem aut infamem voraginem in quam ingentes familiarum opes æternum perituræ, cum domorum ipſiuſque ciuitatis certiſſima pernicie deiiciantur, effoderit.

15 Alterum malum quod ex publico meretricio in Rempublicam bacchatur, eſt ipſamet publica luxuries: ea ſiquidem licentia & impunitas omnes ætates & conditiones corrumpit, ipſi pueri, ea opportunitate adducti, vel propria ſponte, vel aliorum inuitatu lupanaria procaciter frequentant, atque inflammata ſemel cupiditate magis in dies intemperantes euadunt. Eaque labes in omnem deinde ætatem peruagatur. Non enim libidinis flamma copiâ aut licentiâ voluptatum extinguitur, ſed accenditur, difficiliúſque eſt illicitam voluptatem non experiri, quàm ſemel deguſtatam non iterum reguſtare, & difficilius ipſi coniuges venere abſtinent, quàm cœlibes: & viduæ quàm virgines, in quibus gratia potius quàm virtus coronatur, vti pluribus edifferit Tertullian. *lib. 1. ad Vxor.* Quis ignem oleo & combuſtibili mixta materiâ extingui exiſtimet? quid libidine ſemel correptus animus, non aggreditur? nulla fingi poteſt turpitudo, quam refugiat. Immo ne in tanta quidem morum licentia, & voluptatum vbique occurrentium occaſione continentiſſimus quiſque ſibi temperare poterit, & qui magnam ætatis partem cum ſumma laude & honeſtate duxerant, in tam publica & procaci proteruia, fœminarumque blanditiis, & hominum turpitudine, repentè & ipſi improbiſſimi, ad omnemque libidinem proiecti facti ſunt. Quis impudentibus proſtibulis, quæ tot blanditiis & illecebris minus cautos irretiunt, ſeſe ſatis fœliciter expediat? Sanè ſi ad tuendam caſtitatem ipſi etiam Ethnici ſuadent viſum & aſpectum continere; cùm procaci oculo facile quis ad ſcelus pertrahatur, eaque de cauſa vno eodemque nomine pupillam ſiue pupulam & virginem deſignarint *κόρη*, ſiquidem virgines & pupillæ ſunt. Quare Demoſth. apud Plutarch. *opuſc. de malo pudore*, dixit impudentem gerere in oculis ſcorta, non *Κόρας* virgines. Vide in eam oculorum cuſtodiam plura apud Iſidor. Peluſiol. *lib. 3. epiſt. 66.* Hac maxime de cauſa quamuis virginibus vt ſponſos ſibi quærerent, aperto ingredi capite permitteret Cherillus Philoſophus apud Plutarch. *in laconicis.* vbi tamen deſponſatæ erant, obnubebantur velo, vnde & nuptæ vocatæ ſunt: quod notauit quoque Ambroſ. *lib. 1. de Abrah. cap. 9.* Ideóque Rebecca vbi occurrentem ſibi Iſaacum ſponſum proſpexit, ſuo ſe velo cooperuit, vt ſe quod erat profiteretur, vti exponit Tertull. *lib. de corona milit. cap. 4. & lib. de veland. virginib. cap. 2.* Et *Geneſ. 20.* Rex Geraræ, Saræ quæ ſe & virginem & Abrahæ ſororem profitebatur, ideoque inuelata procedebat, contulit mille argenteos ad velamen oculorum coëmendum, quo nupta agnoſceretur, & ne ſuo illo mentito habitu alicui imponeret, vti ſibi impoſuerat. Eundem apud Perſas vſum fuiſſe teſtatur Ioſeph. *lib. 2. antiq. cap. 9.* & de Romanis Valer. Maxim. *lib. 6. cap. 3.* apud quem Caius Sulpitius vxorem dimittit, quod aperto capite incederet. *Lex tibi*, inquit, *meos tantum præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes & placere deſideres. Vlterior tui conſpectus, ſupernacua irritatione accerſitus in ſuſpicione, & crimine hereat neceſſe eſt.* Arabes fœminæ ita totam faciem tegebant, vt vno oculo liberato contentæ eſſent, dimidia potius frui luce, quam totam faciem proſtituere, inquit Tertullian. *lib. extremo de velandis virginibus.* vbi etiam contendit virgines ex quo *acerbæ* eſſe deſierunt, id eſt, ſunt iam maturæ viro, velari quoque debere. *Sed enim*, inquit, *cap. 15. vera & tota & pura virginitas, nihil magis timet, quam ſemetipſam: etiam fœminarum oculos pati non vult; alios ipſa oculos habet: confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones & ſuſurros & æmulationem, ipſum quoque liuorem.* Deinde *cap. 17.* arguit nuptas quæ à diſciplina velaminis exoleſcebant, vt quia illam reiicere non

potetant

Digitized by Google

poterant, alio modo deſtruerent, neque tectæ, neque nudæ incedentes capite. Quàm præterea neceſſaria ſit cuſtodia caſtimoniæ in vſu familiari & conſuetudine cum fœminis etiam piis, & quantũ inde periculum propter perpetuas earum blanditias, monent ſæpius PP. & erudito de hac materia opere Theophil. Rainaudus. Quanam amabò ratione in obuio vbique meretricum lenocinantium occurſu, & licentia peccandi ſeruabitur pudicitia. Cùm & ipſe habitus meretricius & forma, & procacitas etiam inuitum commoueant. Vide Helior. *libro* 2. cuiuſdam meretriculæ ornatum deſcribentem, quæ ex oculis ineuitabile faſcinum emittebat. Quid illa *omnibus ſimulachris emendatior*, quam deſcribit Petron. *Crines ingenio ſuo flexi, per totos ſeſe humeros effuderant, frons minima, & quæ radices capillorum retro flexerat, ſupercilia vſque ad malarum ſtricturam currentia, & rurſus confinio luminum permixta, oculi clariores ſtellis extra lunam fulgentibus, nares paululum inflexa, & oſculum quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Oſculum hoc loco non eſt φίλημα ſed στομάτιον, vel στόμιον, paruum os, & vt Apulei. buccula. *Iam mentum, iam ceruix, iam manus, iam pedum candor, intra auri gracile vinculum poſitus paruum marmor extruxerat.* Adde totum alium meretricium ornatum, & ad alliciendum compoſitum. Nunquid iure merito dices cum Chryſoſt. *lib. 6. de Sacerdotio, Oris decor & motuum exquiſita mollities & inceſſus, affectatum ſtudium, & vocis confricatio, & oculorum & malarum pigmenta, & cincinnorum compoſitiones, & capillitij tinctura, & veſtium ſumptuoſarum auratarumque diuerſitas, & gemmarum pulchritudo, & vnguentorum fragrantia, & cætera omnia quæ muliebre genus affectare ſolent, talia ſunt, quæ animum commouere poſſunt, niſi is caſtitate occalluerit.* Ea de cauſa ſeuerioris diſciplinæ vir Tertullian. *lib. de cultu fœmin. c. 2.* ne ipſas quidem virgines Chriſtianas ornari vult, ne imprudentes concupiſcentiæ præbeant occaſiones. *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem quem naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus.* Et vbi in eam rem plura diſputauit, concludit. *Cùm igitur & noſtra, & aliorum cauſa verſetur in ſtudio perículoſiſſimi decoris, iam non tantum conſulat, & elaborata libidinis ſuggeſtum recuſandum à vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis obliterandum diſſimulatione & incuriâ, vt proinde oculorum incurſibus moleſtum. Nam etſi accuſandus decor non eſt, vt fœlicitas corporis, vt Diuinæ Plaſtices acceſſio, vt anima aliqua veſtis vrbana, timendum tamen eſt, vel propter iniuriam, & violentiam ſpectatorum, quæ etiam pater Abraham in vxoris ſuæ ſpecies pertimuit, & ſororem mentitus Saram ſalutem contumeliâ redemit*: & plura alia addit in hunc ſenſum. Concinit Proſper *lib. 1. de promiſſ. Quarum forma ornatuſque ferrum virtutemque molliret.* Et Antiochus *Hom. 17. Aſpectus mulieris telum eſt veneno lethali litum.* Quid verò dicemus de procaci meretricula, quæ, vt loquitur Tertullian. & datam extendit, & non datam conquirit, & omnia ornamenta & cultum omnem ſollicitè affectat ad lenocinandum, & pudorem proſtituendum vendendúmque componit, ipſáque vltro ad flagitium inuitat quod impunè licebit admittere, quæ nihil non mouet ad blandiendum, & omnes ſuauitates mentitur, qualem deſcribit Salomon *Prouerb. cap. 7.* Quid dicam de productricibus, conciliatricibus, lenis, ſtupri & flagitij ſequeſtris, quæ alienum nundinant corpus, & ſcortis ſuis amplexus quæritant.

——Plaut. in *Menach. Act. 2. ſcen. 2.*

——Morem hunc meretrices habent,
Ad portum mittunt ſeruulos, ancillulas,
Si qua peregrina nauis in portum aduenit
Rogant cuiatis ſit, quid ei nomen ſiet:
Poſt illæ ex templo ſe applicant, agglutinant,
Si pellexerunt, perditam admittunt domum.

Et Ouidius ſic Paridi ſcribenté Helenam inducit.

Nec tamen ipſe negas, & nobis omnia de te
Quærere ſi neſcis maxima cura fuit.

Et Horat. *lib. 4. ſermon. ſatyr. 6.* ait, qui ſtudio tenetur adulterandi, curam inquirendi dandam eſſe puellis quæ omnia cognoſcent & referent.

Vt ſi quis ægrotet, quo morbo Barrus, haberi
Et cupiat formoſus, eat quacumque, puellis
Iniiciat curam quærendi ſingula, quali
Sit facie, ſura quali, pede, dente, capillo.

In tam effuſa igitur luxuriæ licentia, & ſordidis voluptatum proſtantibus exedris, in illa inuitatione ac petulantia ad omnem obcænitatem impudenti libertate, quis amabò continentiam in proſtituta ciuitate, quæ tota lupanar eſt, ſeruabit? Quis eiuſmodi veneficiis non dementabitur? Neque ſanè abſque cauſa apud Ouidium, Propertium, Tibullum, Horatium, lenæ omnes, ſagæ, veneficæ & φαρμακίδες ſunt. Lucilius apud Nonium.

Ætatem & faciem vt ſaga & bona conciliatrix.

Ipſe verò Noni. *Sagæ mulieres dicuntur fœminæ ad libidinem virorũ indagatrices, vnde & ſagaces dicuntur ferarum & animalium quæſitores.* Gloſſæ *Saga* γραῦς φαρμακίς: idque voluiſſe Tertull. *de pallio cap. 4.* ſuſpicatur Salmaſius. *Aſpice lupas popularium libidinum nundinas, ipſas quoque fictrices, & ſi præſtat oculos abducere ab eiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis, aſpice tamen, vel ſublimis; iam matronas videbis.* Sic enim legendum & interpungendum eſſe contendit Salmaſius. Communis lectio habet, *ipſas quoque frictrices*, quas interpretantur τριβάδας publicas, quæ ſecum & inter ſe libidinem exercent, ſiue ſubant. Inde frictus. Iuuenal. ſatyr. 6.

Ipſa Medullina frictum Criſſantis adorat.

Fictrix verò Salmaſio lena eſt, quæ & ſaga à ſimulachris cereis aliiſque magicarum artium figmentis, dicebantur & ſimulatrices. Feſtus, *Piatrix dicebatur Sacerdos, quæ expiare erat ſolita, quam quidam ſimulatricem, alij ſagam, alij expiatricem vocant.* Et Valerius. *Aeæo ſimulatrix littore Circe*: & φαρμακεύτρια. Suis igitur philtris & veneficiis etiam inuitos ad libidinem pertrahunt lenæ, vt paſſim in veteribus legere eſt. Eò pertinet illa Chryſis, vt in amorem Circes dominæ ſuæ Polyænum adducat apud Petron. *cap. 91.* De ſinu licium protulit varij coloris filis intortum, ceruicemque Polyæni vinxit, mox turbatum ſputo puluerem medio ſuſtulit digito, frontemque repugnantis ſignauit, hoc peracto carmine, ter illum iuſſit expuere, terque lapillos coniicere in ſinum; quos ipſa præcantatos purpurâ inuoluerat. Ex quibus Martin. de Roa *lib. 3. ſingular. cap. 10.* explicat illud *Baruch. 6.* de Babyloniis meretricibus. *Mulieres autem circundatæ funibus in viis ſedent ſuccendentes oſſa oliuarum:* de amatoriis veneficiis, vt prætereuntium amorem ſibi conciliarent: ſolebant enim in veneficiorum ſacris necti vincula altari, atque licia hominibus circundari, quæ licia ſoluebantur, cùm ſe aut alium amore vellent expedire. Apud Virgil. Dido.

Vnum exuta pedem vinclis, in veſte recincta.

Et *Ecloga* 8. Daphnidis imago tribus liciis triplici colore circundatur. De his filis Delrio *lib. 3. diſq.*

magic. part. 1.*q.*3. *ſect.* 2. vbi & de amatorio veneficio, & magico incautameoto per incenſionem oſſium oliuarum, cuius meminit *ibid* Baruch. & oos initio huius cōſectarij quidpiam diximus, diſputat, & de aliis philtris amatotiis, qoæ ſine dubio tum lenis, tum meretricibus in vſu frequentia ſunt. Quid igitur erit permittere lenas palaiu in publico caſtitatem occidere, vt loquitor Tertull. oiſi ferre ſagas quæ ſuis veneficiis ad libidinem paſſim iuuenes promouent, quam in lupanaribus palā & ſine metu ſatient? Nomquid tot flabris ventitata loxories tanquam orcina flamma ciuitatem depaſcerot? Iob *cap.* 31. *verſ.* 12. de ſcortatione & adulterio agens: *Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Eſt ignis*, inqoit Philipp. Abb. *incentiuus libidinis, omnia virtute deuorans, atque vniuerſa in homine ſanctarum rerum incrementa conſumens.* Similia dabit Gregor. *in* 1. *Regum cap.* 15. & Baſil. *lib. de vera virginit.* qoi libidinem igni comparant. Ipſeque Eccleſiaſt. *cap.* 9. Libidinem igitur publieam fouere, & non extinguere, eſt incendium excitare, & cioitatem; vti quoodam Romam Nero, impuris flammis ardentem ſpectare. Quid amabò aliud iſta lupanarium tolerantia eſt, quam Aſmodæi regnum ſtabilire? Aſmodæū enim, qui ſuper omnes filios luxoriæ Rex eſt, Hebræi nominatom volunt ab *Aſcham* peecatum, & *dai* abūdantiā, quod ſit peccatū abundans, ſiue peccati abūdantia. Alij à *Schamad* vaſtare, qood ſit vaſtator truculentiſſimus, ab Eſch, ignis, & modach, metiri, ille enim ignem concupiſcentiæ metitur & ſuccendit, aut qood eſſet ignis Mediæ, qoia in illa tota libidinem inflāmabat, quæ omnia dabit Serat. *in cap.* 3. *Tob. q.* 8. vbi & reddit rationem quare potiſſimùm vaſtator dicatur, quod hoc genere peccati immenſam vaſtitatem omni hominum generi importet: cuios ſine dubio partes iouant, qui libidini opportunitatem & occaſiooem ſoppeditant.

Sanè ex profuſa & bacchante publica luxurie omnia alia vitia in ciuitatem importari, maximámque illi creari vaſtitatem viris ſapientibus perpetuò perſuaſum fuit, quæ eſt tertia ratio propter quā non eſſe permittenda lupanaria contendimus. Neque abs te Aſmodæus dæmonium malum dicitur, *Tob.* 3. non ad diſcrimen bonorum dæmonum, quos Pſellus, Plotin. & Porphyrius agnoueront: qoo ſenſu Homerus à Dionyſio δαιμονιώτατος vocatus fuit; vti obſeruat Lodouic. Coëluiſ. *lib.* 2. *cap.* 2. in Scriptura tamen inſolens eſt iſta diſtinctio, neque ipſa vnquam nomen Dæmonis niſi io malum vſorpat; qood monet quoqoe Aoguſtin. *lib.* 8. *de ciuit. cap.* 14. & *lib.* 9. *cap.* 19. Immò & eumdem fuiſſe ſenſum profanis Scriptoribus quando dæmonis nomen abſolotè vſurpant, notaoit Eogubin. *lib.* 8. *de perenni phil. cap.* 35. Dæmoniom igitur malom dicitur Aſmodæus ab exquiſita quadam & inſigni præ cæteris dæmonibus malitia & improbitate. Commune qoidem illi eſt quod cæteris dæmonibus tribuit Triſmegiſt. *lib. de Dei bonitate*, ferre in hominum animis ſementem propriæ actionis τῆς ἰδίας τὸ σπέρμα. Nempe μοιχείας, φόνους, πατροτυπίας, ἱεροσυλίας, ἀσεβείας, ἀγχόνας, κατὰ κρημνῶν καταφορὰς, καὶ ἄλλα πάντα, adolteria, cædes, parricidia, ſacrilegia, impietates, ſtrangolationes, per præcipitia deiectiones, quæ omnia quidem ſunt dæmooom opera ὅσα δαιμόνων ἔργα. Sed maxime pertinent ad Aſmodæum, cùm ex libidine ſæpios oriantur. Chaldæus apud Pſell. vocat dæmones terreſtres feras. Aſclep. apud Triſmegiſt. ἀγγέλους πονηρούς. Empedocles deteſtabiles.

——quos in pontum deiecit æther,
Pontus at in terram pellit, ſed terra remittit
Ad ſolem rapidum, iis vbi ſit conuerſio cœli
Ex alioque alius fugat, execrantur & omnes.

Quænam fera terreſtrior amabò quam Aſmodæus, qoi perpetuò volutatur aut incendio orcino incendit, quem omnes execrari qoidem deberent; at eius inſidis blanditiis deliniti fouent, eioſqoe imperium ſtabiliunt, qui maximè illud delere deberent. Dicitur idcirco δαιμόνιον τὸ πονηρὸν: atque vt habet Proſp. *lib. de promiſſ. cap.* 39. Dæmonum nequiſſimus. Rex eſt omnium dæmoniorum Melech ſcedim: Sched verò prædonem, & vaſtatorem ſignificat. Vide Serat *loco citato q.* 4. 5. 6. & 7. de hoc eius imperio. Quæ autem vitia, qoæue calamitates per luxuriam in homines importentur, luculenter deſcribit Bernard. *in Pſalm. qui habitat ſerm.* 13. vbi Pharaonicam loxuriam ſcribit, quem tegas velim, Et ſanè qoid boni expectes ab homine inſano, & qui hominem ipſom exuit, ferámque induit. Contemplatiui hominis amor dioious; actioi homaous, voluptuoſi ferinus eſt, inquit Marcil. Ficin. *in Comment. Platon. de conuin.* Immò in plures feras hominem immutat. Libido verò œſtrum eſt qoo cæteræ feræ & turbulenti animi paſſiones incitantur, & debacchantor, vt ait Baſil. *hom.* 1. *in Hexbamer.* Ipſeque Ariſt. *lib.* 3. *Ethic. cap.* 10. & *ſect.* 28. *problem. q.* 7. dixit eas voloptates eſſe ferinas, & hominem è ſtatu mentis deiicere. Quas tragœdias nō excitat peſtifer ille zelus quo amat, quiſqois carnaliter amat, quique & ſcortatores & ſcorta, ad inſaniam adorit. Quod monet Aoguſtin. in *Pſal.* 83. De bis feris in corde ſcorti & ſcortatoris ſtabolantibus nuper monuimos ex Chryſ. *hom.* 15. *in loca Matthæi.* Sed audi eundem *hom.* 2. *in* 1. *ad Corinth. Quomodo latrones & murorum effoſſores quando volūt aliquod pretioſum capere, lucerna extincta hoc faciunt, ita etiam in nobis facit libido. Eſt enim in nobis perpetuò ardens lumen rationis, illo igitur ſpiritus nequitia, magno impetu irruens flammam illam extinguit, & protinus diripit, ſpoliatque omnia quæ ſunt recondita.* Neque diſſimilia babet Clem. Alex. 2. *ſtrom. cap.* 9. de babitibus qui è cœno voloptatum euaporant, & mentem obnubilant, & Cupidinem ea de cauſa exoculatum fingit Oribaſ. *lib.* 1. *cap.* 21. Et reipſa venerem oculis incommodare notant Ariſt. *ſect.* 4. *problem. q.* 2. 3. & 32. Galen. *lib.* 4. *de locis, cap.* 8. Platò *in Philebo*, huminem intemperantem, nullios intelligentiæ compotem & puerum dixit, ideóqoe illi peieranti Deos facile parcere. Luxuriæ ruinam eloquentiæ triboit Senec. *in præfat. lib. controuerſ.* Iſidor. Peluſio *lib.* 3. *ep.* 266. obſeruat σωφροσύνην nominari παρὰ τὸ σώας ἔχειν τὰς φρένας, quod ſaluam & incolumen habeat mentem. Sic verò appellatur caſtitas. Denique furorem ex hoc vitio atque inſaniam exiſtere docet Hieron. *lib.* 1. *in Iouinian.* De igne luxuriæ conſumeote omnia genimina virtutum ex Philipp. & Gregorio hactenus egimus. Neque opus eſt ire per ſingula. Ciuitas igitur in qoa bacchabitur luxuria, vitiorum & ſcelerum omniom cloaca erit.

His omnibus iocōmodis accedit poſtremò illod 17.
quo molles & effæminati homines inepti ad omnia grandia & generoſa ſuſcipienda reddontur. Quod experientia ipſa compertum eſt, neque in his quæ ſont adeo perſpicoa immorandom amplios videtur. Sofficiat illod Stobæi *ſerm.* 6. *qui ſcortātur, dormiunt ad negotia, ciuitates negligunt, non verentur leges, patefaciunt*

Patefaciunt publica conſilia, & vnius mulierculæ cuncta iudicio, vel temeritate potiùs adminiſtrant. Ideóq; Maxim. *ſerm.* 10. ſcorta regum, reginas eſſe dixit, quia nempe regibus imperitant. Quod in Salomone aliiſque mulieroſis principibus magno Reipublicæ damno comprobatum eſt. Quare Athenienſes ſcortatores à publicis muneribus & magiſtratibus arcebant: quod Demoſthen. contra Andro. & Ribanius in ſimili argumento teſtantur. Sapienter enim Caſſiodor. *lib.* 4. *variar. epiſt.* 12. *Magiſtratus eſſe debet innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, ara iuſtitiæ. Abſit à iudiciarijs mentibus aliquid profanum: pio principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.* Dio *orat.* 8. docet ex Diogene Circem quandam eſſe voluptatem, quæ ſuis pharmacis hominem in ſuem aut lupum immutet, immò & in ſerpentes. Denique quantum immerſus huic cœno animus deiiciatur, & premattur pudenda ſeruitute, neque ad aliquid altius erigere ſe queat, veteres exprimũt dum Dominam voluptatem eiuſque imperium importunum deſcribunt. Et de illa infixione aut agglutinatione, animi cum carne per fornicationẽ diſputans Auguſt. *in concione ad illud Pauli. Qui fornicatur in corpus ſuum peccat.* Quid igitur à Republica, quæ per magnã partem inſanis & mollibus eiuſmodi hominibus propter permiſſam publicam luxuriam conſtabit, ſperandum eſt?

Quid dicam de ipſis etiam corporis incommodis, qua de cauſa meretrix fouea dicitur, & velut ſepulchrum in quo libidini dediti computreſcunt? Immoderata libido vires frangit, corpus eneruat, & ſenectutem immaturã adducit, & canos adoleſcẽti aſpergit. Qua de cauſa Venerẽ canam, caluámque, eandemque iuuenẽ veteres finxiſſe tradit Lactant. *lib.* 1. *cap.* 20. Quàm pudendi verò morbi ex meretricia conſuetudine contrahantur, iam ante vidit Chryſoſt. *hom. de muliere, & pulchritudine.* quod ex ipſis philtris & poculis amatorijs quæ propinant, atque veneficiis, de quibus aliquid monebamus, nuper, probat. Eiuſmodi fuit illud poculum plenum immunditia & fornicatione *βδελυγμάτων* quod Babilonia meretrix *Apoc.* 17. vniuerſæ terræ propinabat. Verùm lues venerea, qua poſtrema hac hac ætate Deus hoc infandum ſcelus caſtigauit, manifeſtum facit quanto malo permittantur publica lupanaria; cùm ea contagio integras aliquando familias inficiat, ex eaque alij populares & contagioſi morbi ſæpius naſcantur. Sed noſtrum non eſt rem adeò ſtatutam Medicorum placitis, ex eius infandi morbi natura deductis fuſiùs perſequi. Quãuis verò illa incognita eſſet veteribus; quantum tamen libido robur corporis frangat ſæpius monuerunt. In primiſque Baſil. *hom.* 23. & Clem. Alexand. *lib.* 2. *Pædag. cap.* 10. Ipſéque Artemidor. *lib.* 1. *cap.* 8. qui lupanar idcirco ſepulchrõ comparat: probabat verò Baſil. exemplo Athletarum, qui *vt robori ędificãdo vacent*: quomodo loquitur Tert. *lib. ad martyr. cap.* 3. *cõtinentur luxuria.* Quod monet quoq; Chryſ. *hom.* 23. *in* 1. *ad Cor.* Clem. Alex. *lib.* 2. *ſtromat. cap.* 5. Caſſian *lib.* 7. *inſtitut. cap.* 7. Paulin. *epiſt.* 2. *ad Senec.* Plato *lib.* 8. *de legib.* Et qui benè multa in eam rẽ collegit Faber *lib.* 3. *Agonoſt cap.* 4. & Mercurial. *lib.* 1. *gymniſt. cap. vlt.* Atque de eneruatione corporis per venerem ex Philoſophorum & Medicorum mente infinita cõgeſſit Tiraq. *ad l.* 25. *connub. à n.* 6. & ex illo Biſcrola *lib.* 20. *ſubſeciu. cap.* 3. Eos porrò Medicos qui venerem dicunt quibuſdam morbis prodeſſe apud Ambroſ. *ep.* 66. quibuſque adhæſit Septal. *in ſect.* 4. *Problemat. q.* 17. acriter cofutat Scaliger *exercitat.* 269. & *lib.* 2. *de plantis.* Vides itaque quantum ciuitatibus incommodet publica luxuria.

Atque ex his tandem omnibus non poſſe abſque 18
graui religione conſcientiæ permitti, tolerarique publica lupanaria, & meretricium, exiſtimarunt Nauarr. *cap.* 17. *manual. n.* 196. vbi licèt initio videatur tantùm improbare illam permiſſionem quando fit cum participatione lucri; deinde tamen *dicto* 5. abſolutè damnat. *Turpe id*, inquit, *& haud ſcio, an idem, quod greges furum, & turbas homicidarũ publicè ferre. Certè cum ab eodem illo Deo opt. max. homicidia & furta, & ſcortationes prohibeantur, magis meo quidem iudicio expediret, illa non permittere.* Hanc Nauarr. ſententiam pluribus tuetur Eſpencæ. *lib.* 3. *de continent. cap.* 4. Ioan. Mariana, *de ſpectacul. cap.* 16. Adam. Contz. *lib.* 3. *politic. cap.* 12. §. 14. *&* 17.

Neque ſanè quæ obiiciunt aduerſarij cum Petro Gregor. *lib.* 14. *de Republic. cap.* 1. *n.* 1. Camillo Borell. *lib.* 3. *de magiſtrat. cap.* 13. aliiſque, quos ibidem allegat, difficile fuerit reiicere.

Afferunt igitur primo illud Auguſt. *lib.* 2. *de or-* 19
dine, cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus*: quæ adducuntur à S. Th. 2.2. *q.* 10. *art.* 11. qui in ea etiam ſententia eſt *lib.* 4. *de regim. princip. cap.* 13. videturque eadem eſſe mens Saluiani *lib.* 7. *de prouid.* vbi ait minoris eſſe criminis lupanar quàm adulterium, adeoque ad hoc euitandum illud permitti poſſe non negaret.

Reſpond. in primis Auguſtinum aliud citatis à nobis initio locis aperte ſenſiſſe. Hoc verò adducto loco, nihil aliud voluiſſe quàm oſtendere nihil eſſe in rerum natura, quod non aliquo ordine fiat, etiamſi nobis non ſtatim appareat, quo ordine conſtituatur, & potius agit de ordine quem Deus in rebus omnibus ſeruat, de cuius æquitate non diſputamus. Deinde licẽtiùs qui iſta apud Auguſtinum diſſerit, hoc exemplum de lupanaribus ex quodam vulgi ſenſu, aut inducto vſu ſumpſit, neque eius æquitatem eo loco expendit. Quod alibi fecit Auguſtin. *in lib. de ciuitate*: vbi apertè ſuam mentem explicauit, & inter terrenæ & impiæ ciuitatis ſordes, illam numerauit.

Secundò S. Thom. adduxit quidem 2.2. Auguſtini verba *ex lib. de ordine*, ſed illa non examinauit. Neque eo loco de hac tolerantia libidinum publicarum agebat, ſed in vniuerſum vt oſtenderet aliquando permitti & tolerari poſſe aliqua mala à Repub. vulgare illud Auguſtini attulit, vnde quænam fuerit S. D. mens, colligere non licet, cùm inter diſputandum plurima afferantur ex vulgi opinione & moribus, quæ ad illuſtrandam aut confirmandam tunc ſententiam quam tuemur, faciunt. Neque idcirco cum vulgo conſentire, illiúſque opinionẽ docere dicimur. Quare Caietan. *in comm. ad illum art.* 11. nihil aliud inde oſtendi ait, quam permiſſionem mali non eſſe ex natura ſua malam, quod & nos fatemur, idcóque ex rationabili cauſa fieri poſſe, modo non ſit admixta cum participatione criminis. Quod fuſiùs docuimus opere de vſuris *lib.* 1. *cap....a...*

Saluianus porrò nobis minime aduerſatur: ibi enim oſtendit minus eſſe peccatum meretricis, quàm adulterium, quod optimè probat ex iniuſtitia, quæ in adulterio fœditati adiuncta eſt, & in nudo meretricio non reperitur, inde tamen non colligit Saluian. permittenda eſſe publica lupanaria, & communem impunitamque luxuriam, ne committantur adulteria. Quin immò illo ipſo loco commendat Vandalos, quòd lupanaria è ſua Gente ſuſtulerint. An amabò illa probaſſet in Catholica ciuitate?

Digitized by Google

Aſſerunt vſum & morem plurimarum ciuitatum, iam olim inductum; verum nuper oſtendimus vſum illum ex corruptiſſimis moribus ortum eſſe, atque à plurimis gentibus ſublatum, ab aliis æquè admiſſum, aut non niſi ab illis apud quas impuriſſima ſacra Diis obcæniſſimis fiebát, neque mirum videri debere in illis excitata eſſe loca publicarum libidinum, & magiſteria obcænitatis, quandoquidem ſe illis, ſuis numinibus litare credebant. Deinde nequidem apud illas gentes fuere prorſus impunita publica eiuſmodi meretricia, vti ex infamia, & aliis quibuſdam pœnis quibus Romæ vrbe tunc corruptiſſima, caſtigabantur, oſtendimus.

Aſſerunt tertiò plura ex antiquo Iure Romano ad oſtendendam meretricum impunitatem, inutiliter omninò, cùm ex illo ipſo iure docuerimus pœnam ſaltem infamiæ vulgari illi libidini, lenonibus atque meretricibus fuiſſe irrogatam; deinde iniquo illi iuri ſanctius nos Ius Chriſtianum opponemus, quod omnem libidinem damnat, quam Romanum niſi in ſtupro & adulterio non vindicabat. Quare mirum non erat, ſi quam libidinem non damnabant, neque malam eſſe exiſtimabant, ſed licitam, eandem publicam eſſe permitterent; quamuis nequidem in hac parte totum rationis naturalis & honeſtatis amorem extinguere potuerint, vt ignominia, quam illis proſtitutionibus inuſſere, ſatis oſtendit. Denique Reſpondet Hieronym. *epiſt. 30. ad Oceanum. Alia ſunt leges Cæſarum, alia Chriſti: Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur: quaſi culpam faciat dignitas, non voluntas*, &c. Denique ſapientiſſimorum Imperatorum & Regum atque Rerumpubliarum leges quibus hæc publica turpitudo profligatur, adduximus. Quare in eo capite nihil admodum præſidij reperient aduerſarij.

22 Quartò argumentantur ex licita permiſſione minoris mali ad maius vitandum, quam nemo negat. Vt igitur grauiora adulteriorum, & *παιδεραστίας*, & quæ inde conſequuntur, neceſſaria vitia atque calamitates auertantur, lupanaria & publicæ meretrices permitti iure poterunt: atque hoc eſt vnicum huiuſce ſententiæ fulcimentum.

Reſpond. permiſſionem quidem mali non eſſe ex ſua natura malam, atque adeo ex rationabili cauſa poſſe fieri, vti monebamus nuper ex Caietano, & nos ipſi loco ibidem notato, atque in ſcientia canonica diſputantes de legibus permiſſiuis, tradidimus. Ad hoc autem duo requiruntur. Primum eſt cauſa rationabilis permittendi illud peccatum, quæ duplex dumtaxat fingi poteſt: nempe acquiſitio alicuius boni, quod ſine eiuſmodi permiſſione comparari non poſſet: altera eſt euitatio grauioris alterius mali impendentis, quod non niſi per permiſſionem minoris illius auerti poteſt. Requiritur ſecundò vt permittens malum aliquod, non obligetur illud impedire, aut ſaltem non poſſit impedire. Quæ omnia locis indicatis fuſiùs explicata ſunt, & communi omnium ſenſu certa habentur. Hæc verò in caſu de quo agimus non inueniri, facile fuerit docere, atque vt ab eo quod poſtremo loco attuli, aggrediar: Cur quod Iuſtinianus in ampliſſima vrbe Conſtantinopolitana, totoque eius Imperio, quod S. Ludouicus aliique chriſtianiſſimi Reges, maxima omnium commendatione præſtiterunt, cæteri hodie Principum in ſuis Ditionibus exequi non poterunt? An facilius erat apud Iudæos gentem ſalaciſſimam, atque apud Conſtantinopolitanos, in tanta morum corruptione lupas omnes eiicere, & lupanaria, atque omnia libidinum publicarum loca diruere, quam hodie in ciuitatibus bene Chriſtanis, neque ſine dubio vſque adeo corruptis? Cur poſſunt Principes homicidia, furta, aliaque crimina vindicare, ſolùm meretricium, & lenocinium plectere non poterunt? Cur vti argumentabatur Nauarr. prædonũ & homicidarum cohortes impunè vagari & latrocinari non permittunt, & lupari ſcortilla impunè & publice patiuntur? Poſſunt etiam armatas prædonum turmas diſperdere & punire, non poterunt inermes ſcortillorum greges, & impurorum lenonum pauca propudia coercere, & aliò ni pareant, amãdare, aliiſque pœnis ac publicis flagitiis deterrere? Poſſunt ad certam vrbis partem omnes iſtas victimas publicarum libidinum, tanquam in nundinas occiſæ caſtitatis cogere, & certas illis aſſignare ſedes, leges illis præſcribere, quarum exemplar refert Marian. *lib. citato cap.* 17. quibus magiſtri lupanaris (ſic enim loquuntur) munus & cura deſcribitur in admittendis dimittendiſve meretricibus, in eis alendis, ſanandis ſi ægrotent, quantum ab illis exigere queat, tempus quo patere debeat aut claudi lupanar, veſtes quibus vtantur meretrices, & cætera huiuſmodi conſtituuntur; cur non æque poterunt ſi velint omnia lupanaria deſtruere, & lupas omnes abigere? Certum igitur eſt Principes poſſe ſi lubeat, has omnes peſtes à ſua Republica amoliri, neque vi armata, aut conſcriptis exercitibus opus eſt, ſed ſola vigilanti Magiſtratuum cura. Neque timendum inde factionibus aut ſeditionibus, quarum metu nonnunquam boni piique Principes coguntur ferre, quæ longiùs à ſuo Imperio amandata vellent, ne ſi id ſuſcipiant, exorta rebellione, grauius vulnus infligant Reipublicæ, quam ſit illud, cui mederi voluerant, vti ſæpius contigiſſe, videmus. Poſſunt igitur hæc publica crimina luxuriæ impedire, & has libidinum nundinas non pati principes, ſi ſeriò & ex animo id velint. Neque id fortaſſis negabunt aduerſarij, ne ſuos Principes plus nimio imbecilles faciant.

Quare excipient potius, Principes ad id minimè obligari. Neque enim tenemur omnia exequi, quæ ſunt in noſtra poteſtate, aut impedire omnia mala, quæ impedire poſſemus, niſi aliqua aliunde obligatione vel charitatis vel iuſtitiæ vrgeamur; quarum virtutum præcepta cùm ſint affirmatiua non ſemper, nec perpetuò & vbique obligant. Reſpondetur tamen eadem obligatione, & lege, qua tenentur principes non permittere publica homicidia, ſacrilegia & latrocinia, ſi illa poſſint impedire, teneri quoque coërcere & prohibere publicas libidines, quas non magis ſua auctoritate & patrocinio tueri aut non amoliri poſſunt, quàm illa publica crimina, ſi æque facile illa omnia poſſunt proſcribere, vti poſſe iam oſtendimus. Eſt enim vna eademque cauſa obligationis in omnibus iſtis caſibus cuncta ea publica crimina prohibendi, ſi prohiberi valeant, nempe charitas, quam patriæ, & Reipublicæ debent, cuiuſque bonum quærere, & malũ auertere tenentur, id poſtulat. Deinde obligantur ratione ſui muneris ex quodam quaſi contractu inter ipſos & Rempublicam inito, quæ eſt obligatio iuſtitiæ commutatiuæ; ea ſiquidem lege & conditione ſeſe Principi regendam Reſpublica credidit, vt eam incolumem omni ope ſeruaret, tum bona quibus ad fœlicitatem politicam indiget

get

get procurando, tum mala quæ ipſi multum incommodarent, pro viribus amoliendo. Et quia ſcelera impunita plurimùm officiunt fœlici Reipublicæ ſtatui, idcircò quantum poteſt illa tum pœnis, tum modis aliis omnibus amandare debet à ciuitate Princeps. At verò quàm graues in vniuerſam Rempublicam calamitates afferat publica & impunis libido; atque lupanarium publicorum permiſſio, fusè docuimus hactenus. Eas igitur Reipublicæ peſtes auertere omni conatu debet, neque permittere poteſt, niſi ſimul vaſtitatem Reipublicæ, quam tamen arcere valeret, permittat. Quod ſine Numinis religione, & violati muneris conſcientia pio Principi fas eſſe, ne ipſi quidem aduerſarij fateri audebunt; niſi afferant rationabilem aliquã cauſam quæ in hoc ſingulari caſu Principes ab ea quam diximus obligatione, eximat, vti in quibuſdam aliis nonnunquam contingit; quod erat alterum caput, illúdque vnicum honeſtandæ huius permiſſionis publicarum obcænitatum & nundinarum occidendæ pudicitiæ, & conſiſtit in alicuius boni comparatione, quod eiuſmodi permiſſione quæritur, aut prohibitione impendentis mali quod timetur. Exigitur verò vt neque illud bonum comparari, neque malum euitari vllo alio medio commode poſſit, quàm illa tolerantia & impunitate publicorum flagitiorum; quorum omnium nihil in noſtro caſu prorſus reperitur. Quare Iuſtinian. *Nouell.* 14. teſtabatur nihil ſe ſalubrius Reipublicæ, quodque magis ipſi commodaret, conſtituere potuiſſe, prohibitione luparum. Neque profectò vllum bonum afferre poſſunt aduerſarij, quod ſola iſta permiſſione luparum poſſit acquiri; non diuitiarum quæ his propudiis exhauriuntur: non honoris & gloriæ, quæ hac ignominia delentur: non militiæ & armorum, ad quæ tractanda ineptos reddit effæminatorum morum laſciua mollities: non finium & Imperij dilatandi gloria, cùm laſciuia computreſcentes, & voluptatum cæno immerſi animi, ſua ægrè parta tueri valeant: non ſcientiarum decus, cùm ſapientiæ laborioſa & indefeſſa conquiſitio malè cum delicata, & cupiditatibus enutrita indole conſentiat: non populi frequentia, cùm nuptiis, & propagandæ ſoboli effrænis & immoderata venus parum opportuna exiſtat. Quid igitur boni hac propudioſa immenſorum flagitiorum permiſſione ſibi ſpondere poſſunt, qui inerti quadam oſcitantia Reipublicæ vaſtationem pati, quàm generoſo animo, vti facilè poſſent prohibere, malunt. Bonum igitur quod hac permiſſione quæritur, aliud fingi nequit quàm vitatio maioris mali, quæ vitatio bonum quoddam eſt, vti diximus *lib.* 1. *de vſuris cap*... *art*... Neque ſane aliud ſuis argumentis conficiunt aduerſarij, quàm permiſſione publici meretricij, vitari adulteria, *παιδεραστίαν*, aliaque mala multò grauiora: quod quàm falſum exiſtat, facilè fuerit cum Nauarro, & aliis nuper allatis Doctoribus, oſtendere. Quare lubet ire per ſingula. Primò quidem non minuitur inde libidinis incendium, vti parum ſapienter exiſtimabat Solon, qui primus meretrices adoleſcentibus proſtituit, & Veneris Pandemiæ templum ædificauit, vt adoleſcentes primum illum libidinis ardorem ſatietate quadam compeſcerent, & deinceps caſtiùs viuerent. Quod libidinis remedium ridet Dio *orat.* 17. *ſub fin.* nam & libido magis exercitio accenditur, & flabellis continuis ventilata flamma maior fit, & praua inclinatio ad voluptates actibus repetitis roboratur, atque magis ac magis cœno immerſus animus, ex eo ſeſe vix vnquam educere poteſt. Deinde pueri facili illa occaſione ab ipſis pubertatis annis peccare incipiunt, magno animi atque imbecilliorum adhuc virium diſpendio. Neque inter media frænandæ impotentis libidinis, vllus vnquam Chriſtianus, aut moralis Philoſophus proteruam & liberam laſciuiendi licentiam numerauit, experientiaque compertum eſt adoleſcentes, qui ex regionibus in quibus caſtigatur eiuſmodi licentia, commigrant in alias, in quibus laſciuia bacchatur, & in locis publica auctoritate eius obcænitati deſtinatis exultat, breui illam integritatem & modeſtiam quam ſeruarant hactenus, abieciſſe, & corruptiſſimos euaſiſſe, ingenti animi detrimento, & corporis damno, rei familiaris dilapidatione, & parentum mœrore. Cùm nihil aliud ex externa peregrinatione quam ad litteras & decus comparandum ſuſceperant, quàm vitia, eorumque turpia veſtigia domum retulerint.

Aiunt ſecundò vitari hac permiſſione ſtupra & adulteria, cùm homines non quærant tanta ſolli- 23
citudine, quæ obuia habent: quaſi verò, vti obſeruauit Dio; contempto vili proſtibulo, iam aſſueti libidini, non quærant incitatiùs nobiliores, quibus maiori cum voluptate perfrui ſe poſſe tandem aliquando ſperant. An adulteria vllibi frequentiora fuere, quàm vbi erat proſtituta pudicitia, cùm ipſæ etiam matronæ dormienti marito ſe ſubducerent, vt in lupanari, plurium libidini ſe ſubiicerent. Quod in Meſſalina & aliis notarunt Satyrici. Idem dico de pæderaſtia, quæ apud Perſas, Babylonios, Romanos, aliaſque gentes, quibus non modo publica, ſed etiam per ſummam impietatem ſacra erant lupanaria, frequentiſſima fuit, faciléque id foret oſtendere, ſed iam tædet eiuſmodi ſordibus ſtylum immergere. Deinde qui virgines aut maritatas ſollicitant, ſæpius ij fermè ſunt viri copiis abundantes, qui vix luſtra & fornices ſubeunt; ſoli ferè infimæ plebi patent lupanaria, atque adeo illis à quibus leuiores & pauciores alienis thoris parantur inſidiæ. Denique ſi hæc aduerſariorum ratio quidquam obtineret, vt ad continendam maritorum virorumque vagam & effrænem laſciuiam permittendæ ſint publicæ meretrices & lupanaria, vt eam inflammatam extinguant; ad fœminarum quoque libidinem ſatiandam publicè proponendi erunt maſculi, quod ne in perditiſſimis quidem gentibus factitatum fuit: cùm tamen muliebris libido impotentior & concitatior eſſe ſoleat. Denique quis fingere ſibi & perſuadere poterit flammam extingui flamma, & libidinem libidine minui, perpetuâ intemperantiâ, eaque liberâ fieri temperantem. Quod igitur afferunt aduerſarij ex deprauato vulgi ſenſu in remedium libidinis, certiſſima eſt temperantiæ labes: ſi prohibitio publicæ luxuriæ, ipſam in priuatas & furtiuas voluptates, atque occulta ſtupra, & adulteria concitet, laudandus erit Alexander Seuerus qui exoletos prohibere non eſt auſus. *Veritus*, (inquit Lamprid.) *ne prohibens publicum dedecus in priuatas cupiditates conuerteret. Cùm homines illicita magis poſcant, prohibitáque furore proſequantur.* Non probabunt opinor iam impudens Alexandri conſilium aduerſarij, neque tam leui de cauſa tantam ſpurcitiam induci in ciuitates Chriſtianas paterentur: ipſi verò aliam nullam afferunt, vt ſordes meretricij publici permittendas eſſe contendant: quare aut Alexandri factum laudare, aut ſuum, cùm eadem ex cauſa ſuſcipiant, damnare neceſſariò debent. His omnibus adde ex

meretricibus flore ætatis tranſacto lenas exiſtere, quæ mille nocendi artibus inſtructæ adoleſcentes in omne ſcelus pertrahant, vnde etiam vitia noua propagantur. Quare neque adulteria vitantur, neque maſcula libido, aliæque infandæ obcænitates conceſſis lupanaribus, ſed voluptate ſemel corruptus animus maiori impetu, & impudentori procacitate ad fœdiſſima quæque concitatur, atque exæſtuante, & ventilata libidinis face, cupiditas omnia depaſcitur, ſceleribus & vitiis ciuitates infeſtat, & innumeras in illas calamitates importat: hocque tamen inſano remedio, malum recrudeſcit, atque dum crimina quædam vitare volunt, in alia incidunt, & accidit quod queritur Gregor. *lib.* 32. *cap.* 18. de implicatis neruis teſticulorum Leuiathan. *Nerui teſticulorum eius ſunt peſtifera argumenta machinationum: per ipſa quippe calliditatis ſua vires exerit, & fluxa mortalium corda corrumpit. Teſticuli enim ſunt ſuggeſtiones praua, quibus in mentis corruptione feruescit, atque in conſtuprata anima iniqui operis prolem gignit; ſed horum teſticulorum nerui perplexi ſunt: quia ſuggeſtionum illius argumenta implicatis inuentionibus illigantur: vt pleroſque ita peccare faciant, quatenus ſi fortaſſe peccatum fugere appetant, hoc ſine alio peccati laqueo non euadant, & culpam faciant dum vitant, ac nequaquam ſe ab vna valeant ſoluere, niſi in alia conſentiant ligari.* Et ſub fine capitis ſequentis. *Quia ergo Behemoth iſte ita inexplicabilibus modis ligat, vt plerumque mens in dubium adducta, vnde ſe à culpa ſoluere nititur, inde in culpa arctius aſtringatur rectè dicitur, nerui teſticulorum eius perplexi ſunt. Argumenta namque machinationum eius quaſi quò laxantur, vt relinquant, eò magis implicantur vt teneant.* Quod ſane in re de qua diſputamus contingit, dum enim permiſſione lupanarium adulteria, ſtupra, & maſculam libidinem vitare intendunt, ab illa ipſa viam faciliorem muniunt, concitatiuſque impellunt, & alia quamplurima non minus fœda incurrunt. Quare non illis fauet Gregor. dum capite proximo ſubdit. *Eſt tamen quod ad deſtruendas eius verſutias vtiliter fiat, vt dum inter minora & maxima peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato euadendi aditus patet, minora ſemper eligantur, quia & qui murorum vndique ambitu, ne fugiat clauditur, ibi ſe præcipitat, vbi breuior murus inuenitur.* Hæc inquam non fauent permiſſioni lupanarium. Primò quia Gregor. ſupponit mentem ita inter minora, & maxima peccata conſtringi, *vt omninò nullus euadendi aditus pateat,* & tunc minora eligenda eſſe dicit, quod in noſtro caſu non reperitur, quia nullus conſtringitur aut lupanar aut ſtuprum permittere, cum vtrumque prohibere valeat, vti oſtendimus, factumque eſſe à ſapientiſſimis Principibus vidimus. Deinde illa minora quæ in illo caſu perplexitatis amplecti permittit Gregor. vt maiora vitentur, vel peccata non ſunt, ſed ſolùm opera minoris cuiuſdam perfectionis, aut ſi peccata ſunt, leuiſſima exiſtunt, quod apparet ex exemplis, quæ ſubiicit *ibid.* Gregor. cuiuſmodi eſt quod Paulus concedat habere vxorem propter fornicationem vitandam, etiam ſi illa non vtatur ſolius ſuſcipiendæ prolis cauſà ſed vitandi fornicationem, in quo vſu coniugij leuem aliquam culpam agnoſcit Gregor. & alij quidam, cùm ſit minus ordinatus ille vſus. Deinde vult Gregor. animum laborare dubio, neque in alteram partem ſeſe flectere poſſe: tunc enim quod minus malum apparebit, ſequi debebit. *Sed cùm in dubiis,* inquit, *conſtringimur, vtiliter minimis ſubdimur, ne in magnis ſine venia peccemus. Itaque plerumque neruorum Behemoth iſtius perplexitas ſoluitur, dum ad virtutes maximas per cõmiſſa minora tranſitur.* Quibus poſtremis verbis ſuum ſenſum aperit, & longè diuerſum eſſe caſum ab eo quē agitamus. Claudam hanc diſputationem Tertulliani verbis *lib. de ſpectaculis, cap.* 19. voce duntaxat theatri, & ſæuitiæ in vocem lupanaris & libidinis mutata. *Si libidinem, ſi impietatem, ſi feritatem permiſſam nobis contendere poſſumus, eamus in lupanar, ſi tales ſumus quales dicimur, delectemur publica libidine.*

Duæ porrò ſupererant hoc loco quæſtiones, prima quidem, An domum meretrici locare liceat. Verum id iure Nouellarum, & Gallico prohibitũ eſſe nuper monuimus. De Iure vero naturali explicuimus. *lib.* 1. *de vſuris, cap.* 19. *art.* 5. *n.* 48. 23

Altera quæſtio, An meretricibus & lenonibus ſiue lupanarium, vt vocant, magiſtris vectigal aliquod imponi poſſit? Id feciſſe impuriſſimum Caligulam refert Sueton. *cap.* 41. *At ne quodnam manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio conſtituit* (quod idem de Meſſalina, Dio, de Auito, Xiphilinus, de Heliogabalo, Lampridius addiderunt) *diſtinctiſque & inſtructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ, ingenuique ſtarent; miſit circum fora & baſilicas nomenclatores ad inuitandos in libidinem iuuenes, ſeneſque: præbita aduenientibus pecunia, appoſitique, qui nomina palam ſubnotarent, quaſi adiuuantium Cæſaris reditus.* Quod deinde vectigal Alexander Seuerus prohibuit inferri in ſacrum ærarium, ſed ſumptibus publicis ad Circi & Amphiteatri inſtaurationem deſtinauit, vti teſtatur Lampridius: vnde Baron. *an.* 330. Zozimi calumniam arguit, qui impudenter mentitur eiuſmodi vectigal, quod ipſe chryſargyrum nominat, à magno Conſtantino primum inductum fuiſſe, ſed de chryſargyro plura inferiùs. Hoc certè à Caligula primum poſitum fuit, & diutius perſerauit, illudque Conſtantinus, ſaltem quoad exoletos imminuit, & tandem omnino ſuſtulit Anaſtaſius Imperator: vt aiunt Euagr. *lib.* 3. *capit.* 39. qui illud miſerabile vectigal Deo exoſum, ipſis barbaris indignum vocat; & Nicephor. *lib.* 16. *c.* 40. Simile quid factitari Bononiæ refert Eſpencæ. *lib.* 3. *de contin. cap* 4. ex Beroaldo, qui cum Bononienſis eſſet ſuæ ciuitatis res per benè nouerat, & teſtatur proſtitutas meretrices tributum menſtruum Magiſtratibus, qui vulgo Præfecti bulletarum dicuntur, pendere. Ioan. Mariana *lib. de ſpectaculis, cap.* 17. eiuſdem vectigalis ſpeciem quandam retineri in Hiſpania queritur. *Cum per vrbes & oppida lupanaris magiſter domum eam triple, aut quadruple etiam amplius quam valeat, conducat; quod lucrum in ſumptus publicos ciuitatibus impendatur, aut alicui priuato cedat, cui ius lupanaris conſtituendi Regis dono datum eſt. In quo multipliciter peccatur, non minus quàm ſi vectigal à meretricibus exigeretur, qui enim magno conduxit, ad eam pecuniam conſtruendam, nouas artes excogitet neceſſe eſt; mulieres maiori numero, quam opus eſſet, conquirat, excellenti forma dignitate, alliciendis emungendiſque iuuenibus, præmio etiam agaſonibus propoſito, vt illas conquirant, & vehant (quod commertij genus impurè exerceri ſcimus): aduectis fœminis, quæ ad cultum & victum neceſſaria ſunt, cariſſimè vendat, aut locet duple amplius quam in foro venali, cuius pecunia conquirenda neceſſitate, quam ſæpius omnino facerẽt, peccare cõpellũtur. Mutuas pecunias dent, quod libẽter illi faciant, in ære alieno grauatæ, vt ſi velint maximè inde recedere, aut ceſſare, quaſi alieno ære vinctæ non poſſint. Multa alia præterea illicita perpetrant lucri cupiditate, & pecuniæ colligendæ neceſſitate. Quibus diebus*

&

Digitized by Google

& horis interdictum eſt, viros admittunt, lenones contra leges regni eſſe patiuntur aut diſſimulant. (cùm nempe vt aliquis ſit magiſter lupanaris, id auctoritate publica obtinere debeat, & alia ſeruare quæ in lege Philippi II. quam *ibid.* addunt Mariana, contineantur.) *Choreas & cantus obſcæniſſimos excogitant, & inſtituunt, quoad libidinem adſtantes inflammentur. Scimus etiam honeſta conditione viris & adoleſcentibus admittendis, quos coram puderet peccare, ſingulis cellulis meretricum ſecretos aditus per poſticum eſſe in quibuſdam vrbibus patefactos. Quæ artes an rebus communibus commodum aliquod afferant, an non potius perniciem; per ſe quiſque conſideret.* Placuit ipſiſſima magni viri verba ex fide referre, ne quid nos affinxiſſe quiſpiam ſuſpicaretur, & illius leuium haberemus in damnando propudioſo illo vectigali; quod & Nauarr. atque Eſpencæ. locis citatis fecerunt, ſequuti Caietan. 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. qui in vniuerſum pronunciauit, nullā peccati permiſſionem eſſe licitam cum participatione lucri ex peccato permiſſo prouenientis; quia in his omnibus eſt participatio quædam ipſiuſmet peccati, & conſenſus illius, quia non permittitur niſi vt ex illo lucrum quæratur, quod medium quærendi lucri ſtatim apparet illicitum eſſe. Cæterum de lupanaribus vide Argent. *ad conſuet. Armor. art.* 179. & Fornerium *lib.* 3. *cap.* 21. *ſelect.*

25 Ex his omnibus colliges multò potiori iure damnandam eſſe illam negotiationem, quam ſpurci quidam mariti ex ſuarum vxorum quibus lenocinantur, proſtitutione exercent, & mercales habent vxores, vti loquitur *l.* 5. *C. de condict. ob turp. cauſ.* Quam turpitudinem Ethnicis exprobrat Tertull. *in Apolog.* qui non ſolum amicorum matrimonia vitiparent, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrarent. Horum verò maritalium lenociniorum veſtigia paſſim apud Græcos & Romanos leges. Horat. *lib.* 3. *ode* 6. vbi docet cladem Reipublicæ ex corruptis moribus ortam, deſcribit in primis virginem quæ à teneris impudicas ſaltationes, & inceſtos amores meditatur, deinde illam ipſam maritatam, quæ palam vidente & conſentiente marito ab adultero euocatur, ipſéque tamquam leno pretium concubitus accipit.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artibus
Iam nunc & inceſtos amores
De tenero meditatur vngui;
Mox iuniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit
Cui donet impermiſſa raptim
Gaudia luminibus remotis:
Sed iuſſa coram non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu vocat inſtitor,
Seu nauis Hiſpanæ magiſter
Dedecorum pretioſus emptor.

Et illud Martial.

Vxorem ſed habes candide cum populo.

Iuuenal. *ſatyr.* 6. eiuſmodi maritos vxorum lenones currucas vocat.

Tunc tibi tu curruca places.

Eſt vero curruca auis in cuius nido cuculus parit oua, quæ ipſa deinde fouet, excludit atque educat ex Ariſt. *lib.* 6. *de natura Animal.* ita iſti mariti liberos non ſuos educant. Vlpian. *in l. mariti*, §. *qui quæſtum. D. de adult.* maritum plecti vult qui quæſtum ex adulterio vxoris ſuæ quæſierit, cum lenocinium & in vxore exercuerit. In *l. tamen.* 4. *C. de condict. ob turpem cauſam*: denegatur dumtaxat actio illi marito qui eiuſmodi turpem mercedem poſtulabat; quod meritò miratur Mornac. *in notis*. An verò vrgente graui neceſſitate maritus poſſit vxoris adulterium permittere, vti factum Conſtantinopoli ſua ætate narrat Auguſtin. deque eius æquitate facti dubitare videtur *lib.* 1. *de ſermone Domini cap.* 29. diſputabimus commodius inferiùs in appendice de Reſtitutione.

CONSECTARIVM XIII.

An lucrum ex negotiatione cum dæmone partum, retineri poſſit.

AVri & diuitiarum fames tam inſana aliquando eſt, vt nonnulli dæmonum aut magorum ope infami nundinatione, ea ſibi comparare non vereantur, eaſque cum ipſa ſua anima commutare; ſiue cum ipſis dæmonibus, ſiue cum magis agant aliqui, vt ab ipſis nummos accipiant, aut locum rationémve inueniendi theſauri quærant, aut operam implorent ad lucrum ex ludo, aut aliis artibus captandum, aut feras arcaſve aperiendas, atque ſine periculo ſubducendas; quorum omnium exempla facilè foret afferre, ſi longius digredi liberet, & quamuis ferè ſemper iſti nebulones meritò deludantur à dæmone, cùm vix vnquam theſauros deſignatos inueniant, in eiſque effodiendis ſæpe pereant; neque vnquam ſe vidiſſe, audiuiſſe, aut legiſſe vllum qui arte dæmoniaca verum theſaurum inuenerit, teſtetur homo in iſtis verſatiſſimus Paulus Grillandus *lib. de ſortileg. q.* 3. *num.* 13. ſæpiſſimè etiam loco nummorum quos ſe accepiſſe rentur, folia, aut ſtercora, aliáſque nugas ſe comparaſſe reperiant; fieri tamen poſſet vt aliquando theſaurum comperirent, neque enim illa inuentio poteſtatem dæmoniacam ſuperat. Poſſet etiam veros nummos dæmon ſi vellet ſuppeditare, ſiue aliunde ſubtrahendo, ſiue cudendo & conflando. Et reuerà pauculos nummos tribuiſſe quibuſdam obſeruat Delrio ex aliis *lib.* 2. *diſquiſ. Magic. q.* 12. *num.* 10. Nonnullos ope dæmonum aut in ludo aut in aliis commerciis fortunatos fuiſſe fertur. Hanc omnem nundinationem nemo non ſummæ impietatis damnat. Sed quærimus, an ſi quod lucrum ex ea partum ſit, retinere poſſit. Et quidem ſi inuentus foret aliquis theſaurus, eodem modo quoad eius retentionem iuſta an iniuſta ſit, exiſtimo definiendum, quo ſi ſine vlla Dæmonis ope inuentus fuiſſet; An videlicet ſit inuenientis, an domini fundi vel loci in quo eſt inuentus, aliaq; ſunt expendenda, vti dicemus *vbi de reſtitutione inuentorum agemus*; quia modus inueniendi nihil facit ad licitam aut illicitam eius retentionem, niſi in illo committatur iniuſtitia, & irrogetur alteri iniuria, quæ reparari debeat reſtitutione rei, per magiam, aliúmve illicitum modum inuentæ. Idem dico de lucro ex commerciis, ſi in illis ſit commiſſa iniuſtitia, lucrum enim per illam comparatum, iniuſtum erit, ac proinde reſtituendum. Sed hæc omnia definientur dum diſputabimus de reſtitutione ex delicto, cùm nihil hic ſingulare occurrat. Tota itaque difficultas erit de nummis veris & probis, quos quis vel ab ipſomet dæmone, vel à mago dæmonis operâ acceperit.

Reſpond. hos nummos, gemmas, veſtes & eiuſmodi alia, quæ à dæmone alicui in cuius vero dominio erant, ſubducta ſunt, & alteri data, reſtituenda eſſe illi cuius reuerà erant, ſi hoc reſciri poſſet; quia reuerà res illa eſt aliena, ex qua neque magus,

gus,

Digitized by Google

gus, neque alius quiſpiam diteſcere poteſt. Neque dæmon ius habuit illa à vero domino tollendi, & in alium transferendi, alioquin poſſet pro libitu mutare dominia, & tota adminiſtratio humana ab Angelis aut Dæmonibus penderet, vt ratiocinatur de Lugo *diſp.3. ſect.1.n.9.* Sanè non habent Angeli aut dæmones dominium rerum corporearum, quod homini datum fuit, & ex natura rei quodammodo debitum; & licet Angeli poſſint ſine iniuſtitia vſurpare res communes, quæ non ſunt adhuc in peculiari vllius dominio, quia tunc nulli faciunt iniuriam, ſicut neque faceret homo aliquis, qui illas vſurparet, nequeunt tamen inducta ſemel rerum diuiſione, quod cuiuſque proprium eſt, ſine illius, cuius proprium eſt iniuria aut accipere, aut conſumere, aut de eo diſponere. Quare neque dominium, neque ius vllum in illud, ad alium transferre. Quare quæ accipit magus à dæmone non ſibi iure acquirit, tenebiturque ad reſtitutionem, ſi reſciat dominum à quo dæmon illa ſubripuit, ſicut ſi ab homine quodam fure illa accepiſſet. Quia verò vix vnquam dominum rerum à dæmone acceptarum cognoſcit, & quia dæmon tum theſauros qui nullius ſunt expilare, tum pecuniam ipſam cudere poteſt, non obligatur exiſtimare, ſibi à dæmone donata, alicui clam ſubtracta fuiſſe, neque anxius inquirere de illorum reſtitutione facienda: quod verius fotet in Angelo, qui vt Dei miniſter poterit ab vno in alium dominia transferre,

CAPVT V.

De Notis & ſignis mercium.

ARTICVLVS I. *De variis notis & ſignis rebus impreſſis.*

II. *Quæſtiones de notis mercium.*

III. *An licet alienum ſignum ſuis mercibus & rebus, & ſuam notam, alienis apponere.*

1 QVIA regiæ conſtitutiones in Gallia quædam conſtituunt de notandis mercibus tum exoticis, tum aliis, & non exiguæ aliquando controuerſiæ ratione eiuſmodi notarum excitantur, viſum fuit operæ pretium pauca quædam de ſignis, & notis iſtis obſeruare.

ARTICVLVS I.

De Variis rerum notis & ſignis.

Quid ſit & quotuplex ſit nota. 1.

Nota genitiua. 2.

Nota naturales ibid.

Nota artificiales. 3.

Nota diuina quænam. ibid. & 4.

Nota dæmoniaca. ibid.

Nota humana. 5.

Animalia notata. 6.

In ſingulis partibus corporis fuiſſe impreſſas notas. 6.

Qualis eſſet illarum notarum forma & figura. 7.

Modus imprimendi has notas. 8.

Quibus inſtrumentis impreſſæ. 9.

Quales notæ eſſent bullæ. 10.

Diuerſus finis iſtarum notarum. 11.

Notarum vſus ad ſcribendum. 12.

Nota ad cuſtodiam. 13.

De notis mercium. 14.

NOta eſt id quo quidpiam dignoſcitur, & ab aliis diſtinguitur, aut ſeparatur; quod ſignum, 1
indicium, teſſera, ſymbolum, aliiſque eiuſmodi nominibus pro varietate rerum quæ notantur, dici ſolet: Græcis *σημεῖον, σύνθημα, σύμβολον, στίγμα, χαρακτὴρ, χάραγμα.*

Diuiditur nota primò ratione cauſæ efficientis, in eas quæ naturâ vel arte fiunt, vel tum arte, tum naturâ. Secundò ratione ſubiecti tum totalis, tum partialis, ſiue rerum quæ notantur, & partis in qua notantur. Tertiò ratione formæ & figuræ, quam diuerſam habent. Quartò ratione modi quo fiunt, picturâ, impreſſione, inuſtione, & externi alicuius appoſitione. Quintò denique ratione finis ad quem imprimuntur, ſiue eius ad quod ſignificandum aſſumuntur, qui finis multiplex omnino eſt. Religio, patria, conditio & ſtatus cuſtodia, dominium, ſanitas, virtus agendi, & alij eiuſmodi quas diuiſiones paucis percurrere fuerit operæ pretium.

Diuiduntur igitur primò notæ ratione cauſæ effectiuæ, in naturales & artificiales, & partim naturales, partim artificiales. Notæ naturales quæ à natura nulla externa arte adhibita naſcuntur, duplicis ſunt generis; quædam natiuæ, quædam poſt ortum enatæ, quas ſimpliciter naturales nominare licebit.

Notæ natiuæ ſunt quæ fœtui adnaſcuntur, & 2
genitiuæ nominantur à Suetonio, qui eiuſmodi notas in Auguſto deſcribit *cap.80. Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque aluum genitiuis notis, in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cæleſtis vrſæ.* Iulius Firmic. *lib.6. Aſtronom.* ſcribit hominem genitum cùm Luna, Saturnus, & Mars fuerint in ſignis æquinoctialibus, habiturum corpus maculis diſtinctum. De variis notis rerum quas grauida patens vel appetierit, vel vehementius apprehenderit peruulgata infinitaque exempla exiſtunt. Vide Laurent. *lib.1. de curat. ſtrumar. cap.7.* Idem in aliis animantibus contingere æquè certum eſt, vt de columbis variegatis, & equis variis notis pictis tradit Oppian. *lib.1. Cyneget. verſ.* 350. Hæ verò notæ genitiuæ aliquando ſunt vni alicui ſingulari propriæ, neque in poſteros & familiam propagantur, licèt ab eiuſmodi nota qua princeps generis fuit inſignitus, familiæ totius cognomen deriuatum fuerit, vti ex aliquo illuſtri nonnunquam facto paſſim videmus ſumpta fuiſſe nobiliorum, aut inſignia gentilitia, aut cognomina: Qua de re conſule Sigon. *lib. de cognominib. Roman. cap.5.* Aliàs verò iſtæ notæ genitiuæ ſunt quoque gentiliæ, quæ in omnes eiuſdem gentis, quaſi certa quædam hæreditas tranſcribuntur. Thieſti poſteris cancrum, Lentulis lentem, Ciceronibus cicer innatum fuiſſe tradit Laurent. *lib.1.*

de

de curat. ſtrum. cap. 4. Lepidis quoque membranula oculum dextrum tegens fuit nota gentilitia. Omnes Conzanorum Reges, eorumque familiæ Aquilâ nigra in humero notabantur, auctore Marco Veneto *in Itinerar.* De Chariclæa quæ iuſſu patris propter ſuſpectum adulterium vxoris, extorris facta, cognita eſt ex nota gentilitia, nempe orbiculo nigro inſtar lapidis hebeni brachio impreſſo; narrat aut ſingit Heliodor. *lib.* 10. De harmo Ebumeo Pelopidarum nota, Poetæ ſæpius loquuntur, ipſeque Nazianz. *Ep. ad Themiſtium*: vbi & meminit lanceæ Spartiatarum: quod etiam habet Plutarch. *lib. de Sera Num. vind.* & Dio Pruſeus *orat. de regno.* Illud tamen Thebanis tribuit Ariſtoteles *lib.* 1. *poetices.* De eo diſſidio videas Victor. *lib.* 8. *variar. lect. cap.* 17. De anchora Seleucidarum femori impreſſa vulgata res eſt apud Iuſtin. *lib.* 15. & Auſon. *lib. de claris vrbib.* 2. vbi componens Alexandriam cum Antiochia.

Magnus Alexander te condidit: illa Seleucum
Nuncupat ingenuum cuius fuit anchora ſignum,
Qualis inuſta ſolet; generis nota certa per omnem
Nam ſobolis ſeriem, natiua cucurrit imago.

Ingenuum ſignum vocat, inquit Scaliger *lib. lection. Auſoniar. cap.* 23. αὐτοφυὲς: vel vt Ariſtoteles in poetice σημεῖον σύμφυτον: ſic dicitur alibi:

Vſque ſub ingenuis agitata fontibus vnda.

Ingenuos fontes vocat τοὺς μὴ χειροποιήτους. Ingenuum ſiquidem eſt natura ipſa. Næuius in Lycurgo.

—— Ite actum frondiferos lucos vbi
Ingenio arbuſta nata ſunt, non obſita.

Ingenua arbuſta ſunt non manu aut arte ſata: quænam verò ſit iſtarum natiuarum notarum cauſa, an matris imaginatio, an quidpiam aliud, diſputant Philoſophi & Medici; ſed fortaſſis non ſatis fœliciter, creſcitque difficultas ex notis gentilitiis, quæ à parente in filium omneſque poſteros tranſcribuntur, & aliquando interrupta veluti ſerie non apparent in filiis, & reperiuntur in nepotibus: exempla dabit Ariſtoteles *lib.* 7. *de hiſtor. anim.* Plutarch. *lib. de ſera num. vind.* Plin. *lib.* 7. *cap.* 11. & 12. noſtri inſtituti modo non eſt in has controuerſias digredi.

Aliæ notæ naturales ſunt eæ quæ non in fœtu, ſed poſt ortum ex aliquo morbo, alióve caſu naſcuntur, ſuntque perpetuæ, cuiuſmodi extitit illa quæ in Actia matre Augusti viſa eſt apud Sueton. *in Aug. cap.* 94. ex Aſclepiadis Mendetis θεολογουμένων, libris. Narrat enim Actiam cùm ſolemni Apollinis ſacro vnà cum cæteris Matronis adeſſet, & poſita in templo lecticâ obdormiſſet, à dracone fuiſſe compreſſam, *& expergefactam quaſi à concubitu mariti ſe purificaſſet, & ſtatim in corpore eius extitiſſe maculam veluti depicti draconis, nec potuiſſe vnquam eximi, adeo vt mox publicis balneis perpetuò abſtinuerit.* Inde Auguſtus decimo menſe natus filium ſe Apollinis dici voluit. Aſclepiades porrò ille, vti obſeruat Cauſabon. Ægyptius fuit ex Mendiſia regione, vel præfectura, quæ ab vrbe præcipua Mendete denominabatur. Tam ſpurca porrò fuit Mendeſionum religio, vt hirci, (quem pro numine colebant) libidini formoſiſſimas mulieres ſubſternerent, & ceſſantem beſtiam inſtigarent: quod Herodotus, Pindar. Strabo, Plutarch. in Gryllo, Ariſtides aliique teſtantur. Vt hanc igitur fœditatem defenderet Aſclepiad. dixit non eſſe reiiciendam eam ἀθέμιτον μῖξιν, cum ex ea magni aliquando viri nati fuerint, inter quos numerat Auguſtum; & narrat quod ex ipſo deinde retulit Sueton. Suos autem libros inſcripſit *Mendetis* θεολογούμενα: quaſi de Diis qui Mendete coluntur, & eorum religionis ritibus ac cauſis. Verùm hæc Actiæ nota ex congreſſu cum dracone potius ad dæmoniacam, quàm ad natiuam notam referri poſſet, ad quam verius pertineret illa alia quam in Auguſti quoque corpore obſeruauit idem Sueton. cap. 80. *De callis quibuſdam ex prurigine corporis, aſſiduóque & vehementi ſtrigilis vſu, plurifariam concretis, ad impetiginis formam.* Ad has quoque notas referas punctiunculas quæ viſuntur in febri quadam lenticulari, quam idcirco Schenkius *lib.* 6. *obſeruat. medec.* nominat febrem ſtigmaticam, & fuſius deſcribit ex Fracaſtor. *lib.* 2. *de morbis contagioſ. cap.* 6. & 7. & *lib.* 3. *cap.* 6. Verùm cùm notæ illæ, vt ita dicam, morboſæ, perpetuæ non ſint, neque ad dignoſcendam diſtinguendamque rem ab aliis fiant, inter notas de quibus agimus numerari non debent, niſi omnia exanthemata, quæ in morbis generantur illis accenſere velimus. Mallem omnes monſtroſitates, & quidquid in conformatione partium ſingulare atque extra conſuetum naturæ contingit ordinem, inter natiuas notas collocare: ex illis enim ſumitur certiſſima diſtinctio & notitia: vt de cornu in fronte nato, quod de fœmina Monſpelienſi à ſe viſa narrat Dalechamp. *ad lib.* 2. *Pliny c.* 36. de ruſtico Cænomonn Renodat. *lib.* 3. *de materia medica c.* 21. de Liguro Scaliger *exercit.* 199. *n.* 5. de altero quodam Hildani *centur.* 4. *obſ.* 31. & Zacutus *lib.* 3. *de praxi admir. obſeruat.* 9.

Ex notis quæ arte fiunt aliæ ſunt diuinæ, aliæ 3
dæmoniacæ, aliæ humanæ, quæ omnes imprimuntur ad ſignificandum quidpiam, ſiue ad rei alicuius notitiam ingenerandam, qui eſt maxime proprius notarum vſus & finis.

Et quidem diuinas eſſe aliquas eiuſmodi notas, quæ à Deo, vel eius iuſſis ſunt poſitæ ad quidpiam nobis deſignandum, certiſſimum exiſtit ex ſcripturis. Nam Geneſ. cap. 4. *Poſuit dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum, omnis qui inueniſſet eum.* Siue illud ſignum tremor quidam fuerit, vti fert communior opinio, quam tamen eruditè ſuo more reiicit Theophil. Raynaudus *opere de ſtigmatiſmo, ſect.* 1. *cap.* 1. ſiue aliud quidpiam quo & Caïni peccatum, & prohibitio eum occidendi dignoſceretur. Sane quidquid fuerit, naturaliter aduenire non potuit, neque vi morbi, neque vitiatæ temperiei, neque alia quapiam ex cauſa mere naturali, & fortuito caſu naturæ vel errantis, vel quodammodo ludentis; ſed præter naturam à Deo imprimi neceſſe fuit, vt conſtaret omnibus Deum Caïni cædem prohibuiſſe, neque impunitam relicturum. Alterum ſignum auctore Deo, quamuis ab ipſo homine impreſſum fuit, circumciſio *Geneſ.* 17. ſignũ nempe fœderis inter Deum & Abrahamum initi. Quod Claudius Marius Victor *lib.* 3. *Geneſ. ſtigma vocauit*, vocauit, & Guilielm. Pariſ. *cap.* 3. *de legib. ſtigma inſeparabile*, ipſéque Paul. *ad Roman.* 4. *ſignaculum iuſtitiæ fidei quæ eſt in præputio.* De toto hoc ſigno per omnes eius cauſas accuratiſſimè diſputat Theophil. *laudato opere, ſect.* 1. *cap.* 2. Nobis ſufficiat quod ſapienter explicat hoc ſignum inſtitutum fuiſſe à Deo, vt Abrahæ genus ex quo Chriſtus originem trahere deberet, ab aliis omnibus dignoſceretur, & cum Gentibus non commiſceretur, eáque ſine dubio fuit mens omnium Patrum. Irenæ. *lib.* 4. *cap.* 30. Tertullian. *lib. contra Iudæos cap.* 3. Chryſoſtom. *homil.* 27. 39. & 40.

Digitized by Google

40. *in Geneſ.* & *hom.7. in Epiſt.ad Roman.*Hieron. *in Epiſt. ad Galat.* & Anaſtaſ.*q.28. in ſcriptur.* qui ſapienter aduertit non fuiſſe per 40. annos in deſerto commotante Iſraële vſurpatam hanc notam, quia ab aliisomnibus tunc ſemotus Iſraël erat, ſed vbi ſubeunda fuit Cananitis, & cum illius populis commiſcendus, reuocata fuit circumciſio, & impreſſa teſſera diſtinctionis à cæteris omnibus non Hebræis. Fuit & alia nota Dei iuſſu *Exodi* 21.& *Deut.*15. ſeruis & aneillis Hebræis, vbi exacto ſeruitutis ſexennio,in ea tamen,amore domini perſeuerare vellent,impreſſa, nimirum auris perforatio coram Diis, id eſt Iudicibus populi: deinceps enim ad annum vſque Iubilæi ſerui manebant, vt habetur *Leuit.*25.De modo quo fiebat hæc ſeruilis auris perforatio, Raynaud.in citato opere, vbi & de aliis diuinis Sanctorum quorumdam ſtigmatibus fuſiſſimè diſſerit,iiſque iure merito annumerat ſacras vulnerum Chriſti cicatrices, & illuſtria ſiue veſtigia, ſiue ſtigmata in corpore rediuiuo aſſeruata varios ob fines, in quibus explicandis multi ſunt PP. quorum eo loco Pancarpium dabit Theophilus.

His quoque diuinis notis annumerarem eas,quæ licet natiuæ & genitiuæ ſint, diuina tamen virtute impreſſæ fœtui videntur, tum quia illarum nulla cauſa naturalis aſſignari poteſt, tum maximè quia ad effectum quemdam vires naturæ ſuperantem producendum, imprimuntur. Vt de ſeptimo maſculo nulla interiecta fœmina, certiſſima experientiâ conſtat. Naſcitur enim liliatus, ſiue habet in aliqua corporis parte natiuum lilium, & ſtrumas ſuo tactu perſanandi virtutem ſimul accipit, atque communionem quandam illius ipſius virtutis, quam in Chriſtianiſſimis noſtris Regibus iampridem orbis miratur. Sed de harum notarum virtute aliquid dicemus inferiùs.

Notæ dæmoniacæ ſunt, quæ vel ab ipſo dæmone, vel eius ſuaſu imprimuntur, in quibus principem locum obtinent illæ quibus magi & ſortiarij ſæpius notantur, de quibus certa & conſtans experientia dubitare non ſinit, quare eas notas magno conſenſu agnoſcunt, qui de ſagis & maleficis accuratiùs ſcripſerunt. Nider.*lib.5. fornicary*, Nicol. Remigius *lib.5. Dæmonolat. cap.5.* Delr. *lib.2. diſquiſ. magic.q.4.§.10. Corporis.* Henricus Boquet. *de ſortiariis capit.*44. Lelochier. *lib.7.de ſpectris. cap.3.* Petrus ab Ancora ſiue Ancoran.*lib.2. de inconſtantia dæmonum, diſcurſu* 2. & alij quorum bene multos adducit & ſequitur Tbeopbil.Raynaud. *de ſtigmatiſmo, ſect.3. cap.5.* contra Vuierum & paucos alios fere Heterodoxos. Neque ſanè induſtria aut inſtrumenta deſunt dæmoni quibus hæc vti voluerit ſigna, vel imprimat, vel inurat abſque periculo, aut etiam aliquando dolore, applicando res naturales, quarum omnium vires diſtinctè cognoſcit.

Notas humanas appello, quæ ab hominibus imprimuntur,vt ſeruis, militibus,facinoroſis,aliiſque rebus, de quibus agemus reliquo iſto articulo. Denique tum arte tum naturâ producuntur notæ quædam, quando ex aliquo hominis facto,conſequuntur deinde vi naturæ notæ quædã, quæ neque ab homine intentæ, neq; ad aliquid ſignificãdum deſtinatæ fuerunt. Eiuſmodi exiſtunt vibices flagellorum, cicatrices vulnerum, quæ aliquando perpetuò manent. Sed de his notis vix ſermo eſſe ſolet hoc loco,cùm aliud nihil fere deſignent niſi actionem præteritam, niſi intentæ fuerint & volitæ illæ notæ.

Illuſtria tamen ſunt iſta veſtigia, notæ, & ſtigmata, vt de ſacris vulneribus Chriſti, & Martyrum dicebamus: cùm ipſe Eunapius *in Ædeſio*, de Chriſtianis Monachis, qui reliquias ſacras circumferebant, maximè Martyrum, ait hos martyres *Cicatrices ſcelerum, & nequitiæ veſtigia corporibus prætuliſſe.* Ita impius fidem Chriſtianam appellabat. Gregor. presbyter *in orat. de rebus Nicænæ Synodi*: dum Sanctiſſimos Epiſcupos Confeſſores, qui in eam Synodum conuenerant deſcribit, ait in his fuiſſe qui Chriſti ſtigmata in ſuis corporibus circumferrent: nempe Iacobum Niſibenum, Paulum Euphrateſiæ Neocæſareæ, Paphnutium Ægyptium, & alios. Addit Conſtantin. Imp. eorum ſuppliciorum reliquias, & Athletarum cicatrices adoraniſſe; oſculatum effoſſorum oculorum cauitates, manus ferro ambuſtas ſuis admouiſſe oculis, quæ eadem habet hiſtoria de rebus Synodi apud Metaphraſt. Prudent. in hymno de S.Vincentio ſcribit,ipſo è carcere educto,vt ad grauiora tormenta ſeruaretur, idem officium à Chriſtianis præſtitum fuiſſe, ſacra vulnera oſculantibus.

Ceire tete ex oppido
Turbam fidem cerneres,
Mollire præfultum torum,
Siccare cruda vulnera:
Ille vngularum duplices
Sulcos pererrat oſculis,
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere;
Plerique veſtem lineam
Stillante tingunt ſanguine,
Tutamen vt ſacrum ſuis
Domi reſeruent poteſteris.

Subiectum harum notarum duplex ſtatui poteſt, 6
vnum totale, alterum partiale; primum illud eſt homo, animal, aut res alia quæpiam; ſecundum eſt pars quæ notam in ſeſe recipit.Et quidem quoad ſubiectum totale illud eſſe hominem patet in ſeruis, militibus damnatis, & aliis de quibus dicemus toto iſto articulo. De animantibus æquè certum eſt. Illud.veteres appellabant *dignorare*. Feſtus *Dignorant, ſigna imponunt, vt fieri ſolet in pecoribus.* Signati equi dicuntur Ariſtophani τημαφόροι, Luciano καππαφόροι, & κεντρυρίδαι, Heſychio κοππατίαι,Straboni λυκοφόροι,pro variis ſignis. De ouibus. Virg.1. Georgic.

Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit aceruis.

Calpurn. in Bucolicis.

Impreſſurus oui tua nomina, nam tibi lites
Aufert, ingenti lectus poſſeſſor in arua.

Pecudibus inuſſiſſe veteres Chriſtianos crucem, vt ab eis luem auerterent conſtat ex carmine Seueri Endelechij Chriſtiani poëtæ laudati à S.Paul. *ep.9.* & à Baronio an. 376. Inducit enim paſtorem Ethnicum quærentem à Chriſtiano cur eius oues lue tactæ non fuerint, qui reſpondet.

Hoc ſignum mediis frontibus additum cunctarum pecudum certa ſalus fuit.

De bobus apud Sibas Indorum gentes notatis, poſt paulò dicemus ex Titio. Cæteras quoque res fuiſſe notatas dubitare non ſinit frequens annulorum ſignatoriorum vſus, quibus omnia domeſtica obſignabantur, ad cuſtodiam nempe. Qua de re queritur Plin. lib.33. cap.1. *Quæ fuit illa Piſcorum vita, qualis innocentia,in quanihil ſignabatur? At nunc cibi quoque ac potus annulo vindicantur à rapina.*

rapina. Hec profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac ſeruorum quoque cauſâ nomenclator adhibendus. Neque cibi dumtaxat, ſed omnis quoque dumeſtica ſuppellex notabatur, & obſignabatur. Subiectum partiale non ſemper idem fuit, neque vna eademque pars perpetuò notata: nulla tamen fuit aliquando immunis. Et primo quidem Caini ſignum, ſi non fuit tremor quidam totius corporis & artuum inſolitus, in fronte vel facie poſitum fuiſſe videtur, ſiue id fuerit ſcriptura aliqua in fronte exarata, ſiue quidpiam aliud, quod ſignificaret diuinum imperium de non occidendo Caïno, quod fieri potuit duobus modis. Primò per ſcripturam aut præconium ſignificando omnibus Caïnum cuius in fronte aut facie tale ſignum conſpiceretur, ex diuino iuſſu minimè lædendum eſſe. Secundò ſi Deus ad illud ſignum intuentibus ingereret notitiam ſuæ prohibitionis, quomodo aliàs per Vrim, & Thummim reſpondere ſolitus erat. Sed in re tam incerta vix vlli certiori coniecturæ locus relinquitur. Certius eſt quod de S. Huberti claui traditur, illa enim vbi vulnus hominis aut animalis ab alio rabioſo demorſi non patet, imprimitur fronti, per ſtigmatiſationem, cui deinde inciſæ fruſtillum ex ſtola, quam quondam S. Hubertus à Deipara accepiſſe fertur, includitur, ſtupendo ſanè miraculo, cùm ea ſtola in tot minutas particulas ſæpius diſſecta inconſumpta perduret. Vide Ioann. Robert. *in actis S. Huberti, in notation.* Qui mithræ initiabantur, accipiebant vt ait Nazianz. *orat. 1. in Iulian. num. 29. καυσεις τας μυστικας*, & ſignabantur in frunte, vt ait Tertul. *lib. de praeſcript. cap.* 40. Idem factitatum eſſe a Baſilidianis ſuſpicari licet, cùm enim illi Abraxam colerent, teſte Epiphanio *hereſi* 24. & Abraxam eumdem cum mithra faciat Hierunym. *lib. 2. in Amoſ.* Eodem ſanè modu illi qui mithræ fuerint initiati, Iacobitæ à Iocobo Syro hæretico cognominati, inuſtam fronti candenti ferro crucem circumferebant: vt ait Ioachim Abbas *in appendice Nationum Chriſtianarum.* Illos baptiſaſſe inuſtis ferru frontibus tradit Prateolus *verſ. Iacobita*; propter illa verba: *Ille vos baptiſabit Spiritu Sancte, & igni.* Seleuciani & Hermani ſpreta aquæ baptiſmo contenti erant baptiſmo ignis, & ideò fortaſſis aliquid ſimile cum Iacobitis vſurpabant. Vide Acaſtru *verb. baptiſmus, hereſi* 1. Iapones crucem ferro candenti Chriſtianorum frontibus inuſſerunt: in Gallia quoque frontem quibuſdam reis inuſtam ſuo tempore narrat Petr. Gregor. *libre* 31. *ſyntag. capit.* 35. qua ratiune Lucian. *in piſcatore* vult mulctandum eſſe Pharum hypocritam. De frontibus ſeruorum inuſtis res obuia eſt, & inferiùs ſæpius indicabimus.

Secundò notabatur etiam facies ſpurina. Iuuenis Hetruſeus, ne qua fœmina eum adamare poſſet, ſtigmatibus inarauit vultum ſuum, quod Tullius, Valer. *lib.* 4. & Mamertin. *in panygerice* teſtantur. Ambruſ. *in exhortatione ad virg.* illius factum atque ſtigmata cum vibicibus quibus Soteris virginis facies exarata etiam eſt, cumparat. *Vultum* inquit, *aperuit, ſoli inuelata atque intacta martyrio: & volens iniuria occurrit, vultum offerens, vt ibi martyrij fieret ſacrificium, vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Gaudebat enim diſpendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare, faciem tamen virtutis eius, & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt.* Deinde agit de Iuuene illo Hetruſo: atque ita concludit. *Ille tamen ſola excepit vulnera, ne noceret: hac triumphales retulit martyrij cicatrices, vt imaginem Dei quam acceperat reſeruaret.* Theophylus Iconomachus faciem, SS. Theodori ac Theophanis fratrum, duodecim iambis ferro candente inſcribi iuſſit. Ita eorum acta apud Metaphr. 26. *Decemb.* Thraces fœminas in argumentum nobilitatis & pulchritudinis faciem notis & ſtigmatis compunctam habuiſſe narrat Herodot. *libro* 5. de puetis Thracum. Idem narrat Artemidur *libro* 1. *Onirocrit.* Threiciarum quoque notarum meminit Tullius *libro* 3. *officior.* dum ait Alexandrum Pheræum adeuntem vxorem iuſſiſſe præire ſtricto gladio Barbarum, & Threiciis diſtinctum notis, quem deinde ſtigmaticum vocat. Fueritne ille ſeruus vti contendit Alciat. *libro* 1. *parerg. capitulo* 16. an nobilis aliquis domeſticus, cuius quoque nobilitatem eæ notæ proderent, quod docet Franciſ. Connan. *libro* 2. *comment. numero* 4. dubium eſt. De Gelonis idem tradit Claudian. *libro* 1. *in Rufin.* & alij. De facie atque ore toto ſcriptu ad ſanguinem vſque in luctu, teſtis eſt. Varro, & nos monebimus iterum. Vetuerat olim Conſtantinus hanc principem hominis partem etiam in reis ſtigmate, dilaceratione, notiſve aliis ita dehoneſtari, edictum extat *libro* 11. *Cod. Theodoſian. de pœnis.*

Tertiò tempora notata aliquando. Nam victorinus ac Fuſcianus martyres transfixa habuere tempora clauis igneis, quod referunt eorum acta.

Quartò caput notatum, tripode ferru candenti coronatum, quo pacto, punctos rebellantes Pariſienſes Iacobo quodam Bonhomme Duce, à quo *Iacques* nominabantur; iuſſu Delphini refert, qui vitas Pontificum qui in Gallia ſederunt, ſcripſit.

Quintò aurium perfeſſio ſubula apud Hebræos, vbi ſeruus exacto ſexennio ſeruitutis à domino recedere nollet, & in libertatem aſſeri, ſuperius eſt allata. Huc quoque refero perfoſſionem aurium, illarum ſtigmata, ex quibus aurum gemmæ, & elenchi ſiue vniones penderent: de Indis id tradunt Curc. *libro* 8. & Arrian. *libro item* 8. *de geſtis Alexandri.* De Athenienſibus Apuleius *libro de dogmate Platonis.* De Perſis Briſſon. *libro* 2. *de regno Perſar.* & fusè Tiraquell. *ſub finem lib. de nobilitat.* De Arabibus Iſidor. *lib.* 19. *origin.* de Parthis Tertull. *libro de cultu famin. cap.* 10. Denique de hoc vſu perforandi aures, & ex illis baccas ſuſpendendi maxime in Oriente, vnde ad Romanos deriuatus eſt, vide Serar. *in capitulo* 8. *Iudic. queſt.* 14. de Roa *tom.* 2. *ſingular. libro* 1. *cap.* 7. Plin. *lib.* 11. *cap.* 32. quam profuſionem rident & exagitant Poetæ aliique. Iuuenal. *Satyr.* 6.

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cum,
Auribus extentis, magnos commiſit elenchos.

Horat. *lib.* 2. *Satyr.* 3.

Filius Æſopi detractam ex aure metella,
Scilicet vt decies ſolidum exſorberet aceto,
Diluit inſignem baccam.

Et Epod. *ode* 8.

Nec ſit maritata quæ rotundioribus.
Onuſta baccis ambulet.

Seneca *lib. de vita beata. cap.17.* & *lib. de benefic. 7. cap.9.* Tertull. *lib de habitu mulieb cap.9. Graciles aurium cutes Kalendarium expediunt.* Cyprian. *lib. de bono pudicitia.* Hieron. *epiſt.* 8. Puellis autem ab infantia binæ aures perforari ſolebant, pueris tantùm dextra, ex Iſidoro *lib.19. origin.cap...* quod alij videntur negare, & viris perforatas aures abſolutè tribuunt Macrob. *lib.7.c.3.* Iuuen.*ſatyr.1.*

Cur timeam dubitémve locum deſcendere, quamuis
Natus ad Euphratem, molli quod in aure feneſtra
Arguerint.

Sanè communior vſus ferebat vt vna tantum auris perforaretur viris, vnde Barnabas Monachus ſuſpicatus eſt Babylam monacham fœminam eſſe ex ambarũ auriũ perfoſſione, vti reuerà erat matrona nomine, quæ Barnabæ ſuſpicionẽ eluſit ex teneriore matris in ipſam amore, quæ vtramque ipſi aurem perforaſſet. Quod habent eius acta apud Metaphraſtẽ 8. *Nouemb.* Quidquid verò de hac controuerſia ſtatuas, hanc vnionum & gemmarum corpori infoſſionem, aurium cruciatus ac cauernas rident Plin. *lib.12. in præfat.* Clement. Alex. *lib.3. pæd. c.11.* Tertull. *lib. citato de habitu mulieb. c.6.* Cypr. *lib. de diſcipl. & habitu virginum.* Ambroſ. *lib. de Naboth cap.5.* Alcimus Auitus ad Fuſcinam ſororem, & alij. Ad aurium quoque notas pertinent inaures quæ notatæ erant aliquo ſymbolo aut imagine Deorum, ad quorum etiam cultum pertinebant: itaque exponit Auguſtin. *quæſt.111. in Geneſ.* illud *Geneſ.35. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum.* Vide ibi interpretes Gnoſtici, *Signabant cauteriantes ſuos diſcipulos in poſterioribus partibus extantia dextra auris (inquit Irenæus) quod ipſum tribuit Carpocratianis* Epiphan. *hæreſi* 27.

Sextò neque ipſe naſus abiit aliquando ſine nota: nam *Iſai.3.21. gemmæ in fronte pendentes*, dicuntur hebraicè *monilia naſi.* Et Ezechiel. 16. 12. *Inaurem ſuper os*, heb. *ſuper naſum.* Et ibidem diuerſa alia aurium ornamenta numerantur. *Et circulos auribus tuis.* Pineda itaque *in cap.42. Iobi verſ. 11. num.11.* exiſtimauit hoc ornamentum fuiſſe vt vulgatus interpres reddit, gemmas à fronte in naſum vſque dependentes. Quod etiam LXX. dixerunt τὰ ἐνώτια: & apud Ezechiel. LXX. ἐνώτιον περιτὸν μυκτῆρων qui ſine dubio interpretatur quod Hebræus vtrobique habet *circulos naris*, obſeruatque S. Hironym. in Ezechiel. omnes excepto Symmacho qui ἐπίῤῥινον reddidit, ſuper naſum, vocem Hebræam Nezen, expoſuiſſe inaurem, additque ſua etiam ætate inter ornamenta mulierum cenſeri circulos aureos, qui ex fronte in os pendebant, imminebantque naribus, illis verò circulis gemmam aliquam alligatam fuiſſe exiſtimaut, alioquin importuniſſimum fuiſſet hoc ornamentum, & incommodum purgandis naribus. Oleaſter tamen *ad 15. Geneſ.* vult orientales illas fœminas in extremis naribus perforatis applicuiſſe eiuſmodi inaures ſiue circulos, è quibus margaritæ penderent. Vatablus verò *in cap. illud 3. Iſai. Ab auribus mulierum orientalium: ornamenta quædam dependebant, aurea & argentea, aut gemmea, ita etiam è naribus.* Neque abeſt Theodoret. qui *in cap.16. Ezechiel.* naſo fœmineo hunc circulum infigi cenſuit ſicut bubalis, vt velut equi fræno circunducuntur. Eoque alludit *Iſai. 37.* vbi Deus ad Sennacheribum *Ponam circulum in naribus tuis.* Et ab Hebræis ad Africanas puellas morem deriuatum eſſe ferendi circulos aureos, vel lunulas naſo applicitas, ſicut hodie perſpicillia naſo imponuntur, ſed hoc modo, neque nota, neque ſtigma naſo inureretur, nullaque foret extremæ naris perforatio, quæ tamen etiam hodie apud Barbaros non eſt inſolens. Martin. à Roa *tom.2. ſingul. lib.1. c.7.* ait abs ſe viſos Æthiopas pertuſa narium cartilagine ad monilia ſuſpendenda. Idem de quibuſdam aliis regionibus vltra Oceanum affirmat Sanc. *in c.16. Ezechiel. verſ.12.* Regem Mezianum Ticoric inſignem ſmaragdum è naribus pertuſis appenſam geſtaſſe narrat Ioſeph Acoſta *libro 7. hiſtor. capitulo 17.*

Septimò Labia fœminis Æthiopum circulo aureo inſerto notabantur, ex Diodor. *lib.4. c.1.* idem de Braſilis refert Maffæ. *lib.2. hiſtor.* habere nimirum inſertos iam inde à prima ætate deliciarum cauſâ, quoſdam quidem inferiore duntaxat labro, quoſdam etiam facie tota, prælongos nullius pretij lapillos tetro ſanè ſpectaculo. S. Ludouicus in Gallia iuſſit blaſphemos *cauteriſari in labiis ferro candenti in peccati ſui memoriam ſempiternam, & ad aliorum exemplum.* Ita ſcribit Gauffridus à Belloloco, eius Confeſſarius, in eius vita, quam Gregorij X. imperio edidit, & Iomuillæus in actis quæ & ipſe conſcripſit *cap.83.*

Octauò Lingua tribus clauis confixa & ſtigmatiſata, imperante Artaxerxe, neſcio cui, qui ſe illi duos hoſtes adducturum ſpopoderat, neque fidem præſtiterat. Ita Plutarch. *in Artaxerxe.*

Nonò Collum & ceruix ſimiles notas accepere. Refert enim Nider. *l.1. formic cap. 10.* abs ſe viſum quemdam Religioſum qui *torquem ferream, appenſis ex eadem minera campanullarum nodis*, è collo pendentem, & nudæ carni applicitam geſtaret. Solent Troquenſes in Canada victis torquem ex igneis ſecuribus collo imponere. Syros omnes in ceruice, aut vola manus ſtigmata habuiſſe teſtatur Lucian. *l. de Syria Dea, ſub fin.* Seruis fugitiuis iniecta fuiſſe collaria habet Laurent. Pignorius *l. de ſeruis.* & eorum inſcriptionem refert. *Tene me, quia fugi, & reuoca me domino meo, Bonifacio Linario.* Lucius *l.29. apud Nonium.*

Cum manicis, catale, collarique vt fugitiuum
Deponent.

Idque collare, quid ſeruile & ignominioſum habitum eſt vt habes apud Metaphraſtem in actis SS. Martyr. Carpi, Papili, Agathodori, & Agathonicæ.

Decimò Brachia inuſta ſæpius certum eſt. Procop. *in cap.44. Iſai.* ait ſæuiente perſecutione pleroſque Chriſti nomen, vel crucis ſignum curaſſe ſibi inuri in brachiis aut palmis. Milites Abyſſinorum Imperatoris inuruntur brachio admoto ferro candenti & impreſſo ſigno crucis. Extat conſtitutio Arcadij & Honorij AA. *l.3. C. de Fabricenſibus*, qua iubent ſtigmata, hoc eſt, notas publicas Fabricenſium brachiis ad inſtar Tyronum infligi. Erant porrò Fabricenſes, qui in publicis fabricis arma publica fabricabant de quibus eſt *Nouell.* 85. vbi conſule Cuiac.

Vndecimò Manus frequentius ſignabantur; quod in primis in omnibus illis qui cruci clauis confixi fuerunt, certum eſt, quorum aliqua meminit Euſeb. *lib.8. hiſtor. cap.8 & 24.* Chriſtianos paſſim ſibi manibus inuſſiſſe Chriſti nomen exiſtimat Sanc. *in capit.44. Iſai. numero 15.* itaque illud interpretatur. *Hic ſcribet manu ſua Domino.* Simile quid nuper referebamus ex Procopio. Inſularum Fortunatarum incolas, Arabes & Saracenos habere brachia inuſtis notis inſcripta teſtatur

tur

tur Oleaſter ad illud Leuitici *capit.* 19. *Neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis.* Milites manu conſignatos fuiſſe demonſtrat illa Mauritij Imperatoris lex quam refert Sanctus Gregor. *libro* 2. *Epiſt.*61. *&* 64. *Vt nulli qui in manu ſignatus eſt conuerti liceat* : id eſt nullus miles fieri Monachus poſſit. Et de hac manus militaris obſignatione vide Lipſium *libro* 1. *de milit. Roman. dial.*9. Valtrin. *libro* 2. *de re milit. capitulo* 7. & alios paſſim. Habdala Princeps Saracenorum anno 32. imperij Conſtantini Copronymi, cùm Hieroſolymam profectus eſſet, iuſſit omnes Chriſtianos & Hebræos inſcribi in manibus. Ita Paul. Diacon. *leg.*22. *Rerum Roman.* Antichriſtus omnes faciet habere characterem in dextra manu ſua, aut in frontibus ſuis Apoc. *cap.* 13. *verſ.* 16. *&* 17.

Duodedecimò Henricus Suſo vir ſpectatiſſimæ Sanctitatis ferreo graphio pectori IESV nomen inſcripſit ; & paucis poſt diebus auream crucem vnionibus pretioſiſſimis diſtinctam Sanctiſſimo IESV nomine inſcriptam reperit.

Decimotertiò, dorſo quoque impoſitæ aliquando notæ, nam Apulei. *libro* 2. *Mileſ.* ait ſuum equum *nota dorſualis cognitione* ad ſe reductum fuiſſe. Neque eſt aliquid quod nos cogat notam illam natiuam interpretari, quid enim non dicamus appoſitam, ſiue inuſta illa eſſet, ſiue alio quopiam modo impoſita : humeri ſane reis in Gallia ſæpius poſt flagellationem libio inuruntur, ad criminis æternam notam.

Decimoquartò de femoribus accipe illud Tertull. *in Apolog. cap.*9. *Hodie iſtic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo, in palmulam exceptus ſuis datur ſignatis.* Hunericus Vvandalus, cum Manichæos ipſe Arrianus grauiter perſequeretur, inter ipſos plures presbyteros & diaconos ſuæ ſectæ, id eſt Arrianos inuenit, ex quibus vnus Clementianus Monachus, ſcriptum habebat in femore *Manichæus diſcipulus Chriſti IESV.* Ita Victor. Vticenſ. *lib.* 1. *de vandal.* Equi in coxis notabantur, vti nuper ex Anacreonte retulimus.

Decimoquintò genua quoque incidi ſolita in in planctu ſuſpicantur aliqui ex Lucian. *l. de luctu.* & Plutarch. *in conſolat. ad Apolon.* eóque trahunt illud *Prouerb.* 26. *verſ.*6. *Claudus pedibus & iniquitatem habens, qui mittit verba per nuntium ſtultum. Claudus pedibus* Heb. *incidens pedes.* quod in grauibus neceſſitatibus fieri ſolitum erat.

Decimoſextò Mexicani Popæ vbi media nocte thus numini ſuo adoleuerint, ſubulis, aut lanceolis, & nouaculis tibiarum pulpam pertundunt, plurimúmque ſanguinem eliciunt, indeque abluuntur in lacu, cui nomen *Aqua ſanguinaria* : ſubulas illas deinde aſſeruant, neque illis iterato vtuntur, ſed magno numero populo oſtentant. Ioſeph Acoſta *lib.* 15. *hiſtor. Indic. cap.*16. *&* 17.

Decimoſeptimò ſignatos in pedibus ſeruos exiſtimat Scaliger ad illud Propertij lib. 4. eleg. 15.

Aut quorum titulus per barbara colla pependit
Cælati medio cùm ſaliere foro.

Agit de ſeruis qui proſtabant venales, qui dicuntur cœlati, id eſt ſignati pedes creta. Heri quidem ſigillo, ſi priuati hominis eſſent, at vero ſi forent publica mancipia, ſigno Reipublicæ notabantur.

Decimooctauò ad extremum toti corpori inflixas fuiſſe notas conſtat tum ex S. Pauli ſtigmatibus, quæ non vni tantum parti inflicta fuiſſe ſatis ipſe ſignificat, tum ex vibicibus flagellorum quibus dilaniati ſunt martyres, variis flagrorum generibus, de quibus aliquid attingemus, & denique ex varia totius corporis laceratione, horrendis inſtrumentis, quibus eam carnificinam exercebant. Conſtat etiam ex variis nationibus quæ variis notis corpora ſua aut pingebant aut inurebant, vt de Britannis, Gelonis, aliiſque tritum eſt, de Lybiis, Herodot. *lib.*4. de Parthis, Tertull. *lib. de cultu fœminarum cap.*10. aliique de aliis teſtantur.

Explicato notarũ diuerſarum ſubiecto, tũ totali, tũ partiali : venio ad formam harum notarum, quæ conſiſtit in figura quam referebant, quæ ſane diuerſa erat ; ad tria capita reuocare placet. Primum continet expreſſas quorumdam animalium effigies. Secundum res quaſdam alias omnis ferè generis. Tertium litteras & ſcripturam.

Et primum quidem caput de variis animantium figuris certum omnino eſt. Nam à Gelonis, ac Sarmatis corpori impreſſam fuiſſe ſerpentis effigiem colligunt aliqui ex Herodoto *lib.*4. vbi horum populorum ex Hercule & matre Anguipede, ſiue ſerpentinis pedibus prædita, deſcribit origines. Simiam vel vulpem inſculpi fronti Philoſophi hypocritæ volebat Lucianus *in Piſcatore.* Apud Syracuſios ſeruus equi effigie notabatur, teſte Plutharche *in Nicia.* Samij ſi quem Athenienſem cœpiſſent ſeruituti addictum, noctua fronti inuſta ſignabant. Equis ipſis prope Phaſidem inuſtam fuiſſe Phaſianam auem ſcribit Suidas. Bucephalon Alexandri equum ab inſigni taurini capitis armo impreſſi nominatum volunt aliqui apud Plin. *lib.* 8. *cap.*42. Suidas verò ab inſcriptione bouini nominis. *Britannis per artifices plagarum figuras iam inde à pueris varia animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus hominis incremento pigmenti notæ creſcunt,* inquit Solin. *cap.*23. Artifices plagarum figuras nominat Solinus, arte factas, quo ſenſu dixit inferius artifex plagæ temperamentum. Et Perſ. *Artificemque tuo duxi ſub pollice vultum.*

Et Macrob. artifex nodus, artificio factus, hoc pigmentum ex vitio herba, quæ eadem ſit cum guaſto Plinij *lib.* 22. *cap.* 1. pluribus docet Salmaſ. *in exercitation.* ad illud Solini caput. Idem de variis iſtis animalium formis affirmat Herodian. *lib.*3.

Secundò variarum aliarum rerum figuras ſuis illis notis imprimebant veteres. Plutarch. *lib. de Amic. & adul.* in Ptolomæi Regis Ægyptiorum corpore liliorum & tympanorum notas impreſſas memorat. Simile ſine dubio quidpiam fuerit in quadraginta illis ſatyris minio, aliiſque coloribus corpore depictis, quos in eiuſdem Regis pompa deſcribit Athenæ. *lib.*5. De liliato Caluini dorſo, ob eius nefandas ſpurcitias teſtatiſſima res eſt. Ptolemæ. Philopator deſertores ſuæ legis Iudæos libero patri initiauit per candens hæderæ foliũ. Ita author *lib.* 3. *Machab. c.* 2. qui licet nõ habeat auctoritatem Canonicam & diuinam, in hiſtoria tamen narratione reiici prorſus non debet, maximè cùm ſimilia alibi factitata eſſe legantur. Athenienſes captiuos Samios punctis Samænam referentibus notabant in facie, ex Herodot. *lib.*4. Samænam vero nauigij genus fuiſſe Samiorum proprium tradit Ælian. *lib.* 2. *hiſtor. cap.*9. De cruce inſcripta diximus ſuperius, atque in ipſis militibus Regum Abyſſinorum. De Parthis grana & lapillos perforatis corporibus includentibus teſtis eſt Tertull. *libro de cultu fœminar. cap.*10. De Braſilis idem ex Maffæo nuper referebamus : ſicut & clauam bubus à Sibis Indorum gente ex Titio *lib.*7. *locor. cap.*20.

Tertiò frequentiores notæ erant litteræ vel ſingulæ quidpiam ſignificantes, vel coniunctæ ſcripturam ſcribentes : Suidas narrat Siſyphum

quemdam ſingulas litteras vngulis ſuorum animalium inſcripſiſſe. Athenæ. *libro* 11. quibuſdam equis. E. aliis K. inſcriptum fuiſſe, & priores *σαμφόρας*, poſteriores *κοππατίας* dictos, quod negat Scaliger qui *in animaduerſionibus ad Euſeb. digreſſione de litteris Ionicis*, nominatos dicit equos *σαμπόρας* vel *σαφόρας* à nota illis inſcripta, quæ *nongenta* ſignificaret. *κοππατίας* verò à *κόππα* illis inſcripto, non autem à *κάππα*; cùm tamen vetus Ariſtophanis in nubibus ſcholiaſtes equos *κοππατίας* dicat eſſe *ἵππους οἷς ἐγκεχάρακται τὸ κ στοιχεῖον*, in quibus elementum K inuſtum & ſigillatum eſt. *Καμφόρας* vero *τοὺς ἐγκεχαραγμένους τὸ* C. Calpurn. in Bucolic. monet oui imprimenda ſua nomina, & Virgil. *lib.* 3. *Georgic.* nomina gentis, quod iterum monebimus, ſicut de numero aceruis impreſſo, de patria & anno vini amphoris. Imperatoris nomen manui tironis militis inſcriptum docet Lipſius *libro* 1. *de militia Rom. dialog.* 9. Turneb. *lib.* 24. *aduerſ. capit.* 12. Valtrin. *libro* 2. *de re militar. cap.* 7. & inſinuat Amb. *orat. de obitu Valentini.* Serui ab inuſtis litteris litterati paſſim dicti apud Plaut. *in Caſina. Si hic litteratus me ſinat.* Claudian.
9 *lib.* 2. *in Eutrop.* queritur ſeruos admotos fuiſſe Reipublicæ.

—— Pars compede ſuras,
Cruraque ſignati nigro liuentia ferro,
Iura regunt, facies quamuis inſcripta repugnet.
Seque ſuo predat titulo.

De Hiſtræo qui capite ſui ſerui integram epiſtolam inſcripſit, & renato deinde capillo ad Ariſtogoram miſit, & vt ipſum detonderet monuit, Herodot. *libro* 5. & Agell. *libro* 17. *capitulo* 9. De eadem ſeruili inſcriptione vide Auſon. *Epigrammat.* 15. *&* 16. Reſtio ſeruum fugitiuum *inexpiabili litterarum notu per ſummam oris contumeliam iuſſit*, inquit Valer. maxim. *libro* 6. *capit.* 8. qui eius ſerui fidem erga Dominum à quo tam malè habitus fuerat commendat, quod etiam prætermiſerunt Macrob. *libro* 2. *Saturnal. capit.* 11. Appian. *lib.* 4. Senec. *lib.* 3 *de benefic. capit.* 23. & Martialis *lib.* 3. *Epig.* 21.

Proſcriptum famulus ſeruauit fronte notatus,
Non fuit hac domini vita, ſed inuidia.

Apud Apulei. *libro* 9. *Mileſ.* deſcribuntur ſerui *frontes litterati & capillum ſemiraſi, & pedes annullati.* Apud Athenæ. *libro* 6. Diphilus proſcindit conuitiis aliquem qui promiſſa coma ſeruilem frontem notis inuſtam tegebat. Et Martial. *libro* 2. *epigram.* 29. deſcribit eiuſmodi alium, qui ſeruilem ſuum quondam ſtatum mentiebatur ſuperbo cultu, eum iam ad orcheſtram prima ſubſellia teneret.

Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia, frontem
Ignoras quid ſit? Splenia, tolle leges.

Sublato nimirum emplaſtro, quo frontem tegit tamquam ad dolorem capitis & oculorum leuandum, leges litteras ſeruiles fronti inſcriptas. Petron. *capit.* 64. *Impleuit Eumolpus frontes vtriuſque ingentibus litteris, & notam fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Vide Vlpian. *in fragmentis, titul.* 1. vbi de lege Ælia ſentit, *Cui veſtigia*, vel vt alij legunt, *ſtigmata ſcripta fuerunt.* Cuiac. *libro* 7. *obſeruat. capit.* 13. de fugitiuorum epigrammate. Littera K. calumniatoris fronti imprimebatur, vti monebimus inferius. In frontibus furum hoc epigramma *Caue à fure.* Apud Anglos verò littera T. homicidis verò littera M. quod ſcribit Polydorus Virgil. *libro* 26. *hiſtor. Anglor.* de frontibus martyrum quibus plures iambi fuerunt inſcripti, meminimus nuper.

Octauò, modus quo imprimebantur hæ notæ non vnus fuit, quatuor præcipuos obſeruo; picturam, impreſſionem, inuſtionem, & alicuius externæ rei appoſitionem. Pictura duplex erat, vna ſimplex ex ſucco herbarum, quo corpora aut faciem aliquæ gentes illinebant, quod maxime fœminis tribuit Plin. *lib.* 22. *cap.* 1. vbi de Britannis ſic loquitur. *Simile plantagini glaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges, nuruſque toto corpore oblitæ, quibuſdam in ſacris nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* Cæſar. *lib.* 5. *de bello Gallico*, affirmat Britannos omnes glaſto ſe inficere, quo horribiliores aſpectu ſunt in pugna; quibus omnibus locis guaſtum repono pro glaſto cum Salmaſio loco nuper citato. Vide & Philand. *ad lib.* 7. *Vitruu. capit.* 10. Cum vox glaſti priſcis latinis incognita fuerit, ſitque guaſtum vox gallica vt ipſe Plinius ſignificat; malè verò pro glaſto luteum repoſuit Victor. *libro* 19. *variar. cap.* 5. Idem porrò de Britannis ſcripſit Herodian. lib. 3. *Britanni*, inquit, *ipſa notant corpora picturâ varia, & omnifariam formis animalium, quocirca nec induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiunt.* Martial. *lib.* 11. *epig.* 54.

Claudia cæruleis cum ſit Ruffina Britannis
Edita? cur Latiæ pectora plebis habet?

Et lib. 14. *Epig.* 99.

Barbara de pictis veni baſcauda Britannis,
Sed me iam mauult dicere Roma ſuam.

Baſcauda vas erat eſcarium primum è Britannia allatum, mox & Romæ factum. Ab hac pictura nominatos eſſe Britannos putat Camdenus quia *Brith* lingua patria depictum & coloratum ſignificat. Oppian. vocat Britannos *αἰολονώτους* pictos humeris. Similis color Belgis tribuitur. De Braſilis dixit Maffæ. *lib.* 2. *hiſtor. Æneu ipſi alte, atro inſuper ſucco gempapi totum ſubinde corpus inficiunt.* Eodem refero cretatos ſeruorum venalium pedes, & heri, aut Reipublicæ ſigillo notatos, de quibus nuper ex Scaligero diximus. De Lybiæ populis Herodot. *lib.* 4. *τὸ σῶμα μίλτῳ χρίονται*, corpus minio tingunt. De Agathyrſis Solinus *cap.* 15. *Geloni Agathyrſi collimitantur cæruleo picti colore, fucatis in cæruleum crinibus. Neque hoc ſine differentia, nam quantò quis alteri præſtat, tantò propenſiore notu pingitur, vt ſit indicium humilitatis, minus pingi.* Idem habet Mela. Verùm non de notis, quibus compuncti eſſent, ſed quod eſſent cyanea coma interpretatur Seru. ad illud Virgil. *Cretesque Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi.* Quod & Salmas. in exercit. probat ex Plinio & aliis; nempe picturâ ſibi crinem cæruleum, aut cyaneum comparabant. Vide eum locum. Æthiopum proceres minio pingi, huncque ibi Deorum ſimulachris colorem eſſe dixit Plin. *lib.* 33. *cap.* 7.

Erat porrò alia quædam pictura encauſtica quæ non ſola infectione perficiebatur, ſed prætereà inciſione: nam ferro incidebant cutis primum, deinde ſulcis illis infundebatur picturæ ſuccus. Quare de Gelonis Claudian. *lib.* 1. *in Ruffin. Membruque*

braque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus. Quod idem tradit Seruius ad illud Æneid.4. Pictoſque Gelonos. Quare & inſcriptione fieri eiuſmodi notas atque picturas indicat Plin. libro 22. capit.1. vbi enim dixit barbaras fœminas illioere faciem herbarum ſuccis, addit, Mareſqui apud Dacos & Sarmatas corpora ſua inſcribunt. Voluit fortaſſis diſtinguere picturam qua inficiebant ſuas facies mulieres, illinendo videlicet, herbarum ſuccis, à pictura virorum qui præterea ſua inſcribebant corpora, cui deinde inſcriptioni colorem addiderint ex eiuſmodi herbaceo ſucco. Neque id inſolẽs cauſticis ſulcis colorem infundere; ſic enim à Theophilo Iconoclaſta circa SS. Theophanem & Theodorum, qoorum vultus pluribus iambis exarauit, vti nuper retulimus, factitatum teſtatur Zonar. libro 3. annal. atque hæc erat ars cauſtica ſine vſtoria per quam cera omnis coloris liquefacta in ſtrias infunditur inter pingendum. Quam artem vocat Calixenus apud Athenæ. libro 5. κηρογραφίαν. Plin. lib.35.cap.11. encauſticæ picturæ primos auctores diligenter ſuo more inquirit, atqoe Pauſiam Sicyoniom primom in eo genere nobilem fuiſſe. Fuit verò vti obſeruauit ibidem Plin. & ex illo Rader. libro 4 Martial. epigr.36. libra 6. cap.1. triplex hoc encauſto pingendi genus. Primum cera. Hinc Quintilian. libro 6. capit.2. Ceris cadauer attulerant infuſum: quam lectionem contra ineptam quorumdam emendatorum licentiam retinendam contendit Turneb. libro 19. aduerſ. capit.19. Senis ſiquidem cadauer maiori cera expreſſum ſignificat Fabios; quod enim infuſũ ceris eſt, id in cera fuſum intelligitur & expreſſum. Apulei. Apolog.1. Enim verò quod luto fictum, vel ære infuſum, vel lapide inciſum, vel cera inuſtum, vel pigmento illitum. Vbi vides inuſtionem in cera, diſtingui a ſimplici picturæ illitione. Vocabant verò inuſtionem quia inciſæ ceræ, & vt aliqui dicunt ſtriatæ colorem & picturam calidam infundebant. Modum explicat Varro libro 3. de re ruſtica capit.17. Nam vt Pauſias & cæteri pictores einſdem generis loculatas magnas habent arculas, vbi diſcolores ſunt ceræ. Et Seneca. Pictor colores quos ad reddendam ſimilitudinem multos varioſque ante ſe poſuit, celerrimè denotat, & inter ceram opuſque facili vultu ac manu commeat. Et Ouid. tabulaſque coloribus vris. Quare Martian. in leg. item pictores 17. D. de inſtruct. vel inſtrum. legat. in inſtrumento pictoris numerat cauteria, quæ Turneb. libro 8. adu.capit.9. ait eſſe ea quibus olim pictores ceris pingentes picturam tabularum inurebant. Non exiſtimo tamen encauſto pictum perpetuò fuiſſe per einſmodi inuſtionem, ſed ſolo colore purpureo aut conchylio. Nam in l.9. Cod. de agricol. & cenſitis; mentio fit de libris publicis & ciuitatum aut prouinciarum encauteriis: vbi Cuiac. Encauto ſcriptura genus eſt, vel pictura, à quo monumenta ciuitatum encauta vel encauteria. Leo Imperator leg.9. Cod. de reſcript. vetat valere reſcripta quæ non sũt ſubſcripta encauto ſacro, mano Principis. Quid verò eſſet encautum, & qoomodo conficeretur ibidem docet Leo. Sacri affatus quoſcumque noſtræ manſuetudinis in quacumque parte paginarum ſcripſerit auctoritas, nullo alio vultu penitus aut colore, niſi purpurea tantum inſcriptione luſtrentur: ſcilicet vt cocti muricis & triti conchylij ardore ſignentur, &c. Hanc autem ſacri encauti confectionem nulli ſit licitum aut conceſſum habere, aut à quocumque ſperare. Secus facienti, bonorum proſcriptionem, & pœnam capitis infligi mandat, eo quod id ſit aggreſſus tyrannico ſpiritu; affectarit videlicet imperium, ſitque reus læſæ Maieſtatis ob vindicatam ſubſcriptionem, quæ ſolius Imperatoris erat. Holoander quidem & communis editio legit Sacri Encauſti; Cuiacius tamen reſtituit Encauti, quia in omnibus locis ſcriptum inuenit; atqoe etiam in gloſſis encautum ἐγκαυμένον. In Cod. Theodoſian. lib.11. titulo 16. de extraordinar. leg 4. iubetur, Vt Rectores prouinciarum extraordinariorum munerum diſtributionem ipſi celebrent, propriaque manu perſcribant, atque encauto nomina adnectant. De encautis meminit quoque lex 1. §. 1. Cod. de Collegiat. Græci appellant κιβαρμία χειραία, κιβχομίας καὶ θιωνδῆς χειραίας, in his omnibus nullo cauterio, nulla vſtione vſus fuit; ſed certo quodam colore & pictura, quæ licet encautom nominetur, non tamen viſtione applicabatur, & ex murice, cocto & tritio conchylio conficiebatur; aliquando tamen cinnabaris adhibebatur dumtaxat. Nam Alexius Comnenus lib.1. iuris Oriental. prohibet fidem haberi epiſtolæ imperatoriæ abducenti Clericum à ſuo Epiſcopo, etiamſi per cinnabarim ἐρυθροσημασμένη ſubſignata ſit. Vides igitur colorem proprium ſubſignationis imperatoriæ, fuiſſe quid factitium, vt vidimos ex eius confectione deſcripta à Leone: nam Plin lib. 33. cap.7. ait minium dici cinnababarim, Indicum verò cinnabarim eſſe ſaniem draconis eliſi Elephantorum morientium pondere, permiſto vtriuſque animalis ſanguine. Falli tamen Plinium dicunt nonnulli, & verum cinnabarim eſſe, quem nos vocamus ſanguinem draconis, qui eſt arboris in Canariis ſiue Inſulis fortunatis lachryma. Cadmuſtus lib.4. ſuæ nauigationis, deſcribit eas arbores quæ certo anni tempore inciſæ, deinde ſeqoenti anno perploant lachrymas, eas arbores ab incolis nominari Syluam draconum. Et iam olim Arrianus in Periplo obſeruauit Cinnabarim Indicum ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυα συναγόμενον. Quidqoid vero ſtatuas de natura cinnabaris; ſane Accurſius ingenio quàm eruditione maior; verba Leonis Imperatoris nuper adducta purpurea inſcriptione luſtrentur, gloſſauit cinnabrientur. Denique poſteriores hiſtorici ſcriptum cinnabari ſubſignatum vocant ἐρυθροσήμαντον. Ita Nicetas libro 1. de vita Manuel. Iuſtinian. in Synodo Trullana ſic ſubſcripſit. Rex per cinnabarim Flauius Iuſtinian. &c. Meminit & alterius ſcripti Nicer. quod ἐρυθρόγραφον, & ἐρυθρόδανον vocat, & ſignificat potius totum purpureum, quàm ſolom purpura ſignatum. Tandem ex his omnibus habemus, neque omnes notas quæ per picturam encauſticam fiebant, inciſione & inuſtione factas fuiſſe, qoandoquidem encauſtica non ſemper cauterium requirebat, niſi encauſticam ab encautica diſtinguamus, vt videtur velle Cuiacius: nam certò oſtendimus encauſticam in cera, igne & inciſione fuiſſe factam: fuit & aliud encauſto pingendi genus antiquitus, inquit Plin. libro 35. capit.11. in ebore ceſtro, id eſt viriculo, nempe igni calefacto, ad quod genus referunt aliqui quod aurifices vocant damaſquiner. Addit tertium genus Plin. reſolutis igni ceris penicillo vtendi, quæ pictura nec ſole, nec ſale ventiſque corrumpitur.

Alter modus imprimendi notas fuit per inciſionem, lacerationem, perforationem, aut ponctionem abſque vſtione, vt vidimus in aurium, labiorũ & aliarũ partium perforatione. Vnde apud Plaut.

in Moſtellaria actu 1. *Scena* 1. vnos ſeruus conſeruo coouitiatus: *O carnificum cribrum quod credo fore, ita te forabunt patibulatum per vias. Stimulus ſi huc reuenat ſenex.* Et in Menæchmis *actu* 1. *At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies.* Laceratione per ſcorpiones atque vngulas ferreas, inſcriptione vultus aliquando geminata, quæ modo profundior, modo lenior fuit. De SS.martyribus Theodor. ac Theophane diximus. Hos S.Methodius ſic ſolatus eſt.

Quorum libris ſcripta ſunt in cœleſtibus
Nomina, piaque frontes compuncta notis.

Denique per impreſſionem ſigilli, ſiue ceræ, ſiue durioris materiæ.

Tertius modus fuit vſtio per ferrum candens, qua ratione ſæpius ſunt ſerui ſtigmatiſati. Quartus modus erat per appoſitionem alicuius rei, vt annoli obſignationem, veſtis aut alterius rei cuiuſpiam adiectionem, per expreſſionem alicuius figuræ, vel textili opere, vel phrygio, vel laminæ plumbeæ aut cupreæ certâ figurâ inſignitæ appoſitionem, aut notatæ adiectionem, quæ hodiè vſurpantur paſſim.

9 Ex his colliges quibuſnam inſtrumentis impreſſæ fuerint hæ notæ, penicillo nimirum pictutæ; lacerationes verò virgis palmeis, ſcorpionibus, vngolis ferreis, fidiculis: punctiones ſubulis, ſtimulis, terebris, ſtylis, calamis, clauis: ſcriptiones graphiis, acubus, ſtimulis: vſtiones ignito ferro, claue candenti S.Huberti, charactere & cautere, calida forcipe; nam rei ruſticæ auctoribus inſtrumentum quo peruruut pecora vt ea notent, dicitor character; Titionibus vel accenſis vel ſopitis, vt Aſcylto, apud Petronium factum eſt; ſtridulis, Prudent. *hymn.* 10. *de Sancto Romano.*

Credas cremari ſtridulis cauteribus.

Et hymno 5. de S.Vincentio.

Serratu lectum regula
Dente in frequenti exaſperat,
Cui multa carbonum ſtrues
Viuum vaperat halitum
Subter crepante aſpergine;
Scintillas excuſſus cinis,
Punctiſque feruens ſtridulis
Paſſim per artus figitur;
Aruina poſt hæc igneum
Impreſſa cauterem lauit,
Vis vnde roris fumidi
In membra ſenſim linquitur.

Deoique inſtrumentum qoo equi ſignabantor τροσίπτιον dicebatur, nota χαρακτὴρ, χάραγμα, ſigoare χαράττειν χαρακτηρίζειν. Perpetuæ porrò erant hæ notæ, atque inexpiabiles, vt loquitur Valer. Maxim. *libro* 6. *capit.* 8. vnde quæſitæ plures artes quibus eæ tegerentur, vt promiſſis comis, emplaſtris, & ſpleniis. Vode illud Martialis à nobis noper relatum.

Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem,
Ignoras quid ſit, ſplenia, tolle logos.

Ad hanc artem alludit idem Martialis *lib.* 6. *epigram.* 64.

At ſi qui noſtra tibi bilis inuſſerit ardor;
Viuet, & herebit totoque legetur in orbe,
Stigmata nec vafrâ delebit Cinnamus arte.

Erat verò Cinnamus tonſor, vt habet *lib.* 7. *epigram.* 63. idem alibi tribuit Eroti.

Triſtia ſeruorum ſtigmata delet Eros.

Sed præter hanc Planorum artem aut mangooiam exiſtunt varia ex herbarum ſuccis remedia ad hæc ſtigmata delenda. Colum. *lib.* 10.

Ponitur & lactis guſtum, quæ condiat herba
Deletura quidem fronti data ſigna fugarum,
Vimque ſuo id circo profitetur nomine Graio.

Scribon. Largus *cap.* 231. provt refert & emendat Lipſius *lib.* 2. *elector. cap.* 15. meminit ſimilis alicuius medicamenti. *Quatenus acrium & exulceratorum medicamentorum habita eſt mentio, ponemus quo ſtigmata tolluntur indignis. Etenim multis hæc calamitas ex tranerſo accidit, vt diſpenſatori Sabini Caluiſij naufragio in ergaſtulo deprehenſo: quem Tryphon multis deluſum, & ne caſu quidem notas confuſas habentem, vno medicamento liberauit.*

Inter notas & ſigna, quæ appooebantur exterius 10
maximè in epiſtolis & reſcriptis erát bullæ ſiue cereæ ſiue metallicæ. Bolla quidē aorea fuit quondā puerorum prætextatorum inſigne, quod pectori appendebatur dicta à βουλῇ conſilio, quod ea ætas alterius cooſilio regenda foret, aut quia contingeret eam corporis partem in qua maximè conſilium reſidet. Ita Feſtus. Meminit quoque Plutarch. *in Romulo.* His bullis inſcripta aut inſciſa, aut incluſa erant periapta, & idolorum tum nomina, tum effigies. Fuit & triumphantium inſigne, cum illam triumphantes præ ſe ferreot, iu eaque incluſa remedia contra inuidiam, vt rebantur, potentiſſima. Primus bullâ aurea donatus & ſimul toga prætexta fuit Tarquinij priſci filius, qoòd ſe viriliter in bello geſſiſſet. Inde obſeruauit Aſconius infantibus ingenuis è collo ſuſpendi ſolitam bullam auream, libertinis ſcorteam, quaſi ad muoimeotum corporis. Erat, inquit Macrob. rotunda in cordis figuram. Ab hac opinor figura ſubinde Imperatorum & Pontificum bullæ dictæ ſunt. Erant verò illa ſigilla ab annulis ſignatoriis diſtincta. P.Diaconus; *Imperator bullâ ſignauit Patriarcham, & hunc exilio relegauit.* Anna *lib.* 2. *Alexiad.* διὰ χρυσοβούλλου λόγου τιρατῶσαι, per aureæ bullæ ſcripta rem definire. Et *lib.* 3. τὸ τῦ χρυσοβούλλου γραφίον, ſcriptum aurea bulla. Idem *lib.* 3. & *lib.* 8. χρυσοβούλλου λόγου ἐπεσφραγισμένου διὰ κινναβάρεως, per ſcriptum aureæ bullæ ſignatum cinnabari, vti moris eſt. Codin. *in Conſtantinopoli* aureæ bullæ ſæpius meminit. Fuerunt verò bullæ aureæ, argenteæ, plumbeæ, & cereæ. De aureis iam diximus, & meminit etiam Phranzes *lib.* 3. *cap.* 10. Luitprand. in legat. Plumbeæ Codin. ſicut & cereæ; & initio quidem Imperatores annulis obſignabant; deinde litteris σφυρηλάτοις, quaſi ſolidis, & ex malleo ductis. Themiſtius *ſerm.* 4. σφυρήλατος δὲ ὁ χρυσοῦ aureæ litteræ. Sub Conſtantino magno, & Iuliano aurum additum, encauſtum denique ex muririce, & purpura, demùm ſeneſcente Imperio cinnabaris. Erat igitur & ſubſignatio miniata ab Imperatore, & præterea aurea bulla: aliquando ſolius bullæ meminere auctores, aliàs etiam ſubſignationem cum encauſto adiungunt; aliàs denique ſolios ſubſignationis. Fortaſſis in litteris ſola ſuſignatione vtebantur, in reſcriptis autem aurea bulla. Codin. *in Conſtantinopoli*, per auream bullam & edictorum & Andronici aui & iunioris διὰ χρυσοβούλλου; & maieſtas mea definit præſentem hanc auream bullam dimittens ἀπολύουσα χρυσόβουλλον λόγον. Zonaras δὲ ἐγγράφου χρυσοσφραγίστου, per ſcriptū aureo ſigillo ſignatum. Gregorius dialog. *ep. ad Leon. Iſaur.* γράμματα τῆς βασιλικαῖς σφραγῖσιν ἐσφραγισμένα ἀσφαλῶς, litteræ regiis ſigillis obfirmatæ firmiter: καὶ ἔσωθεν ἀσφαλεῖς ὑπογραφαὶ διὰ κινναβάρεως ἰδιοχείροι σου, & intrinſecus firmæ ſuſcriptiones

tiones per cinnabarim manu ſua propria. Vbi vides & ſubſcriptionem, & ſigillum ſiue bullam. Idem obſeruabis in conſtit. Alexij Commeni, etſi fuerit cinnabari ſignata, κἂν διὰ κινναβάρεως ὑποσημειωθεῖσα τυγχάνῃ, aut ſigillum cereæ bullæ ferat, κἂν τὴν κηρόβουλλον σφραγῖδα φέροι. Denique ſolius ſubſcriptionis meminere Anna. *lib. 1. Alexiadas.* dum ait Alexium Cōmenum communicaſſe Conſtantino Porphyrogenito τοῦ δὲ γράμματος ἐρυθρᾶς ὑποσημειώσεως κοινωνῆσαι in rubris litteris ſubſignationem, & Manalies Theodoſius rubris litteris chartam ſignabat ἐρυθροῖς γράμμασι χάρτην ὑποσημειοῦτο, & calamos ſtatim in manibus Imperatoris, & penna purpura tincta chartam firmabat. πορφυρόβαπτος γραφὶς τὸν χάρτην ἐπιτιοῦν. Solebat Imperator tres cruces in fronte bullæ purpura exprimere manu ſua. Phranzes *lib. 3. cap. 4. Imperator manu ſua eo vidente, tres cruces, cinnabare in fronte bullæ ad confirmationem pro conſuetudine exprimit, bullamque auream legato in manus tradit.* Filo appendebatur bulla litteris & reſcriptis, Nicetas *filo nexo ac religato.* Cera circumformata annulo ſignatorio Imperatoris obſignatur, κηρὸς περιπλασθεὶς τοῦ βασιλείου σφραγιστηρίῳ ἐσημαίνετο δακτυλίῳ. Ex quibus etiam colligis diſcrimen inter bullam ceream, & metallicam, quòd in iſta litteræ ſolidæ eſſent & malleo ductæ, quæ continebant & nomen Imperatoris & ſigillum ipſi proprium, diuerſa enim diuerſis fuere. Nonnulla enumerat Bulenger. *lib. 2. de Imper. Rom. cap. 10. ſub initium.* In bulla verò cerea ſigillum imprimebatur annulo ſignatorio, Phranzes *lib. 2. cap. 10.* Accubitor palæ, annulo & pala Regis accepta ſignat per ceram. Sigillo verò aut bullæ adiungebatur ſemper ſubſcriptio in litteris & reſcriptis manu Imperatoris ex purpura, non tamen eiuſmodi ſubſignationi appendebatur perpetuò bulla, vti oſtendimus. Nicetas *lib. 1.* vocat ἐρυθροδακτυλίων γραφὴν ſubſcriptionem rubricatam: quæ ſubſcriptio & aurea bulla ſignum fuit Imperatoriæ maieſtatis. Bulla porrò aurea ſiue ſigillum aureum magna cura aſſeruabatur. Vt enim habet Nicetas *lib. 3.* rubricata in aureo & gēmato vaſe ſeruabatur. Erat illi curæ præfectus, vnde narrat ibid. Nicetas Logothetam offenſum fuiſſe quod illa cura demandata fuiſſet Stupiotæ: aurea bulla vtebatur Imperator, quod iam oſtendi, quomodo interpretor quod Vippo in vita Chuonradi Salici ſcribit. *Negationis tamen cauſam poſtea Imperator Græcorum aureis litteris Imperatori Chuonrado reſcripſit.* Aureas enim litteras dixit propter auream bullam ipſis appenſam; non tamen Imperator in omnibus ſuis litteris aurea bulla vtebatur, ſed tantum ad reges & ſubditos Toparchas ſcribens. Quare Codin. ait magnum Logothetam diſponere mandata & chryſobulla, quæ ad eos quos nominatim principes mittebantur. χρυσόβουλλα ἀποστελλόμενα. Iiſdem quoque in negotiis vſum bullæ argenteæ fuiſſe ſignificat Luitprand, in legat. *Tulerunt autem,* inquit, *& alias litteras argento ſignatas.* Et Phranzes *lib. 2. cap. 10.* vbi vocat litteras argento inſignitas. Cerea bulla ad Dominam matrem, dominam vxorem, & regem filium ſcribebat. Denique ad deſpotas, Patriarchas, & reliquos Magiſtratus per plumbeam bullam διὰ μολυβδίνης βούλλης, aureæ & argenteæ bullæ obſignatio fuit, quod nuper ſignificauimus, magni Logothetæ. Cera vtebatur accubitor fundæ, Codin. ὁ πριμμικήριος τῆς μεγάλης σφενδόνης: eſt verò σφενδόνη funda & palla annuli qua litteræ obſignabantur in cera, quæ vel viridis, vel rubra erat: quod δικήριον quaſi duplicem ceram vocat Balſam. *lib. de priuileg. Patriarchar.* Deficiente tamen imperio, deſpotæ qui imminuta imperatoria maieſtate plura ſibi arrogabant, bullam quoque auream vſurparunt, vti colliges ex Phranze *lib. 3. cap. 1. & cap. 5.* Patriarchæ ſigillum fuit cereum, κηρίνη πρασίνη σφραγὶς cereum, viride ſigillum; quod ex conſtitutione Manuelis Patriarchæ Methymnæi liquet. Codin. ipſi quoque Conſtantinopolitano Patriarchæ tribuit obſignationem ex cinnabari.

11 Circa iſtas porrò notas & ſigilla reſtat finis propter quem tum homines, tum animantia, tum cæteræ denique res variis eiuſmodi notis notarentur, qui finis multiplex fuit. Primò quidem ad deſignandam patriam & gentem. Virgil. *lib. 3. Georgic. verſ. 158.*

Continuòque notas & nomina gentis inurunt.

Quanti verò interſit ſtirpes & patriam in equis notare, oſtendit Varro *lib. 2. de re Ruſtica cap. 7.* Patriam quoque ſuam ac gentem Thraces, Gebui, Agathirſi, Britanni, aliique populi de quibus nuper egimus, variis notis oſtentabant. Secundò aliàs vtebantur eiuſmodi notis ad cultum diuinum ſiue verum, ſiue ſuperſtitioſum teſtandum; ſic nuper retulimus ex Procopio ad illud Iſai. *cap. 44. Hic ſcribet in manu ſua Domino.* Plures Chriſtianos ſæuiente perſecutione ſibi in brachiis aut palmis Chriſti nomen vel crucem inuſſiſſe τὸ δὲ τῇ χειρί, διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν ἢ βραχιόνων, ἢ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν. Cæcilius apud Minutium in Octauio obiicit Chriſtianis. *Quod ſe notis & inſignibus noſcant, & ament mutuò pene antequam nouerint.* Cui reſpondet Minutius. *Nos non notaculo corporis vt putatis, ſed innocentia ac modeſtia ſigno facilè dignoſcimus.* Vnde vides vſurpatas eſſe notas ad diſtinguendas varias profeſſiones & cultus. Sane Philo *lib. 1. de Monarch.* exprobrat Iudæis quod eorum aliqui qui ſe falſis numinibus mancipatant, ſeruitutem ſuam perpetuam fore teſtarentur litteris non in charta ſcriptis, ſed mancipiorum more inuſtis in corpus ferro ignito, ne deleri queant. Refertque Abulenſ. *in cap. 19 Deuteron.* quoſdam Iudæos laminam auream nomine idoli cælatam, ignitamque ſibi impreſſiſſe, vt iniuſtum eiuſdem idoli nomen geſtarent. Similiaque aliqua ſtigmata in cadauere Ioachimi inuenta fuiſſe ait Hieronym. *in tradition. ad Paralipp. libros, ſub finem.* Plura alia obuia ſunt quæ maxime a Sacerdotibus, & Poppis illis obſeruabantur, qui & ipſi eo facto ſibi plebis gratiam & laudem conciliabant. Mortuorum enim membra quæ eiuſmodi notis deformata fuerant, variis modis ornabantur, quod Prudent. *in hymno 10. de S. Romano* ridet, eam impiam initiationem deſcribens.

Quid cum ſacrandus accipit Sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt vrere, vtque igniuerint;
Quamcumque partem corporis feruens nota
Stigmare, hanc ſic conſecratam prædicant.
Functum deinde cum reliquit Spiritus,
Et ad ſepulchrum pompa fertur funeris,
Partes per ipſas imprimitur bractea.
Inſignis auri lamina, obdunt cutem,
Tegitur metallo quod peruſtum eſt ignibus.

Similia multa vide apud Raynaud. de ſtigmatiſmo *ſect. 2. cap. 6.* Obſeruo dumtaxat dæmonem voluiſſe æmulari honorem quem Eccleſia exhibet ſacris martyrum exuuiis, maxime partium illarum in quibus aliquid inſigniter paſſi ſunt, quas etiam

in cœlis triumphales vulnerum cicatrices in redituis corporibus ſeruaturos vltrò fatemur, de quibus fusè & eruditè ſuo more Raynaudus *eodem opere ſect.1.cap.16.*

Tertiò vſurpabantur aliquæ religioſæ notæ ad aliquid impetrandum à Deo, vt ad auertendam luem per impreſſionem crucis ouibus, vti nuper retulimus; & de ſimili nota frontibus impreſſa à Turcis ad ſimile malum amoliendum refert Baron. *anno Christi 591. num.1* de claue S.Huberti nuper egimus, & latè de ea Raynaud. *ſect.1.c.10. ſectione* verò 2. *cap.4.* de quibuſdam qui propter ſigna genitiua dicunt ſe habere virtutem ſanandi quoſdam morbos, & alicubi ſaluatores nominantur, fuſiſſimè in vtramque partem diſputat: neque vacat in eam modo controuerſiam digredi. Nobis certum eſt mares ſeptimos, vti appellant, quod nulla interiecta fuerit in ea ſerie puella, & lilio notari, & ſtrumas curare, eadem qua Reges Christianiſſimi virtute ſupernaturali, quod experientia facit teſtatiſſimum. Vide Andr. Laurentium *in opere de ſtrumis*, & alios.

Quartò his notis ſtatum & conditionem deſignabant, v. g. militiam, quod iam diximus ex Veget. *lib.2.cap.5. & lib.1.cap.8.* Lipſio de militia Romana *lib.1. dialog.9.* & aliis. Ad ſeruitutem quoque teſtandam, vnde ſeruus notis compunctus στιγματίας. Cic. *in lib.2. officior. Stigmaticus*. Plinio *epiſt.5. cicatrice ſtigmoſus.* Plauto *litteratus*. Martiali *inſcriptus*. Vide Lipſ. *lib.2.electo.cap.15.* Rader. ad Martial *lib.2. epig.25.* & *lib.8. epig.70.* alioſque de ſeruis diſputantes, quorum aliqui obſeruant *ſtichi*, nomen fuiſſe commune ſeruis παρὰ τὸ στίζειν. Inde videtur Vlpian. *l.15.de iniur.* peſſimum ſeruum vocaſſe *extrema nota*: ex quo etiam loco Vlpiani manifeſto colligi exiſtimo non omnes ſeruos, ſed aut reos, aut fugitiuos fuiſſe inſcriptos, quod fuſiùs diſputat Raynaud. *ſect.2.cap.2. operis ſæpius laudati.*

Quintò infami aliqua nota & criminis admiſſi pudendo indice dehoneſtabantur Rei. De ſeruis nemo dubitat, ideoque Auguſtin. *expoſit. in epiſtol. ad Galat. ſub fin.* ſtigmata vocat *notas pœnarum ſeruilium.* Blaſphemis, ex edicto S. Ludouici labia & linguam ignito ferro ambuſta fuiſſe monuimus. Philippus Macedo militem ingratum, qui ſuum hoſpitem bonis per fraudem extruſerat, inſculpi & inſcribi iuſſit, vti eleganter explicat Seneca *lib.4. de benefic. cap.37.* Conſtantinus Irenes filius exercitum Armeniacum, qui Alexium fœda proditione ad Imperium euehere tentarat, inſcriptione faciei puniuit, his litteris in fronte plurium exaratis *Armeniacus inſidiator.* Thebanos qui à Græcis ad Xerxem defecerant, compunctos fuiſſe notis Regiis ſcribit Herodot. *lib.7.* Conſtantinus, Iudæos rebellantes auribus amputatis, ac rebellionis ſigno illorum corpori impreſſo tanquam fugitiua mancipia circumferebat, inquit Chryſ. *Hom.2. contra Iudæos.* Theodoricus Gotthus prætextu attentatæ defectionis, Opilioni & Gaudentio viris clariſſimis frontium inſcriptionem comminatus eſt, teſte Boëtio *lib.1. de conſolat. proſa* 4. Calumniatoribus frons punctis notata; quod tamen illi ridebant, eam pœnam in exilium commutauit Traianus eam ob cauſam commendatus à Plinio in panegytico. M. Antoninus calumniis quadruplatorum interceſſit, appoſita falſis delatoribus notâ, eam fuiſſe vel K. vel K. C. calumniæ causâ monuimus ſuperiùs, vbi etiam de furibus tum apud Romanos, tum apud Anglos. De homicidis & falſariis clericis diximus.

Sextò aſſumptæ ad luctum teſtandum inſignes aliquæ notæ, quod facere vetuit Iudæis Deus, & ea in re, gentium ritum æmulari, *Leuit.19.verſ.28. Super mortuo non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas aut ſtigmata facietis. cap.21. Non radent caput nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras. Et Deut. 14. Non vos incidetis nec facietis caluitium ſuper mortuo; quoniam populus Sanctus es Domino Deo tuo.* Ierem. *cap.16. verſ.6. Non ſe incident neque caluitium fiet pro eis.* De hac in fletu inciſione plurima dabit Ioannes Kirchmanus in opere de funeribus Romanorum, vbi inter alia numerat σαρκοτομίαν lacerationes genarum & lacertorum, plurimaque ex ſacris & profanis adducit, atque Solonis legem vetantem τὸ ἀμύττειν, καὶ ἀκόλαστον. Cicero *Tuſcul.3.* vocat varia & deteſtabilia genera lugentium, lacerationes genarum, pectoris & capitis percuſſiones: Phalaris *epiſt.3.* αἰκισμοὺς σωμάτων, *flagellationes, verbera, afflictiones corporum.* Venio ad ſcripturam *Leuit.21. Neque in carnibus veſtris facietis inciſuras.* οὐ κατατεμοῦσιν ἐντομίδας. Paulus *ad Philip.3. verſ.2.* vocat κατατομὴν conciſionem veluti oppoſitam. περιτομῇ circumciſioni. Sunt verò ἐντομίδες inciſuræ, idem quod ξυσμαί ex Eſychio Lexicographo; & apud Suidam lituræ ac raſuræ, & fragmenta exigua fruſtulaque carnis præſertim in facie ἐντμήματα, idem quod ἀμυχαί, καὶ ἐγχαράξεις lacerationes, inciſuræ, ſcarificationes ſe cædentium, vlcuſcula, tubercula, & inſculpturæ, quæ vel vnguibus, vel cultris, vel lanceolis fiebant, dicunt Græci ἀμυχὰς κόπτεσθαι, ἀμύσσειν παρειὰς ἢ πρόσωπον, καὶ δρύπτειν καὶ ξύειν τοῖς ὄνυξι, ἔχειν ἀμφιδρυφεῖς παρειάς, καὶ ἑλκώματα, αἱμάσσειν βραχίονας, χαράδρας ποιεῖν κατὰ τῶν παρειῶν. Latini autem. *Lacerare genas, vngue notare, vnguibus ora fœdare, faciem vnguibus ſectam habere, ſciſſum limatumque vultum, genas radere vel carpere.* An verò veteri lege omnis propriæ carnis conciſio, ſiue flagellis, ſiue alia ratione prohibita fuerit, an verò ea dumtaxat quæ ob prauum finem & maximè ſuperſtitioſum, diſputant Gretſer. *Apologia pro diſciplinis, lib.2. cap.4.* Et Lorin. *in cap.19.Leuit.verſ.28.* Nam Ierem.41. *verſ.5.* octoginta viri de Sichem Silo & Samaria ſciſſis veſtibus, barba raſa & *ſqualentes* proficiſcuntur, veniunt in domum Domini vt thus & munera offerant. Squallentes verò, Hebraica voce ſignificantur quam reddunt *inciſi, lacerati, compuncti, laniati in cute ſua, facie lacera, vel morſa.* Græcè κοπτόμενοι. Neque dicuntur in legem peccaſſe, quia id non ex ritu gentilitio, ſed ad exprimendum ſuum dolorem vſurparunt. Colligit præterea Gretſerus ex verbo κόπτειν, ſeu κόπτεσθαι, & ex nomine κοπετοῦ pluribus in diuinæ ſcripturæ locis planctum ab Hebræis cum tonſione & dilaniatione, abſque culpa tamen vſurpatum fuiſſe. Eodem refert vaticinium Zachariæ 12. *verſ.10. Adſpicient ad me quem confixerunt, & plangent cum planctu quaſi ſuper vnigenitum* (κόψονται κοπετὸν) *& dolebunt ſuper eum vt doleri ſolet in morte primogeniti, in illa die erit planctus magnus in Ieruſalem* (ὁ κοπετὸς) *ſicut planctus Adadremnon in campo Mageddon.* (ὡς κοπετὸς ῥοῶνος ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένου) *ſicut planctus malogranati, quod in campo ſucciditur:* hoc eſt ſicut plangi ſolet cum locus malogranatis conſitus ſuccisis arboribus vaſtatur. *Et planget terra familia, & familia ſeorſum.* καὶ κόψεται ἡ γῆ κατὰ φυλὰς φυλάς. Negat tamen Lorinus ex vocibus iſtis neceſſariò colligi hanc lacerationem &

dilania

dilaniationem, quod pluribus exemplis oſtendit, ſed ſolum mœroris magnitudinem, & acerbitatem; quidquid verò ſentias hac in parte, certum tamen exiſtit nonnunquam eas notas in luctum ad eius demonſtrationem vſurpatas fuiſſe, quod vnum contendebamus hoc loco.

12 Septimò frequentiſſimus fuit notarum vſus ad ſcribendum, triplici ſiquidem ratione ſcribebant Romani. Primò quidem plenis & integris litteris ac ſyllabis, qui eſt communis ſcribendi modus. Secundò ſingulis literis ſeorſim ac ſolitariè ſumptis. Tertiò notis. Qui litteris integris ſcribebant καλλιγράφοι, & βιβλιογράφοι dicti ſunt Latinis *Antiquarij*. Vnde apud Auguſtin. ſerm. 45. *Qui videt in codice ſcripto, & non nouit legere, laudat quidem Antiquarij manum, admirans apicum pulcritudinem. Librarij* quoque paſſim nominati ſunt, quanquam Iſidor. *lib. 6. origin.* exiſtimat *Antiquarios* vetera tantum ſcripſiſſe, *Librarios* autem tum vetera, tum noua. Vetus gloſſar. *Antiquarius* ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος, εἰς κάλλος γράφων. *Librarius* ex gloſſis βιβλιογράφος, βιβλιοπώλης libellio. Librarij libros ſcribebant, & ſcriptos vendebant; quare in veteri inſcriptione ſcribæ dicuntur librarij. Horatij vetus interpres in arte Poëtica *Scriptor, Librarius, Bibliopola*. Sueton. Grammatiſtam librarium, id eſt ſcribendi magiſtrum vocat. Hieronim. Epiſt. ad Lætam ſatis ſignificat librariorum munus eſſe literarum initia tradere; illi denique maximè nominabantur librarij, qui ab aliis dictata perſcribebant, aut iam litteris exarata tranſcribebant, quos exſcriptores & copiſtas vocamus. Cic. *orat. contra Rullum. Concurrunt iuſſu meo plures vno tempore librarij, deſcriptam legem ad me afferunt*. Et *in epiſt. famil. Sed peto a te vt quam celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidem Græcus, qui mihi exſcribat hypomnemata*. Et ad Attic. *legi literas non tuas, ſed librarij tui*. Scæuola I. C. *l. 92. D. de Regul. iur. Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet*. Sueton. Claudij timiditatem & diffidentiam deſcribens *cap. 5.* qui neminem ad ſe accedere permitteret niſi exploratum & excuſſum à ſcrutatoribus acerbiſſimis. *Et vix remiſit ne librario calamaria, aut graphiaria theca adimerentur*: ne nimirum graphiis peteretur, & confoderetur. Cum & Cæſar Caſſij brachium graphio traieciſſet, & carus Senatorem in Curia graphiis confodi curaſſet. Erat verò graphium ſtylus ferreus ab vna parte acutus, qua exarabantur in cera litteræ; ab altera parte planus, qua inducebatur quod perperam exaratum fuerat: & rurſum complanabatur cera, inde apud Horatium & alios *ſtylum vertere*. Erat præterea librariis ſcalprum ſiue γλυφεῖον quo temperabantur calami, quibus in charta aut membrana ſcribebant. Nos *Cannivium* nominamus à canna vel calamo; arundine ſiquidem veteres non penna vti nos, ſcribebant. Iure igitur Sueton. librariis tribuit calamariam aut graphiariam thecam, cùm & in cera graphiis ſcriberent, & in membranis calamo, indigerentque idcircò & graphiis ſiue ſtylis ferreis quibus ceræ litteras exararent, & ſcalpellis calamariis quibus calamos ad ſcribendum aptarent, à quibus omnibus ſibi timebat Claudius. Librariorum igitur idem fuit munus quod antiquariorum, quos Hieronym. *epiſt. ad Florent.* dixit *antiquariæ arti ſeruientes*. Et Gregor. *lib. 1. dialog cap. 4. antiquarios ſcribentes*.

Altera ſcribendi ratio erat ſingulis litteris, neque inter ſe nexis, & vt loquitur Agell. *lib. 17.* ſine coagmentis ſyllabarum; ſingulæ enim litteræ vocem integram ſignificant vt S. P. Q. R. Senatus populuſque Romanus. Dicebantur ſigla, vel ſingla ἐν συγκοπῇ, quaſi ſingula, ſic vincla, ſæcla. Immò & viglas pro *vigilias* quoſdam vſurpaſſe obſeruauit Cuiac. *lib. 2. obſeruat. cap. 40.* ab hac ſcribendi ratione nominati ſunt, qui ea vtebantur ſingularij.

Tertiò ſcribebant per notas: erant verò notæ non litteræ, ſed puncta, ſigna, & compendia plurium literarum, vocum integrarum, atque vt loquitur Plutarch. *in Catone*, σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, & alibi σημεῖα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξευρεθέντα. Iul. Firmic. *lib. 3. cap. 12.* vocat difficiles & abſconſas literas. Auſon. *Epig. 13.* notas præpetes.

> *Puer notarum præpetum*
> *Solers miniſter aduola*
> *Bipatens pugillar expedi.*

Ennodius in Epiphan. *Notarum in ſcribendo compendia & figuras varias, verborum multitudinem comprehendentes*. Symmach. *lib. 3. ep. 17. Signa verborum*. Hieron. *ep. de vitando ſuſpecto contubernio; Furta & ſigna verborum*, & *Ep. ad Principiam. Signorum compendia*. Iuſtinian. *C. de veteri iure enucleando l. 1. Signorum captiones & compendioſa ænigmata*. Sen. *ep. 90. Verborum notas quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur*. Sidon. *lib. 5. epiſt. 11. Saltuoſa compendia, quæ comprehendebant ſignis, quod literis non tenebant*. Prudent. *in S. Caſſiano. Puncta & ficta ſigna, notas breues, puncta præpetia*.

> *Verba notis breuibus comprehendere cuncta peritus,*
> *Raptumque punctis dicta præpetibus ſequi.*

Et alibi.

> *Fictis notare verba ſignis imbuens.*

Ex quibus omnibus vides quam verè obſeruauerit Cuiac. *cap. 40. citato*. notas non eſſe litteras, ſed ſigna quædam & figuras excogitatas à notariis pro arbitrio, & aliis pleriſque ſæpius ignotas, atque plurimùm differre à ſiglis aut ſingulis, quæ erant litteræ Romanæ, & vſitatæ, licet ſingulæ vocem integram ſignificarent. Notæ verò erant figuræ quædam & alia ſigna, quæ literas voceſque aut orationem aliquandò integram ſignificabant. Quod diſcrimen aduertit quoque Manilius *lib. 4.* Nam ait litteram eſſe verbum. *Et notis leuibus pendentia verba*: atque vtroque illo modo longas voces per noua compendia excipi.

> *Hic & ſcriptor erit fœlix cui litera verbum,*
> *Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis*
> *Excipiens, longas noua per compendia voces*
> *Nouerit, atque notis leuibus pendentia verba.*

Ex eo verò quod eiuſmodi notæ ad arbitriũ notarij inuenirentur, vnde Manilius vocabat *noua compendia*, quod non fiebat in ſiglis, quæ erant vſitatæ litteræ, ſed ſingulæ, colligit Cuiac. inani labore quæri, cur maiores noſtri Digeſta ſiue Pandectas hac nota *ff.* expreſſerint, cùm notarum nouarum inuentio nullam plerumque rationem, aut cauſam haberet præter libidinem inuentoris: perplura porrò harum notarum exempla profert eo loco Cuiac. ex antiquiſſimo Codice notarum iuris. Vide & Iſidor. *lib. 1. Ethym. cap. 21.*

Harum notarum inuentionem tribuit Dio Mæcenati πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε. Quædam ſigna literarum ad celeritatem primus inuenit & per Aquilam libertum ſuum alios docuit, Plutarch. *in Catone* tribuit Ciceroni, qui primus σημειογράφους repererit. Sane ipſe Cicero

ſe

ſe ad Atticum ſcripſiſſe aliquando *διὰ σημείων* fatetur. Euſeb. *in chronico* adſcribit Tyroni Ciceronis liberto: Iſidor. *lib*. 1. *Ethym. cap*. 22. Ennio. Verùm altius repetunt hanc originem nonnulli; nam Diogen. Laërtius ait Xenophontem primum notis ſcripſiſſe. Ægyptij iam olim notis & figuris vſi ſunt. Strabo *lib*.9. narrat deuectum eſſe Romam ex Ægypto obeliſcum Seſoſtridis inſignitum notis, & vt loquitur Ammianus *ſcriptibilibus effigiatum elementis, quæ rerum naturalia innuebant*: aliquos ex iſtis obeliſcis qui etiam hodie viſuntur, explicare nuper aggreſſus eſt improbo & erudito labore Athanaſius Kircer, tribus tomis iam editis. Iulius Cæſar ſecretiores epiſtolas notis ſcripſit, vt teſtatur Sueton. *cap*.56. Verùm ſiglis potius, quàm notis vſus fuiſſe videtur Cæſar; nam reuerà litteris ſcribebat, ſed vt ait Suton. Sic *ſtricto ordine vt nullum verbum effici poſſet*, & quartam literam elementorum D. pro A. & deinde reliquas commutare oportebat. Et Agell. *lib*.17. *cap*.9. dixit fuiſſe literas ſingularias, ſiue coagmentis ſyllabarum, refertque Probi Grammat. commentarium de occulta literarum ſignificatione Epiſtolarum Caij Cæſaris. Conſule quoque de his Dionem *lib*. 40. & 51. Non erant igitur notæ, ſed literæ vulgares: nam notæ vel non dicebantur literæ, vel non niſi occultæ, abſconſæ, & vt loquitur Apuleius *lib*. 12. ignorabiles; vbi earum initiationem a Mithra ſacerdote deſcribit. *De opertis adytis*, inquit, *profert quoſdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris, cuiuſcemodi animalium concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes, partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis capreolatimque condenſis apicibus à curioſitate profanorum lectione munita*. Inueniendi porrò eiuſmodi litteras duplex cauſa fuit, vna occultatio eorum quæ prodere nefas erat, vt in Iulio obſeruat Sueton. & Apuleius modò ſignificabat, ipſeque inuentor Tullius fatetur. Quare Agell. vocabat *ſcribendi latebram*, alij *furtiuas literas, furtiua ſcripta*. Altera cauſa fuit ad ſcribendi celeritatem *πρὸς τάχος*, & qui ita ſcribebant dicti ſunt *ταχυγράφοι* ab Euſeb. *lib*.6. *hiſtor. cap*. 21. vbi de Origene cui ſæpius dictanti aderant ſeptem e numero eiuſmodi *ταχογράφοι* ſibi inuicem ſuccedẽtes, præter *βιβλιογράφους* libranos: cum puellis doctis pulchrè ſcribere *καλλιγραφεῖν*. Philoſtr. *lib*. 2. *de vita Apoll.* hæc duo opponit *εἰς τάχος γράφειν, ὁ δὲ εἰς κάλλος*. Et Plato *lib*.7. *de legib.* ait quoſdam ſtuduiſſe vt eleganter, vel celeriter ſcriberent, *πρὸς κάλλος ἢ τάχος*: & *in Charunde γραμματιστὰς* ſiue litteratores vocat qui celeriter ſcribunt & celeriter legunt *οἱ ταχέως γράφουσι καὶ ταχέως ἀναγινώσκουσι*. Et ſanè mira fuit iſta in ſcribendo celeritas, Martial. *lib*. 14.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

Hieronym. ad Iulian. *epiſt*. 137. *Appoſito notario cogebat loqui, quæ velociter edita velox conſequeretur manus, & lingua celeritatem prenderent ſigna verborum*. Et *Ep*.47. de vitando ſuſpecto contubernio. *Extemporalis eſt dictatio, & tanta ad lumen lucernula facilitate profuſa, vt notariorum manus linguã præcurreret, & ſigna ac furta verborum volubilitas ſermonis obtineret*. Tanta itaque erat in ſcribendis notis celeritas; vt non modo dictantem aſſequerentur ſed præuerterent quodammodo; ita vt Hieronym. ſuam facilitatem in profundenda dictatione commendet, quod manus notariorum linguam præcurreret. Imo Auſon. ait eos nondum explicata ſenſa præueniſſe, *Epigram*. 137. *ad ſuum notarium*.

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta iam ceris tenes,
Sentire tam velox mihi
Vellem dediſſet mens mea,
Quàm prepetis dextra fuga.

Et mox

Quis quæſo quis me prodidit?
Quis iſta iam dixit tibi
Quæ cogitabam dicere,
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam nouus,
Veniat in aures vt tuas
Quod lingua nondum abſoluerit?

Ab his notis nominati ſunt notarii qui dictata notis excipiebant, & deinde explicatè perſcribebant. Philo. de inſtituendo magiſtratu vocat *ὀξυγράφους*. Et Galenus per notas celeriter ſcribere exercitatum, *περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων διὰ σημείων εἰς τάχος ἠσκημένον γράφειν*. Qui verò pueros hanc ſcribendi legendique rationem docebant *παιδοδιδάσκαλοι* nominati ſunt notarij. Eiuſmodi erãt S. Caſſian. martyr apud Prudent. Meminit & Balſam. *in can*.62. *Concil*.6. ridicula quæ fiebant à notariis pueros docentibus, in feſto SS. Notariorum, a ſancta Synodo prohibita fuiſſe. Denique hoc nomen ad ſecretarios Principum deriuatum eſt, vt videbis apud Lamprid. Vopiſc. & alios, extatque titulus in codice de primicerio notario. Sed de his vide Bulenger. *lib*.4. *de Imperio Roman. cap*.5.

His notis pleni erant veterum Iuriſconſultorum libri; idcircò Iuſtinian. *conſtitut. de veteri iure enucleando, & conſtit. de compoſitione Digeſtorum*, prohibuit in iure deinceps quidquam ſcribi *per ſiglorum captiones, & captioſa ænigmata quæ multas per ſe, & per ſuum vitium antinomias induxerunt*.

In foro quoque frequenter vſurpatæ ſunt iſtæ notæ; cauſam reddit Hotman. *diſp. de præſcriptis verbis, cap*. 1. quia cùm propoſitis XII. tabub. legibus Iuriſconſulti veteres certas ſolemneſque actionum formulas certis conceptas verbis compoſuiſſent, quibus ciues inter ſe diſceptarent, ne populus arbitratu ſuo, imperitè ſcilicet, & inſcienter eas conciperet *l*. 2. §. 2. *D. de origine Iur.* & ſucceſſu temporis illæ peruulgatæ, tritæ & notæ in vulgus eſſent, iis præſertim qui in foro verſabantur, randem factum eſt, vt non præſcriptis, id eſt plenè & literis omnibus conſcriptis verbis proponerentur, ſed notis & ſyllabis dumtaxat, qua de cauſa Cicero *pro Murana* carpit Iuriſconſultos, *Veriti*, inquit, *ne ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent*. Qua de cauſa edixit Conſtantin. *l*. 1. *C. de formul. ſublat. Iuris formulæ aucupatione ſyllabarum inſidiantes cunctorum actibus radicitus amputentur*. & Manilius *in Aſtronom.*

Hic etiam legum tabulas & condita iura
Nouerit, atque notis leuibus pendentia verba.

Harum notarum reliquiæ aliquot extant in libris Pauli Diaconi, & Valerij Probi, *de notis antiquis*, vbi hæc actionis perſonalis formula profertur. A. T. M. D. O. *Aio te mihi dare oportere*. De notis porro iuridicis vide Iſidor. *lib*. 1. *Ethym. cap*. 22. Ex quibus coniicit Hotman. *diſput. cit. num*. 18. actiones ciuiles, & in factum, quæ perſcriptis verbis, non vt vulgò præſcriptis dicuntur, ita appellari, quia cum veteres illæ peruulgatæ, ſolemnes & legitimæ, notis tantum vt iam monui deſignarentur, hæ plenis & integris verbis perſcribebantur, atque vt loquitur Iuſtian. *l*. 1. §. *eandem autem, C. de*

veteri

veteri iure enucleando, per conſequentiam literarum non per ſigna, ſignorum captiones, & compédiola ænigmata; ſed diſertè, pleuè, dilucidè. & vt ait Theophil. *διηγματικῶς* factum, id eſt, conuentionem, negotium, rem geſtam exponebant, quales ſunt hæ quibus hodie gentes omnes vtuntur: has explicatas orationes, ſermones vocat Varro, & opponit notis, vti refert Seru. in illud Virgilianum: *Folijs tantum ne carmina manda, vt Varro dicit*, inquit, *in folijs palmæ, interdum notis, interdum ſcribebant ſermonibus.* Denique ſæpius in iure veteres Iuriſconſulti notis ſcribere, & perſcriptis verbis ſcribere comparant, & inter ſe opponunt. Paul. *in l. Lucius* 40. *D. de teſtam. milit. Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictauit, & antequam literis ſcriberetur vita functus eſt.* Sueton. *in Galba cap.* 5. *obſeruauit ante omnes Liuiam Auguſtam, cuius & viua gratia plurimum valuit, & mortua teſtamento plenè ditatus eſt H. S. Namque quingenties, cum præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non præſcripta erat ſumma, herede Tiberio ad quingenta reuocante, ne hæc quidem accepit.* Vides ſummam notatam, id eſt notis tantùm deſignatam, & perſcriptam, ſiue plenis litteris explicatam differre, indeque natam fuiſſe ambiguitatem in teſtamento Liuiæ, cuius cauſa Tiberius ingentem ſummam, quam nota illa indicare videbatur, multùm imminuerit; & H. T. S. quinquagies, ſic enim emendandum cenſet Caſaubon. ne vni Galbæ Liuia plus legauerit quàm Auguſtus & Tiberius populo Romano, cui non niſi quadringenties legauerunt. Ad quinquagies igitur H. S. id eſt aureorum coronoratorum centum viginti que millia, & quingentos reduxit ex Caſaubon. computatione. Alia dabit Hotman. *numero* 19. vt oſtendat hanc inter notas & perſcripta verba diſtinctionem & oppoſitionem. Ad hunc ipſum notarum vſum refero eam notarum apud Iuriſconſultos ſignificationem, pro quibuſdam animaduerſionibus, quibus veterum ſcripta carpebant, illiſque locis ſigna quædam & notas apponebant, quibus ea configerent. *l. 2. C. de veteri iure enucleand. l.* 10. *D. de caſtrenſ. pecul. l. vnic. C. de reſponſ. prud.* Hinc ſæpius legimus in Pādectarum libris ex notis Pauli ad Neratium, Marcelli ad Iulian. &c. Quare notæ ſunt annotationes, ſiue animaduerſiones & caſtigationes libri alicuius, aut reprehenſiones, atque adeo notare ſæpius eſt reprehendere, arguere, infamare. Hinc nota infamia eſt: ſic notæ cauſâ facta exhæredatio *l.* 18. *D. de liber. & poſthu.* quo ſenſu explicabis illud Tullij *lib. 4. de Republ. Cenſoris iudicium nihil aliud ferè damnato affert præter ruborem*: quia nempe cenſoriæ animaduerſionis notæ non iudicia, ſed præiudicia erant, quare qui notabantur à cenſore, deinde vocabantur ad iudicium. Neque nota eſt id ipſum quod infamia, neque notati iidem qui infames. *l. 2. C. de dignitatib.* Infames ſunt quibus lex irrogat infamiam. Notati qui neque ipſo iure infames ſunt, neque adhuc in iudicio damnati, illis tamen aliqua hæret macula, & inter requirendos, aut accuſandos vel damnandos adnotati ſunt. *l. 3. §. lege, D. de teſtibus.* Quo ſenſu quoque notoriæ ſunt informationes ad iudicia. Gordian. *l. 1. C. de accuſ. Veriùm ſi falſis notoriis inſimulatus eſt.* Et Paul. *in l. accuſatione. §. nuntiatores. D. ad Turp. Nunciatores qui notoria indicia produnt, notoriis ſuis adſiſtere iubentur.* Auguſtin. *ep.* 159. & 160. ſæpius eodem ſenſu hanc vocem vſurpat. Apulei. *lib. 7. Sed ille qui commodum falſam notoriam pertulerat.*

Octauò denique notis vtimur, veterum exemplo, ad rerum cuſtodiam, dominium & proprietatem, quod ex antiquis annulis ſignatoriis ſiue ſigillariciis, qui habeant *χαρακτῆρα*, conſtat. Parthi Vononem Regem Roma accitum, Romaniſque imbutum moribus, cùm minus gratum haberent, illi inter alios Romanos mores obiiciebāt *viliſſima vtenſilium annulo clauſa*: apud Tacit. *lib. 2. Annal. initio.* Vopiſcus in Aureliano *vxori & Filiæ annulum ſigillaricium quaſi priuatus inſtituit.* More enim Romano ſupellex, penuſque omnis annulo ſignabatur. Plin. *lib.* 33. *cap.* 1. *Ac nunc cibi quoque ac potus annulo vindicantur à rapina*; quæ nuper retuliſſe me memini. Hinc illa materfamilias apud Plaut. 13

Obſignate cellas, referte annulum ad me,
Ego huc tranſeo, in proximum ad meam vicinam.

Et ſerui cuiuſdam querelæ.

Iſti parcipromi qui ſalinum ſeruis obſignant cum ſale.

Clem. *lib. 3. pædag.* Chriſtiania fœminis aureum annulum dat non ad ornatum, ſed ad ſignanda ea quæ domi cuſtodienda ſunt. Lipſius *in lib. 2. an. Tacit.* refert effigiem annulorum in Batauia erutorum adiuncta claui, ad vſum videlicet ſignandi, aperiendique. Plin. *l. c.* Iliacis temporibus nullum fuiſſe annulorum vſum docet, nam apud Homerum conditæ artis veſtes, & vaſa aurea argenteaque colligati nodi, non annuli nota ſunt, quæ Plinij verba ſic exponit Cuiac. *lib.* 12. *obſeruat. cap.* 37. vt noluerit Homerus vaſa inuicem colligata fuiſſe ſignificare, ſed arcam in qua erant veſtes & vaſa poſito operculo fuiſſe colligatam firmiſſimo nodo, ne quis ex ea quid ſubriperet.

Neque tantùm ad cuſtodiam notas imprimebant, rebus quas ſeruari à rapina volebant, ſed maximè ad teſtandum dominium & proprietatem illorum, & dum quis videret cuius eſſent, aut ea non ſubriperet, aut vt ſubrepta dominus recuperare poſſet, & tanquam ſua ab iniquo poſſeſſore vindicare, & ideirco ſinguli ſuas ſibi notas proprias habebant, eóque pertinebat illa obſignatio & ſigillatio: eò refero illud Martial. *lib. 9. Epigram.* 88.

Septem poſt calices Opimiani
Denſo cum iaceam triente Blæſus
Adfers neſcio quas mihi tabellas
Et dicis, modo liberum eſſe iuſſi
Zenam, (ſeruulus eſt mihi paternus)
Signa: cras melius Luperte fiet,
Nunc ſignat meus annulus lagenam.

Quam ſibi nempe propriam & ſeruari volebat, & omiſſa in præſens cura de ſignandis manumiſſionis tabellis, cùm iam crebris poculis & denſo triente Blæſus iaceret, & vix litteras omnes poſſet ritè exprimere ex graui capite, ex vino enim grauedo, *κάρο ἐξ οἴνου καρηβαρεία.* Sanè notæ quas ſeruis maximè fugitiuis impreſſas fuiſſe diximus, non aliò pertinebant, quam vt dominus illos repetere poſſet, & vt ad ipſum quoque ab aliis reducerentur. Neque in re vſque adeo perſpicua, & omnibus retro ſæculis vſurpata hærendum diutius eſt; debuit enim perpetuò cuiuſque rei dominus illam ab aliis certa nota internoſcere. Atque hactenus de variis notis & ipſarum apud veteres vſu, non iniucunda fortaſſis aberratione diſputauimus. Redeo in viam, & de mercium notis, quarum cauſâ ſuſcepta erat diſputatio, pauca quædam obſeruo.

Atque in primis merces & res venales fuiſſe conſignatas certis notis, conſtat ex mancipiis venalibus 14

nalibus, quorum pedes cretatos fuiſſe iam monuimus. Cùm ſerui pileati venibant, eorum nomine venditor nihil præſtabat. Quare eo ſigno, quodnam eſſet mancipiorum genus, & quæ lex venditionis, emptores intelligebant. Simili ratione mancipia bello capta coronis induta veniebant, & idcircò dicebantur ſub coronis venire: vt ea itaque corona ſignum erat captiuorum venalium, ita pileus impoſitus demonſtrabat eiuſmodi ſeruos venundari, quorum nomine venditor emptori nihil præſtaret: ita Agell. *lib.7. cap.4.* Et de notis ac ſignis ruſticis, tum pecori, tum aceruis impreſſis diximus: Nam 1.*Georgic.* *Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit aceruis.* Vini quoque amphoras notatas fuiſſe docet Iuuen. *Satyr.5.*

——Cuius patriam titulumque ſenectus
Deleuit multa veteris fuligine teſta.

Nempe gypſatis, picatiſque amphoris affixa erant pittacia cum inſcriptione, vbi natum ſit vinum, & quo Conſule conditum. Ibid. Iuuen.

Ipſe capillato diffuſum Conſule potas.

Horat. *lib.3.Carm. Ode 28.*

————parcis diripere horreo
Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram.

Horreum dicit, quia in locis editioribus collocabantur vini apothecæ, & in eis teſtæ & amphoræ ſeruabantur fortaſſis vt facilius fumum biberent, & vinum inueteraſceret. Quod docet culum. *lib.1. cap.9.* ipſeque Horat. *eod. lib.3.Carm. Ode 8.*

Hic dies anno redeunte feſtus
Corticem adſtrictum pice demouebit
Amphora fumum bibere inſtituta.
Conſule Tullo.

Et Tibull. *lib. 2.*

Nunc mihi fumoſos veteris proferte falernos
Conſulis, & Chio ſoluite vincla cado.

Denique Horat. *lib.3. carm. Ode 21.*

Quocumque lectum nomine Maſſilicum
Seruas moueri digna bono die,
Deſcende Coruino iubente
Promere languidiora vina.

Et alibi.

Nec Leſtrygonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi.

Cicero *ad Brutum.* *Vt ſi quis falerno vino delectetur, ſed eo nec ita nouo vt proximis Coſſ. natum velit, nec ita vetere vt Opimium, aut Auitum Conſ. quærat. Atqui hæ notæ ſunt optimæ? Credo. Sed nimia vetuſtas, nec habet eam, quam quærimus ſuauitatem, nec eſt iam ſanè tolerabilis.* Itaque notabatur vinum in cauponis & tabernis, ex quibus à vilioribus peti ſolebat, quare ſibi ipſi detraxit Claudius apud Sueton. *cap.40.* cum ſe olim id feciſſe dicebat. Et Plutarch. in Timoleonte miratur fortunam Dionyſij, qui è Tiranno Siculo Corinthi apud Opſonatricem commoratus, vinum è taberna petere cogebatur. In cellis quoque propriis amphoræ vinariæ, vti oſtendi, notabantur. Quod idem de aliis rebus venalibus dicendum eſt, ad deſignandum patriam vel ætatem, numerum, menſuram, pondus, opificem, pretium & ſimilia quæ in emendis, vendendiſque mercibus obſeruari ſolent, & quæ vix cognoſci etiam à peritis poſſunt, niſi denotentur, intereſtque publicæ rei atque etiam priuatæ dominorum ad vitandas fraudes & tuendam integritatem commerciorum. Quare Franc. I. anno 1539. edixit vt vbi merces externæ, & exoticæ Lugdunum peruenerint, inibi obſignentur ſigillo liliorum, & ſigillo Lugdunenſis Ciuitatis. Idem circa pannos ex aureo aut argenteo filo textos edixit an.1542. Art.36. & Carol. IX. an.1564. 23. Februar. ſiue texantur in regno, & inde aliò aſportentur, ſiue ex exteris regionibus in regnum inuehantur. Ipſaque conſtat experientiâ merces notari aliquo ſigno quo vel patria, vel opifex, vel pretium, vel menſura, vel denique dominus ſiue communis, ſiue ſingularis deſignentur. Suntque eæ notæ diuerſi generis, & eæ ferè omnes quas nuper ſingillatim numerauimus. Aliæ ſiquidem ſunt figuræ acu textæ in ipſa re, aliæ cereæ, aliæ plumbeæ, aliæ papiraceæ, aſſutæ vel appenſæ, continentque vel chiffras, vel ſingulares litteras, vel inſignia, vel quaſdam alias figuras, quæ vix nota ſunt aliis quàm ipſiſmet mercatoribus, qui etiam ex iis ſignis ſi quando ſubripiantur, ſibi illas vindicare poſſunt. Quæ omnia non indigent alia confirmatione. De his pauca quædam quærenda ſunt.

ARTICVLVS II.

Quæſtiones de notis mercium, ſignis artificum, & ſymbolis gentilibus quæ variis rebus imponuntur.

An ſignum alicuius merci impoſitum arguat illum eſſe mercis illius dominum. 1.

Caſus quidam ſingulares. 2.

Cuiuſnam ſint merces quæ ſocietatis ſigno notantur. 3.

An ſignum empteris appoſitum rei venditæ illius traditionem poſſeſſionemque arguat. 4.

QVæritur primò an ſignum alicuius merci appoſitum, arguat ipſum eſſe mercis illius dominum? Ita affirmat Penna *in l. ſtigmata 3. C. de Fabricenſibus. num.8.* *Si quis*, inquit, *agit pro boue vel equo mercato merco gregis ſui, ſeu armenti, licet non probet dominium eiuſdem bouis vel equi: ſufficit tamen probare, quod illo ſuo merco mercatus ſic reperitur.* Et alij apud Chaſſanæ. *in catal. prima parte, concluſ.35.* quia ſignum oſtendit ſignatum, neque alia de cauſa mercatores habent ſigna & *merca*; ſic faſces & *bala* dicuntur eſſe illius cuius merco ſunt impreſſæ; ſtigmata demonſtrant eſſe militem; ſignum appoſitum, arbores eſſe venditas, inſignia denique & vexilla, dominum nauis: eaque de cauſa non licet neque ſua propria ſigilla & *merca* rebus alienis apponere, neque aliena ſuis. Probat prætereà Penna *ex citata l. ſtigmata*; vbi Fabricenſes ex ſtigmate brachio inuſto dignoſcuntur. *& l. pen. §. vlt. C. de aqua ductu*; Aquatij ſiue aquarum cuſtodes hydrophylacæ, nomine Imperatoris in manu ſignabantur, vt eo ſigno agniti ad alios vſus non ducerentur, neque angariarum aut operum nomine tenerentur: affert & *l.1. ſub fin. D. de ſeru. fugitiuis*; illorum enim nomina & notæ diligenter inſpiciuntur, vt ex illis dominus ipſorum inquiratur. Denique Paul. *in l. quod ſi neque 14. D. de pericul. & commod. rei vendit.* ait, *Videri trabes traditas quas emptor ſignaſſet*; quia trabes nequeunt ad alium finem ſignari. 1

Placet nihilominus cum Strac. *de mercat. par. 2. num.9.*

num. 9. & pluribus quos ibidem adducit, quibus poſtmodum adhæſit Maſcard. *de probation. concluſ.* 1052.*n.*9. ex eiuſmodi ſignis & notis non duci niſi coniecturam & præſumptionem, non verò plenam probationem ex qua poſſit ſibi mercator faſces mercium, ipſaſque merces vindicare, niſi accedan aliæ coniecturæ, & circunſtantiæ quæ probationem augeant, & illam plenam aut ſemiplenam efficiant, vnde poſſit a Iudice cõcedi aut negari iuramentum in ſupplementũ; alioquin infinitis fraudibus daretur occaſio, facile enim foret eiuſmodi ſigna & notas corrumpere, vel imitari, & rebus non ſuis apponere, aut ab alienis auellere. Solentque interdum ipſi mercatores ex mutuo conſenſu commutare ſua ſigna in mercibus diſtrahendis, & vnus aliquando ſub nomine alterius bene volentis ſuas merces occultat. Denique cùm aliquando integros faſces mercium ſuo ſigno notatos diſtrahant mercatores, & emptores illos non reſignatos aliò mittant, poſſent longo poſt interuallo primi venditores ſibi eiuſmodi faſces vindicare ex ſuo ſigno, neque exceptione repelli poſſent: idque maxime in equis illuſtri aliqua nota inſignibus faciliùs contingere poſſet. Quis verò dicat probationẽ tot paſſim fraudibus obnoxiam, firmam eſſe? Quæ verò affert ex iure Penna, nihil prorſus efficiunt. Nam ſtigmata illa inuſta Fabricẽſibus & Aquariis, ſigna publica erant, quæ maiorem vim habent. Notæ verò ſeruorum ſolæ non probabant ſerui dominum, niſi alia quædam adiungerentur: quæ diligenter a Præfecto vigilum, vel a Præſide, ad quos fugitiua iſta mancipia deducebantur, inquiri vult Vlpian. *in illa citata l.* 1. *de ſeruis fugitiuis*. Et denique poteſt eſſe aliquod diſcrimen inter notas perſonis & rebus impreſſas, quoad ſignificationem & demonſtrationem aliquam, vt ſtatim monebimus. Denique Pauli dictum de trabibus ſignatis, quæ eo ipſo traditæ videantur, ſupponit iam perfectam fuiſſe venditionem, ſolaque quæſtio erat an ex ſigno appoſito traditio & poſſeſſio colligeretur, quod fatetur Iuriſconſultus, quia non potuerunt alia de cauſa iſtæ trabes ſignari ſigno emptoris, quàm vt demonſtraret ſuas iam eſſe factas, & ſibi traditas fuiſſe, non verò ſimpliciter, quia ſignum eius gerebant. Nam ſi ante venditionem eas ſignaſſet, vt eas ab aliis ſimul venalibus ſibi emendas ſeponeret, an amabò ex ſuo ſigno illis appoſito ſe illarum poſſeſſorem, aut dominum demonſtraret? Et ſanè ſola ſignatione rei & mercis non ſignificari eam traditam eſſe emptori, manifeſtè traditur *illo ipſo D. de peric. & comm. rei vendita, l.* 1. §. 2. vbi ſic habet Vlpian. *Si dolium ſignatum ſit ab empore Trebatius ait traditum id videri. Labeo contra, quod & verum eſt. Magis enim ne ſummutetur, ſignari ſolere, quam vt tradere tum videatur.* Poterit igitur merx aliqoa ſignari, alia de cauſa, quàm demonſtrandæ traditionis aut poſſeſſionis, quæ proinde ex ſola ſignatione certò nequit vendicari, vt vides in dolio ſignato ne ſummutetur, id eſt vnum pro alio ſupponatur. Atque ex his

2 Colliges primò Semproniũm mercatorem qui repetit merces repertas apud Caium mercatorem, eaſdem Caij ſigno notatas cum aliis ipſius mercibus, nihil obtenturũ aduerſus Caiũ, quamuis vnico teſte probet merces quas ſibi vindicat, ſuas eſſe, quia præſumptio vrgens fauet Caio, neque poterit deferri iuramentum in ſupplementum, quia vbi eſt præſumptio contra probantem, ceſſat iuramentum. Quare in hoc caſu validæ probationes exiguntur contra Caium mercatorem ſuarum mercium, ſuóque ſigno notatarum poſſeſſorem, vt ex ſua illa poſſeſſione deiiciatur propter vehementem præſumptionem, quæ ipſi fauet.

Secundò Caius habet merces apud ſe proprio ſigno ſignatas, & ſimul ſigno Lucij, qui illas ſibi vindicat, ſiue quia ipſi vtuntur eodem ſigno, ſiue quia ſimul ſignatæ fuerunt ſigno Actoris & Rei, vti aliquando fieri ſolet. Quid iuris eo caſu? Reſpondet ſapienter Straccha 2. *parte citata, num.* 83. *&* 84. fauere poſſeſſionem Caio, eiuſque meliorem eſſe conditionem, & vnam præſumptionem alteram elidere. Quare non poterit Lucius aduerſus Caium agere publiciana actione, quæ non conceditur aduerſus eum qui titulo poſſidet, vt DD. *in D de publiciana*, fatentur; quia quando quis titulo poſſidet, duo habet, titulum nimirum & poſſeſſionem. Nihil igitur mirum eſt, ſi agentem publiciana, qui ſolum titulum habet, excludat; ſi verò vterque & titulum & poſſeſſionem habeat, vtriuſque par cauſa erit. Quare aliunde quàm ex ſignatione propriu ſigno, definiendum erit à ſapiente arbitro.

Tertiò Caius probat merces ſuo ſigno ſignatas eſſe, ſeque ipſaimet ſignaſſe; neque quidquam amplius docet, ſed ex ea ſignatione agit ad ſibi illas vindicandas. At verò Titius licet ſignum negare nequeat, contendit tamen ſe legitimo titulo eas poſſidere, emptione nimirum, permutatione alióve ſimili. Pronunciat Straccha aliis adductis *num.* 85. quia bona cauſa Titij ex titulo præſumitur: quod ſi Titius reus nihil aliud probarit quam ſe eas poſſidere, neque etiam Caius actor quidpiam aliud affert quam ſuo ſigno à ſe ſignatas illas olim fuiſſe; non idcirco tamen Titius ſua poſſeſſiune ſpoliari poterit, cùm Caius actor nondum ſufficienter euicerit vindicare ſe poſſe eiuſmodi merces, & ſibi poſſeſſionem illarum adiudicandum eſſe. Debebit itaque Iudex amplius inquirere, atque Rei & Actoris conditionem, ingenium, mores, mercium valorem, qualitates locorum, & mercimoniorum rationem, aliaque ſimilia adiuncta ſapienter expendere, & videre, an iuramentum in ſupplementum deferre, aut non deferre, cauſæ genus & æquitas patiatur.

Quæritur ſecundò, An ex communi ſocietatis ſigno merci appoſito liceat colligere eam mercem 3
& ſocietatis eſſe, & ſingulorum, omniumque ſociorum, ſecundùm leges ſocietatis inter ſe initæ. Conſueuerunt enim mercatores, vbi inter ſe ſocietatem coẽunt titulum illi & veluti formam quandam, aut potius nomen dare, quo in omnibus contractibus atque rationum libris, apochis, literis, aliiſve vtuntur: verbi gratia Societas Ioannis & Pauli, & ſubſcribunt litteras *Ioannes & Paulus.* Sumunt prætereà ſignum aliquod ex communi conſenſu, quo & in libris ſuis & inſcriptionibus, atque in ſubſignandis mercibus vtuntur. Quæritur igitur, an illa ſigilli communis appoſitiu perpetuò totam ſocietatem, & ſingulos omnes ſocios obliget: Verbi gratia tres mercatores coïuere ſocietatem emendi, transferendique Venetias quantam poſſent croci quantitatem; & ſinguli duas ſarcinas coëmêre, quas omnes numero ſex, vnus ex illis naui impoſuit Venetias transferendas: ſed direpta à pyratis naui, amiſſæ ſunt omnes iſtæ ſarcinæ, quarum deinde quatuor recuperatæ ſunt, & illæ duæ quæ fuerant vectoris deſideratæ ſunt. Quærebatur igitur an amiſſarum ſarcinarum damnum & periculum tribus ſociis commune ſit, ſupponimus

enim nullam fuiſſe culpam vectoris amiſſarum faſcium domini. Reſpondet ſapienter Baldus ea de re conſultus, *conſil. 416. in 1. volum.* inquirendum eſſe an ſocietas inita fuerit in croco, ſiue croci faſcibus; ita vt illa croci quantitas facta fuerit communis ad lucrum inde per commercium capiendum; an verò ſit facta ſolum ſocietas pro lucro ex ea croci quantitate redigendo; pra rata ſcilicet quantitatis croci, quam quiſque colligeret: hoc enim poſtremo caſu non erant communicatæ croci ſarcinæ, neque factæ erant communes omnibus ſociis, ſed manebant ſuæ ſingulis propriæ, quamuis lucrum ex eis prouenìens commune foret. Cuiuſmodi ſocietates ſæpius fieri oſtendimus *opere de vſuris lib. 5.* quo etiam caſu periiſſent eæ ſarcinæ vectori illarum domino. An verò fuerit facta ſocietas iſta ad lucrum dumtaxat, an verò crocus communis redditus, ac proinde ad ſocietatem eius periculum pertineat: ſi aliunde conſtare nequeat colligendum erit crocum cõmunicatum fuiſſe ex ſigno communi ſocietatis, omnibus & ſingulis ſarcinis appoſito; ex adiectione enim ſigni omnibus communis mutua poſſeſſio tradita cenſetur.

Quæritur tertiò an ſignũ emptoris ab ipſo rei vẽditæ ſciente, & patiente venditore appoſitũ, poſſeſſionem iam captã eſſe annuat: v. g. naui quis à ſe emptæ ſua appendit inſignia, an illius poſſeſſionem eo facto cepit: ita plurimi docent: alij negant. Et ſanè videntur Vlpian. *in l. 14. D. de peric. & commodo rei vendita*, & Paul. *in l. 14. D. eod.* ſibi contradicere, vti iam diximus. Diſtinguendum igitur eſt; vel enim ſignum appoſitum fuit ante perfectam emptionem, vel illa perfectâ. Si primum, non acquiritur poſſeſſio per illam ſignationem, ſed ſolum notatur, quod emendum eſt. Si ſecundum, vel ſolius traditionis causâ potuit apponi ſignum, vel aliquo alio fine, vt dicebat Vlpian. in doliis, quæ notantur, ne facilè mutentur. Primaria ſignatio arguet traditionem, non verò ſecunda; quo modo facilè duorum Iuriſconſultorum diſſidia componuntur. Debet autem illa ſignatio fieri, ſciente & patiente venditore, qui aliter non cenſebitur tradere rem venditam, vt patet.

ARTICVLVS III.

An liceat ſuis mercibus ac rebus alienum ſignum, & proprium ſymbolum alienis apponere.

Quid ſit Gentilitia teſſera. 1.
Eius teſſera & ſcuti partes. ibid.
Varia genera teſſera ſcutaria. 2. 3.
De teſſeris ſcutarijs nobilibus. 3.
Plura genera teſſerarum. 4.
Origo gentilitia teſſera. 5. 6.
Quando liceat ſuam teſſeram ſcutariam operi publico apponere. 7. 8.
Emptor rei empta ſua ſymbola iure apponit. 9.
Idem licet proprietario, cum prarogatiua tamen ſcuti Dominici. 10.
Non licet ſymbola aliena dignitatis aſſumere. 11.
Neque etiam aliena familia. 12.
Nemo impediri poteſt ne ſua rei ſymbolum apponat. 13.
An id liceat in re litigioſa. 14.
Non licet aliena ſymbola ſumere. 15.
Quomodo gentilitia ſymbola in extraneum tranſire poſſint. 16.
Quomodo alienis rebus ſua ſymbola quis imprimat, & aliena ſuis. 17.
Quid de notis & merchis mercatorum ſit ſentiendum. 18.
Quid de ſignis artificum. 19.
Quid de ſignis ſocietatis mercatorum, aut artificum. 20.

1 Hæc quæſtio fuſiùs patet; nam de quibuſcumque rebus & non ſolis mercibus, neque de ſignis quibuſdam & notis dumtaxat, ſed de ipſis quoque gentilitiis ſymbolis inſtitui poteſt. Quare Bartol. tractatum de inſignibus & armis edidit, Chaſſanæ. *in 1. p. catal. à conc.* 10. & alij Conſulti iuris varias hac in parte quæſtiones excitarunt, quas commodiori loco vix liceat explicare. Paucis itaque quæ ipſi fuſiùs diſputant, noſtro more & methodo complectemur: originem porrò gentilitiæ teſſeræ ex Gallica formula, eiuſque vſum gemino tractatu Philibertus Monetus noſter, veteribus Romanis incognitam materiam latiſſimè ſcripſit, quam alij barbarè expreſſerunt. Itaque eius maximè verbis vtemur, & circa naturam, partes & varia genera ſcuti teſſerarij eum ferè exſcribemus, ne & nos ipſi barbari eſſe cogamur. Atque vt a definitione ordiamur; gentis ſymbolum ſiue teſſera eſt abſolutum corpus hieroglyphicæ iconis ex colorato vel ſculpto ſolo, atque ex ſymbolica imagine, ſubſtrato ſolo appicta conflatæ. Alias definitiones dabit author veræ Artis, *cap.* 4. Nobis non vacat illas expendere. Porrò non ex omnis generis iconibus, omnique metallo aut colore conficiuntur hæc ſymbola ſcutaria, ſunt enim tantum quini colores. Metalla duo, vellera item duo. Colorum quidem genera ſunt purpureum, ſeu molochinum, miniatum, ſeu rubrum, cyaneum, ſeu cæruleum, praſinum, ſeu viride, furuum, ſeu pullum aut atrum. Metalla duo aurum & argentum, aut cùm hæc defuerint ipſorum loco croceum & candidum. Vellera verò ſiue dyphthere, pelles, aliàs ſcutarij laterculi ſunt Ponticum & petaſites. Ponticum vellus eſt muris Pontici exuuium candidi villi furuis maculis plani muſcarij ſpecie aſperſi. Petaſites ſeu Cymbalites, dyphthera eſt factitium vellus ex perpetuis petaſis, vel cymbalis celſioris & æqualis tubi, ac breuioris oræ depictum. Ex variis iſtis coloribus & metallis ac velleribus conflatur ſcutum & Icon Hieroglyphica, quæ in eius ſolo depingitur, ſculpitúrve, cuius in ſchemate poſita eſt maxime ratio & natura totius gentilitiæ teſſeræ: quare parmæ ſolum ſiue ſcutarius laterculus, membranam exprimit ſingularis cuiuſpiam commentationis ſtylo aut prælo conſignandæ. Icon verò hieroglyphica ſub oculos ſubiicit characteres ipſos aut ex characteribus expreſſam commentationem. Itaque ſic depictum ſcutum refert Ægyptiaci vſus hieroglyphicum myſticumque codicé, cuius coloribus ac figuris abdita lateat illuſtris quæpiam ſententia, ideoque ſuperficiaria ſcuti area, merum eſt ipſius corpus exanime: Icon

verò

verò hieroglyphica eiuſdem eſt genuina anima, & germana vita. Sunt porrò eiuſmodi ſymbolicæ imagines ſapienter inſtitutæ, vt eis ante oculos poſitis, Gallicæ nobilitatis animus ad celſa perpetuò cogitanda, & audenda intendatur, heroïcisque perpetrandis facinoribus, ipſis continenter exerceatur. Ionior equidem nobilitas quoties coniicit oculos in gentilitias parmas per illuſtres imagines ab Maioribus ſuis inſigni virtute quæſitas, atque ipſorum aliquando Regum exceptas manibus, non poteſt non toto animo commoueri, & vehementiùs exacui, ad eadem illa concipienda facinora, quæ tam claris magnificiſque præmiis fuerint cohoneſtata. Et ſanè hæc ſymbola ſcutaria per Gentis capita ad poſteros hæreditario iure tranſcribuntur. Vnde multa ſchematum varietate vſurpantur peculiaribus ſuis cuiuſque attributis, vti eiuſdem aut diuerſæ ſtirpis familiæ nobiles interdiſtinguãtur. Quare dicuntur gentilitia ſymbola, ſcuta, parmæ gentilitiæ, auita inſignia, aliiſque eiuſmodi nominibus, quibus familiæ & gentis alicuius proprium eſſe illud ſcutum, aut ſymbolum ſiue teſſeram, ſignificetur. Francico vocabulo nominantur *Armes*, *Arma*, quod perquam varias notiones, multipliceſque vſus ſecum inuehit. Frequentius autem pro hieroglyphico ac proprio nobilis familiæ inſigni. Oportet verò hieroglyphicam eiuſmodi iconem vel natura ſua vel ipſo vſu, vel vtroque ex capite pulchræ, probæ, ac inſignis rei ſignificationem præferre, vti cum eo fine aptè conſentiat, quem hieroglypho ſcutario proprium eſſe diximus. Quare conſectarium eſt, ſcutariam imaginem non niſi ab egregiè perito naturæ, artis, morum & rerum in experientia poſitarum, rectè excogitari poſſe, ac conſtitui, aut ab eo certè cui adſit multus vſus rei ſcutariæ. Vnde fit vt ſculptores, pictores phrygiones, & huius generis artifices alij iuſtarum proportionum, & affectionum ignari quotidie adulterent non mediocriter complurium familiarum illuſtriũ ſcutarias imagines, vti monet Philibert. Monet. *tract. de vſu gentilium teſſerarum ex Gallica formula, cap.* 13, *&* 30. ex quo nos hoc loco proficimus. Id verò duobus illuſtribus exemplis demonſtrat: nã veterrimi à Gallia Scriptorum quidam parum circũſpecti, & rei gentilis teſſerariæ ignari, cùm primorum Galliæ Regum aurea lilia perperam depicta caſu obſeruaſſent, ea pro totidem bufonibus ſumpſerunt, & ſcripto prodiderunt, qua edenda fabula magnam vim hominum in errorem induxerũt, in medio ſcilicet floris folio bufonis caput & corporis truncum; in reliquis duobus foliis minutioribus ac pendulis anteriora bufonis crura: poſteriora vero in bifido libripede productiùs inflexo ſibi comminiſcentes. Sed conſiderati homines & hiſtoriæ periti vanũ id commentum procul amandare. Sanè veteres illi hoc dumtaxat argumenti afferunt vt ſuum illud commentum de bufonibus probent, in Rhemenſibus parietinis quibuſdam ab ſe obſeruatũ ſcutariæ Regum teſſeræ appictos eſſe bufones, ſed minimè malorum hominum oculos parum acutos, etiam vehementiùs hebetebat multa inſcitia diſciplinæ teſſerariæ. Cur enim pari ſtudio non coniecerunt eoſdem oculos in primorum Regum ſepulchrales effigies, & attentiùs inſpexere liliis perſperſos amictus Regios, & in iis Clotarij I. liliatos etiam ipſos calceos, ad Beati Medardi Sueſſonenſis: ac in eadem æde deſcriptam liliis tunicam Sigiberti Mediomatricũ Regis, vnius ex Clotarij filiis: Lutetiæ ad ſancti Germani liliis expreſſum ſceptrum Chilperici, alterius ex Clotarij filiis? Quidni præterea aduerterunt exædificatas à primoribus illis Regibus ſacras ædes, auliceſque baſilicas, & inaugurandorum Regum vetuſtiſſimos codices rituales, quorum omnium notitia ipſorum animos omni allucinatione abſoluiſſet. Immo iſti bufonum præclari diuinatores, denſam luminum ſuorum caliginem vel ſponte profitentur, cùm adiiciunt primoribus noſtris Regibus teſſerarios etiam icones, fuiſſe, vel tria diademata, vel aras totidem, atque propiùs fit nihil, quin admittant vltrò eorum, quæ de his teſſeris commenti ſunt, omninò nihil fuiſſe, ſed nihil aliud quidpiam, quod nequiuerunt deſpicere, vt quæcumque de hoc argumento prodiderunt, temerè diuinare viſi ſunt, non certis rationibus colligere. Sane Regum diadema in ouatam figuram modicam inflexum, & ad imum latus vtrumque fluctantes corymbi, ab negligenter expreſſa lilij ſpecie parum diſcedit, ideoque rudibus in ſymbolica diſciplina oculis, erroris cauſam facilè potuit ſuggerere, quibus item procliue fuit, vt imponeret arulæ imago quæpiam non vulgaris, vtraque autem, & diadematis & arulæ figura inani bufonum commento locum in hiſtoria eodem allucinationis genere præparauit. Neque cogit ea ratio, quam qui in hac controuerſia ſtant à bufonibus, vt congruentiſſimam afferunt, quod Franci Principes ad Rheni oſtia & Batauos paluſtrem incolentes plagam, quadrantia maximè natali ſolo ſcutaria ſymbola ſibi legenda duxerint. Verùm bufonicum hoc gentilis parmæ emblema, haud ineptè quadrauerit aſſiduo ranarum piſcatori, & lymacum legulo, cum ex eis in foro venalibus aliquid pecuniolæ coegerit: nihil verò indignius, nihil intolerabilius fingi, dicive poteſt, quam vt fœdæ eiuſmodi teſſeræ ſummis & bellicoſiſſimis Principibus adſcribantur. Ecquinam Ægyptiorum, ecqui Gymnophiſtarum, ecqui reliquorum toto orbe ſapientum & eruditorum in bufone hieroglyphon obſeruarunt, quo deſignetur virtus quæpiã digna Regio nomine, atque faſtigio. Cēſeamus itaque ſtuporis longè minus noſtris in Regibus fuiſſe, quàm vt tam inuiſa & fœda parmæ ſymbola ſibi aſciuerint, atque prius quàm è cœlo eis mitterentur lilia, quiduis aliud à bufonibus in ſcuto prætuliſſe. Ita eleganter Monetus *cap.* 30. non diſſimile in re ſcutaria deceptionis exemplũ affert eorum qui quatuor B. Græcas illas Orientis Imperatoribus in teſſerario emblemate ſolemnes litteras nobis iactauerũt, etiamnumque iactant pro totidem vel ocularis cõſpicillis, vel chalybeis igniariis, cũ quodlibet quaternorum Beta B. præferret Græcum verbũ, è quibus omnibus conflabatur elogium de Imperatorũ cuiuſque potentia hoc verborum contextu *Rex Regum, & dominus Principum in alios dominantium.*

Diuerſi verò generis ſunt hæc ſcutaria ſymbola a
ſiue teſſera ſcutaria. Nam primò quædam eſt vetus ac gentilis & auita, quædam recens & aduentitia, paucarumque ætatum & ſtirpium in gente quapiam ex inſtituto certam ob cauſam aſſumpta, quædam nunc primum ab aliquo adſcita. Secundò quædam ſunt à Principe datæ gentilitiæ teſſeræ; quædam à ſingulis variis de cauſis aſſumptæ; mos enim & vſus bellicæ virtutis inclytorum pugnatorum remunerandæ is fuit in Gallia maiorum ætate, vti poſt pugnatas celeberrimas pugnas, qui bellatorum ſe claris facinoribus maximè conſpicuos perſtitiſſent, ij ab ipſis Regibus aut integro nouo ſcuto ſymbolico, aut perinſigni certè aliqua imagine familiæ ſcuto vetuſto inſerenda, virtutis ergo & ad rectè factorum memoriam cohoneſtarentur, cuius antiqui moris illuſtria exempla hæc affert Monetus *cap.* 13. *citati operis.*

Amaudus Conuenanus Conſeranorum Viceco-mes, auratam parmam tulit puniceo limbo præcinctam, qua teſſera ipſius maiores cohoneſtarat Carolus Magnus, in teſtem ſcilicet nauatæ ipſi Regi conſtantis, & illuſtris operæ militaris aduerſum Saracenos in Hiſpania, vti Ionuilleos refert in hiſtoria. Petrus Saluagnios Boëſſicus Toparches auream ſcuti aream ſabulari aquila bicipiti depictam, liliatoque Regij hieroglyphi limbo præcinctam tulit, quo margine Francico eum ſuo merito donauit Rex Philippus, vti principem anctorem tranſcribendæ Delphinatis prouinciæ ad Regum Franciæ maximos natu liberos. Ioannes Aurelianicus Ludouici Aurelianici nothus, ob ſingularia bellicæ virtutis facinora, incenſumque in tuendo ornandoque regno ſtudium, Caroli VII. Regis decreto, poſt depulſos Aurelianorum obſidione Britannos, eoſdemque ſæpius victos, argenteam lineolam ab dextro per Francica lilia traductam geſſit pro ſabulari linea ſpurij natalis nota. Ioanna virgo Aurelianenſis, quòd cum Ioanne Aurelianico fortiſſimè ac fideliſſimè pro Gallia in Britannos depugnauerat, eodem Carolo Agonetheta ac munerario accepit in Cæſiæ parmæ area auream in apice coronam, ſtricto & in palum ſtante gladio argenteo eum muniente ad copulum decuſſe aurea ſuffultam, gladij latera cingente ſingulo lilio aureo. Albretius Dynaſtes ex Froëſſardo Francicis liliis obſitam aream ab Carolo VII. teſſerarium munus accepit, qui Dynaſtes fuiſſe videtur Carolus Albretius Druidenſium Comes, Francicæ militiæ Magiſter ſub eodem illo Rege, qui quadripartitum ſcutum tulit ex binis quadrantibus Francica forma liliatis, & reliquis duobus puniceis. Cleromontani Dynaſtæ apud Delphinates coccineam parmam argenteis clauibus duabus mutuò decuſſatis inſignem præferunt, & quidem munere Pontificum Romanorum compenſantium huiuſce familiæ ſingularia ſtudia, & opportuna ſubſidia Eccleſiæ collata. Neque enim ad memoriam conſignandæ, numerandæque ſolius bellicæ virtutis, ſed alterius, cuiuſlibet inſignioris conferebantur à Principe hæc ſymbola ſcutaria, hodieque conceduntur. Carolus IV. Imp. conceſſit Bartolo, vt ipſemet teſtatur *in tract. de inſignib. & armis.* parmam auream cui appictus eſſet leo animatus bifida cauda.

Præter hæc ſcutaria ſymbola à Principe conceſſa, ſunt & alia quæ ſibi quiſque ex aliquo illuſtri facto, aut caſu ſumpſit, aut communi conſenſu & voluntate accepit, quæ deinde ipſo vſu ab omnibus atque ipſis Principibus probata fuere: cuiuſmodi erant plurimæ teſſeræ ſymbolicæ quas ſuis ſcutis, ſagis, gladiis Milites & Duces impreſſerunt, quorum exempla paſſim proſtant. Eſt verò magnum diſcrimen iter iſtas gentiles teſſeras in monumentum virtutis à Principe conceſſas, & alias ſponte, aut aliunde quàm a principe ſumptas. Priores enim illæ præcipuis quibuſdam iuribus gaudent, quæ dabit Bartol. *tract. citato*, & Chaſſan. *in catal. 1. part. conc. 36.* ſunt enim in primis maioris dignitatis, vt patet in teſtamento à Principe facto. Deinde à nullo prohiberi poteſt illorum inſignium vſus, modo tamen ea ſymbola ſcutaria non ſint alicuius alterius ſtirpis aut familiæ, nulli enim intendunt officere Principes, neque iuri alterius derogare, quoties erga alium ſe liberales exhibent. Si plures habeant eadem prorſus ſcutaria ſymbola, neque de ipſorum prioritate aut antiquitate conſtet, qui præfuerit à Principe donatus ſcutario ſuo ſymbolo præferri in omnibus debebit, ſi cætera paria ſint, æqualis v. g. dignitatis exiſtant: ſi duo Aduocati haberent ſimilia aut diſſimilia ſcutaria ſymbola, quorum vnus a Rege accepiſſet, alter ſibi ſuum ſumpſiſſet, prior ille præferendus foret. Si verò Regni Cancellarius ſuam ſibi parmam teſſerariam fingeret, præferendus nihilominus patrono, aut alteri inferioris dignitatis qui à Rege accepiſſet.

Tertio diuiduntur ſcuta teſſeraria in nobilia & ignobilia ſiue plebeia, atque inter nobilia plurima ſunt diſcrimina, pro nobilitatis gradu, dignitate & ordine. Sic teſſerarium faſtigium, ſiue cymaton, coronamentum, & hyperaſpis, eſt vel certa nota inſignis dignitatis, vel germanæ & vetuſtæ nobilitatis ſymbolum, & ea propter plebeiis omnibus ſanctione Malotæ interdictum. Vniuerſarum verò hyperaſpidum auguſtiſſima eſt corona, ſimulque illuſtriorum inter Dynaſtas honorum index. Et quidem ſummi Pontificis teſſerarium ſcutum triplex ex auro tyaras perpetuò integit & exornat: Cæſarum autem Regum, Principum, Ducum, reliquorumque Dynaſtarum ſymbolicum clypeum obuelat vel corona, vel galea, vel vtraque pro ipſorum arbitrio. Et galeata quidem hyperaſpis, hyperaſpidum omnium gentili ſcuto maximè affinis & communis eſt; vti quæ claram Equeſtri laude nobilitatem graphicè depingit: tametſi aurea corona Dynaſticæ dignitatis longe plus habeat: & galeatum quidem faſtigium, quo pluribus foratum eſt luminibus, hoc nobilius eſt, & auguſtius, plura verò pauciorave lumina æſtimantur ex ratione ac modo imperij quod quiſque nactus ſit in obnoxios ſibi homines. Nam plura eiuſmodi lumina aut oſcilla potiorem dignitatem indicant, pauciora inferiorem conditionem arguunt. Quare vndeciforis galea faſtigiaria Imperatorum & Regum eſt ſingulariter propria, vt quibus longe ſit latius imperium quam cæteris, & plus iuris in alienas actiones adiudicandas. Nouemforis ſupremo iure Principibus, Ducibuſque deſtinatur, heptaphylos galea teſſeraria Marchionibus, Comitibus & eiuſmodi Satrapis adſcribitur. Quinqueforis Regij ordinis torquatis Equitibus & baronibus aſſignatur. Triforis nobilitate auita claris hominibus. Denique cæca galea coronoria & faſtigiaria peculiaris eſt nudæ parmæ, & pinnati vexilli nobilibus viris, Equeſtris iuris, titulique inter nobiles exortibus, vt quibus in neminem competat Iuriſdictio & Dynaſticum Imperium. Quare plebeiæ ac obſcuræ notæ homines plerique tota Gallia, qui poſito è ſaxo pluſquam dimidiati toreumatis locant inſculpendas ſibi faſtigiarias caſſidas, & quidem non paucioribus luminibus quàm ipſas Principum galeas coronarias, grauiter omninò peccant, neque tam inſolentis iuris ac moris multorum annorum vſum excuſationẽ obtẽdere poſſunt, quaſi præſcriptione quadam poſſeſſionem faſtigiatæ Principum ritu galeæ ſibi vindicatam opinentur. Metuendumque illis eſt ne tandem Principes ſui iuris vindices acerrimi inſanis hiſce toreumatis & acroteriis ventrem facientes, parietes eradi & penitus complanari iubeant. Intereſt quoque an galea ſit obuerſa an obliqua: quæ verò ratione diſcrimen eſt inter galeas faſtigiarias ſcutorum, ita & inter coronaria cymatia; quamuis enim in teſſerarij clypei & faſtigiariis emblematis auguſtiſſima ſit corona, illa tamen minime quadrat in omnes quibus ſit ius faſtigiandę parmæ ſymbolicæ, niſi ex ſtirpis aut dignitatis claritudine habeant quoque ius coronam imponendi parmę ſymbolicę.

Tunc

Tunc vero vel ſolitariam nudo ſcuto adhibent, vel aduentitiam & ſociam iniunctæ clypeo caſſidæ imponunt, & ſicut in faſtigiariis caſſidis luminum numerus gradum dignitatis inter eos diſtinguit, qui eo genere ſcutarij vtendi prærogatiuam habent; ita varia magnitudo, figura & ornatus coronæ diuerſas eorum deſcribit conditiones, quibus eſt ius coronandi ad faſtigium gentilitij clypei. Nam Cæſareæ Parmæ corona eſt oblongæ conicæ, ab ſummo diſcluſæ in mitram figuræ, ex diremptorum quadrantium hiatu cuſpidem emittens aureo inſeſſam globo; aurea item faſtigiato cruce. Francica ſcutarij faſtigij corona ex auro ſolida eſt supernè cluſa, cameratis quatuor circuli quadrantibus in communem globulum coëuntibus operta, frequentibus illuminata gemmis, vulgarium floſculorum vice tredecim conueſtita liliis, ſingulis eorum ad imos circuli quadrantes, binis ad ſingula quadrantium interualla, decimo tertio tetragono & cæteris ampliori ad ſummum coronæ apicem conſpicuo. Regio ſtemmate Francorum Principum faſtigiaria corona ſupernè aperta, liliis ad anguſtiorem callum perſpergitur, & celſioribus in floſculis deſcribitur. Principum & Ducum ſupremo iure vtentium celſioribus florum ſeruiis eſt interſtincta. Marchionum depreſſioribus quatuor diſtincta in orbem floribus ternis, ad ſingula eorum interualla extantibus cuſpidibus, eminentiore qualibet trium medio, grandius margaritum cunctis in apice perferentibus. Comitum orbe aureo conſtat breuibus echinis præfixo, magni modi margaritas gerentibus. Baronum eſt traiecta linea inſertarum margaritarum ſpira. Prouincialium Rectorum recentis moris ac vſus faſtigiaria corona ab Ducum corona modico diſcrimine diſcedit, quod huic aureus inditur floſculus, illi argenteus, iſque implicatus. Mulieres coronario ſcuto faſtigio eodem quo mariti vtuntur, quare Reginæ Francorum faſtigiariam coronam eadem effigie, qua ipſi Reges, ſed modi minoris adhibent. Eccleſiaſtici quoque Ordinis viris ſua ſunt ſcutaria faſtigia. Pontificis quidem Romani eſt triplex tyara aurea decuſſatis binis clauibus aureis inſidens, cœruleo colligatis vinculo. Cardinalium eſt ipſamet purpurea cauſia Cardinalitia, ſenis vtrimque pendentibus lororum muſcariis. Archiepiſcorum ex ipſorum cruce ac mitra in tranſuerſam faciem iacentibus conſtat. Epiſcorum ex ipſorum pedo & mitra aduerſa frontis collocatis. Mitratorum Abbatum ex ipſorum mitra in alterum latus obliquata. Abbatum vero mitra exortium, ex eorum ſimplici lituo componitur.

Verum præter duo illa clypearia faſtigia, galeatum nimirum & coronarium, accedit aliquando illius faſtigij aliud quoque faſtigium ſiue cimatij acroſtolion, aut acroterion. Francorum Reges acroterij eiuſmodi & coronidis vtuntur tetragono lilio. Regio ſati ſanguine Principes diogono lilio, neque fas eſt nothis Principibus, licet natalium vitio abſolutis, gentili acroſtolio ſcutarium faſtigium coronare; ideoque Ioannis Burgundorum Ducis ſpurij liberi nouum aliud ſibi ſumpſerunt, auream ſcilicet arborem, qua clypeare faſtigium coronarent. Scotorum Reges gentilis parmæ cymatia leone aſſidente faſtigiant. Luſitani orbium cæleſtium ſphæra, alii Principes capris, vrſis, pardis, gryphibus, lupis, draconibus aut eiuſmodi animantibus. Eſt præterea ſcutarij faſtigij panicula, ſeu muſcarium, diuerſo tamen modo: nam alij pinnatam paniculam ſolam, alij ſolitarium acroterion: alij vtrumque ſcutario faſtigio imponunt. Ipſum corpus muſcarij ſiue paniculi faſtigiarij ex metallis & coloribus areæ ſcutariæ componitur; eius tamen extremæ fimbriæ ſymbolicarum iconum metalla & colores exprimunt, ſed fimbriis & alij colores, & alia metalla non infrequenter adhibentur. Germani & Belgæ, aliæque ad Septentrionem ſitæ Gentes addunt alas & ptera ſiue peromata faſtigiaria, alij pterygia & corymbos plumatiles: alij laqueatas vittas & vincula. Sunt prætereà ſcuti atlantes, telamones & hermæ. Gallicicani quidem bini Angeli, Scotici, duo monocerotes, Anglici pardus & draco, Neapolitani geminæ ſirenes. Denique omittendum non eſt ſymbolicæ parmæ conopæon; quod ſiue ſolidum, ſiue aliqua parte minutum, anguſtiorem ſcutis affert dignitatem, & euchit ſupra vulgares parmæ teſſeras ea prærogatiua deſtitutas. Et quidem quando vmbella & ſipariis inſtructum & abſolutum eſt, Cæſarum ac Regum ſummi Ordinia dignatione ac iure proprium exiſtit, cæteris eius prærogatiuâ excluſis Principibus, ac Ducibus, quibus permittitur dumtaxat palliolum ſiue clamys & penula, hoc eſt tabernaculi ſiue conopæi ſcutarij ſolitarius petaſus, aut eiuſdem ſolitaria ſiparia, quæ ex peculiari formula rei ſcutariæ palliolum, clamys, penula propriè appellantur, *Mantelet, non pauillon entier.* Habent & fœminæ laqueatos cinctus ſuarum parmarum. Verùm inter vulgaris notæ matronas nobiles, & multò minus plebeias inter mulierculas hoc gentilis parmæ teſſerarium cingulum profanari non debet.

Diuiditur quartò ſcutarium ſymbolum in ger- 4
manum legitimumque, & adulterinum ac neutiquam legitimum. Illud eſt quod apud nationem quamlibet illis conflatur imaginibus, coloribus & metallis, quæ peritorum ſententia & vſus comprobauit. Adulterinum quod imaginum genere, genuinis iconibus repugnante conflatur, cuiuſmodi foret in Gallia, ſi vel eius ſolo ſuperficiario, vel eius imagini alia metalla, vellera, pigmenta, quàm quæ admittit mos & vſus Gallicus, adhiberentur; aut ſi eadem viciſſim copularentur diuerſis ab Gallici vſus ac moris commiſſionibus. Quamquam interdum ſingularis cuiuſdam virtutis extraordinaria & perilluſtria facinora metallis in in metalla, & coloribus in colores inductis, & inculcatis, expreſſas gentiles teſſeras Heroum quorumdam eximunt, & abſoluunt adulterato imaginis ſcutariæ nota, & vitio. Nam Gotofredus Bullionius gentilis teſſeræ auream crucem patibulatam & grandiorem in argenteo ſolo tulit: Gens verò Montmorantia ante Matthæum Montmorantium, eius nominis ſecundum, in laterculo aureo geſſit decumanam crucem argenteam; vtræque autem illæ ſcutariæ imagines ſinceri ac legitimi ſchematis, nullaque ex parte adulterati exiſtimatæ ſunt.

Quintò diuiditur ſcutaria teſſera in poſtulatitiam ſiue poſtulariam, & in non poſtulatitiam; quæ quia vulgaris & communis nullam dat cauſam inquirendi de extraordinaria icone, & inuſitata commiſſione, vti facit teſſera poſtulatiria, eo quod aliquid extraordinarium contineat, vt dicebamus de teſſera gentili Gotofredi Bullionij, & Gentis Montmorantiæ; poſtulatur enim vnde illa inuſitata & præter communes leges pigmentorum & metallorum in ſcutaria icone commiſſio.

Sextò diuiditur ſymbolica parma in puram, nudam, planam, & in eam quæ aduentitiis figuris inuſta,& infracta,atque primoris integritatis & puritatis ornatu minuta. Et quidem integræ, planæ, puræque icones ſcutariæ nullam figuram nec notam extimæ fronti impreſſam habent: ſed inuſtæ ac infractæ minuti ſchematis quidpiam appictum, aſſictumque gerunt,veluti aſperſam maculam qua vitietur & lædatur prioris & planæ puræque teſſeræ integritas,puritaſque. V.g.Regum Frācorum teſſeræ ſcutariæ integri, puri, planique omnino ſunt ſchematis conſtantis ternis liliis aureis in triquetram ſpeciem cyaneo laterculo impreſſis. At verò Principum Regij ſtemmatis pura planaque non ſunt liliata ſymbola ſcutaria, ſed clabulæ diagonio ductu infracta, quæ clabula infractioni clarius exprimendæ liliis ipſis olim obliquè incumbebat.Eſt porrò hæc ſymbolicarum imaginum infractio inducta diſtinguendis & dignatione minuendis, ſeu minorū fratrum,ſeu ſpuriorum teſſeris ab maiorum fratrum & ingenuorum potioribus ſymbolis,quod ad tuendum familiarum ſtatum, & vnius eiuſdémdemque ſtirpis diuerſas familias neceſſarium eſſe viſum fuit. Peruadit enim ea infractio minorum fratrum poſteros vniuerſos, nec deſinit, quoad legitimæ ſucceſſionis explicatum ius deceſſoris proximum adipiſcendæ hæreditatis maximè idoneum, capitis ac ſtipitis in tota cognatione prærogatiuo titulo inſtruxerit, ac planæ, puræque auorum teſſeræ dignum ac potentem præſtiterit. Violatur verò figura teſſeraria infractione, & coauctione. Infractio exercetur adiiciendis minutis in teſſeræ ſuperficiem iconculis, integritati & puritati ſymbolorum leuiter officientibus: coauctio fit adicititio typo aucta imagine ſcutaria, quæ idcirco dicitur onuſta, & coaucta: & quamuis ſcutariæ iconis coauctio, & infractio eundem vſum, atque effectum habeant, & vtraque primigeniæ ſimplicitatem & integritatem detrahat, qua eius continetur vera natiuæque nobilitatis ratio; iniuncta tamen coauctio impreſſo typo non adeò ſcutariæ imaginis inſitam nobilitatem atque infractio violat. Porrò omnium mundiſſimæ, minimè compoſitæ & ſimpliciſſimæ teſſeræ ſcutariæ, eædem quoque ſunt omnium germaniſſimæ ac nobiliſſimæ, vtique ex ipſius naturæ ingenio, ad genuinam effigiem veritatis fictæ. V. g. puniceus leo in argentea area: aurea faſcia in Molochino ſolo, & eiuſmodi aliæ pernobiles teſſeræ. Nouarum autem iconum additamenta in ſcuti aream, aut aduentitij adiectio in prioris imaginis ſuperficiem, temerè, ac extra rem interpoſita, & puritatem & nobilitatem gentilium ſymbolorum adulterat: quod ſi huiuſmodi acceſſionis ſymbolicæ cauſa quæpiam grauior intercedat, cuiuſmodi fuerit bellicæ fortitudinis luculentum aliquod facinus: cumulatius quidem & ditius euadet gentile ſymbolum, non autem ſplendidius ac nobilius, quin etiam inde fuſcabitur non nihil germina ipſius puritas, ſimplicitáſve, in quibus eſt poſitus teſſerariæ nobilitatis ſplendor. Quibus de cauſis Gallicæ omnes clara ſtirpe familiæ primoris originis ſcuctaria ſymbula geſtauere ſimpliciſſima; & earum pleræque ad teſſerariam imaginem nihil omnino admiſere. Quod Regum noſtrorum confirmat auctoritas, nam per tot ſæcula, tamque illuſtres incomparabili fortitudine quæſitas palmas, teſſerariis & nudis liliis nihil vnquam ſymbolicæ acceſſionis attexuerunt: rati videlicet, vel tenuiſſimum corollarium magnopere offecturum luminibus Regij illius ſymboli, ac ſua ſimplici & natiua puritate longe abſolutiſſimi. Ex eadem cauſa Garcias Ximeneſius Cantabricorum Regum primus, & eius ſucceſſores aliquot ſæculis vſi ſunt ſimplici ac pura area gentilis parmæ puniceæ, nullis appictis iconibus: quam teſſeram ſtudioſè retinuerunt Albretij Dynaſtæ oriundi Cantabricis Regibus vſque ad Carolum V I. qui alternis quadrantibus Francico lilio conſitis, & illis auorum miniatis,eam quadripartitus eſt.

Septimò diuiditur ſcuta teſſeraria, in vocalia & loquacia ſuo auctori cognomina, quæ ſcilicet paronomaſiam duorum nominum interponunt, & in non vocalia. Priores illæ ſcutariæ teſſeræ nentiquam legitimæ ſunt,ſed redolent ridicula & inſulſa Picardici ritus emblemata, atque plebeij & ruſticani ingenij commentationem ſapiunt. Et quamuis illuſtrium quarumdam Galliæ familiarum primores ſui ſtipitis eiuſmodi parónymæ teſſeræ ſcuta gentilitia ſibi quondam ſumpſerint, ſiue quod id teſſeræ non intelligerent, ſiue quod eo cognito delectarentur: ex ea tamen vel opinionis vel conſilij probitate ac innocentia, non deſinunt eiuſmodi teſſerariæ icones eſſe vitioſæ, quamuis aliunde multa commendatione digniſſimæ exiſtant illuſtres illæ familiæ, quod maiorum ſuorum iudicio & lectioni eo vſque detulerint, eorumque icones teſſerarias ad hunc diem conſeruarint, neque ipſarum nobilitati quidquam ex eo vſu deperit, quam nempe ex ſua, auorumque virtute & præclaris factis, non ex gentilibus ſymbolis acceperunt, & poſſident, quamquam & facilè accidere potuit vt ex aliquo egregio facto, aut inſolito caſu, ex quo nomen ad æternam memoriam ſumpſerunt, teſſeram quoque ſcutariam aſciuerint: vt poſteri & ipſo nomine, & ſymbolo gentilitio ad virtutem auorum excitarentur. Neque tunc adhuc eſſet tam exquiſita iſta ſymbolicorum ſcutorum diſciplina, aut præſcriptæ illæ formulæ, à quibus hodie diſcedere religio exiſtat. Quare vt de vocalium eiuſmodi teſſerarum nobilitate, aut popularitate pronuntietur, conſulendam eſſe exiſtimarem earum antiquitatem, obſeruandumque tempus, quo primum in eam familiam inductæ ſint, & maximè omnium inquirendam eſſe cauſam, propter quam ſibi & illud nomen, & eam ſcutariam teſſeram aſciuerint.

Omiſſis verò pleriſque aliis minutioribus diuiſionibus quæ fingi poſſent hoc loco.

Octauò ſcuta teſſeraria alia ſunt gentilitia, ſiue toti ſtirpi & genti propria, quæ in poſteros & totam familiam tranſmiſſa ſunt & tranſmittentur deinceps: alia cuiuſque propria, & veluti ſingularia ac priuata, quæ ad familiæ & gentis reliquos non pertinent, vt in antiquorum Heroum, & Equitum quos nominamus, erroneis factis obſeruare licet.

Atque ex hoc diſcrimine fas erit nobilem illam controuerſiam dirimere de gentilitiæ teſſeræ origine, quam aliqui à priſcis temporibus repetunt. Ex illo Danidis *Pſalm.* 48. *verſ.* 11. *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* Quod aliqui explicant apud Chryſoſtom. nominantes in nominibus ſuis terras *ὀνομασάντες ἐπ' ὀνόματι αὐτῶν τὰς γαίας.* Aquila verò *ἐκάλεσαν ἐν ὀνόματι αὐτῶν ἐπὶ γαιῶν αὐτῶν.* Quorum omnium verſionum ſenſus eſt, vt famæ celebritati ſtuderent, nomen ſuum domibus, Baſilicis, arcubus, obeliſcis, pyramidibus, aliiſque eiuſmodi monumentis inſcripſiſſe

inſcripſiſſe, quæ tamen vnà cum ipſis ædificiis temporis edacitate perierint; quia vt ait Apollinaris in γάιης ὄνομ' ἴσχον, ὅθεν ἐτίκτοντο δαμάλεις. De terra nomen habuerant, vnde gignebantur domiti. Inde verò ortum vt loco nominum & inſcriptionum teſſeræ quædam & ſymbula inſculperentur inſcriberenturve; alij recurrunt ad primas Hebræorum acies dum Ægypto excederent; ſingulæ enim Tribus ſua geroglypha vexillis appicta aut inſita, quæ auctorem Tribus deſignarent, eſſentque omnino gentilitia, geſtabant, quæ elegantiſſimis verſibus Antonius Millieus expreſſit, quos in celeberrimi & omnium virtutum, diſciplinarumque laude cumulatiſſimi viri, charam memoriam referre non pigebit hoc loco, & veluti emblemate noſtrum hoc opus exornare. Sic igitur *lib. 7. Moyſis viatoris* cecinit ſuauiſſimus, & qui veteribus omnibus non niſi ætate poſterior exiſtit Poëta.

—— Et dotra in fronte Nabaſſon
Fulgentemque auri radiis, minioque Leonem
Ardentem, patrij præfert inſignia regni.
Conſequitur clypeata phalanx: iunguntur vtrimque
Zabuli Iſſachariſque manus queis propria pendent
Sappara, & inſignes pro auite ſtemmate ſortes.
Anchora fluctiſono Zabuli in littore puppim
Alligat, argenti turgent vada cærula ſpumis.
Iſſachar inuictum quæſtu lactante laborem
Suppoſitus oneri ceſtus teſtatur Aſelli,
Fertilibus patiens vltro pecus accubat aruis,
Cui medio geminus ſtans auro terminus hæret.
Læuam aciem ductat Princeps Rubenos Eliſur
Mandrageris humana procul ſimulantibus ora
Inſignis vexilla cohors, mediamque coronat
Humano vultu faciem, quo callida philtro
Æmula vota Lia illuſit mercata maritum.
Rubeni accedunt Simeon & Gaddus in armis,
Et commota locant ſociis tentoria caſtris,
Fulgentem argento Simeon ſuſpenderat enſem
Pro ſigno, quantum, quo ſydera terret Orion,
Fulgurat, & vele ludeates verberat auras.
Ferreus & toto cataphractus corpore miles
Gaddiacum labarum grauat, vt duo protegat vnus.
Tertia Ephremais acies viget inclyta turmis;
Elyſamas pubem ductat, minoique iuuenci
Taurinam attollit ſpeciem, qui vomere forti
Niliacas vertit glebas; hunc copia pomis
Obruit, & frugum ſertis annona coronat.
Cognata hunc propior ſequitur legione Manaſſes
Rhinocerota tenens cornu; placidoſque labores
Taurorum armata ſtimulatus protegit ira.
It comes illa rapax fratri lupus, acer & ipſe
Irarum ſtimulis, quamquam languente ſenecta
Editus, obtinuit materno funere vitam.
Stat ſpoliis prædo in mediis, ebulóque cruentum
Faucibus & victu velum lupus haurit hianti;
Inde lupi legio galeas de pellibus aptat.
Daraadam iam quarta acies vicina locatur
In mediis, laterique hæret concluſa ſiniſtre.
Extulit immanem telo volitante Ceraſtam,
Purpureis cui terga hærent lucentia ſquamis:
Senus apex capiti aſſurgit, nunc aſtra laceſſit
Aſſultu, nunc depoſitum caput orbita condit,
Vt peditum plantis, vt clam inſidietur equorum
Calcibus, excuſſoſque equites voret ore trilingui,
Iam cupit extremo mundi dare vulnera telo;
Collectamque fouet rabiem ſub dentibus atris
Mordebit coluber, poſtremaque toxica ſparget
Regulus heu! ima Danos de fæce creatus;
Væ populis, quibus hoc ſpumabunt felle venena.
Nephtalida iuxta pugnant, ceruumque tuentur
Emiſſum maculis, campoque patente volantem.
Necdum fata ſciant patriis olim edita factis.
Ille dabit campis ſtrages, pugnaxque timorem
Excutiet preſſus canibus, ſæuoque latrata
Ad Ciſſonis aquas Siſaram fuſo agmine vertet,
Eripietque ſuos. Ceruo dux fœmina belli;
Fœmina diuino fundens mera mella lepore.
Denique triticeis Aſer clariſſima libis
Signa mouet, puro ſuſpendens farre maniplos;
Hinc & purpureæ menſis accedere Reges
Optabunt, ad delicias ſuauiſſima liba.

Vides graphicè deſcripta gentilitia ſymbola & vexillorum hieroglypha, à quibus cur noſtra deriuata eſſe negemus? maximè cũ deinde hic mos apud Hebræorum Ducum poſteros perſeuerauerit, vt videbamus in Dauide, & ex *lib. 1. Machab. c. 13.* manifeſtè conſtat. Nam Simon *Ædificauit ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito retro & ante, & ſtatuit ſeptem pyramidas, vnam contra vnam, patri & matri, & quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam, & iuxta arma naues ſculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus.* Ecce tibi monumento ſiue mauſolæo, quod æternæ parentum fratrumque memoriæ erexerat Simon, inſculpta hieroglypha nauium, & arma quibus egregiè pugnarunt appenſa: quod enim aliqui periti viri hæc arma exponunt de teſſeris ſcutariis quas Gallicè nominamus *Armes*, inſulsè faciunt. Malunt alij arceſſere hanc originem ab imaginibus quas anaglypho, vel diaglypho opere priſci Heroes in clypeis geſtare ſoliti erant, vti frequenter obſeruabis apud veteres hiſtoricus ac Poëtas, Græcos Latinoſque, Ariſtophanem, Æſchylum, Euripidem, Herodotum, Diodorum Siculum, Virgilium, Senecam, Ouidium, Claudianum, & cæteros. Sanè Xenophon & Philoſtratus aiunt auream Aquilam anaglyho opere clypeis bellatorum inciſam fuiſſe βασίλειον σημεῖον. Alij recurrunt ad maiorum imagines, quas Græci Bellatores in gladiorum capulis vel ſcutis vnà cum tralatitiis quibuſdam ſymbolis graphicè inciſas, tanquam indicium ſui & generis prætulerunt. Qua ratione Theſeus ex diuturna peregrinatione redux à parente cognitus eſt, apud Ouidium *lib. 7. Metam. fab. 2 x.*

Cum pater in capulo gladij cognouit eburno
Signa ſui generis.

Cicadam capulo inſculptam aliqui coniiciunt, quam Athenienſes vertice vel fronte geſtarent, vt ſe αὐτόχθονας oſtenderent. Eodem ſigno ipſemet Theſeus Hippolytum filium quem Phedra nouerca tentati ſui pudoris inſimulabat, agnouit, apud Senec *in Hippolyt. verſ. 895.*

Quod facinus, heu me; cerno! quod monſtrum intuer
Regale paruis aſperum ſignis ebur,
Capulo refulget gentis Actææ decus.

Ecce tibi gentilitium ſymbolum.

Statius *lib. 4. Thebaid.* Polynicis armaturam ita depingit vt illis appingat typica familiæ & gentis inſignia.

—— Theumeſius implet
Terga Leo, & gemino lucent haſtilia ferro:
Aſpera vulnifico ſubter latus enſe riget ſphinx.

Alij dicunt Romanis gentilitia ſymbola fuiſſe cereas imagines quibus Patriciorum maiores, genuinis vultuum lineamentis exprimebantur, quæ & ſtemmata vocabantur. Adde eoſdem maiorum vul-

tus diaglypho, anaglyphóve opere expreſſos fuiſſe in elegantibus ſcutis; quod aliis quoque gentibus non fuit inſolitum. Alij non improbabiliter afferre videntur numiſmata typica, quæ inſtituta fuerunt, vt præclarum aliquod facinus myſtico iconis typo ſub oculos ſubijcerent, quibus etiam ſignatorij annuli vice diutiùs vſi ſunt: Alij veteres Romanorumque Græcorumque caſtrenſes clypeos inducunt. Alij denique ſcutaria gentis ſymbola ab Auguſto primum excogitata contendunt, cui ſententiæ confirmandæ pluribus inſiſtit Monetus. Quæ omnia diſſidia, diſtinctione nuper allata non difficilè componuntur. Si enim agamus de clypearibus typis & ſymbolis quæ ſcuti areæ inſcribuntur inſculpuntúrve certo colorum & metallorum genere, quæque ſunt non temporarij cuiuſdam vſus arbitraria inſignia, ſed gentis ſymbola ob præclara quædam facinora maximè bellica à Principe conceſſa, nulla ſane ante Octauiani Auguſti tempora reperire eſt in veterum monumentis. Si verò loquamur de notis & ſymbolis quæ quiſque pro ingenio aſſumebat, vt ex his in prælio, ſiue extra prælium ab aliis internoſceretur, ad eum fere modum quo Equeſtriũ ſagorum colores varij, & excurrentes eorum tæniæ, Equitum globos turmales ab aliis alios dirimũt ac diſtingũt, ea antiquis vſurpata fuere, licet a paucis quibuſdã adhibita fuerint aliqua ſymbola exprimendi generis, & auitæ virtutis aperiendæ gratia. Quod vnum oſtendunt quæ ex antiquiori ætate variæ illæ ſententiæ afferebant. Nam præterquam quod Poëtarum ingenia in commendandis fabuloſis Heroibus, & in eiuſmodi ipſorum fingendis clypeis, nuſquam in exornanda illa deſcriptione ſcutariæ areæ, aut inſculpti ſymboli colorem, metallumve appellant, aut aliam aliquam gentilis ſcuti germanam notam interponunt, ſed toti ſunt in enunciandis deſcribendiſve belluarum, aliarumve rerum nudis imaginibus, æri, ferro, calybi inciſis; quod aduertes in Æſchilo, qui vnus plura quàm cæteri omnes ſcriptores de ſcutariis bellatorum typis recenſet: alij verò inſignia & notas quibus ſuos Heroës ornant, vſurpant pro communibus omninò ſignis quibus Duces, cæterique bellatores, vt ab aliis ſeſe eximerent pro ſuo arbitrio ſe quiſque ornare ſolebat; quod ſingillatiùs in Virgilio expenſis variis illius locis demonſtrat Monetus, qui etiam ſapienter obſeruat ſolemnem illum morem tum Poëtarum, tum aliorum aliquot Scriptorum, qui vt de antiquiſſimis populis & hominibus agant, certarum rerũ ex anticipato vſum illis attribuunt, quarum tamen inuentio propria eſt ſui temporis, aut certè recentiſſima, ac priſcis temporibus incognita. Qua ratione Milliæus verſibus à nobis recitatis vexilla Ducum Iudæorum ad noſtrum morem omnino deſcribebat, ipſéque Virgilius quod viderat ab Auguſto Cæſare excogitatum vſurpatumque vt Legionaria ſcuta ſymbolis, ac typis metallicis pigmentariiſque inſignirentur, vt nouitium illud inuentum à multa antiquitate commendaret illuſtrius, ipſum ab vetuſtiſſimis Græcorum & Troianorum retro accerſiuit de induſtria, ad eumdem modum quo Æneam & eius ſocios fingit Circenſia & Amphitheatrica exercentes multis ante ſæculis quàm fuiſſent inuenta, & vſu inducta. Neque hac libertate anteoccupandarum rerum adhuc minimè inuentarum ſe abſtinent interdum hiſtorici, quamuis in narrando Poëtis religioſiores: frequenter ſiquidem inter commemorandos fluuios, montes, homines, vrbes, maria, regiones, cæteraque huiuſmodi, eis nominibus res nuncupant, quæ quingentis etiam annis poſt eam ætatem, de qua agunt, eis indita fuerint: quæ ſcribendi & appellandi ratio parum intelligentes nonnullos, & in legendo minus conſideratos, haud leuibus in hiſtoria erroribus implicat. Quæ de numiſmaticis typis, & annulis ſignatoriis afferebãtur, nõ aliud oſtendunt, quã quibuſque fuiſſe propriam notam, non verò aut gentilitiã, aut ea ratione, qua noſtrana gentilitia ſymbola in ſcutis appinguntur, aut inſeruntur. Immò neque vnquam oſtendent illa typica numiſmata fuiſſe impreſſa ſcutis, ſed ſolũ annulis, fuiſſeque ſigillorum loco duntaxat. Iam verò illæ ceræ & famoſæ maiorum imagines, atque etiam eæ quæ in elegantibus ſcutis anaglypho opere exprimebantur, & ætatis qua quiſque vixiſſet ordine in atrio & pinacotheca digerebantur, inſulsè ad gentilitas ſcutarias teſſeras traducuntur; cùm nihil omnino Hieroglyphi habuerint, & longè eiuſmodi imagines ab iſtis typis gentilitiis abfuerint: alioquin quælibet Patriciorum gens locupletiſſima gentilium ſymbolorum fuiſſet, & ſingulis annis, atque aliquando menſibus ſcutariam teſſeram variare poſſet. Erantque quidem eæ imagines monumentum gentilitij ſtemmatis ad perpetuandam maiorum & totius gentis memoriam, notitiamque in poſteris: ſtemmata enim ſunt orbiculati in corollam voluuli genealogicarum tabularum & gentilitiarum ex cera imaginum, quibus cognationum ſinguli gradus diſtinguuntur; quod pluribus explicat Cornutus Perſij interpres ad illum verſum Satyræ 3.

Stemmate quod Tuſco ramum milleſime ducis.

Sic verò appellantur hi ramuſculi, quibus partimur cognationum gradus in arbore gentilitia παρὰ τὸ στέψαι, quaſi ſurculo inflexo coronentur ſinguli cognationum gradus. Quare parum omninò prudenter ſtemmata quorum frequens eſt in Latinis authoribus inuentio, pro ſymbolis gentilitiis vſurpantur. Neque dicas aliquando iſtas maiorũ imagines ſcutis bellicis inciſas fuiſſe: inde enim non fuere gentilitia ſymbola, niſi velis Phidiæ vultum graphice expreſſum in Palladis clypeo, fuiſſe gentilitiam teſſeram ipſius Palladis; idemque de Gorgonis capite affirmes: atque de Gallis, Carthaginenſibus, & cæteris populis qui pro more inſcitas ſuas imagines in æreis, argenteis, & aureis ſcutorũ laminis geſtabant. Anne enim illas icones pro familiæ ſuæ gentilibus hieroglyphis habuerunt? Denique vt caput iſtud concludam; certiſſimum eſt ab ipſo Reipublicæ Romanæ principio ad Cæſarem Dictatorem perpetuum, inter frequentiſſimam omnis generis ſcutorum, & armaturæ, & quidem nobilis ac eximiæ commemorationem nunquam ab Scriptoribus deſignari veram vllam imaginem germani, & noſtræ formulæ, ſymboli ſcutarij. Ex quo perpetuo ſilentio rectè colligitur tota ea ætate nulla à Romanis vſurpata in ſuis ſcutis & cæteris armis gentilitia hieroglypha; quod idem, & de Græcis quorumuis ſæculorum oportet eſſe perſuaſum.

Iam verò germanum vſum gentilium ſcutorum 6
ac teſſerarum ſub Octauiano Cæſare Auguſto initium habuiſſe oſtendit Monetus; ille enim primus in ſcutis ſolemnibus Legionarium Romanorum eum vſum induxit, qui deinde perſeuerauit, & auctus eſt ſub Imperatoribus Auguſti ſucceſſoribus: poſteáque ad abſolutam perfectionem excultus eſt, tam in Gallia quàm in cæteris Europæ Regionibus poſt extinctum Romanum Imperium,

narum, Legionesque ſuppreſſas. Atque in primis Auguſtum tradit Iſidor. *lib.* 18. *Ethym. cap.* 3. *Pilam in ſigno conſtituiſſe propter nationes cunctis in orbe ſibi ſubiectas, vt magis figura orbis oſtenderet.* Vides igitur Auguſtum, hieroglyphicum vexillum ſuis Legionibus, cum vnus rerum potiri cœpiſſet, adhibuiſſe, cuius pars princeps & imago eſſet globus myſticus, qui geographicè depictas ederet vniuerſas regiones, ac prouincias terreſtris globi Romano Imperio ſubiectas. Idem quoque Auguſtus in ſuis numiſmatibus ſymbolicis frequenter vſurpauit eam ſphæram vexillatiam nunc Capricorno, nunc nauali gubernaculo impoſitam, vt ipſa quæ etiamnum viſuntur numiſmata, & antiquitatis Romanæ Auctores teſtantur. In reliquorum deinde Cæſarum Legionariis ſcutis frequentia fuerunt cippi & gubernaculi ſymbola, innixum ſibi globum ſubuehentia. Oſtendit deinde bene multis Monetus eoſdem prorſus colores, eadem metalla; eadem inquam numero, ac genere, nec plura, nec pauciora, quàm quibus in quouis gentili ſymbolo vtimur, vſurpata quondam fuiſſe, & quidem ex germana ratione gentilium ſymbolorum in ſcutis Legionariorum, Auxiliariorum, Equitumque Romani exercitus; atque ex ipſa Principis formula; & auctoritate in vniuerſis copiis militaribus ac toto orbe Romano Imperium obtinentis: Ex qua aſſertione manifeſtè ſequitur picta ſymbola in Legionariorum ſcutis fuiſſe omnino gentilitia hieroglypha, & eiuſdem rationis ac naturæ atque noſtra Gallica: & hæc ex illis ad nos traducta, vel Romanis ſua communicantibus, vel Gallis Romana mutuantibus, vti ex eis exemplis quæ benè multa congerit in medium, facile cuique conſtabit; vbi ſapienter monet idem Auctor, quod ſi in eorum exemplorum quibuſdam ea deſiderabitur legitima gentilium typorum formula, quam ſolemnem hodiè obſeruamus, meminerimus & ſymbolicas clypeorum leges non adeo religiosè per ea tempora increbuiſſe, & Principem eis ſoluere legibus quæcumque collibuerit ſcuta potuiſſe. Vehemens omnino huius noſtræ aſſertionis argumentũ eſt in ducentis & ſeptuaginta quatuor eius rationis ſcutis, quorum extant icones typicæ coloribus & metallis illuſtratæ, in manuſcriptis, & excuſis notitiæ vtriuſque Imperij codicibus, nec colorum, nec metallorum vllum aliud eſſe veſtigium, quàm quorum etiam hodie vtimur. Atque inde videor mihi neceſſario colligere, non poſſe nos cum ratione originem & vſum gentilitiorum ſymbolorum Gallicæ conſuetudinis ad aliud prototypon referre, quàm ad Romani Peditatus, & Equitatus ſcutarias teſſeras ab Octauiano Cæſare inſtitutas, atque ab eius ſucceſſoribus Imperatoribus propagatas, & excultas. Quibus adde harum gentilium parmarum areas, ex tranſuerſo diremptas, ab ſummo diuiſas, ab dextro angulo diſſectas, ab læuo angulo interſciſas, quadripartitas, ac quibuſcumque aliis ſegmentis diſſolutas; & ipſas plerorumque de noſtris ſymbolis ſcutariis figuras præter colores ac metalla, ſolemnem vſum pridem ſortitas eſſe in Romanorum exercituum Cæſarianis ſcutis, ex quibus eas nobis adſciuimus, noſtrumque in vſum tranſtulimus, quæ omnia innumeris illuſtrat exemplis eo tractatu Monetus. Fateor quidem noſtri ſcuti teſſerarij formam & figuram nequaquam delineatam eſſe ad exemplar & prototypon vllius ſcuti Romani, Græci, Aſiatici, Gallici, Germanici, Hiſpanienſis, aut cuiuſdam alterius, ſed expreſſam omnino ex archetypo, ac germana ſpecie vexillorum Gallicæ formulæ. Qua etiam in parte primam illam originem gentilis ſcuti ex vexillis militaribus Romanis, quibus primùm diximus fuiſſe appictos illos teſſerarios typos; imitari dubio procul Maiores noſtri voluerunt, eo etiam conſilio vt area & ſedes æque nobilis & illuſtris pararetur gentilibus teſſeris, atque ipſæmet ſunt teſſeræ; ſignum autem ſeu vexillum perpetuò & apud omnes gentes certiſſimum fuit excellentiæ ac principatus hieroglyphon, cuiuſmodi ſcutum nec fuit vnquam, nec eſſe potuit. Quare Symbolicum Clypeum veteres Galli non ad formam ſcuti Romani, aut alterius vllius expreſſerunt, ſed ad formam Gallici vexilli; vnde in hemicyclum flexum, & lateribus quadratum eſſe voluerunt, quia vexillum nobilius apud ipſos ſemper fuit quadratæ figuræ. Quæ vexilli nobilitas & dignitas Gallicis quondam proceribus iuſtiſſima cauſa vita eſt, cur & vexillum & ius obtinendi in ſua familia vexilli germanæ, eximiæque nobilitatis legitimam notam cenſuerint, proptereaque ſumma cura hunc morem perpetuo obſeruarunt, vti vexillares nobiles, hoc eſt nobilium proceres, qui bellicæ rei clariſſimis facinoribus Equeſtris dignationis ac tituli ius fuerant adepti, germano quadratæ figuræ vexillo, vt proprio ſemper & ſoli vterentur: Scutarij verò ſeu vulgaris notæ nobiles pinnato & longioris laciniæ ignobiliore vexillo inſtructi ad caſtra procederent. Quod vexillorum diſcrimen inter diſtincta illa nobilitatis genera conceptis verbis expreſſum in Gallica hiſtoria, & prouincialibus vſu conſtitutis Galliæ legibus habemus. Ex quibus hoc vnum ex Pictonicarum conſuetudinum libro primo, ſectione prima caput referre libet; quod Latinis verbis in hunc modum expreſſit Monetus. *Omnis omnino Dynaſtes, cui ſit ex Comitis, Vicecomitis, Baronis nomine appellata ſatrapia, ex prouinciali conſuetudine poteſtatem nactus eſt habendi, fruendique caſtelli, ac caſtellanæ ditionis: ſuprema, item media, infima iuriſdictionis exercendæ: Comes autem, Vicecomes & Baro, qua eiuſmodi eſt, iure ſuo poteſt quaternis ſtylis erigere patibula, quibus Rei capitis afficiantur ſupplicio: ac eo demum iure eſt, vti vexillum habeat, geratque, hoc eſt in exercitu Germano, & quadrato vexillo vtatur, & gentilitia ſymbola in quadrata figuræ laterculo picta, ſculptave adhibeat. Quo iure non vtitur Caſtellanus nobilis, cui oblongæ laciniæ, pinnatique vexilli duntaxat eſt facultas.* His plura alia addit Monetus de vexilli & ſcuti forma & pictorum, inſculptorumque inſcitia, qui formam ſcuti, iamdiu corruperunt, quamuis illuſtres aliquot familiæ ſingulis in prouinciis antiquam legitimamque figuram religiosè retineant: & denique teſſellatam aream ſcuti fœminei, quam colus, fuſus, clauus, & macula reticuli conficiunt, ex linteario, lintearioque opificio, quorum laude floruerunt Romanæ matronæ, deſumptam eſſe pluribus demonſtrat. Quæ omnia ita retulimus, vt non illi ſcutariæ teſſeræ origini obſtinatè hæreamus; placet enim quod Auctor artis ſcutariæ, eam à ſolis Francis repetit, verùm in hanc diſputationem digredi non licet, tu illum adi.

His paulò fuſius explicatis venio ad quæſtionem 7
initio poſitam: An ſua ſymbola gentilitia alienis rebus, an ſuis aliena ſymbola liceat apponere, aut pro libito quam libuerit hieroglypham ſibi ſumere: quod hiſce aſſertionibus diſtinctiùs breuiúſque explico.

Aio igitur primo illum cuius expenſis aliquod opus

opus excitatur, etiam publicum, V. g. Templum, Ædes, Scolæ, Xenotrophia, Muri, Arces, Propugnacula, Inſula, Pons, Statuæ, Imagines, cæteraque eiuſmodi opera ſiue priuata, ſiue publica, illis & nomen ſuum inſcribere, & ſua ſcutaria ſymbobola, teſſeraſque gentilitias appingere aut inſculpere iure poſſe: ita Chaſſanæ. 1.*part.catalogi conc.* 13. vbi adducit Alberic. *in l.legatum. D.de adminiſtrat. rerum ad ciuit. pertinent.* Et ſanè in ea lege permittitur vt in opere ex legata pecunia facto, munificentia eius qui legauit inſcriptione notetur. Idem habetur *l.* 2. *D. de operib. public.* vbi etiam prohibetur eo nomine eraſo aliorum inſcribi nomina. Ne eius nomine cuius liberalitate opus extinctum eſt, eraſo, aliorum nomina inſcribantur, & propterea reuocentur ſimiles ciuium in patrias liberalitates, Præſes Prouinciæ auctoritatem ſuam interponat. Statuis quoque eius cuius munificentia excitabantur, nomen inſcribebatur; quod conſtat ex Statio *lib.* 5. *ſyluar.carm.Cui Index Abſcentij pietas.* vbi Poëta partem teſtamenti Priſcillæ inſeruit: damnarat illa moriens maritum vt ſtatuam Cæſaris in Capitolio collocandam curaret auri pondo centum: vnde cecinit Statius ex emendatione Lipſij *lib.* 1. *Elector.cap.* 9.

Irrequietus ama. nunc quod cupis ipſe iuberi
De Capitolinis aeternum ſedibus aurum,
Quo niteant ſacri, centeno pondere vultus
Caſaris, & propria ſignet cultricis amorem.

Moris illius adulationiſque, vt ex teſtamento mandarentur poni ſtatuæ Cæſari, nomenque teſtatoris in inſcriptione poneretur, duo exempla illuſtria refert Lipſius eo loco. Quod verò licet in inſcribendo nomine, quidni fas fuerit in ſymbolis gentilibus quoque apponendis? Cùm ea & auctorem deſignent, & ciues ad ſimiles liberalitates excitent, & poſteris honori atque incitamento ſint: idque Chaſſanæus valere vult, quamuis aliquis non ſuppeditarit omnes expenſas, & ſumptus in faciendo illo opere neceſſarias, ſed partem dumtaxat aliquam eximiam. Idemque obſeruat compenſari dumtaxat liberalitatem donatoris, quare ſi non ſponte, ſed coactus, V. g. damnatus, aut mulctatus ea ſummâ, aut ad eam extructionem eſſet, neque ſuum nomen inſcribere, neque ſua ſymbola opponere iure poterit.

Diſplicet porrò quod addit Chaſſanæ. eum qui ſacris ædibus aut ornamentis ſua ſymbola ſcutaria adhibet perdere meritum & laudem, refertque Geminian. & de Landriano. Diſplicet, inquam, quia hæc appoſitio propriæ teſſeræ ſcutariæ finem honeſtum & laude dignum habere poteſt, neque minuit laudem quæ operi aliunde illuſtri debetur. Sed ea de re conſule Menoch. *lib.* 1. *inſtitut. œconom. cap.* 22. Baſilium Poncium *q.* 7. *Scolaſtic.* & Theophil. Raynaud. *libro* 6. *de virtutibus ſect.* 2. *cap.* 16.

Ex his porro definies illam controuerſiam, an patronus & conditor alicuius ædis ſacræ poſſit in illis teſſerarium zophorum inſtituere, aut gentilem parmam collocare, quamuis ipſe neque Dynaſtes & Caſtellanus, neque Princeps illius territorij aut paræciæ exiſtat; quidam enim ſacrarum ædium patronis vſque adeò fauent in hac ratione teſſerarij perizonij, vt ex quadã prærogatiua quoſuis toparchas etiam vitæ ac necis poteſtatem adeptos, dignatione ac gradu ſuperare velint: ſed neſcij Dynaſtis, nec Galliæ conſuetudinum, & ea in re iudiciorum conſultis, ſine Curiæ deciſionibus ſuam vnquam opinionem probabunt. Quare Monet. ſub fin. praxis teſſerariæ gentilitiæ, ſic totam controuerſiam his propoſitionibus definit. Et primò quidem Dynaſtes Caſtellanus ſuo iure poteſt interdictum interponere, ne clientum ſuorum quiſpiam in ſui territorij ſacris ædibus aut balteum teſſerarium inſtituere, aut gentile ſcutum collocare velit, ne quid eo pacto ipſius prærogatiuæ detrahatur. Secundò nobilis cliens Caſtellani Dynaſtæ, conditor ſacræ ædis, quæ nec princeps ſit Caſtellani ſoli paræcia, nec ſuis finibus caſtellanam baſilicam aut primarias ædes Dynaſtæ contineat, iure poterit & intra & extra templum eiuſmodi ſcutorium perizonium in parietibus vſurpare, ac in eo perizonio gentilem parmam ſeu faſtigiatam, ſeu non faſtigiatam appendere, appenſamque, quoad volet, habere. Tertiò Caſtellani toparchæ nobilis cliens, ſi principis paræciæ templum ſuis ſumptibus ædificauit, qua parœcia Caſtellani Dynaſtæ vel Prætorium, vel domus primaria contineatur, ex illius ædificationis iure poterit interioris templi parietibus, ſed non exterioribus ſcutarium balteum ſtatuere, ac ex eo penſilem gentis parmam habere. Quartò Dynaſtes Caſtellanus ea etiam in æde, quæ ab eius cliente fuerit exſtructa, iure ſuo prærogatiuo in omnibus vtitur, ſuamque parmam ſymbolicam gentili parmæ ſui clientis in eius teſſerario zophoro ſuperiorem collocat. Quintò Barones, Comites, Marchiones & eius dignationis ſatrapæ reliqui, cum de ſymbolico perizonio eius generis templorum agitur, pro ratione ſui gradus eadem prærogatiua ſinguli erga ſuos clientes & inferiores cæteros vtuntur, atque Dynaſtes Caſtellanus aduerſùm ſuæ clientelæ homines. Sextò in nonnullis Galliæ prouinciis paræciæ titulo templa exædificare ſolius eſt ſatrapæ nacti poteſtatem vitæ, & necis, quibus in regionibus Dynaſtã inter & clientes, nec concurſus intercedit, nec contentio de prærogatiua teſſerarij baltei: quibuſdam verò aliis locis vetuſti moris obtinuit ratio, vti non eodem hieroglypho zophoro, neque illius etiam ſuperiore regione Dynaſtæ parma gentilis appenderetur, quo eius clientis, aut inferioris alterius ſcutum affigatur: ſed alio ſublimiore ac proprio balteo, eodemque materia ſolido, & extra muri ſuperficiem extante: clientis contra depreſſiore, ac ſuperficiariis pigmentis expreſſo papyraceis dumtaxat ex eo penſilibus teſſeris. Sanè in his omnibus vetuſti mores ſeruandi ſunt.

Aio ſecundò non licere ſymbola gentilitia alicuius operi publico eius impenſis ædificato abradere, & alterius qui illud exornat, aut amplificat, aut etiam reficit, apponere, niſi ita reficiat, vt antiquo penitus deſtructo hoc opus nouum omnino penitus cenſeatur. Prima pars communis eſt & probatur euidenter *ex l fin. §. ſi quis.C. de operib. public.* Confirmatur *ex l ſi quando* 16.*C.eod.* quæ refertur etiam *in Cod. Theodoſ.l.*44. *eod. titulo. Si quando vſus exegerit, vel porticus, vel quaſlibet ædes ætatis ſenio, ſeu fortuitis concuſſas caſibus reparari, liceat etiam inconſulta clementia noſtra ſui imaginem deponere, vel retro Principum, reportatamque poſt refecta ædificia loco proprio collocare.* Quod igitur ibi edicitur de imagine Principis retinenda atque reponenda ædificio refecto, ſi ad eius refectionem, reſtaurationemque amouenda fuerat, valet in ſymbolis & inſcriptione nominis illius qui quondam eius fuerat author, nam reponi quoque debebunt in opere refecto, & reſtaurato, quamuis & ipſe reſtaurator ſuum quoque nomen inſcribere, ſimul & ſua ſcutaria ſymbola poterit apponere: quare ad 8

reponen

reponenda ſeruandaq; antiqua illa ſymbola, & veteres inſcriptiones cogi poterit per Iudicem: quod affirmat Barthol. ex iuribus citatis; vbi etiã damnat eos qui defunctorum patronorum capellas abraſis ipſorum gentilibus teſſeris, nouis alijs concedunt, refertque Chaſſanæ. 1. *part. cat. conc.* 21. *n.* 8. ita iudicatum in cauſa quadam Heduenſi, fuiſſeque damnatum nouum capellæ ædificatorem antiqua ſcuta gentilitia reponere.

Addidi tamen in ſecunda parte aſſertionis, quoties opus dirutum ita reficitur, vt nouum prorſus ſit, nihilque alterius ſuperſit, neque rudera, neque cœmenta, neque lapides & ligna ex quibus ſit reparatum, non teneri antiqua inſignia primi ædificatoris reponere, ſi nolit. Qua ratione compono diſſidia DD. Et ſanè LL. in prima parte aſſertionis allatæ ſupponunt ædificia de quibus agunt minari dumtaxat ruinam, & concuſſa fuiſſe, vt loquuntur, aut ſi iam diſiecta ſunt, non niſi ſecundum aliquam partem diſiecta fuiſſe, quandoquidem volunt veteres Principum imagines deponi, vbi id ad refectionem neceſſe fuerit, & iterum deinde in proprio loco collocari. Nos verò in hac noſtra ſecunda aſſertionis parte, volumus nouum omnino, omnique ex parte opus excitari, quod etiam fortaſſis à prioris forma aberit, neque antiquam omnino exprimet, quo caſu negamus cogi poſſe nouum ædificatorem antiqua inſignia prioris auctoris vna cum ſuis reponere. Quæ omnia confirmantur ex iis quæ in opere de beneficiis diximus de iure patronatus per reædificationem Eccleſiæ, vel Capellæ acquiſito, quod aliquando antiquum primi conſtructoris extinguit, alias non extinguit, ſed ipſi adiicitur pro conditione reædificationis vel integræ vel totalis, vel partialis tantùm, vti eo loco fuſius fuit explicatum. Denique quando & quatenus arma gentilitia Capellæ conſeruari debeant, & an alterius inſignia adiici poſſint diſputat fuſiùs Rondutus *tom.* 1. *quæſt. ad conſ.* 2. quem conſulas Velim.

9 Aio tertiò in re priuata empta fas eſſe emptori ſua ſymbola ſcutaria apponere, & venditoris amouere, niſi aliter conuentum fuerit, quia cùm ea inſignia gentilitia in ſignum dominij apponantur, mutato domino, mutari quoque poſſunt, alioquin is cuius ſymbola adhuc perſeuerant, videretur aliquod adhuc ius in eam rem ſibi ſeruaſſe, & retinere, ſi autem reuerà nihil dominij aut iuris ſibi retinuit, queri non debet ſi eius ſymbola tollantur, atque ita paſſim fieri videmus.

10 Aio quartò Regis, aut Principis, Dominive alterius teſſeraria ſcuta alicui rei & operi ſiue priuato, ſiue publico in notam ſubiectionis applicare quidem licet, non tamen ſemel poſita tollere, hoc enim eſſet ſubiectionem quodammodo eiurare. Fas quoque erit proprietario ſua etiam ſymbola inſculpere aut appingere, ſed ita vt illis Domini & Principis inſignia emineant. ita Chaſſanæ. 1. *p. citata conc.* 16. Nam *l.* 3. *D. de operib. public.* nouo operi publico & nomen Principis, & eius cuius pecuniâ factum eſt inſcribere permittit. Ex nomine verò ad ſymbola gentilitia, quæ nominis vicem ſubeunt, argumentamur. Fas quoque eſſe ſuis ædificiis priuatis nomen quoque & inſignia ſui Principis ac Domini affigere, quo noſtram ſubiectionem teſtemur, nemo negabit. Prohibuerant quidem Imperatores *l. ſi quis Iudices* 10. *C. de operib. public.* Iudices operi publicis pecuniis perfecto, nomen ſuum ſine Principis venia inſcribere, & ſi ſecus fecerint, obnoxios Maieſtatis teneri voluerunt. Obtinuit tamen in Gallia conſuetudo vt tum in publicis operibus, tum etiam in priuatis non modo Regis liliata ſymbola, ſed & Rectorum prouinciarum, tum nomina, tum ſcuta hieroglyphica inſcribantur, vt & Regi ſubiectionem, vti iam monui teſtentur, & honorem prouinciæ Rectori, cuius curis eiuſmodi ferè opera promota ſunt, & ſub cuius patrocinio latent, honorem & grati animi affectum teſtentur. Ita porrò omnia iſta ſcutaria hieroglypha tum Principis, tum inferioris Domini, tum Rectoris prouinciæ, tum ciuitatis, tum proprietarij in priuatis operibus ſolent collocari, vt ex ipſo ſitu, atque poſitione & Principis Maieſtas emineat, & cæterorum ſeruetur dignitas. Quod oſtendit Chaſſanæ. 1. *p. catal. conc.* 25. *&* 26. & conſulendam eſſe conſuetudinem plerique monent.

Aio quintò ſymbola alicuius dignitatis nemini 11
illius dignitatis experti licebit aſſumere: V. g. ei qui neque Rex, neque Imperator eſt, nefas erit illorum faſtigium ſcutarium, ſiue clypeatum, ſiue coronarium, ſuo ſcuto gentili impouere, ſicut neque quamlibet aliam hyperaſpidem notam certæ dignitatis, aut nobilitatis iure deferre poterit is, qui ea dignitate & nobilitate caret. Atque ita non licet plebeio ſymbola nobilium ſibi adſciſcere, aut infimæ nobilitatis viro illa quæ ſolam illuſtrem cum laude nobilitatem arguunt, geſtare; & poſſunt per Iudicem aut alios quibus in hanc rem inquirendi ius eſt, puniri. Ita Bartol *tract. de inſignib. & armis.* Chaſſan. *conc.* 14. vbi allegat gloſſ. *in verſ. dignitatum, in cap. vt Apoſtolicæ de priuileg. in* 6. Ibi enim ne derogetur dignitati Epiſcopali prohibet Clemens IV. ne Abbates quibus ius mithræ conceſſum eſt, illas pretioſiores quam Epiſcopi ferant; & definit qua ex materia confici, & quibus, ornamentis illuminari debeant. Eſtque euidens ratio; ſicut enim nemo poteſt ſibi alienam dignitatem aſſumere, ita neque eius inſignia, quæ non niſi ab ornandam eiuſmodi dignitatem excogitata ſunt. Quæ omnia idem oſtendunt de plebeio ſymbola nobilium, qualia deſcripſimus, aſſumente eum galeato v. g. faſtigio, aut ſcuto quadrato, aliiſque eiuſmodi: committique ea in re crimen falſi, eiuſque pœnis obnoxium eſſe pluribus oſtendit ex Bartbolo & aliis Chaſſan. *conc.* 23. Poſſe verò plebeios & ignobiles ſibi aliqua Hieroglypha etiam gentilitia ſumere, ſicut & alia quædam ſigna, idem probat *conc.* 28. neque ad id requiri veniam aut auctoritatem Principis potiuſquam ad diuerſa aſſumenda nomina, aut varia ſigna, ac characteres, quibus à cæteris diſtinguantur, & ſua dignoſcant.

Aio ſextò nemini fas eſſe certa quædam inſignia ſingularis dignitatis maximè ſupremæ geſtare: v.g. ſcutum Franciæ liliatum, Aquilam teſſerariam Imperij, & cæterarum Dynaſtarum ſymbola; & ſi in ipſorum ditione fiat, violatur eiuſmodi Principis maieſtas. Quod poſtremum docet Chaſſan. *conc.* 17. quia in eo facto quædam principatus affectatio reperitur: Prior verò pars aſſertionis ex dictis conſtat & confirmatur ex *l. eos qui* 27. *§. fin. D. de falſis. Qui ſe pro milite geſſit, vel illicitis inſignibus eſt vſus, vel falſo diplomate vias commeauit, pro admiſſi qualitate grauiſſimè puniendus eſt.* Vides igitur alienorum inſignium vſurpationem, & falſi damnari, & iiſdem pœnis quibus alia grauiſſima falſorum crimina ſubiici, & comparari cum illo qui falſo diplomate curſum publicum obtinuit. Diplomatis meminit Tull. *lib.* 10. *epiſt. ad Attic. ep. pen.*

Digitized by Google

pen. Conſule Simonem *in animadu.ad illum lib.* 10. *epiſt ad Atue.* Erant verò diplomata, tractoriæ ſiue litteræ quæ dabantur miſſis, vel euocatis a Principe, vt curſu publico vti poſſent, adſeriptis etiam locis & manſionibus, ſiue ſtatiuis, quibus ſumptu publico ali debent. De bis extat titul. *in Cod. Theod. & Cod. Iuſtinian.* in quam poſtremum locum plura habet Cuiac. vbi & refert tractoriæ formulam ex lib. 1. Marculphi Monachi, quam fideliorem edidit Bignon. in ipſo integro Marculphi opere, neque ille in notis in vſu tractoriarum ſatis cum Cuiacio conuenit, ſed de his dicemus inferius, vbi de gabellis & variis oneribus diſputabimus, interim adi Gotphredum *in notis ad citatã l.* 17. *D. de falſ.* Et obſerua quod monuit quoque Cuiac. vbi ea in l. habetur *falſo diplomate vias cõmeauit.* in Baſilicis legi πλαςῷ συνθήματι, & Interpretẽ reddidiſſe *cõbinas,* fortaſſis, quia vltra triduũ nullo loco manſionéve vlla eſſe non licebat iis qui tractorias habent. Qui itaque illicita inſignia Principis ſibi ſumit, comparatur cum illo qui litteras tractorias Principis & diplomata falſat. Quod crimen & maximum eſt, & graui pœna puniendum. Addit Chaſſan. *conc.* 18. non minus peccare illum aſciſcentem ſibi Principis ſcutaria hieroglypha, quam ſi ſtatuam aut imaginem Principis violaſſet, eo quod antiquarum imaginum vicem ſuppleant hæc ſymbola gentilia, vt ex aliquorũ mente initio monebam; & ſubrogatum imitetur naturam eius, cuius loco ſubrogatur; quod paſſim DD. ab eo relati tradunt.

Aio ſeptimò ei qui non eſt alicuius agnationis aut familiæ nefas eſſe illius familiæ hieroglypha gentilia vſurpare. Neque etiam omnibus qui eiuſdem agnationis ſunt licebit clypei purum hieroglyphum, & parmam puram plenamque aream geſtare. Eiuſmodi enim puri ſchematis ſcutarium hieroglyphum ſoli capiti & principi gentis conuenit. Inducta enim eſt ſcutarij ſymboli infractio aut coarctatio, vt inter propinquos, minores maioreſque fratres, liberos legitimos, & ſpurios, ac denique eiuſdem familiæ varias ſtirpes diſcrimen, & nota haberetur, licet conſortes ſint eiuſdem clypeariæ teſſeræ. Quare ea diſtinctio moribus inducta ſeruanda eſt, quod nuper monebam, poteritque is qui ius puri ſcuti habet aliis litem intentare, quia iniuriam & damnum ea in re patitur. Ita Chaſſan. *conc.* 25. 25. 24. *&* 26. *&* 37. & ſeqq. vbi de horum gentilium ſymbolorum ad alios tranſmiſſione ad poſteros. An verò liceat duellum pro vindicanda ſua parma gentili quam alius aſſumpſit. Vide fusè Chaſſanæ. *conc.* 49. vbi & plures caſus affert in quibus eam ob cauſam neque duellum, neque bellum, neque actio indici poteſt. Duellum ſanè cùm ſacro & profano ſiue ciuili iure ſit prohibitum, in hac cauſa licitum eſſe nequit, de belli iuſtitia alibi diſputandum erit. Sanè quoties ex ea inſignium ſymbolicorum aſſumptione ſequeretur regni ipſius aut ditionis vſurpatio, eadem erit cauſa vindicandi hæc inſignia atque vindicandi ſui iuris in eam ditionem. De actione quæ intentabitur, Iudicum erit arbitrari, neque ſecluſis fraudibus, damno, & iniuriâ alterius, quidpiam aliud ſpectandum erit. Quare in iſtis amplius immorandum non videtur.

13 Aio octauò. Qui impeditur ne ſuum ſcutum teſſerarium apponat rei ſuæ, vel loco, quod tamen iure facere poteſt, patitur iniuriam, ideoque ex illa actione agere poteſt aduerſus impedientem, maximè ſi iam poſita ſint ea ſymbola, & auellantur. Quod poſtremum addo, quia exiſtimant aliqui non teneri iniuriarum eum qui ſolum impedit ne alter ſua ſymbola applicet alicui rei aut loco, quia qui prohibet quominus alicui decernatur honor debitus, v. g. ſtatura, triumphus, dignitásve alia, non tenetur actione iniuriarum. *l. iniur.* 15. §. 4. *D. de iniuriis:* ex mente Labeonis. Verùm longè diſpar eſt ratio in noſtro caſu: quia cui decernendus eſt honor ob præclara merita, & in Rempublicam geſta, nondum habet ius in illum honorem, ſed meritum dumtaxat illius, aut alterius ſimilis qui poterit decerni, vnde non reuerà patitur propriè iniuriam, ſed ſolam contumeliam. At verò dum quis impeditur inſculpere ſua ſymbola ſcutaria in re in qua ius habet illa inſculpendi, per iniuriam impeditur. Sicut etiam quando ſymbolum gentile iam poſitum amouetur, quando ius habuit illud ponendi, alioquin ſi abſque iure, & poteſtate illud poſuit, qui inhibere poterat ne apponerentur, illa abradere ac delere poterit, ſicut poterat initio eorum appoſitionem impedire. Quare.

Aio nonò nefas eſſe in re litigioſa, aut ſuum, aut alienum ſymbolum quo aduerſarius terreatur, ponere, nondum lite definita, alioquin licebit cuique illa abradere; cum enim controuerſia diſceptatur, non licet Iudicis ſententiam præuenire. Ago igitur de re litigioſa, de qua videlicet actio iam mota ſit, & nego pendente lite fas eſſe litiganti ſua inſculpere rei controuerſæ ſymbola, vel alicuius alterius, atque ea ratione ſibi ipſam vindicare: quam in rem afferunt aliqui Theodoſij & Valent. conſtitutionem *in l.* 2. *Cod. vt nemo priuatus titul. prædiis ſuis, vel alien. impon.* prohibent enim ne quis rebus alienis ſua auctoritate vel à Regia ſuſpendere, aut titulos imponere audeat, licet iniuſtè à poſſeſſore detineantur res illæ, & qui ſecus faxit vltimo ſupplicio damnatur, ſi plebeius fuerit, ſi verò honeſtior, maxima capitis diminutione plectendus erit. Et denique permittunt tabulas titulósve iſtos impunè deiici & frangi à quolibet quãtumuis nomine Principis inſcriptos. Inde tamen male colligunt, neque licere ſuos titulos & ſymbola familiæ imponere rebus, quas alius iniuſtè poſſidet, quaſque nos lite intentata repetimus. Nam hi tituli Regij rem cui apponebantur fiſco vindicabant, & Principi conſecrabant, atque rei dominicæ incorporabant; ea enim voce vtitur *lex ſi quando* 3. *Cod. de bonis vacantib.* quod Marcellin. *lib.* 16. dixit *accorporare. Tituli* inquit *l.* 3. *citata, quorũ adiectione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantiis, non niſi publica teſtificatione proponantur.* Theodoric. apud Caſſiodorum. *Caſas eius appoſitis titulis fiſci noſtri iuribus vindicabis.* Et alibi, *fixis titulis publico debes applicare.* Quia verò committebantur plurimæ fraudes à Regiis Officialibus, & fiſci miniſtris, qui eiuſmodi affixione titulorum priuatas res deprædabantur, atque earum deinde publicationem impediebant; vti pluribus explicat Tiberius in ſua Nouella conſtitutione de ſacris domibus, queriturque Gregor. *lib.* 4. *epiſt. ad Conſtantium Auguſtum* de quodã Stephano Chartulario, qui nomine fiſci loca ſingulorum inuaderet, & titulos imponeret indicta causâ: idcircò ſæpius ſanciuerunt Imperatores vt à fiſco ſolo atque Iudicibus, publicis perſonis præſentibus, & ſolemni iuris ordine ſeruato, eiuſmodi tituli Regij imponerentur; ne ea ratione fieret alicui iniuria prætextu Maieſtatis Imperatoriæ non violandæ. Vnde nihil omnino efficitur in rem noſtram de non apponendo proprio ſymbolo gentilitio in re quæ litigioſa

tigioſa

litigioſa eſt, pendente lite. Quod vnum hoc quærebamus. Erant porrò hi tituli tum vela quæ Regias imagines ac characteres continebant; tum tabulæ quædam ligneæ, quibus nomen Imperatoris inſcriptum erat: Tiber. *Nouella citata* vocat εἰκόνας ἢ χαρακτῆρας βασιλικούς. Vide *Nouel.* 17. *capitulo* 15. Sed de his titulis ac velis Regiis, quas cortinas nominat Ambroſ. *lib.* 3. *ep.* 33. fuſius alibi: commodius verò ad controuerſiam de qua diſceptamus pertinet alia conſtitutio quæ refertur *c. de his qui potentiorum nomine titulos*, &c. damnantur enim rei, qui potentiorum nomine, aut titulo adiuncto actores terrent; & rem cuius nomine commentiuntur, ſimulant alterius potentioris eſſe: vnde Auguſtin. *in Pſal.* 21. *Ne domum ipſius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces, ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ſuæ de alieno titulo munire, vt cùm titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis abſtineat à petitione.* Horum pœna ſi iniuſtam cauſam habuerint eſt, vt affecti plumbo perpetuis metallorum ſupplicijs deputentur. Synopſ. Baſilic. *lib.* 7. *tit.* 10. *lib.* 1. ἵνα μολίβδῳ πανταχόθεν περισφιγγόμενος, τουτέστι κλοιοφορῶν ἢ πλυμβατιζόμενος, διηνεκῶς εἰς τὸ μέταλλον ἐκπέμπηται. Hoc eſt, vt vndique plumbo conſtricti, ſiue metallum geſtantes, vel plumbati in metallum perpetuo dentur. Quod ſi iuſtam ille cauſam habuerit, illa omnino cadet, neque actionem repetere poterit, quamuis probabiles eius allegationes habeat. δικαίας ἔχει τῆς ἐν τῷ πράγματι τούτῳ δικαιολογίας: & continuò tum poſſeſſione, cum actu rei ipſum cadere, τοῖς κτήσεως αὐτὸν καὶ δεσπόσεως ἐκπίπτειν iubet conſtitutio. Neque etiam ſine titulo licebit potentioris nomen in litibus ementiri, & prætendere, quod eſt ἐπιφημίζειν. Potens verò qui hæc omnia fieri ſcit & patitur ipſo iure & αὐτομάτως, vt loquuntur Græci, notatur infamia quaſi redemptor calumniæ ἐργολάβος συκοφαντίας. Ad hunc ſine dubio morem alludit Auguſtin. *In ipſis deprecationibus ſuis, titulum Chriſti, Hæretici poſuerunt, vt prædæ ipſorum defenderentur per titulum potentis. Quid facit Chriſtus? eiicit prædatorem, titulum non deponit, ſed poſſidet domum, quia ibi inuenit titulum ſuum.* Hos porrò titulos hoc loco Græci vocant σήμαντρα, σίγματα. & Synopſ. Baſilic. τίτλους καὶ σφραγῖδας, quibus abſque dubio ſcutariæ, & gentiles teſſeræ ſuccedunt, quas proinde rebus litigioſis de quibus conuenimur, non licet apponere, vt illis actorem potentia eius, cuius ſymbolum gentile appoſuimus, terreamus, & à perſequendo, vel obtinenda actione prohibeamus. Nefas quoque eſſe proprios titulos & ſymbola rei mobili, vel immobili quam alius detinet, quamque ipſe ſuam vel ſibi debitam aut obligatam eſſe contendit, ante ſententiam imprimere, traditur *leg.* 1. & 2. *Cod. vt nemini liceat ſine iudicis auctoritate ſigna rebus imponere alienis.* Id eſt quas alius detinet, niſi velit ſuis omnibus quaſi publicatis titulos fiſcales apponi, quæ eſt pœna *Nouell.* 17. Immo & extremum ſupplicium *Nouell.* 164. poſt ſententiam ſi vicerit, licet cuique rei ſuum titulum, vel ſignum imponere. Titulus præfert nomen domini, ſignum, characterem ſiue apoſphragiſma annuli ſignatorij. Ita Cuiac. Ex quibus quid de ſymbolis, gentilibus, aliiſve notis ac ſignis cuique proprijs, ſentiendum ſit, neceſſariò colligitur, cùm ſit vna eademque ratio.

Aio decimò nefas eſſe alterius ſymbola ſcutaria ſibi ſumere, quare qui id faciet prohiberi poterit à Iudice quoties illius intererit, cuius inſignia gentilitia, aut alio modo propria vſurpantur, vti paſſim intereſſe ſolet: debent tamen illa ſymbola prorſus immutata aſſumi: Nam ſi vel minima fiat mutatio, iam non ſunt eadem; neque relinquitur locus querelæ. Deinde ſi ſint ſymbola iam antiquata, aut eorum quorum nulla extat niſi in fabulis memoria, vt eorum quos Galli nominant Equites, & Heroes, & errones, aut rotundæ menſæ, à quolibet aſſumi poterunt, niſi defectu nobilitatis alteriuſve conditionis neceſſariæ ab eius naturæ teſſeris aſciſcendis iure prohibeantur. Addit quoque Chaſſanæus *concluſione citata*, quando familia cuius erat gentile illud ſymbolum, prorſus extincta eſt, licere alteri cuipiam modo explicato illud vſurpare, cùm nemini tunc fiat iniuria. Immò potius generis extinctæ nomen quodammodo ſuſcitetur. Videndum tamen erit ne quod inde damnum vel publico, vel cæteris creetur, quia verbi gratia, exiſtimabitur qui ea gerit ſcuta teſſeraria, eſſe eiuſdem ſtirpis, & eius eximiis quibuſdam iuribus ac prærogatiuis gaudere volet, aut permittetur, non ſine aliorum iniuria. Neque ſanè ille qui ſuæ originis probè conſcius eſt, quamuis à cæteris in alienam familiam aſcitus vulgo exiſtimetur, poterit eius familiæ alienæ bona & ditiones eo prætextu recuperare, aut repetere, aut priuilegiis queſtuoſis gaudere, & eum alicuius alterius damno frui; ſecus verò exiſtimarim, ſi illa iura & prærogatiuæ ſint tantùm honorifica, & nemini noceant, verbi gratia, quod habeatur talis proſapiæ, ac proinde nobilis in conuentum nobilium admittatur, eorumque dignitate in cæteris fruatur, nuptias nobilium ambire poſſit. Si enim vera eius origo à cæteris omnibus ignoretur, & paſſim nobilis habeatur, cur obligabitur ſuam humiliorem & plebeiam originem publicare, & cùm nemini noceat bona, vt loquuntur, ſua ſorte, ac fortuna non vti: nam neque fraude, neque malis vllis artibus in eam familiam irrepſiſſe, aut ille ſe quodammodo inſeruiſſe ſuppono, atque totam omnino gentem & ſtirpem reipſa periiſſe, quamuis ex vulgi errore in hoc veluti Stolone ſeruatam eſſe credatur. Atque ita in ſimili prorſus facto conſultus reſpondi, meamque reſponſionem petitores deinde quos tunc conſulere non licuit, magno conſenſu probarunt. 15

Aio vndecimò ſymbola gentilitia in extraneum, hoc eſt non eius generis, tranſire poſſunt donatione, venditione, & alienatione, ſed in quibuſdam duntaxat caſibus, quos ſingillatim explicare oportet. 16

Atque in primis fidei commiſſarius non ſuccedit in teſtatoris auita ſymbola, ſed hæres directus. Ita G. Benedicti *in capitulo Raynutius, verſiculo, Si abſque liberis, num.* 204. & 205. Chaſſan. 1. *parte catal. concluſione* 43. quia tenetà ille fideicommiſſarius non repræſentat teſtatorem in iis quæ quodammodo affixa ſunt perſonæ ipſius.

Secundò Princeps ſupremus ſymbola ſuæ dignitatis propria alteri donare & concedere nequit pura, plana & integra, nulla infractione, aut coauctione vitiata, quamuis aliquam ſui Re-

gij ſymboli partem honoris ac dignitatis cauſâ permittere valeat. Ne videlicet ea puri hieroglyphi ſupremæ ſuæ dignitatis conceſſione, videatur aliquem ſuæ dignitatis conſortem facere, aut perturbationem confuſionemque in Rempublicam inducere. Atque ita compono diſſidentes ſententias, quas fuſiſſimè refert & expendit ſingulorum momentis adductis Challan. *concluſione* 44. Sane ſicut nequit bona coronæ alienare donatione, venditione, aliáve vlla ratione, ita neque hæc iura regalia, & ſupremæ ſuæ dignitatis inſignia. Quamuis enim cum ea ſymbolorum Regiorum conceſſione, illa tamen ſibi retineat, quod non facit bonorum aut iurium aliorum alienatione, quæ non amplius retinet vbi ipſa in alium transfert, ſed ſolùm in communionem quandam, vt ita dicam, eiuſmodi ſymbolorum aſciſcit, ſicut & aliorum quorundam iurium, quæ eximio fauore ad cohoneſtandos ſubditos illis communicat: ea tamen communicatio circa hieroglypha ſenti Regij videtur multò magis dedecere Regiam Maieſtatē quæ in te adeo ſibi ſingulari conſortem aſciſcat, neque vlla ratio afferri poteſt quæ Principi illam communionem perſuadere poſſit, aut debeat.

Tertiò nemo poteſt ſuæ dignitatis & officij aut ſuæ familiæ antiqua ſymbola, aut etiam ſibi & familiæ, ſiue ſtirpi ac cognationi à Principe conceſſa alienare, & in externum transferre, quia id fieret cum damno & iniuria cognationis; ſicut nequit feudum cognationi conceſſum externo vendere, immo neque cognato, qui non ſit in gradu ſucceſſionis, quando per illos ſucceſſio fieri debet: multò minus poterit quis ita alienare hæc familiaria hieroglypha, vt prohibeat illis ea deferre ob tranſlationem ipſorum in externum aliquem factam. Si vero agamus de ſymbolis quæ quis ſua auctoritate ſibi ſumpſit, aut alia ratione ſibi comparauit, neque auita aut gentilitia ſunt, ac proinde agnatis minime debita, ſed illi ſoli propria, poterit donatione, venditione, vel alia qualibet ratione alienare, & in alium extra ſuam ſtirpem conferre. Neque aliud tandem probant quæ ex variis auctoribus & ſimilibus quibuſdam caſibus ex iure congerit Chaſſanæ. *conc.* 45.

Quartò hinc fit vt qui nullos certos habet qui iure proprio debeant ſuccedere in bona ſua, aut ſymbola ſcutaria, quamuis auita & antiquæ familiæ, poſſit ea alteri cui libuerit relinquere, ſicut & ipſa bona: immo ſi bona illi leget poterit apponere onus, vel conditionem geſtandi ſua auita hieroglypha, & nomen domus ac familiæ aſſumendi, ad quod omnino tenebitur, ſi bona ſibi relicta capere voluerit. Guido Pap. *deciſion.* 151. Quare ea bonorum donatio non erit gratuita, ſed onerosa ſiue compenſatoria, voluit enim donator remunerari onus quod imponit donatario geſtandi ſua inſignia gentilitia, & ſuæ ſtirpis nomen, vel cognomen, idcirco non indigebit inſinuatione; quod obſeruauit quoque G. Benedicti *in capitulo Raynutius verſ. Ram. de Clera, n.* 44. *&* 50. *de teſtamentis.* Fauet. *lex facta* 63. *D. ad SC. Trebellian.* ibi enim §. 7. *ſi ſub conditione:* Caius vult ab hærede implendas eſſe conditiones, quas teſtator iuſſit, & eo modo quo iuſſit, modo neque turpes, neque impoſſibiles ſint, cuiuſmodi non eſt illa, de qua loquimur geſtandi ſymbola gentilitia, ac nomen teſtatoris. Quare addit Caius *ibidem* §. 10. idem iuris eſſe ſi hæredi adſcripta conditio ſit ferendi nominis, ſiue honeſtum illud ſit, ſiue turpe. Etſi enim inter conditiones honeſti & turpis nominis ferendi hoc intereſt, quod hanc ſtatim ab initio Prætor remittit, illam verò non aliter quàm ſi hæres nomen ferre recuſet, propterea quod nihil mali eſt honeſti hominis nomen aſſumere, neque ideò pauperior, aut ignobilior fit, qui aſſumit. Recuſante tamen hærede nomen ſumere nulla iure ciuili adeundæ hæreditatis ratio ſupereſt, ſed neceſſario recurrendum eſt ad remedium & beneficium bonorum poſſeſſionis ſecundum tabulas. Vide Fabrum *libro* 6. *coniectur. capit.* 11. Monet præterea ſapienter Challan. *conc.* 46. hanc conditionem geſtandi donatoris vel teſtatoris auita hieroglypha, intelligendam eſſe de ſymbolis, quæ quis abſque probro aut damno ferre poterit, vt ſi quis geſſerit aliqua inſignia & ornamenta quæ prohibebatur, vt faſtigia coronaria, cùm tamen nullum ius ad faſtigia ſimilia haberet, eo quod inferioris nobilitatis eſſet, neque vlla aut dignitate, aut prærogatiuâ quæ conferret id iuris, gauderet, non poſſet ſuum donatarium, aut hæredem ad illa eadem ſymbolorum gentilium ornamenta ferenda obligare, quia ab illis iure prohiberi poſſet, neque donator aut teſtator potuit conferre ius, quo ipſemet carebat.

Quintò cum vniuerſitate bonorum ſymbola quæ illis propria erant etiam alienantur: Verbi gratia, ſi vendatur Comitatus, vnà cum illo datur ementi ius coronarij faſtigij in ſymbolis, quæ ſi certa quædam ſint illius Comitatus, aut Ditionis, vti aliquando contingit, ius illa ferendi acquiritur vnà cum Comitatu, aut Ditione vel Satrapia.

Sextò in quibus caſibus hieroglypha ſcutaria & gentilitia poſſunt alienari, poſſunt etiam præſcribi, modo illorum ferendorum capax ſit qui ius illud præſcribit, ſi enim ea requirerent quamdam conditionem, aut dignitatem, qua caret qui præſcribere vult, non præſcriberet, niſi ſimul præſcriberet eandem conditionem & dignitatem.

Aio duodecimò poſſe quemlibet rebus omnibus ſuis cuiuſcumque naturæ ſint, ſua ſymbola & ſigna imprimere, non verò aliorum, niſi vel in ſignum ſubiectionis, vel patrocinij in quo eſt, aut de voluntate eius cuius ea ſunt, modo abſint omnes fraudes. Rebus denique alienis neque ſuum nomen, neque ſuum characterem aut teſſeram gentilem affigere poſſe, ne illas ſibi vindicare videatur, niſi volente rei domino, qui interdum id non modo permittit ſed poſtulat, vel ad defendendam ſuam rem prætextu aliquo illuſtri nomine, vel ad eximendam ab aliquo onere, cui alioqnin obnoxia foret. Sed in his omnibus fraus & iniuria, atque damnum alterius vitandum prorſus eſt, alioquin grauiter peccatur, & damnum illa fraude atque mendacio illatum alteri, compenſandum erit. Quæ omnia ex dictis manifeſta fiunt. 17

Venio nunc ad ſigna, ſigilla, characteres, & notas, ſiue vt loquuntur, merchas mercatorum, quorum causâ tota iſta diſputatio fuerat inſtituta. Et primò quidem cuique mercatori atque artifici fas eſſe ſignum & notam ſibi propriam aſſumere, quibus ſuas merces, ſuaque opera deſignet, nemo ambigit, & ipſo initio huius articuli diximus

ex

ex eiuſmodi notis præſumi merces & opera eſſe alicuius.

Secundò poterit quilibet ſua ſigna & notas mutare pro arbitrio, modo ea mutatio neque captioſa, neque iniurioſa, neque nociua alteri ſit, ſicut licet aliquando nomen mutare, vti permittitur *l. vnic. C. de mutatione nominis.* Ad legis quidem Corneliæ de falſis pœnam redarguitur is qui dolo malo ſe ipſum adoptat, & nouum ſibi nomen imponit, quo quid alienum intercipiat, vt ait Paul. *in ſent. tit ad l. Cornel. & l. falſi. D eod.* Si dolus malus abſit vnicuique libero homini, liberum eſt quodcumque volet ſibi nomen aſſumere, nec ex eo ſolo, quod ſibi nouum nomen aſſumpſerit, vlla actione tenetur, ſed ita demum ſi alium ea re in fraudem induxerit. Dixi autem libero homini id fas eſſe: quia ſerui nomen in domini poteſtate eſt, non ſerui, qua de causâ libero homini in ſeruitutem redacto, dominus mutat nomen, vti ſæpius factum nouimus; quidni igitur & ſigna ſua mutare non licebit, quãdo inde nec priuatis, neque publico nocebitur? Quare notarius neque nomen neque ſignum mutare poterit, neque notarius alius eius ſignum aſſumere, vt pluribus DD. adductis oſtendit Chaſſan. *conc.* 33. alioquin pœnas falſi incurreret, quia intereſt Reipublicæ vt vitentur fraudes, quæ facilè contingere poſſent ex eiuſmodi nominis & ſigni mutatione à notario facta, aut ſi liceret vni notario ſignum alterius aſſumere, idcirco id illi prohiberi poteſt.

18 Idem omninò dici debet quoad vſurpationem alieni ſigni & notæ a qua quis prohiberi poteſt, cum ſæpe id noceat tum illi cuius ſignum apponitur, tum etiam cæteris qui illa nota decipiuntur ſuo damno, quod contingit maximè in artificum ſignis & characteribus, atque in notis mercium, quæ vel regionem vel fabricatorem demonſtrant: aliæ ſiquidem venditantur pro aliis, & opera inferioris artificis pro operibus nobilioris, cuius iſte ignobilior ſibi ſignum ſumpſit, capiuntur. Itaque intentari poterit actio aſſumenti ſignum alienum, ſuiſque vel mercibus, vel operibus imponenti, quod ſæpius factum exemplis oſtendit Chaſſanæ. *conc* 32. *&* 34. quo loco ex Baldo & aliis docet vnum mercatorem non poſſe ſignum alterius ſuis mercibus apponere, aut faſcibus. Fauet conſtitutio Arcadij & Honorij *l. 1. C. de nauib. non excuſandis*: permittunt enim Imperatores priuatis naues maritimas habere, quæ exigente neceſſitate tranſuchendæ annonæ publicæ causâ angariari poſſint, ſed ſi quæ affixis potentiorum titulis, ſe excuſauerint, fiſco addicuntur. Vnde quoque colligit Chaſſan. eum qui rei ſuæ alienum ſignum apponit, illâ mulctandum eſſe, adducitque Lucam de Penna *in leg. ſtigmata C. de Fabricenſib.*

19 Tertiò vbi ſunt ſigna alicuius artificij deſignantia locum in quo exercetur, ex quodam priuilegio remanere debent apud eum, apud quem remanet ille locus, neque prohiberi poteſt vti tali ſigno. Quod de inſignibus alicuius officij idem dicendum eſt, nam ad eum pertinebit, qui tale officium conduxerit quãdiu durabit officiũ in illo, alioquin ipſo vti & frui non poſſet. Quod ſi plures artifices ſimul maneant, & artificiũ quod exercent, dignoſcatur quoad bonitatem ex aliquo proprio ſigno, omnes & ſinguli qui inibi illud artificium excolunt, illo ipſo ſigno vti poterunt, quod ſi deinde diſcedant ab inuicem, relicta ea ſtatione, ſignum erit penes illum qui in ea ſtatione remanebit. Quod ſi omnes eum locum relinquant, neque alius ſuccedat in illum, ſed ſinguli ſeorſum laborent; exiſtimarem ſingulos quoque poſſe illud antiquum ſignum, eiuſque artis proprium retinere, appoſita tamen peculiari ſua notâ, qua inter ſe diſtinguantur. Vide Chaſſan. *conc.* 51. 2. 3. *&* 4.

Quartò poſſunt ex mutuo conſenſu ſua ſigna mercatores & artifices inuicem vſurpare, modo fraus omnis & damnum alterius vitetur. Quod ſi duo mercatores de nota ſiue *merco* contendant, actorem lite pendente illo vti non poſſe tradit Bald. *in l. vnic. C. vt ne liceat ſine Iudic. auctor. &c.* & Petrus de Vbaldis *tract. de duobus fratribus part.* 11. *num.* 77.

Quæritur quartò quid de ſignis ſocietatis mercatorum, aut artificum ſtatuendum ſit finita ſocietate. 20 Et quidem nemo dubitat eiuſmodi ſocietates ſæpius aſſumere commune quoddam ſignum quod ſocietatis exiſtat, quodque oſtendit rem ſignatam pertinere ad ſocietatem, & non ad aliquem vnum ex ſociis: quod *initio q.* 2. monuimus; & quid in controuerſia de re & merce notâ ſocietatis notata, quam tamen vnus ſocius ſibi vni vindicat, iudicandum ſit; docuimus ibid. Nunc quærimus quid de illo ſigno extincta ſocietate fieri debeat, & an apud aliquem ſocium remanere debeat. Quod diſputant Bartol. *tract. de Inſignis & Armis n* 12. De Vbald. *tract. citat. q.* 11. *n.* 68. & Straca. *de mercatura part.* 2. *a n.* 97. quæ controuerſia vix in vniuerſum definiri poteſt. Quare ſinguli caſus diſtinctè percurrendi ſunt.

Nam aliquando ſignum ſocietatis aſſumptum communi conſenſu, eſt ſignum vnius ex ſociis, ob eius vel dignitatem, vel famam, & celebritatem, qui plurimum res ſocietatis promouere poterat. Diſſoluta itaque ſocietate, ſocius ille ſigillum ſuum retinebit; cur enim eo quod illud ſocietati commodarit, amittet? Immo ipſum tanquam à ſe collatum in ſocietate recipere debent, ea ratione qua cæteri ſocij à ſe collata recipiunt. Ita de Vbald. *n.* 72. & alij, qui tamen nihil mihi videntur colligere hanc in rem, ex quibuſdam LL. quas adducunt, vti facilè expendenti conſtabit.

Secundò, ſi nouum omnino ſignum in coëunda ſocietate ſumptum ſit; apud eum manere vult Bartol. *locis allatis ab Stracca num.* 99. qui cæteros dignitate præibat, & veluti caput ſocietatis erat, aut qui erat maiori ex parte ſocius, hoc eſt, vt ego interpretor, qui plura in ſocietatem contulerat, quod ſi omnes pares ſint, ſorte controuerſia dirimenda erit. De Vbaldis verò ait aut diſſolui ſignum diſſoluta ſocietate, tanquam aliquid illi acceſſorium, aut ſi commodum aliquod ex eo ſigno naſcitur æquis portionibus diuidendum eſſe, quia verò plerumque indiuiſibile eſt, æſtimationem eius faciendam eſſe ratione lucri commodi, & valoris, arbitrio boni viri. Verùm probabilius Stracca cenſet allegato Baldo, ſignum illud ſublata ſocietate omnino extingui: idque & ſociorum omnium atque publici intereſt, ne eiuſmodi ſigno quod amplius iam extinctæ ſocietatis non eſt, deludamur.

***

CAPVT VI.

De menſuris & ponderibus mercium.

ARTICVLVS I. *Quid ſit pondus & menſura, & quotuplex.*
II. *De Romanis ponderibus.*
III. *De Græcorum, Hebræorum & aliarum Gentium ponderibus.*
IV. *De menſuris liquidorum & aridorum apud Romanos.*
V. *De menſuris liquidorum & aridorum apud Græcos & Hebræos.*
VI. *De menſuris dimenſionum & magnitudinum.*
VII. *De legitimo ponderum & menſurarum vſu in commerciis ſeruando.*
VIII. *Quæſtiones conſectariæ.*

IN omni hominum ſocietate & commercio neceſſarium eſſe ponderum & menſurarũ vſum nemo ſapiens negabit. Ideóque vbi primùm homines in vnam ciuitatem coïuere, Caïnum qui ciuitatem illam extruxerat, menſuras & pondera excogitaſſe tradidit Ioſeph *lib. 1. antiquit.* quamuis eam laudem Palamedi tribuant Agellio, Phidoni, Argiuo, Strabo *lib. 5.* Plin. *lib. 7.* & Iſidor *lib. 16. origin. c. 14.* Pythagoræ Diogen. Laërt. *lib. 9.* Et denique Moſi idem Iſidor. atque alij aliis, qui varias Reſpublicas & ciuitates vel condidere, vel inſtitutis ſuis temperarunt. Sapienter enim monuit Ariſtoteles *lib. 9. Metaph.* ad ciuitatum moderatores, ponderum & menſurarum publicarum definitionem pertinere. Non potuimus itaque in hac de commerciis humanis tractatione à ponderum & menſurarum explicatione prorſus abſtinere, quãquam animus non ſit omni ex parte accuratam tractatiunem tradere, eum & illa implicatiſſima ſit, & nobilia ingenia exercuerit hactenus propter ſui obſcuritatem, & veterum monumenta non ſatis inter ſeſe conſentientia, atque Scriptorum ſiue pugnas, ſiue næuos, in quibus explicandis & emendandis diutiùs laborandum foret, atque ad plura alia à ſuſcepto inſtituto non parum aliena digrediendum; Rndem itaque dumtaxat notitiam & delineationem ad inſtituendum noſtrum negotiatorem ſpondemus.

ARTICVLVS I.

Quid pondus, quid menſura, & quotuplex ſit.

Quot ſunt menſurarum genera. 1.
Illorum inter ſe connexio 2.
Prima inuentio quando & à quo facta. 3.

1 RErum omnium corporearum pretium ex earum fere momentis & magnitudine ducitur: quamuis enim ex ipſa rei natura, & ſubſtantia primùm oriatur, ex eius tamen varia quantitate creſcit aut minuitur; quantitatem verò collocamus vel in eius momentis, grauitate ſcilicet & leuitate, vel in magnitudine; quam iterum colligimus tum ex internallis & longitudinibus, vt in iugeris, ædificiis, veſtibus, cæteriſque eiuſmodi, tum ex mole, & vt aliqui loquuntur, capacitate; vt in frumento, oleo, cæteriſque rebus tum aridis, tum liquidis. Momenta corporum nempe grauitatem & leuitatem, pondo, ſiue librâ, & ſtaterâ examinamus. Molem variis vaſibus certæ & definitæ capacitatis metimur, vt amphora, culeo, modio, quorum aliqua liquidis, alia verò aridis capiendis apta ſunt. Longitudinẽ denique & interualla rerum pede, cubito, calamo, vlna, aliſve certis & determinatis lineis aut longitudinibus. Quare in vniuerſum tria ſunt menſurarum genera, quibus corporum momenta vel magnitudinem dignoſcimus. Nempe pondus, menſura, & regula ſiue linea: quæ deſignari illis verbis *Leuit. 19. verſ. 35. Nolito facere iniquum in iudicio, in regula, in pondere, in menſura,* exiſtimauit Villalpand. *in apparatu lib. 2. diſp. 1. c. 2.* Regulam interpretantur menſuram qua interualla rerum & longitudines dimetimur, & ſane vocem Hebræam *Oleaſter* accipit de menſura pannorum R. Salom. & Vatabl. de menſura agrorum. Vox Chaldaica eo loco meſeſachtha משחתא longitudinum menſuras propriè ſignificat, ab eaque voce Rabini, Geometram, & fundorum menſorem denominant. Latina vox regulæ, quæ normam qua lineæ diriguntur, & baculum quo aliquid rectum tenetur deſignat, nõniſi metiendis pannis, ædificiis, prædiis, veſtibus, & variis internallis vſui eſſe poteſt. Pondus ſignificat id quo examinantur aurum, æs, & alia ponderantia, vnde Græce habetur σταθμὸς ſtatera. Menſura denique eſt id quo quælibet aliæ res menſurantur, ſiue aridæ ſint, vt amphora, modius, ſiue ephi, & hin, quæ vulgatus reddidit modium, & ſextarium.

Hæc verò tria menſurarum genera ita connexa ſunt inuicem, vt ſi lineam & regulam teneas faciliime pondera & reliquas menſuras conſequaris: agnito quoque pondere, & interuallis & capacitatẽ ac magnitudinem intelligas: aliquâ verò ex his menſuris incognita, cæteras quoque ignores neceſſe eſt. Et vt ait Villalpand. *diſp. 1. cit. c. 3.* pendet põdus a menſura menſura cõponitur regula; atq; ex ipſa menſura faciliime, ſicut a pondere ducitur regula. Et ſi quid de regulæ lõgitudine ſubtractũ fuerit, facilè menſura permanẽs prodet, & ſi quid his ſubtractum dolo malo fuerit, id pondus ipſum ac libra demonſtrare poterit. Et ſanè ex proportione Romanæ amphoræ, cognito latere cuiuſuis cubi, cognoſci poſſe, quantũ aquæ capiat ille cubus, & è cõuerſo ex quãtitate aquę, quã capit cubus, cognoſci poſſe illius lateris longitudinem demonſtrat Alcazar. *inueſtigat. de ſacris ponderib. & menſur. propoſit. 4.* Quare ſi cubi latus duos habeat pedes Romanos, cubus ipſe octo amphoras Romanas capit, ſi latus habeat tres pedes, cubus capit amphoras 27. ſi quatuor pedes habeat, amphoras capit 64. ſi ſit quinque pedum, amphoras 125. capiet, ſi ſex pedũ capiet 216. amphoras, ſi decem pedum, capit mille amphoras. Deinde eaſdem proportiones obſeruabis minuendo lateris cubi longitudinem. Nã ſi habeat ſemipedem cubus continebit congiũ, ſi pedẽ cum ſemiſſe congios 27. & ſic de cæteris. Quare cognito latere cuiuſuis cubi, cognoſci poterit quantum aquæ contineat ille cubus. E conuerſo verò ex aqua quam cubus capit, elici facile poteſt, quot pedes Romanos ſiue digitos habeat cubi latus; quamuis quod ad praxim attinet ſapientes moneat *ibidem* Alcaz. ſæpius nimias numerorum minutias inutiles eſſe, quare non videri prudentis nimis exiliter illas ad calculos reuocare. Dixerat autem *propoſit. 5.* cubum Romani pedis capere vncias 960. eamque eſſe Romanam amphoram, fuiſſeque politicæ prudentiæ ſeruare conuenientiam, & proportionem inter menſuras longitudinis.

Digitized by Google

nis, & capacitatis; ideoque Romanos vnde menſuram amphoræ acceperant, menſuram pedis accepiſſe; ſumpſerant autem amphoram ex talento Ægyptio, quod teſte Varrone & Plin. *lib.* 33. *c.* 3. pendebat vncias 960. In Ægypto quoque menſuræ capacitatis, & longitudinis conformes erant; quare Serapis capiti impoſitum gerebat non modo modium, quod tradunt Ruffin. *lib.* 2. *hiſtor. c.* 13. & Iulius Firmic. *lib. de errorib. c.* 14. ſed etiam cubitum, teſte Suida, cuius ſunt ea verba. *Modium in capite, & cubitum, videlicet aqua menſuram.* Modius autem ad menſuram frumenti, & cubitus ad incrementum aquæ Nili erat, ex quo colligebatur frumenti futura copia, vti tradunt Plin. *lib.* 5. *capit* 9. & *lib.* 18. *cap.* 18. Solin. *cap.* 35. aliique paſſim. Veroſimile porro eſt eum modium & cubitum qui imponebantur capiti Serapidis fuiſſe primas formas menſurarum Ægyptiarum, ac proinde illum cubitum ſignatum fuiſſe, atque diſtinctum diuiſionum notis, palmorum nempe, ac digitorum. Denique nihil magis apud auctores obuium eſt, quam vncias fuiſſe, tum ponderabiles, tum menſurabiles.

Ex quibus omnibus euidenter conficitur, quod initio affirmaueram, ita notitiam ponderum, & quarumcumque menſurarum inter ſe connexam eſſe, vt vix intelligentiâ ſeparari queant, & vna ſeorſim ab alia cõparari. Quare Villalpand. *diſp.* 1. *lib. cap.* 3. Caïnum primum ponderum & menſurarum inuentorem hoc modo proceſſiſſe deſcribit. Primo quidem palmo ſuæ manus, ab extremo maximi ad extremum minimi digiti, quæ longitudo dimidio cubito æqualis eſt; vas quadratum omni ex parte, quod cubum geometræ dicunt fieri curauit. Idque bath בת dictum fuit, quo fruges, & liquida pariter metiretur. Deinde vas illud hordeo plenum ponderauit, illudque pondus omnium maximum & legitimum conſtituit: Villalpandus ait nominatum fuiſſe chichar ככר & talentum dici poſſe. Denique Caïnus hordei & tritici ſeruata proportione, tantumdem ponderis è tritico appenſum vas aliud conſtituit, quod & Bath quoque nuncupauit; Bathum verò minorem diſtinctionis gratiâ nominat Villalpand. eſtque priore minor ſubſeſqui altera proportione, quoniam ſubſeſqui altera proportione põdere ſuperatur à tritico hordeum. Neque tantum hi duo Bathi hordeo atque frumento pleni, talento Hebræorum, pondere exæquantur, verum etiam hic minor Bathus grauiori vino rubro Paleſtinæ plenus talentum pendet. Quæ omnia probat Villalpand. Atque in primis duplicem fuiſſe Bathum ex Mari Æneo, quod *lib.* 3. *Reg. cap.* 7. *verſ.* 27. bis mille bathos capere dicitur; in *lib. verò* 2. *Paralipom. cap.* 4. *verſ.* 6. ter mille bathos, quod vulgatus dixit, tria millia metretas, qua de tranſlatione & re tota alibi. Nobis in præſentiarum ſufficit idem vas duplici, & diſtincta omnino menſura commenſuratum fuiſſe, cùm vnus tria millia, alter duo millia caperet, ac proinde maiorem fuiſſe minoris ſeſquialteram, tantumdem enim ternarius numerus binarium ſuperat, quantum maior bathus minorem ſuperabat. Maiorem autem ex his menſuris fuiſſe ſemicubiti, vel palmi cubici, ex eo conſtat, quod Ænei Maris forma, eiuſque longitudo, latitudo, altitudo, & circuitus cubitis commenſurata deſcribuntur in ſacris litteris. Ex quo fit, vt rationes geometricas ſequamur, facilè inueniemus bathi maioris capacitatem æqualem omnino fuiſſe ſemicubito cubico, quod alibi ſe demonſtraturum recipit Villalpand. & deinde præſtat *lib.* 3. *cap.* 18. His omnibus adde liquorum & frugum menſuras æquales fuiſſe, & vtraſque ad iuſtam ponderis rationem exactas; quod euidenter oſtendit Ezechiel *capit.* 45. *verſ.* 10. de quo loco plura inferius. *Statera iuſta & ephi iuſtum, & bathus iuſtus erit vobis: Ephi, & bathus aqualia, & vnius menſura erunt, vt capiat decimam partem cori bathus, & decimam partem cori ephi: iuxta menſuram cori, erit aqua libratio.* Ephi autem aridorum, Bathum liquidorum menſuram fuiſſe conſtabit inferiùs. Erant verò eorum menſura & capacitas æqualis ait Ezech. Pondus autem æquale indicant ea verba: *Iuxta menſuram cori erit aqua libratio eorum.* Vox autem Hebræa Thochen, ſignificat menſurando expendere, penſum menſurare, menſurata penſitare: hinc 4. *Reg.* 12. *verſ.* 11. dabunt eam *iuxta numerum atque menſuram.* Hebraicè pondere menſuratam, ſiue in numero ac pondere. Quare ſapienter vulgatus dixit, erit æqua libratio eorum. Nam pondere examinabatur Bathus an legalis eſſet, ac iuſtæ menſuræ: appenſo videlicet vino, & frumento quo bathus compleretur. Qua etiam ratione talenti pondus examinabatur. Cùm igitur tantam inter ſeſe connexionem habeant pondera & menſuræ, de illis ſimul agemus hoc loco quantum ad commercia fuerit opus. Quia verò ea omnia diuerſa apud diuerſas gentes fuerunt olim, hodieque ſunt, de iis ſingulis ſeorſim in primis tractabimus. Et deinde inuicem conferemus: ex ea ſiquidem collatione commerciorum damna aut lucra maximè pendent.

ARTICVLVS II.

De Romanis ponderibus.

Multiplex libra acceptio. 1.
Quotuplex ſit libra & pondus. ibid.
Quid pondo. 2.
As quid. 3.
Libra & aſſis diuiſio. 4.
Omne totum dictum fuit as, atque eodem modo diuiſum. 5.
Ea diuiſio in re agraria ſeruata. 5. 6.
Quid ſit ſubceſiuum. 7.

Romanorum omnium ponderum certa & determinata menſura fuit libra, quæ & pondo 1
& as dicta fuit. Non accipimus autem libram pro inſtrumento, quo duabus lancibus vtriumque æqualibus conſtrutis, examinantur rerum omnium momenta & pondera, cùm vel altera deprimitur, vel vtrinque in æquilibrio conſiſtant. Ex qua libratione ſine dubio libræ vox dicta fuit, quæ etiam pro libramento vſurpatur à Plinio *lib.* 16. *cap.* 36. *Nullus ſagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla, pondusque volucre, contra flatus quoque pernicax libra.* Et *lib.* 33. agens de arte quarumdam auium, in occultandis, transferendiſque ſuis ouis. *Hoc in his auibus, quarum digiti non ſunt accommodati complectendis transferendiſque ouis, miro traditur modo. Namque ſurculo ſuper bina oua impoſito, ac ferruminato alui*

glutino, ſubdita ceruice media, aquè vtrinque libra deportant aliò. Hinc fit vt inſtrumentum quo altitudines aquarum explorantur, & librantur aquæ, libra, atque etiam libella nominetur à Colum. *lib.*8. *cap.*17. de piſcinis extruendis, & aperiendis in illis meatibus, quibus facile vetus ſubmoueatur vnda. *Hos autem*, inquit, *meatus fieri cenſemus per unam conſepti partem, ſi loci ſitus ita competit, vt in ſolo piſcinæ poſita libella ſeptem pedibus ſublimius eſſe maris æquor oſtendat, nam piſcibus ſtagni hæc in altitudinem menſura abundè eſt.* Et mox. *Sin autem locus vbi vinarium conſtituere cenſemus pars libra cum æquore maris eſt, in pedes nouem defodiatur piſcina*, &c. *Quoniam modus ille aquæ iacentis infra libram maris, non aliter exprimitur, quam ſi maior recentis freti vis inceſſerit.* Ex quibus vides libram non modo eſſe inſtrumentum examinandis ponderibus, ſed etiam interuallis rerum & altitudinibus, ac demùm pro ipſa æqualitate rerum, quarum aut pondera, aut altitudines inquiruntur, eleganter vſurpari. Verùm in ea notione libram non capimus hoc loco, ſed pro certo quodam pondere, ſiue menſura omnium ponderum, cùm ad eam omnia ſua pondera exigerent Romani. Immò & alias omnes menſuras, quas ad hoc tandem pondus reducebant: vnde duplicem libram faciebant, menſuralem vnam, quam etiam libram menſuram vocabant, ponderalem, alteram quam libram pondo nominabant, vt ſtatim dicam, quæ vtraque libra vti paulò poſt videbimus, in duodecim partes æquales ſiue vncias diuidebatur; quamuis vti obſeruat Galen. *lib.*6. *de compoſit. cap.*18. duodecim vnciæ menſurales æquales erant decem vnciis ponderalibus, quod ſe experimento in oleo comprobaſſe idem Author teſtatur. Qui etiã ſignificat libram menſuralem fuiſſe corneum vas diſtinſtinctum, interſectumque lineis quibuſdam ipſum in duodecim partes æquales, ſiue vncias diuidentibus, quæ tamen ſi deinde appenderentur, non niſi decem vnicas ponderales æquabant; quod in oleo oſtendit Galenus. Atque eiuſmodi corneis menſuris oleum diuendi ſolitum fuiſſe teſtatur, quæ vaſa ipſe vocat χέρατα λιτραῖα cornua libralia, quamquam & aliqua erant bilibria. Vnde Horat. *lib.*2. *ſerm. ſatyr.*2. de Auidieni ſordibus.

Cuius odorem olei nequeas perferre [licebit
Ille repotia, natales alioſue dierum
Feſtos albatus celebret] cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti.

2 Verùm de libra menſurali non agimus hoc loco, ſed de ponderali, quæ & dicitur, vt monui libra, pondo, aut pondo abſolutè, quæ vox ſiue cum libra coniungatur, ſiue ſeorſim ponatur, indeclinabilis eſt. Quintilian. *lib.*6. *cap.*4. *Torquem aureum centum pondo* dixit. Et Liu. *lib.*22. *Bina pondo & ſelibras.* Cato *Adipis pondo duo*, caſei libram. Plin. *lib.*18. *c.*7. de vario frumentorum pondere agens: *Quibuſdam generibus per ſe pondus, ſicut Balearico, quod modio tritici panis pondo XXX. reddit. Quibuſdam in binis miſtus, vt Cyprio & Alexandrino XX. prope libras non excedentibus.* Aliàs cum libra eiuſque partibus iungitur. Liu. *lib.*4. ſcribit coronam auream libræ pondo Ioui dicatam fuiſſe. Colum. *lib.*12. *capit.*20. *Myrrha quincunx, calami pondo libra, caſia ſelibra, amomi pondo quadrans, croci quincunx*, &c. Plaut. in Aſinar. *Act.* 3. *ſcen.*3. *Neque piſcium vllam vnciam hodie cæpi.* Verùm de voce pondo fuſiſſimè diſputat Gronouii. *lib.*1. *de pecunia vetere, c.* 6. 7. *&* 8. Quærunt verò Grammatici, an libra ducta ſit à voce Græca λίτρα, an verò ipſa vox Græca à Latina *Libra*, deſumpta Pollux quidem exiſtimat λίτραν vocem eſſe iam olim à vetuſtiſſimis Græcis vſurpatam, quam Romani per β. ſcribunt, & libram vocant. Galenus *lib.* 1. *de compoſ. medic.* ait libram, ſextarium, vnciam eſſe nomina patria, ἐπιχώρια ὀνόματα. Agit autem eo loco de ponderibus atque menſuris Romanis, ſed iſta mittamus Grammaticis.

As ſiue aſſis, quaſi æs inquit Varro *lib.*4. *de ling. latin.* idem fuit quod libra, quia vt ait Plin. *lib.*33. *cap.*3. cùm Populus Romanus ante deuictum Pyrrhum non vteretur argento ſignato, & Seruius Rex primus ſignarit æs, libralis appendebatur aſſis ex ære, quæ etiam libella dicebatur, & dipondius, quando erat grauior & duarum librarum: atque ita As pro libra fuit vſurpatum, cùm eiuſdem cum libra ponderis eſſet; quod probat Plinius ex variis loquendi modis, qui ex illa æris & aſſis appenſione deriuati ſunt. Inde enim *grauis æris pœna dicta fuit, & in rationibus expenſa adhuc dicuntur, item impendia & dependere, quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis penderanda penſatores, libripendes dicuntur, qua conſuetudine in his emptionibus, quæ mancipij ſunt, etiam nunc libra interponitur.* 3 As igitur dicitur, quaſi æs ſubintelligendo librale; ideoque vnam libram Aſſem dicebant, reliquas verò dupondium, tripondium, centumpondium, &c. Plaut. *in Aſin. Act.* 2. *ſcen.* 3 2.

Ad pedes quando alligatum eſt centumpondium,
Vel manus manica complexæ ſunt, atque adductæ ad trabem,
Neque dependis, neque propendis, quin malus nequaquam ſis.

Aſſem porrò & libram in duodecim partes æquales ſecuerunt Romani, quas vncias dixerunt, quaſi ab vno, vt ait Varro *lib.*4. *de lingua latina*; quem tamẽ falli putat Scaliger *in coniectur.* eo quod Ariſtoteles dicit apud Polluc. *lib.* 9. οὐγκίαν eſſe nomen Siculum. Verum quidquid ſit de eo ethymo pergit Varro: *Vncia ab vno, ſextans ab eo quod ſexta pars aſſis, ſicut quadrans ab eo quod quarta, & triens tertia pars, ſemiſſis quaſi ſemi as, id eſt dimidium aſſis, ſeptunx a ſeptem & vncia concluſum: (vel vt alij legunt colliſum) reliqua obſcuriora quoad diminutionem, & ea qua diminuuntur, (alij quæ demuntur) ita ſunt, vt extremas ſyllabas habeant, vt à duodecim vna dempta vncia deunx, dextans dempto ſextante, dodrans dempto quadrante, bes, vt olim des, dempto triente.*

Eadem habet Fannius Palæmon.

Nunc dicam ſolida quæ ſit diuiſio libræ
Siue aſſis, nam ſic legum dixere periti,
Vncia nam libro ſi deeſt dixere deuncem,
At ſi ſextantem retrahas, erit illa decuncis,
Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum
Dempta dabit, nec enim eſt huius ſextũcia triplex.
Dodrantẽ reliquum vocitant quadrante retracto;
Cumque triens deſit, beſſem dixere priores:
Iidem ſeptuncem, dempto quincunce vocarunt,
Poſt hæc ſemiſſis ſolidi, pars maxima fertur.
Nam quæ dimidium ſuperat, pars eſſe negatur,
Vt docuit tenui ſcribens in puluere Muſa.

Igitur prima pars aſſis eſt vncia: duæ vnciæ ſunt ſextans aſſis, tres vnciæ quadrans aſſis; quatuor vnciæ triens; quinque vnciæ quincunx; ſex vnciæ ſemis; ſeptem vnicæ ſeptunx: octo vnciæ bes; nouem vnciæ dodrans: decem vnciæ decunx, ſeu dextans: vndecim vnciæ deunx: duodecim vnciæ, ipſe as, ſeu libella in duodecim vncias ſectilis. Vncia & dimidia vocatur ſeſcuntia, vel ſeſquiuncia

quiuncia, ſicut ſeſcuplum & ſeſquiplum & ſeſquipes; illa enim particula, *ſeſqui*, in compoſitione ſignificat dimidio maius, & ſemioliam rationem habet, ſiue ſeſquialteram, quod pluribus oſtendit Budæ. *initio primi libri de Aſſe*. Sic dicitur ſeſquipes, ſeſquicubitus, ſeſquidigitus, ſeſquiiugerum, & apud Cæſarem ſæpius ſeſquipedalia tigna, hoc eſt pedis vnius & dimidiati craſſitudine, apud Horat. ſeſquipedalia verba, ſic ſeſquimenſis, menſis & dimidium menſis. Hæc porro particula *ſeſqui*, componitur cum quocumque vocabulo menſuram numeri, vel temporis, vel modi, & aliud quoduis ſignificante. Columella & Plaut. *ſeſqui operam* dixere; ſic enim iſte *in captiuis actu 3. ſcen. 5.*

——————— ducite
Vbi ponderoſas craſſas capiat compedes,
Inde ibis porro in Latomias lapidarias,
Ibi quum alij octonos lapides effodiunt,
Niſi quotidianus ſeſquiopus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.

Tacit. *lib.* 15. de Vejano Nigro, qui Neronis iuſſu ceruicem Flauio Tribuno abſcidit. *Et ille multum tremens cùm vix duobus ictibus caput amputauiſſet, ſauitiam apud Neronem iactauit, ſeſquiplaga interfectum a ſe dicendo.* Denique Seſquivlyſſem ex Varrone dixit Plin. *in ſui operis præfat.* id eſt hominem eximiè affectum, quod Gallicè diceremus, *vn Vlyſſe & demi.* Græci non exprimunt vna voce, neque enim dicunt ſeſquimina, ſed tres ſemiminas; τρία ἡμιμναῖα, & pro Seſquidarico τρία ἡμιδαρεικά. Sic & τριημιπόδιον ſeſquipes, πενθημιπόδιον duo pedes & ſemis, hoc eſt quinque ſemiſſes.

Obſeruat præterea Varro ab aſſe dictum aſſipondium: aſſarium quoque ſæpius dixit Plutarch. Vſitata quoque in ratione numerandi hæc nomina, treſſis, quadreſſis, nonuſſis & decuſſis, pro tribus, quatuor, nouem & decem aſſibus, deinde pro binis decuſſibus biceſſis, & triceſſis pro tribos, hoc eſt tricenis aſſibus, & centuſſis pro denis decuſſibus. Hinc Perſ. *Et centum Græcos curto centuſſe licetur.* Neque maius æris vocabulum apud antiquos fuit. *Nam ducenti*, inquit Varro, *in proportione cum dicuntur, non magis as, quam denarij aliave res ſignificantur.*

Præter aſſis partes æquales quas vncias dicimus, fuere & aliæ in quas ipſa vncia diuiditur. Continet enim ſcrupulos, ſeu ſcrupula viginti quatuor, ſextulas verò ſex. Eſt igitur ſcrupulus pars aſſis 288. ſextula vero eſt aſſis portio 72. Eſt & duella, ſiliqua, obolus, ſicilicus. Eſt porro ſicilicus 4ª. vnciæ pars, aſſis 40. duella tertia vnciæ pars, aſſis trigeſima ſexta: drachma vnciæ pars octaua, & aſſis nonageſima ſexta: drachma vnciæ pars octaua, & aſſis nonageſima ſexta: obolus quadrageſima octaua pars vnciæ; aſſis quingenteſima ſeptuageſima ſexta: ſiliqua vnicæ pars 144ª, aſſis 1728ª. lens vnciæ pars 192ª. aſſis 2304. Quare duella continet lentes 64. ſiliquas 48. obolos 16. ſcrupulos 8. drachmas $2\frac{2}{3}$. ſextulas 2. ſicilicos 9. Sicilicus continet lentes 48. ſiliquas 36. obolos 12. ſcrupulos 6. drachmas 2. ſextulas $1\frac{1}{2}$. Sextula continet lentes 32. ſiliquas 24. obolos 8. ſcrupulos 4. drachmas $1\frac{1}{3}$. Drachma continet lentes 24. ſiliquas 18. obolos 6. ſcrupulos 3. Scrupulus habet lentes 8. ſiliquas 6. obolos 2. Obolus continet lentes 6. ſiliquas $1\frac{1}{2}$. Siliqua habet lentes 4. Itaque minimum omnium ponderum fuit lens.

5 Ab hac porrò libræ & aſſis diuiſione factum eſt vt apud Romanos illud omne, quod ſub partitionem caderet, As appellaretur. Quare hæreditatis vniuerſæ ſummam aſſis nomine deſignabant, vnde ſunt apud Scriptores frequentes illæ loquendi formulæ. Hæres eſſe ex aſſe, ex quadrante, ex triente, ex ſextante, ex vncia, ex ſextula. Cic. *orat. pro Cæcin.* §. 17. *Teſtamento facto mulier moritur, facit hæredem ex deunce, & ſemuncia Cæcinnam, ex duobus ſextulis Marcum Fulcinium, Ebulio ſextulam aſpergit.* Hoc eſt, vxor Cæcinnam ipſum hæredem ſcribit ex vndecim partibus cum dimidia. Legat verò Fulcinio duas 72. partes, & Ebulio vnam 72. Et *lib.* 13. *ad Attic. ep.* 46. *Mortuus Babullius Cæſar opinor ex vncia, etſi nihil adhuc, ſed Lepta ex triente.* Et *lib.* 13. *ep.* 29. *Teſtamentum quod Antiſtius Romæ fecerat, hæres ex parte dimidia & tertia eſt Capito: in ſextante ſunt, quorum pars ſine vlla querela publica poteſt eſſe, ea eſt ad ſeſtertium trecena millia.* Hæc verò formula Iuriſconſultis frequens & ſolemnis eſt. *l.* 1. *D. de interrogat. in iure faciend.* §. 2. *Qui ex quadrante hæres reſponderit ſe hæredem ex aſſe, in aſſem inſtituta actione conuenietur.* Et §. 3. *Si cùm eſſet quis ex ſemiſſe hæres, dixerit ſe ex quadrante, mendacij hanc pœnam feret, quod in ſolidum conuenietur.* Et §. 6. *Si interrogatus quis an ex aſſe hæres eſſet, reſponderit ex parte, ſi ex dimidia eſſet, nihil ei nocere reſponſum.* Eiuſmodi alia paſſim obſeruabis *in l. ſeruum. D. de hæred. inſtit. l.* 15. *D. qui ſatiſdare cogantur. l.* 4. *D. de legat. & fideicomm. l.* 9. *D. quibus modis hypothec. ſolu. l.* 1. *D. in legat. ſeu fideicommiſſ. cauſa cau.*

In re quoque agraria aſſis nomen eiuſque partes frequentius ab antiquis Auctoribus vſurpantur. 6
Iugerum enim aſſis nomine ſignificant, & vniuerſas iugeri portiones iiſdem planè appellationibus, quibos aſſis partes, deſignant. Varro *lib.* 1. *de re ruſtica cap.* 10. *Iugerum habet ſcrupula ducenta octoginta octo, quantum habet as antiquus noſter, ante bellum Punicum pendebat bina iugera, quod à Romulo primùm diuiſa dicebantur viritim, quæ quod hæredem ſequerentur, hæredium appellarunt. Hæc poſtea à centum centuria dicta.* Perſequitur deinde dimenſiones centuriæ. Et paulò ſuperiùs ſingillatius iugeris menſuram paucis explicarat. *Iugeri pars minima dicitur ſcrupulum, id eſt decem pedes in longitudinem, & latitudinem quadratum: ab hoc principio menſores nonnunquam dicunt in ſubſciſiuum eſſe vnciam agri aut ſextantem, aut quid aliud, cùm ad iugerum peruenerunt.* Quæ verba ſic interpretatur Budæ. *lib.* 1. *de Aſſe.* vt vncia agri ſit duodecima pars iugeri, vnciæ autem quarta, & vigeſima pars ſit ſcrupulus, vti iam monuimus, qua ratione fit, vt ducenta octoginta octo ſcrupula ſint in iugero, ſicut & in aſſe; quæ ſi centenario moltiplicantur, hoc eſt denis quoque rurſus pedibus, ex Varrone, duodequadraginta pedum quadratorum millia, & octoginti pedes fient, quæ eſt menſura iugeri. Vult itaque Varro in hac dimenſione iugeri, nos ab vncia agri, deſcendere ad vltimam minutiam, quam vult eſſe ſcrupulum, hoc eſt ducenteſimam, & octogeſimam octauam partem iugeri, & iugerum ducenteſimam partem centuriæ. Rurſuſque ab ſcrupulo quaſi metiendi initio ad vnciam progredi oportet, inde ad ſextantem & alia maiorum menſurarum vocabula.

Quod autem Varro monet nonnunquam dicere in *ſubſciſiuum eſſe aut iſſe* vnciam agri, aut ſextantē, ſignificat aliquãdo menſores reiicere & veluti ſcindere vnciam, aut ſextantem agri tanquam incapacē, vt iugeri aut centuriæ æqua portio ſit, eo quod vel minor, vel deterior ſit. Eſt enim ſubceſiuus, vel

ſubſciſiuus agrariæ dimenſionis peculiare verbum, quo exprimitur vel minor, vel deterior agri portio, quam vt iuſtum eius membrum poſſit explere. Siculus Flacc. *de cond. agr. Quantò minus agri ſit, quàm centuria modus eſſe debet, ſubceſiuum vocatur.* Frontinus *lib. de agror. limitib. cap. de Agror. qualitate. Subceſiuum eſt quod ab ſubcidente linea nomen accepit, modus ſcilicet agri quo in extremis aſſignatorũ finiũ centuria expleri non potuit.* Et mox *Subceſiuũ item eſt, id agit, quod in medijs aſſignationibus & integris centuriis interuenit.* Aggenus Vrbicus *lib. de limitib. agrorum, pag. 57. Subceſiuũ quod in extremis finium centuriam explere non potuit, inuenitur quinquaginta & ſexaginta contineri iugeribus.* Et *pag. 58. Subceſiuum maius centum iugera dictum eſt: minus quinquaginta iugera nuncupatum.* Et *pag. 71. Auctor agrariæ diuiſionis aut ſibi reſeruauit ſubceſiua aut populo Romano, aut priuatis conceſſit.* Et *eodem loco. Domitianus per totam Italiam ſubceſiua poſſidentibus donauit, edictoque vniuerſis notum fecit.* Hygen. *lib. de limitibus conſtituendis pag. 96. In alia perfectura ſunt aliter conuerſi limites, vt habent in inſcriptionibus inter limitem nouum & veterem, iugera forte ſeptuaginta: & hæc ſunt alterius partis ſubceſiua.* Et *pag. 134. Subceſiuorum omnium librum facere debebimus, vt quando voluerit Imperator, ſciat quot in eum locum homines deduci poſſunt.* Et *ſequenti pagina 135. Totum agrum totius Perticæ, in hunc modum ordinare debemus, vt omnes menſuræ actu limites, & ſubceſiuorum lineas oſtendamus.* Hæc porro ſubceſiui vox ab rejectaneis fundis agrariæ rei traducitur ad quæuis veluti ſucciſa ex ſolido corpore minutiora membra: vt ad horas, dies, operas, tempora, quæ reliqua nobis fiunt ab ſeriis negotiis, & otij ſuppeditant quidpiam, ad minus ſeria. Cic. *lib. 1. de legib. §. 9. Subceſiua quadam tempora incurrunt quæ ego, perire non patior.* Et *lib. 2. de orat. §. 364. Quæ ego ſerò, quæ curſim arripui, quæ ſubceſiuis operis, vt aiunt.* Et *Philip. 2. §. 20. Nec amicis vnquam defui, & tamen perfeci operis ſubceſiuis, vt meæ litteræ nomini Romano laudis aliquid afferrent.* Verùm redeamus in viam à qua paulo defleximus, & quod ex Varrone aſſis partes frequenter in re agraria vſurpari oſtendimus; ex Columella quoque probare pergamus. Is igitur *lib. 5. cap. 1.* ſic agrum dimetitur. *Iugerum habet quadratorum pedum viginti octo millia, & octingentos, qui pedes efficiunt ſcrupula* CCLXXXVIII. *Vt autem à minima, id eſt ab dimidio ſcrupulo incipiam: Pars quingenteſima ſeptuageſima ſexta pedes efficit quinquaginta, id eſt iugeri dimidium ſcrupulum: pars ducenteſima octogeſima octaua pedes centum, hoc eſt ſcrupulum: Pars* cxliv. *pedes* cc. *hoc eſt Scrupula duo: Pars ſeptuageſima ſecunda pedes* cccc. *hoc eſt ſextula, in qua ſunt ſcrupula quatuor. Pars quadrageſima octaua pedes* DC. *hoc eſt ſicilicus, in quo ſunt ſcrupula ſex. Pars vigeſima quarta pedes mille ducentos, hoc eſt ſemuncia, in qua ſunt ſcrupula* xiij. *Pars duodecima duo millia, & quadringentos, hoc eſt vncia, in qua ſunt ſcrupula* xxiv. *Pars ſexta pedes quatuor millia & octingentos, hoc eſt ſextans, in quo ſunt ſcrupula* xlviij. *Pars quarta pedes ſeptem millia & ducentos, hoc eſt quadrans, in quo ſunt ſcrupula* lxxij. *Pars tertia pedes nouem millia & ſexcentos, hoc eſt triens in quo ſunt ſcrupula* xcvj. *Pars tertia & vna duodecima pedes duodecim millia, hoc eſt quincunx, in quo ſunt ſcrupula* cxx. *Pars dimidia pedes quatuordecim millia, & quadringentos, hoc eſt ſemis, in quo ſunt ſcrupula* cxliv. *Pars dimidia & vna duodecima pedes ſexdecim millia & octingentos, hoc eſt ſeptunx, in quo ſunt ſcrupula* clxviij. *Partes duæ tertiæ pedes decem nouem millia, & ducentos, hoc eſt bes in quo ſunt ſcrupula* cxcij. *Partes tres quartæ pedes vnum & viginti millia ſexcentos, hoc eſt dodrans in quo ſunt ſcrupula* ccxvj. *Pars dimidia & tertia pedes viginti quatuor millia, hoc eſt dextans, in quo ſunt ſcrupula* ccxl. *Partes duæ tertiæ, & vna quarta, pedes viginti ſex millia, & quadringentos, hoc eſt deunx, in quo ſunt ſcrupula* cclxiv. *Iugerum pedes viginti octo millia & octingentos, hoc eſt as, in quo ſunt ſcrupula* cclxxxviij.

Ex quibus vides aſſis & partium eius nomina, non modo ab agrariæ rei menſoribus vſurpari, ſed etiã ab aliis, & pedem Romanum in eaſdem quoque partes diuidi, quod manifeſtius fit ex Vitru. *lib. 7. cap. 4.* vbi beſſales laterculos habet, hoc eſt octo vnciarum. De quibus vide Gronou. *lib. 3. de pecun. vetere cap. 11.* Idem Vitru. graduum templi craſſitudines ita finiri vult, vt ne craſſiores ſint dextante, neque tenuiores dodrante. Dextantem autem accipit pro decem, dodrantem pro nouem pedis Romani vnciis. Colum. *lib. 4. cap. 1.* agens de ſcrobibus vineaticis ſeminibus parandis: *Adiecto dodrante ſuper altitudinem bipedaneam.* Et infra. *Deprimantur ſemina in regeſtro, quod eſt fermentatum plus dipondio ſemiſſe.* Et denique. *Sed non eſt dupondij, & dodrantis altitudo, quæ iſtud efficere poſſit.* Accipit Columella dupondium pro duobus pedibus, quaſi pedes aſſis ponderales eſſent. Eodem loquendi modo non ſemel vtitur Plin. *lib. 13. cap. 15.* agens de menſis citrinis vitorum, vti appellat, inſania. *Magnitudo ampliſſima adhuc fuit, vnius commiſſa ex orbibus dimidiatis duobus, quatuor pedum & ſemipedis per ambitum, craſſitudine quadrantali.* Subdit, *Tiberio principi menſam quatuor pedes ſextante, & ſicilico excedentem, tota verò craſſitudine ſextunciali, operimẽto laminæ veſtitam fuiſſe.* Aliam denique eiuſmodi menſam fuiſſe Nomio Tiberij Cæſaris liberto, *Tribus ſicilicis infra quatuor pedes, totidemque infra ſemipedem craſſitudinis.* *lib. 27. c. 5.* Hemionion eſſe *foliis Tyeutalibus multis.* Et *cap. 11.* ait lyihoſpermon eſſe herbam quincuncialem ferè foliis duplo maioribus quàm rutæ. Itaq; quincuncialem Herbã appellat Plinius minorem ſeſquipede, & ſeptenorum fermè digitorum, vti interpretatur Budæ. *lib. 1. de Aſſe.* De lapidibus ſic idem Plini. loquitur *lib. 33. cap. 8. Sunt autem modici, quaternas vnicas longitudinis, binaſque latitudinis non excedentes.* Præterea ſignificabant aliquando Romani aſſis nomine vnum in numero. Columell. *lib. 5. cap. 3. Duco quintam partem longitudinis, fiunt ducenti quadraginta, & quintam partem latitudinis; hoc eſt viginti quatuor: his vtriſque ſummis ſingulos aſſes adiicio, qui efficiunt extremos ordines, quos vocant angulares.* Vide & Vitruu. *lib. 7. capit. 4.* De quo loco plura Villalpand. *lib. 2. Apparat diſp. 2. cap. 6.*

Sextarius aſſis etiam nomine ſignificatur à veteribus, & cum ſextarius duodecim cyathos caperet, cyathi ipſi vnciæ ſextarij vocabantur, legimuſque apud Martial. calices ſextantes, quadrantes, trientes, deunces; hoc eſt duorum, trium, quatuor, vndecim cyathorum. Denique dies & hora interdum ita appellantur. Plin. *lib. 2. c. 14.* ait, *Lunam lucere dodrantes ſemuncias horarum, ab ſecunda adiicientem vſque ad plenum orbem, detrahentemque in diminutionem.* Quæ ſic interpretatur Budæ. *de Aſſe lib. 1.* Lunam cùm a coitu emergit, quod fit ſecunda die, lucere primum tres partes vnius horæ nocturnæ, & inſuper quartam & viceſimam horæ partẽ, ſeu mauis vndeuiginti viceſimas quar-

tas

tas horæ, à ſecunda deinceps ad plenilunium, die qualibet tantumdem incrementi lucendo adiicere, & rurſus a plenilunio, eadem ratione, eodemque modo decrementi lucere. *Et lib. 18. cap. 32.* eandem lunarem rationem ſic deſcribit idem Plin. *Supra terras autem erit, quamdiu & Sol interlunia & prima tota die: ſecunda hora noctis vnius dextantem ſicilico: ac deinde tertia, vſque ad quintam decimam, multiplicatis horarum iiſdem portionibus: quintadecima tota ſupra terras noctu erit, eodemque ſub terris tota die: decima ſexta ad prima hora nocturna dextantem ſicilicum ſub terra aget, eaſdemque portiones horarum per ſingulos dies adiiciet, vſque ad interlunium.* Quæ parum conſentire iis quæ ex *lib. 20.* paulò ante retulimus, exiſtimat Budæus. Nobis in præſentiarum ſatis eſt vt probemus dodrantes, dextantes, ſemuncias, ſicilicos, & cæteras aſſis ac libræ partes, etiam de diebus & horis à veteribus fuiſſe vſurpatas.

Atque hactenus de Aſſe & Libra Romana einſque partibus, quibus, examinabantur omnia pondera, atque etiam menſuræ liquidorum & aridorum: ex pondere enim liquoris aut frumenti, v.g. quod ſextario, aut alia quapiam menſura capiebatur, eius capacitatem metiebantur, vti iam diximus, & ſæpius repetere cogemur. Maximum autem pondus veterum Romanorum libra erat, eaque multiplicata quæcumque pondera maiora explicabant, quod iam monuiſſe me memini.

ARTICVLVS III.

De Græcorum & Hebræorum ponderibus.

Pondera & numiſmata cognomina. 1.
De drachma & holce. 2.
Drachmæ & oboli diuiſio. 2.
Mina Attica. 3. 4.
De talento. 5.
De ſiclo. 6.
Eius pondus. 7.
Eius partes. 8.
Mina Hebræa. 9. 10.
Talentum Hebræum. 11.

OBſeruandum in primis quædam tum pondera, tum numiſmata, iiſdem nominibus à Romanis, Græcis, Hebræiſque exprimi, ea fortaſſis de cauſa, quòd eiuſmodi numiſmata illius ponderis eſſent. Ita as & libella tum nummum, tum certum pondus ſignificant, quod idem de drachma, mina, talento, & ſiclo dicendum eſt. Nam & certa quædam numiſmata his vocibus deſignantur, & ſimul certa quædam pondera. Nos hoc loco agimus duntaxat de ponderibus. Itaque aſſes conſiderauimus vt libram & pondo, non vt nummum. Simili quoque ratione drachmam vt pondus, non vt nummum explicamus, quod idem in mina, talento, & ſiclo faciemus.

Obſeruandum præterea eſt tum Romanos à Græcis, tum Græcos à Romanis pondera quædam mutuatos eſſe, atque etiam numiſmata iiſdem nominibus deſignata, nam & ἀσσάριον & οὐγκίαν Græci à Romanis acceperunt, & Romani viciſſim ab illis drachmam, obolum, minam, talentum, quæ etiam pondera Hebræis vſitata fuere; quod de drachma luculenter probat ex *lib. 2. Eſdræ. cap. 7. verſ. 70. & 71.* Villalpand. *lib. 2. apparat. cap. 16.* De mina *cap. 32.* quamquam & ea vox a radice Hebræa deriuari poſſit, vt ſtatim dicemus. Et denique de talento *cap. 33.* de quibus & nos ſtatim.

Drachma igitur fuit proprium Græcorum pondus & numiſma, atque vt ait Fannius octaua vnciæ pars: *Vncia fit drachmis bis quatuor.* Vnde vides libram ſiue aſſem conſtare drachmis ſex, & nonaginta; octies enim duodecim fiunt nonaginta ſex, quibus ſi quatuor addas facies centum; quot nempe drachmas continet mina, vt ſtatim dicam, quod ſignificat ſuis verſibus Fannius. a

Accipe præterea paruo quàm nomine Graij
Mnam vocitant, noſtrique minam dixere priores:
Centum hæ ſunt drachmæ, quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Libra igitur habet nonaginta ſex drachmas, ſcrupula ducenta octoginta octo: vncia drachmas octo, ſcrupula viginti quatuor, quæ eadem habet Cleopatra *lib. de munditiis,* Dioſcorid. *lib. de ponderib.* Galen. *lib. 6. de compoſit. medicam. ſecund. generis.* Ex quibus omnibus colligit ſapienter Villalpand. *lib. 2. app. cap. 7.* apud Græcos nullam aliam fuiſſe vnciam præter eam quam re & nomine a Romanis fuerant mutuati; ſicut neque vllam aliam drachmam cognitam fuiſſe Latinis quàm eam ipſam, quam à Græcis acceperunt, quandoquidem Romana vncia octo drachmis Græcis conſtabat, & octo drachmæ Græcæ æquales prorſus erant vnciæ Romanæ. Drachma dicta quoque eſt ὁλκὴ holce. Vnde Fann.

Holceque à drachma non re ſed nomine differt.

Dicitur verò ὁλκὴ ab ἕλκω id eſt traho: inde ἕλκειν τὸ ξίφος exerere, & trahere è vagina gladium. Dicitur quoque de ponderibus quæ bilancem in alteram partem ſua grauitate trahunt, atque vt interpretatur Budæ. pendere faciunt. Quare ſicut à pendeo pondus, ita ab ἕλκειν ducitur ὁλκὴ pondus. Hinc apud Lucian. ὁλκὴ τῷ δακτυλίῳ, ὁλκὴ ὀβολῶν ε. quinque obolorum pondus. Nicander *in theriacis* ἄσημον ὁλκήν. i. ἴσον βάρος, καὶ σταθμὸν τὸ ἰσόσταθμον, par & æquale pondus. Hoc vero nomen genericè pondus, drachmæ tributum fuit, fortaſſis quod inter minuta pondera quæ bilanci frequentius imponuntur, præcipuum eſſet, nam in vulgaribus commerciis vbi ab vncia diſceſſeris, commenius pondus eſt drachma, nam reliqua inferiora minutiora ſunt. Quidquid verò ſit de ipſo ethymo δραχμὴ dicta fuit, quod ſit veluti manipulus quidam paruæ pecuniæ; nam δράγμα eſt manipulus. Vnde Plutarch. *in public.* nuper fuerat admeſſum, iacentibus adhoc manipulis, ἄρτι κειμένων τῶν δραγμάτων. δρὰξ quoque eſt pugillus & manipulus, quantum videlicet manu prehendi poteſt: δράττομαι carpo, rapio, prehendo, pugnum impleo. Hinc Paul. *ep. 1. ad Cor. 3.* δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν, comprehendes ſapientes in aſtutia ipſorum. Et Nazianz. δράσσεσθε τῆς χριστοῦ παιδείας. Inde denique δραχμὴ capiens ſex obolos. Plin. *lib. 20. cap. vltim.* Suidas autem δραχμὴ ἓξ ὀβολῶν, quos minores fuiſſe obolis Hebraïci ſicli dicunt, quia cùm ſiclus æqualis eſſet drachmis quatuor, & in viginti obolos diuideretur, ſequitur drachmam quinque obolos dumtaxat continere, quare Hebraicus obolus atticum ſuperabit quinta parte.

Obolus diuiditur in duos ſemiobolos, & continet ex diuiſione Cleopatræ thermum vnum ſemis, ſiliquas tres, chalcos octo: Suidas verò tribuit ſex

ſex dumtaxat. χαλκὸς autem Suidas diuidit in λεπτὰ ſeptem, id eſt minuta: minutum verò vel vt habet Seneca minutium, non diuiditur vlterius, indeque nomen accipit. Illius meminit Chriſtus loquens de vidua, quæ duo minuta δύο λεπτὰ ærea in gazophilacium miſerat, quæ duo minuta Marc. *cap.12. verſ.42.* dixit eſſe quadrantem. *Miſit duo minuta, quod eſt quadrans.* ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. Interpretatur Villalpand. quartam oboli partem, indeque colligit Hebræos obolum quem à Græcis acceperant in octo æra minuta partitos eſſe, quæ erat commodior diuiſio, quippe quæ poterat in plures octauas partes diuidi, ſeptenas autem partes, in nullas alias, quam ſeptenas æquas partes poteris ſecare. Denique ita computat Villalp. vt illa duo minuta ærea conſtituant centeſimam quadrageſimam vnius drachmæ partem; ſunt enim minuta in chalco 8. chalci in obolo 6. minuta in obolo 48. oboli in drachma 6. minuta in drachma 288. Viduæ donum erit centeſima quadrageſima quarta drachmæ pars. Quod ſi cum Cleopatra chalcos octo in obolo fateamur, erunt in drachma trecenta octoginta quatuor minuta: & viduæ donum centeſima nonageſima ſecunda drachmæ pars, quod ex hac ſupputatione capies.

Minuta in chalcho.	8.
Chalci in obolo.	8.
Minuta in obolo.	64.
Oboli in drachma.	6.
Minuta in drachma.	384.
Viduæ donum.	192

Erant & alia minutiora pondera, ac proinde numiſmata, quæ recenſet Alcazar. *lib. de ponderib.* in quibus explicandis non videtur eſſe magnum operæ pretium; cum illorum vix vſus ſit, vbi ad minima & lentes aut grammata deſcenſum eſt.

3 Venio itaque ad aliud ſolemne Græcis pondus, nempe minam, quod etiam ab illis Latini acceperunt, μνᾶν dicunt Græci. Plato *in Apolog.* μνᾶν ἀργυρίου. Hermola. exiſtimauit μνᾶν λίτραν, & ὁλκὴν Græcis idem eſſe, ſicut Latinis minam, libram, & pondo, quod quam falſum ſit, oſtendit Budæ. Dicitur quoque μνέα, vnde Herodot. μνέας εἴκοσι viginti minas. Deriuant aliqui à μένω maneo, quaſi omnibus aliis diſtractis maneat & conſeruetur, quamuis per plurium manus deferatur, quodque omnibus numiſmatibus commune eſt, huic fuerit attributum ſingulari quodam iure. Verùm non ago, vti iam monui, de mina numiſmate, ſed pondere: fuere verò plures apud varias gentes minæ diuerſi ponderis & æſtimationis. Attica mina centum drachmas Atticas pendebat, quod Suidas, Diodor. & Plin. *lib.21. cap. vlt.* teſtantur, & ſingillatius explicat Cleopatra. *Attica mina*, inquit, *vncias habet duodecim & dimidiam, drachmas centum, ſcrupula trecenta, obolos ſexcentos, lupines nongentes, ſiliquas mille octingentos, aroola tria millia ſexcenta.* Fannius tamen in ſuis verſibus duplicem minam facit: Vnam ter quinis, terque vicenis drachmis, hoc eſt ſeptuaginta quinque conſtantem. Alteram centum drachmarum, cum qua tum Romanam libram, tum etiam Atticam minam confert, atque libram à mina ſuperari drachmis quatuor, ab eadem verò alteram minam Atticam quarta ſui parte ſuperari. Quod Fannij dictum litem inter Alciat. Agricolam & alios non leuem excitauit. Dicendum eſt cum Mariana *lib. de ponderib. cap. 7.* Villalpand. *lib.2. apparat. cap. 17.* & aliis, duplicem fuiſſe Athenienſibus minam, maiorem vnam centum drachmarum, minorem alteram ſeptuaginta quinque, vti apertè tradit Fann. Priſcian. aliique, ſiue ſimul in vſu fuerit, ſiue vna ſucceſſerit alteri, maior videlicet minori, vti exiſtimauit Agricola, qui tamen id non ſatis probat ex Plutarcho narrante monetarum augmentum factum à Solone, qui minam quæ fuerat ſeptuaginta trium, fecit eſſe centum drachmarum. Significat enim Plutarch. ita fuiſſe immutatum monetæ pretium à Solone, vt eodem drachmæ, aut minæ pondere manente, eodémque priſtinarum drachmarum numero, æſtimatio tantum creſceret, & mina quæ priùs tres & ſeptuaginta drachmas æſtimabatur, deinceps centum æſtimaretur, ac valeret.

Fuerunt & aliæ minæ diuerſi ponderis. Galen. 4
lib. de ponderib. quem Latinum fecit Alciat. ait minam Ægyptiam habere vncias 16. minam Romanam vncias 20. Cleopatra quoque in fragmento ab eodem Alciato relato diuerſas minas enumerat. *Mina nomen ponderis habet vncias 16. drachmas 118. ſcrupulos 384. obolos 368. thermos, ſeu quod idem eſt lupines 2152. ſiliquas 2304. chalcos 6144. Attica mina habet vncias 12. ſemis, drachmas 100. ſcrupules 300. oboles 600. thermos ſeu lupines 900. ſiliquas 1800. Ptolemaica mina habet vncias 18. drachmas 144. ſcrupulos 432. obolos 864. thermos 1296. ſiliquas 2592. chalcos 6912.* Dioſcorid. *lib. de ponderib.* apud eundem Alciat. tres alias minas diuerſi etiam ponderis refert, Medicam, Italicam, Alexandrinam. Sic enim habet. *Mina ſecundum Medicorum vſum habet vncias 16. quod eſt drachmas 128. Italica autem vncias 18. hoc eſt libram vnam ſemis, drachmas 144. Alexandrina mina habet vncias 20. hoc eſt drachmas 160.* Itaque ex Dioſcoride mina Medica 16. vnciarum, fuit ea quam Ægyptiam dixit Galen. Et Alexandrina 20. vnciarum, dicta eſt Romana à Galeno. Italica verò quam 18. vnciarum facit Dioſcorides, eadem erit cum Ptolemaica quam 18. quoque vnciarum eſſe dicebat Cleopatra. Galenus denique *lib.5. de compoſit. medicam.* fatetur diſſidium circa minæ pondus fuiſſe inter eos qui de ponderibus & menſuris ſcripſerunt: cum alij 16. vnciarum, alij 20. fuiſſe dicant. Alij diſtinguant inter Alexandrinam quæ 20. fuerit, & alteram quæ 16. dumtaxat. Villalp. triplicem minam fuiſſe in vſu exiſtimat: Atticam minimam drachmarum quinque, & ſeptuaginta, hoc eſt vnciarum nouem cum drachmis tribus: Mediam drachmarum centum, vnciarum duodecim & ſemis: Maximam drachmarum centum viginti octo, ſiue vnciarum ſexdecim. Præter quam fuit Ptolemaica, quam diximus continere vncias 18. & drachmas centum quadraginta quatuor, quam ſeſqui Romanam liceret appellare, quæque fortaſſis ea eſt, quam Italicam nominauit Dioſcorides. Omnium maxima fuit Alexandrina viginti vnciarum, quam etiam Epiphan. *lib. de menſur.* Italicam nominauit, quæ eſt quadraginta ſtaterum, ſiue vnciarum viginti, nempe libræ vnius & duarum tertiarum partium libræ, & vt loquitur Epiphan. libra cum beſſe. Libra autem Romana vti diximus habet vncias xij. cuius bes viij. ſunt vnciæ. Vnciæ verò xx. minam faciũt Italicam, quæ drachmas colligit clx. Aliud eſt igitur libra Italica, aliud mina. Herod. facit Italicam minam ἰσοδύναμον καὶ ἰσοστάσιον τῇ Ἰταλικῇ, μνᾶ στατήρων γάρ ἐστι κε΄, ἡ δὲ Ἰταλικὴ λίτρα στατήρων κδ΄. Italicam igitur libram à mina ſeparat, & illi ſtateres xxiv. huic xxv. imputat. Nicandri interpres ἡ δὲ Ἰταλικὴ μνᾶ, λίτραν μίαν ἥμισυ: quod ita Scaliger explicat, vt libra Italica ſit drachmarum lxiv. id eſt vnius libræ & dimidiæ, hoc eſt drachmarum xxxij. quæ xci. drachmas

mas in Italicam minam conſtituunt. Atqui hoc modo vnciæ ſingulæ drachmas ſibi vindicabant $5\frac{1}{7}$. quod cum Epiphanio conciliari non poteſt: maior enim eſt Italicæ apud illum libræ modus & ratio: Ita Petauius *in animaduerſion. ad Epiphan.*

5 Sequitur talentum quod menſurarum omnium quibus pondera metimur maximum eſſe inquit Epiphan. *lib. de ponderib.* τὸ ὑπερβάλλον ϛαθμῶν μέτρον. Verùm de Iudaïco talento agit, nam apud Græcos à quibus illud tum Romani, tum Hebræi mutuati ſunt, incerti & indefiniti ponderis fuit, quod tum Ariſtoteles *lib...* fatetur, tum Euſtathius in Homerum, dum agit de duobus auri talentis Achilli oblatis, & de datis in exequiis ac ludis funeralibus Patrocli, *Iliad. verſ. Vltima præmia fuerunt duo talenta.* Quod minimum fuiſſe pondus ex eo colliges, quod primo victori bos dumtaxat fuit propoſitus, ac proinde talentum quod minus præmium fuit, bouem non æquabat. Comprobat hoc talenti diuerſum pondus Euſtath. ex Diphilo, cuius ea verba refert ἀργύριον βραχύ τι τάλαντον, argenti exiguum quiddam talentum. Atque Atticum complecti ſex millia ſtaterum. Macedonicum fuiſſe tres χρυσοῦς aureos. Pollux *lib. 9.* talentum Atticum facit ſex milliũ drachmarum Atticarum, Babylonium ſeptem millium, Æginæum decem millium, Syrium mille & quingentarum ſecundum Atticæ drachmæ rationem; quemadmodum & Atticas minas Atticum talentum habuit ſexaginta, Babylonium ſeptuaginta, Æginæum centum. Feſtus porrò. *Talentorum non vnum genus. Atticum eſt ſex millium denarium. Rhodium & Ciſtophorum quatuor millium quingentorum denarium, Alexandrinum duodecim millium denarium. Neapolitanum ſex denarium, Syracuſanum trium denarium, Rheginum victoriati.* Quem locum ita mendoſum eſſe, vt emendationem non patiatur, dixit, qui notas in Feſtum ſcripſit. Quod autem Pollux voluit Babylonium eſſe ſeptem millium drachmarum, Ælian. *lib. 1. cap. 22. variæ hiſtoriæ*, ait eſſe ſeptuaginta duarum minarum Atticarum, quæ continent ſeptem mille & ducentas drachmas. Quid verò in iſtis verius ſit non ita facilè diuinabis. Ratio huius tam diuerſi ponderis in talento, ex eo mihi nata videtur, quod vox τάλαντον trutinam qua pondera librantur, examinanturve; & ſimul pondus quod libra appenditur & libratur, ſignificet. Prior ſignificatio obuia eſt apud Lexicographos. Heſych. τάλαντα, ζυγὰ, ϛαθμὸς ſynonima ſunt. παρὰ τὸ τλῆναι τὸ βάρος. Inde dixit Homer. Iliad. θ Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα. Tum verò pater aureos extendit lances; quod Virgil. eleganter.

Iupiter ipſe duas æquato examine lances.

Hinc deriuatur ταλαντόω, & ταλαντεύω, ζυγῶ καὶ ϛαθμίζω, libro, appendo: ταλαντεύομαι libror æquali examine in neutram partem propenſus. Apud Lucian. γῆ ταλαντευομένη terra ſuis librata ponderibus. Nazianz. νεύματι ταλαντεύων τὴν σωτηρίαν, nutu ſalutem librans. Altera ταλάντου ſignificatio pro pondere ipſo quod appenditur, non minus frequens eſt, vti obſeruat Euſtathi. quod in libra quoque & aſſe notabis apud Latinos. Immò ſic talenti vox vſurpatur hoc loco: quo ſenſu Ioſephus dixit ταλαντιαίους λίθους, ingentes & talenti ponderis lapides. Et *cap. 16. Apoc.* ταλαντιαία χάλαζα, grando talẽti ponderis. Nonius ex Siſenna dixit talentarias baliſtas; quæ nimirum lapides talenti pondo iaculaerentur. Denique quia, vt iam monui, talentum Atticum magni ponderis erat, vti ſtatim conſtabit, quicquid erat magni ponderis aut molis ταλαντιαῖον dicebatur; quomodo Alcæus apud Polluc. dixit στομάτων ταλαντιαίων. Ex hac propria vocis ſignificatione factum arbitror, vt omne pondus quod lance & libra appenderetur, talentum vocatum fuerit, & cùm certum pondus ad quod cætera examinarentur apud varias gentes inſtitutum eſt, talentum nominatum fuit, illud verò diuerſum fuit apud varias nationes, vti iam diximus. Immo apud vnum eumdemque populum immutatum aliquando eſt, aut potius multiplex fuit. Nam & apud Athenienſes geminum quidam fuiſſe ſuſpicantur. Vnum (quod paſſim omnes fatentur) continuiſſe ſex millia drachmarum Atticarum, ex quibus octo complebant vnciam Romanam. Sex millia verò drachmarum conficiebant minas ſexaginta, quot nimirum Attico talento vulgo tribuunt, quamuis de drachma Attica non conſentiat Marſil. Cognatus *lib. 4. obſeruat. cap. 6.* fuſius oſtendere conatur drachmam Atticam minorem fuiſſe quam vt octauam vnciæ partem æquaret; vultque eſſe duos obolos, vnum paruum Atticum, & alterum maiorem Æginæum, cuius vtriuſque meminerit Hyppocrates. Alterum talentum etiam Atticum, quod maius octoginta minarum fuiſſe dicunt, quale aliquod eiuſmodi extitiſſe negari nequit, vel illud nequaquam fuiſſe Atticum. Qua de re vide Ciacon. *lib. de ponderib. & menſur.* Georgium Agricol. *lib. 5. eiuſd. tractat.* Budæ. *de Aſſe.* Villalp. *lib. 2. apparat. cap. 19.* Marian. *de ponderib. cap. 7.* in iſtis enim omnibus coniecturis, non certa ſcientia progredi cogimur. Hoc vnum certo licet cum Fannio affirmare nihil obolo minus; maiuſve talento.

Venio ad pondera Hebraica, quæ quatuor præcipua fuere: ſiclus, obolus, mina & talentum, quæ etiam voces ſignificabant numiſmata eiuſdem nominis, ac ſine dubio ponderis, quod aliàs monuimus. Et apud Romanos ac Græcos ſimilem ſinonymiam obſeruauimus. Nos de ſolo pondere inquirimus hoc loco. 6

Et quidem ſiclus Hebræis *ſechel* שֶׁקֶל à radice *ſachal* שָׁקַל quæ librare & ponderare ſignificant. *Iob 6. verſ. 2.* quia verò quondam nummi pondere potius, quàm numero examinabantur, probabanturve, vnde frequens ille loquendi modus in ſcriptura, *appẽdi argenteos, aut nummos*; ſiue aurũ aut argentum, vt *2. Reg. 18. verſ. 12.* Eſdræ 1. *cap. 8. verſ. 25. & 26.* inde factum opinor vt ſechel, ſiue ſiclus pro pondere, & pro numiſmate quoque acciperetur, eiuſque natiua ſignificatio eſt ponderis, & librationis, atque librationis. Non modo autem Latini vocem ſicli vſurparunt, ſed & Græci eamdem retinuerunt, σίκλος, aut vti exiſtimauit Villalp. *lib. 2. appar.* aliquando mutato κ in γ σίγλος. Sic Xenoph. *lib. 1. Cyropæd.* σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς καὶ ἡμιωβέλιον ἀττικούς. Et Heſych. Σίγλος νόμισμα περσικὸν δυνάμενον ὀκτὼ ὀβολοὺς ἀττικούς. Serar. tamen in *cap. 7. Ioſue q. 5. n. 13.* ex diuerſi ſigli & ſicli indicatura exiſtimauit eſſe diuerſos. Cùm ſiclus Atticos obolos 24. habeat, vt ſtatim dicam, & ſiclo 7. dumtaxat cum dimidio tribuat Xenoph. 8. verò Heſychi. qui & addit eſſe Perſicum & Sardinianum; LXX. Interpretes omiſſo ſicli nomine illi ſtaterem ſubſtituunt, ϛατὴρ autem à verbo ἱϛάναι, quod ponderare ſignificat, deducitur, eſtque nummus idem qui ſiclus, communis apud Perſas & Macedonas, æqualis omnino ponderis; nempe quatuor drachmarum Atticarum, vti ſtatim oſtendemus. Siclum autem vſurpari pro pondere nemo negat, obuiumque eſt in ſcripturis, vti fuſiùs demonſtrat

Digitized by Google

monſtrat Villalpand. *lib.2. apparat. cap.*28. Exod. 38. *verſ.* 29. vbi dicuntur ad conſtructionem vaſorum tabernaculi oblata fuiſſe *Æris talenta ſeptuaginta duo millia, & quadringenti ſupra ſicli.* Quo loco ſicut talentum non accipitur pro nummo, ſiue pro æſtimatione & pretio æris oblati, ſed pro eius pondere, ita & vox ſicli pro pondere quoque accipienda eſt. Si enim tantùm eſſet oblatum æris, quantum bis mille ſeptuaginta talentis argenti comparati poſſet, tantùm fuiſſet, vt ex illo fuſum factumque tabernaculi inſtrumentum ab vna Caathitarum familia portari non poſſet, quod tamen fieri mandauit Moſes. Confirmatur hæc acceptio ſicli pro pondere ex *Ioſ. cap.*7. *verſ.*21. vbi Achan fatetur ſe ex Anathemate Iericuntino furatum eſſe *Regulam auream quinquaginta ſiclorum.* Vox Hebræa linguam ſonat, & in Græco legitur γλῶσσα, quam Rabi Eliezer, apud Serar. fuiſſe vult Idoli cuiuſdam, cui etiam ſtola illa, ſiue pallium, atque 200. ſicli, quos Achanus ſubripuit, oblati fuiſſent. An vero fuerit illa lingua ex ore Idoli auulſa ab Achano, an verò inter alia donaria ab illo reperta, non explicat: fuerit fortaſſis dicata tanquam eloquentiæ Præſidi, aût quod fœlicia & proſpera oracula funderet. Maſius exiſtimat fuiſſe gladiolum quo ſuum Deum armarant Iericuntini, cum Næuius apud Agell. *lib.*10. *cap.*25. gladium linguam vocet. Villalp. *cap.* 23. vult Acinacem cultum fuiſſe ab Iericuntinis, ſicut quondam a Scythis & Sarmatis ex Eudoxo & Ireſio teſtatur Clemen. Alexand. *in protreptico.* Et de Scythis quoque Lucian. *in hoſpite, & dialogo de amicitia* confirmat; quod tamen non oſtendit idem fuiſſe factitatum ab Iericuntinis. Ioſeph. *lib.*5. *cap. primo* vertit μάζαν, quæ eſt offa farina, oleo & aqua comminuta, vel polenta; quod ita explicat Serar. *in cap.* 7. *Ioſue quæſt.* 6. vt fuerit auri fruſtum & maſſa, inſtar polentæ & maſſæ panis, aut durioris pultis efformata: ſolitum enim erat Orientalibus auri argentique maſſas quaſdam iis nominibus appellare, quibus certum panis pondus & figura nominabatur. Quare. 1. *Regum cap.*2. *verſ.* 3. 6. & *cap.*10. *verſ.* 4. 1. *Paralipom. cap.*16. *verſ.*3. *Ierem.*37. 20. vbi vulgatus vertit tortam panis, in Hebræo eſt *chiear.* Et Iudic. 8. *verſ.*5. panes in Hebræo dicuntur *cicheror.* Dicebatur igitur aliquando talentum maſſa aliqua auri, æris, argentique pani alicui ſimilis. Vatablus habet auri laminã, vulgatus regulam. Verùm quidquid ſtatuas ea de re, lamina illa, vel tegula, aut regula quinquaginta ſiclorum, non æſtimatione ſed pondere fuit. Vnde in Hebræo, *Quinquaginta ſicli pondus eius.* Plura alia loca adducit Villalpand. *eo cap.* 23. vt oſtendat ſiclum frequenter pro certo pondere ſumi, præſertim ex *cap.*7. *Num.* vbi recenſentur oblationes duodecim Principum in Dedicatione altaris oblatæ, quarum pondus per ſiclos diſertè exprimitur.

7 Tota difficultas eſt in aſſignanda quantitate ponderis ſicli: & quidem Ioſeph. *lib.* 3. *antiq. cap.*9. & *lib.*7. Hieronym. *in cap.* 4. *Ezech.* & deinceps omnes recentiores aiunt ſiclum fuiſſe τετράδραχμον, & pondere quatuor drachmarum Atticarum, quarum octo cõficiant vnciam Romanam; ac proinde ſiclum fuiſſe ſemiuncialem, quod idem pondus tribuunt paſſim ſtateri, quem ſicli loco ſubſtitutum fuiſſe monuimus. Difficultatem tamen nondum ſatis fœliciter explicatam faciunt lxx. Interpretes, qui perpetuò δίδραχμον pro ſiclo vertunt. Loca dabunt Villalpand. Alcazar, & alij, qui iſta diligentiùs perſequuntur, nobis enim aliò properantibus diutiùs immorari non licet huic nodo ſoluendo. Duplicem ſiclum inuexerũt aliqui; nempe ſacrum, & ciuilem, quorum prior dicitur ſiclus, ſiue pondus Sanctuarij, ſitque δίδραχμος. Ciuilis verò quo in commerciis paſſim omnes vterentur, fuerit τετράδραχμος. Hanc ſicli ſacri & profani diſtinctionem pluribus reiiciunt Villalpand. *App. lib.* 2. *cap.*28. Alcazar. *de ponderib. propoſit.*19. Serar. *in cap.*6. *Ioſue q.*5. *num.*10. & 12. aliique permulti. Neque ſanè pluribus opus eſt, quam ipſamet lxx. authoritate, qua vnâ perſuaſi in hanc duplicis ſicli diſtinctionem abierunt aduerſarij. Nam ſemper etiam vbi agitur de ſiclo ſanctuarij, vt *Exod.* 30. faciunt etiam illum didrachmum. Neque locutio illa *Pondere Sanctuarij*, qua vtitur ſcriptura *Exod.* 30. *verſ.*13. *Leuit.* 8. *verſ.*15. & *cap.* 27. *verſ.* 3. atque alibi, aliud ſonat, quàm iuſto pondere: in Hebræo eſt *in ſiclo ſanctitatis*, qui nempe ſanctitati aut ſanctuario conueniat, ideóque integer & probatus ſit. Addunt aliqui in ſanctuario aſſeruatum fuiſſe ſiclum, ad quem alij omnes examinarentur, an legitimi forent, quo de more etiam apud alias gentes nonnulla obſeruabimus inferiùs. *Pondere igitur Sanctuarij* ſignificatur põdus iuſtum & legitimum, quod pondere ſanctuarij probari poſſit. Omiſſo igitur illo duplici ſiclo, cuius nulla apud veteres extant veſtigia, vti fuſiùs proſequitur Villalpand & Alcazar, additis etiam exemplis plurium ſiclorum, qui omnes quatuor drachmarum inuenti ſunt & ſemiunciales, quod Arias Montan. refert ex Gerundenſi Rabino, & ſua quoque experientia comprobat, quamuis nonnihil detritum vetuſtate, è pondere videretur aliquid ad ſemiuncialem deeſſe ſiclo antiquiſſimo, quem appendit, vt fuſiſſimè narrat: omiſſo inquam illo duplici ſiclo reſtat grauis illa difficultas de ſiclo didrachmo, qualem perpetuò faciunt lxx. contra quorum auctoritatem nemo dicat cæteros voluiſſe pugnare. Quare vt diſſenſionem illam tollamus non videtur alia commodior ratio, quam vt ſiclum multiplicem faciamus; vnum duarum drachmarum, alium quatuor, Siue alterum ex his ſacrum, alterum ciuilem; ſiue dicas in ſacris atque etiam ciuilibus commerciis vtrumque in vſu fuiſſe: quæ eſſet magna omnino confuſio in aſſignandis variis ponderibus, & eorum quantitate explicanda in ſacris litteris; dubitaretur enim perpetuò de quo ſiclo, an de didrachmo, an de tetradrachmo loqueretur. Multi tamen vt monui, duplicem ſiclum, maiorem & minorem, ſacrum & ciuilem volunt, quamuis non ſatis conſentiant, quem ex illis didrachmum potius faciant. Ita Pagnin. *in Lexico verſ. Sechal.* Maſi. *in cap.*7. *Ioſue.* Pereri. *in cap.* 20. *Geneſis verſ.* 14. Ribera *in Amos cap.*8. Couarruu. *de veterum numiſmat. collat. cap.*2. *num.*9. Atque è nouatoribus Iun. *Geneſ.*13. & *Exod.*20. Beſa *in Matth. cap.*17. Agricola *lib.*2. *de ponderib.* Molinæ. *de commerc. q.*100. *num.*795. Verùm eorum ratio atque opinio iam à nobis reiecta eſt, neque illi amplius inſiſtendum videtur. Cur enim lxx. tam obſtinatè & conſtanter reddiderunt in omnibus planè locis, nomine excepto δίδραχμον, & ne ſemel quidẽ τετράδραχμον. Arias Montan. & Maſi. lapſum aliquẽ in his interpretibus videntur agnoſcere; quod audacius dictũ ſanè eſt, cùm de eorum inſcitia & probitate dubitare nefas ſit. Reſpondet Serar. *quæſt.*5. *citata, n.* 12. mendum fuiſſe librariorum, ſcripſerant enim lxx. δ. δραχμῶν, vel δ. δραχμὰν, quod idem eſt quod τετράδραχμον. Nam δ. δραχμαὶ ex numerica ratione ſunt quatuor drachmæ: librarius verò interiecto

icto 1. fecit δίδραχμον, qui lapſus perfacilis fuit. Indeque conijcitur quod Ioſeph qui lxx. adhæret perpetuò, nunquam tamen δίδραχμον, pro ſiclo poſuit, ſed τετράδραχμον, vt *lib.* 3. de fame agens dixit Aſſaronem veniſſe εἰς τεσσάρων δραχμῶν. Reſpondet ſecundò ibidem Serar. lxx. ſcripſiſſe eo tempore & loco in quo vna drachma par erat duabus Atticis, atque ita apud ipſos δίδραχμον idem eſſe, atque τετράδραχμον: hoc reſponſum pluribus deinde illuſtrauit Alcazar *citata propoſit.* 19. & Alexandrinam drachmam, quam vnam intelligunt ſine dubio lxx. qui Alexandriæ ſcripſerunt, fuiſſe duplam Atticæ, ac proinde ſiclum didrachmum ſiue duarum drachmarum Alexandrinarum æquiualere tetradrachmo continenti quatuor drachmas Atticas, de quo loquuntur Ioſeph, Hieron. & alij, qui conſtanter faciunt ſiclum ſemiuncialem, ſiue quatuor drachmarum Atticarum, quorũ quatuor faciũt Romanam vnciam. Fuiſſeque diſcrimen inter varias drachmas, obſeruat *ibid.* pluribus Alcazar, & nos iam ex Polluce *lib.* 9. monuimus. Non diffitemur tamen cum Mariana *cap.* 6. aliquando cuſos fuiſſe maiores & minores ſiclos, ſicut hodie cuduntur Ludouiceos, & Philippicos duplices & ſimplices; fuiſſe quoque ſemiſiclos, ſicut & nunc ſemiludouiceos tum argenteos, tum aureos: atque quod Hiſpanos ſemiphilippicos, & maiores ac minores Regales. Et ſanè vncialem ſiclum ſiue vnciam dictam eſſe ſiclum tradit Hieronym. in qq. Hebraic. ex eoque Beda & Iſidor. quod Alcaz. confutat, & vel Hieronymi locum vitiatum eſſe à librarijs, vel memoriæ lapſu cæſpitaſſe Doctorem aſſerit, atque ſemunciam pro vncia reponendum eſſe, quod etiam notauit Anton. Auguſtin. *lib.* 2. *emendation. iur. cap.* 8. Sicli duplicis mentionem haberi in Thalmud. *tract. de votis cap.* 43. & *de Angulo cap.* 8. & *de decima ſecunda cap.* 2. refert. Serar. *quæſt.* 7. *cit. num.* 12. Denique Alcazar ſiclum aliquem vnius drachmæ agnouit. In re tam incerta, & tanta virorum doctorum contentione noſtrum non eſt arbitrari.

8 De ſicli partibus ſic habet Serar. minimam fuiſſe Gerah, quarum 20. complectebatur ſiclus: *Exod.* 30. 13. *Leuit.* 27. *num.* 3. 47. *Ezechiel.* 45. *verſ.* 12. *& verſ.* 25. vbi lxx. & vulgatus vertunt *obolos*: ſed hi accipiendi ſunt Hebræi non Græci, quia horum 48. faciunt vnciam, ideoque 24. conficiunt ſemunciam ſiue ſiclum. Quare obolus Hebræus erat maior Attico quinta parte. A gerah, porrò deducit Arias Montan. Arabicum *cerath*; quod tamen Serar. exiſtimat deriuari poſſe à Græcis Medicis, apud quos eſt κεράτιον, & κερμάτιον. Sicli pars altera maior, erat quadrans ſicli. 1. *Reg. cap.* 9. *verſ.* 8. Rebah ſchekel caſeph: ſicli argenti quadrans, nempe vna drachma; quales drachmales ſiclos obſeruauerat Alcazar. Tertia pars, eaque etiam maior priori, erat triens ſiue tertia pars ſicli. *Nehem.* 10. *verſ.* 12. Scheliſchit haſſechekel. Quarta denique pars fuit dimidium ſicli. *Exod.* 30. *verſ.* 13. *&* 15. Machaeſith haſſecekel. Sanè Rabin. Gerundenſis narrat apud Ariam Montanum ſibi Ancone oſtenſum fuiſſe nummum eiuſdem prorſus cũ ſiclo figuræ, ſed ponderis dimidiato minoris, qui non ſchekel ſed chatſi ſchekel inſcriberetur, ac proinde eſſet dimidiatus ſicluli: ſed de ſemiſiclo plura Villalp. *cap.* 31. Eius meminit ſcriptura *Geneſ.* 24. *verſ.* 22. vbi Eliezer Abrahami ſeruus dedit Rebeccæ *inaures aureas appendentes ſiclos duos.* Hebræus textus *dimidium ſicli pondus eius.* lxx. δύο ἐνώτια χρυσᾶ ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς, duas inaures pendentes ſingulas drachmam; & quamuis in Sixtiano codice non legatur δύο, habetur tamen in Complutenſi, neque alia eſt vulgati mens: ſingulæ illæ inaures pendebant ſemiſiclum. Verùm nihil dubitare nos ſinit *Exod.* 30. *verſ.* 11. vbi tributi loco Deo pendendi à ſingulis Iſraelitis, media pars ſicli aſſignabatur, qui ſiclus ibidem habere dicitur viginti obolos: Quare Ioſeph *lib.* 18. *cap.* 12. appellat *Sacrum didrachma*, quod Deo offerre ſolerent. Titus verò debellata Hieroſolymâ, illud idem tributum duarum drachmarum deferri voluit ſingulis annis in Capitolium, quod teſtatur idem Ioſeph. *lib.* 7. *belli, cap.* 27. Hoc tamen tributum videtur prius exegiſſe Auguſtus, à quo ſe deinde Iudæi rebellando exemerant, vt ait Maldonat. *in cap.* 17. *Matth. verſ.* 23. Sanè ex eo conſtat Romanos Cæſaris nomine tributum exegiſſe à Iudæis, quod ibi vocant didrachma, & a Chriſto non fuiſſe ſolutum quaerunt Publicani: ipſeque Chriſtus iubet Petrum dare illis ſtaterem in ore piſcis repertum, tum pro ſe-ipſo, tum pro Chriſto: ſtater autem ſiclus erat, vti diximus. Neque obiicias Chriſto roganti numiſma cenſus, oblatum eſſe denarium, denarium verò Romanum æqualem fuiſſe drachmæ, & non didrachmo, aut ſemiſiclo. Obſeruat enim Baron. *ann. Chriſti* 34. *ex Lampridio*, Imperatores Romanos ſolitos fuiſſe cudere numiſmata pro ratione tributi imperati, cuius idem ſemper valor & vſus eſſet, donec mutato cenſu, mutarent quoque eius numiſma; quamquam neque ad hanc reſponſionem confugere cogimur. Cùm enim tributum Romana monetâ penderent, facilè ſemiſiclus ſolui poterat, denarijs Romanis multiplicatis pro valore tributi.

Minæ vix certum vnum pondus, & æſtimatio- 9
nem dari poſſe monet Villalpand. *cap.* 32. *lib.* 2. *apparat.* ob multiplicem eius vſum & acceptionem. Deducitur à voce Hebræa quæ numerare & ſupputare ſignificat, quare vult Villalpand. ſignificare certum aliquem numerum, aut deſtinatum pondus, vel pretium rei, & quæ pars alicui certa deſtinatur in aliquo numero, aut diuiſione, mina dicitur. Qua ratione interpretatur parabolam de diſtributione minarum facta apud Luc. *cap.* 19. quam eandem eſſe contendit cum parabola talentorum *Matth.* 25. quæ minæ diuerſæ erant, & certum numerum pecuniarum cuique deſtinatum ſignificabant. Verum de his parabulis alibi eſt diſputandi locus. Nunc pondus minæ definiendum nobis eſt, non aliundè ſanè quàm ex Ezechiel. 45. *verſ.* 12. qui ſingillatim illud exprimit, & ſimul ſeruandum Iſraelitis præſcribit. *Viginti ſicli & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli minam faciunt*: qui numeri 60. ſiclos conficiunt, quibus conſtabat mina Hebraica, quod & ibi Hieron. & Ioſeph. *lib.* 14. *cap.* 13. affirmant, & minam eſſe duas libras & ſemis, ſiue xxx. drachmarum Atticarum. Conſtabat igitur mina, quod ex citato Ezechielis loco colligit Alcaz. *prop. xx.* tribus diſtinctis ponderibus, quorum vnum pendebat xv. ſiclos, id eſt vncias $7\frac{1}{2}$. aliud xx. ſiclos, aliud xxv. quæ diuiſio commoda erat, vt illis ponderari poſſet duodecima pars minæ, nec non ſexta, tertia, quarta, & cæteræ deinceps vſque ad $\frac{1}{12}$. vt addito ponduſculo quinque ſiclorum, ponderarentur partes omnes ſingulatim ab vna vſque ad duodecim. Præterea ex tribus illis ponderibus celebres Romanorum, Græcorum, & Alexandrinorum menſuras originem traxiſſe exiſtimauit Alcaz. quia mina

Attica pendet xxv. ſiclos Hebraicos, hoc eſt centum drachmas Atticas. Cotyla verò ſiue hemina Alexandrinorum in aquæ aut vini menſura adæquat xx. ſiclorum pondus; quod eſt vnciarum decem, quæ eſt quoque menſura Romani ſextarij. Cotyla Attica apud Dioſcorid. *lib. de ponderibus*, in menſura aquæ & vini eſt prorſus pondere ſiclorum xv. Denique cotyla ſiue hemina Attica in oleo continet pondus vnciarum ſeptem & ſemis. apud Galen. *lib. de ponderib.* atque ita menſuræ Hebræorum, Romanorum & Græcorum conſentiunt cum aliquo ex tribus illis minæ Hebraicæ ponderibus.

10 Obſeruandum præterea ſummoperè eſt ad plura Scriptorum loca concilianda minæ nomen non modo illi lx. ſiclorum ponderi, ſed etiam ſingulis illius partibus, tribuſque illis ponderibus tribui. Quare & xx. ſiclorum pondus mina dicebatur, vt & pondus xxv. atque pondus xv. ſiclorum. Neque id profectò mirum, cùm etiam apud nos in eiuſdem Regni prouinciis libra ſit plurium, aut pauciorum vnciarum. Hebræis itaque erat diuerſa mina, & inæqualis ponderis. De mina 60. ſiclorum, hoc eſt vnciarum xxx. ſiue duarum librarum & ſemis, habemus ex Exechiele citato & Ioſeph. *lib.* 14. *cap.* 13. Idem tamen *lib.* 7. *cap.* 8. agens de Abſolonis coma, quæ appendebat cc. ſiclos ex 2. *Reg. cap.* 14. *verſic.* 16. ait cc. ſiclorum pondus feciſſe v. minas. Non tribuit igitur ſingulis minis niſi 40. ſiclos, non verò 60. quot habet mina communis. *libro verò... cap.* 10. agens de candelabro à Moſe facto, quod pendebat ter mille ſiclos, ſiue vncias mille & quingentas, ait pondus eſſe talenti, quod eſt centum minarum, ac proinde ſingulis minis tribuit quindecim vncias & ſiclos triginta. Fuit itaque multiplex mina Hebræorum, eaque eſt quadruplex ex Ezechiel. nempe vna ſiclorum xv. altera xx. tertia xxv. & quarta lx. quæ tres alias continet, eſtque mina magna, vti ibidem explicat Chaldæus. *Tertia pars minæ*, inquit, *viginti ſiclos habet: mina argentea viginti quinque ſiclos. Quarta pars minæ viginti ſiclos habet; omnes ſexaginta ſunt minæ pars.* Habent verò minores minæ & tria pondera eandem inter ſe proportionem quam numeri 3. 4. 5. Hinc etiam fit vt mina Hebræa in duodecim partes æquales diuidi queat, quarum ſingulæ ſint quinque ſiclorum, efficient enim ſexaginta. Vnde ſuſpicatur Alcazar Romanos mutuatos fuiſſe diuiſionem ſuæ libræ in duodecim partes æquales, quas vncias appellarunt. Quinque igitur ſicli quibus primogeniti redimebantur, erant pars duodecima minæ. De trecentis verò minis, quæ vnam pallam veſtiebant 3. *Reg. cap.* 10. *verſ.* 17. an locus ſit corruptus, an ſint legendæ tres minæ, vti Mariana, aliique contendunt, longa lis eſt, de qua conſule Villalpand. & Alcazar locis citatis, atque Interpretes. Nobis aliò properantibus ad eiuſmodi controuerſias venire non licet. Sufficiat docuiſſe minam Hebraicam maiorem pependiſſe vncias 30. ſiue ſiclos 60. & quartam quoque illius partem, eodem nomine minæ donatam fuiſſe; quod in legenda ſcriptura, & antiquorum commentariis omnino obſeruandum eſt.

11 Reſtat ex Hebræis ponderibus maximum omnium talentum, dicebat Epiphan. nuper adductus; fuit enim vnciarum mille quingentarum, hoc eſt minarum Hebraicarum maiorum quinquaginta, & ſiclorum trium millium, drachmarum duodecim millium, minarum Atticarum centum viginti, librarum Romanarum centum vigintiquinque, quæ ſingulæ ſummæ facilè colliguntur ex hactenus dictis, ſi ſemel conſtet talentum iſtud trium millium ſiclorum: cùm enim ſicli eſſent ſemunciales & tetradrachmi, tria millia ſiclorum ſemuncialium conficient mille quingentas vncias, & duodecim mille drachmas, ſi ſinguli ſicli ſunt quatuor drachmarum. Et cùm mina Attica conſtaret centum drachmis, duodecim millia drachmarum conſtabant centum viginti minas Atticas. Et ſi diuidas mille quingentas vncias in duodenas libræ Romanæ vncias, inuenies centum viginti quinque libras Romanas. Tota itaque difficultas conſiſtit vt doceamus talentum iſtud fuiſſe trium millium ſiclorum; quod Villalpand. *cap.* 33. *lib.* 2. *apparat.* Alcaxar de ponderib. *propoſit.* 21. Mariana *cap.* 6. & alij probant contra quoſdam recentiores, qui plura eaque diuerſi ponderis talenta induxerunt contra apertiſſimum Scripturarum ſenſum, Exod. *cap.* 38. *verſ.* 23. vbi cùm ſexcenti tres mille homines & quingenti quinquaginta ſoluiſſent ſinguli vicitim & per capita dimidium ſiclum, redacta ſunt centum talenta argenti, & præterea ſicli mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque; vti habetur in Hebræo, Græco Chaldæo, & vulgato. Igitur ex ſex citatis millibus hominibus collecta ſunt centũ talenta, ex minori autem numero nempe ter mille quingentis quinquaginta hominibus, ſiclorum ille numerus mille ſeptingentorum ſeptuaginta quinque. Quod ſi ſexcenta hominum millia centum talenta ſoluerunt, ſingula ſex hominum millia talentum vnum obtulerunt, ergo talentum Hebraicum pendebat duodecim millia drachmarum, ſiue ter mille ſiclos, cùm ſex mille homines ſoluerint ſinguli dimidium ſiclum, ex eaque ſumma confletur talentum. Idem talenti pondus probat Mariana ex Dionyſio Halicarn. Vitruuio, Epiphanio, qui omnes ſi diligentius legantur in eandem ſummam conſentiunt. Diſplicet tamen quod ipſe Mariana ex Eupolemo apud Euſeb. *lib.* 9. *de præparat. cap.* 4. duo talenta inducat. Primum illud magnum de quo agimus duodecim millium drachmarum, aliud quatuor duntaxat drachmarum, ſiue ſiclum, quem talenti nomine donatum eſſe aliquando contendit. Budæ. verò *lib.* 4. *de Aſſe*, negat iniri poſſe certam rationem diuitiarum Hebraicarum propter diuerſitatem ponderis talentorum. Rabini apud Lyran. *in cap.* 8. *Exod.* faciunt talentum Sanctuarij, & talentum Cõgregationis. Prius illud eſt 12000. drachmarũ, poſterius 6000. ac proinde prioris tantũ dimidium. Mariana mallet talentum Congregat. eſſe 12000. drachmarum, Sanctuarij verò 24000. propter aliqua Ioſephi verba. Alij alia vti initio monui inducũt. Verùm quamuis non diffiteamur apud Romanos & Græcos talenta fuiſſe diuerſi ponderis, quod hoc ipſo capite oſtendimus; Hebræũ nihilominus talentum in ſcriptura quod perpetuò *Chicar* appellatur, vnum tantum fuiſſe põderis trium mille ſiclorum ſiue 1200. drachmarum videtur certius, vti pluribus probant Villalp. & Alcazar. Vnum eſt aduerſariorũ argumentum petitũ ex immenſa vi auri & argenti, quæ in templo extruendo inſumpta eſſet, & a Dauide & Salomone ſuppeditata, ſi talenlenta quæ in ſcriptura numerãtur eſſent trium mille ſiclorũ ſingula, ſiue 1200. drachmarũ Atticarũ, vel 125. librarum Romanarum: quod idem incommodũ orietur ex donis à Regina Saba factis Salomoni, atque ex aliis locis, in quibus pluriũ talentorũ ſcriptura meminit. Neque credibile eſt exiguum Iſraëliticum regnũ, plus auri habuiſſe, quàm tota Europâ

colligere

colligere multis annis non liceret. Verùm hic nodus de Dauidis & Hebræi diuitiis longiorem diſputationem exigeret. Vide Villalp. & Alcaz. qui plurimùm in ea ſumma colligenda diſſident. Nos fortaſſis aliquid indicabimus hoc ipſo lib. ſub fin. de re nummaria diſputantes.

ARTICVLVS IV.

De menſuris liquidorum, & aridorum apud Romanos.

Amphora. 1.
Vrna. 2.
Congius. 3.
Sextarius. 4.
Cotyla & hemina. 5.
Cyathus. 6.
Acetabulum. 7.
Cochlear. 8. & 9.
Dolium. 10.
Seria & cuppa. 11.
Computatio harum menſurarum. 12.
Medimnus. 13.
Modius 14.
Demenſum. 15.
Plebiſcitum vetus de menſuris. 16.

EXplicatis veterum ponderibus venio ad menſuras, quarum quoque quantitas ex pondere examinatur: ſunt porrò aliæ aridorum, aliæ liquidorum, aliæ quæ vtriſque deſeruiunt.

1 Amphora Romanis vas fuit liquidis, aridiſque continendis & menſurandis, atque cæterarum eiuſmodi menſurarum norma. De vino in ea condito frequens vbique mentio. Horat. *lib. 3. carm. ode 16. nec Læſtrygonia Bacchus in amphora langueſcit mihi.* Læſtrigoniam interpretor Formianam, ex *Iliad.* 10. Nam Læſtrigones Populi immaniſſimi ea in parte Cāpaniæ fuere; vbi & Honniæ, poſtea Formiæ dictæ. Vinum autem Formianum commendat idem Horat. *lib.* 1. *Ode* 20. Et apud Iuriſconſultos ſæpius amphoræ vini leguntur toto titulo de tritico, vino, & oleo legato. *L.* 1. Pomponius ait eum cui centum amphoræ, quas vellet, legatæ ſunt; poſſe agere ex teſtamento vt ipſi liceat deguſtare, aut ad exhibendum agere, quanti interfuerit licere deguſtare. Guſtus ſiquidem prodeſt, vt eligere liceat. *L.* 3. Vlpian. agit de vino centum amphorarum legato, & refert ex Celſo, amphoras quoque cenſeri legatas, quia credibile eſt teſtatorem voluiſſe *amphoras acceſſioni eſſe vino.* Quod probat ex communi loquendi modo, nos habere amphoras mille, ad menſuram vini referentes. *L.* 5. Iulian. agit de certo numero amphorarum vini legato; *ex eo quod in fundo Sempromano natum eſſet, ſi minus natum eſt, non amplius deberi*; quia taxationis vicem obtinent ea verba. *Quod natum eſt. L.* 6. Proculus. *Cui vinum hæres dare damnatus eſt, quod in amphoris & cadis diffuſum eſt, dari debet, etiamſi vaſorum mentio facta non eſt.* Cic. pro Fonteio ſcribit, Titurium Toloſæ quaternos denarios in ſingulas vini amphoras nomine exgiſſe. Et *in Verr.* meminit de amphoris mellis. Varro *lib.* 1. *cap.* 11. tricennarias vites appellari dicit in agro Fauentino, quod iugerum tricenas amphoras reddat. Amphora verò aliud quam vinum atque liquorem excipi ſolere, inde colliges, quod Iulian. in *l.* 206. *D. de verbor. ſignificat.* dicat inter vaſa vinaria & ſeria numerari, cum ſine vino eſſe deſierint. *Quoniam ad alium vſum transferri poſſunt, veluti ſi frumentum in his abdatur.* Et ſtatim ſubiungit. *Eandem cauſam amphorarum eſſe, vt cùm vinum habeant tum in vaſis vinariis, cùm inanes ſunt; tum extra numerum vinariorum ſint, quia aliud in his abdi poſſit.* Iſidor. *lib.* 26. *origin. cap.* 25. *Recipit vini vel aqua pedem quadratum, frumenti verò modios Italicos ſex.* Amphoras tritici dixit Cic. Dicta fuit amphora quod anſis vtrimque ferretur ab ἀμφὶ καὶ φέρω; ideoque dicta fuit. Horat. *lib.* 1. *carmin. Ode* 9.

Deprome quadrimum Sabina
O Taliarche merum diota.

Quod habeat duas aures, vnde à Græcis à quibus ἀμφορεὺς, vel ἀμφιφορεὺς appellatur, ſic deſcribitur ἀγγεῖον κεραμεοῦν ἀμφοτέρωθεν φερόμενον, ὅ ἐστι δίωτον vas fictile quod vtrimque portatur, duas aures habēs. Cato *c.* 118. *de Re Ruſt.* vbi cōficiendi vini modum docet, anſarum amphoræ meminit. *Amphoras nolite implere nimium anſarum infimarum fini.* Figura fuit ferè in cylindri modum, quam exibet Villalpand. in *Apparat. lib.* 3. *cap.* 3. infernè acuminatæ erant, vt inferiore parte terræ infixæ immotæ perſtarent; quia vt Villalpand. obſeruat, in illis ſicut & in vrnis cineres aſſeruabantur.

Materia varia fuit. Amphora Capitolina, ſiue quæ in Capitolio aſſeruabatur, ænea fuit, cæteræ plerūq; fictiles, vti iam monebam. Horat. de Arte.

——— ——— Amphora capit
Inſtitui currente rota; cur vrceus exit?

Plin. *lib.* 35. *cap.* 12. de figlinis agens. *Hæ quoque per maria terraſque vltro citroque portantur inſignibus rota officinis Erythris: hodiéque in templo oſtenduntur amphora dua propter tenuitatem conſecrata, diſcipuli, magiſtrique certamine, vter tenuiorem humum duceret.* Et *lib.* 36. *c.* 7. narrat ex Cornelio Nepote, *magno fuiſſe miraculo, cum P. Lentulus Spinter amphoras ex (Oniche) Chiorum magnitudine vaſorum oſtendiſſet.* Et *lib.* 37. *cap.* 2. de vaſis chryſtallinis. *Idem Xenocrates auctor eſt vas amphorale viſum, & aliquis ex India chryſtallum ſextariorum quatuor.*

Capacitas amphoræ fuit cubi pedalis, ſiue vt ait Iſidor. pedis quadrati; cuius figuram & conficiendi modum deſcribit Fannius Polemo in vulgato carmine de menſuris.

Pes longo ſpatio, latoque notetur in anglo.
Angulus vt par ſit, quem claudit linea triplex,
Quatuor ex quadris, medium cingatur inane,
Amphora ſit cubus, quam ne violare liceret
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Qui verſus licet perſpicui videantur, egregio commentario illuſtrantur à Villalp. *lib.* 3. *apparat. cap.* 1. vbi & modum cubum iſtum exactè deſcribendi tradit. Ab hac quadrata figura *Quadrantal* dicta fuit, vt obſeruat Feſtus; vbi & illud Catonis contra Opium allegat. *Vinum redemiſti, prædia pro vini quadrantalibus ſexaginta in publicum dediſti, vinum non dediſti.* Et illud Plauti *in Curcull. Act.* 1. *Scen.* 2.

Sitit hæc anus, quantillum ſitit? modica eſt,
Capit quadrantal.

Plin. *lib.* 14 *cap.* 14. *P. Licinius Craſſus, & L. Iulius Cæſar Cenſores anno vrbis conditæ* c. 1. c. lxxv. *edixerunt ne quis vinum Græcum Ammineumque octonis æris ſingula quadrantalia venderet.* Et ſanè κύβος quadrantalia dixerunt Latini, teſte Agellio

lib. 1. cap. 20. qualia ſunt quadrata vndique quos κύβους illi; nos quadrantalia dicimus. Κύβος enim eſt figura ex omni latere quadrata, quales ſunt, (inquit M. Varro) teſſeræ quibus in alueolo luditur, ex eo quoque ipſa appellata κύβοι. In numeris etiam κύβος dicitur cùm omne latus eiuſdem numeri æqualiter in ſe voluitur, ſicut fit cùm ter terna ducuntur, atque idem ipſe numerus triplicatur. Huius portò quadrantalis ex pede quadrato capacitatem ita deſcribit Voluſian. *lib. de menſur. Quadrantal quod nunc plerique amphoram vocant, habet vrnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo, ſextarios 48. heminas 96. quartarios 192. cyathos 576.* Mæciano Feſtus, Fannius, aliique conconſentiunt, eaque ratione inferiores menſuras, quæ in amphora continentur aſſignant, ipſamque diuiſionem in ſuas partes deſcribunt, quod etiam accuratiùs tum Geometricè tum Arithmeticè præſtitit Villalpand. *lib. 3. citato cap. 2.* Ex hac portò amphoræ capacitate cognoſces nauium quoque capacitatem, quæ ex multitudine amphorarum, quas capiunt, deſcribi ſolet à nautis non ignoto veteribus more. Nam Labeo *in l. finali, D. de l. Rhodia.* meminit nauis duarum millium amphorarum. Et Cic. *ep. ad Lentulum*, ſcribit naues onerarias, quarum minor nulla erat duarum millium amphorarum, contractas in Lycia ab eius claſſe obſideri. Aliæ ſunt in conſtitutione Theodoſij *l. Iubemus, C. de ſacroſ. Eccleſ.* & *l. 2. c. de naui. non excuſandis.* duorum millium modiorum capaces. Scæuola autem meminit *l. Colonus 61. §. 1. D. locati.* nauis quam aliquis conduxit, vt de prouincia Cyrenenſi Aquileiam nauigaret, olei metretis tribus millibus impoſitis, & frumenti modiis octo millibus.

a Venio ad menſuras minores amphorâ contentas. Vrna eſt media pars amphoræ in qua bis continetur. Fannius. *Huius dimidium fert vrna, vt ipſa medimni.* Vrnam appellatam dixit Varro *lib. 4. de lingua Latin. quod vrinet in aqua haurienda, vt vrinator: vrinare eſt mergi in aquam.* Erant igitur vrnæ vaſa fictilia hauriendæ & continendæ aquæ, vnde idem Varro ait vrnarium fuiſſe menſæ genus quadratæ in culina repoſitum, in quo vrnas cum aqua poſitas habebant; ad quem Varronis locum illuſtrandum affert Ioſeph Scalig. in ſuis coniecturis, & illum alium ex eodem Varrone ταφὴ Μενίππου. *Sed quæ neceſſitas te iubet aquam effundere domi tuæ? Si vaſa habes pertuſa; plumbum non habes? Ad quam rem nobis conſluuium? Ad quam vrnarium? In pauimento non audes facere lacunam, at humi facis calceos elixos. Antiqui noſtri domibus lateritiis, paulatim modo lapidibus ſuffundatis, vt humorem effugerent, habitabant. Non vides in magnis periſtiliis qui cryptas domi non habent, ſabulum iacere a pariete, aut xyſtis vbi habitare poſſint? Non vides in publica noſtra taberna, qua populus ambulando, perinde vt in arato, porcas reddit.* Porcæ apud Feſtum ſunt rari ſulci aquæ deriuandæ gratiâ ducti; poracant, ideſt, prohibent aquam frumentis nocere. Crebriores ſulci liræ dicuntur; quæ omnia illuſtrabuntur ex Vitruuio *lib. 6. cap. 4.* Palladio *lib. 1. cap. 9. ſub fin.* vrnam vero non aquæ tantum capiendæ, ſed & vino, aliiſque liquoribus, ipſiſque mortuorum cineribus, atque etiam verſandis ſortibus obuium eſt. Et de ſortibus illuſtris locus Eſtheris *cap. 3. verſ. 7.* & *cap. 9. verſ. 24.* De vino & oleo teſtis eſt Cato *cap. 140.* qui recenſens loca in quibus optima vtenſilia venderentur, *hamæ,* inquit, *vrnæ olearia, vrcei aquarij, vrnæ vinariæ, alia vaſa ahenea Capuæ.* Neque fuiſſe tantum vas quoddam liquoribus continendis vrnam, ſed certum quoddam menſuræ genus, quod contendimus hoc loco; præter Fannium iam allatum, ſignificat Colum. *lib. 12. cap. 20.* vbi de ſapa & de fruto coquendis. *Ego tamen ſi humida fuerit vindemia trientem, ſi ſicca quadrantem medicaminis in binas amphoras miſcere ſolitus ſum; ita vt quatuor vrnarum eſſet muſti modus. Vrna autem quatuor & viginti ſextariorum. cap. ſeq.* atque alibi ſæpius, vrnam pro certa quadam menſura, quæ ſit dimidium amphoræ vſurpat: inde quoque vrnalia vaſa, *l. tabernæ 13. D. de inſtrum. legat. Sed videndum ne inter inſtrumentum tabernæ cauponæ, & inſtrumentum cauponæ ſit diſcrimen; vt tabernæ non niſi loci inſtrumenta ſint, vt dolia, vaſa, ancones, & calices, & trullæ, quæ circa cœnam ſolent traijci, item vrnæ æreæ & congiaria, ſextaria & ſimilia. Cauponæ autem, cùm negotiationis nomen ſit, etiam inſtitores.*

Congius octaua amphoræ pars eſt, & vrnæ quarta; capit ſextarios ſex, vt tum Galen. tum incertus alius Auctor apud Alciat. *lib. de menſuris*, teſtantur. 3
Formatur ex dimidio pede Romano omni ex parte quadrato. Eius figuram delineauit Villalp. ex æreo congio Romano in Capitolio aſſeruato, eiuſque omnes partes, diuiſiones & menſuras explicuit, quia ad illum cæteræ aliæ menſuræ exigebantur. Fuiſſe portò tum vini, tum olei menſuram conſtat. Liu. *lib. 25.* meminit congij olei in vicos ſingulos dati. Plin. *lib. 14. cap. 16.* de quodam factitio vino quod *fit ex milij ſemine maturo cum ipſa ſtipula, libra & quadrante in congios duos muſti macerato, & poſt ſeptimum menſem transfuſo.* Congiaria vaſa inter cauponæ tabernæ inſtrumenta nuper à Paulo numerabantur. Erat congiarium munus populo datum ab Imperatore. Nominis rationem reddit Fab. Quintilian. *lib. 6. cap. 4.* Nam congiarium, inquit, cum ſit commune liberalitatis, atque menſuræ, à menſura dicta eſt imminutio rerum. Gloſſæ veteres vti obſeruat Cuiac. *lib. 10. cap. 36.* congiaria appellant *ἐπιδόσεις ἐπὶ τῶν νόμων δοθεῖσαι. l. Patronus 35. D. de legat. 3.* Scæuola vocat *principales liberalitates*, quod Cuiac. *lib. 7. obſeruat. cap. 14.* annonas teſſeras frumentarias, liberalitates Principis; ad quam refert veterem hanc inſcriptionem. *Traiano Aug. Germanico, Dacico, Pont. Max. trib. pot. vj. Imp. IV. C. v. PP. tribus xxxv. quod liberalitate optimi Principis commoda earum, etiam locorum adiectione amplificauit.* Porrò ab hoc menſuræ nomine Nouellium Torquatum Mediolanenſem tricongium cognominatum fuiſſe, quod tres congios vno impetu ſpectante miraculi gratiâ Tiberio Principe hauſiſſet, narrat Plin. *lib. 14. cap. 22. Rara gloria non labaſſe ſermone, nec leuatum vomitione, non altera corporis parte dum biberet: matutinas obiiſſe vigilias, plurimum hauſiſſe vno potu: plurimum præterea aliis minoribus addidiſſe: optima fide non reſpiraſſe in hauriendo; neque exſpuiſſe, nihilque ad elidendum in pauimentis ſonum ex vino reliquiſſe, diligenti ſcito legum contra bibendi fallacias.* Pergit Plin. dicere de Cicerone Marci filio, binos congios ſimul haurire ſolito, à quo temulento M. Agrippæ ſcyphus fuerit impactus. Sic Dionyſium Athenienſem Χοᾶ vocarunt, quoniam infundibulo ori appoſito vinum affuſum perpetuò biberet. Xenocratem Rhodium, Metretem appellarunt: de eiuſmodi bibacibus bicongiis & tricongiis vide Rhodigin. *lib. 1. cap. 17.* & *29.* Marſil. Cognat. & alios.

Sextarius ſexta congij pars eſt, vnde & nomen accepit. Fannius.

A quo ſextarij nomen feciſſe priores,
Crediderim, quod eos capiat ſex congius vnus.

Itaque amphora continet 48. ſextarios. Eo Romani liquida & arida metiebantur. De liquidis Cic.

a. offic.

a. *effic.* Sextarium aquæ mina emere. Horat. *lib.*1. *ſerm. ſatyr.* 1. meminit vini ſextarij. Cato *cap.*15. inter oleariæ cellæ inſtrumenta requirit vnum olearium ſextarium. Colum. *lib.* 12. *cap.* 25. *de aqua ſalſa, & muria condienda:* hæc omnia complectitur. *Adiiciuntur in aqua dulcis ſextarios quinquaginta, ſalis ſextarius & vini optimi vnus ſextarius.* Vbi vides ſalem atque adeo ſicca menſurari ſextario; quod etiam tradit *lib.*11. *cap. vlt.* de Napo & Rapo differens. *Iugerum agri quatuor ſextarios ſeminis eorum poſcit.* Plin. *lib.*14.*cap.*17. de millio ex India recèns in Italiam inuecto: *Ex vno grano terni ſextarij gignuntur.* De bibace muliere Iuuenal. *ſatyr.* 6.

——Tandem illa venit rubicundula totum
Oenophorum ſitiens plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter
Ducitur, ante cibum, rabidam facturus Orexim,
Dum redit, & terram loto ferit inteſtino.

Sextarius diuiditur in binas heminas ſiue cotylas. Fannius.

At cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius vnus.

Cotyla eſt apud Laertium concaui vaſis genus, quo Diogenes vtebatur priuſquam aduertiſſet puerum concaua manus vola bibentem. Dicuntur & cotylæ ſiue cotyledones in oſſibus caua quædam acetabula, quibus aliorum oſſium inſeruntur capita. Vas igitur fuit concauum cotyla continens ſextarium dimidium; vnde & hemina dicitur ab ἥμισυ, dimidio. Agell. *lib.*3. *cap.* 10. *Si a ſextario hemina fuſa eſt, dimidium non dimidiatum ſextarium fuſum dicendum eſt.* Heminarium dixerunt, quod heminæ menſuram habet. Quintilian. *lib.*6. *cap.* 4. congiaria quæ Auguſtus dabat, heminaria, id eſt exigua & tenuia modicæ videlicet menſuræ; vocant & Græci ἡμίξεστον ſemiſextarium: cotyla ſex cyathos continebat: cyathus verò eſt duodecima pars ſextarij. Fann.

At cotyla cyathos bis ternos vna recepit,
Sextarij cyathus pars eſt, quæ eſt vncia libræ.

Ex his porrò Fannij verbis ſapienter colligit Villalpand. *lib.* 3. *apparat. cap.* 3. ſextarium a Romanis non minus quam aſſem aut libram in duodecim partes tributum eſſe, quas cyathos nominarunt à voce χύειν fundere; quia cyathis hauriendo vino in conuiuiis vtebantur. Audi Varron. *lib.* 4. *de ling. Lat. Quo vinum dabant vt minutatim funderent à guttis guttum appellarunt: & quo ſumebant minutatim, a ſumendo ſimpulum nominauere, in huiuſce locum in conuiuiis, & Græcia ſucceſſit epichyſis, & cyathus; in ſacrificiis remanſit guttum & ſimpulum.* Sumere hoc loco apud Varronem eſt bibere, ſicut & apud Ciceron. *ſi ſumpſeris meracius*: idque rectius coniicit Scaliger in eum locum quam ſimpulum eſſe vocem Syriacam à *ſempel*; nam ineptè eam Varro à ſumendo deduceret, & quid amabò cõmercij antiquiſſimis Romanis cum Syris, vt illorũ lingua vterentur. Epichyſim genus eſſe coquinarij vaſis apud Ariſtophanem, & poculi apud Menãdrum, oſtendit Scaliger. Nobis auctoritas Varronis ſufficit, qui cõiũgit cũ cyatho, & poculi genus facit. Iuuenal. *ſatyr.* 5.

Cardiace nunquam cyathum miſſurus amico.

Potum itaque cyathis metiebantur, & iiſdem nominibus, quibus libræ partes, nominabant calices, qui conſimilem numerum cyathorum continebant, atque illum vnciarum nomine appellabant, ſextantẽ v. g. appellabant calicem duos cyathos capientem, vel ipſos binos cyathos: quadrantem tres, trientem quatuor, quincuncem quinque, ſemiſſem ſex, ſeptuncem ſeptem, beſſem octo, dodrantem nouem, dextantem decem, deuncem vndecim, ſextarium duodecim: quod nuper in diuiſione aſſis obſeruabamus, & obuium eſt apud Martial. potare deuncem, quadrantem, ſextantem, & ita deinceps. Sueton. *cap.*77. ait Auguſtum cum largiſſimè biberet ſenos ſextantes non exceſſiſſe. Plura in hanc rem de menſura potus pro varia corporis habitudine & natura eius quod potatur, colligit ex Celſo & Plin. Budæ. *lib.*5. *de Aſſe.* Eadem de cauſa cyathus dictus quoque fuit a Græcis ἀντλητὴρ, ἀρυστὴρ, ἀρύστιχος, & οἰνοχόος. Pueri qui cyathos miniſtrabant, illiſque potum conuiuarum quodammodo metiebantur, dicebantur ſtare à cyathis. Sueton. *in Cæſare, cap.*...*C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe obiecit.* Iuuenal. *ſatyr.* 13.

Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis vxor
Ad cyathos.

Plaut. in Meneom. cyathiſſare dixit. *Non ſcis quis ego ſim? qui tibi ſæpiſſimè cyathiſſe.* Vocem Græcam κυαθίζειν Latinam fecit Plaut. eſt verò κυαθίζειν ex Athenæ. κυάθῳ οἰνοχοεῖν, cyatho vinum bibendum admetiri: eiuſmodi miniſtros nominarunt οἰνοχοοὺς, Apuleius pocillatores; pincernas alij, quod tamen vocabulum an probum ſit dubitat Budæ. dicitur à Græcis quod ſoleant conuiuæ interdum dicere οἶνον κέρα miſce vinum: honeſtum illud munus fuiſſe apud Græcos, Romanóſve qui illi nobiliſſimos iuuenes maximè in conuiuiis ſacris præficiebant, teſtatur Athenæ. *lib.*10.

Hemina quam dimidium eſſe ſextarij dicebamus, diuiditur in duos quartarios, ita dictos, quod quartarius ſit ſextarij pars quarta, qui & quadrans nominari poſſet, conſtatque tribus cyathis. Rurſus diuiditur quartarius in bina acetabula, eſt verò acetabulum ſextarij pars octaua, ſeſquicyathum capiens, ab accipiendo nominari vult Hermolaus, Iſidor. *lib.*20. *Ethym. cap.*4. ab aceto, quaſi acetaferum, quod acetum ferat. Græcis eſt ὀξύβαφος ὀξυβάφιον ὀξυβάφιον, δεχόμενον ὄξος acetum capiens. Sæpius ſcriptura meminit acetabuli inter vaſa & inſtrumẽta templi. Et vocat Kamhharah. Græcè τρυβλίον, quas voces varij variè exponunt. Vide Villalpand. *lib.*4. *apparat. cap.* & qui plures ex Paſſeratio, aliiſq; collegit. Lorin. *in cap.*7. *Num. verſ.*13. & 14. Huius menſuræ ſæpius meminit Plin. *vt lib.*24. *cap. vlt.* de fœno Græco agens. *Diocles difficile parientibus ſemen eius dedit acetabuli menſura, tritum in nouem cyathis ſapæ, vt cum tertias partes biberint calida lauarentur: & in balneo ſudantibus dimidium ex relicto iterum dedit, mox a balneo reliquum pro ſummo auxilio.* & infra. *Damon fœni Græci ſemen acetabuli dimidia menſura cum ſapa & aqua nouem cyathis ad menſes ciendos dedit potu.* Atque alibi ſæpius, quare menſuram medicis familiarem fuiſſe exiſtimauit Villalpand. 7

Cochlear ſiue ligula, menſurarum omnium minima dicitur, quamquam de ea diſſideant Fannius & Colum. Sic habet Fanni. 8

At myſtrum cyathi quarta eſt, ac tertia myſtri,
Quam vocant cyanem, capit hæc cochlearia bina.

Deinde comparans menſuras ponderibus.

Cochlear extremum eſt, ſcripulique imitabitur inſtar.

Cum igitur Fannius ſuperius dixiſſet ſcripulum ſiue gramma quater & vigeſies vncia contineri, toties in cyatho cochlear contineri fateatur neceſſe eſt, à quibus plurimum abeſt Colum. *lib.*12. *cap.* 21. *Ex eo (fœno Græco) molito poſt ſalituram muſti cochlear cumulatum, vel ſimile genus poculi eius, qui eſt quarta pars cyathi, adiicitur in binas vrnas,*

Et paulò ſuperiùs. *Coadiicitur in binas vrnas ligula cumulata, ſeu menſura ſemuncia, benè plena ſalis cocti & triti.* Quæ menſura longe diuerſa eſt ab ea quam Fann. adſignarat. Hoc diſſidium componit Robert. Cœnal. *lib. de menſur. & pend. rat.* Ex eoque Villapand. ait duplicem menſurã eodem nomine cochlearis atque etiam ligulæ ſignificatam fuiſſe, maiorem quæ eſſet quarta cyathi pars, cuius meminit Colum. minorem quæ ſit tantum vigeſima quarta eiuſdem cyathi, quam Fannius explicat; quæ vtraque menſura vocatur tum cochlear à forma cochleæ, tum ligula à linguæ quoque forma. Qua de cauſa lingulam dicendam contendebant alicui Grammatici, quos ridet Martial.

Quamuis me ligulam dicant Equiteſque, Patreſq;,
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.

Vbi primam ſyllabam corripit Martialis ſicut & Iuuenal ſatyr. 5.

—— Et ligulas dimittere ſollicitus, ne
Rota ſalutatrix iam turba peregerit orbem.

Sed idem Martialis eandem ſyllabam produxit *lib. 2.*

Non extrema ſedet lunata ligula planta.

Meminit eiuſmodi menſuræ Plin. *lib. 20. cap. 5.* de radice ſilis. *Opiſthotonicis, & iocinerum vitijs, & torminibus, & ſtranguria duarum aut trium ligularum menſura prodeſt.* De eochlearis quoque menſura *lib. 21. cap. 27. Chama, Daphne arida tuſa hydropicis datur in aqua cochleari menſura, celerrimèque reddunt aquam.*

9 Culleus fuit Romanis omnium menſurarum maxima, quippe viginti amphoras capiens. Fann.

Eſt & bis decies quam conficit amphora noſtris
Culleus, hac nulla maior menſura liquoris.

Colum. *lib. 3. cap. 3.* aſſignat 40. vrnas, quæ ſanè conficiunt, vt conſtat, viginti amphoras. Fiebat ex corio, erat menſura vinaria ſimul & frumentaria, vt colliges ex Vlpian. *l. quæſitum D. de fund. inſtruct.* Scæuola *l. legatum D. de ann. legat.* & aliis paſſim.

Seſquiculeare dolium eſt triginta amphorarum. Sanè magna debuit eius eſſe capacitas quando in eo parricida vnà cum cane, ſimia, gallo & ſerpente includebantur, & in mare proiiciebantur.

10 Dolium menſuræ genus non eſt, ſed vas variæ amplitudinis, vt etiam ſeriæ & cuppæ; nam quod Plinius ait *lib. 9. cap. 30.* Polypi caput dolij magnitudine, amphorarum quindecim capax; non ſignificat eam dolij definitam eſſe menſuram, ſed magnitudinem Polyppi oſtendit, vti obſeruat Anton. Auguſt. *lib. 2. emendation. cap. 11.* Eſt igitur dolium vas cuiuſuis materiæ & menſuræ, rei præterea cuiuſuis capax. Nam Iulian. *l. 206. D. de verb. ſignif.* ait dolia tamdiu in vaſis vinariis haberi quamdiu vinum habent, cùm ſine vino eſſe deſinunt, non haberi. Idem *l. 26. D. de inſt. & inſtru. legat. Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgeſta eſt, & in his viridiaria poſita, aedium eſſe Labeo & Trebatius putant.* Ex quibus colligis primò dolia fuiſſe diuerſæ materiæ fictilia, plumbea. Secundò defoſſa quoque fuiſſe in aggeſta terra ne mouerentur. Vlpian. *l. 3. D. de tritic. vin.* depreſſa in cella vinaria, aut quæ per magnitudinem difficilè moueantur. Et *l. 8. D de inſt. & inſtru. leg.* defoſſa in cella vinaria, dixit. Tertiò in doliis viridiaria ſiue viridia poni conſueuiſſe. Sunt autem viridia aut viridiaria, vel etiam viridaria loca quædam virentibus herbis, graminibus & arbuſtis conſita, vti ex iure, Sueton. Lamprid. Veg. Vitruu. Seneca, & Plinio obſeruat Gotofred. *in notis ad l. 26. D. de inſt. & inſtru. legat.* Non excipiendo autem vino & aliis liquoribus duntaxat dolia fuiſſe parata, iam oſtendimus, & conſtat ex Paulo *l. 76. D. de contrah. empt. vbi ait dolia in horreis defoſſa, ſi non ſint nominatim in venditione excepta, horreorum venditioni ceſſiſſe videri.* Doliarium non eſt locus vbi dolia ſeruantur, ſed vas quoddam ampliſſimum & capaciſſimum apud Caium *l. 35. §. 6. D. de contrah. emption. Sed ſi ex doliario pars vini venierit, veluti metreta centum, veriſſimum eſt, antequam admetiatur, omne periculum ad venditorem pertinere.* Doliare vinum eſt illud quod in dolio adhuc reconditur, necdum diffuſum, cuius vendendi legem Cato *lib. de re ruſtica, cap. 148. aliàs cap. 153.* exponit. Vlpian. *l. 1. §. vlt. D. de peric. & comm. Si doliare vinum emeris nec de tradendo quidquam conuenerit, id videri actum, vt ante euacuaretur, quàm ad vindimiam opera eorum futura ſit neceſſaria. Quod ſi non ſint euacuata, faciendum quod veteres putauerunt, per corbem venditorem menſuram ſuaſerunt, ſi quanta menſura eſſet, non appareat, videlicet vt appareat, quantum emptori perierit.* Ex quibus vides Vlpian. vſurpaſſe vinum doliare, pro vino in doliis contento. Exiſtimat verò Budæus vinum doliare emi, cum in doliis emitur ſine menſuratione, ad differentiam vini pendentis, quod adhuc in vuis eſt. Sed ſic vinum doliare diceretur id omne quod ex vuis expreſſum eſt: ſiue dolio, ſiue amphora, ſiue quolibet alio vaſe contineretur. Cùm tamen debeat eſſe diſcrimen aliquod inter vinum doliare, & aliud vinum non doliare, licet iam expreſſum ex vuis; nam ante & quamdiu pendens eſt, vt loquitur Budæ. vinum non appellatur. Sicut neque vuæ vinum dicuntur, niſi impropriè & poëticè, quo modo locutus eſt Plaut. in Trinum. *Tum vinum priuſquam coactum eſt pendet putandum.* Neque fortaſſis abeſt Cato *de Re Ruſt. cap. 147. vel 152.* Et ſane vinum amphorarum legimus apud Procul. vt *l. vlt. §. vlt. D. de tritic. vino & oleo legat.* quod verò illud ſit, & quare diffuſum dicatur, & à doliari differat, manifeſtè explicat *leg. vinum 15. D. eod.* idem Procul. *Ego, etſi dolia in vaſis vinariis non ſunt, tamen non concederem Trebatio, vinum quod in doliis eſſet, id eſt quod in vaſis non eſſet. Nam eſſe legatum, illud verum eſſe puto, cùm vinum in vaſis legatum erit; ei amphoras, cados, in quibus vina diffuſa ſeruamus, legatos eſſe: vinum enim amphoras & cados hac mente diffundimus, vt in his ſit donec vſus cauſa probetur, & ſcilicet id vendimus cum his amphoris & cadis: in dolia autem alia mente conijcimus, ſcilicet vt ex his poſteà vel in amphoras & cados diffundamus, vel ſine ipſis doliis veneat.* Vinum igitur doliare, & amphorarium, vti vocabat Proculus, aut vaſarium, vt loquitur Cuiac. *lib. 2. obſeruat. cap. 36.* differunt, quòd vaſarium in amphoras & cados diffuſum ſit ex doliis ad bibendum, aut vendendum. Vnde colligit Turneb. *lib. 2. aduerſa. cap. 1.* vinum doliare fuiſſe vinum recens, quod quia neque maturitatem neque ſuauitatem haberet, quæ diffuſo quærirur, idcirco vilioris erat pretij. Vinum de dolio appellat Cicero in Bruto. *Nam igitur qui hoc ſentiat vinum de dolio ſibi hauriendum putet?* & in Piſon. vinum de cuppa. *Panis & vinum à propola,* [vt legit Turneb. aut vt alij à propola] *& de cuppa.* Plutarch. *Iſto veteri & miti vino reiecto, durum & immitte de dolio bibimus, culleum turba perſtrepens.* Plin. *lib. 14. cap. 14. Apothecas fuiſſe & diffundi ſolita vina anno* clccxxx111. *vrbis apparet indubitato opimiani vini argumento.* Horat. *lib. 1. Ep. 5.*

Vina

Vina bibes iterum Tauro diffuſa.
Iuuen. Sat.
Ipſe capillato diffuſum Conſule potat.

Quia amphoræ & cadi, in quos vinum diffundebatur, ſignabantur, & annis etiam Conſulis notabantur. Diffundi itaque vina apud Plinium, vt annotauit, qui in eum notas ſcripſit, eſt colari, ſaccari διαχεῖσθαι, tranſuaſari ex cuppa in qua per aliquot dies ferbuit, in dolia & cados transfundi, in quibus conditum ſeruabatur, ac vnde œnophoris hauſtum in crateres & pocula fundebatur bibituris. ἀθεῖν Theophraſt. *capit.* 24. *lib.* 6. *cauſ.* quaſi ἀθεισμένα vocat. Quomodo verò Vlpian. & Proculus in legibus allatis conueniant, & quænam ſit ipſorum mens, exponit Cuiac. *lib.* 2. *obſeruat. cap.* 36. Vino legato aut vendito debentur amphoræ & cadi, vtres aut cullei non debentur, quia non condendo ſed deferendo vino parati ſunt. Dolia quoque non debentur, quoniam ad perpetuum vſum in cella defodiuntur, & deprimuntur, nec vt amphoræ & cadi, ideò habentur vt expectentur: idemque plerũque cupparum vſus eſt, & ideo hæ quoque non debentur, quamobrem is qui doliare num vendidit, niſi in tempore vinum tollatur, id poteſt effundere: atque vt ſciatur vino ad menſuram vendito, quantum emptori perierit, qui pro eo quo admenſum fuerit pretium debet, menſuram, vt veteres Iuriſconſulti tradiderunt, facere ad, vel per curbem poteſt, inquit Vlpian. *citata l.* 1. *§. vltim. D. de pericul. & comm. rei vendita.* quod facetè à veteribus dictum videtur, ac ſi per cribrum dixiſſent, vt ſic quod ex dolio effunditur, quaſi in vas aliquod influat, & ſtatim effundatur. Vix enim eſt, vt corbis liquorem contineat, cùm fiat ex viminibus, vt Varro *lib.* 1. *de re ruſtic. c.* 22. ſcribit, & propriè cogendis fructibus comparetur. *l. in inſtrumento. D. de inſt. vel inſtrum. legato*, &c. vt maximè ita poſſit curbis conſertè contextéque fieri, vt vinum contineat; nam & ex viminibus naues ita fieri Cæſar, Plini. Lucan. authores ſunt, corbis tamen menſuræ genus non eſt. At ſicut vino doliari vendito, non ita vino legato, poteſt vinum hæres effundere, licèt per exceptionem, quanti ſua intereſt, habuiſſe dolia inania, ſibi ſeruare poſſit: Hinc exiſtit quæſtio ſi quis vina cum vaſis legauerit, an & vina doliaria debeantur. Nam etſi reuerà dolia ſint vaſa vinaria, vulgus tamen in vaſorum numero, ea propriè tantum reponit quæ exportantur, quæ non hærent prædio, quæ ad perpetuum vſum non reſeruantur, vt puta cados & amphoras. Ideóque Trebatius dicebat ex defuncti ſententia non deberi vina doliaria, quòd ea tantum legaſſe videretur, quæ in vaſis, id eſt amphoris & cadis eſſent. Vinum autem quod eſt in doliis, vulgus in vaſis eſſe non putat. Ex verbis tamen teſtatoris Trebatius ait vina etiam doliaria deberi. *Caterũ*. inquit, *dolia in vinariis vaſis nõ eſſẽt:* id eſt alioquin dolia non eſſent vaſa vinaria, quod eſt abſurdum. Merito tamen Trebatius à Proculo reprehenditur *in l. penultima citata. Concedamus*, inquit, *dolia non eſſe in vaſis vinariis, non tamen legato vino cum vaſis, id quod in vaſis non eſt, id eſt, quod eſt in doliis, ideo minus debetur.* Tam ergo doliare quàm vaſarium debetur. Sicut ſeruis cum peculio legatis, tam non peculiati ſerui debentur quàm peculiati *l.* 6. *D. de tritic. vino, & oleo legat.* Ex quibus omnibus tandem vides dolium non eſſe menſuram, ſed capacitatem aliquam capiendo vino, aut frugibus, ſiuè propriè ſiue impropriè vas vinarium appellari queat.

Idem dicendum eſt de ſeriis & cuppis. Seriarum 11
meminit *l. vinaria* 206. *D. de verb. ſignificat.* quas Baſilica interpretantur βύτας *nouo vocabulo*, inquit Cuiac. *lib.* 9. *obſeru. cap.* 26. Nicetas dixit βυτίζια, & interpretatur οἴνου δοχεῖα: veteres gloſſæ dogas exponunt βόλιας. Dogæ autem videntur deriuari a Græcis, quibus δοχαὶ, vel δόχαι ſunt quæ capacitati alicui paratæ ſunt, vel ipſæ capacitates & menſuræ: ſic in Aureliano Vopiſci *facta eſt ratio dogæ, cupparum, nauium.* Quare doga non vas, ſed capacitatem ſignificat. Buttas quoque & Buticellas recenſeri inter mobilia in veteri quodam ſcripto membraneo apochæ cuiuſquam, quæ exarata eſt imperante Iuſtiniano, & in Regia Bibliotheca aſſeruatur, refert Cuiac. *l. citata*. Denique Buttarum nomine in tractu quodam Galliæ pro doliis vinariis vtuntur. Denique cuppas veteres gloſſæ exponunt βύτεις μεγάλας.

Vt verò quæ de liquidorum Romanis menſuris 12
hactenus explicata ſunt in vnum coniiciam, cape hunc indicem ex Mariana.

Culeus continet amphoras 20. vrnas 40. congios 160. ſextarios 960. heminas 1920. quartarios 3840. acetabula 7680. cyathos 11520. ligulas 46080.

Amphora continet vrnas 2. congios 8. ſextarios 48. heminas 96. quartarios 196. acetabula 384. cyathos 576. ligulas 2304.

Vrna congios habet 4. ſextarios 24. heminas 48. quartarios 96. acetabula 1920. cyathos 288. ligulas 1152.

Congius ſextarios 6. heminas 12. quartarios 24. acetabula 48. cyathos 72. ligulas 288.

Sextarius heminas 2. quartarios 4. acetabula 8. cyathos 12. ligulas 48.

Hemina quartarios duos, acetabula 4. cyathos 6. ligulas 24.

Quartarius acetabula 2. cyathos 3. ligulas 12.

Acetabulum cyathum $1 \frac{1}{2}$, ligulas 6.

Cyathus ligulas 4. Ligula minima Romanis limenſura quidorum.

Venio ad menſuras aridorum dumtaxat, quæ
non niſi duæ fuerunt Romanis, Medimnus & Mo- 13
dius; vtriuſque meminit Fannius.

Huius dimidium fert vrna, vt & ipſa medimni
Amphora, terque capit modium, ſextarius iſtum
Sex decies haurit, quot ſoluitur in digitos pes.

Medimnus Græcorum menſura fuit, quod ipſum nomen indicat, ſed illum ſibi Romani ita vſurpaparunt, vt propriam fecerint. Conficitur ex duobus pedibus cubicis, quod geometricè demonſtrat Villalpand. *lib.* 3. *apparat. cap.* 4. Continet ex Fannio duas amphoras & ſex modios, quia vt ibidem ait Fann. amphora ternos modios capit, medimnus autem amphoræ duplum eſt. Eandem capacitatem medimno cæteri tribuunt. Suidas vbi dixit medimnum eſſe menſuram aridorum, vt frumenti, hordei, ſubdit medimnum habere modios ſex, ſextarios ſeptuaginta duos, libras centum & octo. Ex quibus ſequitur modium habere ſextarios ſexdecim, libras octodecim, ſextarium verò pendere libram & ſemis. Cornelius Nepos in vita Pomponij Attici, dum agit de ipſius liberalitate, qui vniuerſos Athenienſes frumento donauit, ita vt ſingulis ſex modij tritici darentur. *Qui modus menſura*, inquit, *medimnus Athenis appellatur.* Auſon. in Grippo.

Hinc Bromij quadrantal, & hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hæc geminis tribus explicat vſus agendi.

Quadrantal igitur ſiue amphora vini tres modios capit, Sicula medimna binos tres capiunt. Accedit locuples Ciceronis teſtimonium *Action. 3. in Verr. Agro enim*, inquit, *Leontini decima anno tertio venerunt medimnis triginta ſex millibus, hoc eſt tritici modiis ducentis ſexdecim millibus.* Ex quibus facilè colliges medimnum capere ſex modios, cùm prior numerus ſenario multiplicatus poſteriorem efficiat. Addit deinde Cicero *Profeſſio eſt agri Leontini ad iugerum triginta millia: hæc ſunt ad tritici medimnum nonaginta millia, id eſt tritici modium quingenta quadraginta millia.* De quo loco plura Budæ. *lib. 5. de Aſſe.* Reſpondent aliqui Suidam agere de Medimnis Atticis, & Ciceronem de Siculis, quæ maiora fuerint Romanis. Verum hoc poſtremum non docent, & Romani atque Siculi hanc menſuram hauſerant à Græcis, neque eſt quod vltrò fingamus illam immutaſſe, niſi ex euidenti aliquo indicio, ita coniicere cogamur, cùm certum habeamus Fannij teſtimonium, cui Mariana opponit ex Ioſepho, Medimnum Siculum maiorem eſſe Attico quarta parte, ſed id reiicitur à Villalpand. qui demonſtrat Ioſephi locum corruptum. Neque adeò certi quidquam ex illo colligi poſſe, donec ſuæ integritati ex antiquo & emendato quodam codice reſtituatur & emaculetur. Idem dico de Epiphanio, qui medimno tribuit ſex modios.

14 Modius ita dictus Romanis à modo, quo frumenta diſpenſantur. Quare neſcio vnde Epiphan. & Iſidor. acceperint eam vocem à voce Hebræa deriuari. Sanè antiquis Scriptoribus frequens fuit. Cato *de Re ruſtica cap. 65.* vbi præſcribit familiæ cibaria. *Qui opus facient per hyemem tritici modios quatuor, per æſtatem modios quatuor ſemis.* Varro *lib. 1. de R. R cap. 44. Seruntur fabæ modij IV. in iugero; tritici V. ordei VI. farris X. ſed nonnullis locis paulò amplius aut minus, ſi enim locus craſſus, plus, ſi macer minus.* Et *lib. 3. cap 6. Itaque ſemis iis* (pauonibus) *dat in menſes ſingulos ordei ſingulos modios, ita vt in fœtura det vberius, & antequam ſalire incipiant.* Vides itaque modium certam Latinis fuiſſe menſuram, quæ vti diximus ex Fannio eſt tertia pars Amphoræ & ſexta medimni, capit autem ſextarios ſexdecim. Plin. *lib. 18. cap. 7.* ait modium leuiſſimi frumenti non excedere viginti libras. Ex quibus colliges quantum eſſet pondus quod ferebat ille quem Hieronym. in vita Hilarion. ſcribit, quindecim frumenti modios diu longéque portaſſe, & hanc habuiſſe palmã fortitudinis ſuæ, ſi aſinos vinceret, efficiebant enim illi quindecim modij libras minimùm trecentas, quod pondus aſinus vix, diu longéque portet. Modij lignei erant. Cato enim inter inſtrumenta modiũ vnum præferratum, & ſemodium vnum requirit, muniebantur ſiquidem modiorum ora ferro, ne vſu attrita menſuram minorem redderent. Vides etiam ex Catone fuiſſe ſemodium ſiue medium modium: *Se enim valet dimidium*, inquit Varro *lib. 4. de ll. vt in ſemuncia. ſelibra, ſemodio.*

15 Demenſum aliqui pro certa menſura vſurpant. Erat enim quod ſingulis menſibus in cibum dabatur ſeruis. Plaut. in Sticho.

Vos meminiſtis quot Kalendis petere demenſum,
Qui minus meminiſtis, quod opus ſit facto facere
In ædibus.

Terent. in Phormi. *Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo ſuum defraudans genium comparſit miſer.* In quem locum Donatus ſcribit, demenſum ſeruorum fuiſſe quatuor modiorum in menſem. Iam vidimus ex Catone quodnam foret demenſum in cibaria familiæ ruſticæ. Ælius Spartian. *in Adriano* ait illum Senatoribus, qui non vitio ſuo decoxerant patrimonium, pro liberorum modo & Senatoria dignitate demenſum dediſſe. Quare demenſum certum menſuræ genus nequaquam fuiſſe exiſtimandum eſt. Cùm aut maius, aut minus eſſet pro varietate perſonarum quibus aſſignabatur.

Lubet hoc de menſuris & ponderibus Romanis caput claudere plebiſcito, quod duo Sillij P. & 16
M. Tribuni pleb. rogarunt, vti refert Feſtus *verſ. pulica pondera.* Habe illud emendatum & interpunctione diſtinctum à Ioſepho Scaligero.

Ex. ponderibus. publiceis. quibus. hac tempeſtate. populus. Oetier ſolet. vtei. coæquetur. ſe dolo. M. Quadrantal. vinei. octoginta. pondo. fiet. congius. vinei. decem p. fiet. ſex. ſextari. congius. fiei. vinei duodoquadraginta ſextarj. Quadrantal. fiet. vinei ſextarius, æquus. cum librario ſiei. ſex de quin libræ, in modio. ſieen.

Si. quis. magiſtratus. aduerſus hæc. D. M. pondera modioſque, vaſaque poblica, modica, minora, maiorave, faxit. iuſſitus fieri. dolumve. addunt. Quo. ea. fiant. Eum. quis nolet. magiſtratus. mulctare. vtei. dum. minore. patris. familias. taxat. liceto. Sive Quis. im. Sacrom. iudicare. voluerit. liceto.

ARTICVLVS V.

De liquidorum & aridorum menſuris apud Græcos & Hebræos.

Amphora. 1.
Cadus. 2.
Ceramum. 3.
Amphoreus. 4.
Chus. 5.
Minores menſuræ. 6.
Index menſurarum Græcarum. 7.
Aridorum menſura. 8.
Artaba. 9.
Hebræorum menſuræ vt illas explicarunt.
LXX. Interpr. 10.
Corus. 11.
Batus. 12. 16. 17. 18.
Satum. 13.
Gomor. 14.
Cabus. 15.
Log. 19.

EX iis quæ de Romanis menſuris diximus, lucem aliquam accipient quæ de Græcis & Hebræis ſubiiciemus.

Liquidorum menſura Græcis in primis Amphora Attica teſte Fannio, qui eius capacitatem 1
deſcribit.

Attica præterea dicenda eſt amphora nobis,
Seu cadus, hanc facies, noſtra ſi adieceris vnam.

Continet igitur amphora Attica vrnas tres, & Romana duas. Cùm igitur vrna capiat quatuor congios & ſextarios 24. Amphora Attica habebit vrnas tres, congios duodecim, & ſeptuaginta duos ſextarios. Ex quibus apparet Amphoram Atticam

ean

eandem eſſe cum *metreta*, quæ ſic appellatur quaſi prima aliarum ac tui ; eſſe enim peculiarem quandam & certam menſuram manifeſtè colligitur ex Ariſtotele *lib. 2. œconom.* dum refert Timothei Ducis Athenienſis factum in curanda annona caſtrorum, voluit enim ne quis caperet partem vllam vini & aliorum liquorum minorem ea menſura quæ propriè *metreta* vocatur. Huius quoque meminit Cato *capit.* 107. *Oleum ſi in metretam nouam indicturus eris, amurcâ ita, vti cruda prius colluito, agitatoque diu, vt benè combibat, id ſi feceris metreta oleum non bibet, & oleum melius faciet, & ipſa metreta firmior erit.* Colum. *lib. 12. cap. 22. picis liquidæ Nemeturicæ metretam adde in labrum aut in alueum, & in eodem infundito cineris lixiuia congios duos.* Quibus verbis tam metretam pro certa menſura accipit, quam congium. Et *eod. lib. cap. 4.* tradens modum quo lora optima fiat. *Quantum vini vno die feceris, eius partem decimam quot metretas efficiat conſiderato, & totidem metretas aquæ dulcis in vinacea, ſed quibus vnius diei vinum expreſſum erit, addito.* Eſt verò metreta eiuſdem capacitatis cum amphora Attica, quam cadum nominauit Fann. vti ſtatim dicemus. Atqui vbi Dioſcorid. metretas dixit, Plinius perpetuò reddidit cadum. Deinde Nicandri interpres, Cleopatra, & Epiphanius metretæ concedunt choas decem, & ſextarios ſeptuaginta duos, quot amphoræ Atticæ paulò ante tribuebamus. An verò iſti ſint ſextarij Romani, an Attici, diſputant : ſed optimè oſtendit Villalpand. *cap. lib. 4. apparat.* ſextarios Romanos & Atticos pares æqualeſque fuiſſe. Quod autem Dioſcorides metretæ tribuat choas decem, ex quo loco Fannium reiicit Budœus, ſuſpicantur Agricola, Villalpand. & Mariana numerum Dioſcoridis vitio librariorum corruptum fuiſſe. Cum enim ſcripſiſſet Ισὶ δὲ ὁ μετρητὴς χοῶς ιβ, deletum eſt β, quod omninò reponendum erit.

2 Dixit initio Fannius Amphoram Atticam quæ eadem eſt cum metreta, nominari cadum ; quo nomine vtuntur Latini Auctores paſſim ; eſt tamen vox Græca. Magnum etymologicum deducit. κάδος σκεῦος παρὰ τὸ χαδῶ χαδέσω ὃ δηλοῖ τὸ χωρῶ, ῥηματικὸν ὄνομα χάδος καὶ κάδος τὸ χωρητικὸν ἀγγεῖον. Quamuis autem Athenæus aliquando accipiat pro minore quadam menſura & vaſculo, v.g. ciatho, vt cum ſcribit *lib. 11.* Paſiſoclem de luce in noctem & de nocte in lucem quadringentis cadis bibiſſe ; certam tamen fuiſſe menſuram eamque maiorem habemus expreſſim à Fannio, & amphoram ipſam Atticam Villalp. putat deriuari ab Hebræo כד cath, quia vbi in Hebræo vox illa legitur, vulgatus reddidit hydriam, vt *Geneſ. cap. 24. verſ. 15. & 17. & lib. 3. Reg. cap. 18. verſ. 34. & 35.* Vbi & hydriæ nomen a vulgato & metretæ à LXX. vſurpatur ; quæ tamen hydriæ non tantum liquoribus, ſed etiam aliis, vt farinæ capiendæ vſui erant, quod conſtat ex *lib. 3. Reg. cap. 17. Hydria farinæ non deficiet.*

3 Heſichio κάδος dicitur κεράμιον : ab eodem definitur τὸ τοῦ οἴνου καὶ ὕδατος ταμιεῖον. Galen. *lib. de ponderib.* amphoram Romanam vocauit ceramium Italicum, quòd habeat coas octo ; Chus autē habet cheſtos ſiue ſextarios ſex. Atqui ſexies octo, vel octies ſex efficiunt planè ſextarios quadraginta octo, quibus ſi addas vnam qua metreta, ſiue amphora Attica, vel ceramium Græcum ſuperat amphoram Romanam, ſiue ceramium Italicum, quæ vrna capit ſextarios viginti quatuor, metretæ ſextarij erunt ſeptuaginta duo.

Amphoreus ἀμφορεὺς fuit minor menſura ; quæ bis in metreta continebatur : eius mentio eſt apud Ariſtophan. ὁ δ᾽ ἀμφορεὺς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου : amphorei vini nigri & odorati pleni ſcilicet. Et Herodot. *lib. 1.* meminit crateris argentei Delphos à Crœſo miſſi, qui caperet amphoreos ſexcentos. Crater, inquit, erat in angulo veſtibuli templi poſitus χωρέων ἀμφορέας ἑξακοσίους. Ibidem quoque narrat craterem æneum a Lacedemoniis donatum fuiſſe, qui caperet amphoreos trecentos μεγάθει τριακοσίους ἀμφορέας χωρέοντα. Eius autem menſuræ capacitatem explicat Nicandri Interpres, ait enim capere ſextarios triginta ſex, metretam autem ſeptuaginta duos, quod id ipſum affirmat Cleopatra, itaque ſe inueniſſe in Georgicis. Vnde videa amphoreum eſſe dimidiam metretam, & in illa bis contineri, ideóque metreta prima diuiſione diuiditur in duos amphoreos, quorum ſinguli habent ſex congios, ſextarios verò triginta ſex. 4

Chus eſt μέτρον ὑγρῶν, humidorum menſura, inquit Heſychius, eius capacitatem deſcribit Fannius agens de ſextario, eoque Romano. 5

Qui quater aſſumptus fit Graio nomine chœnix,
Adde duos chus fit, vulgo qui eſt congius idem.

Atque chus Græcis idem eſt qui congius Romanis, quod idem Cleopatra, Dioſcorides, & Galenus tradunt, facit tamen difficultatem quod Suidas faciat chus duorum ſextariorum, & chœnium ſex. Galenus quoque *lib. de ponderib.* tribuit chus ſextarios octo, chœnicas duos. Cleopatra in Georgicis ait inueniſſe choam nouem ſextariorum, cotylarum duodecim. Vulgatus interpres *Leuit. 19. verſ. 36.* vbi in Hebræo legebatur Hin, & LXX. chus, ſextarium reddidit. Denique Hieronym. ad c. 48. *Ezechiel.* ait hin continere duos choas Atticos, quos nos ſextarius dicere poſſumus. Hæc diſſidia Scriptorum vexant eos, qui iſta paulò diligentius pertractant. Mariana de variis diuerſorum ſextariis, qui vt inæquales eſſent in antiquis Scriptoribus, agi exiſtimat, ſi enim agamus de ſextariis Atticis octo contınebat chus, Hebraicos nouem, Romanos ſex, quod ſufficiebat Fannio. Villalp. contendit Atticos & Romanos ſextarios eoſdem fuiſſe, & loca contraria veterum explicare conatur. Mihi res incerta quidem videtur, ſed non tanti momenti, cùm certam habeamus eius menſuræ capacitatem ex eius cum Romanis menſuris comparatione, quandoquidem ſex Romanos ſextarios continebat teſte Fannio Romano, eoque erudito Scriptore, qui accuratè de menſuris ſcripſit. De ſextario verò Attico fuſiùs Mariana, qui in aſſignandu certo eius pondere & capacitate plurimùm laborat : ſed accuratè omnino Alcazar *propoſit. 1. de menſuris.*

Reliquæ menſuræ liquidorum ſunt minores iis quas iam tradidimus, & earum veluti partes. Cotyle cuius vocis ethymon non à Græcis modo, ſed & ab Hebræis deducit Villalpand. *capit. 7. lib 4. Apparat.* fuit tum liquidorum, tum aridorum menſura. Thucydid. cotylem aquæ & cotylem frumenti dixit. Sane Romani tum ſextario, tum cæteris menſuris illo minoribus tum liquida, tum arida metiebantur, quem morem à Græcis fortaſſe ſumpſerunt. Eſt igitur cotyle Græcis idem quod Romanis hemina, dimidium nempe ſextarij, ſiue ſemiſextarius, quod Heraclitus & Diodorus apud Athenæum *lib. 11.* affirmant, Interpreſque Ariſtophanis ἡμίξεστον. vocat. Fann. 6

At cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius vnus.

Et

Et mox.

At cotyle cyathos bis ternos vna receptat.

Diximus verò aliàs ſextario capi duodecim cyathos: quare cum Fannius cotylæ ſex ſolùm tribuat, ſanè illam ſemiſextariam facit. Eadem menſura dicitur etiam τρύβλιον: illud enim eiuſdem capacitatis eſſe cum cotyle & continere ſex cyathos diſertè affirmat Cleopatra.

Hemicotylium eſt quarta ſextarij pars, & media cotyle, quam Latini quartarium dicunt, quarta nimirum ſextarij pars.

Oxibaphum, vel Oxibaphus eſt ſeſquicyathus, ſiue octaui ſextarij pars, ſicut cyathus eſt duodecima. Capit enim vti diximus aliàs ſextarius duodecim cyathos, quæ & vnciæ nominantur ſextarij.

Concha ſemicyathus eſt. Myſtrum cyathi quadrans. Cheme cyathi quinta. Cochlear paruum cyathi pars decima.

Omnium igiror menſurarum Atticarum circa liquida hūc indicē habe ex Marian.*c.* 15. *de menſur.*

7 Amphora Attica ſeu metreta continet amphoreos duos, choas ſiue congios 12. ſextarios Romanos 72. Atticos 96. cotylas Atticas 192. quartarios 384. oxybapha 768. cyathos 1152. conchas 2304. myſtra 4608. chemes 5760. cochlearia 11520.

Amphoreus choas 6. ſextarios Romanos 36. Atticos 48. cotylas 96. ſemicotylas 192. oxibapha 384. cyathos 576. conchas 192. chemes 480. cochlearia 960.

Sextarius Atticus cotylas 2. ſemicotylas 4. oxibapha 8. cyathos 12. conchas 24. chemes 60. cochlearia. 120.

Cotyle ſemicotylas duas, oxibapha 4. cyathos 6. conchas 12. myſtra 24. chemes 30. cochlearia 60.

Oxibaphum cyathum vnum & $\frac{1}{2}$. conchas. 3. myſtra 6. chemes 7. & $\frac{1}{2}$. cochlearia 15.

Cyathus conchas 2. myſtra 4. chemes 5. cohlearia 10.

Concha myſtra 2. chemes 2. & $\frac{1}{2}$. cochlearia 5.

Myſtrum chemes 1. & $\frac{1}{4}$ cochlearia 2 $\frac{1}{2}$

Cheme cochlearia 2.

Cochlear minima liquidorum menſura.

Quamuis plurimæ ex his menſuræ arida quoque menſurarent, vti iam monuimus, erant tamen quædam ipſorum propriæ. Omnium maxima fuit cypſele, quæ ſex medimnos contioet, de illa Ariſtophan. *in pace. Meam iniecto lapide cypſelem ſex medimnos capientem fregerunt.* Suidas Κυψέλη ἑξμέδιμνος, ἑξ μεδίμνους χωροῦσα. cypſele ſex medimnorum, ſex medimnos capiens.

Medimnus Atticus de quo nuper, qui capit ſenos modios, aliqui, quod eo loco monuimus, faciunt medimnum Siculum quarta parte maiorem Attico, ſicut & modios Siculos atque Cyprios maiores Atticis, ita vt quinque modij Siculi medimnum Atticum explerent, quod exiſtimauit Mariana *cap.* 11. ſed id cum Villalpando reiecimus.

Medimnum porrò in plures partes Pollux diuidit, quæ ſingulæ menſuræ etiam ſunt: τριτεὺς tertia pars medimni continet chœnices 16. ἑκτεὺς ſexta pars nimirum, octo chœnices: δάδιξ octaua pars medimni ſex chœnices. ἡμίεκτον hemiectum, quaſi ſemiſextum duodecima pars medimni. Quæ omnes menſuræ explicata chœnice facilè capientur.

Chœnix igitur nominatiſſima eſt Græcorum menſura, in cuius tamen magnitudine definienda diſſentiunt Scriptores: nam Pollux aſſignat illi tres cotylas, quod faciunt quoque Cleopatra, & Dioſcorides. Verùm ſibi ipſi non conſentit Pollux qui medimno tribuit chœnices 48. ac proinde chœnici duos ſextarios concedit. Nam cùm medimnus ſit amphoræ duplus, vt diximus, & contineat 46. ſextarios: chœnix igitur erit duorum ſextariorum, quod & voluit Galen. cum tamen cotylæ quas dabat chœnici Pollux cum Cleopatra & Dioſcoride, faciant tantum ſeſquiſextarium. In Suida ita omnia perturbata eſſe aduertit Villalpand. vt vix quidquam certi ex eo colligi poſſe videatur. Quare ipſe Villalpand. cap. 7. Fannium ſequitur; qui vbi de ſextario loquitur, ſic habet. *Qui quater aſſumptus ſit Graio nomine chœnix.* Conueniunt omnes chœnicem fuiſſe diurnum hominis cibum, vnde Pythagoricum illud, *Super chœnicem ne ſedeas.* Verùm quænam eſſet menſura diurna cibi, quæri adhuc poſſet: inde tamen Fannij ſententiam confirmat Villalpand. cui & inter tanta diſſidia potiùs videtur adhærendum.

Cypſele itaque continet medimnos ſex, hemiecta 48. chœnices 192. Medimnus hemiecta 12. chœnices 48. Chœnix minima inter Græcos aridorum menſura continet ex communiori veriorique ſententia ſextarios Romanos duos ponderis in vino aut aqua vnciarum Romanarum 40.

Artaba, Barbara menſura fuit, non Græca. Triplex porrò fuit. Perſica omnium maxima, medimni & chœnicum trium capax. Medica qua vtebantur Medi, par Attico medimno, & denique Ægyptia omnium minima, de qua ſæpius meminit ſcriptura, in eiuſque deſcribenda magnitudine diſſentiunt Scriptores: illi tres modios cum triente tribuit Fann.

Eſt etiam terris quas aduena Nilus inundat
Artaba, cui ſuperat modij pars tertia poſt tres,
Namque decem modiis explebitur artaba triplex.

Continebit igitur Romanos ſextarios quinquaginta tres cum triente. Illi tamen Epiphanius, adhibita prius multa & diligenti inquiſitione, duos & ſeptuaginta ſextarios concedit, ac proinde facit illam metretæ æqualem. Alij cum Galen. tribuunt illi modios quinque, nimirum ſextarios octoginta; idque ſequuti videntur LXX. *Iſai.* 5. *verſ.* 10. vbi pro coro id eſt triginta modiis ſex artabas ſubſtituunt, nimirum ſingulis artabis dantes modios quinque, ſiue ſextarios octoginta; in eum tamen locum Hieronym. ſi eius verba benè expendantur & interpungantur, ait ſex artabas efficere modios viginti. Quare ſingulis artababis tribuit modios tres cum triente, quę erat ipſiſſima Fannij ſententia. In his diſſidiis componendiis laborat Villalp. *lib.* 3. *cap.* 11. Mariana *cap.* 15. non alium exitum reperiri exiſtimat quàm ex varietate ſextarij Romani, Attici, & Hebræi. Et tandem colligit artabam Ægyptiam, quamuis eius partes præcisè non aſſignentur, continere tamen amphoreos 1 $\frac{1}{2}$ ferè; choas 9. ferè. ſextarios Romanos 53 $\frac{1}{3}$. Atticos 71. circiter, cotylas 142. ſemicotylas 284. oxibapha 568. cyathos 852. conchas 1704. myſtra 3408. chemes 42̄70. cochlearia 8520.

Pollux *lib.* 4. *cap* 23. ait καπίθην apud Xenoph. & ἀρτάβην apud Herodot. quinque chœnices capere: numerat & alias quaſdam menſuras, quæ ſunt δάδιξ μέτρον ἑξαχοίνικον, μάρις δὲ ἑξακότυλον, κοτύλη δὲ τὸ τρίτον τῆς χοίνικος. De cotyle diximus ſuperiùs. Fuit & cophinus mēſura Bœotica, quę liquida & arida menſuraret apud Polluc. loc. citato. Stratis in Cynelia ait farinæ cophinum tribus drachmis vilidatum fuiſſe; capiebat vini tres choas:

ait

ait κύπρον dictum fuiſſe ab Aloæo, & ἡμίκυπρον ab Hipponacte.

10 Reſtant menſuræ Hebrææ, de quibus grandis ſermo, & longæ ambages apud ſacrorum codicum interpretes. Nobis tantùm otij non eſt vt eas examinare liceat, neque ſuſcepti inſtituti ratio id poſtulat, qui non commentatores agimus, ſed mercatorem inſtituimus. Quare pauca quædam obſeruaſſe contenti erimus.

Atque in primis obſeruo tum LXX. tum vulgatum interpretem non multum laboraſſe in explicanda æqualitate & proportione menſurarum Hebraicarum, & vulgarium gentis, quibus ſacros codices interpretabantur, ſed ablegata voce Hebraica, quam ſæpius retinere non placuit, contentos fuiſſe vnam menſuram alteri ſubſtituere, licèt illi fortaſſis non ita accuratè reſponderet. Vnde non firmum argumentum de capacitate menſuræ Hebraicæ ducitur ex illa Græca, aut Latina, quam L X X. vel vulgatus expreſſerunt Hebraicæ loco. Vnum tantùm colligitur, eam fuiſſe menſuram aridorum, vel liquidorum, cui ſimilem menſuram Græcam aut Romanam ſubiiciunt. Quæ omnia infinitis exemplis demonſtrare licebit. *lib. 3. Reg. cap. 7. verſ. 26. de mari : Duo millia batos capiebat.* Hebræam menſuram retinuit vulgatus. At verò LXX. in Complutenſi Regio codice *δύο χιλιάδας χόεις ἐχώρει*, choos. Chus autem non eſt eadem menſura quæ batus, aliàs verò Hebræam vocem retinent. *2. Eſdræ cap. 7. verſ. 22. Vſque ad vini batos centum, & vſque ad batos olei centum.* In Sixtiano codice *ἕως ἐλαίου βάτων ἑκατόν*. Eodem tamen loco bato ſubſtituunt metretam. *καὶ οἴνου μετρητῶν ἑκατόν*. Qua etiam metretæ voce loco bati vtitur vulgat. *2. Paralip. 5. verſ. 5. Capiebat tria millia metretas.* cùm in Hebræo legatur tres mille batos. *Exod. 25. verſ. 14.* In domo tua non erit ephi & ephi Hebraice : Latinus reddidit, non erit *modius & modius.* Cum tamen ephi & modius non ſint æquales menſuræ. Neque ſanè id opus eſt ad ſententiam illius edicti quo eo loco prohibet Deus ne ſint fallaces & iniquæ menſuræ, vna iuſta, alia minor; quod æquè exprimitur in modio duplici & inæquali atque in ephi; idcirco L X X. ſolius menſuræ commune nomen adhibuerunt, *μέτρον καὶ μέτρον*, non erit menſura, & menſura; alibique ſæpius *μέτρον* pro ephi vſurpant. *Exod. 16. verſ. 36. Iſai. 5. verſ. 10. Zachar. 5. verſ. 16.* Quo poſtremo loco Hieronym. pro ephi amphoram expreſſit. qua voce, vt optimè notauit Ribera, amphora non denotat certam menſuram, ſed pro quauis menſura in vniuerſum ponitur. Permulta ſimilia alibi fuerit obſeruare. Vnde colligas non perpetuò colligi naturam & capacitatem menſuræ Hebraicæ ex natura menſuræ Græcæ ac Latinæ, quæ ipſi in verſione Græca aut Latina ſubſtituta fuit, cum neceſſariò ſibi ad æqualitatem non reſpondeant. His annotatis.

Ordior ab aridorum menſuris, quorum maxima corus, qui quoque adhibebatur *lib. 3. Reg. c. 5. verſ. 11. Salomon autẽ præbebat Hiram viginti millia coros tritici in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei. Ezechi. 11. cap. 45. verſ. 5. Batus olei decima pars cori eſt* : atque alibi ſæpius. Quare Agricola. *lib. 7. de extern.* malè negat corum fuiſſe liquidorum menſuram. De vocis Hebrææ *cor* כור ethymo plura Villalpand. *lib. 3. apparat. cap. 9.* Græci dixerunt *κόρον σίτου, καὶ ἐλαίου*. Vocatur etiam Hebraicè *Homor*, ſiue *Comor*. חומר, quam vocem aliqui interpretan ur aceruum ſiue cumulum, quia illa menſurâ frumentum metiebantur. Inde aſinus dictus eſt chamor חמר ab aceruis cumuliſque portandis. Capacitas autem cori variè aſſignatur ab Auctoribus, difficiliſque eſt quænam potior ſit ſententia arbitrari. Ioſeph. *lib. 15. cap. 12.* ipſi tribuit medimnos Atticos decem. Cùm autem medimnus contineat ſex modios Romanos, vti fuit expoſitum, corus capiet modios ſexaginta, Hieronymus tamen illi tantùm tribuit modios triginta, Ezech. 45. ad illud *Statera iuſta*. Et in Leuit. *c. 27. verſ. 11.* Et Iſai. 5. *verſ. 10.* Atque in commentariis pro coro ſubſtituit triginta modios. Quod & affirmat Epiphan. vbi etiam ait corum eſſe cameli onus, & *leleth* eſſe dimidium cori, & capere quindecim modios, quantum iuuenis leuare poteſt, & aſinus portare. Camelorum autem pondus eſt ſine dubio duplo maius, nullus verò eſt tanta laterum firmitate qui 30. modios leuare & aſino ferendos imponere poſſit, quin & aſinus ſub pondere fatiſcaret, ſexaginta verò modios ne camelus quidem ferat. Quare Diodor. *lib. 3. cap. 12.* pro miraculo refert in Arabia quoſdam camelos reperiri qui decem medimnos ferant. Nempe quia commune ipſorum onus multò leuius eſt, & dimidio minus, ſcilicet triginta modiorum, qui conficiunt medimnos Atticos quinque, vti conſtat ex ſuperiori articulo : Atque huic ſententiæ adhæſit Alcaz. in Synopſi menſurarum, ſicut & Mariana, qui ad Ioſephum reſpondet, eius textum ſæpius in numeris vitiatum eſſe. Nam *lib. 3. extremo* ait coros farinæ ſeptuaginta efficere medimnos Siculos 31. Atticos 41. quod quis credat. Addit Mariana, ſicut pondera erant duplicis generis, quædam publica & communia ad commercia, alia Sanctuarij, quæ erant duplo maiora communibus, ſic & fuiſſe duplicis generis menſuras publicas & Sanctuarij, quæ & ipſæ duplo maiores cæteris eſſent. Et Ioſephum cùm attribuit coro medimnos Atticos decem, locutum fuiſſe de coro ſanctuarij; Hieronymum verò, qui triginta modios coro aſſignat, & duplo minorem facit quàm Ioſephus, agere de coro communi & publico. Verùm iſtam publici & ſacri ponderis diſtinctionem reiecimus alibi, neque hoc loco in menſuris admittenda videtur, quod fuſiùs oſtendit Alcazar *propoſit. 11.* Villalp. autem *c. 10.* quamuis neget maiores menſuras Sanctuario, minores autem plebi fuiſſe deputatas; concedit tamen duplicem fuiſſe corum : maiorem vnum, minorem alterum, cùm geminus fuerit batus, vti poſt paulò dicemus. Nam cùm batus foret decima pars cori, corus qui denos batos maiores continebit, ſeſquialter erit minoris cori, totidem batos minores continentis, quoniam hæc eſt bati ad batum proportio. Idcirco *cap. 9. lib. 3. apparat.* coro tribuerat Romanos modios quinque & quadraginta, Græcas metretas decem, Romanas amphoras quindecim. Quia certum eſt ephi eſſe decimam partem cori, ſicut & batum : Ephi autem continet quatuor modios cum dimidio, eſtque æqualis bato minori, quod ſi faceremus ephi æqualem maiori bato, erit corus & ephi ſeſquialtera proportione maior, ita vt corus vini aut olei contineat amphoras viginti duas cum dimidia, vrnas videlicet quinque & quadraginta, frumenti verò corus modios ſexaginta ſeptem cum dimidio, medimnos vndecim cum quarta inſuper medimni parte. Tota itaque difficultas eſt in aſſignanda capacitate Ephi & Bati, cum vterque ſit decima pars, cori, vti ſæpius monuimus ex Ezech. 45. *verſ. 11. Ephi & Batus æqualia & vnius menſuræ erunt : vt capias de-*

cimam

cimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi; iuxta menſuram eorum erit æqua libratio eorum.

12 Ephi igitur eſt menſura aridorum, ſicut & Batus liquidorum, eſt decima pars cori, continet ex communi opinione modios tres Romanos, ſextarios quadraginta octo. Nam Iſai. 5. *verſ.* 10. Hebraice legitur *Corus ſementis faciet ephi*. Vulgatus reddidit triginta modij facient modios tres: quod ipſum affirmat Alcazar. Erit igitur ephi æqualis amphoræ Romanæ, quæ tres modios capit. Verùm iſtos tres modios in ephi contentos interpretatur Villalpand. *cap.* 10. de modiis Hebraicis, quæ ſata dicuntur, quorum quodlibet modium vnum Italicum continet cum dimidio; ideoque ephi continebit Romanos modios quatuor cum dimidio. Coruſ verò Romanos modios quadraginta quinque, Hebræos autem triginta, ſicut ephi tres modios Hebraicos, ſiue tria ſata. Quare ſi quando ephi dicatur amphora, vti Zachar. *cap.* 5. *verſ.* 13. *Amphora egrediens*. Hebraice *epha*: id fit propter ſimilitudinem quandam, quia ſicut ad dimetiendas fruges amphora diuiditur in tres modios, ita & ephi in tria ſata. Eadem ratione modios triginta, quos coro tribuunt Hierony. & Epiphan. nuper allati, de modiis Hebraicis, ſiue de ſatis, exponit. Et ſanè diuerſum modium à Romano atque etiam ſato Hebraico, Epiphanium agnouiſſe conſtat ex eo quod meminerit alicuius modij viginti duos ſextarios habentis. Et neque in illa aliiſve menſuris cum Ioſepho conſentit, quare vel Epiphanius aliarum Gentium menſuras Hebræis tamen nominibus recenſet, vel in numeros librarij vitio mendum irrepſit.

13 Satum menſura quoque certa fuit, cuius meminit Scriptura *Geneſ* 18. *verſ.* 6. *Num.c.* 5. *verſ.* 1. *Regum cap.* 25. *verſ.* 18. 1. *Paralip. cap.* 2. *verſ.* 10. Vbi cum dicat olei ſata viginti millia, vides ſatum non aridorum modo, ſed liquidorum quoque menſurâ fuiſſe. Matth. *c.* 13. *verſ.* 33. vox *ſati*, vel Hebræi, vel Syria eſt; quam paſſim Hieron. reddit modium, non quod ſatum & modius æqualis forent capacitatis; ſed quia ſicut Romani modiis, ita Hebræi ſatis fermè omnia metiebantur, aut ad eam menſuram paſſim alias, vel multiplicando, vel minuendo redigebant. Cæterùm non eandem fuiſſe ſati & modij capacitatem apertè affirmat Hieronym. *lib.* 2. *comm. in Matth. ad illius caput. XIII Satum*, inquit, *genus eſt menſuræ iuxta morem prouinciæ Paleſtinæ, vnum & dimidium modium capiens*. Ioſeph autem *lib.* 9. *cap.* 2. eadem affirmat. Cùm igitur modius Romanus conſtet 16. ſextariis, ſatum quatuor & viginti ſextarios habebit, quot nimirum ſunt in vrna Romana, atque adeò ſatum & vrna æqualis erunt menſuræ. Et ephi tria ſata continens, tres quoque vrnas continebit, ſextarios duos & ſeptuaginta, quot nimirum in Græca metreta eſſe docuimus. Mariana non improbat communem ſententiam, ſatum cum modio Italico coæquantem, eo quod non modo vulgatus modium ſato ſubſtituat; ſed Hebræi paſſim affirment ſatum continere ſex cabos: cabus autem continet Hebraicos ſextarios quatuor, qui cum Romanis comparantur proportione ſeſquialtera. Quare 24. ſextarij Hæbraici, ſiue ſex cabi continebunt quantum ſextarij Romani ſexdecim, qui efficiunt præcisè modium Italicum. Alcazar quoque non abeſt ab hac ſententia. Vide alia apud Lorio. *in cap.* 5. *Num. verſ.* 15.

14 Gomor cuius in Exodo frequens eſt mentio, eſt decima pars ephi, vti diſertè traditur *Exod.* 16. *verſ.* 36. ideóque nominabatur paſſim *Ghaſaron*, hoc eſt decima. Et Ioſeph paſſim *Aſſaronem* dicit. Et *Leuit. cap.* 24. *verſ.* 5. de panibus propoſitionis. *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas* Hebraicè duarum vel duorum aſſaron. Chaldæ. duarum decimarum erit placenta vna. Si igitur ephi, vti contendebat Villalpand. continet quatuor modios Romanos cum dimidio, qui efficiunt ſeptuaginta duos ſextarios; gomor qui eſt ephi decima pars continebit ſextarios ſeptem cum quinta inſuper ſextarij parte. Quod ſi cum alia communiori opinione ephi tribuamus tantum tres modios Romanos, ſiue ſextarios quadraginta octo; gomor continebit ſextarios quatuor, & quatuor quintas inſuper ſextarij. Hinc colliges quanta eſſet magnitudo panum propoſitionis, cum ſinguli haberent duo gomor: hoc eſt, ex Villalp. quatuordecim ſextarios cum duabus quintis vnius ſextarij. Ex communi autem ſententia octo ſextarios, & aliquid amplius. Cibus verò diurnus fuit mannæ gomor.

Cabus eſt minima aridorum menſura, eius 15
mentio fit *libro* 4. *Regum capitul.* 6. *verſ.* 25. vbi de fame Samaritana, in qua vendebatur *quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis*. Ioſeph *lib.* 9. *antiq. cap.* 2. interpretatur quinque argenteis ſextarium fimi columbarum emptum fuiſſe pro ſale. Cabus igitur conſtabat quatuor ſextariis, & cùm ſatum quatuor & viginti ſextarios contineat, ſex cabos omnino continebit. Sanè Arias Montanus lib. de ſato, ait quartam cabi partem vocatam *Robagli*, vt diceres quartum & æqualẽ fuiſſe *Logun* ſiue *Logh*, de quo mox. Difficultas eſt eſt an Ioſephus de ſextariis Romanis vel Hebræis loquatur; nam Romanus ſeſquialtera proportione comparatur cum Hebræo, illum enim & ſemiſſem capit. Si itaque de ſextario Hebræo agatur, vti probabiliùs putat Mariana, cabus capiet quatuor ſextarios Hebraicos, duos verò Romanos, & dodrantem ſextarij, nempe tres quartas. Alij volunt quatuor ſextarios etiam Romanos contineri cabo: contendunt Hebræi hac menſura capi quantum homini cibi ſufficit in diem; & frumenti cibum ſeri in cubitis decem quoquo verſis. Summam igitur menſurarum aridorum ſubiicio ex Marian.

Corus continet ephi 10. ſata 30. gomor 100. cabos 180.

Ephi continet ſata 3. gomor 10. cabos. 18.

Satum gomor $3\frac{1}{3}$. cabos 6.

Gomor continet cabos $1\frac{4}{5}$.

Cabus minima aridorum menſura continet quatuor loghum ſiue, ſextarios.

Reſtant liquidorum menſuræ, in quibus prima 16
ac cæterarum norma eſt batus ſiue badus, cuius meminit Ezechiel *cap.* 45. *verſ.* 11. *lib.* 1. *Eſdræ. c.* 7. *verſ.* 22. & *lib.* 3. *Regum cap.* 7. *verſ.* 26. Decima fuit pars cori, vti ait Ezech. atque adeò æqualis menſuræ cum ephi, quod erat eiuſdem cori decima, & eius cum bato æqualitatem diſertè tradit Ezechiel. Communis Interpretum ſenſus bato tribuit ſextarios ſeptuaginta duos. Conſentit Epiphan. lib. de menſur. atque Ioſeph. *lib.* 8. *cap.* 2. Vulgatus quoque *lib.* 2. *Paralipom. cap.* 4. *verſ.* 5. pro ter mille batis, vti habet Hebræus textus, reddidit ter mille metretas: conſtat verò metretam capere 72. ſextarios. Verùm manet grauis omnino difficultas; quia cùm ephi & batus æquales inter ſe ſint, & vterque decima pars cori exiſtat, & Ioſephus, vti nuper monebamus, coro tribuerit decem medimnos Atticos; ephi neceſſariò continet ſex modios Italicos.

Italicos, ſextarios Romanos nonaginta ſex: quod ſi ephi demus tantum tres modios Italicos, continebit ſextarios quadraginta octo: ſi verò cum Villalpando demus tres modios Hebraicos, hoc eſt tria ſata, capiet quatuor modios cum dimidio, & tunc capiet ſextarios ſeptuaginta duos. Verùm batus non erit eo caſu æqualis amphoræ Romanæ, quæ capit dumtaxat 48. ſextarios. Exponenda igitur erit communis opinio de ſextariis Hebraicis, qui, vti iam monui, comparantur cum Hebraicis proportione ſeſquialtera. Quare 48. Romani efficiunt 72. Hebraicos. An verò de illis loquantur Ioſeph & alij, qui batum Romanæ Amphoræ æqualem faciunt, lis eſt, cùm ſextarios Romanos potiùs, aut Atticos videantur ſignificare; Græcis enim & Romanis ſcribunt, illiſque menſuras Hebraicas explicant. Deinde grauis difficultas oritur ex eo quod *3. Reg. 7. verſ. 26.* Mare Æneum dicatur continere duo millia batos. At verò *2. Paralipom cap... verſ. 5.* ter mille Batos Hebraicè, Lxx. reddunt tria millia metretas. Atque in priori illo loco Lxx. in Codice Complutenſ. habẽt *δυο χιλιάδας χ·εις ἐχώρει*, in Sixtino autem, tum Latino, tum Græco codice hæc omittuntur, nihilque de de Maris Ænei capacitate definitur. Verùm cùm vtroque loco Hebræus textus batos habeat duos, quomodo mille bati dicuntur implere capacitatem Maris Ænei, quod alibi ter mille capere dicitur *χωροῦσα μετρητὰς τρισχιλίους*. Deinde metreta tantumdem capit quod Batus, id eſt congios duodecim, ſextarios verò 72. Secum igitur pugnant Auctor libri Regum & Paralipomenon, cùm vnus duo mille batos aſſignet Mari Æneo, alter ter mille metretas, quarum ſinguiæ bato æquiualent, & 72. ſextarios continent, quot nempe Ioſeph communiſque opinio bato tribuit. Quare male omninò reſpondet Vatablus libros Paralipomenon ſupplere quæ in libris Regum fuerant omiſſa. Nam hoc loco non modo numerus ab Auctore libri Regum omiſſus ponitur, ſed contrarius aſſeritur. Quomodo enim impleri poterit vas bis mille menſuris certis, ſi ter mille illis æquales capiat? Caietanus duplicem impletionem Maris Ænei fingit, vnam vſque ad ſummum labrum, quæ requireret ter mille batos; & minorem quæ non implebat totam omnino capacitatem ad ſummum vſque labrum, & non niſi duo mille batos requirebat; quia Hebraicè legitur *fortificare faciens tres mille batos capiebat.* Id eſt vti exponit Ribera, qui Caietano adhæſit. *lib. 2. de Templo cap. 16.* ſi quis illud fortificaret, & tantùm infunderet, quantùm capere cupiebat. Quæ expoſitio iure meritò reiicitur à Villalpando *cap. 8. lib. 3. apparat.* quia cùm capacitas vaſis alicuius explicatur in communi & proprio ſermone, diciturque continere certam aliquam menſuram, de eo impleto loquimur. Quare idem Villalpand. Lyran. & Abulen. faciunt duplicem batum, minorem vni æqualem metretæ, maiorem alterum, qui minorem ſeſquialtera proportione ſuperaret, & metretam atque dimidam contineret; atque adeo bis mille bati tres mille metretas continebant; ideóque non pugnant inuicem libri Regum, & Paralipomenõ, verumque eſt Mare illud Æneum cepiſſe bis mille batos, & tres mille metretas, ſiue batos minores, qui æquiualent bis mille batis maioribus. Ioſephus verò, & cæteri qui bato tribuunt ſeptuaginta duos ſextarios, loquuntur de minori bato, qui metretæ æqualis eſt. Vnde colliges quoque capacitatem bati maioris qui minorẽ ſeſquialtera proportione, vti diximus, ſuperabat. Cùm igitur batus minor, ſiue metreta habuerit ſextarios 72. & illũ batus maior medietate ſuperarẽt, addendi ſunt 36. ſextarij, qui cum 72. efficient cẽtum octo ſextarios, ex illis quos amphora habuit 48. quæ fuit menſura bati maioris. Quare tres illæ menſuræ Amphora, Batus maior, & Batus minor habẽt inter ſe proportionem, quam hi tres numeri 108. 72. 48. qui ſi ad minores terminos reducantur iuxta Arithmeticæ regulas, dabunt hos, 9. 6. 4. Sũt & alij qui decimam bati partem, batum quoque in ſcriptura nominari volunt, atque ita 40. batos quos luteres capiebant, eſſe tantum 4. ex maioribus illis quorum duo millia Mare Æneũ capiebat. Itaque vides tria genera batorum inæqualis omnino magnitudinis. Maior qui continet ſextarios 108. ſiue metretam cũ dimidia, & proportione ſeſquialtera minorẽ ſuperat. Minor verò continet ſextarios 72. eſtque æqualis metretæ, & denique minimus batus, qui ſit tãtum decima pars bati, quod poſtremũ probatur ex Ioſepho *lib. 8. antiq c. 2.* ait enim Salomonem miſiſſe ſingulis annis Hiramo Tyrio Regi bis mille batos olei, & tot dem vini. Et tamen *lib. 2. Paralipom. c. 2. verſ. 10.* dicitur miſiſſe *vini viginti millia metretas, olei quoque ſata viginti millia.* In Hebræo verò batus, loco ſati & metretæ ponitur: miſit igitur Salomõ vini batos viginti millia & totidem olei. Vel igitur Ioſeph cũ Scriptura pugnat; vel bati nomẽ in eo loco ſcriptura pro decima parte bati maioris vſurpauit. Verùm hæc ratio ab Alcazar, Mariana, Villalpand. & cæteris ſæpius reiicitur, cùm non ſit facienda vis Scripturæ, aut nouæ menſuræ excogitandæ, vel veteres multiplicandæ, vt Ioſephum alióſve Auctores cum illa conciliemus, maximè cùm nihil aliud vrget, quàm eiuſmodi Auctorum, qui in ſua opinione ſingulares ſunt, diſſenſio., & quam ſæpè Ioſeph cæſpitarit, atque à Scriptura aberrauerit frequenter obſeruat Salian. in ſuis annalibus. In numeris autem vitiatum fuiſſe eius textum nos quoque aliquando monuimus. Atque in hoc ipſo loco in quo diſputat de muneribus à Salomone miſſis Hiramo, demõſtrat Alcazar *propoſit. 13. de menſur.* Sanè Ioſeph ait menſuram iſtorum batorum vini & olei, quos miſit Salomõ, fuiſſe ſextariorum 72. Non poſſunt igitur illi bati de quibus agit *lib. 2: Paralipom. c. 2. verſ. 10. citato*, fuiſſe decima pars batorum, quorum duo millia capiebat Mare Æneum.

Alcazar triplicem quidem batum inæqualis ca- 17
pacitatis admittit, ſed longè alia ratione. Primum, & maiorem quem adæquat amphoræ Romanæ capiẽti 960. vncias aquæ. Eiuſmodi batos quadraginta capiebant Templi Luteres. Minor batus continet aquæ vncias 100. & bis mille eiuſmodi batos capiebat Mare Æneum. Denique minimi omnium bati cõtinebant 66. vncias, & ter mille ipſorum replebãt Mare Æneũ, vt dicitur *lib. 2. Paralipom* quæ omnia ſingulatim hoc modo demonſtrat Alcazar.

In primis enim *propoſit. 12.* cõſtituit Mare Æneũ fuiſſe perfectum hemiſphærium; id enim & Ioſeph *lib. 8. c. 2.* aſſerit, & ſcriptura indicat *3. Reg. c. 7. verſ. 23.* dum ait eſſe rotundum in circuitu, quod de perfecti hemiſphærij figura paſſim commentatores explicant: Neque labium lilij repandi eiuſmodi figuram impediebat, quia vel ea curuatio lilij erat in externa tantum facie, illæſa interiori figura hemiſphærij, vel ſi ea curuatura ab interna facie incipiebat, illa molliter aſſurgebat, vt nulla appareret ſenſibilis figuræ hemiſphærij ublæſio, nõ obſtabat etiã reſticula triginta cubitorum, quæ Mare Æneũ cingebat. Quamuis enim diameter Maris Ænei ex parte concaua eſſet decem cubitorũ, cui ſi addatur hinc & inde palmus, quæ eſt craſſitudo Maris Ænei, neceſſariò diameter à parte cõuexa futurus ſit

cubitorũ decẽ & ſemis, diametro verò cubitorũ decem & ſemis reſpondeat circumferentia triginta trium cubitorum ex Archimedis regula: quia tamen illa reſticula non cingebat ipſum labium, ſed ſub ipſum ducebatur quaſi quidam limbus, non conſtabat neceſſariò amplius triginta cubitis. Vnde etiam colligitur hoc vas non fuiſſe cylindrum, cylindri enim latitudo non minuitur paulatim deorſum, ſicut latitudo hemiſphærij. Villalpand. exiſtimat reſticulam fuiſſe quidem 33. cubitorum, ſed ſcripturam maiorem dumtaxat numerum 30. minori trium qui ſuperetant, relicto, notaſſe: hinc autem ſequeretur interiorem diametrum non fuiſſe præciſè decem cubitorum; præterquam quod ea reſponſio minoris numeri non expreſſi viam facilem aperit, ſcripturam pro arbitrio corrumpendi. Quare ſatiùs multò fuerit triginta cubitos quos ſcriptura exprimit dumtaxat retinere, quod commodè fiet ſi illam reſticulam aliquantulum deprimas, vt dixi.

Statuit 2. Alcazar *ead. propoſit. littera D.* luteres fuiſſe perfectos cylindros, oſtenditque eam fuiſſe Ioſephi mentem dum hos luteres vocat *στρογγύλους χυθρογαύλους*. Eorum verò latitudo, & altitudo erat quatuor cubitorum; ait enim ſcriptura *lib. 3. Reg. cap. 7. verſ. 38. Erantque quatuor cubitorum.* Quæ verba non potius ad altitudinem, quam ad latitudinem referuntur. Quare ſapienter Ioſeph vtramque illam dimenſionem expreſſit, & tum altitudinem, tum latitudinem quatuor cubitorum eſſe dixit.

Ex hac verò cylindri figura quatuor cubitorum in altitudinem, & totidem in latitudinem, quam tribuit luteribus, colligit Alcaz. batos, quorum 40. ſinguli luteres capiebant, non fuiſſe eiuſdem menſuræ cum batis, quorum duo millia Mare Æneum capiebat, ſed multò maioris, quod deinde demonſtrat *propoſit.* 14. quia cùm Mare æneũ foret hemiſphærium, eiuſque diameter eſſet decem cubitorũ, neceſſariò continebat 500. ſphæras vnius cubiti: nã ſphæra 10. cubitorum tantum capit, quantũ capiũt mille ſphæræ vnius cubiti. Vnde ſequitur hemiſphærium capere 500. Simili ratione oſtenditur cylindrum cubitorum 4. in altitudinem, & totidem in latitudinem capere iuſtas ſphæras 96. cubus enim quaternarij eſt 64. Igitur eiuſmodi cylindrus continebit eandem aquæ menſuram quam caperent 64. cylindri vnius cubitj. Rurſus Archimedes demonſtrauit cylindrum eſſe ſeſquialterum ad ſphæram ſibi inſcriptam, atque adeo 64. cylindri idẽ omnino & tantumdẽ capient quantũ ſphæræ 96. Cùm igitur Mare Æneum contineat 500. ſphæras vnius cubiti, & ſinguli luteres 96. ſequitur ſicut 500. ad 96. ita Maris Ænei capacitatem ſe habere ad ſingulos luteres. Quare ſi ſphæræ 500. Maris Ænei capiunt bis mille batos; ſphæræ etiam 96. cuiuſcũque luteris complebunt 384. batos eiuſdem menſuræ. Si autem hi bati 384. ad numerum 40. maioris menſuræ reducantur, quilibet ex batis illis 40. maioribus continebit ex minoribus $9\frac{3}{5}$. ex regula partitionis. Et ſicut $9\frac{3}{5}$. ad 1. ita 48. ad 5. Atq; adeo euidens eſt ſingulos luterũ batos habere ſe ad eos ex quibus Mare Æneum capiebat duo millia, ſicut 48. ad 5. Præterea ſinguli bati ex 40. quos quilibet luter capiebat, ſe habebunt ad ſingulos batos, quorum tria millia Mare Æneum capiebat, ſicut 48. ad $3\frac{1}{3}$. Nam 5. ad $3\frac{1}{3}$. perinde ſunt vt 3. ad 2. & ſicut 48. ad $3\frac{1}{3}$. ita 72. ad 5. Denique ex illis omnibus conſtat Mare Æneũ paulò plus capere quàm quinque luteres; quippe Mare Æneum capit tantũ 500. ſphæras vnius cubiti, & quilibet luter capit ſphæras 96. ac proinde quinque luteres cõtinent ſphæras vnius cubiti 480. Quare exceſſus Maris Ænei ad quinque luteres eſt ſolum viginti ſphæarum vnius cubiti. His poſitis de multiplici bato.

Probat Alcaz. *propoſit.* 14. maiorem batum & ephi fuiſſe æquales menſuras, & eiuſdem cum Romana amphora capacitatis vnciarum aquæ 960. Atque in primis reiicit illorum opinionem qui batum componebant cũ metreta Syriaca, cuius Cleopatra, & Nicandri interpres meminere, quæ contineret ſextarios Italicos 120. id eſt aquæ vncias 2400. Villalp. tamen emendat vulgatem Cleopatræ lectionem, & legit ſextarios Italicos 108. qui continent aquæ vncias 2160. Ideoque proportio bati ad metretam Græcam erit veluti binarij numeri ad ternarium. Atque ita explicant quomodo duo millia batorũ Maris Ænei dicantur in alio loco ter mille metretæ; Fannius enim tribuit Græcæ metretæ ſextarios Italicos 72. hoc eſt vncias 1440. Et ſicut 3. ad 2. ita 2160. ad 1440. Facile autem fuit mendum in Cleopatræ textum irrepere, inter 20. & 8. cùm eorum characteres Græci ſimillimi ſint κ, & η. Aliqui igitur Bato tribuunt vncias 2400. alij 2160. ſed neutra harum opinionũ firmo nititur argumento, cùm non conſtet, Syram metretã, cuius meminit Cleopatra, eſſe Hebraicum batum, niſi aliunde probetur, & apertè conſtet ea quæ de bati capacitate grauiores Auctores tradunt, cum iis quæ de illa menſura Syriaca habet Cleopatra, conſentire. Quod autem de metreta Græca ait Villalp. non oſtenditur niſi ex eo quod bis mille bati dicantur *in lib. Paralipom.* eſſe ter mille metretas. Verũ cùm iam docuerit Alcaz. illos bis mille Batos non fuiſſe ex maioribus, quales erant illi quorum 40. ſinguli luteres capiebant, ſed ſolùm decimas, aut paulò plus quàm decimas maiorum batorum partes; non poteſt nomen metretæ pro Græca amphora, & certa menſura vſurpari cùm Mari Æneo tribuuntur tria millia metretarum; ſed pro menſura in vniuerſum, non exprimendo & definiendo vnam aliquam determinatam; quod non eſſe inſolens LXX. ipſique vulgato initio monuimus. Ait igitur Alcazar ephi & batum quæ inter ſe æqualia eſſe conſtat ex Ezechiele, eandem habere capacitatem cum amphora Romana, quæ præciſe cõtinet 960. vncias aquæ, ſiue tres modios Romanos. Modius autẽ capit aquę vncias 320. quare tres modij capiẽt vncias 960. eaque eſt Epiphanij, Hieronymi aliorumq; mens, qui bato tres modios concedunt, quibus adhæſit Mariana *c. 16. de menſur.* vti nuper referebamus. Accedit Arias Montan. qui ex antiqua traditione Hebræorũ bato tribuit 432. oua, nimirũ gallinacea; deprehẽditque Mariana experientià nouem ouis contineri aquæ vncias 20. Igitur per regulam trium, ſi nouem oua capiunt 20. vncias, oua 432. capiẽt vncias aquæ 960. Deinde tũ antiqua illa traditio apud Ariam, tum ipſe Ioſeph *lib. 8. cap. 2.* tribuit bato 72. logh, qui ſunt ſextarij Hebraici; eademque traditio ſingulis logh tribuit oua ſex. Si autem nouem oua continent vncias aquæ 20. ſex oua, inquit Mariana, eiuſdem magnitudinis efficient pondus iuſtiſſimum tredecim vnciarum, & tertiæ inſuper partis vnciæ, quæ duella dicitur Latinis. Atqui numerus $13\frac{1}{3}$. bis & ſeptuagies repetitus, complebit vncias 960. Plura alia in hanc ſententiam adducit Alcazar. Neque obiicias pro 40. batis quos capiebant ſinguli luteres LXX. reddere choas, alij autem congios, *ἐποίησε δέκα χυτροκαύλους χαλκοῦς τεσσαράκοντα χοεῖς χωροῦντα τὸν ἕνα χυτρόκαυλον μετρίου τεσσάρων πηχῶν* Aliqui habent *χυθρογαύλους*: *Fecit decem chytrocaulos aneos, quadraginta choas capien*

capientem vnum chytrocaulum menſura quatuor cubitorũ. Atqui χῦς, ſiue choe & chus eſt pars 12. Græcæ amphoræ, vel 8. Romanæ, & tamẽ facimus iſtos luterum batos Romanæ amphoræ æquales. Verùm vox illa χῦς aliquando ſignificat determinatam illã menſuram, quæ eſt octaua pars Romanæ amphoræ, ſiue quæ ſex ſextarios & 12. cotylas capit: & denique congius aliàs ſumitur pro vaſe valde capaci, à verbo χέω, vel χεύω. Cùm verò ingens fuerit luterũ capacitas, vt ex 4. cubitorum in latitudinem & altitudinem conſtat; non poteſt nomen χῦς in his batis accipi pro congio, qui tantùm ſex Atticos ſextarios capit. Sed vt hos batos manos eſſe ſignificarent LXX. χόας dixerunt, hoc eſt capaces; quaſi ſignificarent ſingulos loteres cepiſſe 40. ingentes menſuras. Neque id mirum videri poterit in voce χῦς, ſi conſideres idem contigiſſe in voce ſextarij, qui eſt ſexta congij pars. Cleopatra nihilominus agẽs de metreta Syra, illi tribuit ſex ſextarios Syros, qui tamẽ comprehendunt Italicos 120. Quare ſextarius qui eſt ſexta pars metretæ Syræ, continet 20. ſextarios Romanos. Mirum igitur non eſt maiori bato dari nomen congij, aut choæ, licet 8. congios Romanos, ſiue choas contineat. Ex his omnibus tãdẽ concludit Alcazar *propoſit.* 14. maiorem batum æqualẽ eſſe Romanæ amphoræ capienti 960. vncias aquæ. Cum verò maior batus luterũ ſe habeat cum ea menſura, quæ Mari Æneo tribuit bis mille batos, ſicut 48. ad 5. vti fuit oſtenſum, ex his manifeſte ſequitur ſingulos batos ex illis quorum duo millia capit Mare Æneum, continere vncias 200. Nam ſicut 48. ad 5. ita 960. ad 100. Denique cùm oſtenſum fuerit ter mille batos, quos vulgatus metretas nuncupauit *in lib. 2. Paralipom.* ſe habere ad batos maiores ſicut 5. ad 72. ſequitur eorum ſingulis ineſſe vncias aquæ *66* $\frac{2}{3}$. nã ſicut 72. ad 5. ita 960. ad *66.* $\frac{2}{3}$. Ad extremum concludit Alcazar ex ea computatione Mare Æneũ capere dumtaxat vncias aquæ ducenta millia, quæ complent Romanas amphoras 4500. quibus adiecit aquæ vncias plures quam 205000. qua ratione ſingulis bobus ferendæ ſunt amphoræ Romanæ 392. & amplius. In tanta opinionum diuerſitate tuum erit quam libuerit amplecti, modò illi cætera deinde apte cohæreant. Pergo ad alias menſuras.

28 Hin cuius meminit *Exod. c. 29. verſ.* 40. & *c.* 30. *verſ.* 24. & *Leuit.* 19. *verſ.* 36. Hebraice Hin, LXX. χῖν, vulgat. ſextarium poſuit. Capit hin duos choas Atticos ex Ioſeph *lib. 3. antiq. cap.* 10. Hieronym. ad Ezechiel. cap. 4. & aliis; hoc eſt duos congios. Fannius enim de ſextario loquens ait.

Qui quater aſſumptus fit Graio nomine chœnix,
Adde duos, chus fit vulgò qui congius idem.

Conſentiunt Cleopatra Galen. Dioſcorid. qui choæ Attico tribuũt ſex ſextarios, cotylas duodecim. Quare ſi hin duos choas capiat, ſextarios duodecim cõtinebit, ſiue vt loquũtur Hebręi duodecim loghin. Duodecim autẽ ſextarij Hebræi ſiue loghin 8. Romanos exæquant. Epiphan. ait hin magnum, eſſe ſextariorum octodecim; ſanctum verò ſextariorum nouem, quod ſe minimè intelligere fatetur Mariana, perſtandumque in eo exiſtimat, vt duodecim ſextarij Hebraici tribuantur hin; octo Romani, qui enim duos choas ſiue congios continere dixerunt, ſextariorum numerum, non modum, & eorum apud diuerſos diuerſam capacitatem attenderunt.

19 Log de quo meminit *Leuit. c.* 14 *verſ.* 10. *&* 12. 15. 21. *&* 24. vbi vulgatus reddit olei ſextarium, LXX. κοτύλην, Hæbraicè habetur *log*. Eſt verò cotyla ſextarij dimidium. Nomine porrò ſextarij Mariana Hebraicum intelligit, qui minor eſt Latino proportione ſeſquialtera, quod probat ex communi Hebræorum ſenſu, qui dicunt log tantum capere quantum ſex oua; illa autem vti experimento comprobauit ipſe Mariana, & nuper nos ipſi ex eo referebamus, capiunt aquæ, aut vini pondus vnciarũ tredecim, & tertiæ inſuper partis vnciæ, id eſt ſextarium Hebraicum. Nouem autẽ oua eiuſdem magnitudinis efficient pondus iuſtiſſimum viginti vnciarum, quod eſt Romani ſextarij pondus. Volunt itaque Hebræi quod Oleaſter & Lorin. in illũ Leuitici locum referunt log, eſſe 24. partem ſati, ſatũ verò tertiam partem ephi, quorum decem conficiũt corum; atque ita log eſſe minimam menſuram, quæ vt dixi, ſex oua contineat, quæ multiplicata per 24. conſtituent ſatum, nimirum oua 144. Si ſatum multiplicetur per tria; fiet menſura ephi, quæ capit oua 432. qui numerus ſi decies multiplicetur, exiſtent oua 4320. quæ corum efficient. Villalp. tamẽ *lib. 3. c.* 14. exæquat logum Romano ſextario, ſatumque Romanum ait conſtare 24. logis, ſiue ſextariis, & in ephi, ſiue in bato eſſe logos 72. & ſic falli Hebræos in allata menſurarum ratione & adæquatione. Cùm enim ſint diuerſæ magnitudinis, definienda prius foret conſtituẽdaq; certa quantitas, vt ex ea deinde menſurarum capacitas certò conſtaret, & eadem atque inuariata maneret. Ouũ quidem fuiſſe genus minutæ menſuræ æqualis duobus cyathis Romanis, quæ nomen a figura oui ſumpſerunt, cõſtat. Itaque in hin comprehenduntur logi ſiue ſextarij duodecim; ac proinde oua 72. Hin autem eſt vrnæ dimidium, amphoræ quarta pars, metretæ ſiue bati minoris ſexta, maioris bati nona, Romani culei octogeſima, Hebræi cori ſexageſima. Quarta pars hin ſunt tres logi ſiue ſextarij, tertia quatuor, mediũ eius ſex, ſexta pars duo. Ita quidem ex computatione Villalpandi. Quod verò attinet ad cotylam quã pro logo LXX. ſubſtituerunt, quæ æqualis eſt ſemiſextario, & heminæ correſpõdet, vti alibi diximus, hîc, vt iam monui, pro ſextario vſurpatur, atque vt menſuras Hebraicas compendio reddam.

Batus continet ſex hin, logos 72. oua 432.
Hin continet logos 12. oua 72.
Log continet oua 6.

ARTICVLVS VI.

De menſuris linearum, ſiue interuallorum.

Menſura ſumpta ex humano corpore. 1.
Romanus pes. 2.
Diuiſio pedis. 3.
Palmus. ibid.
Cubitus. 4.
Greſſus, paſſus, ſtadium & alia quædam menſura longitudinum. 5.
Græcorum menſura. 6.
Hebræorum menſura. 7. 8. 9.

OBſeruandum in primis eſt omnes interuallorum vel linearum menſuras ſumptas eſſe ex 1
proportione, quam habent inter ſe humani corporis menſuræ, & partes, ab iiſque denominari, idque omnibus gentibus commune fuit, quod oſtendit Villalp. *lib. 3. appar. c.* 15. & *c.* 16. agnouitque Vitru. *lib. 3. c.* 1. Vnde contendit Villalp. c. 17. apud omnes nationes eandem fuiſſe pedis, palmi, & cubiti, quæ ſunt præcipuæ menſuræ, rationem, & proportionẽ inter ſe: cuius contrarium exiſtimat Alcaz. *de menſur. propoſ.* 8. Quia cùm non omnes gentes eandem humanæ ſtaturæ menſurã ſumpſerint, ſed aliæ ma-

iorem, aliæ minorem, in eius quoque partibus deſignandis neceſſario diſſentire debuerunt. Pedem v.g. quem faciunt humanæ ſtaturæ ſextam partem, non eiuſdem menſuræ Latini & Græci, ſicut neque Hebræi, ſed inæqualis omnino conſtituunt. Quod idē in digito, palmo & cubito accidat neceſſe eſt, vbi in pedis menſura variatum eſt: appellant ſiquidem Architecti, vti Pollux, Heaichius, Suidas, Vitruuius, aliique docent, palmū quartā pedis partē, & digitum, quartam palmi: cubitum verò quartam ſtaturæ humanæ partē, quod eſt ſeſquidem cubito tribuere: quandoquidem pes eſt ſexta pars humanæ ſtaturæ. Quamuis hanc menſuratum cum humanæ ſtaturæ partibus proportionem minus exactā eſſe, minuſqoe cohærere fuſius oſtendat idem Alcazar, & nomen cubiti potiùs quam pedis ſextæ humani corporis parti tribuendū eſſe, quod voluerunt quoque Hypocrates, Ariſtoteles, Galenus, Medici, paſſimque Anatomiſtæ; atque ipſe fortaſſis Homerus. Nobis verò iſta expendere non vacat; quibus communis vſus loquendi retinendus omnino eſt. An verò dioerſæ nationes in his menſuris quibus omnes vtuntur, definiendis diſſideant, apparebit percurrendo ſingularum varias menſuras.

2 Ordior à Romanis, qui omnes menſuras ad pedē reuocant. Vnde Iulius Frontin. *de limitib. agror. Mēſura eſt, vt pes per vncias, per pedem decempeda, per decempedam actus, per actum paſſus, per paſſus ſtadiū, per ſtadium milliarium. Minima harum menſurarum pars eſt digitus. Si quid enim intra digitū metiamur, partibus re pendemus, vt dimidiam aut tertiam partē digiti.* Colum. *li.5.c.1. Modus omnis area pedali mēſura comprehenditur, qui digitorū eſt* XVI. *Pes multiplicatus in paſſus, & actus, & climata, & iugera, & ſtadia, centuriaſque, mox etiā in maiora ſpatia procedit.* Quæ omnia de areis dicta, ad lōgitudines poſſe traduci ſapienter monet Mariana *c.20. de menſur.* eo tamen diſcrimine, quod in areis pede quadrato, in longitudinibus pede ſimplici vtimur. Itaque tota difficultas harum menſurarum conſiſtit in definienda certa Romani pedis magnitudine. Triplicē enim refert Marian. *c.5.* minimā, mediocrē, & maximā ita inter ſe comparatas, vt maxima mediocrē ſuperet fermè ſicilico, id eſt 24. parte pedis: mediocris 48. Pes mediocris minimū ſuperet ſextula plus minus, hoc eſt parte pedis minoris 75. ſic pes maximus minimū ſuperat duella, hoc eſt minimi parte 36. Maximū pedem Philand. *in Vitruu. lib.3. c.3.* deprehendiſſe ſe ait Romæ ex columna Porphyretica, illumque pro vero pede Romano plures eruditi habuerunt. Mediocrem Leonardus Portius primus induxit ex marmorea baſi antiqui ſepulchri, quæ cū in hortis Angelij Colotij Romæ eſſet, Colotianus pes vulgò vocatur. Denique minimū pedē inuexit Pætus *lib.1. de ponder. & menſur.* ex trib. pedibus æreis à ſe obſeruatis: quis verò trium iſtorum pedum verus pes Romanus fuerit ad menſuras tāquam certa regula adhibitus, non ita eſt exploratū. Mariana minimum illum pedem à Pæto inuectum ex eo reiicit, quod cùm Romana amphora fiat ex pede Romano quadrato, ideoque quadrantal dicta ſit, vti monuimus aliàs, & capiat ſextarios XLVIII. quorum ſinguli pendeant XX. vncias in aqua & vino; ex illo pede minimo quadrato, non fiet amphora quæ capiat XLVIII. ſextarios illius ponderis, ſiue quorū ſinguli pendeant vel capiant viginti aquæ vncias: fabricatis deinde duobus congiis, vno ad menſuram pedis Colotiani, altero ad ſemipedē Porphyreticum, deprehendit Porphyreticum ſiue maximū eſſe verum pedē Romanum, quia congius eſt octaua pars amphoræ, & continet præciſè ſex ſextarios Romanos, fitque ex ſemiſſe pedis Romani quoquouerſùs. Atqui congios factus ex ſemiſſe pedis Colotiani continebat quidem ſex Romanos ſextarios vnciarum decem & octo, drachmarū ſeu octauarū ſex. Alter congios maior factus ex ſemiſſe pedis Porphyretici, capiebat ſex Romanos ſextarios vnciarum communium viginti ſingulos, atque ita amphora ex eo pede quadrato habet XLVIII. ſextarios, vnciarum etiam viginti ſingulos. Villalp. exhibuit pedē, & ſemipedem Romanum ſignatum in congio, & ſemicongio Farneſiano, eſtque tantillū maior Colotiano, & eo quē Pætus aſſignat, minorq; tantillū Porphyretico. Quare inter Marianā & Villalp. exigua omnino eſt differentia, quod aduertit Alcaz. *de menſ. propeſ. 1.* Frontin. loco nuper allato, triplicē quoque facit pedē, porrectum, conſtratū, & quadratum. *In pede porrecto*, inquit, *ſemipedes duo, in pede conſtrato, ſemipedes quatuor, in pede quadrato, ſemipedes octo.* quod ita interpretatur Villalp. *c.16. lib.3. appar.* vt pes porrectus dicatur de lineis, ſitque pedalis linea quæ continet duos ſemipedes: at ſi linea eadē ſic diuiſa, in ſeipſam ducatur, fiatque quadrata ſuperficies, continebit quadratos ſemipedes quatuor, meritóque dicetur pes conſtratus, vtpote quæ latitudinem longitudini ſuperaddit: denique ſi ille pes quadratus cubicetur, continebit ſemipedes cubicos octo. Quæ omnia ex ipſius compoſitione demonſtrantur, cùm fiat ex duplici ductu ipſius in ſeipſum. Quare cum ex lineari pede bifariā diuiſo bini fiant ſemipedes, ex binarij in ſeipſum ductu fit quaternarius, qui iterum in binarium ductus fit octonarius. Hic autem numerus cubus verè dicitur, vtpotè quadratus, cuius latitudo, altitudo, & profunditas quadrata ſunt.

Pes diuitur in XII. vncias, XVI. digitos, palmos 3
IV. Digitus itaque eſt XVI. pars pedis. Eſt verò duplex digitus, rotundus & quadratus. Verùm rotūdos minor eſt trib. quartis decimis ſuis quadrato. Pollex autē eſt vncia pedis, hoc eſt pars duodecima pedis: vnciales litteræ erāt pollicis magnitudine, ſicut & beſſales quæ duas tertias pedis longitudine æquāt.

Palmum faciunt quatuor digiti. Diuiditur in tres vncias, iſq; eſt vulgaris palmus; eſt enim maior quidā qui continet duodecim digitos; quantū vterque digitus pollex & minimus maximè extendūtur: hūc palmum ſæpius dodrantem appellat Plin. quia nēpe habet vncias nouem, & digitos duodecim. Sic *li.7. c.2.* refert Spithamæos, Pygmæos, *ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt ternos dodrantes non excedentes.* Quod Plinij annotator exponit XXIX. pollices, nimirum pedes duos ac quinque pollices. Iul. Front. *Palmus habet digitos quatuor, vncias tres; qui eadem dodrans appellatur, habet palmos tres, vncias nouē, digitos duodecim.* Cur verò dodrantē & ſextantē pro eadē menſura Frontinus vſurpet, cū re & nomine diuerſæ ſint, ſe non aſſequi fatetur Villalp. *c.16. cit.*

Cubitus ex ſex palmis conſtat, digitis 24. Ita Vitruu. *lib.3. cap.1.* addit demptis è cubito duobus palmis, relinqui pedem quatuor palmorum. Cum verò palmus habeat quatuor digitos, effici vt pes habeat ſexdecim digitos. Latini ſeſqoipedem dixerunt; inde taleæ ſeſqoipedales apud Colum. *lib.3. cap.1.* ſeſquipedalia verba apud Horat. *de arte. Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extans:* apud Perſ. *ſatyra 5.* quamquàm & cubiti quoque nomen vſurparint. Vnde Sueton. de Tiberio *capit.38. Cùm prope quotannis profectionem pararet, & non excederet tamen vrbe; vt vulgo iam per iocum Callipedes vocaretur, quem curſitare ac ne cubiti quidem menſuram progredi prouerbio Græco notatum eſt.* Ex Cic. *lib.14. ad Atticum. Biennium præ-*

terist

teriit cùm ille καλλιπίδην aſſiduo curſu nullum cubitum proceſſerit.

5 Greſſus eſt duorum pedum, & ſemiſſis. Paſſus à paſſibus ſiue diductis pedibus, vt ait Colum. *lib. 5. cap.* 4. quinque pedes habet. Vlna verò ex Vitruuio *lib. 3. c.* 1. maiori longitudine vno pede, &c. nimirum quantum vtraque extenditur manus, ait Seru. *in Eclog.* 3.

Stadium paſſus 125. pedes 625. efficit, inquit Plin. *lib. 2. cap.* 23. Milliare ſiue milliarium ex octo ſtadiis, paſſibus mille conſtat, pedibus 5000. Lapidibus & columnis notabantur a Romanis, inuentore Caio Graccho, apud Plutarch. *in eius vita.* Illæ verò columnæ numerum millarium impreſſum habebant.

Actus certus agri modus, ita dictus, quòd in eo boues agerentur cum aratro impetu iuſto, inquit Plin. *lib.* 18. *cap.* 3. duplex erat: primus minimus latitudine pedes 4. longitudine 120. Alter erat actus maximus, ſiue actus vndique quadratus, finitur pedibus 120. Duo actus iugerum efficiunt longitudine pedum ducenturum, quadraginta latitudine, quæ vtræque ſummæ inter ſe multiplicatæ quadratorum pedum faciunt viginti octo millia & octingentos. Ita Colum. *lib. 5. c. 1.* ſequutus Varron. *lib. 4. de ll.* & *lib. 1. de re Ruſt. c.* 10. indeque dictum iugerum volunt iidem Auctores, quod duos actus iungeret. Plinius tamen *loc. cit.* nominatum mauult ex eo quod vno iugo boum in die exarari poſſet. Sed Varro quod Plinius iugerum appellat, iugum dicit; iugerum verò quod duos actus quadratos habeat, hoc eſt iungat. Actum porò Beotici Agnã vocant, vti monet Colum. Varro autem *lib. 1. de Re Ruſt. cap.* 10. ait hunc agri modum vocari Latinè Acnuam. Galli ex Colum. citato, ſemiiugerum ſiue actum, Arpennem dicunt. Quod teſtatur quoque Gregorius Turon. *lib. 5. hiſtor. Franc. cap.* 28. non dubito tamen fuiſſe tunc in Gallia multæ varietatis arpennes, ſicut & hodie ſunt, quorum aliqui cũ actu Romano conuenirent. Vocem Gallicam *Arpennis* aliqui deriuant ab Aruipendiis, ſic enim funes quibus Barbari agros metiebantur, nominabant Romani. Gloſſariũ vetus exponit γεωμετρικὸς χοῖνος. Arpennis igitur, ſiue arpenniũ, quaſi aruipẽdiũ, vel potiùs aruipennium, nam *n.* pro *d.* aliquando ponebatur, ſic Plaut. *in milite*, dixit, *diſpennite pro diſpendite*; malè verò aliqui actum, qui eſt ſemiiugerum, vt dixi, confundunt cum actuario, qui eſt alius agri modus longè diuerſus, nempe actuum decem, & quinque iugerum. Quare ſine dubio error in Siculum Flaccum *de conditionibus agrorum cap. de quaſtoriis agris*, irrepſit, dum ait laterculum quinquaginta iugerum effici ab decem agri actibus, ſeu ſemiiugeribus, pro decem actuariis, qui reuerà explent ſicut centum actus, ita & quinquaginta iugera. Ex quibus vides quãta fuerit magnitudo iugeri quos actus contineret; eſſetque longũ 240 pedes, latum pedes 120. & pedes quadratos contineret viginti octo millia octingentos, vti referebamus ex Colum. qui *lib. 2. c. 9.* addit, iugerum agri pinguis plerumque modios tritici quatuor, mediocris quinque poſtulare. *Et ſeq. cap.* iugerum agri non amplius quatuor ſextariis naporum ſerendum eſſe.

Centuria centenum iugerum, nec plurium fuit ante diuiſum agrum Romanum à Romulo, qua ex diuiſione facta eſt ducenaria, id eſt ducenum iugerũ, ex quo Romulus agri Romani ducenta iugera ex æquo diuiſit, centũ quibuſque Romanis ciuib. eorũ cuilibet binis iugerib. aſſignatis; retinuit tamẽ centuriæ nomen. Ita Varro *lib. 4. de ll. & lib. 1. de re ruſt. c.* 10. & Colum. *lib. 5. c. 1.* Subinde centuriis modum, ſecundùm agri amplitudinem quoſdam dediſſe obſeruat Hygen. *lib. de limitib. conſtit. ſub initium.* Et nominatim Cremonæ Triumuiri agris diuidundis ducena & decem iugera cuilibet centuriæ aſſignarunt. Quare Siculus Flacc. *lib. de condit. agrorum* ait in centuriis, quæ amplius habent, quam ducenta & quadraginta iugera, eſſe oportere per decumã, *ab lapide ad lapidẽ* actus viginti quatuor, per cardinem actus viginti, qui inter ſe multiplicari facient actus quadringentos octoginta. Auguſtum apud Emeritam cuique centuriæ quadraginta iugera attribuiſſe refert laudatus Hygen.

Saltus continet quatuor centurias. Varro *lib. 1. de re ruſt. c.* 10. centuria quadrata ſeu quatuor centuriæ in vtramque partem binæ, appellantur publicè ac priuatim diuiſis in agris, *ſaltus*: quæ ſingulæ quadratæ centuriæ octingentorum in ſummam iugerum, non ſingulis ciuium aut militum capitibus ſolidæ aſſignatæ ſunt, ſed certo numero capitũ æquis portionibus diuiſæ. Eſt & alius ſaltus viginti quinq; centuriarũ, minoris ſextuplus, vno inſuper exeuntẽte minoris quadrante: eius meminit Siculus Flacc. *lib. de conditionib. agrorũ cap de aſſignatis & diuiſis.*

Verſum dixit *lib. 1 de Re Ruſt c.* 10. Varro. quadratum in centũ quoquouerſum pedes. Porcã, Colum. *li. 5. c. 1.* dixit triginta pedũ latitudinẽ, & centũ octoginta lõgitudinẽ. Clim. verò quoquouerſus pedũ 60.

Quia verò pertica, & funiculo agros dimetiebantur Romani, factũ eſt vt agros colonis aſſignatos nuncuparent perticas. Quare ea vox in re agraria non ſignificat certum aliquem agri modum, & certæ ac conſtantis menſuræ, ſed agros dimenſos, & certis coloniis attributos. Quare Frontin. *lib. de limitib. agror.* ſolũ quodcumq; coloniæ eſt aſſignatum, id vniuerſim pertica appellatur. Similia habet Sicul. Flacc. *de condition. agror. cap de quaſtoriis agris.*

Præfecturæ erant agrorum militibus aſſignatorũ, reſiduæ, quæ aliis aſſignabantur. ita Flacc. & Front.

Scamnum quadrata in longum agri plaga, altero in ortum, altero in occaſum obuerſo capite inſtar decumani limitis, cuius ſcamni frequens vſus eſt in dimenſione agrorum, & in caſtrenſi metatione, ſicut & ſtriga, quorum diſcrimen ſic aſſignat Frontin. *de agror. qualit. Ager per ſcamna & ſtrigas diuiſus & aſſignatus eſt more antiquo.* Qua ſimilitudine in prouinciis arua publica coluntur. Quidquid autem hac conditione in latitudinem eſt deſcriptum, per ſtrigas appellatur; quidquid per longitudinem, per ſcamna dicitur. Inde ſcamnatus, & ſtrigatus ager, in ſcamna & ſtrigas diuiſus. Strigatus quidem qui in latitudinem ab Septentrione verſùs Meridianum decurrit: ſcamnatus qui ab Occidente in Orientem ductis ſcamnis excreſcit.

Subceſiuum vel ſubciſiuum eſt agri certa portio interiectis quatuor lineis ſucciſa ab cætero & ſolido territorij corpore, ac variis quidem ex cauſis, vti aliàs monuimus.

Ex quibus tandẽ omnibus video vniuerſas menſuras ad pedem à Romanis reuocatas fuiſſe, vti initio præfati ſumus. Quod in maiorib. quoque agrorũ dimenſionibus oſtendere placuit; Nã ea notitia etiã negotiatori quẽ inſtruimus, non parũ proderit. 6

Græcis eædem ferè fuere menſuræ, quæ Latinis, vti ex Polluce, Suida, Heſychio, & aliis facilè colliges. δάκτυλος igitur minima eſt omniũ menſura. Deinde παλαιστὴ ſiue παλαιστὴς, menſura quatuor digitorum, vti definit Heſych τὸ τεσσάρων δακτύλων μέτρον, cui ſimilis eſt apud Pollluc. δοχμὴ, eſt enim

enim, vt ipſe ait συγκλεισθέντες οἱ τέσσαρες δάκτυλοι. Ex vtraque illa voce Græci componunt *δακτυλοδοχμὴν*; quæ idem quod *δοχμὴ* ſignificat, nempe palmum minorem quatuor digitorum, qui ſi Romani ſint, tribus quoque Romanis vnciis pares exiſtunt. Eſt enim alius apud ipſos palmus maior, quem σπιθαμὴν dicunt, duodecim digitorum, vti obſeruat Philand. *lib.3. in Vitru. cap.*1. additque Plinium *lib.21.cap.7.* σπιθαμὴν reddidiſſe palmum, & Græcos ſæpius παλαιστὴν & σπιθαμὴν confundere, atque vnam vocem pro altera vſurpare. Dixerunt & δῶρον palmum, & δῶρα munera, quia manu dantur inquit Plinius *lib.35.cap.*14. Ergo à quatuor aut quinque palmis prouenſiunt, nominantur didoron, tetradoron, pentadoron. Genera laterũ de quibus eo loco diſſerit Plin. cornua habentia ſexdecim palmos dixit Polluc. *lib.2.c.*32. ἑκκαιδεκάδωρα τὰ ἐκκαίδεκα παλαιστῶν κέρα digiti decem: ſiue longitudo inter pollicem & indicem extenſos, quæ & λιχὰ dicitur. Ὀρθόδωρον digiti vndecim: longitudo palmæ hominis a carpo ſeu iunctura ad ſummum digitum medium. σπιθαμὴ maior vt dixi palmus duodecim digitorum. Pes autem Græcus eſt palmorum quatuor, digitorum 16. maior pede Romano ſemuncia.

Πυγμὴ digiti octodecim, nempe à curuatura brachij ad digitorum radices, aut potius cubiti menſura, digitis tamen contractis: eſt & πυγὼν digitorum viginti cubitus, πυγμὴ maior, neque iuſtus tamen, longitudo à curuatura ad digitos complicatos, neque contractus tamen prorſus, ſed ad mediam iuncturam medij digiti: vocat palmi pedem Mariana, vtpote ex pede & palmo conſtantem. πῆχυς qui eſt cubitus integer à curuatura ad ſummos vſque digitos protéditur ſeſquipedis longitudine, digitorum 24. Suidas habet neſcio quem cubitum digitorum ſexdecim, duorum pedum. Verùm quid ſibi voluerit nemo aſſequitur.

Ὀργυιὰ erit, inquit Pollux, ſi extendas vtraſque manus, vt etiam pectus his commenſuretur. Alij dicunt eſſe pedes 6. cubitos 4. Alij vlnam, quæ etiam ὠλένη dicitur, quamuis Pollux ὠλένην cubitum eſſe velit, ſiue πῆχυν.

Πλέθρον eſt ſexta ſtadij pars continens centum pedes. Suidas facit ſtadium 68. cubitorum, & addit totum ſtadium babere quadringentos, aut omni ex parte pedes triginta octo; quod quomodo cohæreat quis explicet. Certum eſt ſtadium habere paſſus ſiue orgyias centum, cubitos quadringentos, pedes ſexcentos. Herodot. *in Euterpe. Centum*, inquit, *iuſti paſſus ſtadium, ſtadium vnum ſex plethrorum*; paſſus nimirum ſex pedum ſiue quatuor cubitorum. Pedes ſunt quatuor palmorum, & cubitus ſex palmorum. Diaulus ſunt ſtadia duo. Hippicon ſtadia quatuor. Plutarch. *in Solone* ἱππικὸν διάστημα τεττάρων ἦν σταδίων. Μίλιον ſiue milliare continet octo ſtadia, quamuis ſit Romana potius menſura quam Græca. Habet pedes Græcos 5400. Romanos 6000.

Δόλιχος eſt ſeſquimilliare continens ſtadia 12. illi tamen Suidas tribuit 24. ac proinde efficiet tria milliaria. Paraſanga apud Herodot. in *Euterpe* habet ſtadia 30. σχοῖνος autem ſtadia 60. Plinius *lib.12. cap.*14. ſchœno tribuit ex Eratoſthene ſtadia 40. ex aliis 32 *Schœnus*, inquit, *patet Eratoſthenis ratione ſtadia XL. hoc eſt paſſ. quinque M. Aliqui XXXII ſtadia ſingulis ſchœnis dedere. lib.5.cap.*10. ſchœnum dicit eſſe ſtadia triginta. Xenoph. *libro 5. Cyroped.* ſcribit ſexcentas paraſangas continere decem & octo milla & 20. ſtadia, qua ratione ſingulæ paraſangæ continebunt fere ſtadia 29. quod ſi illum 20. numerum dicas in Xenophonte ſuperfluum eſſe additum 18000. ſingulæ paraſangæ habebunt 30. ſtadia, vti initio monebamus; & 600. paraſangæ efficient 18000. ſtadia, vt dicebat Xenophon. Similem álium locum in eodem Xenophonte poſtremo opere emendat Mariana.

Reſtant Hebraicæ menſuræ interuallorum. 7
Omnium minima eſt *Ezbagh*, quem Hebræi tam latum faciunt, quam ſunt ſex grana hordei, qua parte ſunt craſſiſſima. Cùm ex Philand. *in Vitru. libro 5. capit.*10. Romanus digitus non ſuperet quatuor hordei grana; digitus Hebræus comparabitur cum Romano proportione ſeſquialtera, eritque ſeſqui digitus Romanus, qua proportione neceſſariò cæteræ menſuræ Hebraicæ, vt pes, palmus, cubitus, Romanas ſimiles ſuperabunt; quod omnino obſeruandum eſt. Digitum tamen in ſcriptura non reperiri pro menſura monent Rabini apud Ariam Montan. quod quam falſum ſit oſtendit Villalpand. *lib.3. apparat. cap.*16. Nam *Ierem.52. verſ.*21. vbi agitur de columnis æreis, digito dicitur porrò groſſitudo eius. Arbagh eſtbaghot, δακτύλων τεσσάρων digitorum quatuor. Neque ſatisfaciunt Rabini, dum aiunt eo loco pollicem ſignificari; neque enim quatuor digiti faciunt pollicem, ſed palmum.

Palmus minor *Tophach* conſtat quatuor digitis Hebraicis, ſiue quinque Romanis & triente; ſi vt dixi digitus Hebraicus eſt ſeſquiromanus: quod ſemel pro aliis omnibus menſuris monuiſſe ſufficiat. Vulgatus igitur palmum pro tophach ſubſtituit. *Exod.37.verſ.12. Ezech.4. verſ.5. lib.2. Paralipom.c.4.verſ.5.* Et tamen *lib.3. Reg. cap.7.verſ.*36. vbi de labro Maris ænei agit, pro palmo quem *in lib Paralipomenon* citato vſurpauerat, tres vncias ſubſtituit, quia nimirum quatuor digiti quibus palmus conſtat ſunt tres vnciæ, ſiue tres pollices ſiue ſextans pedis. Hinc intelliges illud *Pſalmi* 38. *verſ.6. Menſurabiles poſuiſti dies meos*. Heb. Tephacoth. Græci παλαιστάς palmares: quod R. Dauid. breues vt menſura quatuor digitorum, ſiue, qui quamuis longiſſimi videantur, pugno tamen comprehendi & menſurari poſſint. Vnde aliqui reddunt breues, & cito tranſeuntes. Alij, Veteres, qui nimirum diu duraturi non ſint, veluti veſtes veteres vſu contritæ. *Thren.2.verſ.20. Ergo ne comedent mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram palmæ*. Deſcribit diram famem quâ cogerentur infantes paruulos, qui vix altitudine, palmum ſiue palmam manus æquarent, vorare.

Eſt & alius palmus maior, quem Hæbræi vocant Zereth, & Græci σπιθαμὴν, qui eſt ſemicubitus, ſiue digitorum duodecim, atque ita continet palmos minores. Quoties enim illa vox & menſura reperitur in ſcriptura Hieron. palmũ reddit, & LXX. σπιθαμὴν, vt *Exod.c.28.verſ.17. & cap.39. verſ.9. lib.1 Reg cap.17.verſ.4. Iſai.cap.40. verſ.12. Ezechiel.cap.23.verſ.*13. Atque hanc Hieronym. verſionem aduerſus Agricolæ calumnias acriter tuetur Villalpand. *2 p. Apparat lib.3. cap.*17.

Pedem quem Hebræi *Pagham* dicunt, negat Mariana *capit.*18. vſurpari pro certa menſura in diuinis libris, immò neque in Rabinis, cùm tamen minimè dubium videatur, ea quoque menſurá ſicut & cæteras gentes, vſos fuiſſe Hebræos. Ezechiel *c 41. verſ.*6. vbi de menſura templi. *Latera autem latus ad latus, bis triginta tria*. Hebræus habet. *Et latera latus ad latus triginta trium pagham* quá vocem R Kimchi *Pedem* interpretatur.

Sed

Sed de eo loco difficillimo adi Sanctium *in commentariis*: noſtri inſtituti non eſt, omnes hoc loco menſuras templi inter ſe componere, ſed cõmuniorum menſurarum Hebraicarum modum indicare.

8 Cubitus menſura eſt in ſacris litteris frequentiſſima, & variis vocibus ſignificatur. In primis enim dicitur *Amah*, quam vocem Rabini aliqui medium interpretantur; ſicque vocari cubitum, quia eſt ea pars, quæ ex medio brachio ad extremum vſque medium digitum protenditur, & quia etiam curuatur cubitus in alteram partem. Qua de cauſa in Arca fabricanda ſic Deus præcepit Noëmo. *Et in cubito conſummabis ſummitatem eius*: hoc eſt faſtigium eius ita conſummabis, itaque operies mediam eius latitudinem vt cubiti flexuram imitetur, poſſintque hinc inde aquæ diſfluere. Et Ezechiel. *cap. 21. verſ. 21. Stetit Rex Babylonis in biuio in capite duarum viarum.* Sicut enim in cubito brachium flectitur, ſic in biuio via à rectitudine recedit. Dicitur etiam Azilah. *Ezechiel.* 41. *verſ.* 8. id eſt axilla a medio ad cubitum; quatuor enim cubitis vlna conſtat, ſtaturaque hominis. Tertiò dicitur Gomed. *Iudic. 3. verſ.* 16. vbi agitur de gladio quem Ahod ad confodiendum Eglonem Moabitarum Regem ſibi comparauerat, ait fuiſſe longitudine palmæ manus. Hebraice, longitudine Gomed. Sic *ϖυγμαῖοι Ezechiel.* 27. dicuntur *Gomedum*, cubitales. Neque Latinus qui palmatem facit hunc gladium diſſentit ab Hebræo, qui cubitalem dixit, quia inquit Serar. *in comm.* Latinus loquitur de palmo maiori, qui eſt digitorum duodecim etiam apud Vitruu. *lib.* 1. Hebræos de cubito minori, qui palmo maiori conſentit. Ex quibus vides geminos cubitos, vnum maiorem ſex palmorum, 24. digitorum, alium minorem, duodecim digitorum, trium palmorum, vti aiebat Serar. Communior autem aliorum ſenſus aliter duos iſtos cubitos diſtinguit. Maiorem quidem ſex palmorum, 24. digitorum concedit, quem & ſacrum ſiue legalem appellant: minorem alterum quinque palmorum, digitorum viginti, quem communem nominant: eius mentio eſt *Deuteron. cap. 3. verſ.* 11. dum lectus ferreus Og Regis Baſan deſcribitur, longus cubitos nouem, & latus quatuor, *Ad menſuram cubiti virilis manus*: id eſt quanta longitudo cubiti communis, quæ à cubito, ſiue medio brachio ad extremos digitos protenditur, quæ non ſuperat quinq; palmos digitis 20. LXX. legunt in cubito viri *ἐν πήχει ἀνδρὸς*. Et *Apocal.* 21. *verſ.* 17. de Angelo metiente nouam Hieroſolimam. *Et menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli.* Menſura, inquit Ribera, qua vti ſolent homines metiendo, qua vſus eſt Angelus, ſiue vt alij, Angelus humana forma metiebatur proprio ſuo cubito. Confirmat hanc ſuam ſententiam de cubito minori quinque palmorum ex *Ezech.* 43. *verſ.* 13. *Iſta autem menſura altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum & palmum.* Et *cap.* 40. *verſ.* 5. dixerat, *In manu viri calamus menſura ſex cubitorum & palmo.* Hebraicè, *Et in manu viri calamus ſex cubitorum in cubito & palmo.* Quibus verbis nõ ſignificatur palmum vnũ ſex cubitis adiectum, ſed quemuis è ſex cubitis cubito & palmo conſtare. Fuit igitur Hebræis vnus cubitus quinque palmorum, alius ſex, nimirum cubitus legalis & ſacer, quo in templi & ſacrorum vaſorum menſuris vtebatur Angelus, qui vulgari & communi cubito quinque palmorum adiiciebat vnum palmum. Villalpand. *cap.* 17. *cit.* exponit de cubito cõmuni Babyloniis, apud quos ſcribebat *Ezech*, qui minor vno palmo erat cubito illo Hebræo, quo in metiendo templo quondam vſi fuerant: idque monet Ezechiel, ne ſimilitudine nominum decipiantur Hebræi, & profanum illum atque minorem Babyloniorum pro vetiſſimo & antiquiſſimo ipſorumque proprio cubito vſurpent. Sanè Herodotus meminit Regij cubiti qui mediocrem ſuperaret tribus digitis, ac proinde triplicem facit cubitum; maximum ſiue Regium, mediocrem, & minimum. Cæterùm cubitus Hebræus vnus idemque fuit ſex cubitorum, digitorum vigintiquatuor, ex certa communique ſententia, quæ illum facit quartam humanæ ſtaturæ partem. Pluribus tamen concludit Alcazar *propoſ. 9. de menſuris*, cubitum Hebræum non fuiſſe niſi ſextam humanæ ſtaturæ partem; vnde plurima corollaria elicit circa templi menſuras, quas multò minores facit quam Villalpand. quæ controuerſia implicatior eſt, quam vt in hoc breui indice poſſit definiri.

Hinc fit vt vix conſtare poſſit modus menſuræ calami; continebat enim ſex cubitos, ſed cum non ſatis cõſtet de magnitudine cubiti, eadem erit diſſenſio in definiendo calamo, qui ſex cubitis conſtat. Alias quaſdam menſuras Hebraicas enumerat Mariana *Zaghad*, paſſus. 2. *Reg.* 6. *verſ.* 13. *Zemed*, iugerum. 1. *Reg.* 14. *verſ.* 14. *Berak*, milliare. *Geneſ.* 35. *verſ.* 16. 2. *Reg.* 15. *verſ.* 19. Quænam tamen ſit harum menſurarum definitio ex collatione cum ſimilibus aliarum gentium menſuris, aliquid conîicere licebit. Apud Rabinos etiam iſtæ menſuræ leguntur *Zith.* digitus minimus. *Cith*, longitudo palmæ à carpo ad digitorum radicem paulò amplius quàm digitos 4. *Salib*, calamus. *Kumab*, ſtatura hominis. *Rus* continet 70. calamos, cubitos 420. Pariab, milliare magnum quatuor minoribus c ꝛı ſt ꝛns. 9

ARTICVLVS VII.

De Collatione veterum ponderum, ac menſurarum inter ſe, & cum Noſtratibus.

Menſura ponderibus, & pondera menſuris cognoſcuntur. 1. 2.

Omnia ad certum pondus & certam menſuram reuocanda ſunt. 3.

INgentis eſſet operæ exquiſitam comparationem ponderum variorum & menſurarum veterum inter ſeſe, & cum noſtris inſtituere. Accuratè & diligenter id præſtitit Villalpandus, aliique. Mihi ſatis fuerit certa quædam veluti principia ac regulas, ex quibus commodè fiat iſta comparatio, tradere, quamuis ea non inſtituatur ad accuratiſſimum rigorem Mathematicum, quem tum Villalpand. tum Alcazar, aliique proſequuntur.

In primis igitur moneo tum menſuras pondere, tum pondera menſuris inquiri, quod oſtendimus *art.* 1. & demonſtrat Villalp. *cap.* 19. *lib.* 3. Eumque fuiſſe veterum omnium vſum id ipſum probat plebiſcitum nuperà nobis ex Feſto relatum. Vnde veteres liquorum, aliorúmve pondera varia inquiſierunt, vt ex illis amplitudinem vaſis aut menſuræ, quæ illa capiebat, inquirerent. Sufficiat illud Fannij. 2

Illud prætereà tecum cohibere memento
Finitum pondus varios ſeruare liquores,
Nam libra vt memorant beſſem ſextarius addet,
Seu puros pendas latices, ſeu dona Lyæi.
Addunt ſemiſſem libræ labentis oliui,
Selibramque ferunt mellis, ſupereſſe bilibri.

Idem æquè videbis apud Galen. *lib. de ponderibus*, apud Alciat. vbi ceramij Italici, chois, congij, & ſextarij atque aliarum menſurarum capacitatem per pondera liquorum quos capiunt, definit, quod iterum præſtat *lib de compoſ. medic.* Fuſiùs porrò Villalp. *cap.* 11. Ea menſuris verò colligi pondera, certum æquè eſſe debet, vnde ea cubo Romani pedis amphoram Romanam capere vncias 960. demonſtrabat Alcaz. *propoſ.* 3. ſimileſque alias collationes ibidem habet per multa corollaria quæ conſulas.

2 Moneo 2. Negotiatori expendendam eſſe proportionem pondetum quæ eſt inter varias fruges, liquores & alia quæ ponderantur: vt illis ponderibus metiatur menſuras, atque ex menſuris pondera: quod ſi non præſtet cum exquiſita diligentia Mathematicorum, vſque ad minutiſſimas partes, ſaltem id fiat ſecundum porportionem aliquam ſenſibilem.

3 Moneo 3. ſumendum eſſe certum aliquod minus pondus, & certam menſuram, ad quam omnia pondera, atque menſuræ reducantur. In ponderibus habemus vnciam, quam eandem fuiſſe apud veteres cum noſtra, immo & apud omnes gentes, omnes ferè conſentiunt, ipſoque experimento ſe comprobaſſe docet Villalpand. & Mariana, aliique. Ad illam itaque facile fuerit omnia noſtra & externa pondera, ſiue antiqua, ſiue recentia exigere. Cùm v.g. libræ alicubi ſint vnciarum 12. alibi 16. alibi 20. aut 30. quam omnes iſtæ libræ proportionem habeant, facile fuerit ſubducta ratione definire, atque quid compendij aut damni in emendis, diſtrahendiſque mercibus in iis locis, in quibus variæ ſunt libræ, cæteraque pondera, fieri poſſit, colligere. Hinc quoque quæ apud antiquos legimus circa diuerſarum rerum pondera, definiemus, vbi ſemel certum vnum pondus ſtatuerimus; quod, vt dixi, debet eſſe minimum, quia & illud ferè certius eſt, & ſui multiplicatione cætera deinde omnia maiora adæquabit, neque in toto illo proceſſu & ratiocinio vllus ferè error committi poterit. Inter menſuras liquidorum aut aridorum vna quoque ſtatuenda eſt, vt ſextarius, aut alia etiam minor, nam maiores ſui multiplicatione, vti dicebam de ponderibus, adæquabit. Difficultas itaque tota erit in ea menſura conſtituenda, ex eius enim cognitione aliarum cum qua comparabitur, certa quoque notitia obtinebitur. Denique in menſuris linearum & interuallorum idem continget; reuocabuntur enim ad pedem aliquem certum, Romanum v.g. qui eſt duodecim vnicarum, 16. digitorum, palmorum quatuor. Ex proportione itaque quam habebit pes Hæbræus, aut Græcus, aut noſter Regius, aut alius quiſpiam ad Romanum, ſiue illum aliqua ſuperet parte, ſiue ab ipſo ſuperetur, omnes menſuras Romanas cum aliis omnis generis comparabis, & modum illarum definies per calculos. Sane videmus in Scriptura omnes menſuras ad cubitum ferè reuocari, & omnia pondera ad ſiclos, vnde pro magnitudine cubiti omnes menſuræ templi & vaſorum eius colliguntur, & prout in definiendo cubito variatur, in aliis menſuris variatur, & Mare Æneū grandius aut minus capax facimus. Omnes aridorum & liquidorum menſuræ ad batum & ephi reuocantur, Auctore ipſomet Deo. Et deinque omnia pondera ad ſiclum, & deinde ad talentum. Vnde tanta eſt contentio Doctorum in illorum pondere certo conſtituendo, quandoquidem ex illo cæterorum omnium cognitio pendet. Vbi igitur mercator certum palmum v.g. habuerit, ad illum omnes vlnas reducet, quæ cum inæquales ſint, plures aut pauciores palmos continent. Palmus verò cum ſit quarta pars pedis, certus eſſe debet; communis eſt 4. digitorum, trium vnciarum, alius eſt maior duodecim digitorum, vti nuper dicebamus; inde enim dignoſcetur qua proportione ſuperetur ab alio, aut ab illo excedatur. Vnde tandem fiet tota computatio, & ſtatim apparebit quo exceſſu pretij vlna v.g. Pariſienſis ſuperet Lugdunenſem eiuſdem omnino panni, quæ omnia diligenter ab induſtriis negotiatoribus expenduntur, in comparandis, diſtrahendiſque mercibus. Neque plura de hoc argumento inſtituti noſtri ratio poſtulat; qui plura volet adeat Villalpand. alioſque à nobis laudatos.

ARTICVLVS VIII.

De legitimo ponderum & menſurarum vſu in commerciis ſeruando.

Damnantur fraudes menſurarum. n. 1.

Eiuſmodi fraudes punitæ. 2.

Seruatæ Archetypæ menſuræ in locis ſacris & publicis. ibid.

Cura Principum in procuranda menſurarum æquitate. 3.

EX hoc legitimo ponderum & menſurarum vſu vniuerſam fermè commerciorum æquitatem pendere perſuaſum negotiatoribus eſſe debet. Quare aduerſùs fraudes quæ hac in parte cōmittuntur, ſæpius inuehitur Deus. *Leuit.* 19. *verſ.* 35. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura.* Quib. verbis vniuerſa mēſurarū genera comprehēdi monuimus. *Statera iuſta, & æqua ſint pondera: iuſtus modius, æquuſque ſextarius. Ego dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti.* Ex quibus poſtremis verbis quanti momenti duxerit Deus hanc legem aliqui non malè colligunt. *Deut.* 25. *verſ.* 13. aperit & damnat fraudes quæ cōmitti in hac re ſolebant. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & minus, non erit in domo tua modius maior, & minor: pondus habebis iuſtum, & verum; & modius æqualis & verus erit tibi: vt multo viuas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi: abominatur enim Dominus tuus eum qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Salomon verò idem atteſtatur *Prouerb.* 20. *verſ.* 10. *Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque eſt abominabile apud Deum* Quod denuò repetit *verſ.* 23. Similia iubet Ezech. *cap.* 45. *verſ.* 10. *Statera iuſta, & ephi iuſtum, & batus erit vobis.* Staterâ ponderantur rerum momenta, ephi menſurantur arida, bato liquida, vti aliàs monuimus. Vt verò Iſraëlitarum crimina & iniquitates explicet, illis exprobrat, quod Chananæos imitarentur calumniis & fraudibus. *Chanaan in manu eius ſtatera doloſa calumniam dilexit. Oſee* 12. *verſ.* 7. Erant enim Chananæi calumniis & fraudibus infames,

fames, atque mercimoniis addicti; vnde illud *Prouerb. vlt. verſ.* 24. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* Has eaſdem Iſraelitarum fraudes retegit Deus, Amos 8. *verſ.* 5. dum illos ita loquentes inducit. *Quando tranſibit menſis & venundabimus merces, & ſabbathum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus.* Optabant igitur impij veteratores primum menſis diem ſine Kalendas & Neomenias, quia illis diebus ſolebat pecunia fœnori dari, atque etiam fœnus vnà cum ſorte proximis Kalendis mutuo data exigi. Quod *lib.* 1. *de vſuris*, docuimus ex Horatio, apud quem Alfius fœnerator ponit Kalendis ſuam pecuniam. Epod. *Ode* 2.

Hæc vbi locutus eſt fœnerator Alfius
Iamiam futurus ruſticus
Omnem relegit idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

De exactione vſurarum eo ipſo etiam die teſtatur idem Horat. *lib.* 1. *ſatyr.* 3.

—— Fugit in Druſonem debitor æris
Qui niſi cùm triſtes miſero venêre Kalendæ.
Mercedem aut nummos, vnde vnde extricat.

Apud Ariſtophan. *in nubibus*, Strephiades quidam debitor optat Theſſalam veneficam, quæ ſuis carminibus Lunam moretur, ne vnquam exoriatur, atque ita ipſe onere ſoluendi vſuras liberetur. Queritur Plutarch. *lib. de non fœnerando.* Kalendas & Neomenias quæ sũt ſacerrimæ dies, nefaſtas, triſtes, atque horrendas à fœneratoribus reddi. Suſpicantur & aliqui apud Hebræos, ſolutiones in diem ſabbathi dilatas fuiſſe, cùm vix aliis diebus poſſent commodè ruſtici curas agreſtes relinquere, & in ciuitatem venire, vt cum ſuis creditoribus agerent, & pecunias numerarent. Quare optabant illum diem maximopere impij negotiatores, non modo ad collocandas fœnori pecunias, & debitum iam fœnus repetendum, ſed etiam ad vendendas ſuas merces, & aperienda horrea. *Quando tranſibit menſis, & venundabimus merces, & ſabbathum, & aperiemus frumentum.* Quia inclinante iam Republica, & corruptis moribus, effreni libidine & auaritia, illi diebus quamuis religioſiſſimis aperiebant ſua horrea & apothecas, vt conuenienti in vrbẽ numeroſæ plebi ſuas merces & fruges diuenderent: aut veriùs, quia cùm ſabbathis & neomeniis negotiari non liceret, optabant iſti inſani negotiatores eiuſmodi dies in quibus ceſſandum erat ex religione, vel nullos exiſtere, vel properanter dilabi & effluere, vt tandem horrea aperire & merces exponere liceret. Denique Cyrillus hoc ſabbathum exponit de anno ſabbathico ſiue remiſſionis, in quo non licebat exigere debita, quod ſabbathum effluxiſſe vellent acerbi iſti creditores. Poſſet etiam cum Aria Montano intelligi menſis meſſis, & annus ſabbathicus, quibus temporibus licebat ex diuina lege pauperibus quidquid inculta tellus protuliſſet ſibi colligere. Hæc tempora præterlabi cupiebant, vt ſua deinde horrea magno pretio vendere poſſent. Modus verò quo impia ſua mercimonia exercebant erat triplex. Imminuebant nempe menſuram, & conſequenter merces, augebant earum pretium, & pondus ſicli, denique falſas ſtateras ſupponebant, atque ita cùm ſiclis pretium mercis penderetur pro more illo, potiuſquam numeraretur, facile erat pondus immutare, atque vendentes decipere. His porrò artibus & vafris conſiliis, non modo pauperum qui ſoluendo non erant, bona & fortunas vili pretio ſibi ipſis acquirebant, ſed etiam ipſoſmet ſibi in ſeruos perpetuo nexu obligabant, etiam pro rebus viliſſimis, quas illis carò vendebant. *Vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis.* Morem enim oppignerandi ipſa corpora, vendendique ipſos debitores, pluribus oſtendimus *opere de vſuris lib.* 3. & permittitur *in Exod. cap.* 22. *verſ.* 3. moremque explicat *lib.* 4. *Reg.* mulier quædam Eliſæo. Denique aliam fraudem vſurpabant, fœces & eiectamenta pro puris mercib. vendẽdo. *Et quiſquilias frumenti vendamus*, inquiunt, quæ Græci vocant περίψηματα & ἀποκαθάρματα σιτοῦ. Addo & illam Dei aduersùs has fraudes acerrimam comminationem apud Michæ. *cap.* 6. *verſ.* 10. *Adhuc ignis in domo impij, theſauri iniquitatis, & menſura minor, iræ plena. Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa?* &c. Quandiu enim clauduntur domi diuitiæ quas fraude congregarunt, tamdiu in in mediis penetralibus ignis eſt, qui domos iniquas, & ſcelerum officinas depaſcatur. Menſura minor iræ plena eſt, quia tantùm additur diuini furoris, quantum iuſtæ quantitatis menſuræ detrahitur. Pœnas alias intentat propter *ſtateram impiam* & pondera doloſa. Quare Hebræi ex eo loco affirmant hoc crimine Dei Maieſtatem, & præſentiam violari, quæ iuſtæ & ſanctæ ponderationi aderat.

Neque hæc crimina leges humanæ impunita prætererunt. Nam *l.* 37. *in Dardanarios, D. de pœnis.* Dardanarij propter *falſum menſurarum modum*, extra ordinem vindicantur. Quid verò eſſent Dardanarij, diximus *cap.* 3. *art.* 1. *num.* 8. Iuſtinianus verò iubet hos iuſti ponderis ac menſuræ præuaricatores verberari ἰσχυρῶς ὡς ἀσεβεῖς, *Fortiter tanquam impios.* Concil. Moguntin. ſicut refertur *c.* 2. *de emption. & vendition. Si quis iuſtas menſuras & iuſta pondera causâ lucri mutare præſumpſerit, triginta dies in pane & aqua pœniteat.* Quare ne qua fraus fieri poſſet, ſolebant in locis ſacris menſuræ aſſeruari, ad quas cæteræ omnes exigi deberent, & efformari. Vnde Fannius.

Amphora ſit cubus, quam ne violare liceret
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Edixit Iuſtinian. *Nouell.* 128. pondera & menſuras in ſanctiſſimis vniſcuiuſque ciuitatis Eccleſiis ſeruari, vt ſecundùm ea de aliis iudicaretur. Valentin. Theodoſ. & Arcad. *l. modios* 9. *C. de ſuſceptorib.* ſic ſanciunt. *Modios æneos vel lapideos cum ſextariis atque ponderibus, per manſiones, ſinguliſque ciuitates iuſſimus collocari, vt vnuſquiſque tributarius ſub oculis conſtitutis rerum omnium modis, ſciat quid debeat ſuſceptoribus dare. Ita vt ſi quis ſuſceptorum conditorum modiorum, ſextariorumque, vel ponderum normam putauerit excedendam, ſe ſciat pœnam competentem eſſe ſubiturum.* Erant ſuſceptores, qui annonis & tributis vtriuſque ærarij recipiendis occupabantur. *l. Cuia. poſſeſ.* 5. *D. de cenſibus.* Synopſis Baſilic. *lib.* 56. *tit.* 11. ait fieri μόδιους χαλκοῦς ἢ λιθίνους, vt vnuſquiſque tributarius συντελεστὴς ſecurè ἀσφαλῶς καταβάλλῃ ſoluat. Manſiones in quibus ſingulis, ſicut & in ciuitatibus iubent Imperatores menſuras collocari, quarum fit mentio *l.* 8. *C. de annon. & tribut. l.* 2. *C. de conditis in public. horreis. l.* 1. *C. de lucris aduocator.* & *l.* 9. *C. Theodoſ. de annon.* & *l. Claudiopolis. C. Theodoſ. de decurion.* ſunt ἀπληκτα manſus, & diuerſoria militum, vel ſacri comitatus ab oppidis ſeparata, quæ annonis & pabulis inſtruebantur ex collatione vi-

cinorum

cinorum, & non eorum qui procul diſiuncti. Galli noſtri vocant *Eſtappes.*

3 Sed redeamus ad primariam illam menſuram quam ſeruari in ſacris locis, aut publicis diximus, quod idem Deus ipſe edixiſſe videtur *Leuit. c. 27. verſ. 25. Omnis æſtimatio ſiclo Sanctuarij ponderabitur.* Iam enim nuper reiecimus duplicem ſiclum, ſacrum & publicum, ſiue communem; dicebatur tamen Sanctuarij, quia in illo aſſeruabatur, vt eſſet iuſta omnium ponderum norma. Neque contenti fuerunt ſapientiſſimi Legumlatores, his rationibus fraudes menſurarum & ponderum amoliri. Præfecerunt prætereà Magiſtratus, qui his dolis inuigilarent. Nam Athenienſes conſtituerunt quindecim μετρονόμους in Pyræo, & nouem in vrbe, qui curabant vt venditores iuſtis menſuris vterentur, ex Suida verb. μετρονόμοι. Apud Romanos Præfecti prouinciæ hæc cura fuit, ſicut & ædilium curialium, aut cerealium frangere iniquas menſuras, ne poſſeſſores à ſuſceptoribus plus æquo grauarentur. *Nouell. 128. cap. 15. l. fin. C. de ſuſceptorib. l. item quæritur 13. §. 8. D. locati.* Idem quoque imperarunt Honor. & Theodoſ. ciuitatum defenſoribus, *l. iubemus 6. C. de defenſor. ciuit.* Et iure merito, quandoquidem illi prouidebant commerciis, vti conſtat ex formula defenſoris apud Caſſiodor. *lib. 7. variarum. Epiſt. 11. Commercia ciuibus ſecundum temporum qualitatem, æquali moderatione diſpone, quia non eſt labor vendendi ſummas includere, niſi ſtatuta pretia caſtiſſima cuſtodieris.* Erant quoque corpora menſorum *l. 10. §. 1. D. de vacation. muner.* qui Præfecto vrbis parebant. Denique ædiles etiam in ſuis oppidis & municipiis impediebant ne quis malas merces venderet, aut falſis menſuris vteretur.

Plaut. *in Ruden. actu. 2. ſcena. 3.*

—— Quamuis faſtidioſus
Ædilis eſt, ſi quæ improba ſunt merces, iactat omnes.

Perſius *ſatyr. 1.*

Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.

Iuuenal. *ſatyr. 10.*

Et de menſura ius dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis ædilis Vlubris.

In hac porrò parte non minus quàm in reliqua politia ſolliciti fuere Reges Chriſtianiſſimi. Nam in primis iuſtitiam hac in parte omnibus commendarunt. *Lib. 1. cap. c. 74.* ſic edicitur. *Vt æquales menſuras & rectas, & pondera iuſta & æqualia omnes habeant, ſiue in ciuitatibus, ſiue in monaſteriis, ſiue ad dandum in illis, ſiue ad accipiendum, &c.* Mirum deinde quanta ſollicitudine cæteri deinceps Reges huic rei inuigilarint. Nam primò præſcripſerunt modum & formam menſurarum ac ponderum, quam eandem eſſe toto Regno voluerunt, & ferè ad normam Pariſienſium menſurarum & ponderum. Ita Franciſ. I. conſtitutione edita ann. 1540. A. 1. Henric. II. apud S. Germanum menſe Octobri, ann. 1557. quam conſtitutionem ſua deinde confirmauit & explicauit Carolus IX. apud S. Germanum 29. Ianuarij, ann. 1561. & altera deinde ſanctione edita Lugduni ann. 1564. 28. Iunij, & Henric. III. Pariſiis ann. 1575. Iunij 14. Volunt igitur vlnam quâ panni & aliarum eiuſmodi rerum longitudinem exigimus, vnam vbique eſſe, eamque Pariſienſem, quæ continet tres pedes, octo pollices, & octo lineas. Ita Franciſ. I. quod amplius explicat Henric. II. facit enim vlnam trium pedum Regiorum cum dimidio, & vnius pollicis, octoque linearum. Singuli verò pedes contineant 12. pollices, & quilibet pollex 12. linearum exiſtat. Orgyiam, ſiue perticam, aut vlnam, quâ vel agros, vel ædificia metimur, nominamuſque *Toiſe.* 6. pedum eſſe iubent, pedes verò ſingulos 12. pollices continere. Agrariorum verò menſorum perticam 22. pedum eſſe voluere. Iugerum autem, vel arpennem eiuſmodi centum perticas complecti, quamuis iſta agrariæ dimenſionis pertica non vbique ſit 22. pedum; nam in variis prouinciis variæ ſunt nouem, decem & octo, viginti, viginti vnius, viginti quatuor, viginti quinque pedum aliquando. Deinde aridorum, liquidorumque menſuras ſtatuunt, & omnes ferè ad modium magnum tandem referuntur, aliæ enim ſunt eius partes, quas cum Romanis & Græcis menſuris fuſius comparat Monetus in Inuentario Latinæ & Gallicæ linguæ, *verb. muy.* Quod etiam Budæus præſtitit *lib. de aſſe.* Pondera quoque ſtatuerunt, voluntque libram pendere duos marcbos, quos idcirco qui Latiniùs loquuntur, ſelibras Franticas, ſiue beſſes Romanos appellant: quælibet ſelibra ſiue *Marc* pendit octo vncias, vncia octo groſſos, ſiue ſemiſicilicos, groſſus aut ſemiſicilicus tres denariolos, denariolus grana viginti quatuor, granum totidem carolos. Sunt & *felini* & *eſterlins, oboles*, de quibus ſingulis dicere non eſt animus, cùm in prouinciis in quibus vſui ſunt, cognitæ ſint, & negotiatores qui apud eiuſmodi prouincias commercia exercent, ſingulas eas menſuras noſſe, & aliarum prouinciarum in quas merces diſtrahunt, menſuris illis aptare debeant. Secundò præſcripſerunt Principes noſtri ſuis illis conſtitutionibus modum dimenſionis agrariæ, & ædificiorum, deinde pannorum, eiuſmodique aliarum rerum, quarum dimenſionem fieri volunt mutuo coeuntibus vlnæ extremis, ſiue capitibus, pollicis excluſa intercapedine. Denique trutinæ & ſtateræ formam, quale debeat eſſe illius iugum, & quomodo compingi, ſingillatim explicant. Tertio denique menſuram Archetypam ſiue ferream, ſiue æneam ſeruari in domibus ciuicis iubent, vt ad illam cæteræ menſuræ exigantur, quarum etiam extrema vel Regis ipſius, vel ciuitatum, vel Dynaſtarum loci inſignibus, ne adulterari poſſint, notari debeant. Hæc verò omnis ſollicitudo ad fraudes amoliendas neceſſaria fuit.

ARTICVLVS IX.

Quæſtiones Conſectariæ.

CONSECTARIVM I. *Quale peccatum ſit pondera & menſuras corrumpere.*

II. *An liceat augere aut minuere menſuram ſeruata pretij æquitate.*

III. *Quomodo intelligenda ſit venditio aliave alienatio ad menſuram vel numerum, & quid illa operetur.*

IV. *Caſus ſingulares & legum aliquot intellectus.*

EX hac tam anxia Principum cura, & exacta diligentia in conſtituendis certis & conſtantibus menſuris facilè colliges, quanti momenti exiſtimarint in hac re publicæ rei conſulere; ex eoque

que ſapientiſſimorum virorum communi ſenſu plurimas quæſtiones non fuerit operoſum dirimere.

Consectarium I.

Quale peccatum ſit pondera & menſuras corrumpere.

CErtum eſt hanc fraudem circa menſuras & pondera commiſſam violare iuſtitiam commutatiuam; quia qui ita fraudat ſocium, plus habet quam debeat habere, & ſocius minus habet, quam debeat habere, atque ita illi fit iniuria, & ſimul damnum irrogatur. Crimen præterea falſarij incurrit, violando fidem publicam, quæ in menſuris ſeruanda eſt. Ita Gabr. *in 4. diſt. 15. q. 9. art. 2. conc. 6.* Anton. *2 part. tit. 1. cap. 18* §. 7. Tabienna *verb falſarius*, §. 10. Sylu. *verb eod. n.* 11. Rebell. *lib. 9 q* 10, *n.* 8. Quoad grauitatem vero criminis, petenda quidem eſt illa ex maiori, aut minori damno & iniuria qua ſocius violatur. Verum difficultas eſt ex eo quod non ſoleat ſingulis graue damnum afferri iniquis iſtis ponderibus & menſuris, ſed leue aliquod ſingulis, ideóque non videntur committi niſi leuia peccata ſæpius repetita quæ non faciunt peccatum aliquod mortale, cum ſimul non coëant in vnum: neque etiam retentio totius illius ſummæ minutis eiuſmodi fraudationibus collectæ, mortalis erit, cùm non retineat niſi leue quidpiam ſingulis, eæque minutæ ſummæ non magis coëant in vnam ſummam retinendo, quam primum accipiendo. Hinc etiam non apparet vnde & quænam oriatur obligatio reſtituendi, cuique facienda ſit ea reſtitutio, cùm infiniti propemodum defraudati fuerint, neque conſtet quænam, quinã, & quanti læſi fuerint. Hæc gemina difficultas in omnibus leuibus furtis ſubductis à pluribus excitatur. Nos primam illam de grauitate, aut leuitate minutorum eiuſmodi furtorum, maximè ad vnius plures admiſſorum definiuimus *in opere de vſuris lib. 1. c.. art..* vbi de furculionibus & minimis fœneratoribus fusè diſputauimus; vbi etiam aliquid diximus de obligatione reſtituendi, quod iterum pertractabimus *in appendice*, vbi de tota reſtitutione diſputabimus, cùm nulla ſit ſingularis in noſtro caſu difficultas. Immo illum fere omnes DD. in conſtituendo controuerſiæ themate ponere ſoleant. Neque hoc loco amplius aliquid adiicere placet.

Consectarium II.

An liceat minuere vel augere menſuram ſeruata pretij æqualitate.

Illa minutione violatur iuſtitia. 1.
Quid, quando pretium definitum eſt minus æquum. 2.

CErtum quidem eſt quoties pretium rei lege definitum eſt ratione certi ponderis, aut menſuræ, ſi minuatur pondus aut menſura, quamuis emens illum defectum norit, & nihilominus emat, peccare venditorem, & teneri reſtituere quantum defuerat ponderis aut menſuræ, ſiue pretium, quod illi parti, quæ per imminutionem ponderis, aut menſuræ defuit, reſpondebat. Immò tunc ementi dari actionem in foro externo exiſtimauit Molina *tract. 2. diſp.* 353. *n.* 31. Quia cùm pretium quod ratione certi alicuius ponderis, & menſuræ, ſiue vt vno verbo dicam, quantitatis, publica lege & auctoritate fuit definitum, conſiſtat in indiuiſibili, quantum de pondere & menſura, ſiue de quantitate detrahitur, tantum de pretij quoque quantitate detrahi debet; alioquin violatur iuſtitia commutatiua, & accipitur integrum pretium pro re ſubſtantialiter imminuta, & quæ non æquiualet toti pretio quod accipitur, niſi dicas pretium illud inæquale eſſe toti rei, ſiue quantitati illius rei quæ emitur. Erit itaque obligatio ad reſtitutionem, neque ſcientia ementis, qui proinde conſentire videtur in eam fraudem, & volens decipitur, ac proinde illum exceſſum pretij lubens condonare cenſeri poſſet, excuſat venditorem hoc caſu: neque enim eiuſmodi cõſenſus voluntarius ſimpliciter fuit, ſed ex parte inuoluntarius. Quia nõ poterat aliter emere, neque ſuis querelis quidpiam profecisset, ideoque ſatius illis abſtinendum eſſe iudicauit.

Maior difficultas eſt quando pretium definitum minus æquum eſt, an tunc liceat abſque peccato immutare pondus aut menſuram, minuendo vel augendo, ſeruata tamen iuſti naturalis æquitate, quod eſt thema quæſtionis poſitæ: modius v. g. frumenti, aut vini, libra panis triticei aliarumque mercium, certo pretio definita eſt a Magiſtratu, quod pretium venditor excedere non audet, cùm tamen reuera minus æquum ſit aliqua parte. Quare venditor vt ſe indemnem ſeruet, callide menſuram vel pondus minuit, quod idem contingit in emente. Cum enim pretium taxatum maius ſit quam par ſit, vt ſe indemnem quoque præſtet emens, & iniquum illum pretij definiti exceſſum vitet, pondus & menſuram conſuetam auget. Quæritur itaque an peccet, & ad reſtitutionem obligetur? Idem contingit quoties emptor, vel venditor aduertit circa aliquam mercem eſſe monopolium, conuentione ſi quidem & conſpiratione quadam ſiue expreſſa, ſiue tacita mercatores nolunt niſi certo quodam pretio emere aut vendere. Neque illud pretium ſatis æquum reuerà exiſtit, cumque aliter venditor, emptórve nequeant huic conſpirationi occurrere, neque mercem illam vendere aut emere tali pretio ſine ſuo damno, ad illud vitandum pondus vel menſuram immutant, retenta tamen æquitate pretij. Communis ſententia excuſat iſtos à peccato. Quare Sylu. *verb. emptio, q. 19. num* 20. allegans Archid. damnat quidem Tabernarios dantes menſuram vini diminutam, *quia decipiunt & damnificant emptores*: Et contrariam conſuetudinem corruptelam iure nominat. Excuſat tamen quando id faciunt ad ſuam indemnitatem, & lucrum moderatum, quia ſi plenas menſuras exhiberent, deberent pretium augere, quod non licet, vel quia ſtatuto definitum eſt, vel quia paucos, aut nullos emptores inuenirent. Addit de muliere dante *ad filandum*: ſi enim det XIII. vncias, & tamen non ſoluat niſi pretium libræ, quæ eſt XII. vnciarum; ſi ita fert conſuetudo non peccat, quia licet eiuſmodi cõſuetudo turpis exiſtat, in eam tamẽ conſentit quæ pro eo pretio laborat. Verùm conſuetudo non poteſt reddere iuſtum, quod naturaliter iniuſtum eſt. Itaque intelligendi ſunt Archidiacon. & Sylu. de pretio quod nõ eſt euidenter iniuſtum, & quod

æquũ

æquè conſuetudine, atque ipſa lege definiri poterit. Quidni etiam ſicut pondera medica & communia inæqualia ſunt, poterit ſimilis quædam inæqualitas inter artium quarumdam pondera lege vel conſuetudine induci, ita vt quarumdam aut mercium, aut materiarum quæ elaborantur, libra ſit plurium, vel pauciorum vnciarum, eiuſdemque libræ pretium definiri. Soto *lib.6. de iuſtit. quaſt.* 3. *art.* 1. minui poſſe menſuras & pondera in caſu noſtræ quæſtionis fatetur. Sicut & Medina *quaſt.* 34. *de reſtitut*, qui in vniuerſum pronunciat defectum mercis in quantitate poſſe à venditore occultari, ſeruata æqualitate pretij, vt ſe ſeruet indemnem. Conſentit Conrad. de contractibus *quaſt.* 54. *corollar.* 4. vbi quod Sylu. de more patriæ fuſiùs explicat, licitamque eſſe ait eam imminutionem ponderum ac menſurarum vel conſuetudine vel auctoritate Magiſtratus, vel ab ipſa communitate paſſim inductam. Addit & de panno, qui vbi tonſus & madefactus fuit, deinde contrahitur, ita vt aliquando tres vlnæ coarcentur ad duas cum dimidia, quia illa diminutio ex ſe ineſt merci, & emptor ſcire facile poteſt. Si maiori pretio vendat, quàm ſi menſura non eſſet diminuta, non peccabit occultando. Alia ſimilia exempla affert. Quare quoties *deſcenditur in pretio*, vt ipſi loquuntur, defectus iſte quantitatis aperiri non debet à venditore. Denique hanc eandem ſententiam docent plures alij quos affert & ſequitur Salas *de emptione, dubio* 35. *numer.* 4. Ratio eſt quia cùm in his omnibus ſeruetur æqualitas, non committitur vlla iniuſtitia. Huic tamen communi opinioni ita adhærent periti recentiores, vt plures conditiones requirant, ne viam fraudibus aperiat. Periculoſam & damnandam dixit Rebell. *lib.* 9. *quaſt.* 10. *num.* 8. niſi præter illam cauſam ſeruandæ propriæ indemnitatis, & poſitam pretij æqualitatem, adſit aliqua neceſſitas, qua vel ab aliquo iniuſtè cogaris eiuſmodi merces vendere, vel tua ars Reipublicæ ſit neceſſaria, neque alio modo poſſit exerceri, neque damnum alicui tertio inferatur, vti contingit in piſtoribus, qui panem minoris ponderis quàm ſtatutum ſit, conficiunt, & qui alioquin ſuo debito ſtipendio, & lucro carerent, cùm iuſtum non ſit illos ſuo damno tam neceſſariam Reipublicæ artem exercere. Idem contingit in œnopola, qui iniuſto pretio vinum vendere cogitur: poterit enim fraudatis menſuris damnum eiuſmodi compenſare. Molina verò *diſp.* 353. *num.* 32. monet Confeſſarios diligenter excutere conſcientias horum qui cauſantur iniuſtum eſſe pretium frumenti, vini, aliarumve eiuſmodi rerum definitum, & attentis omnibus diligenter circumſtantiis rem definire, neque laxandas conſcientijs habenas, ſed adducendas potius eſſe. Denique Ferdinand. A Caſtro Palao *de iuſtit. diſp.* 5. *punct.* 11. *num.* 5. negat facilè præſumendas eſſe iniquitates in Magiſtratu, aut in communitate definiente pretium, & quantitatem ſimul rerum venalium, ſed cupiditatem potius venditoris, pondus & menſuram minuentis.

CONSECTARIVM III.

Quomodo intelligenda ſit venditio, aliave alienatio ad menſuram, vel numerum, & quid illa operetur.

Quid ſit venditio in genere; quid in ſpecie. 1.
Quid venditio ad corpus; quid ad menſuram. 2. 3.
Illarum venditionum diſcrimina. 4. 5.
An mutandum ſit pretium quando in re vendita ad corpus, non reperitur expreſſa quantitas. 6.
Quid in gratuitis diſpoſitionibus. 7.
Vnde cognoſcatur quomodo ſit appoſita quantitas. 8.
Et an ad corpus, an ad menſuram ſit facta venditio. 9.

HÆc quæſtio pluribus enodandis difficultatibus circa rerum menſurabilium & ponderabiliũ diſpoſitiones neceſſaria omnino eſt. An vltra præſcriptam menſuram, aut infra eam actus, contractus, aliave diſpoſitio obtineat, vel reſcindi poſſit. An ſupplenda ſit menſura quæ deeſt, vel detrabenda quæ ſuperfluit. An augendum pretiũ, vel minuendum. An res tota cenſeatur vendita, vel donata aut legata, etiamſi plures menſuræ reperiantur, quàm fuerint initio deſignatæ; ſi res ſic empta ante traditionem pereat vel tota, vel ex parte, quia minuitur & decreſcit, vel è contrario creſcat. Cuiuſnam periculo minuatur, vel creſcat, aliaque eiuſmodi, quæ iuris ambigui eſſe ſolent.

Obſerua verò quod venditur, donatur, legatur, aut alia ratione, & contractu ſiue oneroſo, ſiue lucratiuo alienatur, vel eſſe aliquid determinatum in indiuiduo, aut corpus, vt hoc mancipium, hæc domus, hoc prædium, hic equus, hic grex, hoc vini dolium: vel aliquid indeterminatum, vt decem amphoræ vini, viginti modij tritici, decem oues, non determinando in indiuiduo, quas vendat aut donet, quam venditionem, aliamve diſpoſitionem Iuriſperiti dicunt fieri in genere, ſicut & priorem illam in ſpecie. Iam enim alias *in opere de vſuris lib.* 1. *c.* 1. atque alibi ſæpius monuimus Iuriſcõſultos appellare ſpeciẽ & genus, quod Logici nominant indiuiduũ, & ſpeciem. Hæc autem venditio rei in genere, v. g. decem vini amphorarum, vel modiorum tritici, fieri poterit duobus modis. Primò deſignando quidpiam vnde res vendita deſumenda ſit, v.g. talẽ aceruum tritici, vel triticum Campanum, Tuſculanum, vinum ex tali vinea, tali, dolio. Secundò nihil prorſus apponitur quoad certum aliquod genus deſignetur. Eſtque magnum diſcrimen inter iſtas duas venditiones: Nam cùm res determinata in indiuiduo vendita eſt, & ante traditionem perit abſque vlla venditoris culpa, damno emptoris perit, & non venditoris, §. *cum autem, iuncta gloſſ. Inſt. de emption. & vend. l. quod ſæpè* 35. §. *ſi res. D. de contrah. empt. l. neceſſario* 8. *D. de periculo & com. rei vendita.* Atque alibi. Quando verò res indeterminata vendita eſt, aut donata ab-

ſolutè

ſolutè abſque vlla reſtrictione aut ordine ad certum aliquod corpus, aut certam multitudinem ſiue numerum, ſi res pereat, venditori peribit. V.g. vendit quis decē oues abſolutè nulla facta deſignatione, etiāſi omnes ipſius oues pereant, nō liberabitur vēditor: ſicut etiā ſi vendat tres vini amphoras, aut modios tritici optimi, nulla facta alia deſignatione, quæ ad certum aliquod corpus aut multitudinem reſtringeret, etiamſi omnia eius dolia effluant, & triticum totum corrumpatur, rem tamen venditam præſtare tenebitur, quia emptor non acquiſiuit ius ad vllam rem in ſingulari, eſtque in arbitrio venditoris tradere ipſi aliquam indefinitè talis ſpeciei, & qualitatis. Ideoque quæcumque res pereat apud venditorem, non poteſt dici periiſſe illam, quæ emptoris fieri debebat, aut ad quam emptor ius acquiſiuerat, ac proinde nihil ipſi prorſus perit; non quidem res illa determinata, quia eius nondum facta erat, manebatque adhuc in dominio venditoris; non periit etiam ius ad illam, quia emptor non habebat ius ad illam in ſingulari, ſed ad aliquam indefinitè. Ius enim emptoris reſpondet obligationi venditoris, atqui venditor non obligabatur niſi indefinitè ad aliquam tradendam, igitur neque emptor acquiſiuerat ius, niſi ad aliquam indefinitè comparandam, quod ius emptoris, & illi reciproca venditoris obligatio manent, quamdiu res aliqua indefinita manet, quibuſcumque ſingularibus pereuntibus. Qua de cauſa dicunt Iuriſconſulti genus perire non poſſe: ſemper enim manet in aliqua ſpecie aut indiuiduo, quocumque alio deſtructo. Atque adeò ius ad genus, quodque reſpicit tantùm aliquod indefinitum & indeterminatum indiuiduum, ſiue potius quodcumque indiuiduum æquè primo attingit; æquè perpetuò manet atque ipſum ius. Quod totum probat Anton. Gomeſ. *tom. 1. variar. Reſolut. capit. 1. num. 32.* ex *leg. incendium 11. Cod. ſi certum petatur.* Vbi dicitur incendium non liberare debitorem ære alieno: cauſam afferunt DD. quia debitor mutui, genus debet, quod nunquam perit, & quod in genere debetur, perire non poteſt, *§. 2. verſ. & is quidem. inſtit. quibus modis re. l. 1. §. 4. D. de obligat.* Addunt genus non eſſe aliquid materiale, ſed ſpirituale, quod neque paſſionem, neque interitum patitur, quod ita intelligendum eſt, vt illud genus quod debetur non ſit tantùm illa natura vniuerſalis a ſuis omnibus indiuiduis per operationem intellectus abſtracta & ſpoliata, ſed quia non eſt affixum alicui certo indiuiduo, & omnia, vti dicebā, æquè primo reſpicit ſicut natura ipſa per intellectum abſtracta.

Quando res vendita eſt determinata ad aliquod corpus, aut rerum multitudinem, vt Vendo tibi tres amphoras ex meo dolio, tres modios ex meo aceruo, ex meo tali armento tres vaccas. Quamdiu ſupererunt tres amphoræ in dolio, modij in horreo, & vaccæ in armento, licet reliquū perierit, debebuntur à venditore; ſi verò totum dolium effluexerit, aceruus tritici corruptus fuerit, & totum armentum interierit, diſſoluetur contractus, & pretium emptori reſtituendum fuerit, quod non contingit in priori caſu, in quo venditor non liberatur ab implendo contractu, etiamſi illa omnia quæ tradere decreuerat, prorſus perierint, & magno ſuo damno cogatur aliunde comparare vt emptori ſatisfaciat, id enim ſuo infortunio tribuendum eſt. Ita ex communi ſententia Molina *tract. 2. diſp. 366. num. 4.* & Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 17. n. 13.*

Obſerua ſecundò res menſurabiles, ponderabiles, & numerabiles duplici modo vendi, & quapiam alia diſpoſitione aut contractu alienari poſſe; nimirum ad corpus vel ad menſuram, quo nomine comprehendunt numerum & pondus. Primo igitur res venditur ad corpus, quando non fit mentio quantitatis rei venditæ, non niſi demonſtrationis cauſâ, vt ſit nota, & ſignum quo ab aliis diſtinguatur. *Vendo tibi, vel lego meum prædium Tuſculanum: fructus mei fundi ſuburbani: vinum mea vinea tranſararina*: vel *Vendo tibi meum prædium decem iugerum, aut quod eſt decem iugerum: vinum mea vinea decem amphorarum, aut culeorum.* Hæc quantitas appoſita eſt venditioni, aut legato & donationi tanquam nota & demonſtratio rei venditæ, aut legatæ, & non tanquam reſtrictio quædam legati, venditionis, alteriuſve contractus, qui ad explicatam quantitatem ita reſtringatur, vt ſi res legata, donata aut vendita maioris aut minoris quantitatis reperiatur, eiuſmodi quantitas ſupplenda aut minuenda ſit à venditore, hærede & aliis. Denique venditio fit ad corpus, quando ad perficiendam venditionem quantitas non refertur ad menſurationem aut aliud quidpiam eiuſmodi, niſi ad ſignum & demonſtrationem ſenſibilem. Secundò res venditur, aut legatur ad menſuram, quando quantitas expreſſa non eſt demonſtratio duntaxat rei venditæ, legatæ, & quacumque alia emptione alienatæ, ſed eſt reſtrictio ipſius alienationis, ita vt non alienetur niſi quantitas deſignata, aut res ipſa ſecundum illam quantitatem, & non aliter. Quare ſi habeat quantitatem maiorem, quam fuerit aſſignata, ille exceſſus non intelligetur venditus. Verbi gratia, *Vendo tibi ex meo agro Tuſculano decem iugera: ex meo dolio decem amphoras.*

3 Obſerua tertiò quantitatem non tantum apponi venditioni, aliiſve contractibus per modum reſtrictionis, vti iam explicuimus, ſed etiam tanquam rei modum, cuius venditor vel formaliter & expreſsè, vel virtualiter & implicitè, certum facit emptorem, ad illumque ſe aſtringit. Vt *Vendo tibi meum prædium centum iugerum*: hoc eſt cuius modus eſt centum iugerum, quod ita eſſe affirmo, & illius modi prædij aſſeueratio cauſam dat contractui, alioquin Titius non emiſſet meum prædium, vel non eo pretio. Atque hac ratione modum vſurpauit Paul. *leg. ſi ſeruum 4. §. ſi modus D. de action. empt. Si modus agri minor inuenitur pro numero iugerum, author (id eſt venditor) eſt obligatus.* Atque hanc rationem apponendi quantitatem vix aduertēre Iuriſperiti, indeque ægrè ex quibuſdam difficultatibus ſeſe explicarunt, vti monuit Molina *d. p. 167. n. 3.*

4 Plurimùm verò intereſt, vtrum venditio fiat ad corpus, aut ad menſuram. Nam primò quando aliquid venditur ad menſuram, ſiue illud determinatum ſit, ſiue indeterminatum, ex aliquo tamen determinato, periculum rei venditæ antequam tradatur, numeretur, ponderetur, aut menſuretur, pertinet ad venditorem: facta autem traditione, vel ponderatione, pertinebit ad emptorem. V.g. *Vendo tibi ex meo illo grege ouium viginti: ex aceruo tritici decem modios: ex dolio octo vini amphoras*: vel *Vendo tibi hoc dolium vnâ libella Francica in ſingulas amphoras: hunc aceruum tritici duabus libellis Francicis in ſingulos modios: gregem meum, prædium meū hoc certo pro ſingulis pecorū capitib. & iugeris, pretio.* Si antequā pecora numerentur, menſurentur

amphoræ, aut modij; vel iugera; aut ante traditionem dolij, prædij, aceruí, aliquod ex illis pereat, ſiue mea culpa, ſiue alterius, ſiue caſu fortuito, aut quidpiam deterius fiat, id totum præſtare teneor, totumque damnum in me recidit. Secus verò ſi iam rei venditæ traditio, vel numeratio, aut menſuratio facta ſit, totum enim rei illius decrementum & incrementum damno vel commodo emptoris erit. Ita Conarru. *qq. practic.cap.* 3. *num.* 5.6. & 7. Molina *tract.* 2. *diſput.* 366. *num.* 5. & 6. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. *num.* 13. Rebell. 2. *part. lib.* 9. *quæſt.* 17. *num.* 6. & alij paſſim, quod probant ex manifeſto iure *l. quod ſæpe* 35. §. *ſed ſi ex doliario. D. de contrahenda emption. Sed ſi ex doliario pars vini venierit, veluti metreta centum, veriſſimum eſt, quod & conſtare videtur, antequam admetiatur, omne periculum ad venditorum pertinere, nec intereſt vnum pretium omnium metretarum, an ſemel dictum ſit, an in ſingulas.* §. verò *In his*: apertè ſignificat poſt menſurationem & numerationem factam, quamuis res vendita adhuc apud venditorem remaneat, totum illius periculum ad emptorem ſpectare. Rationem reddit Caius ex Sabino, & Caſſio prudentiſſimis Iuriſconſultis, quos refert. Quia in priori illo caſu nondum facta menſuratione, nondum quoque venditio perfecta eſt: includit enim tacitam conditionem, quæ nondum poſita eſt, venduntur ſingulæ amphoræ, ſinguli modij, & ſingula pecora ac iugera, aut pondera; ſi nempe dimenſio, ponderatio, aut numeratio fit. Atqui quamdiu futura conditio ſub qua contractus aliquis celebratus eſt, non ponitur, contractus quoque nõ perficitur. Dum verò rerum ad menſuram aut pondus venditarum menſuratio, & ponderatio facta fuit, venditio omni ex parte facta eſt, reſque ad emptorem pertinet, illique aut perit, aut manet. Quod enim ipſam apud venditorem reliquerit, nihil obeſt perfectioni venditionis, cùm illam iam per eiuſmodi menſurationem ſibi vindicarit. Et hæc traditio hoc loco non eſt tantum naturalis datio, vel de manu in manum tranſlatio, ſed ciuilis poſſeſſionis tranſlatio, id eſt, vt & qui tradit domini animum deponat, & qui accipit ſumat. Quod fit hoc caſu per eam menſurationem, licèt deinde emptor rem ſuam apud venditorem adhuc manere velit. Quando verò quidpiam venditur ad corpus, & non ad menſuram, aut ſub alia conditione quapiam pendente, vt *hoc mancipium, hæc domus, hic ager, hoc vini dolium, hic aceruus tritici.* Eo ipſo quod celebrata eſt venditio, perfecta quoque cenſetur, & periculum, ſicut & commodum rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinet. Ita Molina, Gomes, Conarru. aliique nuper laudati; habeturque in allata lege, *quod ſæpe* 35. §. *in iis. D. de contrah. emption. leg.* 1. & 2. *D. de peric. & comm. rei vendita*, & *leg.* 1. *ac ſequent. Cod. eod.* Cuius rei rationem male ducit Sylu. *verb. emptio, quæſt.* 2. *dicto* 4. eo quod emptor iam dominus fuerit illius rei etiam ante traditionem; quàm enim id falſum fuerit docebimus *libro* 2. Neceſſaria enim eſt ad eam tranſlationem dominij aliqua traditio, quæ variis modis fit: cauſam igitur diſcriminis inter venditionẽ factam ad corpus & ad menſuram, quoad effectum de quo agimus, affert Molina *diſp.* 366. *num.* 11. quod id ita iura conſtituerint ſumma ſane æquitate. Cùm enim perfecta eiuſmodi venditione ad corpus, venditor conſtituatur debitor dumtaxat rei alicuius determinatæ & ſingularis, ad eamque ſolam emptor ius acquiſiuerit, iure meritò voluerunt Sapientes vt totum illius rei commodum, aut damnum ad emptorem ſpectet, atque adeò ſi vel melior, vel deterior res illa euadat, id cedat in beneficium, aut diſpendium emptoris, non venditoris, qui illius debitor eſt. Obſerua verò cum eodem Molina *diſp. citata* 366. *n.* 19. venditionem tribus modis dici perfectam. Primò quia contractus ita celebratus eſt, vt ab eo nequeant recedere contrahentes. Secundò vt periculum rei emptæ pertineat ad emptorem. Tertiò vt dominium etiam tranſlatum ſit, quæ eſt vltima perfectio & complementum venditionis: & non eſt ſemper neceſſarium vt rei periculum aut commodum ad emptorem pertineat. Hoc porrò diſcrimen eorum quæ ad corpus, & quæ ad menſuram venduntur totum explicuit Caius in citata lege *Quod ſæpe* 35. §. *in iis. D. de contrab. empt.* quam idcirco referre placet. *In his quæ pondere, numero, menſuráve conſtant: veluti frumento, vino, oleo, argento, modò ea ſeruantur, quæ in cæteris, vt ſimul atque de pretio conuenerit, videatur perfecta venditio: modò, vt etiamſi de pretio conuenias, non tamen aliter videatur perfecta venditio, quam ſi admenſa, appenſa, numeratáue ſint.* In quibus verbis vides duos venditionis modos harum rerum, quædam enim abſolutè venduntur, & eadem ratione quâ cætera quæ menſurabilia non ſunt, quædam verò venduntur ad menſuram. In priori illo caſu ſtatim atque de pretio conuentum eſt, perficitur venditio, non verò in poſteriori; pendet enim à futura menſuratione, quam includit tanquam conditionem. Itaque donec res admenſa, appenſa, numeratáve fuerit, non cenſetur perfecta venditio. Pergit deinde Caius explicare quandonam res veneat tota, ſiue ad corpus vel ad menſuram, quod inferiùs excutiemus.

Alterum diſcrimen inter duplicem illam ven- 5
ditionem ad corpus, & ad menſuram, eſt quod in venditione ad corpus tota res, cuius eſt expreſſa aliqua quantitas, vendita, donata, aut legata cenſeatur, etiam quoad incrementum, ſi quod deinde illi acceſſerit, aut ſi maior quantitas in ea reperiatur, quàm quæ fuerat expreſſa; tota tamen eiuſmodi quantitas vendita reuerà eſt. Neque poteſt venditor iure illud incrementum ſiue exceſſum maioris quantitatis ſibi retinere, aut de de eo in gratiam alterius quapiam ratione diſponere. Quando autem venditio facta fuit ad menſuram, res tota non venditur, ſed ſecundum quantitatem expreſſam dumtaxat. Quare ſi quid amplius reperiatur, illud ſibi ſeruare poterit venditor, deque ipſo pro arbitrio diſponere, quamuis emptor offerat pretium illius exceſſus & incremẽti. Ita laudati nuper DD. magno conſenſu, & habetur *l. qui fundum* 45. *D. de euictionib.* vbi Alphen. ait, eũ qui fundum quem dicebat eſſe centum iugerum, vendidit, teneri de euictione partis illius emptori, etiamſi quod relinquitur, euicta illa parte ſit adhuc centũ iugerum. *Qui fundum tradiderat iugerum centum, & fines multò ampliores emptori demonſtrauerat, ſi quid ex his finib euinceretur, pro bonitate eius emptori præſtandum ait, quamuis id quod relinqueretur centũ iugera haberet.* Non poteſt autem venditor obligari ad præſtandam emptori partem euictam, niſi quia illa ſimul cum reliquis vendita fuerat. Ratioque euidens eſt, quia cùm facta fuiſſet venditio ad corpus fundi illius, totus fundus erat venditus, ac proinde venditor tenebatur de euictione cuiuſcumque illius partis. Hæc verò non contingunt in venditione ad menſuram, quia ſingulæ menſu-

ræ,

Digitized by Google

tæ, aut pondus, aut numerus exprimuntur, illæque duntaxat venduntur centum amphoræ, modij centum, centum pondo, quinquaginta pecudes, qui numerus capitum, & menſurarum, ac pondo venditur, & non alius. Quare ſi plura reperiantur, manent venditori, ſi pauciora ab ipſo ſufficienda erunt, vt menſuræ, & numerus atque pondus quæ expreſsè vendita fuerant, compleantur. Quod æquitas ipſa naturalis ſtatim demonſtrat.

6 Grauis porrò difficultas exiſtit, an quoties in venditione facta ad corpus, in qua res, vti diximus, tota venditur, non reperitur eadem quantitas expreſſa, quia vel maior vel minor eſt; mutandum ſit pretium initio conſtitutum, augendum nimirum ſecundum exceſſum, qui reperitur, & minuendum ſecundum defectum. Certum quidem eſt quoties ea venditio non fit vnico pretio pro tota re quanta, ſed diſtincto pro ſingulis menſuris, augendum eſſe pretium, ſi plures menſuræ reperiantur, aut detrahendum, ſi pauciores exiſtant. Verbi gratia, vendo tibi prædium quod eſt centum iugerum tribus aureis pro quolibet iugere, quia tunc eſt venditio ad menſuram, & non ad corpus. Quod apertè dixit Caius in allata *lege, Quod ſæpè?* vbi ait plurimum intereſſe, an omne vinum vel oleum, vel frumentum, vel argentum quantumcumque eſſet, vno pretio venierit; an verò vt in ſingulas amphoras, in ſingulas metretas, in ſingulos modios, in ſingulas libras certum pretium diceretur. Nam in primo caſu ſtatim perficitur venditio, non in ſecundo, niſi poſt menſurationem, appenſionem & numerationem, à quibus tanquam à conditione pendet, quia iſta ſingula venduntur, & non tantum corpus: ideo cùm ſingulis reſpondeat ſuum pretium, quot erunt res venditæ, tot erunt multiplicanda pretia. Sic enim definiuit Paul. *leg. qui fundum* 40. §. *qui agrum. D. de contrah. empt. Qui agrum vendebat, dixit, fundi iugera decem & octo eſſe, & quod eius admenſum erit, ad ſingula iugera certum pretium ſtipulatus erat: viginti inuenta ſunt, pro viginti deberi pecuniam reſpondit.* Tota itaque difficultas eſt de vera venditione ad corpus, in qua, vt dixi tota res venditur vnico pretio, non diſtinctis, quæ in ſingulas eius partes cadant, tunc enim eſſet, vt monui, venditio ad menſuram, vel tot venditiones, quot ibi ſunt partes rei venditæ. Quando autem & tota res vendita eſt venditione ad corpus vnico pretio, & quantitas fuit expreſſa per modum demonſtrationis, & non reſtrictionis; quæritur, An teneatur emptor pretium augere ſi maior quantitas reperiatur, quàm fuerat expreſſa, aut ſi minor exiſtat, minuere debeat pretium venditor. An verò quod ab initio conſtitutum fuit, ſeruandum. Ita enim affirmant Anton. Gomez *tom.* 2. *capit.* 2. *num.* 16. & 32. neque abeſt Rebell. *lib.* 9. *quæſt.* 17. *ſect.* 2. quia quantitatis expreſſio in eo caſu non reſtringit venditionem, ſed rem venditam demonſtrat. Falſa autem demonſtratio non vitiat venditionem, donationem, aut legatum, *leg. demonſtratio* 17. *D. de conditionib.* Totum itaque incrementum, aut decrementum, ſi quod ſit, cedet emptori. Molina *verò diſput.* 367. ait minuendum, augendúmve eſſe perpetuò pretium pro augmento, aut decremento quantitatis expreſſæ, quia alioqnin vel emptor, vel venditor deciperetur. Neque enim emptor emiſſet, aut venditor vendidiſſet, ſi ſciuiſſet aliquid deeſſe quantitati expreſſæ, vel illam excedere. Quare expreſſio quantitatis non eſt demonſtratio duntaxat, ſed modus rei, quod non ſatis aduerterunt plerique; & propter eum modum rem emit emptor, qui illam vel empturus non erat, vel non eo pretio. Quod idem dico de venditore, qui vel non vendidiſſet rem ſuam, vel non ea ratione. Quidam alij mediam viam inſiſtunt, & vbi incrementum, vel decrementum leuia ſunt, negant mutandum eſſe pretium, ſecus ſi exceſſus, aut defectus ab expreſſa quantitate momenti alicuius exiſtant, quia tunc contrahentes inuiti ſine dubio exiſtunt, in eo tamen caſu fauent emptori potius quàm venditori, qui rei ſuæ quantitatem ſcire debuit, & non illam temerariò exprimere, atque ita emptorem allicere ſimulque decipere.

Placet diſtinctio inter exceſſum & defectum hoc loco; propter exceſſum enim non debebit augere pretium venditor, cum verò reperitur defectus ab expreſſa quantitate, tenetur in conſcientiæ foro minuere pretium, ad idque in foro externo compelli poterit actione quanti minoris. Ita Couarru. *qq. practic. cap.* 3. *num.* 2. vbi plures alios adducit Fachinæ. *lib.* 2. *controu. capit.* 21. Ferdinand. à Caſtro *de Iuſtit. diſp.* 5. *punct.* 21. Neque tandem diſſentit Rebell. Et prima quidem pars facilè oſtenditur. Cùm enim venditor reuerà voluerit rem illam, cuius quantitatem expreſſit, vendere, venditio neque inualida, neque reſcindenda fuit eo quod ſeipſum deceperit in eiuſmodi expreſſione, & multò minus ſi quantitatem nouerat, & ſciens deceperit. Quia cùm tota illa expreſſio facta fuerit vt emptorem efficacius incitaret ad emendum, quod & obtinuit, cur ſua fraus illi patrocinabitur, & cur damno erit ipſi decepto potiuſquam decipienti? ille enim dupliciter grauaretur, cùm & inuitus rem illam emerit, & deinde pretium augere cogatur: facilíſque via fraudibus in commerciis aperiretur. Eaque eſt Celſi mens in *l. ſi venditor* 38. *D. de action. empt. Si venditor hominis dixit peculium eum habere decem, nec quemquam adempturum, etſi plus habet, totum præſtet, niſi hoc actum eſt, vt duntaxat decem præſtaret, ſi minus eſt, præſtet eſſe decem, & talem ſeruum eſſe, vt tantùm peculij habeat.* Et Paul. *l. ſi duorum* 42. *D. eod. Si duorum fundorum venditor, ſeparatim de modo cuiuſque pronunciauerit, & ita vtrumque vno pretio tradiderit, & alteri aliquid deſit, quamuis in altero exſuperet, fortè ſi dixit vnum centum iugera, alterum ducenta habere, non proderit ei, quod in altero ducenta & decem inueniuntur, ſi in altero decem deſint.* Laudatque in hanc rem Labeonem auctorem, qui duo clariſſimi Iuriſconſulti obligant venditorem præſtare totum id quod expreſſit. Si igitur non præſtet, pretium totum capere non poterit. Neque inæqualitas eſt in eo quod venditor defectum expreſſæ quantitatis præſtare debeat, & emptor exceſſum ſibi retinere iure poſſit, quia venditor ſibi ipſi deceptionem debet imputare, & illa occultatione ſicut & defectu in qualitate, venditionem corrupit, & emptori fecit iniuriam. At verò emptor ea quantitate motus eſt ad emendum, proque illa pepigit, quod ſi maior reperiatur, imprudentiæ ſuæ tribuat venditor, totum enim vendidit, cùm ad corpus vendidit, & non ad menſuram, vti faciſſe poterat.

Conſentiunt nihilominus omnes in donationibus, legatis, & aliis eiuſmodi gratuitis, & non oneroſis alienationibus, & diſpoſitionibus, ſi donator aut teſtator falsò expreſſerit quantitatem rei donatæ, aut legatæ, non idcircò donationem vel lega- 7

nomine omne continetur, quod adhibitum, naturam eius cui adhibitũ eſſet, mutat, cùm id quod nos venenum appellamus Græci φάρμακον dicunt: apud illos quoq; tam medicamenta, quam quæ nocent hoc nomine continentur, vnde adiectione alterius, nomine diſtinctio fit. Admonet nos apud eos ſummus Poëtarum Homerus. Nam ſic ait.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Venena multa quidem bona, multa autem mala.

Idcirco Marcian. *in l. 3. §. 2. D. ad l. Cornel. de ſicariis*, ait veneni nomen medium eſſe, quia tam id quod ad ſanandum, quàm id quod ad occidendum paratum eſt, continet. Qua de cauſa lex Cornelia de ſicariis & veneficis *cap 5.* ſic habet. *Qui venenum necandi hominis cauſâ fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, punitur*, capite ſcilicet. Agit de veneno necandi hominis cauſâ, quod venenum malum eſt, cùm ſit & quoddam aliud non malum. Nomina media interpretatur Ægell. *lib. 12. cap. 9.* communia & ancipitia, vt ſignificare & capeſſere poſſint duas inter ſeſe res contrarias, vt tempeſtas, valetudo, facinus, dolus, gratia, induſtria, periculum etiam, & venenum, & contagium. De veneno quoque idem monuit Synopſ. Baſilic. *lib. 2. tit. 2. cap. 236. τῶν μέσων ἐστὶ τὸ ὄνομα τοῦ φαρμάκου, καὶ δεῖ προστιθέναι ἢ καλὸν ἢ κακόν.* Cum igitur omnia fere venena, depoſita nocendi vi, vtilia eſſe poſſint, & vendi & inuehi poterunt tanquam medium indifferens, vti de veneno amatorio dcinuante conceptionem dicitur *in cit. leg. 3. D. de ſicariis*; & nos etiam *lib. ſingulari de irregularitate cap. 4. quæſt. 2. conſectar. 5.* Quandonam verò res ex ſe indifferentes & mediæ, quæ malo viui eſſe poſſint, & ignotus eſt animus ementis, vendi poſſunt, diximus opere de viuris & commerciis *lib. 1. cap... art...* Itaque omnia venena non ſunt interdictæ inuectionis, quandoquidem vim noxiam deponere poſſunt, immò eſſe ſalutaria, vti apparet in ſtibio, quod antimonium nominant.

Ad hoc primum caput interdicti commercij quarumdam rerum propter illius turpitudinem aut damnum quod inde timetur aliis priuatis, refero venditionem ſeruorum criminoſorum, & fugitiuorum. Nam criminoſos, ne ad pugnandum quidem cum beſtiis vendere licuit, *l. Domini 42. D. de contrah. emption.* Eſt enim nimis inhumana illa, feraque adiectio; turpis autem conditio, vel modus non debet adiici venditioni. Serui autem qui in fuga ſunt, vendi nequeunt, vnde illa nata apud Caium quæſtio *in l. quod ſæpe 35. §. ſi quis. D. de contrah. emption.* An ſi quis amico peregrè eunti mandauerit, vt fugitiuum ſuum quærat, & ſi inuenerit, vendat, peccet contra Senatuſconſultum, quod nempe illam venditionem prohibet. Reſpondetque non peccare, quia ipſe non vendidit, neque amicum eius peccare, qui præſentem & iam à fuga retractum vendit: ipſe denique emptor qui præſentem emit, rectè intelligitur negotium gerere. Illud porrò Senatuſconſultum cuius meminit Caius, gloſſa ait fuiſſe Libonianum, quod anno v.c. 880. Libone Conſule ſub Adriano latum exiſtimauit Hotmann. Alij referunt ad an. vrbis 768. Lucio Scribonio Conſule, Principe Claudio Tiberio, à quo fuerit Claudianum appellatum; Libonianum à Libone Conſule, illud iuſſu Principis ad Senatum referente. Solebant enim edicta à Principe ad Senatum mitti, vt eius decreto approbarentur, vti oſtendit P. Faber *lib. 1. ſemeſtr. cap. vltimo.* A Claudio tamẽ Nerone perfectum edictũ de quo agimus, exiſtimauit Cuiac. *ad rubric. de falſis.* Non extat tamen vllibi hoc SC. Libonianum, ſed ſiue illud, ſiue aliud quodpiam fuerit, certum eſt legem Fabiã, aut Fauiam, vel Flauiam, vt aliqui volunt, prohibuiſſe ſerui fugitiui emptionem. Eius verba referuntur *l. 6. & 7. D. de plagiariis.* Vlpian. autem *l. 7. D. eod.* negat illam legem pertinere ad eos, qui cùm abſentes ſeruos haberent, eos vendiderunt; aliud eſt enim abeſſe, aliud in fuga eſſe. Qui fugitiuum vendit, plagij tenetur, qui à ſuo domino abſentem, non tenetur. Vid. *l. in fuga 6. C. de plagiariis.*

Ad eaſdem fraudes vitandas non licebat res li- 3
tigioſas vendere, quamuis enim eiuſmodi venditio per ſe & ex natura ſua, atque ipſo iure valeret, per exceptionem tamen iure prætorio non valebat, *l. 17. & l. 18. D. de rei vindic.* & *l. 1. D. de litigioſ.* Quod ſi vterque ſciuit, fiſco in rei æſtimationem tenetur, *l. 1. D. de iure fiſc. l. 2. D. de litigioſ.* ſi autem emptor ignorauit, venditor tenetur fiſco tantum in ſimplum, emptori autem in ſimplum & tertiam partem pretij, *l. vltim. C. de litigioſ.*

Alterum genus rerum interdicti commeatus, 4
eſt earum quarum commercium propter bonum commune totius Reipublicæ vetitum eſt; quare illas vel in ciuitatem & regionem inuehere, vel ab illa extrahere minimè licet.

Atque in primis aliquæ ſpectant ad libertatem & ingenuitatem ciuium tuendam, qua de cauſa liberi hominis commercium interdictum eſt. Qua de quæſtione fuſiùs diſputauimus nuper hoc *eod. lib. cap. 4. art. 1. conſectario 2.* & de mancipiorum quoque negotiatione *conſectar. 3.* & denique de eunuchis *conſectar 10.* illos enim ſi Romanæ gentis eſſẽt, ſiue in ſolo Romano, ſiue Barbarico factos, ad alicuius dominium transferri prohibuerat Conſtantin. grauiſſima pœna interminata, ipſi etiam Tabellioni, qui emptionis inſtrumentum confecerit, & illi qui octauam vel quidpiam aliud vectigalis nomine acceperat. Eunuchos autem Barbaros extra Romanam ditionem factos in commercium & negotiationem venire permittebat *l. 2. C. de eunuchis*, de qua fuſius diximus *conſectario 10. citato.* Voluit enim ſapientiſſimus Imperator has hominum ſpurcitias ab orbe Romano auertere.

Secundò prohibentur quædam exotica ad nimios & ſuperfluos cultus vitandos, luxúmque à Republica reiiciendum, importari, vt pluribus Regum noſtrorum ſanctionibus panni argento, auroque intexti, aliaque eiuſmodi, quanquàm non diu vrgeat eiuſmodi legum obſeruatio, omnia ſiquidem effrenis, & immoderata cupiditas repagula perrumpit.

Tertiò quædam externæ merces inuehi vetantur, vt domeſticæ diſtrahantur; qua de cauſa Franciſc. I. 12. Ianuar. an. 1538. inſiſtens veſtigiis Caroli VIII. & Ludouici XII. prohibuit ne panni Caſtellani, Catalannenſes, Perpinianenſes in Occitaniam conterminam importentur, vt proprij panni faciliùs diſtrahi poſſint. Similia alibi ſtatuta memorat Stracch. *part. 4. de mercat. n. 9.* vt Tergeſtinum, ne quis vinum inferat in ciuitatem poſt feſtum Omnium Sanctorum.

Quartò ne quæ ciuitati aut exercitui à Principe ſunt deſtinata diſtrahantur. Quare frumentum publici Canonis, ſiue annona popularis, id eſt, panes ciuiles, quos Princeps Pop. R. largiebatur, frumentum atque obſonia, quibus exercitum alebat, diſtrahi in publicis horreis, vti fiebat, Valentin. & Theodoſ. AA. prohibuerunt ſancita nobilioribus

bus omnium bonorum proſcriptione, ignobilioribus verò & vilioribus perſonis, capitali pœna, *l. 3. & 4. C. quares ven. poſſint:* vt in publicam frandem commercia contracta damnarent, & ne munus Principiũ in prædam lucrumq; verteretur.

Quintò rerum quarumdam negotiatio etiam intra ipſius Prouinciæ ac Ditionis terminos fieri vetatur, vt annonæ prouideatur. Meminit Straccha 4. *part. cit.* cuiuſdam decreti, ne quis vendendi negotiandíve causâ frumentum emere audeat, vt nempe occurratur penuriæ, quæ inde aliquando naſcitur, quòd aliqui frumentum vndique ſibi colligant, vt deinde quo libuerit pretio diſtrahant. Decretum verò eiuſmodi validum eſſe & æquum oſtẽdit Straccha, poſſeque iure ſuo annonæ præfectos ſtatuere, *qualiter, quo ordine, quantumve frumenti vendi poſſit, quolibet die vel menſe.* Vide Corſ. *in ſingul ſuis, verb. frumentum.* Legem quoque municipalem vetantem quemquam frumentum in foro coëmere, niſi victus causâ, affert & probat idem Straccha *num.* 35.

Sextò denique ad ornatum ciuitatis ſeruandum quorumdam commercium prohibitum fuit, qua de cauſa Alexand. Augnſt. *in l. 2. C. de ædificiis priuatis,* teſtatur *negotiandi causâ, ædificia demoliri, & marmora detrahere, edicto diui Veſpaſiani & SC. vetitum eſſe.* Hoc SC. Contius putat factum fuiſſe anno 5. Imperij Adriani, Auiola & Panſa Conſulibus, ex *l. 41. §. 1. D. de legat.* 1. Cuiacius verò *lib. 5 obſeru. cap.* 16. exiſtimat aliud fuiſſe edictum, aliud, quod edictum Adriani ſubſecutum ſit. Mauult tamen errorem eſſe in nomine Imperatoris, eo magis quòd huius legis ſententia Adriano tribuatur ab Spartiano. Huius SC. rationem affert Alexand. *Ne integris ædificiis depoſitis, publicus deformetur aſpectus.* Quam cauſam diſtinctiùs explicat, & priora in hanc rem edicta interpretatur Conſtantin. *l. 6. C. eod. Si quis poſt hanc legem ciuitate ſpoliata, ornatum, hoc eſt marmora, vel columnas ad rura tranſtulerit, priuetur ea poſſeſſione, quam ita ornauerit. Si quis autem ex alia in aliam ciuitatem labentium parietum marmora, vel columnas de propriis domibus in proprias transferre voluerit, quoniam vtrebique hoc eſſe publicum decus eſt, licenter hoc faciat. Data ſimiliter facultate etiam de poſſeſſione ornatum huiuſmodi ad poſſeſſionem aliam transferendi, quamuis per mures, vel etiam per mediam ciuitatem ea transferri neceſſe ſit, ita vt ea ſolummodo quæ illacta fuerint ciuitatibus, exportentur.* Ex qua conſtitutione, quam integram referre placuit, vt antiquos mores faciliùs intelligeremus, liquet non licuiſſe quidem ædificium totum, aut partem eius demoliri, materiæ in eandem vel aliam vrbem transferendæ causâ; non tamen vetitum fuiſſe quædam, veluti ornatus quoſdam ædificiorum, hoc eſt marmora, columnas, ſtatuas ex domo noſtra transferre in aliam domum æquè noſtram, *in l. cætera* 40. §. *item quær.* 3. *D. de legat.* 1. non tantùm intra vrbem eandem, ſed etiam ex vna vrbe in aliam vrbem, velut ex rure & villa noſtra in rus aliud, villamque noſtram, quod manifeſtò permittit hæc conſtitutio Conſtantini; cui tamen aduerſatur conſtitutio Iuliani *in l. 7. C. eod.* Vetat enim ex alia vel eadem prouincia columnas, ſtatuáſque auferri vel moueri. Hanc antinomiam plurimi conciliare conati ſunt, vti videbis apud Cuiac. *lib. 19. obſeruat. cap.* 19. quidam enim volunt conſtitutione Conſtantini permitti dumtaxat tranſlationem ornatus parietum labentium. Verùm licet illud exemplum referatur in ea lege, aliæ tamen cauſæ, quæ ad ſimilem tranſlationem impellere poſſunt, non excluduntur; maximè ſi vbique maneat publicum decus, quod vnum ſpectant omnes iſtæ leges. Alij dicunt prohiberi dumtaxat tranſlationem pro mercimoniis, non ornandorum aliorum ædificiorum causâ. Verùm lex prohibet columnas & ſtatuas auferri & moueri: auferuntur autem quæ detrahuntur, vt ex vno ædificio in aliud transferantur, mouentur autem quæ emuntur ex officinis. Quis verò dicat prohiberi ne quas emi à fabro vel ſculptore columnas aut ſtatuas, loco moueam. Itaque Cuiac. ait in primis hanc Iuliani conſtitutionem non referri integram *in l. 7. cit.* quod probat ex *l. 1. C. Theodoſ. de indulgent. debitor.* Et *l. 1. C. Theodoſ. de itinere muniendo.* Et denique *l. 15. C. Theodoſ. de curſu publico* In quibus omnibus locis alia capita huius Iulianæ conſtitutionis referuntur. Eandem enim in omnibus illis locis conſtitutionem adduci patet ex eadem & conſtanti inſcriptione ad Anitianum vicarium Africæ. Vnde etiam emendabis inſcriptionem legis ſeptimæ quam verſamus, quæ habet *ad Vitianum.* Porrò illa *leg. 15. de curſu publico,* prohibet Iulianus ne ad transferenda marmora priuatorum in ciuitates, vehicula aut iumenta prouincialium *ad canalem commoueantur, ne otioſis adinuentionibus, prouincialium patrimonia, fortunæque lacerentur.* Canalem appellat viam publicam, quod aliàs obſeruaſſe me memini. Synod. Sardic. ἐν ταῖς παρόδοις ἢ καναλίᾳ. Apulei. *lib. 6. Iam canale directè pergis ad ipſam Orci Regiam.* Et *lib. 9. Propellor ad incurua ſpatia flexuoſi canalis.* Permittit igitur Iulianus priuatis transferre marmora, & prohibet dumtaxat ne publicis prouincialium vehiculis eiuſmodi tranſlatio fiat. Nomine porrò marmorum non rudem tantùm & infectam materiam intellexiſſe Iulianum, ſed columnas, ſtatuas, aliaque marmorea opera ad ædium ornatum, nemo opinor dubitabit. Cùm itaque in *l. 7. Cod. de ædificiis priuatis,* vetat moueri & auferri marmora, non aduerſatur conſtitutioni Conſtantini, qui aliquam tranſlationem permittebat: ſed modum dumtaxat illius tranſlationis præſcribit, ne fiat iumentis & vehiculis publicis. Non poſſum non probare eruditiſſimi viri interpretationem, ſuſpicarer tamen Iuliani conſtitutionem plura complexam eſſe capita, quorum vnum erat de priuatorum ædificiorum ornatibus, ad quæ transferri poſſe marmora permittebat Conſtantinus, quod etiam concedit Iulianus, cùm vetet tantum adhiberi ad eam tranſlationem vehicula publica, quod potentiores quidam obtinebant à Proconſulibus. Neque diſtinguit Iulianus an ea marmora eſſent ab aliis antiquis ædificiis ablata, aut recèns elaborata, ſed dumtaxat negat illi tranſlationi vehicula publica. Aliud caput eiuſdem conſtitutionis erat de ædificiis publicis. Cùm enim piiſſimus Conſtantinus ſacra templa vero Numini ædificaſſet, tum Romæ, tum Conſtantinopoli, tum alibi ex fanorum ruinis, quorum columnas, aliaque ornamenta in ſacras ædes tranſtulerat, cuius piiſſimi Imperatoris exemplo pluribus in locis idem factitatum erat: Iulianus qui Ethniciſmum inſtaurare, & fana Deorum reſtituere tentabat, prohibuit ne aut illa diſiicerentur, aut eorum ornamenta aliò aueherentur. Itaque illo capite ſuæ ſanctionis, quod refertur *in cit. leg.* 7. columnas, & ſtatuas cuiuſcumque materiæ auferre aut mouere, etiam ex alia prouincia in aliam, ſeuerè prohibuit, & ſi quæ foret Conſtantini, aliorumve Imperatorum contraria lex, abrogauit.

Hæ

de actionib. empt. Si Titius fundum in quo nonaginta iugera erant, vendiderit, & in lege emptionis dictum eſt, in fundo centum eſſe iugera, & antequam modus manifeſtetur, decem iugera alluuione adcreuerint: placet mihi Neratij ſententia, exiſtimantis, vt ſi quidem ſciens vendidit, ex empto actio competat aduerſus eũ, quamuis decem iugera adcreuerint: quia dolo fecit, nec dolus purgatur. Si verè ignorans vendidit, ex empto actionem non competere. In hoc Vlpiani exemplo volunt Nobiliſſimi DD. venditionem illius fundi factam fuiſſe ad menſuram, certo pretio pro qualibet menſura conuento, & ideirco, quidquid poſt venditionem fundo per alluuionem, aliave ratione adcreuerit, venditoris eſſe, non emptoris. Sed præterquam quod nihil eſt vnde colligatur, ex Vlpiani verbis venditionem illam fuiſſe ad menſuram, ſapienter obiicit Couarru. *c. 3. citato. n. 9. ex l. fundum 7. D. de action. empt.* vbi mendacium venditoris quod nullo incommodo afficit emptorem, nocet etiam venditori, neque venditionem efficit vberiorem, aut ampliorem. Igitur ſi in dicto § *ſi Titius*, periculum & commodum ad venditorem pertinebat, iugera illa, quæ ante menſuram adcreuerunt fundu, ipſius venditoris eſſent, etiamſi is per mendacium, ſciens fundum non habere centũ iugera, dixiſſet eadem habere: ſiquidem nullum damnum ex hoc mendacio contingit emptori, cui centum iugera integra tempore menſuræ traduntur, & tamen in *d. § ſi Titius*, contrarium affirmatur. Quare alij quibus conſentit Couarru. verius exiſtimant in eo caſu venditionem factam fuiſſe ad corpus, & à venditore dictum fuiſſe certum fundi modum iuxta quem oporteat conuentionem factam ſeruare. Quod autem per alluuionẽ adcreuit, emptoris fit, quia ad ipſum periculum & commodum rei venditæ ſpectat. Deinde illud incrementum prodeſt venditori fortaſſis ad purgandam culpam, non autẽ ad excuſationem doli quem admiſit. Et ſanè in toto *illo* § dicitur tantum certum fundum, qui dicebatur habere centum iugera, venditum fuiſſe; non dicitur autem diſtributum fuiſſe pro quolibet iugere, quod tamen neceſſe foret ad venditionem ad menſuram. Actio autem quanti minoris non obtinet, quia emptor habet per alluuionem ea iugera, quæ eodem pretio emiſſet.

3 Vlpian. in *l. ſi in venditione* 10. § 1. *D. de peric. & comm. rei vendita*, hæc habet ex Scæuola. *Fundi nomine emptor agere non poteſt, cùm priuſquam menſura fieret, inundatione aquarum aut caſmate, aliove quo caſu pars fundi interierit.* Bartol. exiſtimat hic agi de venditione ad menſuram, quam negat eſſe perfectam, ſiue in mobilibus, ſiue in immobilibus antequam fiat menſuratio; additque venditorem teneri, licèt per alluuionem pars fundi interierit poſt venditionem, ſi venditio non fuit facta ad menſuram, ſed ad corpus; quod reiicit Couarru. *c. cit. n.* 10. quia certo iure conſtat ex ſuperiori conſectario, quoties venditio facta fuit ad menſuram, periculũ poſt eam contingẽs eſſe emptoris. At verò eſt venditoris, ſi menſuratio nondum facta fuerit, quia nõdum perfecta erat venditio, quando pars illa fundi periit alluuione in caſu propoſito. Quare non poterit emptor agere aduerſus venditorem ad eſſe, ſed ſolum ad reſtitutionem pretij pro ea parte quæ periit. Non improbat Couarruu. quod placuerat Fulgoſio, quem adducit; venditionem in eo caſu fuiſſe ad corpus, licèt venditor dixiſſet modum fundi eſſe centum iugerum: tenetur autem venditor verum efficere modum fundi, quem dixit, & quantitatem illam certam reddere, ac emptori præſtare, *l. in emption. D. de action. empt.* niſi pars quæ deficit, perierit abſque eius culpa, tunc enim nequidem ad reſtitutionem pretij pro parte perempta tenetur, quia ea periit periculo emptoris, quandoquidem perfecta iam erat venditio, vti nuper monuimus.

Menſura conuenta fieri in venditione, ſolutione, & alio quolibet contractu, quamdiu non fit, pendet contractus quaſi ſub conditione, inquit Bartol. *conſil.* 121. *in princip. lib.* 1. & Alexand. *conſil.* 176. *lib.* 6. qui ait *lib.* 5. *conſ.* 159. *n.* 7. menſuram expreſſam tot iugerum excludere maiorem numerum, maximè quando plures menſuræ exprimuntur, quia tunc cauſâ diſpoſitionis, & non ſolius demonſtrationis ponuntur. Quod verius eſt quando additur, *Quod vltra non comprehendantur*, inquit, *v. g.* 56. *bubalca in dictis* 200. *bubalcis*; tunc enim limitatio eſt. Quare *petra terra quæ eſt vltra numerum menſura expreſſa, non poteſt includi in inueſtitura conceſſa tot tornaturarum, quando illa ſuperabundaret, maximè ſi ſe quis concedit, cenſimas bonis conceſſis.* Quæ verba diligenter aduertenda ſunt pro fundis beneficiariis, quoties enim illorum menſura exprimitur, portio fundi quæ ſuperat quantitatem fundi expreſſam, beneficiaria non eſt: Quare neque vt beneficium extorqueri poterit quaſi conceſſa, neque qui illam prius poſſidebat, tanquam beneficium vnà cum reliquo fundo ſibi collatum agnoſcere, atque non niſi fiduciario iure deinceps poſſidere tenetur. 4

Quæritur verò, an vna menſurâ prohibita, aliæ quoque prohibeantur. Ita exiſtimat Bald. *conſ.* 196. *lib.* 2. Quare ſtatutum vtendi certis minutioribus menſuris dum minutatim venditur, & ſoluendi certum vectigal, ſiue, vt loquitur Bald. *Datium*, violatur, ſi quis dum minutatim venditur, vendat ad aliam menſuram, & non ſoluit datium. Neque vitabit pœnam, quia vna menſurâ prohibita, aliæ quoque prohibentur. Negat tamen Bart. *lib.* 2. *conſil.* 12. quia ſi quis vendat vinum *ad ſalmas & barrilia, faciendo pretium ad rationem ſalmæ & barrillis; licèt emptor miſerit ad recipiendum in flaſchis*; non incurret pœnam, quia in eo caſu menſuræ maiores non ſunt prohibitæ, licèt reducantur ad minores, aliudque eſt menſura, aliud menſuratio, & vinum venditum eſt ad maiorem menſuram, licèt deinde cùm eo vtimur, minoribus menſuris metiamur, vt ſextariis, aut etiam cyathis. Maſcard. *litt. M. conſ.* 202. præfert opinionem Baldi, vbi timetur ne fiat fraus legi. Mihi non videntur iſti DD. diſſentire; nam in caſu Bartoli, non venditur vinum in menſura prohibita, venditur enim ſimul totum dolium continens tot amphoras, tot ſextarios, tot cyathos: quando deinde hauritur è dolio, licet ſextariis, aut alia quapiam minore menſura excipiatur, nihil omnino facit ad venditionem, & reuera ad maiorem menſuram venditum fuit, licet deinde menſuretur minoribus menſuris. Baldus verò loquitur de venditione quæ fit ad menſuram ſimilem prohibitæ, & quæ illud ipſum quod prohibet, efficit. Tunc enim vtraque illa menſura debuit prohiberi, alioquin facilè illuderetur legi. 5

Quæritur deinde an menſuratio interuallorum in fundis v. g. & itineribus, aut locorum aliis differentiis, fieri debeat per lineas rectas, aut obliquas aliquando. V. g. citatur aliquis vt ſiſtat ſe Iudici vel Principi intra certum aliquod tempus, quod definitur pro ratione itineris ac viæ, quæ illi conficienda eſt, & breuior eſt, ſi recta ſit, & ſi à locis quibuſdam frequentibus diuertat: prohibetur ne excitetur molendinum intra centum perticas, quæ ſi 6

5 Hæ omnes cauſæ quæ inuectionem rerum & mercium quarumdam in ciuitates aut prouincias vetabant, ſimilium exportationem impedire ſolebant. Primò enim vitandæ inopiæ & annonæ causâ prohibetur exportatio frugum domeſticarum. Non licebat Athenis *τὰ γενήματα* aliò importare. Fuitque celebris illa lex, Athenis aliò ficus ne exportato. *Ἀθήνηθεν μὴ ἐξάγειν ἄλλοσε τὰ σῦκα.* Tulitque Solon, vti legebatur in primo eius Axone. Meminitque plutarch. in eius vita: Oleum Athenis exportato, cæteros prouentus non item: qui exportarit eum Archondiris deuoueto, aut centum drachmis mulctato. Neque tamē licebat ciuinis alio importare oleum, ſed ei tantum qui Panathenæa viciſſet, ille enim oleum quod præmij vice accepiſſet alio impunè portari curabat. Quod obſeruauit Græcus interpres Pindar. *ad Od.* 10. *Nemeor.* vbi de oleæ fructu, id eſt oliuo teſta incluſo loquitur. Eodem quoque pertinet illa alia Athenienſium eorundem lex, ne quis Athenienſis mercator, aut nauclerus aliò quàm Athenas frumentum importet *ἄλλοθι ἢ εἰς Ἀθήνας σιταγωγεῖν.* Alioquin indicabatur & puniebatur. Meminit eiuſmodi legis Demoſthenes *in Timocratea.* Actio aduerſus eiuſmodi nauclerum *φάσις* dicebatur apud Polluc. *lib.* 8. Qui verò *φάσιν* ſcribebat, & nomen naucleri ſiue mercatoris violatæ legis deferebat, damnato nauclero bonorum indicatorum ſemiſſem ex lege accipiebat: cætera Naucleri, ſiue mercatoris bona in ærarium publicum inferebantur, præter grauem aliam pœnam quæ ipſi ab Archonte inferebatur, & forſaſſis capitis; quantum ex Demoſthene de Theocrine licet colligere: vnde quoque habebis eam legem non tantum ciuibus Athenienſibus, ſed & inquilinis ſcriptam eſſe. Vt autem ſine periculo frumentum mercatores ex Helleſponto Athenas importarent, habebant nouem naues ad Helleſpontum, quæ onerariis præſidio eſſent aduerſus hoſtes & piratas, & prætereà in præmium erant eiuſmodi mercatores aut naucleri, belli immunes *καὶ τῶν εἰσφορῶν.* Quod notauit ex Euphronio Græcus Ariſtophanis interpres in Plutum. Neque tamen totum frumentum Athenas importabant, ſed duos tantum trientes; trientem autem qui ſupererat in Piræum. Qui falsò mercatorem aut nauclerum detulerat, accuſaueràtve, abducebatur; & in illum animaduertebatur. Lege quoque cautum erat, ne coëmerent, qui in vrbe erant, frumenti plus quinquaginta phormis, *πλείω σῖτον πεντήκοντα φορμῶν συνωνεῖσθαι.* Quænam autem menſura eſſet phormus, non liquet; eandem cum cophino, aut non multum diſſimilem ſuſpicantur aliqui. Sic enim ex Herodoto referunt Grammatici *φορμὸς πλέγμα ὡς κόφινος.* Quid porrò cophinus *cap. ſuperiori* diximus. Qui ſecus feciſſet morte mulctabatur. Quare non modo erant *σιτοπῶλαι*, ſed illis præerant *σιτοφύλακες* numero quindecim, nempe in Piræo quinque, decem in vrbe, qui ſi muneri ſuo deeſſent, capite luebant, quæ omnia ex Lyſia colliges, *orat. κατὰ σιτοπωλῶν.* Denique erant *μετρονόμοι*, qui ne falſo menſurarum modo vterentur, prouidebant. Neque duntaxat rei annonariæ his legibus de frumento ſibi conſulebant Athenienſes, ſed etiam aliis haud diſſimilibus, patriæ tuitioni & Imperij Maieſtati. Nam erat illa alia apud ipſos lex percelebris: *Μὴ ἐξάγειν ξύλα καὶ πίτταν*, ligna & picem ne exportato. Vide Græcum Scholiaſten *in Ariſtophan. Equitibus*: vt nempe haberent vnde naues onerarias & frumentarias, atque etiam bellicas ædificarent. Nam Senatus quingentorum debebat quotannis *ποιεῖσθαι τριήρεις καινάς.* Hac eadem ratione impediebant ne hoſtes numerum nauium ſibi comparare poſſent; ipſique partum maris Imperium tuerentur, quandoquidem Græcorum, hoc eſt Athenienſium, & Lacedæmoniorum Imperium erat *θαλάττης ἐπικράτεια.* Sapienter igitur vetuerant exportare Athenis *πᾶσαν τὴν ναυπηγήσιμον ὕλην*, omnem nauium fabricandarum materiem, vt ſunt abies, pinus, picea, cupreſſus, platanus, huius ſiquidem materiæ non fuit magna copia in Athenienſium agro.

Altera ratio interdicendi rerum quarumdam exportationem, eaque conſtans apud omnes fuit, quam modo referebamus, ne noſtros hoſtes iuuemus. Quare Barbaris & Imperij Romani hoſtibus nefas fuit arma deferre. Immò ne induciarum quidem tempore, aut venientibus in Imperium quocúmque prætextu, etiam legationis, loricas, arcus, ſagittas, ſcuta, ſpathas, gladios, aliaque eiuſmodi vendere, aut aliquid ferri facti, vel infecti, ſub pœna capitis & bonorum omnium addictione, ex Conſtitutione Martiani *l.* 2. *C. quæ res export. non debent.* Rationem reddit: *Pernicioſum namque Romano Imperio, & proditioni proximum eſt, Barbaros, quos indigere conuenit, telis eos, vt validiores reddantur, inſtituere.* Atq; vt omnis occaſio violandæ legis tolleretur non licebat priuatis arma facere, vendere, vel transferre, ſed ſolis Fabricenſibus, de quibus habetur *lib.* 11. *Cod.* Titulus. & Nouella Iuſtiniani 85. eorum erat ſchola & militia certa, iique ſoli in publicis fabricis arma bellica fabricabant, vnde dicebantur *ὁπλοποιοὶ*, ſuberant Magiſtro officiorum. Priuatis verò nequidem licuit ferrariam habere, *l. vltima*, §. *magnus*, *D. de public.* neque arma emere, alioquin illis auferebantur non reddito pretio. Vbi verò Fabricenſes noua arma fabricabant, ea in publico armentario reponebant. Armorum porrò appellatione comprehendit Iuſtinian. ſua illa Nouella, arcus, ſagittas, cantos, lanceas, ſcuta, caſſides, ſpathas, gladios, quos quia femori accinguntur *παραμήρια* vocant. Vnde Cedren. *τῷ παραμηρίῳ, τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐξέτεμε.* Vetus Interpres, vt & Vegetius *lib.* 2. ſemiſpathas dixit, ſicut & ſemiſiecas Tullius *lib.* 3. *de legibus. Runis & ſemiſiccis, quas ipſe ſe proieciſſe in forum dixit.* Ita enim legit & emendat Cuiac. in *Nou.* 85. lectionem veterem *emiſitiis.* Eſt enim Runa teli genus latiorem habens cuſpidem. Runatus, runa armatus. Ennius, *Runata recedit.* Addit Iuſtinian. *ζάβας*, quas loricas interpretantur. Vide Suidam verb. *ζαβαρεῖον*: nominat & *τζίβινοι* miſſilia, hoc eſt venabulorum genera. Ennius Sibinas Apolon. 2. *Argon. σιγύνους*; vnde *σιγύνοι* gens Scythiæ. Paruæ tantum machæræ priuatis permittebantur, quia illis in bello vſus non erat. Atque ita omnis occaſio exportandi ad Barbaros arma; quibus potentiores redderentur, prorſus tollebatur.

Qua eadem de cauſa non licuit vinum, oleum, liquamen, ne deguſtationis quidem causâ, aut vſus commerciorum deferre, *l.* 1. *C. quæ res exportar.* ne illecti illorum dulcedine inuadant populi Romani fines. Hoc enim modo legimus Longobardos à Narſete in Italiam fuiſſe pellectos; quare prohibet conſtitutio, ne deguſtationis quidem causâ iſtas cupedias exportari: Immò *neque vſus commerciorum.* Et vt habetur in Synopſi Baſilic. *lib.* 19. *cap.* 72. *μηδὲ ἐπὶ τῇ χρήσει τῶν ἐμπόρων*, ad vſum ipſorum mercatorum qui ad Barbaros commercij causâ proficiſcuntur, eoque prætextu, aliqua eiuſmodi

ad

Digitized by Google

ad ſuos vſus deferre impune ſe poſſe exiſtimarent. Pro liquamine habent Baſilica γάρον, garum.*l.* 3. §.1.*D.de pen.legat.* oleum, muriam & mel numerat inter ea *in quibus eſſe ſolemus, & quæ eſui, potuique non ſunt: nempe ea nos non eſſe, ſed per ea tantum nos eſſe*, vt ibidem loquitur §. 3. hoc eſt non eſſe eſculenta & poculenta, ſed eorum veluti condimenta. Garum dixit Cœlius Aurelian. 11. *Chronic. appellari liquamen ex piſce Siluro confectum.* Caſſiodor. *in calce Geoponico,* τὸ λεγόμενον λικουάμεν. Voſpiſcus *in Aureliano* memorat *liquaminis ſextarium vnum.* Oxygarum Cœlius Apitius liquamen acetoſum interpretatur. Duplex faciunt, aliud primum, aliud ſecundum. Quæ omnia obſeruat Cuiac. *lib.9.cap.9.* Garum autem dictum eſt à garo piſce, ex quo primùm fieri cœptum, licet deinde fieret ex infinito genere piſcium, qui in ſalſamento ſoluti eundem humorem liquarent, vnde & dictum eſt liquamen, & ſalſugo. Vide Iſidor. *lib.20.cap.* 3. Hinc γαρίνδας apud Hermenod. *lib.* 2. *tit.* 4. §. 53. ſalſamentarius. Adi Forcatulum *cap.1.penus.* Acron. apud Cuiac.*l.c.* ait liquamen antiquis dictum fuiſſe muriam, & Sirorum linguâ ſic dici. Diſtinguitur tamen iſta tanquam diuerſa tum in citata *l.3.de penu legata,* tum in Synopſi Baſilic.*lib.44.tit.12.cap.vnico;* vbi habet ἔλαιον γάρον ἅλμην, μέλι: oleum, garum, muriam, mel tanquam omnino diuerſa. Muriâ Lacertas condiri dixit *l.3. citata,* §.3. & Celſus *lib.*2.oliuas albas, eamque copia ſalis, & calore ſolis ſpiſſari. Conſule Mercurial. *lib.2.variar. cap.*16. Muriæ componendæ rationem dabit Columell.*lib.* 12. Muries apud Feſtum eſt in pila tunſum, & in ollam fictilem coniectum, atque deinde in furno percoctum, quo dehinc in aquam immiſſo Veſtales Virgines vtebantur in ſacrificiis. Quidquid porrò ſit de gari & muriæ differentia, ipſorumque natura, vides non licuiſſe hæc ſalſamenta, & gulæ irritamenta ad Barbaros deferre, ne excitato guſtu ad ſimilia comparanda fines Romanos perrumperent, tantùm poteſt irritata gula.

Prohibuit quoque Senatus aurum deferri Barbaris. Quare *l.2.C.de comm. & mercator.* iubet negotiatores pro mercibus quas emunt, ἐν τῷ βαρβαρικῷ, non perſoluere aurum, ſed alias ſpecies reddere, qui ſecus faxit plecti; & iudicem qui id facientem non puniuerit, tanquam conſcium criminis puniri: quippe Barbaris aurum non ſolum non præbendum, ſed etiam quidquid apud eos auri eſt, ſubtili ingenio auferendum.

7 Ex his omnibus vides quàm ſapienter tum ab Eccleſia, tum à Principibus prohibita ſint commercia cum Turcis, Sarracenis, aliiſque fidei chriſtianæ hoſtibus, quibus neque arma, neque naues, neque commeatum deferre liceat. *cap. Ita quorumdam, & cap. Quod olim, & cap. Ad deliberandum de Iudæis. In extrau. Multa de Iudæis.* Et denique *in Bulla cœnæ Art.* 7. Quoad exportationem autem annonæ, plurimæ ſunt Conſtitutiones Pontificiæ aduersùs eos qui vel annonæ inuectionem Romam impediunt, aut illam ex Statu Eccleſiaſtico extrahunt; & qui obſtant ne victualia ad Romanam Curiam deferantur, de quibus omnibus egimus *in noſtra ſynopſi cenſurarum, verb.annona.*

His omnibus accedunt plurimæ leges Municipales circa extrahendam annonam, ac temporaria Principum edicta, prohibitiones quoque Magiſtratuum, & Pragmaticæ, vti appellant, pro diuerſitate temporum quædam commercia prohibentes, aut permittentes, maximè vbi inter Principes bellum geritur, ne ea exportatione aut ditiones ſuas debiliores reddant, aut hoſtes validiores, quæ interdicta vbi proferentur, ſeruanda erunt: atque examinandum quid iubeant, verèntue.

8 Tertium genus rerum quarum commeatus, & commercium interdicitur, eſt earum quæ præcipuo quodam & eximio iure Principi reſeruantur. In his fuit olim purpura. *Vel in ſerico, vel in lana, quæ blatta, vel oxiblatta, atque hyacintina dicitur.* Cuius diſtrahendæ vel fucandæ facultatem nullus priuatus habebat. Nam ſi ſupradicti muricis vellus vendidiſſet, fortunarum ſuarum & capitis diſcrimen ſubibat, *l.1.C. Quæ res venire non poſſ.* Nihil attinet hoc loco ad varias purpuræ ſpecies digredi, ſatis fuerit annotaſſe Plinium purpuram à conchylio ſeparare *lib.9.cap.*37.& purpuram ab omnibus expeti propter inſignem & eximium eius colorem: conchylia nec pretioſa eſſe, nec gratum colorem habere, & malè olere. Differunt tamen ſolo tingendi modo, de quo idem Plin. *cap.*38.& 39. In purpura color abundantiſſimus & ſaturatus, in conchylio dilutus & pallidus ad cæruleum magis accedens, quàm ad purpureum. Et purpura quæ in iſta conſtitutione habetur eximia, eſt blatta & oxiblatta, atque ianthina. Blattæ Caſſiodor meminit *lib.1. variar. Cum blatta, quam ſingulis annis noſtro cubiculo dare conſueuiſti.* Et Lamprid. in Heliogab. *Parauerat funes blatta & ſerico, & coccointextos.* Egnat. in Nerone. *Retibus auratis piſcabatur, quæ blatteis funibus extrahebat.* Hinc Blattearij *l.2. C.Theod. de excuſat. artific.lib.*13.*tit.*4. Et blatta ſerica *l.vlt.C.Theod. de murilegis, lib.*10.*tit.*20. *Quoniam trecentas pene libras blatta ſerica clandeſtina fucatione non ſine læſa maieſtatis crimine coloratas, & aderatum conchylij non minimum pondus patefactum eſt, quaſtione pendente.* Præcipitur *l.totas* 10.*C.de murilegis*; ſericoblattæ & metaxæ ſpecies eloms, mundas, & puras ſacris largitionibus inferri ad veſtes Principi conficiendas, mulctâ propoſita canonicariis & primoribus officiorum, qui hac in re peccarint. Legunt aliqui *ſericobapta*, id eſt ſerici tincti παρὰ τοῦ βάπτειν tingere. Verùm retinendam eſſe lectionem noſtram oſtendit Aleiatus, ſignificatque ſericum purpureum. Oxiblatta vel oxoblatta purpurea lana eſt ſiue lana blatta rubro tincta. ὀξὺ enim Suidæ eſt ὀξωτὸν ἐπὶ τῶν φοινίκων. Ianthina, non vt perperam legitur, hyacinthina, eſt purpura violacei coloris, ſic enim accipitur apud Plin. *lib.*20.*cap.*6. & apud Perſ. *ſatyr.*1. *Ianthina læna.* Et *l.ſi cui lana* 70.§. *fin. D.de legat.*3. Denique muricis vellus purpura eſt cruore muricis tincta atque infecta. Quam omnem purpuram fucari aut diſtrahi à priuatis vetitum erat conſtitutione illa quam exponimus, quæ eſt *l.1. Cod. quæ res venire non poſſunt.* Erat itaque textrinum Imperatorium Baphium, & Gynecium. Nam *l.2.C.de murilegul.* nominantur procuratores rei priuatæ, per quos ſæpe *priuata noſtra ſubſtantia*, (inquit, Imperator) *tenuatur.* Illis adiungit procuratores baphij & gynecij: per iſtos *ſpecies gynæciis confecta ſæpè corrumpuntur. Species* interpretatur Cuiacius, veſtes *l.4. C.de veſtibus holoſer.* & *l.vlt.C.de militarib. veſtib.* Procuratores baphij erant per quos baphiis admiſta temeratio vim adducit inquinatæ allunionis. De procuratore baphij agit Euſeb. *lib.*17. *cap.*32. Hi procuratores adminiſtrationem quamdam, vt vides, habebant; idcirco negat conſtitutio *l.2.C.de Murilegul.* ſuffragiis, id eſt pretio & patrocinio eſſe creandos. Quia nempe pecuniâ comparata adminiſtratio

miniſtratio vix vnquam ſordibus caret. Erant præterea Baphei & Gynecіarij, quorum nulla erat adminiſtratio, ſed conditio & ſeruitus publica. Gynecіarij addicti erant contexendis conficiendiſque veſtibus Imperialibus, vt ait Conſtant. apud Euſeb. *lib.* 11. Quia verò inquit Alciat. hęc munera propria mulierũ erant, & in Gyneceo exercebantur, idcircò qui viri illis operam nauabant, Gynecіarij dicebantur. Ioſephus *lib.* 1. *de bello*, ait Ionatam hominem nequiſſimum fuiſſe Gynecіariorum arte. Denique Gynecium textrinum eſt conficiendis veſtibus Imperatoriis, *in C. Theodoſ.* & notitiâ Imp. Rom. Baphei βαφεῖς tingendæ purpuræ Imperatorum propriæ vacabant. De gynecіariis ſeruis plurima illo *C. de murileg.* præcipiuntur. In primis ſi ingenuæ mulieri, quæ ſe ad gynecіarium applicauit, denunciauerit fiſcus, vt ea conditione abſtineat, nec paruerit, gynecіaria efficietur. *leg.* 3. Occultator gynecіarij mulctabatur auri libris quinque *l.* 5. Occultator ſerui & mancipij textrinæ deputati mulctatur libris tribus auri *leg.* 6. quæ priori derogat, niſi dicas illam de veſtiario, hanc de lanifice agere. Erant & Murileguli, & Conchiliolegüli piſcatores conchyliorum, quorum ſanguine lanæ ſacris vſibus deputatæ inficiebantur. Eorum conchyliorum plurima ſunt nomina, purpura, murex, buccinum, cerex. Huic porrò muneri originis & conditionis iure addicebantur, adeò vt non poſſent ad dignitatem vllam vel militiam aſpirare, vel ſi ad eam aſpirauiſſent, reuocabantur redditis bonis, ſi quæ eiuſdem originis & conditionis homines aliquo titulo poſſiderent. Quod ſi ea exteri poſſediſſent, maluiſſentque eidem conditioni ſe ſubiicere, quam ea bona reſtituere, audiebantur, ita vt in futurum eſſent murileguli, & in præteritum reliqua publico Canonis fiſco perſoluerent. Quæ omnia traduntur *Cod. de murilegul.*

9 Ex conſtitutione Gratiani non licuit Romanis ſericum à barbaris comparare, & emere ſine comite commerciorum, *leg.* 2. *Cod. quæ res venire non poſſ.* & vti nuper referebamus ſericoblattæ, metaxæ ſpecies puras & mundas ſacris largitionibus inferri præcipiebatur, *leg. loras* 10. *Cod. de murileg.* Et quidem, vti monebamus, ſericoblatta, eſt ſericum in purpuram tinctum & coloratum, metaxa verò eſt ſericum rude, & αὐτόφυες, nondum neque tinctum, neque in fila diductum, & ideò ſeparatur à nemate ſerico: dicunt & μεταξωτόν. Eius meminit *l. vlt.* §. 7. *D. de publican.* Et Moſcopulus παρ' ὃ σκώληξ τὴν μέταξαν ἐργαζόμενος ἀφ' οὗ σηρικὰ ἱμάτια τὰ μεταξωτά. Et Zonar. *in* 2. *can. Nican.* ἐκ μετάξης ἐσθῆτας πεποικιλμένας αὗται γὰρ αἱ σηρικαί. Suidas. Σῆρες ἔθνος ἔνθα ἡ μέταξα γίνεται ἐξ ἧς καὶ σηρικὰ τὰ ἐκ μετάξης ὑφασμένα λέγονται. Iſidor *lib.* 2. *Ethym. cap.* 29. metaxam dici vult à circuitu filorum, aut quod transferatur, ἀπὸ τοῦ μετάγεσθαι. Inde dicti metaxarij *l. vlt. Cod. de pignorib.* Omne igitur ſericum, ſiue coloratum, ſiue rude, priuatorum commerciis ſubducebatur, quibus neque illud vendere, neque etiam Barbaris demere ſine comite commerciorum licebat. Atque ex hac ſerici à Barbaris comparandi interdictione colliges nondum imperante Gratiano, cuius eſt ea conſtitutio, ſerici conficiendi rationem Romanis aut cognitam, aut vſurpatam fuiſſe, ideóque tam pretioſum erat ſericum vt auro contrauendere ur. Et Vopiſcus *in Aureliano* ait libram auri, libram ſerici fuiſſe: & lex Rhodia ὁλοσηρικὰ ὅμοια τῷ χρυσίῳ. *L. empiori* 37. §. 1. *D. de euictionib.* inter res pretioſas numerantur veſtis ſerica; pretioſa verò dicebantur pro quibus aurum dependebatur ad ſacoma, ſiue pretioſum quod aurum contrauenit, aut aurum ſupra. Quare paragaudas veſtes auratas, vel ſericas auro intextas Phrygio, vel Barbarico opere, quas pro numero intextorum filorum Vopiſcus vocat *in Aureliano*, monolores, dilores, trilores & pentelores, quia vel fila vel intexturam ipſam lora nominabant, priuatis vſibus, atque alibi quam in gyneciis ſiue textrinis Imperatoriis contexere non licebat, *l.* 1. *&* 2. *Cod. de veſtibus holoſer.* Nicetas βλάττια δίβολα, καὶ τρίβολα ὑφάσματα χρυσουφῆ, Ammian. eo quod auro graues eſſent, eiuſmodi veſtes dixit onera, quod obſeruauit Faber *lib.* 2. *ſemeſtr. cap.* 16.

Ex quibus etiam vides quid eſſent paragaudæ, quod plures quærunt. Turneb. *lib.* 9. *aduerſ. cap.* 11. ſapientiſſimè ſuſpicatur fuiſſe faſcias vel aureas, vel ſericas auro ornatas, quæ veſtibus intexerentur, & non vt inſtitæ adhærerentur, idque omninò videtur ſignificare *lex* 2. *Cod. de veſtib. holoſer. Nemo auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas.* At verò *lex.* 1. *Cod. eod.* innuit Paragaudas fuiſſe veſtes ipſas, quæ ita nominarentur, quòd à paragaudis diſtinctæ forent. *Auratas & ſericas paragaudas auro intextas viriles priuatis vſibus contexere, conficereque prohibemus.* Et ſanè pro veſtibus vocem illam vſurpat Vopiſcus *in Probo. Interulas paragaudas duas.* Et in *Aureliano. Paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit, cum ante non niſi rectas purpuras accepiſſent.* Vbi vides paragaudæ veſti purpuream rectam, quæ nec prætexta, nec eleuata erat, opponi. Debuit igitur veſti paragaudæ prætextura quædam intexta fuiſſe, illa autem erat vel aurea vel ſerica aurata: quamquam Trebell. *in Claud. Habet albam ſubſericam paragaudem unam.* Deducunt aliqui à Græco γαυδᾶν, quod Heſichius interpretatur, quod qui iis veſtibus vterentur, ſolerent ſplendide ſeſe oſtentare, & παραγαυδᾶν Turneb. ex Latino & Græco verbo componit, quod ſit quoddam ornamentum, & veluti gaudium veſtis, aut paragaudam, quaſi para caudam, iuxta caudam & extremitatem veſtis, cui nempe paragauda intexebatur. Quidquid in re iſta ſtatuas, certum eſt has paragaudas in ſolis Textrinis Imperatoriis confici, quia ſericæ erant, ſerici verò commerciũ & opera ex illo elaborata ad ſolum Imperatorem iure quodam eximio pertinebant, & cæteris prohibebantur priuatis. *Vide Cod. de veſtib. holoſeric. tot.* vbi tum de ſericis; tum de purpureis veſtibus agitur.

Sunt & alia quædam iam olim variis in locis Principibus reſeruata pro more gentis, vt ſalinarum commercium in Gallia; metallorum fodinæ, in cæduas ſyluarum arbores iura quædam. Verùm quia iſta pertinent potius ad gabellas, ſiue onera impoſita commerciis, ex quibus vectigal Princeps ſibi ſumit, de iis omnibus, quantum ſuſcepti inſtituti ratio poſtulabit, agemus commodius, *cap.* 9. 10

ARTICVLVS II.

De legibus mercium quarumdam inuectionem & euectionem prohibentibus.

Leges prohibentes aliqua mercimonia iuſta ſunt. 1.

Principes

Princeps poteſt ſibi vni aliqua commercia reſeruare. 2.
An illæ leges ſint tantùm pœnales. 3.4.
Definitur Quæſtio. 5.
Quandonam incurratur earum pœna. 6.7.

Dicendum eſt primo leges & ſtatuta quibus aliqua extrahi, aut inferri prohibentur, vt priuatorum damna vitentur, & ciuitatis annonæ, copiæ, atque defenſioni prouideatur, iuſtas & æquas eſſe

1 Hæc aſſertio communi omnium gentium perpetuo & conſtanti vſu, atque ſapientum omnium ſenſu comprobatur. Et ſanè quoties commercium aliquod Reipublicæ nocet, quia eius copias exhaurit, aut neceſſaria tuitione ſpoliat, hoſteſque illos audaciores potêtioreſque reddit, ſapiêtiſſimè prohibetur ne priuati, qui illud gerunt, dānis & iniuriis Reipublicæ creſcant. Et quæ ratio patitur Rempublicam ſeſe aduerſus hoſtes tueri, illos aggredi, eorumque fines inuadere & fortunas, poſtulat, ne ſua bona ad ipſos deferri & à ſuis ciuibus & ſubditis ſuppeditari permittat: Cur igitur prohibere non poterit, ne ad illos annonam, arma & cætera eiuſmodi, quibus in ſeſe eos armabit, ſui ſubditi deportent? Cur vi ſuæ inopiæ occurrat non licebit rerum neceſſariarum extractionem arcere, aut illatum inuectionem imperare? Vbi quoque agitur de priuatorum damno, nullo alio communi Reipublicæ commodo, cui priuata emolumenta & damna poſthaberi deberent; iure optimo commercia eiuſmodi vetantur, vt in exemplis nuper adductis de venenis, quæ vel nocendi vim non depoſuerunt, vel deponere nequeunt, de emptione ſerui criminoſi ad ſupplicia, aut fugitiui, quamdiu in fuga eſt, de emptione litium, aliiſque eiuſmodi, in quibus fraudes ſæpius ſolent contingere, factum videmus. Hæc enim omnia commercia periculoſa, quamuis aliquando innoxia eſſe ſoleant, quia tamen plerumque noxia ſunt, ſapienter prohiberi poſſunt, immò & aliquando debent.

2 Dicendum eſt ſecundo poſſe Principem ſibi vni quarumdam rerum commercia reſeruare, ita vt non liceat priuatis ſine illius venia, aut alio modo, quàm ipſe præſcripſerit, eiuſmodi rerum negotiationes celebrare.

Hanc aſſertionem minus certam eſſe quam ſuperiorem, ex eo exiſtimant aliqui, quod ea ratione omnia ſibi vindicare Fiſcus poſſet, quod tamen nemo vnus dixerit, vti optime explicat Seneca *lib. 7. de benefic.* omneſque in Fuſidium conclamant, qui omnia fiſci eſſe dicebat. Sanè Rex omnia poſſidet imperio, tutelarique patrocinio, & ſingulari dominio. Deinde poſſet omnia ferè maiora commercia ad ſeſe vocare, & vnus omnia compendia ſibi parare. Vbi enim ingentis alicuius lucri affulgebit ſpes, commercium illud exerceri abſque ſua venia cauebit, & vel ipſe per ſuos inſtitores ipſum curabit, vel iis ſolùm qui magnò redimente, eioſmodi negotiationis facultatem dabit. Quod tandem in Reipublicæ, ipſiuſque Principis diſpendium recidet. Sic enim omnis negotiatio concidet, cùm eam viri induſtrij non exerceant, niſi ſpe lucri, quod vbi aut nullum, aut exiguum videbunt, neque ſe tam ſibi, quàm Principi ditando laborare, animum negotiandi abiicient. Deinde rerum illarum aut penuria, aut maxima caritas erit, quia iſti Principis inſtitores, & veluti redemptores, quibus ſolis erit talis commercij venia, carò res illas diſtrahent; quia rariores erunt, & quia quam lucri partem conferunt Principi, compenſare volent, forum omne frigebit, atque etiam cum exteris erunt infrequentia commercia, cùm pauci aliqui cum ipſis negotientur, & inops omnino erit ipſa Reipublica, cùm ratio illa vulgaris acquirendi ad paucos quoſdam reuocata ſit, qui ſoli diteſcent, cæteri verò ſolita inopiâ laborabunt, & cùm ſubueniendum erit grauibus publicę rei difficultatibus, id etſi maximè velint, præ inopia ſua non poterunt. Neque ſubſidia illa ſuppeditabunt Regij Inſtitores, qui & gratia, & auctoritate apud Principem valebunt, & ſe pauca lucrari mentientur, cum totum lucrum Principi cedat. Quæ & eiuſmodi alia incommoda demonſtrant parum æquas fore illas leges, quibus Principes ſuis ſubditis rerum quarumdam commerciis, maximè quæſtuoſis, interdicent, ſibique ſolis illa reſeruabunt: cùm neque bonum commune Reipublicæ, neque priuatorum, eiuſmodi prohibitionem eo tempore perſuadeant, ſed ſolum lucri & auri cupiditas Principem mouere queat.

Aio nihilominus Principes poſſe aliqua ſibi commercia reſeruare, ita vt vel ipſi ſoli ea per ſuos miniſtros celebrent, vel non niſi cum ſua venia cæteri; quod non modò ſapientiſſimorum Principium vſus *Articulo ſuperiori* relatus oſtendit, ſed ipſa etiam ratio demonſtrat; poſſunt ſiquidem eſſe iuſtiſſimæ cauſæ huius prohibitionis. In primis quia non decet magnam eiuſmodi rerum copiam in Prouinciam aut Regnum inuehi, vt luxus & expenſæ quibus euertuntur illuſtres aliquando, & ditiſſimæ familiæ, impediantur, contineanturque ſinguli in ſuo officio ac conditione. Vti contingit in legibus quibus purpuræ & ſerici commercium permitti paſſim nolebant Imperatores, & ſibi illud vindicabant. Deinde hæ negotiationes aliquando exerceri nequeunt niſi agendo cum quibuſdam Nationibus, quæ & adeantur à nobis, & quas nos adire liceat, cum quibus tamen non expedit Reipublicæ habere quidquam commune; poſſunt enim noſtra rimari, res prodere, fœlicitatem inuidere, turbas ciere, animos allicere. Quare non licebat priuato ſericum à Barbaris emere ſine comite commerciorum, qui ſcilicet inuigilabat, vt ſine imperij detrimento cum Barbaris ageretur: ne dum illa minus neceſſaria quæruntur negotiatione, & in vrbem inducuntur, mores ſimul Barbari inuehantur, & vis ingens pecuniarum, aut rerum nobis neceſſariarum, quibus ipſi carent, vndeque redduntur debiliores, ad eos deuehantur, noſtro maiori damno, quam compendio. Denique ne aliæ negotiationes, atque artes vtiliores, magiſque neceſſariæ ſpe maioris lucri dimittantur. Quæ omnia incommoda vitantur vbi eiuſmodi commercia non permittuntur paſſim, ſed cum venia dumtaxat Principis, aut cùm ille ſibi vnus illa vindicat. Sic enim neque Reſpublica omnino caret peregrinis iſtis ornamentis, delitiis & deliciis, neque illis plus æquo abundat, & à veteri diſciplina, caſtiſque maiorum moribus diſcedit, & Barbaricum luxum induit. His omnibus adde alteram cauſam, eamque æquiſſimam, nempe eam prohibitionem & reſeruationem eſſe, inſtar tributi & vectigalis, quod Princeps minore ſubditorom incommodo colligit. Nemo enim niſi lubens hæc commercia celebrat, ad idque veniam à Principe redimit, aut eas merces ab illo, eiuſque miniſtris comparat. Vnde tamen non leuem &

paucam

paucam pecuniam colligit Princeps, quam moleſtiore quodam vectigalis genere corraderet. Expeditque omnino Reipublicæ ditiſſimum habere Principem, ne a ſubditis perpetuò ſtipem corrogare importunis continuiſque exactionibus cogatur. In his tamen omnibus ſeruandus erit æquitatis modus, ne aut omnia ſibi commercia Princeps arrogat, aut plus æquo facultatem illa exercendi diuendat, ipſaſque deinde merces carius diſtrahat ſubditis, ne negotiationem corrumpat, & immoderata atque effrœni cupidine lucris inhæreat, plurimaque alia contra iuſtitiam a ſuis miniſtris admittantur. Denique ſunt aliquæ eiuſmodi cauſæ, quæ mercium quarumdam inuectionem, aut euectionem prohibendam eſſe perſuadent. Neque dānandæ erunt hæ leges vbi ferentur, cùm facilè liceat exiſtimare iuſtas ſubeſſe illarum cauſas, quamuis eæ fortaſſis non ita nobis manifeſtæ ſint. Neque ſane Princeps eas perpetuò tenetur manifeſtare.

3 Maior difficultas eſt an eiuſmodi leges vetantes mercium quarumdam commeatum importationis, vel exportationis, ſint pœnales dumtaxat, & ad ſolam pœnam obligent violationis reum, vbi deprehendetur, an etiam obligent ſimul ad culpam, quæ deinde illa pœnâ caſtigetur. Nam vulgò inter leges pure pœnales recenſent iſtas non ferendi arma, non extrahendi frumenta, aliaſve ſimiles, Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 15. num. 2. de non vtendo aliquo genere veſtium.* Azor. 1. *p. lib. 5. cap. 6. quæſt.* 4. Deinde cùm communior ſententia doceat eſſe aliquas leges merè pœnales, quæ non obligent ad ponendum actum præceptum, aut vitandum prohibitum, ſed dumtaxat ad pœnam, ſi ſecus fiat, quàm indicitur, non apparet cur iſtæ leges, de quibus modo agimus, non ſint eiuſmodi: aliunde tamen videntur non eſſe purè pœnales, ſed mixtæ, quæ ſimul & ad pœnam & ad culpam obligent. Quod de legibus vetantibus exportationem mercium extra Regnum affirmat Gutier. *lib.* 4. *ciuil. qq. quæſt.* 37. *num.* 32. In primis quia feruntur verbis præceptiuis v. g. *Mandamus, Præcipimus, Prohibemus,* ex quibus colligunt obligationem ad peccatum. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 159. Azor. 1. *p. lib. 5. cap. 6. quæſt.* 4. & alij paſſim. Denique aliquæ ex his legibus ferunt grauiſſimam pœnam excommunicationis, etiam latæ ſententiæ. Quod conſtat ex variis Conſtitutionibus Pontificiis circa Annonam Romanæ Curiæ, & Arma non deferenda Saracenis, quas retulimus in Synopſi noſtra cenſurarum *verb. Annona, & verb. Arma.* In ipſo autem tractatu fuſiùs demonſtrauimus nullam maiorem excommunicationem, aliamve grauiorem cenſuram ſiue latæ, ſiue ferendæ certæ ſententiæ exiſtat, ferri poſſe, niſi propter culpam mortalem, cum Vaſq. 1. 2. *diſp.* 159. & aliis paſſim contra Caietanum. Denique quoties pœna mortis apponitur, ſignum eſt eſſe obligationem ad culpam, eamque mortalem, quod idem Vaſq. affirmat. Inter leges autem vetiti commercij à nobis nuper recenſitas, aliquæ capitalem pœnam infligunt facientibus quod ipſæ prohibent; ergo illæ obligant ad culpam, & tamen non videtur quænam ratio eam obligationem potius requirat circa iſtas leges, quam circa alias. Hæc difficultas petit naturam & vim legis pœnalis, quam pluribus explicuimus in Scientia Canonica, neque ad illam digredi modo videtur operæ pretium, duo quædam dumtaxat tanquam certa, eoque loco demonſtrata ſupponenda ſunt.

In primis quaſdam eſſe leges pœnales mixtas, quæ ſimul & ad imperata facienda ſub peccato, & ad pœnam pro ea culpa ſubeundam obligent. Cùm enim leges humanæ ſub culpa poſſint obligare, vt cum communi DD. contra Gerſonem, Almai. & paucos alios eo loco oſtendimus; pœna per legem inflicta non tollit eiuſmodi obligationem ad culpam, neque cum ea pugnat, quod magno conſenſu contra Nauarr. Caietanum & cæteros docent Theologi. Sunt tamen aliquando leges pœnales, purè pœnales, quæ ad ſolam pœnam obligant violatores legis; cuiuſmodi fere ſunt quæ feruntur aliis verbis quam præceptiuis, vt, *Si quis merces extraxerit, luet centum. Qui arma noctu geſtauerit pecuniâ mulctabitur.* Vnde infert Vaſq. has leges pœnales non eſſe propriè leges, cùm non ferantur per modum præcepti, ſed ſimplicis cuiuſdam ordinationis. Azor. verò 1. *part. lib.* 5. *c. 6. quæſt.* 4. & Peſantius *tract. de legib. diſp. 6. conc.* 2. appellant leges conuentionales, quod eſt additum inuoluens; datur enim quædam veluti optio ſubditis, vt eligant quod maluerint, exteras merces v. g. importent, aut non; ea tamen conditione & veluti pacto, ac conuentione, vt ſi quis eas inuehat merces, illis priuetur, aut pecuniariam mulctam ſubeat. Vbi vides non prohiberi ſimpliciter abſolute inuectionem exoticarum mercium, ſed ſub conditione ferendi talem pœnam, ſi eas merces inuehat. Quare non obligatur abſolutè ſubditus non inuehere tales merces, & ſi id faciat non peccabit, obligabitur tamen ad ferendam, luendamque pœnam ſibi per Iudicem imponendam. Sic qui vouet ſe daturum eleemoſynæ nomine Ludouiceum aureum, ſi ludat alea; non vouet ſimpliciter ſe non luſurum: ſed ſe daturum eleemoſynam, ſi ludat alea. Quare non tenetur ſimpliciter vi voti non ludere, & ſi ludat, non peccabit, tenetur tamen ſi ludat, nummum promiſſum erogare pauperibus, & niſi faciat, peccabit contra votum: hæ tamen ordinationes pœnales, & veluti conuentiones, dicuntur nihilominus leges, quia licet non obligent, vti iam monui, ſubditum vt abſtineat & re prohibita ſub reatu peccati, ſed ſolius pœnæ, adſtringunt tamen eundem etiam in conſcientia pœnam infligendam à Iudice, ad mentem legis luere: pecuniæ v. g. ſummam numerare, atque ipſum Iudicem eam pœnam imponere. Ex quibus conficit Suar. *lib. 3. de legib. cap. 22. & lib. 5. cap.* 4. omnem legem humanam tandem in aliquam conſcientiæ obligationem reſolui, ſaltem ratione alicuius quod includit.

Suppono 2. eſſe in arbitrio Legiſlatoris imperantis, aut prohibentis quidpiā, quod nulla alia lege naturali aut poſitiua præceptum eſt; iubere aut vetare obligādo ad culpam, aut ad ſolam pœnam; ſiue præcipiendo, prohibendoque ſimpliciter actum, & ſecus facienti pœnam imponendo, vel non præcipiendo, aut prohibendo abſolute quempiam actum, ſed iubendo vt ſi à quopiam vel fiat, vel omittatur, ille quidpiam deinde præſtet: poteſt v. g. exoticarū mercium commeatum vetare, & deinde ſecus facientem, atque violati imperij reum caſtigare certa pœnâ; vel ſtatuere, vt ſi quis inferat merces exoticas, illis priuetur, aut certam mulctam pecuniariam luat. Idem dico de certis veſtibus geſtandis. Tota itaque difficultas in eo conſiſtit, vt videamus quinam in ſanciendis eiuſmodi legibus fuerit Principis illas ferentis animus, an ad ſolam pœnam voluerit obligare, an verò etiam ad culpam. Quod ferè nunquam voluiſſe præſumimus, niſi aliud ex certis indiciis colligamus, quia vix aliud quam externam politiam in eiuſmodi legibus attendunt

tendunt Principes,& commoda quædam quæ facilè aſſequuntur ſtatuendo pœnam ſecus facientibus, quamuis aliunde non peccent.

4 Indicia porrò quibus mentẽ Legiſlatoris inueſtigamus,vbi illã ipſe nõ expreſſit,hæc pręcipua ſunt. Nimirum modus ferendi legem, ſiue verba quibus ſancitur, an præceptiua ſint, an verò tantùm conſtitutiua, vti iam monui. V. g. prohibemus exoticas merces inferri in Regnum, & eum, qui noſtram legem hanc violarit, mercium amiſſione & ſummâ pecuniaria mulctatum eſſe volumus: vel,ſi quis merces exoticas in Regnum inferat,illis ipſis mulctetur, & centum nummos luat: quæ verba nõ prohibent inuectionem illam mercium, ſed inuehentem illis priuant,& mulctant;& reuerà illi duo loquendi modi ſinonymi non ſunt, diuerſámque omninò ſententiam ſubiectam habent.

Secundum indicium eſt materia quæ præcipitur; quoties enim illa ius alterius attingit, aut per legem ponitur in aliqua materia virtutis diſtinctæ ab obedientia, obligat ad culpam: ſecus verò quando vel ſolam obedientiam debitam præcipienti ſuperiori, vel externam politiam merè reſpicit, non obligabit ad culpam, niſi id expreſsè, aut æquiualenter lex ipſa ſignificet. Hoc indicium certiſſimum eſſe mihi videtur, atque vniuerſale, ſi bene explicetur, vti explicuimus in Scientia Canonica. Obſerua igitur id quod ſancitur lege ſolum humana, vel eſt actus alicuius virtutis, quæ tamen tunc non obligaret, ſeclusa hac lege, vt ieiunium, auditio Sacri, obſeruantiæ in Principem certa quædam exhibitio, aliúdve ſimile ad temperantiam, religionem, pietatem, aliámve ſingularem virtutem ex ſeſe pertinens: vel ipſa lege in materia alicuius eiuſmodi virtutis ponitur, ex fine nimirum, quem ſibi proponit Legiſlator, qui tali conſtitutione vtitur ad procurandum illum finem: verbi gratia, ad tuendum alicuius ius, ad ſeruandam æqualitatem, ad retinendam imperij maieſtatem, & ſimilia; qua de cauſa probibet quædam in ſignum maieſtatis ex more gentium, aut lege conceſſa Principi, à priuato quopiam vſurpari; alia quædam fieri, ne alterius iuri aut priuilegiis conceſſis officiat. Qui verbi, gratia, obtinuerit ob egregia in Rempublicam merita præcipuum quemdam honorem, aut ius certi commercij, aut dignitatis, ſi ad retinendum illud ius quædam imperet, aut præcipiat, ea ad materiam virtutis iuſtitiæ reducentur. Quod idem affirmo de definitione pretij frumenti, vini, aut mercium, ne cariùs quàm par eſſet contra æquitatem vendantur: ſi ad ornandum Dei cultum, aut tuendam religionem aliquid imperet, reducitur præſertim ad virtutem religionis. Aliquando denique ſolam politiam, cuiuſque commodum, aut ordinationem, & compoſitionem ſpectat Princeps prohibendo quædam ex ſeſe indifferentia, quæ proinde neque ad peculiarem illam virtutem ex natura ſua, neque ex legis impoſitione, aut Principis deſignatione reducuntur: ſolamque iuſtitiam legalem, aut obedientiam reſpiciunt. Priora illa ita ferè præcipiuntur, vt ad culpam obligent, ſiue in ipſa lege ſecus facientibus pœna infligatur, ſiue non. Quare niſi Legiſlator ſignificet ſe non velle obligare ad culpam conſcientias ſubditorum; reuerà eo modo obligare ſentiendum erit, cùm certæ & ſingularis virtutis exercendæ obligationem imponat ſubdito, quam pœna appoſita non tollit, ſed potius vrget. Quæ verò ad ſolam externam politiam, eiuſve ordinem,& compoſitionem conſtituuntur à Legiſlatore,neque ad vllam aliam virtutem, quàm obedientiam, aut iuſtitiam legalem reducuntur, per eiuſmodi conſtitutiones pœnales non præſumuntur imperati ſub culpa, ſed ſolum ſub pœna intenta, niſi Legiſlator aliam eſſe ſuam mentem exprimat, aut ex natura & grauitate pœnæ impoſitæ id colligatur. Quia abſque ea duplici obligatione finem ſuum aſſequitur princeps, nam & obtinetur ordo ille politiæ, quem intendit, cùm vel ſeruetur, vel non violetur impunè, atque ea ratione ſubditi contineantur in officio, quod vnum intendit Princeps. Deinde nullius virtutis peculiaris honeſtas & obligatio violatur à non ſeruantibus conſtitutionem Principis, pœnam tamen ſancitam ferentibus. Nam obedientia non infringitur, quia vti monebamus, non præcipitur aut prohibetur ſimpliciter & abſolutè actus aliquis, ſed ſub conditione, & veluti conuentione, vt ſi fiat aliter, quàm conſtitutum eſt, pœna illa luatur. Si igitur illam luat reus, ſatisfacit præcepto, & obedientiam ſeruat. Iuſtitia verò legalis ad Principem ſpectat, non ad ſubditos, ſi concedamus illam eſſe peculiarem quandam & ſingularem virtutem. Non negamus tamen hæc omnia præcipi aut prohiberi poſſe ſub culpa & pœna ſimul ſecundùm capacitatem materiæ imperatæ.His ita obſeruatis.

Dicendum eſt tertio leges, mercium,aliarúmve rerum commeatum, aut negotiationem ſub aliqua pœna probibentes, aliquando merè & abſolutè pœnales eſſe, alias verò mixtas ad culpam & pœnam ſimul, ſi violentur, obligantes.Quod ex grauitate pœnæ quæ infligitur, fine qui intenditur,& virtute ad quam ſpectat res imperata, verbis quibus præſcribitur, vbi dubia fuerit mens Legiſlatoris, diiudicandum erit.Itaque leges quæ annonam, aut arma deferri hoſtibus prohibent, aut exportari è Prouincia vel vrbe,vel ad illam deferri imperant interminata cenſurâ, aut pœnâ capitis, exilij, & omnium bonorum, quæ ſunt pœnæ grauiſſimæ; obligant ad culpam ſimul, niſi aliquid excuſet, vti in pœna flagri reis infringentibus carcerem impoſita; licet enim à culpa excuſentur propter amorem vitæ tuendæ, & mortis euadendæ, grauiter tamen puniuntur, quia iudiciorum ordo, quamuis inculpabiliter, violatur,pertinetque ad bonum commune Reipublicæ eiuſmodi ordinem ſeruari, & non impunè lædi. Deinde quædam leges pertinent ad æquitatem commerciorum, & ius alterius ſeruandum, ad tuendam Maieſtatem Principis, quæ alioquin lædi videtur, quales erant leges de purpura & veſtibus quibuſdam Principi,tanquam eius quædam inſignia reſeruatis. Sunt quoque leges mixtæ, & ad aliquam virtutem, atque honeſtatem ſpectant, cuius obligationem intendit imponere Legiſlator. Ex qua vniuerſali doctrina facilè fuerit, quid ſentiendum ſit in ſingularibus caſibus,æſtimare. 5

Dicendum eſt quartò ad incurrendam pœnam, immò & culpam, committendo quidpiam aduerſus eiuſmodi leges vetantes inuectionem mercium, aut euectionem, conſiderandam eſſe materiæ leuitatem aut grauitatem: deinde varias cauſas tum legis ferendæ, tum ab eius obſeruatione excuſantes, ſi quæpiam exiſtant: tertiò verba legis, quæ cùm odioſa ſit, in ſtricta & propria ſignificatione capienda ſunt. Denique eius finem, qui ea violatione legis, multùm, vel parum impeditur. 6

7 Ad extremum moneo non incurri pœnam in his omnibus ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, niſi in pœnis cenſurarum, quæ cùm ſint latæ ſententiæ, trahunt ſuam exequutionem, neque vllam aliam actionem poſitiuam exigunt, cum conſiſtant in priuatione, ad quam nulla opus eſt, aut poſitiua ablatione & ſpoliatione rei, quæ aufertur, aut alio impedimento illius poſitiuo. Quæ omnia ex principiis vniuerſalibus de lege pœnali traditis in ſcientia Canonica, & ex tractatu de cenſuris nuper à nobis edito, ſupponenda ſunt, ne hoc loco ad aliena digrediamur.

ARTICVLVS III.

Quæſtiones Conſectariæ.

Consectarivm I. *An imminente annona poſſit Princeps vel Magiſtratus cogere ciues vt frumentum ſibi ſuperfluum certo pretio pauperibus vendant, illudque ab illis in hunc finem tollere.*

II. *An cui interdictum eſt alicuius rei, vel mercis commercio; ſi illud tamen occultò exerceat, peccet, teneaturque ad reſtitutionem.*

III. *An Domini quicumque Iuriſdictiones temporales habentes in aliqua Ditione, poſſint interdicere aliqua commercia, aliave imperare, v.g. coctionem & molituram in aſſignatis à ſe clibanis, & moletrinis, & in aliis prohibere.*

IV. *An deprehenſus vnà cum mercibus aliiſve rebus extrahi vetitis, puniri debeat pœnis extractioni impoſitis.*

V. *An ſaccus quo extrahitur frumentum contra prohibitionem, addicatur vnà cum frumento.*

VI. *An externi teneantur legibus, rerum aliquarum commeatum & commercium prohibentibus.*

VII. *Caſus ſingulares.*

VIII. *An vrgente penuria & ſterilitate debitores hordei, & frumenti, aut obligati ad eleemoſynam panis vel frumenti, teneantur debitum panem vel frumentum ſuppeditare, an verò poſſint hoc ſuum debitum pecuniâ pro ratione pretij & taxa panis ac frumenti, ſoluere.*

EX diſputatis proximè duobus ſuperioribus Articulis plurimas quotidianas difficultates circa vetitum mercium quarumdam commeatum, atque etiam commercium, rerumque aliarum vſum facilè diſſolues.

Consectarivm I.

An imminente annona poſſit Princeps vel Magiſtratus cogere ciues, vt frumentum ſibi ſuperfluum certo pretio pauperibus vendant, aut illud ab his in hunc finem tollere.

VRgetur Ciuitas vel Prouincia annonæ caritate, plures tamen habent aliquam copiam frumenti, quam magno pretio, diuitibus, aut exteris vendunt: quod quia pauperes ſuppeditare non poſſunt, fame pereunt: potéſtne Magiſtratus vt illi inopiæ ſubueniat, cogere iſtos, qui frumento abundant, certo pretio vendere pauperibus, incolis, aut ciuibus, non autem ditioribus, aut externis, etiamſi maius pretium offerant: quod ſi parere recuſent, potéſtne frumentum illud aufferre, & in foro ad vendendum exponere. 1

Reſpondeo vtrumque iſtud iure fieri à Magiſtratu. Ita Gutierr. *lib. 1. quæſt. ciuil. quæſt.* 13. quia cùm agitur de bono communi & Reipublicæ laborantis neceſſitate grauiſſima, illi etiam ſuo incommodo tenentur priuati ſubuenire, multò magis quando id facere poſſunt ſine vllo damno, quamuis cum minori lucro: quare dum hanc opem & ſubuentionem Princeps à priuatis ciuibus exigit, nullum nouum onus imponit, nullamque nouam obligationem qua non tenerentur, etiam ſeclusa noua ſanctione in his rerum momentis. Et ſanè tunc iure poteſt Reſpublica prohibere ne annona exportetur, poteſt & pretium diffinire, ſicut & alia tempeſtate, & prohibere ne oblato eo pretio cuiquam vendere recuſent: & prætereà ne quis plus quàm ſuæ familiæ ſuſtentandæ neceſſarium fuerit, comparet, ne auari quidam ditiores copiam ſibi infimo illo pretio comparent, quam deinde vrgente grauiori inopia diſtrahant; atque interea pauperes in maximam pereundi neceſſitatem coniiciant. Quare poterit Reſpublica ſingulis familiis pro ipſarum amplitudine & perſonarum numero definire quam copiam frumenti ſibi ſumere aut retinere debeant: & cogere vt quod ſupererit, definito pretio diſtrahant. In quibus omnibus præceptis nihil quod cum æquitate & ratione pugnet, apparet: modo hæ conditiones quarum aliquas attigit Guttierr. ſeruentur. Prima, vt ſit vera & non ficta neceſſitas, aut eius ſaltem imminens & probabiliſſimum periculum. Secunda, non poſſit alia via commodiori & minus moleſta ſingulis ciuibus prouideri, quia fieret iniuria frumento abundantibus, ſi à legitimo lucro, quod facere poterant, impedirentur, abſque iuſta & graui cauſa, cuiuſmodi alia eſſe non poteſt quàm communis illa & grauis neceſſitas, cui aliter occurri nequit. Tertia vt definiatur iuſtum pretium, quod tunc ſine dubio maius eſſe debet, quàm alia tempeſtate, quandoquidem raritas mercium illas pretioſiores facit, ſicut copia viliores. Quarta, non plures menſuras diſtrahere cogantur quàm ſint neceſſariæ ad ſubleuandam eam publicam neceſſitatem. Quinta, hoc grauamen & onus æqualiter omnes qui frumento abundant premat; neque vnus aut alter ſuam annonam vendere, & hor-

horreum aperire cogatur omnibus obuiis , dum cæteri ſua interim claudunt , & in maius deinde luctum aſſ:ruant. Sexta vt ceſſante publica neceſſitate , ceſſet quoque iſta lex. Septima vt cuique relinquatur quantum ſuæ familiæ ſuſtentandæ fuerit opus,ne qui tam liberaliter annonam ſuam diſtribuit , egete deinde eugatur , & ab aliis magno comparare , quod ipſe viliori multò pretio vendiderat. Sanè his omnibus poſitis conditionibus æquiſſima erit illa lex , & qui illi parere noluerint , non modo puniri pœnis à lege inflictis poterunt ; ſed etiam effractis horreis frumento ſuo priuari. Quod tamen verè & ſine fraude impendatur in ſubſidium inopiæ publicæ , & auertendæ communi egeſtati , & fami , & non ſimulatæ dumtaxat , alioquin fieret illi priuato iniuria & damnum , quod quis intulerit , tenebitur reparare.

Addo huiuſmodi legem obligare tunc etiam ſub culpa , quatenus quiſque tenetur iure naturæ in his circunſtantiis ſuccurrere proximo laboranti , maximè cùm id , vt dixi , queat
2 ſine damno , quamuis cum minori lucro. Deinde quia lex ponit tunc rem imperatam in materia iuſtitiæ , & denique quia videtur ea tunc eſſe mens præcipientis ; alioquin non magnam vim haberet ea lex , facilè enim variis artibus eluderetur. Quod confirmatur ex eo , quod in eo caſu id imperari poſſet ſub excommunicatione, & reuerà ſub graui pœna aliquando à Magiſtratu laïco iuberi. Non tamen tenebitur aliquis aut ſuum frumentum in forum mittere , aut publicæ venditioni exponere , ſed pauperi emptori non denegare.

Quætes vtrum à diuite maius pretium definito; iuſtum tamen , exigi queat abſque culpa?

Reſpondeo modo id non noceat pauperi , & neceſſitatem publicam minimè augeat , id poſſe, diuitem tamen non teneri ad aliud , quàm quod publica lege definitum eſt,quodq; iuſtum eſt dare, neque venditorem poſſe iuſtum & taxatum pretium offerenti diuiti recuſare , niſi lex ita lata fuiſſet , vt pretium pro ſolis pauperibus definiſſet , quod fieri non ſolet. Tunc enim nullam faceret iniuriam diuiti , & neceſſitati publicæ , atque pauperibus prouideret. Diuites enim qui defectum annonæ facilè fingere poſſent , aut in familiam numeroſiorem , vt vili pretio comparasent , maximam copiam inferre, dum ſibi pretium augeri videbunt , ab eiuſmodi fraudibus abſtinere cogentur.

Monet denique Gutierres *ea quæſtione* 13. hac etiam lege Clericos teneri , & horum frumentum ex decimis , aliiſque prouentibus Eccleſiaſticis collectum , hanc in neceſſitatem à laïca poteſtate ſequeſtrari poſſe , neque id pugnare cum Bulla cœnæ *cap.* 12. quia inibi agitur de iniqua vſurpatione & ſubductione bonorum & prouentuum Eccleſiaſticorum,qualis hic non eſt,ſeruatis conditionibus à nobis allatis.

Consectarium II.

An cui interdictum eſt alicuius rei , & mercis commercium , ſi illud tamen occultè exerceat, & rem illam aut per ſe , aut per ſuppoſitas perſonas vendat iuſto , & communi pretio , peccet , teneaturque ad reſtitutionem.

Status controuerſiæ. 1.
An exercentes vetitam ſibi artem , peccent. 2. 3.
An eiuſmodi artifices obligentur ad reſtitutionem. 4.

COmmercium aliquarum rerum , nonnunquam vni tantum hominum generi permittitut , aliis omnibus prohibetur , qua ratione dicebamus nuper fuſcationem purpuræ , & ſericarum veſtium contextum ſolis Imperatoribus, eorumque textrinis & gynecæis quondam permiſſam fuiſſe ; id verò ſæpius contingit in artificibus , quorum opera inter merces , impræſentiarum , quamuis fortaſſis minus propriè annumero ; quandoquidem non elaborantur ab illis , niſi vt diſtrahantur. Quaſdam verò artes in bene temperatis ciuitatibus nemo palam exercere poteſt ; niſi in collegium & matriculam eiuſmodi artificum allectus & relatus fuerit præſtito iuramento , vbi à præcipuis illius collegij ſolemni more fuerit examinatus , & probatus , edito etiam aliquo inſigni artis ſpecimine. Sæpius etiam accidit vt aliqui inſigniores artifices gaudeant priuilegio certum quoddam opus elaborandi , & mercatores aliqui certam mercem diſtrahendi. Quibuſdam in locis aut nullam aut aliquam artem profiteri licet abſque venia Principis , aut Reipublicæ , ſuntque certo numero definiti illi artifices. Quæritur itaque an cui rei alicuius commercium interdictum eſt , & cuiuſpiam artis exercitium , ſi nihilominus contra eiuſmodi prohibitionem illa omnia præſtet , merces illas diſtrahat , & comparet ; artem exerceat , & opera artis illius ſibi vetitæ , per ſe, aut ſuppoſitas perſonas vendat ; æquo tamen & communi pretio , peccet , atque etiam ad aliquam reſtitutionem obligetur. Difficultas eſt quia hæ leges, videntur eſſe pœnales dumtaxat , aut certè in præſumptione fundatæ : ſuſpicantur nempe hos artifices non eſſe ſatis ſuarum artium peritos , quoties illis ſeſe immiſcent abſque præuio examine, & diligenti probatione à peritis eiuſdem artis palam & publicè facta. Quare ſi quis ſuæ peritiæ conſcius eam artem priuatim exerceat , non peccat in legem , quæ etiam non vetat niſi publicam eius artis profeſſionem certis quibuſdam conditionibus. Immò non videtur prohiberi poſſe exercitium priuatum alicuius artis cui aliquis ſe addixerit. Quidni & poterit illa ſua deinde opera amicis , aliiſve priuatim vendere.

Duplex hîc quæſtio poterit inſtitui. Prima eſt, an vel artem vel commercium prohibitum exercens,peccet. Secunda an ad aliquam reſtitutionem teneatur. Et quidem illum qui aliquam artem cōtra prohibitionem à lege factam profitetur , peccare

mortaliter

mortaliter exiſtimat Gutierr. *lib. 2. quæſt. ciuil. quæſt.* 182. agens de eo cui prohibitum eſt panificium profiteri: quia violat legem publicam Principis, & ob bonum publicum latam in re graui. Qui itaque medicinam Lugduni non allectus in collegiū Medicorum factitaret, aut aliam quamdam artem ex iis quæ collegia habent, quibus artifices debent inſcribi præuiis probationibus, peccabunt mortaliter, ex Gutierre. Quod pleriſque aliis etiam Theologis non ita probatur, cùm plerumque non appareat quænam hoc caſu honeſtas virtutis lædatur præter Politiam externam, quæ retinetur quoties non ſeruatur impunè, prout monebamus articulo proximo.

Mihi diſtingnendum videtur, & cauſæ prohibitionis conſulendæ plures ſunt. Primò enim prohibentur alicui hominum generi nonnullæ artes, quæ illos dedecent, vt viles artes clericis, de quibus *cap.* 3. egimus, *art*... Sanè ſi eiuſmodi publicè & palam profiteantur, peccant contra ſui ſtatus dignitatem, & legem prohibentem, quæ collocat rem vetitam in materia Religionis. Secundò conceditur aliquibus priuilegium & ius exercendi alicuius opificij quod cæteris prohibetur, qui proinde illud non ſine peccato exercent, quia violant ius quod habet alter, ne quis alius eiuſmodi opus factitet. Tertiò non niſi certis perſonis permittitur aliqua ars exerceri, & plurimùm idcircò intereſt Reipublicæ non omnibus illius facultatem facere: quo caſu eiuſmodi lex obligat ad culpam, neque licebit eam violare ſine peccato. Quartò quando inſtituta ſunt collegia artificum, nequeunt ſine culpa, eorum opera palam factitari ab iis, qui eiuſmodi collegiis incorporati non ſunt. Quia cùm illa collegia plurimum conferant ad bonum Reipublicæ, ideoque & inſtituta, & variis prærogatiuis inſtructa fuerint, contra eorum iura facit, qui illorum artes exercet; & totam eorum inſtitutionem inutilem redderet eiuſmodi licentia, quam idcirco leges paſſim coërcent. Peccabit itaque contra iuſtitiam qui horum collegiorum iura læſerit in hoc caſu. Quintò quando examen ſubeundum eſt, facienda probatio, & ſpecimen operis edendum, & denique præſtandum iuramentum ad licitum alicuius artis exercitium: qui omnibus illis omiſſis, eiuſmodi profitetur artificium, peccat; quia & legem violat, & plebi illudit, quæ exiſtimat ſe agere cum homine, cuius peritia legitimè probata ſit, quod verius erit, ſi conſcius ſuæ tenuitatis, & veritus repulſam, examini, & cæteris ſolitis probationibus ſeſe ſubduxerit.

Addo tamen hæc omnia intelligenda eſſe de publica profeſſione alicuius artis, quæ ſola vetatur eiuſmodi legibus, non verò clancularia & occulta, quod interdum quodpiam artis illius aliquis opus edat, ſui aut amicorum cauſâ, aut etiam cupiditate lucri. Neque ſanè videretur ſatis æqua eiuſmodi lex, quæ priuatam induſtriam, & operam prohiberet. Atque ita interpretatur talia edicta communis vſus, quia agunt de profeſſione artis, quæ quidpiam publicum ſonat, & frequentiam actuum, aut exercitium continuum, non vnum aliquod opus, quod quis domi ſuæ elaborabit: neque enim tunc violat ius alterius, quod in eo ſolùm conſiſtit, ne alius eiuſmodi artem profiteatur, niſi cum tali conditione. Quod ſi nonnunquam prohibeat omnia & ſingula artefacta ab alio quàm à tali artifice deſignata, & quæ eius nota impreſſa ſint, vendi, ſolam venditionem, diſtractionem & commercium eiuſmodi artefactorum prohibebit, non eorum priuatam, clandeſtinámve factionem, & aliquam diſtractionem, quæ tamen commercium dici nequeat, & artificum legitimorum commercio minimè noceat, vti ferè non nocet; ad id ſiquidem opus foret frequenti venditione operum, & exercitio artis, quod facilè aduerteret oculos artificum legitimorum, qui iure agerent aduerſus eum clandeſtinum artificem.

Hæc porrò omnia ſimili ratione dicenda ſunt circa vetita commercia quarumdam rerum. Vbi 3
enim dubia fuerit mens legis quoad obligationem ad culpam, & non ad ſolam pœnam, ſeruanda erit vniuerſalis Regula nuper tradita, & conſiderandæ cauſæ interdictionis, atque potiſſimùm finis, vt videamus an res præcepta pertineat ad honeſtatem alicuius virtutis ſingularis, aut ſaltem ad eius materiam per legem reducatur, eo quod intendat Legiſlator per ſuam illam legem virtutis illius honeſtatem in ſubditos inducere, illamque imperare, tunc enim violando legem, alioquin pœnalem, læderetur ſimul honeſtas illius virtutis, ac proinde aduersùs eam peccabitur. Si verò ſolum ordinem externæ politiæ, ac decoris cuiuſdam attenderit lex, in qua non includitur alia peculiaris honeſtas quàm obedientiæ, aut iuſtitiæ legalis, quandoquidem ſubeundo pœnam propter poſitum actum prohibitum ſeruatur adhuc obedientia, & iuſtitia legalis, vti oſtendimus *art. ſuperiori*, non committitur culpa Theologica. Secundò ſi commercium vni alicui permittitur, aliiſve prohibetur, ex quodam priuilegio ipſi vel in compenſationem meritorum facto, vel pretio etiam à Principe redempto, qui commercio illo vtetur, peccabit, quia violabit ius alterius ipſi à legitima poteſtate factū, ne quis tale mercimonium exerceat. Tertiò ſi ex illo commercio redditum & cenſum aliquem capiat Princeps, aut Reſpublica, ideóque prohibuerit cæteris, qui prohibitionem violabit, peccabit contra iuſtitiam, & ius regiorosum quod alter habet, ne quis alius eiuſmodi commercio ſe immiſceat, quodque ipſi non gratis, ſed graui onere conceſſum eſt. Quartò ſi paſſim omnibus commercium tale eſt interdictum; vbi dubia erit obligatio ad culpam, præſumenda erit obligatio ad ſolam pœnam, modo nuper explicato. Supponimus autem has omnes interdictiones commerciorum, artificiorum, atque priuilegia quibuſdam conceſſa, non ſine aliorum damno, qui ea exercerent, legitima & æqua eſſe; non fraudibus, monopoliis, aut vi à Principe extorta, aut per ſummam cupiditatem à Miniſtris Regiis conceſſa, ad pecuniam corrogandam magno ciuium damno, & grauamine: in ea enim manifeſta iniquitate priuilegiorum & prohibitionum, locus amplius quæſtioni noſtræ non eſſet, & ex generalibus principiis definienda foret.

Altera quæſtio erat de obligatione ad reſtitutio- 4
nem, An qui artem, aut commercium ſibi prohibitum exercuit, in eoque naturalem æquitatem ſeruauit, neque pretium iuſtum & commune exceſſit, ad aliquam reſtitutionem teneatur. Negat Gutierres *citata quæſt.* 182. *lib.* 2. *quæſt. ciuil.* in eo cui panificium interdictum eſt, vendit tamen occulte panes coctos communi, & iuſto pretio. Quod idem omnino in ſimilibus aliis caſibus affirmare cogetur. Mihi diſtinguendum videtur. Nam ea reſtitutio vel facienda erit emptoribus; vel illis quorum ius læſum fuit, eo quod illis ſolis eiuſmodi artes & commercia

permiſſa eſſent ; vel denique ipſi Principi qui prohibuerat ea commercia & artes ; vel abſolutè omnibus, vel aliquibus tantùm, & quibus ipſe veniam non feciſſet. Atque in his omnibus videndum eſt, an aliquod damnum fuerit illatum, ſiue poſitiuum aliquid auferendo, ſiuè negatiuum impediendo, ne lucrum facerent, quod ſine dubio ſeruata lege feciſſent; damni ſiquidem illati reparatio facienda erit, quod ſi nullum fuerit damnum, quamuis iniuria fuerit commiſſa, nihil erit reſtituendum, cùm nihil fuerit acceptum, vti ex principiis vniuerſalibus de reſtitutione, ſub finem huius operis explicandis, ſupponimus.

Et quidem quod attinet ad emptores harum mercium, & artefactorum, aut artificis operarum conductores ; ſi communis pretij æquitas ſeruata fuerit, nihil planè ipſis reſtituendum erit, cùm nullum damnum irrogatum ſit, neque quidquam, quod dare non deberent, ab illis acceptum. Immò ſæpius pretium commune in iſtis clanculariis negotiationibus minui ſolet, alioquin malleñt emptores à publicis negotiatoribus & artificibus hæc omnia emere ſine periculo, ſi enim deprehendantur, ipſi quoque cum furtiuis iſtis negotiatoribus & artificibus punientur. Quod verò attinet ad eos quibus ſolis permiſſa erant iſta commercia, & artificia, atque ad ipſum Principem qui conceſſerat priuilegia eiuſmodi impoſito cenſu aliquo, aut vectigali, aut præſenti pecunia vendiderat: ſuppoſita omnium iſturum æquitate maior videtur eſſe difficultas, quia damnum inde ſentiunt tum Princeps ipſe, tum iſti priuilegiati negotiatores & artifices: iſti enim minus ſine dubio lucrabuntur, quàm lucrarentur ſi nulla eſſent furtiua commercia, eaque de cauſa minori multo pretio redimerent eam facultatem a Principe, in cuius tandem diſpendium violatio legis hoc caſu recidit. Compenſandum itaque erit duplex illud damnum, Principis nempe & priuilegiatorum negotiatorum, vel artificum.

Reſpondeo in primis non eſſe locum huic controuerſiæ, quando omnibus abſolutè commercium aliquod, aut artis cuiuſpiam exercitium interdictum eſt. Tunc enim nulli damnum, de quo agimus, infertur, cùm pretij æquitas in illa violatione interdictionis conſtet. Deinde in noſtro caſu eſt illa ipſa difficultas communis circa fraudantes gabellas, videntur enim nocere tum ipſis publicanis, & redemptoribus, tum ipſi Principi, cuius vectigalia, ea clancularia ſubductione minuuntur. Quod igitur de ea communi controuerſia ſtatuemus c. 9. huic noſtræ aptandum erit. Tertiò denique ſi quod exiguum damnum contingat hoc loco priuilegiatis, illud plus compenſatur iure quod habent mulctandi clancularios iſtos negotiatores, & artifices, quorum opera & merces ipſis addicuntur, præter mulctam pecuniariam non leuem, cuius etiam pars aliquando fiſco addicitur, indeque minutio redemptionum, ſi quæ foret, reparatur. Quamquam vix vnquam fiat ea imminutio, cum & publicani ſuo periculo præſtent eos euentus; quos ita ſua diligentiâ cauent, vt pauci omnino ſint, quos non deprehendant, & quos fraudatores non magno luant. Immò aliquando ea priuilegia, aut vectigalia ingenti pretio comparant, ſpe lucri, quod ex deprehenſis fraudibus, & ipſarum mulcta faciunt, potius quàm ob vtilitatem ipſius commercij, aut artificij. Quare vix vnquam ratione iſtarum fraudum damnum vllum patiuntur.

Dices damnum quod ab aliquo infertur debere ab illo ipſo reparari, non ab alio, qui ſimile, aut etiam maius damnum intulit, cuius pœna & mulcta vtrumque damnum æquat, aut ſuperat; mulcta ſiquidem, aut compenſatio vnius non liberat alium ab obligatione reſtituendi, in cuius gratiam eiuſmodi compenſatio facta non fuit

Reſpondeo id verum eſſe quando illud damnum non cenſetur condonatum ex pacto quodam virtuali, & conceſſione cuiuſdam in illius compenſationem. Ideirco enim imponitur grauis mulcta, & mercium omnium pretioſarum addictio, quia vix poſſibile eſt, omnes fraudes deprehendi, & vt damnum quod pluribus illis infertur, vna tandem deprehenſâ compenſetur. Videntur quoque iſti omnes remittere fraudes, quas non deprehenderunt, neque eiuſmodi reſtitutiones expectant; quod cum ſciant & ipſi Principes, videntur cum illis ita paciſci. Neque intendunt hos clancularios cogere ad reſtitutionem, ſi non deprehendantur, eo pacto & conditione, vt ſi fraus aperiatur, non leuem pœnam quæ vnà omnes alias fraudes compenſet, luant. Sed de his plura *cap. 9.*

Consectarium III.

An Domini quicumque habentes iuriſdictionem temporalem in aliqua ditione, poſſint interdicere aliqua commercia, aliáve imperare ; v. g. ſubditis ſuis coctionem, & molituram in aſſignatis à ſe clibanis & moletrinis imperare, & in aliis prohibere.

Status controuerſiæ. 1.
Quid poſſit ſupremo iure Princeps. 2.
Quid inferiores Domini. 3.
Quid Ciuitates. 4.
Quid de prohibitione indirecta. 5.
An inferioribus Dominis illud ius Princeps poſſit concedere. 6.
An illud ius acquiri valeat præſcriptione. 7.
Quid de permiſſione extruendi noua molendina. 8.

AGo maximè de hoc ſingulari caſu clibano- 1
rum & molettinarum indictiuæ coctionis, & molituræ, quia ille frequentior & ferè quotidianus eſt, & ad eundem referuntur indictio certi fori in quo frumentum, frugéſue aliæ, & non alibi vſpiam venduntur. Hoc interdictum variis modis fieri poteſt. Primò abſolutè indicendo vt omnes, & ſinguli eant ad talem furnum, aut molendinum. Secundò vt qui aliud adierint certam ſummam ſoluant. Tertiò vt qui tali via, quæ ducit ad alia molendina tranſierint, certum quid ſoluant. Quartò vt qui egreſſi fuerint ciuitate, quod neceſſarium eſt, alia quæpiam molendina adeant; deinde pro farina quam reportabunt, aut aliam ob cauſam in ingreſſu ciuitatis, quam repetunt, certum quidpiam ſoluant. Quintò vt qui in certo molendino moliuerint, vectigal aliquod ſoluant ; aut qui illud adiuerint quibuſdam oneribus eximantur, aut beneficia accipiant. In primo caſu indicitur abſolutè, directè, & ſimpliciter coctio,

vel

vel molitum fieri in certo quodam clibano, aut molendino, & prohibitur in aliis fieri. In omnibus aliis modis enumeratis neque directè indicitur coctura, & molitura in certo furno & molendino, neque prohibetur alia adire; indirectè tamen hæc omnia fiunt, quia cùm homines ab his clibanis & furnis auertantur ſpe commodorum, quæ percipient, aut onerum quibus eximentur, ſi vnum quemdam clibanum, aut molendinum deſignatum frequententi; ſine dubio dimiſſis omnibus aliis, illud adibunt, vt eiuſmodi priuilegiis gaudeant; quæ etiam non alio animo conceduntur, quàm vt homines ad illum furnum vel molendinam, cæteris dimiſſis inuitentur. V. g. cùm omnibus panes quolibet in clibano coquentibus, & in quocumque molentibus molendino impoſita ſit præſtatio cuiuſdam vectigalis, quod pluribus in locis *laidam* nominant, quæ eſt quoddam vectigal ex obnoxiis indictiuæ cocturæ, aut molituræ, præter quod ſoluere etiam debent furnaceæ operæ mercedem, quam Domini clibanorum molendinorumque gratis præſtare non debent; quodque *furnagij ius*, vel potius pretium appellant; ſi omnibus qui ciuitatis, aut Principis clibanum, molendinúmve obeunt merces cocturæ & moliruræ condonetur, ſolamque, *laidam, ſiue furnaceum vectigal* præſtare debeant, abſque dubio ab omnibus aliis furnis & molendinis auocantur homines, eaque arte ad publicum inuitantur, & quodammodo coguntur.

2 Dicendum eſt primò, optimo & ſupremo iure Principem poſſe prohibere quarundam rerum commercia, aut loca in quibus ſolis exerceantur deſignare, cogereque ſubditos, vt ad furnos a ſe deſignatos, & molendina frumentum deferant, & panes coquendos; & non ad alia molendina aut furnos diuertant: Immò aliorum omnium ædificationem & vſum prohibere. Hæc aſſertio tam conſtans eſt, vt ne quidem de illa dubitauerit, aut controuerſiam circa illam vllus Doctor excitauerit. Ratioque euidens eſt. Cùm enim ſupremus Dominus poſſit iuſtis ex cauſis alia onera etiam grauiora ſubditis imponere, cur iſtud quod leuius fortaſſis fuerit, imponere non poterit, vt inde tributum ac vectigal capiat, quod ex aliis rebus colligere ipſi fas eſſet.

3 Dicendum ſecundò eſt. Dominos inferiores, ſuperioris alicuius beneficiarios, non poſſe hæc onera ſubditis imponere, & prohibere ne ad alia molendina & furnos quàm à ſe conſtitutos accedant, victualia alibi, quam vbi ipſi indixerint vendant, aliaque ſimilia inhibere. Ita Couarru. *in regul. poſſeſſor. 2. part.* §. 4. *num.* 7. plures allegans. Ancharan. *in cap. Canonum ſtatuta, de conſtitution. quæſt* 11. Ripa *lib.* 1. *reſponſor. cap.* 11. Boëi. *deciſion.* 126. Gutierr. *lib. 4. qq. ciuil. q.* 32. *num. 9. & ſequent. vbi alios dabit.* Surd. *conſil.* 127. *n.* 23. qui communem eſſe dicit, & fuſiſſimè probat Rodriguez *in ſumma 1. tom. cap.* 188. *num.* 6. Quia eiuſmodi Domini non poſſunt ſuis edictis iuri communi derogare, & quæ ſunt meræ voluntatis, libertatique tollere in præiudicium ſubditorum, vis enim illa foret, & alij qui vel furnos, vel piſtrina habent, vel conſtituere vellent, pro arbitrio graue damnum inde ſentirent. Eiuſmodi itaque edictum contra libertatem, quæ cuique conceſſa eſt, iure communi iniquum cenſebitur, reſcindendumque erit, aut ab eo appellandum inquit Couarru. *ex l.* 1. §. *ſolet. D. quando appell. ſit.* & *l. qui ſe grauatos. Cod. de cenſib.* fatenturque paſſim DD. eiuſmodi Dominos poſſe quidem Edicta condere, non tamen Pragmaticas ſanctiones edere contra diſpoſitionem iuris communis; quod monet quoque Gutierr. *n.* 21.

Dicendum eſt tertio neque communitatem aut Rempublicam carentem ſupremo iure poſſe eiuſmodi ſtatuta prohibitoria condere, & ciues obligare coquere, aut molere in clibanis & piſtrinis ciuitatis dumtaxat, quamuis totum lucrum inde proueniens in publicam vtilitatem, non priuatam Domini, aut Magiſtratus ipſius cedat; quia ex eo neceſſitatibus publicis occurritur. Ita Couarru. §. 4. *citato. num.* 7. contra quoſdam, qui ea probabant edicta, modo fieret in publicam communitatis vtilitatem, cui cederet totum lucrum. Verùm ea publica vtilitas non facit vt lex ex ſeſe iniqua, vtpote contra ius commune, in præiudicium ciuium exterorumque lata iniqua non ſit, quandoquidem publicis neceſſitatibus aliter quàm iniquis legibus prouideri poteſt, & debet. Quamquam non diffiteatur Couarru. poſſe tantam eſſe aliquando neceſſitatem, vt illi prouideri poſſit aliquo ſtatuto, quod implicat ex quadam neceſſaria conſequutione ſimilem prohibitionem; ſed remotè tantum, vt ſtatim dicam. Neque aliud probant quæ ab illis Authoribus afferuntur. 4

Dicendum eſt quartò neque Dominos non ſupremos, neque ciuitates & Reſpublicas poſſe condere ſtatuta, quibus etiam indirectè prohibeantur commercia iure communi omnibus conceſſa, vt ad propria Dominorum vel Reipublicæ molendina & furnos compellantur variis illis modis quos initio huiuſce quæſtionis recenſuimus. Ita Gutierr. *quæſt* 33. *num.* 6. Couarru. *loc. cit.* Ancharan. *conſil.* 108. vbi improbat ſtatutum Dacianum, quo cauebatur, vt qui irent ad molendinum & valcherias communitatis, immunes eſſent à gabellis quas ſoluebant qui ad molendina & valcherias priuatorum accedebant, & ſoluere tenebantur. Meminit & ſtatuti Spoletani, quo euntes ad molendinum communitatis eximebantur in exitu ciuitatis à gabella, quam qui alia molendina adibant, tenebantur præſtare. Quæ omnia ſtatuta iniqua & reſcindenda eſſe docet Ancharan. quia ſunt in præiudicium aliorum. Et idem omnino operantur, quod edicta prohibentia directè cocturam & molituram in aliis clibanis & furnis, quam publicis, aut dominicis, neque alia de cauſa feruntur, quàm ad augendos Principis, aut ciuitatis prouentus cum diſpendio priuatorum, in illis quæ ipſis iure communi permiſſa ſunt, quia quamuis Reſpublica poteſtatem habeat ſtatuendi, quæ ad politicam adminiſtrationem pertinent, nequit tamen quidpiam contra ius commune, atque libertatem ab illo factam conſtituere. 5

Neque dicas in iſtis ſtatutis intendi primò & per ſe publicam vtilitatem, ex qua ſi ſequatur aliquod priuatorum damnum aut præiudicium, illud attendendum minimè erit, quòd per accidens, & tantùm in quamdam conſequentiam veniat, argumento *l.* 1. *D. de auctorit. tutor.* Et ſanè communis regula eſt, propter publicam neceſſitatem à propria & priuata vtilitate recedendum eſſe. Nam in iſtis caſibus non præiudicatur priuatis tantum per accidens, & per quandam dumtaxat conſequentiam, ſed per ſe, quamuis indirectè; per accidens enim & indirectè idem omnino non ſunt, & quod indirectè fit, intenditur etiam per ſe; ac proinde idem omnino operatur, atque quod directè fit, vt in hoc caſu, in quo per ſe intenditur prohibitio aliorum furnorum & molendinorum, per illas artes quibus coguntur ſinguli ab omnibus furnis &

molendinis recedere, atque ad deſignatum accedere, quamuis directè & formaliter non indicetur coctura aut molitura in aliquo facienda, & prohibeatur in aliis fieri formaliter & expreſsè, ſed ſolum æquiualenter & indirectè. Neque ſanè vnquam licet alteri nocere, & ius quod habet tollere, etiam indirectè, alioquin aperiretur via patens iniuſtitiæ; quiſque enim diceret ſe agere rem ſuam, propriam vtilitatem quærere, vti iure ſuo, quamuis ex eo conſequatur alterius iniuria & damnum neceſſariò. Priuata quidem vtilitas neceſſitati publicæ cedere debet, non tamen decretum fieri in damnum priuatorum, ob ſolam vtilitatem publicam, alioquin omnia licerent communitati in priuatos, quod nullus, opinor, affirmabit. Debet igitur eiuſmodi eſſe neceſſitas, cui omnes & ſinguli etiam ſuo diſpendio ſuccurrere debeant; tunc enim ſi ad auertendam illam neceſſitatem quidpiam decernatur quod in alicuius diſpendium cadat, ferendum erit; quod non accidit quando ſolùm augenda eſt vtilitas, aut quæſtus publicus. Et præterea in priori illo caſu vrgentis neceſſitatis ſubleuandæ, is modus tenendus erit, vt ſinguli pro æquitate iuſtitiæ diſtributiuæ aliquid conferant, non vt totum onus paucis tantùm, aut certo hominum generi incumbat. Fatetur tamen Couarru. *ſub finem citati* §. 4. fieri poſſe ſtatutum, vrgente ciuitatem graui annonæ inopia, ne triticum ipſius ciuitatis ad exteros deferatur, & ne quis triticum molendum extra vrbem deferat, niſi duodecima pars tritici, quæ molendi ratione dari ſolet, in exitu ciuitatis ſoluatur pro molendinis quæ extra vrbem Reſpublica habet, ad quæ deferendum eſt triticum vt inibi molatur. Et denique vt hoc ſtatutum non fiat ad augendos prouentus ciuitatis, ſed ad communem omnibus neceſſitatem auertendam; quod ſtatutum exiſtimat Couarru. tunc ligare ipſos etiam Eccleſiaſticos, qua de re vide Gutierr. *q. 38. & 39. lib. 4. cit.*

6 Dicendum eſt quinto, ſupremo iure Principem poſſe concedere inferioribus Dominis & ciuitatibus, aut rebuſpublicis ius & facultatem indicendi hæc onera, & ſimiles prohibitiones, interdictionéſve faciendi. Id affirmant maximo conſenſu DD. *in cap. ſignificante. de appellation.* Hoſtienſ. Innoc. Andreas Panormitan. Guido Papæ. *quæſt.* 298. Gutierr. *qq. ciuil. lib. 4. quæſt. 34. num.* 1. qui de furno & molendino indictitiis agunt. Ratio manifeſta eſt; ſi enim Princeps poteſt has indictiones, & interdictiones pro ſuo iure facere, quidni per alios quibus eam facultatem concedet, idem præſtare poterit? Cauſam tamen eiuſmodi conceſſionis, aut priuilegij iuſtam omnino eſſe oportet, & in publicam vtilitatem tendere, neque enim pro arbitrio poſſunt Principes in gratiam vnius, aliis officere, eoſque iure ſuæ libertatis atque vſus rerum ſuarum priuare: inde enim magna oriretur publicæ rei perturbatio, & ſubditorum æquiſſimæ querelæ, vti monet Gutier. *num.* 2. Deinde in facultate extruendi furnos, aut molendina, non intelligitur neceſſariò conceſſa poteſtas prohibendi cocturam & molituram in aliis clibanis & moletrinis, vti oſtendit Surdus *conſil.* 527. quia vna facultas non eſt neceſſariò connexa cum alia, ſed ſeorſim conſiſtere poſſunt, & cùm eiuſmodi priuilegia ſint odioſa, non debent ampliari, ſed reſtringi, atque ita non extendenda ſunt ad id quod expreſſum non eſt, niſi quod expreſſum eſt inutile ſit ſine iſto tacito, quod ſubintelligi volumus. Quare dominus loci qui alicui molendinum conceſſerat, poterit poſt eam conceſſionem aliud ſibi ædificare, quia non ſe priuauit ea facultate per primam conceſſionem, quod ex Baldo obſeruat Gutierr. *q. 34. citata, num. 6.*

Dicendum eſt ſextò præſcriptione temporis immemorialis, acquiri ius vt alij adeant tua molendinaria & furnos: modo ad alia molendina accedere prohibiti ſint, & eiuſmodi prohibitioni acquieuerint, quod vltimum requiro, quia ex communi certaque regula, ea quæ ex mera cuiuſque voluntate proficiſcuntur, præſcriptione acquiri non poſſunt: quia ex actibus merè voluntariis quaſi poſſeſſio adquiri nequit, *l. Proculus 26. D. de damno infer. leg. 1. §. denique Marcellus, l. ſi in meo 21. D. de aqua pluuia arc.* Atqui ſine poſſeſſione, aut quaſi poſſeſſione non præſcribitur: nam qui diutius amicum exceperit hoſpitio, non propterà cogi poteſt inuitus illum excipere, & quæſtores qui diutius nomine alicuius Eccleſiæ, aut confraternitatis eleemoſynas corrogarunt, non poſſunt aliis prohibere ne & ipſi conquirant ſtipes. Qui igitur licet diuturno tempore alicuius furnum aut molendinum adiuit, non idcircò ad id cogi poterit, & prohiberi ne alia molendina adeat. Exigebam itaque ad præſcriptionem non modo vſum & frequentationem immemorialem, ſed etiam actus aliquot prohibitionum alia molendina adeundi, vbi id tentarunt; cui prohibitioni ipſi acquieuerint. Ita Couarr. *relect. in regul. poſſeſſor. 2. part. §. 4. num. 6.* vbi innumeros allegat, & communem omnino ſententiam eſſe dicit. Ita Gloſſa aduertit *in l. qui luminibus. D. de ſeruitutib. verſ. vt bonorum prædio.* Et *in l. 1. C. de ſeruitut. & aqua.* Vide commentatorem conſuetudinum Pariſienſ. §. 5. *gloſſa 4. num.* 11. Confirmatur *ex l. hac autem 6. D. de ſeruitut. vrban. prædior.* vbi Caius oſtendit vrbanas ſeruitutes omnimodo non vtendo non perire, ſed hoc amplius exigi, vt qui mihi ſeruitutem debet, libertatem vſuceperit ædificio poſito. Quare ſeruitute non tollendi, aut luminibus meis non officiendi, non liberaberis hoc ſolo quod meas feneſtras obſtrinxi, vel occluſi, hoc amplius tibi neceſſe eſt, vt ea ſeruitute libereris, vt per idem tempus ædes tuas, altiùs ſublatas habueris. Pari omnino ratione, vt mihi debeas ſeruitutem frequentandi meum molendinum, non ſufficit vt illud diutiùs & per tempus, cuius non extet memoria, frequentaueris, niſi aliquando, cùm illud deſerere voluiſti, fueris prohibitus, atque prohibitioni parueris, hoc enim ſi ita factum eſſe probauero, ſimul probauero quaſi poſſeſſionem huius iuris, eaque ratione à die ſaltem prohibitionis incipit atque procedit præſcriptio. Et ſanè qui negant neceſſarium eſſe probari, fuiſſe aliquando eiuſmodi prohibitionem, ſufficeréque vſum accedendi ad mea molendina per tempus immemoriale, non idcircò id affirmant, quod exiſtiment in actibus voluntariis ſolo vſu & tempore præſcribi, ſed quia opinantur ex eo tempore præſumi quaſi poſſeſſionem legitimè obtentam eo modo ac forma, quæ iure neceſſaria eſt, alioquin vſus immemorialis vim præſcriptionis nequaquam obtineret, itaque exiſtimauit Felin. *in cap. cum M. Ferrarienſis, num. 7. de conſtitutionib.* quam opinionem ita temperat Couarru. vt non ſit neceſſe in noſtro caſu prohibitionem tam antiquam fuiſſe, vt ipſa immemorialis quaſi poſſeſſio ab ipſa proceſſerit, ſed ſufficere probationem aliquot prohibitionum, quæ motã litẽ 30. 40. aut 50. annis præceſſerint: inde enim præſumemus immemorialẽ quaſi poſſeſſionẽ à prohibitione proceſſiſſe.

Adde

Adde cum eodem Couarru. hunc immemorialem vſum allegari poſſe, non in vim præſcriptionis quidem ſed in vim tituli, quem Actor affirmat ſe habere ad hoc ius percipiendum & retinendum; quia titulus probatur ex vſu immemoriali, qui vim habet conſtituti, & priuilegij, *l. hoc iure. §. ductus aqua. D de aqua quotid. & æſtiua. Cod ſuper quibuſdam. de verbor. ſignificat. & cap. 1. de præſcription. in 6.* Qua de re conſule eundem Couarr. *lib. 1. variar. cap. 17. n. 5.* & tandem diſtinguendum eſt hoc loco, inter acquiſitionem iuris alicuius poſitiui, & iuris merè & ſimpliciter negatiui; ad illud enim prius ſufficiet vſus immemorialis ad probandum titulum, aut præſumendum; ad ius autem purè & ſimpliciter negatiuũ, niſi probetur prohibitio, non poteſt acquiri ius negatiuum, quod incipiet tantùm à die prohibitionis. Exemplum affert Accurſ. *in l. qui luminibus, D. de ſeruitutib. vrban. prædior.* vbi ait quod ſi vicinus domum habens aut aream propriam per centum annos, aut denique per mille, altiùs eam non ædificauerit, minimè ego poſſim aſſerere mihi eſſe quæſitum ius ſeruitutis altius non tollendi contra vicinum meum. Immò ipſe poterit liberè altius tollere. Quare etiamſi quis per centum annos meum molendinum, aut furnum frequentarit, non acquiro ius ſeruitutis aduerſus illum, ne aliò ſi libuerit, diuertat. Quando autem actus implicet contrarium vſum, vide Commentatorem conſuetudin. Pariſienſ. *loc. cit. §. 1. gloſſa 4. num. 12.* & de tota iſta peculiari quæſtione Gutier. *lib. 4. ciuilium qq. q. 34. & 35.* & nos iterum, vbi de præſcriptione aliquid dicemus.

Dicendum denique, poſſe Dynaſtas in aliquo tractu Iuriſdictionis permittere excitari noua molendina, & in aliqua ripa fluminis non nauigabilis, neque qui antiqua habent molendina, aut furnos, licet ex eorum multiplicatione minora lucra faciant, iure conqueri poterunt, niſi gauderent aliunde priuilegio, illa noua ædificia prohibendi. Hoc enim iure vtimur in Gallia, itáque cenſuit Senatus Pariſienſis ſuo decreto in fauorem Domini Baronis de Cornillon, vti in ſua collectione retulit ſapientiſſimus Iuriſconſultus D. de Henryſ. *lib. 3. quæſt. 34. & 35.*

Consectarium IV.

An repertus in via cum mercibus, aliiſve rebus extrahi vetitis, puniri debeat pœnis extractioni impoſitis.

Plurima de hac controuerſia dabit Ripa *tract. de remed. ad conſeruand. vbertat. à n. 71.* Cœpola *in l. ſi fugitiui, à n. 66. C de ſeruis fugitiuis.* Ex quibus aliiſve eum Gutierr. *lib. 4. ciuil. qq q. 37.* atque omiſſis variis diſtinctionibus & caſibus; duo mihi ſtatuenda videntur.

Primum eſt, vbi certò conſtat, ita deprehenſum voluiſſe exportare res vetitas, & reipſa exportaſſe, quamuis quia deprehenſus eſt, & prohibitus fuit, cœpta perficere non potuerit, puniri omninò debebit pœna ſtatutaria, id eſt ab ſtatuto impoſita. Ita Ripa *n. 75.* vbi refert & ſequitur Albert. de Roſate *in l. ſi fugitiui. C. de ſeruis fugitiuis.* & Bertach. *de gabellis q. 14.* Ipſis adhæſit Gutierr. *q. 37. n. 4.* & alij paſſim. Cum enim conſtet de crimine ipſaque exportatione, nihil eſt, quod hunc reum excuſet à pœna tali exportationi impoſita.

Secundum, aliquando dubium eſt an qui ita deprehenſus eſt, vellet vetita illa exportare, quod ipſe negat, aliamque cauſam ſuæ viæ affert, aut mentitur. Atque de iſto caſu dumtaxat poteſt excitari difficultas, in qua communis ſenſus eſt attendi oportere verba ſtatuti prohibentis, & pœnam indicentis, an videlicet requirant actum conſummatum, an inchoatum dumtaxat. Nam ſi loquatur per verba præteriti perfecti, aut pluſquam imperfecti, *Si quis extraxerit*: repertus in via non poterit puniri pœna ſtatuti, quod actum perfectum poſtulat, *l. 1. §. hac autem. D. quod quiſque iuris in alium,* &c. qui autem in via tantum reperitur, nondum exportauit, neque exportauiſſe dici poterit. Quando autem ſtatutum vtitur verbis futuri indicatiui, *Si quis exportabit*: vel præſentis ſubiunctiui, *Si quis exportet*: qui verba illam rem tantùm cœptam ſignificant, *l. cum fides, & l. qui teſtamento. D. de fideicommiſſ. libert.* repertus in via puniri debebit pœna ſtatuti, non tamen tota, ſed minori; quia cum pœna illa fuerit conſtituta actui conſummato; minorque ſit culpa in actu inchoato dumtaxat; non videtur tota ea pœnâ puniendus, ſed minori, ad arbitrium iudicis. Alij mediam aſſignant: hæc tamen communis doctrina, & diſtinctio non videtur reipſa obſeruari; cum ita deprehenſi totam ſtatuti pœnam luant, quod in aliis quoque criminibus contingit; nã qui falſam monetã aggreſſus eſt, illamque inchoauit, punietur tota illa pœnâ, qua falſæ monetæ fabricatores puniuntur. Quare communé eiuſmodi diſtinctionem reiicit Iulius Clarus *q. 82. §. finali,* quia ſic nunquam iſti rei deprehenderentur in flagranti delicto: quia antequam exirent è finibus, non punirentur; vbi verò fines præſcriptus exceſſerint, & iam extra illos rem deportauerint, non poſſunt à cuſtodiis cõprehendi; nihilominus retinenda videtur communis diſtinctio. Vbi enim res dubia manebit, ſi grauibus coniecturis vrgeatur reus, puniendus erit, ſed minori pœna, quia qui incipit delinquere, non eſt ſine crimine, licet nondum illud compleuerit. Coniecturas verò congerit Ripa *num 59.* & ex illo Gutierr. Prima eſt, ex loco in quo quis reperitur cum vetitis mercibus, vt quia ſectatur inuia abſque alia cauſa, non egreditur per ſolita oſtia, aut ingreditur, vt fallat cuſtodum oculos. Quod intelligendum nihilominus eſt, modo via tecta ſecura exiſtat. Nam ſi infeſta hoſtibus, ſi ſtagnantibus aquis incommoda, nullam criminis coniecturam dater. Secundò ſi reperiatur in ipſo confinio prouinciæ in quam tranſuehere prohibitum fuit, ſi in aliquo tugurio latitans. Tertiò ſi antea dixerit ſe velle exportare, ſi dum interrogatur, pugnantia loquatur. Quartò conditio perſonæ, ſi ſolitus fuerit exportare. Quintò qualitas & quantitas rerum, quæ exportantur. Sextò denique modus, & ordo quo deferuntur, vt ſociis amotis.

Denique ſi reipſa exportauerit puniri poterit, & ab Officialibus accuſari, licèt aliud ſenſiſſe nuper videatur Iulius Clarus, quamuis ille captus non fuerit, neque perſonaliter deprehenſus. Et Batt. *in l. ſi barſatorem 13. C. de fideiuſſorib.* dicat ſtatutum puniens inuentum deferre arma, punire dumtaxat illum qui cum armis inuentus eſt; & pluribus idem oſtendit Ripa *loco citato, n. 104.* quia ſatis fuerit vel corporaliter apphrehenſum, vel teſtibus comprobatum fuiſſe, quod in hoc ipſo caſu de exportante frumentum, aliáve eiuſmodi contra prohibitionem, fatentur Ripa citat. *n. 104.* & alij quos ſequitur & adducit Gutierr. *q. 37. citata, n. 37.*

Consecta-

tinus,& l.quod ita 16.D.de adilit.edicto. Non video tamen cur eam in rem illa lex afferatur. Ratio tamen huius caſus aperta eſt, quia lex illa non videtur cum tanto diſcrimine obligare, & tunc illius violatio neceſſaria potius, quam voluntaria eſt. Idem affirmant alij de fugiente peſtilentiam.

Secundus. Excoſatur qui frumentum vel panem, & aliam mercem interdictam aſportat, per modum tranſitus, quia per eam regionem, vt ſe in ſuam ciuitatem aut domum recipiat, tranſit. Ita paſſim DD. *in l.catera.§.ſed ſi quis. D. de legat.*1. eos dabit Ripa. *tract.de remed.conſeruand. vbertat.n.*119. Iulius Clarus,& alij allati a Gutierr. *q.*43.*n.*3.Boër. *deciſion.*178. Rebuff. *tom.*2. *in conſtitut.Gallic.tit.de pane mercat. art.*2. Peregrin. *de iure fiſci lib.*6.*tit.*5. *n.*30. Si quis v. g. Seciliam cum equis & armis appulerit, poterit per illud Regnum iter ſuum inſtituere, & domum ſuam cum omnibus illis, quæ ſecum deuexit, repetere abſque alia facultate, quamuis ex lege Regni nefas ſit arma & equos ex eo extrahere.

Tertius. Quamuis prohibita fuerit vini exportatio, licebit tamen vini metretam, vel guſtus, vel vſus ſui cauſa ſecum vehere, quia tunc legis finis & ratio ceſſat. Neque fuit mens Principis prohibendi, quæ ad vſum neceſſaria ſunt. Neque prohibitio ſe ad illum caſum extendit, ſed ad arcendam acquirendi cupiditatem, & commoda ciuitatis curanda. Ita Felin. *in cap. ita quorumdam,n.*2.*de iudiciis.* Stracchа *de mercat.*4. *part. num.*26. Alciat.*lib.*4. *diſpunct.cap.*11. Ripa *tract.citat.n.*109. vbi communem eſſe aſſerit. Gutierr. *q.*43. *citata num.*4.Fauet *l.vniuerſi.*5.*C.de vectigalibus. Vniuerſi prouinciales pro his rebus, quas ad vſum proprium, vel ad fiſcum inferunt, vel exercendi ruris gratiâ reuehunt, nullum vectigal a ſtationariis exigatur.* Neque huic cõſtitutioni aduerſatur *l.*16.§.3.&§.9.*D. eod.* & *l.*203. *D. de verb.ſignificat.* vbi dicitur nos eiuſmodi res profiteri oportere, quia aliud eſt profiteri, aliud vectigal ſoluere. Cogimur etiam profiteri ea, quæ vectigal non pendunt, vt dicemus inferius. Cùm igitur iſta quæ ad proprium vſum aſportantur, non debeant vectigal, non videntur etiam comprehendi lege eorum exportationem prohibente, & puniente, vti laudati DD. non malè argumentantur. Vnde vlterius colligit Ripa *n.*112. illum qui vſus ſui cauſâ frumentum aſportarit; ſi deinde mutato conſilio illud vendiderit, non incidere in pœnam ſtatuti. Sed ſanè conſtare debebit de priori propoſito vtendi, alioquin præſumetur aſportatum fuiſſe venditionis cauſâ. In his porrò omnibus attendenda erunt verba ſtatuti, & vtrum ſolam venditionem, aut reuenditionem prohibeat; an verò quamcumque exportationem.

Quartus. Qui à Gabellariis cuſtodibus, aliiſve eiuſmodi Officialibus habet licentiam aſportandi res vetitas, non excuſatur à pœna. Ita DD. *in l.*1. *C. de commeatu*, quia facultas illa fieri nequit ab Officialibus illis, qui idcircò & puniuntur deprehenſi, debentque omnino reſtituere damnum, quod ſua illa licentiâ crearunt.

Quintus. Qui legitimam licentiam obtinuit certas aliquas res vetitas extrahendi: ſi tempus illius facultatis finitum fuerit, antequam omnes extraxerit, poterit nihilominus quod ſupererit extrahere, quod aliis allatis docet Gutierr. *q.*43. *citata, n.*14. Vereor tamen vt talis ſit vſus, qui in omnibus conſolendus eſt.

Sextus. Licet farina non ſit propriè frumentum, & in legibus pœnalibus, atque odioſis verba ſint in maximè propria ſignificatione vſurpanda; nihilominus ſtatutum prohibens extrahi frumentum, ad farinam quoque extendendum eſt, ex mente Legiſlatoris, alioquin enim facilè fraus legi fieret, neque legis finis obtineretur: nempe annonæ per exportationem frumenti penuria amolienda; quia exportatione farinæ eiuſmodi penuria æquè facilè contingeret, atque exportatione frumenti; quod idem dicendum eſt de exportatione panis cocti. Ita Iulius Clar. *in practica.* §. *fin.quæſt.*82.*ſtatuto* 7. Ripa *tractat.de remed. conſeruand. vbertat.n.*43. Rebuff. *in leg.frugem* 77. *D. de verbor. ſignificat.* Menoch. *lib.*4.*præſumpt.* 151.*n.*5.Boer.*deciſion.*577.*n.*5.Gutierr. *lib.*4.*ciuil.qq.q.*44.*n.*2.& alij contra Alberic. 2.*parte ſtatuter.quæſt.*5. In omnibus iſtis attenditur finis legis, ne inutilis & nugatoria reddatur, quod alibi ſæpius monuimus.

Septimus. An vrgente annonâ poſſint Ciuitates, ipſarumque Magiſtratus, vel Concilia, abſque vlla alia Principis facultate prohibere ne frumentum, aliaque victualia extrahantur: atque etiam cogere eos, qui frumento abundant, illud potiùs ciuibus & oppidanis, quam exteris eodem ſaltem pretio abſque vlla fraude vendere, & aſſignare tempus, poſt quod licebit aliis quàm ciuibus & oppidanis vendere. An verò ad hæc omnia ſancienda, etiam vrgente graui ea neceſſitate, opus ſit Edicto Regio, cuiuſque imploranda authoritas; fuſiùs diſputat Gutierr. *lib.*4.*qq.ciuil.q.*48.49.*&* 50. Conſulendi mihi videntur mores, & vſus, ipſaque Regia Edicta, quæ ſi non obſtant, id ſingulis Ciuitatibus iure quodam naturali permiſſum eſſe videtur, vt ſeſe in ea penuria conſeruent: quia tamen inde plures tumultus poſſent oriri, & dum vna Ciuitas ſeruatur, alia periret, ſolet in Gallia ad Prætores & alios Regios Magiſtratus, qui vnà cum Ciuitatum Conſulibus, aliiſque Officialibus de tota re & modo ſtatuant, referri, atque ita vitantur plurima incommoda.

CONSETCTARIVM VIII.

An vrgente penuriâ & ſterilitate, debitores hordei & frumenti, aut obligati ad eleemoſynam panis vel frumenti, teneantur debitum triticum, vel panem ſuppeditare: an verò poſſint hoc ſuum debitum pecuniâ pro ratione pretij & taxæ panis & frumenti ſoluere.

RAtio difficultatis eſt, quia non licet inuito creditore aliud pro alio ſoluere, *l.*2. *D.ſi certum petat:* & nos fusè diximus aliàs, & iterum *lib.*3. *ſequenti* explicabimus. Quare debitor frumenti, aut alterius ſpeciei, non liberatur debito, ſoluendo eius æſtimationem, debetque dare ipſam ſpeciem: aliunde tamen quando ſpecies debita non poteſt reperiri, vel non niſi cum ſumma difficultate, aut quodam immoderato pretio, creditor cogitur recipere eius æſtimationem, *l. in re furtiua* 8. *D. de condict.furtiua,* & *leg.non dubium* 14.§.2. *D.de legat.* 3.

Reſpondeo in his omnibus caſibus diſtinguendum eſſe. Nam vel frumentum, aliáve eiuſmodi res, quæ debetur, ad certam ſpeciem determinata eſt, vel ad certum tantum genus, loquimur autem more Iuriſconſultorum, & ſpeciem nominamus, quod Logici indiuiduum; genus quod iidem ſpeciem

eiem dicunt, quod ſæp us me monuiſſe memini. Si hoc ſecundo modo fru nentum, aut aliud ſimile quidpiam debeatur, quocunque tandem titulo debeatur, exiſtimo non poſſe cogi creditorem inuitum, vt pecunia contentus ſit, vel pretio. Ita cum cõmuniori Gutierr. *lib. 4. cst. q.* 51. contra Mexiam quem allegat. Quia obligatio omnis tum dati, tum facti implenda prorſos eſt, quando complementum eſt in poteſtate debitoris & obligati, quod in omnibus obligationibus in vniuerſum verom eſſe demonſtrat Cortaſ. *lib. 2. miſcell. iuris cap.* 3. Et ſanè alioquin omnes pactiones, & debita facilè eluderentur. Atqui complementum huius obligationis eſt in poteſtate debitoris, nam frumentum & panes reperiuntur, quamuis maiori pretio ſolito. Neque enim genus petire poteſt: cur igitur cogetur creditor inuitos accipere pecuniam pro re ſibi debita, quæ adhuc extat.

Si verò res debita determinata eſſet in ſpecie, & vt loqountur Logici in indiuiduo, vt Stichus, Bucephalus; frumentum ex hoc fundo, vinum ex vite, oleum ex hac oliua determinata; ſi res vel periit, vel non extet, vel noo niſi maximo incommodo comparari poteſt; tenebitur creditor contentus eſſe eius æſtimatione. Immò aliquando debitor liberabitur illa vice omni debito. Et neque rem, quæ non extat, tradere, neque eius pretium dare tenebitur, eo quòd tota obligatio ad vnam certam ſpeciem ſit definita, & reſtricta. Neque vi promiſſionis legati, alteriúſve diſpoſitionis debitor ad aliud tenetur propter verba ipſius diſpoſitionis formaliter, vel æquiualenter taxatiua. Idcircò ſapienter Iulianus pronunciauit in *leg. ſi debitor* 39. *D. de contrab. emption. Veriſimile eſt eum qui fructum oliuæ pendentis vendidiſſet, decem ponde olei, quod natum eſſet, pretium conſtituiſſe ex ee quod natum eſſet, vſque ad decem pondo olei, idcircò ſolis quinque collectis, non amplius emptor petere poteſt, quàm quinque pondo olei, quæ collecta eſſent.* Et Paulus *in leg. inter ſtipulatorem* 83. §. *ſacram. D. de verber. obligat. Si ſtipulatus fuero ex fundo centum amphoras vini, expectare debeo donec naſcatur, & ſi natum, ſine culpa promiſſoris, conſumptum ſit, rurſus expectare debeam, donec iterum naſcatur & dari poſſit, & per eas vices ceſſaturam, aut valituram ſtipulationem.* Qui igitor frumentum, vel hordeum, aliúdue ſimile debet, aut publico aut priuato alicui, vel nomine eleemoſynæ, vel legati, alióve titulo, vel debet in certa ſpecie, vt frumenti ex tali fundo ſex modios, quatuor vini amphoras ex tali vinea, vel dumtaxat in genere ſex modios frumenti optimi, & totidem vini amphoras. Si primum liberatur omni debito quo anno abſque ſua culpa fundus frumentum non tulit, neque vitis vinum. Si verò debitum ſit quidpiam in genere, illud ſoluere debebit, quamuis grandiori pretio ſit comparandum. Neqoe inuito creditori obtrudere pecuniam poterit. Vide quæ dixi *opere de vſuris lib. 4. de Canone emphyteutico præſtande.*

ARTICVLVS IV.

De Vecturis.

QVia vecturæ fiunt in primis, nauigationibus, difficultates quæ circa vecturas, & obligationem vectorum excitari plurimæ poſſent, commodius proximo capite explicabuntur, & magnam partem ex iis quæ opere de vſuris dicta ſunt, vbi de locatione facillimè colligentur. Vectores enim ſuas operas, & iumenta, aut nauigia tranſuehendis mercibus locant: quod monendum fuit hoc loco, ne ſolemnem doctrinę methodum perturbaremus.

LIBER

LIBER SECVNDVS

De commerciis maritimis, mercium oneribus & re nummaria, vniuerſoque Negotiationis inſtrumento.

HACTENVS cauſam finalem, materialem, & effectiuam humanæ negotiationis expoſuimus; ſupereſt vt priuſquam ad formam negotiationis & varios eius modos deueniamus, de quibuſdam ſingularibus commerciis agamus, & de mercium oneribus: ac demum de Vniuerſali totius negotiationis inſtrumento & re nummaria diſputemus: horum enim cognitio ad neceſſaria negotiationis adiuncta pertinet.

CAPVT I.

De Commerciis, & Negotiationibus maritimis.

ART. I. *An ſit aliquod maris, & fluminum dominium.*

II. *Quale ſit illud dominium, & quinam eius effectus.*

III. *De nauigatione.*

IV. *De nauibus, & rei nauticæ adminiſtratoribus.*

V. *Leges nauticæ.*

VI. *De obligationibus nautæ vehentis merces.*

VII. *De obligationibus conducentis tranſuectionem ſuarum mercium.*

VIII. *Quæſtiones conſectariæ.*

IX. *De naufragiis.*

X. *De Actione Exercitoria.*

QVAM infenſo animo nauigationem oderunt diuites Agricolæ, tam incenſo ſtudio eam, vtpote comparandis diuitiis, atque exercendis commerciis commodam amplectuntur, negotiatores, vt etiam tempeſtate iactati, laceris refectis ratibus ſæpiùs ſeſe infido committant mari. Quod miratur Horat. *lib.1. ode.1.*

Illum ſi proprio condidit horreo
Quidquid de Lybicis vertitur areis
Gaudentem patrio findere ſarculo
Agros: Attalicis conditionibus
Nunquam demoueas, vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta ſecet mare,
Luctantem Icariis fluctibus Africum,
Mercator metuens, otium, & oppidi
Laudat rura ſui: mox reficit rates
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.

Immo illam pauperiem longinquis in diſſita quæque loca inſtitutis nauigationibus vitare contendit. Idem *lib.1. ep.1.*

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Quod aſſequitur peregrinarum, & exoticarum mercium aduectione, & cum aliis permutatione, quare in omnes mundi plagas percurrit. Horat. *lib.1. ſat.4.*

Hic mutat merces ſurgente à ſole ad eum quo
Veſpertina tepet regio, quin per mala præceps
Fertur, vti puluis collectus turbine, ne quid
Summâ deperdat, metuens, aut ampliet vt rem.

Quare Græcis veteribus, vt Homero *odyſſ.β. & ω.* ἔμπορος, non mercatorem, ſed vectorem ſignificat, ideóque aiunt Grammatici, ἔμπορος παρ' Ὁμήρῳ τῆς ἀλλοτρίας νηὸς ἐπιβάτης: qui pacta nimirum mercede, aliena naui vehitur aliquò traiiciendus. Et Heſych. ἔμπορος πραγματευτὴς, καὶ ὁ ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς πλέων μισθοῦ ὁ ἐπιβάτης, affertque Homeri verſum *odyſſ. ω.*

Η ἔμπορος ἀληλύθας
Νηὸς ἐπ' ἀλλοτρίης.

Vt videas quàm propria ſit nauigatio mercatoribus, & commerciis, quorum maximè maritima commendantur à Chryſoſt. *Hom.34. in ep.1. ad Cor.* & Origen. *in Philocal. cap.19.* Non potuimus itaque hanc de commerciis, quæ nauigationibus exercentur, diſputationem, & quæ circa eiuſmodi mercium tranſuectionem controuerſiæ excitari ſolent, prætermittere.

ARTICVLVS I.

An ſit aliquod maris, & fluminum Dominium.

Prima opinio, nullum eſſe maris Dominium, oſtenditur. 1.

Contraria opinio præfertur. 2.
Obiecta diluuntur. 3. 6.
Quomodo differant commune, & publicum. 4.
Quot modis res dicantur eſſe nullius. 5.
Vlpianus illuſtratus. 7.
Recentiorum mores, & affectatum maris Imperium. 8.

PRæmittenda omnino fuit hæc quæſtio ad maritimorum commerciorum libertatem, & onera explicanda, ſi enim commune ſit mare, nulliuſque priuato dominio ſubiiciatur, libera erunt ſingulis commercia, neque quiſquam à portu, & littore, & multò minus a nauigatione repelli poterit, atque adeò iniqua erunt omnia onera, quæ nauigantibus, aut in portum inuehentibus imponuntur. Quamuis enim poſſint prohibere domini, ne merces quaſdam in ſuas Ditiones quiſpiam importet, non tamen ne aut nauiget, aut littora legat, aut portum, & ſtationem aliquamdiu teneat, niſi grauis aliqua occaſio ad hoc ipſum incitet, ſui tuendi cauſâ.

1 Maris igitur dominium nullum eſſe, ſed omnibus ſicut ipſum aërem commune eſſe, acriter contendit Fernand. Vaſquius, *Illuſtr. controuerſiar. lib. 2. capit. 5. & 6.* Hugo Grotius, *maris liberi capit. 5. & 6.* quibus ex parte adhæſit Moriſolus. *lib. 2. orbis maritimi. cap.* 19. & Alphonſ. Acaſtro. *lib. 2. de lege pænali. cap.* 14. & alij quidam, qui nulli concedunt priuatum, & veluti proprietarium maris dominium, idque probant in primis ex communi gentium omnium ſenſu, quæ ſemper voluerunt libera eſſe commercia, & commeatum, ſiue tranſitum, ac nauigationem; qua exteri quoque prohiberi iure non poſſint, immò neque portu, niſi vis ab illis timeatur, eâque de cauſâ ſuſcepta bella iuſta eſſe exiſtimarunt, ad repellendam nimirum iniuriam, quam dum portubus, & littore excluderentur, aut à nauigatione impedirentur, accepiſſe ſe querebantur. Neque aliter belli aduersùs Occidentales Indos ab Hiſpanis moti æquitatem tuentur Victoria *relect. 2. de Indiis.* §. 2. 3. 4. Ioannes Solorzanus *de Indiarum iure. lib. 2. capit.* 10. §. 34. & cæteri ferè Hiſpani DD. Quæ eadem iniuriæ defenſio Megarenſes in Athenienſes concitauit teſte Thucydid. *lib.* 1. & Diodot. *lib.* 2. atque etiam Bononienſes in Venetos armauit apud Sigon. *lib.* 10. *de Regno Italia.* Iniqua tamen fuerunt illa bella, ſi maritimo eo commercio æquè ac terreſtri poſſit Princeps cæteros prohibere, & æquè impedire ne ſuum mare pernauigent, atque ne Ditionem ſuam penetrent. Quæ fuit ſociorum Æneæ, cùm iactati tempeſtate ad Punicum littus appuliſſent, ab eóque prohiberentur, querela, Æneid. 1.

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ,
Bella cient, & primâ vetant conſiſtere terrâ.

His accedit natura ipſa maris, quæ fluxilis, perpetuóque mutabilis eſt, nulliſque finibus claudi, aut certis terminis diuidi poteſt. Vnde Ambroſ. *libro 5. Hexhaem. capit.* 10. dixit, nullum adhuc Thalaſſometram auditum eſſe, quamuis Geometras agnoſcamus; quia nempe terram in ſuas menſuras, & ditiones diuidere, ac partiri licet, non mare, vt ſua cuique priuato Domino obtingat. Iſque fuit omnium ſenſus, nam vbi rerum omnium communium facta diuiſio fuit, & dominiorum, quæ priùs confuſa fuerant, diſtinctio ſiue óccupatione, ſiue ſortitione, ſiue quodam veluti conſilio, non legimus à quoquam occupatum fuiſſe mare, eiuſque dominium vindicatum, à quo deinde cæteri ſubmouerentur, eaque ſemper perſtitit perſuaſio, Aquam, & Aërem communia omnibus, & ſingulis perſeuerare. Quare apud Ouidium *lib. 6. Metam. fabula.* 5. expoſtulat Latona cum agreſti turba, quæ illam ab hauriendis aquis arcebat.

Quid prohibetis aquas? vſus communis aquarum eſt,
Nec ſolem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues vndas: In publica munera veni.

Idem habent ab Æoea ad Latinum miſſi Oratorores. *Æneid.* 7.

Dijs ſedem exiguam Patriis, littuſque rogamus
Innocuum, & cunctis vndamque, auramque patentem.

Neque Poëtarum, aut vulgi ſolius fuit hæc opinio, ſed ſapientiſſimorum conſultorum Iuris, nam Marcian. *in l. 2. D. de diuiſione rerum. Quædam naturali iure communia ſunt omnium, quædam vniuerſitatis, quædam nullius, pleraque ſingulorum, quæ variis ex cauſis cuique adquiruntur. Et quidem naturali iure omnium communia ſunt illa, Aër, Aqua profluens, & Mare, & per hoc littora maris.* Quod rurſum apertius explicat idem Marcian. *in leg. 4. D. eod. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur piſcandi causâ, dum tamen villis, & ædificiis, & monumentis abſtineatur, quia non ſunt Iuris gentium, ſicut & mare; idque & Diuus Pius piſcatoribus Formianis, & Capanatis reſcripſit. Sed flumina penè omnia, & portus publica ſunt.* Vlpian. *in l. venditor* 13. *D. communia prædiorum*; agens de lege quam quis venditioni ſui fundi poſuerat, ne contra eum, quem ſibi retinebat piſcatio Thynnaria exerceretur, ait bonam fidem poſcere, vt lex contractus ſeruetur. *Quamuis*, inquit, *mari, quod natura omnibus patet, ſeruitus imponi priuata lege non poteſt.* Idem quærit, an detur iniuriarum actio ei qui piſcari in mari, vel euerriculum ducere prohibetur *in l. 13. §. 7. D. de iniuriis:* refertque Pomponium, & pleroſque alios illi eiuſmodi actionem concedere. *Et ſimilem huic eſſe eum, qui in publicum lauare, vel in cauea publica ſedere, vel in quo alio loco agere, ſedere, conuerſari non patiatur, aut ſi quis re mea vti me non permittat.* Deinde ipſemet Vlpian. ex ſuamet mente reſpondet his verbis: *Et quidem mare commune omnium eſt, & littora, ſicut aër, & eſt ſæpiſſimè reſcriptum, non poſſe quem piſcari, prohiberi, ſed nec aucupari, niſi quod ingredi quis alienum agrum prohiberi poteſt.* Denique vſurpatum tamen eſſe, ſed nullo iure, vt quis ante ædes meas, & prætorium piſcari prohibeatur, & adhuc illi actionem iniuriarum competere. Et *lex* 24. *D. de damno infecto.* ait fluminum publicorum communem eſſe vſum, ſicuti viarum publicarum, & littorum; vnde concludit, in his licere cuilibet ædificare, & deſtruere publicè, modò id ſine cuiuſquam incommodo fiat. Celſus ait *in l. 3. D. ne quid in publico loco*, maris communem vſum omnibus hominibus, vt aëris, iactaſque in id pilas, eius eſſe qui iecerit. Sed id concedendum non eſſe, ſi deterior littoris, mariſve vſus eo modo futurus ſit. Refert quoque Selden. *in mari*

clauſo

clauſo, capitul. 2. libro 1. Michaëlem Attaliatem, qui *in Pragmatic.tit.2.* eodem ſenſu dixit, aërem, aquam profluentem, mare, littus maris, & fluuios communis vſus eſſe. Baſilicor. ſynopſis *lib.50. tit. 1. cap.13.* ὅτι οἱ αἰγιαλοὶ ὑπὸ τῇ πάντων ἐξουσίᾳ εἰσί. Littora in omnium poteſtate ſunt. Vnde concludit: Itaque dominus eorum ſum, quæ in eis ædificu, ſicut & illarum ferarum, quæ à me captæ ſunt: quod ſi corruat ædificium, rurſus publicum littus fit. Qui in fluminis ripa ædificat, non ſuum facit. Quin & ipſi Imperatotes, quamuis ſui Iuris retinentiſſimi, & ambitioſiſſimi, iſtud maris dominium abiecerunt. Nam & Antoninus ſe Mundi quidem, & Orbis Dominum eſſe dixit, maris autem negauit in *l.9. D.ad l.Rhodiam.* Et Iuſtinianus, maris ſicut & aeris communem vſum eſſe agnouit iiſdem verbis quæ nuper ex Marciano adducebamus, quæque *in Inſtitution. de rerum diuiſione*, §.1. relata ſunt. Illuſtrius porrò maris Imperium ineptè ſibi mortalem quempiam vindicare egregio facto docuit Canutus Danæ, Angliæque Rex potentiſſimus, vt Aulicorum propudioſam adulationem, qui illum terræ mariſque Dominum dicebant, caſtigaret: ſella ad littus maris poſita illi imperauit, vt quando in eius ditione, & dominio diceba ur eſſe, mandata ſua exciperet, ne videlicet in terram efflueret, ne ſuam aut veſtem, aut ſedem contingeret; ſed cùm non pareret mare, ô me egregium, & præpotentem Regem, inquit Canutus, qui ne paucas quidem maris guttas caſtigare poſſum, ne me attingant. Vnus eſt Deus maris, & telluris dominus: ex eúque die coronam auream nunquam geſtare ſuſtinuit, ſed illam Chriſto in Cruce pendenti conſecrauit. Ita Guilielm. Cambden. *in ſua Britannia pag.* 189. Henricus Huntindum. *in chronico. lib* 6. & Florilegus *anno* 1035. atque ex ipſis Selden. *maris clauſi. lib.2. cap.*12. & Iſaac Pontan. *diſcuſſion. hiſtoricar. lib.2. cap.*14. Quæ omnia confirmantur ex eo, quòd in communi illa terrarum diſtributione, ſiue diuiſione, ſiue occupatione facta non legamus vllam habitam eſſe maris partitionem, quod alicui ceſſerit tanquam pars, ſed duntaxat eius mentio fit tanquam limitis cuiuſdam portiones aſſignatas claudentis. Sic Africanus apud Euſebium *in chronico*, ditionem Chamidorum extendi ait, à Rhinocoruris Ægypti vſque ad Africanum Occeanum, & Cananæa Regio protendi dicitur à magno fluuio Ægypti ad mare nouiſſimum, *Deut.34. verſ.3.* ſimilique ratione alibi ſæpius Palæſtinæ fines mari terminantur, quod eſt obuium *Num.34. verſ.6.7.& 12. Ioſue c.15. Pſal.72. verſ.8. Eccleſiaſtici.cap.44.* Denique maris Imperium tanquam eximio quodam iure ſoli Deo tribuendum eadem ſcriptura docet *Pſal.88. verſ.10. Tu dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius tu mitigas. Pſal.94. verſ.5. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud.* Ipſeque Deus idem ſibi tribuit apud Iob. *cap.38. verſ.8.*

2 Communior nihilominus ſententia aliquod maris dominium acquiri poſſe, & reipſa poſſideri contendit. Ita de Mari Pontificio paſſim Bullæ Cænæ interpretes. Filluci. *num.72.* Duard. *lib.2. can.3. q.3.* Vgolin. *in eandem. cap.3. §.2.* Toliſ. *lib.1.c.2.* Suar. *diſp. 21. de cenſur.ſect.2. num.*18. Graffiſ. 1. *part. deciſion. lib.4. cap.18.num.67.* Bonac. *de cenſur. in eadem Bulla. diſp.1. punct. 2. & 4.* Deinde maria dominio eſſe ſubiecta, & vt loquuntur *Appatronata*, docuit Marta. *de Iuriſdic. par.1. cap.33. num.35.* Bonius *de cenſibus, artic.16. num.4.* Canoniſtæ paſſim. *in cap. vbi periculum. §. porrò, de electione in 6.* Bartol. *in l.1. Cod.de claſſ.* Bald. *in rubric. D.de rerum diuiſione.* Angel. *in leg. Inſula. D de iudic.* Cœpola *de ſeruitutib. ruſticor. prædior. cap.26. num.6.* Boſſius. *tit.de aquis, & fluminibus.* Vt omittam eos, qui varios dominij effectus in ipſum mare agnoſcunt, de quibus dicemus *art. ſequenti.* Et ſanè de hoc dominio in varia maria excitari quotidiè controuerſiam inter Principes videmus, cùm alij alia ſibi tribuant. Qua de cauſa diſputationem iſtā accuratius retractarunt Seldenus *in mari clauſo*, Iulius Pacius *de dominio Maris Adriatici*, Petrus Baptiſta Burgus, *de dominio Genuenſium in Mari Liguſtico.* Probantque hanc communem aſſertionem in primis ex communi, & peruulgata apud omnes nationes ſententia, quæ idcircò tam acriter de maris Imperio diutiùs decertarunt. Singularia egregia facta, & res hac in parte præclarè geſtas, ac bella, fuſiſſimè, & eruditè proſecutus eſt Moriſolus *toto lib.1. atque ſecundo orbis maritimi*, atque eorumque Seldenus, & Burgus. Neque attinet nos in re adeò perſpicua, & cunctanti memoranda diutiùs detineri; nimirum fuit iam olim rerum publicarum moderatoribus perſuaſum, vix abſque maris imperio terreſtre ſtare, & conſeruari poſſe, eamque gentem cæteris imperaturam, quæ mari dominaretur. Ita Iſocrates *in Panathe.* Alcibiades apud Thucydid. *lib.*8 Themiſtocles apud Plutarch. *in ipſo*, & Herodot. *in Polymnia* Quare Cicero *libro* 10. *ad Attic. Ep.* 7. Pompeij conſilium planè Themiſtockum eſſe dicit: *Putat enim qui mari potitur, eum rerum potiri. Itaque qui nunquam egit, vt Hiſpania pro ſe tenerentur, naualis apparatus ei ſemper antiquiſſima cura fuit.* Et ſanè ſæpiſſimè vno prælio nauali debellatum eſſe, totamque hoſtium ditionem Victori ceſſiſſe proditum eſt. Hinc apud Hiſtoricos Græcos frequentiùs occurrunt θαλασσοκρατεῖν, θαλασσοκρατοῦντες ἀρχὴ τῆς θαλάσσης. Id primum Minoi, & Cretenſibus tribuunt. Vnde Thucydid. *libro* 1. de illo τῆς ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησεν. Nempe Græci Maris partem maximam tanquam dominus obtinuit. Vnde Selden. non malè emendat corruptum locum in Hieronymi chronico ex Euſebio tranſlato. *Minos*, inquit, *mare obtinuit, & Cretenſibus leges dedit, vt Paradius memorat, quod Plato falſum eſſe conuincit.* Hanc lectionem mendoſam, & vitiatam eſſe ſtatim apparet. Nam Plato neque Minoëm Cretenſibus leges dediſſe, neque maris imperio poſitum fuiſſe, negare potuit. Non primum de legibus ab Minoë datis, cùm id fuerit argumentum ipſimet Platoni ſcribendi de legibus, vti teſtatur *libro* 1. Dominium quoque maris Minoï tributum eſſe, refellere non potuit contra veterum omnium aſſertionem, quamquàm Minoïs hiſtoriam plura fabuloſa complecti, nemo prudens negarit. Deinde vnde prodit iſte hactenus inauditus Author Paradius, quem Euſebi. allegat? Itaque ſcioli inepti manum, qui quod non intellexit, corrupit in Hieronymi verſione, licet agnoſcere: dixit enim Euſebi. Minos ἐθαλασσοκράτει mare obtinuit: & Cretenſibus παρὰ διὸς, id eſt, à Ioue leges dedit, quas tulit ex antro, vbi nouennis ſeceſſit. Retinuerat igitur Hieronymi vocem παρὰ διὸς, ex qua ſciolus quiſpiam Paradium Authorem, vel Scriptorem conflauit. Quod autem dixerat Euſebius ὅπερ ὁ πλάτων ἐν τοῖς νόμοις ἐλέγχει: quod Plato in legibus confirmat, reddidit idem Cenſor, falſum eſſe conuincit, & Ioſeph. Scaliger

refellit, cùm vel id omiſerit Hieronym, vel ſi adiecit, non refellit, ſed confirmat, ſi reddiderit, cùm ea vox Græca Euſebij vtramque ſignificationem ferat, quod ille emendator, aut potiùs corruptor Hieronymi non ſatis attendit, aut etiam ignorauit. Sed redeamus ad maris imperium, quod perpetuò, qui aliis dominati voluerunt, magnis curis affectarunt. Ipſáque ſcriptura Tyri potentiam, & diuitias ex illo dominio maris paſſim explicat. Ezechiel. 26. 16. *& cap.* 17. & Iſai. 23. 4. De Alexandria, Nahum. *capit.* 3. 9. Reges Tharſis, & Inſulæ, id eſt, maris memorantur. *Pſal.* 72. 10. Ipſique Dauidi imperium maris promittit Deus *Pſalm.* 59. 15. *Et ponam manum eius in mari, & dexteram eius in fluminibus.* Moſes *Deuter.* 33. 23. idem præſagit Nephtali. *Nephtali perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini, mare, & meridiem poſſidebit.* Vbi omninò malè Rupertus legit, *mane, & meridem.* Aſſuetum non modò terram, ſed & cunctas inſulas feciſſe tributarias, dicitur Eſther *capit.* 10. 1. Vbi Græci Codices habent *ἔγραψε δὲ ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὴν βασιλείαν τῆς τε γῆς, καὶ τῆς θαλάσσης.* Scripſit autem Rex ad regnum terræ & maris. Quod itaque afferebant aduerſarij ex ſacris litteris, terminum Imperij Iudaici ipſum mare deſignatum fuiſſe à Deo, non ita intelligendum eſt, vt mare extra imperium illud eſſet, vti facilè ex ipſo loquendi modo, atque ex tota ſubiecta ſententia colligere licet, quod fuſiùs oſtendit plurima etiam ex Rabinis congerens Selden. *lib.* 1. *maris clauſi, cap.* 6. ad quæ expendenda modò digredi non vacat. Satis nobis fuerit nihil eſſe in ſcripturis quod cum dominio maris pugnet, immò & plurima eſſe quæ illi faueant; parum enim appoſitè afferuntur, quæ de ſupremo Dei in maria dominio dicuntur. Nam & eadem affirmantur de eius in cœlos, tellurem, & vniuerſa creata dominio; deinde agitur de illo imperio, quo ſolo nutu creaturis imperat, quod mirabilius eſt in mari, quod nullius alterius mandatis obedit, & cuius intumeſcentes fluctus nullus alius coërcere poteſt, aut exundanti obicem obiicere. Quod Iobus commendat; & Hierem. *capit.* 5. inde timendum eſſe Deum arguit. Neque aliud voluit Dauid verbis nuper allatis: *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Poteſtatis enim vocem ex Hebræo reddunt, elationem, tumorem, ſuperbiam; vnde Hieronym. *Tu dominaris ſuperbia maris.* Chald. tu poteſtatem habes in elationibus maris. Arias Montan.

Tu maris fluctus cohibes,
Temperaque vndis.

Quod imperium maris nemo ſibi, opinor, arrogat, & non ridet Xerxis inſaniam, qui mare flagellis cædi, & catenis vinciri iubebat, eamque dementiam ſuo facto ſapienter caſtigauit Kanutus, vti nuper referebamus. De eodem ſupremo imperio exponendum quoque fuerit illud *Pſal.* 94. *Quoniam ipſius eſt mare, & aridam fundauerunt manus eius.* Et alibi ſæpius idem in vniuerſa creata ſummum, optimumque ius, ac dominium, nullis conſcriptum terminis celebratur frequentiùs, *Pſal.* 23. 1. *Pſal.* 88. 12. *Pſal.* 49. 11. à quo ſanè diuino dominio cuncta creata imperia deriuantur, illique ſubiiciuntur, non tamen impediuntur.

3 Quæ porrò ab aduerſariis allata ſunt contra priuatum iſtud maris dominium, magnam vim non afferunt. Nam in primis libertas illa commerciorum, quam hoc priuato dominio ſubrui dicunt, non multùm vrget, tum quia non eſt neceſſe, vbique omnia, & quæcumque commercia libera eſſe, vti oſtendimus cap. ſuperiori: tum quia ſimili argumento æquè impugnaretur dominium priuatum terreſtre, & maximè Inſularum, & fluminum, ac lacuum, quod tamen admittunt aduerſarij. Sed de hoc iure commerciorum, & piſcatus dicemus *art. ſeq.* quod poſtremum duntaxat volunt commune eſſe, qui nobis aduerſari videntur Iuriſconſulti. Ad illud de natura fluxilis maris, quod neque terminis claudi, neque poſſideri poſſit, reſpondetur, poſſideri mare eo modo quo poſſideri poteſt, ſicut de fontibus dici debet, cùm eorum aquæ perpetuò fluant, & mutentur, eæ tamen vbi in alicuius regione ſunt, ab eius Domino, aut Principe poſſideri dicuntur, qua de re amplius *art. ſequenti.* Tertium illud de communitate aquæ ſicut & ipſius aëris, qua comparatione crebrius vtuntur non Poëtæ modò, ſed ipſi etiam Iuriſconſulti, quodque videri poterat hæc priuata dominia fortiùs impugnare; nihil tamen aliud conficit, quàm hæc omnia publici iuris facta eſſe, & nullius vſibus, aut iuri ſingillatim à natura fuiſſe attributa, id tamen non impedit, quominus ab aliquibus occupari poſſint, a quo deinde auferri non poſſunt; vti contingit in omnibus, quæ publici iuris eſſe dicuntur, de quibus aliquid dicemus *lib. poſtremo.* Atque vt hoc quod de aëre, & aqua affertur, exponam; nunquid inde colligis, licere cuique quemcunque aërem, & vbi libuerit, reſpirare; non poſſe igitur prohiberi quin & viuere vbique, & ibi communem haurire aërem valeat, ſicut & aquam è tuo fonte, à quo illum arcere non poſſes, aut à via publica ſummouere; hæc enim omnia publici iuris ſunt: an non proptereà iuſto titulo vni alicui vindicari poſſunt, an quæ in loco communi ab alio capta ſunt, repetere poteris tanquam tua, quia illa omnia, atque ipſe locus publici, & communis iuris ſunt. Hinc oritur illa apud Comicum *in Rudente,* inter Grippum piſcatorem, & Trachalionem ſeruum de vidulo è mari extracto controuerſia, illum enim ſibi communem eſſe debere tanquam è communi mari eductum contendebat Trachalio. *Actu.* 4 *ſcen.* 4. Gripp.

Ecquem eſſe dices in mari piſcem meum?
Quos cum capio, ſi quidem cepi, mei ſunt, habeo pro meis,
Nec manu aſſeruntur, nec illius partem quiſquam poſtulat,
Commune quidem certò eſt omnibus.

Trachal.
Adſentio
Qui minùs hunc communem, quæſo, oportet mihi eſſe vidulum:
In mari inuentum eſt, commune eſt.

Gripp.
Ne impudenter impudens.
Nam ſi iſtuc ius ſit quod memoras, piſcatores perierint,
Quippe cum extemplo in macellum piſces prolati ſient,
Nemo emat, ſuam quiſque partem piſcium poſcat ſibi,
Dicat in mari communi captos.

Ex mox.

In manu non eſt mea,
Vbi demiſi rete, atq; hamũ, quidquid haſit, extraho:
Meum, quod rete, atque hami nacti ſunt, meum potiſſimum eſt.

Vides itaque

Vides itaque quod cõmune eſt,id eſt nulli ſingulari attributũ, & quod in loco cõmuni captũ,alicuius propriũ occupatione fieri poſſe;quidni & mare alicuius etiã fieri poterit,ea ipſa ratione,qua reliqua primùm communia, priuata deinde, & ſingularis alicuius fiunt, à quo ſine iniuria nequeant auferri. Et ſanè flumina, ac lacus publici iuris eſſe dicuntur;& tamen fatentur aduerſarij, poſſe habere proprios dominos, quidni in mari idem contingeret? quod enim eius natura ſit fluxilis, non magis impedit ſingulare dominium, quàm aqua riui perennis pratum alicuius irrigantis, quem nemo aut aliò deriuare, aut obſtructo fonte ſiſtere poterit abſque domini prati iniuria. Nunquid & labilis, fluxiliſque aër eſt, atque adeò omnibus animantibus communis, & tamen in ſeruitute altius attollendi mihi quodammodo eripitur, quamuis nequeam omnem ipſius vſum adimere, promittendo videlicet, proiiciendove in eius ædes tecto. Non deerunt etiam termini, quibus partem maris,quam quiſque occupauerit, ſibique propriam fecerit,circumſcribas, vt dicam *art. proximo*.

4 Denique vt quæ ex Iuriſconſultis,aliiſve de cõmuni maris dominio adducta ſunt, faciliùs intelligantur, obſerua, aliud eſſe, quidpiam commune eſſe, aliud verò eſſe publicum, ſiue publici iuris. Nam publica nominantur,quorum vſus in commune omnibus patet, & expoſitus eſt, quaſi *populica:* proprietas verò non æquè, vti apertè traditur *l. 5. §. flumina. & §. riparum. D. de rerum diuiſion. inſtitut. eod. tit. l. 30. D. de adquir. rerũ domin.* Veluti forum,Campus Martius,theatrum,Baſilicæ,ſtadium, viæ,itinera publica. Communia verò ſunt, quorum vſus communis eſt, ſicut & proprietas, quæ tamen occupanti cedit, fitque illius. Deinde alia publica ſunt iure gentium, alia populi Romani, quamuis in eius quodãmodo patrimonio & pecuniâ exiſtãt. Hinc agri publici Populi Romani. Denique bona ciuitatis P.R. publica dicuntur à Caio, & Vlpian. *l. 15. & 17. D. de verbor. ſignificat. & l. 1. §. 1. de iuſtit. & iure.* Et à Thoph. *inſtit. de rerum diuiſione.* Communia quoque quædam ſunt naturali iure quia omnibus patent ad vſum, & nulli ſunt quoad proprietatem applicata ex natura ſua, vti iam monui. Deinde diſtinguunt aliqui communia à publicis, quòd illorum vſu omnibus non hominibus modò, ſed animantibus quoque pateat, vt aqua, aër; hæc verò duntaxat hominum vſibus inſeruiant. Eorum, quæ communia ſunt, quædam nullius vnquam fieri poſſunt, alia fiunt primi occupantis,vti obſeruat Faber *in Iuriſprud. Papinian. lib. 1. tit. 2. princ. 4. illat. 4.* Itaque non modò re communi quiſque vti poteſt, ſed etiam illam, niſi eiuſmodi ſit vt ex natura ſua nullius eſſe poſſit, ſibi occupare poterit tanquam ſuæ induſtriæ præmium,quod non contingit in iis,quæ publica quidem ſunt,ſed non communia, iis ſiquidem iure vtetur, non tamen illa occupabit, ſibique proprietatem ipſorum vſurpabit. Nauigabit verbi gratia, & piſcabitur in flumine, cuius vſus publicus eſt; non tamen in illo ædificabit, ſpectabit in theatro, ſupplicabit in Baſilica, incedet per viam publicam, decurret ſtadium; in illis tamen nihil tanquam ſuum vindicabit. In communi autem ſolo, quod nullius adhuc eſt, neque vniuerſitatis, neque ciuitatis, neque ſingulorum, partem ſibi capiet, & prout libuerit, ipſo toto vtetur quamdiu ab alio occupatum non fuerit; in mari communi nauigabit, piſcabitur, ædificabit, & eius non modò vſum habebit, ſed & plagam aliquam ſibi vel ædificiis extructis, vel alia ratione facere propriam poterit. Confunduntur porrò in iure ſæpiùs publicum, & commune, & promiſcuè vnum pro alio ponitur. Nam Iuſtinian. *inſtit. de rerum diuiſion. §. 1.* littus commune dicit. Cicero verò *in Topicis: Littora,* inquit, *omnia publica eſſe voluit.* Cui Neratius ſubſcribit *in l. quod in littor. 14. D. de adquir. rerum domin.* Flumen publicum Iuſtinian. *eod. loco* appellat, itemque Marcian. *in leg. 4. in fin. D. eod. titulo.* Vlpianus autem *in l. fluminum 24. D. de damno infecto.* commune;nã cùm ait, vſum fluminis communem eſſe,perinde eſt ac ſi diceret, flumen ipſum. Aquam profluentem Iuſtinianus primùm communem vocat. Paulò poſt, flumen cuius illa pars eſt, publicum. Portum publicum idẽ in principio appellat: & in *l. 4. citata. D. de rerum diuiſion.* eius vſus communis dicitur. Denique idem Iuſtinianus littorum vſum publicum appellat, Vlpianus autem communem *leg. 3. ne quid in public. loc.* Ex quibus vides res communes pleraſque, publicas appellari. Quin & publica modo ſtrictiùs, modò generaliùs accipiuntur;nam publica dicuntur, quæ natura omnibus patent, *l. venditor. 13. D. comm. præd.* Alibi verò publica definiuntur,quibus populus vtitur, *l. ergo. §. 1. D. de adquir. rer. dom.* Et denique alibi,quæ iure gentium omnibus vacant, *leg. littora. 51. D. de contrah. emption.*

Obſerua ſecundò in iure res dici nullius eſſe 5
quatuor modis: nam quædam res omninò nullius ſunt,hoc eſt, neque populi, neque priuati, quales ſunt res ſanctæ, ſacræ, & religioſæ, *l. 6. §. 2. D. de rer. diuiſ. & §. ſancta inſt. eod. tit.* Secundò quædam nullius priuati ſunt, ſed populi, aut ciuitatis, veluti littora, cæteráque loca publica, quæ interdum dicuntur eſſe nullius, *l. littora, 51. D. de contrah. emption. l. 1. D. de rerum diuiſ. & inſtit. eod. tit. l. quod ſi. 14. D. de adq. rer. dom.* Interdum verò eadem dicuntur eſſe alicuius, putà ciuitatis, *l. 1. D. de Interd.* Præterea hæ publicæ res ſunt duorum generum,quædam enim populi totius vſibus deſeruiunt, vt forum, theatrum; *§. 1. Inſt. de inutilibus ſtipulat. leg. 83. §. 3. D. de verbor. oblig.* Quædam verò priuatorum vſui ſubiecta ſunt, vt tabernæ in loco publico poſitæ, *leg. qui tabernas. 31. D. de contrah. emption.* Quinimmò generaliter omnia loca priuatorum vſui deſeruire dicuntur. *leg. 2. D. ne quid in publ. loc.* Tertiò quædam ita nullius ſunt, vt nullius eſſe poſſint, vt aër. Quartò denique quædam in præſentia nullius quidem ſunt, ſed alicuius eſſe poſſunt, ea nempe, quorum occupatio iure naturali patet omnibus, veluti lapilli, & gemmæ in littore repertæ, inſula in mari nata, feræ, beſtiæ, *l. 7. §. 3. D. de adq. rer. dom.* Item quæ pro derelictis habentur. *l. 1. D. pro derelict.* cuiuſmodi quædam ſunt iure etiam ciuili, vt hæreditas iacens, *l. 1. D. de rerum diuiſ.* Gloſſa verò *in l. 1. verſ. nullius. D. de rerũ diuiſ. & in § feræ inſtit. eod. tit.* ait, res eſſe nullius primò naturâ, vt feræ, piſces, volucres, & cætera eiuſmodi, quæ fiunt primi occupantis. Secundò pacto, vt quæ pro derelictis habentur. Tertiò temporis diuturnitate, vt theſauri. Quartò cenſurâ hominum, ſiue deſtinatione hominum, qui ea extra patrimonium conſtituunt, cuiuſmodi ſunt res ſacræ. An verò in dubio res præſumatur eſſe alicuius, aut nullius, & ſi res profana ſit, præſumi debet eſſe alicuius, quilibet enim ſcire debet, quod ſuum non eſt, ad alium ſpectare. *l. fin. Cod. vnde vi.*

Ex quibus omnibus facilè fuerit oſtendere ex 6
modis loquendi veterũ Iuriſconſultorum,qui mare

commne eſſe dicunt, aut omnium, ſiue nullius eſſe, nihil certè colligi poſſe aduerſus maris dominiũ; nam vti aduertit Burg. *in cap. 14. lib. 1. de domin. in mari Liguſtico*, & Selden. *lib. 1. maris clauſi. capit. etiam 14.* commune vſurpant pro publico, quod licèt omnium vſibus ſubiiceretur, erat tamen dominij populi Romani. Pulicum enim *δημόσιον* quod eſt populi nominant Græci Iuriſconſulti in gloſſar. veter. iuris *verb. δημόσιον*; quibus etiam mare accenſet. Et Ariſtu *in l. 10. D. de rer. diuiſion.* ait quod mari occupatum eſt fit publicum; tranſit nempe in populi Romani Patrimonium, quo ſenſu dicuntur littora publica, quæ & populi Romani eſſe fatetur initio adductus Celſus *l. 3. D. ne quid in loc. public.* quod verò addit maris communẽ vſum eſſe omnibus, vt aëris, iactaſque in id pilas eius eſſe qui iecerit; quæ verba pro cõmunione maris nobis obiici paſſim ſolent, explicantur ex iis, quæ ibidem Celſus addidit. *Sed id concedendum non eſſe, ſi deterior littoris mariſve vſus eo modo futurus ſit.* Quæ ſanè minus rectè cohærebunt cum ſuperioribus, ſi illa agant de communione illa maris, quæ alterius cuiuſcumque dominium excludat; nam ſi illud ita ſit occupantis, vt nullius alterius dominij aut iuris læſio vlla fiat, quia nullum tale erat aut dominium, aut ius, cur non licebit ei, qui eiuſmovacuum, vt ita dicam, littus, aut mare occupabit, eius vſum in ſui commodum facere deteriorẽ? ſicut licet ei qui agrũ nondũ à quoquam occupatũ inſederit, ipſum pro arbitrio diuidere, aut cingere, etiã in incommodum aliorũ, qui illũ deinde occupare, vel illo vti vellent. Vult igitur Celſus ita mare, & littura eſſe populi Romani, vt publicis tamen, & communibus omniũ ciuium vſibus ſeruire voluerit ex proprio ciuitatis iure, & Prætorũ edictis. Quare nequit à quoquam priuato, mari aut littore vtente, conditio littoris reſpectu cæterorum, quibus ſimilem vſum Populus Romanus permittit, deterior, & minùs commoda fieri. Quo eodem ſenſu *in ſequenti l. 4.* dixit Scæuola, licere iure gentium in littore ædificare, *niſi vſus publicus impediret.* Non licet enim mihi ita vti publico, vt alium cui ſimilis vſus permiſſus eſt, prohibeam, quod tamen non pugnat cum dominio, in quo res illa publica eſt.

Quia verò Vlpianus videtur maximè maris communionem inter veteres Iuriſconſultos adſtruere verbis initio allatis ea diligentiùs expendenda ſunt, vt tantæ auctoritatis virum aduerſariis eripiamus. Ille igitur *l. 13. §. ſi quis. D. de iniuriis.* ait ex Pomponiu, poſſe me in iudicio iniuriarum conuenire eum, qui me in mari piſcari, aut verriculum ducere probibuerit: ſicut *ſi in publicum lauare, vel in cauea publica ſedere, vel in quo alio loco re mea vti non permittat.* Igitur ex mente Vlpiani mare quod à Pop. Romano occupatum fuerat, inter publica cenſebatur, ſicut balnea publica, theatra, caueæ, & cætera eiuſmodi, quæ Romani Populi propria, & priuata fuiſſe, quamuis omnium, & ſingulorum ciuium vſibus expoſita, nemo negabit. Addit Vlpian. *Conductori autem veteres interdictum dederunt ſi fortè publicè hoc conduxit. Nam vis ei prohibenda eſt, quominus ſua conductione fruatur.* Quorum, amabò, eſt iſta conductio publica, niſi maris alicuius partis à Pop. Romano facta conductio; potuitnè verò partẽ maris locare Pop. Romanus, aut quis ab illo conducere, ſi nullius erat, ſed omnium? An quod alterius eſt, locabis, aut conduces quod tuum eſt? Quia verò publica loca priuatorum vſibus ex iure ciuitatis conceſſa erant *l. 2. D. ne quid in loc. publ.* iure merito Pomponius, aliique Iuriſconſulti cenſuerunt eum qui ab eiuſmodi vſu prohiberetur, iniuriarum agere poſſe. Porrò Edictum Prætoris hoc erat. *Ne quid in loco publico facias, inve locum immittas*, qua ex re quid illi damni detur. *leg. 2. D. ne quid in loc. publ.* vbi Vlpian. ſic commentatur. *§. 8. & 9. Aduerſus eum, qui molem in mare proiecit, interdictum vtile competit ei, cui fortè hac res nocitura ſit: Si autem nemo damnum ſentit, tuendus eſt is qui in littore ædificat, vel molem in mare iacit. Si quis in mari piſcari, aut nauigare prohibeatur, non habebit interdictum: quemadmodum nec is qui in campo publico ludere, nec in publico balneo lauare, aut theatro ſpectare arceatur. Sed omnibus his caſibus iniuriarum actione vtendum eſt.* Vides itaque interdicto prohibitorio vtendum fuiſſe ex mente Vlpiani aduerſus eum, qui molem in mare cum alterius damno iecerat, eadem ratione qua circa damnum loco publico, balneo v. gr. theatro, foro, Circo illatum. Inter publica igitur non communia communione dominij numeratur mare ex mente Vlpiani.

8 Verùm quæcunque tandem Vlpani de communione maris, cui veteres Iuriſconſulti Orientis diutius, & ferè ad Leonem vſque circa annum 800. adhæſerunt, fuerit mens, recentiorum fuiſſe alios conſtat ſenſus, & diuerſos conſequentium ætatum mores, qui, vt loquitur Cuiac. *lib. 4. obſeruat. cap. 2. ius gentium paſſim ſubegerunt.* Quanquam cùm Romani etiam ante Vlpianum maris dominium, & imperium ſibi venditarent, dici nequit ipſum Vlpianum à mente veterum omnium diſceſſiſſe, & aliam quàm ipſi communionem maris induxiſſe, niſi eum ſingularẽ in ſua præfractè tuẽda ſententia fuiſſe fateamur; maximè cùm homo aulæ aſſentationib. aſſuetus videret Imperatores iuris illius, ac dominij retinentiſſimos eſſe, tantũ abeſt, vt illud à ſe abiecerint, quod falsò dicebãt aduerſarij, maléq; colligebãt ex Antonij Pij reſpõſo, quod pluribus expoſuimus *li. 1. de vſur. cap.. art...* Sanè Caſſandra apud Lycophrontem Romanis prædicit, & tribuit *γῆς, καὶ θαλάσσης σκῆπτρα, καὶ μοναρχίαν.* Vbi itaque C. Duill. Carthaginem in ipſo ferè mari deleuit, imperium quoque maris illi abſtulit. *Pudebat*, inquit Florus *lib. 2. cap. 6. nobilem populum, ablato mari, raptis inſulis, dare tributa, quæ iubere conſueuerat.* Quare deinde Carthaginenſibus leges dixerunt circa claſſes, & nauigationes *lib. 30. & 48. & 49.* ſicut & Antioch. apud Polybiũ *in excerptis legation. c. 35.* Halycarnaſſ. *lib. 1.* Romam vniuerſi maris nauigabilis dominam nominat, & Appian. *in præfat.* Dominium Maris Mediterranei. Hoc illi Imperium exactis prædonibus reſtituiſſe Pompeium affirmat Plin. *lib. 7. cap. 26.* Mare zonæ inſtar Romanorum Imperio circumfundi laudat Ariſtides *in Encom. Rom.* Sueton. narrat Auguſtum claſſem ad tutelam ſuperi, & inferi maris paratam habuiſſe *c. 49.* de quo eodem Imperatore cecinit Virgil. *libra 1. Georgic.*

An Deus immenſi veniat maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant, tibi ſeruiat vltima Thule,
Teque ſibi generum Tethys emat omnibus vndis.

Et de Antonino Imperat. Oppianus Haleutic. *lib. 3.*

Σοὶ μὲν γὰρ ὑπὸ σκήπτροισι θάλασσα
Εἱλεῖται, καὶ φῦλα πολυσπερέων ἰχθύων.
Suis ſub ſceptris mare voluitur, & piſcium turba per mare diſpoſita.

Neque minori ſtudio hoc maris Imperium Græci Imperatores ſibi quæſiuerũt. Nã Themiſt. *orat. 5.* Theodoſium ſeniorem regem vocat vniuerſæ telluris, & maris. Procopius *lib. de ædificiis. Iuſtin. cap.*

de

de Auguſteo; deſcribit figuram Imperatoris orbem læua tenentis, vt ſignificaretur illi tellurem vniuerſam æquè, ac mare deſeruire *ἵνα γῆ τε αὐτῷ ϗ θάλασσα δουλεύηται πάντα*. In Concilio Chalcedon. *part*. 3. Leo Auguſtus dicitur à Varadato, terræ mariſque dominus. Quo eodem titulo inſignitur Conſtantinus Monomachus Imperator, à Ioanne Epiſcopo Euchartenſi, in iambicis. In Conſtantini Porphyrogeniti thematibus *lib*. 1 *them*. 17. pelagus Ægæū in tria themata, ſiue Prouincias diuiditur, & Helleſpontus Ægæi maris Præfecto adſcribitur cū adiacentibus territoriis. In notitia dignitatum Imperij Orientis ſub Proconſule Aſiæ tres Prouinciæ recenſentur: Aſia, Inſulæ, Helleſpontus. *In l. vnic. C. de officio Comitis ſacri Patrimonij*, habemus officium Helleſponti Conſulatis, & Vicarij, ſiquidem Aſia poteſtate in Proconſulis Aſiæ transfertur. *Nouella* 10. Helleſpontus cum Ponto Polemoniaco prouinciæ, ſeu præfecturæ nomine coniungitur, & quamuis viri eruditi illis locis Helleſpontum pro maritima Aſiæ regione capiant cum Guido Panciorolo *ad notitiam orient. c.* 100. ſed non ad mentem illius Auctoris, neque enim ratio vlla apparet, cur tantula pars Aſiæ ab ipſa diſtinguatur tanquam prouincia quædam, quod obſeruat. Selden. *cap*. 14. *citato*, vbi & alia ad id confirmandum adducit. Quæ omnia, aliquod maris dominium haberi poſſe, atque adeò habitum eſſe apud omnes omninò gentes omninò perſuadent. An verò illud à cæterarum rerum dominio differat, inquirendum eſt.

ARTICVLVS II.

Quale ſit maris dominium, quíve eius effectus.

Status controuerſiæ. 1.
Duplex rei vſus. 2.
Multiplex vſus maris. 3.
Dominium iuriſdictionis in mare. 4.
Dominium proprietatis in maria, & flumina. 5. 6.
Varro explicatus, & emendatus. 6.
Varia genera fluminum. 7.
Dominium priuatum fluminum, & aliarum. aquarum 8. 9.
Aquarum ſeruitus. 9. 10. 11. 12. 13.
Vſus maris communis iure gentium, & Romanorum. 14.
Noui, & Gallici mores circa eum vſum communem maris, & fluminum. 15.
An Nauigatio cuique libera ſit, an prohiberi valeat. ibid.
An Commercia maritima libera ſint. 16.
An piſcatio in mari cuique libera ſit. 17.
Non eſt libera aquarum deriuatio. 18. 19.
An liceat in mari liberè ædificare. 20.
Alia iura ex mari. 21. 22. 23.

HVius Quæſtionis explicatio proximè ſuperiorem illuſtrabit, & diſſidentes circa illam ſenten tias aliqua tendem ratione componet.

Statuendum in primis eſt, non agitari quæſtionem de dominio ipſius ſubſtantiæ, & veluti corporis maris, aëris, aut fluminis, ſiue vtrum publicum, an priuatum ſit aeris, aut fluminis corpus, inutilis enim foret ea quæſtio de ipſo elementi corpore. 1
Controuerſia igitur tota eſt de vſu, an ille in alicuius dominio eſſe valeat, qui illum vſum ſibi vindicare, & aliis prohibere ex iure poſſit. Deinde cùm multiplex iſtarum rerum vſus exiſtat, an omnem quis ſibi vſurpare queat, an vnum aliquem duntaxat, eò quod non poſſit iure cæteros ab omni omninò vſu ſummouere; tū an totius maris, aut fluminis, aut aeris, aut littoris, vel riparum vſus ille in aliquo domino eſſe queat, aut reuera exiſtat, an verò tantùm certæ alicuius partis, quæ ſuos terminos aſſignatos habeat. Demùm an vbi quiſque ſibi alicuius partis maris, aut fluminis, vel littoris vſum omnem, aut vnum ſaltem aliquem occupauerit, diſiici ab eo inuitus valeat abſque iniuria, & quandonam ſuum ius retinendi vſum iam captum, & aliquamdiu retentum deſerere cenſeatur, vt ab alio abſque ipſius iniuria tanquam vacuum capi poſſe dicamus. Nam prout amplius, aut ſtrictius erit hoc vtendi ius, maius aut minus erit dominium: illud ſiquidem aliud non eſt, quàm libera facultas, & ius diſponendi de ſua re ad omnem vſum, cuius capax erit, niſi ſuperiori aliqua lege facultas illa cohibeatur; neque ad dominium neceſſe eſt, vt quis rei, cuius eſt dominus, ſubſtantiam deſtruere queat; quamuis enim paſſim Iuriſconſulti vſus nomine in communi, & allata definitione dominij, intelligant ipſum etiam abuſum, nempe alienationem, alterationem, conſumptionemque, hæc tamen conſumptio pro natura rei, de qua agitur, explicanda eſt, ſi enim res illa deſtrui nequeat, vt mare, flumen ingens, aut quid eiuſmodi, illa rei perennitas non impediet eius dominium, poteritque adhuc eius aliquis abuſus dari per alienationem, eam à ſe abiiciendo, & in alium transferendo ius, ratione cuius illa nobis ſubeſt, & noſtra ſit, & præterea per quandam alterationem aliquatenus, vitiationem, diminutionem, corruptionem, prout eius natura capax fuerit.

Repetendum præterea eſt, quod nuper obſeruauimus, vſum rei alicuius poſſe eſſe publicum, & communem, quamuis res ipſa alicuius priuati domini exiſtat, vt oſtendebamus in foro, theatro, via publica, & aliis einſmodi. Deinde vſus iſte publicus, & cōmunis eſſe poteſt, vel iure primæuo naturali, vel iure gentiū, quod cū naturali confundūt Iuriſperiti, vel iure ciuili. Et quidem vſus cōmunis iure naturali primæuo eſt ferè earum rerum, quæ in nullius sūt dominio, fiuntque occupantis, cuiuſmodi ſunt feræ, ipſaque tellus in prima cōditione, & nondum incolis frequens. Res verò quarum vſus communis & publicus eſt iure gentium, aut ciuili, poſſunt eſſe in alicuius dominio, ſiue vniuerſitatis, ſiue ciuitatis, ſiue ſingulorum, vti nuper docuimus. Et licet fortaſſis in nullius dominio eſſe dicantur aliquo ex illis modis ſuperiori articulo adductis, in alicuius tamen dominium venire poſſunt. Harum igitur rerum vſus communis eſt, & publicus iure gentium, quia vna quadam veluti conſpiratione cenſuerunt omnes homines ad tuendam hominum vitam, & ſocietatem, rerum eiuſmodi vſum liberum eſſe omnibus debere, quamuis dominium illarum commune non eſſet, vt tranſitum per viam publicam, nauigationem, aquationem, venationem ferarum, & cætera eiuſmodi; niſi enim eſſent itinera quædam com-

munia tum terra, tum mari, quomodo gentiom communio, & commercia fouerentur? Earum denique rerum vſus publicus eſt iure Ciuita is, quas ciuitas earum domina promiſcuis ſuorum ciuium vſibus exponere voluit, vt Circus, theatra, plateæ, fontes, publicæ ædes, & alia quædam, ſine quorum vſu vix conſiſtere ciuitas poſſet. Eſt tamen magnum diſcrimen inter vſum aliquarum rerum communem ex iure naturali primæuo, & communem duntaxat ex iure gentium, aut ciuitatis; quia communis vſus ex primæuo iure naturali à nemine impediri iure poteſt, quamdiu res illæ communes manent, & non fiunt alicuius priuati, ſiue communitatis, ſiue ſingularis, quia donec res communis eſt illa communitate iuris primæui naturalis, in communi non tantùm vſu, ſed etiam dominio exiſtit. At verò vſus communis tantùm vel iure gentium, quod naturale quoque Iuriſconſulti appellant, vti iam monui, vel iure ciuitatis, poteſt quandoque iure prohiberi; quandoquidem res quarum eſt ille vſus, ſubiiciuntur alicuius priuati dominio, qui eiuſmodi vſum conceſſit pro iure ſuo: quod non dicitur commune omnium gentium, niſi quia eodem iure omnes gentes ex quadam veluti conſenſione vtuntur, & ſingulas eiuſmodi res voluere publicis & communibus vſibus exponi ad publicam generis humani ſocietatem fouendam; qua eadem ratione ciuitas quæ eſt rerum publicarum domina, eas publici iuris fecit, mutuæ communionis, & charitatis ciuium cauſâ. Sicut igitur domini omnium iſtarum rerum grauibus ex cauſis vſum illarum communem & publicum fecerunt, ita illum, dum æqua ratio poſtulabit, impedire, aut reſtringere, aut non niſi ſub aliqua conditione, lege, & modo concedere poterunt, neque cuiquam iniuriam facient; quod non modò verum eſt in dominio, vti loquuntur, proprietario, ſed etiam in dominio Iuriſdictionis maximè ſupremæ, nam & leges quæ ab illa iuriſdictione promanant, licet non tollant dominiũ inferiorũ dominorũ proprietatis, & ſubſtãtiæ rerũ, ligant tamẽ illius vſum, ſiue potius impediunt, ne exeat in actum, ideóque bona, quæ appellant vinculata, quæ v.g. ſubſtituun-
2 tur nepotibus defectu legitimæ prolis, non poſſunt diſtrahi ab eo qui illa poſſidet, quamuis illorum verus dominus exiſtat.

3 Obſerua denique vſum maris, & fluminum poſſe eſſe multiplicem, nauigationem nempe, & tranſitum, deuectionem mercium, aliarumve rerum ad commercia, piſcatum, vectigalia, & alia quædam iura maritima. His obſeruatis.

4 Aio in primis, dominium Iuriſdictionis haberi in maria particularia, & flumina publica, quod ad Principem, cui reliqua ditio ſubiacet, pertinet. Hanc aſſertionem concedunt etiam illi, qui maris dominium ſimpliciter negare videbantur, vt videbis apud Grot. *de iure belli lib.2.cap.3.n.11.* & Pacium, *de domin. maris Adriatici.* Dominium verò Iotiſdictionis appellant, quod Imperium propriè dicitur à Senec. *de benefic. lib.7.cap.4.* & Gryphand. *de Inſulis cap.14.n.10.* Nihilque aliud eſt quàm ſuperioritas, quam habet in ditionem ſibi ſubiectam ſupremo iure Princeps, qui nulli alteri beneficiarius eſt, & in bona propria ſubditorum, vnde ius illis dicere poteſt, atque imperare. Ratione porrò huiuſce alti, vt vocant, dominij, ſiue Iuriſdictionis poteſt tueri mare, & à Pyratis infeſtantibus ſecurum præſtare, capere & punire in eo delinquentes, prohibere piſcatum, & nauigationem, atque adeò cætera omnia, quæ in reliquam ſuam ditionẽ terreſtrẽ poteſt. Quæ omnia conſtant ex *art. ſuper.* & ex ſequentibus aſſertionibus confirmabuntur: an verò hoc dominiũ iuriſdictionis ſit cũ proprietate coniunctũ, quod contendit Burgus *lib.1. de dominio Genuenſ. cap.16.* Quæſtio eſt de nomine: ſanè cùm vſusfructus coniunctus ſimul cum proprietate faciant plenum dominium, & aduerſarij agnoſcant in iſto ſuo dominio maris, non modò iuriſdictionem, ſed etiam vſumfructum; nam dicunt poſſe ab eo domino imponi vectigalia, impediri nauigationem, & piſcatum, debent quoque fateri proprietatem, ex qua naſcitur ius non modò vtendi, fruendi, ſed etiam cæteros à ſimili vſu remouendi: nihil itaque deeſſe videtur ad plenum, & perfectum dominium; immò ex eo dominio pleno, & perfecto oritur iuriſdictio in Principe, quia in Regalibus proprietas, vſus, & iuriſdictio ferè concurrunt, vti oſtendit Burgus. Verum quidquid ſit de hac quæſtione, an dominium iſtud iuriſdictionis in mare ſit ſimul cum dominio perfecto, modò non diſputo, ſicut neque quoties dominium iuriſdictionis habet coniunctum vſum, vti hoc loco fatentur aduerſarij contingere, ſuum illud dominium explicando. Satis mihi eſt dominium aliquod iuriſdictionis in mare adquiri poſſe, & reipſa obtineri à Principe, qui æque ius in illo, atque in terreſtri ditione dicere poteſt. Hoc dominium quidam ex iuriſdictione in perſonis nauigantium, & tutela conſtant, & quodammodo dominium per particulam diminuentem vocant, vide citatum Pacium, & Alberic. Gentil. *de iure belli cap.19. lib.1.* Rodericum Suarium *de vſu maris.* Angelum Mathæncium *de via, & ratione artificioſa iuris vniuerſi. lib.1. cap.36.* Hoc porrò dominium maris reſtriuxi ad maria particularia, quia vix fieri poteſt, vt quis dominium eiuſmodi vniuerſum, & quà patet immenſum mare obtineat, quod vnum probant quæ adducit Iſaac Pontan. *diſcuſſion. hiſtoricar. lib.2. cap.2. & 3.* Nam & maria, quæ in aliquorum dominio quondam fuerunt, hodieque exiſtunt, quorum perplura numerantur à Seldeno. *lib.1. cap.9. & 10.* maris immenſi partes quædam fuere duntaxat, neque vllum vniuerſo, infinitoque mari imperitaſſe, ſicut neque toti telluri, aut continenti, legimus vnquam. Quare inſana eſt ambitio vniuerſæ Monarchiæ, quam neque vnus ſibi comparare, neque ſi quo caſu comparaſſet, retinere poteſt. Et ſanè diuturna, aut perpetua ampliſſima Imperia non ſunt, licet enim plura ſæcula Aſſyriorum Regno tribuamus, habuit illud ſuos natales, ſua incrementa, & vt Romanum ſua tandem mole laborans, & fatiſcens concidit. Atque huc pertinent quæ affert Grotius *lib.2. de iure pacis, ac belli. cap.11. §.3.* occupationem non procedere niſi in re terminata. Vnde Thucydides terram vacuam vocat *ἀόριστον* interminatam, & Iſocrates terram ab Athenienſibus occupatam, ab ipſis *ἀφωρισμένην* terminis finitam. Liquida verò quia per ſe nõ terminantur *τὸ ὑγρὸν ἀόριστον οἰκείῳ ὅρῳ*, inquit Ariſtoteles, idcircò occupari nequeunt niſi vt contenta in re alia, quomodo lacus & ſtagna occupata ſunt, item flumina, quia ripis tenentur, mare verò terra non cõtinetur par terræ, aut terra maius, vnde terrã mari contineri aiunt tanquam cingulo quodam & vinculo, ac ſi tota terra eſſet velut vnica Inſula mari circumcluſa. Quam in rem plurima veterum adducit teſtimonia Grot. vt Ciceron. *in ſomnium Scipionis.* Ioan. Philopon. *de mundi creatione. lib.4. cap.5.* & aliorum. Ex quibus tamen omnibus malè quidem colligit idem

Grotius,

Grotius, mare occupari non poſſe, atque ea ratione in cuiuſpiam dominium venire, niſi loquatur de mari vniuerſo, & in omnem regionem diffuſo, quod totam tellurem inſtar, vt ille dicebat, cinguli ambit: Nam licet dici poſſet cum Scaligero *exercitat.17. in Cardan.* æquè mare à terra contineri, atque tellurem a mari, Deuſque ipſe dicat, ſe mari terminos & fines poſuiſſe *Iob.38.10. Prouerb.8. verſ.29.* & denique inter ſe adeò mare, & tellus non ſeiunguntur, quin vicissim tum ſubeant, tum abſcedant, fiantque vnus globus; illi tamen fines diſſipati diffuſique adeò exiſtũt, vt ab vno nequeãt occupari, niſi totã ipſam tellurem, quæ mari vaſtiſſimo, ſicut & mare telluri ſiue cingulũ, ſiue vinculum quoddam eſt, occupet, & ſub ſua ditione teneat, quod neque hactenus accidit, neque moraliter loquendo fieri valet. At verò immenſi illius maris partes etiam diffuſas terminari facilè poſſe, ac proinde occupari, atque ſub aliquo dominio priuato, præſertim Iuriſdictionis, & Imperij, facile eſt oſtendere, cùm ſcopulos eminentes, aduerſa inuicem Promontoria, & Inſulas hinc inde ſparſas habeamus, ex quibus linearum rigores, verſuræ, coxæ, & gammata ſumantur ad regionem marium terminandam, eodem modo quo telluris territoriũ terminatur, & diuiditur. Neque profectò veteres aliter orbis maria diuerſa, quam oppida, flumina, Inſulas, montes nominarunt. Non aliò pertinet illa multitudo diuerſorum marium, quæ ab Hiſtoricis ponuntur, cùm ſint Oceani, immenſique maris variæ duntaxat portiones ſuis finibus, & limitibus diſtinctæ, ac terminatæ, in quas diuerſi Principes ius habent, eadem ratione, qua in diuerſas Prouincias abſque confuſione, & permixtione iurium vicinorum Principum, & Dominorum; quod à veteribus quoque egregiè obſeruatum videmus. Nam in fædere Romanos inter & Antiochum Syriæ Regem inito circa dominium marinum, Sarpedon & Calycadnus Siciliæ promontoria aſſignantur tanquam termini vtriuſque Imperij, ex Polyb. *in Eclog. de legat. cap.35.* & Liu. *decade 4 lib.8.* & in fædere Attico cum Perſarum Rege facto, Cyaneæ, & Chelidoniæ Inſulæ termini conſtituuntur: quinimmò vbi in diffuſo mari eiuſmodi Promontoriorum, ſcopulorum, Inſularum, aut littorum termini non facilè occurrunt; diſtinguuntur tamen diuerſæ veluti maris regiones ope pixidis nauticæ ex graduum cœleſtium longitudine, ac latitudine, & doctrina triangulorum; vti etiam fit in terra ipſa: nam Coloniæ in Americam deductæ non alios habent ditionum, quas occupare ſibi poſſunt, terminos, quàm longitudinis, & latitudinis gradus, qui æque in mari, atque in terra haberi poſſunt. Et in fædere inter Ordines Belgicos, & Auſtriacos Principes anni 1608. termini aſſignati ſunt Tropicus Cancri, & Æquator. In fædere inter Hiſpaniarum, & Britanniæ Reges anno 1630. *art.2.* terminus in mari eſt Æquator. Denique in Vulgatiſſima Bulla Alexandri VI. qua Luſitanorum, & Caſtellanorum diſſidia compoſuit diuiſis inter illos regionibus, quæ in Oriente, Occidentéve fuerant recèns compertę, ducta eſt linea à Polo Arctico ad Antarcticum quæ diſtaret à qualibet inſularum, quæ vulgariter nuncupantur *de los Azores y Cabo Verde*, centum leucis verſus Occidentem, & Meridiem. Quare dixit Hierony. de Monte *tractatu de finib. regund. cap.7.* terminos illius diuiſionis in cælo, & aere poſitos fuiſſe. Græci quoque ex Geometriæ principiis tellurem, & mare æquè partiti ſunt, quare Proclus *in lib. Euclid.* commendat inde Geometriam, quòd locorum ſitus cognitos fecit, menſuris item itinerum tam per mare, quàm per terram μέτρα τι ὑφηγήσατο τὰ μὲν τῶν κατὰ γῆν ὁδῶν, τὰ δὲ τῶν κατὰ θάλασσαν. Tzetzes, *chiliad. 13. capitulo 457.* ait veteres habuiſſe ex Archimedis doctrina machinas quibus grauia traherentur, & inſtrumenta menſurando marino itineri θαλασσομέτρας. Neque dicas Ambroſium negare, auditum vnquam fuiſſe Thalaſſometram, ſed Geometram duntaxat, agit enim vir eloquentiſſimus de variis cubilibus, antris, & regionibus diuerſo piſcium generi in Oceano deſcriptis a Deo abſque vllo Thalaſſometra. Sic enim *cap 10. lib.5. Hexahem.* habet. *An verò ſine quadam dote naturæ munere piſcibus etiam illam putamus gratiam, quod vnumquodque genus piſcium præſcripta ſibi domicilia habet, quæ ſui generis nullus excedat, non incurſet alienus. Quis Geometra illis diuiſit habitacula, nullis rumpenda temporibus. Sed Geometram audimus, Thalaſſometram nunquam audiuimus, & tamen piſces menſuram ſuam norunt, non muris vrbium portiſque præſcriptam, non ædificiis domorum, non agrorum finibus limitatam, ſed menſuram eius quod oporteat.* Et mox: *Hoc genus piſcium in illo ſinu alitur, & gignitur, illud in alio. Denique non reperies confuſa genera piſcium, ſed quod hic abundat, alibi deeſt.* Et iterum: *Ille ſinus maris cephalos alit, lupos ille, ille ſaxatiles, locuſtas alius, non eſt libera vagandi poteſtas, nec tamen interclusa montibus copia, aut fluuiis interlabentibus tranſitus impeditur, ſed vſus naturæ impreſſus tanquam patriæ finibus vnumquemque ſe retinere, & vltra incolas prodire ſuſpectum.* Vides itaque Ambroſium negare, menſuras poni in mari ſicut in terra, quod iſtæ quibuſdam fixis terminis, & repagulis conſtituantur, atque adeò & facilè dignoſci queant, & violari non poſſint. Quod non contingit in mari propter naturam eius fluxilem, vnde non aſſignantur loca, & cubilia piſcibus, ex quibus exire obiectis impedimentis, & monitionibus nequeant, vti contingit in terra, quod non impedit quominus deſignari aliqui fines valeant, quos aliqui ratione dominij iuriſdictionis extendunt ad centum milliaria a littore, alij ad ſexaginta duntaxat, quod iure quodam omnium gentium receptum eſſe dixit Bodin. *de Repub. lib.1. cap.10.*

Aio ſecundò dominium non modò iuriſdictionis, ſed etiam proprietatis acquiri poſſe in maria, & flumina, quod volebat ſecunda, eáque communis ſententia ſuperiori articulo, in primi. quia nihil eſt quod prohibeat æquè mare ſecundùm aliquam ſui partem, atque tellurem occupari, & ius priuatum illius vtendi comparari, aliis omnibus excluſis, quod neque reipſa negant aduerſarij, vti nuper argumentabamur, concedunt enim Principi dominium Iuriſdictionis, ſiue imperium habenti, ius interdicendi aliis vſibus maris, quod ſine dubio verum dominium ſupponit. Deinde qui Prothyrum, & Epochas in mari ædificauit, de quibus diximus opere de vſuris & commerc. lib... cap... & ſtatim iterum agemus, poteſt omnes alios à piſcatione in illo loco maris arcere, igitur æquè illius dominus fit, atque nemoris quod muro cinxit, & ferarum quas ibidem incluſit. Neque aduerſus hoc dominium proprietatis quidquam articulo proximo fuit obiectum, quod ibidem dilutum non fuerit, & non æquè impugnet dominium Iuriſdictionis, quod tamen admittunt aduerſarij. Adde dominium littoris, & telluris ſæpiùs abſque marino conſiſtere non poſſe, vnde in varietate illa ſententiarum 5

tentiarum in conſtituendis finibus, ad quos in vaſtiſſimo mari ſe extendit hoc imperium, cum ad ipſum totum quà immenſum eſt, non pertineat; exiſtimarim vbi certi, & fixi limites conſtituti nondum ſunt, quales eſſe diximus promontoria, Inſulas, aliáque eiuſmodi, tantùm eſſe protendendos, quantum poſtulat ditionis circumfuſæ ſecuritas, & commoditas.

6 Quod addidi de dominio fluminum, æquè certum eſſe debet. Diſtinguo autem duo genera fluminum, quædam priuata, alia publica. Priuatum flumen, inquit Vlpian. *l. 1. §. 4. D. de fluminib.* nihil differt à cæteris locis priuatis, atqui res priuatæ eæ ſunt, quæ & ſingulorum dicuntur *l. 1. & 2. D. de rerum diuiſion.* ſunt in noſtro patrimonio, à priuatis acquiri, & alienari poſſunt; denique in priuatorum iure, & dominio exiſtunt. Flumen porrò priuatum definit Iaſon *in l. quominus, num. 37. D. de fluminib.* quod in fundo alicuius oritur, & diſcurrit per ſua prædia. Hoc itaque flumen in dominio eſſe alicuius nemo dubitabit; & ſanè in agri aſſignati modum ſæpiùs cedebant flumina tanquam eius partes. Siculus Flaccus *de condition. agrorum: In quibuſdam regionibus fluminum modus aſſignatione ceſſit, in quibuſdam verò tantùm ſucceſſiuus factus eſt, aliis autem exceptus, inſcriptumque flumini illi tantùm.* Similia habet Aggenus Vibicus *in Commentar. ad Iul. Frontin. de limitibus agrorum.*

Flumina publica dicũtur à Caſſio, neque improbat Celſus *in l. 1. §. 3. D. de fluminib.* quæ perennia ſunt; ex qua definitione, cum omnia ferè flumina perpetuò fluant, omnia penè publica erunt. Quod dixit etiam Marcian. *in l. 4. D. de diuiſion. rerum.* Quare aliquid illi Caſſianæ definitioni addẽdum eſt, vt nempe perenniter fluat, & in loco publico; perennitas quidem fluxùs oſtendit eſſe flumen, nam flumen a fluendo deducit Varr. *lib. 4. de l.l.* à quo *leg. prædior. vrbanor.* ita ſcribitur. *Stillicidiu, fluminaque, vt ita fluant, cadantque, inter hæc intereſt, quod ſtillicidium dicitur eò quod ſtillatim cadat, flumen quod fluat continuò.* Mendum tamen ſuſpicatur Scaliger in prioribus illis legis à Varrone relatæ verbis; quare ita reponit. *Stillicidiu, fluminu, aquæ vti fluant, cadantque*: ex Senatuſconſulto quod extat apud Frontinum. *Quominus eu aquu ire, fluere, &c.* Vnde caducæ aquæ, quæ ex diuidiis ſeu caſtellis, & fiſtularum manationibus fluebant. A fluxu igitur differt fluuius, ſiue flumen, tum à ſtillicidiis, tum multò magis à ſtatiuis aquis, de quibus idem Varro *lib. de admirandis, ad Fundanium ſocerum Secundò de ſtatiuis aquis, vt ſunt lacus, & ſtagnu, & putei, & maria.* Et Plin. eodem ſenſu accipiendus eſt *lib. 2. cap. 82. In eadem & oppidum hauſtum, profundo, altóque motu terru ſtatiuas emerſiſſe.* Sic enim legendum eſſe monuit, qui notas marginales Plinio adſcripſit, & Scaliger in hunc Varronis locum, cùm lectio Vulgata habeat *ſtagnum*, alij verò *ſtatiuas* repoſuerint, ex eo fortaſſis quòd Statius dixerit alicubi *ſtatiuas renatas eſſe.* Quæ ſi erat Plinij mens, nobis Inſulam in ipſa campi planitiè natam obtruſiſſet. *Statiuas* igitur dicebant veteres ſicut calidas, frigidas, baianas, albulas, ſubintelligendo aquas. Differebant verò, vti iam monui, à manantibus, fluentibus, & perennibus, erántque vti enumerabat Varro, *lacus, & ſtagna, & putei, & maria. Lacus*, inquit Varro *eod. lib. 4. eſt lacunu magnu vbi aqua contineri poteſt.* Quare non efflnit, vt vides. Illũ Vlpian. in interpretatione edicti prætorij, *l. vnic. D. vt in flum. public.* & *l. vnicu D. de ripu muni.* ſeparat à ſtagno, de quo ſtatim, quòd aquam perpetuam habeat; ſtagnum autem temporalem ſtagnantem, idcirco lacus dicitur perpetuus, *l. 23. §. 1. D. de ſeruitut. ruſticor.* Neque ea perpetuitas tollitur, quamuis aliquandò æſtate areſcat. *l. 12. D. de adquir. rer. dom. l. 24. D. de aqua, & aqua pluu. l. 28. D. de ſeruic. vrban.* Legimus & lacum vini apud Vlpian. *in l. 27. §. vlt. D. ad l. Aquiliam. Si textori locaueris lacum vino plenum, curandum, & ille eum pertudit, vt vinum ſit effuſum, Labeo ſcribit in factum agendum.* Quem lacum Budæus interpretatur excipulum muſti è torculari deſluentis. & Victor. reſtituit, pro textori. Vtrumque non ſatis appoſitè, quod obſeruat Cuiac. *l. 9. c. 10. obſeruat.* Lacus enim ille, vini ciſterna vocatur, *l. vulgaris 21. § ſed ſi de naui. D. de furtis.* quam in terra defoſſam textorio inducere, & incruſtare intus, foriſque ſolebant, quod ex Suida, & Xenophonte probat Cuiac. qui vietorem, quoque malè pro textore inductum fuiſſe à Budæo demonſtrat, quia in Baſilicis κοιτωνας textor, & Græcis κοιτώνιον eſt textorium. Deinde non viere lacus ſolebant. Vietorem quoque non dicebant veteres Latini, ſed victorem etiam a viendo, vt pridem obſeruauit Agell. *lib. 12. cap. 3.* vbi vulgata lectio *à Vincendo, victor*, mendoſa omninò eſt; docet enim eo loco, pleraque vocabula dicta eſſe productis, quæ priùs corripiebantur, vocabulis, vt lictorem à ligando, lectorem à legendo, tutorem à tuendo, ſtructorem à ſtruendo, addit & victorem à vincendo, vel vt aliqui legunt à viuendo. Quòd exemplum ſic acceptum ineptiſſimè affertur, non enim oſtendit, quod intendebat Agellius, verbum deriuatum habere primam ſyllabam productam, cum id à quo deriuatur, habeat breuem, nam & in viuendo, & vincendo, atque inde deriuato victore prima ſyllaba producitur. Debet itaque legi à viendo victor, ſic enim probauit Agell. quod propoſuerat. Et ſanè Varro, *lib. 4. de ling. lat.* ait viere eſſe vincire, affertque illud Ennij *in Aſoto*, vt emendat Scaliger *in Sotadico*: nam Aſotum ſcripſit Cæcilius, non Ennius. *Ibant malam viere veneriam corollam.* Scaliger legit malacum, non malam. Victoriam verò ait Varro, quòd imperati vinciantur, coronam, & palmam præfert, quòd corona vinculum capitis, & ipſa à vinctura dicatur; palmam dicunt, quod ex vtraque parte natura vincta habeat paria folia. Venus victa, non quod vincere velit, ſed vincire, & vinciri ipſa. Victor igitur apud Vlpian. non vietor, quamuis ea voce Plautus *in Rudente* fuerit vſus, legendum foret. Sed retinenda omninò eſt vulgaris lectio Textoris, eſtque aperta Iuriſconſulti mens *in allato §.* teneri textorem actione in factum locatori, ſi lacum, quem curandum conduxerat, pertuderit, vinumque effuderit, quia imperitia culpæ adnumeratur. Atque hactenus de lacu, quem primo loco inter ſtatiuas aquas numerabat Varro nuper allatus. A lacu non multùm diſcrepat palus, niſi quod paululum aquæ in altitudinem, & palàm latiùs diffuſæ contineat. Secundo loco recenſebat Varro ſtagna, *in libro autem 4. de l.l. Stagnum, inquit, quod Græcè ςάνιον, quod nomen habet primum.* In quibus verbis vitium ſapienter aduertit Scaliger, legendum enim eſt pro ςάνιον, ςέγνον, quòd ita contineat aquam, vt manare non poſſit, quod obſeruat quoque Feſtus. Illud verò, *Quod nomen habet primum*, aut vt alij legunt, primam, ſic emendabis, *Quod non habuit primam*, Græci enim appellant ςέγνον, quod minimè rimoſum eſt, & fideliter continet, cui contrarium eſt latium fictile; quare cohærenter addit

Varro

Varro. *Hinc ad villas rotunda ſtagna , quod rotundum facillimè continet , anguli maximè laborant.* Tertio loco in aquis ſtatiuis putea poſuit Varro, in putei autem ethymo ab illo adducto *lib.4. de ling. Lat.* plurima corrupta emendat Scaliger , quem conſule , in iſtis enim tricis Grammaticis hærere diutiùs non placet. Quartò denique maria in aquis ſtatiuis , & a fluentibus diſtinctis poſuetat Varro, & iam Strabo *lib.1.* ἀκλινὲς ſiue immobile mare dixit. Et Euſtath. *ad Iliad.v.* ait mare ab Homero τῆς λίμνης nomine donatum fuiſſe , quia non fluxu fertur, vt fluuij , διὰ τὸ μὴ ἀπορρέειν κατὰ ποταμοὺς, ſed perquam ſtabile eſt , ἀλλὰ λίαν μένειν. Sen. *ſuaſor.* 1. immotum , & quaſi naturæ in ſuo fine deficientis pigram molem vocat , & lacus ipſi , ac paludes vocantur maria in ſcriptura, vt de Alphaltite conſtat. Mæotidem paludem ſubcaucaſum appellari ab Incolis mare teſtatur Ariſtoteles *lib.1. meteorolog. cap.* 13. illudque nomen Iuſtiniani æuo fuiſſe ipſi commune teſtatur Agatias *hiſtor. lib.* 3. & Feſtus Auienus ad Probum,

Interrogaſti , ſi tenes, Mæotici
Situs quis eſſet æquoris.

Septem Eridani paludes ſeptem maria vocari monuit Plin. *lib.3.cap.*16. Herodianus *lib.* 8. Adduam fluuium in Larinum Galliæ Ciſalpinæ lacû deuolui tanquam in proprium mare dixit Caſſiodor. *lib.* 15. *variar.form.* 14. Heſychio denique , & Suidæ λίμνη, & ποταμὸς lacus, & fluuius eſt ipſe Occeanus ex ipſomet Homero. Lucan. *pharſalic.* 2. Occeanum Britannicum nominat *incerti ſtagna profundi.* Paludes alicubi nominantur mariæ , tanquam maria quædam diminutiua , quod obſeruat Salmaſ. *in Plin.exercit. ad Solin.* Vide & plura alia in hanc rem apud Druſum *lib.9.obſeruat.cap.*10. & *ad difficil. loc. numero.cap.* 133. Alberic. Gentil. *in lectionib. Virgilian. cap.*17. Rhodigin. *lib.*20. *cap.*14. Ex quibus omnibus conſtat, neque perennitatem , neque fluxum facere flumen publicum , quandoquidem riui , & fontes perennes ſunt , & publici nonnunquam ; maria verò , & lacus , & ſtagna , & paludes ſæpe publica etiam ſunt , & tamen non numerantur inter flumina , quia non fluunt. Ea igitur dicenda erunt flumina publica , quæ perenniter in loco publico fluunt , & non in aliquo fundo, aut prædio priuato: quoad perennitatem autem ea non tollitur, quamuis aliqua cauſa inſolita ſuperueniente exaruerit fluuius , qui ſolebat perenniter fluere; ſicut neque dicitur perenne flumen, quod cùm non niſi hyeme fluere ſoleret , æſtate tamen aliqua fluxit. *l.1.D.de flumin.* atque ea ratione differt flumen à torrente, flumen eſt ἀέναος , torrens ὁ χειμάῤῥους, quod hyeme ſubitis imbribus creſcat , & æſtate exareſcat; quanquam & ipſa aqua quæ fluit flumen dici queat ex Agell. *lib.* 2. Feſtus etiam ex vulgi conſuetudine tum torrentem , tum perenne flumen dici poſſe flumen annotauit. Latinis dicitur torrens , quia eius aqua ſiccitate torreſcit , hinc Pacuuius. *Flammeo vapore torrens torretur.* Tribus conſtant flumina, aqua, alueo, & ripa. Hæc naturali curſu fluminis definitur , licet imbribus , vel mari, vel qua alia ratione quandoque extra illas creuerit, Neque enim Nilus, dum Ægyptum inundat, dicitur ripas ſuas mutare , aut ampliare, quæ ſunt illæ, quibus vbi ad ſolitam menſuram redierit , continetur , *l.1.§.5.& 6.D.de flumin.* & *in Synopſi Baſilic. lib.* 58. *tit.* 16. *cap.vn.*

8 Fluminum publicorum , quæ hactenus deſcripſimus , duo ſunt genera , quædam Regalia nominantur , alia Bannalia , ſiue proſcripta. Prima illa ſunt nauigabilia , & ex quibus fiunt nauigabilia, portus, ripatica , vti habetur *lib.2.feud.tit. quæ ſunt Regalia* , eiuſmodíque ſunt maiora ferè flumina, vt in Gallia ea de quibus meminit Tibull. *lib.* 1. *Eleg.*7.

Mitis Arar, Rhodanúſque celer , magnúſque Garumna,
Carnoti & Flaui cærula lympha Liger.

Nominantur verò Regalia , quia ſunt in dominio, & patrimonio Principis , in cuius Ditione fluunt; eadem ratione qua agri adiacentes quoad imperium , & præcipuo iure quoad vectigalia. Auſon. *Epigram.* 4. *de Danubio ad Auguſtos.*

Danubius penitus caput occultatus in oris
Totus ſub veſtra iam ditione fluo.
Et qua diues aquis Scythico ſoluo oſtia ponto,
Omnia ſub veſtrum flumina mitto iugum.

Hócque Principis in eiuſmodi flumina ius, & dominium in Gallia certiſſimum eſt. Quare cùm Ducis Allobrogici Magiſtratus de aliqua Rhodani fluminis parte ius dicere tentarent in perniciem Regij Imperij, mulctæ irrogatione coërciti fuerunt à Iuridico Lugdunenſi , vt ſcribit Papus *deciſion. Gratianop.* 577. Fiſci Procurator aduerſus Archiepiſcopum Aueniomenſem , & S. Sedis Officiales in Senatu Tholoſano contendit Inſulas Rhodani ad Regem ſpectare , tanquam Francici Sceptri patrimoniales , & Tholoſani Patres ſecundum Procuratorem Fiſci vindicario iudicio pronuntiarunt , eíque Inſulas vti Dominicas adiudicarunt ann. 1493. die 8. Mart. Egit quoque Fiſcalis Cognitor in Curia Pariſienſi , lege dominij reuocatoria Inſularum Rhodani & Araris fluminum , molæ cuiuſcunque frumentariæ , piſcariarum , & aliorum id genus, aduerſus Archipræſulem, & Clerum Lugdunenſem. Voluit tamen ampliſſimus ordo ea de re amplius inquiri , & deliberari , & intereà Regiam ab illis fundis manum tolli debere arreſto Kalend. Octob. An. 1536. Karolus IX. reſcripſit, fluminum Inſulas diademati competere dominica lege, & in priuatos ſibi eas vſurpantes iuſſit inquiri, *Touchant les Iſles, Iaueaux , atterriſſemens , & aſſabliſſements, eſtans és riuieres nauigables , & fleuues publics de ce Royaume , & pour informer des entrepriſes faictes ſur icelles.* Quod reſcriptum Senatus retulit in publica monumenta Nonis Iulij an. 1572. Longobardiæ quoque , atque Italiæ Ciuitates hæc regalia iura in territoriis ſuis , & flumina quæ illa interfluunt , quæſiuere , cáque ceſſerunt Longobardi Friderico in pace Conſtantiæ, vti ex variis Iuriſconſultis obſeruat Chopin. *lib.* 1. *de dominio , tit. vltimo num.* 5. Sunt quoque lacus publici, & regales, qui ad dominica bona, æquè atque flumina regalia pertinent.

Alia flumina publica Bannalia , ſiue benè litteratis Proſcripta dicuntur , eáque ſunt , quæ beneficis dominis confinium prædiorum acquiſita ſunt, aut longi temporis præſcriptione , aut regio permiſſu , aliòve iuſto titulo , inquit Chopin *lib.1.de dominio, tit. vltimo, num.* 6. qualia dicit eſſe hodie non pauca , factáque priuata , quæ naturâ publica erãt. Quare & illi Dynaſtæ horum fluminum vſum aliquem permittere, aut prohibere poſſunt , vt ſtatim dicam. Omnia igitur flumina , & aquæ tum ſtatiuæ , tum profluentes in alicuius priuati dominio exiſtunt, ſiue Principis , ſiue vniuerſitatis , ſiue Ciuitatis, ſiue ſingulorum, quod hactenus demonſtrauimus tum in mari , tum in fluminibus , ſiue priuata , ſiue publica ſint , ex quibus ad riuos, fontes , aquáſque ſtatiuas , lacus , paludes , & ſtagna licet

licet argumentari, cùm horum omnium eadem quoad eiuſmodi dominium ſit ratio, & differant ſolùm quoad manationem, & fluxũ, aut non decurſum, & vel in fundis priuatorum, vel in publicis locis fluant, vel ſiſtant. Verùm de fluminibus publicis, & priuatis adi Cepolam. *tractatu ruſticor. prædior. cap. 31. 32.*

9 Aio tertiò priuatorum fluminum, riuorum, fontium, puteorum, lacuum, ſtagnorum, & paludum vſum eſſe quoque priuatum illius, in cuius dominio ſunt illæ aquæ. Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperiori, & à nemine negari poteſt. Si enim illæ omnes aquæ priuatæ ſunt, nulla ratione à cæteris locis, aut rebus priuatis differunt, vti de priuato flumine dicebat Vlpian. *l. 1. §. 4. D. de fluminibus,* Vbi & ait interdictum Prætoris prohibitorium, ne quid in flumine publico, ripáve fiat, quo peius nauigetur, locum non habere in flumine priuato, quod eiuſdem omninò iuris eſt cum cæteris locis priuatis.

10 Hinc primò conſtituitur aquaria ſeruitus, quæ quadruplex eſt, Aquæductus, Aquæ iter, Aquæhauſtus, Pecoris ad aquam appulſus. Aquæductus eſt ius aquæ per fundum alienum ducendæ; alienum dixi, quia per publicum locum ſine Principis permiſſu duci nequit, *l. ſeruitutes 14. D. de ſeruitut. & l. ſi in publico 18. §. vlt. D. de aqua pluuia,* & ampliùs ſtatim explicabitur. In hac verò ſeruitute conſtituenda domini voluntas adeò neceſſaria eſt *l. 4. C. de ſeruitutibus.* vt aquæductus aliter conſtitutus interſcindi, atque interrumpi ab agri domino impune poſſit, *l. quemadmodum 29. §. 1. D. ad l. Aquiliam.* Quinimò ſi plures ſint fontis domini, voluntas, & conſenſus omnium exquiritur, ad quos vius aquæ pertinet *l. in concedendo 8. D. de aqua pluuia.* Rem explicat Vlpian. *In concedendo iure aqua ducenda non tantùm eorum, in quorum loco aqua oritur, verum eorum etiam ad quos eius aqua vſus pertinet, voluntas exquiritur, id eſt, eorum quibus ſeruitus aqua debebatur: nec immeritò, cùm enim minuitur ius eorũ, conſequens fuit exquiri, vt cõſentiãt. & generaliter ſiue in corpore, ſiue in iure loci vbi aqua oritur, vel in ipſa aqua habeat quis ius, voluntatẽ eius eſſe ſpectandam placet.* Deinde *l. 10.* addit plurium dominorũ conſenſũ neceſſarium eſſe. Scæuola tamẽ *in l. vlt. de aqua pluu.* tuetur aquæductus, *quibus auctoritatem vetuſtas daret, tametſi ius non probaretur.* & Pomponius *in l. 3. §. ductus. D. de aqua quotid.* ait ductum aquæ cuius origo memoriam exceſſit, iure conſtituti loco haberi. Denique Vetuſtas in hoc genere pro lege habetur *l. 2. D. de aqua pluu.* Eſt verò duplex aquæductus, vnus qui fundo, & prædio, non domino debetur, ideóque eſt ſeruitus prædialis, & cum prædiis ambulat, ſequitúrque emptorem prædij, ſicut & ipſæ fiſtulæ per quas aqua ducitur. *l. ſi aqua 47. D. de contrahenda empt.* Alter aquæductus eſt perſonalis, qui quocunque emptori placuerit, deduci poteſt, *l. 1. §. præterea. D. de aqua quotid.* ideóque cum ipſa perſona extinguitur, *vt cit. l. §. penult.* Dubitarunt veteres Iuriſconſulti, an ex ipſo fonte ducenda ſit aqua, an ex riuo, vel caſtello per fiſtulas conſtitui poſſit, & tandem viſum eſt ex ipſo capite deducendam, vt perpetuam cauſam habeat, qualem debent habere omnes ſeruitutes prædiorum, ideóque neque ex lacu, neque ex ſtagno aquæductum concedi poſſe ait Paul. *l. foramen 28. D. de ſeruitut. prædiorum vrban.* ſi tamen pactum interuenerit, exceptionem, & ex ſtipulatu actionem pariet, *leg. 9. 24. & leg. 33. D. de ſeruitut. ruſticor.*

Aquæ iter, quod Græci ὑδραγώγιον, Latini Aquagium dixêre, Quintus Mucius *in l. 15. D. de ſeruitut. ruſticor.* ſcribit eſſe ius aquæ ducendæ per alienum prædium, quo, facto riuo, aut plerumque fiſtulis poſitis vtimur. Iter ſiquidem aquæ, riuus eſt, *l. 1. D. de riuis. l. 3. is qui. & l. 17. §. 1. D. de aqua quotid.* & *l. 15. D. de ſeruitut. ruſtic.* Differt verò hæc ſeruitus itineris aquę ab aquæductu, quia qui habet aquæductum, habet etiam iter aquæ, ſiue ius conſtituendi riui in alieno fundo, *l. damni 30. D. de damno infect.* At non ſi quis iter aquæ habet, continuò aquæductum habet, quoniam aquæductus ab ipſo capite conſtituitur, eſtque ius aquã non modò per alueum, ſed etiam ex alueo ducendi. Hac ſeruitute totus fundus afficitur, niſi in conſtitutione ſeruitutis pars aliqua certa fuerit deſignata. *l. ſi mihi 21. de ſeruitut. ruſtic. & l. vlt. de aqua quotid.* poteſt autem aquæ iter aut fundi eſſe, aut ſeparatum a fundo perſonæ debitum, vti dicebamus de aquæductu, *l. arbor. 29. §. aquarum. D. comm. diuid.* 11

Aquæhauſtus eſt ius aquæ in alieno hauriendæ. *l. vn. §. 1. D. de font.* non eſt ſeruitus hominis, ſed prædij, *l. ſi mihi 20. §. vlt. D. de ſeruitut. ruſticor.* & ſicut e fonte aquæductus, ita ex puteo, & ciſterna aquæ hauſtus conſtituitur, & de iis aquis, quæ duci non poſſunt, intelligendus eſt. *l. 1. §. loquitur. D. de aqua quotid.* & *l. vn. D. de fonte.* Cui aquæhauſtus debetur, aditus quoque, tranſitus, iter, ſiue potiùs acceſſus ad puteum, & ciſternam debetur. *l. 1. D. de ſeruit. ruſtic & l. Gaurus 10. D. de ſeruit. vrb.* Qui autem habet aquæductum, non ideircò habet itineris ius, niſi reficiendi riui cauſâ, *l. refectie 21. D. commu. prædier.* Denique via publica, atque loco publico interueniente, hæc hauſtus aquæ ſeruitus conſtitui poteſt. *l. ſi prius 17. §. via publica. D. de aqua pluu l. 14. D. de ſeruit.* Hauritur aqua ſeruilis vrnis, vrceis, organis, & machinis, veluti tympanis, & cochleis, vti habet Vitruu. *lib. 10. cap. 9. & 11.* Communiter verò rotis, de quibus *l. qui fundum 40. §. vlt. D. de contrah. empt. & l. 2. comm. præd.* 12

Pecoris appulſus eſt ius ſui pecoris in alieno prædio adaquandi, quod ius prædiale eſt, *l. 1. D. de ſeruit. ruſtic.* Niſi verò domini voluntate conſtitutum fuerit, aut ſi maior numerus, quàm conceſſum fuerit, appellat, impunè pecus arceri poterit, *l. 1. §. Trebatius. D. de aqua quotid.* 13

Eſt aliquando & alia aquaria ſeruitus nauigandi, nempe cùm lacus perpetuus eſt in alieno fundo vicini, qui eam nauigationem pati cogitur. *l. via 23. §. 1. de ſeruitut. ruſtic.* Vbi Paul. *Si lacus perpetuus in fundo tuo eſt, nauigandi quoque ſeruitus, vt perueniatur ad fundum vicinum imponi poteſt.* Lacum perpetuum appellat, qui perpetuam cauſam habet, fontem v. gr. 14

An piſcandi ſeruitus imponi poſſit, diſputant Iuriſconſulti, qua de re commodius alibi, ſicut & de venatione, an feræ videlicet, inter quas numerantur piſces, in alieno ſaltu, aut ſtagno captæ fiant capientis, aut domini ſaltus & ſtagni: Nam ſi capientis fiant, nihil opus erit imponere venationis, aut piſcatûs ſeruitutem, quandoquidem inuito domino lacus, & nemoris fiunt capientis, ſiue occupantis. Quidquid verò ſtatuas in ea controuerſia, certum eſt poſſe dominum lacus, ſtagni, & viuarij, atque etiam fluminis priuati extraneum ab aditu ſui fundi arcere, illíque concedi actionẽ iniuriarum aduerſus eum, qui ipſo inuito fuerit ingreſſus. *l. 3. D. de adquir. rer. dom. & l. iniuriarum.*

13.

13.§.vlt.D.de iniur. Quæ omnia tandem oſtendũt fluminum priuatorum, lacuum, ſtagnorum, & eiuſmodi aliarum aquarum ſiue ſtatiuarum, ſiue fluentium vſum ſicut & dominium priuatum eſſe, & non neceſſariò commune & publicum, neque niſi de domini licentia cõpetere, vel nouo aliquo iure, vel ſeruitutis, vel cõceſſionis, alióve cõparatus ſit alteri.

15 Aio 4. vſũ maris, & publicorũ fluminũ cõmunẽ, & publicũ eſſe iure gentiũ, & Ciuili Roman. Quod vnũ probãt, quæ articulo ſuperiori adducebant aduerſarij ex Vlpian. & cæteris Cõſultis ad adſtruendũ cõmune maris dominiũ; nam ſaltẽ vſum cõmunẽ, & publicũ oſtendũt, vti etiã explicauimus initio huius articuli, eodémq; pertinet *l.adeo.7.§. Quod ſi vno.D.de adquir.rer.dom.& l.fluminũ.24. D.de dãno infect.* & deniq; tituli plures *lib.43.D.nẽpe XII. de fluminib. XIII. Ne quid in flumine publico fiat. XIV. Vt in flumine publico nauigare liceat, & XV. de ripa munienda*, in quibus explicãtur aliqua prætoris edicta tum prohibitoria, tum reſtitutoria circa hũc publicum fluminũ vſum; & titulo quidẽ *XII.* prohibet prætor, *Ne quid in flumine publico, ripáve eius facias, quo ſtatio iterve nauigij deterius fiat.* Alterum edictũ reſtitutoriũ eſt eiuſmodi. *Quod in flumine, ripáve eius factũ, immiſſúmve habeas, quo ſtatio, itérve eius deterius fiat, reſtituas.* Quia verò ex flumine nauigabili aqua duci poteſt *l.quominus.2. illius tituli.* Idcircò ne deriuationibus, moliũ conſtructione, aliiſve eiuſmodi operibus flumina exareſcant, aut curſus eorum mutetur, depreſſior, vel altior fiat in detrimentũ vel publicæ rei, vel vicinorũ accolẽtiũ, de ea quoque re dupliciter Prætor ſic interdicit *ſequenti titul XIII. In flumine publico, ripáve facere, aut in id flumen, ripámve eius immittere, quo aliter aqua fluat, quam priore æſtate fluxit, veto.* Hoc interdictũ etiã in flumine nauigabili locũ habet. Idcircò verò prætorẽ aiũt æſtatem cõprehendiſſe, quia ſemper ęſtate fluminũ curſus certior eſt quã hyeme propter hybernas eluuiones. Deinde iterum ſic interdicit. *Quod in flumine publico, ripáue eius factũ, ſiue quod in flumen, ripámue eius immiſſũ habes, ſi ob id aqua aliter fluat, atq; priore æſtate fluxit, reſtituas.* Quoad vſum nauigationis & fluminis publici *tit. XIV.* hunc in modũ interdicit. *Quominus illi in flumine nauem, ratem agere, quóue minus in ripa onerare, exonerare liceat, vim fieri veto. Item vt per lacũ, foſſã, ſtagnum publicũ nauigare liceat, interdicã.* Prohibet quoque ne cui vis fiat quominus pecus ad flumen publicum, ripámve eius fluminis publici appellat. Denique *tit. XV.* circa ripas fluminum publicorũ. *Quominus illi in flumine publico, ripáve eius opus facere, ripæ, agrive, qui circa ripã eſt, tuẽdi cauſa liceat, dum ne ob id nauigatio deterior fiat. Si tibi damni infecti in annos decem boni viri arbitratu vel cautũ, vel ſatiſdatũ eſt, aut per illũ non ſtat, quominus boni viri arbitratu caueatur, aut ſatiſdetur, vim fieri veto.* Hæc porrò Prætoris edicta non cõſtituunt nouũ ius, ſed naturale, & gentiũ, & Romanorũ ius explicãt, cùm enim ex illo iure fluminũ, eiuſmodi cõmunis, & publicus vſus exiſtat, nihil à quoquam fieri debet, quo ab eodem vſu cæteri impediantur, illis alioquin iniuriam facit. Hinc quoque ſequitur, vt alueus, quẽ fluuius de nouo occupat, fiat publicus, is autem quem reliquerit diuidendus erit ex rigore iuris, ex æquitate tamen fit illius, in cuius fundo fit nouus alueus; ager qui totus inundatione repletur, manet prioris domini.

16 Aio 5. Hodiernos, & maximè Gallicos mores iuri Romano, & gentiũ detraxiſſe circa hũc communẽ vſum maris, ac fluminũ publicorũ, quem certis legibus coërcuërunt, & ad certum modũ reſtrinxêre, quod iure facere Principibus licuit, quorũ dominio hæc omnia vindicata ſunt, & patrimonio, ídque etiam aliqua ex parte fecerant ipſi Romani, aliíque, qui quorũdam marium, & fluminum ſibi quoque dominiũ ſiue occupatione, ſiue vſu, ſiue bello, ſiue quo alio iure quæſierant, quod percurrendo præcipuos iſtos vſus, qui cõmunes, & publici maximè eſſe debuerunt, non fuerit operoſum oſtendere.

Præcipui itaque maris, & publicorum fluminum vſus, & prouẽtus ſunt nauigatio, cõmercia, eorúmq; cauſa ad ſtationes, & portus appulſus. Piſcatio, aquarum deriuatio, ædificiorum aliquorum extructio, Inſulæ recèns natæ, vectigalia, tutela maris, ac fluminum, ipſorúmque præfecturæ.

Nauigationem verò exteris, atque etiam incolis non niſi certa lege permiſſam, etiã olim conſtat ex Romanorum cum Antiocho fœdere, cuius nuper memini, & quod Liuius *decad.4. lib.8.* ſic refert. *Tradito Antiochus naues longas, armamẽtáque earũ, néve plures quàm decem naues actuarias, nulla quarũ plus quam triginta remis agatur, habeto; néve monerem ex belli cauſa, quod ipſe illaturus erit, néve nauigato citra Calycadnum, néve Sarpedonem promõtoria, extra quam ſi qua nauis pecuniam, ſtipẽdium, obſides, aut legatos portabit.* Polybi *in Except.legat.cap.35. nullam habeto triginta remis actam nauim.* Caſtigatus aliquãdo eſt Senatus Carthaginenſiũ, quòd contra fœdus exercitũ, & nauales materias haberẽt. Vide *Epitom.Liuij lib.48.& 49.* Similiáq; perplura, fœdera etiã hodierna liceret afferre, neque benè reſpondet Grotius *lib.2.de iure belli, ac pacis.c.3.§.15.* Hinc colligit dũtaxat, eiuſmodi populos de iure ſuo, quod in rem communẽ illis cõpetebat, ſpõte, & pacto inito in aliorum gratiã deceſſiſſe: nam cum hæc fœdera ita fuerint inita, vt ius ſibi quæſitũ ſine occupatione, ſiue armis ſeruarent, non poteſt dici fuiſſe amicam duntaxat cõpoſitionem, qua vnus in gratiã alterius ſibi debito iure cederet, quanquã ſi hoc daremus, inde maris imperiũ, & dominiũ benè cõcluderemus; poſt ceſſionẽ enim iuris, quod quis habet in rem cõmunẽ, totũ ius cõpetit illi, cui ceſſum eſt, neque reuocari, aut reſumi denuò poteſt ab eo, qui ipſum ceſſerat: nauigationẽ in mari Adriatico, & freto, quod Gulfum vocant tũ Ianuenſibus, tum aliis prohibitam, & impeditam à Venetis pro arbitratu fuiſſe, teſtantur Angel. de Vbaldis *conſil. 290.& in l.13.D.de iniuriis.* Idque iure fieri probat, quia poſſeſſione longiſſimi tẽporis ius illud, & freti ipſius dominium occuparunt; cõpararuntque. Idem affirmant Stracch. *de nauigat.§.1.* Peregrinus *lib.8. de Iure fiſci, §.14.* Marta *lib.1.de Iuriſdict.c.33.§.25. 26.* Pacius *lib.de domin.maris Adriatici.* Franciſcus de Iugentis *Epiſt.de Venetorum iure.* Selden. *lib.1. de mari clauſo. cap.16.* qui omnes afferent exempla Principum, qui licentiam nauigandi in ipſo freto à Venetis petierunt, & diplomata quibus ipſi cõceſſerunt, certis quibuſdã conditionibus, ac legibus Luſitani Reges nauigationẽ in mari Indico abſq; ſua venia prohibent omnibus. *lib.5.ordinat.tit.112.* & ſe dominos nauigationis, commerciorum, atque negotiationis dicũt, de quo titulo vide Valdeſium. *lib. de dignitate Regum Hiſpan. cap.12.* Armorici Principes cũ proſpicerent ſcopuloſo, & importuoſo littore crebra fieri naufragia, edicto cauerunt, ne iniuſſu ſuo freto excedere liberum eſſet. Quare nauigaturis veniæ teſſerã breuiculo dabant: cõmeatũ hunc ſpernentiũ, nauis & armamenta publico cõmittebantur, naufragio etiam facto mercium indicta publicatio: venia facta periculum nullum rebus à fiſco, naufragium item colligere licebat. Eiuſmodi breuicula, [brefs de conduite,] haud exi-

gui nunc ſunt prouentus, vti aliàs, & inter cæteros fiſci reditus mancipibus vectigalium elocantur: Ita Argent. *in Conſuet. Britann. art. 56. §. 44.* & ex illo Chopin. *lib. 1. de doman. tit. vlt.* §. 10 Denique nauigationẽ non omnibus permiſſam eſſe contendunt hodie, olimque voluerunt populi, & Principes, qui vicini maris dominium ſibi perpetuò arrogarunt, vt in re adeò perſpicua amplius comprobanda immorandum non ſit. Denique nauigationi leges dixére, de quibus agemus *art. 5.*

17 Atque ex his omnibus vides, nequaquã ita libera fuiſſe cõmercia, vt impunè liceret cuiuis ad portus appellere, & in eos merces qualeſcũque importare, aut ex illis exportare; cùm non eſſet libera nauigatio, neque etiam fuerint commercia maritima, quorũ maximè cauſa nauigatio, citra belli tempus inſtituitur. Et ſanè author eſt Ariſtoteles, legibus definiendũ, quibuſcum liceat ciuibus cõmunicare *lib. 7. Politic. cap. 6.* & de hoc iure cõmerciorũ permittẽdo aut vetãdo vide Bodin. *lib. 1. de republ. c. 6. & 7. & lib. 4. c. 1. & lib. 6. c. 2.* Neque bene Victoria, & alij quidam æquitatem belli Hiſpanorum aduerſus Indos Oriẽtales probant ex iniuria, quam acceperant ob ſibi vetita cõmercia, & negatos portus, ac ſtationes ab Indis, ſapienter enim affirmat Molina *tract. 2. diſp. 145.* nullã gentẽ teneri cõmercia cum exteris agitare, illoſque tanquã hoſpites admittere, & cum illis fœdus inire, ſiue inde periculũ timeat, ſiue non timeat, niſi ſingulari aliquo iure vel antiqui fœderis, vel grauiſſimæ neceſſitatis obligetur. Quare alias cauſas æquitatis huius belli Hiſpanici cæteri DD. quærunt, & afferunt; mihi in illis tuendis laborandum non eſt.

18 Tertius maris, & publicorum fluminũ prouentus eſt piſcatio, quam omnibus cõmunem, & publicam iure gentiũ eſſe conſtat, eã tamen Principibus, dominis, vel ex illorum etiam venia, atque ex cõſuetis moribus, priuatis quibuſdã vindicatã fuiſſe, vix liceat hodie dubitare. Sapienter enim Cuiac. *lib. 4. obſeruat. cap. 2.* cum dixiſſet feras, & piſces eo quod in nullius ſunt dominio, in capiẽtes trãſire, etiãſi in Titij agro, vel ſtagno capiantur, quia ille aper, aut piſcis in Titij dominio non erat, antequam ab illo caperetur, addit. *Hac Romani prudentes, qui ius gentium propiùs ſubſequuti ſunt, ita conſuerũt, mores tamen vbique paſſim ius gentium ſubegerunt, adeò vt ne in flumine quidẽ publico piſcari, neque in agris liberè venari, aut aucupari liceat.* Verùm hi mores & antiqui, & iam diu ſeruati ſunt, piſcationẽ enim in certa fluminis aut maris parte, & pacto cõſtitui, & cõtinenti multorũ annorũ vſu quæri poſſe cõſtat. Vnde Vlpian. nuper à nobis relatus *in l. venditor. 13. D. comm. prædior. Venditor fundi Geroniani, fundo Botriano, quem retinebat, legem dederat, ne aduerſus eum piſcatio Thynnaria exerceretur. Quamuis mari, quod omnibus patet, ſeruitus imponi nequeat priuatorũ cautione, quia tamen fides contractus legẽ ſeruari vẽditionis expoſcit, perſonæ poſſidentium aut in ius eorũ ſuccedentium, per ſtipulationem, aut venditionis legem obligantur.* Thynnariam verò piſcationem Budæus interpretatur à thymnis piſcibus prægrandibus, à quibus Thymnoſcopi dicti homines, qui è littore editiore Thymnos ſpeculari ſoliti, retia piſcatorum ſubeuntes. Neque diſſidet ab Vlp. Marcianus clariſſimus & ipſe I.C. dũ ait potẽtiores amnis accolas, ſi pluribus annis piſcati ſint ſoli, cæteros pari iure vti vetare. *l. ſi quiſquam 7. D. de diuerſ. & temporal. præſcript.* & quamuis Vlp. dicat *l. Iniuriarum. 13. §. 7. de iniuriis.* vſurpatum eſſe nullo iure vt quis prohiberi poſſit ante meas ædes, aut prætoriũ piſcari. Addit tamẽ in lacu, qui dominij mei eſt piſcari aliquẽ prohibere me poſſe, vtique ex iure Romano ex quo loquitur Vlp. quod non videtur aduertiſſe Cuiac. loco citato. Si igitur pars aliqua maris, aut fluminis publici dominij mei fiat, potero alios piſcari prohibere ex Vlp. & iure proinde Romano. Ius autem maris proprium poſſe ad aliquem pertinere fatetur Paul. *in l. ſanè 14. D. eod.* idcircò ait interdictũ, *Vti poſſidetis* ei cõpetere, ſi prohibeatur ius ſuũ exercere, *quoniam ad priuatam iam cauſam pertinet, non ad publicam hæc res.* Inter Fiſci Romani vetera vectigalia piſcarias numerat Guido Pancirol. *lib. 3. variarum lection. vtriuſque iuris. cap. 31.* ex Vlpiano. *l. 17. D. de verbor. ſignificat.* quamuis Cuiac. *ad lib. 5. de feudis. tit. de Regalib.* emendet *Picariarum*, & nõ vt habebat communis lectio *Piſcariarum.* Picariæ verò ſunt, è quibus effoditur pix, nam & picẽ foſſilem inueniri ſcribit Plin. *lib. 16. cap. 52.* Similis error contigit in Bruto Ciceronis, vbi malè Sebaſt. Conradus legit *Pecuarias* pro *picarias.* Concludit verò Cuiac. *Igitur vſurpatione tantum defendi poteſt fiſcus, qui ſibi vindicat piſcarias, vt priuati.* Vt quid igitur ſi iſta vera ſunt, ipſemet Vlpian. in cenſibus numerat lacus piſcatorios, ſi cuilibet piſcari in illis liberum fuit. *l. 4. §. 6. D. de Cenſibus.* Verum quidquid ſit de antiquiori illo Romanorum iure, recentius diuerſum omninò fuit; legimus enim Imperij Orientalis fiſcum immenſos prouẽtus ex vectigalibus piſcationum collegiſſe, nam Andronicus Palæologus abdicato imperio retinuit ſibi prouentũ piſcationis ante Bizantium pendi ſolitam vſque ad aureorum decẽ millia, vti refert Nicephorus Gregoras *lib. 9.* dicebatur id vectigal Topiaricum, Topicũ, Topicè, & piſcinica. De quo vide Cãtacuzen. *Hiſtoriar. lib. 2. c. 1. & lib. 4. cap. 42.* Ioann. Meurſiũ, *in gloſſario. v. τοπικόν.* & Bullenger. *de Imperio Romano. lib. 9. c. 72.* Noſque fortaſſis aliquid dicemus Cap. proximo: & multò iam ante, veterem illã Vlpiani opinionẽ de maris cõmunione, & libera piſcatione, à qua præpeditus iniuriarũ agere poſſet, quæ diu etiã in Oriente inualuerat, vt videre eſt in Synopſi Baſilic. *lib. 53. tit. 6. περὶ ἁλιείων,* abrogauit ſua Conſtitut. Leo *in Nou. 56.* qui circa 900. annũ imperitabat Orienti, quia contraria lex non æqua ſtatuere viſa eſt, *ὁ δίκαια ἐπὶ πλείονα ἰδεῖν.* Iubet itaque vt deinceps quiſq; veſtibula ſua marina poſſideat, eorúmq; ſit dominus, & alios qui eorũ emolumẽto frui vellent, repellat. De his veſtibulis quæ erant epochæ ad continẽdos piſces ſtatim iterũ dicã; ſufficit noſtro inſtituto, quod licet illa partẽ maris occuparẽt, in ipſis tamẽ nõ eſſet omnibus liberũ piſcari. Quod ad aliarũ gentiũ mores attinet, certũ eſt non vbique, neque omnibus licitam eſſe piſcationẽ, ſed certis legibus definitam. In Gallia quidẽ nemo vno excepto Rege, aut ex eius venia, & priuilegio poteſt piſcationẽ in fluminibus regalibus, & nauigabilibus prohibere, neque aliud voluit Ioan. Faber cũ ſcripſit *in § fluminum. Inſtit. de rer. diuiſio.* Franciſcis Magnatibus nõ licere ius piſcãdi in flumine priuatis interdicere, id tamẽ & Rex poteſt, & alij quib⁹ vel cõſuetudo, vel Rex ius illud tribuerit. Quare Guid. Pap. *deciſ. 414.* negat Delphinatiũ Baronibus ius eſſe quẽquã prohibere piſcari, niſi cõſuetudo amplius ius illis attribuit, & ſanè plurimis Dynaſtis in omnib. Gallican. Prouinciis ius illud eſſe cõſtat. Apud Moſchos quicũq; ex lacubus, & fluuiis piſces capiuntur; potiſſimã partẽ princeps habet, veluti è ſyluis pelles pretioſiores; iſtæ quidẽ ad dona, & venditionẽ, illi verò ſiccati ad præſidia & cibũ adſeruãtur. Quæcũq; ex illis diſtrahũtur ad principem ſpectãtia aliis præferuntur, nec quiſquã ſua poteſt diuẽdere, antequã ea quæ principis ſunt, venierunt.

venierunt. De piſcatione Halecum in mari Anglicano, & venia Regia qua externi piſcatores indigent, plura dabit Selden. *lib. 2. maris clauſi cap. 21.* Denique de tota iſta piſcationis nō liberæ controuerſia conſule Sebaſtian. Medicen tract. de venatione; Edicta, & conſuetudines de aquis, & foreſtis Galliarum collecta per Sanctiouium, Andr. Gaill. *Practic. obſeruation. lib. 2. obſ. 67.* Mathæ. Stephan. *de iuriſdict. lib. 2. p. 1. c. 7. §. 432.* qui de venatione, cuius eadem eſt cum piſcatione ratio, diſputant.

19 Numerabam quarto loco inter maris, & fluminū cōmunes, & publicos vſus aquarū deriuationē. Veteres è mari ad piſcinas in prædia ducebant, quod luculenter affirmat Varro *lib. 3. de re ruſtica cap. 17.* Vbi duo piſcinarū genera memorat, dulciū, & ſalſarū; alterū apud plebē, & ſine fructu; vbi lymphæ aquam piſcinis noſtris villaticis miniſtrant: illæ autem maritimæ piſcinę nobilium, quibus Neptunus vt aquā, ita & piſces miniſtrat, magis ad oculos pertinent, quàm ad veſicam, & potiùs marſupiū domini exinaniunt, quam implent. Primū enim ædificantur magno, ſecundo implentur magno, tertio aluntur magno. Quæ omnia ſingillatim oſtendit in Hirrij, Hortenſis, & Luculli piſcinis. Colum. *lib. 8. c. 16.* affirmat veterē illā Romuli, & Numæ ruſticā progeniē dulcibus aquis marinos piſces clauſiſſe, quia immò quos rerum natura lacus fecerat, connectis marinis ſemitibus replebant, mox iſtā curā, inquit ſequens ætas aboleuit, & lautitiæ locupletū maria ipſa clauſerunt. Quod teſtimoniis, & exēplis oſtendit, & damnat. Addit tamen. Sed quoniam ſic mores occalluêre, nō vt hæc vſitata, verùm vt maximè laudabilia, & honeſta iudicarētur: nos quoq; ne videamur tot iam ſæculorū ſeri caſtigatores, hunc etiā quæſtū villaticū patrifamilias demōſtrabimus. Docet igitur in primis naturam loci contēplari, in quo piſcinas facere cōſtituerit, non enim omnibus littoribus omne genus piſciū haberi poteſt. Deinde *c. 17.* modum cōſtruendi ſtagni ad excipiendā aquā marinā, & piſces tradit, illudque ſtagnū cæleri optimū, quod ſic poſitū eſt, vt inſequens maris vnda priorē ſubmoueat, nec intra conſeptum ſinat remanere veterē, námque id ſimillimū eſt pelago, quod agitatū ventis aſſiduè renouatur, quoniā gelidū ab imo fluctum reuoluit in partē ſuperiorē. Celebres maximè fuêre piſcinæ Hortenſis, de quibus Varro, & Luculli, qui perfoſſo ſub Neapoli mari Euripū, & maria admiſit, vnde à magno Pompeio Togatus Xerxes dictus fuit, vti referūt Plutarch. *in ipſo.* Patercul. *lib. 2.* Plin. *lib. 9 c. 54.* Salluſt. *in coniuratione Catilinæ.* Apollinaris quoq; piſcinā in littore Formiano conſtructā cecinit Martial. *lib. 10. Epigr. 30.*

Hic ſumma leni ſtringitur Thetis vento,
Nec languet æquor: viua ſed quies Ponti
Pictam Phaſelem, adiuuante fert aura.
Sicut puella non amantis æſtatem
Mota ſalubre purpura venit frigus,
Nec ſeta longe quærit in mari prædam,
Sed à cubili, lectulóque iactatam
Spectatus altè lineam trahit piſces.
Si quando Nereus ſentit Æoli regnum,
Ridens procellas tuta de ſua menſa
Piſcina Rhombum paſcit, & lupos vernos;
Natat ad magiſtrum delicata muræna,
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adeſſe iuſſi prodeunt ſenes mulli.

Hanc luxuriæ intemperantiam inſectatur Ambroſ. *lib. 5. Hexaem. c. 10. Rurſus pro ſingulorum libidine inciditur terra, mare infunditur, vt inſulas faciant, vt poſſideant freta, ſpatia maris ſibi vindicant iure mancipij, piſciumque iura ſicut vernaculorum conditione ſibi ſeruitij ſubiecta cōmemorant.* Atque Petron. *c. 80.*

Expelluntur aquæ ſaxis, mare naſcitur aruis,
Et permutata rerum ſtatione rebellant.

Erant verò aliæ piſcinæ non in littore coniuncto mari, ſed in ipſomet mari coniectis molibus extructæ, quod feciſſe Caiū Sergiū Oratani, narrat Valer. *lib. 9. cap. 30. Ne gulā Neptuni arbitrio ſubiectā haberet, peculiaria ſibi maria excogitauit, æſtuariis intercipiēdo fluctus, piſciumque diuerſos greges ſeparatis molibus includēdo, vt nulla tam ſæua tempeſtas incideret, qua non auratæ menſæ varietate ferculorum abundarent.* Idipſum innuit Ambroſius loco nuper allato, cum ait nonnullos ſibi varios in mari ſinus vindicare, & apothecas oſtrearum habere. Horat. *lib. 3. Ode 1.*

Contracta piſces æquora ſentiunt
Iactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominuſque terræ
Faſtidioſus.

Nominabant Græci *πρόθυρα τὰ θαλάττια*, veſtibula marina, quæ Leo volebat à ſingulis dominis inconcuſſo iure poſſideri, *Nou. 56. nuper allata.* Vide & Harmenop. *lib. 2. tit. 1.* Vocabant quoque Epochas, & *σπάνας* Græci recentiores: quælibet diſtabat ab alia trecentis ſexaginta quinque vlnis, annuus inde prouentus capiebatur veluti ex villa maritima, dicebatúrque *κέρδος προθύρειον* è mari lucrū, & *τοπιατικόν*, ſiue locariū, ſicut merces quam cōductor ſtabuli, tabernæ & fundi ſoluebat, locarium Latinis dictum eſt ex Varrone. Ex his Topiaticis, ſiue locariis pendebant & vectigal Principi, quod & topiaticum nominabant. De his prothyris, & epochis Vide Cuiac. *lib. 14. obſeru. c. 1.* Ex quo nos *lib. 4. de vſur. c. 8. a. 12. n. 8.* profecimus. Ex his vides aquarum è mari deriuationes ad piſcinas ſalſas, vt aiebat Varro, & in ipſo mari æſtuaria molibus intectis non fuiſſe ita in arbitrio, & vſu publico; vt venia non eſſet habenda, aut vectigal ex illis pendendū; deinde cauendum erat, ne littori nocerent.

Quod verò pertinet ad flumina publica, licet 20 quidem cuique aquam ex illis haurire, non tamen ducere, & deriuare, ne aut areſcant, aut aqua nimiū depreſſa peiùs nauigentur. Qua de cauſa Themiſtocles, teſte Plutarcho, fluminū cognitioni, & curationi Præfectus Athenis, eos qui in ea re peccauiſsēt, grauiſſima mulcta cohibuit, nullúmque poſſeſſioni, & longo vſui ad iura illa circumſcribenda locum eſſe voluit. Romæ M. Portius Cato, & P. Valerius Cēſores, omnem aquam publicam fontium, aquæductuum, ac fluminū publicorū in priuatorū ædes, aut agros profluentem ademerunt, & quæ publicis in locis cōſtructa fuerāt Caſtella intra triginta dies demoliēda curarunt. Ita Plutarch. *in Caton.* Cōcedebatur tamē aliquādo ius aquæ priuatis reſcripto Principis, modò citra incōmodū publicū id fieret; qua de re plura edixerunt Imperatores. *C. de Aquæductu.* atque in primis vt is per cuius prædium trāſit publicus aquæductus, vectigal præſtet formarū aquæ abluendarum cauſa, ideóque excuſatur à cæteris oneribus ſuperindictitiis, & extraordinariis; cōfiſcabātur tamen prædia per quæ trāſibat aquæductus, ſi in eo purgandu ceſſarent poſſeſſores. Arbores noxiæ, quæ ruinā fabricis inferrent, radicitùs officialiū iudicis cauſa amputandæ erant, nec circū aquæductus aliter haberētur, quam intermiſſis pedibus quindecim. Ita *l. 1.* factúmque ea de re S.C. Aëtio Tuberone, & Fabio Maximo Coſſ. teſtatur Iulius Frontinus. *lib. de aquæductibus.* Deinde *l. 2.* confiſcatur fundus, in quem dominus aquam deriuarit ex aquæductu publico, ſine permiſſu Principis.

cipis. Illam autem aquam beneficio Principis priuatis datam duci debere ex Caſtellis, vel ex ipſis formis, non ex fiſtulis matricibus, ex quibus aliæ ſuccreſcunt, vel ex ipſo aquæductu conſtituit *lex III.* Ratio eſt ne riui ipſi, & fiſtulæ corrumpantur, nam & ipſo vſu atteri, atque lacerari ex ipſo SC. refert Frontinus. Formas autem appellat Conſtitutio quælibet conceptacula quibus diſtinguitur aquæductus, quod Græci hoc loco vocant ὀχεῖα. Et quamuis lex ſiue Conſtitut. IV. velit ſingulis ciuibus manere vſum aquæ veterem, longóque dominio cõſtitutũ, non tamen niſi quoad quãtitaté eam quã ex veteri licẽtia ſinguli percipiãt. Quare qui ad irrigationes agrorum, vel hortorũ delicias, furtiuis aquarũ meatibus abutuntur, plectẽdi ſunt, pœnâ nimirũ, quam aduerſus vſurpatores iſtos *l. 2.* definierat. Quare ne qua fraus fieret, iubet V. Conſtitutio, vt qui impetrauit ius aquæ, reſcriptũ, & cæleſtes apices inſinuet Præfecto prætorio, & nõ præſidibus, impoſita graui mulcta quinquaginta librarũ auri iis, qui ſecus fecerint, & vniuerſis adminiſtratoribus, qui reſcriptũ per ſubreptitioné elicitũ ſuſceperint, vt nimirum Præfectus Prætorio quid thermis publicis, quid Nymphæis, quid priuatis beneficio Principis ex aqua publica largiẽdũ foret, diſponeret, ita enim ſanciunt Imperatores *l. ſiue Cõſtitutione V.* Nymphæa quidem erant ædes publicæ capaces celebrandis choræis, in quibus celebrabãt nuptias, qui ædibus carebant, vt interpretatur in Commentario Cuiaci. ex Zonara in Leone. Inde νυμφικὰ λουτρὰ explicat Suidas τὰ εἰς γάμοις ἐκ τῆς ἀγορᾶς ὑπὸ κρήνης λαμβανόμενα. Vniuerſalius tamen Nymphæa in hac, & ſequenti lege vocant hydria; quod probat Cuiaci. ex Socrate. lib. 4. cap. 8. & hîc ſeparãtur à balneis calidis. Alciat. putat eſſe balnea, in quibus mulieres lauare eſſent ſolitæ; viris tamé fuêre quoque ſua Nymphæa, quæ vtraque erant balnea ſiue lauacra tepidioris aquæ nõ valetudinis, ſed voluptatis cauſa, probat ex Strabone, & Pindaro. 11. *Olymp.* Forcatulus *c. 2. Cupidinis.* Sed de balneis Romanis quoque vſitatis alibi cõmodius. Obſeruo duntaxat Vitruuium *lib. 5. cap. 10.* in balneis tria loca conſtituere, caldarium, tepidarium, frigidariũ. Ad hæc igitur publica Nymphęa, & thermas aquã corriuare debebãt aquæductus publici, vnde vidẽdũ erat Præfecto prætorio, ne ex corriuatione priuatorũ, etiã ex licentia Principis, minus aquæ ad publica Nymphæa, & thermas duceretur quàm par foret. Qua de cauſa ſanciuit Theodoſi. ad Cyrum Præfectũ Prætorio Orientis reſcribens, ne Conſtãtinopoli aquæductus quidã Adriani priuatorũ vſibus ſeruiret, etiã ex reſcripto Principis: ſed Palatio, thermis, nymphæiſq; publicis, & vt circa eũ aquęductũ arboribus cõſitis relinquãtur decẽ pedes ex vtraque parte vacui. Quod idẽ conſtituit de fiſtulis ducentibus ad Achillis thermas, vt thermis tantũ, nymphæiſque publicis ſeruiant. Thermarũ Achilleatũ meminit Cedr. qui ſic nominatas dicit, quod vicinæ forent altari Achillis. Alij quòd Thetis filiũ Achillẽ aqua ſtygia præter talũ abluiſſet. De iiſdẽ thermis Socr. *lib. 2.* & Caſſiod. aliquid habẽt. Aquęductuũ publicorũ cura maxima erat; idcircò ad refectioné aquæductus Cõſtantinopoleos deſtinarũt Imperatores omnia vectigalia, quę ex vniuerſis calculis illius inclytæ vrbis, & ex operariis Cizycenis colligebãtur. Nemo tamen eorũ, qui ius aquæ poſſidebant quidquã ad eam refectioné impendebat, cùm execrabile videretur domos illius almæ vrbis aquam habere venalé. Ita habet Cõſtit. VII. Quod auté in ea legitur ex vniuerſis ſcalis, ita emẽdauit Cuiacius mendoſã lectioné, ex vniuerſis calculis, quod alij legerant, ex vniuerſis cellulis, alij, ſcholis, nullo ſenſu. Erant verò ſcalæ Conſtantinopoli, traiectus maritimi à Græcis dictæ χηλαὶ, ex eius vrbis deſcriptione demonſtrat idem Cuiacius; protenſæ erant in mare traiiciendi cauſa vſque ad nauigia, & Nautæ in eam rem deſtinati: quidquid verò nummorũ inde redibat, quod veroſimile eſt ad Principem pertinuiſſe, lex iſta reficiẽdis publicis aquæductibus deſtinauit, ſicut & vectigal, quod publico pẽdebãt Cixycenij. Meminit Vitruu. *lib. 6.* Cizycenorũ. Conſtituit Zeno Imp. *l. VIII.* ne aurũ aquæductui, & formis deputatũ Præfectus vrbis ad alios vſus quoſcũq; conuertat, alioquin ſuo ære eãdẽ ſummã repenſare cogatur, vtque illud aurũ ſpecialis Arcarius ſuſcipiat, ſiue ex liberalitate Principis, ſiue aliũde proficiſcatur. Probibet præterea idẽ Zeno Auguſtus ſequẽti Conſtitutione, ne fontes ab initio publici, aut ex poſtfacto publici effecti, vſui priuatorũ applicentur etiam ex reſcripto Principis ad hoc impetrato, quod hac Cõſtitut. reuocatur, quãuis vſus ex publico fonte cõcedi iure poſſit, eo quod primũ illud incõmodare publico poſſet, non ſecundũ iſtud. Conſtituit præterea, ne quis ex minuſculariis æquæductibus, id eſt, tenuioribus, & minoribus paragogiis, atque fontibus publicis, qui ad aquæductus maiores nimirũ confluunt, aquam vſurpet, néve circa eos arbores plantet, niſi ſeruato legitimo ſpatio præſcripto nimirum *l. 1. & 6. hoc C.* alioquin iubet publicari ſuburbanũ, in quem aquã deriuarit, vel ſecundùm aquæductũ arbores plantarit, vel prædiũ, vel balneũ, vel aquę molam ὑδρομύλιον, vel hortum fecerit. Erant porrò aquariæ molæ, aliæ priuatæ, aliæ publicæ, vt cõſtat ex *l. 4. C. Theod. de Can. frum. Vrb. Rom.* Vide & Caſſiod. *lib. 3.* vbi cõmendat diligentiã in conſeruãdis aquarũ formis propter aquæ molas. Denique ne aquarũ Cuſtodes hydrophilacæ, & Aquarij, qui omnibus aquæductibus inuigilabant, in manibus nomine Principis ſignarẽtur, quo de more circa Fabricẽſes, alioſque operarios quoſdam aliqua diximus nuper cap. 5. Ex quibus tandem omnibus colliges, ne illum quidem vſum publicũ maris, & fluminũ aquæ ducendæ ita liberum paſſim fuiſſe, cum nõ niſi venia Principis, & certis quibuſdam conditionibus permitteretur.

Quintus maris, & fluminũ vſus eſt extructio quorundã ædificiorum in mari, aut fluminibus, iniectis molibus, aut pilis, quæ duo erant maximè Prætoria videlicet, ſiue prothyra in mari ante ædes ſuas, aut agrũ littori aduerſũ ædificata; quod etiã in flumine nonnunquã fit, atque ita protendũtur ædes. Alterũ opus ſunt molæ aquariæ omnis generis. De primo illo opere, ſiue de prothyris nuper egimus, neque illa fuiſſe ita libera, vt nõ certas leges de iis cõſtituerint Principes; de antiquo quoque iure conſtat *ex Cõſtit. 56. & 57.* Leonis. Quod idem dico de omnibus aliis ædificiis, quæ in mare, vel flumina protẽduntur, & littus occupant, non enim niſi ex lõgo tépore quæſito iure, vel principali reſcripto erigi poſſunt, vt teſtantur Edicta Prætoris à nobis relata *Concl. 4.* Neq; etiã in via poblica, aut loco publico quidquã licet ædificare, ne aliis noceat. *l. 1. & 2. & toto. t. D. ne quid in loco publico.* Quare ex vniuerſali illo interdicto molendinũ in flumine publico ædificare nõ licebit ſine licẽtia, ſecus in flumine priuato in quo cuique domino licet ædificare in ſuam vtilitatem, non tamen in alterius incõmodum, v.g. ſi quis habet molendinũ in ſuperiori parte licitẽ, vel ex præſcriptione, vel facultate Principis, vel alio legitimo iure ædificatum, nequit alius ex inferiori parte ædificare, & illi lucrum tollere: quod ſi prior ille ædificaſſet illicitè, non poſſet hunc 21

poſteriorem

poſteriorem impedire ab ædificatione; in flumine autem priuato, niſi qoid aliud obſtet, vt præſcriptio, poterit quiſque ædificare, modò alteri commodum naturale non tollat, aquam v g. quæ vtrique molendino non ſufficiet: commodum autem liberum, & ab aliena voluntate dependens, cuiuſmodi eſt concurſus molentiom, qui minor exiſtet nouo molendino ædificato, tollere poterit abſque iniuria, alioquin nullus oouus artifex ſuam artem exercere poſſet in loco, in quo prior alius exiſtebat, neqoe nouam caupooam antiquæ vicinam inſtituere, atque hanc commooem opinionem explicat Schnerduninos *in §. flumina. Inſtit. de rerum diuiſion. n. 10. & 11. & in §. ſumma diuiſio, n. 54. & ſeq. Inſtit. de interdictis.* Gall. *lib. 2. obſeruat. 62. n.* 27. Craueta *lib. 4. de antiq. tempor.* Cœpol. *tract. vrbaner. prædior.* qui quærunt quænam hac in parte præſcriptio ſufficiat, & qui tractatum integrum de Molendinis edidit Heringius.

22 De Inſulis in mari natis, aut fluminibus alius erit dicendi locus, ex Romano iure eraot olim primi occupantis ſi in mari naſcerentur, ſi in fluminibus pro ratione circumiacentium accolarum, vti nuper obſeruabam. In Gallia omnes, quæ in fluminib naſcũtur, dominieæ ſunt ex edicto Caroli IX.

23 Vectigalia, quæ mari, aut fluminibus imponuntur, euideoter oſtendunt vſum tum maris, tum fluminum ita poblicum eſſe, vt tamẽ à dominio Principis alicuius pendeat, qui pro illo vectigal indicat. Sed de his *cap. ſequenti* dieemus.

24 Quod idem faciunt iura maritima, de quibus quoad Conſtaotinopolim volumen integrum ſcripſit Ioannes Neocæſarienſis Epiſcopus, ex quibus aliqua conceſſit Emanuel Comnenus Cænobitis, vti ſcribit Balſamõ *in ſcholiis ad can. 4. cõc. Chalced.*

24 Denique maris, & fluminum præfecturæ, quale ſit hoc dominom, euincunt, Neptunum ſummom mariũ præfectum fuiſſe, ſicut & deinde Cn. Pompeium tradit Lactant. *lib. de falſa religio. cap.* 11. de antiqois Thalaſſiarchis, & noſtris Admirallis, atque ſyluarum, aquarumve præfectis notiſſima res eſt. Neque eorũ iura placet hoc loco explicare, oe longiùs euagemur, aliquid indicabimus *a.* 4. & 5.

ARTICVLVS III.

De Nauigationibus.

Commendatur mare maximè ob nauigationem. 1.
Quis primus nauigationis author. 2. 3.
An fuerit aliquis nauium vſus ante diluuium. 4.
Noëmus primus docuit grandiora nauigia. 5.
Vbinã Noëmica nauis, & arca ſubſtiterit. ib.
Vnde, & quò profecti Naufragi ex arca Noëmica egreſſi. 6.
Diſperſio Noëmicorum in varias terras quando facta. 7. 8.
Nauigiis facta maximè. 9.
Hae omnia fabulis corrupta à Græcis. 10.
Noëmus Saturnus Græcis. Ibid.
Cham Iupiter. 11.
Iaphet Neptunus, & Sem Pluto. 12.
Primus nauigationis ortus. 13.
Primus nauigationis finis, deductio coloniarum. 14.
Colonia Phænicum, qui ipſi Chananæi ſunt, omnium antiquiſſima. ibid.
Occaſio ducendarum Coloniarum à Chananæis, ſiue Phænicibus. 15.
Secundus finis nauigationis Imperij, propagatio. 16.
Tertius finis nauigationis, negotiatio, 17.
Commercia maritima Salomonis. 18.

Ambroſius lib. 3. Hexaem. cap. 5. pulchritudinem, & bonitatem, ſiue vtilitatem maris eleganter commendat; pulchram quidem eius ſpeciem, *Vel cùm ſurgentibus albeſcit cumulis, ac verticibus vndarum, & cautes niuea rorant aſpergine, vel cùm æquore criſpanti clementioribus auris, & blando ſerenæ tranquillitatis purpuraſcentem præfert colorẽ, qui autem eminus ſpectantibus frequenter offunditur, quando non violentis fluctibus vicina tundit littora, ſed velut pacificis ambit, & ſalutat amplexibus, quàm dulcis ſonus, quàm iucundus fragor, quam grata, & conſona reſultatio.* Præcipuum tamen eius decorem quem cum bonitate confundit ex operatione, & vtilitate cõmendatũ eſſe à Creatore ſapienter exiſtimat, *Ego tamẽ,* inqoit, *non oculis æſtimatũ Creaturæ decorẽ arbitror, ſed ſecundũ rationem operationis iudicio operatoris conuenire, & congruere, definitum.* Has deinde operationes, & vtilitates enumerat. *Bonum igitur mare primùm quia terras neceſſario ſuffultis humore, quibus per venas quaſdam occultè ſuccum quondã vtilẽ ſubminiſtrat. Benũ mare tanquã hoſpitiũ fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuionum, inuectio commeatuum, quo ſibi diſtantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubritas valetudinis, ſeparatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, ſubſidium vectigalium, ſterilitatis alimentum.* Pergit deinde alia maris commoda percenſere, quæ fere beneficio nauigationis comparantor, cuius cauſa commendat ioter magnifica Dei opera mare Dauid *Pſal.* 103. *verſ.* 25. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus,* &c. *illic naues pertranſibunt.* Ampliſſimum, latéque diffuſum eſt mare locis, littoribus, ſpatiis, & regionibus, & vt reddunt LXX. εὐρύχωρον, quod enim aliqui legant *ſpatioſum nauibus*, corruptè, & inſcienter legont; plura quidẽ pſalteria apud veteres, vt & apud LXX. omitiũt *manibus*; ſed ex Hebræo vulgata lectio confirmatur, ab aliiſque retineror, quia vox *manus* apud Hebræos, eo quod ſit extrema pars corporis, ſignificat terminum, ripam, finem, littus, locũ *Num.* 13. *v. per fluenta Iordanis,* id eſt, iuxta ripã, vel terminum, Hebraicè *iuxta manum. lib. 2. Regum. c.* 14. 30. iuxta agrum meum, Hebraicè, *iuxta manũ meã, vel ad manũ meã.* Et *ibid. c.* 15. 2. *iuxta introitum portæ in via,* Hebraicè, *iuxta manum viæ portæ.* Iudic. *c.* 18. 10. *intrabimus in regionẽ latiſſimã.* Hebr. *Terram latam manib.* Abac. *c.* 3. *verſ.* 10. *altitudo manus ſuas leuauit.* Quanquam Sanctius, aliique de diuiſione maris rubri, atque Iordanis, quæ ſuo more in illo miraculo, diuinis imperiis obediendo, diuinã quoque potentiam laudaruot, veluti intenta voce, & elatis in cœlum manibus, in ea ſiquidem ſignificatione leuatio manuum ſæpiùs vſurpatur in ſcripturis, vt in *Pſ.* 33. & 62. & 97. Alij tamen ita interpretantur, vt in illa diuiſione Iordanis, tranſeunte arca aqoæ Iordanis hinc inde extarent immotæ arca ſuperiores, ac proinde altitudo illa, ſiue cumu- 1

lus quæ & arcæ, & populo tranſeunti eminebat, ſuſtulerit ſuos terminos, ripas, littora, & margines, quibus ſeu qoibuſdam brachiis, aut manibus contrectabat, complectebatúrque terras. *Spatioſum igitur manibus mare*, quia diffuſum eſt, & ſuis manibus, ac brachiis totum complectitur orbem, & ſanè minora maria, veluti quædam ſunt immenſi Oceani brachia. Vnde Ouid. *lib. 1. Metamorph.* dixit brachia longo margine terrarum porrigere. Et Virgil. *Magnas obeuntia terras maria.* Seneca *in œdipo. Act. 2. Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbem.* Et Ouid. *Ep. ad Deian. Qua latum Nereus cæruleus ambit Eurum*: περιδέδραμε γαῖαν ἅπασαν, percurrit terram vniuerſam. Hinc illa vaſtitas, & immenſitas maris, vnde à Græcis dicitur, εὐρύπορος εὐρεῖα πολύρροιζος ἀπειρίτοις εὐρὺς ἀπείρων παμμεγέθης ἀμέτρητος. Hanc autem vaſtitatem mari tributam eſſe ad nauigandum cenſent Haimo, Aiguan. Bruno, Beda, & Remig. qui idcircò *ſpatioſum manibus* dicunt, quod manibus remigum plurimorum exerceatur, ſiue in eo plures nauigare poſſint, ſed ne in excutienda illa interpretatione laboremus. Ipſemet Dauid poſt laudatam maris amplitudinem, in quo tot animalia puſilla, & magna gignerentur, verſu ſtatim proximo commendat ex eo, quod patiens eſſet tot nauium onerariarum, maximarúmque, quibus tot, ac tam vaſta ſpatia percurrũtur magna celeritate, ita vt qui locus piſcibus attributus erat, hominum etiam fieri locus poſſet, atque piſces ſub eorum redigerentur imperium, *illic naues pertranſibunt*, ſiue vt Hieron. *pertranſient*, Græci, διαπορεύονται. Aquila verò περιπατῶν πλοῖα.

2 Eandem commendationem maris, & diuinorum operum ex nauigatione habet Dauid *Pſ. 106. v. 23. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Circa quæ verba diſputant aliqui, an mare ſit altius, aut depreſſius terra, ad quam quæſtionem digrediendum modò non eſt, ſufficit noſtro inſtituto, eos qui nauigant magno labore mirabilia Dei opera in mari cognoſcere, & ipſis quodãmodo videre, atque haurire oculis, quæ alij ne mente quidem aſſequi poſſunt, non modo enim mirabiles elationes maris, & mirabilẽ in altis Dominum experiuntur, tot inſulas, promõtoria, ſcopulos, piſces omnis generis, margaritas, æſtus reciprocos, ſed maxime mirabilem & prouidam Dei curam in regenda naui, & ſapientiam in ea excogitanda vident, quæ duo laudat in hanc rem Salomon *Sapient. 14.* vbi agens de idololatra, qui nauigaturus implorat opẽ idoli lignei, quod fragilius eſt ligno nauis qua vehitur, ſic ait *v. 3. Tua autem pater prouidentia gubernat, quoniam dediſti, & in mari viã, & inter fluctus ſemitam firmiſſimam oſtendens, quoniam potens es ex omnibus ſaluare, etiamſi ſine arte aliquis adeat mare* Quia nempe nautica ars minimè ſufficit ad tutò percurrendum mare immũm, ſed Dei Patris amantiſſimi prouidentia, qua cuncta gubernat, præſtare poteſt ſecurum iter, & firmiſſimam ſemitam ἀσφαλῆ, etiam ſine arte, & ſine rate, vt olim fecit tranſmiſſo medio rubro mari Hebræis *Exod. 14.* de quo hoc ipſo libro egerat Salomon *c. 10. v. 18.* quod & in Petro deinceps præſtitum, qui ambulauit ſupra mare, & de Mauro Abbate Gregori. *lib. 2. dialog. c. 7.* atq; de Charitine Virgine, & Martyre prodit Metaphraſtes, & de aliis alij: atque in his elucet diuina potentia, dum ſulcantes mare etiam aliquando ſine naui liberauit: ſapientiam autem oſtendit, dum docuit rationem ædificandæ, ac regendæ nauis, vt depoſito metu homines mari ſe committere audeant; quare addit Salomon, *Sed vt non eſſent vacua ſapientia tua opera, propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.* Quia ergo Deus non vult ſapientiæ ſuæ opera eſſe otioſa, μὴ ἀργὰ εἶναι τὰ τῆς σοφίας ἔργα: idcirco nauigationem docuit, fruſtra ſiquidem viderentur exiſtere maria, littora, inſulæ, niſi quis ea adiret: & res conditæ fruſtrarentur ſuo fine, neque vitæ humanæ deſeruirent, niſi nauigatione huc illúcque deferrentur, & vſu ipſo nauigandi homines inertiam abiicerent dum nauibus fabricandis, ſcientiæ nauigandi, obſeruationi ſyderum, aliiſque eiuſmodi occupationibus incumbunt. Tam verò ſapiens eſt hoc artificium quo ligna in nauem compinguntur, & nauigandi ratio, vt diuina prorſus induſtriâ excogitata ſit, & homines audeant deinceps exiguo, & minimo ligno ἐλαχίστῳ ξύλῳ vitam, ac ſalutem committere, & animas ſuas πιστεύειν credere; quod temerarium alioquin videretur, cùm vt aiebat Anacharſis apud Laertium ſolius nauis craſſitudine à morte nauigantes abſint. Iuuenal. *ſatyr. 12.*

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut ſeptem ſi ſit latiſſima tæda.

Et Seneca. *in Med. actu. 2. in choro.*

Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terráſque ſuas poſt terga videns
Animam leuibus credidit auris,
Dubióque ſecans æquora curſu
Potuit tenui fidere ligno
Inter vitæ mortíſque vias
Nimio gracili limite ducto.

In eo periculo deſcribendo plurimi ſunt veteres, & recentiores, nullúſque elegantius expreſſit ipſo Dauide *Pſalm. 106. verſ. 6. 7. & 8.* atque verbis allatis Salomon, tranſeuntes mare διελθόντες, κλύδωνα tempeſtatem, procellam, mare procelloſum per ratem σχεδίᾳ, quaſi ἐκ τοῦ σχεδὸν, καὶ ἐγγὺς κατὰ χρόνον, ſumptam ex propinquo tempore, ſiue tumultuariè factam, vel per ratem, quæ ante perfectarum nauium vſum conſtabat tantum quadam trabium compage, vel quia etiam naufragio facto, & diſrupta naue quæſita ſit ſalus rate duntaxat ex diſſolutione nauis collecta, tam fidenter vt aliqui terreſtre iter maritimo poſtponant; qua de re diſputat Kekermann. *in problematis nauticis 1. part. problem. 3.* Quare Dei ſolius ſapientia hanc audaciam fecit hominibus, & nauium fabricandarum rationem illos docuit.

Inutiliter itaque laboramus in quærendo primo nauium inuentore. Iaſoni, cæteriſque argonautis tribuit Manil. *lib. 1.* Danæo qui primus longam nauim ex Ægypto adduxerit, Diodor. *lib. 5.* & Plini. *lib. 7. c. 96.* alij Prometheo, quidam Saturno, Neptuno, Minoi, Atlanti Erythiæ, Miſis, Troianis, phœnicibus, Cretenſibus, & aliis, de quibus Polydorus, cæteríque plures diſputant, verùm quæ afferuntur In hac parte de prima illa inuentione, obſcura ferè ſunt, & fabuloſa, quamuis in iſtis poëtarum fere figmẽtis aliquam veritatis lucem intueri nonnulli ſibi videantur. Quod fuſiùs proſequitur Moriſolus. *lib. 1. orbis maritimi. cap. 1. & 2.* & omnium fuſiſſimè Bochar. *1. par. Geographia ſacra, ſiue in Phaleg. lib. 1. & tota 2. par.* ex quo maximè aliqua noſtro inſtituto conuenientiora addocemus. 3

Pono in primis non conſtare nobis, vtrum ante Noëticum diluuium fuerit aliquis nauigationis vſus ad varia commercia, & Inſulas habitandas, quod 4

quod non diſplicet Lotin. *in cap.14. ſapient. verſ.2.* id tamen non benè probat Fulgoſ. *lib.1. cap.6.* ex eo quod Bernæ oppido Heluetiorum reperta ſit nauis ad centum brachia defoſſa cum anchora ferrea, velis ex tela, & oſſibus quadraginta hominum, quæ omnia ſimul in tractus mediterraneos deferri non potuerunt, niſi ingenti aliqua eluuione maris eò fuerint eiecta, qualis ſine dubio fingi alia non potuit, quàm diluuij Noëtici, quod orbem vniuerſum ipſóſque montes altiſſimos demerſit. Quare mirum non fuit ſubſidentibus, & decreſcentibus aquis ingentia quædã onera, quæ ſupernatabant, in ipſis montibus, aut locis mediterraneis ſubſtitiſſe, atque deinde aggeſtione terræ poſt plura ſæcula altiùs defoſſa fuiſſe. Fuerint igitur Noëtio æuo naues, quibus aliqui diluuium euadere ſperabant, quæ immenſis illis exhauſtæ aquis, ipſis deinde recedentibus ſolo affixæ remanſerint. Neque benè obiicit Maiol. *colloq.23. dierum canicul.* eius ætatis homines non fuiſſe riſuros Noëmum fabricantem nauẽ, ſi eius fuiſſet aliquis vſus, nam ridebant illi minas vniuerſalis diluuij, & inſani, vti videbatur, capitis inſtitutum, qui vellet totum orbem vna arca, & naue ſeruare, atque immenſam illam aquarum vim vniuerſum orbem inundantem ſuperare, quò enim fugiturus erat, & in quem appulſurus portum, ſi nulli reſtagnante in immenſum Occeano futuri erant; eaſque impiorum voces eleganter expreſſit Nobiliſſimus poëta noſter Millizeus. *libro 12. Moſis.*

Quæ tam longa, ſenex, te vatem inſania fecit?
Quis modus hic, aut forma ratis? Nec remigis alas
Nuda ſuper tabulata ferunt: nec cornua malo
Vlla tremunt, nec vela tument; non clauus in alta
Puppe, nec aduerſe quæ pendeat anchora roſtro.
Quo molem hanc feretri immanem? queis fluctibus arcam
Obiicis, vt clauſus tenebris, & mole ſepulchri
Expectes mortem mediis tumulatus in vndis?
Iam morere, aut vnum feretro compone cadauer,
Et tibi iam Caneſis carmen ferale ſepulto:
Floribus at nos interea, vinoque fruemur,
Voluemuſque hilares, tua circum buſta choreas.

Vndecumque verò delatum fuerit hoc nauigium Heluеticum, ex illo non niſi leuis coniectura duci poteſt, ante Noëmum nauigiorum vſum fuiſſe: fortaſſis aliqui Noëmi exemplo & ipſi nauigia præſertim grandiora in omnem euentum ſibi ſtruxerunt; Nam exiguas rates aut lembos contis potiùs quàm remis actos, quibus fluuios traiicerent, aut eorum littus legerent, tunc in vſu fuiſſe non diffiteor cum Lorino; grandiores verò naues vix adducor vt concedam, nam primos illos homines circa Babylonem, & Aſſyriam habitaſſe, neque in longinqua terrarum ſpatia ante diluuium ſparſos fuiſſe, ac proinde neque grandioribus eguiſſe nauigiis, quibus ſe mari committerent, vel ad quærendas nouas ſedes, vel ad bella gerenda, vel denique ad celebranda commercia, luſtrandumque orbem, qui ſunt nauigationis fines, quis ſibi facilè perſuadeat in tam alto ſcripturæ ſilentio? quomodo longo interuallo diſſitis populis Noëmus pœnitentiam prædicaſſet, & diluuium prædixiſſet, minatuſque diuturna illa, & obſtinata arcæ conſtructione? Exiſtimarem itaque tunc temporis Aſſyriam, & regionem circa Babylonem cultam duntaxat, & ab incolis celebratam fuiſſe, quod plurimi ea paradiſi ſitu, ex quo pulſi homines è regione ipſius habitarunt, ſibi iure merito colligere videntur. Idemque ex loco in quo Noëmus fabricauit, oſtendit Bochartus. *lib.1. Phaleg. c.4.* fuit autem ille locus circa Babylonem & Aſſyriam. Cum enim affirmet Moſes Arcam ſubſtitiſſe in montibus Ararat, hoc eſt, Goridæis prope Aſſyriam, vti docuerat idem Bochart. *cap.3.* veroſimile eſt in loco non longè diſſito illam fabricatam fuiſſe; neque vllus dixerit, machinam tantæ molis, & nauis vndique opertam, vnde, vt ſtatim dicam, nomen arcæ deſumpſit, neque velis, neque remis actam, neque ad motum ſatis idoneam ob formam quadrangularem, infinitis præterea animalibus, & cibariis ad illorum omnium paſtum annuum grauem longius iter emenſam fuiſſe, ſed attollentibus eam aquis provt ipſæ creſcebant, tanquam victricem regente diuina manu ſupernataſſe, atque vt canebat laudatus Poëta.

Attollunt molem fluctus, natat alta carina,
Quodque ferè mundi ſupereſt onus, æquore librat,
Vndarum tumulos circum latera ardua frangunt,
Vinci indignantes ſine clauo, & remige fluctus.

Deinde cùm probabile ſit, breue illud iter ab Area confectũ ita fuiſſe, vt in Septentrionem tenderet, quia Occeanus, cuius eluuione Aſſyria, & Gorydæa demerſę sũt, ingruebat à meridie, & pruinde in Septentrioné arcã propellebat, quam & Auſter, Notuſque venti promouebant: atque Goridææ Aſſyria ad Auſtrum proxima eſt. Beroſus, Abydenus, Polihiſtor inferius adducendi, qui Xiſuthum, vel Siſuthum pro Noëmo ſubſtituerunt, eum ex Aſſyria in Armeniam nauigaſſe dicunt, probantque ex publicis inſtrumentis Heliopoli depoſitis in Sipparis. Ptolemæus ſimpliciter vocat σιπφάρα ſypphara, atque eſſe vrbem Meſopotamiæ ad Euphratem in ora Babylonis inter Naarden, & Seleuciam. Nomen autem Sipphara factum putat Bochart. ex Hebræo Siphraia, id eſt, libris ſiue monumentis, quæ inibi aſſeruabantur, ſicut in Cananæa vocant Hebræi Kiziat ſepher, vrbem librorum, & Chaldæi Kiaiath, Arche, Vrbem Archiuorum. Ioſue *cap.13.16.* Iudic. *cap.1.11. & 12.* vbi conſule Serrarium. Si igitur Xiſuthus, ſiue Noëmus ex Aſſyria nauigauit in Armeniam, in Aſſyria ſine dubio nauim conſcendit, ibique eam ædificauit. Addit & non contemnendam coniecturam Bochart. quod Noë iuſſus fuerit arcam ex lignis Gopher fabricare. *Geneſ.6.14.* Gopher autem cupreſſus eſt, vti oſtendit Fullerus *Miſcellaneorum ſacrorum lib.4. cap.5.* quod & indicat ipſum nomen κυπάρισσος. Nam κυπαρ, & Gopher ſola terminatione differunt. Neque ſanè alia aptior erat materia ad eam arcam, cuius fabricatio centum annos tenere debebat, & aquis innatare per annum, quàm cupreſſus, quæ cariem & tineas non ſentit, & vt cecinit Martial. *lib.6. Epigram.49.* vbi eam viuam vocat.

Quæ nec ſæcula centies peracta
Nec longa cariem timet ſenecta.

Qua ſine dubio de cauſa Athenienſes, eorum, qui in bello pro patria ceciderant, cacadeneta arcis cupreſſinis condebant, ex Thucydide. *lib. 2.* vt ipſis quandam velut immortalitatem donarent, quod indicat Scholiaſtes Thucydidis *διὰ τὸ ἄσηπτον εἶναι.* E contrario verò Pythagoræi ſepulchro cupreſſino abſtinebant, quia Iouis ſceptrum ex ea arbore conſtat, vt ait Hermippus apud Laerti. *lib.8.* Iouis ſcilicet regnum æternum eſt. Neque alia ad aſtruendam cupreſſi imputredinem afferre neceſſe eſt, cùm ipſa experientia id docet; nam valuæ Epheſini templi per quatuor ſæcula incorruptæ erant,

vti affirmant Theophraſt. de Plantis. *lib.* 5. *q* 5. & Plini. *lib.* 16. *cap.* 10. Rationē reddit Vitruui. *lib.* 2. *cap* 9. quia liquor qui penitus in eius corpore eſt, habet amarum ſaporem, qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem, neque eas beſtiolas, quæ ſunt nocentes. Cùm igitur Arcæ reliquiæ diutiùs perdurarint, vt plurimi ſcriptores reſtantur, ex eiuſmodi aliqua materia imputribili compactam fuiſſe neceſſe eſt, nempe ex lignis Gopher, ſiue Cupreſſinis: & ſane naues ex cupreſſo fuiſſe conſtruſtas habes apud Plutarch. *lib.* 1. *ſympoſ. problem.* 2. Vegeti. *lib.* 4. *cap.* 34. Caſſiodor. *lib.* 5. *variar. epiſt.* 16. Diodor. *lib.* 19. Theophan. in vita Anaſtaſij apud Baron. ann. 714. Denique à Platone. *lib.* 4. *legum*, inter arbores vtiles τοῖς ναυπηγοῖς numeratur κυπάρισσος. In Aſſyria verò plurima eſt cupreſſus, imò in ea vix alia materies fabricandis nauibus reperitur, ideóque ingens claſſis quam Babylone Alexander conſtruxit, ex ſola cupreſſo conſtabat, quod alia inibi materia non ſuppeteret, inquit Arrian. *in Alexand. lib.* 7. & Strabo. *lib.* 16. Suſpicari etiam licet Gopher eſſe loci cuiuſdā nomen à Cupreſſis ita appellati, quod frequens eſt in ſcriptura, nam à quercubus Elon, a moris Bacca, à ſpinis Arabicis Sittin, vel ſetin, a palmis Tamar, à malis Punicis Rimmon nominata ſunt. Ligna igitur Gopher erunt ligna Cupreſſeti τοῦ κυπαρισσῶνος: atqui Strabo numerat locum ita dictum in Aſſyria in Adiabene circa Capri traiectum non procul ab Oſtro, vbi vna portarum, de quibus Nahum. 2. *verſiculo* 7. inquit Bochart. Ex quibus omnibus tandem habes primos homines fere circa Babylonem habitaſſe in Aſſyria, & inibi Noeticam arcam conſtructam fuiſſe, quo loco neque magnis nauibus indigebant, cùm ſolum Euphratem, aliòſque minores fluuios nauigarent, neque longiùs procederent, mari verò ſe non crederent.

5 Noemus igitur primus grandius illud nauigium authore Deo conſtruxit, quod Orbis vniuerſi reliquias, & ſemen conſeruaret; nauis quidem illa fuit, cùm tamen vndique clauſa foret, & neque ventis, neque remis ageretur, Deoque ſolùm gubernatore, arca potiùs quàm nauis nominata fuit; quod obſeruauit Auguſtin. *lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 27. & Chryſoſt. *hom.* 21. *in Geneſ.* alioquin ratem appellat Sapient. *cap.* 14 *verſ.* 6. *ſed & ab initio cum perirent ſuperbi gigantes, ſpes orbis terrarum ad terram confugiens, remiſit ſeculo ſemen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata.* Quam igitur *cap.* 10. *verſ* 4. *contemptibile lignum* εὐτελοῦς ξύλου dixerat, hic nominat ratem σχεδίαν. Subſidentibus aquis diluuij Arcam in montibus Ararat ſubſtitiſſe narrat Moſes; Montem verò Ararat Sybilla quæ ſe Noemi nurum iactat, in Phrygia collocat ad fontes Marſyæ fluuij, nimirum circa Celænas, quo fere loco Mæander exoritur, vt teſtatur Xenophon. *li.* 1. Artabas Cyri regiam Celænis extructam deſcribens. Liui. *lib.* 28. Tyrius, *ſerm.* 38. Curtius. *lib.* 3. Plini. *lib.* 31. *cap.* 2. illum fluuium vocat Herodat. *lib.* 7. καταῤῥάκτην, Catarrecten. Cum itáque ex Sybilla mons ille fuerit Celænis proximus, meritò emendandæ videntur Sybillæ verba, ἐπὶ ἠπείροιο μελαίνης, & ſuſtituendum κελαινῆς. Fuerit igitur mons Ararat in Phrygia Celæna.

Verùm fictitia videntur, & ſuppoſititia iſta oracula, quod vel ex hoc vno loco conſectamus, nam Mons, in quo arca 17. die 7. menſis ſubſtitit, altiſſimus fuerit oportet, cum nondum cæteri montes, decreſcentibus licet aquis, comparerent, neque apparuerint niſi decimo menſe, *Geneſ.* 8. 4. 5. locus ille tamen ex quo exoritur fluuius Marſyas, collis tantum eſt & tumulus, non editiſſimus aliquis mons λόφος, id eſt, ἀνάστημα, apex terræ, illum igitur falſo Sybilla deſcribit ἠλίβατον τανυμήκης ὄρος, montem arduum, & excelſum. Denique iter è Phrygia in Babylonem eſt ab occaſu in ortum, cùm tamen, qui ex arca exceſſerunt, profecti dicantur ab Oriente in terram Sennahar, ſiue Babyloniam *Geneſ.* 11. 2. Cauſam erroris ſuſpicatur Bochartus quod ad fontes Marſyæ ædificata fuerit ab Antiocho Sotere Apamia ab Apamea matre, in quam veteres Celænæ migrarunt, vnde vtramque illam vrbem eandem eſſe dicunt Strabo. *lib.* 12. Liui. *lib.* 38. Plin. *lib.* 5. *cap.* 29. Solinus *cap.* 40. & alij paſſim.

Apamia autem, vt iidem authores obſeruant, dicta eſt κιβωτὸς arca, ex quo nomine qui ſuppoſuit Sybillina oracula, finxit ita vocatam fuiſſe hāc vrbem, quod ad eam Arca Noëtica ſubſtitiſſet, cùm tamen aliæ poſſint eſſe huius nomenclaturæ cauſæ, vt quod tribus fluuiis ambientibus clauderetur in arcæ modum, qua ratione Alexandrinus portus dictus quoque fuit κιβωτὸς ab ambiente ſinu. Potuit & Arca dici quòd eſſet commune Græclæ, & Italiæ ὑποδόχειον, & Emporium, ac veluti arca diuitiarum. Alij montem Ararat à caucaſiis portis in Iberiæ, & Armeniæ confiniis vſque ad Alanos porrigi volunt cum Ioſepho Gorionide. Communis ſententia Ararat Armeniam exponit, quod ita reddat Vulgatus *Geneſ.* 8. 4. *Ierem.* 51. 27. *Iſaia* 37. 38. 4. *Regum.* 19. 37. ita Abadenus de Xiſuthro diluuium effugiente dixit in Armeniam nauigaſſe apud Euſeb *lib.* 9. *de praeparat.* Beroſus apud Ioſeph. Euſtath. Antiochen in Hexaem. Chryſoſt. orat. de perfecta charitate. Iſidor. *lib.* 14. *Origin. cap.* 8. aliique paſſim in Armenia ſteriſſe arcam ſentiunt, de loco tamen Armeniæ diſſident. Nam Hieronym. ait Ararat eſſe regionem campeſtrem in Armenia, per quam fluit Araxes, ad radices Tauri montis, atque ad montes Tauri altiſſimos, qui Ararat campis imminent, reſediſſe arcam. Confirmat Bochartus ex Guilielmo de Rubruquen, *c.* 49. *Itinerarij Tartariæ*, quam mandato S. Ludouici ante 400. annos peragrauit, Araxi, & Naxuanæ vrbi imminere duos altiſſimos montes, Maſſis nomine, in quibus arca reſederit, ibique conditum oppidum ab illis octo, qui ex arca exiuēre, quod ab eo numero Cemanium dicitur ab Hebræo ſemen, octo. Altera ſententia vult Arcam in montibus Gordyæorum, qui & Carduchi, Cardiei, Cordiæi, Corlueni, Gordi, Gordæi, Cordæi, Curdi nominantur, ſubſtitiſſe, quam ſententiam ex vetuſtis auctoribus, & pluribus rationibus fusè confirmat Bochart. *cap.* 3. *lib.* 1. inibique eius reliquias diutiùs viſas ſcriptores nonnulli produnt: Ioſephi quoque mentem ita explicat, vt ab hac ſententia non diſſideat; ſicut neque Nicolaus Damaſcenus, qui ad montem Barim ſuper Minyadem ſteriſſe arcam, ibique eius reliquias diu ſeruatas; ſuſpicatur ſiquidem Bochartus Minyadem eſſe regionem Minni, cuius meminit Ierem. 15. 27. vbi de Babylone, *Conuocate contra eam regna Ararat, Minni & Aſcenez.* Chald. habet Armeniam, & vox Armenia videtur conflata ex Har, id eſt, Mons, & Mini, quaſi Harmini, ſiue montana Minyadis, quod & Amos 4. 3. confirmat. *Et deportabant eam vltra montes Armenia.* Mons verò ille Armeniæ dictus eſt Βαρὶς, ſiue quia βάρις eſt Nauigij barbari genus, ſiue quia Armeni Deam eo nomine coluerunt ex

Strabo

Strabo.*lib.* 11. ſiue ab Hebræo Berith, fædere, quod ibi Deus cum Noë, & poſteris ſanxit, ſiue quia Armenij, & circumuicini populi ἐπιχώριοι locum illum ἀποβατήριον exitum, vel egreſſum nominabant, vt ait Ioſeph, & Euſtathius Antiochen. Armenis verò Baris, ſiue Bariz eſt exitus: volunt & alij Imborim vel Niborum montem in Armenia collocari à Strabone, & eundem eſſe cum Lubari, cuius meminit Epiphani. quod poſtremum falſum eſſe demonſtrat ſitus horum montium. Quidquid verò tandem ſtatuatur de ſingulari illo loco Armeniæ, & montium Ararat, in quo conſtitit arca, certum eſt eos eſſe, vt dixi, in Armenia, atque ex illis naufragos homines, vbi ex tanto periculo ſe receperunt, & reſpirarunt, profectos de Oriente veniſſe in terram Sennaar, in eiuſque campeſtribus habitaſſe *Geneſ.* 11. 2. quam terram eſſe circa Babylonem omnes conſentiunt, & Hiſtiæus Mileſius Phæniciarum rerum vetuſtus ſcriptor apud Ioſeph. *lib.* 1. *cap.* 5. & Euſebi. *lib.* 9. *de præparatio.* meminit Σένααρ τῆς Βαβυλωνίας. Naar eſt excutere. Iob. 38. 13. & Sennaar terra quæ excutit, quia eius incolæ iuſto Dei iudicio inde excuſſi, & in omnes terras diſperſi ſunt.

6 Supereſt tamen grauis difficultas, quomodo iſti naufragi ex Oriente ex Kedem dicantur profecti Babyloniam verſus, cui montes Ararat, & Gordiæi ſunt ad Aquilonem, quod enim aliqui ab Oriente interpretati ſunt ἀπ' ἀρχῆς ab initio, nugæ ſunt; quidam volunt primùm progreſſos in Aſſyriæ, & Suſianæ campos, atque inde demum ab Babylonem in occaſum veniſſe: alij ſubſtitiſſe in regione illa, quæ diu poſt dicta fuit Kedem à Kedma nouiſſimo Iſraëlis filio, & vbi paululum hæſerunt, venerunt in terram Sennaar: alij denique loqui Muſem more apud Aſſyrios vſitato, qui imperij ſui partes trans Tigrim ſitas, Orientales vocabant, Occidentales quæ cis Tigrim erant: montes igitur Ararat, qui erant in parte Tranſtigritana, dicebantur pertinere ad Orientem: iſti traiecto Tigri ad Sennaar, ſiue Babyloniam in regione Ciſtigritana ſitam venerunt. Porrò in agro Babylonico Euphrates in diuerſos alueos ſcindebatur, quorum quinque præcipui, vnuſque eorum in Tigrim influebat, alij in varios lacus exonerabantur; inde *Pſal.* 137. 1. *flumina Babylonis,* quorum ripæ ſalicibus conſitæ erant, ideo Babylonia vallis ſalicum nominata Eſaiæ. 15. 7. vbi Moabitarum opes dicuntur in vallem ſalicum deportandæ, id eſt in Babyloniam; ipſam denique vrbem Babylonem ab his poſtea naufragis ædificatam. In hac porrò intra duos fluuios Tigrim, & Euphratem regione diutiùs habitarunt noui illi mortales relictis Armeniæ montibus (cuius regionis, & agri Babylonici fertilitatem Herodot. *lib.* 1. Strabo. *lib.* 16. Plin. *lib.* 6. *cap.* 26. fusè deſcribunt) vſque ad diuiſionem linguarum, & ipſorum in varias Orbis partes diſperſionem, quam anno 175. poſt diluuium con-
7 tigiſſe contendit Salianus anno mundi 1631. Noëmi. 875. Quia verò Moſes Geneſ. 10. 25. ait Phaleg Heberis primogenitum natum eſſe in diebus quibus diuiſa eſt terra, indeque nomen Phaleg ſortium eſſe: Natus autem eſt Phaleg an. 100. poſt diluuium, vti plures exiſtimant, aut ex ipſius Saliani Chronologia anno diluuij 131. atque adeò linguarum confuſio, eiuſque occaſione hominum in varias partes diſperſio, quæ anno diluuij 275. contigerit, cadet in annum 144. ſub medium vitæ eius, non primum ortum, vti conſtituit ipſe Salianus. Idcircò qui iſti adhæſerunt opinioni, duplicem faciunt terræ diuiſionem, primam in ortu Phaleg, cuius disertè meminit Moſes. *illo cap.* 10. *Geneſ.* diuino vel inſtinctu, vel iuſſu ab ipſomet Noëmo inter filios factam, qua ſingulis filiis, eorumque familiis, & poſteris certas regiones (vti fuſius refert Ioſeph. *lib.* 5. *antiq. cap.* 67.) diſtribuit. Hæc tamen diſtributio non niſi diu poſt occaſione confuſarum linguarum in rem deducta eſt, & habuit eam in executione cunctationem, & tergiuerſationem, quæ plurimos annos abſumpſit, cùm plurima viderentur migrationem in nouas regiones, & diſceſſionem ab inuicem diſſuadere, nimirum communis vitæ inter affines, & cognatos conſuetudo, atque commercium; horror ignotarum, & longinquarum regionum, timor nauigationũ, & naufragiorum, amor natalis ſoli, aliaque id genus. Cæperunt tamen ſenſim ex Armenia migrare, & in Babylonia moras per otium trahere, atque etiam inibi Ciuitates, & caſtella ædificare, immemores coloniarum aliò ducendarum. Cùm igitur Noë moras tam diuturnas argueret, & conſtanter vrgeret ſuos ad profectionem in terras ſingulis deſtinatas, atque etiam ſorte aſſignatas, vti Epiphanio placet, qui ad Rhinocorurem ſortitionem factam eſſe ex eo coniicit, quod illius incolæ vocent ea Neel, hoc eſt, ſortem, hæreditatem, & torrentem *Hæreſi.* 66. *& in Ancora.* Cùm præterea locorum angulis excluderentur, & infinita in dies multitudine ſoboleſcente, laxiora ſpatia quærere cogerentur, tandem in animum induxerunt, parentis optimi monitis, & diuinis imperiis obſequi; antequam tamen ita diſpergerentur, placuit communi conſilio illuſtre aliquod nominis ſui monumentum poſteris relinquere, cæperuntque ampliſſimam vrbem cum ipſius acropoli, ſiue turrim in ea celſiſſimam ædificare, quæ ædificatio duos & viginti annos tenuit ex Saliano, cæpitque anno diluuij 253. quia Thare, quem natum eſſe eo anno exiſtimat, natus eſt in ædificatione turris, ex Epiphanio, neque mirum eſſe debet tam immenſum opus paucos illos annos tenuiſſe. Noëmus, reliquique familiarum principes in id conſilium conſenſere bona ſanè mente; eius tamen præcipuus auctor fuit Nemrodus, qui quod cæteris potentia, & viribus emineret, imperium quoque in illos affectabat. Itaque communi opera, ſpecioſo, & honeſto titulo, locum ſibi ad id idoneum excitauit, idque tandem probauit euentus: nam Moſes *c.* 10. *verſ.* 10. ait hanc vrbem fuiſſe principium regni ipſius. Diſiecta porrò eſt hæc inſana ædificatio, & linguæ confuſæ antequam perficeretur, atque ita neceſſitate compulſi mortales diſtributionem iam factam exequi cæperunt. Ratio verò, quæ mouit perplures ad hanc duplicem diuiſionem terrarum inducendam, quarum vna fuerit aſſignatio duntaxat, altera verò illius exequutio, & regionum aſſignatarum occupatio, eſt, quia intelligi ſatis non poteſt, quomodo illa diuiſio terræ in ortu Phaleg potuerit eſſe illa ipſa diſperſio, quæ vnà cum confuſione linguarum contigit. Cum enim ex *c.* 10. *Geneſ.* 25. Phaleg fuerit primogenitus Heber, habueritque fratrem minorem Iectanum, & ex *c.* 11. 16. natus fuerit Phaleg anno 34. patris ſui Heber, atque in diuiſione linguarum Iectan parens eſſet 13. liberorum, qui iam eſſent capita familiarum, in quas etiam linguæ diuiderentur; oportuit intra 34. annos hæc omnia contigiſſe, & 13. liberos à à Iectane eo ſpatio ſuſceptos adoleſcere, & familiarum Principes euadere, quod quis credat?

Alij tamen vnam tantùm admittunt diuiſionem, 8
quæ

quæ in confuſione linguarũ, & in ortu Phaleg acciderit anno centeſimo primo poſt diluuiũ, quod colligunt ex *c.* 11. *Geneſ. a verſ.* 10. *ad* 16. quo toto ſpatio annorum a diluuio ad diſſipatas diſperſaſque gentes fuit illud aureum ſæculum, de quo loquuntur Poëtæ, regnante Saturno, quem eundem cum Noemo fuiſſe poſt paulò dicetur. Ad hanc porrò turris inſanam molitionem, cuius occaſione linguarum confuſio inducta eſt, & ſubſecuta in varias terras diſperſio, neque Phaleg, qui nondum natus erat, neque 13. filij Iectanis, qui poſtea geniti ſunt, quidquam contulerunt: Immò neque Noëmus, Semus, Arphaxad, Heber, Salas, aliique viri principes pietate inclyti, memores fœderis cum Deo initi; nam Moſes ipſe ait *cap.* 11. ***Deum deſcendiſſe vt videret turrim, quam ædificabant filij hominum***, ſiue filij Adam, qui in ſcriptura ſolent opponi filiis Dei, hoc eſt, piis, quod ex ipſo euentu videtur comprobari; nam omnes Abrahæ proaui ab ipſo vſque Noemo, immunes fuerunt à pœna, quam iſtis ædificatoribus inflixit Deus diſperſione videlicet in prouincias varias, & linguarum confuſione, quia iſti ſuam priſtinam, & antiquiſſimam linguam in Heberis poſteris, a quibus Hebræa dicta eſt, retinuerunt, aliis diuiſis confuſiſque: iiſdemque cæteris in diuerſas oras deſcendentibus nunquam a priſtinis ſedibus receſſerunt; nam & vrbs Chaldæorum, in qua Maiores Abrahæ diutiùs habitarunt, non procul diſſita erat à Corduena, in qua ſubſtiterat Arca, nempe circa Niſibim, Tigri propior, & Corduenæ, duabus nimirum ſtationibus. Nemrod quoque ex turris conditoribus minimè fuit, quia vel tunc nondum natus erat, vel puer admodum exiſtebat, alioquin fuiſſet illi cum aliis migrandum, neque ipſe tunc in vrbe nondum extructa, immò & diuina vi dum ædificaretur, deſtructa, ſedē regni, quod affectabat, conſtituit, videturque probabilius multò poſt eiuſmodi funeſtam cladem, totam illam terram Sennaar aliquamdiu deſolatam remanſiſſe, & ab ea clade, & excuſſione nomen ſumpſiſſe, quod nuper monuimus, timuiſſeque homines in illa aut habitare, aut eam reperare: Quod tamen deinde Nemrodus homo audax, & temerarius aggredi non pertimuit, in eáque vrbe, ex qua genus humanum in varias regiones diſperſum fuerat, imperij ſui arcem conſtituere voluit, & in Babylonia, ſiue in terra Sennaar, alias quoque vrbes ipſum ædificaſſe narrat Moſes Geneſ. 16. *verſ.* 10. in iiſque Chalane, eaque eſt Cteſiphon ad Tigrim, in qua & turrim ædificatam fuiſſe videntur velle LXX. in Iſai. 10. 9. vbi enim vulgata habet, ***Nunquid non vt Charcamis, ſic Chalano***, hoc eſt, nunquid ſicut Carchamis expognata fuit viribus meis, ita & Chalano. LXX. reddunt *οὐκ ἔλαβον τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος, καὶ Χαλάνης οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη*. Nonne cepi regionem, quæ eſt ſupra Babylonem, vbi turris ædificata eſt. Quare Baſili. Cyrill. Hieronym. in illum locum idem exiſtimarunt, ſicut & Nazianzen. *orat.* 26. & Conſtantin. Manaſſes *in ſynopſi hiſtorica*. Neque dicas hinc videri, Nemrodum inter turris conditores numerandum eſſe, quod negabamus, nam nihil aliud inde conficitur, quam Nemrodum in eo ipſo loco, in quo fuerat olim extructa turris, deinde vrbem Chalanem ædificaſſe; quod tamen de loco turris non eſt certum, quam cæteri omnes in ipſa vrbe Babylone, cuius fuerit acropolis, collocant. Quare non ineptè dicitur LXX. vocem, ſicut Carchamis, interpretatos, vti ſonat, in ea munitio fuit. Quod deinde de turri illa celebratiſſima cæteri acceperunt: qua ſimili ratione Hebræi quidam eius turris locum non Babylone, ſed Borſippæ collocarunt, quia Chaldæum Borſiph, & Hebræum Borſaphe ſignificat ciſternam euacuatam; aër ſiquidem loci illius induxit obliuionem omnium, ita vt linguæ propriæ fuerint obliti. Alij pro Borſiph legunt Bolſiph, quia ibi Deus Balal-ſephat confudit linguam totius orbis. Ita refert Buxtorfius in lexico Talmudico: ſanè Borſiph, vt appellat Beroſus, & *Βόρσιππος* Strabo. *lib.* 16. Stephanus *τὰ Βόρσιππα*, fuit vrbs in Babylonia, in qua Cyrus regem Nabonidum cepit, vti ex Beroſo refert Ioſeph. *lib.* 1. *contra Apion.* clara fuit laniſicio, & veſpertilionibus ſolito maioribus, qui ad eſum condiebantur. Confuſis igitur linguis ob inſanam molitionem illius turris, & ea vi diuina deſtructam, facta eſt mortalium omnium in varias orbis partes diſperſio, & familiæ quæ vnius erant linguæ, ab aliis ſeceſſerunt in regiones ad quas non fortuito quidem, ſed diuino quodam inſtinctu profectæ ſunt, quamuis illæ non certo cōſilio ſibi illas elegerint. Vnde Hiſtiæus Mileſius rerum Phœniciarum vetuſtus ſcriptor, ait diſperſos *πολυγλωσσίαν* vbiuis habitaſſe, & vnumquemque occupaſſe terram in quam incidit.

Toto autem illo ſpatio, quod inter diluuium, & 9
hanc diſperſionem incidit, non dubitarim ipſos viros nauigiis, vt & Tigrim, & Euphratem, aliaque Babyloniæ, & Meſopotamiæ flumina traiicerent, atque etiam nauigarent: quin imò Beroſus Annij Viterbienſ. inducit nauigationem Noëmi cum filiis, multiſque colonis mare mediterraneum circumluſtrantis, nempe vt cuique ſuas veluti ſedes metaretur, quod commentum cùm nulla probabili ratione firmetur, viris ſapientibus vix probabitur. Certum tamen mihi videtur, Noëmum, eiuſque filios, ac nepotes eo tempore nauticam artem coluiſſe: nam ſi demus, Noëmum diuino iuſſu orbem inter filios diuiſiſſe, ad eamque diuiſionem hortatum eſſe per plures annos, quis dubitet eos, dum illi ſe accingunt, præparaſſe ea omnia, quæ ad eiuſmodi migrationē neceſſaria erant, & nauigiorum rudem aliquam artem, quæ pleriſque aliò migrantibus neceſſaria futura erat, coluiſſe, quam à Noëmo facilè diſcere poterant; deinde cùm ipſi ſatis peruiderent, ſoboleſcente in dies multitudine, quærendas ſibi aliquando nouas terras fore, eáque de cauſa, & flumina, & mediterranei ſaltem maris partem aliquam nauigandam aliquando eſſe, nauigandi artem ſibi vſui eſſe non dubitabant. Denique vbi confuſis linguis, & destructa turri cogi ſe ad migrandum aliò viderunt, non ſtatim eo ipſo momento veluti volucres aliò temerariè auolarunt, ſed conuaſatis ſarcinulis cum integris familiis, omnibuſque impedimentis, quotquot vnius, eiuſdemque familiæ erant, communi conſilio, duce gentis, & ſtirpis principe, quò ſors ferret, vel ſibi fortaſſis fixum eſſet animo, ſi quid præſagire, vel hortante Noëmo, vel qua alia ratione potuerunt, ſimul commigraſſe tum itinere terreſtri, tum maritimo prout magis congruum erat: & quamuis ipſum Oceeanum tunc fortaſſis non nauigarunt, eius tamen oras, & maximè maris mediterranei ſine dubio legere debuerunt; neque vbi opus fuit, committere ſe aquis timuerunt, cùm enim hæc omnia diuina prouidentia fierent, alio gubernatore malè compactæ naues non eguerunt, vt deſtinatos portus tenerent. Atque hoc ſine dubio fuit artis nauticæ rudimentum, hæcque longioris nauigationis initia, quam deinde Phœnices, aliſque

populi

populi excoluerunt, hodieque celeberrima, & exquiſitiſſima eſt.

Hæc omnia mendacibus fabulis Græci obſcurarunt, in quibus tamen antiquæ veritatis veſtigia liceat obſeruare, nam Noëmum Saturnum fecêre, vt ex vtriuſque notis facilè deprehendes, cùm vterque omnium hominum, & Orbis parens dicatur, iuſtitiam homines docuerit, aureo ſæculo vixerit, quod nempe à diluuio ad diuiſionem gentium interceſſiſſe nuper monebamus, & tunc eadem lingua communis omnibus foret, quod ad ipſas quoque beſtias Saturni ætate extendit Plato *in politico*, ſed hæc leuiora ſunt. Noë vir terræ dicitur Geneſ. *9. verſ.* 20. id eſt agricola, ſicut alibi vir ſanguinis dicitur homicida, vir pecoris opilio. *Gen.* 46.32. vir brachij pro robuſto. *Iob.* 22. 8. vir verborum, diſertus. *Exod.* 40. 20. vir labiorum, multiloquus. *Iob.* 11. 2. vir linguæ maledicus. *Pſ.* 140. 12. iſtud tamen Noëmi epithetum, vir terræ, ſumpsête Mythologi pro marito, quaſi terram, ſiue tellurem Deam duxiſſet in vxorem, ideoque tellus ſiue Rhea Saturni vxor habita fuit, & ſicut Noëmus, & agricola, & vinitor fuit, qui primus vineam potauit, idem omninò Saturno tribuerunt. Aureli. Victor *lib. de origine gentis Romanæ.* ait ipſum primùm docuiſſe agriculturam; & Plutarch. *in Rom. qq. q.* 42. ideóque illi falcem datam eſſe; vini autem vsum, & vitis cultum eundem docuiſſe Icarum teſtatur idem Plutarch. *in Parallel.* Macrobi. *lib. 1. Saturn. cap.* 6. Serui. *in* 8. *Æneid.* & alij. Noë vino inebriatus, Saturnus ebrietati præeſt, vt ipſe apud Lucian. fatetur, & in Saturnalibus Romani ſeruorum miniſteria obibant, quod Babylone quoque factum prodit Athenæ. ex Beroſo. Ita enim maledictionem Noëmi in Chamum, cuius poſteri ſeruituri erant, in rem ludicram conuerterant. Chamum execratus eſt Noëmus, quod verenda Patris nudati proteruè conſpexiſſet, quò referas legem à Saturno latam, ne quis Deos nudos impunè contemplaretur, qua ratione in hymnis Callymachi ſe excuſat Minerua, quod Tireſiam, qui eam ſe lauantem inſpexerat, obcœcaſſet, & eſſe eam legem à Krono. Quod verò propriùs ad rem noſtram facit, & ad inſtitutam de nauigationum origine diſputationem, Saturnus, & vxor eius Rhea, & qui cum illis fuerunt ex Oceano, & Thetide nati dicuntur, vbi vides Noëmum cum vxore, & filiis ex diluuij aquis velut ex matrice emergentem, ideóque nauim Saturno effingebant, quod illa aduectus eſſet in Latium, indéque factum, vt nummi ſignarentur naui, vt habet Ouidi. *lib. 1. faſtor.* quod à Iano inſtitutum fuiſſe docet Macrobi. Aureli. Victor. Plutarch. *in Romanis qq.* aliique, vbi vides expreſſam arcam, & nauim Noëticam: quanquam Aſſyrij dixerint, Saturnum prædixiſſe duntaxat Xiſuthro eorum Regi fabricandam illi eſſe arcam, in qua cum iumentis, volucribus, & reptilibus eſſet nauigandum, idque eum feciſſe, atque in Armeniam nauigaſſe, & deinde vbi remiſiſſet tempeſtas, aues emiſiſſe, vt probaret an aquæ diluuij receſſiſſent, quæ aliaque habet Polyhiſtor. apud Cyrill. *lib. 1. contra Iulian.* in quibus quis Noëmum non videat? Confuderint Aſſyrij aliquam inundationem Euphratis & Tigris in Babylonia regnante Xiſuthro cum diluuio Noëtico, ſicut & diluuium deinde Deucaleoneum in Theſſalia quidā alij, nam & Deucaleonem ex arca euaſiſſe, & ex ea columbam emiſiſſe tradit Plutarch. *in lib. vtrum animalia*, &c. cæterique Græci ſcriptores.

Denique Saturnus deuorauerat omnes ſuos li- 11
beros exceptis tribus, quibus orbem terrarum diuiſit, Ioue nimirum, Plutone, & Neptuno; Noëmus qui damnauit orbem terrarum *Hebræ.* 11. 7. tres duntaxat liberos, Chamum, Semum, & Iaphetum ſeruauit in arca; & Cham quidem, ſiue Ham in Africæ ſteriles arenas ablegatus, mihi per multa ſæcula nomine Iouis Ammonis cultus eſt; Iouem enim Ammonem Ægyptij ſua lingua dicebant, inquit Herodot. *in Euterpe* Ἀμμῶν. Et Plutarch. *in Iſide*, inde Hammonem dixere Græci: de hoc nomine pluribus agit Bochartus. *lib. 1. Phaleg. cap.* 1. illud non omittendum videtur Ierem. 46. *verſ.* 25. *Viſitabit Deus Amon de No.* Ezech. 30. 25. *Succidam Hamon No.* Nahum. 3. 8. *An tu melior No Amon.* Quibus locis vulgatus reddit tumultum Alexandriæ, Alexandriam populorum, alij verò multitudinem, turbam, populum. Alexandria quidem nondum fuerat ædificata, per prolepſim tamen profanis quoque ſcriptoribus vſitatam, vrbem tūc dictam *No Amon*, aut *Amon de No*, in qua fuit deinde Alexandria ædificata, Alexandriam quoque vocauit interpres: illi verò ſolemne eſt, vti obſeruauit Sancti. *in cap. 3. Nahum. verſ.* 8. in nominibus compoſitis alteram interdum partem latinè reddere, aliam verò in ſuo originali relinquere; ſic filius Iſaiæ qui dicebatur *Sear Iaſub.* Iſaiæ. 7. vocatur *derelictus Iaſub*, quia *Sear* derelictum ſonat. Cum eſſet igitur Ciuitas quæ *Amon No*, aut *de No*, aut *No Amon* diceretur voce compoſita: *Amon* tumultum, populum vertit, & *No* ſiue Alexandria, quæ eius loco ædificata fuit, retinuit, quaſi diceret populum *No*, vel Alexandriæ. Verius tamen eſt fuiſſe Amonis ciuitatem, cuius meminere iſti Prophetæ: eſto vulgatus ſignificationem Amonis ſuo more reddiderit, quod ſonat: ſanè LXX. in laudato Ezechiel. loco reddunt ἐν Διοσπόλει ἔσται ἔκρηγμα. In Dioſpoli erit ſciſſio in vrbe Iouis, Hamonis No. In Ægypto cultus Chamus Hamonis, qui ipſis Iupiter fuit nomine, & ab ipſo eodem Chamia, vel Chemia, vel terra Cham, quo poſtremo nomine vtitur Pſaltes. 78. 51. *Pſal.* 105. 25. 27. *Pſ.* 116. 22. Prius illud nomē Plutarch. in Iſide Ægyptium eſſe dicit à nigredine ductum, vt nigrum quod eſt in oculo τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ, quia eius ſolū nigrū eſt μελάγγειον. Sed ſanè Chemiā à Chamo potius nominatā apparet. Stephan. de Vrbib. Αἴγυπτος dicitur ἑρμοχύμιος, & in ea ſunt pagi vel vrbes ſimilis denominationis χέμμις, ψοχέμμις, ψιτάχεμμις, & alij denique copti, hodieque Ægyptum vocant Chemi, vt habet Kircherus *in Prodromo pag.* 293. In Chamia igitur ſiue Ægypto Cham, ſiue Ham, Ammonis Iouis nomine cultus fuit in Arabia, & in Africa claruit quoque hoc nomen non aliunde quàm ab Hamo, aut Chamo. In Arabia quidem fluuius Amon apud Plini. *lib. 6. cap.* 28. Ammonium promontorium, Ptolem. *lib. 6. cap.* 7. Ammonij populi, Plin. loco allato: In Africa frequens Ammonis vrbs ad Cyniphum fluuium, Ptolemæ. *lib. 4. cap.* 3. In Inſula Merote delubrum Ammonis, Plini. *lib. 6. cap.* 29. In Marmorica Ammonia vrbs, quæ vulgo Parætunium. Strabo. *lib.* 27. Ammonica regio in qua Ammonis oraculum toto orbe celeberrimum, Ptolem. *lib. 4. cap.* 5. quin & vniuerſa Ἀμμωνία ab Ammone dicta eſt teſte, Alexandro Polyhiſtore apud Stephan. de Vrbib. Quare Lucan. lib. 6.

Quamuis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis vnus ſit Iupiter Ammon.

Ex his igitur conſtare videtur, ex tribus Noëmi,

quem

quem Saturnum fuiſſe dixerunt, filiis Chamum eſſe Iouẽ & ex ipſius nomine Ham, factum Ægyptium Ἀμμᾶν, & Africum Ammon, vel Hammon, quæ nemo neſcit eſſe Iouis nomina. Deinde Ham feruidum à radice Hamam feruere, & incaleſcere ſignificat. Ζεὺς à feruore quoque ducit Ethymologicum. Cham minimus liberorum Noëmi. Geneſ. 9. 24. Iupiter quoque Saturni apud Callimach. in hymno; Chamo obtigit Africa, cuius maxima pars ſita eſt inter Tropicos, ſolemque, & reliquos Planetas ſupra verticem habet, ideóque dicitur Cœlo proxima. Lucan. *lib.* 9.

Terrarum primam Lybiem (nam proxima cælo eſt,
Vt probat ipſe calor) tetigit.

Iupiter Cœli dominus. Vnus Patrem Saturnum execuit, & Chamus eius verenda nudauit, quod Iouem admiſiſſe in Corcyra Phæacum Inſula fingunt; alluſerunt ad nomen Corcyræorum montium, in quibus ſubſtitit Arca, & Corcyræ regionis, in qua hæſiſſe aliquamdiu Noemum, ibique à Chamo deluſum fuiſſe, veriſimile eſt.

12 Atque hactenus de Ioue; Neptunum verò dixerunt Iaphet, quia ipſi obuenerunt ferè maria omnia cum Inſulis, & peninſulis, Inſulæ nimirum Britannia, Hibernia, Thule, Creta Scicilia, Sardinia, Corſica, Bareales, & reliquæ. Peninſulæ verò Hiſpania, Italia, Græcia, Aſia minor, Thaurica, Cherſoneſus, & Cimbrica, Scandia, & aliæ; atque ab hac ſortitione Neptunum dominum maris exiſtimatum fuiſſe tradit antiquiſſimus Hiſtoricus Euhemerus, qui hiſtoriam Iouis, & cæterorum ex titulis, & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, collegit apud Lactant. *lib.* 1. *de falſa Relig. cap.* 11.

Iaphet a dilatatione dicitur, ad illudque alludit Noe Geneſ. 9. 27. Nomen autem Neptuni fuit Ποσειδῶν, quod nomen Græcum non eſt, ſed Africum, vt teſtatur Herodotus *in Euterpe*, vbi ait Poſidonis Ποσειδῶνος nomen nullos vnquam vſurpaſſe, niſi Lybies, qui hunc Deum perpetuò coluere; eſt igitur Ποσειδῶν, ſiue Ποσειδὰν Punicum numen Peſitum, quod latum, & expanſum ſonat, radix eſt peſat dilatare, & expandere. Phurnutu Neptunus dicitur, lato pectore εὐρύστερνος ob maris latitudinem, ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης per lata dorſa maris. Dicitur quoque εὐρυκρείων, καὶ εὐρύοπα latè imperans, & latè ſonans.

Semus, cùm pietati conſtanter adhæſerit, & reliquis fuerit inuiſus vnà cum Noëmo, idcirco Deum quidem illum fecerunt, ſed vnà cum Saturno tenebroſa in tartara miſſum, & Plutonis, atque Ἅδου nomine donarunt: ſem, vel ſemania, vel ſamma vaſtitatem, & deſolationem ſignificat, quæ eſt etiam Ἅδης, vel Ἀΐδης. Quæ & alia dabit Bochart. *cap.* 1. *lib.* 1. *cap.* verò x. docet Chanaan fuiſſe Mercurium, Nimrodum verò Bacchum, & Magog Prometheum, vt ex familia Hami ſiue Iouis Apollinem Pythium.

13 Verùm vt eò redeamus vnde iam diu aberramus, quamuis fortaſſis neque iniucundè neque inutiliter habes primos nauigationis ortus, & auctores in Noëmo, eiuſque filiis, ac nepotibus, quos Græci Saturni, Neptuni, Promethei, Bacchi nominibus obſcurarunt, quibuſque vti nuper referebamus, nauticæ artis inuentionem tribuerunt: Verùm cùm ſenſim exculta ſit illa ars, ſicut & cæteræ, provt aliqui inſignes in ea fuêre, aut circa ipſam aliquid excogitarunt, & aliquæ gentes eam impenſiùs coluerunt, eiuſque ope famam ſibi quæſierunt; illius auctores celebrati ſunt, indeque nata eſt illa ſententiarum in aſſignanda prima origine diuerſitas, quarum tamen ſingulæ veri quidpiam continent, vti conſtabit.

Certum porò eſt, tres præcipuos eſſe fines excogitandæ, vſurpandæque nauigationis. Primus 14
quidem ad quærendas nouas ſedes, ducendaſque Colonias, quod iam oſtendimus in prima illa filiorum Noë ad varias terras inhabitandas diſſipatione. Neque enim in ſedes ſibi ſiue ſorte, ſiue partitione aſſignatas deferri, illaſque occupare potuerunt abſque aliquo nauigiorum vſu, quæ facilè ſibi concinnare potuerunt eo tempore, quo ſe profectioni præpararunt, artemque a Noëmo diſcere, quæ ipſis prorſus ignota non erat, cùm iam minoribus ratibus vſi fuiſſent, habebantque ea in regione, in qua vixerant hactenus, multam, & aptam materiam, neque indigebant illa exquiſitiſſima ſcientia, quæ hodie viget, cùm aut littora tantùm legerent, aut ſtellarum cognitione, vti ante pixidem magneticam inuentam fieri ſolebat, ducerentur: Neque ſanè crediderim in animo fuiſſe primis illis nautis totum circumluſtrare orbem, aut Occeanum, cùm fere diutiùs hæſerint in iis, quas primò occuparant, ſedibus; quidni & afflantem diuinam auram, atque ſingulari prouidentia puppes illas malè compactas licèt, ac materiatas, neque omnibus armamentis inſtructas regentem agnoſcamus.

Poſt eam verò in vniuerſum orbem hominum diſſipationem, quam magna ex parte nauigatione confectam eſſe conſtat, omnium deinceps, quarum aliqua extent monumenta, antiquiſſimæ, celeberrimæque nauigationes fuerunt Chananæorum, ſiue Phænicum, qui penè vniuerſum luſtrarunt Orbem ductis coloniis, & illuſtria ſui veſtigia monumentaque impreſſa reliquerunt. Dixi verò Chananæos, ſiue Phænices, hos enim inter ſe confundo, nam Chananæi expulſi ex natiua illa ſua regione, Phænices deinde nominati fuerunt, eóque nomine deinceps inclyti, & celebres euaſerunt, quod non difficile fuerit oſtendere.

Primò quia LXX. promiſcuè vſurpant Chananæorum, & Phænicum nomen, nam Geneſ. 46. *verſ.* 10. Saül filius Chananitidis dicitur, Χαναανίτιδος. Exod. verò 6. 15. ille idem Σαοὺλ ὁ ἐκ τῆς Φοινίσσης, licèt in vulgato, & Hebræo legatur Chananitidis. Exod. 16. *verſ.* 35. Hebraicè, Man comederunt donec venirent ad extremitatem terræ Chanaan. Vulgatus. *Hoc cibo aliti ſunt vſquequo tangerent fines terræ Chanaan.* LXX. τὸ μὰν ἔφαγον ἕως παρεγένοντο εἰς μέρος τῆς Φοινίκης. Iuſue *cap.* 5. *verſ.* 1. *Cuncti reges terræ* Chanaan. Vulgatus & Hebræ. LXX. πάντες οἱ βασιλεῖς τῆς Φοινίκης, & ibidem *verſ.* 12. Vulgatus & Hebræ. comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan. LXX. ἐκαρπίσαντο δὲ τὴν χώραν τῶν Φοινίκων. Iobi. 40. 25. Hebr. diuidunt illum Cananæi. Vulgatus. *Negotiatores*: agit de captu Leuiatan. LXX. μεριτεύονται αὐτὸν Φοινίκων γένη. Prouerb. *vlt.* 24. Σινδόνας ἐποίησε, καὶ ἀπέδοτο τοῖς Φοίνιξι, καὶ περιζώματα τοῖς Χαναναίοις. Quamuis non malè ſuſpicentur aliqui τοῖς Φοίνιξι ex margine in textum irrepſiſſe. Hinc vides, cur mulierem, quam Matthæus *cap.* 5. 22. Chananæam appellauerat, Marc. 7. 25. Syrophæniſſam dixerit, quia nempe Chananæa Phænicia Syriæ erat, & Chananæi, Phænices, atque è contrario. Neque placet quod Origenes *hom.* 6. *in Ioſue*, & Auguſtin. q. 83. *in Exodum*, terram Chananæam Φοινίκην, & χώραν τῶν Φοινίκων, dictam velint à palmis quibus conſita eſt, cum, vt ſtatim dicam, inde Phænicæ

nicæ gentis nomen minimè ducatur. Ratio itaque vera eſt, quia à Chananæis orti Phænices, cuius originis veſtigium aliquod obſeruare licet in Eupolemo. *lib. de Iudæorum Aſſyria*, quem allegat Polyhiſtor, & ex ipſo Euſeb. *lib. 9. de preparat.* Ait igitur Eupolemus ex Saturno ortum fuiſſe Belum, & Chanaan. Τέκνον δὲ Κενααν γεννᾶται τὸν πατέρα τῶν Φοινίκων. Et apud eundem Euſeb. *ibid. li. 1.* ex Philone Byblio Sanchoniatonis Phænicij ſcriptoris antiquiſſimi interprete, habetur quidam Chna, qui primus Phænicis nomine fuit inſignitus Χ Ν Α τὸν πρῶτον μετονομασθέντος Φοίνικος. Quis autem non videat Chna à Chanaan contractum fuiſſe. Apud Stephanum Byſantium. *lib. de Vrbib.* Phænicia vocatur Chna, & Phænices Chnai; quæ omnia confirmari etiam poſſent ex eo quod plurima tribuerunt Mercurio, quæ Chanaano gentis Chananæorum, & Phænicum authori, ipſique genti conueniunt, vt non dubites Chananum Mercurij nomine indigitatum fuiſſe, eundemque Phænicum parentem. Nam Mercurium Iouis filium faciunt. Fuit verò Chanaan Hami filius, vt nuper oſtendebamus Hamonis, aut Ammonis Iouis filius. Mercibus præſuit Mercurius, Chanaan vero Mercatorem Hebraicè ſonat, qua laude floruiſſe Phænices conſtabit ſtatim. Mercurius ſeruilibus miniſteriis addictum ſe fuiſſe queritur apud Lucian, ideóque a Pœnis *Sumer*, Miniſter, ab Etruſcis Camillus dictus eſt, quæ fuit Chami, ac poſterorum eius maxime Chanaan maledictio vt fratribus ſuis ſeruirent. Præficitur viis Mercurius, quia orti ab eo Chananæi, Phæniceſque primi auſi ſunt in remotiſſimas terras nauigare; alæ eius ſunt vela nauium, furacitas ipſius commendat Phænicum in commerciis vafritiem. Eloquentiæ præeſt, quia, vt ait citatus Sanchoniaton, inuenit τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφήν. Phænicos autem literas in Græciam inuexiſſe notum eſt; qua ſimili de cauſa cùm Phænices ſyderum inſpectione, & Aſtronomiæ peritia ſuas nauigationes dirigerent, vt ait Strabo. *lib. 16.* Mercurium Aſtronomiæ inuentorem dixêre, qua de cauſa commendatur à Manilio. Denique Mercuriũ laſciuiæ Miniſtrum amorumque paratium faciunt, & illi mel & lac libabant, quia Chanaan vnà cum Chamo Patris Noëmi verenda inſpexerat, & regionem lacte, & melle manantem ſortitus fuerat.

Vides itaque Mercurio, & Phænicibus plurima tribui, quæ Chanaano gentis auctori propria maximè ſunt. Fauent noſtræ opinioni de Chananæis Phænicibus, qui iſtos fuiſſe rubri maris accolas dicunt, indeque terræ motu vexatos Aſſyrium ſtagnum primò, deinde maris mediterranei littus incoluiſſe, & a puniceo colore rubri maris fuiſſe denominatos. Ita Herodot. *in Clio.* Iuſtin. *lib. 18.* Diodor. *lib. 16.* Strabo. *lib. 1.* ſumpſerunt illi nomine Phænicum Iudæos omnes, qui in Chananinde, vnde Phænices, habitarunt, qui ex Ægypto progreſſi mare rubrum tranſierant, & in Chananitidem ſe contulerant: ex qua egreſſi Phænices nouas ſibi ſedes, vti ſtatim dicam, quæſierunt. Herodotum autem nomine Phænicum cenſere Iudæos ſapienter colligit Ioſeph. *libro 8. Antiq. cap. 4. & lib. 1. contra Apion.* quod ſcribat in Euterpe *cap. 104.* in Palæſtina circumcidi quoſdam Phænicum, ſolos tamen Iudæos inibi circumciſos fuiſſe conſtat. Apparet autem laudatos auctores ex fama tantùm tranſmiſſi maris rubri à Iudæis Chananæam occupantibus, ex qua Phænices prodierant, totam illam ſuam narrationem

de origine, & nomine Phænicum finxiſſe, cùm conſtet mare rubrum non ita nominatum fuiſſe à colore puniceo, ſed ab Erythra Rege, qui Hebræis eſt Edom, cuius poſteri fuere Idumæi, ſiue Erythræi, non verò Phænices. His accedit Phœnicij, & Chananæi idiomatis affinitas, aut identitas potiùs, quod vt oſtendatur, ſupponendum in primis eſt, Hebræum, & Chananæum ſermonem eundem fuiſſe, quamuis fortaſſis in quibuſdam dialecto differrent. Id totum oſtendit Bochartus *2. p. ſacra Geograp. lib. 2. c. 1.* In primis quia loca Chananitidis nominibus Hebraicis etiam antequam ad illa migrarent Hebræi ex Ægypto, donabantur; neque ea illi recenter impoſuerunt, cùm hoc ſingulare obſeruet in Rubenitis Moſes *Num. 32. 38.* vt oppidis à ſe inſtauratis noua impoſuerint nomina: quæ ſingularis obſeruatio inutilis omninò foret, ſi idem à reliquis Tribubus in locis ſibi aſſignatis, & à ſe occaptis factitatum eſſet.

Secundo conſtat ex ſcriptura cæteras gentes Hebræis circumfuſas fuiſſe ἑτερογλώσσους, atque interprete eguiſſe; quare Ægyptij *Pſal. 113.* vocantur populus Barbarus. Ioſeph. Geneſ. 42. 23. Ægyptium ſe ſimulans agit cum fratribus per interpretem, ipſique liberius inter ſe colloquuntur exiſtimantes ſuos ſermones non capi. Iſaiæ. 36. 11. ſerui Ezechiæ rogant Rapſacem, vt Syro ſermone loquatur; ne a Iudæis adſtantibus capiatur. Babylonij dicũtur peregrino ſermone loqui. Iſaiæ 28. 11. & linguam Iudæis ignotam. Ierem. 5. 15. Iudæos quoque ex matribus Ammonitis, Moabitis, vel Azotiis natos ſermonem Hebræum corrupiſſe queritur Nehemias *cap. 13. 23.* Denique Ioſeph *Antiq. lib. 5. cap. 8.* Amalecitas, Madianitas, & Arabes a Iudæis τῇ γλώσσῃ διαφωνεῖν ſcribit. At verò non modò quidpiam eiuſmodi de Chananæis & Iudæis, non legimus. Immò verò Rahab Hiericunthina mulier cum Hebræis exploratoribus ſine interprete loquitur, & agit tanquam cum hominibus eiuſdem omninò ſermonis. Atqui Phænicius, & Hebræus ſermo non differunt, niſi quapiam aliquãdo dialecto; igitur ſermo Phænicius idem fuerit cum Chanæo, qui merus Hebræus erat. Ex qua identitate ſermonis natiui colligi quoque identitatem originis, nemo negabit opinor: conſenſionem verò Phœnicij, & Hebræi idiomatis probat reliquo illo libro Bochart. & Punica, atque Phænicia vocabula, quæ apud antiquos ſcriptores leguntur, comparanti manifeſtum fiet. Hanc præterea vtriuſque linguæ Punicæ, & Hebrææ cognationem agnouit Auguſtin. *in quæſtionib. in Iudices. cap. 16. & lib. 2. contra litteras Petilian. cap. 104. & tract. 15. in Ioann. & ſerm. 35. de verbis Domini. & libro 1. locution.* vt mirum ſit, eum alibi dicere, ſe non noſſe linguam Hebræam, quam tamen cùm Pænus eſſet, ignorare vix poterat, ſi tanta inter ipſas affinitas foret; id tamen habet. *libro 11. Confeſſ. cap. 5. & Epiſt. 119.* & *131.* fortaſſis quia alij tunc erant characteres, & quia propter dialectos videbatur magna diuerſitas illi, qui Hebraicis non vacauerat, quod nondum fecerat Auguſtin. Sanè Hieronymus, qui in vtraque lingua verſatiſſimus erat, ipſarum ſimilitudinem agnouit, *libro quinto in Ierem. capitulo 25. in Iſai. libro tertio, capitulo 7. & quæſtionibus in Geneſim.* At verò *Præfat. in libr. 2. ad Galat.* ait Afros Phænicum linguam aliqua ex parte mutaſſe.

Vltimò denique hæc Phœnicum à Chana-

næis origo demonſtratur ea ipſis Phænicum hiſtoricis, in his antiſſimus fui Sanchoniathon & ipſe Phœnix, qui gentis ſuæ hiſtoriam Patrio ſermone ſcripſit φιλαλήθως verè, & ſyncere, inquit Euſeb. *libro primo & decimo de præparat.* Theodoretus ex Porphyrio eius nomen interpretatur φιλαλήθιον amicum veritatis, nam Sanchoneatho, Hebræis eſt lea, zelus eius, & San decurtatum ex Sanna, idem fuit Phœnicibus quod Arabibus Sunna, lex, doctrina, ius, ideoque eadem Phœnicia vrbs modò dicitur Kiriat-ſepher, vrbs litterarum, modo Kiriat b-ſanna, vrbs doctrinæ, ſiue legis. Chaldæus reddit *Kiriath-arche*, vrbem Archiuorum, Græci πόλιν γραμμάτων. Apud Athenæum *libro tertio* dicitur Sumæthon, ſed mendosè. Eius hiſtoriam octo libris, vt ait Porphyr. *libro ſecundo περὶ ἀποχῆς*, aut vt Euſeb. nouem comprehenſam Philo Byblius ex Phœnicio ſermone Græcam fecit. Fuit, vt ait idem Philo, φιλομαθὴς, καὶ πολυπράγμων, & maximè curioſus ſcire, ea quibus principiis omnia conſtarent. Plurimùm profecerat ex Taauti Τααύτου libris, quos maxima cura πολυφροντιστικῶς euoluerat, quia ſciebat Taautum eorum omnium, qui ſub ſole erant, primum litterarum vſum reperiſſe, ideóque ipſo ſtatim initio fatetur, quæ de rerum creatione ſcripturus eſſet, legiſſe ſe ἐν τῇ κοσμογονίᾳ Τααύτου. Fuit porrò Taautus idem qui Græcis Hermes, cuius librorum indicem habet Clem. Alexandr. *libro ſexto Stromat.* idcirco Suidas ait Sanchoniathonem ſcripſiſſe περὶ τῆς Ἑρμοῦ φυσιολογίας, & Αἰγυπτιακὴν θεολογίαν. Suam verò Phænicum hiſtoriam deſumpſit, inquit Porphyrius, ea vrbium ſingularum commentariis, & templorum monumentis. Habuit & commentaria ab Ierombale Sacerdote Dei Iao Ἰαώ. Sic enim nomen Dei Ἀνεκφώνητον perpetuò efferunt. Gnoſtici apud Irenæ. *libro* 1. *capitulo* 34. inter Dei nomina recenſent Iao, & apud Epiphan. *Hær.* 26. Phibionitæ. Hoc idem nomen leges apud Hieronym. in *Pſal.* 8. & Theodoret. *quæſtione* 15. *in Exod.* Hic porrò Dei Iao Sacerdos Ierombalus, cuius commentaria habuit Sanchoniathon, non alius eſſe videtur, quàm Gedeon, qui Ierubaal, ſiue Ierobaal dictus eſt *Iudic.* 7. 1. *& capitulo* 8. 35. quod nomen à patre ipſius impoſitum fuit. *Iudic.* 6. *verſiculo* 32. dixerat enim Ioas Pater Gedeonis: *Vlciſcatur ſe de eo Baal, qui ſuffodit aram eius*: id eſt, ſi Baal Deus eſt, interimat ſacrilegum aræ ſuæ euerſorem, & ita ſuam iniuriam vlciſcatur, & contra Gedeonem contendat. Inde vulgò factum eſt illi nomen Ierubaal. Nugatur verò Georgius Syncellus, dum ait, Ierobaalem fuiſſe fratrem Gedeonis, cùm ſit ipſemet Gedeon, quod pridem animaduertit Scaliger *in Euſeb.* & Serrar. *in cap.* 6. *Iudic. quæſt.* 1. dicitur etiam 2. *Reg.* 11. *verſiculo* 2. idem Ierubeſeth, aut Ierubeſcher eadem ſignificatione qua Ierubaal, inquit citatus Serrar. niſi quod Baal per contemptum nominatur Beſcher, confuſio, pudor, & idem oſtendit ſimilia nomina dari Diis à ſcriptura. Eſt igitur Ierobaal Gedeon, & ille ipſe Ierombalus Dei Iao Sacerdos, ea cuius commentariia Sanchoniathon profeciſſe ſe dicit: Illum appellat Sacerdotem, licet enim eſſet ea Tribu Manaſſes, non Leuitica, cùm tamen ipſe feciſſet Ephod, & aram Baalis deſtruxiſſet, & ſacrificium obtuliſſet, potuit homo Ethnicus ipſum ſuſpicari fuiſſe Sacerdotem: quinimmò Gedeon, & Sanchoniathon potuêre eſſe σύγχρονοι, cùm enim Euſebius dicat fuiſſe antiquiſſimum, & priorem Troianis temporibus, idemque affirmet Porphyrius, & ad Moſis ætatem prope acceſſiſſe, quod ex Phænicum Regum ſucceſſionibus probat, neque benè contrarium ſenſit Scaliger, vti oſtendit Bochart. *lib.* 2. *partis* 2. *Geographiæ ſacræ, cap.* 17. potuit facilè coætaneus, aut ſuppar eſſe Gedeonis, qui Madianitarum iugum excuſſit ferè 83. annis ante Troiæ excidium, & obiit circa Priami Regis initia; Moſes verò annis 183. præceſſerat; quarè dicebat Porphyr. propiùs à Moſis ætate abfuiſſe Sanchoniathonem. Cur verò hic Phænicarum rerum ſcriptor Gedeonis commentariis in ſua conſcribenda hiſtoria vſum ſe dicit, ſi Chananæi, quorum Rempubl. aliquamdiu Gedeon adminiſtrauit, nihil ad Phænices pertinebant: ſanè cùm eadem eſſet vtraque illa gens, non poterat Sanchoniathon vetuſtiores Phœnicum res perſcribere, niſi ſimul Chananææ gentis, à qua ipſi prodierant, commentarios reſciret. Sed vt clariùs conſtet hæc Phænicum Chananæorumque cognatio, percurrere lubet pauca Sanchoniathonis hiſtorici fragmenta, quæ apud Euſebium referuntur, atque apud Porphyrium, in iis aliqua leguntur de nominibus Dei Saddai, Cabir, Elion, El, Elohim, quæ Hebræa eſſe quis neget? de Dagone, Belo, Aſtarte, Berith, & aliis Diis in Phœnice cultis, de fundatione vrbium, inuentione artium, de China, id eſt, Chanaan Phænicum parte, de Circumciſione, & ſacrificio Abrahæ, quem Saturnum Κρόνον vocat, Porphyrius Iſraëlem, Vxorem eius nomine Hebraico Anobret, id eſt, quæ concepit ex gratia. Quæ & alia interpretatur Bochart. *cap.* 2. *lib. citati.* In quibus videas Moſis hiſtoriam, ſed fabulis nonnullis corruptam, quæ tamen omnia, vt & hactenus adducta ſufficiunt ad probandum, quod ſuſceperamus, Phænices Chananæorum ſobolem fuiſſe, qui deſerta Patria in alias oras nauigarint. 15

Vbi enim à Ioſue deuicta fuit Chananitis, eiuſque incolæ ſuis pulſi ſedibus, cùm vix ora maritima genti populoſiſſimæ relicta eſſet, pars maxima mari ſe commiſerunt alias quæſituri ſedes, quod ipſis non fuit operoſum exequi, cùm abundarent omnibus ad nauigationem neceſſariis, aperto mari, portubus commodis, plurimâ ea libano materie fabricandis nauibus aptiſſima, numeroſa denique, & audaci iuuentute, atque non exigua iam nauigandi peritia, quam ſibi vſu compararant, & deinceps mirum in modū auxerunt. Cœperunt igitur mare mediterraneum percurrere, atque in multis Aſiæ, Europæ, & Africæ locis ſedes ponere. Procopius in Vandalicis narrat in Africa Tingitana repetiri columnas erectas cum Phænicia inſcriptione hoc ſenſu ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ. Nos ij ſumus, qui fugerunt à facie Ioſue latronis filij Nauæ. Euſeb. *in Chronico* agens de Chananæis ait eos fugiſſe à facie filiorum Iſraëlis, & Africæ Tripolim habitaſſe; & præterea ſub Ioſue, & Othoniele vixiſſe Cadmum, & Phœnicem, vel fratres, vel filios Agenoris Regis Phœniciæ; & Cadmum quidem primùm in Bœotia, & deinde in Illyrico fixiſſe ſedem; Phœnicem verò in Tracia, & Bithynia: Ex illa verò Cadmi, & Phænicis

gente

gente plurimos populos arceſſunt Mythologi, qui variis in regionibus imperarunt, quos hoc loco perccenſere non vacat: immo ſi Euſebij verba attentiùs expendamus, etiam ante occupatam à Ioſue ſuam regionem, Phœnices in alias excurriſſe, & colonias duxiſſe, vti iam ſignificaueram, licebit abſque temeritate affimare. Nam in *Cronico numero* 442. ait. Herculem ſuperaſſe Antæum in Lybia, nimirum extrema circa Zilin, & Tingin, vbi regnabat Antæus, atqui *numero* 498. ait, Herculem cognomento Diodam, Hieronymus verò reddit Deſanaum, in Phœnice clarum fuiſſe; qui ille ipſe videtur à quo Antæum ſuperatum eſſe dixit. Eo igitur tempore Africa frequentari cœperat à Phœnicibus. Ariſtoteles in libro mirabilium narrat Phænices condidiſſe Vticam annis 287. ante conditam Carthaginem. Appianus autem ait conditam Carthaginem 50. annis ante Troiam exciſam, & apud Euſebium Troiæ excidium refertur ad numerum 835. Vticæ igitur conditio præceſſit excidium Troianum 337. annis, & incidit in annum 498. numeri Euſebiani, qui præcisè annus eſt quo è Phœnicia Herculem celebrem euaſiſſe notauerat idem Euſebius; quare ſuſpicatur Bochart. *in præfat. 2. part. ſacræ Geographiæ*, illo ipſo anno Vticam fuiſſe conditam ab Hercule iam ſene, in illis ipſis terris, in quibus Antæum deuicerat, atque ea ratione Imperium Phænicum in Africa ſtabilitum fuiſſe, quod magnum Herculi nomen apud eos populos peperit, qui in antris, aut mapalibus viuere aſſueti ad nouæ vrbis fundamenta obſtupuerunt. His omnibus de antiquis Phœnicum nauigationibus addo, apud ipſos indigitatos fuiſſe, qui primi ſe pelago committere auſi ſunt, in quibus fuêre Saturnus & Aſtarte, quos Sanchoniaton deſcribit orbem circum luſtrantes. Hercules quoque Antæo in Africa deuicto Gadibus obiiſſe creditur, vt videatur hoc vnicum genti ſtudium innatum fuiſſe, in omnes orbis partes vela facere, & Colonias deducere. Omnium tamen celeberrima fuit illa nauigatio, quam non tantum vel gloriæ cupiditas, vel Imperij amplificandi ſtudium, vel inanis rerum nouarum curioſitas, aut lucri immenſa auiditas ſuaſeront, ſed ipſa neceſſitas inuitis extorſit, cùm patrio ſolo pulſi, & ab inuictiſſimo Ioſue, ad vnum penè deleti, gentis, vt ita dicam, reliquias aliò transferre inuiti coacti ſunt, aliudque ſolum, & patriam ſibi quærere, ac denique vniuerſa gente vel deleta, vel longiùs migrante, natiuam regionem nouis hoſpitibus, & victoribus vacuam deſerere. Vnde factum opinor, vt mutatis antiquis ſedibus, nomen quoque Chanæorum mutarint, quòd illos puderit eo nomine extorres, & patriis ſedibus pulſos vagari, atque victorum gloriam, ſuamque ignominiam circumferre, & timerent ne Iſraëlitæ victricia ſua arma aliò quoque deferrent, eoſque quamdiu id nomen retinerent, tanquam hoſtes vbiuis locorum perſequerentur, & affligerent. Itaque pro Chananæis Syri, Aſſyrij, Sidonij, Phœnices, vel Syrophænices dici maluerunt: quamuis enim Syrorum nomen circumfuſis gentibus commune fuerit, Phænicum tamen aliquando proprium fuiſſe videtur, vtpore deriuatum à Tyro Phæniciæ Metropoli, eam Hebræi Sor, vel Sur nominant, & eius incolas Sorim, vel Surim, qui ſunt ipſimet Ἔυροι; ſi verò huic nomini præfigas articulum, vt *Paralip.* 22. 4. *Nehem.* 13. 16. fiet Haſſorim, vel Haſſurim, id eſt, Aſſyrij, eo enim nomine deſignari Phœnicas indicat Macrob. *libro* 1. *Saturn. capitulo* 2. cum ait, apud Aſſyrieos, ſiue Phænicas lugens inducitur Dea. Virgil. *lib.* 2. *Georg.*

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.

Vbi agit de purpura Tyria. Nonn. in deſcriptione Beroës. *libro* 40. *Dionyſiac.* vocat Ἀσσύριον λίβανον. Hi verò Aſſyrij plurimùm diſtant ab Aſſyriis trans Euphratem, & Tigrim, ab Aſſure prognatis; & Hebræa quoque vox aliter ſcribitur, Tyrij enim Haſſorim ſcribuntur per Hets, & Tſade. At verò alij per Aleph, & Samech, ideóque perperam à Græcis duo illi populi tanta locorum intercapedine diſſiti in vnum conflantur. Quia verò Sidon cum Tyro de primatu contendebat, nam & Tyro antiquior, & Poëtis notior fuit; ſicut à Tyro, quæ Sur eſt Hebræis, Phænices, & Chananæi iſti profugi dicti ſunt Ἔυροι; ita & à Sidone Sidonij, quare Heſych. Σιδώνιοι interpretatur Φοίνικας, & LXX. *Deut.* 3. 9. Phœnicas pro Sidoniis reddunt, & pro Sidone Phœnicem. Iſai. 23. 2. Ex quibus intelliges Iacobi vaticinium. Geneſ. 49. 13. *Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium, pertingens vſque ad Sidonem.* Certum tamen eſt Zabulonios Carmelum non ſuperaſſe, qui diſtat minimùm quadraginta millibus à Sidone vrbe: itaque Sidonem ſumit Iacob non pro vrbe, ſed pro regione Phœnicia, quam Zabulonij attigêre. Maior eſt difficultas de Phænicum nomine, quod & communius fuit & notius, quodque perpetuò deſerta Chananitide retinuerunt, aliqui enim ducunt ἀπὸ τῶν φοινίκων à Palmis quibus abundabat Phœnicia, alij à colore rubri maris, ex quo ad Syriæ littora primi nauigaront, alij à purpuræ, cuius ferax Tyrus, colore, alij παρὰ τὸ φόνος, à cædibus quibus dediti erant; aut quia in Chananitide cædibus penè omnes deleti ſunt: quæ nomenclaturæ, & pluribus vitiis ſingulæ, & illo communi omnes laborant, quod à Græcis vocibus deriuantur; neque veroſimile eſt vniuerſam gentem, quæ vixdum Græciam attigerat, ab illa ſuum nomen accepiſſe; quare alij hanc vocem Hebræam eſſe volunt, & à Pinchas, vel Panex deriuant, nullo authore, & ratione ducti, quod oſtendit Bochartus *ſecunda part. ſacræ Geograph. libro primo, capitulo* 1. cuius in tanta rerum obſcuritate coniecturæ non diſplicent, Hebræam eſſe vocem, ſed à Græcis ſic effictam, vt apud ipſos nata videatur, quod in pleriſque aliis vrbium, fluminum, & locorum nominibus præſtiterunt, & ex Hebræis vocibus appellarunt: ſic ex Moph fecêre Memphim, ex Borza Byrſam, ex Pibeſeth Bubaſtum, ex Raphnes Daphnidem, ex Giblys Biblios, ex Philiſtæis Allophylos, ex Horais Heroum vrbem, ex Az Moabitarum Azeopolim, ex torrente Iabox Iobacctum, ex torrentibus Kedron, & Kiſun, torrentes τῶν κίδρων, & τῶν κισσῶν, Cedrorum, & Picarum, ex Diu-ſocotora, Inſula Socotora Inſulam Dioſcoridis. Infinita alia proferre licet exempla. Phœnices igitur relicto Chanæorum inuiſo, infauſtoque nomine dici voluerunt, Phene-anax, filij Anax, ſiue Anacæi.

Neque obiicias, dicendum eſſe Bene-anak. Nam Græci Beth Hebræum paſſim molliunt per φ. Sic Ioſeph. *libro.1. antiq. cap.5. & lib.8. cap.2.* dixit Sophené pro Soba parte Syriæ: ſic ex Hebræorum beer dicũt Græci φρέαρ, & φαλαίνας balænæ ex Syro Baale-nun, piſcium domini. Apud Heſychium ἄρφω pro Hebræo, Araba, arrhabo. Alia dabit Bochartus loco citato. Illud obſerua ex Athenæo à Syris dici πισάκια, à Nicandro φιστάκια, à Poſſidonio βιστάκια. Ex Bene-anak igitur, vel contracto Beanak, Græci primùm fecêre Pheanax, & deinde more ſuo Phoenicem: dici autem voluiſſe filios Anacæorum Phœnices, colliges ex Plauto *in Penulo. Act.5. ſcena.2.* Vbi Carthago vocatur Chadre-Anak, ſedes Anacæorum; illa autem à Phœnicibus condita fuit. Anacæorum autem familia nobiliſſima fuit in Chananitide, cuius Princeps fuerat Arba; ab hac igitur principe familia nomen ſortitos fuiſſe Phœnices, vbi ſolum patrium deſeruerunt illud nunquam repetituri, non longius abeſſe videtur à vero. Vides itaque Phœnicum nauigationes ad deducendas Colonias, omnium antiquiſſimas fuiſſe, quandoquidem illæ Græcorum, aliorumve, quorum extant monumenta, multò fuêre poſteriores; nam Argonautarum in Colchidem expeditio poſterior eſt pluſquam trecentis annis Phænicij Herculis pugna, qui Antæum deuicit. Deinde ipſi Græci fatentur Phineum apud quem Argonautæ ſunt diuerſati, regnaſſe in Bithynia ſeptimum à Phœnice; Phœnix autem, & Cadmus vix Hercule Antæi victore iuniores ſunt, qui primi e Græcia in Cyprum nauigarunt, ab eius rege ſimul, & Phœniciæ Cynira excepti ſunt. Eſt autem Κινύρα cythara, à voce Hebræa Cinor, vel Cinoz; ex Myra filia genuit Adonin Veneris Amaſium: Myra Hebraicè Mor Adonis, Adoni; in illam igitur Inſulam Phœnices ante Græcos, & Troiana tempora nauigarant, nam à Cynira thorace donatus [eſt] Agamemnon apud Homer. Iliad. λ. & alios reges Cypri regnantes Phœnicas fuiſſe, & nomina ex Hebræo deducta habuiſſe fuſiùs proſequitur Bochart. *lib.1. citato. cap.3.* Thucydides ait Phænices omnem Siciliam occupatis extremis ad mare partibus, & adiacentibus Inſulis tenuiſſe, cùm primùm illam Græci inuaſerunt. Idem de Sardinia dicendum eſt, nam licet Theſpienſis, & Iolaus ex Attica terra in eam ante Troiana tempora appulerint, Pauſanias ait primos in eam Inſulam tranſmigraſſe Lybies, hoc eſt, Pœnos, ſiue Phœnices. Iam verò ipſius Libyæ ne ſitum quidem nouerant Græci ante Battum, qui Cyrenem condidit nongentis fermè annis poſt Herculem primum Phœnicium, de quo nuper: conſule Herodotum, qui rem geſtam narrat in Melpomene, ſimulque docet vſque ad ea tempora terram illam incognitam fuiſſe Græciæ, ait enim Theræos Delphicum Apollinem conſuluiſſe, iuſſoſque fuiſſe à Pythia vrbem in Libya condere, cum neque ſcirent, vbinam terrarum Libya, neque Coloniam in incertum mittere auderent, poſt ſeptennium tandem nactos eſſe in Creta Corobium Purpurarium, quem venti in Libyam inuitum impulerant, à quo docti, & ducti ſunt: quo ſimili caſu Amij quidam dum in Ægyptum nauigant tempeſtate abrepti vltra Columnas Herculis Tarteſſum appulerunt, deducente eos numine, inquit ibid. Herodotus θείῃ πομπῇ χρεώμενοι: eàque occaſione Oceanus adhuc illis incognitus, patere cœpit, ita tamen vt eius tantùm littus legerint, nam exiſtimabant vltra columnas illas Oceanum inacceſſum prorſus eſſe, & nihil præter chaos, & tenebras occurrere, ſolem præter Gades occumbentem videri Centuplo maiorem, in Oceani abyſſum maximo fragore demergi, eodemque momento noctem denſiſſimam fieri, demerſo nimirum, & extincto ſole; quas nugas habent Pindarus, atque etiam Poſſidonius, & Artemidorus apud Strabonem, refertque Cleomedes. *libro ſecundo* ex Epicuro. Herodot. *libro ſecundo & quarto.* negat vllum eſſe Oceanum, & falli Geographos, qui terram ab illo ambiri ineptè affirment; idemque fatetur alibi, ſe nihil de externis Europæ partibus compertum habere, atque ignorare, quibus ex locis electrum, & ſtannum deferatur, itaque neque Germaniam, neque Britanniam nouerat. Ariſtoteles illis poſterior ſuſpicabatur Indiæ cohærere loca quæ ſunt circa Columnas Herculis συνάπτειν τὰ περὶ τὰς Ἡρακλείους στήλας τόπον τῷ περὶ τὴν Ἰνδικήν. Lycophron. Auroræ cubilia collocat in Inſula Cerne, quæ eſt ad occaſum Africæ. Neque magis innotuerat Græcis ortus, quàm occaſus; nam mare Perſicum, & Rubrum clauſa illis fuêre vſque ad Alexandri tempora. Itaque Æſchilus in Prometheo, Colchidem appellat γῆς ἔσχατον πέδον, terrarum vltimum tractum. Neque Plato in Phædone terminos Orbis latiùs extendit, quàm à Phaſide ad Columnas Herculis. Alexandri milites voluerunt Caucaſum eſſe Paropamiſum in Indiæ finibus, apud Arrian. *lib.5.* & Diodor. *lib.17.* ipſemet Alexander teſte eodem Arrian. *lib.6.* ſcripſit ad Olympiadem matrem, ſe in India Nili fontes reperiſſe, cum enim in Indo amne Crocodilos vidiſſet, & fabas circa ripas Ægyptiis ſimiles, exiſtimauit Indum in Ægyptum ferri, eundemque eſſe cum Nilo. Ex eadem ignorantia commentum de Nyſa vrbe Indiæ Baccho ſacra natum eſt, cum tamen Nyſa ſit Arabiæ mons, qua parte Ægyptum reſpicit. Sic enim cecinerat Homerus in hymno Bacchi, Nyſam eſſe montem Ægypto propiorem, & à Phœnice magis remotum. Et ſanè Mons Nyſa, vel Nyſſa Arabiæ mons eſt prope Ægyptum, in quo erat exarata inſcriptio a Moſe: *Iehoua niſſi*, Deus vexillum meum. Vnde Phœnices Deum Nyſæum, Græci Διόνυσον fecerunt, & quia illum montem pro Arabico quidam Indicum dixerant, Alexandri milites illum ſe in India reperiſſe exiſtimarunt. Vides itaque Græcos ante Alexandrum ignoraſſe remotiores Aſiæ partes, & neque in occaſum, neque in ortum longiùs excurriſſe, cum iam pluribus ſæculis Phœnices vtrumque luſtraſſent, atque in remotioribus locis colonias haberent, & pleriſque locis nomina indidiſſent, quæ omnia fuſiſſimè demonſtrantur à Bocharto *toto libro* 1. *ſecunda partis ſacra Geographia.* vbi de ſingulis eorum Coloniis diſputat, & in Oceanum Occidentalem, atque Septentionalem nauigaſſe oſtendit, quod & de Orientali certum facit, immò ab illis Græcos, litteras, & alia permulta inſtituta accepiſſe, quæ omnia perſequi noſtri inſtituti non eſt. Obſeruo duntaxat reiiciendos eſſe eos qui Phœnices in nouum orbem, & Americam nauigaſſe volunt, vtrumque enim falſum eſt, neque de pixide magnetica vllus id cogitauit præter Fullerum. *libro quarto Miſcell. capitulo* 19. nulla prorſus ratione nixum, quo-

modo

modo enim tam multis ſæculis latuiſſet illa ars, cuius beneficio Pœnices tam immenſa maris ſpatia nauigaſſent, & quæ paſſim omnibus ea ætate communis erat? An non aliquod eius veſtigium in veterum monumentis extaret? Quod enim de Plauti verſoria afferunt, aliò pertinet, vti explicat eruditè Turnebus. *lib. 10. cap. 4. Aduerſarior.* eſt enim ſinus quo vertitur velum, vt ex ipſa lectione Plauti facile conſtabit. Vide Pinedam in *Salomone præu. 6*, & Ioſeph. à Coſta, *de natura noui orbis. lib. 1. cap. 17.* Alterum verò de luſtrata à Phœnicibus America, probant aliqui ex amœniſſima Inſula in mari Atlantico, plurimùm à Lybia diſtante, quam Carthaginenſes ſæpius adirent, quod tradit Ariſtoteles, ſiue quis alius author libri de mirabilibus; & Diodor. *lib. 5.* eam porrò Inſulam eſſe aut Braſiliam, aut partem noui orbis, quam littoribus nondum benè cognitis exiſtimauerint eſſe Inſulam. Magna tamen ſupereſt difficultas, qua ratione in illa diſperſione gentium poſt diluuium, aut deinceps nauigatum primùm fuerit in nouum orbem, ad illum incolendum, vnde animalia eò diuerterint; neque enim ex nihilo creata eſſe dices, poſtquam vniuerſali diluuio perierant. Hanc quæſtionem verſat pluribus Ioſeph à Coſta *toto lib. 1. citato*, & tandem concludit homines vi tempeſtatis eò delatos videri, aut quod probabilius exiſtimat, terreſtri itinere eò perueniſſe, eò quod vel cohæreat aliqua ſui parte antiquo orbi, vel non multum diſſideat, cuius rei coniecturas non leues affert.

16 Atque hactenus de primario fine inſtitutarum longiorum nauigationum, ad nouas quærendas ſedes, & colonias deducendas. Alter finis, qui non multùm ab iſto diſtat, fuit prorogandi Imperij, & bell. gerendi occaſio, quod ipſum oſtendunt Phænicum nauigationes, non enim collocarunt familias niſi in illis locis, quæ ſibi ſubiecerant armis, quibuſque imperabant: quare ſuis victoriis æquè atque nauigiis totum fere orbem luſtraſſe dicendi. Vnde factum vt ſuum illis ſermonem communicarent, & locis nomina inderent, quod accuratè oſtendit in ſingulis illorum coloniis Bochartus laudatus. Romani ante primum bellum Punicum, non ſolùm nullam armatam nauim habebant, ſed neque paulò longiorem, nec lembum vllum, cùm Appius Claudius, qui Caudex à caudicibus, quibus naues compinguntur, cognominatus eſt, primùm Meſſanam copias traducere tentaret; ideóque Tarentinorum, Neapolitanorum, & Locrenſium nauibus vſus exercitum in Sciciliam tranſportauit, Romanis omni nauigiorum genere exarmatis. Erant verò tunc temporis circa fretum Sciciliæ plurima Carthaginenſium nauigia, ex iis vna quinqueremis, cùm longiùs à cæteris vagaretur, ad manus Romanorum venit: Ad eius ſpeciem quinqueremes ædificatæ, dum claſſis paratur multitudo omnis ad remigium exercebatur ad hunc modum. Subſelliis in arena per ordinem diſpoſitis, remiges inſidentes ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes protendere brachia, ac reducere, remoſque per arenam mouere pariter docebantur: ad illius vocem ſimul omnes incipiebant, ſimul deſinebant. Per hunc modum nauigandi artem edocti, perfectis nauibus mare ingreſſi, poſt paucos dies circa Italiam nauigantes, verum in vndis periculum fecêre. Romani igitur non niſi belli gerendi causâ nauigandi artem primùm didicêre. Quot verò præſtia maritima tam ipſi, tum aliæ nobiliores gentes confecerint, magna cura, & diligenti ſtudio collegit Moriſotius. *libro 1. orbis maritimi.* Neque alia ad hoc nauigationis commodum demonſtrandum, quantumque ad imperium tutandum valeat, afferre vacat.

Tertius itaque, iſque non exiguus nauigationis 17
inſtituendæ finis eſt negotiatio, & commercia cum exteris gentibus, aut Prouinciis, vt ex illis exportare quæ nobis non ſuppetunt, & quibus carent, importare liceat: ideóque Salomon *Sapient. cap. 14. verſ. 2. Illud enim* (nimirum lignum, ſiue nauem) *cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex ſapientia fabricauit ſua*: ὄρεξις πορισμῶν, lucrorum cupiditas, aut victus quæritandi. Quare vetuſtus Poeta Furius apud Agell. *lib. 18. cap. 11.*

Sicut fulca leuis volitat ſuper æquora claſſis,
Spiritus eurorum virides cum purpurat vndas,
Quò magis in patriis poſſint opuleſcere campis.

Propert. *lib. 3. de Peti naufragio.*

Ergo ſollicita tu cauſa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.

Quare nautam auidum vocat Seneca *in Med. Act. 2. in Chor.*

—— Cum iam totos.
Auidus nimium nauita flatus
Optat.

Hoc ipſum docent Phœnices, quos nauigationi cupiditate commerciorum incubuiſſe certum eſt. Itaque Lucianus *in Toxari*, ait nullos eſſe ditiores mercatores ὁσιωτέρους ἐμπόρους, cum non tantùm in Pontum, & Boſphorum nauigent, ſed Græcum, & Barbarum mare quaqua verſum percurrant: πανταχοῦ τῆς ἑλληνικῆς, καὶ βαρβαρικῆς θαλάττης: & omne littus perſcrutati extremo tandem Autumno in patriam redeant. Auguſtin. *lib. 2. de adulter. coniug. capit. vlt.* id mirum in modum auget. *Syra quarum mariti negotiandi quæſtibus occupati iuuenes adoleſcentulas deſerunt, & vix aliquando ſenes ad aniculas reuertuntur.* Hieron. *in capit. 27. Ezech. Vſque hodie permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate diſcurrunt.* Fuitque illa commerciorum, & negotiationis auiditas in Phænicibus antequam Chananitide pellerentur, & deinceps in Chananæis, qui ſuperfuerunt, in ipſiſque multò magis Phænicibus perſeuerauit; quare paſſim in ſcripturis Chananæi pro mercatoribus vſurpantur: ideóque à Dauidis, & Salomonis temporibus, plus ſexcentis annis ante Alexandrum cæperunt per Mare Rubrum Aſiæ littora luſtrare, & Indiam vſque commercij causâ nauigare, deductis Ælana Coloniis, quod Arabici ſinus emporium eſt, & ad Tyrum, & Aradum Perſici ſinus Inſulas Phæniciis cognomines; indéque in extrema Aſiæ penetrarunt ad Orientalem Occeanum, & Mare Pacificum, cuius naturam à Phænicibus abſque dubio didicêre Græci, qui vti nuper monebamus, nondum eò penetrauerant. Hinc Homerus de ſole Oriente, ex Occeano Pacifico.

Ἐξ ἀκαλαρρείταο βαθυρρόου Ὠκεανοῖο
Qui placidè fluis Occeani de gurgite vaſto.

Mare enim Pacificum Aſiam alluit ab ortu, ab eius verò leuitate vocatur Occeanus ἀκαλαρρείτης. Et Heſych. Ἀκαλαρρείταο ἀκυμάντου, πράως ῥέοντος.

58 Illuſtre quoque commerciorum maritimorum exemplum habemus in claſſe, quam Salomon, inita cum Hiramo Tyriorum Rege, ac proinde Phœnice ſocietate, ſingulis trienous mittebat in Ophiram. Inſtruebatur illa in Ælanis, & Aſiongabere, ſingulis, vt crediderim, annis, & tertio demum anno redibat, aduehebat ebur, aurum, lapides pretioſos, ligna Thyina, Almugim, vel Algumin, ſimias, pauones. *lib.* 3. *Reg. cap.* 9. *verſ.* 26. & *cap.* 10. *verſ.* 11. *lib.* 2. *Paralipom. capit.* 8. *verſ.* 17. & *cap.* 10. *verſ.* 10. de qua nauigatione plurima quæruntur; præcipua difficultas eſt in aſſignanda regione iſta Ophiræa. Vide Gaſparem Varrerium Luſitanum *diſſertatione de hac re.* Pinedam in præuio Salomone. Ioſeph. à Coſta. *lib.* 2. *de natura noui Orbis. cap.* 13. & 14. Samuelem Bochartum. *lib.* 1. 2. *partis ſacræ Geographiæ. cap.* 46. & alios. Quidam volunt eſſe Peruuium, non ſolliciti, quod inibi nullum reperitur aurum. Alij Regnum Pegu in Oriente. Quidam auream Cherſoneſum, hodie Malacam. Alij Cephala, vel Sophala in Africa. Sic Chaldæus in Ophir profectorum vocat nauem Africanam. Et Origen. *Iob.* 22. 24. refert ex quorundam interpretum mente Sophir, ſiue Ophir eſſe Africam. Alij eſſe Taprobanam Inſulam, quam nonnulli dicunt eſſe Sumatram, quidam verò Zeilam. Alij Hiſpaniolam, & denique Tarteſum in Hiſpania. Quarum omnium ſententiarum rationes, & argumenta leges apud allatos Authores. Dicendum eſt duplicem eſſe terram Ophir; vnam in Arabia, alteram in India. Ophir autem lingua Arabica dicitur Auphar. Eſt autem Arabibus, vti oſtendit Bochartus. *lib.* 1. *Phaleg. cap.* 27. Vvaphura, abundare. Vvaphr, vel Vvaphura, copia, opulentia. Vuaphir, diues, abundans; inde factum vt locus auro affluens dicatur Arabibus Auphar, nempe opulentiſſimus, vberrimus: in fœminino Vphre. Itaque ardh vvphre eſt terra ditiſſima: & Gezirath vvphre, Inſula ditiſſima. Eupolemus apud Euſebium. *lib.* 9. *de præparat.* ait Dauidem naues fabricaſſe ἐν Αἰλάνοις, ſic enim legendum eſt, non Ἀχάνοις, vrbe Arabiæ, & miſiſſe metallicos in Inſulam Vrphe, καὶ πέμψαι μεταλλέυτας εἰς τὴν Οὐρφῆ νῆσον. Sic enim lego, non Οὐρφῆ: in Mari Rubro ſitam metallis auri fœcundam; & inde Metallicos aurum in Iudæam deuexiſſe; Dauidi tribuit Eupolemus, quod Salomoni ſcriptura. Eſt itaque Ophir in Arabia prope Sabæos, in Caſſanitis Ptolemæi, & Stephani, quos Diodorus, Gaſſandes, Agetharcides, Caſſandres vocat, à Verbo *Chaſan*, quod eſt poſſidere, recondere; inde *Choſen*, theſaurus. Arabes dicunt *chazan*, vnde *gaza*, & *macazan*, in plurali *machazin*, & noſtrum Magazin locus in quo reconduntur opes. Quæ omnia probat Bochart. *cap.* 27. *citato.* Sicut igitur locus dicebatur Ophir, vel Auphar ab opulentia, ita Incolæ vocati ſunt Caſſanitæ, vel Gaſſandæ, à chaſan, à gaza, & theſauris, quos poſſidebant, & recondebant. Erat verò tanta auri copia, vt teſte Diodoro, & Agatharcide reperiretur in latis, & naturalibus terræ cuniculis ἐν τοῖς πλαταῖσι τῆς χώρας ὑπονόμοις, & ἐν τοῖς φυσικοῖς ὑπονόμοις τῆς γῆς, quaſi terra ſponte dehiſcens aurum retegeret metallariis effodientibus, qui proinde illud mira facilitate eruerent, colligerentue. Erat verò illud adeò probum, & purum, vt nulla purgatione, & defæcatione per coctionem egeret; vnde Agatharcides dixit nominatum à Græcis ἄπυρον. Artemidor. apud Strabonem explicat auri glebas multa purgatione non egentis βωλάρια χρυσοῦ καθάρσεως ὀ πολλῆς δεομένου. Iſaiæ 13. 12. pro auro paz, Græci habent ἄπυρον. Quod ibidem Baſilius interpretatur τὸ μηδεμίαν ἀμφιβολίαν ὕλης ἀλλοτρίας ἔχον, nullam alienæ materiæ ambiguitatem habens, καὶ ἀμιγὲς χαλκοῦ ἢ τινὸς ἄλλου ἐπιπλοκῆς, ab omni æris, & alieni metalli mixtione purum; Theodoretus aurum, quod etiam ſine igne purum apparet, eſtque ἄπεφθον, quod plures nominant ὄβρυζον, quod ſcilicet tam purum eruitur, vt nulla coctione expurgari indigeat. Quare ἄπυρον, & ἄπεφθον idem ſunt. Aliud verò ὄβρυζον, vel ὄβριζον, quod nempe ſæpius deſpumauit, & excoctum eſt. Nam βρίζειν, βρύειν, ὀβρίζειν dicitur de illis, quæ ſpumam efferueſcendo eiciunt; quare obruſſa Latinis eſt experimentum auri quod igne ſumitur, quod notauit Salmaſ. in Solinum. Et male aliqui exiſtimant aurum obryzum dici pro ophirizo. In *Pſal* 45. 10. pro auro ophir, Chaldæus habet obryzum, quod eſt ex Ophir. *Iſai.* 13. 12. Hebræi, ophir, Vulgatus obrizum, quia nempe aurum ophir optimum, & purum erat æquè atque aurum obryzum, quod iam coctione deſpumauit, & purgatum eſt. In hac itaque Ophira Arabica puriſſimum erat aurum, quod vix coctione egeret, & tanta copia, vt fatiſcentibus ſponte ſua cuniculis nullo labore erueretur, ſed colligerentur glebæ, quarum minimæ nucleum æquabant maximæ nucis Baſilicæ, ex Diodoro; Strabo, & Agatharcides medias Meſpillo comparauerunt. Caſſanitæ verò tam diuitis ſoli incolæ, cùm ferè ad armillas, & torques illo vterentur, illud cum vicinis, populis Minæis, Hebanitis, & Sabæis, ære, & ferro, tanquam magis ad vſum neceſſariis permutabant, non modò pari pondere, vti ait Diodor. immò æri triplum, & ferro duplum auri rependebant, ſi Agatharcidi credimus: Erant enim Caſſanitæ ita omnium rerum rudes, & imperiti, vt ſoli ſui diuitiis, & fertilitate, quæ maxima erat, contenti, culturam agrorum negligerent; ſola piſcatione victitantes, vti deſcribunt Diodor. Agatharcides, & Strabo. Et ſanè cùm aurum tractare neſcirent, vile omninò illud habuere. Inde factum, vt ipſi vicini, & confines populi, auri quod ab illis capiebant, copia plurimùm abundarent, nam apud illos nullæ leguntur fuiſſe auri fodinæ, & tamen aurum Sebæum, vel Sabæum frequens eſt in ſcriptura. *Pſal.* 72. 15. *Iſai.* 60. 6. *Ezechiel.* 27. 22. *lib.* 3. *Reg.* 10. 2. Dicitur & aurum, ophir. *Iob.* 22. 24. ea enim ætate vix credibile eſt Indicam Ophir vſque adeo diſſitam cognitam fuiſſe. Dauid. *lib.* 1. *Paralip. cap.* 29. 4. mille talenta auri Ophir obtulit, cùm nondum inſtituta fuiſſet nauigatio in remotiorem illam Ophiram, quam primus deinde Salomon ope Hirami Tyriorum Regis inſtituit; niſi dicas vocari illis locis aurum ophir per Prolepſin, quod de Iobo quis credat. Nomine igitur *ophir* ſignificatur aliqua regio Iudææ vicinior, quæ alia commodior aſſignari nequit, quam in vicina Arabia, non longe à littore Maris Rubri. Et cùm Ophir fuerit è ſtirpe Iectan, & reliqui eius, filij, ſiue fratres Ophir in ea Arabiæ parte conſederint, non debemus Ophir ipſum aliò longius ablegare: neque aurum ophir alibi quàm in ea Ophira, in qua iā præſtans, tanta facilitate, tāque vili pretio colligebatur, quærere. Alibi quidem in Arabia repertum quoque fuit aurum, nam Plini. lib... c. 16. deſcribit ex Iuba littus Hammæum in ſinu Perſico, vbi eſſent auri metalla. Meminêre quoque Diodorus, Agatharcides, & Strabo fluuij, qui ψῆγμα χρυσοῦ καταφέρει, qui ramenta

menta auri deferens per Debas flueret, indeque dicti Debæ, quia Deheb Arabice eſt aurum. Verùm nullibi in tota Arabia tanta copia lectum, aut effoſſum eſt aurum, quam in Ophir apud Caſſanitas.

Altera fuit Ophira multò remotior, ad quam Salomonis naues nauigabant, quæ ſanè diuerſa longè fuit ab Arabica, quæ vicinior erat, quàm vt ad eam adeundam triennium eſſet conſumendum. Deinde neque ebur, neque alia quæ à Claſſe Salomonica deferebantur, poterant ex Arabia adduci. Indica igitur fuit, atque in id conſentiunt ferè omnes, quamuis in aſſignanda illi ſede plurimum diſſentiant, vti iam monui. Propenderem ego in opinionem Bocharti, qui locis allatis Tapobronam Indiam aſſignat, quam eamdem eſſe cum Inſula Seilan fuſiſſimè oſtendit *cap. vlt. lib. 1. 2. partis ſacra Geograph.* immò & nomen ipſum Tapobronum, Hebræum, & Phœnicum eſſe, quamuis aliqua inflexione variatum, oſtendit. Sed iam diu aberrauimus; neque ad oſtendenda commercia maritima, ſiue viam nauigationum ad commercia, plura placet adducere, cùm & commerciorum Tyriorum, & Sidoniorum meminerit ſæpius ſcriptura, & Vrbium illarum immenſas diuitias nauigationibus partas ſignificet; & claſſes frumentariæ, atque annonariæ Romanorum, & recentium Luſitanorum, Hiſpanorum, aliarumque omnium ferè gentium ſuſceptam nauigationem, rem adeò compertam, & manifeſtam quotidie confirment, potuiſſemuſque nulla iactura longiori iſta digreſſione abſtinere, niſi placuiſſet faſtidioſum Lectorem in amæniore regione diuerticulo recreare.

ARTICVLVS IV.

De nauibus, & rei nauticæ Adminiſtratoribus.

Nauis quid. num. 1.
Eius partes. Ibid.
Exercitoris munus. 2.
Magiſter nauis. 3.
Turba nautarum, & remigum. 4.
Nauiculariorum corpus. 5.

NOn licet nobis eſſe tam otioſis, vt longam de nauibus, earum materia, forma, extructione, aliiſque eiuſmodi diſputationē inſtituere velimus, atque ſingula nautarum, aliorumque qui rei nauticæ ſeruiunt, miniſteria ſingillatius percenſere; ſed pauca quædam, quod doctrinæ methodus, & conſequentes quæſtiones poſtulant, leuiter attingere. Qui plura volet, adeat Giraldum *commentario de Naugiis.* Snellium *de Typhi Batauico.* Morizotum *lib. 2. orbis maritimi à c. 45.* Muretum. *lib. 1. variar. cap. 12.* Baiſium *de re nauali.* Vegeti. *lib. 4. cap. 44. & 46.* Iulium Polluc. *lib. 1.* Polydor. Virgil. *lib. 3. de inuentione rerum. cap. 14.*
1 *&* 15. Prometheus ſcitè apud Æſchylum naues vocat Marinagos cum lineis alis nautarum currus, quos ſe primùm reperiſſe ait θαλασσίπλαγκτα λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα. Sanè mirabile fuit inuentum eiuſmodi curruum volatilium, quibus inuium mare ſulcatur, cuius proinde Authores tanquam Deos indigitarunt antiqui, neque vni duntaxat totam inuentionem tribuerunt, ſed vni vnam partem, alteri alteram, vnus vnam nauim excogitauit, alter aliam alterius formæ, atque alij alias partes adiecerunt prout experientia quidpiam addendum eſſe ſuaſit, tanquam aut neceſſarium, aut vtile: indéque factum opinor, vt vt tam multi primi nauium inuentores, adeóque diuerſi ferantur diuerſis in regionibus; ſicut & inſtrumenta fabricandæ naui neceſſaria, nimirum, Aſcia, Serra, Perpendiculum, Circinus, Clauus, Rota, & cætera eiuſmodi, quæ ſingula ſuos dicuntur habere Authores, vti videbis apud laudatos Scriptores, quanquam antiquiora multò ſint ea inſtrumenta, cùm fabricandæ arcæ neceſſaria Noémo fuerint. Quoad nauis partes eæ etiam gloriantur ſingularibus, celeberrimiſque inuentoribus. Nam Iſidi vela tribuit Theodoricus Rex ad Abundantium reſcribēs apud Caſſiodor. *lib. 5. Variar. Ep. 17. Nunc prædictis rebus armamenta procura, vela præcipuè, alas nauium facientia, linū volatile, quida ſpiritus currentium carinarum, prænuntia merorum, auxilia quieta nautarum, quorum beneficio conficiunt otioſi, quod à celerrimis ambus vix probatur impleri. Hæc Iſis rati prima ſuſpendit, cum per maria Apoorem filium ſuum audacī fœmina pietate perquireret: ita dum materna charitas officium ſuum feſtinat implere, mundi viſa eſt ignota reſerare.* Dædalo tamen alij vela referunt accepta, roſtra Piſæo, anchoram Tyrrenis, antennas & malum Dædalo, harpagonas Anachaiſi, adminicula gubernaculi Typhi, aliiſque alia.

Exemplum duxiſſe dicunt à Piſce nautico, cuius concham nauis perfectæ formam referre contendunt. Diuerſas nauis partes ſingillatim enumerat, & explicat Monzotus, ſicut & formas nauium tum veterum, tum recentiorum, adhibitis etiam figuris; de materia quoque, & tempore quo cædenda eſt, diſputat: quæ omnia noſtri inſtituti non ſunt, ideóque illis minimè immorandum videtur, ſicut neque in inſtruendo gubernatore nauis, vt & vento cognoſcat, & tempeſtates præſagiat, & altitudinē mariū, curſum, ac fluxum eius, promontoria, ac ſyrtes, fluxum atque refluxum, ſiue æſtum reciprocum, & eiuſmodi, quæ ad ſcientiam nauticam pertineot; nos enim hoc loco non agimus de nauibus, ac nautis, niſi quatenus conuehendis mercibus vſui ſunt, & commerciis maritimis celebrandis, quarum leges ſtatim adiiciemus. Quare neque omnia quæ ſpectant adminiſtetia nautarum, ſiue eorum, qui nauigationi præſunt, vel miniſtrant, diligentiùs proſequemur, niſi quatenus legibus nauticis intelligendis commoda eſſe poſſunt; quæ enim tum florente Republica, tum ſub Imperatoribus ad Conſtantinum vſque, & ab illo ad Carolum in Occidente, atque Oriente, ac demum ab eius ætate ad noſtra vſque tempora conſtituta, nouataque ſæpiùs ſunt circa naualia, ſtationes, claſſes, Præfectos, Duumuiros, Comites, qui rei nauticæ, claſſibus, portubus, aliiſque præerant, diligenter collegit Morizotus ſuo opere de Orbe maritimo, & præcipuè quæ noſtrorum Admiralliorum iura reſpiciunt, ex Argent. Bernard. Gerard. *de ſtatu, & ſucceſſione rerum Gall.* Chopin. *li. 1. de domanio,* cōgreſſit in c. 9. lib. 2. quæ curioſus Lector adibit, nos enim hoc loco non ſcribimus tractatum de re maritima, ſed de conuehendis mari mercibus, diſputamus.

Ad commercia igitur quæ conſideramus hoc 2
loco tres duntaxat perſonæ attendendæ ſunt: Exer-

citor nimirum, Magiſter nauis, & Seruus ἀρμενοκλίτης. Exercitor is eſt, ad quem quæſtus omnis, qui in exercenda naui fit, pertinet, ſiue is ſit dominus nauis, ſiue à domino nauem per auerſionem, id eſt vniuersè recepto in ſe omni lucro, & periculo conduxerit, vel ad tempus, vel in perpetuum, *l. 1. §. exercitores. D. de exercitor. action.* & *§. 2. Inſtitut. quod cum eo qui.* Neque refert, an qui exercet maſculus ſit, aut mulier, paterfamilias, aut filiusfamilias, an ſeruus, aut liber: ſi tamen pupillus nauem exercet, exigitur tutoris auctoritas, quia in eius perſona nihil aliud præter quæſtum ex nauis exercitio attenditur, quare cuicunque illa obueniat, dicetur exercitor. Et reuerà nauim ille per magiſtrum, quem proponit, exercet, quæ etiam vox lucrum facere ſignificat, atque alia quamplurima pro nominibus ipſi adiunctis; quod enim dicimus, exercere nauem hoc loco, alibi dicitur argentariam exercere, & exercitoras argentariæ menſæ *l. 4. D. de edendo.* Exercere pecunias, *l. 35. D. de hered. inſtit.* Exercere fœnus. *l. 49. D. de adminiſt. tutor.* Exercere vectigalia, *l. 6. §. decurio. D. de decurionib. l. fin. D. de vi publica.* Et Cicero in Maniliana. *Quo tandem animo exiſtimatis aut eos, qui vobis vectigalia penſitant, aut exercent, atque exigunt.* Exercere cauponam, tabernam, ſtabulum, frequens eſt in iure, *l. 5. in fin. de obligat. & action. l. 1. §. caupones. D. de naut. caup. ſtabul.* Exercere feras, id eſt, agitare, *l. 26. §. 1. D. de vſufructu.* Exercere poſſeſſiones, *l. 12. D. de inſtruct. & inſtrum. legat.* Varro. *lib. 2. de re ruſtica*, fundum videlicet colere, & cætera eiuſmodi exercere dicimur, vt figlinas arenarias, argenti fodinas, piſtrinum, item, prouentionem, actionem, quæſtionem. Qui igitur lucrum ex naui, quam exercendam ſuſcipit, ſibi quærit, exercitor nauis dicitur, ſicut cauponæ, tabernæ, menſæ argentariæ, & aliarum eiuſmodi rerum: aliis tamen nominibus aliquando exercitor iſte appellator, v. g. nauta, in Edicto. Nautæ. Caupon. Stabul. Nauicularius. *l. 1. §. 2. D. de exercitor. action. l. 25. D de mun. & honor. l. 13. §. 1. & 2. D. locati.* Naucierus, *l. 1. l. 2. & l. 3. C. de nauic.* Nauarchus, *l. vn. de bon. poſſeſſ. ex teſtamen. milit.*

3 Magiſter nauis eſt, qui ab exercitore naui exercendæ præponitur, hoc eſt, nauigationi adminiſtrandæ, naui educendæ, adpellendæ, ſubducendæ, ſed præſertim inſtruendæ, armandæ, picandæ, reficiendæ, mercedibus nautarũ, ac remigum perſoluendis, naulis & vecturis exigendis, *l. 1. §. 1.* & *§. non autem. D. de exercitoria actione, l. 1. §. 1. D. naut. caupon.* Cæſar *lib. 2. de bello ciuili cap. xli. Magiſtris imperat nauium, vt primo veſperi ſcaphas ad littus appulſas habeant.* Interdum etiam mercibus vendendis, aut emendis præponebatur *l. 1. §. 1. D. de exercitor. action.* eratque veluti inſtitor ipſius exercitoris. Græcis dicebatur πρόνοος τοῦ πλοίου. In Synopſ. Baſilic. *lib. 53. tit. 1. cap. 16.* Harmenop. *lib. 2. §. 7. & lib. 6. tit. 3. §. 15.* Ad magiſtrum quoque pertinet omnium mercium naui impoſitarum cura, & ratio, ideóque ex indice, & inuentario ſuſcipit, ne qua fraus fiat, & ſi aduerſus illum agatur aliquid ſubductum eſſe, inde fides fiat. Vocantur hi indices, *Lettres de charte partie, de cargaiſon, & de connoiſſement*: conficiunturque tria exemplaria, vnum in naui: alterum apud acta Iuriſdictionis Almiraliæ, quæ in portu, vnde ſoluitur, exiſtit, deponitur: tertium mittitur ad mercatores, qui de ſuis mercibus euehendis fidem magiſtri ſequuti ſunt. Hi porrò magiſtri erant ſerui exercitorum ipſorum, vt toto titulo de exercitoria actione paſſim habetur, & *§. 2. Inſtitut. quod cum eo qui.* Quoniam tamen interdum accidebat, vt liberorum hominum operis vterentur, ideircò Prætor edictum ſcripſit non modò ad ſeruos, aut filiosfamilias, verumetiam ad liberos homines accommodatum, Vlpian. *l. item quæritur 13. §. 2. D. locati.* Erat & Promagiſter, ille nimirum quem Magiſter ſui magiſterij vicarium præfecit, id enim poterat ſiue conſentiente, ſiue ignorante ipſo exercitore, niſi id fieri prohibuiſſet, *l. 2. §. magiſtrum. D. de exercitor. action.* Nauem porrò accipere debemus ſiue marinam, ſiue fluuiatilem, ſiue in aliquo ſtagno nauiget, ſiue ſchedia ſit, inquit Vlpian. *l. 1. citat. §. 6.* Schedia porrò Feſto eſt genus nauigij inconditum, trabibus tantùm inter ſe connexis factum, vnde mala poëmata ſchedia appellantur.

Præter exercitorem, & magiſtrum nauis, reliqua turba nautarum, & remigum non pertinet ad noſtram hanc conſiderationem de commerciis maritimis, & vecturis mercium. Vnus tantùm eſt ſeruus ἀρμενοκλίτης, qui vt pecuniam traiectitiam, atque merces comitaretur, & vna nauigaret, dabatur exercitori, vel magiſtro nauis à fœneratore pecuniæ traiectitiæ, vel ab eo, cuius merces traiiciebatur. Pro cuius etiam operis certam ſummam cum magiſtro nauis ſtipulabatur. De eo diximus *opere de vſuris. lib. 2. cap. 4. art. 3. n. 11.* neque quidpiam addendum occurrit. 4

Erat verò in vrbe, nauiculariorum corpus, vt conſtat *ex l. 1. §. 1. D. quod cuiuſque vniuerſitatis, l. 5. §. licet, & §. vltim. D. de iure immunit.* & *l. 1. C. de hered.* Ex his aliqui annonæ vrbis ſeruiebant, alij lignis ad lauacra, alij aliis neceſſitatibus publicis. De lignariis *in l. 10. C. Theodoſ. eod. tit.* & Symmach. *epiſt. 1. Nauicularios lignorum obnoxios functioni.* Fuit & in prouinciis ſimile corpus, quod indicat Zonaras in Nicephoro ἐπὶ Ἰουστίνου. Illi habebant immunitatem cæterorum munerum, & illi duntaxat functioni nauiculariæ obnoxij erant, tam ipſi, quàm eorum prædia. Annonam verò vrbis tranſuehentes nec detineri vlla ratione, nec exactionem vllam pati poſſunt, vt conſtituitur *l. 1. C. de nauiculariis*, &c. quæ huic facinori indicit mulctam decem librarum. Eodem ſpectat *l. 1. C. de litor. & iuner. cuſto.* & *l. 5. & 17. C. Theodoſ. de nauicularijs.* Erant prætereà prædia, & fundi quidam nauiculariorum obnoxij nauiculariæ functioni, de quibus habetur *tit. C. de prædiis, & omnib. reb. nauicular.* Nauicularij autem iuris fundum, aut domum emens non fit quidẽ ideircò nauicularius, ſed canonẽ nauiculariũ pro modo fundi tenetur agnoſcere; quare onus illi fundo impoſitũ ſequitur emptorem, neque ea emptio ſine eo onere fieri poteſt. Idque vſque adeò verum eſt, vt etiam in Principe emente locum habeat, qui tunc vtitur iure priuati. Qui tamen emit domos eiuſdem conditionis tantum præſtat Canonis Nauarchici nomine, quantum illæ ſolebant locari venditionis tempore. Sic enim illa verba legis *2. C. citat. Cùm pecuniæ notarentur*, explicat Cuiac. Non habebitur itaque ratio temporis poſteà ſequuti, quò fortè pluris locari, & æſtimari cœperunt, neque iuri, quo emens nauiculariæ functionis fundum, eius onus in ſe ſuſcipiebat, poterat vllis pactis, aut conditionibus in venditione appoſitis derogari; putà quod venditor, non emptor functionem nauicularium agnoſceret; ſi tamen emptor ſoluendo Canoni non eſſet, onus illud nauicularium ad venditorem recurrebat, ſiue ita inter ſe conueniſſent, ſiue non conueniſſent. 5

ARTICV

ARTICVLVS V.

Leges Nauticæ.

Duplex lex Nautica, Romana, & Rhodia. num. 1.
Origo Rhodia. num. 2.
Iura maritima. n. 3.

1 ALiæ Romæ fuerunt, aliæ Rhodiæ, vt teſtatur Antonin. *l. 9. D. de l. Rhodia*; ait enim ex præſcripto Auguſti deceſſoris ſui omnia nautica iudicanda, & definienda eſſe ex lege Rhodia, vbi tamen illis leges Romanæ minimè aduerſantur. Oſtendit igitur aliquas fuiſſe Romanas leges de rebus nauticis, quæ etiam nonnunquam Rhodiis aduerſarentur. Quare non video cur aliqui leges omnes, & conſtitutiones Imperatoris de rebus nauticis aliquid definientes allegent tanquā Rhodias; vbi itaque nulla ipſarum mentio fit, nos eas vt Romanas duntaxat afferemus, quas verò tanquam Rhodias citatas comperiemus, eodem quoque nomine adducemus; quæ enim fuerint leges Rhodiæ, non conſtat niſi per quædam fragmenta, capitum ſuperſcriptiones, & edicta aliquot Tiberij, Adriani, Antonini, Pertinacis, & Septimij Seueri Auguſtorum, quæ in Iure Ciuili ſparſim allegantur. Voluſius quidem Metianus librum de l. Rhodia ſcripſerat, ex eoque deſumpta eſt *l. 9. D. ad l. Rhodiam.* Verùm nuſquam extat liber ille, neque vllum aliud eius fragmentum præter legem illam nonam adductam, qua reſponſum Antonini continetur, quod fuſiùs explicuimus *opere de vſuris, lib. 2. cap. 4. n. 3.* Primus quidem Tiberius eas omnes leges Rhodias in vnum corpus collegit, tradidítque Antonino Clariſſimo Conſuli, ille Lauro, & Agrippino Conſulibus, iſte Veſpaſiano. Inde Trajanus vnà cum Senatu eas edicto ſanciuit, quem ſequuti deinceps ſunt cæteri Imperatores. Earum denique indicem collegerunt diligenter aliqui, immò & ipſas leges ex bibliothêca Pythoei primus edidit Antonius Auguſtin. & deinde adiecit Marquardus Freberus ad calcem Iuris Græcoromani; vnde quoque Morizotus. *lib. 1. orbis maritimi. cap. 30.* deſcripſit. Pleraque tamen illa capita, quæ circumferuntur, ſuſpecta, immò & adulterina ſibi videri dixit Hotmann. *in D. ad l. Rhod.* Quare niſi à probatis Auctoribus relata reperiantur, non magni facienda erunt. Cicero *lib. 2. de Inuent.* vnum profert, vt ſi qua roſtrata in portu nauis deprehenſa ſit, publicetur. Habet & iſtud Strabo. *lib.* 14. vt qui naualium arcana quædam inſpexerit, morte mulctetur. Omnium nauticarum legum Rhodias vetuſtiſſimas eſſe teſtatur Harmenopul. *lib. 2. tit. 23.* Strabo *lib. 4.* de Rhodo, Imperium maris diu obtinuit, & pyratas ſuſtulit ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον, καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλεν. Quare *lib.* 14. omnibus maritimis vrbibus præfert, & laudat in maritimis legibus εὐνομίαν, καὶ ἐπιμέλειαν. Cum Maſſilienſibus, & Cyzicenis comparat. Claram dixit Horatius, quòd ſoli expoſita, & nunquam tam nubilo cælo obducatur, vt aliqua diei hora ſolem lucentem non videat, vt teſtatur Plin. *lib. 2. cap. 62.* Fuit quoque nobilis Rhodus ob ſtudia, & celebres Profeſſores litterarum, in quibus fuit Apollonius clariſſimus dicendi Magiſter, cuius Auditores Iulius Cæſar, & Cicero fuêre, teſte Plutarcho, & Suetonio. Nulla tamen res eam adeò commendauit, quam naualis diſciplina, & gloria, qua factum eſt vt cæteri omnes ab ipſa leges nauticas deſumerent. Vnde Tertullian. *lib. 3. aduerſus Marcion. cap. 6. Siquidem nauclero illi, non quidem Rhodia lex ſed Pontica cauerat, errare Iudæos in Chriſtum ſuum non licere.* Carpit Marcionem, qui nauclerus erat, illum non ex lege Rhodia nauali, quæ iam Romana erat, ſed ex Pontica, & Barbara, *vti lib.* 1. initio deſcripſit, agere. Cæterùm Rhodus vna fuit è Cycladibus, ipſarúmque caput, quare & eius nomine *Nou.* 41. Cyclades intelliguntur.

Ex quibus videas falli eos qui Rhodum volunt conditam, & nominatam ab vno è filiis Iauan, quem Vulgata, & textus Hebræus Dodanim quidem appellat. LXX. legunt ῥόδιοι. Nibilominus 1. *Paralipom. cap. 1. v. 7.* habent Δωδανιμ. Suſpicantur aliqui priſcam lectionem fuiſſe Rhodanim: verùm quidquid ſit de ea lectione, quamuis eam admitteremus, inde tamen non eſſe ductum Rhodi nomen, facile fuerit oſtendere cum Samuele Bocharto *in Phaleg. lib. 5. cap. 6.* in primis quia Rhodi nomen Moſe recentius multò eſt, & primum vocata eſt Ophiuſa, Aſteria, Æthræa, Trinacria, Corymbia, Pœeſſa, Aabyria ab Rege, deinde Macris, & Oloeſſa, inquit Plin. *lib. 5. cap. 31.* Quæ eadem habent Strabo. *lib. 4.* Stephan. Euſtathius, Ophiuſa, nempe a multitudine ſerpentum, quos eò tempeſtate delatos Phorbas filius Triobæ occidit. Aſteria ab aſtri figura. Æthræa à ſerenitate, quia illic nunquam tantæ nubes, vt aliquando de die ſol non cernatur. Trinacria à tribus oppidis eminentibus. Corymbia à ſpecie corymborum hederæ. Pœeſſa ab herbido virore, vti annotat Adrian. Iun. *cap. 157.* Macris, ſiue Macaria, vt ait Pompon. Mela, vel ab agrorum fertilitate, ſiue quod Rex Macar illas Inſulas occupauerit, hancque de ſuo nomine dixerit. Straboni quoque vocata eſt Stadia, & Telchinia. Pontiam vocat Pindarus, vt Pelagiam Marcellin. *lib. 17.* Eius vrbs quondam Ialyſus, deinde totius Inſulæ nomen retinuit, & Rhodus vocata ex Plinio *cap. citato.* Quare Pindarus ſcribit aureo imbre perfuſam fuiſſe à Diis propter ſummas diuitias, & opes. Recentius itaque extitit Rhodi nomen, ſiue à Rhodo puella, ex Diodor. *lib. 5.* ſiue à roſis, earúmque copia, & vt ait Scholiaſtes Pindari *in Olymp. 7.* διὰ τὸ συνδαῖα ἔχειν ῥόδα. Vide Iſidor. *lib. 14. Origin. cap. 6.* Sic vicina illi altera Inſula dicta fuit Cynorthoduſſa à ſylueſtri roſa. Deinde diu latuit Rhodus Inſula, idcirco illam è mari emerſiſſe tradunt Ammian. *lib. 17.* Plin. *l. c.* vbi idem de Delo affirmat. Heraclides ait olim ſub mari occultatam κεκρύφθαι ὑπὸ τῆς θαλάσσης, & poſtea areſactam comparuiſſe ἀναφανῆναι δὲ ὕστερον ξηρανθεῖσαν. Sed audi Pindarum *Olymp. 7.* vbi illam vocat παῖδ' Ἀφροδίτας Ἀελίοιό τε νύμφαν, filiam Veneris, & Solis ſponſam ait ex antiqua memoria, & ſermonibus, priuſquam Iupiter, Diſque immortalem terram diuiderent, nondum Rhodum Inſulam in profundo maris manifeſtam fuiſſe, ſed in ſalſis profunditatibus delituiſſe.

φαντὶ δ' ἀνθρώπων παλαιαὶ
Ῥήσιες, οὔπω ὅτε
Χθόνα δατέοντο Ζεύς τε καὶ ἀθάνατοι
φανερὰν ἐν πελάγει
Ῥόδον ἔμμεν ποντίῳ
Ἁλμυροῖς δ' ἐν βένθεσιν νᾶσον κεκρύφθαι.

Quid

Quid illa amabò, diuiſio terrarum facta à Ioue, & cæteris Diis, antequam Rhodus Inſula è mari emergeret, niſi illa diuiſio à Noëmo, & filiis eius facta, quam ſuis fabulis obſcurarunt, vti monui. Addunt & hanc Rhodi Inſulam minorem fuiſſe, vt vni filiorum Iauan ſufficeret, quibus magna Europæ pars obtigerat. Denique Diodor. *lib.* 5. refert ex Zenone primos Rhodi incolas floruiſſe circa tempora Cecropis, qui fuit ferè Moſi σύγχρονος. Quis igitur dicat Moſen nomine Rhodianitarum à Rhodanin filio Iauan intellexiſſe Rhodios, qui vix ſua ætate Rhodum habitare cœperant, immò quàm verius eſt, nondum eam appellationem ſortitam eſſe, immò neque fortaſſis è mari, in qua delitescebat, enatam fuiſſe. Itaque veriùs exiſtimat Bochart. Rhodanin, ſiue Rhodianitas in Galliam appuliſſe circa oſtia Rhodani, quem de ſuo nomine nuncupauerunt: Rhodum verò, vti deinceps vocata eſt, cum vicinis inſulis in Eliſi alterius filij Iauan poteſtatem cecidiſſe.

Dices Rhodanum non à Rhodanin, ſed à Rhoda oppido dici, quod à Rhodiis conditum, deinde Maſſilienſium fuit, quod manifeſtò tradit Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. *Agatha quondam Maſſilienſium, & Regio Volcarum Tectoſagum, atque vbi Rhoda Rhodiorum fuit, vnde dictus multo Galliarum fertiliſſimus (aliàs fortiſſimus) Rhodanus amnis, ex Alpibus ſe rapiens per Lemanum lacum, ſegnémque deferens Ararim.* Idipſum de Rhoda à Rhodiis condita, & Rhodani nomine inde ducto, habet Hieronymus *Præfat. in Ep. de Galat.* quæ tamen non improbabiliter reiicit Bochart. quia qui nomen Rhodani ab illa Rhodiorum Colonia deriuant, debent antiquum illius nomen prodere, neque enim nobiliſſimum Europæ flumen, cuius vetuſtiſſimi Scriptores meminêre, fuit abſque nomine, quod non aliud ipſi Euripides, Æſchilus, antiquiſſimi tribuunt, quàm Rhodani. Deinde Rhoda illa, quam Rhodij ædificarunt, & à qua Rhodani nomen deriuant, longiùs ab eius fluminis oſtiis diſtat, & non in Gallia, ſed in Hiſpania ſita eſt, eámque deinde Maſſilienſes occuparunt. Ita diſertè ſcribit Strabo. *lib.* 14. Pomponius Mela. *lib.* 2. *cap.* 6. illam in Hiſpania quoque collocat, & ad illam Thicis flumen, non autem Rhodanum. Ptolomæus deſcribens Hiſpaniam Tarraconenſem, Indigetorum, inquit, eſt Ῥοδίπολις, aut vt emendatiora habēt exemplaria Ῥόδη πόλις, Rhode vrbs. Stephan. Ῥόδη πόλις Ἰβηρίας. Sed apertiſſimè Liuius *lib.* 34. *Inde Rhodam ventum, & præſidium Hiſpanorū, &c. Ab Rhoda Emporias peruentum, &c.* Iam tum Emporiæ duo oppida erant muro diuiſa, vnum Græci habebant à Phocæa, vnde & Maſſilienſes oriundi, alterum Hiſpani. Rhoda igitur, quam Primi Rhodij condidêre, & deinde Maſſilienſes occuparunt, in Hiſpania erat trans Pyrenæos, quam hodiè incolæ in Catalaunia *Roſés*, id eſt, Roſas dicunt: quid illi, amabò, cum noſtro Rhodano. Cauſam errori fecit eius vrbis à Maſſilienſibus occupatio; illis enim vicinam fuiſſe crediderunt, atque deinde ex ſimilitudine nominis Rhodano impoſitam, & eam cum Rhodanuſia confuderunt, quam in Maſſilienſi tractu collocat Marcianus Heracleota, & Stephanus. Eius quoque meminit Sidonius Apollinaris *lib.* 1. *Epiſt.* 5. *Egreſſo mihi Rhodanuſia noſtra mœnibus*, vbi Lugdunum ſignificare videtur, ſicut & *carmine* 5. *verſu* 598. Et ſanè tractus ille Lugdunenſis, Regio Rhodanuſia, & incolæ dicti ſunt Rhodanenſes apud Irenæ. *lib.* 1. *cap.* 9. & Epiphan. *hær.* 34. dicti quoque ſunt Rhodaniti. Veriùs itaque eſt à Rhodanin filio Iauan dictum fuiſſe Rhodanum. & Rhodumna Seguſianorum vrbs *Roanne*, & Rhedones, atque Ruteni Galliæ Populi; quorum Metropoles ſunt Renes, & Rhodes. Cum igitur Rhodani, ſiue Rhodanini ex Iauane oriundi in illam ipſam Galliæ oram, quam pluribus poſt ſæculis Maſſilienſes occuparunt, fæliciter appuliſſent, fluuium, ad cuius ripas ſubſtiterent, Rhodanum, & adiacentem regionem, Rhodanuſiam dixerunt. Vult etiam Bochartus veteri Gallorum lingua, quæ ſemihebræa fuit, Rhodani, idipſum fuiſſe quod Arabibus, Rhadini, hoc eſt, Flammi, quem colorem Galli & amabant tanquam ſibi natiuum, & arte etiam augebant, vt ibidem oſtendit pluribus Bochart. Verùm de Rhodiis, ipſorúmque origine plus ſatis, nobis ſufficit eorum diſciplinam naualem, & leges nauticas toto orbe Romano celeberrimas fuiſſe, quare ex earum, quæ ſuperſunt, fragmentis, plures controuerſias proximis articulis definiemus, continent enim quæ ad obligationem nautarum, & mercatorum pertinent, & quas circa iactum mercium, atque naufragium, & cætera eiuſmodi difficultates oriri ſolent. Sunt & aliæ leges ſingularibus gentibus, quas non omittemus. Rhodios imitati Maſſilienſes, leges & ipſi ſibi nauticas ſcripſerant, quæ omninò nobis periêre. Extat libellus Petri Garſiæ, vbi Olerenſium leges enumerat, ſicut & liber Conſulatûs, qui ætate S. Ludouici conſcriptus fuit, quóque etiam hodie vtimur. Nonnulla quoque habent Conſuetudines Normannicæ *artic.* 194. *de Varech.* Ius enim eiectæ nauis ad littus nominant Normanni, *Droict de Varech.* Solet verò Senatus Pariſienſis, quoties occurrit quæſtio, de qua Edictis nauticis ambiguè cautum eſt, rei deciſionem ad mercatores marinis negotiis aſſuetos ſapientiſſimè remittere.

Iura quoque maritima ad leges nauticas pertinere videntur, & quæ Conſtantinopolis erant τὰ τοῦ αἰγιαλοῦ θαλάσσια, de quibus commentarium ſcripſit Ioannes Metropolitanus Neocæſarienſis, teſte Balſamone *in Concilio Chalceden. can.* 4. & *in* 7. *Synod. can.* 12. Emmanuel. Comnenus Imperator pluribus Cænobitis conceſſit θαλάσσια δίκαια, eodem Balſamone Auctore. Verùm ea videntur quædam obuentiones, vel tributorum exactiones, quæ maris, aut littorum Dominis debebantur, de quibus commodiùs agemus cap. proximo, dum de vectigalibus diſſeremus.

ARTICVLVS VI.

Obligationes nautarum.

Duo ſunt genera nauium, alia deuehendis mercibus, alia deuehendis hominibus comparata. 1.

Prima obligatio. *Nauta rem ſibi commiſſam ſaluam fore recipere debent.* 2.

Quinam ſint Diatarij. 2.

Quid nomine receptarū mercium veniat. 3.

Quid ſit recipere merces. 4.

Quid ſit conuentio quæ fit inter Mercatores, & nautas. 5.

Qua

Qualis & quotuplex oriatur actio ex hac conuentione. 6.

Secunda obligatio. *Exercitor aurum, & argentum apud ipſum depoſitum per mercatores tutum præſtare debet.* 7.

Tertia obligatio. *Nautis non licet auertere onus, neque diſtrahere.* 8.

Quarta obligatio. *Nauicularij ex annona negotiari vetantur.* 9.

Quinta obligatio. *Tenetur Nauicularius tempore conuento nauigare.* 10.

Sexta obligatio. *Nautæ tenentur de dolo mercatoribus, & vectoribus.* 11.

NAuta propriè eſt qui nauis nauigandæ cauſâ in naui eſt, inquit Vlpian. *l.* 1. §. 2. *D. nautæ, caupones.* & *l.* 1. §. 1. *D. de exercitor. action.* Hoc tamen nomine intelligo Exercitorem, Magiſtrum nauis, atque eos etiam qui nauibus cuſtodiæ gratia præponuntur, ναυφύλακας, & præterea diætarios qui annonam nauis adminiſtrant, ac denique eos omnes qui à Magiſtro nauis alicui officio præponuntur; ſed maximè, vti iam monui, exercitorem, quem præcipuè deſignauit Prætor in ſuo edicto nautæ appellatione, vti interpretatur Petron. cap. 62. ait. *Vnum nautam ſtationis perpetua iacere in ſcapha, nec poſſe inde cuſtodem niſi aut cæde expelli, aut præcipitari viribus.* Vlpianus *l.* 1. §. 2. & 3. *D. nautæ, caupones.* qui ſequenti. §. 4. monet ex Labeone, Prætoris edictum ad exercitores ratium, & lynthrarios extendendum eſſe, quamuis nihil de ipſis cauerit Prætor. De horum igitur obligationibus, ſed in primis Exercitoris, & Magiſtri nauis nobis aliqua dicenda ſunt.

Obſerua verò, duo in vniuerſum eſſe genera nauium, aliæ enim ſunt onerariæ, deuehendis mercibus, aliiſque grauioribus oneribus comparatæ, aliæ verò deuehendis tantùm hominibus deſtinantur, eæque ferendis oneribus plerumque inutiles ſunt, dicunturque *l.* 1. §. 12 *verſ. ſed etſi. D. de exercitoria,* ἐπιβάδες, id eſt, vti interpretatur Alciat. *lib.* 1. *Parerg. cap.* 44. Conſcenſoriæ, & tranſportandorum hominum cauſâ factæ, ἀπὸ τὸ ἐπιβαίνειν, ea ratione qua Anabatis aſcenſor, Iulio Polluci ἀναβάται Admiſſarij, ſeu Tauri, refertque Platonem vſurpaſſe Ἀναβάτας pro iis qui ab aliis appellantur παραβάται, Milites ex curſu pugnantes apud Homerum, vnde prouerbium, clauſis oculis Anabatarum more certare, qui cùm ad metam currerent, omnem inſpiciendi vſum ad ἡνίοχον aurigam, quem ſecum habebant in curru, referebant, qui etiam ſæpiùs puluere excitato impeditus vix oculos aperire poterat. Quare Neſtor apud Homer. *Iliad.* ψ. filium monet diligenter metam obſeruet, ſic enim aurigam aurigæ præſtare. Legunt tamen alij Emphractum, Amphractæ, Bud. ἐπιβάτας, Scanſiles. Florentina lectio, quam probat Anton. Auguſtin. *lib.* 4. *emendat. cap.* 16. ad quam correcta eſt lectio communis ἐπιβαταγοὶ, vectorum ductrices, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τοὺς ἐπιβάτας: qua ratione naues ξυλαγὰς lignorum ductrices appellari dixit idem Vlpian. *l. ligni.* 55. §. *lignorum. D. de legat.* 3. fit quoque mentio ἐπιβατῶν. *l. vlt.* §. 2. *D. nautæ, caupones,* &c. Vbi eos qui operam ſuam in remigando præſtant pro naulo, & vecturæ pretio ναυτεπιβάτας appellari vulgò dicit, quaſi naues inſcendentes, nimirum vt nautarum, & remigum officio fungantur, ἐπιβαίνειν enim eſt inſcendo, ſúntque ſimul & nautæ, & vectores, aut etiam mercatores. Legunt aliqui nautobatas, & eos interpretantur, qui per funes nauium inſcendunt, quos reiicit Alciat. *lib.* 3. *diſpunct. cap. vlt. ſub fin.* Exiſtimarunt aliqui μεσοναύτας eſſe quos dicebamus ναυτεπιβάτας, quos iure reiiciunt Alciat. *lib.* 1. *Parerg. cap.* 43. & Cuiac. *lib.* 17. *obſeruat.* 31. qui meſonautam dicit eum qui in medio remos agit; ſunt enim tres remigum gradus θαλαμῖται, θρανῖται, ζυγῖται, vel ζευγῖται, & hi remos in medio agunt, ac ſunt meſonautæ ex Cuiacio. Quare cùm Pomponius ait, exercitorem non debere per meſonautam, aut remigem obligari, ſubiicit ſpeciem, aut ſuperiori, & inferiori remigi adiungit etiam medium. Alij verius cum Gothfredo volunt meſonautam medium locum tenere inter nautas ſummos, & imos, ſummos, vt proretas, & gubernatores, imos vt remiges: qui denique aliis remigandi ſignum præbet, Plauto, hortator, Feſto, & Nonio, portiſculus, ſeu hortator remigum, qui perticam tenet, quæ portiſculus dicitur, qua excurſum, & hortamenta moderatur, qualis quidam Poris apud Liuium. *lib.* 40. ſed de meſonautis vide Alciat. *lib.* 3. *diſpunct. c.* 21. Budæ. Boërium *deciſion.* 56.

In naui igitur ſunt vel nautæ, vel vectores, ſiue viatores, & mercatores, quamquam & aliqui ſint, vti diximus, ναυτεπιβάται, qui pro vectura remos agunt, ac proinde ſunt ſimul nautæ, & vectores, ſiue ἐπιβάται, qui tamen non ſunt neceſſariò vectores; quare ἐπιβάτην ſeparat Vlpian. à mercatore, & in l. Rhodia. *cap.* 11. ἔμποροι ſeparantur ἀπὸ τῶν ἐπιβατῶν. Ex generibus autem mercatorum, ſiue venditorum, quæ ſunt quinque, αὐτοπώλης, κάπηλος, ἔμπορος, παλιγκάπηλος, μεταβολεύς, propriè dicitur ἔμπορος, qui peregrè, & mari facit mercaturam, aliena, vt eſt apud Homerum, ſæpè vectus naui, ἀπὸ τοῦ πόρου, τοῦτ᾽ ἔστι τῆς πορείας. Quo nomine iter maritimum ſignificatur. De nautarum igitur, & mercatorum obligationibus reciprocis diſputamus, & quidem de nautis hoc articulo, de mercatoribus proximè ſequenti.

Primo igitur Prætor ſuo edicto ait iudicium ſe daturum in nautas, caupones, & ſtabularios, niſi rem, vel mercem, quam ab his, quos in nauem, vel cauponam, vel ſtabulum accipiunt, quoad vſque ſaluam fore receperint, hoc eſt, ab omni furto, & damno cuſtodiendam reſtituant, nempe vt damnentur actoribus, quanti ea res eſt. Hoc edictum interpretatur Vlpian. *lib.* 14. *ad edictum*, vti habetur *D. nautæ, caupones.* Et quidem quod attinet ad nautas, de quibus modò agimus, hoc iudicio in primis nauicularius, qui & exercitor, & nauta per excellentiam dici ſolet, tenetur ex ſuo nimirum contractu, aut etiam ex contractu Magiſtri nauis, vti dicemus art. vltimo, atque etiam ex contractu eorum omnium, qui quidpiam ſaluum fore receperunt, ſi ſolent in naui præponi cuſtodiæ cauſa: quales ſunt diætarij, ſub quorum cura ſunt cubicula, & cœnationes, in quibus arcæ, & merces deponuntur; hæc enim in naui non minùs, quàm in domo diætæ vocantur, vti ex Athenæo monet Cuiac. quanquam eam vocem pro iis, qui annonam nauis adminiſtrant, nonnulli, vti nuper monebamus vſurpent, ſed & illi ipſi curam habent diætarum, in quibus tum annonæ, tum aliæ res deponuntur. Et Vlpian. *l.* 1. *D. nautæ, caupones.* §. 3. numerat cum cuſtodibus nauis, quos dicunt ναυφύλακας, qui Suidæ ſunt ἄρχοντες ἐπὶ τῆς νεὼς φυλακῆς.

κιλιῶς. Quia igitur exercitor, vel magiſter nauis præponit diætarios, & ναυφύλακας, cum illis quoque contrahi permittit, atque ex illorum contractu obligatur, ſibi enim tribuit quòd minùs fidos præpoſuerit, neque enim vectores, aut mercatores poſſunt pro arbitrio illos eligere, ſed fidem eorum, qui præpoſiti ſunt, ſequi coguntur, eiſque ſe ſuaque committere. Vnde Vlpian. initio legis illius primæ citatæ, colligit illius edicti tum vtilitatem, tum penè neceſſitatem, ne detur *materia furibus aduerſus eos, quos recipiunt, coeundi.* Tenetur igitur ſiue exercitor, ſiue magiſter nauis ſola præpoſitione, eo ipſo quod præpoſuerit, ſiue non fecerit χειρέμβολον, ſiue fecerit, id eſt, traditam ſibi rem, aut mercem dederit in manum cuſtodis, aut diætarij, quaſi auertens à ſe cuſtodiæ periculum, idque omne in illum transferens, & quodammodo lege prædicta, ne ipſe eo nomine vectori teneatur. Nihilominus nauicularius de recepto tenebitur. Ita Cuiacius *lib.* 27.*obſeruat.c.*31. vbi χειρέμβολον ait eſſe nauticorum vocem, ſiue meſſorum, χειρόβολον manipulus; id eſt, δράγμα teſte Moſcophulo. lib περὶ χεδῶν. Alciat. *lib.* 1. *Parerg.cap.*44. ait eſſe ſignum a Magiſtro nauis in prora reſidéte manu datum, quo nautis imperat vt aliquid faciant, aliquem recipiant, aut non recipiant; nam σχειρέμβολον propriè eſt manus immiſſio, ἔμβολον eſt roſtrum nauis ad proram, eſt quoque inſtrumentum æreum Ariſtophanis Interpreti. Suidas addit χειρέμβολον eſſe ἐπίφθεγμα τὸ χεῖρι vocem qua Magiſter nauis adhortatur ad celeritatem: erit igitur σχειρέμβολον ſignum manu datum à Magiſtro nauis, atque opponitur celeumati, quod cani ſolebat à remigibus per ſymphoniacos, aut vocem aſſam, id eſt, ore prolatam, vt in Argo naui per cytharam; aſſa enim Feſto eſt cantus tibiarum. Portiſculus autem eſt is qui modum remigibus dabat, & idem qui præco in comitiis, dicebatur etiam κελευστής, quem gloſſæ Iuſſorem exponunt: affert Feſtus verba Catonis, viros Romanos, qui remiges ſcripti erant, per portiſculum ſub flagro væniiſſe; in quibus verbis Scaliger duo quædam obſeruat, nempe ciues Romanos ob crimen capitale admiſſum priùs verberibus cædi, deinde nummo ſeſtertio, ſi Romæ eſſent, trans Tiberim vænire ſolitos; præterea eos, qui flagris cædebantur, ſub præcone, aut ſi remiges eſſent, ſub portiſculo cæſos fuiſſe. Videtur porrò Feſtus ſignificare, modum datum eſſe à portiſculo malleo, non voce; quidquid ſit, celeuma dabatur voce, & κελευστὴς à Seneca, Pauſarius vocatur, quia remigandi officium quadam quaſi pauſa moderatur. Itaque σχειρέμβολον opponitur celeumati. Siue igitur nauicularius manu, ſiue voce ſignum dederit diætariis, & nauis cuſtodibus, vt aliquid reciperent, ſiue non, imperaret vocè, aut manu; eò tamen quod ipſos præpoſuerit cuſtodiæ, & eorum obligatur cuſtodiæ, & rem receptam reſtituere tenebitur. Ex contractu verò cæterorum remigum, vel meſonautarum exercitor non tenetur, ſicut neque caupones per mediaſtinos, ſed ſolùm per inſtitores ſuos obligantur, vt ait Vlpian. *l.* 1.*citata.* Sunt verò mediaſtini, ſerui viliſſimis addicti miniſteriis, qui in mediis aſtabát ædibus, vt ad cuiuſuis iuſſa parati forent, vt atriarij, focarij, qui balnea curant dominis, fundunt aquam, lauant, remigant, diſtringunt, & expoliant corpora dominorum, qui & στειχύται dicuntur, & balneatores, aut certè balneatoribus coniunguntur apud Iulium Firmicum, quorum miniſterium negat eſſe vile Cuiac. *cap.*31.*citat.* cum plerumque honorificum ſit eſſe in miniſterio domini. Neque de illis, opinor, loquitur Vlpian. ſed de viliſſimis mancipiis, vti dixi. Prætereà, ſi exercitor, aut Magiſter nauis prædixerit, vt vnuſquiſque vectorum res ſuas ſeruet, neque damnum ſe præſtiturum, & conſenſerint vectores prædictioni, non conuenitur deinde ex recepto exercitor, quia contractus legem ex conuentione accipiunt. *l.* 1. §. *ſi conueniat. D. depoſiti.*

Nomine receptarum rerum intelliguntur non modò merces, ſed etiam quæ iis accedunt, vt veſtimenta, & cætera ad vſum quotidianum, & non modò res noſtræ, ſed etiam alienæ, quas in nauim intulimus, maximè ſi noſtra intereſt eas non perire, & ſiue Magiſtro nauis, aut cuſtodi adſignatæ ſint, ſiue non ſint, quia ſatis eſt in nauim fuiſſe illatas; eorum ſiquidem omnium, quæ ſunt in naui cuſtodiam recipit; atque adeò ſi iam illas recepit, & nondum immiſſæ perierunt in littore, damnum præſtabit *ex l.*3. cui non aduerſatur *l.vltima*, vbi ait, ſi quid a nautis extra nauim ſubreptum ſit, non præſtari ab exercitore, quia in priori lege agit de mercibus, quas ſaluas fore recipit, quare licèt nondum illas in nauim immiſerit, eas tamen ſe præſtiturum recepit, eiuſque culpa erit, quod in littore, vbi perierunt, reliquerit; at verò in vltima lege agitur de iis, quæ nautæ peccant extra nauim, circa ea nimirum, quæ ſuæ fidei, & cuſtodiæ non ſunt ampliùs, aut nondum credita; quare nulla cauſa eſt, cur eorum nautarum delicto extra nauim commiſſo teneatur, quod in omnibus aliis ſimilibus contingit. 3

Recipere autem res, eſt earum in ſe periculum ſuſcipere, & omnem dolum, ac culpam tum ab ſe, tum ab aliis commiſſam præſtare, indéque conuentio, quæ cum mercatoribus, aut vectoribus, quorum res, aut merces ſunt, fit, receptum dicitur, & recipiendi verbum non tam ad res commiſſas, & receptas, quàm ad perſonas recipientium refertur, *l.vn. D.furt.adu.naut.* vbi Vlpian.interpretatur recipere, cuſtodiæ periculum in ſe ſubire. Itaque nauicularius dicitur recipere ſaluum fore, cùm tamen plerumque res ipſæ alteri tradantur, vt Magiſtro nauis, aut cuſtodi, aut alteri ex nautis ab Exercitore, vel Magiſtro præpoſito, *l.* 1. §. *an cuſtodia. D. nautæ, caupones*, &c. Caupo recipit ſarcinas ſaluas fore, cùm tamen inſtitori ſæpiùs tradantur. *l.*1.§.4. 4

Præſtat autem qui recipit, dolum, & culpam omnem etiam leuiſſimam, quia & à furto, & a damno periculum recipit, etiamſi ſine culpa recipientis, illud damnum, aut furtum contigerit, vti habetur. *l.* 3. vbi fatalia tantùm damna, & caſus fortuitos excipit. Ratio eſt, quia exercitor non modò ſuum, ſed etiam ſuorum factum præſtare debet. *l. vltima.* vbi etiam ſeruorum non modò ſuorum, ſed etiam alienorum, atque adeò vectorum, & viatorum; cum aliquo tamen diſcrimine, vt ibidem dicitur; ſeruorum enim ſuorum nomine noxali duntaxat tenetur, nam cùm alienos adhibet, explorare eum oportet, cuius fidei, cuius innocentiæ ſint: in ſuis venia dignus eſt, ſi tales quales ad inſtruendam nauim adhibuerit.

Conuentio porrò iſta, quam receptum nominamus, neque pactum nudum eſt, quia rei traditio interuenit. *l.*6.*C. de tranſaction. l.*8.*in fin.* & *l. ſolent.* 25.*D. de præſcrips. verb.* neque contractus, quia ex contractibus ſiue nominatis, ſiue innominatis naſcitur actio ciuilis. *l.* 3. *& paſſ. D. de* 5

præ

præſcript. verb. atque ex hac conuentione naſcitur actio prætoria. Quare quãuis hæc conuẽtio ciuilia videatur ex ſeſe, nã ſi ſit gratuita, vix differt à depoſito, ſi verò mercenaria, erit locatio, quod etiã dicitur *l.* 5 3. §. 1. nihilominus cùm hęc conuentio pariat actionem prætoriã, ciuilis nullo modo dici poterit. Suppono verò quod in ſciẽtia Canonica oſtẽdimus *ex §. ſed iſta. Inſtit. de action.* actiones quaſdã eſſe ciuiles, quaſdã prætorias; illæ ſunt quæ ex legibus ciuilibus conceduntur; prætoriæ. quæ in defectũ ciuiliũ per edicta Prætorũ inductę sũt, & à Prætore conceduntur; ſiue, vt ait Vlpian. *l. ſolent. D. de præſcriptis verbis*, ciuiles actiones ex legitimis, & ciuilibus cauſis deſcendunt, differúntque ab eis, quas Prætor ex ſua Iuriſdictione cõparatas habet. Ex ciuili igitur conuentione naſcitur ciuilis actio, & non prætoria, cuiuſmodi eſt illa quæ datur ex recepto aduerſus nautas, caupones, ſtabularios, per quam id quod cuiuſque ſaluum fore receperunt, ab iis vt reſtituant, poſtulatur. Dicitur actio in factũ *l. 5. §. 1.* quoniam Prætor apud quem factũ proponitur, illud æſtimare ſolet, vt ait *l. pen. §. 1.* poſtulatur verò quod receptũ eſt, quia hæc actio ſolã rei perſecutionẽ continet, non etiam pœnam perſequitur, *l. 3. §. penult.* & quia datur in perſonam, §. 8. & §. 9. *Inſtitut. de actionib.* Quare hæc conuentio differt a ciuilibus, quod in depoſito dolus, in locato culpa leuis, vti diximus *opere de vſur. lib.* 3. in recepto etiã leuiſſima præſtatur, *l. 3. §. 1. D. nautæ, caupones.*

6 Præter hanc actionẽ ex recepto, quæ eſt in ſimplum, datur altera in duplum ex furto, vel ex dãno illato, ſiue ex delicto, de qua agitur *l. vnic. D. furti aduerſus nautas*, &c. licèt Tribonianus. *l. 6. & 7.* ex Paulo, & Vlpiano *in D nautæ, caupones*, tranſtulerit, cum tamen in *l. vlt. ſiue 7.* alleget lib. 18. Vlp. ad edictum, *in l. vnica, ex lib.* 38. Verùm de tota iſta cõtrouerſia, quibus, & aduerſus quos competat actio furti, quoties in naui aut caupona, aut ſtabulo commiſſum eſt, vide Synopſ. Baſil. *lib.* 53 *tit.* 1. *περὶ ναυτικῶν ἐνοχῶν, καὶ παντοίων ἀγωγῶν.* Et *lib.* 15. *tit.* 2. *περὶ κλοπῆς ἐν πανδοχείῳ ἢ καπηλείῳ γινομένης.* Quę omnia concinunt cum *l. vnic. D. furti, aduerſus nautas*, &c. Si quod igitur in naui, vel caupona, vel ſtabulo furtum factum eſt ab iis, qui ibi ſunt, ſiue conſilio, & ope exercitoris, ſiue nautarum, hoc eſt, eorum, qui vt nauis nauigetur, adhibiti ſunt, poteſtatem habet rei dominus, & cui ſubrepta eſt, furti in duplum aduerſus nauis, aut cauponæ præpoſitum agendi; quod ſi rei cuſtodiam exercitor, vel caupo acceperit, ipſe actionem habet, non rei dominus. Deinde cùm in naui, vel in caupona res periit, ex edicto Prætoris obligatur exercitor nauis, vel caupo, ita vt in poteſtate ſit eius, cui res ſubrepta eſt, cum exercitore honorario iure, vel cum fure iure ciuili experiri, quod valde obſeruandum eſſe monet Gotfredus, nam cui in hoſpitio publico res ſubrepta eſt, datur actio aduerſus cauponæ dominum. Quod ſi caupo ciſtam, vel arcam ſibi traditam, aut in arca res plures eſſe negauerit, is qui eo nomine aget, traditionem, & quantitatem rerum traditarum probare tenebitur. Quod ſi caupo ciſtam reſignatam, vel apertam reddat, torquendos eſſe domeſticos vult Bartol. Communior tamen ſententia apud Clarum *lib. 5. ſentent. §. 6.* ſtandum eſſe exiſtimat iuramento viatoris, ſiue hoſpitio recepti. Exercitor porrò ſerui ſui nomine noxæ dedendo ſe liberat, liberi autem hominis nomine tenetur in ſolidum. Rationem reddit Vlpian. quia liberum hominẽ adhibens ſtatuere debuit qualis eſſet, in ſeruo verò ſuo ignoſcendum eſt ei quaſi in domeſtico malo, ſi noxæ dedere paratus ſit, quod ſi alienum ſeruum adbibuerit, quaſi in libero homine tenebitur. Caupo verò præſtat factum eorum, qui in caupona ſua eius exercendæ causâ ſunt, ſicut exercitor nautarũ. Item eorum qui habitandi causâ ibidem ſunt, non verò viatorũ, quia neque caupo, neque ſtabularius viatorem eligere videtur, & repellere nequit iter agentes: inhabitatores verò perpetuos ipſe quodammodo eligit, dum non reiicit, qua ſimili ratione nauicularius vectorum factum non præſtat.

Ad hanc obligationem exercitores circa cuſto- 7
diam rerum, vel mercium in nauim illatarum pertinet illud legis Rhodiæ caput in Synopſ. Baſilic. *lib. 53. art.* 8. relatum; ſi vector *ἐπιβάτης* habuerit aurum, vel quid aliud, illud apud exercitorem, & nauclerum deponat: *παραθέσθω αὐτὸ τῷ ναυκλήρῳ*, alioquin ſi amiſerit, fruſtra, & inutiliter queretur, quamuis exercitor, & nautæ, qui voà nauigant, iuramentum præſtare teneantur.

Hoc quoque pertinet obligatio non auertendi 8
oneris, hoc eſt, non diſtrahendi, aut permutandi, vnde naſcitur actio oneris auerſi aduerſus nautas, qui onera tranſuehenda recipiunt. Caſum habet Alfenus *in l. 31. D. locati.* Plures in nauem Saufeij frumentum contulerunt, & confuderunt, commune eſt frumentum, & cõmuniter datum. Nauta vni ex eis frumentum reddidit de communi, deinde nauis periit cum reliquo onere. Quærebatur itaque, an Saufeius nauclerus teneretur actione oneris auerſi locatoribus, quaſi videatur onus impoſitum naui auertiſſe, ex eo partem vni ex locatoribus reddendo, ex quo factum eſt vt hic ſaluam ſuam partem habuerit, alij perdiderint, naui amiſſa. Vt huic quæſtioni ſatisfaciat Alpbenus ſupponit duo eſſe genera locationum, nã vel hoc agitur, vt eadẽ res, quę locatur, reddatur, vt cùm domus locatur, aut fulloni veſtimẽta lauanda locãtur, quo caſu dominium domus, & veſtimẽtorum non mutatur, neque veſtimenta fiunt fullonis, aut domus conductoris, vel agitur vt non eadẽ res ſpecie, ſed eiuſdẽ generis reddatur, vt cùm aurũ datur fabro ad faciẽdos annulos, aut ad faciẽda vaſa, argentũ puſtulatũ, ſiue puſulatũ, id eſt, puriſſimũ, vt videbis apud Turnebũ *lib. 24. c. 2.* & Cuiac. *lib. 7. obſeru. c.* 39. vbi vocat, *Argent de copelle.* Hoc verò caſu dominiũ auri, & argẽti trãsfertur in fabrũ, & in creditũ itur, eſtq; mutui quædam ſpecies. Quod verum verè dicatur quæſiuimus opere de vſuris. *lib. 3. cap. vlt. art...* Si igitur quiſque locator ſuum frumentum dederit nautæ, neque illud ſimul confuderint, ſed ſeparatũ tabulis, aut cratibus, hoc eſt, vti explicant Turneb. & Cuiac. *loc. citat.* & Gotfredus in notis ad legem quam explicamus, lectis, quibuſdam ſtoriarum, & tegetum more, in quibus fruges reponebantur, & pauperes dormiebãt, quæ Græcis *φορμοὶ* dicebãtur, vnde & Phormio ſerui nomen: ſi ita, inquam ſeparatum cuiuſque frumentum fuerit, & vni ex locatoribus ſuum, atque propriũ reddiderit, rectè fecit, neque aliis iniuriam intulit, ſi verò alienum reddidit, domino vindicatio contra poſſeſſorem cõpetit, & actio oneris auerſi contra nautã, qui reuerà onus auertit, & diſtraxit: ſi verò locatores confuderint frumẽtũ, vti in caſu propoſito ab Alpbeno, atque ita cõmuniter in creditũ iuerint, frumenta videntur facta eſſe nautæ. Quare cùm vni pro ſua parte dat, rectè dare videtur, & onus nõ auertere; neque proinde actione oneris auerſi tenebitur; quod ſi culpa eius naufragiũ cõtigerit, tenebitur ex locato, vti dicemus inferiùs. Actio porrò oneris auerſi eſt in du-

plum, ſicut & actio furti, cui iſta vel proxima eſt, vel eadem omninò, cùm nihil ſpeciale ab ea habeat, ita vt vix videatur neceſſaria fuiſſe tanquam ab actione furti diſtincta, niſi vt conſtaret legibus hoc genus improbitatis coerceri, idcirco præter actionem furti conceſſerunt actionem oneris auerſi, quamuis, vt dixi, minimè neceſſariam. Capite verò damnabatur nauicularius, qui annonam vrbis aliò auertendo diſtraheret, recta nauigatione contempta & littora deuia ſectatus. *l. 5. Cod. de nauicular. publicas ſpecies.* Vide & Nouell. Leonis 62.

9 Nauicularij, qui annonam publicam transferebant, cuiuſmodi eſſe aliquos huic muneri addictos monebamus *n.* 4. ex ea annona negotiari vetantur, & intra annum ſuſceptam, eam publicè inferre iubentur, acceptis ſecuritatibus, id eſt, apochis, quæ & relatoriæ dicuntur. *l. 8. C. Theodoſ. de nauic.* quas intra annum referre debent iis à quibus annonam ſuſceperunt, vt apud eos conſtet ſuſcepti oneris ratio, & nauiculariorum fides, ac diligentia, *l. 2. C. de nauicular. publicas ſpecies.* Vt verò eorum ſecuritati prouideatur, quod iam ex parte feciſſe videbatur lex I. *eod. titul.* lex deinde III. iubet, vt qui quid nauiculariis eiuſmodi diripuerint, rem eis, & indemnitatem præſtent præter quadrupli pœnam. Vnde colligit Cuiac. hanc actionem non eſſe vi bonorum raptorum, in qua non datur quadruplum extra rem. Eſt itaque propria quædam actio in eos qui rapinam nauiculariorum faciunt. Iſti porrò nauicularij annonarij habebant ſuas diœceſes, & prouincias aſſignatas, ex quibus annonam Conſtantinopolim deferrent. Vbi nauicularij alicuius deficiebant, id ab alterius prouinciæ nauarchis præſtabatur, tributa ipſis aliqua tributorum immunitate mercedis vice. Idcircò *l. 4. Cod. de nauicular. public. ſpec.* laudatur ab Imperatoribus Honorio, & Theodoſio factum Anthemij PP. Orientis. Cum enim nauicularios diœceſeos Orientis plus nimio occupatos in conquirendis nauibus, nec ſuo tempore, vt ſolebant ex Alexandria annonam allaturos præuidiſſet, procurauit per Præfectũ Auguſtalem, ſub quo erat Ægypti Diœceſis, vt à nauiculariis vrbis Alexandriæ, & per Præſidem Inſularum, Cycladum ſcilicet, & Sporadum, quæ ſunt in Aſiana Diœceſi, vt à nauiculariis Carpathiæ Inſulæ tranſueheretur, pactus illis in mercedem immunitatem tributorum, eius maximè quod dicebatur, φιλικὸν, ſiue amicale, quia amicè dabatur. Atque vt, quoad fieri poſſet, publicè annonæ fauerent Imperatores, ita permiſerunt priuatis habere naues maritimas, vt tamen exigente neceſſitate, tranſuehendæ annonæ publicæ causâ poſſent angariari, & ſi quæ affixis potentiorum titulis ſe excuſarent, confiſcarentur, & neque Eccleſiarum, neque perſonarum in dignitate poſitarum naues ampliùs duorum millium modiorum capaces excuſari à tranſuectione annonæ publicæ valerent, & quæ ab eo onere aliqua ratione ſubductæ fuiſſent, publicari iubebantur. Neque contra eam Conſtitutionem valebant ipſa etiam Principum reſcripta, ſiue illa *cæleſte oraculum* continerent, ſiue *diuinam pragmaticam*, quia nullius haberi momenti debent reſcripta, quæ pugnant cum vtilitate, & iure publico. Ita *Cod. de nauibus non excuſandis.* Vide & Nouellam Theodoſij de nauibus vltra duorum millium capacitatem non excuſandis. Denique qui naui annona publica onuſtæ priuatum onus imponit, non tantùm indemnitatem fiſco præſtat, ſi ea re nauis, annonáve pereat, ſed & publicè coërcetur, id eſt, ciuiliter, & criminaliter tenetur, *l. vnica, C. ne quid oneri publico imponatur.*

Tenetur nauicularius tempore conuento nauigare, & clauſi, atque aperti maris tempeſtates ſeruare, vitare portus, quos vitari voluit mercatores, atque non appellere quò prohibuerint, aut merces ex vna naui in aliam transferre, ſi ita conſtitutum fuerit; de quibus omnibus diximus *Opere de vſuris. lib. 2. cap... artic...* vbi fuſiùs egimus de fœnore nautico. Quare ſi nauta in locum prædonibus infeſtum, contra quàm obteſtati fuiſſent vectores, applicuerit, amiſſa & direpta præſtabit: quod ſi vectores eò appellere compulerint, damni accepti nomine ipſimet tenebuntur, vt ait lex Rhodia, quæ etiam iubet exercitorem, qui vna cum naui ſibi credita, atque mercibus, & auro, nautis conſentientibus aliò aufugerit, bonis omnibus vnà cum nautis ſpoliari, quæ ſi æſtimationem iacturæ non æquabunt, ipſe exercitor, & nautæ locabuntur ad præſtandas operas. 10

Denique nautæ tenentur de dolo, lata, & leui culpa mercatoribus, ac vectoribus, quibus vehendis, eorúmque ſarcinulis, & mercibus ſuas locarunt operas, non tenentur tamen ex leuiſſima culpa, aut ex caſu fortuito, quæ omnia ſunt demonſtrata opere de vſuris. *lib. 3. capit. vltimo, artic...* vbi de obligatione ex locato, ex quo tenetur nauta vectoribus, & mercatoribus, vti ſtatim iterum dicam. Subdubitat tamen Straccha. *tract. de nautis 2. part. num. 4.* num Magiſter nauis, ipſéque nauta, qui domino nauis ſuas locauit operas mercede conſtituta, culpam leuiſſimam in ducenda naui præſtare debeat, adducítque Paulum Caſtrenſem *conſil. 471.* idque ſibi perſuadet *ex leg. ſi merces 25. §. qui columnam. D. locati.* Vbi requiritur in tranſportanda columna diligentia quam diligentiſſimus quiſque adhibere ſolet; ſed hunc §. diſputantes de locatione explicuimus loco citato, neque aliud ſentiendum videtur modo. Obſeruo duntaxat cùm nautæ non teneantur ex caſu fortuito, cuiuſmodi inſolitus ventorum turbo, & elationes maris mirabiles, ſatis fuerit Magiſtris nauium, & nautis probare caſum eiuſmodi aliquem accidiſſe, qui verò contendunt culpâ talem caſum contigiſſe, culpam ipſos probare oportet, quædam enim ſunt, quæ facilè, & frequenter eueniunt ſine culpa, vt vis hoſtium, impetus aquarum, tempeſtas, typhones, & in illis ſatis eſt caſum probare; qui vero culpæ alterius tribuit, illam probare debet. Quædam autem alia ſunt, quæ vix vnquam eueniunt, aut euenire præſumuntur ſine culpa alicuius, vt furtum, incendium. In iſtis igitur caſibus, qui ferè culpam admixtam habent, qui caſum affert, aut fatetur, debet ſimul aliquid afferre, quo excludatur culpa. Ita Straccha *2. part. de nautis, num. 6.* ex Salieeto & Bartolo, probatque *ex leg. 2. Cod. de naufrag.* Quandonam autem culpâ naucleri, aut nautarum naufragium, aut aliud damnum accidat, diſquiram *art. 9.* Obſerua interim cum Straccha. *de nautis & nauigat. 4. part.* multis aliis adductis; vbi in agendo, vel excipiendo alicui culpa obiicitur, vagandum non eſſe, ſiue non eſſe obiiciendam culpam in communi, ſed certam aliquam in ſpecie deſignandam eſſe, *l. Prætor 7. in princip. D. de iniuriis, & cap. vt circa. de electhon. in 6.* Et ſanè videtur æquiſſimum illud Prætoris edictum 11

ctum, quod lege citata refert Vlpian. *Qui agit iniuriarum, certum dicat, quid iniuria factum ſit.* Rationem reddit *ibid.* Iuriſconſultus. *Quia qui famoſam actionem intendit, non debet vagari cum diſcrimine alienæ exiſtimationis, ſed deſignare, & certum ſpecialiter dicere, quam ſe iniuriam paſſum contendit.* Neque id ſatis, opus enim prætereà eſt docere culpam illam ad caſum illum, de quo diſputatur, & qui illi attribuitur fuiſſe ſiue diſpoſitam, ſiue vt loquuntur ordinatam, ita vt niſi culpa illa poſita fuiſſet, caſus ille non eueniſſet. Ratio eſt, quia culpa debet dediſſe cauſam caſui qui illi imputatur, quod non continget, ſi etiam non poſita illa culpâ caſus eueniſſet, aut ſaltem ex illa non proceſſit, ſed aliunde. Quò pertinet illud Pauli *in l. non omne* 38. *D. de ſtatuliber. Non omne ab hæredis perſona interueniens impedimentum ſtatulibero pro expleta conditione cedit, ſed id duntaxat, quod impediendæ libertatis factum eſt.*

ARTICVLVS VII.

De obligationibus vectorum & mercatorum.

Quis propriè ſit locator, quis conductor. 1.
An ſi nauis conducta ſit pro certo numero amphorarum, aut modiorum, & eorum vel capax non ſit, vel non ſint tot impoſitæ, tota merces conuenta debeatur. 2.
Si nauis certæ determinatæ capacitatis conducitur certo, & determinato pretio ſimpliciter, & abſolutè, debetur pactum pretium. 3.
Si conſuetudo ferat, vel certa quadam vectura ſecundùm magnitudinem nauis ſoluatur, debebitur tota vectura. 4.
An quando conducitur nauis ad vehendum familiam, aut mancipia, & antequam nauis appellat, pereant aliqua animalia, vel mancipia, debeatur tota vectura. 5.
An vectura debeatur pro iis omnibus, quæ vehuntur in naui, ſiue nauta ſciat illa eſſe in naui, ſiue neſciat. 6.
An nauta, qui ſuam locauit nauim, quia tauim, eam amiſit, aut ob caſum alium abſque ſua culpa munere vehendi functus non eſt, poſſit petere vecturam pactam. 7.
An locanti alienam conductor debeat pactam mercedem, an nauis domino. 8.
Res illatæ in nauim conductam obligatæ manent pro pacta tranſuectionis mercede. 9.

1 REpetendum eſt quod pluribus explicuimus *opere de vſuris. lib* 3. *cap. vltimo.* de locatione, & conductione diſputantes; voces illas aliquando non ſatis diſtingui, & locatores nonnunquam appellari, qui reipſa conductores ſunt, aut è contrario nominari conductores, qui potiùs locatores exiſtunt. Vnde in aſſequenda Doctorũ mente non parùm laboramus. Nos eo loco monuimus, locatorem appellamus eum, qui rem ſuam, vel operam alteri vtendam dat pro certa mercede, conductorem verò qui mercedem dat vt alterius opera, vel re vtatur. Itaque nauclerus, & nautæ, qui vel perſonas, vel res aliquas naui ſua traiiciendes aliquò ſuſcipiunt pacta mercede, locatores ſunt, ſuámque operam, atque induſtriam, ac nauim, ſiue illarum vſum vectoribus, aliíſve quibus laborant, ſuáque nauis vtilis eſt, locant. Vectores verò mercatores aliíve, qui pro illarum operarum, & nauium ſibi laborantium vſu paciſcuntur, & ſtipendium, ſiue mercedem exhibent, ſunt reipſa conductores, conducunt enim alienam operam, & rem in ſuum aliquem vſum. Quæ omnia ſunt obſeruanda, inde enim fit, vt eodem modo de contractu in vectores, vel mercatores, & nautas iudicandum ſit, atque de contractu locationis, de quo fuſiùs in noſtro opere diſſeruiſſe nos iam monui. Quare idem de obligationibus reciprocis nautarum, & vectorum ſiue mercatorum, quod de oblicationibus locatoris, & conductoris ſentiendum erit, & quæ hoc loco ſuboriri poſſent difficultates ex vniuerſali doctrina inibi tradita facilè fuerit definire; pauca tamen aliqua placet ſingillatim annotare.

Præcipua itaque, & ferè vnica obligatio vectorum, & mercatorum eſt circa pactam mercedem, & leges ex conuentione locationi iſti appoſitas, quæ ſi iniquæ non ſint, ſeruandæ omninò erunt, ſicut & in cæteris contractibus, quos vulgò dicunt Iuriſconſulti ex conuentione partium pendere. Quomodo verò pacta merces operarum ſoluenda ſit, diximus fuſiùs citato capite de locatione: Hic tamen aliqua ſingularia dubia ſolent excitari.

Primum eſt, an ſi nauis conducta ſit pro certo 2
numero amphorarum, aut modiorum, v. gr. duorum millium, & eorum vel capax non ſit, vel non ſint tot impoſitæ, tota merces conuenta debeatur, *leg. fin. §. fin. D. ad l. Rhodiam de iactu.* diſtinctione ſoluitur quæſtio. *Si*, inquit, *conduxiſti nauem amphorarum duo millium, & ibi amphoras portaſti; pro duobus millibus pretium* (id eſt mercedem) *debes: Immò ſi auerſione nauis conducta eſt, pro duobus millibus debetur merces.* Hoc eſt, vt exponit Cuiacius, merces de qua conueneneris, integra debebitur, etiamſi parum, aut nihil conductor in nauem immiſerit. *Si pro numero impoſitarum amphorarum merces conſtituta eſt, contra ſe habet, nam pro tot amphoris pretium debes, quot portaſti.* Tota difficultas eſſe videtur in ſecundo membro huius diſtinctionis. Nam ſi auerſione nauis conducta eſt, quantitate non expreſſa, & non omnes amphoras, quarum capax erat, quis non impoſuerit, tota vectura debebitur, quia per conductorem duntaxat ſtetit, quominus totam capacitatem nauis impleret. Et ſanè ſolent naues pro varia capacitate minori, aut maiori pretio conduci; at verò quando non eſt expreſſa quantitas, cuius tamen non eſt capax nauis, dubitatur, an tota vectura debeatur, ſicut etiam quando ſimpliciter eſt conducta nauis, debeatur vectura pro numero amphorarũ, quarum eſt capax, etiamſi non omnes imponantur. Diuerſas DD. opiniones proſequitur Straccha. *tract.*

de nauib. 3. part. à n. 5. Res tota mihi explicanda videtur ex his quæ tradidimus *hoc ipſo libro cap. 7. art. 9. conſect. 3.* de venditione ad corpus, vel ad menſuram, & de notis quibus dignoſcatur quandonam venditio referatur ad corpus, & quando determinetur ad menſuram, deque illa vulgari regula quando præmittitur rei, vel corpori menſura adiecta, vel poſtponitur, quam etiam affert Straecha ex Oldrado, quem Legum Patrem appellat: perſpicuitatis tamen causâ plures in hoc facto, & locatione caſus diſtinguere placet.

3 Primò enim aliquando nauis certæ, & determinatæ capacitatis, verbi gratia, duorum millium amphorarum auerſione conducitur, certo, atque determinato pretio, verbi gratia, mille Ludouiceis, ſimpliciter, & abſolutè conducitur; quo caſu debentur mille Ludouicei, ſiue nauis capax, ſiue incapax tot amphorarum exiſtat, ſiue tot in illam immittantur, ſiue non immittantur, quia conuentum eſt ſimpliciter, & abſolutè de illo pretio. Neque vi conuentionis cautum eſt, vt minueretur, aut augeretur pretium pro ratione amphorarum, & numero; quanquam ſi nauta locator conſcius erat capacitatis nauis, eamque auxerit ad augendum pretium, quod alioquin conductor non dediſſet, teneatur ad reſtitutionem illius exceſſus, cùm ſciens iniuſtitiam, & inæqualitatem commiſerit, conductoremque deceperit. Quod ſi pretium non excedat valorem locationis nauis, quamuis ſit minoris capacitatis, quàm aſſeruerit nauta locator, qui quòd videret ſibi vilius, atque adeò iniuſtum ſibi pretium offerri, ideoque mendacio de iuſto pretio ſibi prouidit, peccauit quidem, & iniuriam irrogauit, damnum tamen ex eo non dedit, ac proinde nihil reſtituere ex eo capite debebit, niſi aliunde conductori nocuerit, quia coëgit eum, nauem aliam ad reliquas ſarcinas, & merces, quarum prior illa non fuit capax, magno ſuo incommodo, & grandiori pretio vrgente neceſſitate conducere, aut earum tranſuectionem in aliud tempus propter defectum nauigij differre, non ſine damno: quorum omnium causa, cùm ſciens locator nauis fuerit, ea tenebitur reparare: quæ omnia prudens arbiter expendet.

4 Secundò conducitur nauis duorum millium amphorarum auerſione, neque certa merces, aut vectura conuenta fuit, conſuetudo tamen, & vſus inibi eſt, vt certa quædam vectura ſecundum magnitudinem nauis ſoluatur; atque in illum locum, & portum, in quem deſtinatur pro ſingulis ſarcinulis, centum, aut ducentorum pondo, tale determinatum pretium, verbi gratia vnus aut duo Ludouicei; debebitur omninò tota illa vectura, quia contractus à conſuetudine tum contrahentium, tum loci, legem, & interpretationem accipiunt. Et ſapienter Vlpian. *in l. quod ſi nolit. 31. §. quia aſſidua. 20. D. de ædilit. Edict. Quæ ſunt moris, & conſuetudinis in bonæ fidei iudiciis debent venire.* & *l. ſi fundus. 53. D. de euictionib.* & denique *l. ſemper in ſtipulationib. 34. de regul. iur.* vbi fuſiſſimè Decius, atque etiam Felin. *in cap. cum M. num. 8. de conſtitution.* Atque vt aliquid magis in rem noſtram afferamus, conſtat *ex l. excepto. 18. Cod. locat.* ſi quis fundum, aut domum conduxerit mercede, ſeu penſione certa non conſtituta, illam debere præſtare, quæ pro fundo, aut domo præſtari conſueuit, quia penſio debetur ſecundùm præteritam conſuetudinem, ſi certè dicta ſit conductionis tempore.

Tertiò conducitur nauis duorum millium amphorarum, eſtque conſtituta merces pro numero amphorarum, debebitur merces pro eo amphorarum numero, quem naui impoſuerunt, quod ipſum affirmabat lex Rhodia initio allata.

Quartò conducta fuit nauis pro vectura mille amphorarum, & in lege locationis dictum eſt à locatore illam eſſe duorum millium, eam capacitatem locator præſtare tenetur, ſi quidpiam illi deſit. *l. tenetur. 6. §. ſi vas. de action. empt.*

Quintò conducitur nauis, & in locatione adiicitur numerus amphorarum, quantùm eſt capax, pro numero illo debetur vectura.

Sextò expreſſa quidem eſt certa vectura, ſed rata ad nauim ipſam, & non ad amphoras, ſiue ad menſuram; debetur integra vectura, neque nauis capacitas eſt admetienda, quia, vti diximus aliàs, locatio facta eſt ad corpus, non ad menſuram. Nam quando ad ampboras, ſiue ſarcinas, ſiue ad menſuram fuit rata locatio, ſiue vectura, vt pro qualibet ſarcina conueniatur de certa mercede, non debebitur vectura niſi pro amphoris, quæ reipſa imponantur, vti fuit aliàs loco citato explicatū.

Alterum dubium eſt, an quando conducitur 5
nauis ad vehendam familiam, aut mancipia, aut animalia, & antequam nauis appellat, pereant aliqua vel animalia, vel mancipia, vel aliqui ex familia, debeatur tota vectura etiam pro mortuis. Reſpondet Straccha. *tractat. de nauibus. part. 3. n. 7.* & diſtinguit, vel enim pacta eſt merces pro conſtitutis in naui mancipiis v. gr. & tunc licèt aliqua deceſſerint, debetur pacta merces, quia impleuit legem contractus nauta. Neque eius culpa fuit, quod operas non præſtiterit ad ipſum vſque portum, ſed caſu fortuito, vi maiore, aut ipſiuſmet fortaſſis conductoris alteriuſve culpâ: vel vectura fuit conſtituta pro ſingulis ad certum locum deportandis, & non debebitur pro mortuis antequam eò peruenerint, quia reuera tunc non fuit impleta lex, & conditio conuentionis, cenſetur enim tota illa pactio conditionalis, ſi nempe mancipia deportata fuerint: vel non conſtat, quænam fuerit conuentio mercedis, an pro impoſitis naui, an pro deportatis; & in eo dubio tota vectura debetur, quia non ſtetit per nautam: ſeruanda eſt vniuerſalis regula, quæ vult deberi totam mercedem locanti ſuas operas, quando per eum minimè ſtetit, quominus illis tuo commodo vterêre, aut tibi vtiles, & proficuæ fuerint, *l. qui operas 38.* & *l. ſed addes 19. §. cum quidam. D. locat.* vbi *§. ſi quis mulierem*, Iuriſconſultus controuerſiam illam dirimit, an pro infante in naui qua mater tranſuehitur, nato debeatur vectura, reſpondetque non deberi, quia & vectura eius leuis eſt, & non vtitur his omnibus, quæ ad nauigantium vſum parantur.

Dubitatur tertiò an vectura debeatur pro iis 6
omnibus, quæ vehuntur in naui, ſiue nauta ſciat illa eſſe in naui, adeóque portari patiatur, ſiue neſciat, & præter animum illa exportârit; quo ſecundo caſu exiſtimant aliqui non poſſe peti à nauta vecturam promiſſam, quia de ea non conuenit. Vnde & oritur illa quæſtio, vtrum nauta, qui recepit ſe Titium in naui ſua poſiturum, & deinde certo quodam loco expoſiturum, ſi Titius in naui repertus ſit, & non ibi à nauta poſitus, vbi deinde fuerit expoſitus eo deſtinato loco, nauta pactam mercedem repetere valeat. Nam aliqui negant, quia non impleuit conditionem, neque poſuit Titium in naui; quæ eſt mera cauillatio, neque enim promittebat nauta, ſe Titium ſuis hume-

ris in nauem importamrum, ſed excepturum naui ſua,& deinde in portu deſignato expoſiturum. Itaque ſi nauta promiſit aliquem ponere, vt vulgò loquuntur, aut excipere in naui, ſufficit ad integram vecturam petendam, vt illum in deſtinato loco exponat, fuit enim ipſo ſciente in naui, vti iam diximus, quare & ab eo exceptus fuiſſe iure præſumitur. Quod idem dico de rebus, & mercibus, quas nauta vehere promiſit, quæ tamen ab alio vel in nauim immiſſæ, vel naui, quam primus nauta illi dedit ſciens, delatæ ſunt, vectura ſiquidem illi debetur, quia reipſa per alium pacta conuenta adimpleuit; ſi verò ignorante nauta merces in nauim admiſſæ ſunt, & illà tranſuectæ, nullam vecturam poterit nauta petere iure contractus, aut conuentionis, quæ nulla prorſus fuit. Ex æquitate tamen illi debebitur ob operam vectori, aut mercatori præſtitam, & illius negotium vtiliter geſtum. Quod ſi non conſter, an res poſitæ fuerint a naiculario, vel eo ſciente, aut ignorante, præſumitur tamen præceſſiſſe conuentio, aut promiſſio, poteritque agi ad vecturam, quia ex quo factum aliquod reperitur, præſumitur ex præcedenti cauſa poſitum, neque ſanè vlla ratio perſuader nautam debere hoc caſu merces illas ſuis expenſis portare.

7 Dubitatur quartò an nauta, qui ſuam locauit nauim, quia tamen eam amiſit, aut ob caſum alium abſque ſua culpa, munere vehendi neque functus eſt, neque fungi potuit, poſſit petere nihilominus vecturam pactam. Reſp. ſi nullam omninò tranſuectionem præſtitit, non modò nequit vecturam poſcere, ſed ſi quam accepit, reſtituere debet, quia reuerà nullam præſtitit operam, nam ſi aliquamdiu deuexit, atque ita partem operæ locatæ exhibuit, pro proportione itineris confecti, & operæ impenſæ merces ex quadam æquitate exhibenda erit: ſi verò conductoris culpà fuiſſet detenta nauis, aut impedita, vel tardata nauigatio, vel quia merces imponendas non habebat, vel quia illicitas merces intulerat, quæ fuerunt tollendæ, aut quapiam alia de cauſa à conductore poſita; poterit nauta ſuam vecturam exigere, quod nemo iure negabit; poſtular enim æquitas, vt culpa ſolius conductoris ipſi etiam ſoli noceat, non locatori, qui damnum abſque ſua culpa, & ex culpa conductoris ſentiret.

8 Dubitatur quintò an locanti alienam nauim conductor debeat pactam mercedem, an nauis domino, v. g. prædo nauim tibi locauit, quam deprædatus erat, téque, tuaſque merces tranſuexit, deinde verus dominus illius nauis naulum, & tranſuectionis pretium à te petit, quod iam dediſti prædoni. Certum eſt, dominum agere quidem poſſe in prædonem, non autem, in conductorem, qui legitimè prædoni, cuius induſtria fuit vſus, ſoluit, neque debet domino nauis, cuius induſtria vſus non eſt, & lucrum ſiue præmium induſtriæ, & non nauis dumtaxat eſt. Si autem conductor nauis ſibi ab eius domino locatæ ſoluit prædoni, non liberatur, & debet domino cui promiſerat, cuiúſque naui vectus erat, non prædoni, in quem habebit actionem ex condictione indebiti; ſi illi ſoluerit.

9 Ad extremum obſeruandum eſt, res illatas in nauim conductam obligatas manere pro mercede pacta tranſuectionis, etiam cum priuilegio prælationis aduerſus omnes alios creditores, licèt anteriores, quod certi iuris eſſe affirmat Straccha *3. part. citat. n. 29.* quaſi ea merces pro conſeruatione earundem rerum debita ſit. Quare Neguſan. *de pignorib. 4. memb. 2. part. princip. n. 169.* monet id R. P. Gibal. de Negotiat. diligenter notandum eſſe in locis maritimis, vbi frequentius iſta accidunt. Eadem prælatio tribuitur ſuppeditantibus ſumptus, vt cibaria nautarum, armamenta, & refectionem nauis, quod obſeruat quoque laudatus Straccha. *n. 30.* Vide quæ nos fuſiùs diſputauimus *opere de vſuris lib. 3. cap. 7. art. 10.* vbi de iure prælationis creditorum fuſiùs diſputauimus, & *n. 7.* hunc ipſum caſum attulimus.

ARTICVLVS VIII.

Quæſtiones conſectariæ ex proximis articulis.

Conſect. I. *Ad quid obligetur nauta, ſi merces quas vehit, commiſſa ſunt propter non ſolutum portorium, publicanis illud accipere iniuſte recuſantibus.*

II. *An nauta cogi poſſit nauigare.*

III. *An nautis in nauis miniſterio laborantibus tacita in naui pro præſtitis operis detur hypotheca.*

IV. *Caſus alij ſingulares.*

EX iis quæ de obligationibus tum nautarum, tum vectorum, ſiue mercatorum diſputata ſunt, plures quotidianæ difficultates explicabuntur.

CONSECTARIVM I.

Ad quid obligetur nauta, ſi merces quas vehit, commiſſæ ſunt propter non ſolutum portorium, publicanis illud accipere iniuſtè recuſantibus.

CAius nauigat onuſta mercibus naui, appellénſque Genuam offert publicanis ſolitum portorium pro ratione ponderis alibi æſtimatarum mercium, recuſant publicani, prætenduntque eſſe maioris ponderis, quàm ferat Schedion loci, in quo fuerunt appenſæ. Nauta ne proſperiorem auram perderet, ſolutis anchoris pandit vela, excedítque è portu, quem inſequti publicani merces incidiſſe in commiſſum contendunt, eaſque ſibi vindicant, Duo hîc quæruntur, primum an reipſa illæ merces commiſſæ ſint; ſecundum, an de commiſſis illis mercibus nauta domino teneatur, culpa enim nautæ fuit, quod non ſoluto portorio exceſſerit è portu.

Reſpondet Straccha *de nautis 5. part. q. 1.* allegans Raphaelem, merces illas non fuiſſe iure commiſſas, quia nauta profeſſus erat, & obtulerat ſoluere, & illum magno ſuo damno, atque iniuria publicani in portu detinebant. Deinde quia quando ex facto nautæ res aliquæ in commiſſum cadunt, id verum eſt quoad res ipſiuſmet nautæ, non domini rerum illarum abſentis, qui cùm iuris præſumptione ignorans cenſeatur, non debet ob alterius culpam nulla à ſe commiſſa fraude dominio rerum ſuarum priuari. Quare neque ſtatutum, aut lex, quo caueretur, vt res cuiuſcumque eſſent, certo quodam caſu committerentur, noceret externis illius ſtatuti neſciis, niſi idem ſtatutum, aut conſuetudo communiter etiam alibi vigeret, ita vt ignorantia in illo prætendi, & præſumi non poſſet. Denique cùm nauta non ſit ſoluendo, neque earum mercium

valorem domino reſtituere poſſet, qui magis quàm nauta puniretur, reuerà dominus ſoluto publicanis vectigali, ſuas merces recuperare debet, quod pluribus allatis iuribus à Bartolo oſtendit ibidem Straccha, quæ non vacat ſingillariùs expendere.

Hinc ſoluitur ſecunda Quæſtio, ad quid obligetur nauta mercatori, cuius in eo caſu merces commiſſæ fuerunt. Reſp. enim primò quoad merces commiſſas ad nihil teneri, quia non eius culpa, ſed ſcelere publicanorum commiſſæ ſunt, habétque ille vindicationem, & actionem aduerſus publicanos ad recuperationem ſuarum mercium, quæ etiam ante ſententiam Iudicis, & in foro interno ſunt reſtituendæ, & damnum illatum reparandum, quandoquidem per iniuſtitiam illatum fuit, vti oſtendimus, & durum eſſet omninò nautam obligare ad mercium ſibi iniuſtè ablatarum, & ſine ſua culpa reſtitutionem.

Secundò quod attinet ad vectigal, ſi illud ex pactis conuentis ſoluere debuit nauta, & illud non ſoluit eo quod non fuerit acceptatum, ipſum deinde mercator ad recuperandas ſuas merces, cùm præſtiterit id quod nauta præſtare tenebatur, ab ipſo repetet; quod ſi ſoluerit aliquid ampliùs, quam iure ſoluere tenebatur nauta, qui iuſtum & ſufficiens portorium obtulerat, aut ſoluerat, quo tamen contenti non fuerunt publicani, illúdque auctarium dare coactus fuit mercator ad merces, iniuſtè licet commiſſas recipiendas, non poterit eiuſmodi exceſſum à nauta repetere, quia illud ipſe dare non tenebatur, ſed iuſtum dumtaxat, & ſolitum vectigal. Exceſſus verò ille extortus per iniuriam fuit à publicanis, quorum culpam nauta nec luere, nec præſtare obligatur; quare ab ipſiſmet publicanis, qui iniuſtè auctarium exegerunt, repoſcere debebit mercator, non à nauta.

CONSECTARIVM II.

An nauta cogi poſſit nauigare.

NOn agimus de nauta cum quo iam pactus es, qui iam tuas ſarcinas in nauim immiſit, aut ad certam diem ſoluere è portu ſe obligauit, neque reflantem, ſed fauentem ventum habet, aliúdve impedimentum legitimum, ſed ſponte ſua moratur; conſtat enim illum ex contractu cogi poſſe ad nauigandum, & ſi quod ſua illa mora damnum afferat vectoribus, aut mercatoribus, ex illo dubioprocul teneri, vti dicemus ſequenti articulo. Quærimus itaque de nauta, qui huic miniſterio addictus eſt, & te in naui ſua excipere, aut mouere ſe è portu non vult, an illum oblato iuſto naulo cogere iure poſſis, vt nauiget. Ratio dubitandi petitur ex eo quod perpetuò in iure nautæ, caupones, & ſtabularij comparentur, iiſdemque legibus iudicentur, vt vides. *in D. nautæ, caupones, ſtabularij, & D. furti aduerſus nautas, caupones.* Quo vltimo loco, *l. vnic.* diſertè pronuntiat Iuriſconſultus, cauponem vel ſtabularium non poſſe repellere iter agentes, & hoſpites à ſua caupona, vel ſtabulo. Neque igitur poterit nauta vectores, vel mercatores à ſua naui repellere, neque ſit maior iniuria in eo caſu nautæ, quàm cauponi, quia licet fuerit illis liberum huic miniſterio ſe addicere, vel non addicere, liberúmque etiam hodie illud retinere, & exercere, aut deſerere, quamdiu tamen illud exercent, neque hoſpites à caupona, neque vectores à naui repellere iure poterunt. Itaque ſentit Paris de Puteo *tractatu de ſyndicatu. verb. aduocati.* & refertur *tom. 14. tractat.* Illi adhæſit Straccha. *tract. de naut. 5. part. quæſt. 4.* Vbi tamen ſapienter aduertit, Paridem minus benè probare ſuam ſententiam ex *l. nauarchorum. Cod. de nautis.* Ibi enim, vt nuper oſtendimus, agitur de nauarchis annonariis, ſiue qui annonam Reipublicæ deuehere tenebantur, & tempore quoque præſcripto, immò neque priuati poterant excuſare ſuas naues, id eſt, ne illas, vbi neceſſitas vrgeret, publicis eiuſmodi tranſuectionibus commodarent. De nautis autem priuatis quoad iſtam nauigandi obligationem, vbi à vectoribus, & mercatoribus inuitarentur, nihil vſpiam habetur. Neque ſanè ij ſunt mores, niſi, vt dicebam, præceſſerit aliqua inter eos conuentio, quidquid ſit de cauponibus, qui vix tenentur quoſlibet obuios hoſpites recipere, maximè vbi ſunt plures cauponæ. Sapienter verò monet Straccha, tutum non eſſe inuitis nautis nauigare, cum etiam volentibus vix ab eorum fraudibus tuta vnquam ſit longior nauigatio.

CONSECTARIVM III.

An nautis in nauis miniſterio laborantibus tacita in naui pro præſtitis operis detur hypotheca.

RAtio dubitandi eſt, quia nuper monebamus dari tacitam hypothecam iis qui conferunt neceſſaria ad armandam, & reficiendam nauim, aut ad cibaria neceſſaria nautarum, quia ſine his nauis conſeruari, & nauigatio inſtitui non poſſet, idque velle *l. interdum. D. qui potior. in pignor.* Reſp. Nihilominus cum Straccha *5. part. citata, ſub fin.* non eſſe concedendam hanc tacitam in eo caſu hypothecam, quia vti diſputantes de hypothecis, *Opere de vſuris, lib. 3. cap. 7. art...* diximus, tacita hypotheca conceditur à lege in certis caſibus, quos illa exprimit, neque extra illos fingi à nobis poteſt, quod enim non conceditur niſi à iure, & non ab homine, exprimi neceſſe eſt in iure, & vbi expreſsè non reperitur, nequit ab vllo Doctore, alióve concedi, alioquin non concederetur à iure, ſed ab homine. Itaque niſi ille qui concedit, condat nouum ius, non poterit ea conceſſio fieri à iure; atqui inter caſus, in quibus ius concedit tacitam hypothecam, iſte de quo agimus, non numeratur in iure. Neque ſanè à Neguſano, Merlino, aliiſve qui diligentius materiam hanc pignorum, & hypothecarum perſequuti ſunt, recenſitus vnquam eſt. Nos igitur illum agnoſcere non debemus. Neque *in l. interdum. allegata* traditur regula ita vniuerſalis, vt quiſquis quidpiam contulit ad conſeruationem alicuius rei, illam rem ſtatim ſibi habeat hypothecatam, ſed ſolùm in quibuſdam caſibus ibidem expreſſis, quia in illis itur in creditum, eſtque mutuaria pecunia, cuius ſecuritati illa ſua lege voluit ius prouidere, vt faciliùs in illis caſibus eiuſmodi rerum conſeruationi prouideretur, quod non fieret, ſi qui credito tradit ſuam pecuniam, illius periculum ſe incurrere exiſtimaret.

CONSECTARIVM IV.

Caſus alij ſingulares.

PRimò ſint duo domini eiuſdem nauis, vnus opportuno tempore illam nauigare vult, alter verò otioſam in portu detinere. Ex his prioris illius potiores ſunt partes, & poterit inuito ſocio nauigare, quia poteſt quis re ad vſum parata vti velle, & vtiliter agere recuſante ſocio, & nauis non eſt niſi ad nauigandum. Itaque hanc ſententiam ſequitur, & pluribus oſtendit Stracchа, *tract. de nauib. 3. part. n. 6.* quia quando negotium eſt tale, vt ex parte expediri non poſſit, poterit ſocius, ſi vtiliter agit, inuito altero re communi vti ad communem vtilitatem.

Secundò, dum nauis domini diſſentiunt in præponendo Magiſtro nauis, ſi velint, ſinguli ſuum præponere, poterunt, ſed tenebuntur illorum facto, quia vterque eos præfecit, aut præfici paſſus eſt, *l. 1. D. de exercitor.* Si vnum tantùm magiſtrum nauis velint, & in eo eligendo diſſentiant, præferendus erit, qui peritiorem, & magis idoneum deſtinârit, quia quiſque dominus illius, vt dixi, facto tenebitur, neque aut magiſtri imperitiam, aut improbitatem poterit obtendere; ſibi enim ipſi tribuere debet, qui talem magiſtrum præfecerit, aut præfici permiſerit.

Tertiò, quoties nauis refectione indiget, ſi vnus dominus communem nauem, quæ vitium aut fecerat, aut minabatur, communi nomine refecerit, altero domino ceſſante, aut negligente, debet illi ſocius nummos ſui cauſâ expenſos intra quatuor menſes vnâ cum certis vſuris reſtituere, alioquin ſocius, qui refecit, poteſt illam ex ſolido ſibi vindicare, & obtinere, niſi malit, quod impendit, conſequi, quàm dominium illud comparare. Ita de refectione Inſulæ ab vno ſocio factæ, cæteris ceſſantibus, *in l. ſi fratrês,* quæ comprehenditur *in l. 52. D. pro ſocio,* pronuntiat Papinianus ex oratione Diui Marci. Idem ſubinde circa refectionem ædificij ab vno ſocio, altero ceſſante, conſtitutum eſt, *l. ſi vt proponis. C. de ædificiis priuatis.* quæ intra quatuor menſes nummos pro ſocio expenſos ab illo reſtitui, & centeſimas quoque vſuras ſolui mandat, alioquin ſocius qui impendit ius domini pro ſolido, vindicare poterit vſuras centeſimas, quas mulctæ cauſâ imperari exiſtimo, alioquin enim lex Principis permittere nequit, niſi ex aliquo legitimo titulo debitæ eſſe ſupponantur, vti monuimus *lib. 1. operis de vſuris.* Certum igitur eſt ſocium ceſſantem, dum alter rem communem reficit, debere impenſas ſuo nomine factas reſtituere cum vſuris, niſi partem ſuam velit amittere, quod dicendum eſt in refectione nauis communis, in qua hæc conſtitutio à D. Marco, & conſequentibus Imperatoribus lata, eò ſanctiùs ſeruari debet, quò faciliùs naues incuriâ, & defectu neceſſariæ alicuius reparationis ſæpiſſimè pereunt, magno deinde vtriuſque domini damno, quod diligentior cura, & refectio impedire potuiſſet. An verò nauis reparata, maximè ex iiſdem tabulis, eadem, aut noua dicenda ſit, diſputant Iuriſconſulti. Sanè ſi prorſus diſſoluta fuerit, quamuis deinde iiſdem tabulis reparetur, noua erit, vt ait Paul. *l. inter ſtipulantem. 83. § ſacram. D. de verbor. obligat.* Si verò per partes reficiatur, & ſenſim, ſiue iiſdem, ſiue nouis tabulis; eadem perſeuerare cenſebitur: quare ſi nauta illam prius promiſerat, non tenebitur aliam deinde præſtare vi conuentionis prioris.

Quartò empta naui cum ſuis inſtrumentis non intelligitur empta ſcapha, ſcribit Sæuola *l. fin. D. de inſtruct. legat.* contra Paulum, quia illa non eſt inſtrumentum nauis, à qua ſola magnitudine differt, & non genere; eſt ſiquidem parua nauis, ſiue nauicula. *Inſtrumentum autem cuiuſque rei neceſſe eſt alterius generis eſſe, atque ea quæque ſit.* Et hanc reſponſionem placuiſſe Pomponio affirmat. Placuit quoque Alpheno in *l. Scapham. 44. D. de euiction.* vbi ait ſcapham neque aliquid nauis eſſe, neque quidpiam cum ea coniunctum, ſed per ſe paruam nauiculam: coniuncta enim naui dicimus, quæ ſunt quaſi eius membra, vt gubernaculum, malus, antennæ, velum. Denique *l. Marcellus 3. D. de rei vindicatione,* armamenta nauis ſingula dicuntur eſſe vindicanda, & ſcapha quoque ſeparatim vindicabitur, ideóque proſcripta, & publicata naui, ſcapha non cenſetur publicata. Inde quoque illa controuerſia, cuius meminit Cicero. *lib. de inuent.* hoc modo. Lex eſt; Qui in aduerſa tempeſtate nauim reliquerunt, omnia amittunto, eorum nauis, & onera ſunto, qui in naui remanſerunt. Duo quidam cum iam in alto nauigarent, & cum eorum alterius nauis onus eſſet, naufragum quendam natantem, & manus ad ſe tendentem animaduerterunt: miſeriâ commoti nauim ad eum applicuerunt, hominem ad ſe ſuſtulerunt; poſt aliquantò ipſos quoque tempeſtas vehementius iactare cœpit vſque adeò vt dominus nauis, cùm idem gubernator eſſet, in ſcapham confugeret, & inde funiculo, quia puppi religatus, ſcapham annexam trahebat, nauim quoad poſſet moderaretur: ille autem, cuius merces erant, in gladium ibidem in naui incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum acceſſit, & naui quoad potuit eſt opitulatus: ſedatis autem fluctibus, & tempeſtate iam commutata, nauis in portum prouehitur: ille autem qui in gladium incubuerat, leuiter ſaucius, facilè eſt ex vulnere recreatus. Nauim cum onere horum trium ſuam quiſque eſſe dicit; hîc omnes ſcripto ad cauſam accedunt, & ex nominis vi naſcitur controuerſia. Nam & relinquere nauim, & remanere in naui, denique nauis ipſa, quid ſit, definitionibus quæritur, an videlicet qui in ſcapha erat, & inde nauim regebat funiculo, nauim reliquiſſe dicendus eſſet.

Quintò quærit Boër. *q. 177.* an vendita naui laudemium Regi debeatur, quod omninò affirmat Boër. Negat verò fuſius Stracchа *tract. de nauib. 2. part. num. 31.* qui non vult vnquam deberi laudemium ex re mobili, qualem omninò eſſe nauim pluribus contendit cum Tiraq. *de vtroque retractu. §. 1. num. 88.* & aliis benè multis, quos allegat. Et habemus *ex l. 1. D. de vi, & vi armat.* & *l. vim facit. §. pen. D. quod vi aut clam.* Et ſanè quid mobilius naui, quam venti impellunt, quemadmodum virtutes fortuna, inquit Tyr. *ſerm. 24.* *ἡ δὲ ναῦς ἄρχεται ὡς ὑπὸ ψυχῆς σῶμα, τὰ δὲ πνεύματα ἐπιῤῥεῖ ὡς ταῖς ἀρεταῖς ἡ τύχη.* Auguſtin. *lib. 2. de ordine. cap. 6.* vt doceat mentem ſapientis manere immobilem, licet corpus huc, atque illuc vagetur. *Iſte enim modo*, inquit, *potes dicere, cùm mouetur nauis, homines qui in ea ſunt non moueri, quamuis ab ipſis eam poſſideri, gubernarique fateamur.* Vide Chopin. *ad conſuetud. Pariſienſ. lib. 1. tit. 1. n. 14.* Verum iam nobis certum eſt *opere de vſuris lib. 4. cap. 4. art. 33. n. 2.* immobilitatem non

eſſe eſſentialem rei cenſitæ, ſiue cenſum ſpectata tantùm rei oatura, & ſecluſa omni lege poſitiua cunſtitui poſſe in re mobili: nihilominus ex lege Pontificia Pij. V. conſtitui non poſſe, vti oſtendimos *n.* 3. lexque illa irritans eſt, & non ſolùm prohibens contractum ſecus factum; quare vbi illa Pontificia Conſtitutio viget, vt in Italia, & maximè in Ditione Pontificia, in qua ſcribebat Straccha Ciuis Anconitanus, cenſus ſuper re mobili conſtitutus nullus omnino eſt. In Gallia verò vbi non obligat einſmodi ſanctio, mobilitas rei non impediet, quin cenſui temporali ſubiici queat, atque adeò ſuper naui creari poterit, niſi quidpiam alıud obſtet. Quare ſi qois eiuſmodi cenſualis Canon imponatur naui, atque ſeruetur aqualitas, & cæteræ conditiones contractui cenſuali eſſentiales, validus omninò erit. Placet verò quod addit Straccha, non deberi Regi cenſum ea nauibus, quamuis concederetor inter mobilia numerari, ſed aliis quorum naues eſſent; niſi enim naues ſint Regiæ, non poterit ſuper illis Rex cenſum conſtituere magis, quàm ſuper aliis priuatorum rebus: poterit quidem veſtigal aliquod nauigantibus, aut ſingulis nauibus è portu ſoluentibus, aut in portum inuectis indicere; qua de re *cap. proximo*, ſed ille Canon non erit verus, & proprius contractus cenſualis.

Sextò, qui conuenit ſe Kalendis Maij Maſſilia Conſtantinopolim naoigaturum, ſatisfecit conuentioni, modò, dũ incipit naoigare, ſit ſatis temporis ad perficiendam naoigationem intra tempus conſtitutum, & terminum toti nauigationi aſſignatum. Idcircò ſapienter Straccha. *tractat. de nauigat. num.* 13. monet mercatores vt claris, & perſpicuis verbis ſuas conuentiones, atqoe mentem explicent, nam illa verba allata ferè ambigua ſunt, vti ex DD. diſſidiis eo loco colligitur.

Septimò, qui Romam Maſſilia nauigare obligatur, licet aliquandiu hæreat Genuæ, aut Liburni, non violat cooueutionem, neque interrumpere dicitur nauigationem, aut multiplicem facit; nam itus, & reditus vnam nauigationem faciunt, vti contendit *ibid.* Straccha, *n.* 16. Quamquam verius exiſtimarim, conſulendam tum conſuetudinem, tum conuentionem, vna, an duplex ſit, & finis ad quem nauigatur, aliquando enim poſtolat ſolum itom, & non reditum, v.g. delatio mercium Romam, vbi enim eò delatæ fuerint merces, liberum eſt nautæ vel Maſſiliam redire, vel aliò quò voluerit naoigare. Itaqoe appulſus Romam eſt tota nauigatio, eaque vnica, nihilque habet conneaionis cum reditu Maſſiliam vi conuentionis initæ; alias verò nauigatio neceſſariò inclodit reditum, v.gr. paciſcitur mercator cum naota, vt Maſſilia nauiget Conſtantinopolim, indeqoe certas merces Maſſiliam veha. Certum eſt, nauigationem non perfici, niſi vbi nauis Maſſiliam redierit, neque eſſe duplicem nauigationem, ſed vnam, ex quibus deinde plurimæ difficultates explicantur.

Octauò, Callimachus, Cornelius, & Lucas conueniunt, vt duo poſtremi cum tribus triremibus in Britanniam proficiſcantur ea lege, vt ſi noo reperiant merces, quas à mercatoribus accipere debebunt, quæ triremibus onerandis ſufficerent, earum vice lanas, & alia quædam emerent, eamque in rem pecunias à Leonardo mercatore acciperent ex litteris, quas ad illum Callimachus totius negotij, & nauigationis adminiſtrator ſcriberet. Nauigant igitur Cornelius, & Lucas, & neque merces, quas quærebant à mercatoribus, accipiunt, neqoe lanas ſibi comparant, quia Leonardos Callimachi litteras recuſat, negatque ſe ab eo monitum ea de re fuiſſe: redeunt igitur vacuis triremibus, & aduerſos Callimachum pro intereſſe, & damno, quod ex otioſa, ſterilique nauigatione paſſi ſunt, agunt. Conſoltus Alexander *conſilio.* 52. damnat Callimachom, neque exiſtimat teneri Cornelium, & Lucam probare, Callimachum ſcripſiſſe litteras inanes, & ſe non reperiſſe merces, quibus onerarent triremes, quas vacuas reuexerunt.

Nonò, pepigit ciuis quidam Florentinus, frumentum Siculum emit ab Arnaldo mercatore Barcbinonenſi ea lege, vt ſuo periculo illum ad certum vſqoe portum deportaret, præſtaretque omnes caſus etiam fortuitos, præterquam naufragij ex tempeſtate, aut capturæ à maiori vi. Dum nauigat Arnaldus iubetur ab Archionis Rege ſub pœna æris, & capitis frumentom illud Archionem deuehat; quod præſtitit. Conſultos eſt Baldus, an Arnaldus propter non impletam conditionem conuentionis teneatur pœna conuentionali, vti vrgebat Florentinus. Reſpoodit Baldus diuerſis locis diuerſa, & Arnaldom modò abſoluit, modo damnauit, quæ pugna Baldi cum ſe ipſo ſtomachum mouit Stracchæ *tractat. de nauigat. num.* 21. qui veriùs Arnaldum excuſat, cùm in culpa non fuerit, & conoentionalis illa pœna Iudicis aothoritate emendanda ſit, & ex quadam æquitate innocenti Arnaldo ſuccurrendum, vti ex quibuſdam aliis non multùm diſſimilibus oſtẽdit. Adderem & ego, vim illi factam ab eo Rege æquiualere illi, qua nauis caperetur, quam vim ex conuentionis lege præſtare non cogebatur, quandoquidem excepta erat, ſicut & naufragium.

Ad extremum ſubiicio regulam vniuerſalem, quam attulit ipſe quoque Straccha. *n.* 24. In nauticis conſulendam eſſe legem vel Rhodiam, vel Romanam, aliamve, ſi quæ ſit aut ciuilis, aut municipalis, ſiue ſtatuta maritimarum ciuitatum. Vbi deficit lex, attendenda erit, vti in omnibus aliis, recepta conſuetudo, modo ea rationabilis ſit, hoc eſt, neqoe æquitati naturali, neque receptæ, & vrgenti legi aduerſetur, quod ſi lex, & conſoetudo ſileant, conſulendi erunt rerum nauticarum benè periti, atque in iis cauſis verſati, ex eorumque ſiue ſententia, ſiue arbitrio, quæ ſoborietur controuerſia definienda omninò erit, quod perito viro non fuerit difficile.

ARTICVLVS IX.

De Naufragio, iactu mercium, & iis quæ extrahuntur è mari.

Ille ferre debet naufragium, cuius graui culpa contigit. In princip.

Tempeſtas naucleri culpa tribuitur, ſi vetita, aut minus idonea tempeſtate nauigarit, eiuſque præfracta temeritate vel naufragium, vel mercium iactus acciderit. 1.

Reus eſt nauta ſi intra pactum tempus non nauiget. 2.

In culpa eſt nauta, ſi neglecta commoda tempeſtate

peſtate in portu ſine graui cauſa ſubſiſtat.3.

Nauta, qui ſolita nauigatione contempta, & dimiſſo recto itinere littora deuia ſectatur, damnum reſarcire tenetur.4.

Reus eſt nauta, cuius culpa periere merces, quòd ipſas ex vna naui in aliam deteriorem tranſtulerit.5.

Reus eſt nauta, qui minus idoneos miniſtros naui regendæ adhibuit.6.

Nauta culpâ non caret, qui nauim plus æquo onerauit, ſi ob id mercium iactura facta fuerit.7.

Idem nauta culpâ non vacat, ſi per loca manifeſtè periculoſa, & non tuta nauigauerit.8.

Nauta tenetur mercatoribus, qui, quòd illicitas merces in nauim immiſerit, cauſa fuit vt cætera merces publicatæ fuerint.9.

Si culpa nautæ nauis capta fuerit, & merces direptæ, tenetur nauta illis mercatoribus.10.

Nauta non caret culpâ, ſi nauis, aut merces perierint ex eo quòd nauigium non inſtruxerit armamentis neceſſariis.11.

His omnibus incommodis ſapienter cauit lex Rhodia.12.

Nautæ non tenentur præſtare damnum, ſi naufragium contingat diuina tempeſtate.13.

Nulli licet res ex Naufragio extractas apprehendere, ne fiſco quidem.14.

Res in mari ablatæ, aut deperditæ, ſolis mercatoribus reſtitui debent ex lege Alphonſi Regis Hiſpaniæ.15.

Explicatur l. Rhodia de iactu mercium, 16.

Damnum, quod ex iactu mercium, & leuata naui fit, omnium contributione ſarciendum eſt.17.

Omnes, quorum interfuit iacturam fieri, conferre debent ad reſarciendum damnum.18.

Contribuentium portio pro damno reſarciendo fieri debet pro æſtimatione rerum, quæ ſaluæ factæ ſunt.19.

NAufragium aliquando culpâ hominis contingit, aliquando fortuito caſu, quem nullus neque præuidere poteſt, neque proinde præſtare tenetur, ſiue ſit ille, diuina tempeſtas, vt loquuntur, quæ proſpici, aut præueniri non potuit, ſiue quod aliud infortunium, & calamitas. Sæpiſſimè etiam ad auertendum, quod timetur imminens naufragium, & leuandam ſuo onere nauim iactantur merces in mare, facto verò naufragio, maximè ſi portus, aut littus non longiùs diſtet, propelluntur ad littus, & eiiciuntur, aut extrahuntur, quæ ſubmerſa fuerant, de quibus omnibus plurimæ excitari ſolent controuerſiæ, quas definiemus hoc loco, & ſimul *D. de l. Rhodia. de iactu,* atque *Cod. de naufragiis,* explicabimus.

Certum verò in primis eſſe debet, illi ferendum eſſe naufragium, cuius culpa contigerit, ſiue is nauta, ſiue mercator exiſtat, qui enim non eſt cauſa culpabilis damni illati, illud reparare non debet; qui verò culpa ſua damnum fecit, illud reſarcire tenetur. Ea porrò culpa grauis, & Theologica eſſe debet, vti diximus *opere de Vſuris. lib.1. c.8. art.3.* & fuſiùs iterum confirmabimus *lib.4. in Appendice de reſtitutione,* & hoc loco ſupponimus.

Tota igitur difficulias modò eſt, vt videamus, quis, & quandonam aliquis ſua culpa det cauſam naufragio.

Primò igitur culpæ naucleri tribuitur, ſi vetita, aut minùs idonea tempeſtate nauigarit, eiuſque præfracta temeritate, vel naufragium, vel mercium iactus acciderit, idcirco deſignata erant tempora, quibus maria claudi, vel aperiri dicebantur, & apud Romanos quidem à Kalendis Aprilis ad Kalẽdas Octubris nauigabatur, hyeme verò, quia maximè procelloſum eſt mare, claudebatur. Vide Vege. *lib.4. cap.39.* Verum eædem vbique tempeſtates commodæ, aut incommodæ non ſunt nauigationi, neque ſingula maria ſimul aperiri, aut claudi ſolent, immò neque poſſunt, & quo tempore vnum clauditur, alterum aperitur, vt ex Luſitanorum, aliorumve in Orientem, Occidentemve longioribus nauigationibus conſtat, ipſorumque hiſtorici paſſim obſeruant. Qui igitur nauta nauigabit clauſo mari, cauſam ſua culpa dediſſe naufragio, aut mercium iactui iure merito præſumitur. Quare Paul. *l. vtique.16. D. de rei vindicatione,* negat culpam intelligi (nempe nautæ) *ſi nauem petitam tempore nauigationis trans mare miſit.* E contrario verò Caius *in l. qui petitorio.36. §. culpæ. D. eod.* reum culpæ eſſe ait eum, *qui nauem à ſe petitam aduerſo tempore nauigatum miſit, ſi ea naufragio perempta eſt.* Si quo igitur non debuit tempore, vt loquitur Vlpian. *l. Item quæritur, 13. §.1. D. locati,* nauiget nauicularius, in culpa omninò eſt. 1

Secundò reus eſt nauta, qui intra certum tempus conuentum nauigare promiſit, & non niſi poſt illud nauigat, tunc enim cùm non ſtet pactæ conuentioni, ſuo periculo nauigat, ſiue, pecuniæ traiectitiæ periculum ad ipſum pertinebit. Idque traditur *l. qui Romæ. 122. §. Callimachus. D. de verbor. obligation.* quem §. fuſiſſimè expoſuimus *opere de vſuris. lib.2. cap.4. art.3. n.5.* 2

Tertiò, nauta, qui neglecta commoda tempeſtate, & proſperiore aura in portu ſine graui cauſa ſubſiſtit, vnde fit, vt vel merces iam in nauem immiſſæ pereant, aut deteriores fiant, aut deinde vbi nauigat reflante vento, vel naufragium, vel iactum mercium patitur, in culpa eſt, & damnum reſarcire tenetur, quod probat Stracchà *tractat. de nautis, 3. part. n.5. ex l. fin. C. de nauiculariis.* Iubet enim, vt ſi nauicularij prætextu hyemis immorentur in portubus cum onuſtis nauigiis, dum proſperior flatus inuitat, tam Iudices, quàm municipes, & corporati, qui id fieri permiſerint, confiſcentur, nauicularij autem deportentur. Corporatos autem vocat ſuarios, boarios, pecuarios, & alios eiuſmodi negotiatores. Denique rem totam mihi definite videtur Vlpian. *l. 2. §. ſi quis tamen. D. ſi quis cautionibus. Si quis tamen cùm poſſet non incidere in tempeſtatem, vel in fluminis vim, ſi ante profectus eſſet, vel tempore opportuno nauigaſſet, ipſe ſe arctauerit; nunquid exceptio ei minimè proſit.* Nimirum exceptio ſiſtendi ſe Iudici, de qua eo loco diſputat 3

Iuriſcon

Iuriſconſultus. Reſpondetque huic quæſtioni. *Quod quidem causâ cognita, erit ſtatuendum, nam neque ſic arctandus ſit, vt poſſit ei dici, curnon multò ante profectus eſt, quàm dies promiſſionis veniret, neque iterum permittendum ei, ſi quid ſit quod ei imputetur, cauſari tempeſtatem, vel vim fluminis.* Hæc Iuriſconſulti regula circa excuſationem ſiſtendi ſe iudicio, vti quis promiſerit, qui deinde excipit aut tempeſtatem, aut vim fluminis, idonea mihi videtur in hac controuerſia. Neque enim ita arctandus eſt nauicularius, vt ipſo momentu aſſignati temporis ſoluat è portu, aut vbi primùm aura commodior ſpirare inceperit: nam poterit aliquamdiu ſpectare, vtrum duratura ſit ea proſperior aura, neque etiam permittendum eſt ita pro libito ſubſiſtere, & deinde ſi quid triſte accidat in ſubortam tempeſtatem, quam ſuperare non potuit, referre, atque ita ſe omni damno, vel pœna eximere. Debet igitur aſſignata die nauigare niſi graui aliqua, & legitima cauſa impediatur, vt morbo, tempeſtate, ſimilique aliu impedimento detentus, ſiue dolo & culpa moretur.

4 Quartò, quoties ſolita nauigatione contẽpta, & dimiſſo recto itinere littora deuia ſectatur, ſi merces idcircò perierint, quia vel à pyratis captæ ſunt, vel coorta procella in mare iactatæ ſunt, de illis tenebitur nauta, quia ſua culpa cauſam dedit huic damno. Ita pluribus adductis Boër. *deciſion.* 178. & ex illo, aliiſque Straccha *tractat. de naut. 3. part. num.* 6. probant ex *l. qui fiſcales. 5. C. de nauicular.* vbi capite plectitur nauicularius, qui ſpecies fiſcales deportandas ſuſcipiens, recta nauigatione contempta littora deuia ſectatur. Verùm non imponitur ea pœna, niſi quia ſpecies illas auerterat, atque vt auertere poſſet, rectam nauigationem tenere noluerat, fueratque littora deuia ſectatus, vt faciliùs onus auertere poſſet. Oneris igitur ſuſcepti, & publici auerſio, & non exertatio à communi via capite punitur ea cuuſtitutione, in qua nulla fit mentio aut tempeſtatis, aut amiſſionis mercium. Meliùs itaque probatur ex *l. cum proponas 3. Cod. de nautico fœnor.* vbi damnatur debitor ad caſus, qui eius culpa acciderant, fuerantque cauſa, quominus creditor ſuam traiectitiam pecuniam, eiuſque fœnus minimè recepiſſet; ipſe enim ſolius maris periculum ſuſceperat, neque ob illud perierat illi ſua pecunia, & amiſſæ fuerant merces, ſed quia nequidem nauigij tempus ſeruatum fuerat, & quia illicitis mercibus nauem onerarat, quas fiſcus occupauarat. Cum igitur *amiſſarum mercium detrimentum non ex maris diſcrimine, ſed ex præcipiti auaritia, & inciuili debitoris audacia accidiſſe conſtaret,* non fuit creditori aſcribendum, ſed debitori, qui eius cauſa fuerat. In caſu verò noſtru idem contingit; nautæ enim audacia, vel auaritia, vel imperita, deuia ſectantis, dimiſſo recto itinere, & curſu fuit cauſa amiſſarum mercium, quas idcircò præſtare tenemr. Requiro verò culpam in ea exertatione à communi nauigatione. Nam ſi grauis, & iuſta cauſa illam perſuaſit, vel coëgit, ad nihil eo ex capite tenebitur, quidquid exinde fuerit conſecutum: v. gr. neceſſariò nauis quaſſata, aut vitium faciens in vicino portu, quamuis extra viam poſito reficienda fuit, aut quærenda annona, quæ aut defecerat, aut corrupta fuerat; vel imminente tempeſtate, aut vrgentibus piratis eò confugiendum fuit, vel vis ventorum eò inuitos inuexit; in omnibus iſtis caſibus exertationem licitam eſſe, neque culpæ nauicularij tribui iure poſſe contendit cum pluribus adductis Doctoribus ſapienter Straccha, additque *num.* 8. quoties nauclerus ad vitandam iniuriam, & damnum ſibi iniuſtè inferendum vitat communem curſum, aliumque per deuia tenet, non eſſe reum ſi quod infortunium exinde præter mentem ſuam conſequatur, quod maximè verum erit, ſi omnem aliam prudentiam in tenendo illo curſu adhibeat, qui aliunde ita procelloſus, aut periculo expoſitus, aut inſolens non eſt, quin & ab aliquibus initi, & ſine periculo percurri à nonnullis ſoleat. Affert Straccha exemplum eius, qui vt vitaret iniuſtum vectigal, quod ab ipſo exigendum erat, commune littus præteruectus eſt, aut dimiſit, aliamque inſtitit viã. Princeps v.g. vnũ groſsũ in ſingulas ſarcinulas indixit, & publicanus duos exigit, qua in re & iuri, & nautis facit iniuriam, quam nauta nequit aliter coërcere, aut à ſe amoliri, quàm inimicum illum portum fugiendo. Sapienter igitur aliam inſtituet viam, in qua ſi quod infortunium accidat, non poterit mercator aduerſus nautam agere, quòd à communi, & recta via deflexerit; id enim ex iuſta, & rationabili cauſa fecit, atque hanc eſſe Bartoli mentem monet Straccha, indéque ſæpiùs excuſari nautas. Idem dicendum erit, ſi diuriùs in portu ſubſiſtat ad tractandum de vectigali cum publicanis, illudque, ſi poſſit, minuendum. Nam ſi inſolitum, & minimè debitum portorium exigant, atque ad eam repellendam iniuriam ſubſiſtere cogatur, & deinde vbi tandem ſoluit, mutatata aura, & tempeſtate naufragium patiatur, illius reus non erit: ſecus verò ſi ſubſtitit duntaxat, vt ſua importunitate, aut precibus vectigal ſolitum, & debitum minuendum curaret; ſi enim illa mora cauſa fuit ſequuti naufragij, non excuſabitur, quia non potuit ad aliquod lucellum duntaxat, & non ad iniuſtum damnum vitandum aliis quibus obligatur operam præſtare, tam ingens damnum creare.

5 Quintò reus peragitur nauta, qui merces ex naui, quã ad illas portandas conduxerat, in aliã deteriorẽ tranſtulit, cùm ſciret te id nolle, & nulla neceſſitate cogeretur, periereque merces vnà cum naui; ex locato conducto aduerſus illum ages, *l. vltima. §. ſi ea. D. ad l. Rhod. de iactu.* quod tamen ita intelligendum eſſe monet eo §. Paul. vt deterior illa nauis, in quam tranſlatæ ſunt merces, perierit. Nam ſi vtraque periit ſine dolo, & culpa nautarum, ad nihil prior nauta tenebitur; æquè enim periturae erant merces tuæ, etiamſi in deteriorem nauem coniectæ non fuiſſent: nullum igitur tibi damnum nauta, tuas merces in aliam nauem transferendo intulit, quandoquidem in priori naui erant periturae, *l. ſi alius 7. §. eſt & alia. D. quod vi aut clam.*

Idem omninò dicendum eſſe, eodemque iure vtendum monet ibidem Paul. cùm nauta publicè retentus nauigare cum tuis mercibus prohibitus fuit, ideoque vel tuas merces non deportauit, vel cũ ipſe nõ eſſet nauigaturus propter prohibitionẽ illi à publica authoritate, & Magiſtratu factã, tuas merces in aliam nauem licet deteriorem aliquantò tranſtulit, vt illã deueherentur, quæ tamen deinde periit, eo enim caſu neque dolus, neque culpa nautæ fuit, illa enim præſumi nequit in eu, qui iuſſu Magiſtratus quidpiam facit, aut ab aliqua re facienda abſtinet, quandoquidem parêre neceſſe eſt, *l. non videntur. 167. §. 1. l. is damnum dat. 169. in princ. D. de regul iur.* quinimmò nequit dolo carere, qui imperio Magiſtratus non paruit, *l. non poteſt. 199. D. eod.* Non fuit quoque vel dolus, vel culpa in ea tranſlatione mercium in aliam nauim,

qui a

quia licèt deterior eſſet priore, eiuſmodi tamen erat, vt commodè nauigatura, & merces deportatura à peritis crederetur, & ipſe neque meliorem neque commodiorem reperire tunc poſſet, alioquin te inuito id facere non potuiſſet, niſi eadem authoritate, qua nauigare prohibitus fuit, tuas quoque merces in illam ipſam nauim conijcere iuſſus eſſet. Quæ omnia complexus erat, opinor Labeo, quem impugnat Paul. illa vna voce *nulla neceſſitate coactus nauta in nauem deteriorem tranſtulit.* Nam neceſſitatis nomine comprehendit omne iuſtum impedimentum, quod habuit nauigandi, & tuas merces deportandi, qualis fuit publica prohibitio, aut retentio, nam enim, vt ibidem addit Paul. etiamſi ita conueniſſes cum nauta, vt niſi intra conſtitutum tempus tuas merces eò loci expoſuiſſet, quò deportandas conduxerat, certam pœnam præſtaret, illeque cùm prohibitum ſe videret nauigare, rogaſſet, vt ei pœnam conuentam remitteres, ipſe enim, vbi Reipublicæ ſatisfeciſſet, tuas merces in aliam nauem deportandas coniecit tuo periculo non ſuo, cùm id neceſſitate coactus fecerit, & tibi ipſi imputare debes, qui pœnam cõuentam remittere nolueris, quamuis ſcires illum tunc nauigare non poſſe, vtpote publica retentum authoritate. Quare neque dolus, neque culpa illi tribui iure poteſt; vtrumque enim iniecta illi neceſſitas emendat. Ita Anton. Faber, quamuis Cuiac. *lib. 4. obſeruat. cap. 2.* quidpiam aliud innuat.

Addit Paulus idem obſeruandum eſſe in eodem genere conditionis; ſic enim emendat Faber vulgatam lectionem *cogitationem*, vel *cognitionis*, nullo ſenſu; quando probatur nautam morbo impeditum eſſe nauigare. Nam licèt conductio facta fuerit cum eadem conditione pœnæ præſtandæ, niſi merces ad diem deportatæ, & expoſitæ eſſent, cumque pœnam remittere nolueris, aut expectare vt conualeſceret, & nauigaret, non tenebitur ex locato, quamuis tuas merces vel non deuexerit, vel alteri deportandas dederit, neque pœnam rei impoſſibilis præſtare tenebitur, quia impoſſibilitas excuſat tum à pœna, tum à culpa. Neque enim deberi poteſt pœna, quoties id, quo non facto, pœna promiſſa eſt, fieri nullo modo poteſt, *l. ſi homo mortuus 69. D. de verbor. obligat.* Impoſſibile autem eſt, vt nauiget, qui valetudine impeditur ne nauigare poſſit. Denique cùm nauis ſine dolo, & culpa nautæ vitium facit, poterit aliam ſibi nauem, & nautam ſubſtituere, cùm ſine naui refecta nauigare ipſe nequeat, & eius refectio ipſum detineat, quominus tuas merces die dicta poſſit exponere eò loci, ad quem deportandas ſub pœna conuenta conduxiſti. Eaque eſt vltima clauſula, & Pauli mens *in eo §.*

6 Sextò reus erit nauta, qui minus idoneos miniſtros naui regendæ, & nauigationi adhibuerit, quare ſi eorum imperitia nauis perierit, aut merces, aduerſus illum agere poterunt vectores; quam culpam diſertè agnoſcit Paul. *in l. vtique. 16. D. de rei vindicat.* Et ſanè teneri dominum de culpa ſerui, quem inidoneum præpoſuit, conſtat *ex l. ſi ſeruus 27. §. ſi fornacarius. D. ad l. Aquiliam.* Si enim ſeruus fornacarius, non fornicarius (vt malè olim legebatur) cuſtodiæ fornacis præpoſitus obdormiuit, indeque villa exuſta fuit, datur actio non modò in illum, ſed etiam in dominum, ſi in eligendis miniſtris negligens fuerit. Vide & §. *Proculus, ibid.* Exemplum dabit Feſtus. *verb. Salinum*, de figulino in Eſquilina regione, qui proximè fornacem incenſam, & vaſa coquentem, poſt largam potationem ſomno cum ſuis conuiuis oppreſſus, cùm quidam præteriens petulanter ex menſa ſalinum acceptum conieciſſet in fornacem, excitato incendio, figulus cum ſuis concrematus eſt. Vnde figulis religio habetur ſalinum in menſa cum ſale ponere. Hoc caſu in culpa erat hic figulus, & qui eum cuſtodiæ habuerit, ſi eius intemperantiam & negligentiam perſpectam habuit, aut in ea perſpicienda negligens fuit. Vlpian. *l. quod ſi nolit 31. §. ſi mancipium. D. de ædilitio edicto*, ſcribit quoties mancipium quod redhiberi debet, culpa emptoris, aut eius familiæ, vel procuratoris mortuum eſt, pro viuo habendum eſſe, & præſtanda ea omnia, quæ præſtarentur ſi viueret. Et *in l. videamus 51. initio. D. locati.* in vniuerſum pronuntiat, Dominum præſtare culpam ſeruorum quos induxit, ſi in illis inducendis culpam admiſit, allegatque in eam rem Pomponium. Et *l. Item quæritur. 13. §. ſi magiſter nauis. D. eod. Si magiſter nauis ſine gubernatore in flumen nauem immiſerit, & tempeſtate orta temperare non potuerit, & nauem perdiderit, vectores habebunt aduerſus eum ex locato actionem.* Denique Paul. *l. nam & Seruius 27. §. fin. D. de negotiis geſtis. Mandatu tuo negotia mea Lucius Titius geſſit, quod is non rectè geſſit, tu mihi actione negotiorum geſtorum teneris, non in hoc tantum, vt actiones tuas præſtes, ſed etiam quod imprudenter eum elegeris, vt quidquid detrimenti negligentia eius fecit, tu mihi præſtes.* Ratio eſt, quia alienæ negligentiæ pœnam nemo pati debeat, nec ſi ſocius ſit, *l. cum duobus.* aliàs *l. ſi fratres. 52. §. vltimo. l. ſi igitur. 55. & ſequent. D. pro ſocio.* tenetur tamen ob ſuam imprudentiam, quòd elegerit ſeruum, aliumve, qui malè, & negligenter egerit, vt in exemplo allato. Idem dicendum eſt, ſi non adhibuerit omnes miniſtros, qui nauigationi neceſſarij erant, indéque factum, vt nauis periret, qui eſt caſus nuper allatæ legis, *item quæritur. §. ſi magiſter. D. locati.* Si verò nauta miniſtrorum, quos adhibuit, imperitiam, & negligentiam præſtare debet, potiori iure ſuam propriam luere debebit, ſi ipſe ſua imperitia in vada, & ſyrtes impegerit, neque enim artem adeò periculoſam exercere debet cum ingenti aliorum damno, ſi etiam ipſe imperitus ſit: quod pluribus oſtendit Straccha, ſed in re adeò perſpicua non videtur immorandum. Monuerim duntaxat id intelligendum eſſe de eo, qui volens, & ſciens gubernandam nauim ſuſcipit, ſi enim inuitus & ſuam imperitiam excuſans cogeretur, quia non occurrit illo melior, & vectores omninò nauigare volunt, & niſi opem ſuam præſtet, minantur aliquid graue, ſibi ipſis tribuere debebunt vectores, qui ſibi imperitum nauarchum etiam renitentem elegerunt. Ad hæc vitanda incommoda edixit Carol. IX. Conſtitutione ſua an. 1561. *art. 86.* vt magiſtri nauis peritia exploraretur coram duobus antiquioribus nauarchis, duobus decurionibus, ſiue ſcabineis, & aliis, quos Almyralius elegerit.

Septimò, ſi nauim plus æquo onerarit, indéque 7
vel naufragium contigerit, vel oneris leuandi cauſâ iactus mercium, quo periere, vel deteriores ob compreſſionem factæ ſunt; culpa non caret; debuit enim præuidere, quid damni ex prægrauata naui poſſet accidere, quod tamen quæſtus auiditate improba non fecit. Ita paſſim omnes in *l. vnica. C. ne quid oneri publ.* Eadem enim ratio valet in nauibus, quæ priuatorum res portant, ſi ex immodico onere pereant, atque in nauibus publicis, quæ ex eadem cauſa periclitantur, & pereunt, cùm nauta æquè priuato, cui ſuam nauim, & operas lo-

cauit,

cauit ad tranſuehendas ſuas merces, obligetur, atque Reipublicæ, cuius annonam defert; quare eum in vtroque illo caſu reperiatur eadem obligatio, idem damnum, & eadem culpa, eadem quoque erit ratio.

8 Octauò, culpa quoque nautæ manifeſta erit, ſi per loca manifeſtè periculoſa, & non tuta, abſque graui neceſſitate nauigare temerariò, & imprudenter voluerit: v.gr. per maria piratis infeſta, aut naufragiis infamia, vel ſyrtibus, aliiſque nauigationum impedimentis fugienda. Ita cum Bald. aliiſque adductis Straccha *3. part. de nautis. n.15.* Nam *leg. qui petitorio 36. D. de rei vindicat. Culpa reus eſt poſſeſſor, qui per inſidioſa loca ſeruum miſit.* Erit ergo prudentis nautæ inquirere, an reuerà iter illud infeſtent piratæ, an periculum declinare queat aliqua ratione, quænam ſint eorum vires, in quibus locis lateant, & inſidias tendant. Vbi enim omnia illa explorarit, ſi prudenter iudicet, vel abeſſe periculũ, vel illud ſuperari poſſe, culpam omnem, ſi quid deinde acciderit, a ſe amolietur. Idem dicendum erit de eo, qui, cùm littus legere poſſit, committit ſe alto mari, & tutiori via relicta minus tutam eligit.

Non erit tamen culpæ nautæ tribuendum, ſi noctu lumine piſcatorum deceptus, dum in portum inuehere nauim exiſtimat, incidit in vada, aut ſcopulos, & naufragium facit, quia difficillimum erat conicere, lumen illud non portum, ſed piſcationem demonſtrare; ideóque *l. ne piſcatores 10. de incendio; Præſides prouinciæ religioſa conſtantia efficere debent, ne piſcatores nocte lumine oſtenſo fallant nauigantes, quaſi in portum aliquem delaturi, eóque modo in periculum naues, & qui in eis ſunt, deducant.* Qua arte ſibi aliquando piſcatores *execrandam prædam* parabant. Quod dicebam de vitandis locis, quæ piratis famoſa ſunt; dedit locum controuerſiæ nobiliſſimæ, An nauta, qui cùm aduertiſſet piraticam nauim in vada incidiſſe, opem in extrema calamitate inclamantibus tuliſſet, & miſſa cum hominibus ſcapha tandem è periculo eripuiſſet; verùm pirata ſpecie gratitudinis, & conuiuandi homines retinuit, atque ſcapham, tum nauem ſui liberatoris hominibus vacuam, & ſcapha deſtitutam aggreſſus illam cepit, & diripuit, imprudentem nautam teneri mercatoribus, quorum merces direptæ fuerant ad damnum illud ſarciendum: damnauit pluribus adductis Straccha *n.29.* ob ſuam inciuilem audaciam.

9 Nonò, nauta, qui illicitas merces in nauim immiſit, vnde factum vt cæteræ publicatæ ſint, tenetur mercatoribus, quibus publicatæ ſunt merces ſua ſine dubio culpa. Nam *l. cum proponas 3. C. de nautico fœnor.* amiſſarum mercium detrimentum, quod non ex marino diſcrimine, ſe ex præcipiti auaritia, & inciuili audacia debitoris, qui idem nauta erat, quique illicitas merces intulerat, propter quas fiſcus nauim occupauit, creditori ferendum non eſt. An verò merces licitæ poſſint publicari vnà cum illicitis, diſputabimus alibi. Interim adi Mornac. *in l. cum proponas, citatam*: ſi tamen reipſa confiſcentur illæ merces propter temerariam nautæ cupiditatem, qui illicitas deuexit, damnum eiuſmodi mercium, quod culpabiliter cauſauit, præſtare ipſum oportebit. Huc pertinere vult Sttaccha *3. p. citata. n.23.* vſum illicitorum inſignium, quibus aliquando nautæ muniunt ſuas naues dum nauigant in mari ſibi prohibitio, aut ad hoſtiles portus appellunt, deprehenſi enim, & naui, & mercibus mulctantur; cum igitur inciuilis audacia nautæ damnum mercium cauſet, de illo tenebitur.

Decimò, ſi culpa nautæ nauis capta fuit, & merces direptæ, tenetur nauta de illis, mercatoribus, id verò tripliciter ſolet contingere. Primò quidem propter inimicitias, quas aliqui gerunt cum nauta, à quo fuerũt alias offenſi, ſiue quia ille quõdam piraticam exercuit, ſiue quapiam alia ratione ipſos violauit. Itaque cùm eum minùs armatum viderunt, & ſe potentiores eſſe viribus, eum aggreſſi vnà cum naui ceperunt. Secundò quia illum in portu detinuerunt, mulctaruntque ſua naui, & onere, quòd prohibita ipſi littora legeret. Tertiò à piratis captus denique eſt ſua culpa, quia cùm ſe inferiorem viribus videret, eos, vti poterat, non vitarit; ſi enim vitare non potuit, illique maiori vi expugnarunt, ad nihil tenetur, & maximè ſi ante initiam pugnam, aut deditionem, conſuluit vectores, quid eo caſu, & periculo faciendum eſſet. 10

Vndecimò quæritur etiam, an ſi aqua pluuiali merces corruptæ, aut à muribus arroſæ fuerint, quidpiam præſtare teneatur nauta; quæ omnia, aliaque ſimilia definienda erunt pro ratione culpæ à nauta, aut miniſtris, quos adhibuit, admiſſæ; & vtrum fecerint quod in eiuſmodi caſibus fieri ſolitum eſt, & ipſi facere debent. 11

Duodecimò denique culpa nautæ contingere poteſt ex eo, quòd nauim non inſtruxerit armamentis neceſſariis, aut minus bonis: armamenta autem ſunt, vt diximus aliàs, velum, gubernaculum, antemna, malus, rudentes, anchoræ, arma, & cætera eiuſmodi, quorum aliqua ſi vel deſint, vel non idonea, ſed iam corrupta, & vitiata adhibeantur, indéque accidat naufragium, culpæ nauarchi tribuetur, debuit enim nauim inſtructam, & ſufficienter armatam locare, neque ſanè aliam conduxère mercatores, & vectores. Quinimmò lex Rhodia 11. *in tom. 1.* Iuris Greco-Romani, iubet mercatoribus, vt ab aliis diligenter inquirant, an nauigium cui ſuas merces imponere volunt, optimum ſit, ipſique videant, an omnibus ſuis armamentis ſit inſtructum, alioquin ſeipſos perdunt. 12

Ex hac vniuerſali doctrina culpæ præſtandæ à nautis, & dandi aduerſus eos actionem damni iniuriæ, quod crearunt, explicabis elegans Proculi, & Labeonis reſponſum, quod refert, & probat Vlpianus in *l. quemadmodum. 29. §. ſi nauis. D. ad leg. Aquiliam. Si nauis tua impacta in meam ſcapham damnum mihi dedit, quæſitum eſt, quæ actio mihi competeret, & ait Proculus: Si in poteſtate nautarum fuit, ne id accideret, & culpa eorum factum ſit, lege Aquilia cum nautis agendum, quia parui refert, nauim immittendo, aut ſeruaculum ad nauem ducendo, aut tua manu damnum dederis, quia omnibus his modis, per te damno afficior. Sed ſi fune rupto, aut cùm à nullo regeretur nauis, incurriſſet, cum domino agendum non eſſe. Item Labeo ſcribit, ſi cùm vi ventorum nauis impulſa eſſet in funes anchorarum alterius, & nautæ funes præſcidiſſent, ſi nullo alio modo, niſi præſciſis funibus explicare ſe potuit, nullam actionem dandam. Itemque Labeo, & Proculus, & circa retia piſcatorum, in quæ nauis piſcatorum inciderat, æſtimarunt. Planè ſi culpa nautarum id factum eſſet, lege Aquilia agendum. Sed vbi damni iniuria agitur ob retia, non piſcium, qui ideò capti non ſunt fieri æſtimationem, cum incertum fuerit, an caperentur, &c. Si nauem alteram contra ſe venientem obruiſſet, aut in gubernatorem, aut in ducatorem, actionem competere damni iniuria Alfenus ait. Sed ſi tanta vis nauis facta*

facta ſit, quæ temperari non potuit; nullam in dominum dandam actionem: ſin autem culpa nautarum id factum ſit, puto Aquiliam ſufficere. Placuit iſta referre, vt ex illis ſingularibus caſibus, quos afferunt veteres illi Iuriſconſulti, cæteros nos ipſi definiamus ex illa vniuerſali regula, ad quam ſuam, vt vides, deciſionem exigunt. Nimirum an culpâ nautarum damnum acciderit, an caſu inculpabili, aut maiori vi, quam ipſi impedire non potuerunt, & cuius proinde accuſari nullo iure poſſunt: qua diſtinctione vides, perpetuò vti prudentes iſtos Iuris in quæſtionibus, quas hoc loco proponunt, definiendis. Quod priuſquam oſtendam, aliquid circa voces obſeruandum eſt, non enim ſatis conſtat, quid ſit ſeruaculum ad nauem ducere: quare aliqui legunt *Ferriculum*, quod Græci κόντον, alij *Serraculum*, aut *Gubernaculum*. Nam gloſſæ veteres, teſte Cuiacio. *lib.* 14. *obſ.* 13. ſic habent: πηδάλιον, gubernaculum, clauum, ſerraculum. Anton. Auguſtin. *in notis ad Feſtum. verb. ſoracum*, legi vult apud Vlpian. *Sorracum*, vel *Sarracum*, quæ vox veteribus incognita non fuit. Plautus *in Perſa. Librorum enim ecce illum plenum ſorracum habeo.* Quem locum attulerat Feſtus. Quintilianus, *lib.* 8. *c.* 3. refert Ciceronem ſcripſiſſe in Piſonem. *Cum tibi tota cognatio in ſarraco aduehatur.* Vitruui. *lib.* 10. *cap.* 1. *Portationes eorum non eſſent niſi plauſtrorum, aut ſarracorum per terram nauicularum, per aquam inuenta eſſent machinationes.* Iuuenal. *ſatyr.* 3.

—— Longa coruſcat.
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt.

Et *ſatyr.* 5.

Frigida circum agunt pigri ſarraca Boota.

Verùm cùm ſorracum, teſte Feſto, ſit id, quo portantur ornamenta Scænicorum, & ſarracum plauſtri quoddam genus ex Plauto, Quintiliano, Cicerone, Vitruuio, & Iuuenale modò allatis; non video quid illud faciat ad immiſſionem vnius nauis in alterius ſcapham, quæ ea impulſione vel periit, vel aliud damnum accepit; de quo caſu diſputat eo loco Vlpian. Neque meliùs alij reponunt *Verriculum*, ſed quid illud ad nauem? Alij *Renunculum*, & explicant ferrum in leonis ſpeciem deſinens, quo impelleretur, aut ſiſteretur nauis; alij denique *Remunculum.* Omnium optimè videtur ſentire Turneb. *lib.* 27. *Aduerſar. cap.* 31. retinendum eſſe *Seruaculum*, quod interpretatur ſcapham, quæ ſeruaculum dicitur, ea forma qua receptaculum, quia interdum vectores, & nautæ ſæuiente procella, relicta naui, ſcaphæ ſe ſeruandos committunt, vt habes apud Lucam *capit.* 27. *Actor.* aut quia in ſcapha ſeruantur aliquando piſces, eamque ſcaphæ partem Græci ἐχέτλιον, Nicandri Interpres reddit *Viuarium.* Scapha itaque ſeruaculum dici potuit à rebus quibuſdam in ea ſeruari ſolitis; eritque perſpicuus Iuriſconſulti ſenſus, agit enim de damno allato ſcaphæ ab occurſu nauis, quod benè intelligitur fieri vel immittendo nauim in ſcapham, vel ſeruaculum, hoc eſt, ipſam ſcapham ad nauem ducendo, & attrahendo; quidni enim in ſcaphæ ad nauem adductione, & applicatione, atque vtriuſque occurſu, & colliſione, poſſit ſcapha damnum pati, præſertim ſi validiori vento nauis ad ſcapham, aut ſcapha ad nauim impellatur, & prudens gubernator vel nauim, vel ſcapham non regat, & validiorem impetum non moderetur, nam dubio procul collidentur inter ſe, maiori ſcaphæ, quàm nauis, quæ & grauior, & firmior eſt, damno. Quoties igitur ex immiſſione nauis in ſcapham, aut retia piſcatorum, aut quidpiam aliud damnum fiet, expendendum erit, an culpa nautarum id contigerit, an ſecus. Nam in primo caſu aduersùs nautas agi poterit lege Aquilia, in poſteriori agendum non erit; quod in caſibus ſingularibus oſtendit. Nam primò ſi nauim immittis in ſcapham, aut ſcapham ad nauem ducis, in eóque occurſu colliduntur, & ſcapha damnum accipiat, culpa tua eſt, qui damnum ex ea immiſſione nauis, aut deductione ſcaphæ non præuideris, aut immiſſionem nauis, vel ſcaphæ deductionem non prudenter rexeris. Itaque lege Aquilia teneris. Quod ſi nauis à nullo regeretur, & vi ventorum, aut aquarum impetu, rupto fune, in ſcapham incurrit, aduersùm te non dabitur actio, quia nulla tua culpa fuit. Supponit autem Iuriſconſultus funem fuiſſe validum, quo retineri poterat nauis, niſi vis aliqua, aut caſus inopinatus illum rupiſſet. Neque alium ſenſum habere poteſt communis, & recepta lectio, quam tamen emendandam eſſe ſapienter coniicit Anton. Faber. *libro quinto coniectur. capit.* 17. tollendamque eſſe negationem eo modo. *Sed ſi fune rupto, aut cùm a nullo regeretur, nauis incurriſſet, cum domino agendum eſſe.* Eſtque aperta huius emendationis ratio, eo enim caſu cum nautis, quorum culpa nulla fuit, agi quidem non poteſt. At verò cum domino, ſiue nauarcho agendum omninò erit, eius enim culpa fuit, quod nauis ruptis funibus, aut cùm à nullo regeretur, incurrerit, & damnum dederit; debuit enim proſpicere, vt & nauis ab aliquo regeretur, & validis funibus eſſet inſtructa, ſicut & cæteris armamentis neceſſariis; quare à domino nauis damnum factum videtur, ipſius ſiquidem culpa contigit. Neque enim ſatis probabiliter dici poteſt, cum communi ſententia, caſu fortuito fieri, vt, fune rupto, aut cùm à nullo regeretur nauis, incurrat, & damnum faciat, ſed potiùs manifeſta culpa nauarchi; qui non proſpexit vt potuit, & debuit, futurum eſſe, vt nauis debilioribus funibus alligata, aut cùm à nullo regeretur, incurreret in aliam, & damnum faceret. Eamque fuiſſe Vlpiani mentem euidenter ipſe contextus declarat, diſtinguit enim in propoſita quæſtione, de damno dato, an nautarum culpa damnum acciderit, an non. In priori caſu dicit, cum nautis agendum eſſe, in poſteriori autem non debuit dicere vniuerſaliter, actionem nullam ſupereſſe, ſed nullam eſſe aduerſus nautas, ſed cum domino agendum eſſe, alioqui ſcribere debuerat, *Sed & ſi fune rupto*, non autem, vti ſcripſit aduerſatiuè, *Sed ſi fune rupto.* Vide & Cuiacium *obſeruat. libro* 19. *capit.* 9. Duos alios caſus affert Vlpianus, qui ſine culpa nautarum, aut ex ea accidere poſſunt. Si enim nauis ventorum vi impulſa ſit in funes anchorarum, quos nautæ præſciderint, cùm nulla alia ratione explicare ſe poſſent, non tenentur actione damni, quod ex præſciſis eiuſmodi anchorarum funibus, anchoræ illæ ſubmerſæ ſint, & naues, quas retinebant, aliò delatæ. Verùm nulla fuit eorum culpa qui non potuerunt ſe aliter explicare, neque tenebantur ipſi perire, vt funes ſuos, aut anchoras, vel nauim ſeruarent. Quod idem dicendum erit, ſi nauis in retia piſcatorum incurrit, quæ etiam nautæ, vt ſe expedirent, diſtringere coacti ſunt. Si autem alia ratione quàm in præſciſis funibus, aut retibus ſe explicare potuerint nautæ, aduersùm illos dabitur actio. Denique quo-

ties vna nauis alteram contra ſe venientem obruit, in gubernatorem, vel ducatorem, ſiue ductorem dabitur actio, niſi tanta vis nauim impulerit, vt temperari non potuerit, quia in vno caſu reperitur culpa ductoris, & non in altero.

13 His omnibus incommodis, quæ ſæpius contingere poſſunt, ſapienter cauerat lex Rhodia, quam primus edidit Anton. Auguſtin. ex bibliotheca Pithæi, & deinde Collector iuris Græco-Romani ad eius calcem retulit. Sic igitur c. 36. edixit: Si nauis velificans πλοῖον ἁρμίζον ἐλθῃ, in aliam nauim in portu quieſcentem, vel quæ vela laxarit, interdiu delata fuerit, omnis tam colliſio, quàm interitus ad exercitorem pariter, & ad ipſos vectores ſpectat; ac reliquum eſt, vt & merces in contributionem veniant. Quod ſi noctu res acciderit, qui vela laxauerit, ignem accendat, ſi ignem non habeat, clamores edat, quæ ſi facere neglexerit, & nauim perire contigerit, ſeipſum perdidit, modò in hunc modum probata teſtimoniis fuerint. Quod ſi veli curator negligens fuerit, & excubiis agendis præpoſitus obdormierit, qui paſſis velis nauigat, velut in breuia delatus perit, & damnum ei præſtet, in quē impetum fecit. Quod de igne accēdendo iubet lex Rhodia, obſeruatū eſt excitatis pharis, ſiue præaltis turribus, quæ nocturnis ignibus curſum nauigantibus oſtenderent. Statius.

Lumina noctigradæ tollit pharus æmula lunæ.

Vnam eiuſmodi turrim Ptolemæus extruxit. Pharū dici quaſi φανὸν exiſtimauit Ægeſippus. Cæterum vt redeam ad l. Rhodiam allatam, illa æquiſſima fuit, voluit enim donum iniuriæ præſtari ab eo, cuius culpâ factum eſt. Non abſimilis eſt Gallica lex à Carolo VI. ann. 1415. apud Sanctyonium lata, ſic enim habet eius articulus 28. *Quand aulcuns batteaux aualeront par les riuieres, & en aualant ils voient aller contremont aulcuns montans, c'eſt à ſçauoir en pleine riuiere, ailleurs qu'és dites arches, & pertuis, l'auallant criera de tant loin, comme il appartient,* Iay geſit lay, *qui eſt à dire, va vers terre, & alors le montant prendra ſa hune, & la mettra en boulleten, & s'acouchera a terre juſques à ce que l'auallant ſoit paſſé, car le montant ſe peut trop mieux arreſter, que l'auallant. lib. 1. tit. 19. conſtitution.* quæ ad aquas, & ſyluas motam litem in prima inquiſitione anno 1613. à domino nauis illiſæ, fractæque noctu ab irruente contrario vento altera, refert Mornac. in *l. 29. D. ad l. Aquiliam.* Ratio erat, quod ex legibus, ſtatutiſque maritimis ignem in ſumma naue non habuiſſent, aut ſaltem non acclamaſſent, vt inferior, minorque nauis, in qua erat ipſe actor illius dominus, periculum caueret; quia verò hic actor agebat in beneficos nautas, qui ipſi pereunti manus porrexerant, Senatus illum tanquam aduerſus ſoſpitatores ſuos ingratum damnauit, ſummota quæſtione motis maritimi, quam tunc definite non placuit. Idem porrò ius eſt in incurſu nauis in molendinum, ſi fracta diſſiliat, & damnum aliud capiat. Si enim Molendinum non fuerit in eo ſtatu, quo eſſe debet, vt nauigationem non impediat, molendini dominus damno nauis tenebitur. Atque ita iudicatum eſſe à Senatu Tholoſano, anno 1613. fuſius refert Oliua *lib. 1. qq. cap. 35.*

Quod porrò diximus de damno dato ex occurſu, impetuque nauium, æquè valet, quoties currus in currum in via impegerit. Videndum enim erit, an culpa aurigæ, an caſu vnus in alium impactus ſit. Quò pertinet caſus *legis ſi ex plagis. 52. §. in cliuo Capitolino. D. ad leg. Aquiliam.* de obtrito puero ex concurſu duorum plauſtrorum, cùm ſuperius neque mulæ, neque muliones ſatis firmiter ſuſtinuiſſent, & ceſſum ire cœpiſſet, atque poſterius plauſtrum à priore perculſum puerum obtriuiſſet; quo caſu an daretur actio aduersùs muliones, aut dominum mularum, quærebatur, quod ex ipſa cauſa, & facti circumſtantiis definiendum eſſe ſapienter reſpondet Alfenus, expendendum videlicet, cuius culpa fuerit, vnde tandem concludit: *Si neque mulæ, neque homines in cauſa eſſent, ſed mulæ retinere onus nequiuiſſent, aut cum conarentur, lapſæ concidiſſent, & ideò plauſtrum ceſſum rediſſet, nulla actio eſt.* Neque omninò diſſimilis eſt & ille caſus de arbore impacta in vicinam, quod aliquando contingit, dum vna cæditur, & ſæpe per fraudem id fit, vel à mercatoribus, qui ſyluæ alicuius, vel partis eius cæſuram emerint, vel à ſyluæ vſuariis; quos omnes damnat Conſtitutio Caroli V. anno 1379. *Ordonnons, que chacun ſe garde d'abatre ſon arbre ſi folement, qu'il s'encrene ſur autre arbre à nous appartenant, tellement qu'il ne puiſſe eſtre oſté, ſans le noſtre abatre, car s'il le faict, il perdra ſon arbre, & ſera acquis à nous.*

Atque hactenus de culpa nautarum, quæ damnum iniuriæ facit, & quæ nonnunquam naufrafragij cauſa eſt.

Secundò itaque contingit aliquando naufragium diuina, vt loquuntur, tempeſtate abſque nautarum aut vectorum culpa, qui proinde illud non præſtant. Verùm debebant nauicularij Præſidem Prouinciæ, in qua naufragium acciderat, adire, & res deinde omnis ad Præfectum prætorio referebatur. Vnde eiuſmodi nauicularū naufragiū Præfecto prætorio commendat Iſidor. Peluſiota *lib... Ep...* atque ita iubet quod ad nauicularios ſpectat, qui ſpecies publicas, id eſt, annonam vrbis deferunt, *l. 3. C. de naufrag.* vult autem totam actionem anno finiri. Deinde *l. 5. eod. C.* biennium præſcripſit; quod ſi per Iudicem ſteterit, quominus quæſtio de naufragio intra biennium finem accipiat, nauiculario abſoluto transfertur totum periculum ad Iudicem, & officium eius, æquis partibus. Huius porrò iudicij formam præſcribunt Imperatores. Primò quidem apud Præfectum vrbi, & Præfectum annonæ, vel Præſidem adduci oportebat dimidium nautarum numerum, ex *l. 2. C. Theodoſ. de naufrag* quod deinde abrogauit *l. 3. C. de naufragiis.* Cenſet enim duos, vel tres ſufficere; & Magiſtros nauium, quos diligentius interrogari, quàm cæteros vult. Nautis autem, Magiſtriſque deficientibus, omnibuſque naufragio peremptis, aut alio delatis, inquiſitio tranſit ad alios, putà, ad nautarum, Magiſtrorumque liberos, vt ſi quid habeant de parentum interitu, exponant, atque ita Iudicibus naufragium probetur. Secundò cauſæ de ſubmerſis nauibus, ſiue de naufragiis, *leuato velo*, cognoſci debuerunt, hoc eſt, vt Lampridius dixit, *patente velo, & aperta fore*, quia foribus vela prætendebantur, vt conſtat. Plaut. *in Querulo. Tam pro ius patente velo dixi.* Idcircò Æſchilus dixit χρυσόφρυς βηλὸν ἔμενεν πυλῶν. Et Stephanus, βηλὸν τὸν ὑδὸν τῆς θύρας. Publicè igitur, & patenter inſtituebatur hoc iudicium. Tertiò libelli datione, vel plenaria interpellatione commonebantur cognitores, ſiue Iudices. Cuiacius tamen in illa *leg. 5.* legi mallet *planaria*, quia de plano interpellati Iudices de naufragio intra biennium cognoſcere debuerunt; qua etiam ratione modò

emen

emendanda videtur *lex 4. Cod. de dilationib.* vbi pro cognitione *plenaria*, legendum erit *planaria*. Sic *planarij conflictus*, Apud Ammian. Marcellin. *lib.* 19. Quartò ſi conſtabat nulla nauicularij culpa contigiſſe naufragium, à fiſco accepto ferri, nec nauicularij periculo cedere debebat; neque etiam ad poſſeſſores, ſiue priuati, ſiue Senatores eſſent, qui ſuam collationem in nauim illam publicam intulerant, vt habetur *l. 4.* Quintò, ſin verò culpâ nauiculariorum (agit de nauiculariis Orientis,) nauigandi tempeſtate tranſacta, quidpiam ex annona publica maris tempeſtate deperierit, ad omne nauiculariorum corpus pro rata pertinebat, non ad fiſcum, non ad collatores; quò pertinet illud Theodorici ad Comitem rerum priuatarum ſcribentis, vt naufragio perſecutoribus frumenti publici, quibus nihil præter lacrymas ſuperfuit, modiationem tritici publici naufragio amiſſam faciat reputari; crudelitatis namque genus eſſe videtur vltra naufragium velle deſæuire, & eos ad diſpendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dediſſe. Ita Caſſiodor. *lib. 4. variar. Ep. 7.* Modiatio autem, qua voce vtitur quoque *l. vlt. C. de naufrag. Si quis calculus modiationis deperiiſſe dicatur*, & *l. 1. C. de ann. civ.* eſt modius frumenti; ſic dicitur ponderatio, *l. ſi olei. C. de locat.* Quare malè aliqui modiationem dixerunt eſſe penſitationem frumenti, quæ ex *l. C. de ſuſcept.* erat quinquageſima; cùm modiatio ſit menſura quinquageſima illa ἐπιμετρον. Alij non melius modiationem referunt ad æſtimationem communariam, *in leg. Rhodia*, quæ nauem capacem modiorum mille æſtimat aureis quinquaginta. Sextò, denique ad hoc iudicium de naufragio facilius peragendum, & ad aliorum quoque miſericordiam excitandam ſolebant picturam ſui naufragij deferre, & aſſem à prætereuntibus poſcere. Iuuenal. *ſatyr.* 14. deſcribens miſeram eorum cupiditatẽ, qui ad diuitias comparandas infido mari ſe committunt, quas deinde vno naufragio perdunt.

Curatoris eget qui nauem mercibus implet
Ad ſummum latus, & tabula diſtinguitur vnda,
Cùm ſit cauſa mali tanti, & diſcriminis huius
Concisſum argentum in titulos, facieſque minutas.

Id eſt in nummos, qui titulis, & Principum imaginibus, ſiue vultibus ſignabantur.

Occurrunt nubes, & fulgura; ſoluite funem
Clamat frumenti dominus, piperiſque coemptor.
Nil color hic cœli, nil fuſcia nigra minatur,
Æſtiuum tonat; infelix, ac forſitan ipſa
Nocte cadet, fractis trabibus, fluctúque premetur
Obrutus, & Zonam laua, morſuque tenebit.
Sed cuius votis modò non ſuffecerat aurum,
Quod Tagus, & rutila voluit Pactolus arena,
Frigida ſufficient velantes inguina panni,
Exiguuſque cibus, merſa rate naufragus aſſem
Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur.

Idem ſignificat Perſius *ſatyra.* 1.

Men' moueat, quippe & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? cantas cum fracta re in trabe pictum
Ex humero portes.

Solebant & has naufragij tabellas in templo Neptoni, aut Iſidis ſuſpendere, ex eod. Iuuenal. *Satyr.* 12. vbi de tempeſtate, quam pertulit Catullus.

—— *Pors dira quidem, ſed cognita multis,*
Et quam votiua teſtantur fana tabellâ,
Plurima pictores, quis neſcit ab Iſide paſci.

Et Horat.

—— *Me tabula ſacer*
Votiua paries indicat vuida
Suſpendiſſe potenti

Veſtimenta maris Deo.

Ex hac naufragij calamitate maris fidẽ infamẽ colligit Tertull. *de Pallio cap...* ſic: *Et maris fides infamis, & flabris aquè mutantibus de tranquillo probrũ, de fluſtris temporatum, & extemplo de decumanis inquietat.* Quam verò inania ſint mortalium vota, & cogitata, naufragus Petronius, homo licèt improbus quaſi mentem ſaniorem in vndis recepiſſet, diſſerit *capit. 75. Hoc opere tandem elaborato caſam piſcatoriam ſubimus mærentes, cibiſque naufragio corruptis vtcumque curatis triſtiſſimam exigimus noctem. Poſtero die cùm poneremus conſilium, cui nos regioni crederemus, repentè video corpus humanum circumactum leui vortice ad littus deferri, ſubſtiti ergo triſtis, cæpi madentibus oculis maris fidem inſpicere; & hunc forſitan proclamo, in aliqua parte terrarum ſecura expectata vxor, forſitan ignarus tempeſtatis filius, aut patrẽ vtique reliquit aliquem, cui proficiſcens oſculũ dedit. Hæc ſunt conſilia mortaliũ, hæc vota magnarum cogitationum. En homo quemadmodũ natat, adhuc tãquã ignotum deflebã, cùm inuiolatũ os fluctus conuertit in terrã, agnouique terribilẽ paulò antè, & implacabilẽ Lycam pedibus meis penè ſubiectum. Non tenui igitur diutiùs lachrymas, immò percuſſi ſemel, iterũque manu pectus, & vbi nunc eſt, inquã, iracundia tua? vbi potẽtia tua? nempe piſcibus, belluiſque expoſitus es, & qui paulò ante iactabas vires imperij tui, de tã magna naue, ne tabulã quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite caute, & opes fraudib. captas per mille annos diſponite. Nẽpe hic proxima luce patrimonij ſui rationes inſpexit: Nempe diem etiam, quo venturus eſſet in patriã, animo finxit. Dij, Deæque quàm longè à deſtinatione ſua; iacet, ſed non ſola mortalibus maria hanc fidem præſtant,* &c. Quid igitur mirum, quod ait Tertull. *lib. de pœnitent. c. 7. Plerique naufragio liberi exinde repudiũ & naui, & mari dicunt, & Dei beneficiũ, ſalutẽ ſuã ſcilicet memoriis periculi honorãt,* &c. Vetus Heſiodi Schol. agens de vna Nereidũ, quæ Εὐάρνη diceretur. *Bonarũ*, inquit, *inficiationũ, ſeu recuſationũ, Dea eſt, qui enim ſapiunt, ſi incolumes è periculis maris euaſerũt ſolemni quodã ſacramẽto iurãt, ſe nũquã eò reuerſuros.* Quod votum ibid. laudat Scholiaſtes.

Hæc porrò naufragorũ calamitas fecit, vt nulli res eorũ è naufragio extractas liceret apprehendere, ne fiſco quidẽ; quẽ Antoninus nihil iuris habere voluit in aliena calamitate, nec de re tã luctuoſa cõpendiũ ſectari, *l. 1. C. de naufrag.* Quare licebit vnicuique naufragiũ ſuum colligere, inquit Vlpian. *in l. vlt. D. de incendio, ruina, naufragio.* Et eos qui eiuſdi quidpiam rapuiſſe probarentur, variis pœnis affici voluit idẽ Antoninus reſcripto, quod refertur à Paulo in *l. Pedius. 4. D. de incendio, ruina, naufr. Plurimùm intereſt, periturà collegerint, an quæ ſeruari poſſent, flagitioſè inuaſerint; ideoque ſi grauior præda vi adpetita videtur, liberos quidem fuſtibus caſos in triennũ relegabis, aut ſi ſordidiores erunt, in opus publicum eiuſdẽ temporis dabis; ſeruos flagellis caſos in metallum damnabis; ſi non magna pecunia fuerint liberos fuſtibus, ſeruos flagellis caſos dimittere poteris.* Nimirum in illos furti, aut bonorum raptorum iudiciũ ferebatur, vt ait Caius, *l. ſi quis* 5. *D. eod.* Diuus Hadr. voluit præſidem grauem ſententiã tanquã de latronibus dicere; deinde quidquid ademptũ fuerit, poſſeſſoribus reſtitui mandat: at verò Senatuſconſulto temporibus Claudianis habito cauebatur vt ſi quis ex naufragio clauos, vel vnũ ex his abſtulerit, omniũ nomine teneatur. Alio verò Senatuſconſulto, eos quorum fraude, aut conſilio naufragi ſuppreſſi per vim fuiſſent, ne naui, vel iis periclitantibus opitulentur, legis Corneliæ, quæ de ſicariis la-

Digitized by Google

ta eſt, pœnis adficiẽdos. Eos autẽ, qui quid ex miſerrima naufragorũ fortuna rapuiſſẽt, lucratiue fuiſſent dolo malo, in inquantũ Edicto Prætoris actio daretur, tantùm & fiſco dare debere. Quæ duo Senatuſconſulta refert Vlpian. in *l. 2. ſub fin. D. de incend. ruina & naufr.* Quod verò dicitur in poſteriori Senatuſconſulto de Edicto Prætoris, eiuſmodi illud erat: *In eum qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata quid rapuiſſe, recepiſſe dolo malo, damniue quid in his rebus dediſſe dicetur, in quadruplum in anno, quo primùm de ea re experiundi poteſtas fuerit, poſt annum in ſimplum iudicium dabo. Item in ſeruum, & in familiam iudicium dabo.* Quod æquiſſimum Edictum adducit, & explicat Vlpian. in citato titulo. Atque in primis incidere in hoc Edictum, qui quid rapuerit eo tempore, & loco, quo naufragium fit, vel factum eſt: qui verò rem iacentem in littore, poſtquam naufragium factum eſt, abſtulit, videtur potiùs fur, ſicut qui quod de vehiculo excidit, tulit. Idem aſſerit Caius *l. ſi quis. D. eod.* Secundò reus Edicti eſt, qui è naui expugnata, hoc eſt, nauem expugnando, & aggrediendo, veluti in prælio quidpiam rapit, allegatque Labeonem, qui ait non minùs in mari, quàm in terra, nos aliquando inquietari. Tertiò tenetur Edicto, non modò qui rapuit, ſed etiam qui recepit, quia non minus damnum afferunt, minuſque ſæpè peccant receptatores, quàm aggreſſores. Quartò debet ille dolo malo recepiſſe, potuit enim ex optimo fine recepiſſe, quia vel ignarus, quid ſi vt cuſtodiret, quid ſi vt comperto domino reſtitueret, recepit. Quintò, qui vel rapuit, vel abſtulit, vel amouit, recepit, & damnum dedit: Rapi quidpiam ſine vi nequit, poteſt autem amoueri. Sextò, damnum quoque datum eſſe debuit dolo malo, nam ſi dolus malus abfuerit, ceſſabit Edictum in iis omnibus caſibus, vt ſi defendendarum mearum ædium causâ, orto incendio, vicini ædificium diruerim, quo exemplo vtitur Labeo, quia alteri non infert iniuriam, qui ſe tuetur, & vnicuique ſibi proſpicere licet, & meliorem ſuam conditionem facere, vel in præiudicium alterius, dum tamen id non fiat animo nocendi, aut lædendi, ſed ſui defendendi, proprij periculi neceſſitate coactus, quod aliter amoliri nequit niſi cum aliquo alterius damno, quod vtrum reparare teneatur, æqui Iudicis fuerit arbitrari. Atque hanc in rem vide *l. 2. D. de Iuſtitia. l. 19. §. 30 de negot. l. 19. §. 1. & 3. D. ad l. Aquiliam. l. 2. in fin. D. de action. empt. l. 42. D. de adquir. hered. l. 77. §. 31. D. de legat. 1. l. 30. D. de bonis libert. l. 5. §. 2. de doli exception. l. 26. D. de damno.* Sextò pœna inflicta à Prætore eſt quadruplum, ſi intra primum annum Iudices fuerint interpellati: Deinceps verò damnandi tantùm erant in ſimplum. Fuit tamen aliquando pœna mortis his prædonibus inflicta, quæ pœna durior viſa fuit Leoni, qui ideircò eam ſuſtulit; voluitque duntaxat pro re detenta quadruplum dependi Conſtitutione ſua 64. Ratio verò propter quam coërcitæ ſunt legibus eiuſmodi bonorum naufragorum prædæ, non modò à calamitate naufragij, quam exacerbare inhumaniſſimum eſt, ſed etiam ab iniuſtitia illius facinoris peti debet; neque enim naufragio amittunt rerum demerſarum dominium antiqui domini, & quæ per naufragium amiſſa ſunt, non ſunt derelicta, ſiue ſunt in deperdito, non in derelicto, vt loquitur Iauolenus *in l. interdum 21. §. 1. D. de adquir. poſſeſſion.* cum in iis amittendis nullum domini factum interuenerit, quod vtique neceſſarium eſt, vt res pro derelicto habita dici poſſit. *§. pen. inſtit. de rerum diuiſion. l. ſi id quod. 5. §. 1. D. pro derelict.* nec enim dominium nuda voluntate amitti vnquam poteſt, *l. ſi quis vi. 17. §. differentia. D. de adquir. poſſeſſ.* Eadem bonorum ſubreptorum reſtitutio imperatur à Frederico II. *l. nauigia*, quæ in *C. de furtis* inſerta eſt, ſecus facientes bonorum omnium publicatione mulctantur. Quin immò vetere Vlpiani reſponſo admonetur inuentor eiuſmodi rerum, vt libellum proponat inueniſſe, & redditurum ei, qui deſiderauerit, *l. falſus. 43. §. qui alienum. D. de furtis*; loquitur autem de iis, qui alienam rem acceperint, quæ videatur habita fuiſſe pro derelicto.

16 Atque ex antiquo iure, & moribus hactenus diſputauimus; nunc aliis vtimur moribus, ex Codice Alphonſi Regis IX. Hiſpaniæ leges volunt in mari ablata, aut deperdita ſolis mercatoribus reſtitui, non iis qui voluptatis causâ nauigant tempore belli, quam Conſtitutionem duriorem meritò nominauit Chopin. *lib. 1. de dominio Franc. tit. vlt. n. 6.* In Sicilia, Anglia, & littoribus Italicis, naufragiorum compendium Regalibus adnumeratur, quod aiũt Lucas Penna, & Plateanus *ad l. 1. Cod. de naufragiis*, & Afflict. in Neapolitan. Conſtit. 59. *lib. 1.* Idem ius Britonum Duci reſeruatum eſt Andegauenſi fœdere, quo à Rege Ducatus inueſtituram accepit an. 1231. quod ius fracturæ, ſiue lacerationis *Bris* dicitur in lib. Arreſtorum Senatus Rhedonenſis in Britannia, quæ collegit Natalis du Failh, in eodem Senatu Conſiliario; leguntur litteræ patentes datæ 26. Octob. an. 1573. *Que pour bris de nauire ſera baillé ſeulement ſalaire, ſi ledit bris n'auoit eſté fait en pleine mer, ou la nauire abandonnée des mariniers.* Pro quaſſatæ nauis rebus inuentis deberi ſolum ſalarium, niſi quaſſatio contigiſſet in alto mari, & remotiùs à littore, aut nauis à nautis derelicta. Duces quoque breuicula dabant nauigaturis, qui illis carebant, nauis, & armamenta publicabantur, atque etiam facto naufragio merces: qui verò hanc veniam obtinuiſſent, nullum ſuis rebus à fiſco periculum metuebant, illiſque naufragium colligere licebat. Atque ex his breuiculis non exigui prouentus hodie colliguntur à fiſco, & cum aliis vectigalibus elocantur. Plura de hoc maritimo iure Britanniæ dabit Chopin. *lib. 1. de legibus Andium, cap. 40. art. 10.* Denique Regia conſtitutione lata an. 1517. & 1543. cauetur trientem omnium, quæ è pelago extrahuntur, ad Regem pertinere. Alterum ad maris Præfectum cum decima hoſtilis prædæ maritimæ. Tertium ad Claſſiarios repertores, quod ſi prior dominus intra annum perſequatur rerum ſuarum iacturam, eas recuperat ſumptibus τῶ εὑρετῶ nomine reſtitutis. De euretico autẽ, ſiue mercede eorum, qui res eiuſmodi repererint, reſtituerintve, ſicut & nautarum, aliorumve plura capita extãt in lege Rhodia, quæ circumfertur; quæ quia non ſunt hodierni iuris, à nobis prætermittũtur. Tu ſi lubet, adeas. Noſq; hodie hoc iure vtimur. Ludouici XII. & Henrici. III. conſtitutio duos tantùm menſes definiebat, intra quos domini perſequantur, vel quod proiectum eſt, vt nauis leuetur, vel quod cum ipſa naui perierit. Atque hunc vſum de diuiſione rerum demerſarum in tres partes æquales, quarum vna Regi, vna Dynaſtis, in quorum finibus extractæ fuerint, altera Admirallo, tertia vrinatoribus cedat, ſi modò intra annum, & diẽ à naufragio repetitæ nõ fuerint, iã olim ſeruatum in Gallia mouet Terrienus, veteris Normanicæ conſuetudinis interpres. *lib. 5. c. 11.*

&c

& quidem pars illa, quæ vrinatoribus datur in præmium laboris vtiliſſimi, & periculoſiſſimi datur. Ita nominantur qui ſubter aquam natantes in illa ſpiritum aliquanto tempore continent, & in ea vrinantur, & emergunt, inquit Varro *lib. 4. de ling. lat.* in quem locum vide Scaligeri conięctanea. Eorum meminit ſæpius *l. nauis onuſtæ 4. §. ſed ſi nauis. D. ad l. Rhodiam. de iactu.* Illos Statius *lib. 1. ſylu. 3.* vocat merſos pelagi ſcrutatores. Et Manil. *lib. 5.*

Æquoris exportant prædas, & rapta profundo
Naufragia maris, auidi ſcrutantur arenas.

Ore, inquit Plini. lib... cap... *ſpargunt oleum, quoniam mitiget naturam aſperam, lucemque deportet.* Quo verò periculo ſcrutentur profunda maris, in eaque ſe demergant, docet quod in Zenone Iſauro refert Cedrenus de pectine piſce, vnionem, ſiue margaritam ingentis ſupra naturam magnitudinis, & inſoliti, ac fulgurantis ſplendoris *μαργαρίτην ὑπερφυᾶ, καὶ λαμπρότατον* in ſeipſo habentem; quo ſplendore inuitatus canis marinus, illum perpetuò aſſectabatur, quod *τὸ ζῶον* piſcator quidam intuitus, ſtatuit omni arte pectinem deprædari *ἀποσυλῆσαι*, ſed cane pectinem in profundum abducente id non potuit, cumque rem totam Perſarum Regi retuliſſet, ille dedit qui in hac piſcatione adiuuarent, cumque per aliquot dies ad mare obſeruaſſent, vident pectinem ſine cane aſſecla, vrinator proſilit in mare, & pectinem cum vnione arripit, atque enatans vnionem manu exerta ſpectantibus porrigit, ſed antequam ſe in lembum reciperet, ab inſequente cane marino laceratus, voratuſque eſt, fides ſit penes Auctorem. Neque hæc fabula eſt ad vrinatorum, natantiumque periculum maximè in mari oſtendendum; quando enim aliud non eſſet, ſæpè laſſati, aut victi fluminis vi pereunt, vt loquitur Vlpian. *l. 7. §. ſed & ſi quis. D. ad l. Aquil.* Sanè peritiſſimi nautæ & natatores conſentiunt ad quinque, aut ſex milliaria in fluminibus natando confici poſſe; in mari autem placido etiam ad decem milliaria, quia aquæ marinæ ſunt longè dulcibus corpulentiores, & magis inuecta ſuſtinent, quod obſeruant quoque Ariſtoteles *ſect. 23. problem.* Plinius *lib. 2. cap. 103.* & Plutarch. *tract. de cauſis naturalib.* Sed tandem fatiſcentibus viribus pereunt, præterquam quod, vt iam monui, occurrũt ſæpiùs dentata monſtra, à quibus lacerantur. Quamuis non diffiteamur natandi vſum aliquando commodum eſſe maximè militibus, quod oſtendit Veget. *lib. 1. cap. 10. de re militar.* vbi ait æſtiuis menſibus omnes tyrones milites æqualiter natandi vſum didiciſſe, ideóque à Romanis campum Martium fuiſſe delectum vicinum Tyberi. Excelluerunt hac arte Galli, vnde Ammian. Mercell. *lib. 25.* de illis ſcribit. *Aſſueti natare Galli, primi omnium amnẽ ingrediuntur.* Cæterum quæ e mari extrahuntur ab vrinatoribus, aut ad littus eiiciuntur, Gallis dicuntur, *ſparices, vereſques, barbaries, bris, & choſes du flo a terre.*

De excommunicatione lata aduersùs eos, qui bona naufragantium Chriſtianorum ſubripiunt, & retinent, diximus in noſtro tractatu de cenſuris, in ſynopſi, *littera N.* vide quoque aduersùs eos, qui bona naufragantium rapiunt, epiſtolam honorij Pontificis ad Hildebertum Cenomanenſem, inter eius epiſt. 67. Caſſiod. *lib. 4. Ep. 7.* & Dio. *or. 7.*

17 Reſtat iactus mercium leuandæ naui, & vitando naufragio aliquando neceſſarius, de quo habemus *lib. 14. D. titul. 2. ad l. Rhodiam de iactu*; quem titulum paucis explicandum ſuſcipimus hoc loco. Quare ſemel allegaſſe ſufficiat. Vniuerſam verò hanc diſputationem ad tria capita reuoco. Primum eſt iactus ipſe mercium, quando, & quomodo proiiciendæ ſint. Secundum contributio pro damno mercium, quarum iacturâ nauis leuatâ fuit, & periculum euaſit, quomodo, & à quibus facienda ſit. Tertium eſt multiplex actio, quæ inde oriri poteſt. Hoc porrò tertium caput, exequat *art. ſequenti.* Vbi de variis actionibus in nauigatione, aut ex nauigatione natis diſputabo. Hoc verò loco duo priora capita paucis exequar.

Et quidem quod attinet ad iactum mercium, illum aliquãdo faciendum eſſe nemo vnus dubitat. *Gubernator nauis*, inquit Curtius. *lib. 5. vbi naufragium timet, iacturâ quidquid poteſt, redimit.* Iubet verò lex Rhodia edita *cap. 9.* vt ſi tempeſtas poſtulare videatur iactum fieri, nauclerus ad vectores referat, & eorum ſententias exquirat, neque ſi imprudenter diſſentiant, & periculum vrgeat, debet abſtinere à iactu. Itáque ferunt antiqui mores Gallici, ſic enim legimus apud Garciam in libello nuper edito, quem inſcripſit, Magnum itinerarium, ſiue Magnum viæ maritimæ Indicem, Codicem, vel Cõmentarium viarum. *Le grand Routier. Lors le maiſtre doit dire, Seigneurs, il conuient ietter hors vne partie de cette marchandiſe pour ſauuer la nef, & s'il n'ont aggreable ledict iect, & contred ſent, pourtant le Maiſtre ne doit point laiſſer qu'il ne iette tant qu'il verra que le bien ſera, iurans luy, & le tiers de ſes compagnons ſur les Saincts Euangiles, que ce qu'il a faict eſt pour ſauuer le corps de la nef, & les autres denrées, qui encores y ſont.* Itaque quoad neceſſitatem iactus defertur iuramento naucleri, & nautarum. Porrò ab iis quæ ſuperflua, & minimi pretij erant, iacturæ initium fiebat. Salluſt. *de Rep. ordin. L. Poſthumus, & M. Fauonius mihi videntur quaſi magnæ nauis ſuperuacua onera eſſe, vbi ſalui peruenire viſi ſunt, ſi quid aduerſi coortum eſt, de illis potiſſimùm iactura fit, quia pretij minimi ſunt.*

Iactis mercibus pro omnium ſalute, & leuata naui, damnum quod pro omnibus factum, omnium contributione ſarciendum eſt, & quod pro omnibus abiectum *ῥῖψιν*, omnibus imputandum erit ex l. Rhodia. Quo etiam iure nos vtimur, vt poſt paulò referam ex Garcia. Quod idem contingit, quoties aliquid pro omnium ſalute, à paucis tamen faciendum eſt, maximè ſi communicato conſilio id fiat, verbi gratia, vrbs obſidione liberanda eſt, auertendus pago exercitus, aut quid eiuſmodi, ad quod ociùs agendum, ſublatáque omni mora, pecuniæ ſummá aliqua numeratur à paucis, ad illam ſanè reliqui omnes pro quorum ſalute numerata fuit pecunia illa contribuere pro virili ſua parte ſinguli debent. Atque ita decidit ſubſidiorum Curia aduerſus Conuicanos, quorum alij, omnium conſenſu, aut maioris partis, pecunias prærogarunt Duci cohortis militum tranſeuntium, vt ne in vicum, vel in minus clauſum oppidum diuerterent. Vide Louet. *litt. R. numero 27.* idque fert perpetua æquitas. Cùm igitur mercium iactus fiat ad omnium vectorum ſalutem, & mercium reliquarum conſeruationem, damnum quod inde neceſſariò ſequitur, commune quoque omnibus eſſe debet. Quod ſi vnius duntaxat ſalus ageretur, quia vel totam nauim conduxit, vel eius omnes merces ſunt, prudenter quidem ille faceret, ſi, vt exiret periculo, merces ſuas proiiceret, ipſe tamen vnus damnũ ferret, cùm ſui ſolius cauſâ illud ſubiiſſet. Idque ita fieri à mercatoribus paſſim obſeruat Æſchil. Interpres, congeſta enim 18

ingenti diuitiarum mole turgentes, totius deinde oneris iactum faciunt fluctibus agitati, naufragium patientes.

Dices vectores, & mercium dominus voluiſſe merces proiicere, & perdere, eoque veluti pretio periclitantem ſalutem redimere, & tanti habuiſſe mercibus illis carere, *vt in l. 4. §. 4. D. de alien. iudic. mutat. cauſ.* Fecêre quidem coacti, id tamen maluêre, vt *in l. ſi patre cogente. 22. D. de ritu nuptiar.* Et ſanè coacta voluntas, voluntas tamen eſt, *l. ſi mulier. 21. §. vlt. D. quod metus causâ.* & *l. ſi patre cogente, etc.* Et ſanè metus, vt aliàs docuimus, non tollit voluntatem, etſi minuat liberum, quod tamen non prorſus impedit. Sibi igitur vectores iſti proiectionem mercium imputent, quam benè voluerunt, quamuis non niſi ex ſuppoſitione periculi; nullam igitur reliquis faciunt iniuriam, *l. in diem 9. §. 1. D. de aqua, & aqua pluu. arc.* & ſi quo damno afficiantur, illud iniuria non eſt, neque ab aliis illatum. Quare neque illud, neque maiorem vim *Θεῦ βίαν* præſtare debent, *l. ſi merces. §. vis maior. l. ex conducto 15. §. ſi vis tempeſtatis. D. locati, l. contractus. 23. in fin. l. quod quis. 203. D. de regul. iuris.* Reſp. merces iactas fuiſſe conſeruandæ omnium ſaluti, quare vel nauis demerſa eſt, vnáque merces periere; vel ea proiectione leuata nauis eſt, & ſeruata. Si primum, ceſſat difficultas, tunc enim omnium damnum commune eſt, & leuandæ naui nihil profuit iactus. Si ſecundum dicas commune omnium bonum illa proiectione curatum, & comparatum eſt, quod ſanè vnius, aut alterius damno duntaxat comparari non debuit, ideóque omnibus commune reddi debet, quod fiet contributione, quam non Rhodia modò, & Gallica lex, ſed perpetua, conſtanſque naturalis æquitas impetrauit, fuitque etiam illa omnium vectorum, atque mercatorum mens, & conſpiratio. Non enim id primò egerunt, vt magno ſuo damno merces ſuas proiicerent & perderent, aut pro derelicto haberent, vt iterum oſtendam inferiùs; ſed vt communi omnium ſaluti hac ratione cùm nulla alia in tanto diſcrimine ſuppeteret commodior, proſpicerent, & vexatam fluctibus nauim leui iactura defenderent, vt loquitur *l. 4. C. Theodoſ. hoc titulo.* An Magiſter nauis, aliique vectores permittere debuerunt, nauim potius perire, quàm merces proiici, ne ipſis deinde querela fieret, & commiſſi grauioris ea in re criminis damnarentur. Æquiſſimè igitur lex Rhodia prouidit, vt leuata naue, & communi periculo ſuperato commune damnum ea contributione ſubleuaretur.

19 Omnes itaque quorum interfuit iacturam fieri, conferre oportere reſpondit Paul. *l. ſi laborante 2. §. 2. hoc tit.* Itaque illi etiam, qui non niſi gemmas, & margaritas naui impoſuiſſent, licet eam minimè onerare viderentur, immò & ipſe dominus nauis conſeruatæ per iactum obligabuntur ad contributionem, quia omnium iſtorum reuera interfuit, nauem aliarum mercium iactu leuari, ſi enim ea periiſſet, eorum quoque gemmæ, immò & ipſimet periiſſent. Quæ ratio idipſum oſtendit de ipſo nauta, cui nauis alioquin periiſſet, indéque maius damnum paſſus eſſet, quàm ex leui aliqua contributione. Denique iis omnibus commune fuit periculum, communiſque hodie ſalus, commune etiam ſit damnum oportet.

Quo caſu verò facienda ſit contributio, ampliùs explicant DD. Nam primò quando conſeruatis mercibus deterior facta fuit nauis, aut ſi exarmata, nulla eſt facienda collatio, inquit Paul. *l. 2. §. 1.* tamque abſurdum eſſe dicit, detrimenta nauis quæ tempeſtate vexata eſt, ſarciri à vectoribus, quàm ſi faber id ab eo exigeret, cui, dum ferrum in incude, conducta opera verberat, malleum fregerit. Neque ſanè fieri poteſt, vt inſtrumenta artis vſu ipſo, & in faciendo opere non deterantur. Neque ea detrimenta à conductore operæ præſtari ſolent, ad id enim ipſius operæ merces datur. Idem contingit in naui, quæ vſu ipſo deterior fit, quare ſiue vi fulminis, ſiue impingendo in ſcopulos, ſiue quo alio caſu exarmata fuerit, damnum illud ſolius naucleri erit. Sapienter tamen Paul. monet, quoties voluntate vectorum, aut propter aliquem metum impendentis periculi factum fuerit detrimentum, damnum datum ſarciri collatione oportere, quod ipſum *l. 3. proxima,* Papinianus ait, & Hermogenian. *l. 5. §. arbore caſa*; quia tunc nauis deterior facta eſt ex illa ipſa cauſa, ex qua fit iactura mercium, nempe ad amoliendum commune periculum. Debet igitur æquè in vno caſu, atque in altero fieri collatio; hique etiam ſunt noſtri mores. Audi Petrum Garſiam nuper adductum. *S'il aduient que le maiſtre couppe ſon mas pour force de gros temps, il doit appeller les Marchands, qui ont les denrées en la nef, ſi aulcuns en y a, & leur dire, Seigneurs, il conuient couper ce mas, pour ſauuer la nef, & les denrées, ceſt choſe conuenable pour loiauté. Et pluſieurs fois aduient, que l'on coupe cables, & funins, & laiſſe l'on cables, & ancres pour ſauuer la nef, & les denrées, & toutes les choſes ſont contées, liure à liure comme iect.* Huc etiam pertinet reſponſio Iuliani *l. 6.* de naui, quæ tempeſtate depreſſa & ictu fulminis deuſtis armamentis, arbore, & antenna, Hipponem Auguſtini Epiſcopatu nobilem delata eſt, ibique tumultuariis armamentis ad præſens comparatis Hoſtiam nauigauit, onuſque integrum pertulit. Volebat autem nauta reparari damnum illud collatione ab iis, quorum onus fuerat; negauitque Iulianus locum eſſe contributioni, quia ille ſumptus inſtruendæ nauis, & ſeruandarum mercium cauſa factus fuerat: quamuis enim inſtructa, & armata naui merces quoque conſeruentur, ſumptus tamen, qui fit primò, & per ſe ad nauem armandam, inſtruendamve, à nauclero ſuppeditari debuit. Nam vectores nauem inſtructam, & armatam conducunt. Et l. Rhodia non vult contributionem fieri niſi ad ſumptus, qui mercium conſeruandarum causâ primò, & per ſe fiunt; atque id omninò affirmatur in Synopſi Baſilic. *lib. 53. tit. 3. c. 12.* & Harmenop. *lib. 2. tit. 11. §. 13.* Quare quod habetur *in ead. l. Rhodia, cap. 44. & 45. Si nauis tempeſtate correpta, & iactu mercium facto, antennarum cornua, malus, gubernacula, anchora, ſcapha fracta fuerint, hæc omnia in tributum ſine contributione veniant, vnà cum nauis, & mercium conſeruatarum pretio, ἀμφοῖν τιμῆς τοῦ πλοίου, καὶ τῶν σωζομένων φορτίων*: intelligendum eſt, quando hæc omnia conſeruandæ ſalutis, & mercium causâ facta ſunt.

Secundo ſi nauis à piratis redempta ſit, ad eam redemptionem omnes contribuere debent ex ſententia Seruij, Ofilij, & Labeonis, quos refert, & ſequitur Paul. *hoc tit. l. 2.* æquè atque ſi merces nauis leuandæ causâ proiectæ in mare fuiſſent, cùm parum interſit, an nauis piratarum incurſu, aut naufragio pereat, & tam illa redemptio, quàm mercium iactus ſalutis communis cauſa facta fuit, immò maiore compendio fit redemptio, quàm, iactus in quo & ſæpius merces pereunt, quæ deinde recuperari non poſſunt, & nauis fluctibus, atque tempeſtate

iactata

iactata non niſi lacera, & aliquandu inutilis conſeruatur, cùm in redemptione & tota ſalua ſit, & aliquando etiam integræ merces conſeruentur. Denique in vtroque caſu de communi ſalute, atque mercium conſeruatione agitur. Sapienter igitur Ioris illi prudentes legem Rhodiam de communi contributione propter iactum, ad hunc caſum de redemptione à piratis ampliarunt.

Tertiò cùm piratæ merces aliquas abſtulerint, peribunt dominis ſuis, neque ſi eas redemerint, petere poſſunt, vt alij in eam redemptionem conferant. Ita definiunt laudati Iuriſconſulti *in §. 3. citato.* Neque ſanè æquum eſt, mercium à prædonibus ablatarum damnum reſarciri ab iis, quorum merces ſaluæ ſunt, quia iſti non habent ſuas merces, eò quod alij ſuas perdiderint, ſed quia nauis redempta fuit: redemptionis autem illius pretium non fuerunt merces ablatæ, quæ etiam redemptæ non ſunt. Licèt igitur omnes ad nauis redemptionem, eiuſque pretium contribuere debeant, non tamen ad damnum prædæ, & expoliationis factum, atque ablatarum mercium, niſi illæ merces datæ, vt dixi, in pretium redemptionis fuiſſent. Earum damnum itaque ferendum erit dominis, à quibus ablatæ fuerint, nulli enim inſtius res perit, quam domino ſuo, *l. quæ fortuitis. 6. l. pignus. 9. C. de pignor. action. l. contractus. 32. in fin. D. de regul. iur.* Vnde plurimùm differt hic caſus deprædationis mercium, ab illarum iactu, quia iactus factus eſt, vt reliqui ſuas merces ſaluas habetent; indeque naſcitur æquitas contributionis; at verò neque deprædatio quarumdam mercium, neque illarum amiſſio, aut etiam à prædonibus redemptio quidquam confert ad reliquarum conſeruationem. Quare in eo caſu nihil reperitur, quod æquitatem collationis inducat; quæ tamen neganda non eſt in nauis ipſius redemptione; ex ea ſiquidem ſequitur & nauis, & mercium, atque vectorum ſalus; atque ideireò ad illam ſinguli cōferre debent. Atque ita cenſuiſſe Senatum in cauſa Maclonianorum mercatorum, cùm nauis ſaccaro Maderano, & mercibus exoticis onuſta à Canariis Inſulis direpta fuiſſet à piratis, nullum ſiquidem collationi locum eſſe pronuntiauit, & quidquid mercium prædones abſtuliſſent, ſolis earum dominis perire, an. 1615. 8. Aprilis. Ita refert Mornac. in notis *ad* §. 3. quem explicamus. Vbi etiam obſeruat ann. 1600. 4. Februarij, poſt multam contentionem definitum eſſe, actiones piraticas annales eſſe, neque extra illud ſpatium prorogādas eſſe. Caroli porrò IX. edicto, an. 1562. art. 64. piratæ damnantur in ſolidum ad teſtitutionem omnium, quæ rapuerint, fide facta à magiſtro nauis ex ſolis rationum ſuarum commentariis. Et prætereà punit crurifragio, ſiue rotæ ſupplicio, omni appellatione ſummota, dummodò patroni tredecim, aliique rogati iudicio interfuerint. Hoc tamen caput circa appellationem vſu contrario quodammodo abrogatum fuit, cum quotidie appellationes etiam circa famoſiſſimos piratas admittantur. Crurifragium porrò videri non debet crudelius tam atrocis criminis ſupplicium, omnia ſiquidem commercia peruertunt, & dum infeſtum habent mare, prædaſque agunt, innumera damna tum communitati, tum priuatis perſonis important; non nauigant enim, vt obſeruat Euſtat. circa initium. *lib. 3. odyſſ.* ὁ κατὰ πρᾶξιν, ſed ἐπὶ κακῷ, non negotiandi animo, ſed malo, & vt inquit ibid. Homer.

Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες

Animis in diſcrimen coniectis, malum aliis ferentes.

Illos quoque ληιστῆρας ὑπὲρ ἅλα, latrones per mare errantes: Heſichius autem θηρευτὰς ἐν ὕδασι, venatores in aquis nominauit. Piratæ dicuntur quaſi πειρῶντες pererrantes, vel à πεῖρα, ſiue dolo, vt deducit Scholiaſtes Sophoclis in Aiace: πεῖρα δὲ λέγεται δόλος, καὶ τέχνη. ὅθεν καὶ πειραταί, οἱ κατὰ θάλασσαν κακοῦργοι.

Quartò quoties nauis, quæ cum onere ſuo portum, vel flumen ſubire nequit, ideóque ad auertendum periculum leuatur aliqua parte oneris, quod in ſcapham reiicitur, illaque ſubmergitur, eadem ratione fieri debet contributio, atque ſi iactus factus fuiſſet. E contrario verò ſi ſcapha cum illa parte mercium ſalua facta eſt, & nauis periit, non debet haberi ratio eorum, qui in naue perdiderunt, quia iactus in tributum naue ſalua venit. Ita Sabinus, quem authorem laudat Calliſtratus *l. 4.* Et quidem æquitas huius reſponſi quoad primum caſum manifeſta fit ex eo, quod nauis ſalua facta fuerit propter amiſſas merces, quæ in ſcapha perierunt, eodem modo atque ſi iactu in mare perditæ fuiſſent, quia cum illis nauis ſine periculo flumen, vel portum intrare nequibat, leuandaque neceſſariò fuit, proiiciendæque merces vel in mare, vel in ſcapham, in qua etiam periêre; quæ igitur æquitas poſtulat contributionem fieri in iactu ſalua naui; eadem in hoc caſu proiectionis mercium in ſcapham, cum qua perierunt, eandem quoque contributionem exigit.

Quod verò ſalua ſcapha, & naui pereunte non teneantur domini earum mercium, quæ in ſcapham traiectæ ſunt ad contributionem, æquè facilè oſtenditur, cùm enim iactus non veniat in tributum ex l. Rhodia, niſi cùm nauis ſalua ſit, & in hoc caſu nauis perierit, nihil eſt cur de contributione agatur. Et ſanè nauis non periit ob merces in ſcapham coniectas, cùm potiùs inde faciliùs portum tenere poſſet, & ſalua fieri. Non magis igitur, qui ſuas merces in ſcapham proiectas receperunt, pereunte naui contribuere debent ad damnum naufragij præſtandum, quàm ſi ex naufragio, & mari, in quod proiectæ fuerunt, extraxiſſent; quo caſu ad nihil tenerentur, vt ſtatim dicemus. Quare hunc caſum ſeruatæ ſcaphæ cum ſuis mercibus pereunte naue, diuerſum omninò eſſe ab illo, quo ſalua naui perit ſcapha, in quam merces leuandæ nauis causâ coniectæ fuerant; atque in vno caſu locum eſſe contributioni, non in altero. Moneo porrò cum Gothofredo, ſcapham nauiculam eſſe, ex qua deportantur ad littus, quæ è naui educuntur βάλλα, & κοντιλάς dicitur Harmenopul. *lib. 2. tit. 21. §. 9.* Barcæ meminit Iſidor. *lib. 19. Etbymol. cap. 1.*

Quintò cùm propter iactas in mare merces, vnius leuata fuit nauis, & ſeruata, ſi poſtmodùm alio loco coorta noua tēpeſtate, nouóque caſu perierit, non minùs haberi rationem oportet earum mercium, quæ iactæ ſunt, quàm ſi nauis non periiſſet, quoniam ad inducendam contributionis æquitatem ſufficit, vt iactus ſemel nauem ſaluam fecerit, nec illud exigimus, inquit Anton. Faber *in hunc* §. 1. *l.* 4. vt ſiue in eadem, ſiue in alia nauigatione nauis non pereat ampliùs. Illud quidem iniquum eſſet, vt qui noua tempeſtate, tandémque ſubmerſa naui ſuas merces amiſerunt, in damni prioris partem facti communicatione venirent, cùm ipſi quoque ſuarum mercium iacturam licet alio caſu, alióve loco fecerint. Quare vocandi ſunt

illi ſoli, vt de ſuo conferant, quorum res ſaluæ factæ; quod ſi amiſſarum rerum domini illas per vrinatores recuperarunt, in eadem planè cauſa ſunt, atque ſi naufragium non feciſſent, quo caſu tenerentur ad collationem, vt patet. Eius tamen mercedis, quam vrinatoribus dederunt, habenda erit ratio in ineunda æſtimatione mercium extractarum, & tanto minùs ex ſuis mercibus ſaluum feciſſe dicendum eſt, quantum eſt quod vrinatoribus dedit; ideóque eò minùs conferet iis, quorum merces leuandæ nauis cauſa iactæ ſunt, & propter quem iactum ſeruata fuit nauis cum reliquis mercibus, quæque etiam vnà cum naui ſaluæ receptæ fuiſſent, niſi noua alio loco tempeſtas naufragium attuliſſet. Inſpiciendum enim eſt, quid tum fuerit, non quid poſtea ſuperuenerit. Ita commentatur hunc §. Faber, cuius ſententiam expreſſerat Paul. *lib. 2. ſentent. titul. 7. §. 2. Iactu nauis leuata ſi perierit, extractis aliorum per vrinatorem mercibus, eius quoque rationem haberi placuit, qui merces ſalua naui iactauit.* Addit verò *in cit.* §. Calliſtratus, licet ij, quorum res naufragio amiſſæ per vrinatores recuperatæ, incidant in communionem damni, quod paſſus eſt, ille, qui motu prioris naufragij ſuas in mare proiecit, quarumque iactu tunc leuata nauis naufragium euaſit; hic tamen non debet contribuere ad recuperationem damni quod deinde ſenſerunt reliqui ex ſequenti naufragio alibi facto, quamuis res ſuas omnes per vrinatores recuperare non potuit, quia vel nullæ, vel earum tantum aliquæ extractæ ſunt. Cauſa diſcriminis manifeſta eſt, quia alia eſt ratio rerum iactarum, ne primum naufragium fieret, alia rerum ſequenti naufragio amiſſarum, & non extractarum; quæ enim iactæ ſunt ſaluam fecerunt nauem, atque reliquas merces, licet deinde alio loco, & alio caſu tum nauis, tum merces illæ perierint. At verò quæ naufràgio amiſſæ ſunt, neque extractæ, perierunt quidem, non tamen nauis ſeruandæ cauſâ, quæ vnà cum ipſis periit. Quare nulla cauſa eſt, propter quam ob earum iacturam vectores, & alij mercatores, quorum merces extractæ ſunt, contribuere quidpiam debeant: at verò quæ iactæ ſunt, perierunt nauis, & reliquarum mercium ſaluandarum cauſa, eaſque reipſa tunc ſaluarunt, licet deinde alio quodam caſu, & alibi perierint, Qui igitur tunc ſalutem acceperunt, & nauem, atque ſuas merces ſeruarunt alterius damno, & iactura, eam reſarcire debent contributione aliqua, vt iam diximus. Mendum in vltima parte §. ſuſpicatur Faber, & negationem reponendam ſic, *Si quadam ex his mercibus per vrinatores extracta non ſunt.* Aut illud, *quadam* taxatiuè intelligendum eſſe hoc ſenſu, *Quadam dumtaxat*, & tunc æquiualebit *non omnes.*

Sextò cùm iactu facto res alicuius, quæ in mare remanſerunt, ſed deteriores factæ ſunt, quia inundatæ, & aſpergine maris vitiatæ, & corruptæ, cuius cauſas exquirit Plutarch. *lib. de cauſis naturalibus*; is, inquam, ſi eius merces ex alia cauſa quapiam, quàm ex iactu deteriores euaſerint, contribuere debet cum aliis; ſi verò iactu ſiue propter iactum eius merces deterioratæ ſint, non modò nihil conferre debet, ſed ipſi pro æſtimatione deteriorationis conferri oportet. Atque eſt vera ſententia Calliſtrati *in l. 4. citat.* §. 2. Vbi & Papirium Frontonem allegat. In verbis porrò Calliſtrati, quæ plurimùm implicita videntur, Tribonianiſmum agnoſcit, & euidenter demonſtrat Faber in commentariis; facillimè autem oſtenditur diſtinctionis adductæ ratio. Nam res quæ per iactum ſaluæ factæ ſunt, quamuis deteriores euaſerint, non minùs ob illam deteriorationem dici debent eſſe factæ per iactum, quam ſi non eſſent deteriores, & commodiùs multò eſt, habere rem deteriorem, quàm nullam. Cum igitur æquitas contributionis obliget omnes, quorum res per iactum factæ ſaluæ ſunt, vti initio docuimus, hunc quoque obligabit, cuius reuerà res ſeruatæ ſunt per iactum, quamuis deteriores euaſerint. Contributio tamen, quod monet Calliſtratus, non fiet niſi, *præſente pretio*, id eſt, æſtimatis rebus, quæ factæ ſunt deteriores, quanti hodie ſunt, non quanti erant cùm in naui imponerentur; quare non afficitur duplici damno, quod aliqui verebantur, nimirum collationis, & deteriorationis; nam nihil conferet niſi detracto pretio deteriorationis, quæ & ipſa ſuum pretium habet, quod ſumitur ex comparatione temporis in quo res melior fuit. Exemplum affert Calliſtratus: Duorum merces per iactum ſeruatæ ſunt, & ſingulæ, dum imponerentur naui, fuerunt vicenum; vnius autem integræ remanſerunt, alterius deterioratæ, & non ſunt niſi decem; prior ille pro viginti conferet, hic autem pro decem duntaxat. Altera pars noſtræ diſtinctionis erat, illum, cuius merces per iactum, & propter iactum deteriores factæ ſunt, non teneri conferre, ſed illi quoque pro ea deterioratione conferri oportet, quia non refert niſi ſecundum magis, aut minus, quod res meas propter iactum amiſerim, aut illas deteriores habuerim: ſicut igitur ei qui res ſuas amiſit, ſubuenitur, ita ei ſubueniri debet, qui res ſua ob iactum deteriores habet. Quare ſapienter reſpondit Papirius Fronto, non minus deteriorationis, quæ ob iactum contigit, quàm amiſſionis ex eodem iactu damnum communi contributione ſarciri oportere. Huc pertinet *cap. 34. & 39.* legis Rhodiæ, vult enim, vt ſi nauis lintea vehat, aut veſtes, exercitorem comparare διφθέρας καλάς, pellicea integumenta, ciliciáque commoda, ne merces inundatæ corrumpantur. Item ſi nauim ſentina nimis impleuerit, monendos ſtatim eſſe ab exercitore dominos, vt eas tranſmutent, aliàs teneri ipſum, & nautas de damno, ſi non monuerint. Secus ſi tempeſtas damni cauſam dederit; ſi igitur æſtuante, & procelloſo mari aliquà ex iſtis cauſis vitiatæ ſint alicuius merces, nihil pro damno eiuſmodi deteriorationis conferri ipſi debebitur, immò neque excuſabitur, quominus iacturam mercium, quarum proiectione leuata fuit, & ſalua nauis vna cum mercibus reliquis compenſare ſua contributione teneatur. Quod ſi propter iactum ea vitiatio, & deterioratio mercium contigerit, quia verbi gratia, mercium integumenta, aut arcæ, quibus aſſeruabantur, aut tabulata, quibus erant impoſitæ, in mare proiecta ſunt ad leuandam nauim, vnde factum eſt, vt vndatæ merces, aut in ſentinam delapſæ, aut procellæ, & fluctus iniquioris iniuriis deteriores euaſerint; illa deterioratio ſicut & iactus mercium communi contributione compenſanda erit; vti hactenus euicimus.

Septimò amiſſæ nauis damnum non ſarcitur collatione per eos, qui merces ſuas ex naufragiis liberarunt. Ita *l. 7. hoc titulo*, quia idcirco iactûs damnum ſarcitur, ſalua naue, quia eius ſalutis cauſa fuit iactus; atqui ſubmerſio non ſeruauit merces, ſed potiùs eas perdidit, & qui eas recuperarunt ex naufragio, incurrerunt ipſum naufragium, non vitarunt, quamuis deinde ex illo emerſerint.

Octauò

Digitized by Google

Octauò depreſſa, aut deiecta naui, quod quiſque ſuum ex illa ſeruarit, ſibi ſeruare reſpondit Paul. *l.7.hoc tit.* Cur enim aliis ſeruarent, aut illos in communionem vocare debebunt, qui nullum vnquã in eas res ius habuerunt? Immò ſi quis alius eas rapuiſſet, furti damnaretur, vti nuper monuimus. Et ſicut ex incendio domus ſuæ dominus res ſuas ſubducere poteſt, quidni & ex naui depreſſa poterit; quo exemplo vtitur ipſe Paul. Monuimus quoque nuper *ex l.vlt. D. de incend. ruin. & naufr.* licere vnicuique naufragium ſuum colligere, quod falſum eſſet, ſi quod collegiſſet, aliis communicare deberet, illius ſiquidem parte puniretur. Denique quod naufragio expulſum eſt, pro deperdito tantùm, & non pro derelicto habetur, ex Iauoleno. *l.interdum.* 21.§.1. *D.de adquir. poſſeſ.* Vnde non fiunt occupantis tanquam derelicta, ſed eiuſdem domini ſunt, ſi quando recuperentur, quæ omnia diximus nuper. Igitur cum ab ipſomet domino colligentur, eius manebunt abſque obligatione eas cæteris naufragis communicandi.

Denique res iacta domini manet, quia pro derelicta non habetur, idcirco non fit apprehendentis. *l.2.* §.8. *& l.* 8. *hoc titulo*, neque enim eiicitur eo animo, vt quis illam ampliùs habere nolit, ſed vt periculum maris ipſe effugiat, ſperátque fieri etiã poſſe, vt extrahantur, vel recuperentur, vti aliquando contingit, & perinde ſe habent iſti tempeſtate iactati, atque illi qui onere preſſi partem aliquam deponunt in via, mox reuerſuri vt illud auferant. Denique quod noſtrum fuit, tamdiu noſtrum manet, quamdiu recuperari poteſt, licet eius ferè ſpes omnis abſciſſa ſit. *l.Pomponius.*43. *D. de acquir. rerum domin.* eſt tamen hoc loco conciliandus Vlpianus, cùm contraria, & pugnantia ſcripſerit hac in parte. Nam *in l.Pomponius, citata* probat ipſius Pomponij ſententiam, quod naufragio amiſſum eſt, non ſtatim deſinere eſſe noſtrum; ideóque quadruplo teneri, qui illud rapuerit; & tamen *in l.falſus creditor.* 43.§.*penult. D.de furtis*, credendum eſſe iſta iactata plerumque animo derelinquendi, cùm ſciant peritura, qui iactant. Hanc antinomiam ſoluit variis modis Faber. Et ſanè ipſe Vlpian. ait, damnandum furti qui rapuerit, niſi ea derelinquendi animo iacta ſint; quod præſumi vult. Itaque neque cum Pomponio, neque cum ſeipſo pugnat Vlpian. ſed ſolùm in eo minus probandus videtur, quod exiſtimet iſta iactari animo habendi ea pro derelictis, quod ego non crediderim.

Reſtat modus huius contributionis, & primò quidem ita fieri debet, vt cuiuſque contribuentium portio pro æſtimatione rerum quæ ſaluæ ſunt, & earum quæ amiſſæ ſunt, præſtari debeat. *l.2.§. 4. hoc tit.* æſtimantur autem res amiſſæ non quanti ſunt eo tempore quo amiſſæ iam ſunt, cum poſt amiſſionem nullius ampliùs æſtimationis ſint, ſed quanti emptæ probabuntur, ad differentiam earum, quæ ſaluæ factæ ſunt, quas æſtimare oportet, quanti venire poſſunt.

Dices; maiorem ponderis, quàm æſtimationis mercium naui impoſitarum rationem habendam videri, quia quæ fuerunt maioris ponderis, magis nauem onerarunt, & maius ſubmerſionis periculum crearunt, atque leuandæ nauis, & iactus faciendi neceſſitatem attulerunt.

Reſp. teneri omnium, qui merces habebant, iactum fieri, cuius proinde damnum ſarcire debẽt ea proportione, qua ipſorũ interfuit, tanti verò interſunt quanti ſunt merces, quæ illo iactu ſeruatæ sũt, & quò pretioſiores, licet minoris pretij exiſtãt, & maius fuit intereſſe dominorum, illas non amittere, ſed ſeruare, qui etiam lucrum facient ex eo, quod aliis amiſſis iſtæ pluris fortaſſe vendentur.

Secundò inde ſequitur, pro liberis capitibus nihil conferri poſſe, etiamſi illa ſalua æquè fuerunt atque ipſæ merces iactu aliarum, quia cùm collatio non debeat fieri niſi pro pretio, & æſtimatione rerum, quæ in naue fuerunt, ſiue amiſſæ ſint, ſiue ſaluæ remaneant, vti explicuimus, & liberorum corporum nulla fieri queat æſtimatio, *l.1.§.ſi cum liber. & l. vlt. D. de his qui effud. vel deiec.* Nihil igitur pro iſtorum ſalute, quæ inæſtimabilis eſt, conferri oportet. Ita §.2.*l.4.hoc tit.*

Tertiò ſeruorum quoque, qui in mari ſæuiente tempeſtate perierunt, non magis æſtimatio facienda eſt, quam ſi ægri in naue deceſſerint, aut aliqui ſeſe præcipitauerint. Ita *in eadem lege* §.5. Idcirco ſiquidem mercium amiſſarum æſtimatio facienda eſt, quia amiſſæ ſunt, & in mare proiectæ leuandæ nauis gratiâ: atqui ſerui, qui perierunt in mari naui fluctibus agitata, non perierunt, quòd leuandæ nauis cauſa in mare iacti ſint, neque idcirco nauis, & merces ſaluæ factæ ſunt eò quòd ſerui perierint, immò quo magis laborabat nauis, eò vtilior erat ipſorum opera ad conſeruandam nauem; nulla igitur ratio eſt propter quam fiat aliqua eorum æſtimatio, non magis quam ſi morbo periiſſent, aut aliqui ex ipſis ſeſe in fluctus præcipites dediſſent.

Quartò veſtimentorum quoque, & annulorum geſtatoriorum, aliorúmque eiuſmodi fieri debet æſtimatio in hac contributione ex *l. 2. §.2. hoc titul.* quia ex vniuerſali regula collatio, & contributio fieri debet pro proportione æſtimationis omnium rerum, quæ in naue fuerunt, ſiue amiſſæ, ſiue ſaluæ ſint, modò commodam æſtimationem capere poſſint: atqui annuli, veſtimenta quamuis videantur acceſſiones tantùm, & ornamenta corporum, æſtimari facilè poſſunt, vt patet, quamuis ipſamet corpora libera in æſtimationem non veniant.

Quintò quæ tamen conſumendi causâ naui impoſita fuerant omnium bono, v.gr. cibaria, in æſtimationem & collationem non veniunt *ex §. 2. citato*; quia ſi in nauigatione defeciſſent, deberent ſinguli, ſi quid proprium haberent, in commune conferre. Quare domini, quorum merces in mare iactæ ſunt, & amiſſæ, queri non poſſunt, quod ipſorum merces potiùs, quàm cibaria leuandæ nauis cauſa proiectæ fuerunt. Denique collationi obnoxiæ non debent eſſe illæ res, quæ ſi deeſſent, communi omnium contributione reparandæ forent.

Sextò cùm res, quæ iactæ fuerunt, apparuerint, ſiue recuperatæ fuerint, exoneratur collatio §.7. *l.2.citata*; quia tunc non videntur amiſſæ ampliùs eſſe, & qui eas accepit, reſtituere debet domino, alioquin furti tenebitur, & dominus nequit rerum quas iam recuperauit, compenſationem exigere, niſi quatenus eo iactu, & deperditione temporis alicuius deteriores euaſerint, in eo enim damnum duntaxat pro communi aliorum bono patitur.

Septimò quoties res iactatæ poſt contributionem apparuerint, qui pro illis tanquam amiſſis ſoluerunt, agent ex locato cum Magiſtro nauis, vt is ex conducto experiatur cum eo qui exegerit, vt quod exegerit, reddat. Ita §. 5. *citato.* Quod mirum videri poterit, nihil enim imputari poteſt Magiſtro propter quod cum eo agatur, & æquiùs

appareat,

appateat, rectam dari actionem iis, qui ſoluerunt, ſiue contribuerunt aduerſus dominum mercium recuperatarum, qui & ſuas merces habet, & ſimul ſolutionem pto iis tanquam deperditis accepit; cur enim inquietatur Magiſter, qui nihil promiſit, neque accepit. Id tamen totum fit non ad moleſtiam creandam magiſtro nauis, ſed vt ſeruato aliquo ordine, conſulatur; teneri autem dominum, qui accepit ſolutionẽ ſiue à magiſtro nauis, ſiue ab iis, qui ſoluerunt, vt cõueniatur, id totum quod exegit, reſtituere, æquitas omninò perſuadet, ditaretur enim aliena iniuria, & vt iam monui, & merces ſuas, & earum pretium ſimul retineret. Condictione igitur indebiti cõueniri poterit, quia pretium illud modò indebitũ eſt, quãuis quamdiu amiſſæ merces erãt, & quando ſolutio facta fuit, debitum foret.

Octauò denique, ſi quis ex vectoribus ſoluendo non ſit, neque contribuere valeat, detrimentum magiſtri eſſe non debet, ſed commune eorum omnium, qui in contributionem vocantur. Neque enim magiſter aut vadem ſe præſtitit, aut peccauit, quòd iſti ſoluendo non ſint, cùm minimè teneatur ſuorum vectorum fortunas excutere. Ita §. *6. l. 2. hoc titulo.*

Ad extremum moneo, nos eodem iure, iiſdémque moribus in facienda collatione & contributione regi. Audi enim Garſiam in laudato opere. *Quand DIEV donne, que la nef eſt venuë à ſa droicte decharge, & ſaueté, les Marchands doiuent parer leurs aduenants ſans delay, au vendre, gaiguer argent, tout auant que les danrées ſoient miſes hors de la nef, & s'il les a alloüé, & le Maiſtre y demeuraſt pour raiſon de leur debat, & y voit colluſion, le Maiſtre ne doit point partyr, ains doit auoir ſon firet, ainſi comme ſi les tonneaux fuſſent peris.* Quæ conſentiunt capiti 9. legis Rhodiæ. Si exercitor de iactu conſuluerit, vectores interroget, quibus in mari pecuniæ ſunt, id vbi factum erit, calculum ineunt, & in contributionem pecuniæ quoque veniant. Stragulorum verò, & veſtium, & inſtrumenti fiat æſtimatio. Quod ſi iactum fecerint, exercitori, & vectoribus non vltra libram vnam, clauum tenenti, & proretæ non vltra dimidiam libram, nautæ ſcrupuli tres aſſignantur. Tu cætera lege ibidem.

ARTICVLVS X.

De exercitoria, & alijs actionibus aduerſus nautas.

HÆc diſputatio forum ſpectat, quare paucis perſtringam; habemus de ea titulum. *lib. 14. D.* cuius Commentatores conſulet, qui plura volet. Quiſnam verò ſit exercitor, diximus art. 4. ab eo denominatur actio, quæ à Prætore aduerſus illum datur. Definitur autem ab Hotmano, actio perſonalis, prætoria, extraordinaria, quæ datur ei qui cum magiſtro, vel pro magiſtro nauis, de rebus ad ipſius curam, & magiſterium pertinentibus contraxit aduerſus exercitorem, vt quod Magiſtrum illo nomine dare facere oporteret; ſi cum eo ciuiliter ageretur, tanti damnetur. Dicitur perſonalis, quia licet actio perſonalis detur propriè aduerſus eum, qui contraxit, §. 1. *inſtit. de action.* qui tamen per ſerui, alteriúſve miniſterium contrahit, ipſemet etiam iure ciuili contrahere intelligitur; & idcircò Prætor voluit ex hoc contractu quaſi cum exercitore geſto, ipſummet exercitorem obligari, atque aduerſus ipſam actionem dedit, qua etiam de cauſa dicitur honoraria obligatio; *l. 1. §. pen. D. de exercitor. action.* Eſt prætoria, & extraordinaria, *l. 1. §. quanquam. l. 5. §. pen. hoc tit.* Eſt ſiquidem veluti redundans, & acceſſoria, nam Magiſter, ſi ſui iuris, & liber erat, poterat Iure ciuili, directa, principali, & ciuili actione cum eo agi, quia cum eo directè, & principaliter nunc contractum erat; *l. ſi tibi. 8. C. mandati, l. procurator. 67. l. 1. §. Idem Pomponius 10. D. depoſiti.* quia tamen, qui cum eiuſmodi Magiſtro contrahunt, eorum potius, qui præpoſuerunt, quàm ipſius Magiſtri præpoſiti fidem ſequi ſolent, idcirco fuit Prætoris hanc actionem concedere, vt illis qui contraxerint, liceat vel aduerſus exercitorem, prout libuerit, experiri; *l. 1. §. eſt autem; & l. 5. §. Idem ſi; hoc tit.* Præterquam quod poſtulat æquitas, vt qui ex alicuius operis commodum percipit, eius quoque factum in opere cui ipſum præpoſuit, præſtet. Denique quando quis ſiue liber, ſiue ſeruus, ſiue filius, ſiue quis alius negotium alterius nomine gerit, is qui cum illo contrahit, magis eius, qui iuſſit, quam eius cum quo contrahit, perſonam attendere intelligitur, *l. vlt. D. pro ſocio.* Quare ex hac vniuerſali regula poterat aduerſus exercitorem agi, Prætor tamen voluit hoc caſu nouam acceſſoriam actionem concedere, cum aliquo, vt videtur, ſingulari iure. Nam qui in hoc genere contrahit, licèt ignoret eius, cum quo contrahit, conditionem, acquirit tamen obligationem, *l. 1. hoc tit.* Immò licèt Magiſter illum, cum quo contrahitur, ignorante, atque etiam inuito exercitore præpoſuerit, obligatio nihilominus acquiritur, *l. 1. §. vlt.* Et quamuis exercitor in alicuius exiſtat poteſtate, in ſolidum tamen, & non pro peculio tantùm obligatur; *l. 1. §. licèt.* Denique hæc actio non annua tantùm eſt, ſed perpetua, *l. 4. §. vlt.* Non datur verò hæc actio niſi de rebus ad magiſterium pertinentibus, ſiue de rebus, quibus eſt præpoſitus, nam cæterarum nomine exercitorem obligari non pateretur æquitas; *l. 1. §. non autem.* Quod ſi cum ipſomet exercitore contrahatur, iſque ſit in alterius ſiue domini, ſiue patris poteſtate, dominus, & pater eadem actione tenetur; *l. 1. §. penult.* ſi autem exercitor magiſtrum non præpoſuiſſet, ſed ipſius exercitoris procurator, tutor, aut curator, nihilominus aduerſus ipſummet exercitorem dabitur actio, non aduerſus illum, qui ipſius vices obiuit, & Magiſtrum naui præpoſuit. Neque exercitor damnabitur quatenus in peculio, ſed in ſolidum, vti iam monui.

Non datur autem contraria actio exercitori aduerſus eos, qui cum magiſtro contraxerunt, quia actione ciuili locati aduerſus magiſtrum, aut eos, qui cum ipſo contraxerunt, ſufficienter cautum fuit. *l. 1. §. eſt autem. hoc tit.*

Secundò præter hanc actionem datur & alia quadruplex, prima ex locato datur iis, quorum merces iactæ ſunt, aduerſus Magiſtrum nauis, vt agat ex conducto aduerſus eos, quorum peculiariter interfuit ſaluam eſſe nauim, & illos ad damnum pro proportione ſuſtinendum compellat. *l. 2. D. ad l. Rhod. de iactu.*

Secunda actio ex conducto datur Magiſtro nauis aduersùs eos, quorum interfuit ſaluam eſſe nauim, vt eos ad damnum illud pro ſua portione ſuſtinendum compellat; *l. 1. citata.* Vectores qui ſine mercibus, & ſarcinis nauigant, hac actione non tenentur, niſi veſtimentorum, & annulorum nomi

nomine, vti *art. ſuperiori* explicuimus, ſicut & ad proportionem ſeruandam æſtimatione facta mercium amiſſarum, & ſeruatarum, vt quæ ratio fuerit mercium ſeruatarum ad proiectas, eadem ſit contributionis ad damni communionem: v.g. primus habuit merces 14. aureorum, quæ proiectæ ſunt; ſecundus 28. tertius 56. quæ ſaluæ ſunt. Primus ſuſtinebit damnum duorum aureorum, ſecundus quatuor, tertius octò: ſimiliter ſi primi merces fuerunt 28. ſecundi 56. tertij 112. primus ſuſtinebit damnum quatuor, ſecundus octo, tertius 16. Quæ & alia exempla dabit Hotman. *D. ad l. Rhodiam. n. 4.*

Tertia actio eſt locati, datúrque iis, qui damnum reſarcierunt, iacturam paſſi ex iactu, ſi res quæ iactæ fuerant, appareant, aduerſus Magiſtrum, vt per actionem ex conducto compellat reddere, quod iacturam paſſus pro ſuis mercibus iactis exegerat. *l. 2. §. penult. D. ad l. Rhod.* ſicuti fuit à nobis explicatum.

Quarta eſt actio ex conducto, quam habet, vti dicebamus, Magiſter aduerſus damnum paſſum, vt reſtituat quod exegit, vbi ſuas merces recuperauit.

De modo autem inſtituendi actionem, & conficiendi libelli vide Stracham. *tract. de nauib. vlt. parte tota.* Res enim hæc ſolos Pragmaticos ſpectat, & à noſtro inſtituto eſt aliena.

CAPVT II.

De gabellis, & vectigalibus.

ARTIC. I. *Quid & quotuplex ſit vectigal.*

II. *De cauſa efficiente, ſiue inducente vectigalia.*

III. *De cauſa finali vectigalium.*

IV. *De forma vectigalium, ſiue modo illa imponendi.*

V. *De perſonis quibus indicuntur vectigalia.*

VI. *De vectigali perſonali, capitatione, & operis vectigalibus.*

VII. *De tributo cenſus, ſiue in ſolum, vel in agros.*

VIII. *De alia materia vectigalium, ſiue rebus ſuper quibus imponuntur.*

IX. *Quid & quantum imponatur.*

X. *Qualis & quanta ſit obligatio ſoluendi vectigalia.*

XI. *Conſectaria ex doctrina ſuperiori.*

XII. *Quibuſnam, quando, & quo loco debeant ſolui vectigalia.*

XIII. *Conſectaria ex quibus contractibus vectigal debeatur.*

XIV. *De indulgentia & immunitate vectigalium.*

XV. *De præfectis vectigalium, & ipſorum exactoribus, redemptoribus, ac publicanis.*

XVI. *De pœnis fundantium vectigalia.*

CVm vectigal, quod ipſum nomen præfert, pro inuectione vel euectione mercium ſolueretur, ideóque illud ἐξαγώγιον vocat Iuſtinianus in edicto de Alexandrin. & Strabo *lib. 17.* duplicia ait fuiſſe Alexandriæ vectigalia, nempe ἐξαγώγικα, & εἰσαγώγικα, non potuimus in opere de negotiatione, quæ maxime circa merces verſatur, diſputationem de vectigalibus & portoriis prætermittere, cuius occaſione vna eademque operâ vniuerſam de tributis & vectigalibus materiam paucis noſtro more complectemur.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex ſit vectigal.

Quid vectigal, tributum, ſtipendium, gabella. 1.
Quotuplex tributum. 2.
Oblatio quid. 3.
Vbi de auro coronario. ibid.
Indictio quid. 4.
Tributum annona. 5.
Tributa certa & incerta. 6.

VOcem vectigalis non accipimus hoc loco 1
pro ſtrictiori illa notione, qua ſignificat id quod pro inuectione, aut euectione Principi, vel Reipublicæ penditur, ſed in communiori & ampliori, qua non ſolum ἐξαγώγιον & εἰσαγώγιον, aut portorium ἐλλιμένιον denotat, ſed quidquid à ſubditis Principi ad ſuſtentandam dignitatem, & bonũ commune procurandũ, aut etiam in notam ſubiectionis confertur; ſiue ex mercibus importãdis exportãdiſque, ſiue ex portubus, & pontibus, ſiue ex venditionibus & emptionibus, ſiue ex aliis quibuſcumque rebus colligatur, & quocumque tandem nomine vocetur; varia enim illa ſunt pro diuerſitate cauſarum propter quas penditur, aut rerum ex quibus capitur, vel modi quo colligitur, eæque omnes voces duplicem notionem habere poſſunt, preſſiorem vnam, qua à reliquis præſtationibus diſtinguuntur ex aliqua finis, materiæ, aut modi peculiari, vti iam monuimus, circumſtantia. Alteram communiorem, & vniuerſaliorem, quamuis propriam, qua omnes cuiuſvis generis penſitationes factas Principi, ad ſuam reique publicæ dignitatem, ac rem tuendam, & in ſupremi dominij notam complectitur: & in vtraque illa ſignificatione promiſcuè vſurpantur hæ voces ab Authoribus; itaque vectigal non tantùm capitur pro eo quod ex mercibus importandis, exportandiſque, & pro itinere *l. ſi quis 21. D. de donation. inter vir. & vxor.* ex primaria ſua ſignificatione ſoluitur; ſed etiam pro eo omni quod capit fiſcus, quale eſt vectigal portûs, vel vænalium rerum, vel ſalinarum, & metallorũ, & picariarum, vti habet Vlpian. in *l. 17. D. de verbor. ſignific.* & Caius *l. 13. D. de public.* agit de vectigali cuiuſdam municipij conducto. Quinimò veteres aliquando ea voce vſi ſunt in priuatorum prouentibus, & pro compendio quod ex illis habebant. Paul. *l. 59. de vſufruct. Caſa harundinis, vel pali compendiũ, ſi in eo quoque fundo vectigal eſſe conſueuit, ad fructuarium pertinet.* Et Cicero *in Paradoxis. Ex meo quoque tenui vectigali, detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit.*

Tribu

Tributum, vel tributus, ea pecunia, quæ populo imperabatur, appellata quondam eſt, vt ait Varr. *lib.4. de ling. lat.* quia tributim, ſiue per Tribus à ſingulis proportione cenſus exigebatur; indeque pecunia aſſignata, vt aliis nempe ſolueretur, ad tributum, aut pecunia ad tributa dicta fuit. Græci dicunt *φόρος τὰ τίθεσθαι τὰ χρήματα*. Feſtus mauult tributum appellari, quia ex priuato in publicum tribuitur. Vlpian. deriuat ab intributione, & ex eo quod militibus tribuebatur. *l. Ager 27. D. de verbor. ſignific.*

Tributum tamen ferè caput tangebat, eratque illud æs quod quiſque pro capite ſuo pendebat. Feſtus ait duo eſſe tributorum genera, alia in capite, alia in cenſu. Et ſanè Paul. tum tributum, tum ſtipendium agnoſcit eſſe onera fructuum, *in l.13. D. de impenſ. in res dotal.* quia nimirum capitatio fiebat pro ratione cenſus, & vocabatur ſtipendium; quia inquit Vlpian. *l. ager, citata*, per ſtipes & modica æra colligebatur. Tertullian. *in Apologet. cap. Hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora.* Iſidor. *lib.16. cap.17.* à ſtipe pendenda deducit. Hinc Plin. *lib.33. cap.3. Quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis ponderanda penſatores, libripendes dicuntur.* Sanè ſtipem æs idcircò nominatum veteribus obſeruat Varr. *lib.4.* quia aſſes libræ pondo erant, & qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt componebant, quo minùs loci occuparent, à ſtipando ſtipem dicere cœperunt. Inde Diis cùm theſauris aſſes dant, ſtipem dicunt; quò alludit Seneca. *Colitur autem non taurorũ opimis corporibus contrucidatis, vel auro argentoque ſuſpenſo, nec in theſauro, ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate.* Dicitur quoque qui pecuniam alligat, ſtipulari, & reſtipulari. Hanc pecuniam ſic repoſitam in cella Feſtus ait vocatam impenſam, quia nondum expenſa erat; ſed tantùm ſtipata. Vnde factum quoque coniicit Scaliger, vt quæuis ſtipatio, & farctura, impenſa diceretur; quod ſæpius vſurpauit Apitius *Vides impenſam præſcriptã*, id eſt farcturã. Arnob. *lib.7. Impenſarũ varietate conditis.* Pallad. *li.1. Impenſa pumicea farciri mures*; id eſt ſtipati acerato ex pumice ruſo. Stipendiũ igitur fuit æs quod militibus impendebatur: tributum, *φόρος*, quod agris indicebatur; quod ſignificat Mecœnas apud Dion. *lib.52.* & etiam indicat Phauorinus in eoque diſtinguit à vectigali; quod iſtud penderetur pro negotiatione merciũ *φόρος κυρίως τὸ ὑπὲρ τῆς ἰδίας εἰς ἐπερόμενον γῆς: τέλος δὲ ὑπὲρ τῆς ἐμπορίας συντέλεια.* Alij exiſtimant tributum & ſtipendium ſeu *φόρ⊕* fuiſſe ex cenſu, vt ſæpius innuit Cicero in Verrem: *τέλ⊕* autem ſiue vectigal fuiſſe portorium, quod à publicanis pro inuectione mercium exigebatur. Tributum denique capitationem eſſe. Erant & agri quidam vectigales, in quibus erant Publicani, Decumani, Scripturarij, de quibus dicemus inferius: alia erant prædia tributaria, in quibus nulli publicani, alia ſtipendiaria. Nam *l.13. D. de imp. in re dot. fac.* negat virum exigere poſſe ab vxore ſtipendium & tributum ob fundum dotalem præſtita, quia hæc onera ſunt impendia fructum. *l.46. §. vt debitoribus. D. de iure fiſci.* cauſa tributoria & ſtipendiorum diſtinguuntur. Fuerunt denique Prouinciæ omnes extra Italiam vectigales, ſed quarum aliquæ erant ſtipendiariæ populo aſſignatæ, aliæ verò tributariæ Cæſari, de quibus inferiùs. Sufficiat modò inde colligi diſcrimen fuiſſe aliquod conſtitutum inter ſtipendium, tributum, & vectigal, quod fortaſſis aliquid commune erat ſtipendio, & tributo. Sanè Feſtus, *Vectigal æs dicitur, quod ob tributum, & ſtipendium, & equeſtre, & ordinarium populo datur.* Vetus gloſſ. *τέλ⊕ ὁ ἐτήσιος τοῖς βασιλεῦσι διδόμεν⊕ φόρ⊕*: vectigal eſt tributum annuum, quod Regibus penditur; atque adeò differt à portorio *ἐλλιμενίῳ*, quod veter. gloſſæ, interpretantur *τέλ⊕ ἐν λιμένι*, vectigal in portu, & portorium *τέλ⊕ πύλης*, vectigal portæ, mercium ſcilicet quæ per portas in vrbes importabantur, aut exportabantur. Quare Heſich. *ὑπὸ λόγιον τίμημα εἰσόδου, ἢ τέλ⊕*, æſtimationem ingreſſus, aut vectigal vocat. Vet. gloſſ. portorium, & portatorium: *τέλ⊕*, & *τελωνεῖον*. Hoc eodem nomine communi vectigalis & tributi complectimur ſingula, quæ ex rebus quibus imponuntur, denominata ſunt, quæ hoc loco perſenſere nihil attinet, de ſingulis enim agemus in decurſu.

Moneo dumtaxat, quod de tributi & vectigali nominibus dixi, idem de voce gabellarum accipiendum eſſe, quæ Italis omnem indictionem, & præſtationem pro mercibus & rebus ſe mouentibus ſignificat; Gallis verò preſſius vectigal, & tributum ſalarium, ex vænali nempe ſale. Vocem hanc deducit Villalpand. ex Hebræ. Non erimus tamen religioſiores in vſurpandis iſtis nominibus modò in ſtrictiori, modò in ampliori ſignificatione, cùm animus ſit vniuerſam iſtam materiam pertractare, & quidquid Principi ad ſuſtinendam dignitatem, curandum bonum commune, & recognoſcendum ſupremum illius Dominum, penditur à ſubditis, nomine vectigalis complecti. Ea enim eſt tributi ſiue vectigalis definitio ipſo ſtatim initio allata, quæ ex tota diſputatione lucem accipiet, explicatis omnibus eius cauſis; neque amplius in ea immorandum eſt.

Diuiſio tributi multiplex fingi poteſt; ſed quæ 2
ferè materialis eſt, & parum ad ſcientiam idonea, cum, vti nuper monebam, ſumatur vel ex re ſuper qua imponitur vectigal, vel à Principe, qui impoſuit, vel ex occaſione, aut cauſa propter quam imponitur, vel ex loco, vel ex tempore, & eiuſmodi aliis, quæ diſcrimen ſpecificum afferre nequeunt: vulgares tamen aliquæ diuiſiones paucis attingendæ viſæ ſunt. Primò igitur Feſtus ait tributi collationem aliam eſſe in capite, aliam in cenſu, prior erat capitatio, altera erat vel in ſolum, vel in agros, eorumque cenſus indicta. Secundò fuit quoddam tributum, vt vocat Feſtus, temerarium, quod nulla habita rerum perſonarumve ratione, ſi res grauior inciderat, indicebatur, cuiuſmodi poſt vrbem à Gallis captam collatum eſt, quia proximis quindecim annis alius cenſus non erat. Item bello Punico I I. M. Val. Læuino, & M. Claud. Marcell. Coſſ. cùm & Senatus & P.R. in ærarium, quod habuit, detulit, apud Liuium *lib.26.* hoc ſine dubio temerario tributo, matronæ aurum, & ornamenta ſua contulerunt, viduarum & pupillorum bona in ærarium collecta, quæ bello confecto tribus penſionibus redderentur. Huic temerario tributo opponebatur tributum certum, & perſonis ac bonis diſtinctè & prudenter impoſitum. Tertiò fuit aliud tributum ordinarium, quod in capita, atque in ſolum quotannis impeperabatur; alterum extraordinarium imperatum lege aut S.C. ob nouam aliquam neceſſitatem, imperabantur v.g. naues, milites, aut annona prouinciis. Quartò diuiditur in canonem, oblationem, & indictionem; ſic enim Aſconi. *ad lib.4. in Verrem*, partitur omne genus penſitationum. Canon

eſt

eſt vectigal & tributum ordinarium immutabili forma, & eodem tenore, quod inferri ærario debebat, & nunquam imminuebatur, vti colliges *ex l.fin. C. de canone largition.* quamquàm canon eſt propriè penſio quæ ab emphyteuta domino præſtatur. *C.de canon.largition.* Sic dicitur quia eſt certa & ſtata regula, quam & in eiuſmodi præſtationibus, & maximè in tributis, & indictionibus ſeruari oportet, vt certus vini, frumenti, argenti, & rerum aliarum modus pendatur, ne ſit infinita illatio, *l.modios.C.de ſusceptorib. & arcar.* & *C.de canon.frumento.vrb. Rom.* Quare canonica illatio pro omni iuſta & legitima indictione ſumitur. *l.3. C. quæ res vend.* & canonicarij canonis exactores ſunt. *Authent. de collation.* Vide alia apud Buleng. *lib.de vectigal. Pop.Rom. cap.6.*

3 Oblatio eſt voluntarium quoddam tributum, cuiuſmodi erant ea, quæ ſponte, & gratulandi animo prouinciæ offerebant Imperatori, v. g. ſtrenæ & ſtipes, quas pro ſalute Auguſti quotannis mittebant in Lacum Curtium. Sueton. *in Aug.cap.57. Omnes ordines in Lacum Curtij quotannis ex voto pro ſalute eius ſtipem iaciebant. Item Kalendis Ianuarij ſtrenam in Capitolio abſenti: ex qua ſumma pretioſiſſima Deorum ſimulacbra mercatus vicatim dedicabat, vt Apollinem Sedaliarium, & Iouem Tragœdum, aliaque.* De votis ad lacus & fontes eorumque cultu res obuia eſt. Pauſanias in Atticis, de fonte apud Oropios, in quem argentum, aurúmve iaciebant. Plin. *lib. 8. Epiſt.* 8. de Clitumno fonte puro & vitreo, vt numerare iactas ſtipes & relucentes calculos poſſis. De ſtrenarum munere Imperatoribus oblato, vide Symmach. *lib.10.Ep.28.* ibi enim ſtrenarum vſum repetiit ab ortu penè vrbis Martiæ, hoc eſt Romæ, Tullio Rege, qui verbenas fœlicis arboris ex luco ſtrenæ, fœlicis anni auſpices primus accepit. Addit nomen indicio eſſe ſtrenuis viris hæc conuenire ob virtutem. *Sumite igitur,* inquit, *defenſores publicæ ſalutis, ſolemniter auro ducta munuſcula, non quia diuitis metalli honore gaudetis, ſed vt noſtra deuotio felicis ſeculi teſtetur opulentiam. Bonis Principibus benè parta libamus. Suſcipite à Iudicibus aperta obſequia, qui pretia occulta damnatis. Meritò vobis ſolemnes pateras, cum quinis ſolidis, vt numinibus integritatis offerimus, quibus nec veſter pudor, nec noſter cenſus eneretur.* Caius Caligula edixit, teſte Sueton. *cap.42. ſtrenas ineunte anno ſe recepturum, ſtetitque in veſtibulo ædium Kalend. Ianuarias ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus, ac ſinu, omnis generis turba fundebat.* Eódem pertinent vota ſolemnia quæ ſe pro incolumitate Principis, qua ſalus publica continetur, ſoluiſſe Plinius ſcribit Traiano, *lib.10. ep.44.* Hæ tamen oblationes ita erant voluntariæ, vt omitti impunè non poſſent, alioquin indicerentur, vti videmus in auro coronario, quod initio quidem ſponte offerebatur, ideóque illud Strabo nominat φιλικὴν λειτουργίαν, amicabile ſacrificium. Deinde etiam indicebatur: nam & illud Alexand. remiſit, teſte Lampridio: quod idem feciſſe Iulianum ait Ammian. *l.vnic. C.de auro coronario.* neminem ad collationem auri coronarij cogẽdum eſſe vult, abſque cõſuetudine, itaque vbi erat conſuetudo, indicebatur. Et ſanè Suidas ϛεφανικὸν τὸ τέλεσμα, Græci Iuriſconſulti ϛεφανιτικὸν κανόνα vocant. Eratque aurum quod in coronis aureis Decuriones Principibus offerebant *amore proprio,* vt loquitur *l.4.C.Theodoſ. de auro coronar.* vel indulgentiarum lætitia, vel rebus proſperè geſtis, vel alia ex cauſa. Capitolinus ſcribit Pio oblatum fuiſſe adoptionis causâ. Item Satrapę *l.vlt.C.Theod.de auro coron.* Originẽ repetit Suidas a Rhodiis, qui cùm ſui iuris eſſent, exiguum aliqoid ſingulis annis Romam mittebãt honoris causâ ἐπὶ τιμῇ, non vt tributum dominis ſuis, ſed vt ramum, aut coronã amicis dantes οὐχ ὡς φόρον ἡγεμόσι, ἀλλὰ θαλλοὺς ἢ ϛέφανον φίλοις διδόντες. Nam Gallogræci Ancyrani coronã vocãt quidquid per ſpeciẽ amicitiæ datur ϛεφανικὸν λέγουσι πᾶν τὸ ἐν χάριτος λόγῳ διδόμενον. Miſſæ quoque ſunt victoribus, & triumphantibus coronæ aureæ, quæ in triũpho deferebantur. Liu. *lib.38.& 39.* Plin. *lib.33.cap.3.* Appian. *in Cæſar.* Vide Buleng. *de triũpho c.29.* Verùm poſtea pecunia pro coronis data eſt, & aurum coronariũ præſcriptione triũphi oblatũ, demum exactũ eſt. Vide Athenæum *lib.12.* Imponebant illud Imperatores propter cõceſſam vitã. Polyb. *in fragmẽtis.* Solebant Iudęi quotannis illud Patriarchis Hieroſolymitanis offerre, vnde Cicero pro Flacco. *Cum aurũ Iudæorũ nomine quotannis ex Italia, ex omnibus veſtris prouinciis Hieroſolymã exportari ſoleret.* Illud deinde Imperatores ſibi vindicarunt, *l. Iudæorũ 17. C.de Iudæis.* Iubentur Iudæorum Primates ſuo periculo anniuerſariũ canonem de ſynagogis omnibus exigere, ad eam formã, quam Patriarchæ quondam coronarij auri nomine poſtulabãt, & Principis largitionibus inferre. Dum ineunte anno vota cõmunia fiebant pro ſalute Principum, illis libra auri ex ſolidis obrizatis offerebatur; quam deuotionem & cõſuetudinem ſeruari, & illud aurũ ſemper inferri Imperatores edicunt, *l.vnic. C.de oblation.votorum.* Honorariũ quoque frumentũ, quod olim in Sicilia Prætoribus dabatur, oblationibus adſcribũt aliqui, quod tamen munus omitti non poterat. Theod. & Arcad. *l.1.C.Theod.de præd.ſenat.* remittunt Senatui oblationẽ prompta liberalitate promiſſam; aurũ tamen oblatitium perſolui deinde iuſſerunt. Vide de eiuſmodi oblationibus Buleng. qui plura ex Symmacho cõgerit *lib.9 de Imp. Rom.c.67.& 68.* Vides itaque oblationes quæ initio voluntariæ erant, & ſponte ſuſceptæ, neceſſarias deinceps euaſiſſe, & vera tributa, eaque conſtantia ac ordinaria fuiſſe, quãuis nomen oblationũ retinuerint: quod ferè in pluribus quoque aliis tributis ac vectigalibus contigiſſe reor; quæ primùm cõmuni plebiũ voluntate, grati animi aut affectus in Principẽ propenſi causâ exhibita ſunt; & deinde poſcentibus vrgentibúſq; ipſiſmet Principibus cõtinuata. Vnde factũ quoque reor, vt aliquando munera ſint appellata: non onus aut tributum. Symmach. *lib.9.Epiſt.10. Sed principalibus Tabularijs liberum eſt alios à diſpendio vindicare, alijs indebitum munus imponere.* Tabularij de quibus habemus titulum *in C. Iuſtin.lib.10. tit.69.* & *in C.Theod. lib.8. tit.1.* chartas publicas adminiſtrabãt, *l.pen.C.de Tabul.* & rationes eorum quæ publico inferũtur, & debentur conficiebant, *l.2.C. de iure fiſci,* & *l.vlt. D.ſi menſ.falſ.mod.l.1. l.miſſi, C. de exact. tributor. l.2. C.de numer. l.1. C. de immunitate nemini conced.l.1.C. de cenſib.* Ammian. Marcell. *lib.18. Nec ſi fieri fuiſſet neceſſe, inſtructiones ex ipſis Tabularijs ſuppeterent.* & *eod.lib. Obſcuriſſimè natus eſt patre Tabulario præſidialis officij.* Erãt enim quondam ſerui. Sen. *Epiſt.89. Cuius patrimonium Tabularios laſſat.* Poterant igitur facilè principales Tabularij, qui Principis, & publicas rationes conficiebant, alios à diſpendio vindicare, aliis munus indebitũ imponere, id eſt tributum ab aliis exigere vt ait Symmach. inde dicebantur munifici, ſicut à tributo tributarij. Symmach. *lib.5.Ep.85. Graue eſt enim nos quidem pro agris noſtris, functionibus pu-*

blicis eſſe munificos. Et *l.6. C.Theodoſ. de Scænicis. Vnius auri libro condemnatione multatus, largitionibus noſtris cogatur eſſe munifions.* Et *l.4.C.eod. de excuſation. artificum. Pictura profeſſores, ſi modò ingenui ſunt, placuit, neque ſui capitis cenſione, neque vxorum, aut etiam liberorum nomine tributi eſſe munificos.* Et denique *C.eod. de indulgentiis debitorum, l.9. & 16.* Ius munificum pro iure tributario vſurpatur. Simili ratione quæ munera olim ſponte clientes patronis offerebant, & ſerui dominis; in tributa neceſſaria & coacta commutata ſunt. Iuuenal. *Satyr. 3.*

——*Praſtare tributa clientes cogimur.*

Quare de iis muneribus modò neceſſariis queritur Saluian. *lib.6. Inſuper etiam ridiculos ipſi nos facimus: aurum quod pendimus, munera vocamus: dicimus donum eſſe, quod pretium eſt, & quidem pretium conditionis dura & miſerrima.*

4 Tertium tributi genus ex Cicerone,& Aſconio erat indictio, quod tamen nomen variè vſurpatur; aliqui enim volunt eſſe monitionem, vt ſubditi ſe ad ſolutionem tributi compararent, antequam collecta exigeretur; id enim in more poſitum fuiſſe conſtat ex *l. vlt. C. de indictionib.* & nos dicemus inferiùs. Alij volunt eſſe collectam,ſymbolum, & quod Pollux *lib.8. cap.vlt.* dixit ἔρανον, de quo plura opere de vſuris obſeruanimus. Denique indictio propriè eſt annonaria,&tributaria functio, rebus non perſonis indicta, ſiue impoſita. Quare cùm indictiones eſſent anniuerſariæ, inde cœperunt anni per indictiones numerari, eas vocant Græci ἰνδικτιῶνας, earum tamen numerus non excedebat XV. ſed idem ſemper reuoluebatur. Cœpiſſe hunc morem anno 15. Auguſti Imperatoris, & poſt victoriam Atticam exiſtimauit Cedrenus; indeque nominis rationem petit,vt indictio ſit, quaſi in Actio, ſeu victoria in Actium. Καλεῖται δὲ ἰνδίκτιον, τουτέστιν ἰνακτίων, ἡ ἀεὶ τὸ ἄκτιον νίκη. Alibi verò reuocat ad Aug. annum ſecundum, & ſignificare circulum anniuerſarium, quo indicebantur ſingulis tributa pro copia, & modo fructuum, ſiue vbertatis, aut fertilitatis anni; renouatum autem illum morem à Theodoſio magno. Verùm Onuphrius refert ad Conſtantini ætatem, ex quibuſdam faſtis Græcis, in quibus Conſtantino II. & Licinio II. Coſſ. ſic legitur: Ἰνδικτιόνων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἀρχή. Incepiſſe à menſe Septembri oſtendit *l.vlt.C.de ann.& tribut.*& *l.1. C. d milit.veſt.*& *Nouell.*128.quam Græci ponunt ad *l.13.D.de iuriſd. omn.Iud.* Hæc porrò tria ſunt paria,Anno quinto,Indictione quinta,Fuſione quinta, in *l.6.C.Theodoſ.de indulgentiis debitorum.* Meminit ſæpius indictionis primæ, ſecundæ, & tertiæ Caſſiodor. *lib.3. Ep.25. Siliquatici tributum, quem fide dominicatus iure dederamus, diſcuſſione indictionis prima, ſecunda, vel tertia, per prouinciam Dalmaticam, ordinatio tibi noſtra committit.* Et *lib. 5. Epiſt.*31.de eiuſdem Siliquatici titulo,indictionũ octauæ, nonæ, vndecimæ, primæ ſecundæ, & quintæ decimæ conductione querelam habet. Erant porrò indictiones quædam canonicæ,atque ex lege factæ; aliæ extraordinariæ, & veluti ex improuiſo decernebantur, & ſuperindictio, vel potiùs ſuperindictum dicebãtur, *l.1.C.de indiction.* & *C.de ſuperindicto.*Græci ὑπὲρ κανόνα. *l.4.C.Theodoſian.de cõlat.fundor.patrimonial.*meminit Domini augmenti, & ſuperindictitij. Marcell. *lib. 27. Indictionale augmentum.*Athalaricus Rex IX. *Quod à nobis augmenti nomine quærebatur, illuſtrem virum comitem patrimonij noſtri,nunc iuſſimus remouere.* Et alibi. *Quicquid ſupra conſuetudinariam functionem augmenti nomine petebatur.* Caſſiod. *lib.5.ep.14. ſuperindictitia onera.*Erat igitur munus extraordinariũ a quo plures excuſabantur; quia verò nomen illud vectigalis ſuperinducti graue,& odioſũ erat, illud tollitur, & pro eo canon introducitur à quo nemo eximatur, *l.1. C.de indictionib.* tum *l. vnic.C. de ſuperindicto,*conſtituitur,ne quid Præfectus prætorio iniuſſu Principis indicat,vel ſuperindicat;Princeps autem emittit delegationem, tum ea inſinuatur apud acta Præfecto Prætorio,deinde mittitur Præſidibus vt exigant. *Nouu.* 128. Eundem Principis conſenſum, ſiue iudicium, & dominicam præceptionem,vt Rectores prouinciarum ſuperindictum imponant, exigit *l.vnic. C. Theod. de ſuperindicto;* ibique Amian. Zonaras ſcribit Alexium Comnenum nouis nominibus noua tributa excogitaſſe, quæ dixit ὑπέρτιμα, & ὑπέρτελα. Diacon. *lib.21.* Leonem Thiæceiæ parti Siciliæ & Calabriæ ſuperimpoſuiſſe tributa;& quæ pendebantur Principum Apoſtolorum Eccleſiis, publicæ rationi perſolui præcepiſſe. Claudian. *in panegyrico* laudat Honorium, quod illa ſuperindicta ſuſtuliſſet.

Impia continui ceſſant augmenta tributi,
Non infelices tabula, non haſta refixas
Vendit opes, auida ſector non voce citatur,
Nec tua priuatis creſcunt æraria damnis.

Habemus hæc tria tributorum genera in Gallia, 5
quædam enim ſunt tributa, ſiue vectigalia, quæ prædiis & poſſeſſionibus pro cuiuſcumque cenſu, aut rebus aliis impoſita ſunt, ſiue ſubſidia, talliæ, gabellæ, ſiue quo alio nomine vocentur,de quibus inferius. Alterum eſt quod conceſſio, ſiue *Octroi* dicitur, quod poſtulantibus Regibus indulgetur. Nam & Aymon. *lib.4.cap.116.& 117.* narrat magnum Carolum oblata ſibi annua dona more ſolemni in publicis conuentibus ſuſcepiſſe; quem vſum ab Auguſto vſurpatum, nuper monuimus. Eodem refero *mutuationes, emprunts.* Cùm mutui nomine ac titulo Rex a ſubditis quidpiam exigit, nec ſine magno fœnore, quo Regum ærarium ſæpius exhauritur. Tertium eſt ſuperindictum,*crues,* cum ſupra ſtatutum, ac legitimum tributi ordinarij modum aliquid indicitur. Atque ad hæc tria tributorum genera facilè fuerit ſingula, quæ in Gallia vigent, tanquam ad ſumma capita reuocare.

Diuidebant quintò Romani tributa in annonas 6
& tributa,vnde eſt titul.*de annon.& tributis,lib.10. Cod.* Annonæ conſiſtebant in ſpeciebus, veluti frumento,vino,oleo, pane, carne, ſale, & in ſumptum familiæ Dominicæ miniſtrabantur. Erant & pabula, fœnum, paleæ, quæ vnà cum annonis Magiſtratibus, aliiſque officiis ad iumenta ſuppeditabantur, de quibus *l.9. C. de iure fiſci.* Pabula dicebantur capita; Marcellin. *lib. 22. Pabula iumentorum, qua vulgo dictitant capita.* Caſſiodor. *Equos capitum deſinitum.* Heſych. κάπετον πρόβλημα ἀλόγων. *Edict. Iuſtinian. 15.cap.3.* τὰ συντελῶν κάπιτα: & titul. *de annonis & capitatione, &c. lib. 1. Cod.* magnam ethymologiam deducit κάπετον à κάπη, quod eſt præſepe: κάπη παρὰ τὸ κάπτειν [ὅ ἐστιν ἐσθίειν] ἱστάμενοι τοὺς ἵππους ἐν αὐτοῖς.

Tributa erant in corporibus, veluti auro,argento, ære, veſtibus, equis, quæ & intributiones, & contributiones dicuntur, ſuntque duplicia, ſoli,& capitis *leg. vltim. D. de cenſib.* Tributum capitis aliqui vocant ſtipendium, vti iam monui ex illo Tertullian. *in Apologetico. Si agri tributo onuſti viliores, hominũ capita ſtipendio cenſa ignobiliora.* Annonam porrò & tributa ſoli conferunt poſſeſſores.

id

id eſt domini prædiorum prouincialium quotannis, vel ipſi prædiorum conductores; qui verò agrum, aut prædium non habebat, neque annonam, neque tributum ſuli pendere tenebatur. Alteri tamen penſioni capitis omnes erant obnoxij, ſiue pauperes, ſiue diuites; & qui nihil in cenſu habebant, inuenire tamen cogebantur vnde illam penſionem tributi capitalis ſoluerent. Hinc capies Plinium *libr.* 16. *capit.* 8. de cocco loquentem. *Penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpania donat.* Nimirum quia pauperes in Hiſpania paſſim coccum naſcentibus fruticibus decerpebant, atque inde corradebant, vnde alterum tributum ipſis impoſitum, nempe capitale ſoluerent. Et herbas hortorum penſionem eſſe pauperum, quia ex eo reditu extundebant vnde cenſum exoluerent, ſignificat idem Plin. *lib.* 19. *capit.* 4. *Itaque hercule macelli vectigal maius fuit Romæ, clamore plebis incuſantis apud omnes Principes, donec remiſſum eſt portorium mercis huius, compertumque, non aliter quæſtuoſius cenſum haberi, aut tutiùs, ac minore fortunæ iure, cùm credatur penſio ea pauperum. Is in ſolo ſponſor eſt, & ſub Dio reditus, ſuperficieſque cœlo quocumque gaudens.*

7 Sextò denique quoddam fuit vectigal certum, quoddam incertum: prius illud erat certa, atque definita ſiue tributi, ſiue ſtipendij ſumma, qui illud pendebant, dicebantur tributarij, vel ſtipendiarij. Cæſar *libro primo de bello Gallic.* Cic. *in Verr.* & *lib.* 3. *de legib.* his vtuntur nominibus. *Incertum vectigal ex agris ab hoſtibus ereptis*, vti dicemus inferiùs. Quia verò pro anni copia vberiùs, vel anguſtiùs exigebatur, incertum dicebatur.

Mitto lubens omnes alias diuiſiones, quæ excogitari poſſent, cum nequidem à nobis allatæ, ad ſcientificam methodum vſui ſint, & ad ſolam materiæ, alioquin confuſæ, & perturbatæ diſtinctionem aliquam faciant. Satis fuerit monere apud Iuriſconſultos & cenſum, collectam, indictum, indictionem, publicam functionem, collationem, munus pro tributo accipi, *l.* 18. *D. de verbor. ſignificat.* & *ibid. l. munus*, munus propriè eſt quod neceſſariò ſubimus, lege, more, imperio eius qui iubendi habet poteſtatem. A voce autem φόρος dicuntur agri quidem ὑπόφοροι tributarij, ἄγροι ἀφορολόγητοι agri non tributarij, vel è contrario, φορολόγητοι ὑποτελεῖς λειτουργοὶ, vectigales, tributarij, munifices.

ARTICVLVS II.

De cauſa efficiente, ſiue indicente vectigalia.

Antiqua vectigalium origo. 1.
Supremæ poteſtatis eſt ea indicere. 2.
Quid circa ea poſſint fiduciarij Dynaſtæ. 3. 4. 5. 6.
Alia Dynaſtarum iura. 7.
Quid poſſint ciuitates. 8.
Quid conſuetudo. 9. 10.

NAta eſſe cum Regibus vectigalia nemo dubitat, cum ex omni retro memoria, conſtanti, perpetuóque more, illis penſa ſint. Nam & ab Ægyptiis quinta pars fructuum ſoluebatur. *Geneſ.* 47. & *lib.* 3. *Regum capit.* 5. Regis eſſe tributa exigendi conteſtatur Samuel Iſraelitas, qui ſibi Regem præfici aliarum gentium more poſtulabant. Decimas exactas à Romanis Regibus ait Liui. *lib.* 1 *Iudic.* Quartam fructuum quotannis ſuis quoque Regibus offerebant. Diodor. *lib.* 1. *cap.* 10. Cappadoces annua quinquaginta ouium millia Perſarum Regi præſtabant, mille quingentos equos, ac duo mulorum millia: neque attinet innumera alia recenſere exempla. Rationem reddit Ariſtoteles *lib.* 1. *politic. cap.* 11. & *lib.* 8. *cap.* 8. quòd cùm abſque pecuniis & facultatibus, belli, paciſque munera ſuſtineri nequeant à ſuprema poteſtate, cui onus illud incumbit, omninò oportet ipſam Rempublicam ſumptus in eam rem neceſſarios, communi intributione conferre, quæ minimo fieri poterit ſingulorum, totiuſque ciuitatis diſpendio, quod in forma & modo indictionis cauendum eſſe monebimus iterum articulo proximo. 1

Atque ex hac ratione, & prima tributorum origine atque inſtitutione ſtatim apparet pertinere ad ſupremam ſummamque poteſtatem indicere tributa, cùm illius ſit bonum commune curare, & promouere. Nun exigo autem conſenſum populi, cùm tota poteſtas ſit in Principem deriuata, niſi in ipſa Regnorum inſtitutione excepta & appoſita fuerit aliqua conditio cõtraria, quod ex perpetuo vſu facile dignoſceretur. Laborat plurimùm Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.* 17. vt eam abſolutam poteſtatem abſque populi conſenſu afferat Hiſpaniarum Regibus, cùm conſtans vſus alius fuerit, vſque ad nouiſſimos Reges, & leges ipſæ nouæ recompilationis id expreſsè habeant. Idque fatetur Sanch. *lib.* 2. *conſilior. cap.* 4. *dub.* 1. *numero* 5. Quoad noua tributa vide Molin. *diſput.* 661. & *ſequentib.* Gutier. *q.* 2. *de Gabell.* noſtrum non eſt iura Principum arbitrari. Quod attinet ad noſtros Reges contenti illi fuere, quamdiu licuit, tum priuato patrimonio, tum fiſci & ærarij publici prouentibus; vbi tamen ingruentia bella, aliæque neceſſitates poſtularunt, indictionibus vti coacti ſunt, quod primùm factum volunt à Ludonico iuniore ſub ann. 1167. quem imitati ſunt conſequentes, creſcentibuſque publicis incommodis, tributa quoque augere inniti compulſi ſunt; quamuis & ipſi ſubditi ſponte ſua ſæpius aliqua Principi ad ſuſtentanda noua onera obtulerint, vt de Carolo Magno tradit Aymoni. *lib.* 4. *capit.* 116. & 117. vnde malè aliqui colligebant non licere has indictiones Regibus noſtris abſque populi conſenſu: nam & idem inferrent ex pecunia mutuatitia, quam ſubinde accipiunt etiam cum fœnore à ſubditis. Sanè ſi cauſæ indicendi tributi iuſtæ & neceſſariæ ſunt, poſſunt ipſi ſuprema ſua authoritate, tributa indicere; hactenus enim habita fuit παντελὴς Francica μοναρχία, vt loquitur Nicetas. Neque illud Taciti obiicias. *In Germania & Gallia tum Reges erant authoritate ſuadendi, non iubendi poteſtate.* Nam neque Gallorum politiæ ſatis peritus fuit Tacitus, vti facilè foret oſtendere; neque vidit id temporis pleraſque Galliæ prouincias Reſpublicas potiùs eſſe, quæ vnam conflarent, quàm regna diſtincta, vnde communibus ferè conſiliis, & conuentibus publicis agebant. Neque inſtituta adhuc ſuprema illa Monarchia, quam pulſis Romanis Franci in antiquam patriam

reduces, auſpice numine condiderunt. Plura de hac Regia Francorum poteſtate dabit Bohic. *in capit. cum te, de re iudic.* Salicet. *in lege prima, Cod. noua vectig. imp. non poſſe*, & *in ead. l.* Iacob. Fab. & alij à Chaſſanæo laudati *in conſuetud. Burgund. Rub. 1. §. 4. n. 23.* Verùm redeamus ad poteſtatem inſtituendi tributa, quam in ſummis poteſtatibus nemo non agnoſcit.

3 Difficultas verò eſt, an in aliis dominis, qui ciuitates & prouincias moderantur, quamuis non ſummo, ſed fiduciario iure, ſimilis aliqua authoritas reſideat; quandoquidem eædem cauſæ quæ tribuunt eam facultatem ſummis Principibus, illam quoque inferioribus iſtis Dynaſtis videantur vindicare. Quamuis enim non ſummo iure gubernent, gubernant tamen, teneruturque bonum commune curare, debéntque ea pollere poteſtate, quæ ad eiuſmodi gubernationem neceſſaria eſt, qualis eſt iſta dum vrget occaſio indicendi tributi. Nam concedunt omnes eiuſmodi Dynaſtam, vbi aut ciuitatis, aut ditionis bonum poſtulabit ad ingens periculum amoliēdum, etiam priuatorum res ſumere, eoſque compellere ad ſuccurrendum ciuitati poſſe: quidni igitur poterit ſingulis leue quid indicere, eandem ob cauſam? Cur obligabitur ad ſummum dominum prouocare; eaque dilatione ciuitatem, aut ditionem perdere? Cur ipſamet ciuitas non poterit ſeſe tueri, & eam ob rem indicere quidpiam ciuibus, vt communibus ſumptibus, communi periculo prouideatur. Adde & hunc Dynaſtam ſuam aliquam dignitatem ſuſtinere debere, & laborum ſtipendia capere, quæ neque habet, aut non niſi exigua à Principe, neque ex ſuis bonis colligit; igitur a ciuitate, aut prouincia exigere poterit, quæ ſanè non obtinebit, niſi per aliquam contributionem. Quare fatetur Delugo *diſput. 36. de iuſtitia, ſection. 1. num. 6.* ex natura rei eiuſmodi poteſtatem inferiori Dynaſtæ competere, eaque vti poſſe, niſi à ſupremo prohibeatur, vti ſemper prohibere, ſibique vni tale ius vindicare præſumitur, niſi diſtinctis verbis exprimat: neque enim generalia verba conceſſionis cuiuſdam generalis vniuerſaliſque ſufficere cenſent Sanch. *libr. 2. conſilior. cap. 4. dub. 3.* & alij quos allegat. Caietan. verò *verſ. vectigal. iniqua*, concedit ciuitatibus abſque alia Principis venia facultatem imponendi contributiones ad publicas neceſſitates, verbi gratia ad reparanda mœnia, itinera, pontes & cætera ſimilia, modò id fiat conſenſu maioris partis ciuium, & peregrinis non imponantur. Idem voluere Leſſius *libro ſecundo, capit. 33. numero 15.* & Vaſquez *opuſcul. de reſtitut. capit. 6. §. 1. dub. 1. num. 5.*

4 Dicendum nihilominus eſt primò, iure poſitiuo ſolam ſummam poteſtatem hac authoritate pollere, vnde narrat Sozomen. *lib. 2.* Athanaſium accuſatum fuiſſe, quaſi Ægyptiis tributum lineæ veſtis indixiſſet: ὡς χιτωνίων λινῶν φόρον ἐπιθεὶς. *l. 10. D. de public. vectigalib. & comm. Vectigalia ſine Imperatoris præcepto, neque præſidi, neque curatori, neque curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare, vel his addere, vel diminuere licet.* Similia habentur *in l. 3. Cod. vectigalia noua inſtit.* & *l. vnic. D. ad leg. Iuliam ambitus.* Alexander III. *in Concil. Lateran. cap. 22.* & refertur *cap. Innouamus 10. de cenſib.* & *in 1. compilat. cap. 2. de treuga & pace. Nec quiſquam alicubi nouas pedagiorum exactiones ſine authoritate & conſenſu Regum, & Principum ſtatuere aliquo modo præſumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit, donec ſatisfaciat, communione careat Chriſtiana:* & Innocent. III. *cap. ſuper quibuſdam 26. de verbor. ſignificat.* ait illa eſſe pedagia, guidagia, & ſalinaria interdicta, quæ non apparet, Imperatorum, vel Regum, vel Lateranenſis Concilij largitione conceſſa, vel immemoriali conſuetudine introducta: qua de cauſa Comitem Tholoſanum Legatus Apoſtolicus à nouis tributis imponendis coercuerat, & leudam, quam Comes inſtituerat, vectigal in ſingulas merces duriuſculum prohibuerat, vt ibidem refertur. Galeatius quoque primus, Vicecomes Mediolanenſis damnatus eſt læſæ maieſtatis ab Imperatore, quòd eius iniuſſu vectigalia indixiſſet. Idem prohibitum fuiſſe Duci Burgundiæ, refert ex regiſtro Curiæ Lebret. *lib. 3. de ſumma Regum poteſtate, capit. 7.* Nota ſunt in eandem rem edicta Sancti Ludouici. Item eiuſdem nominis XII. & Franciſci II.

Aio ſecundò poſſe inferiorem Dynaſtam priuilegiario Principis obtento diplomate, vectigalia exigere. 5 Ita multis adductis Gutier. *quæſt. 4. de gabellis*, eſtque communior illa ſententia. Hoc priuilegio plerique Gallici Magnates fruuntur, in eorumque cauſa plura Curiæ decreta ſecundùm Baronem Mommorantium, Pontificem Bellouacorum, Cœnobitas Diuæ Genouefæ, & alios refert Iohann. Gallus *quæſt. 108. 204. & 384.* vbi nominatim agitur de iure prehenſionis piſcium vænalium, pretio ipſorum mercatori tranſeunti oblato; quod onus vectigal quoddam eſt ſimile illi quod Miris Ægyptiorum Rex ex omnibus fluuiorum piſcibus conceſſerat vxori in vſum vnguentorum, ex Diodoro *libro ſecundo*, quinimmò priuatis idem beneficium fieri poſſe conſtat ex donatione facta Cœnobitis S. Vincentij, & Germani ad Lutetiam à Carolo magno, quam refert Aymoni. *libro quinto, capitulo ſecundo. Portum donamus, qui eſt inter pagum Senonicum, & Meldunenſem, ita vt nullus alius ibi portum habeat, neque teloneum, aut rotatilum, ſeu vullaticum, ſeu piſtaticum, ripaticum, vel ſalutaticum.* Debent autem, qui eiuſmodi priuilegium capiendi vectigalia obtendunt non modò diplomata principalia exhibere, quæ Curiæ probata fuerint, & in eius acta relata; ſed etiam ſi antiqua fuerint, eorum perpetuum vſum & poſſeſſionem; qua de cauſa pronuntiatum eſt à Senatu die 2. Auguſti ann. 1564. & 11. Mart. 1567. aduersùs Baronem de Treueſia, *de Treues*, apud Andes ad ripam Ligeris, qui portorium exigebat, quod ſuo diplomate Carolus ſeptimus, Roberto Maſſouio eiuſdem loci Baroni & Franciæ Cancellario conceſſerat: iudicauit enim Senatus priuilegium illud potius factum fuiſſe Cancellario, quam conceſſum Baroniæ fundo, ac proinde in conſequentes Baroniæ Dominos, abſque nouo principali reſcripto propagari non poſſe. Simile quid in magna Curiæ exedra iudicatum eſt die 23. Decembr. 1587. in nouum pedagium fluuiarile *par eau*, exactum à Iohanne de l'Euis, Domino de Rochefort, & de la Puiſſonniere: illi enim denegatum eſt, ſaluis & retentis aquis. Nam illam immemorialem vectigalium poſſeſſionem admiſit ſæpius Curia, & eius fidem teſtibus ac tabulis decreuit arreſto interlocutorio die 25. Martij, anno 1554. pro Canonicis ſancti Martini Turonenſis aduerſus mercatores, qui mercium Ligeri deuectarum immunitatem à Rege impetrarant. Præterea qui ius illud vectigalium aut portuoriorum ex venia Principis ſibi

arrogant

arrogant terreſtres ac fluminis vias reficere teneritur, & ſi quid factum ſit in fluminis alueo, ripáve, quo deterior ſtatio, aut nauigatio reddatur, aut iter terreſtre impeditum, quominùs ſecura, aut facilis fiat vectatio, tollere, purgare, reparare: *Baillizer, & netoier la riviere.* Ita decreuit Curia Kalend. Decemb. ann. 1528. aduerſus Canonicos Sancti Martini Turenſis, & in alia ſimili cauſa 25. Ianuar. eod. ann. & 23. Iunij ann. 1560. & tandem ita ſancitum eſt Edicto Aurelianenſi an. 1560. Artic. 107. Articulo verò 138. & Edicti Bleſenſ. Articul. 282. vt qui aſſerunt ſibi tale ius ex mercium vectura per ſuum territorium, palàm proſcribant tabellam & indicem vectigalis à Iuridico loci, aut bino Notario obſignatam, ne per ignorantiam ſcripturæ multa committantur quod curabat Caligula, qui noua vectigalia proponi vetabat, vt pluribus commiſſis locus fieret præiuerat edicto Senatuſconſultum celeberrimum die 11. Martij, ann. 1539.

In hac porrò conceſſione exigendi tributa facta inferioribus Dynaſtis à ſummo Principe, nihil apparet contra iuſtitiam; cùm neque Princeps ſuo ſummo iure & imperio excidat; neque inde magis onerentur ſubditi, ſi qui tributa ſoluebant Principi, ea deinde ſoluant Dynaſtæ. Ex his tamen ſequitur non poſſe eiuſmodi Dynaſtam exigere alia vectigalia, quàm quæ exigebantur à Rege, eo tempore quo illa in ipſum transtulit; quod ſapienter monuit Vaſquez *capit. illo* 6. §. 1. *numero* 15. vbi etiam benè infert hæc tributa non modo donari, ſed etiam vendi poſſe ius ea exigendi. Neque ea in re fit iniuria ſubditis, quia licèt ea tributa debeantur tantum ad ſuſtinendam dignitatem Principis, & curanda publica commoda, quibus vſibus non deſeruiunt amplius, vbi in alium vel priuatum tranſlata ſunt: illorum tamen pretium Regi deſeruit, & ab ipſo in alterum ex iſtis finibus impenſum eſt. Atque ea tranſlatio iuris exigendi vectigalia ſiue liberali donatione, ſiue remuneratoria, ſiue venditione alióve contractu oneroſo fiat, tandē in aliquem ex finibus propoſitis confert, quia ad dignitatem quoque Principis pertinet habere ſibi ſubditos Dynaſtas potentiores, qui ſuis præcipuis iuribus eiuſdem dumtaxat beneficio fruantur. Deinde liberat Princeps aliis muneribus, quæ in obſequiorum gratiam reddere tenerentur. Et cum ferè quidpiam in commutationem accipiat, illud totum Reipublicæ bono cedit. Denique in Gallia qui gaudent hoc portoriorum, & vectigalium iure, ad reparationem viarum, pontium, aliaque eiuſmodi obligantur ex Iure Gallico, atque etiam ex quodam veluti contractu, cùm Rex ipſe qui ea indixerat vectigalia, ad ſimilia onera obligaretur, vti conſtabit *artic. ſequenti.* Illo igitur onere ſe liberat princeps conceſſione illa tributorum alteri facta, ac proinde æquè in commodum publicum exiguntur vectigalia ab inferiore dynaſta ex venia Principis, atque ſi ab ipſomet Principe exigerentur.

6 Tota itaque difficultas eſt in iure imponendi noua tributa, & antiqua augendi, an vel concedi, vel vendi poſſit à ſupremo Principe alicui inferiori & ſubdito abſque imminutione ſummæ ſuæ poteſtatis, cuius partem videtur à ſe abdicare. Neque ex facultate exigendi hactenus impoſita neceſſariò colligitur illa altera facultas noua indicendi, vel augendi vetera. Quare.

Aio tertiò attento iure naturali dumtaxat poſſe ſupremum Principem concedere inferiori Domino ius imponendi ſuis ſubditis noua tributa in illis caſibus, & propter eas neceſſitates propter quas ipſe ſummus Princeps illa indicere poſſet, ſi vellet; quia non ex eo minuit ſuam Maieſtatem, quandoquidem tota illa indictio fit authoritate ſummi Principis, cuius miniſter dumtaxat eſt ea in re Dynaſta inferior, quia non agit niſi poteſtate à Principe communicata, & non pro arbitrio; ſed in iis tantùm caſibus in quibus Princeps id poſſet propter cōmunes neceſſitates quæ illam indictionem vrgerent. Neque quidquam ad ſuos ſumptus, aut ad ſuam dignitatem tuēdam de nouo poterit indicere, niſi illa vſque adeò bono communi eſſet neceſſaria, vt in eo caſu debeat & poſſit Rex ad illam dignitatem & familiam huius Dynaſtæ eiuſmodi tributa noua imperare, quod rarò admodum contingeret.

Aio quartò non poſſe Regem poteſtatem indicendi tributa ita inferiori communicare, vt ipſe ſeipſum eadem poteſtate priuet, & nequeat vel illam facultatem coërcere, vel ſi peccauerit, emendare, atque vbi publicæ neceſſitates ita poſtulabunt alia tributa ſuperinducere, quia cùm facultate exigendi, edicendique tributa noua, & antiqua augendi non abdicet ſe, ſumma poteſtate, aut iuriſdictione, eamque ditionem tamquam ſibi ſummo iure ſubiectam regat & moderetur, teneaturque illam vt partem ſuæ coronæ, & corporis, cuius ipſe caput eſt, membrum tueri & fouere; vbi eius bonum ad vitandas publicas neceſſitates, & pericula, vt amoliendum bellum, ſuſtinendum hoſtem, propugnandam ciuitatem, defendendos limites, cæteraque ſimilia neceſſarium videbitur, poterit conſtituere noua vectigalia, aut iam olim impoſita innouare & augere: neque aliod fortaſſe volunt, qui negant hanc poteſtatem indicendi noua tributa communicari poſſe à ſupremo Rege inferioribus Dominis ſibi ſubiectis.

Aio quintò cum Sanchez *cap.* 4. *lib.* 2. *conſilior. dub.* 14. qui hanc exigendi tributa facultatem obtinuiſſent à Rege, licèt non poſſint illa augere ſupra id quod à Rege impoſitum eſſet, & exigebatur à Rege quo tempore tale ius ipſis conceſſum eſt, vti monuimus, intra illum tamen terminum poſſe pro libito vel augere, vel minuere, quamuis Rex in cæteris prouinciis illa neque augeat, neque minuat. Quare ſi miniſtri ceſſent aliquid exigere, aut non niſi partem ſolemnis vectigalis, alia parte cōdonata, immò quāuis Rex ſimile vectigal remittat, non tenebūtur iſti remittere, vel partem, vel totum illud quod ſuis ditionibus fuit olim impoſitum, quodque exigendum acceperunt à ſumma poteſtate contractu gratuito, vel oneroſo; quia reuerà ius accepit ad totum illud vectigal, ipſum igitur poterit exigere abſque iniuria vllius, eios quoque partem ſibi debitam, ſi lubeat condonabit, ſicut aliis ſuis iuribus cedere poſſet. Neque iniuriam facit aut Regi qui ius illud conceſſit, aut ſubditis quibus ea condonatione fauet. Adderem ego conſulendum eſſe conceſſionis tenorem, ſi enim Princeps dediſſet facultatem indicendi tributa, quæ ipſe reliquo regno indiceret, deberet omninò illa hic ceſſionatius minuere, quando Rex ea alibi minueret, nō tamen eadem augere teneretur, quando ſimilia Rex alibi augeret; quia in primo caſu excederet facultatē ſibi factam imponēdi tributa, quæ ad certam quantitatem limitata eſt, & maius tributum exigeret, quàm Rex, cùm tamen ex iure ſibi cōceſſo poſſit tantùm capere æquale, quod

non faceret. Nam nunc poſt imminutionem factam à Rege, æquale non eſt, ſed maius, licèt prius æquale eſſet; quando verò Rex augebit ſua vectigalia reliquo Regno, quæ etiam in illa ditione eodem iure poſſet, & reuerà augeret, niſi ius ea indicend illa conceſſiſſet, poterit iſte Dynaſta eodem incremento augere ſua, cùm habeat ius indicendi eadem in caſibus, in quibus ipſe Rex illa poſſet indicere.

7. Ex his colligit de Lugo diſp. *36. de iuſtit. n.* 13. non ita facilè obligari poſſe vaſſallos iſtorum Dominorum ad ſoluenda noua tributa Regi, recenſque ab eo impoſita, ſicut cæteri vaſſalli obligarentur; quia cùm Dominus horum Vaſſallorum obtinuerit ius exigendi antiqua vectigalia abſque obligatione imminuendi ipſa, quamuis in cæteris prouinciis ea imminuerit; vti dicebamus, niſi illud fuerit in tabulis & diplomate conceſſionis expreſſum; dum noua tributa indicet Rex toti Regno, atque adeò huic ditioni cuius dominus vetera vectigalia exigit, neque ea poteſtate ſe Rex abdicauit, aut abdicare potuit, retento ſummo principatu, vti etiam oſtendimus, iſti ſubditi maiori onere grauarentur, quàm reliqui vaſſalli, qui minora tributa ſoluebant, & qui pro libito Regis poterunt veteribus tributis liberari, vel quoad totum, vel quoad partem. Maior igitur aliqua cauſa neceſſaria erit, vt nouum tributum eiuſmodi vaſſallis imperetur à Rege.

Poterit tamen ea contingere cauſa & caſus, vt Rex poſſit obligare inferiorem illum Dynaſtam minuendi, ſiue vt loquuntur, mitigandi ſuis vaſſallis vetus illud tributum, quod ipſe ex conceſſo ſibi iure percipit, quo faciliùs Rex illis nouum tributum imponat, ſicut & aliis, quodque vix ægrè ferre poſſent, ſi vetus integrum ſuo immediato domino perſoluerent. Ratio eſt quia Rex ex ſumma ſua poteſtate poſſet illum Dynaſtam in caſu tantæ neceſſitatis ad onus aliquod obligare, legendi v.g. aliquot milites, annonam, aut arma ſuppeditandi, ſummam pecuniæ mutuò dandi, & eiuſmodi alia; poterit igitur illum æque obligare ad remittendam partem vectigalis, quod ex ſua conceſſione & venia percipit, vt nouum tributum ex nouis & vrgentibus cauſis indictum ſoluere valeant. Neque poterit hic Dynaſta de iniuria ſibi facta expoſtulare, cùm ipſe quoque in tanta Reipublicæ neceſſitate de ſuo quidquam contribuere debeat. Neque totum onus in vaſſallos, qui illi ferendo impares ſunt, reiiciendum eſt. Sapienter tamen monet *ibid.* de Lugo non cenſeri Regem noua indictione tributorum obligare Dominus, vt vaſſallorum præſtationes ſibi debitas imminuant, quia non vult illos obligare ad tantam contributionem, quanta eſſet ea præſtationum ſibi debitarum imminutio. Addo ego, Dynaſtas & Dominos eo caſu potiùs nouum vectigal quàm eorum vaſſallos ſoluturos, quia iſti quod conferrent Regi, negarent Dominis, neque nouum vllum onus ſentirent. Si enim ex vna parte creſceret, ex alia minueretur; Domini verò ſoli immutationem & diſpendium ſuarum facultatum, & redituum ex vectigalibus ſibi iure debitorum ſentirent; cùm tamen illi ex priuilegio nobilitatis, & aliis ex cauſis hactenus immunes eiuſmodi onerum ſint: quod potiori iure dicendum erit, ſi illud ius exigendi tributum emerint à Rege, quo deinde priuari ſine iuſta cauſa nequeunt: denique eadem de cauſa cogi poſſent ad minuenda cætera iura, quæ ipſis ratione dominij directi, & iuriſdictionis, ſiue ex legibus municipalibus, ſiue ex receptis iuribus, ſiue ex prima dominij inſtitutione, ſiue ex priuilegiis, & obſequiorum remuneratione, ſiue qua alia ex cauſa comparata eſſent, vt noua grauioraque vectigalia indici ipſorum vaſſallis poſſent; quæ eſſet ſumma iniuria per quam & ſua dignitate exauctorarentur, & in ſtatum plebeium deiicerentur, atque vectigalibus æquè atque ipſorum vaſſalli fierent obnoxij. Non poſſunt igitur ad huius iuris indicendi vel exigendi vectigalia imminutionem cogi, quò grauiora ſummus Princeps, & noua imponat; niſi in illa extrema neceſſitate in qua & ipſi propter periculum grauiſſimum toti regno imminens, obligati iure poſſent ad eam contributionem, quæ æquiualeret illi imminutioni ſuorum vectigalium, aliorumque iurium, & quæ contributio aliunde non compenſetur. Nam ſi aut militent, aut quam aliam præſtent operam, quæ æquiualeat contributioni, ad quam in tanta regni afflicti calamitate obligari iure poſſent; non poterunt inuiti cogi ad hanc ſuorum vectigalium imminutionem, alioquin duplo plus quàm deberent contribuere compellerentur, quod iniquum profectò foret.

Colligit ſecundò Molina *diſp. 674. num.* 11. eum cui Rex donauit aut vendidit gabellam, quæ tunc non exigebatur integra, quia iuſtè tanta exigi nequibat licèt deinde Rex poſſit illam nouis cauſis vrgentibus integram exigere à ſuis ſubditis, non tamen poſſe illum inferiorem Dominum à ſuis vaſſallis eandem tunc capere, quia non poteſt illam exigere, niſi iuxta menſuram ſecundùm quam illam à Rege comparauit, quia accipiendo facultatem exigendi gabellam indictam, non accipit ſimul facultatem, aut illam augendi, aut nouam indicendi, quod tamen faceret in hoc caſu.

Aio ſextò poteſtatem indicendi tributa, quam 8
in vno duntaxat ſummo iure Principe agnoſcimus, non impedire quin inferioribus Dynaſtis competant certa quædam alia iura, & ſeruitutes, atque præſtationes, quibus eorum vaſſalli obnoxij ſunt; & quin in quibuſdam caſibus aliquid indicere poſſint, vel ex lege municipali, vel ex peculiari priuilegio talis dominij, vel ex immemoriali conſuetudine, quæ iura, certæ præſtationes, obſequia, ſeruitutes, ſunt veluti quædam vectigalia & onera, etiam in dominij agnitionem inſtituta; quia ſicut inferius iſtud dominium non minuit ſummam Principum poteſtatem, ita neque hæc iura Dominorum, & ſubditorum obligationes non pugnant cum poteſtate indicendi tributa, vbi fuerit opus, quam in ſolo ſummo Principe reſidere fatemur. Deinde quia hæc iura Dominorum, & illæ correlatiuæ ſubditorum obligationes initio ferè dominiorum conſtituta ſunt, ſiue ex contractu, aut quaſi contractu inter dominos & ſubditos, ſiue ex quodam mutuo & communi omnium conſenſu, ſiue iure à Principe conceſſo, ſiue quo alio titulo, vnde ea præcipua Dominorum inferiorum iura perpetuò illæſa manent, quamuis Princeps illis ipſis vaſſallis illorum, tributa communia imponat. Neque exiſtimatur vnquam illis priuatorum iuribus derogare, cùm id abſque iniuria nequeat, niſi in eo vrgentiſſimæ neceſſitatis caſu in quo Dominus ad ſuccurrendum regno tenebitur ſuis ſe rebus, facultatibus, ac iuribus ſpoliare, quod vel nunquam, vel rariſſimè accidit, cùm plura alia, eaque commodiora ſint remedia, calamitatibus publicis occurrendi, quare neque vnquam id factum legimus; quinimmò iniquis eiuſmodi temporibus

Digitized by Google

poribus aucta potiùs quàm diminuta ſunt. Dynaſtarum iura & priuilegia, vt in officio continerentur, maioribus animis labanti Regno, cuius ipſi ſunt præcipuæ columnæ, ſuccurrerent, grandia facinora ſuſciperent, plebes coërcerent, fidem denique ſuam Regi præſtarent; maluerūtque noſtri Reges, aliquid ex ſua Maieſtate detrahere, & in quandam veluti Imperij communionem beneficiarios Dominos, illæſa tamen ſuprema Maieſtate, ſibi aſciſcere, quàm eorum iuribus iam longo vſu firmatis derogare. Quare inteſtinis maximè diſſidijs, & factionibus Regnum vexantibus plurima beneficia & præcipua iura in obſequiorum & fidei ſeruatæ ac præſtitæ compenſationem à Rege obtinuerunt. Tantùm abeſt vt antiquis ſpoliati ſint, niſi in pœnam rebellionis aliquando mulctati fuerint. De his verò priuilegiis ac iuribus, & ipſis correſpondentibus obligationibus, quia quandam ſimilitudinem habere videntur cum vectigalibus, nonnihil dicemus inferius. Quando verò lis eſt de illis iuribus, an modum excedant, aut inſolita videantur, ſubditorum querelas audit Rex, & quod æquum bonumque videtur, ſumma authoritate decernit, ſiue emendanda, ſiue tollenda, ſiue probanda ſint. Neque attinet in hanc rem infinita & quotidiana ſupremarum Curiarum decreta referre hoc loco in re adeò conſtanti, & obuia.

9 Aio ſeptimò communitates & ciuitates non poſſe vlla tributa ciuibus imponere, etiam ad communes neceſſitates, abſque ſummæ poteſtatis conſenſu, & venia, quod illa ipſa ratio, quæ negat inferioribus Dynaſtis & omnibus non ſummo iure Dominis ſimilē poteſtatem, euincit. Poſſunt quidē dē eiuſdē collegij, ac vniuerſitatis collatitia domeſticatim, ac inuicem pecuniâ ſeſe iuuare, vti annotauit Faber; non autem aliquid per modum tributi indicere. Vidius Papius *q.* 144. & Chaſſanæus *in conſuetud. Burg. Rubric.* 13. §. 6. *verſ. De poete*, excipiunt caſum in quo de puteo vicinali reficiendo, de muris inſtaurandis, & ſimilibus agitur. Verùm exponendi ſunt de collatitia & liberali atque emendicata domeſticatim pecunia, aut alij tunc erant quàm hodierni mores; ſiquidem opus eſt diplomate Regio ad indicendas illas collectas, exigendaſque, niſi illa exactio ſit infra quinquaginta libellas Francicas. Opus quoque authoritate *Electorum Iudicum*, vt vocant: ne quid malè exigatur in populum. Si quidpiam etiam prouinciarum Gubernatores ac Proreges in ſubito motu & repentina occaſione cogantur indicere, & exigere, quamprimùm Regem monere debent, ab eoque litteras, quibus indictionem ratam habeat, & confirmet obtinere, alioquin repetundarum, coactæ iniuriâ pecuniæ, & læſæ maieſtatis damnabuntur.

10 Reſtat illa altera quæſtio, an conſuetudine præſcribi poſſit ius iſtud vectigalia indicendi, exigendiue contra ipſummet Regem. Ratio difficultatis petitur *ex cap. ſuper quibuſdam, §. præterea, de verbor. ſignificat.* vbi Innoc. I I I. Raymundo Comiti Theoloſano exactionem tributorum quæ indixerāt, iure prohibitam fuiſſe à Legato Apoſtolico contendit. *Duximus*, inquit, *declarandum illa eſſe pedagia, ſalinaria, quidagia interdicta, quæ non apparent, Imperatorum, vel Regum, vel Lateranenſis Concilij largitione conceſſa, vel ex aliqua conſuetudine à tempore, cuius non extat memoria, introducta.* Quibus verbis videtur Innoc. agnoſcere poteſtatem indicendi tributa poſſe acquiri conſuetudine immemoriali. Quare tributa, vi illius conſuetudinis introducta, iuſta eſſe cenſet Medina *de reſtit. q.* 13. & Panormit. *in c. Innouamus, de cenſibus*, hoc ius à ſubditis præſcribi poſſe ſentit, quod & alij plures docent, quos ſequitur & allegat Lugo *diſp.* 36. *num.* 14. in iiſque Molin. Sanch. Vaſq. Turrian. & alios quibus adhæſit quoque Bertachin. *de gabell.* 1. *part. in pr. num.* 28. aliique Hiſpani Iuriſconſulti apud Gutierr. *de gabell. q.* 5. Cur enim non æquè hoc ius, atque pleraque alia, quæ ſoli Principi ſupremo ſeruata ſunt, præſcribi poterit? atque in hoc ipſo negotio ius exigendi vetera tributa acquiritur eiuſmodi conſuetudine immemoriali, vt perſpicuè tradit nuper allatum cap. *Super quibuſdam*; quamuis enim conſuetudo exigendi tributum iam impoſitum, non ſit idem cum conſuetudine noua tributa imponendi, & illa deinde exigendi, ſicut etiam ius imponendi, & exigendi ſunt diuerſa iura, quorum illud prius amplius eſt, & ad plures actus extenditur, nempe diuerſas impoſitiones, includitque quandam dominatiuam poteſtatem, poſterius autem eſt ius particulare lucrandi penſionem iam impoſitam; vnde fit vt ex hoc poſteriori iure non neceſſariò colligatur prius; hinc tamen efficaciter haberi videtur, quod vnum modò intendo, ſicut conſuetudine præſcribi poteſt ius exigendi tributum, quod eſt ſoli ſupremo Principi reſeruatum, ita eadem quoque conſuetudine præſcribi poſſe ius imponendi noua; neque enim in vna præſcriptione magis læditur Maieſtas Principis, quam alia, maximè cùm regula illa tradatur à Iuriſtis; præſcriptionem immemorialem æquiparari priuilegio conceſſo à Principe ex certa ſcientia. Neque benè colligit à Caſtro *lib.* 1. *de lege pœnali. cap.* 10. ex cap. *Super quibuſdam citato*, conſuetudinem immemorialem non dare hoc ius, quamuis enim daremus Innocentium eo loco agere tantùm de veteribus tributis, non de nouis imponendis, idque omninò probabilius eſt; hinc tamen non eruitur, niſi argumentum negatiuum, non dari ſcilicet per illum textum authoritatem imponendi noua tributa, conſuetudini licèt immemoriali, id tamen non ibi negatur; quod idem argumentum negatiuum, & æquè inutile deducit idem à Caſtro. *ex cap. Innouamus, de cenſibus.*

Dicendum nihilominus eſt cum eodem à Caſtro *l. c.* & Suar. *lib.* 5. *de legibus cap.* 14. *n.* 14. conſuetudinem non dare authoritatem de qua agimus, quia id non habet ex iure naturali, aut gentium, vt per ſe conſtat; neque ex iure Ciuili & Canonico, cùm nihil ex illis afferatur quod contrariæ ſententiæ faueat, immò potius quæ ex cap. *Super quibuſdam*, & cap. *Innouamus*, atque ex *l.* 10. *D. de public. vectigal. l. vnica, D. ad l. Iuliam de ambitu*, & *l.* 3. *Cod. vectigalia noua*, adduximus, noſtræ huic ſententiæ conformiora ſunt, & plurima iura particularia eam præſcriptionem prohibent, vt de Hiſpano fuſiſſimè oſtendit Gutierr. *de Gabell. quæſtion.* 5. maximè quoad Alcaualas & Gabellas; & de Gallicis iuribus euidenter conſtat. Deinde quæ ſunt intrinſeca & tenaciſſimè infixa ſceptris ac ſupremæ iuriſdictioni, nunquam à ſubditis præſcribi poſſunt, vti docebimus lib. poſtremo, vbi etiam reiiciemus diſtinctionem quam video quoque placuiſſe Suar. *cap. citato, n.* 15. poſſe præſcribi iura ſupremæ poteſtatis ab inferiore Dynaſta retinendo ſubiectionem, ſed non poſſe præſcribi ipſam ſupremam poteſtatem, & exemptionem à ſubiectione, quod dixit etiam Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 33. *n.* 14. quibus præiuerat Barboſa de *præſcriptionib.* Reiicio

inquam hanc diſtinctionem,quia implicat iura ſupremæ poteſtatis præſcribi à ſubiecto, qui ſubiectus maneat, neque fuit vnquam ea mens Authorum dum quærerent an iura ſupremi dominij præſcribantur à ſubditis, ſed an poſſint præſcriptione ſe eximere à Domini ſupremo iure, & ſibi ſupremam poteſtatem, aut aliquam eius partem comparare, quod validè fieri poſſe negamus: quare oſtendendum dumtaxat eſt ius indicendi tributa independenter ab alio, & non ex alterius conceſſione, aut conſenſu, ſed pro ſua poteſtate, eſſe ius ſupremi dominij; quod facit Suares; quia tributa debentur Regi, vt ſtipendium, & propter obligationem quam habet tuendi & defendendi Regnum, vt dicitur 23.*q*.8.*cap*.8. *cap.tributum*; hæc autem obligatio ex natura rei nulli incumbit, niſi ſupremo Principi. Et ſanè ſi inferior dominus ſummo iure poſſet ſuis ſubditis imponere tributa, vel ſupremus dominus adhuc id ipſum poſſet, vel non poſſet; ſi primum dicas nulla fuit præſcriptio, cùm Princeps totum ſuum ius retineat. Si non poſſit amplius ſuo illo iure vti, igitur præſcriptione partem aliquam ſuæ poteſtatis amiſit, & in impoſitione tributorum ſubditi ſubducti ſunt ab eius ſupremo imperio. Magnum igitur diſcrimen eſt, inter conſuetudinem exigendi tributum, & illud imponendi, prior enim nihil derogat Maieſtati ſummæ, cùm potiùs illi faueat, quatenus inde conſtat ſubditos hactenus ſoluiſſe tributum, ac proinde fuiſſe verè ſubditos. Deinde quia in eo caſu tantũ eſt cõceſſio quædam à Principe percipiendi vtilitatem tributorum. At verò conſuetudo præſcribens ius imponendi tributa aduersùs Principem ſupremum, eius ſummæ poteſtati quidpiam detrahit, cum Princeps vel eo iure tunc careat, vel dominum inferiorem impedire poſſit, quamuis ius eiuſmodi obtinuerit independenter ab ipſo, atque adeò independenter quoque exerceat: qua poſtrema diſtinctione tota controuerſia mihi componi facilè videtur. Sicut enim ſupremus Princeps facultatem facere poteſt inferiori Dynaſtæ, ac domino exigendi tributa, & imponendi, retenta tamen eius ſubiectione, & illæſa Maieſtate Domini, vti nuper oſtendebamus; neque ea conceſſio dicitur aliqua eſſe imminutio ſupremæ poteſtatis, ſed eius quoddam beneficium, quod non facit beneficiarium à ſupremo domino independentem: ita ſimilis quædam poteſtas præſcribi poterit, ita vt ius ſic acquiſitum maneat ſemper obnoxium ſummæ poteſtati; quæ ſicut nequit ſeipſam deſtruere, ita non poteſt perimi à ſubditis, inuadendo eius iura, atque ea retinendo, ipſa deinde inuita, quamuis initio eiuſmodi vſurpationem paſſa ſit, aut diſſimularit, aduersùs igitur illam ſimile aliquod ius præſcribi non poteſt.

11 Quæ omnia non impediunt quin plurimum tribuendum ſit immemoriali conſuetudini in exigendis, imponendiſque tributis, quia inde certò dignoſcitur quale hactenus ius illud extiterit; quamuis enim ſapienter moneat Caſſiodor. *lib.*7. *formula* 2. *Non putetur omnis conſuetudo probabilis*, vbi tamen iuſta eſt, retineri debet, & *lib.*1. *epiſt*.10. iubet arbitrium Arcæ, Regiæ nimirum *habere iuſtas conſuetudines*, in exigendis quippe erogandiſque pecuniis. *lib.*3.*ep*.23. remoueri mandat *conſuetudines abominanter inolitas*, conſuetudines intelligit quod pendi ſolet: ſolemnia vectigalia vocat *l.*1. *D. de muneribus & honorib.* Iuſtinian. *τὰς ἀρχαίας συνηθείας, Nouell.*123.*&* 128. Vide & *Nou*.45. & de ſeruanda conſuetudine tributorum habemus legem Francicam à Car. Magno *lib.*3. *capitul. cap.*12. *Placet nobis vt antiqua & iuſta tholonea à mercatoribus exigantur, tam de pontibus quámque de nauigiis, ſeu mercatis; noua verò ſeu iniuſta, &c. non exigantur.* & *lib.*4. *cap.*31. *Vt vbi tempore noſtri domini Pipini conſuetudo fuit tholoneum dare, ibi & in futurum detur. Nam vbi noniter inceptum eſt, vlterius non agatur.* Quibus congruit *l.*15. *C. Theodoſ. de exactor.l.*4. & *l.*9. *D. de publicanis.l.vnic. c.de auro coronario.* Iulian. *in Miſopogone.* ἐνδιδομένων ἑτέρων πέμπτῃ consuetorum vectigalium quinta, & *epiſt. vlt.* ἐν τοῖς κατὰ ἔθος.

ARTICVLVS III.

De cauſa finali propter quam iuſta vectigalia indici poſſunt.

*Finis vectigalium, bonum commune.*1.
Quod continet has cauſas, quarum prima eſt, agnitio ſummæ poteſtatis. 2.
Secunda, Regiæ familiæ ſuſtentatio. 3.
Tertia, militiæ ſumptus. ibid.
Quænam eſſent prouinciæ tributariæ, quæ ſtipendiariæ. 4.
Quarta cauſa, publica onera, vt viarum & pontium reparatio ac tutela. 5.
Publicæ annonæ & frumentationis cura, & quæ ad illam pertinebant. 6.7.8.9.10.
Viarum cura publicarum. 11.
Alia publica opera. 12.
Contractus inter Principem & populum. 13.
Pœna & mulcta. 14.
Qualis debeat eſſe proportio inter cauſam tributi & ipſum tributum. 15.16.
Conſectaria ex ea proportione. 17.18.
Cauſæ propter quas inferiores aliqui Dynaſtæ quidpiam ſubditis indicere poſſunt. 19.

ÆQuitatem tributi ex æquitate cauſæ quæ mo- 1
uet Principem ad illud indicendũ colligendam eſſe omnes conſentiunt. Cùm enim Princeps non ſit dominus proprietaris bonorum ſubditorum, illa ſibi ſumere, aut expendere pro arbitrio nequit, debetque eſſe aliqua cauſa quæ obliget ſubditos ad conferendam eam ſuarum facultatum partem, quam Princeps iudicabit neceſſariam ad bonum commune curandum. Hanc verò cauſam in tributis antiquis quorum origo & indictio ſuperat omnem memoriam, reperiri iure præſumitur, vt ſignificat Innocent. *in cap. Super quibuſdam, de verb. ſignificat.* Immò ipſa temporis diuturnitas & conſuetudo ius illa exigendi confert ex proximè dictis. Dum autem noua indicenda ſunt, neceſſitas aliqua & finis iuſtus debet ad id Principem mouere, qui finis in vniuerſum loquendo, alius non eſt, quàm bonum publicum, quod aliter commodè curari nequit, ad quod tamen obligatur Princeps. Eo ſiquidem caſu priuati ſuo etiam diſpendio & incommodo debent publicæ rei ſuccurrere, quandoquidem illa priuata iactura compenſatur ad æqualitatem illo bono communi, quod obtinetur,

obtinetur, aut augetur, vel conſeruatur aliqua ſingulorum contributione. Hoc autem commune bonum plura complectitur, ob quæ ſingula indici poſſunt tributa.

2 Primũ eſt profeſſio ſubiectionis, & ſummæ poteſtatis in Principe publica agnitio; ſicut enim neceſſaria eſt aliqua ſumma in Republica poteſtas; ita eius agnitio & clientelaris obſequij, ſiue ſubiectionis aduerſus illam publica profeſſio neceſſaria eſt: alioquin Reſpublica ſtare non poteſt. Eam ob cauſam nos tributa præſtare affirmat Paul. *ad Rom.* 13. *verſ.*6. cùm dicat nos idcirco Regibus præſtare tributa, quia Dei miniſtri ſunt, & ab illo poteſtatem ſuam deriuant. Huc refero aurum coronarium, oblationes, munera, vota publica pro Principis ſalute ſuſcepta, de quibus omnibus egimus *art.*1. idcóque ea munera, quæ deinde vti oſtendimus eo loco, in vicem tributi collecta & exacta ſunt, initio principatus mittebantur. Tripolitani teſte Ammiano miſerunt Valentiniano legatos victoriarum, aurea ſimulachra, initio principatus oblaturos. Eódẽ ſpectant oblationes quæ in decennalibus Imperatorũ fiebãt. Symmach. *li.* 10. *ep.* ſcribit ſe Summares Romanos ad ſecretarium condixiſſe faciendæ oblationis gratiâ. Et *lib. eod ep.* 43. vocat oblatiuas functiones, quæ initio anni, vna auri libra, in qua ſolidi ſeptuagintaduo obryziaci continerentur. *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de oblat. votor.* At verò *l. dudum, C. Theod. lib.* 6. *tit.* 2. *Dudum præcipimus, vt aurum oblatitium Senatores qui in ſacratiſſima vrbe degunt, in vrbe complerent, ij verò qui in prouincijs Larem fouerent, per Cenſualium officia in prouincijs ſoluerent.* Nempe cùm ſuam illam auctoritatem a ſummo Principe caperent, eam eiuſmodi oblatione teſtabantur.

3 Secundum caput indicendi tributi eſt Regiæ dignitatis ac familiæ ſuſtentatio honorifica, ratione muneris quo defungitur, id enim redundat in commodum Reipublicæ, quam adminiſtrat, cuiuſque dignitatem ſuſtinet & exhibet; quæ proinde illi ſumptus in eam rem ſuppeditare tenetur, non quidem quantùm eius cupiditas, aut rapacitas, corruptíque mores expeterent, ſed quantùm eius labores, & ſtatum decet. Datur enim hoc tributum tum in ſtipendium quoddam, tum in ſignum ſubiectionis, vt monui. Quare in omnibus ferè Regnis ab ipſo fundato principatu ſunt eam in rem aſſignata certa bona, quæ ad Auguſtum Canonem & patrimonium Principis pertinere dicuntur, ſiue bona coronæ, & dominium Regium appellantur. Neque huius tributi iuſtitia, & æquitas pendet ex bono aut malo vſu ipſius: quomodocumque enim illud expendat Princeps, modò non deſit ſuo muneri, & Rempublicam curet, ac tueatur, tributum eiuſmodi iuſtè percipiet. Si verò non incumbat ſuo muneri, iniuſtè ſtipendium exigit, quod ſi ærarium aut patrimonium Princeps ſua culpa decoxerit, tenebitur Reſpublica quantum neceſſarium erit ad perſonam ipſius Principis, & ad publicas rationes ſuppeditare. Atque eam ob cauſam tributum nouum indicere poterit Princeps, ſi nulla alia viâ ſibi conſulere poteſt, illam enim quærere & ipſi inſiſtere debet, ne ſua culpa damnum ſubditis creet. Immò vbi ad pinguiorem fortunam redierit, debebit damnum ſubditis ſua culpa illatum reſarcire. Ita S. Thom. *epiſt. ad Duciſſam Brabantiæ.* Medin. *C. de reſtitut. q.* 13. Leſſi. *lib.* 2. *capit.* 33. *n.*48. Molin. *diſp.*661. Sanch. *cap.* 4. *cit. dub.* 2. *n.* 8. Lugo *diſput.* 36. *n.* 19. Vaſq. *opuſcul. de reſtitut. c.* 6. §. 1. *dub.* 1. *n.* 23. Qui verò negare videntur imponi poſſe tributum ſubleuandæ inopiæ, quam Princeps ſua culpa incurrit, loquuntur eo caſu, quo poterit ea inopia ab ipſomet Principe quibuſdam aliis mediis ſubleuari, & quia manet obligatio, damna quæ culpabiliter infert reparandi: quare ſapienter monet Molin. *n.* 5. Principem peccare peccato iniuſtitiæ, quando iniquis ſumptibus & temerariis profuſionibus exponit ſe periculo vexandi ſubditos nouis & extraordinariis indictionibus. Sanchez autem inde colligit, debita ciuitatum contracta ex imprudenti Rectorum adminiſtratione, ſi aliter ſolui nequeant, neque Rectorum facultates ad id ſufficiant, indictionibus nouis diluenda eſſe, ex venia Regis, qui attentis omnibus aliis mediis illam viam non negabit. Intereſt enim ciuitatis omnia ſua bona non eſſe conſumpta, & poſſe neceſſitatibus occurrentibus ſatisfacere. Neque debent creditores ſuorum bonorum, quæ mutuò dederunt publica fide, iacturam facere, quæ etiam in damnum ciuitatis cederet, nullus enim quidquam laboranti licèt aliqua difficultate, mutuò dare vellet, ne malum nomen faceret. Ad hanc cauſam reduco illa tributa, quæ ipſi domui Regiæ, aut familiæ, in eiuſque vſum quondam dabantur: v. g. in cibaria, in equos, & ſuppellectiles. Quare in vniuerſum dixit Iuſtinian. *Nouell.* 39. nulla alia de cauſa eſſe vectigalia: *πλὴν τῦ δημοσίῦ τῶν τε βασιλικῶν ϗ ἐνστρατεύτων ἀγῶνος:* ob publicum Regem ac Regnum.

Tertia eaque publica cauſa indicendi tributi, eſt militia, ſiue bellum, nempe ad conſcribendos milites, alendos, munerandos, inſtruendos armis, ædificanda mœnia, conſtruendas, reparandas, & muniendas arces, tuendos limites, repellendos, vel inuadendos hoſtes, amoliendas iniurias, ſua repetenda, & cætera ſimilia; quæ nomine militiæ comprehendo, & quæ non niſi ingentibus ſumptibus conficiuntur, quibus prouinciarum, regnorumque facultates exhauriuntur. *Ad hoc tributa præſtamus,* inquit Auguſtin. *lib.* 22. *contra Fauſt. vt propter neceſſaria militi ſtipendium præbeatur.* Tacitus verò, *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, ſine tributis haberi queunt.* Atque hæc ferè prima origo vectigalium fuit in Gallia. Nam S. Ludouicus vt ſacro bello incumbere poſſet, primus tributum, quod *Taliam* vocarunt, plebi indixit. Deinde Carolus V I I. duos milliones libellarum Francicarum ad bellum Anglicanum pendi iuſſit; quæ tributaria functio diu perſeuerauit, cùm illud bellum diu quoque Galliam afflixerit, & accedente nouo bello contra Burgundos, Ludouicus X I. illam auxit ad quatuor milliones & amplius. Ludouicus X I I. aliquantulum imminuit ſeruata eadem tributariæ penſionis forma. Denuò Franciſcus I. Franc. I I. Carolus IX. reſtituerunt & ſuperindixerunt, quod & cæteri deinceps bellis ſubinde ſubortis præſtare coacti ſunt. Alcaualas in Hiſpania ab Alphonſo I X. inſtitutas fuiſſe occaſione belli Maurici pluribus oſtendit Gutierr. *q.* 2. *de gabellis.* Verùm vt antiquiora repetamus, cùm primùm Senatus imperauit vt milites ſtipendium de publico acciperent, an. v. c. 345. coacti ſunt omnes tributum ex cenſu quotannis in ſtipendium inferre, vt ait Liui. *lib.* 4. itaque prout bellicæ rei ratio poſtulauit tributum creuit, aut minutum eſt. Neque ante deuictum Perſeum Macedonem à Paulo Æmilio, tributo liberatus eſt populus Romanus ex Val. Max. *lib.* 4. *cap.* 3. tanta enim tunc vis auri, argentique in vrbem illata eſt, vt tributum pendere deſierit vſque ad Hirtium,

&

& Panſam Coſſ. quod idem affirmant Plutarch. *in Æmilio*, & Plint. *lib.* 33. *cap.* 3. Vide & Cic. *ep. ad Cornificium*, & *ep. ad Brutum*. Auguſtus primus militare ærarium, vt perpetuò ac ſine difficultate ad tuendos milites, proſequendoſque ſuppeteret, inſtituit cum vectigalibus nouis, vt ait Sueton. *c.* 49. quod factum an. v. c. 752. innuit Dio *lib.* 55. Fuit hoc vectigal illa rerum vænalium centeſima in auctione, quam Tiberius tollere noluit: *Centeſimam rerum venalium*, inquit Tacit. *lib.* 1. *ann. poſt bella ciuilia inſtitutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo ſubſidio niti.* Ait tamen Tacit. *lib.* 2. *an.* eundem Tiberium Archelai Cappadociæ Regis Regnum in prouinciam redegiſſe; *Fructibus eius leuari poſſe centeſimæ vectigal profeſſus Cæſar, ducenteſimam in poſterum ſtatuit.* Sueton. *in Caligul. cap.* 16. *Ducenteſimam auctionum Italiæ remiſit.* vbi Turneb. emendat centeſimam. Quare dicendum eſt Tiberium quaſi pœnitentia beneficij centeſimam iterum inſtituiſſe ducenteſima inducta. Dio *lib.* 58. poſt Seiani mortem καὶ μετὰ τοῦτο τέλος διακοσιοστὴν ἔχον ἑκατοστὴν ἤγαγε.

4 Huc quoque pertinet celebris diuiſio prouinciarum in tributarias & ſtipendiarias facta ab Auguſto. Briſſonius exiſtimat ſtipendiarias fuiſſe illas quæ Cæſari ad belli ſubſidia relictæ eſſent, tributarias autem quæ bello victæ tributa populo penderent. Contrarium affirmat Theophil. *lib.* 2. *inſtit. tit.* 2. nam ſtipendiarias dicit, quæ populo erant reſeruatæ, dictaſque ſtipendiarias, στιπενδιαρίας quia ſtips eſt argenti, & aliarum rerum minutatim facta collectio: ἔρανος καὶ συλλογὴ κατὰ μικρὸν γενομένη: & prouinciæ illæ pauca quædam ex ſuis rebus mittebant populo, vt ea in ſuas voluptates impenderet. Prouinciæ verò Imperatori reſeruatæ, tributariæ nominabantur, quoniam tributum eſt graue vectigal τὸ βαρὺ τέλος, quod Imperator ſuis prouincialibus indiceret, vt qui multa in milites inſumeret ὡς πολλὰ δαπανῶν περὶ τῶν στρατιωτῶν ἀποστρεφόμενον. Vult itaque Theophil. leuius onus prouinciis ſtipendiariis, quàm tributariis, ſiue proconſularibus quàm præſidialibus impoſitum fuiſſe; cùm tamen Tacitus *lib.* 1. ſcribat Achaiam & Macedoniam onera deprecantes leuatas fuiſſe proconſulari officio, traditaſque Cæſari. Verùm obſerua ex Strab. *lib.* 17. & Dione *lib.* 53. Auguſtum prouincias pacatas tribuiſſe populo, voluiſſéque Reges proconſulari imperio; Proconſules autem populi ſuffragiis κλήρῳ lectos fuiſſe, ideóque illos ἄρχοντας κληρωτοὺς Dio vocat. Feroces verò prouincias quæ impacatæ erant, & armis ac milite continendæ, ſibi retinuit, in eaſque Præſides & Legatos à quibus regerentur mittebat, quos Dio nominat ἄρχοντας αἱρετοὺς. Plura inter has prouincias per Proconſules & Præſides, vel Legatos gubernatas diſcrimina notauit Lipſi. *in* 1. *lib. ann. Taciti, n.* 207. quibus ego hoc vnum addo; Proconſulares publicanorum graſſationes & vexationes patiebantur, quibus liberæ erant prouinciæ Cæſaris per Præſides & Legatos adminiſtratæ, in iis ſiquidem nulli erant publicani, cùm tributa in caput & cenſum penderent. Non igitur mirum ſi quædam prouinciæ procõſulares vt Achaia & Macedonia, teſte Tacito, vt grauiori onere leuarentur, ex Proconſularibus factæ ſunt Præſidiales, & Cæſari attributæ, quia ea ratione publicanorum iniuriis ſubductæ ſunt. Et idem Dio ſcribit *lib.* 42. Iulium Cæſarem deuicto Pompeio Aſiam luſtraſſe, ex eaque publicanos, qui acerbiſſimi fuerant, remouiſſe, & in tributi collationem id quod ex vectigalibus redibat commutaſſe. Ex his tamen omnibus conſtat hæc ſtipendia, ſiue tributa militiæ, & belli causâ indicta prouinciis maximè Præſidialibus, & quæ Cæſaris erant, impoſita fuiſſe. Thucydid. nauales copias quæ προσόδοις ſuſtentatas fuiſſe ſcribit *lib.* 1. Denique plurima habemus in iure fuiſſe plebi indicta ad militum annonam, veſtem, metatum, & ſimilia, quæ indictiones vera tributa fuiſſe quis neget? Nam *l.* 6. *C. de annonis & tributis*, iubet tranſuehendæ ad limites & conferendæ annonæ militaris opus proximis poſſeſſoribus imponi. Idem habetur *l.* 4. *C. de erogat. militaris ann.* & *l.* 15. *Cod. Theodoſ. eod.* vbi proximi poſſeſſores ſuſtinent onus conferendæ limitaneis militibus annonæ. Milites tamen in veteranis caſtris [C. Theod. *Vitoneris* Grecè ἐν τριτοῖς, vnde ſuſpicatur Cuiac. eſſe propriam quorumdam caſtrorum appellationem] duas annonarum partes de conditis ſumunt, tertiam ſibi conuehunt. Condita ſpecierum erant in limitibus. Iul. Capitolin. *Nulla erat ciuitas limitanea poſtea quæ totius anni in aceto, frumento, & larido; atque hordeo & paleis conditu non haberet.* *L.* 2. *C. de erogat. militar. ann.* iubetur in viginti quæque millia pallium, capitum, ſiue paleas militibus à prouincialibus præſtari. Lex 3. prohibet prouincialibus conferre cænatica, quòd quaſi pro cœna, nouũ nomen expilandarum prouinciarum causâ excogitarunt, *lu paſſade*. Nouell. 130. *cap.* 1. quæ introitorum nomine ἰντροΐτων capiebantur, ipſumque vocabulum omnino perimit, nihil nomine ἐπιδημητικῶν ſumi vult. Nouell. 134. nihil etiã adærationis nomine, id eſt ne pretia pro annonis, & ſpeciebus quas ipſis debent prouinciæ ſuppeditare, accipiantur. *l.* 7. *C. de erogat. milit. ann.* Nouell. 130. vocat ἀπαργυρισμὸν adærationem, quia ſpecierum illarum pretium in ære dabatur. Eam adærationem fieri præterquàm in foro rerũ vænalium prohibet quoque *l.* 28. *C. Theod. de erogat. milit. ann.* & *ibid. l.* 32. de hac eadem adæratione diſſeritur. Ab ea nominatos eſſe opinatores *l. opinatoribus* 1. & *l. excellentiæ* 9. *C. de erogat. milit. ann.* hoc eſt militaris annonæ exactores, exiſtimauit Alciat. *lib.* 8. *parerg. cap.* 12. hi enim exigebant ſpecies, & deinde ad milites deportari curabant: opinabantur autem, id eſt arbitrabantur, quanti eiuſmodi ſpecies adærandæ ſiue exiſtimandæ eſſent, id enim priuilegium militum erat, vt viliore pretio annona ipſis imputaretur; ac proinde illa imminutio pretij quoddam onus prouincialium erat, vt vides. Dicebatur eiuſmodi annonæ militaris teſſera frumentaria, ſtellatura, vt conſtat ex *l.* 12 *C. de erogat. milit. ann.* Quare Peſcennius Niger apud Spartian. duos Tribunos lapidibus obrui iuſſit, qui militũ ſuorum ſtellaturas acceperant. Idem de Alexandro ſcribit Lãpridius, Tribunos enim qui de ſtellaturis militibus aliquid tuliſſent, capite puniuit. Nomen deriuat Alciat. *in citat. l.* 12. ab ſtellis. Sic enim appellat Plin. *lib.* 6. columnas ſeu pilas, in quibus fœdera ſcribebantur. Capiuntur quoque pro quocumque ſigno etiam militari. Ammian. *lib.* 19. de ſedili regali loquens, *Stella Regalis cum aureo puluinari nullo vetante direpta eſt.* Fortè an emendandum eſt *ſella*, pro *ſtella*, quod coniicit ipſe etiam Alciatus, qui potius ſtellam hoc loco à mittendo dictã ſuſpicatur. Alciatũ probat Cuiac. *in eand. l.* Capita id eſt fœnũ & paleas militibus præſtari à prouincialibus modo à Valentiniano præſcripto, non tamen ad eos deferri mandat *l.* 8. *C. de erogat. milit. ann.* Manſiones præterea ſiue diuerſoria militibus excipiendis inſtruebantur pabulis, & annonis ex

colla

collatione vicinorum, non eorum qui procul diſiuncti erant, *l.8. C. de ann. & tribus.* Sunt autem manſiones hic & *l.9 C.Theodoſ. eod.tit.* & *l.2.C.de conditis in pub. horr. l.9.C.de ſuſceptorib. l.2. C.de lucris aduocat.l.Claudiopolis.C.Theod.de decur.* Græcis *ἀλλαγαὶ*, manſus ſiue diuerſoria militum, vel ſacri comitatûs ab oppidis ſeparata, quæ pabulis & annonis ex collatione vicinorum inſtruebantur. Galli dicunt *Eſtappes*, quod tamen verbum alij reddunt caſtrenſis commeatus apothecam rerum, & militarem annonam, & manſionem quoque ſignificare videtur. Præſtabant etiam prouinciales militibus metata, ſiue hoſpitia, vnde habemus *lib.12. C.tit.40.de metatis & epidemeticis.* Metatores erãt vt *ibid.* ſignificatur *l.1.* qui poſtibus nomen hoſpitaturi militis, aut ſimilis adſcribebaut, qui & menſores dicuntur *l.2.* Ante venturos milites mitti ſolitos ait Optatus *lib.3.* Suidas *μιτατωρὸ προαποστελλόμενος ἄγγελος τοῦ ἄρχοντος.* Qui horum manum & ſcripturam delebat tenebatur lege Cornel. de falſis, *l.2. C. de metatis.* Epidimetica ſunt pretia quibus ſe redimebant onere hoſpitiorum, quæ epidemetica abrogauit Nouella 129. & 134. & *l.vlt. C.de metatis.* Ita Cuiac. neque improbat Alciat. hanc rubric. Cæterum militibus petentibus metata, tertia pars domus tantum debebatur, ſaluis officiuis, niſi ſtabulo tertia pars careret. Illuſtribus viris dimidia, *l.2.* Eximebantur hoc onere metatorum primò Prætoria Præſidum, ſi præſentes ſint, & alij ſuperueniant, *l.3.* Secundò Fabricenſium domus, *l.4.* De Fabricenſibus autem Orientis agere hanc conſtitutionem conſtat ex *C.Theodoſ.* Tertiò prædia in agris non ſuſtinent metatorum onus, ſicut in ciuitatibus domus, ſed per prædia tantùm celeriter tranſeundi ius eſt militibus, aut præſidibus, neque annona neque capito vllo à poſſeſſoribus exacto. *l.5.* Quartò Conſtantinopoli in pedeplanis turrium noui muri milites ex procinctu redeuntes, aut proficiſcentes habitare poterant. *l.7.* Græci *in metaphraſi* habent *εἰς τοὺς πύργους τοῦ καινοῦ τείχους Κωνσταντινουπόλεως ἐν τοῖς ἐπιπέδοις καταμένουσιν.* Quintò eximebantur Archiatri ſacri Palatij, & Vrbis Romæ, Artium liberalium profeſſores, *γραμμάτων διδάσκαλοι*, & pictores ingenui, *l.8.* Vide Hieronym. Mercurial. *lib.4. variar.cap.1.de his Archiatris.* Sextò metatum in alienis domibus ſub prætextu militiæ vindicare nemo cuiuſlibet grados, aut conditionis poteſt, ſiue in vrbe Conſtantinopoli, ſiue in prouinciis; quia illuſtres excuſationem à metatis non habent; *εἴτε ζωστοὶ εἶεν, εἴτε ἄζωστοι*, ſiue cum cingulo, ſiue extra cingulum exiſtant; ac ſic ille qui priuilegium à metatis impetrauerit, priuilegio priuatus centum auri libras ſacris largitionibus inferre cogetur, *l.9.* quam integram Theodoſij Nouellam conſtitutionem Pithœus edidit. Denique quænam in vrbe dignitates à metatis excuſarentur, & quot earum domus, quaque ratione eorum hæredes hoc priuilegio gauderent, fuſius explicat *l.10.* Cæterum in metatis tollitur à l.6. *infauſta hoſpitalitatis petitio*, vt ſi ab hoſpitibus petantur ſcorta, vel vti interpretantur Græci, vt hoſpites ſtrigillent equos, vel portent *σάβαγα.* Tollitur quoque balinei petitio: pro balineo l.12. *c. Theod.* habet, *Nec priuatum quiſque à domino adinm poſtulet.* Tribonianus pro priuato balineum ſuppoſuit, an eodem ſenſu, non docet Cuiac. Non poterant etiam ſalgami aliquid nomine à ſuis hoſpitibus poſtulare, *C.de ſalgamo hoſpitibus non prabendo.* Illius enim obtentu milites tranſeuntes exigebant culcitras, ligna, oleum, quod *eod. Cod.* vetatur: ſalgamum enim ſignificat eſculenta quæ ad condiendum valent. Cuiacius verò ait eſſe herbas conditas, veluti Enulam, Braſſicam, Betam, quæ etiam hodiè à Turcis condiri ſolent. Salgami meminit Auſoni.

Salgama non hoc ſunt, quod balſama: cedite odores.

Et Columella.

Tempore non alio, vili quoque ſalgama merce.

Præter hæc omnia tributa militiæ causâ impoſita, erat & aliud de veſte militari ſuppeditanda, de qua habemus *lib. 12. C. titulum 39.* & *in Cod. Thod.* vbi & tempus quo canon veſtium militarium inferri debeat, & quòd earum adærationem aliquæ prouinciæ præſtent in auro, quod idcircò comparatitium dicebatur, & quomodo adæratio illa largitionibus ſacris inferretur, explicatur. Verùm hactenus de tributis ratione militiæ.

Quarta cauſa tributorum fuit obligatio ad quæ- 5
dam onera publica, quæ Princeps ratione ſui muneris, & ex quodam veluti cum Republica contractu ſubire cogebatur: quale erat in primis, portuum, viarum & itinerum publicorum defenſionem & reparationem, atque ſecuritatem præſtare, quod quia ſine impenſis fieri non poterat, inſtituta ſunt *portoria*, *pedagia*, *guidagia*, & alia einſmodi vectigalia. Ex quibus magni prouentus colligebantur florente etiam Republica. Nam apud Liu. *lib.32.* Africanus & Pœtus portoria rerum venalium Capuæ Puteoliſque; item portorium caſtrorum fruendum locarunt. Erant verò portuum cuſtodes qui portum obſeruabant, quos Ariſtoteles *lib.6.politicor.* vocat *λιμενάρχας*, & *λιμενοφύλακας*, de quibus ait *l.4.D.de fugitiuis:* horum enim cuſtodum erat fugitiuos deprehenſos in cuſtodia detinere, vt habet ea lex, quæ agit maximè de ſeruis qui crebrius etiam in exteras regiones fugiebant, ad quod illos tum miſeria, tum ſupplicia compellebant, vt deinde queſtus eſt Saluian. *lib.4. de Gubernat. Dei.* Vt eam verò fugam impedirent Domini illos amputato pede debilitabant aliquando, vt colliges ex *l.3. tit.1. lib.6. Cod.* & pluribus illuſtrat Fornerius *lib.3. cap.27. ſelectar. lection.* Quia igitur plurimùm intereſſe Reipublicæ exiſtimabant vt ſeruus fugitiuus retraheretur, & nexus quiritano domino redderetur, limenarchæ, ſiue præfecti portuum, & limitum, qui fines Imperij tuebantur, ſi quem eiuſmodi ſeruum ſui furtum feciſſe in portu deprehenderent, impediebant ne transfretaret, & vinctum ad Magiſtratus municipes, qui deinde dominis redderent, dimittebant. Neque horum limenarcharum quos Cicero ad Atticum nominat oræ maritimæ *ἐπισκόπους*, erat illud vnum officium, ſed vt præterea attenderent qui ex Imperio, aut in Imperium nauigarent; quæ res exportarentur, & importarentur, quid in tractu extero ageretur, cuius Princeps, aut Reſpublica moneri deberet. Quare *in l.2. §.2. Cod.de officio praf.prator. Afric.* Iuſtinianus iubet ad Septam conſtitui Præfectum, qui fretum quod hodie *de Gilbatar* nominamus, ſeruet, & quid in finibus Hiſpaniæ & Galliæ ſiue Francorum agatur, exploret, atque renuntiari curet, ad idque expeditoa dromones, id eſt, curſorias, & celeres naues habeat. Præthereà iſti limenarchæ ſiue *τῶν λιμένων ἄρχοντες* piratas in portu inſectabantur, & inhibebant eos, qui oleum, vinum, liquamina, ferrum ad hoſtes deferrent, *l. 1. & 2. Cod. qua res exportar.* Erant olim portitores, qui merces euectas, & inuectas inſpicerent. Deinde Imperatores ad ſarta,

ta, tecta & phari curam Comites portus inſtituerunt, qui à Tarracinenſibus & Tuicis calcem conuehendam ad portum muniendum curarent. Erat Comes portus Romæ, & alter Rauennæ, hunc laudat Theodoricus apud Caſſiodor. *lib.7. variar. formula* 14. quòd celeritate nauigiorum mandata ſua curaret impleri. *Summa gratificatione locus tuus habendus eſt, qui ſuis neceſſitatibus probatur adimere noſtris ordinationibus tarditatem. Quis enim neſciat, quantam copiam nauium leuiter procures admonitus? A dignitatibus palatij noſtri vix in euectionibus ſcribitur, & iam à te ſumma celeritate completur. Nam inter dimiſſorum feſtinationes anxias, vix ſufficit alter aduertere, quod te viuaciter contingit implere.* Portus verò Romani commoda & vtilitates, immò & voluptates ex multitudine nauigiorum, & peregrinarum mercium copia commendat *eod. lib.7. form.9. Delicioſa magis quàm laborioſa militia eſt, in portu Romano comitiuam gerere dignitatem. Illic enim copioſus nauium proſportatur aduentus. Illic enim veligerum mare peregrinos populos, cum diuerſarum prouinciarum merce tranſmittit, & inter tot ſpectacula dulcium rerum, commodum tuum eſt, venientes euaſiſſe periculum. His primum faucibus Romana delicia ſentiuntur, & vndis Tyberinis quaſi per alueum vadunt, quæ ad commercia ciuitatis aſcendunt*, &c. Non mirum igitur ſi portuum curam haberi voluerunt Principes. Præfectus vrbi mittebat interdũ appatitorẽ ad portum, vt videret, ſi quid noui operis in portu moliendum eſſet, quod indicat Amb. *ep.*33. Ad has igitur impenſas exigebatur portorium, quod initio non videtur definitum fuiſſe. Nam Theodoricus commendat Comiti Romani portus & Rauennatis, vt in illo exigendo ſint moderati. Et quidem *form.9. cit. Tu copiam facis, dum ingredientes iuſtè tractaueris. Auara manus portum claudit, & quum digitos attrahit, nauium vela concludit. Meritò enim illa mercatores cuncti effugiunt, quæ ſibi diſpendia eſſe cognoſcunt: quapropter aduerſus ibi ventus eſt immoderata præſumptio. Nam placidum mare damnat, qui vndas cupiditatis exagerat. Vnuſquiſque pro ſolẽnitate commonitus offerat voluntarium munus. Xenia ſunt iſta, non debita; à paucis accipit, qui nimium quærit: & ſibi ipſi mittit vita munera, qui moderatur oblata.* Sed quæ prius munera & xenia, deinde certa fuere vectigalia; quare inſtituti ſunt portitores & Rationales qui ſubducerent rationes portoriorum per vrbes ἐλογίζοντο τὰ κατὰ τὰς πόλεις, inquit Euſeb. *lib.19. hiſtor.* Verùm portuum & itinerum cura vt dicebam compenſabatur eiuſmodi portorio; qua de cauſa Carol. Magn. *lib.2. capit. capit.*12. vbi edixit antiqua telonea *ſiue de pontibus, ſiue de nauigiis, ſiue de mercatis*, ſolui, addit: *Noua ſeu iniuſta, vbi vel funes tenduntur, vel cùm nauibus ſub pontibus tranſitur, ſeu his ſimilia, in quibus nullum adiutorium itinerantibus præſtatur, vt non exigantur.* Quia nempe telonium non niſi propter operam itineranti impenſam præſtatur. Retulimus nuper Curiæ decretum, quo cœnobitæ ſancti Martini Turonenſis damnantur ad quædam portoria ſoluenda, ſed illorum portuum domini ad refectionem itinerariam portuum, & riparum obligantur.

6 Alterum onus publicum quod curabat Princeps, & ob quod iure indicebat tributa, erat cura publicæ annonæ, ac frumentationis, quæ vario modo fiebat. Annonæ nomen in ampliori ſignificatione non ſolùm rem frumentariam, ſed omnia eſculenta comprehendit. Vide Liu. *lib.* 23. annonam ſalariam dixit. Cicero *libro* 2. *de diuinat.* ſcribit annonam cariorem futuram in macello. Et Sueton. *in Tiberio.* annonam macelli Senatus arbitratu temperandam cenſuit. Annonam aliqui à nonis deriuant, quòd nonis cuiuſque menſis teſſeræ frumentariæ Romanæ plebi darentur, alij à noua hora, pôſt quam veteres cibum ſumere ſoliti erant, ex Mart. *lib.4. epiſt.* 8.

Imperat extructos frangere nona thoros.

Alij deducunt ab anno quaſi anni copiam, alij ex Græca & Latina voce conflant, ab anno ſcilicet & ὠνέω, emo: ὠνὴ ἀγορὰ, Suidæ ὤνια πρασιμὰ ἀγοραστά. Quia verò annonæ defectu ſolent maximè plebes tumultuari, quod ſæpiùs experientia comprobauit, & habent Ammian. *lib.*16. Victor. *in Antonino Pio.* Sueton. *in Claudio cap.*18. Oroſi. *lib.7. cap.7.* Narratque Marcellinus Comes Theodoſium ingruente penuria procedentem à populo lapidibus petitum. Sidoni. *lib.1. ep.10. Vereor ne frumentum populi Romani theatralis caueæ fragor inſumet, & infortunio meo publica deputetur eſuries.* Symmach. *lib.4. epiſt.4. In metu ſumus ne obſito commeatibus annonariis medij temporis mora, & perturbatio plebis oriatur.* & *epiſt.*18. de iiſdem querelis ad Principem miſſis. *Intereà laborantium murmur eſt, ſtrepit ciuitas, libro* 2. *epiſt.*6. quo in metu eſſet propter annonæ defectum. Et *epiſt.*18. periculoſum eſſe patriam defectu alimentorum grauiter laborantem inhabitare, impium & crudele deſerere. Tertull. *aduerſ. Pſychicos. Cùm ſtupet cœlum, & aret annus, nudipodalia denuntiantur, Magiſtratus purpuras ponunt, faſces retrò auertunt, preces indigetant, hoſtiam inſtaurant.* Idcircò Annonæ cura ſemper magna vbique fuit. Græci habebant ſuos ἀγορανόμους, annonæ curatores, & ἐπισκοποῦντας τὰ τῶν πόλεων ὤνια, qui res venales in vrbibus inſpicerent: τοὺς τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντας ἄρχοντας, magiſtratus qui in foro venalia inſpicerent. Athenis erant ὀψονόμοι qui moderarentur quæ ad obſonia pertinerent. Erant ibidem vt ait Suidas σιτοφύλακες, qui curabant vt iuſto pretio frumentum væniret, & farina & panes, quorum quindecim erant in vrbe, quinque in Piræo. *Iliad.* 2. legitur σιτώνης ἐφορευτὰς τοῦ δημοσίου σίτου, præfectus frumenti publici apud Phygalenſes σιτάρχης, vt habet Athenæ. *lib.4.* vide & Ariſtotel. *lib.4. politic. c.*15. Romæ initio, ea cura penes Ædiles fuit. Plaut. *in captiuis.*

Euge edictiones ædilitias hic habet quidem,
Mirumque adeo eſt, vt hunc fecere ſibi Ætoli.
Agoranomon.

Neque fuit peculiaris annonæ præfectus, ordinarius Magiſtratus, ſed extra ordinem, vbi vrgebat neceſſitas, quod tradit Pompon. *leg.2. §.33. D. de origine iuris*, qui & idcirco negat eam præfecturam magiſtratum eſſe, quia nempe non creabatur quolibet anno, ſed repentino aliquo caſu alioquin pugnaret cum Liuio qui *lib* 4. narrat L. Minutium creatum eſſe annonæ præfectum, qui tanta gloria rem geſſit, vt boue aurato extra portam Tergeminam donatus ſit, additque in libros linteos relatũ eſſe illius præfecturæ nomen inter magiſtratus. Quidam volunt ante Minutium anno decimo quinto ab exactis Regibus fuiſſe alium annonæ præfectum creatum. Auguſtin. *lib.3. de ciuit. capit.*17. narrat tunc primùm creatum eiuſmodi præfectum cùm Spurius Melius qui frumenta populo diuiſerat, occiſus eſt. Zonaras dicit primùm fuiſſe

Minu

Minutium Augurium. Sanè eam deinde præfectu-ram exercuit Cnei. Pompeius, qui cùm è Sicilia magna frumenti copia, leuandæ vrbis causâ ſol-ueret ſæuiente pelago, repugnarentque nautæ, re-ſpondit: *Nauigare nobis neceſſe eſt, viuere non eſt neceſſe.* Subinde Iulius Cæſar, Imperium ade-ptus, duos Prætores, & duos Ædiles qui frumen-to præeſſent, inſtituit, vt teſtatur idem Caius *l.a. citata.*

Eam porrò præfecturam viri nobiliſſimi geſſe-runt; Auguſtus potiſſimùm amicorum, primúm-que rei frumentariæ fecit C. Turranium, teſte Tacito *libro* 11. *annal.* cuius Turranij meminit Senec. ad Paulin. In Pœtarum albo numerat Ouid.

Muſaque Turrani tragicis ſubnixa cothurnis.

Plinius quoque in indice Doctorum reponit. Sub-inde hic Magiſtratus ordinarius fuit, & ius dixit, nam Seuerus & Antoninus reſcripſerunt mulie-rem propter publicam vtilitatem ad annonam per-tinentem audiri à Præfecto annonæ deferentem; quod affirmat Marcian. *in leg.*13. *D. de accuſa-tion.* Ius dixit piſtoribus *leg.*12. *&* 15. *Cod. Theo-doſ. de piſtorib.* Conſtantinopoli & Romæ fuit ſub præfecto vrbi, de cauſis annonariis cognouit, *l.*18. *D. quod cum eo qui in aliena poteſtat.* Fuit & cum iure gladij ex Caſſiodor. *lib.*6. *form.*8. Im-mò illam ipſam curam ſibi ſumebant Imperato-res. Auguſtum geſſiſſe eam præfecturam & ſibi C. Turranium ſuffeciſſe iam monuimus. Dio *lib.* 54. narrat à plebe rogatum Dictatorem fieri καὶ ἐπιμε-λητὴν τοῦ σίτου, & curatorem frumenti, quod ne-ceſſitate compulſus ſuſcepit, & duos viros ante quinquennium præfectura functos frumento diui-dendo ſuffragiis eligi iuſſit, ipſeque horrea inui-ſebat vt annonæ conſuleret. Quare tridui frumen-to in horreis viſo, ſtatuit veneno mori, ſi è pro-uinciis claſſes intereà non veniſſent, vt ait Sue-ton. Claudius Oſtiam itabat, vt frumẽta quæ deue-hebantur inſpiceret, eaque de cauſa Oſtiæ por-tum extruxit. Ita Dio *libro* 58. & paucis Sueton. *cap.*20. Portum Oſtiæ extruxit circumducto dex-tra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo iam ſalo mole obiecta, quam, quò ſtabilius fun-daret, nauem ante demerſit, quâ magnus Obeliſ-cus ex Ægypto fuerat aduectus, coniunctiſque pi-lis ſuperpoſuit altiſſimam turrim in exemplum Alexandrinæ phari, vt ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent. De illa Statius *libro tertio Syluar.*

Tellebantque domos tepidis vbi dulcia nautis
Lumina noctiuaga tollit pharus æmula Lunæ.

Et Iouenal. *ſatyr.*12.

Tyrrenamque pharum, porrectaque brachia rurſus.

De Theodoſio dum horrea inuiſeret lapidibus pe-tito ob frumenti inopiam diximus ex Marcellin. Themiſtius *ſerm.*6. ait non eſſe indignum Impera-tore inſpicere eiuſmodi theſauros οὐδ᾽ ἀνάξιον βα-σιλέως αὐτόπτης γίνεσθαι τῶν θησαυρῶν: aliis quidem ærarium cuſtodiendum permittit, ipſe frumenta, & horrea per ſe luſtrat: τὰ μὲν τοῦ χρυσοῦ τὰ μοῖα ἑτέροις φυλάξειν ἐπιτρέψαν, τὰ δὲ πυρφυλακεῖα δι᾽ αὐτοῦ ἐφορεύει. Et Sanè ex toto *lib.*11. *Codic.* euidenter conſtat, quàm impenſa fuerit Principum cura in annona prouidenda. Præfectum annonæ co-dicillis Imperatoriis creabant. Arrian. *lib. diſſert.* σιτωνικῶν cura pertinebat ad eum cui mandarit Im-perat. *Nou.*30. cum vbique apparitores ſequeban-tur, *l.*1. *Cod. Theodoſ. de conditis in public. horr. l.*4. *C. Theodoſ. de canone frument.* Neque apparitores Præfecti vrbi illi ſe officio inſerere poterant *leg.*1. *C. de apparit. præfect.* In eo verò conſiſtebat in pri-mis hæc cura, vt magna ſemper copia frumenti, aliarúmve vt vocabant ſpecierum foret: ideóque prouidebant vt aliunde in vrbem aducherentur ex Ægypto, Africa, Sicilia, Sardinia. Prudent. *adu. Symmach.*

Reſpiſce nunc, Lybici deſiſtat ruris arator
Frumentis onerare rates, & ad oſtia Tibris.

Lucan. *lib.*7. de Sardinia & Sicilia idem affirmat, eas horrea fiſcalia nominari docet Iuſtin. *lib.*44. Valer. *lib.*7. *capit.*6. *Benigniſſimas Romæ nutrices.* Florus *lib.*4. *capit.*2. *Annona pignora.* Saluian. *lib.* 6. *Fiſcalia horrea, & vitales portas.* Claſſis tamen Alexãdrina iam inde ab Auguſto primùm Puteo-los appellebat ex Sueton. *capit.*98. & Senec. *ep.*77. vbi earum nauium aduentum ornatè deſcribit, vt & Statius *lib.* 3. *Syluar.* Vectores & nautæ vbi Puteolos appuliſſent candidati & coronati thura libabant ex Sueton. *l. c.* Tacit. *lib.*15. *ann. Nero frumentum plebis vetuſtate corruptum in Tiberim iecit quo ſecuritatem annonæ ſiſtentaret, cuius pretio nihil additum eſt; quamuis ducentas fermè naues portu in ipſo, violentia tempeſtatis, & centum alias Tiberi ſubuectas, fortuitus ignis abſumpſit.* Siſten-taret legit Lipſius quòd antiquis *ſiſtentare* vſurpa-retur pro *oſtentare*, Plaut.

——Tu verò Cluuinum pecus aduenisti huc
Siſtentatum cum exornatis oſſibus.

Alibi *aſtentatum*. Vt igitur Neto oſtentaret copiam frumenti corruptum proiecit in Tiberim, aut vt ſu-ſtentaret opinionem de immenſa copia conceptã, nihilque paſſus eſt addi pretio, quamuis trecentæ naues in portu, vel violentia tempeſtatis, vel for-tuito igne periiſſent. Conſtantinopolim quoque deuecta fuiſſe frumenta ex Alexandria, & ex Oriẽ-te conſtat ex Themiſt. *ſerm.*4. *&* 6. atque ex *toto C. de nauiculariis*, vbi frumenta Africæ deerant Ro-mæ, petebantur è Macedonia. Symmachus *lib.*3. *ep.*82. *Pater Patriæ Macedonicis commeatibus Afri-ca damna penſauit, quem nunc omnes vt altorem gene-ris humani Deum diligunt: nihil enim paſſus eſt Au-ſtris contumacibus aduersùs Romam licere. Ergo de agri mei ſpecula peregrinarum nauium numero tranſ-curſus.*

Vt verò ſtatis temporibus deueheretur annona 7
inſtitutæ ſunt claſſes frumentariæ. Symmach. *lib.*10. *ep.*31. vocat frumentariam commeatus inuectionẽ alimentariã *lib.*4. *ep.*54. Sicut igitur inſtitutæ erant claſſes militares, quæ erant ſub Magiſtro militum, quatuor erant in Italia, quatuor in Gallia, atque aliæ alibi, ita & claſſes frumentariæ quæ erant ſub Præfecti Prætorio cura. *Triticeas quidem copias*, inquit Caſſiod. *lib.*6. *variar. form.*18. *præfectura præ-toriana procurat.* In his celebris erat Alexandrina, quæ ſiquando defeciſſet, Commodus illi in ſubſi-dium inſtituit Africanam, vt narrat Lamprid. Sa-nè Lybia ſæpe Romæ ſaluti fuit; eſt enim vt vo-cat Pindar. πυρόφορ@: & Horat. *lib.*1. *od.*1. *Quid-quid de Lybicis verritur areis.* Ideóque qui in Afri-ca meſſes incendiſſent, grauiùs quàm alibi punie-bantur. *l. aut facta, §. vlt. D. de pœnis.* Curabant au-tem Iudices Prouinciales vt annona Romam per-ferretur, ideóque ad illos ſpectare alimentariam inuectionem dixit Symmach. *lib.*4. *ep.*54. & *lib.*10. *ep.*31. *Iudices Africanos, & Notarium cui æternitas veſtra mandauit frumentarios commeatus ſeueriora ſcripta deſtimulent.* In eos itaque quorum incuria

A a

claſſis in portu morata plus æqoo eſſet, animaduettebatur. *l.3. C.Theod.de naucul.* & *l.6. Cod de murileg.* Mamettin. in panegyr. *In media expedienda annona trepidatione nuntius venit, plurimas naues Africano tritico graues littus Achaicum prater rectas Conſtantinopolim peruolaſſe permoti omnes, & aduerſus eos qui oram maritimam tuebantur irati: Venimus ad Principem deſidià Iudicum tantùm periſſe frumenti, certatim pro ſe quiſque conquerimur.* Iſti Iudices Præfecto Prætorio ſuberant, & illos hac de re ipſe monere debebat: ideoqoe Theodoric. mandat Fauſto Præpoſito, ſiue Præfecto Prætorio commoneat eos, qui curam littorum habent, ne naoes externæ prius frumento oœrentur, quàm ciuium annonæ conſultum fuerit. Apud Caſſiod. *li.7.ep.24 tum ep.25.* queritot Theodoric. de mora claſſis. *Et ideò frumenta publica quæ de Calabro, atque Apulo littoribus per Cancellarium veſtrum æſtatis tempore conſueuerunt diſtinari, nec autumno veniſſe modis omnibus permouemur.* Tum quærit an Echeneis, an cõcha Indici maris naues allegatit, an nautarum manu torpedinis tactu torpuerint. Tom, *ſed Echeneis illis impedimentoſa venalitas eſt. Concharum morſus inſatiata cupiditas: Torpedo fraudulenta diſſimulatio: ipſi enim ſtudio prauo faciunt moras vt occaſiones incurrere videantur aduerſas.* Nempe vt vel io portubus cariùs venderent, vel vbi in vrbem appuliſſent, vrgente annonæ caritate frumentum, cæteraque ab ipſis delata grandiori quoque pretio vænirent; quas fraudes emendati mandat Theodoricus, & iam olim fuiſſe ſeueriùs caſtigaras monuimos. Nauiculariorum eâ de causâ inſtitutum corpus qui delegatas ſpecies annonarias Conſtantinopolim transferrent, quorum & immunitas magna erat, de quibus *Cod. de nauicular.* & nos *capit. ſuperiori* nonnulla diximus.

Claſſis frumentaria, & annonaria magnâ pompâ effuſo in littus populo, atque illuſtribos etiam viris, ipsóque Senatu excipiebatur. Sym. *lib.10. epiſt.22. Mittetis etiam Regiam claſſem quæ annonariis copiis augeat deuota plebis alimoniam. Hanc ergo in Tiberinis oſtiis mixtus populo Senatus excipiet. Venerabimur tanquam ſacras pupes, quæ fœlicia onera Ægyptiæ fruges inuexerint.* Nempe quia ſalutem ſecum veherent: quare Fabius *declamat. 12. Salutem publicam vehis, ſpiritum populi tui reportas, omnium noſtrûm in iſta claſſe nauigant anima, quid ſpem publicam ad anchoras alligas?* De hac porrò claſſis annonariæ triumphali inoectione Rutilius *in itinerar.*

Intereà Latiis conſurgunt horrea ſulcis
Pinguiaque Heſperio nectare prala fluunt.
Ipſe triumphali redimitus Arundine Tibris
Romuleis famulas claſſibus aptat aquas.

Vide Senec. *ep.78.* de effuſo in littus Poteolanum populo, quò primum appellebant Alexandrinæ naues: quarum aduentum gratulatur. Naui deinde Romam appulſa debebat Præfectus annonæ inſpicere an commeatus delatus aliquid haberet vitij. Debebant & nauicularij apud Præſides, & Duumoiros prouinciarum, è quibus aduehebatur commeatus, de eius à ſe ſuſcepti integrigritate teſtari *leg.1. Cod. de canon. frum. vrb. Roma.* Quia verò ille canon tum populi Romani, tum Conſtantinopolitani, maximè ex Alexandria aduehebatur, conſtituit *lex 1. Cod. de frument. Alexand.* vt frumentum quod ex tota Ægypto Alexandriam conuehitur, excutiatur, æſtimetur, & admetiatur in Alexandria, ne quid naucleri id Romam ſubuehentes ex eo vſurpent, vel ne quid ex eo ſubeant diſcriminis, dum fortè vel non tale frumentum, vel ampliorem modum ſuſcepiſſe inſimulantur. Qui porrò Alexandriæ frumento ſuſcipiendo, & excutiendo præfectos erat χειθυλόγος, qui admetiendo ζυγοστάτης dicitur. Huic muneri præfici volunt Imperatores, quem Anthemius Præfectus Prætorio, ad quem reſcribunt, probarit, & ordinarit. Quia verò non claſſis dumtaxat publica deuehebat annonam, ſed aliqui etiam priuati plurima ad portum conuehebant, ea omnia iuſſu Præfecti vrbis comportabantur per ſaccarios, id eſt baiolos ferendis ſaccis deſtinatos: eæque ſpecies iuſta æſtimatione taxabantur, ex *l.vnic.C.Theod.de ſaccariis vrb.Roma.*

Reponebatur annona in horteis publicis, quæ 8
fuere vinaria, olearia, frumentaria, quæ & farrea dicta. Erant verò alia ſublimia in eminentiore domus aut villæ parte, quare tabulata penſilia vocat Colum. *lib.1. cap.6.* & ſublimata Vitruu. *libro 6. capit.9.* alia ſubterranea, Plini. *libro 18. cap.30.* Varro *lib.1. de re ruſtica capit.57.* qui duo illa horreorum genera probauit, & vt conſtruenda ſint deſcribit. Quod & præſtitit Philo *libro 2. μηχανικῶν*, & Vitruui. *lib.5. capit.9.* Quam multa porrò eſſent populi Romani in ipſa vrbe horrea, docebit Publius Victor. Frumenta in horreis condita, ſimpliciter condita dicebantur, *Cod.de conditis in horreis public.* Spartian. *in Hadriano. Condita militaria*, quæ Hadrian. diligentet agnoſceret. Capitolin. *in Gordiano Iuniore. Quæ totius anni in aceto, frumento, & larido, atque hordeo, & paleis condita non haberet.* Hæc itaque horrea quæ Græcis dicuntur ἀποθήκαι, & σιτοβολῶνες, σιτοφυλακεῖα, σιτοθῆκαι, σιτοφυλάκια, erant tum Romæ, tum Conſtantinopoli, tum in prouinciis, aliaque erant publica populi, alia fiſcalia, in quibus non niſi fiſcalia frumenta inferebantur, *leg.16. Cod. Theod. de ſuſceptorib. & arcar.* & *leg.1.Cod.Theod. de equis cur.* In prouinciarum capitibus & locis munitiſſimis ſeruari ſolita frumenta & annonas æquè certum eſt, & habet Ammian. de Palæis Ilauriæ; & Procop. *lib.2.* de Niſibi in Publico *ἐν δημοσίῳ*, alimenta ſeruabantur. Erant & in caſtris, vbi præfecturæ limitaneorum; nam caſtra loca quædam munitiſſima, & burgi erant. Auſon. de Moſella.

Mœniaque antiquis te proſpectantia muris
Addam præſidiis dubiarum condita rerum,
Sed modo ſecuris non caſtra, ſed horrea Belgis.

Caſſiodot. *lib.3. ep.41. Tritici ſpeciem quam ob exercitualès expenſas, noſtra prouidentia de Italia deſtinauit, ne fatigata prouincia huius prabitione læderetur, ad caſtella ſupra Druentiam conſtituta, de Maſſilienſibus horreis conſtat eſſe portanda.* Iter facienti Imperatori totius annonæ militaris ratio exponebatur, atque illi δείγματα indicia, & vt appellabant, proba ſubiiciebantur, vt ait Marcellin. *lib.21.* de Iouiniano loquens: quæ militibus diuidebantur, dicuntur præbendæ à Caſſiodor. *ep.4. cit.* Liui. *lib.2. Punici belli ſecundi.* Agell. *libro 15. cap.4.* Plaut. *in Perſa: Ædiles præbenda locauerunt.* Atque ita legi apud Vlpianum *in leg.19. D. de teſtibus. Exercitui præbenda conduxerit:* non vt communis lectio habet: præbendum vult Alciat. *libro primo parerg. capit. 35.* aduerſus quem, lectionem vulgatam retinendam eſſe contendit Coiac. *libro 2. obſeruat. capitulo 23.* debebat autem Præſes vbi

prouin

prouinciam luſtrabat, horrea inſpicere, vt *depurata & incorrupta ſpecies* militibus præberentur, *leg. 2. Cod. de conditis in public. horr.* pro *depurata* omnes libri veteres habent *deflorata.* Græci ἀνθηρὰ καὶ ἀδιάφθορα εἴδη. Denique erant horrea portuenſia in portubus, *leg. 1. Cod. Theodoſ. de patron. horreorum portuenſ.* Horreorum erant curatores alij comites, alij præpoſiti, vt de portuenſibus modo dicebamus, quorum annua erat præpoſitura. In illis horreis portuenſibus erant quoque menſores, ex *leg. 1. Cod. Theod. de can. frument. vrb. Romæ.* Cæterum in horreis publicis pignora & res aliæ deponebantur, *leg. 9. Cod. de pignorat. action.* Quare horreorum effractores puniuntur, quæſtioque haberi debet de ſeruis cuſtodibus, licèt & in illis ipſius portio eſſet à præfecto vigilum, *leg. 3. D. de officio præfect. vigil.* vbi dicitur in horreis pretioſiſſimam partem fortunarum ſuarum reponere. In portubus quoque fuerunt annonæ vrbicæ causâ menſores portuenſes, coniuncti cum caudicariis frumentariis, qui leuioribus pretiis vendere cogebantur, *leg. 1. Cod. Theodoſ. de canon. frumentar. vrb. Rom.* Qui temerator horreorum extitiſſet, aut horreaticas ſpecies contigiſſet, & ſibi aliquid ex his vſupare auſus eſſet, puniebatur publicatione omnium bonorum, & deportatione, *leg. 3. Cod. de condit. in public. horr.* Erant autem Caudicarij nauicularij, à nauibus Codicariis, quarum vſus erat in omnibus, appellati. Senec. *libro de breuit. vitæ, capitulo 13.* Plurium tabularum contextus caudex Antiquis dicebatur; vnde publicæ tabulæ caudices, & naues quæ ex antiqua conſuetudine per Tiberim commeatus ſubuehunt, caudicariæ dicuntur. Refert Cuiac. *in leg. 1. Cod. de conditis in public.* & Bullengerius *lib. 6. de Imperio Rom. capit. 5.* veterem hanc inſcriptionem: *Quinque menſores nos portuenſes, quibus vetus fuit, cum caudicariis diuturnumque certamen.* Nempe vbi è naui educebatur frumentum & illud admetiebantur menſores, ſæpius litigabant. Dabantur menſores à Præfecto vrbi *leg. 1. cit.* & vacationem habebant munerum perſonalium *lege his oneribus. §. 1. D. de vocat. muner. & l. menſores. D. de excuſ.*

9 Vbi frumentum, & annona aduecta, & horreis condita fuerat, munus Præfecti fuit illi pretium ponere, diuidere, atque certam eius quantitatem gratis populo diſtribuere, quam gratuitam collationem, frumentationem nominarunt. Hæc omnia, aliaque tribuit Caſſiod. *lib. 6. variar. form. 18.* Præfecto annonæ; nempe curare vt redundet panis copia, per piſtorum officinas diſcurrere, penſum, & munditiam panis exigere, piſtorum iuribus, ac ſuariorum præeſſe, diſpenſationem probabilem frumenti facere, vt eſt abundantia, atque eà in re æquare dignitatem Prætoris Vrbani, qui copias triticeas curat, quem idcircò comparat Cereri, quæ frumenta dicitur inueniſſe: Præfectum autem annonæ Pani, qui primus conſperſas fruges coxiſſe perhibetur, quare & nomine eius panis eſt appellatus. Caueat ne quid quis de populo furetur, nempe annona ipſi deſtinata in fraudulentos diſtringat, ſcilicet iudicium, & gladium, panis pondera æquus examinator intendat, ſollicitiùs autem penſetur vnde à Quiritibus viuitur. Quia gratior nobis eſt lætitia fauentis populi Romani, quàm copia pretioſiſſimi metalli. Hæc ferè verbis ipſius Caſſiodori officium Præfecti annonæ deſcribentis. Eius tamen tria illa quæ initio attigi præcipua erant munera. In primis vt pretium poneret annonæ, & vilius quidem illud erat: ita vt neque ſub Nerone etiam amiſſa claſſe annonaria, cariùs vænierit, vti nuper obſeruabamus ex Tacito. Qui etiam *lib. 15.* ait frumenti pretium minutum vſque ad ternos nummos. Venditum fuiſſe porrò frumentum annonarium, & non ſemper gratuitum ſignificat idem Tacit *ibid.* cùm ait de eodem Nerone. *Addiditque militibus ſine pretio frumentum, quo antea ex modo annonæ vtebantur:* quod ipſum affirmauit Sueton. *cap.* 10. & de Seuero Herodian. nam augmentum illud annonæ Prætorianorum militum, quod feciſſe ſcribit Herodianus, gratuitum omninò fuiſſe debuit.

Diſpenſatam quoque fuiſſe annonam à Præfecto annonæ patet in primis ex Caſſiod. *libro 6. variar. form. 6.* vbi de Magiſtri dignitate, & munere. *Peraquatores victualium rerum in vrbe Regia propria voluntate conſtituit, & tam neceſſariæ rei iudicem facit.* Ex mox: *quando tales viros copia publica præficit, vt plebs querula ſeditionem non debeat habere ſatiata.* Neque videtur alia fuiſſe illa Magiſteria dignitas, quàm Præfectura annonæ, ſi benè expendatur *form. 38. eiuſdem libri 6.* Deinde canonem qui ad officiũ ſuũ pertinebat exigere debebat per cõpulſores ſuos, & niſi canonẽ impleſſet, eum officio ſuo obnoxius tenebatur, *l. 2. C. de apparitorib. præfect. ann.* Iubet *l. 1. C. de conditis in public. horr.* dari frumenta piſtoribus ex publicis horreis, ex quibus illi populo panes parent. Cauetur quoque eadem lege, vt expendantur vetera primùm, deinde noua, & ſi fortè vetera corrupta ſint, nouorum admixtione id vitium corrigatur. Et quamuis id reſcriptum ad Voluſianum Præfectum vrbi dirigatur, cum illi ſubeſſet Præfectus annonæ, ad eum quoque dirigebatur, cui ſuberant piſtores vti deſcribebamus ex Caſſiodoro.

Reſtat collatio gratuita frumenti, & aliarum ſpecierum annonariarum quæ populo fiebat, quam frumentationem dicebant, Græci σιτηρέσιον. Ædiles quandoque aſſe modium frumenti dederunt plebi, quod de Manio Martio Ædili, & aliis refert Plinius *lib. 18. cap...* Tribuni deinde ad emerendam plebem leges tulere, vt non incerta, ſed perpetua rataque frumentatio eſſet. Prima lex fuit C. Gracchi qua frumentum plebi è publico datum eſt infimo pretio. Tum lex M. Catonis frumentaria, cuius meminit Plutarch. Succeſſit lex P. Clodij de qua Aſcon. *in Milonia.* Iulius Cæſar numerum eorum qui frumentum è publico accipiebant auxit. Auguſtus imminuit, Traianus quinque millibus puerorum, & puellarũ alimenta indulſit. Plin. *in panegyr.* Idem fecit Nerua per Italiæ oppida, ex Victore. Pertinax alimentaria compendia, quæ nouem annorum ex inſtituto Traiani debebantur, obdurata verecundia ſuſtulit apud Capitolin. Tetricus omnis annonariæ curationis corrector fuit in Italia apud Trebell. Numerum puerorum, puellarumque quibus præbebantur alimenta auxit Aurelian. apud Vopiſc. Nerua, cùm teſſeræ frumentariæ præſtari deſiiſſent, quingentis millibus aureorum agrũ emit ad pauperes alendos, inquit Dio. Adrianus conſtituerat vt pueri vſque ad 18. puellæ ad 14. ann. alerentur *l. 14. §. 1. D. de alim. & cibar.* Oleum perpetuũ Seuerus Imp. R. P. dedit. Illud deinde imminuit Heliogabal. & Alexander in integrum reſtituit, quod teſtatur Lamprid. in Alex. Aurelianus primus eque diuiſit, ſtatuerat quoque vinum gratuitum dare ex Voſpico, neque Romæ tantùm Conſtantinus magnus octoginta millia frumenti in ſingulos dies

præbuit Conſtantinopoli, ex qua ſumma 40. millia detraxit filius eius Canſtantinus ptopter occiſum Hermogenen. Vide ſocrat. *lib. 2. c. 3.* & Euagrium *lib. 3.* Idem magnus Conſtantin. Alexandriæ inſtituit σιτηρέσιον ad alendos pauperes apud Socrat. *lib. 2. cit.* indulſit quoque in hac parte Iulian. Antiocheuis, quod ipſis exprobrat in Miſopog. Theodoſius annonis vrbis Canſtãtinopolis adiecit modios 120. diuernos, nomine periteumatis, ideſt teſſeræ nomine, quæ πετὸς appellatur, & πίτευμα, & παραπίτευμα. Alciat. legi mauult περισσεύματος, quaſi donatiui & congiarij nomine: περίσσευμα enim id dici poteſt, quod abundantiã ſignificat: & περισσεύειν copiam rerum ſignificare: ſicut autem Roma vetus & noua, ſiue Conſtantinopolis, habuere proprium canonem frumentarium; ita & Alexandria, quem auxit quoque Theodoſius centum & decem modiis diurnis, voluitque petiſſochoregiæ nomen penitus amputari, hoc eſt, hoc augmentum non dari ſuperetogationis vice, neque ſic appellari; ſed tanquam ordinariæ teſſeræ; quare & de ſuo nomine teſſeras Theodoſianas dici. Græci περισσοπραξίαν ſuperextructionem vocant; quare non placet Alciat. *in notis ad illam l.* vbi ait petriſſochoregiam eſſe nomen Magiſtratus, qui foret curator annonæ ἀπὸ τῆς περισσείας καὶ χορηγία: quod eſt abundantiam & fertilitatem ſuppeditare; quæ expoſitio contra mentem Theodoſij pugnat, quam verba ipſa vti expoſuimus, ſignificant. Neque ſolùm Alexandriæ cuius fuere multa præcipua iura, proprium canonem tribuêre Imperatores propter inſignem eius & vtilitatem & dignitatem, eam ſiquidem Procopius Sophiſta τῆς οἰκουμένης βασίλειον appellauit: & Strabo τῆς οἰκουμένης μέγιστον ἐμπορεῖον vocauit: ſed etiam minoribus quibuſdam ciuitatibus. Conſule Symmach. *lib. 10. epiſt. 53.* de controuerſia Puteolanorum & Terracinenſium. Puteolanis enim Conſtantinus 150. millia modiorum frumenti quotannis dedit, quæ ſumma deinde à Conſtante media parte mutilata eſt: poſt quem Conſtantinus annonam Puteolani populi 25. millium modiorum adiectione cumulauit. Imperante deinde Iuliano Lupus conſulari iure Campaniæ præſidens V I I I. D C C C. mod. Puteolanis municipibus derogatos, Terracinenſium vſui deputauit, ne commoda P.R. ciuitas, quæ lauacris publicis ligna, & calcem reparandis mœnibus ſubminiſtrat, defectu ſubito exhauſta ſuccumberet. Mamertinus Præfectus prætorio diſpoſita roborauit, conſuluit tamen imperiale ſolum. Verùm Iuliano, bello Perſico occupato, ibidemque extincto nihil reſponſi tulit. Denique Gratianus reſtitui imperauit omnibus frumenti numerum quem Cerealis ex multis vrbibus Populi Romani vindicarat. Inde nata controuerſia inter Puteolanos & Terracinenſes, de qua Theodoſium conſulit Symmachus. Vides itaque, hanc Imperatoriam largitionem annonæ non ad præcipuas dumtaxat vrbes, Romam, Conſtantinopolim, Antiochiam, & Alexandriam, ſed ad alias quoque propter commoda quæ ex illis Imperium capiebat, pertinuiſſe. Immò libera Republica, dum plebs inopia laboraret, Senatores aliqui hac annonæ erogatione vſi ſunt, & ita ſibi populum demeruerunt. De Iulio Cæſare Lucan. *lib. 2.*

Quoque modo vanos populi concitet amores
Gnarus, & irarum cauſſas, & ſumma fauoris
Annona momenta trahit. Namque aſſerit vrbes
Sola fames, emiturque metus, cum ſegne potentes
Vulgus alunt.

Quibuſnam autem darentur annonæ, & quomodo fieret diſtributio, & a quibus, plura leges apud Lipſ. & Buleng. *lib. 6. de Imperio Romano*, vbi etiam de panibus qui loco frumenti diuidebantur *c. 15.*

Nobis reſtat illud vnum explicandum propter quod hæc annonaria digreſſio ſuſcepta fuit, nempe ad illam fuiſſe inſtituta vectigalia, quod facilè fuerit oſtendere. Nam in primis Dio ait Caracallam addidiſſe frumentationi aliam dimidiam partem ex publicis vectigalibus: προσθεῖναι τῷ σιτηρεσίῳ ἄλλο τοῦ τελουμένου ἥμισυ. Aurelianus quoque præfectus annonæ vrbis panibus vnciam de Ægyptio vectigali addidit. Tacit. *in Agricol.* domitam à ſe Britanniam his artibus compeſcuiſſe tradit; *Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumciſis quæ in quæſtum reperta, ipſo tributo grauius tolerabantur. Namque per ludibrium aſſidere clauſis horreis, & emere vltrò frumenta, ac vendere pretio cogebantur. Deuortia itinerum, & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hibernis in remota, & auia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucroſum fieret.* Quod tamen Tacitus eo loco in Britannos ad venditionem frumentorum, & ſubuectionem, peccatum queritur, & ab Agricola emendatum ait: fuiſſe paſſim vſurpatum conſtat ex ipſomet Tacito *libro 13. annal.* vbi à Nerone circa publicanorum & vectigalium rationes conſtituta recenſet. *Temperata apud transmarinas prouincias frumenti ſubuectio, & ne cenſibus negotiatorum naues adſcriberentur, tributumque pro illis penderent, conſtitutum.* Ne videlicet prouinciæ, quæ frumentum ſubuehere tenebantur, grauius vexarentur. Immò vt ne illi ipſi, qui negotiationis causâ ſubuehebant, tributis premerentur, illos eſſe immunes voluit. Sanè de hac ſpecierum annonarum coëmptione ad vſus publici, aut exercitus neceſſitates etiam ab inuitis prouincialibus titulum 27. habemus *lib. 10. Cod.* cogebantur enim tunc fiſco vendere, dicebaturque ea publica ſpecierum comparatio, vel potius eius cura συνωνήτον, vel συνωνὴν ἐκ τοῦ συνὸν καὶ ὠνῆς, *leg. 1. Cod. Theod. de public. comparat.* Latinè coëmptio. *leg. 2. Cod. de frum. vrb. Conſtant. leg. 1. & 2. Cod. quibus muner. vel præſtat. nem. liceat ſe excuſ.* Caſſiodor. *libro 12.* *Laridi*, inquit, *atque tritici ſpecies, nullis temporibus coëmptionis nomine inde decernimus poſtulari.* Cura autem emendarum eiuſmodi ſpecierum dicitur à Iuſtinian. *Nouu. 30.* σιτωνικῶν cura. Quare ſitinia, vel ſitonicum legitur *titul. 27. libro 10. Cod.* Vide Suidam *verb.* σιτώνης. Quia verò plurimæ fraudes committebantur, & ſæpè prouinciales grauabantur in ea coëmptione ſpecierum annonariarum, idcircò illam impediebant viri potentes, vt de ſeſe affirmat Boët. *libro 1. de conſolat.* *Cùm acerba famis tempore, graui atque inexplicabili indicta coemptio, profligatura inopiâ Campaniam videretur, certamen aduersùm Præfectum Prætorij, communis commodi ratione ſuſcepi, Rege cognoſcente contendi, & ne coëmptio exigeretur euici.* Quare edixit Anaſtaſius Imperator *leg. 1. Cod. vt nemini liceat in coëmptionem ſpecierum*, &c. vt indicto, vrgente aliqua neceſſitate exercitus ſubleuandi, ſynotico, nemo ab eo onere excuſetur, ſed cogantur omnes ſpecies ſuas fiſco vendere, etiam actores & procuratores diuinarum domuum; & alia conſtitutione quam refert *lib. 59. Baſilic.* cauetur ne coëmptio fiat niſi auctoritate Principis, præterquam ſi quæ

man

mancipia annonæ caritate laborent. Secundò pretia ſpecierum venditarum reputentur in collationem fiſco inferendam, ſicut & de ſumptibus factis in tranſitu militum conſtituitur *Nou.* 129. vel etiam ſtatim adnumerentur. Tertiò coëmptio exigatur pro numero iugorum & capitum *πρὸς τὴν ἀναλογίαν τῶν ζυγῶν ἤτοι ζυγοκεφαλῶν*, vt in *Nouel.* 17. Sunt qui iugationem tantum præſtant; ſunt qui *ζυγοκεφαλὴν*, iugationem & capitationem. Altera conſtitutione quæ ibidem refertur, ſitonæ, ſiue frumentum exigentis creatio, arbitrio poſſeſſorum ciuitatis & Epiſcopi, non ex quibuſlibet, ſed ex cohortalibus permittitur; & indemnes ſitonæ ſeruantur; quod autem dixi neminem excuſari a ſitonico, ne ipſam quidem Eccleſiam, colliges ex Gregorio *lib.* 10. *ep.* 38. *ad Ciritan.* cui cura ſitonici mandata fuerat, præceptumque vt omnis tritici quantitas, quæ in horreis Eccleſiæ ſuſcepta fuerat, ipſi tradi deberet, quod in ipſas ſpecies præparari curauit Gregorius, quamuis id ipſum durum omnino eſſet. Hinc Canon publicus dictus eſt anniuerſaria penſitatio, functio, collatio, præſtatio, quæ à Prouincialibus populo Romano, Conſtantinopolitano, Alexandrino, quotannis gratis & ſine pretio pendebatur, qui canon annonariis ſpeciebus conſtabat, frumento, vino, carne, oleo. *leg. fin. Cod. de collat. fundi patrim. l.* 2. *Cod. de prabend. Tamiacis. l. fin. Cod. de diuerſ. prad. leg.* 1. *Cod. de indict. leg.* 1. *Cod. de collat. donat. leg.* 3. *Cod. qua res vendi non poſſent.* Vnius anni canonem frumentarium P. R. Heliogabalus iuſſerat dari Meretricibus, Lenonibus & Exoletis, Intramuranis, Extramuranis, alio promiſſo; cùm eo tempore iuxta prouiſionem Seueri & Traiani ſeptem annorum canon frumentarius Romæ eſſet, inquit Lamprid. *in Heliogabalo.* De Seuero autem qui vita excedens ſeptem annorum canonem reliquerat, teſtatur quoque Spartian. Neque opinor quiſquam dubitabit hunc canonem annonarium à prouincialibus præſtitum fuiſſe in annonam Populi Romani, Conſtantinopolitani, & Alexandrini.

11 Tertium opus ad quod perficiendum indicebantur vectigalia, erat cura itinerum publicorum & viarum; quæ quàm ſollicita fuerit conſtat ex eo quòd illis etiam Deos præeſſe vellent, quos Semitales & Viales nominabant. De Mercurio Viali Heliod. *libro quinto hiſter.* De Hecate Orpheus: Arnobius quoque Biuiam Deam commemorat. Auguſtus viarum Romæ curator electus fuit, vt ait Dio *προςέταξε περὶ τὴν Ῥώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς*. Plutarch. Cæſarem curatorem viæ Appiæ dixit. Cicero Therumum viæ Flaminiæ. Dicebatur Vicomagiſter, *στενωπάρχης*. Viocurus, Varroni, manceps qui vias publicas reficiendas queſtus ſui cauſâ redimebat. Vnde Hyginus: *Viæ publica curatores recipiunt, & per redemptores muniuntur.* Tacitus *libro* 3. *annal. Corbula plurima per Italiam itinera, fraude mancipum & incuria magiſtratuum interrupta, & imperuia, clamitando executionem eius negotij libens ſuſcepit.* In quem locum Lipſius veterem lapidem Romanum in hortis Carpenſibus refert. *Cn. Cornelio, Cn. F. Sab. mancipi via Appia.* Initio quidem Cenſores vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuebantur ex Cicerone *de legibus.* Deinde Quatuoruiri qui curam viarum gererent conſtituti, inquit Pompon. *D. de origine iuris*, iiſque non ſufficientibus additi duo ſunt, factique Seuiri ex Dione *lib.* 54. id tamen munus neque perpetuum neque certum fuit. Vtrumque fecit Auguſtus, itaque intelligendus Sueton. dum ait *cup...* curatores viarum ipſum conſtituiſſe, quod falſum videtur, cùm iam olim Quatuoruiri conſtituti in eam rem fuiſſent. Verum Quatuoruiris reliquit vias vrbanas, duobus aliis vias extra vrbem commiſit, idque omnino ſignificat Dio, cùm ait ab Auguſto ſemotos fuiſſe Seuiris duos *τὰς ἔξω τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζομένους*, qui vias curarent extra muros, iique dicti ſunt curatores viarum, à quibus mancipes redimebantur, quorum negligentiam culpabat Tacitus adductus; digniores que iſti erant Quatuoruiris; cùm ip ſis grandes viæ in quibus & maior moles, & plures ſumptus commendarentur. Quare Nobiliſſimi quique eiuſmodi munus non dedignabantur, vt de Cæſare & de Auguſto vidimus. Plin. *libro quinto. Ep.* amico ſuo Tertullio gratulatur, quòd viæ Æmiliæ curam ſuſcepiſſet, & Statius Plotinum eadem de cauſa commendat *libro* 4. *Syluar.*

Te Germanicus arbitrum ſequenti
Annona dedit, omniumque latè
Præfecit regionibus viarum.

Denique inter illuſtres titulos in veteribus inſcriptionibus curatoris viarum frequens repetitur. Sternebantur autem viæ glarea extra vrbem, & ſilice in vrbe; marginabanturque ex Liuio *libro* 41. Verùm deinde etiam extra vrbem quadrato lapide. Vnde commendat opus viæ Appiæ Procop. *lib.* 1. *Gothic.* Strabo *libro* 15. & alij, ſed omnium elegantiſſimè. Stat. *libro* 3. *Syluar.*

Quis duri ſilicis, grauiſque ferri
Immunis ſonus, æquori propinquum
Saxoſa latus Appia repleuit.
——*Nouoque*
Iniectu ſolidat grauis arenas.
Hic primus labor inchoare ſulcos,
Et reſcindere limites, & alto
Egeſtu penitus cauare terras;
Mox hauſtas aliter replere foſſas,
Et ſummo gremium parare dorſo
Ne nutent ſola, ne malignus ſedes,
Et preſſis dubium cubile ſaxis,
Tunc vmbonibus hinc & hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis:
Hi ferro ſcopulos, trabeſque cædunt,
Illi ſaxa ligant, opuſque texunt
Cocto puluere ſordidoque tophe.

Pergit deſcribere modum quo ſternerentur viæ, vnde dicta ſunt ſtrata viarum, & aggeres, quod exaggerarentur, vt aquæ hinc defluerent: eminentia viarum dextra ſiniſtraque, dicebantur crepidines ſemitarum à Petronio. Paulin. *lib.* 4. *de vita S. Martini.*

Carpebat progreſſus iter, qua publicus agger
Porrigit erectam per plana iacentia molem,
Vt viæ conſtratis ſolidata, atque edita ſaxis
Vergeret effuſos in concaua ſubdita nimbos,
Et grauis in duro non ſideret orbita colle,
Merſaque ne luteum ſorberent plauſtra profundum,
Sed ſummo vix dorſa via vertigo rotarum
Raderet, haud vllo ſignans veſtigia ſulco.

Sidoni. *lib.* 1. *Ep.* 5. dixit aggerem, *calcabili ſilice conſtructum.* Feſtus *ſtrata dilapidata.* Colum. *lib.* 1. *capit.* 6. *pauitum ſolum.* Capitolin. in Gordian. *litoſtratum.* Plutarchus *in Graccho*, Caio hoc ſtudium ſtrandi & complanandi vias tribuit, addi-

diſſe, & columellas, quibus ſpatia ſignarentur, atque alios etiam lapides, vtrimque minimum a via diſtantes, vt facilè ex iis equites ſine ſtatore in equum inſilire poſſent. Sidon. *in carminib. ſub fin.*

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cuius per ſpatium ſatis vetuſtis
Nomen Cæſareum viret columnis.

Iſidorus *lib.15. origin.* exiſtimat Pœnos omnium primos vias lapidibus ſtrauiſſe; quod Salomoni tribuere videtur Ioſeph, dum ait illum ad maieſtatem opum oſtentandam lapide nigro viam quæ Hieroſolymam duceret conſtrauiſſe. Ad hanc autem viarum refectionem & conſeruationem, aut etiam conſtructionem fuiſſe indicta vectigalia, patet ex eo quod ait Hyginus id factum pecunia collatitia à finitimis. *Viæ publicæ Auctorum nomina obtinent, & curatores accipiunt, & per redemptores muniuntur. Nam & quarumdam tutela à poſſeſſoribus per tempora, certa ſumma exigitur.* Tacit. *libro 3. annal.* de Corbilone, qui publica viarum itinera mancipum incoria interrupta reficienda acceperat, addit, *quod haud perinde publicè vſui habitum, quàm exitioſum multis, quorum in pecuniam, atque famam damnationibus, & haſta ſæuiebat.* Nempe vicinorum agrorum poſſeſſores, qui ad eiuſmodi refectionem quidpiam contribuere debebant, vexabat, quod etiam hodie nonnunquam fit.

12 Non diſſimile opus eſt cura Tiberis, vt eius inundationes coërceantur, qua de re actum Tiberio imperante, in Senatu refert Tacit. *lib. 1. ann.* quæſitumque, an ob moderandas eius inundationes verterentur flumina, & lacus per quos augeſcit. Sed auditis municipiorum, & coloniarum legationibus, quibus acceſſerunt interamnates, id ſine ipſorum grauiſſimo damno ſuſcipi non poſſe, in ſententiam Piſonis itum eſt, nihil eſſe mutandum. Sanè fuerunt olim curatores riparum & aluei Tiberis. Cura quoque cloacarum vrbis, quarum prodigioſam ſtructuram eleganter deſcribit Caſſiodor. *libro 3. variar. epiſt.* 30. vectigalium indictionem effecit. Eam curam cenſoribus tribuit Dionyſ. Halicarn. *libro 3.* Vrbicam procurationem vocat Vlpian. *leg. verum. §. ex facto. D. de munerib.* Similia de formarum, id eſt aquæductuum publicorum, & caſtellorum de quibus aliquid diximus *capit. ſuperior.* & plura videbis apud Bollenger. congeſta *libro 5. de Imperio Rom. capit.* 20. *&* 21. Dicenda forent hoc loco. Formarum prodigioſum opus deſcribit Caſſiodor. *lib.7. variar. form.6.* fuſiſſimè; ad hæc verò omnia fuiſſe impoſita tributa ſatis colligitur ex his quæ habentur de aquarum deriuatione. Erat Comes formarum, tenebanturque poſſeſſores per quorum fines formarum meatus tranſirent, à ſordibus mundare, quod formarum repurgium vocabatur. Vide quæ diximus *ſuperiori capite.* Sanè cùm hæc opera omnium vſui communia eſſent, ad illa quoque omnes contribuere æquum fuit.

His omnibus annumero curſum publicum ad quem angariæ & parangariæ ſubminiſtrabantur à prouincialibus: ſed de his omnibus dicemus, vbi de hoc genere tributi & cæteris diſputabimus. Fuit & alia indicendi tributi cauſa ordinaria largitiones & munera facienda à Principe: quare ad Comitem ſacrarum largitionum pertinebant omnia vectigalia, quæ in illam largitionum ſacrarum gazam & theſaurum inferebantur, quæque à Comite qui eiuſmodi largitionibus præerat, iuſſu deinde Principis diſtribuebantur, tum ſtatis quibuſdam temporibus, tum vbi extra ordinem id edicebat Imperator. Sed de his omnibus aliquid pro inſtituto dicemus inferius, vbi de exactione tributorum.

Superſunt duæ aliæ cauſæ indicendi tributi, 13 eæque vulgares. Nempe contractus quidam inter Principem & populum, cùm in compenſationem, & veluti in pretium eius quod accipit à Principe populus, aliquid in commune ipſi contribuit. Verbi gratia, cedit Princeps vſum alicuius iuris ſibi proprij populo, & quidpiam remittit, quod exigere poterat, populus verò, aliquid in pretium expendit, aut redimit vno anno aut vna vice, quod vel per plures annos, vel perpetuo petere poterat Princeps. Aut cùm aliquod ſubſidium pecuniæ poſtulat Princeps vt vrgenti neceſſitati occurrat, quam pecuniam, cum magno fœnore à priuatis ciuibus mutuò accipere cogitur, ne damnum ſuarum fortunarum incurrant; permittit Princeps ciuitati, portoria, vectigaliaque indicat, aut olim indicta augeat, & colligat: aut Regij patrimonij fundos, & dominia quædam, vti appellant, emat preſenti pecunia, quam nequit ſine impoſito aliquo vectigali ex venia Principis repræſentare. Iſti, aliique eiuſmodi contractus frequentes ſunt, & legitimi quoad vectigalium indictionem, niſi aliunde violetur æqualitas, & iniuſtitia committatur. Huius exemplum habes in Ioſepho, qui cùm omnes agros & prædia Ægyptiorum emiſſet Pharaoni Regi, eis deinde reſtituit, aut potius reuendidit, quinta parte fructuum reſeruata Regi, vt aliàs oſtendimus opere de vſuris *lib.4. cap... art...* Itaque eiuſmodi prædiis emit quintam fructuum partem in omnes annos conſequentes, de cuius contractus æquitate diſputauimus eo loco.

Vltima denique cauſa imponendi tributa, eſt 14 molcta & pœna. Et quidem deuictis prouinciis & hoſtibus impoſi ſæpiſſime tributa, nemini dubium eſt. Neque attinet in hanc rem exempla congerere, quæ paſſim, & vbique proſtant. Et ſanè ſi bellum iuſtum fuit, licuitque prouinciam hoſtilem ſua ditione, & prædiis mulctare, cur non licuerit, ipſam potius, eiuſque agrum vectigalem facere, vti ſæpius vſurpatum fuiſſe à Romanis dicemus inferiùs.

Maior difficultas eſt circa ſubditos, quorum crimina maximè ſeditionem & rebellionem, nouis indictionibus & tributis aliquando mulctant Principes; quod aliqui iuſte fieri poſſe dubitant, maximè quando eiuſmodi tributa perpetua ſunt, ne grauis ea pœna ita creſcat ſua diuturnitate vt culpam iamdiu commiſſam & condonatam perpetuò puniat, eamque proinde multùm excedat. Statuendum nihilominus eſt eiuſmodi tributa, iuſta & legitima eſſe, niſi ſua grauitate aliunde, quàm ex diuturnitate crimen commiſſum ſuperent. Ita Victoria *relection. 4. de iure belli. numero* 57. Leſſius *capit. 33. lib. 2. dub.6. num.49.* Lugo *de iuſtitia diſp.36. num.*12. Eſtque euidens ratio; cùm enim propter grauia illa crimina poſſit Princeps ſubditos rebelles, bonis & vitâ aliquando ſpoliare; cur non poterit aliquam ſingulis annis libare partem? Deinde cùm ſæpiùs ſubditi ſuis factionibus & rebellionibus maxima damna non Principi modò, ſed toti regno crearint, opus enim fuit conſcribere exercitus, auxilia euocare, aliaſque ingentes expenſas facere, non ad continendos modò rebellantes ſubditos, ſed ad repellendos etiam hoſtes,

qui

Digitized by Google

qui captata ea occaſione, aut à rebellibus etiam ſubditis euocati, regno infeſti imminebant; ad quæ aliaque incommoda auertenda, neceſſe aliquando fuit nouis indictionibus cæteros in fide perſtantes ſubditos premere; eorum omnium damnorum compenſationem debent ex iuſtitia ſubditi rebelles, qui ſua culpâ illa crearunt. Cur igitur in eam compenſationem aliquod tributum indici ipſis non poterit? Neque exceſſus pœnæ ſupra culpam ex ſola diuturnitate pœnæ petendus eſt, alioquin nunquam liceret reum bonis mulctare, quæ in perpetuum amittit. Immò neque vita priuare, quam ita amittit vt nunquam niſi diuina virtute ſit illam recuperaturus. Hoſtes quoque nefas eſſet bonorum aut iuriſdictionis priuatione punire, quia ſi in omnibus iſtis caſibus ſumatur perpetua illius pœnæ duratio, & cumulus illarum rerum quibus ſingulis annis reus priuabitur, infinitus quodammodo exceſſus illius pœnæ videbitur. Hoc tamen argumentum calculatorum, neque hoc loco, neque in pluribus aliis ſimilibus materiis quidpiam probat, vti oſtendimus in opere de vſuris *lib.4. cap.... art...* eo enim aliqui vtebantur vt conſtitutionem ſiue venditionem cenſus conſignatiui impugnarent, & iniuſtitiæ atque inæqualitatis damnarent, eo quòd cumulus omnium penſionum, quarum ſingulæ ſingulis annis exigentur, excedat quodammodo in infinitum ſummam qua emitur ille cenſus, ſiue ius ad ſingulas illas penſiones diuturniſſimè, immò & perpetuò percipiendas, quamdiu ius illud non redimetur prima ſumma reſtituta. Docuimus autem etiam hoc ius non eſſe infiniti valoris, ſed certi pretij, & æſtimationis, quæ iudicio prudentum conſtituitur, atque adeò in eiuſmodi venditionibus ſeruatur æqualitas, vti videbis eo loco.

15 Atque hæ ſunt præcipuæ & communiores cauſæ propter quas indici iure tributa poſſunt; ad eorum tamen iuſtitiam requiritur proportio inter illam finalem cauſam, & tributum indictum, ita vt non plus exigatur quàm ſit neceſſarium ad obtinendum finem propter quem imponitur; alioquin non ſeruabitur iuſtitiæ æqualitas. Hanc autem proportionem ſapienter explicat Lugo *nu.*21. vt non ſit maius malum, quod populus patitur contribuendo, quàm illud ad quod auertendum contribuit.

Hanc itaque æqualitatem & proportionem accuratè expendere debet Princeps, eiuſque Conſiliarij, & ſi qui alij ius ſuffragij habent ad eam indictionem, quam ſuo conſenſu, aut diſſenſu probare, vel impedire poſſunt, vti contingit, in quibuſdam ditionibus, in quibus Princeps ad hanc indictionem tenetur ex more & lege regni, ſubditorum conſenſum exquirere, vel in conſiliis publicis, vel in conuentibus ſingularum ciuitatum, quæ ſuos Decuriones aut Procuratores deinde mittunt, vt vnà cum aliis de impoſitione tributi facienda deliberent; illudque ſuo nomine probent, aut reiiciant pro variis prouinciarum legibus, & prout ſumma poteſtas magis vel minus abſoluta eſt; alioquin neque bonum commune procurant, neque abſtinent ab aliorum iniuria, quos ſine cauſa iuſta, nouis oneribus premunt, & damnis afficiunt. Neque in hac vniuerſali doctrina difficultas eſſe poteſt; quæritur tamen quid iſtis Procuratoribus aut Conſiliariis agendum ſit, quando ipſis de iuſtitia tributi non liquet, immò & aliquando eius iniuſtitia probabilior apparet. Nam ſi de iniuſtitia prorſus conſtaret, ſuffragio illud probare non poſſent, & nomine ſuarum ciuitatum acceptare, ſed quantum reuerentia & obſequium Principi debitum paterentur, reluctari tenerentur. Quæritur tamen an eo caſu poſſit iſte ſuffragator comitia, aut conuentum, conſenſumue, in quo de hac indictione, quam exiſtimat iniuſtam, facienda diſceptabitur, ſubterfugere, & quæſito prætextu abeſſe, ne aut iniuſtæ indictioni conſentire, aut fruſtra reluctari, & Principis odium incurrere cogatur. Et quidem ſi exiſtimet poſſe ſe impedire definitionem iniuſti tributi, quia v. g. ſtare nequit niſi omnibus & ſingulis conſentientibus, & præterea videt ſe abſente, indictionem quamuis iniuſtam probandam fore; tenetur ex munere ſuo, & obligatione ipſi impoſita à ciuitate vel prouincia curandi boni communis aſſiſtere conſeſſui, & iniuſtum illud damnum impedire; quia licèt non ſemper obligetur Decurio, aut Magiſtratus conuentibus publicis intereſſe, vbi tamen agitur de re grauiſſimi momenti, & de damno amoliendo à Republica, omninò in ea neceſſitate ſuam operam illi negare iure non poteſt, vt plures tradunt relati à Diana 1. *part. tract.*3. *de parlamento. reſolut.*19. Quod ſi videat ſe nihil ſua præſentiâ profuturum, neque impediturum impendens damnum, ſed potiùs omnium & Principis in primis odium, itaque nullo compendio prouocaturum, poterit ſe conſeſſui ſubducere abſque peccato, vllâue ad reſtituendum damnum ex eo conſeſſu ſequuturum obligatione. Ita Valer. *in different. vtriuſque fori, verb. ſuffragium, different.*2. Garcias *de benefic.*2. *part. cap.*2. *num.*542. Diana *tract. citato. reſolut.*18. de Lugo *diſp.*36. *num.*19. & alij; quia nemo tenetur hoc onus ſubire ſine vlla publica vtilitate, quam licet aliquando cum proprio diſpendio procurare debeamus; non tamen diſpendium illud ſubire, vbi nullam ex eo neque priuatam neque publicam vtilitatem capies.

Tota igitur quæſtio eſt, quando momentis om- 16
nibus expenſis non liquet tibi de iuſtitia tributi: quia neceſſitas illius non apparet, aut non certè tanta, vt ad eam euitandam leuius appareat tributi incommodum; quare vel in vtramque partem dubius pendet animus, vel ita adhæret vni parti, vt oppoſita ipſi probabilior videatur; ex qua implexa dubitatione non ſatis ſe expediet conſulendo Theologum peritiſſimum licèt, ille enim neque Regni vires, neque Regias facultates, neque neceſſitates publicas ſatis nouit, neque expendere per ſe poteſt. Quare nihil aliud reſpondebit, quàm hæc omnia inter ſe diligenter componenda eſſe, & demum ſi appareat tantam eſſe communem eam neceſſitatem, vt illi Regiæ facultates occurrere nequeant, & Regnum quæ opportuna erunt ſuppeditare non poſſit, pro iuſtitia indictionis pronuntiandum eſſe, & pro proportione eius neceſſitatis, & virium Regni eſſe commenſurandum. Quo reſponſo manet dubius conſulentis animus, qui iſtis omnibus iam expenſis in neutram partem flectere ſe nequit, aut alteram probabiliorem omninò videt.

Aio igitur in primis, vbi non liquet clarè de iniuſtitia tributi, quamuis eius quoque iuſtitia ſit obſcura, poſſe fidem haberi Principi huiuſmodi neceſſitati, & impotentiæ aliter non poſſe occurri quàm noua indictione, affirmanti. Ita plures Iuriſconſulti relati à Diana *tract. citato, de parlament. reſolut.*11. qui volunt credendum eſſe Principi de facto proprio atteſtanti, cum perpetuò præſumatur

in eo iuſtitia, niſi contrarium apertè conſtet. Neque ille tenetur ſemper rationes quibus ad aliquid faciendum, imperadúmue ducitur, aperire.

Aio ſecundò, quando probabilis eſt iuſtitia tributi, quamuis & iniuſtitia ſit æquè probabilis, tenetur quis tributo conſentire, cùm nullam habeat rationem diſſentiendi potiùs, quàm conſentiendi, & aliunde Principis auctoritas faueat indictioni. Immò cùm poſſit certò iudicare legem ferentem indictionem, eſſe iuſtam, quia certum eſt Principem ſequentem probabilem opinionem iuſte imperare: atqui iudicat hoc caſu Principem habere probabilem rationem indicendi tributi, ergo iudicat illud iuſtè indicere, quæ eſt ratio Soar. *lib. 5. de legib. cap.* 18. *num.* 19. circa ſubditos quibus eſt probabilis iuſtitia tributi, quod proinde ſoluere tenentur; de quo caſu agemus inferiùs. Impræſentiarum enim agimus de iis qui iure ſuffragij gaudent circa illam indictionem, qui ſi probabilem eius iuſtitiam exiſtimant, æquè ſuffragari poſſunt, atque ipſe Princeps eadem probabilitate vſus, illam ferre.

Aio tertiò ſuffragatorem cui probabilior apparet iniuſtitia tributi, poſſe tamen illi ſuffragari ſi eius iuſtitiam probabilem iudicet. Non ago de ipſo Principe ferente legem: quem exiſtimant multi teneri probabiliorem ſequi opinionem, vt & Iudicem in ferenda ſententia; quia alioquin non ſatis prouiderent bono communi. Verùm vt ab ea quæſtione fuſiùs in noſtra ſcientia Canonica pertractata abſtineamus hoc loco, cùm & Princeps, & eius Conſiliarij iudicent probabile eſſe periculum auertendum, illúdque non poſſe aliter amoueri, quàm indictione tributi, cuius damnum leuius eſſe malo auertendo iudicant quoque probabiliter: quamuis alij iudicent eſſe probabilius illud malum non imminere, vel aliter impediri poſſe, vel leuius eſſe tributo imponendo; Princeps tamen & Conſiliarij ſequentes ſuam illam opinionem probabilem & tributum indicentes, bono communi re ipſa prouident; quia periculum probabiliter imminens idoneo remedio amoliuntur; prudenterque omninò operantur. Quæ omnia certiora multò erunt quoad iſtos ſuffragatores: ſiue Conſiliarios, quando ex negatione tributi præuidebunt oritura ſcandala, rixas, Principis indignationem, aliaque eiuſmodi, nullo ſanè fructu; quia vel alij conſentient tributo, vel noua ſollicitatione aut etiam vi adhibita, Princeps illud impetrabit, aut ſumma poteſtate imperabit, quod ſibi perſuadeat eſſe neceſſitatem, vt id poſſit inuito etiam populo, cuius in ordinariis neceſſitatibus ſoleat ſuffragationem, aut conſenſum expectare, quod in hoc caſu facere non teneatur, ne dum in varia ſtudia ſcinditur & à factioſis abripitur, intereà Reſpublica pereat: in his inquam caſibus nemo negabit poſſe ſequi Conſiliarium ſententiam probabilem de iuſtitia tributi, relicta contraria probabiliori; quia obligatio eligendi ſententiam probabiliorem, quam in œconomo, Medico, Procuratore & nonnullis aliis quidam cognoſcunt, non vrget, quando graues aliquæ circunſtantiæ reddunt difficilem & ferè impoſſibilem illam, aut plurimùm incommodam opinanti. Neque enim œconomus tenetur melius triticum emere, quocumque pretio, aut Medicus pretioſiſſimum aut difficillimum pharmacum adhibere, aut Procurator ſuo graui periculo, maius aliquod commodum ſuo domino procurare. Cùm ergo negatio tributi in his circunſtantiis maiorem multò difficultatem, nullo fructu afferat, quia tandem obtinebitur, licebit illud concedere. Neque peccabitur contra bonum commune, cui prouidetur per medium probabile, licèt non probabiliſſimum.

Ideóque ſapienter conſuluit Lugo *diſp.* 36. *n.* 35. miniſtro Regio cui mandatum erat cogere ſubditos ad acceptandam indictionem, & ſoluendam, ſi ſponte, vt rogabantur non offerrent, aut in eam non conſentirent; poſſe credere Principi qui dixerat, ſe ſumma poteſtate exacturum, ſeque habere iuſtas cauſas in ea rerum neceſſitate cogendi ſubditos ad contribuendum. Ratio eſt, quia cùm aliquando reperiri re ipſa poſſint eiuſmodi cauſæ, eaſque eo rerum momento adeſſe dicat Princeps, illi, niſi contrarium conſtet, fidem habere poteſt, immò & debet eius miniſter. Procuratores verò ciuitatum & prouinciarum qui earum nomine ſuffragari, aut refragari debent; prudenter quoque facient, ſi conſentiant: quia & ipſæ ciuitates tunc conſentirent potiùs, quàm vim paterentur, aut extrema quædam alia remedia, quæ toto regno periculoſa eſſent, inirent. Adde conſultiùs fore conſentire indictioni, quam vim & coactionem expectare, ne inde vel Princeps, vel miniſtri eius ſumant exemplum, aut cauſam deinde cogendi ad nouas indictiones, non rogato ſubditorum conſenſu, quod multò eſſet pernicioſius Reipublicæ, quàm in tributum minus neceſſarium, non tamen omninò iniuſtum, ſed probabiliter iuſtum conſentire, & acceptare. Addit tamen Lugo *num.* 37. iſtos populi procuratores debere in omnibus bonum commune, & eorum quorum cauſam gerunt, commodum ſpectare, non priuatum, ne ſpe lucri, aut conciliandi ſibi Principis gratiam, præuaricentur, & publicam cauſam prodant. Quare ſi conſentiendum eſt indictioni nouæ propter varias circunſtantias allatas, quamuis iis ſublatis probabiliùs videretur eſſe diſſentiendum propter non ita liquidam & certam indictionis æquitatem; conſentiant quidem, ſed quàm minimo poterit fieri incommodo ciuitatum, quarum ſuſtinent vices. Primò itaque conentur minuere adeò eam ſummam indictam, vt de eius iuſtitia liquidius conſtet. Secundò conentur impetrare à Principe, vt quædam alia tributa ſaltem minora tollat, vt aliqua ex parte nouæ indictionis onus ſubleuetur. Tertiò materiam tributi conentur in aliam commutare, quæ minùs incommoda erit ſubditis; & vel nihil, vel parum omninò detrahat de ſumma indicta; id tamen ita præſtare debebunt, ne ratione huius materiæ, ita quædam ciuitas ſubleuetur, vt omnes aliæ nimium grauentur, aut è contrario; debet enim ſeruari proportio iuſtitiæ diſtributiuæ in iſtis omnibus, vt Articulo ſequenti explicabimus. Quartò videant vt modus exactionis ſit quoque minus incommodus. Quintò vt tempus indictionis definiatur. Sextò impetrent aliqua alia priuilegia, & fauores, quibus hoc grauamen aliqua ratione compenſetur.

Ad extremum moneo cum Vaſq. *opuſc. de reſtitut. cap.* 6. §. 3. *dub.* 1. *num.* 7. pleraque tributa, quæ præſentem duntaxat ſtatum attendentibus iniuſta videntur, iuſta nihilominus eſſe, quia iis debet prouideri futuris neceſſitatibus, & conſeruandæ paci, atque fœlici ſtatui rerum, ne ſi aut bellum, aut quid eiuſmodi ingruat, ita debile regnum reperiatur, vt hoſtibus cedere cogatur; qua ratione excuſat Principem, qui vt bellum quod in aliqua prouincia gerit, aut vt illius commodis prouideat, indicit tributum aliis prouinciis plurimùm diſſitis,

&

& quæ nullam aliam habent cum ea communionem, quàm quod vni & eidem Principi pareant; quia ſi Princeps affligatur in aliquo Regno, aut prouincia, ad alias quoque diſſitas tuendas, regendaſque debilior euadet; quare cùm hæ prouinciæ diſſitæ, ad alterius alicuius bonum & neceſſitates contribuunt, & ſua commoda eiuſmodi contributione procurant. Vide Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 46. *dub.* 1. *n.* 5. *& 6.* & Dian. 1. *tom. tract.* 3. *de parlam. reſolut.* 3.

17 Ex his omnibus quæ hactenus de cauſa iuſta tributi dicta ſunt, colliges cum Caietan. *verb. vectigalia*, expendendum eſſe tributum in vſus, propter quos fuit impoſitum, alioquin committitur fraus & iniuſtitia, quamquam ea iniuſtitia potiùs futura ſit in retentione tributi, quàm in eius impoſitione, quæ potuit eſſe iuſta, quamuis deinde illius vſus fuerit iniquus, cùm ad aliud expendatur ſumma collecta, quàm ad id ad quod fuerat collecta, & indicta, & Princeps non ſit abſolutè dominus talis tributi, ſed diſpenſator; quod ita tamen intelligendum eſt, vt ſi ratio poſtulet, poſſit illud in aliud Regni commodum, quàm ad illud propter quod fuerat impoſitum, diſpenſare, quia ſi poſſet nouum tributum ad iſtud aliud Regni bonum imponere, multò magis poterit vetus iam impoſitum occurrenti nouæ neceſſitati publicæ applicare, quia habet ſupremam præſtationum eiuſmodi adminiſtrationem, & diſpoſitionem, quamuis non dominium abſolutum, vt dicebamus, atque hæc vſus tributi iam impoſiti commutatio, multò facilior, gratior & commodior erit, quàm noui alicuius impoſitio. An verò ſubditi excuſentur à ſolutione tributi, quod vident non expendi in vſus ad quos fuit impoſitum, aut in alios æquè neceſſarios, diſquiram inferiùs. Interim adi Lugo *diſp.* 36. *num.* 57.

18 Colliges ſecundò ceſſante cauſa & fine imponendi tributum, id quoque & obligationem eius ceſſare, quod innumeri tradunt, vt videbis apud Sanch. *lib.* 2. *conſil. cap.* 4. *dub.* 8. *num.* 2. Vaſq. *de reſtitut. cap.* 6. §. 3. *dub.* 5. quia cauſa illa faciebat tributi indictionem iuſtam; cauſa ergo remota, iniuſta eſt indictio. Deinde ceſſante cauſa, plus exigitur, quàm ſit neceſſarium, ergo ceſſat æquitas tributi, quod debet eſſe proportionatum cauſæ illud exigendi. Quod ita tamen intelligendum eſt, vt cauſa ceſſet etiam formaliter, & non tantùm materialiter. Si enim vbi fuit occurſum vni neceſſitati publicæ; altera æquè grauis & impedita ſuperueniat, poterit continuari tributum, quia de nouo poſſet exigi. Deinde cauſa non ſemper conſiſtit in vnico actu, ſed eſt permanens, v. g. ſecuritas itinerum, defenſio littorum, portuum & maris propter quam ſunt inſtituta portoria, limitum regni tuitio, & legionum eam in rem ſtipendia, ſemper durare cenſentur, etſi non fuerint per aliquot annos infeſta prædonibus itinera, aut pyratis maria, aut perrupti limites, ob pacem cum finitimis populis initam. Cùm enim horum omnium occaſio, aut periculum pro rerum humanarum viciſſitudine perpetuo maneat, manet quoque cauſa tributi impoſiti; ſecus ſentiendum erit, quando cauſa in vno veluti actu conſiſtet; v. g. in reficienda aut conſtruenda arce, ripa, flumine, ponte, certo quodã bello conficiendo, & aliis eiuſmodi. His addit Medin. *quæſt.* 13. *C. de reſtitution.* etiamſi ceſſauerit cauſa tributi impoſiti, idque etiam conſtet, poſſe nihilominus conſuetudine & vſu præſcribi à Principe ius continuo exigendi tale tributum, quia eſt in bona fide; quam ſententiam paſſim impugnant Sanch. & Vaſq. *locis citatis*; vbi & alios adducunt; quibus adde a Nauarr. *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 1. *part.* 3. *dub.* 11. & Turrian. *tom.* 2. *de iuſtit. diſp.* 46. *dub.* 5. *n.* 4. Et ſanè Medinæ ratiocinatio falſa prorſus eſt; nam quamdiu cauſa tributi durat non præſcribitur ius exigendi illud, alioquin id contingeret in omnibus tributis, quæ habent cauſam quamuis temporalem, diuturniorem tamen, præſcribi enim poſſet ius ad illa perpetuò exigenda cum immenſo ſubditorum grauamine. Incipit igitur tantum currere præſcriptio, quando ceſſante cauſa, continuatur tamen exactio tributi per tempus ſufficiens ad præſcriptionem, atque ita conſuetudine & vſu acquiritur hoc ius. Atqui vbi conſtat ceſſaſſe cauſam neque aliam æquiualentem ipſi ſucceſſiſſe, continuatio & exactionis conſuetudo fit cum mala fide, non valebit ergo præſcriptio; quia mala fides nunquam præſcribit. Atque ea ratio potior & facilior eſt ea quam aduerſus Medinam Vaſq. aliique afferunt, quamque latius expendit Lugo *diſp.* 36. *à num.* 55. Non nego tamen abſolutè ſententiam Medinæ; ſi enim propter longam conſuetudinem præſumatur primæ cauſæ impoſitionem, quam ceſſaſſe conſtat, durare aut illi aliam æquè iuſtam ſubrogatam fuiſſe, licet ignoretur quænam ea fuerit; reuerà præſcriptum fuit huius tributi ius; quia continuata ſufficienter fuit poſſeſſio cum bona fide, aut ſi quis fuerit defectus, quia nos latet, ea longa poſſeſſione purgatur. Si autem dum adhuc currit præſcriptio, neque legitimum eius tempus adhuc lapſum eſt, Princeps reſciat legitimam tributi cauſam deſiiſſe, neque aliam illi ſubrogatam fuiſſe, incipit eſſe in mala fide, quæ præſcriptionem interrumpit. Nam iuſtitia cauſæ debet probabiliter ſaltem innoteſcere Principi imponenti tributum, aut illud continuanti, vti diximus, quod non fiet, ſi ſit conſcius ceſſationis omnis cauſæ, neque propter diuturnam conſuetudinem præſumere valeat aliquam, licèt ſibi ignotam, ſubeſſe.

His omnibus addendum aliquid eſt de cauſis 19
propter quas inferiores domini Iuridici, aut Dynaſtæ ſolent alicubi vel ex conſuetudine, & receptis moribus, vel ex legibus municipalibus, vel ex contractu veluti feudiſtico indicere genus aliquod tributi, quod collectam, ſubſidium, munus, donatum, aliiſque nominibus appellant, *Taille, aide, queſte, don*; quas cauſas, & ſupremæ in Gallia Curiæ, & ipſæ regni leges probant. Et quidem Dynaſtæ aliqui ius ſibi arrogant indicendi collectam ſubditis, vbi viſum fuerit vrgente aliqua neceſſitate, vbi tamen de noua indictione, & extra caſus communiter vſurpatus queruntur ſubditi, audiuntur à ſummis Curiis, quæ ea in ſe arbitrantur, & ius illud temperant, eſt enim omninò odioſum, ac proinde reſtringendum.

Cauſæ verò iam ab inſtitutione feudorum, aut Dynaſtarum, & dominiorum ob quas ſubditi, & homines debuerunt ex ſuis fortunis, & fundis ac prædiis, quæ domini Iuriſdictioni ſubiacent, ipſi domino ſubuenire, fuere initio tres duntaxat. Primò fuit ad redimendum dominum ab hoſtibus captum, quia cùm ſubditi & vaſſali deberent ſe pro domino obſides, & vades dare, illa obligatio perſonalis in contributionem pecuniarum commutata deinde fuit. Initio dicebatur Vaſſallus, *Homme de plieure*; qui tenetur ſe pro domino dare, vt dixi obſidem, quia *pleiger*, *& pleunir*, in antiquis noſtris conſuetudinibus nihil eſt aliud quam ſpondere,

dete, promittere, adpromittere, prædem ſe dare. Hinc *fille plennie*, quæ viro promiſſa iam eſt: *pleigere, pluuine*, cautio, ſponſio, expromiſſio. Sic Angli contribuerunt ad Regem Richardum à Duce Auſtriaco interceptum redimendum an. 1192. Scoti autem omnes ordines ad Iacobum Regem ab Anglis captum an. 1422. Aquitanæ mulieres ſua quoque monilia ad Ianum Regem ab Anglis abductum an. 1356. à Belgis collatum ad redimendum Ioannem Niuerneuſium Comitem, filium Philippi Burgundi à Turcis captum ad Nicopolim, tradit Froiſſart. *lib. 4. cap.* 85.

Altera cauſa fuit noua domini militia, dum videlicet Dominus ad nouum & ſummum militiæ gradum euchitur, ſiue ad equeſtrem dignitatem, aut ipſius etiam filius. Chopin. *lib. 3. de dominio, tit. 4. num. 7.* ex vetuſtis ratiociniorum titulis hunc refert. *Compoſitio ſubſidij impoſiti pro militia Regis Ludouici, an.* 1313. Habet *num. 9.* celeberrimum Francicum Senatuſconſultum in parlamento Pentecoſtes an. 1285. aduersùs hos qui ſimilibus oneribus immunes eſſe contendebant: verba decreti ſunt. *Quod dicta charta non defendent eos, quin domino Regi teneantur ſoluere auxilium pro militia primogeniti ſui, quemadmodum nobiles de partibus illis leuant à ſuis ſubditis.* Philippus Burgundus grande æs corraſit à Belgis, quòd Ianus eius filius ad equeſtrem dignitatem eſſet promotus. Ita Froiſſart. *volum. 4. cap.* 17. quinimmò Frideric. II. ſua conſtitutione cauit vt idem ſeruaretur, dum patroni frater inter equites cooptaretur.

Tertiò quando vel ipſe Dominus ducit vxorem, vel filiam ſuam matrimonio collocat, in ſignum lætitiæ & propagatæ gentis, qui mos repetitus eſt ab antiquo Romanorum vſu, nam clientes, liberti & ſerui patronis & dominis offerebant munera nuptialia & natalitia, illa quidem nuptiarum die, de quibus *l. 1. §. ſed ſi munus. D. de tutel. & ration. diſtrah. l. tutor ſecundum. D. de adminiſt. tutor.* Harmenop. *lib 4. tit. 7.* dabant & munera ad dotem filiæ patroni quæ nubebat, ampliandam ex inſtituto Romuli teſte Halicarn. *lib. 2.* Caligula collationes in dotem filiæ recipiebat. Sueton. *cap. 42. in ſeipſo.* Natalitia verò die natali domini vel patroni, aut die parientis dominæ. Plaut. in Curcul.

Annulus hic eſt, quem ego tibi miſi natali die.

Vnde Martialis *in Clytum.*

Vt poſcas Clyte munus, exigaſque
Vno naſceris octies in anno.

De ſimili munere gratias agit Symmmach. *lib. 6. ep.* 48. & ipſe mittit in natali filiæ ſuæ, dominæ *eod. lib. 6. ep. 79. &* 80. De munere parienti dominæ à ſeruis oblato non ſine peculij incommodo, Terent. *in phormione. Porrò autem alio ferietur munere, vbi hera pepererit.* Immò etiam ablactationis die, quem initiationem dicebant, eadem natalitia munera repetebantur, quod innuit idem Terentius. *Porrò autem alio, vbi puero erit natalis dies, vbi initiabunt, omne hoc mater auferet.* Quod Scholiaſtes ita interpretatur. *Initiari autem pueri dicuntur Edulia, Potica, & Cuba, Diuis edendi, potandi, & cubandi, vbi primùm à lacte, & a cunis transferunt.* Ex hoc igitur antiquo more factum vt vaſſalli Domino quidpiam offerrent, dum ipſi vxorem ducerent, aut filias matrimonio collocarent. Et ſanè obſeruauit Gloſſa *in l. placet, C. de ſacroſ. Eccleſ.* Principem vxore ducta, aut filio nato præcipere ſubditis vt aliquid inferant, & collectam faciant. Quod autem diximus de contributione ad dotem filiæ ex priſcis Galliæ inſtitutis obium eſt. Nam de puellæ Regiæ nuptiis ita ſancitum fuiſſe in Parlamento Purification. B. Viginis an. 1270. refert Chopin. *tit. 5. cit. num. 7.* Anno deinde 1399. pronuntiauit Senatus aduerſus Neuſtriæ Clerum, qui nummariam intributionem ad Regiæ filiæ Izabellæ, quæ Britanno Regi nubebat, recuſabat, nullum ordinem ab ea penſitatione immunem eſſe. Hos etiam titulos computorum veterum adducit quoque Chopin. *Compoſitio ſubſidij nuper impoſiti, pro maritagio Duciſſa Burgundia filia Regis Philippi Magni an.* 1319. *Compoſitio ſudſidij pro maritagio Regina Anglia Domina Izabella an.* 1309. Maritagium autem illo æuo dotem ſignificabat. Hoc tamen ſe iure immunes eſſe conteſtati ſunt Rhotomagenſes, quod priuilegium confirmauit Philippus Pulcher illo anno 1309. menſe octobri. In Sicilia autem Guilelmus Rex etiam ad ſororis patroni dotem hoc ius ampliauit, quod Scotis & Anglis incognitum eſt. Quæſitum vero eſt, an etiam pro ſecunda Principis filia, aut Domini Iuridici, populus ſit ſimili intributione onerandus. Vide Chopin. *lib. 2. de legib. And. tit. de extraordinar. feudor. emolument. artic. 1. & ſeq.* Vide Papium *deciſion. Grationopol. q.* 57. Ad ſororem quoque patroni extendit Alexand. *volum. 2. conſil.* 35. & ad coniugium monaſticæ profeſſionis filiæ. Benedict. *in cap. Raynutius, verſ. dotem. n. 6. de teſtament.* Negat Chaſſan. *in conſuet. Burgund. Rubr. 1. §. 4. verſ. mariage.* Vide Felin. *in cap. S. Maria, de conſtitut.* Id olim quoque factitatum à Flandris, poſtulabatur enim hoc ſubſidium dotis filię Comitis à publico conſilio; quod ſubinde fieri vetuit Carol. V. an. 1522. & an. 1531. An verò id verum etiam ſit in filia ſpuria, diſputat Chaſſan. *l. c. à n.* 5.

Quarta cauſa huius indictionis erat Domini ad bellum cum Rege profectio; tunc enim Domino aliquid in apparatus bellici ſumptus inferre debebant vaſſalli, idque Feudiſtæ *Hoſtenditias* nominarunt *lib. 4. feud. tit. 49. & lib. 2. tit. 40. §. 2.* *Hoſtenditia* itaque ſunt adiutorium quod faciunt Dominis Vaſſalli Romam cum Rege in hoſtem pergentibus, v. g. in Lombardia dimidia, in Theutonica terra, tertia pars fructuum eius anni quo hoſtem faciunt. Itaque Vaſſalli qui vocati non proficiſcebātur cum Rege, eiuſmodi hoſtenditias debebant; fictum vocabulum ab hoſte, quod caſtra & exercitum ſonat etiam hodie lingua Gallica *l'hoſt*; *lib. 1. feud. tit. 7. Tunc poſſunt diueſtiri niſi fecerint hoſtem Roma.* Et *lib. 4. legum Francic. de non cogendo bibere in hoſte.* Quod deinde lex ipſa de exercitu explicat. Et Aymon. *lib. 25. cap. 18. Vnde hoſtem quam maximè potuit, cum Carolomanno direxit.* Confundunt aliqui hoſtenditias cum hereliſtio, cum in vtroque ſit punitio deſertæ militiæ. Hotmanus tamen diſtinctas eſſe pœnas oſtendit, cùm in hereliſtio eſſet pœna capitis, in hoſtenditiis mulcta pecuniaria, quā enim ſummam Domino in bellum cum Rege proficiſcenti debebant Vaſſalli: ipſi Domini ſi militiam deſeruiſſent, neque Regem vocati ſequuti fuiſſent, ſoluere tenebantur ipſi Regi, vt ego interpretor. Verùm quidquid ſit de ea controuerſia, vides occaſione huius militiæ Dominos vaſſallis collectā aliquam præcepiſſe: ac proinde militiam quidem domini fuiſſe cauſam indictionis: ſed non omnem tamen, ſed eam duntaxat in qua à Rege euocati cum illo proficiſcebantur, & ex antiquo more *hoſtem* cum illo faciebant. Hinc paſſim in antiquis Hiſtoricis Gallicis: *Seruice de l'hoſt, aide de l'hoſt.* Botelerius

in

in ſummâ rurali : *Le vaſſal doit le ſeruice de l'hoſt en arme & cheuaux ſelon la condition de ſon fief.* Quondam in defectum bonorum Principis bellum gerentis cogi poterant ſubditi ad mutuandas ei pecunias, poſteà reſtituendas. Guido Pap. *quæſt.* 551. Bened. *in cap. Raynut. verſ. & vxorem, num.* 556. *de teſtam.* Vetuit tamen S. Ludouicus in poſterum talia mutua exigi, & in domanio incorporari, ordinatione quam Aufrerius refert titulo *de Talliis & exactionibus*, in libro ſtili Parlamenti. Sanè pro ſacra militia licitas fuiſſe iſtas collectas obuium eſt. Rupellanis duplicatum cenſum quem cauſâ belli ſacri exigebat Alphonſus Comes Pictonum remiſit, vti veteres tabulæ referunt apud Chop. Atque hanc indicendæ collectæ cauſam a priuatis eiuſmodi dominis probaſſe ſolemni decreto Senatum Tholoſanum anno 1493. Iunij 28. refert Oliua *lib. 2. qq. Iuris cap.* 6. De his vulgaribus caſibus collectæ dominicæ in Gallia vide Maſuer. in praxi *tit.* 38. Boeri. *deciſion.* 120. Chaſſan. *in conſuetud. Burgund. in Rubric.* 1. §. 4. vbi plures quæſtiones decidit. Sunt autem quidam Domini qui ad inſolitos quoſdam alios caſus, collectas indicere ſe poſſe contendunt, qui ſi diurnam poſſeſſionem, atque antiquas tabulas proferant, ſuo iure gaudere permittuntur, vti oſtendit Oliua *cap. 6. citato.* Eiuſmodi ſunt ex Guilielmi Regis Siculi conſtitutione; ſi nouas poſſeſſiones emat Dominus: ſi eius exercitus in ſacram expeditionem eat, ſi Dominus Epiſcopus inauguretur, aut ſi a Rom. Pont. in conſilium, aut conuentum Eccleſiaſticum euocetur. *Tit. 20. Neapolitan. conſtitut.*

Quoad quantitatem verò huius indictionis diſſentiunt aliqui; qui vocant duplicem talliam, vel duplicem cenſum, volunt eo anno duplicandum eſſe cenſum Domino debitum; alij verò definiendum à Curia, ſi ad eam prouocetur. Nam moderatum hoc onus eſſe decet. Vide Oliuam *cap. 6. citato*, & Fab. *in §. æquè, inſtitut. de actionib* & alios. Mihi videtur conſulendos eſſe cuiuſque generis receptos mores, & antiquam domini poſſeſſionem, ſi aliunde nihil liqueat, & denique in dubio fauendum eſſe vaſſallis & ſubditis. Cùm onus illud extraordinarium, & odioſum ſit, ac proinde ſtrictius interpretandum, & ſatis onerentur ordinario cenſu, aliiſque præſtationibus ſubditi.

ARTICVLVS IV.

De forma & modo indicendi tributi.

Triplex proportio in tributo ſpectanda. num. unico.

FOrmam vectigalium & tributorum ſapienter conſtituit Caietan. *verb. vectigalia*; proportionem in eius indictione ſeruandam. Triplex verò proportio conſiderari poteſt hoc loco. Prima eſt inter cauſam quæ cogit ad indicendum tributum, & ipſum tributum indictum, ne videlicet maior ſit indictio, quam neceſſitas, cui per illam occurrendum eſt, poſtulet, vti fuit explicatum; alioquin committetur inæqualitas, & ſubditi plus nimio grauabuntur, tenebiturque Princeps ad reſtitutionem quoad illum exceſſum, quem ſine cauſa atque adeò iniuſtè exigit. Altera proportio attendenda eſt inter tributum impoſitum, & Rempublicam, ſiue communitatem cui imponitur; ſi enim vires illius non ferunt tantum onus, minuendum erit, alioquin iniuſte premuntur ſubditi, nullo etiam Principis ipſius compendio, immò magno damno; ſic enim in extremas anguſtias adiguntur ſubditi, qui omnibus bonis ſpoliati, vitam miſerrimam ducunt, & vel ſæpius ſolum aliò vertunt, aut deſperatione acti, vel rebellant, vel ægrè parent, vel nouas res moliuntur, vel diris deuouent, aliaque ſuſcipiunt quæ Rempublicam perdunt, non ſubleuant. Atque ſæpius malum quod temeraria illa & iniuſta, immenſaque indictio creat, maius multò eſt illo, quod per eam amoliri voluerat Princeps. Ad hanc proportionem reuoco illam aliam quæ ſeruari debet inter onus impoſitum, & rem ſuper qua imponitur; ſi enim prouentus agri, aut vineæ ſuper qua imponitur tributum, minores illo ſunt, aut æquales, aut non multùm excedant, ita vt ſoluto tributo, aut nihil omninò, aut fere nihil relinquatur poſſeſſoribus & dominis, vnde ſeſe familiamque ſuſtentent, immò & defectum eorum prouentuum ſupplere debeant ſuis operis ſæpius inutiliter, quamuis & parciſſimè viuant, aqua & pane ſolo contenti; grauis illis fiet iniuria. Tertia denique proportio eſt inter perſonas contribuentes ſeruanda; vt qua proportione participant bona communia, eadem ferant onera communia, quæ proportio eſt geometrica, quam obſeruat iuſtitia diſtributiua, ad quam pertinet indictio tributorum. Neque enim illius virtutis eſt, bona duntaxat communia diuidere ciuibus, ſed ipſa etiam grauamina, quibus propter bonum commune premere ciues interdũ Princeps cogitur, vti diſſerit S. Thomas *lect. 4. in lib. 5. Ethic.* eiuſmodi onera ſunt maximè tributa & vectigalia. Non eſt quidem ius in ciuibus ad illa grauamina ſubeunda; eſt tamen ius in Principe ad illa imponenda, & in ciuibus obligatio ea ferendi, quod ius Principis eſt quidem commutatiuum, habet tamen pro obiecto diſtributionem ex proportione geometrica faciendam, vt minùs grauetur, qui minùs grauari dignus eſt; nam ius Principis naſcitur ex quodam veluti contractu inter ipſum & Rempublicam, & ideircò commutatiuum eſt, vt monui. Proportio quoque tributi, & cauſæ propter quam exigitur eſt æqualitas rei ad rem, ac proinde in ea ponenda eſt proportio arithmetica. Diſtributio tamen eorum grauaminum inter ipſos ſubditos, & eorum bona, quatenus ſunt Reipublicæ partes intendit neceſſariò & per ſe ponere æqualitatem geometricam, ac proinde pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, habentque ſinguli ciues ius, ne grauentur niſi pro ratione aliorum ciuium collatis rationibus propter quas tenentur ad tributa. Quare tantopere eam tributorum æqualitatem commendat Theodoric. apud Caſſiodor. *lib. 5. ep.* 14. Saluian. verò *lib. 4. de prouidentia.* vehemens omninò eſt in caſtiganda eiuſmodi tributorum inæqualitate, qua diuites eximuntur, pauperes vexantur; *quod pauperculos homines tributa diuitum premant, & infirmiores ferant ſarcinas fortium: nec alia cauſa eſt, quod ſuſtinere non poſſunt, niſi quia maior eſt miſerorum ſarcina, quam facultas.* Vide magnum virum, Romanos & noſtros fortaſſis alicubi mores acriùs caſtigantem.

ARTICVLVS V.

De perſonis quibus tributum imponitur.

Multiplex cauſa materialis tributi. 1.
Solis ſubditis indicuntur directè vectigalia. 2.
Quomodo Chriſtiani teneantur vectigalibus ab infideli Principe indictis. 3.

1 SVpereſt ex cauſis tributorum & vectigalium ſola materialis, quam licet veluti geminam facere. Vna eſt ſubiectiua, nempe ſubiectum cui veluti affigitur tributum & inhæret; eſtque vel perſona, vel res aliqua ratione cuius indicitur perſonæ tributum, & cui ipſum tributum adhæret, & idcircò ad quemcumque tranſit, cum ſuo illo onere tranſit, niſi fortaſſis propter dignitatem perſonæ ex beneficentia Principis liberetur. Itaque vel ipſæ perſonæ, vel res ſunt vectigales & tributariæ, & aliquando tum ipſa perſona, tum res quam poſſidet ſunt ſimul tributariæ, quod aliqui vocant tributarium mixtum. Præter ſubiectum tributi conſidero etiam materiam quam appello rem quæ indicitur, & exigitur, tum quoad ſuam ſubſtantiam, tum quoad valorem, & quantitatem. Vtramque igitur iſtam cauſam tum ſubiectiuam, tum materialem, hoc, & ſequentibus articulis explicandam ſuſcipimus. Initio tamen quærendum eſt, quibuſnam perſonis imponi poſſit, ac ſoleat tributum. Deinde quæremus quale ſit illud, an perſonale, an reale, an mixtum.

Nemo quidem dubitat omnibus ſubditis impoſitum cenſeri tributum, niſi aut iure communi, aut priuato, ex Principis beneficentia, vel receptis moribus, vel in ipſa indictione excipiantur; quinam verò aliquo ex his capitibus excuſentur, nuſtrum non eſt modò inquirere, qui ſe à præſtatione excuſant, ſuum ius & nrulum non ignorant, & quid ea in re forum externum indicet, attendendum erit.

2 Quod autem dixi de ſubditis, intelligendum eſt de impoſitione primaria tributi, quæ ſubditis duntaxat fieri poteſt; non autem de quadam indirecta, vt dicam, indictione, quatenus illa quæ per ſe cadit in ſubditos, implicat quoque neceſſaria quadam conſequutione, etiam non ſubditos exteros, clericos, & cuiuſuis ſtatus ac conditionis homines, quibus idcircò aliqui dicunt imponi vectigal per accidens: v. g. dum exigitur gabella ab inuehentibus in vrbem aut prouinciam merces, eiuſmodi exactio onerat primò ſubditos ementes; quia cariùs multò emunt eas merces, quàm ſublato vectigali, vti explicat Molin. *diſp.* 669. Deinde vbi certis rebus impoſitum eſt vectigal, illud omnis generis homines implicat, qui ſecundum conſuetum morem, aut definitum pretium, & omnes alias conditiones præſcriptas emere debent, ſiue exteri, ſiue incolæ, ſiue Laïci, ſiue Clerici ſint, inquit Sylu. *verb. immunitas* 1. & Molina laudatus. Quando denique pro euectione mercium imponitur vectigal, illud incolas afficit primò, quia viliùs ea de cauſa merces ſuas vendunt, in earum enim pretio numerant quoque gabellam, & quia curant illam euectionem, vt exteri commercium habere poſſint, dicuntur primò, & per ſe tributum ferre; reſpectu autem exterorum non habet rationem tributi, ſed compenſandæ facultatis commercia agitandi in ea regione, & obligationis quam ea de cauſa ſubit Dominus reficiendi pontes, & vias, præſtandique ſecuritatem, vti docent Sylu. *verb. gabella* 3. *nu.* 18. 19. Armilla *verb. eod. num.* 12. Mynſinger. *cent.* 5. *obſeru.* 70. Layman. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. Alij verò diſtinguunt inter gabellam & collectam, ſiue, vt loquimur, *Talliam*: hæc enim ſolis ſubditis indicitur occurrente publica neceſſitate, qua etiam ſublata, tollitur; gabella verò ab exteris etiam exigitur, & plerumque ordinariam, atque perſeuerantem cauſam habet, quia cùm ſuper rebus vendibilibus ſiue mercibus, aut earum inuectione, & euectione imponatur; ab omnibus, qui aut emunt, aut euehunt, aut inuehunt merces, ſoluitur. Ita Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 2. *num.* 15. & Summiſtæ *verb. gabella*. Sa *num.* 3. Sylu. *num.* 16. Armilla *num.* 11. Denique communi fetè gentium conſenſu receptum eſt, vt vectigalia pro inuectione, atque euectione mercium etiam ab exteris exigantur, vt videmus in pottoriis, pedagiis, & aliis; immò cùm maiora vectigalia ſuper mercibus exoticis imponi ſoleant, ea in exteros refundi neceſſe omninò eſt.

Ex quibus explicabis communem aliam quæſtionem. An Chriſtiani teneantur Principi infideli, ad cuius ditionem appellunt, aut per eam tranſeunt negotiationis, alteriuſue rei cauſâ; quod alij aliter quærunt, an Princeps infidelis poſſit imponere tributum & vectigal Chriſtianis. Diſſidia Doctorum quæ refert Sanch. *lib.* 2. *conſil. cap.* 4. *dub.* 5. facilè conciliabis hac diſtinctione. Nam Principes illi, vel legitimo iure regna illa & ditiones obtinent, vel iniuſtè ea occuparunt, & Chriſtianis abſtulerunt: Si primum æquè Chriſtiani atque alij vectigalia ab ipſis iure impoſita ſoluere tenentur, ſiue eorum ſubditi exiſtant, ſiue cum ipſis commercium habeant, ea planè ratione qua Galli in Hiſpania, & Hiſpani in Gallia portoria, aliáque vectigalia pro exportandis, importandiſue mercibus, & ſimilia ſoluere tenentur; quia cùm iſti infideles ſint verè Domini & legitimi Principes, vtuntur iure ſuo, neque illo priuari à Chriſtianis poſſunt. Si verò Ditiones illas iniuſtè detineant, cùm non ſint illarum legitimi Domini ac poſſeſſores, ſed tyranni quidam, & vſurpatores; ſicut per iniuriam Principatum detinent, ita per eandem iniuriam, Principum iura ſibi vſurpant, nulla igitur fit illis iniuria, ſi ipſis defraudentur. Quare gabellas à tyrannis, aut aliis non habentibus poteſtatem impoſitas, minime ſoluendas eſſe ſapienter dixit Driedo. *lib.* 2. *de libert. Chriſtian. cap.* 5. & Armil. *verb. gabella, n.* 2. Si tamen vel pactum de ſoluendis gabellis initum fuiſſet cum eiuſmodi Principibus, vel ipſimet cum Principibus quorum ditiones occupaſſent, pepigiſſent de mutuo inter ſubditos commercio, & ſoluendis gabellis ab vtriſque indictis, vel denique ex negatione gabellæ, ſcandala rixæ, vexationes Chriſtianorum, aliaque grauia incommoda iure meriro timenda forent, in iſtis omnibus caſibus, etiam tyranno & vſurpatori tributa ſoluenda eſſent. Vide Sanch. *l. c.* & Lugo *diſp.* 36. *num.* 16. & 17. 3

ARTICVLVS VI.

De tributo perſonali, capitatione, operis vectigalibus, ſiue ſeruitiis perſonalibus.

Capitatio quid. 1.
Temonaria functio quid. ibid.
Vnde capitationis origo. 2.
Quibuſnam imponeretur capitatio. 3. 4.
Huius tributi grauitas. 4.
Capitatio animalium & prædiorum quid. 5.
Tributum perſonale operarum, quas corueas dicimus. 6.
Quid coruata, vnde dicta, eius diuiſio. ibid.
Vbinam earum vſus. 7.
Cornearum origo, vnde. 8.
Caſati & pagenſes quinam: inde pueri honorarij quos pages *dicimus.* 9.
Quomodo profeſſio clientela, & opera clientelaris differant. 10.
An coruata Domini nũptibus præſtãda ſint. 11.
An Dominus coruatas aliis cedere poſſit. 12.
An coruea poſſint reliquari. 13.
Quomodo obligatio cornearum tranſeat ad hæredes. 14.
Quandonam & quo numero debeantur cornea. 15.
An ius cornearum cenſeatur in dominij & prædij prouentibus. 16.
De iure excubiarum. 17.

1 PArtiebamur initio huiuſce diſputationis cum Feſto tributum, in tributum capitis, & cenſus, quod vtrumque explicandum deinceps ſuſcipimus. Prius illud hoc loco, quod capitatio *l. fin. §. pen. D. de muneri. & honor. l. Sacroſancta* 8. *C. de ſacroſanct. Eccleſ. l. quiſquis C. de Epiſcop. cleric. l. 1. & 2. C. Theod. de immunit. conc.* atque alibi ſæpius in iure nominatur, eſtque indictio & tributum perſonale, impoſitum ſcilicet perſonæ, vel capiti potiùs quam rebus, aut facultatibus. Quare ab iis qui nullum cenſum haberent, nullàque prædia poſſiderent, exigebatur. Dicitur ab Appiano in Syriacis φόρος τῶν σωμάτων. Et in Libycis diſtinguit φόρους ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασι. Et Demoſthen. in Timocratem, tributa debere poſſeſſiones, non corpora: τὰς εἰσφορὰς τὰ χρήματα, καὶ οὐ τὰ σώματα ὀφείλειν. Qua ratione Arcadius Chariſius *in l. fin. D. de munerib. & honorib.* munera ciuilia partitus eſt in perſonalia, patrimoniorum, & mixta. Munus perſonale eſt cui obeundo animo tantùm & corpore obeuntis opus eſt, non eius facultatibus & patrimonio; quia qui eiuſmodi munus obit, nudum animum ac corpus præbet, non res vllas, quare ſine detrimento ſuarum facultatum obit. Denique non res eius, non fundi, non patrimonia, non prædia ſeruiunt, ſed eius perſona duntaxat, quæ corpore & animo conſtat, quare tum animi, tum corporis operam præſtare tenetur. Munera patrimonij ſunt, quæ ſumptibus patrimonij & damnis adminiſtrantis expediuntur. Mixta denique in quibus, quis corporale miniſterium præbere cogitur, ac prætereà nonnihil ex bonis ſuis; vt qui pro defunctorum oneribus fiſcalia detrimenta reſarcire tenetur, cuius periculo exactio & diſtributio cenſuum fit *l. 1. & l. 3. §. 3. & l. 7. C. de tyronib.* Sic igitur alia ſunt tributa capitis, ſiue perſonalia, alia cenſus, ſiue poſſeſſionum, alia mixta; nam aliqui & tributum capitis, & ſimul tributum cenſus pendebant, vti ſtatim oſtendam. Modò de capitis tributo loquimur. Græci ψυχικὰ δημόσια, animales functiones nominant. Plutarch. autem *lib. de præcor. inſtitut.* τὸ κατὰ κεφαλὴν εἰσφερόμενον; ius orientale, & Nouel. κεφαλητίωνα. Heſychius ἐπικεφάλαιον. Latini autem *in veteri gloſſar.* tributum capitulare. *In C. Theodoſ. de extraordinariis ſiue ſordid. muner. l. 14.* dicitur *capitularia & temonaria functio. l. 15. capituli atque temonis neceſſitas. l. 18. temonis ſiue capituli onus.* Erat verò iſta functio exigendi aurum quod pro capitatione, & maximè pro tyronibus exigebatur; qua de re inferiùs: qui autem illud exigebant, temonarij dicebantur, vt iterum poſt paulò monebo. Vlpian. *in l. 3. de cenſib.* tributum capitis. Arcad. Chariſius vocat pecuniam pro capitibus. *l. fin. §. qui annonam. D. de munerib. & honorib.* Capitalem illationem, humanæ capitationis cenſum nominarunt alij, immò & Gunterus Poëta.

Et capitolitium certo ſub fœdere cenſum.

Huius indictio tributi antiquiſſima fuit; nam Romæ ante Seruium Regem hoc tributum legimus, ab eoque ſublatum cenſu inſtituto; ſed deinde à Tarquinio Superbo reſtitutum perſeuerauit, ex Halycarn. *lib.* 4. & non modò in vrbe retinuerunt illud Romani, ſed etiam deinde prouinciis ſubditis impoſuerunt, vt de Ægypto ſtipendiaria facta ab Auguſto tradit Patercul. *lib.* 2. & de Iudæa ex Ioſepho conſtat. Quinimmò ab ipſo Moſe in templi vſum indictam fuiſſe capitationem colliges ex *Exod.* 30. *v.* 12. *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recenſiti.* Addit dandum fuiſſe dimidium ſicli *iuxta menſuram templi*, id eſt iuſti ponderis, & valoris, conformiter illi menſuræ, quæ aſſeruabatur in Sanctuario, tanquam norma, regulaque cæterarum monetarum, vt diximus nuper *diſp. de menſuris*, & iterum obſeruabimus inferiùs. Interim adi Cornelium, *Exodi c.* 30. *v.* 13. & Marianam *de menſur. c. 6. &* 24. hoc pretium LXX. λύτρον dixere: erat enim pretium redemptionis, ne perirent aliqua plaga, vt ibidem ait Moſes. Quia verò omnes primogeniti domino debebantur, idcircò *Num. cap. 3. verſ. 46. quæſt. 7.* recenſione populi primogenitorum facta in qua reperti ſunt viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres, pro quibus Leuitæ commutati ſunt & conſecrati Domino, quia maior iuuentus eſt numerus primogenitorum, quàm Leuitarum, exceſſus ille ducentorum ſeptuaginta triũ primogenitorum ſupra Leuitarum numerum, compenſatus eſt, datis in ſingula capita excedentia Leuitas, quinque ſiclis, quibus qui non fuerant commutati cum Leuitis, redempti ſunt. *Lib. 2. Reg. c.* 24. Dauidem punitum eſſe volunt aliqui propter recenſionem populi, quia tributum illud capitale, ſiue cenſum capitationis Deo perſolui non curarat, ſed ſibi potiùs reſeruarat. Huius etiam capitationis meminit S. Matthæ. *cap.* 17. vbi Chriſtus ſoluit didrachma cenſus, de quo diximus aliàs, quod tributum indictum fuiſſe Iudæis in ſingula capita ab Auguſto exiſtimant aliqui, dum cenſeri orbem iuſſit, Præſide Quirino, vti refert Lucas *c.* 2. qua de re vide Baronium *in annalib.* Veſpaſianus deinde iuſſit Iudæos capitatum didrachmum inferre Ioui Capitolino, teſte Zonara, & tributũ ab Auguſto impoſitũ auxit. Ioſephus ait fuiſſe in Iudęa 2

ſeptuaginta,& quinquaginta hominũ myriadas,idque liquere ex tributo,quod in capita ſinguli pendebant. Galli Romanis pẽſitabant pro ſingulis capitibus vicenos quinos aureos,quos Iulianus Aug. redegit ad ſeptẽ,teſte Amm.Marcell.*lib.*16. quamquàm aliqui legunt apud illũ *pro capitulis ſingulis*, & non *pro capitibus*.Ioſeph ſcribit Ægyptum multò amplius in ſingulos menſes penſitaſſe,quàm Iudæã toto anno.Ex Gallis tantumdem penè quãtùm ex Ægypto recipiebatur. Cedrenus refert Copronymum Conſtantinopoli indixiſſe capitationem *κεφαλητίωνα*, æram, quæ in temporis cumputatione vſurpatur ab Hiſpanis Scriptoribus, dictam ab ære in tributum cẽſúmue Cæſaris Aug.edicto dari iuſſo:exiſtimat Iſidor.*lib.*5.*Ethym.c.*36. Leonem Imperatorẽ tributa capitalia Græciæ , & Calabriæ ſuperimpoſuiſſe ; ea autem quæ dicuntur patrimonia Sanctorũ Principum Apoſtolorum, quæ olim Eccleſiis auri dimidiũ & tria conferebant talenta,publicæ rationi exolui præcepiſſe tradit Paul.Diacon. *lib.*21.de Vitaliano verò Abbas Floriacenſ.ſic habet.*Afflictiones populo prouinciarũ Calabriæ, Siciliæ, Africa, vel Sardiniæ per diagrapha, ſeu capita,atque nauticationes impoſuit.*Sataceni Nicephoro qui Imperiũ Irenæ eripuerat,indixerunt,vt per vnumquẽque annũ tribueret Sataceni tricena millia numiſmatum,& tria numiſmata in tributũ capitis Imperatoris,& tria filij eius, inquit Paul. Diacon. *lib.*24. vnde Nicephorus auri ſitiens , præcepit militare egenos, & conferre decẽ ac dimidiũ numiſma per ſingulos fiſco vnà cũ proximitate ad tributa publica , & præſtare caricaticorum cauſà duas ſiliquas. Adolphus Anglorũ Rex iuſſit à ſingulis ſuis ſubditis in capita annuũ denariũ penſitari S.Petro,qui ea de cauſà denarius S.Petri dicebatur.Saxo Grammaticus narrat Biarmios in ſingula capita,pellem ferinã ſoluiſſe quotannis Regi Sueco. Eſt quoque celebris quædã capitatio apud Rhutenas,in eo enim tractu ſinguli vbi decimumquartum annum attigerint,debent pẽdere Regi aut Domino ſex denarios annuos,quilibet coniugatus doodecim;pro quolibet animali ferrato duo ſolidi præſtantur, pro non ferrato duodecim denarij,pro quolibet iugo boum arantiũ duo ſolidi,pro ſingulis vaccis, & bobus nõ arantibus ſex denarij,pro ſingulis aſinis duodecim, pro ſingulis ouibus,arietibus,capris & porcis vnus denarius,& pro ſingulis deniq; molendinis duo ſolidi.Hoc tributũ quod *cõmune pacis*, vel *emolumentũ pacis cõmunis*, paſſim appellatur,alij autẽ denariũ pacis,indictum eſſe dicunt cùm illi populi ab Anglorũ inuaſione Regiis Francorum armis defenſi ſunt ; quod tributũ capitationẽ eſſe ſtatim apparet, quãuis aliqui id negent, eſſeque quoddã potiùs ius dominicũ;qua de re Philipp.in ſuis arreſtis *art.*29. editis anno 1597. & Oliua *lib.*2.*qq. foreuſ.c.*9.De eo fuit multa & longa contentio in Senatu Tholoſano. Omnes verò capitationes fuiſſe abrogatas in Gallia notat ibid. Philipp. meminitque cuiuſdam tributi capitalis in Rhutenis qood foreſtagium dicebatur,abrogati decreto Coriç ſobſidiorum 4.Decẽb.an.1541.Quidquid hac de re ſtatuas viget hoc tributum in Caſtella, vbi aliquot marauedinos ſingula capita ſoluunt, ex Molina;aliis quoq; populis vulgare eſt ex Rigautio, & aliis,qui ex eo numerum immenſum incolarum maximè colligunt.

3 Quod attinet ad ſubiectum huius tributi , ſiue perſonas quibus imponebatur ; certũ in primis eſt, plebẽ vrbanam illius fuiſſe immunẽ,cùm ſoli plebi ruſticanæ extra muros poſitæ indiceretur,*l.*1.*C. ne ruſticani ad vllum obſeq.* nã Imperator Diocletian. & Maxim. plebem ruſticanã extra muros poſitam, vbi ſuam capitationẽ detulit, & annonam congruã præſtat,ad vllum aliud obſequium deuocari prohibet,& ad mularum fiſcalium , vel equorum miniſterium cogi à Rationali;quare Conſtantinus iure dixit plebem vrbanam in cenſibus pro capitatione conueniri non poſſe ex edicto Diocletiani , quod ipſe confirmat *in l.*2.*C.Theodoſian.de cenſu.* & iterũ concedit idem Conſtant. Lyciæ & Pamphyliæ, *l. vnic.C.de capitat.ciuium cenſib. exim.* Coloni quoq; Tracenſes per vniuerſam diœceſim *humanæ capitationis cenſu in perpetuum ſoluti ſunt.l.vnic. C.de colonis Thracenſ.*beneficio Imperatorum Theodoſij & Arcad. terram tamen dimittere non poterant , & tributũ ſoli præſtabant;quare clientes potiùs erant ſub patrono , quàm ſerui ſub domino. Diœceſis porrò Thracenſis ſex habebat prouincias.Theodoret.*lib.*5. *hiſt. c.*28. *τῆς Θρᾴκης εἰς ἓξ αὐτὰ ἡγεμονίας διῃρηκας.*Eas Marianus Scotus enumerat,Europam, Thraciam, Hæmimontum, Rhodapem, Mœſiam, Secundam, Scythiam, per quas omnes prouincias coloni ſoluebantur capitatione.Eccleſiæ quoque Theſſalunicenſi remittitur capitatio *l.*12. *C.de annon.& tributis*;id eſt Eccleſiæ Theſſalonicenſis colonis,quã capitationis releuationem *κούφισμον* à ſolo Principe eiuſue numine fieri poſſe monent ibidem Imperatores.Neque licere abuti Eccleſiæ nomine euitandorũ canonũ & tributorũ cauſa ; quod etiam dicitur *l.placet.ſ.omne.C.de Sacroſanc. Eccl.* Ne ſcilicet Reſpublica grauetur,quæ quò pluribus datur immunitas,eò maiora tributa pendat neceſſe eſt.*l.*4. *C.de exact.trib.l.*1. *C.de colleg.*& *l.*2. *C.de priuileg. dom. Aug.* Eadẽ capitationis immunitate gaudent *μητροκωμῆται.l.*1.*&* 8.*C.de exact.trib.* Metrocomia verò id eſt inter vicos, quod Metropolis inter vrbes, Metropolis eſt caput matérue prouinciç,vel vt Solin. Flor. Marcellinuſque loquuntur , mater vrbium;Metrocomia màter vicorũ.Metrocomiæ igitur ſicut & ipſæ vrbes a capitatione liberantur,non itẽ reliqui vici.Non omnes autẽ agricolæ tributarij erant , & cenſum ſiue capitationem præſtabant, ſed ſoli adſcriptij , ſiue cenſiti , reliqui coloni non ſunt tributarij , reditus tamen certos & penſiones domino terræ præſtant in pecunia , vel in ſpeciebus , *l.*8.20. *& pen. C. de agricol. cenſit. & colon.* De hac Agricolarum diuiſione aliqua notauimus opere de vſuris *lib.*4. *c.*2. *ar.*8. *n.*10. *verſ. alterum cap.* Soluebant autem capitationem tum viri, tum mulieres:ita tamen *vt per ſingulos viros, binas mulieres capitis norma cenſeretur*,quod deinde ita temperatũ eſt, *vt binis ac ternis viris,mulieribus autẽ quaternis vnius pendendi capitis onus tribueretur*:id eſt vt duo,aut tres viri, & mulieres quatuor pro vno capite haberentur,*l.*10. *C.de agricol. cenſit. & colonis.* Cenſebantur & pueri. Nam Plutarch. *περὶ παίδων ἀγωγῆς* *καὶ τῶν ἰδίων κατὰ κεφαλὴν εἰσφερόντων ἄργυρον.* Ætás tamen quibuſdã cauſa erat, ne tributo onerarẽtur.Apud Syros mares à quatuordecim annis, fœminæ à duodecim ad ſexageſimum quintum annum capitatione obligabantur : & pro modo capitationis annonarum ſpecies tribus penſionibus illatæ ſunt. Hinc fiebat , vt dum noui liberi naſcerentur , noua quoque indictio parentibus accederet, qui inde liberos minùs charos habebant , & vxorum frequentes partus oderant ; quare Eumenius in gratiarum actione Conſtãtino dicta,propter remiſſam capitationem ſic ait. *Remiſſione iſta ciuibus tuis dediſti vires,dediſti opem, dediſti ſalutem.Certè & nunc liberi parentes ſuos cariores habent,& mariti coniuges non grauatè tuentur,*

&

Digitized by Google

& parentes adulterum non pœnitet filiorum, quorum onera ſibi remiſſa lætantur. Sidonius verò Appoll. *carmine* 13. ab Imperatore Maioriano trium capitum remedium poſtulauit, pro quibus ſcilicet capitale tributum ſoluere cogebatur.

Geriones nos eſſe puta, monſtrumque tributum;
Hic capita vt viuam, tu mihi tolle tria.

Hanc itaque immunitatem Valentinianus *in l.4 C. Theodoſ. de cenſib.* ad virgines atque ad mares viginti annis minores extẽdit. *In virginitate perpetua viuentes, & eam viduam, de qua ipſa maturitas pollicetur ætatis, nulli iam eam eſſe nupturam, à plebeia capitationis iniuria vindicandas eſſe decernimus. Item pupillos in virili ſexu vſque ad viginti annos ab iſtiuſmodi functione immunes eſſe debere; mulieres autem donec virum vnaquæque ſortitur*; nempe, *vt exemptio talis ſtipendij eſſet illis velut ſtipendium caſtitatis*, aiebat Symmach. His omnibus addo graue exiſtimatum fuiſſe hoc tributum, & morti cuiuſdam ciuilis inſtar; vnde apud Plutarch. *lib. de inſtitut. puer.* cùm Alexander ad coemendas veſtes purpureas eiuſmodi capitationem indixiſſet, acute dixit aliquis ſe tunc demùm intelligere, cur Homer. πορφύρεον θάνατον nominaſſet.

5 Nonnulli & capitationem & cenſum ſimul pẽdebant, quorum peſſimam conditionem eſſe dixit Cicero; qui ſtipendarij eſſent ipſi & agri, qui nempe tributa in agros & in caput penderent; fuit enim quædam nota captiuitatis. Tertull. *c.13. Apolog. Agri tributo onuſti viliores, hominũ capita ſtipendio cenſa ignobiliora, nãha ſunt nota captiuitatis.* Hoc vtrumque tributum aliquot nummis definiebatur pro ratione capitis & cenſus. Sic Iudæi in capita & ex cenſu pendebant teſte Appiano, Syri etiam ac Cilices annuã centeſimã pro modo cenſus vniuſcuiuſque ſoluebant. Alexander inquit Lamprid. *Vectigalia publica ita contraxit, vt qui decem aureos, ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam partem aurei præſtarent, tuncque primùm ſemiſſes aureorum formati ſunt, & tremiſſes, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minùs non poſſet.* Denique quibus ab Imperatore remiſſum erat tributum capitis, iiſdem & cenſus tributũ remiſſum eſſe exiſtimabatur *l. vlt. §. 1. D. de cẽſibus*, vbi Paul. refert quod cùm Veſpaſianus remiſiſſet tributum capitis Cæſarienſibus, Titus ſolum quoque immune factum eſſe interpretatus eſt. Ex quibus videas, vtrũque tributum capitis & ſoli, in vno eodẽque ſæpius coniunctum fuiſſe.

Non fuit autẽ capitatio tantùm hominũ, ſed & animaliũ, & prædiorum. De animalibus, habes in *l. vlt. C. Theodoſian. de conlatione donatarum*, &c. meminit enim capitationis humanæ & animaliũ, quia nẽpe pro ſingulis capitibus animaliũ indicebatur. Fuit quoque capitatio prędiorũ, & iugorum ſiue iugerũ, id eſt annonaria functio pro menſura agrorũ indicta poſſeſſoribus, ſiue collatio pro capitum & iugorum quibus coluntur, & arantur, numero. Hoc ſenſu *in l. fin. C. Theodoſ. Siue cenſu vel reliquis, &c.* edicitur enim qui cuiuſlibet fundi dominium acquirit, continuò *pro ea parte qua poſſeſſor factus eſt, cenſualibus paginis nomen ſuũ poſtulet adnotari, ac ſe ſpondeat ſoluturũ, atque ita allata moleſtia de auctore in ſuccedentẽ capitatio trãsferatur. Et l. ſi minor 4. D. de action. empti* agitur de emptore prædij qui maiorẽ inuenit capitationẽ & συντέλειαν, quàm à venditore dicta fuiſſet. Iugatio cũ capitatione dicitur ζυγοκεφαλον. Ratio eſt quia iumenta capita vocabãtur ab Amm. Marcell. quorũ iugo quantũ arari poterat, ſubiugationis appellatione in deſcriptionem veniebat, tributariæque fũctioni ſubiiciebatur. Inde capita & iuga, & capitatio & iugatio in eadem oratione, tanquã parẽ vim habeant, ponuntur; diciturque aliquando iugorum capitatio *l. 1. C. Theod. de immun. conceſſ. & ζυγοκέφαλον. Nou. 17. §. ἀναγκάσεις.* Denique conlationem pro numero iugorũ, & capitum quæ quiſque poſſidebat factam euidenter oſtendit *l. fin. C. de immun. nem. conced.* Vide plura apud cõmentat. conſuetud. Pariſienſ. *tit. des droicts Segneuriaux, in proœm. n. 5.* capita ſumuntur pro ipſomet tributo, quod pro capitatione ſoluebatur; ſic Flauienſium Panegyriſtes ad Conſtant. *Tum certos parentes adulterũ non pœnitet, quorũ onera remiſſa ſibi lætantur. Septem millia capitũ remiſiſti, quintam amplius partem noſtrorum cenſuum.* & quod ex Sidon. *carm. 3. ad Maiorian.* referebamus.

Hic capita vt viuam tu mihi tolle tria.

Et *l. 6. C. Theodoſ. de conl. don.* capita releuata & poſſeſſiones releuatæ dicuntur; hoc eſt aliqua parte tributi leuatæ. Capitularij vel capitulani erant qui capitationẽ & iugationem definiebant. Symmach. *lib. 9 ep. 10.* Fuerunt & iidẽ capitũ exactores, qui & dicti ſunt Cephalæotæ. Capitularios eoſdẽ cũ turmariis, qui tyronum turmas cogebant, facit *l. 2. C. de priuil. qui in ſac. palat. milit.* Capitiarij meminit Fulbert. *ep. 103. Conſtituit ſibi alium theſaurarium, & capitiarium de bonis clericis.*

Ad tributa perſonalia præter capitationẽ explicatam hactenus pertinent opera quædam vectigalia, & tributa debita Domino Iuridico à ruſticanis, quæ dicimus *corvées, manœuures, charoits.* Seruiles nempe, ſiue mercenarias operas, quæ vel carro vectorio, & onerario, & plauſtris, vel iumentis clitellariis, vel ipſis manibus & brachiis, corporiſque conniſu præſtantur; *à charoits, ou beſtes a baſt, ou à force de bras.* Vocem vulgatem, *courvée, cornatã* deducit Guido Pap. *dec. 472.* & ex ipſo Chaſſanæus *in conſuetud. Burg. Rubr. 9. §. 18. verb. Corveables. n. 19.* à coadiuuo, quòd ſit vna coadiuuatio diurna. Sed quænam inter cornatam, & coadiuuationem communio? Itaque deducenda potiùs videtur à vectione *courvées*, à vehendo; vnde dicti quoque veredi, & parauetedi, de quibus dicemus inferiùs, & vethedarij, à vehẽda rheda: ſic baſtagarij vocati ſunt qui ſeruiebant vecturæ rerum ad ſacrũ ærariũ pertinentiũ, quam propriis iumentis faciebant, excepta parte quinta, quæ de fiſco parabatur, ex *l. 4. C. de murileg.* Nec vnquam baſtariis militiam ſuam deſerere licebat, vel aliam antequam impleuiſſent ſubreptiua impetratione tentare. Alciat. *in rubric. C. de murileg. & baſtagariis,* eos interpretatur qui neceſſaria militibus portabant. In *lib.* autẽ de Inſignibus Magiſtratuum ad Theodoſiũ Imperatorẽ ſcripto iunguntur gynæciariis. Et in Rubrica citata *de murileg.* quia veſtes ad tincturã ferebant, referebãtque. Quidquid ſit nominati, ſunt à βαστάζω fero, βαστάγην onus interpretatur Heſych. inde βασταγάριος, βαστάγαρος, baiulus: ἀχθοφόρος βαστάγιον theca in qua milites arma ſua recondita portabant apud Leonem in *Tacticis, conſtitut. 5.* Hinc noſtrum vulgare *Baſt* ad ſignificandam clitellam, & animalia clitellis & oneribus ferendis deſtinata dicimus *beſtes de baſt.* Sic & vehiculationes, *corvées* nominamus. Sicut agitur olim, atque etiam hodie indicebantur quædam vecturæ tum iumentis clitellariis, tum carris, plauſtris, ac vehiculis, tum equis curſualibus ad curſum publicum, veredis & parauetedis, angariæ & parangariæ, de quibus omnibus agemus inferiùs, ita inductum in more eſt, vt Dominis Iuridicis à ſubditis ruſticanis aliquas baſtagas, vehiculationes, ſimileſue alias operas 6

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ras quandoque exigere liceat: quas omnes operas, vectigales & tributorias Latini appellarunt, nos *corvées & manœuvres*, à vehendo vel manibus operando nominamus: alij curuatas à curuando deriuant, quia homines eiuſmodi operas præſtãdo curuantur, quod in quibuſdam non in omnibus verum eſt: alij volunt antiquum Gallicum nomen *vera*, & *vée*, quod operam ſignificat. Eſt igitur *cornea*, quaſi opera corporalis & velut angaria quædam. Eſt autem angaria λειτουργία σωματικὴ, ἢ προσωπική, Harmenop. *lib. 2. tit. 5.* quamuis angaria latiùs pateat, vt alibi dicemus. Eſt igitur cornea munus perſonale, quod definit Chop. *lib. 3. de doman. tit.* 18. *n.* 7. Ruſtica opera, quam villici quaſi liberti patronis annuam gratuitam præſtare debent in fundis dominicis. Dicebantur apud veteres Francos hæ operæ vectigales & ruſticæ, *Carropera*, vti Bignonius *in cap. 36. lib. 2. formular. Marculſi* exponit ex manuſcripto Regio *Agrarium, vel carropera*, opera nimirum, quæ carris, vel plauſtris fieri debebat. Eas operas deſcribit adnuntiario Caroli Regis apud Piſtas *cap.* 19. *Vt illi coloni tam fiſcales quam & Eccleſiaſtici, qui ſicut in politicis continentur, & ipſi non denegant, carropera, & manopera ex antiqua conſuetudine debent, & margilam, & alia quaque carricare, quæ illis non placent, renuunt, quoniam adhuc in illis antiquis temporibus fortè margila non trahebatur, quæ tempore aui ac Domini patris noſtri trahi cœpit, & de manopere in Scuria Battere nolunt, & tamẽ non denegant, quia manoperam debent, quidquid eis carricare præcipitur, de opera carropera quando illam facere debent, ſine vlla differentia carricent, & quidquid eis de opera manopera quando illam facere debent, præcipitur, ſimiliter ſine vlla differentia faciant.* Et *lib. 1. capitular. cap.* 81. inter opera quæ fieri prohibentur diebus Dominicis numerantur *carralia opera*, vti aliqui legunt, non *ruralia*, vti ſuppoſuerunt alij.

7 Diuidunt has operas primò in officiales, ſiue obſequiales, & in fabriles, ſiue artificiales: priores illæ ſunt meræ perſonales, & à perſona duntaxat præſtantur, neque alterius ſcientia indigent; vt aratro ſcindere terram, meſſes ſecare, & fœna colligere, & ſimilia; quæ verò ſunt fabriles & artificiales, doctrinam quandam requirunt, vt pingere, ſcribere ædificia conſtruere, quæ meræ quoque perſonales ſunt, quia ab ipſomet ſubdito perſonaliter exhibentur. Secundò diuiduntur in operas merè perſonales, reales, & mixtas. Primas iam deſcripſimus diuiſimuſque in obſequiales & fabriles; ſecundæ ab animalibus, & pro animalibus fiunt, cuiuſmodi ſunt vecturæ ſiue plauſtris, ſiue iumẽtis, vt *charreare* inquit Guido Pap. *q.* 472. *Molas molendinorum, vel materias ædificiorum caſtri vel fortalitij.* Mixtæ denique ſunt quæ ſimul ab hominibus & animalibus præſtantur. De his diuiſionibus vide Chaſſan. *in conſuetud. Burg. Rubric.* 9. §. 18. *à n.* 19.

Hæc porrò ſeruilia dominorum cenſualium in ſubditos iura, circa ruſticas iſtas operas moribus quidẽ Gallicis recepta exiſtunt quibuſdã in locis, vbi & legibus municipalibus ſanciuntur; non tamẽ vbique tota Gallia; nã conſuetudo Pariſienſis §. 71. explodit hoc ſeruitutis operarum genus, niſi antiquis fortè ſubnixũ documentis, iiſque legitimis. In Narbonenſi Gallia nunquã fuere ratæ ſeruiles iſtæ operæ, niſi quas ritus patrius, diuturnaque poſſeſſio comprobaſſet, prout in Albienſi Ordinum conuẽtu, an. 1212. definitum fuit. Quæ omnia adducit Chop. *lib. 2. de morib. Pariſ. tit. 3. n.* 13. queriturque hodie vicorũ dominos, à vicanis & agricolis extorquere viles operas, iumentorũque vehicula, nedum auenas, pabula; *corvées, bians, charrois, avenages & autres ſeruitudes corporelles*; hoc nouo commento, quod ipſos eximant militũ tranſitu & hoſpitio, qua de rapina exactioneque indebitorũ, Procurator Fiſci inquirere tenetur, & publicam legum cenſuram, vindictamque diligenter proſequi. Neque ab ea cẽſura eximi debent nobiles viri, qui à ſubdita plebe corradunt pecuniolas, frumenta, agrarias operas, cæteraque id generis. Plures quoque ruricolæ annuis eiuſmodi penſitationibus obnoxios ſe nuper vi, metuque agnouerunt; non negarem tamen pluribus in municipibus ac regionibus hoc dominorum ius ad ruſticanas iſtas operas, iam ab omni patrum memoria vigere, atque ipſis moribus confirmatum eſſe.

Eius originẽ non malè repetes ex illo ipſo prætextu, quo aliqui etiam hodie abutuntur, vt ſibi ius idem ſenſim & ipſo vſu cõparent, quod nimirũ vicanos & agricolas in ſuum patrocinium ſuſciperẽt, ne à militibus, aliiſque potentioribus viris vexarẽtur, eamque ſuſceptionẽ, ac patrocinium, obtinendę immunitatis causâ, eiuſmodi obſequiis, atque operariis ſeruitutibus redimere maluerunt ruſticani, quàm aut à militum præfectis ſpoliari, aut ab aliis Principum potentioribus Officialibus affligi: nam de exhauſtis à præfectis militũ prouinciis plurimæ querelæ ſunt, vt de illo Scaptio apud Ciceron. *in epiſt. ad Atticum.* qui è contrario multis cõmendat P. Seſtium in oratione quã in eius habuit defenſionem, quòd dũ Tribunum militum ageret, eos à Prouinciarum prædatione coërcuerit. Potentiorum quoque Magiſtratuum ſiue Officialiũ vexationes arguit Valentiniani & Valentis reſcriptum ad Probum PP. Illyrici, *in C. Theodoſ. tit. ne dãna prouincialib. infligant*, quod ſic habet: *Ne qui in diuerſis agũt officiis principatus & qui ſub quocũque prætextu muneris publici poſſunt eſſe terribiles, ruſticano cuipiam neceſſitatẽ obſequij, quaſi mancipio ſui iuris imponant, aut ſeruum eius vel forſitan bouẽ in vſus proprios neceſſitateſque conuertant, ſiue xenia aut munuſcula, quæ canonica ex more fecerint, extorqueant.* Vt igitur his ſe oneribus eximerent agricolæ, & vicani, aliorum patrociniũ aliqua penſitatione emebant; quod fieri vetuerunt Leo, & Anthemius Imperatores ſua lege, quæ habetur *C. ne nemo ad ſuum patrociniũ ſuſcipiat ruſticos, vel vicos eorũ*: cùm enim ruſticani fraudandorũ tributorũ publicorum causâ ſe & ſua bona omnia tuenda & defendẽda potentioribus addicerent, ab illis tanquã clientes ſuſcipiebantur. Vnde ſuſcepti dicebantur iſti ruſticani, non adſcriptitij aut coloni. Seruius *in 6. Æneid.* clientes, ſuſceptos appellatos eſſe dicit. Aug. *in quæſtionib. mixtis. Nũquid ſi mala vita ſit aduocatus, contra ſuſceptum eius pronunciabitur? hoc eſt officium aduocati, vt ſecundum iuris ordinem ſuſcepti ſui cauſam peroret. Nunquid poterit vita eius, ſi turpis eſt, obeſſe cauſa ſuſcepti?* Et Palæmon Grammaticus in gloſſis; *Aſſecula cliens, ſiue ſuſceptus.* Verùm hanc clientelam carò admodum emebant ruſtici. Nam ſuſceptores illi & patroni ſub ea patrocinij ſpecie vicanorum, & ruſticanorũ bona ſibi vindicabant, vel relinquebãt ſuſceptis ſub grãdi patrocinij mercede. Vnde fiebat, vt & tributa publica fraudarentur, & ruſtici in miſerias illas, quas vitare cupiebãt, & maiores ſępius inciderent, quare hæc patrocinia dãnauit *l. vnic. C. Theod. de patr. vic.* Iuſtin. *Nouell.* 17. & Tiberius *de diuinis domibus.* Cõſtitutio verò Leonis & Anthem. citata conuentiones eiuſmodi irritas facit. Tabelliones qui eas perfecerint, bonorũ proſcriptione plectit; 8

vicos

vicos vel agros ſuſceptos, publico fiſco addicit, ſuſceptores ſi nobiliores ſint, centum auri libris mulctat, mediocris fortunæ, facultatũ ſuarum amiſſione coërcet. Interceſſores & interpretes harum conuentionũ iiſdẽ pœnis obnoxios facit. Eos denique qui vicanis *κωμήταις* pollicentur eo nomine redditũ, promiſſione vel alio lucro recepto priuat, & iiſdẽ pœnis addicit, & maiores cõminatur. Vicanos verò ipſos ſi ſerui ſint, caſtigatos dominis reddi iubet, ſi liberi, 20. libris mulctari, & verberatos vnà cũ decem primoribus in perpetuum relegari, ſi ſciẽtibus omnibus ſeceſſerint, ſiue in patrociniũ illud ſe, & ſua, atque vicũ ipſum contulerint. Et ſanè vti iã monui, quam vitabant ſeruitutem ſponte incurrebant; quare illorum miſeriã hoc exageratam patrocinio, multis deplorat nuper adductus Saluian. *lib. 5. de prouidem Vt vim exactionis euadant tradunt ſe ad tuendũ, protegendumque Maioribus, deditiios ſe diuitũ faciunt, & quaſi in ius eorũ, ditionemq; tranſcendunt. Nec tamen graue hoc eſſet, ſi diuites patrocinia iſta non venderent, hac lege tueri pauperes videntur, vt ſpolient, omnes enim ij, qui defendi videntur, defenſoribus ſuis omnẽ ferè ſubſtantiam ſuã addicunt: nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi nouum genus venditionis & emptionis. Venditor nihil tradit, & totũ accipit; emptor nihil accipit, & totum penitus amittit.* Eandẽ ob cauſam frequentibus edictis cauerunt Chriſtianiſſimi Reges, nobiles viros à plebeis agreſtibus æris ſummulam exigerẽ non debere, frumentarios modios, ſeruiles operas, aliúdue quidpiã immunitatis obtentu, hoſpitij, annonæquæ militum, quam illis immunitatem officij ſpecie procurant; Conſtitutione edita Pariſiis an. 1499. §. 139. & Aureliis an. 1560. §. 106. Bleſis an. 1579. § 280. 283. 305. Ex hoc tamẽ antiquo more, ſeruitutẽ iſtam operariam ortam fuiſſe non male aliqui ſuſpicantur cũ Chop. *lib. 3. de domanio tit. 18 n. 7.* Ex eo enim quod plebs ruſticana, vel magnitudine tributorum, vel potentiorum iniuria, vel denique ære alieno premeretur, in nobilium ſeruitutem ſeſe addicere coacta eſt. Nam & veteres conſueſſe obæratorum operis in agris & vineis colendis abuti, teſtatur Varro *lib. 1. de re ruſtic. cap.* 17. de Aſia & Illyrico, vbi obærati vindemias & fœniſcia adminiſtrabant. Ex hac igitur ſeruili hominum conditione deductũ eſt ius ruſticarum operarum, quas villici quaſi liberti patronis annuas & gratuitas præſtant, imminuta paulisper vel immutata antiqua illa ſeruitute, cùm ad diſſoluendũ æs alienum, vel auertendam exactionũ aut potentiorũ iniuriã ſe ſponte addixerant; quanquã & olim Lacones Ilotas agreſte genus, Theſſali *πενέσας*, Cretenſes *ὑπηκόους*, quibus agris colebant, cæterique Græci contumelioſè Domini tractabant, vt ait Ariſtotel. *lib. 2. politic. c. 7. & 8.* & Plato *lib. 6. de legib.* de quibus ſeruorum Græcanicorum generibus vide Chopin. *lib. 1. de legib. Andium cap.* 30. De hac eadem operarum ſeruitute in Gallia meminit Cæſar *lib. 7. comment. de bell. gall.* cùm ait pleroſque ruſticos apud Gallos iniuria potentiorum oppreſſos ſeſe in ſeruitutem dicare nobilibus, in illos eadem eſſe iura quæ Dominis in ſeruos. Hinc factũ vt Diocletiano imperante, plebe per eiuſmodi operas ſeruitute grauiter oppreſſa, & ruſtici in vnum coacti diuerſis rebelliones variis in locis excitarint, nomine Bagaudarum, nequea Maximiano debellari & coërceri ante annum quadringenteſimum potuerint, ſcribitque *loc. cit.* Saluian. ita oppreſſos ruſticos, coactos fuiſſe ſe vel deditios diuitum, vel bagaudas facere: fuit & caſtrum Bagaudarum in quod ſe eiuſmodi rebelles reciperent.

Hinc quoque prodiere caſati *lib. 3. legis Franc. c. 86. & lib. 4. c. 75. & lib. 3. capitular. c.* 45. Iuo *ep.* 28. 9
erant illi vaſſalli Dominici, qui intra caſam Domini ſeruiebant, vti dicitur *lib. 4. capitular. cap.* 75. vbi quoque ſtatuiut, *vt quicumque ex eis cum Domino Imperatore domi remanſerit*, id eſt non profectus fuerit ad militiã, *vaſſallos ſuos caſates ſecum nõ retineat, ſed cũ Comite cuius pagẽſis eſt, ire permittat.* Dicti ſunt caſati a caſa, id eſt villa. Paulus. Nolan. *ep. 2. ad Amandum. Vt in caſa Eccleſia, ſeruulam qua victũ ſuũ procuret, accipiat.* Caſamenta dixit Iuo *ep.* 137. & diſtinguit *à proprietatibus, quòd hæc tenerent potentes homines, ſe & ſua fortitudine ſua defendentes.* Hæc igitur caſamenta erant feuda quædam & beneficia. Et *ep.* 284. *Quidquid hactenus de caſamento Carnotenſis Eccleſia conceſſione poſſidẽtium, & præſidentium per annum & diem quietè poſſederint, de cætero noſtra cõceſſione quietè poſſideant.* Bernard. *ep. 39. ad principem Theobaldum*, quem monet vt Lingonenſem Epiſcopum abundanti honore, vt decet, ſuſcipiat. *Et de caſamento quod tenetis, homagiũ quod debetis, reuerenter & humiliter faciatis.* Fulbert. *ep.* 85. ad Guill. Aquitaniæ Ducem, cuius plagulam exſcripſit Iuo 12. *part. decreti, c.* 76. de forma fidelitatis; vbi oſtendit fidelem, id eſt, vaſſallum non debere nocere Domino ſuo; addit: *Vt fidelis hæc nocumenta caueat iuſtum eſt, ſed non ideò caſamentum meretur, non enim ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt.* Mendosè legebant aliqui *caſſamentum*, aut *cauſamentum*, nullo ſenſu. Denique caſatum Eccleſiæ habes in vetuſto lapide Eccleſiæ Aurelianenſis S. Crucis, quem refert Iuretus *in notis ad ep. 28. Iuon. Carnotenſ. Ex beneficio S. Crucis per Ioannem Epiſcopum & per Albertum S. Crucis caſatum, factus eſt liber Lambertus teſte ſancta Eccleſia.* Præter caſatos qui in dominorum caſis ſeruiebant, erant & pagenſes, quorum mentio fit *lib. 4. legis Franc. c. 75. capitular. lib. 3. c. 73.* & *c. 143.* & *lib. 4. c. 19.* atque alibi. Ita porrò dicti ſunt, qui eiuſdem erant pagi. Pagus autem non tantùm pro vico, ſed & pro prouincia, aut non exigua illius parte ſumitur apud Plin. *lib. 4. cap.* 17. Geſſoriacus pagus, cuius erat magnus tractus: apud Cæſarem ſeptem Heluetiorum pagi, apud Turonenſ. *lib. 9. cap.* pagus Stampenſis, vel Carnotenſ. Fredegarius *in appendice Gregorij, cap.* 57. pagus Tholoſanus, Chatorcinus, Aganenſis, Petrocorreus, & Santonicus. Inde noſtrum *pais*. Pagenſes igitur erant alicuius pagi incolæ, qui vni comiti ſuberant. Gregor. Turon. *lib. 8. cap.* 13. *Vuintrio Dux à pagenſibus ſuis depulſus, ducatu caruit.* Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionyſij. *Saxones & Vngarij, & Rhetomenſes, & cæteri pagenſes de aliis ciuitatibus.* Quamuis autem hæc vera ſit pagi & pagenſium ſignificatio, tamen in lege Francica nuper allata, quæ caſatos ſeruos beneficiatos, & pagenſes ſimul coniungit, videtur pagenſibus aliquam ſeruitutem, & obnoxietatem aduerſus Dominos vel patronos tribuere, quare aliqui non malè omninò pagenſes interpretantur pueros de pago Domini, in eiuſdem domo enutritos ad ipſius obſequia. Hincque deriuant nomen puerorum honoratiorum, quos *pages*, dicimus. Agobardus Lugdunenſ. *in cap. de priuileg. & iure ſacerdotij. Habeo vnum clericionem, quem mihi nutriui de ſeruis meis propriis, aut beneficialibus, ſiue pagenſibus, vele vt ordines eum mihi in presbyterum.* Hac porrò ordinatione liber fiebat, vt diximus aliàs *lib. de irregular, c. 3. q. 5. à n. 3.* Ex hac igitur antiqua caſatorum, pagenſium, atque omnium ferè

agricolarum nonnulla atque etiam aliquando grauia in Gallia ſeruitute, vbi clementiâ Dominorum ſenſim ſoluta eſt, ſuperfuiſſe pluribus in locis obnoxietatem ad operas ruſticas annuas Dominis, ſiue patronis reddendas, ad eum ſaltem modum quo illas liberti & clientes patronis exhibent, nō leuis videtur eſſe ſuſpicio; quæ tamen operæ vectigales, & obſequia præſtanda, aliquando ita grauia & importuna viſa ſunt, vt conſtitutionibus regiis ſæpius temperanda fuerint, immò & prohibenda, vti de S. Ludouico refertur *in lib. de ſtylo parlamenti, tit. de talliis exaction. & excub.* Adduximus in hanc rem etiam nuper conſtitutionem Ludouici XII. Caroli IX. & Henrici III. Sanè vt eiuſmodi vexatione ſe liberarent ruſtici, nonnunquam in Dominos ſumptis armis rebellaſſe leges apud Froiſſart. *lib. 1. hiſtor. c. 74.* Denique vndecumque deriuatum fuerit hoc ius ruſticarum operarum vectigalium, ſiue coruatarum, de illis quædam, quæ ſuboriri poſſent dubia, paucis perſtringenda ſunt.

10 Obſeruandum tamen prius eſt, plurimùm intereſſe inter clientelæ profeſſionem, & officium, ſiue operam clientelarem, ac proinde diuerſas eſſe vtriuſque obligationes. Priorem illam homagium, ſiue hominiū, aut vt loquitur Iuo Carnotenſ. *hominatum*, nominamus, quo ſolēni ritu, aliquis addicti clientis profeſſionem edit, de illo plura diſſeruimus opere de vſuris *lib. 4. c. 3. art. 8.* ex Roberto in ſupplemento Chronic. Sigeberti, Helmodio in hiſtoria Selanorum, Othone Abbate Veſpergenſi, Othone Abbate Friſingenſi, Aimonio *lib. 5. c. 24.* Radeuico *lib. 2.* & aliis. Opera verò clientelaris eſt aliquod ſeruitium, vt loquuntur, & obſequium, ſiue miniſterium, quod ex debito clientelæ Domino, vel patrono præſtare tenetur cliens, de quibus etiam egimus, *art. 6. cap. citato.* Nominant Feudiſtæ eiuſmodi obligationem, feudi conditionem, v.g. *vt vaſſallus in feſtiuis diebus vadat cū vxore Domini ad Eccleſiam: lib. 2. feudor. tit. 2.* Deinde non præſtita, aut negata die dicta profeſſione illa clientelaris addictionis, committitur feudum, ſaltem ſi vaſſallus cōtumaciter ceſſauit per annum & diem in petenda inueſtitura, *lib. 4. feud. tit. 76.* Eaque de cauſa feuda omnia dici poſſe *feuda periculi. fiefs de danger*, notat Cuiac. *in lib. 2. feud. tit. 21.* quamquam & alios eſſe mores Gallicos moneat *ibidem*, ſicut & Ragueau in ſuo vacabulario. At verò propter ceſſationem ſeruitij præſtandi, feudum non amittitur, *ex lib. 4. feud. tit. 27.* Impuberes excuſat ætas à præſtando fidei, ſiua clientelæ ſacramento, & expectare debet Dominus, quoad vaſſallus adoleuerit, quæ patientia interim pro fidelitate habetur, quamquam & per procuratorem profiteri queat; *lib. 4. feud. tit. 13.* ſeruitium tamen per alium facit, & cōſequenter ſoluit [illegible], & [illegible], inquit eo loco Cuiac. Denique hominium ſumptibus quidē vaſſalli præſtatur, ſeruitium ſiue opera, Domini & patroni ſumptibus; ſic enim habet *lib. 4. feud. tit. 107. Antiquatum eſſe ipſis rerum experimentis nos ipſi cognouimus, fideles, niſi aliud contractibus pactiones inſerta deſiderent, Dominorum ſumptibus eiſdem ſeruitia miniſtrare. Iuſtum namque eſt vt illi conſequantur ſtipendium, quo tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium, præſertim cùm nec quiſquam propriis cogatur impendiis militare, maximè cùm extra ciuitatis ſua territoria, ſeruitiis exhibendis eos contiguit fatigari.* Quamquam ea in re mores diuerſarum regionum diſſideant, cùm alicubi per aliquod tēpus ſuis ſumptibus domino militent clientes. Quia verò diximus operas vectigales deberi alicubi à ruſticis Dominis ſuis, ſicut patronis à clientibus, & libertis; de his operis eadem ferè quæruntur, quæ de iis, quæ à vaſſallis exhibentur, quamquàm iſta cuiuſdam reuerentiæ & ſubiectionis ſigna ſint, vel nonniſi nobiliora quædam obſequia, vt militia. Coruatæ verò, vti loquimur, vilia quædam & ruſticana munera contineant.

Quæritur itaque in primis, an agricolæ illas ſuas tributarias operas, & coruatas Domini ſumptibus, an propriis exhibere teneantur. Diſſentire enim videtur Paulus, & Iauolenus circa liberti operas, ille enim ex Sabini ſententia in *l. ſuo victu 18. D. de operis libertor.* exiſtimat libertum *ſuo victu, veſtituque*, operas præſtare debere, ſi tamen non habeat vnde ſe alat, præſtari à patrono debebunt alimenta. Iauolenus verò *in l. opera 21. D. eod.* eiuſmodi operas edendas eſſe ait in loco in quo patronus moratur, *ſed ſumptu & vectura patroni*. Immò in *l. 33.* negat imponi poſſe operas ea conditione, vt libertus ſe alat. Conſentit Neratius in *l. pen. §. 1. D. eod.* & non modò libertum, ſed & quemcumque alium edentem operas, alendum eſſe affirmat, aut illi ſatis temporis relinquendum ad quæſtum alimentorum, & curam corporis neceſſariam, cuius aſſertionis ea videtur eſſe ratio, quod cùm eiuſmodi operæ ſine mercede præſtentur, victum ſaltem requirant. Hanc antinomiam ita paſſim conciliant DD. vt quoties Agricola, aut vaſſallus, aut quilibet alius, ſiue ex cōſuetudine regionis, ſiue ex ſacramento fidelitatis, & iure ſubiectionis, ſiue ex contractu operas præſtare tenetur, ſuis etiam ſumptibus id facere teneatur, niſi pactis conuentis aliud quidpiam contineatur. Ratio eſt quia ad operarum exhibitionem obligatur abſolutè, & ſimpliciter, neque quidquam de ſumptibus illi ſuppeditandis exceptum eſt: neque magnum commodum afferret illud ius operarum exigendarum Domino, ſi & ſumptus conferre, & operarios alere deberet, & ſumptus eiuſmodi in parte operarum eſt numerandus, atque ita intelligenda eſt *l. 8. allata*, & Sabini Pauliue ſententia: quare Pariſienſis Curia agricolas coruatas & operas ſuis ſumptibus præſtare voluit ſuo decreto anni 1578. 23. Decemb. quod refert Bacquet. *tractat. de iuribus iuſtitiæ, c. 29. num. 42.* ideóque ita ſentiunt Chopin. *lib. 1. de priuileg. ruſticor. 1. part. cap. 7. n. 3. & in conſ. And. lib. 1. tit. 1. cap. 5. n. 2.* Charond. *lib. 1. reſponſor. cap. 11.* Si tamen agricola præſtans eiuſmodi operas ſe alere nequeat; vel alendus erit à Domino, vel illi tantùm temporis relinquendum erit, quantùm neceſſarium fuerit ad victum quærendum. Neque aliud voluere Iauolenus, & Neratius locis adductis, hancque diſtinctionem, ſiue cōciliationē diſſidentium Iuriſconſultorum, nō modò probauit Cuiac. *in l. ſuo ſumptu, nuper allata*; ſed ſua confirmauit authoritate Senatus Tholoſanus, decreto quod refert in ſuis quæſtionibus Durant. eius ſapientiſſimus quondam Præſes Primarius: mihi placet Chaſſanæ. *in conſuet. Burg. rubr 9. verb. corueables, q. 1. n. 16.* vbi relatis Baldi & aliorum diſtinctionibus tandem concludit receptos mores & conſuetudinem tenendam. Vbi tamen de ea conſuetudine minimè conſtabit, ſequendam exiſtimo communiorem ſententiam à nobis allatam, quam etiam agnoſcit Chaſſanæ & coruatas agricolæ ſumptibus exhibendas eſſe, niſi ſeipſum alere nequeat, tunc enim victus illi à Domino ſuppeditandus erit. Huic tamen communiori ſententiæ videtur derogare ſummæ Curiæ iudicatum an. 1643. 7. Septemb. in cauſa Domini de Fogeroles, quod refert eruditus Iuriſconſultus ab Henricis

in

in ſua collectione arreſtor. *lib.3. quæſt.32.* quod alı imperat Domini ſumptibus ruſticanos corueas exhibētes. Verū hoc ſuo decreto Curia cōfirmauit tranſactionem, cuius ibidem meminit, & poſſeſſionem ſiue vſum immemorialē præſtandi Domino illi certum numerum coruatatum cum onere alendi eos operarios. Hinc ſequitur quod addit Chaſſanæ. *num.29.* quod ſi ruſticus præſtando ſuas operas, inſtrumenta quibus laborat, conſumat, deterat, diſtringat, currum v.g. aratrum, ligones, boues, aut equos, illorum refectionem, aut damnum non tenebitur præſtare dominus, adducitque eam in rem Iaſonem & Iacob. à S. Georgio. Euidentque eſt ſententia gloſſæ *in l. Quoniam liberi 11. Cod. de teſtibus, verſ. ſumptus.* Cum enim edicant Imperatores, teſtibus liberis, qui ad iudicium euocantur, prouideri ſumptus neceſſarios, ſiue impendia ab iis, qui illos producunt; inde arguit Gloſſa *laboratores ali, ſed non eorum inſtrumenta emēdari.* Quod de alendis operariis ait, intelligendum eſt de iis, qui gratis laborant. His omnibus adde nonnunquam quæpiam vel ex conſuetudine, vel ex ipſa inſtitutione dominiorum indulgeri à Dominis, quæ ruſticis, aliiſve clientibus pro ipſis laborantibus, vel obſequium aliquod exhibentibus, cuiuſdam muneris, ac veluti mercedis vicem habere poſſint. Illuſtre exemplum habemus in obſequio, quod Baro Ceſſacus exhibet Epiſcopo & Comiti Carducenſi, dum Carducum ſolemni pompa primùm ingreditur, illius enim Mulæ frænum, nudo capite, abiecto pallio, nudo pede & tibia dextra, & altero crepida calceato apprehendit, eoque habitu ad primarium templum, indéque ad Epiſcopium deducit, ibique accumbenti miniſtrat, in cuius obſequij veluti compenſationem, aut gratitudinem tum mulam, tum abaci argentariam ſuppellectilem, & vaſarium inſtrumentum ſibi ſeruat: de quo more plura Oliua *lib.2. quæſtion. forenſ. cap.8.* vbi oſtendit hoc obſequium & honorificum, & vtile eſſe eiuſmodi Baroni. Similia itaque poſſunt reciproca iura inter Dominos & clientes reperiri, quæ ſeruanda omnino erunt. Verùm ad coruatas, & operas vectigales redeamus, de quibus.

12 Quæritur ſecundò, an dominus ſibi debitas corueas, aliis delegare, & remittere poſſit, atque in alios vſus cedere. Diſtinguunt aliqui inter operas patronis debitas, nam fabriles & artificiales aliis delegare poteſt, non tamen obſequiales, *l. operæ 9. l. patronus 25. §. finali, l. ſi libertus 27. D. de operis libertor.* Non eadem tamen eſt cornearum ratio, quas dominus aliis cedere nequit, niſi tranſlato dominio. Ita Boërius *Deciſ. 212. n.19.* Chaſſan. *in Rubricam 9. citatam, verb. corueabiles n.31.* vbi etiam refert decretum Curiæ Burgundæ ann. 1507. Idem ſancinit Senatus Pariſienſis decreto nuper relato anni 1643. die 7. Septemb. Negantque *corueas* poſſe à Domino vendi. Ratio eſſe videtur, quia iure dominij & in ſignum ſubiectionis non poteſt obligari ruſticus illam ſeruitutem aut ſubiectionem alij, quàm ſuo domino exhibere; qua etiam de cauſa cogi nequit vt illas corueas extra territorium & ditionē Domini ſui præſtet, cùm non niſi ratione illius territorij & iuriſdictionis obligetur ad eiuſmodi operas, quæ obligatio cùm quædam ſeruitus ſit, opponaturque libertati, cui potiùs fauendum eſſe nemo dubitat, ſtrictius explicanda eſt, vt in omnibus odioſis contingit. Nihilominus Curia Pariſienſis ann. 1543. 2. Septemb. in cauſa Domini de Chalmazel, damnauit illius ſubditos ruſticanos ad præſtandas corueas, tam intra illud *mandamentum*, ſiue tractum, quàm eiuſdem domini alias ditiones ſex aut ſeptem tantùm leucis diſtantes, modò ſi eadem die domum redire nequeant, alantur cum ſuis iumentis, aut bobus, eius Domini expenſis.

13 Quæritur tertiò an corueæ poſſint reliquari, & vt vulgò loquimur *S'arrerager*, hoc eſt ſi non fuerint ſuo tempore exhibitæ, peti deinde poſſint a Domino: v. gr. debentur à ruſticis quatuor annuæ corueæ domino, quarum vel nullas, vel duas tantùm accepit, poteritne anno ſequenti, vel octo, vel ſex exigere, nempe eas omnes quæ anno iſto non fuerint præſtitæ, & ſimul eas quæ anno ſequenti debebuntur; aut ſi dominus centum ruſticos homines habeat corueis obnoxios, accepit tamen à quinquaginta dumtaxat, quia aliorum operæ non fuerunt ipſi neceſſariæ; poteritne ab illis quinquaginta exigere anno ſequenti duas corueas, aut hoc etiam anno æſtimationem earum cornearum, quæ ſibi præſtitæ non ſunt; hoc enim poſtremum volunt aliqui, atque ita reliqua cornearum ſoluenda eſſe in æſtimatione. Veriùs tamen exiſtimat Chaſſan. *lib. cit. n.33.* & Ferrerius *in notis ad q.472. Guidon. Pap.* non reliquari has corueas, niſi petitæ & recuſatæ fuerint, itáque vſum obtinuiſſe; quia iudicium de operis haberi nequit, niſi vbi præterierint; præterire autem non poſſunt, antequam incipiant cedere, non incipiunt verò cedere, niſi indictæ ſint; quod manifeſtè tradidit Iulianus *in l. quotiens 24. D. de operis libertor.* & Vlpian. *l. ſi quis 15. §. iudicium. D. eod.* Itáque intellige Pomponium cùm *in l. duobus 4.* & *l. ſi quando 8. D. eod.* dixit præteritarum operarum actionem dari. Eódemque pertinet Curiæ Burgundionum decretum quod eo *num.23.* adducit Chaſſan. & decretum Pariſienſe nuper allatum, quod æſtimari vult corueas non præſtitas, indictas tamen fuiſſe ſupponit. Quod ſi nonnunquam dominij lex ferat, vt tot corueas ſoluant, vel pro ſingulis certam pecuniæ ſummam; non datur libera optio Domino indicendi operas, & corueas, vel illam ipſarum æſtimationem pro arbitrio; ea ſiquidem electio eſt in arbitrio ruſticanorum, qui vel ſibi indictam debitam corueam præſtabunt, vel ſi eam recuſent, æſtimationem ipſius ſoluent, prout maluerint. Itaque iudicatum fuit à ſuprema Curia in cauſa Comitis Caſtri Villani, qui contendebat ſibi liberum eſſe ruſticanis tres annuas corueas reficiendis caſtri mœnibus, ad quas lege ſubiectionis tenebantur, imperare, vel ipſis ſex denarios, quibus eadem lege æſtimabantur ſingulæ corueæ, imponere, quod ius Comiti negauit Curia ſuo decreto, permiſitque dumtaxat ruſticanis illis, vel indictam corueam exhibere, vel ſoluere eius æſtimationem, quam tamen *in pecunia forti*, vt loquitur, hoc eſt maioris valoris faciendam eſſe conſtituit; contendebat ſiquidem Comes ſingulos illos denarios valuiſſe tres ſolidos Turonenſes. Hoc Curiæ decretum refert Bacquet. *cap.29. citato n.43.* aliud autem decretum quod ex Henricio adducebamus, æſtimauit ſingulas corueas carrucarias quindecim ſolidis, manuales autem quinque.

14 Quæritur quartò, An ſi quis debeat vnam annuam operam, & corueam Domino, & tres relinquat hæredes filios, qui mortuo parente ſeorſim habitant, diuerſaſque familias conſtituunt, ſinguli debeant vnam corueam Domino, qui proinde morte patris, duas corueas acquiſierit. Attingit quidem hanc quæſtionem Guido Pap. *q.472.* ſed definire noluit, conſulendumque monuit Martin. de Iano *tractat. de hominio.* Eandem quoque tractauit

Boër. *Deciſion.* 213. *num.* 12. 13. *&* 15. & *deciſion.* 212. *n.* 2. 3. 4. Speculat. *de feudis*, §. *quoniam ſuper homagiis*, *n.* 19. Commentator conſuetud. Pariſienſ. §. 2. *gloſſa* 4. *n.* 33. *&* 44. Challanæ *in rub. citat.* 9. §. 18. *n.* 30. vbi & Iacob à S. Georgio, qui *in tract. de Roydis* ampliſſimè diſputauit, refert. Placet communis diſtinctio; vel enim iſtæ operæ debentur ratione alicuius manſi & certorum prædiorum, vel ratione homagij, cuius vel ſignum, vel effectus eſt illius operæ debitum, quod potiùs afficit & obligat primò & per ſe perſonam ruſtici, pagum illum incolentis, quàm eius prædium, cum in alio caſu ea obligatio cadat primò, & directè in ipſum prædium, & conſequenter tantùm in perſonam. Quando itaque obligatio corueæ afficit ipſum prædium, tranſit cum ipſo prædio ad eius poſſeſſores, qui ſi vel totum prædium, vel illius partem dumtaxat obtineant pro rata portionis à ſe poſſeſſæ, eam operam aut illius partem debebunt: quare ea coruea non multiplicabitur pro multitudine poſſeſſorum. Quod ſi obligatio afficiat ipſas perſonas primò & per ſe, quia debetur ratione ſubiectionis, & hominij, debebunt ſinguli liberi qui nouas facient familias, mortuo parente ſuam propriam & diſtinctam corueam, quare earum numerus neceſſariò creſcit.

15 Quæritur quintò quandonam, & quomodo debeantur corueæ. Ad primum reſpondeo corueam eſſe operationem diurnam; nam *l.* 1. *&* 3. *D. de operis libertor.* opera eſt diurnum officium, nomine verò diei intelligendus eſt dies artificialis, *l.* 2. *de ann. legat.* & *l.* 2. §. *fin. D. de verb. ſignific.* vbi gloſſa plura annotat. Non tenetur igitur ruſticus corueas nocte præſtare, niſi aliter conuentum ſit: addit & Bald. *in rubr. de oper. libertor.* magnam domini neceſſitatem, quæ aliquam partem noctis poſtulet. Præterea circa tempus præſtandi coruatas, vel illud definitum eſt lege, aut conſuetudine municipali, vel ratione operæ quæ non niſi certa anni tempeſtate fieri valet, vt meſſis, fœniſicia, vindemiatio, aliæ non requirunt certum tempus, quia toto anno ſatis opportunè præſtari poterunt, quare à Domino illud tunc indicari debebit. Deinde quoad durationem vna coruea iure communi non tenet niſi vnum diem, cùm vti iam monui ſit diurnum officium; quare ſi iniungatur opus quod teneat tres dies, erunt tres corueæ, vt ſi aliquid vehendum curetur, neque vectura vno die ita perfici queat, vt carrucarius domum eadem die redeat; atque adeò duos aut tres dies inſumat, vel totidem erunt numerandæ corueæ, quot dies impenſi ſunt, vel ſi vna tantum ſit coruata, vnaque dumtaxat debeatur, ſoluendæ erunt operæ duorum aliorum dierum. Nonnullæ tamen corueæ non definiuntur vno tantum die, quia opera quæ præſtanda eſt plures ex ſua natura dies poſtulat, vt meſſis, vindemia, fœniſcium, ſi teneantur v.g. ruſticani meſſes Domini, vel ſecare, vel colligere, quod idem dico de vindemia, fœniſciis, vectatione & aliis ſimilibus; quamquàm ferè ita iſta præſtare tenentur, vt ſinguli vnum diem in illis collaborent, ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè. Vnde fit, vt neque omnes aliquando laborent, neque etiam ſucceſſiuè, cùm pauciores ſufficiant, eritque tunc in Domini arbitrio, quibus voluerit operas indicere, neque ab aliis, quibus non indixerit, earum operarum pecuniariam æſtimationem repetere licebit, quamuis teneantur iſti ex lege peculiari ad operam, aut certam pecuniam ſoluendam; quia illa optio non fit Domino, ſed ruſticis, quod nuper oſtendimus.

Quoad numerum coruearum debitarum vel ille definitus eſt, vel indefinitus, quia ſubditi ſunt corueabiles pro arbitrio & voluntate Domini, vel quia non ſatis conſtat de numero debito. Definitum igitur numerum coruearum debent, vbi illis indicitur, ruſticani, alioquin non datur aduersùs eos actio Domino, pro non exhibitis, & præteritis corueis, cùm enim neque indictæ, neque recuſatæ fuerint; præteritæ dici nequeunt, quod monuiſſe me memini. Qui ſunt pro voluntate Domini corueabiles, non poſſunt tamen perpetuò in iſtis operis vectigalibus à Domino detineri, quia voluntas illa Domini iuſta & legitima eſſe debet, quod profectò non eſſet, ſi neque curandæ familiæ, neque propriis colendis agris, aliiſque operis ruſtico neceſſariis tempus commodum relinqueret; quare illa ad voluntatem Domini corueabilitas ita mihi exponenda videtur, vt non ad certa tantùm opera teneantur iſti corueabiles, ſed ad omnia etiam non ſolita, quæ Dominus imperarit, & non ad carrucarias tantùm, aut manuales operas, ſed ad quaſcumque alias, v.g. ad fabriles, & & obſequiales, non tamen perpetuò, ſed quatenus æquitas, & ratio patitur. Vnde quoque factum, vt quoties ruſtici aduerſus improbam illam & moleſtam Dominorum in operis exigendis vexationem ad Curiam appellarunt, illa modum & numerum, vel ex antiquo vſu, vel ex contractibus, vel ex naturali æquitate definierit. Decreto itaque adducto anni 1543. Dynaſtæ de Chalmazer duodecim corueas annuas adiudicauit, quæ aut carrucariæ, aut manuales eſſent. At verò decreto anni 1643. non niſi quinque Domino de Fogerolles, aliis pauciores aut plures, prout diuerſarum cauſarum momenta poſtulabant. Iniuriam verò ſubditis faciunt Domini, ſi plures corueas, aut alio modo quàm debeantur ab illis exigant, atque ad eiuſmodi operarum indebitarum compenſationem omninò tenentur.

16 Quæritur ſextò, An ius coruearum cenſeri debeat in dominij prouentibus, ac proinde in eiuſmodi prouentibus æſtimandis coruearum quoque ratio habenda ſit, adeóque tum prouentus, tum ipſummet dominium, & clientelæ iure ac nomine prædium pluris ea ex cauſa iure merito vendantur. Cum enim iſtæ corueæ annuæ certæ ſint, & alicuius ſine dubio valoris, æſtimationem prædij nobilis, cui clientelari iure debentur, augere omninò debent, maximè cùm *ſæpiſ*ſimè ruſtici ſe eo onere pecunia redimant, aut vel illud onus præſtare debeant, vel eius æſtimationẽ certo, eoque definito pretio ſoluere. Cur igitur ex eiuſmodi certo & non fortuito dumtaxat aut caſuali prouentu non æquè deſumetur nobilis prædij valor, atque ex aliis redditibus etiam incertis deſumitur. Verùm cùm non debeantur corueæ, niſi vbi neceſſariæ Domino ſunt, ab eoque indicuntur, neque ſi indictæ non fuerint, ipſarum æſtimatio ſoluenda ſit, ſicut neque ipſarum reliqua, cum non reliquentur; & quæ vno anno præſtitæ non ſunt, ſequenti deinde minimè debeantur; quæ omnia docuimus hactenus; non videntur inter certos prædij nobilis prouentus iure numerari, ſicut neque ius laudimiorum; quare in æſtimationem talis prædij non venient. Mihi diſtinguendum videtur ius iſtarum coruearum, ab ipſiſmet corueis, & præterea pretium prædij clientelari iure nobilis, & cui obnoxij ſunt clientes corueas & operas vectigales annuas præſtare, à pretio prouentuum talis prædij. Nã ius coruearum exigendarum,

gendarum, illuſtrius reddit eiuſmodi prædium, & maioris longè æſtimationis & pretij, ſicut & ius laudimiorum, quinimmò ſæpius eiuſmodi nobilia prædia, aut emuntur, aut magnifiunt, quia illis clientelaribus iuribus, ex quibus dominij nobilitas creſcit, gaudent; quamuis cæteri prouentus exigui exiſtant. Coruææ tamen ipſæ non numerantur in prædij nobilis prouentibus, quorum proinde valor, ac pretium inde non creſcit, cùm incertæ ſint, vt diximus. Quare ſi prouentus prædij nobilis præcisè vendantur ſeorſim ab ipſomet prædio, non augebitur pretium prouentuum illorum, ratione coruearum debitarum, cùm illæ non cenſeantur inter prouentus, qui emuntur; vnde quoque ſequitur quoties in venditione nobilis prædij pretium eius ducitur, aut conſtituitur ex valore & æſtimatione prouentuum, ex quorum modulo totus valor definitur; dantur v.gr. quadragintavel centeni nummi pro duobus nummis redditnum, non creſcet pretium talis prædij ex æſtimatione coruearum, quæ non numerantur in prouentibus, ex quorum valore dumtaxat totius pretij valor & pretium definitur. At verò ſi nobilis prædij pretium non ex ſola dumtaxat prouentuum, qui tenues aliquando ſunt, æſtimatione ducatur, ſed ex eius nobilitate, quæ in præcipuis quibuſdam & illuſtribus iuribus, & amplitudine clientelæ conſiſtit, attendatur, vt ferè fit, ex iure etiam corueatum pauciorum aut plurium creſcet, aut minuetur prædij valor, eo modo, quo ex aliis quoque in feudatarios aut clientes iuribus. Neque aliud ſanè mihi definiuiſſe videtur Curia ſuo decreto an. 1641. Septembris ſeptimo, in cauſa Domini de Pellitac, & Domini Marchionis à Sancto Praiecto, quod refert Henricus *in ſua collectione lib. 3. q. 33.*

17 Ad hæc operarum vectigalium onera reuoco ius caſtellanæ cuſtodiæ, ſiue clientelaris vigiliæ, illam enim ſuis vectalibus quidam Domini indicere poſſunt: & ſanè generali operarum ſtipulatione, cuſtodia domus, aut caſtri continetur; quod colligunt aliqui *ex l. duorum 43. D. de operis libertorum*, ſed non ſatis efficaciter. Malim id ego communi DD. ſenſui tribuere, qui ex generali operarum, & coruatarum promiſſione deberi excobias paſſim exiſtimant, apud Boer. *deciſion.* 212. De Cæſarum & Principum Prætorianis cohortibus, domeſticis ſtipatoribus, protectoribus, ſpeculatoribus, ſatellitibus, aliiſque eiuſmodi plurima ſuo more congeſſit Bulenger. *lib. 3. de Imper. Roman. à capit.* 32. ad quæ digredi impræſentiarum non placet; tu ipſe conſule. Moneo dumtaxat Dynaſtas, Principum & Cæſarum antiquo exemplo, de quo Bulenger *cap.* 38. domeſticos quoque excubitores & ſtipatores ac σωματοφυλακὰς habere voluiſſe, indeque ius clientibus, & vectigalibus ſuis indicendæ cuſtodiæ, & excubiarum ad caſtri aut domus tuitionem, ſuique corporis protegendi curam, ſibi ſumpſiſſe; de quo iure diſputat Guid. Pap. *deciſion.* 631. *num.* 33. Boër. *deciſion.* 212. Benedict. *in cap. Raynutius, verſ. & vxorem, num.* 466. Chopin. *in conſuetud. And. cap.* 37. *num.* 11. & *lib. 3. de doman. tit.* 18. Vocant. noſtri Galli *Guet & garde, Guetum & Guardiam.* Probauit hoc ius Senatus Pariſienſis vindicario decreto 3. *Kal. Septemb. ann.* 1427. quod refert Chopin. *tit.* 18. *citato. num.* 8. Qui legitimè ab excubiis indictis excuſabatur, mulctabatur hyeme denariis 16. æſtate 12. in ſalarium eius qui illius vicem ſupplebat; poterat & ille alium ſuo loco ſufficere ex eodem Senatus decreto. Vbi tamen non beneficiario fundorum iure petuntur à Dominis excubiæ, ſed à Rege ſubditis imperantur, vetitum eſt Francicis Conſtitutionibus, ne vltra quintum aſſem integro anno dependatur hoc ſtatim prædij nomine, liberaque detur optio agendarum excubiarum, aut eis non factis ſoluendorum quinque aſſium in limitaneis agris. Locum quoque coopertum excubantibus tradi oportet, neque in locis dirutis excubiarum ius exigere licet ex edicto Ludouici XI. die 20. April. ann. 1479. & Lud. XII. die vlt. Decemb. ann. 1504. Verùm Aurelianenſi conſtitutione *art.* 103. abrogatum eſt tale excubiarum ius, prætequàm in arcibus, fundiſque hoſtico limiti oppoſitis, aut alibi Gallia bellis diuexata. Quod porrò attinet ad has clientelares cuſtodias, de quibus modò diſputamus, ſubditi non tenentur eas alibi quàm in caſtro ſolito Domino præſtare, aut exoluere, quod obſeruant Albert. Brun. *conſil.* 87. & Boër. *citata deciſion.* 212. & Chopin. loco nuper adducto. Quare diruto caſtro, liberantur vti monebamus eo onere, aut ſaltem facilè obtinere poſſunt, ne aliò transferatur hoc onus, reædificato tamen caſtro redit, & vt loquuntur reuiuiſcit excubiarum onus. Deinde ſi caſtrum cui ius excubiarum accedit, adeò diſtet à ſubditis, vt nihil planè commodi conferat ipſis ea cuſtodia, propinquiori caſtro tribuendum erit ius illud, aut ſubditi viciniores eo premendi erunt, ita Maſn. *tit. de Talliis & excub.* Denique vendi non poteſt hoc ius à Domino, niſi prædio, aut caſtro cui annexum eſt, vendito. De vrbanis excubiis nocturnis apud Romanos, Athenienſes, & Noſtrates quoque, commodior erit alibi diſputandi locus, adi interim Chopin. *lib. 1. de legib. And. cap.* 43. *num.* 2. 3. 4. Atque hactenus de tributo perſonali, & operis vectigalibus.

ARTICVLVS VII.

De tributo cenſus, ſiue in ſolum, & in agros.

Quid ſit tributum cenſus. 1.
A quo primum inſtitutum. 2.
Quando & quomodo fieret. 3.
Quinam eſſent cenſitores, peræquatores, inſpectores, tabularij. 4.
Cenſuales tabulæ. 5.
Multiplux tributum cenſus agris impoſitum. 6.
De tributo ex paſtione pecorum, & ſiluis. 6. 7.
De vectigali ex arboribus & ſyluis. 7.
De iure gruariæ. ibid. & 8. 9.
Regia in eam rem Conſtitutiones. 8. 9.

HÆc eſt altera tributi ſpecies, quam Feſtus tri-
buto capitis opponebat, illud enim erat per- 1
ſonarum, hoc rerum, & maximè agrorum, vel vt verius dicam, facultatum cuiuſque: nam cenſus, tum cuiuſque bona, ſubſtantiam, & facultates propriè ſignificat Vlpiano *l. cogi* 16. *initio. D. ad SC. Trebellian.* tum eiuſmodi facultatum deſcriptionem, & tabulas: definit enim Theophil. *§. vlt. inſt.*
de

de libertinis cenſum, chartam ſiue tabulam in qua Romani ſuas ſcribebãt facultates, vt ingruẽte bello quiſque pro menſura propriæ ſubſtantiæ conferret *κῆνσος ὁ πίναξ ἤτοι χάρτης ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας οὐσίας ἐπὶ τῷ ἐνεστῶτι πολέμῳ κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως ἕκαστον εἰσφέρειν.* Eadẽ ſignificatione Quintus Mutius Scœuola dixit *l. qua quiſque 64. D. de acquir. rer. dom.* quæ quiſque aliena in cenſum deduxit nihilo magis eius fieri: ea quippe in ſuis bonis recenſione ſua non fiunt, & ſemper aliena manent. Cic. *orat. pro Cluent. ſect. 141. Craſſus aiebat eas ſe balneas a Bruto, non ex libris patris, ſed ex tabulis & ex cenſu quærere.* Et 4. Verr. §. 63. *Cenſus iſto prætore qui ſunt habiti non ſeruaturum ſe Metellus oſtenderat.* Caſſiodor. *lib. 3. ep. 52.* ait cenſu deſcriptum fuiſſe orbem ab Auguſto. Marcell. *in l. cenſus 10. D. de probationibus* ſcribit cenſus & monumenta publica potiora eſſe teſtibus ex authoritate Senatus: nomine verò cenſus publicas cuiuſque territorij tabulas, in quibus ſingulorum prædia, & fundi recenſebantur intelligit; quia verò ea recenſio facultatum fiebat, vt quiſque pro modo illarum contribueret ad communes reipublicæ neceſſitates, hinc tributum illud cenſus eſt appellatum, & maximè illud quod agris & fundis imponebatur; vnde quoque factum eſt, vt quæ penſiones, aut prouentus alicui ex fundo aliquo, & prædio præſtarentur, cenſus etiam nomine dicerentur. Quæ omnia oſtendimus *opere de vſuris lib. 4. cap. 6. art. 1.* Quia denique cùm ſingulorum patrimonia & bona numerarentur, neceſſariò quòque populus recenſebatur, ea populi numeratio cenſus vulgò nominata eſt. Suidas, *κῆνσος ἐξέτασις Ῥωμαίων πλήθους.* Sueton. *in Iulio cap. 41. & in Aug. cap. 40.* recenſum populi dixit. Græci *ἀπογραφὰς* deſcriptiones vocant. Dio *lib. 53.* de Auguſto *τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε, & τῶν Γαλατῶν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο.* Cenſus igitur eſt annuum tributum & vectigal cuique pro menſura ſuarum facultatum, atque maxime propriè agris, & fundis pro cuiuſque modo impoſitum. Suidas *κῆνσος ἐτήσιον τέλος.*

2 Hoc tributi genus & cenſum primus inſtituit Seruius Tull. vti manifeſtò tradunt *Liu. lib. 1. & Dyoniſius lib. 4.* nam antea tributum in capita conferri mos fuit, adeò vt cùm Regi pecunia opus eſſet, æquè pauperes ac diuites onere premerentur, quod Seruio iniquum viſum fuit, quare voluit, inquit Liuius, belli paciſque munia non viritim, vt ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Itaque iuſſit, quod narrat Dionyſ. *ἅπαντας Ῥωμαίους ἀπογράφεσθαι*, Romanos omnes deſcribi, æſtimari eorum bona argento, legitimo iuramento præſtito, æſtimationem veram, & ex optimis bonis eſſe, ſcriptis nominibus patrum, vxorum, & numero filiorum, & ætate quam ipſi agerent, & loco ac pago in quo habitarent. Deinde tributa indixit ex cenſu & æſtimatione bonorum: *τὰς δὲ τῶν εἰσφορῶν ἐπιταγὰς κατὰ τὰ τιμήματα τῶν βίων*: nempe æſtimans quanti ſumptus in commeatum militum & alia belli onera ſufficerent, diuiſit in centum nonaginta centurias, & vnumquemque pendere iuſſit. Inde factum vt ditiores cùm pauciores eſſent in plures centurias diuiſi, ſæpius emilitarent, & plura conferrent. Liuius ait vrbem ab ipſo quadrifariã fuiſſe diuiſã, & partes quę habitabãtur, Tribus appellatas à tributo, cuius æqualiter ex cenſu conferendi rationem iniuit. Ea tamen diſplicuit Tarquinio Superbo, qui illam aboleuit, & tributum denuò in capita pendi voluit. Itaque ſi quãdo pecuniis eguere, diuites & pauperes eas ex æquo pendebant, quod plebem perdidit, cùm prima ſtatim indictione ſinguli decem drachmas inferre coacti fuerint, teſte Dionyſio. Idcircò Valerius Publicola in ſecundo ſuo conſulatu vetus Seruij inſtitutum reuocauit, & ciues in bellum pecunias vbi opus eſſet ex cenſu conferre voluit *χρήματα εἰς τὸν πόλεμον εἰσφέρειν ἀπὸ τῶν ἴσων*, inquit Plutarch. *in Public.* Ipſe tamen eam publicam pecuniam ex cenſu collectam attingere voluit, aut à ſuis amicis adminiſtrari, aut in domum priuati cuiuſquam inferri, ſed in æde Saturni ærarium inſtituit, cuius ſeruandi & adminiſtrandi causâ duos quæſtores creandi liberam populo poteſtatem fecit: qua de re diximus nuper. Singulis quidem luſtris cenſebatur Populus Romanus, vt & Ciuium numerus iniretur, & facultatum cuiuſque æſtimatio, de quo cenſu modò non diſputo, ſed de eo ex quo indicebatur tributum, quem cenſum actum eſſe per Prouincias ex toto Cod. de cenſibus conſtat. Cic. 4. *Verr. ſect. 131. Omnes Siculi ex cenſu quotannis tributa conferunt.* Hunc primùm Galliæ indictum fuiſſe a Iulio Cæſare vulgò exiſtimant, ſed perperam, etſi enim ille H. S. quadringenties impoſuerit deuictæ Galliæ tributi nomine, vti Sueton. & Eutrop. tradunt, non propterea tamen dicunt cenſum de quo agimus ab illo inſtitutum, quod de Auguſto cùm Narbone eſſet, diſertè narrat Liuij Epitom. Cùm Auguſtus conuentum Narbone ageret, cenſus à tribus Galliis, quas Cæſar Pater vicerat actus, quod ſeptimo eiuſdem Conſulatu contigiſſe notat Dio, qui ait illum & Gallias bellis ciuilibus inquietas placaſſe, & ipſorum cenſum egiſſe, vitamque ac politiam compoſuiſſe: *καὶ αὐτῶν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε.* Claudius in ea celebri oratione quam habuit in Senatu commendans Gallorum immobilem centum annorum fidem, obſequiumque trepidis rebus pluſquàm expertum, licèt quondam bello D. Iulium per decem annos exercuiſſent, id probat quod Patri ſuo Druſo Germaniam ſubigenti tutam quiete ſua ſecuramque à tergo pacem præſtitiſſent eo maximè tempore, *quo à cenſu nouo tum opere, & inadſueto Galliis ad bellum auocatus eſſet, quod opus quàm arduum ſit nobis nunc quam maximè, quamuis nihil vltra quam vt publicè nota ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.* Vides igitur cẽſum inſuetum opus fuiſſe Gallis, cùm illi perficiendo Druſus ab Auguſto præfectus fuit. Habes præterea alio fine cenſum Romæ, atque in Galliis inſtitutum fuiſſe; Romæ quidem, vt publicè notæ eſſent Romanorum Ciuium facultates: in Galliis autem, vt ex modo cenſus tributum penderent, ac vectigal. Hanc eandem cenſendi cæteras Prouincias rationem idem Auguſtus inſtituit, diciturque *Luc. 2.* deſcriptionem orbis vniuerſi imperaſſe *ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*, eamque deſcriptionem primùm factam à Præſide Siriæ Cirino: quæ non fuit ſolum recenſio quædam populi, vt capitum orbis Romani numerus iniretur, vti aliqui exiſtimant apud Maldonat. neque etiam Geometrica tantùm orbis Romani deſcriptio; illa enim à Iulio Cæſare ex SC. fuit inchoata, & demùm ab Auguſto abſoluta, vniuerſuſque Romanus orbis à dimenſoribus 32. annis peragratus. Fuit itaque & hominum, & facultatum quoque ac bonorum ad tributum pendendum, pro cenſus modo inquiſitio, & annotatio. Quod autem primùm in Iudæa à Cirino Præſide factam dicat Lucas, non ſignificat

tunc

Digitized by Google

tunc primùm Iudæos factos fuiſſe Romano Imperio vectigales, cùm iis domitis Pompeius iam diu ante tributum imperaſſet, quod teſtatur Cic. *orat. pro Flacco.* Ioſeph. *lib.* 14.*ant. c.*8. Ammian.*lib.* 14. Auguſtin.*lib.* 18. *de ciuit. cap.*45. & cæteri paſſim, neque vnquam fuiſſe interruptum hoc tributum: quia tamen non erat indictum pro ratione cenſus, idcircò tunc vbique cenſum inſtitui voluit Auguſt. vti illum ſeptimo ſuo Conſulatu in Galliis iam feciſſe ex Dione monuimus. Atque id verius exiſtimamus quàm, quod ait Baroni. eam deſcriptionem primam à Luca nominari comparatione ſecundæ, quæ ab eodem Præſide Cirino, vel Quirino facta eſt, dum Romano more quolibet luſtro cenſum & ipſe Syriæ fecit, vel potius quando Herodis filio Archelao relegato, eius bona fiſco adiudicauit idem Cirinus, & Iudæam prouinciæ Syriæ attribuit. Verius eſt quod diximus tunc primùm cenſam fuiſſe Iudæam quando vniuerſus orbis cenſeri iuſſus eſt ab Auguſto, vt ex eo cenſu penderetur tributum: nam licet iam multò ante tum à Iudæa, tum ab aliis tributum impoſitum Romanis penderetur; illud tamen ex cenſu, & pro eius modo non indicebatur, id verò ab Auguſto iam ſeniore inſtitutum ea de cauſa voluit Caſſiodor. *lib.* 3. *ep.* 52. quia cùm immenſis cladibus afflictus fuiſſet orbis, atque multis in locis dominia rerum haberentur incerta atque confuſa, ſatis diſpici non potereat qua ratione ſiue proportione tributa Prouinciis indicta eſſent à ſingulis ſoluenda. *Auguſti,* inquit, *temporibus orbis Romanus agris diuiſus, cenſuque deſcriptus eſt, vt poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperat quantitate ſoluenda.* Alludit etiam fortaſſis ad agros vectigales, de quibus ſtatim aliquid dicturi ſumus. Sigon. *lib.* 1. *de iure Italiæ, cap.* 21. id factum ab Auguſto dixit, quia cùm vectigalia omnia prouinciarum ſuſtuliſſet, voluit tributa quædam ſtata & ordinaria tum in capita, tum in cenſum & bona ſoli conſtituere. Eandem rationem tributorum, immenſam exactionem & vexationem minuendi, ne pro arbitrio expilarentur prouinciæ nouis & cõtinuis indictionibus adducit Suidas. *verb.* ἀπογραφὴ, dum ait ſelectos probatiſſimæ vitæ, & prudentiæ viginti viros & per omnes Prouincias dimiſſos ab Auguſto, homines, & ſingulorum opes deſcripſiſſe, vt iuſtam deinde in ærarium partem inferrent, non verò prouincialium, vti hactenus factum fuerat, bona expilari contingeret. Nun bene tamen addit eã deſcriptionem ἀπογραφὴν, primam fuiſſe, quòd ante Auguſtum poſſeſſores nihil tributi penderent; quod quàm falſum ſit docuimus. Quamuis autem cenſæ eſſent omnes Romanæ Prouinciæ, omnium tamen grauiſſima tributa & onera ferebat Gallia, vt omnium ditiſſima. Nam & Iulius Cæſar in eam primò ingreſſus *pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, diſcedens verò ſeptenos munera vniuerſa complentes,* inquit Ammian. *lib.* 16. Vnde clarere ait, quàm profuerit anhelantibus extrema penuria Gallis Cæſar, & quamquàm id temporis quadamtenus tributis leuata Gallia viſa fuit, deinde tamen inſtituto cenſu grauiſſimè ſæpius vexatam, & continuis indictionibus laſſatam queruntur Sidon. *carm.* 5. *& carm.* 13. & *lib.* 7. *ep.* 12. *lib.* 12. *ep.* 1. *lib.* 15. *ep.* 13. Oroſ. *lib.* 7. *cap.* 41. Iſidor. *in cronic. era* 447. *panegyr. Conſtantini,* & Saluian. *libro quinto de Prouid.* qui inde eorum ad Gothos & Bagaudas defectionem natam dicit, eo quod mallent ſpecie captiuitatis viuere liberi, quàm ſub ſpecie libertatis eſſe captiui.

Cenſus quolibet quinquennio ex antiqua Seruij inſtitutione fiebat, quod quinquennium luſtrum appellatum eſt, eo quod Seruius in campo Martio inſtructũ exercitum luſtraſſet dum omnium ciuiũ cenſum ibidem primò perfecit, vt ait Liu. *lib.* 1. *panegyr. Conſtantin. Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti: ô luſtrum omnibus luſtris felicius.* Factus etiam ſingulis annis cenſus. Tacit. *lib.* 2. *annal.* dum anno poſt cenſum de quo egerat ait, P. Vitellium & Scantium miſſum ad cenſum in Gallias. Tributum tamen ipſum videtur olim deſcriptum in ſingulos menſes, quod docet factum Licinij Procuratoris apud Dyon. *lib.* 54. qui eò malitiæ peruenerat, vt quoniam ſingulis menſibus tributum erat Gallis pendendum, quatuordecim anni menſes definierit. Licet igitur tributum indiceretur ex cenſu in ſingulos annos, aut menſes penſitandum; cenſus tamen non inibatur, ſed vel quolibet luſtro, vel quotannis, vel alio certo & definito tempore; ex eoque cenſu definiebatur quid à quolibet contribuendum foret ſingulis menſibus, aut qualibet alia definita parte, vel ſingulis annis vſque ad nouum cenſum; niſi indulgentiâ Principis aut Reipublicæ concederetur aliqua immunitas. Vbi autem nouus inibatur cenſus, nouum quoque indicebatur tributum, aut vetus continuabatur, ex modo nempe noui cenſus qui vel creuerat, vel minutus fuerat, vel idem perſeuerauerat. Quoties nouæ quoque cauſæ augendum, minuendúmue tributum perſuadebant, quamuis ea immutatio aut noua indictio ex cenſu proximè & vltimò inito fieri facilè poſſent, aliquando tamen nouus peragebatur cenſus, quod colligimus ex Nazianz. *orat.* 9. *ad Iulian. peræquator. & carm. ad Hellen.* ille enim vna cum Iuſtino in Capadociam miſſus fuerat, vt cenſus peragerent, & inter ciues munera tributorum æquarent. De Cirino in Syriam ad cenſum peragendum miſſo, deque Druſo in Galliam nuper diximus.

Quamuis autem cenſerentur omnes cuiuſque 4
facultates, idcircò cenſus definitur ἀπογραφὴ οὐσίας ἀποτιμήσεις, & cenſitor, ἀπογραφεὺς τιμητὴς, cuiuſcumque rei ſcilicet: ex cenſu tamen agrorum & fundorum, proque eius modo definiebatur tributum. Quare cenſitor κηνσίτωρ, Heſichio eſt ὁ τὴν γῆν μετρῶν, qui terram metitur. Iſidor. *in gloſſis,* cenſitores, agri menſores: & Peluſiota ἔλαβε παρ' αὐτοῦ τὴν ἐνταῦθα κηνσιτορείαν, accipit ab eo ius metiendi agros, qui illic erant; quia dum cenſum agerent, agros & fundos metiri debebant vt & de cenſu verè pronuntiarent, & ex eo tributum moderarentur. Qua etiam de cauſa illis adiungebantur peræquatores, & inſpectores qui cenſum emendarent inſpectis prædiis & inuicem adæquatis, vt ij releuarentur quibus grauius onus impoſitum foret, & quæ leuius cenſita eſſent, grauarentur. De his inſpectoribus, & peræquatoribus habes *tit.* 47. *libro* 11. *Cod.* eorum quoque mentio fit *l.* 12. *&* 13. *Cod. de Annon. & tribut.* Euſebius *lib.* 4. *de vita Conſtant.* & Nazianz. *orat.* 9. vocat ἄνδρας ἐξισωτὰς ἰσωτάς. Caſſiodor. *lib.* 10. *ep.* 26. Rogatus à Iuſtinian. Imperatore Theodahadus Gothorum Rex de monialium quarumdam prædio tributorum graui ſorte onerato propter ſterilitatem ex nimia inundatione contractam, reſpondet ſe mandatum dediſſe Præfecto prætorio, vt eius iuſſu *ad prædium de quo querela eſt diligens inſpector accedat, & rebus moderata inquiſitione trutinatis, quidquid grauaminis poteſt habere poſſeſſio ra-*

tiona

tionabiliter abregetur. Hos eoſdem peræquatores & tabularios, qui modum tributi definiebant, principales & tabularios nominat Symmach. *lib.9. ep.10. Principalibus & tabulariis liberum eſt alios a diſpendio vindicare, aliis indebitum munus imponere.* Ibidem vocat etiam curiales; *Ne tabulariorum & curialium vaga & libera exactio quaſtum praſtet licentia.* Vtramque vocem *principalium & curialium coniunxit* Saluian. *lib.5. de prouid.* vbi de eorum in admetiendis tributis & definiendis indictionibus iniuſtitia queritur. *Quæ enim non ſunt non modò vrbes, ſed etiam municipia atque vici, vbi non quot curiales fuerunt, tot tyranni ſint? Item quis locus vt non a principalibus ciuitatum, viduarum & pupillorum viſcera deuorentur?* De iis tabulariis ciuitatum qui per colluſionem potentiorum transferunt grauamina ad inferiores ſtatuit Conſtant. *l.1. C. de cenſib. & cenſitorib.* vt qui ſe grauatum cenſerit, ab illis ſuam duntaxat antiquam profeſſionem agnoſcat, non quam hic tabularius in ſuas tabulas iniquè redegit. His tabulariis flammarum ſupplicium infligit *l.1. C. de immunit. nem. conced.* ſi immunitatem alicui falsò adſcribant. Eorumdem fraudes coërcentur etiam *l.9. & 11. C. Theodoſ. de annon. & tribut.* Non exiſtimarim tamen eſſe eoſdem cum peræquatoribus, & inſpectoribus, ſed illos in tabulas publicas retuliſſe, quod cenſitores & peræquatores, de cuiuſque cenſu, & tributo ex illo pendendo indicaſſent, aut quod apud cenſores ſinguli fuiſſent profeſſi; nam tabularij rationem conficiebant iugerum, & eorum quæ publico inferebantur, *l.1. & 7. C. de exact. tribut.* & Sidon. *lib.4. epiſt.10. Habens in te tabularium in tributis:* erantque in ſingulis prouinciis duo tabularij; vnus fiſcalis arcæ, alter largitionalium titulorum, *l.12. C. Theod. de numerat.* & *l.30. C. Theodoſ. de ſuſceptorib.*

Cenſitio porrò & peræquatio non rectè facta videbatur abſente domino, vel peræquatore eius, *ex l.5. C. Theod. de cenſu:* ſi quis tamen miſſo peræquatore prædij ſui procuratorem ſubduxiſſet, ne præſens cenſitioni adeſſet, vel colonum fugaſſet retractationis cenſus defugiendæ cauſâ, quidquid abſente colono vel procuratore conſtituiſſet peræquator de cenſu agri, illud nihilominus ratum habebatur, *l.2. C. de cenſib. cenſitor.* Quando defectorum leuamen expoſcebatur, omne territorium cenſebatur denuò, vt ieiuna, & ſterilia cum cultis & opimis cōpenſarentur *l.4. C. eod.* in qua pro *ieiuna*, quidam codices legunt, *iterema*, Græci *τὰ ἔρημα μετὰ τῶν εὐθαλῶν συμψηφίζονται*: vnde corruptè aliqui habent *arema*, nullo ſenſu. Galli dicunt *terres ermes.* Actio, vel competitio aduerſus peræquatorem dabatur intra annum poſt completam peræquationem, traditoſque peræquationis libros; ſiue ex die clauſi, renuntiatique cenſus. Excipiebantur tamen minores indefenſi, & qui Reipublicæ cauſâ abeſſent, quibus non ex eo die annus computabatur, ſed ex quo agendi facultatem haberent, *l.5. Cod. eod.* & *leg.5. Cod. Theod. de cenſu ſiue adſcript.* Peræquatores & diſcuſſores ob culpam vel gratiam damnati, infames erant, vt qui iacturam honoris facerent, ſic enim lego *in l.6. C. de cenſib. cenſitoribus*, &c. non bonorum, vt alij perperam, nam & Græci habent *ἢ μόνον τῆς ἀξίας.* Deinde reſtituebant fiſco percepta emolumenta, ſiue ſalaria in quadruplum. Prouinciali quoque extorta, dum erga alium fortè cupiunt eſſe gratioſi in quadruplum refundere cogebantur. Denique ſolebant peræquatores à dominis deſerta & deſtituta prædia aliis tradere, atque ita dominium mutare, ſine onere tamen reliquorum, quod ferendum eſſet, ſi ab antiquo domino prædium illud caperetur *ex Rubric. ſine cenſu vel reliq.* Poſt addictionem itaque à peræquatore factam creditores, quibus ea prædia erant obligata, vel debita, excludebantur, niſi de ſuo iure intra ſex menſes experirentur, nonoque præterea domino debebant emponemata, hoc eſt, meliorationes, ſiue expenſas vtiles, & neceſſarias, bona fide factas *l. vltim. C. de cenſibus.* Eadem quoque ſemeſtri præſcriptione antiquus dominus prohibebabatur à repetendis ſuis illis prædiis à peræquatoribus, aliis adiudicatis, *l. locorum 11. C. de omni agro deſerto.*

Vniuerſi itaque pro ſuæ poſſeſſionis iugationiſque proportione & modo tributum penſitabant, atque etiam pro numero animalium quibus poſſeſſiones ſiue terras exercebant *l.1. C. de quibus muneribus vel praſtationibus nemini liceat ſe excuſare.* Qua ratione qui ex lucratiua cauſa poſſeſſiones detinent, quæ aliquando curialium fuerunt, pro ſingulis earum iugis & capitibus quaternas ſiliquas annuæ deſcriptionis nomine exoluunt, *leg. vn. C. Theod. de imponenda lucratiu. deſcript. Nouell. 17.* iubentur exactores in ſuis *ἀποχαῖς* diligenter annotare numerum & modum iugorū & capitum: *ποσὸν τῶν ζυγοκεφάλων ἢ ἰούγων ἢ ἰουγαλίων.* Et *Nouell. 128.* pro quoque iugo, aut iugalibus, aut centuriis ſoluendū dicit. Itaq; penſitatio quæ fiebat per iuga dicebatur iugatio, quæ per capita, capitatio: *ζύγη* iugatio, *ζυγοκέφαλα* iugatio ſimul cum capitatione. Quiduam eſſent iuga aut iugera diximus diſputantes de menſuris, quid capita in prædiis quoque, & capitatio ratione illorum, obſeruauimus quoque ſuperiori articulo, vbi de capitatione hominum, animalium, & prædiorum. Ex quantitate igitur iugorum ſiue iugerum, & capitum, aut etiam centuriarum definiebatur tributum cenſus: nam ſingula illa recenſebantur.

Inde cenſuales tabulæ in quas cenſus referre- 5
bantur, dicuntur aliquando libri cenſuales *l.4. Cod. de agricolis, cenſitis, & colonis:* libri publici *leg.8. C. Theod. de cenſu. Immunitates verò ſpecialiter data, iugatio vel capitatio libris publicis, & ciuitatum ac prouinciarum encauteriis ſine aliqua probatione facta penes fruentes erepta in functionem priſtinam redire.* Idem habetur *l.9. C. de agricol. cenſitis.* Erant verò encauta ſiue encauteria, monumenta publica ciuitatum; ita dicta ab encaute, quod erat ſcripturæ ſiue picturæ quoddam genus, quo libri illi publici ſcribi ſolerent. Plinius encauſtis meminit *lib.36. cap.11.* Ceris illinebatur ea pictura, de qua aliquid dictum eſt à nobis nuper vbi de variis notis mercium. *Nouu. 17.* vocat *ἐκθέσεις* expoſitiones. Denique vt inino monebamus, propriiſſimè cenſus nominantur: vnde illud à nobis initio allatum ex *l. cenſus 10. D. de probationibus. Cenſus & monumenta publica potiora teſtibus eſſe Senatus cenſuit.* *Nouella 28.* habetur ea ætate fuiſſe tabulam æneam, ligneam, lapideam, qua enuntiabatur quid cuiuſque rei, nomine vectigalis pendi oporteret: teſtaturque Frontin. *lib. de limitibus agrorum*, fuiſſe in itineribus conſtituta monumenta, quæ fidem publicam tuerentur, nimirum menſuræ iugerum aut centuriarum deſignarentur. Pari ratione cōficiuntur etiam hodie cenſuales codices, dum beneficiaria prædia & clientales fundi cenſentur, atque agrariæ profeſſionis tabulæ perſcribuntur, vt conſtet quis quilibet cliens Domino pro agrariis beneficiis

Digitized by Google

neficiis debeat in clientelæ ſignum, ipſeque ſe obnoxium profiteatur; quos libros terrarios, *terries* vocitamus; qui, vt fidem aſtruant, debent manu publica Notarij conſcribi, aut ſubſcribi; nam ſolis libris domeſticis ac diariis fides nō habebitur, neque quis ad præſtādos cēſus, & redditus annuos ex fundo clientali cogi poterit ex priuatis eiuſmodi tabulis, quod teſtatur Speculator *tit. de inſtrum. edit. §. Reſtat videre.* Felinus *in cap. ad audientiam, de præſcriptionibus.* Boërius *q.* 105. qui excipit tamen libros qui reperiuntur in archiuiis Franciæ quia illi faciunt fidem de conſuetudine Franciæ, vt ipſe loquitur. Idem prius ſcripſerat Decius *conſil.* 696. Maſuer. *tit. de locato n.* 25. *Terrariis libris ex codicibus antiquis, niſi ſint ſignati manu Notarij, non datur plena fides, valent tamen & operantur adminiculum probationis. Rationem reddit, quia antiquitus non fiebant ſub forma publica*: quod poſtremum quoque affirmat Ioan. Faber *ad l. vlt. Cod. ne rei dominicæ, vel templorum vindicatio tempore præſcripto ſummoneatur*: vbi ſic ſcribit Faber. *Antiquus liber cenſualis fidem facit*: quod de adminiculo probationis explicandum eſt, niſi Fabium à Maſuerio diſſentire velis. Verùm rem totam explicat Commentator conſuetud. Pariſ. §. 5. nam ſtatuit in primis *num.* 15. codicem ſubſignatum ſigillo noto, & authentico, cuiuſmodi ſunt Principum, Comitum, Baronum, plenam facere fidem: quia eiuſmodi codices ſanctè aſſeruari ſolent, ſatiſque fuerit, ſi à Domino, vel eius Amanuēſi ſiue Secretario fuerit ſubſcriptus. Ait ſecundò *n.* 37. veterem ſcripturam, licèt neque publica manu ſubſcriptam, neque ſigillatam, fidem, & probationem facere, modò nihil obiici poſſit in perſonam, & loci ex quo eruta eſt, ex & ipſa codicis ſpecie veroſimile ſit, quod eo inſtrumento continetur confectum, atque ſcriptum ex vtriuſque partis conſenſu fuiſſe. Tertiò reponit inter monumenta publica libros illos cenſuales, qui forma publica præſcripti ſunt: V. g. manu duorum Tabellionum, qui profeſſionem ſingulorum poſſeſſorum cuiuſque prædij acceperunt ex reſcripto regio, quod in id patronus ſiue dominus feudalis impetrauerit, vt codex ſui territorij conſcribatur manu publica: vulgò nominant *Papier terrier*. Plura alia in hanc rem eo loco fuſiſſimè proſequitur Commentator; adeò verò fauetur cōficiendis eiuſmodi terrariis, ſiue territorij clientelarium profeſſionum, & agrariorum cenſuum codicibus, vt quæcumque obiiciatur præſcriptio iuris cenſualis ab Eccleſiaſticis, profiteri nihilominus, ſiue, vti loquuntur, inſcribere in illo codice dominico & terriario quidquid in eo territorio poſſident, cogantur; ita enim iudicauit Senatus Pariſienſis ann. 1560. 7. Septemb. ſecundùm minoris ac maioris Mitriaci dominum, aduerſùm Priorem ſæcularem, ſtudioſoſque Alumnos, ſiue vt vocāt Burſarios Collegij Cardinalitij, quamuis ſe præſcriptione centum annorum, & amplius tuerentur: quod decretum refert Bacquet. *tractatu du droit d'amortiſſement*; hoc eſt, perimendi prædiatorij & clientelaris caduci poteſtate, *capitulo* 58. Verùm ad cenſus tributum redeamus.

6 Tributum itaque cenſus agris impoſitum multiplex fuit, nam agri alij ſatiui, alij plantarij ſiue arborei, alij ſaltuales ſunt. Primi ferendo frumento & quibuſvis frugibus conſeruntur, coluntur ue. Plantarij & arborei pomaria ſunt. Saltuales autem paſtionibus animalium deſtinantur. Omnibus iſtis agris imponitur aliquando tributum ex veteri etiā, & Romano more, ſuntque vectigales & tributarij. Ex ſatiuis & plantariis colligitur pars aliqua fructuum pro vectigali, quod olim decima dicebatur, quamuis aliquando alius eſſet eius vectigalis modus, aliaque pars quàm decima definiretur, vti dicemus *art.* 9. In paſtionibus autem certum pretium definiebant in capita minoris maioriſve pecoris. Nam paſtores numerum capitum ſui pecoris profitebantur, & in ſingula capita aliquid pendebant: quare illa ratio paſtorum, qui ex paſtione aliquid pendebant ſcriptura dicebatur, atque etiam illud ipſum vectigal ſcriptura nominatum eſt, iſque apud quem profitebantur paſtores capita ſui pecoris, eumque numerum excipiebat, ſcripturarius. Cic. pro flacco: *Mirandum verò eſt homines eos, quibus odio ſunt noſtræ ſecures, nomen acerbitati, ſcriptura decuma, portorium morti.* Et *libro* 1. *ad Atticum, epiſt. P. Terentius meus neceſſarius operas in portu & ſcriptura Aſiæ pro magiſtro dedit.* Plaut. *in Truc. Vbi non eſt ſcriptura, vnde dent, incuſant publicanos.* Scripturæ porrò gemina lex erat. Prima vt ſi quis pecus non ſcriptum pauiſſet, caducum illud fieret, & committeretur. Ita diſertè Varro *lib.* 2. *de re ruſtic. capitulo* 1. de paſtione diſſerens: *Itaque greges ouium longè abiguntur ex Apulia in Samnium æſtiuatum, atque ad publicanum profitentur, ne ſi inſcriptum pecus pauerint, lege cenſoria committant.* Lex quoque Thoria mulctabat eos quorum pecora publicos agros depaſcebant: ait enim Cic. *libro* 2. *de orator.* Lucilium Lege Thoria poſtulatum fuiſſe, quod ab eius pecore agri publici depaſti eſſent. Fuerat illa lex agraria à S. P. Thorio Trib. Pleb. lata, vti refert Appian. *lib.* 1. *de bello ciuili*; vbi tamen malè legitur *Borius*, pro *Thorius*. Altera conditio ſcripturæ fuit, ne ſcripturarius pecudem pro ſcriptura acciperet, quare Plaut. *in Truc.*

Non aduersùm legem à me ob meam ſcripturam pecudem accepiſſet.

Dicebantur quoque iſti ſcripturarij magiſtri ſcripturæ, qui iſta vectigalia deſcribebant, & ager in quo pecora certo ære dato paſcebantur, nominatus fuit ſcripturarius ager apud Feſtum. *Scripturarius ager publicus appellatur, in quo vt pecora paſcantur, certum æs eſt, quia publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore.* Iſti verò agri ſcripturarij & paſcuales *Calles* dicebantur, & *ſaltus*. De callibus Cic. pro Sextio. *Italiæ calles & paſtorum ſtabula prædari cœpiſſe.* Sueton. *in Iulio capitulo* 19. *Eandem ob cauſam opera optimatibus data eſt, vt prouinciæ futuris Conſulibus minimi negotij, id eſt ſyluæ, calleſque decernerentur*: hoc eſt, ſyluarum publicarum adminiſtratio & ſaltuum publicorum, in quibus profeſſi pecoris ſui capita pecuarij paſcebant, ſcripturamque ſoluebant. Tacit. *libro quarto annal.* ſcribit Curtium, *cui prouincia vetere ex more Calles euenerat*, Claſſiariorum turma conſcripta ſeruilem coniurationem compreſiſſe. Lipſius *Cales Prouinciam*, legendum eſſe coniicit, quod calibus ad Vulturinum fluuium Quæſtor ille ſederet: verùm Callium Prouincia ſatis ex Suetonio probata eſt, illam Plaut. in Pſeudolo Caudicalem vocat.

Te cum ſecuri Caudicali præficio prouinciæ.

in citata charta Normannica. Hoc porrò ius percipiendi partem omnium fructuum, qui ex nemoribus proueniunt, vocant extra Normanniam *ius gruaria, ſiue grairia*, quamquam Chopinus diſcrimē aliquod conſtituat inter gruatiam & grairiam, eo quod gruaria ſignificet tantùm ius ſyluaticæ ditionis,& coercitionis in re ſaltuaria, ratione cuius iuris & delicta in ſyluis patrata, & mulctæ, & commiſſi ius ad gruariæ Præfectum pertinent. Grairia verò eſt quaſi agraria pars, ac dominicum ius proprietatis in nemore, vt dominus ſuperior maiorem pretij partem ferat lignorum venditorū; quidquid ea de re ſit hoc ius alicubi ſtrictius, alibi amplius eſt, & gruaria, ſiue grairia eſt *Δρυΐα* à quercubus & arboribus glandiferis dicta. Hæ porrò trientales functiones Regi debitæ inſolitæ non ſunt, neque veteribus incognitæ: nam Caſſiodor. *lib. 1. variar. epiſt.* 15. meminit illationis tertiarum quā Theodoricus ſolui mandat, quamuis in tributi pecuniam commutari patiatur. *Quod a Cathalienſibus inferebatur genus tertiarum, faciat annis ſingulis in tributaria ſumma perſolui.* Et mox: *Quid enim intereſt quo nomine poſſeſſor inferat, dūmodo ſine imminutione quod debetur, exoluat? Ita & illis ſuſpectum tertiarum nomen auferimus, & à noſtra manſuetudine importunitates competentium ſubmouemus.* Et *libro* 2. *epiſt.* 16. laudat Venantium, *quod in tertiarum deputatione Gothorum, Romanorumque poſſeſſiones iunxerit, & animos.* Sequenti *epiſt.* 17. de tertiarum releuatione loquitur: *lib.* 3. *ep.* 8. *binorum & ternorum exactionem ſecundum canonicariam fidem commendat.* Eius denique binorum & ternorum exactionis formulam tradit *lib.* 7. *form.* 10. 21. 22. quos binorum & ternorum titulos a prouincialibus exigi priſca decernit authoritas, inquit *form.* 20.

Iuris huius ſaltuarij cuſtodiendi cauſâ inſtituti ſunt apparitores ſaltuales quos, *Sergents dangereux* dici monet Bacquet. *tract. de iuribus inſtit. c.* 10. *n.* 5. qui ſuæ vadationi teſtes adhibere minimè tenentur, eo quod in ſyluis difficiliùs reperiantur.

Deinde his ſyluarum cuſtodibus ſaltuariis,& procuratoribus, & vt alij nominant, apparitoribus de quorum ſtipendio edixit Philippus IV. an. 1310. impensè mādatur, vt cùm auctiones lignorum fiūt, eæ deferantur ad coactorem pecuniæ fiſcalis, vt is ab emptoribus exigat iura fiſcalia, & rationibus publicis ferat expenſa ex conſtitutione an. 1510. art. 62.63.& 65.

Tertiò non licet ſyluæ & nemoris domino arbores diſtrahere pretio ſine Regis venia, ſi venditio decem libellarum pretium excedat, quo caſu cum magiſtri ſyluarum facultate vendere ipſi licebit; quæ omnia continentur conſtitutione citata.

Quartò priuati nequeunt donari regio canone lignario, ſiue iure gruariæ in alienis, ſiue Procerum, ſiue Regis ipſius ſyluis, quia pars ea cæſarum arborum, quæ Principi cedit dicata fuit redimendo Auguſto patrimonio, ex citata conſtitut. Moliſinenſi, §. 10. citato. Quare ſancitum quoque fuit an. 1516. art. 78. donationis arborum cæſarum inſtrumentum à præfectis rationum principalium in Camera computorum probari,& ſubſcribi oportere; atque donatarij in Principem merita donationis inſtrumento inſeri; quod de omnibus regiis donationibus conſtitutū fuit die 2. Maij an. 1333. neque huius regiæ donationis obtentu grandiores arbores extra ordinē cædi diſtrahique poſſunt, ſed ſeruāda eſt forma præſcripta a Carolo V. an. 1376. art. 2. & Franc. I. an. 1515. art. 35. quinimò conſtitutione Bleſenſi ann. 1579. art. 337. prohibetur, ne occaſione muneris lignorum a Rege facti, fiat vlla venditio extraordinaria, ſed in venditione ordinaria ſyluæ, in quam munus fiet, ab emptore capiatur pro pretio arborum vendibilium. Prohibetur quoque ne radicitus exſcindantur arbores. Denique vbi Rex templis aut ſacris domibus nemoris alicuius lignationem ad proprium vſum conceſſerit, ſi variis crebriſque venditionibus iuſſu vel venia Regis factis conſumptum fuerit, nihil tenetur Rex in compenſationem conferre, aut ipſis in alio nemore regio ſimilem vſum concedere. Ita ann. 1261. in Parlamento Pentecoſtes iudicatum fuit contra Abbatem S. Stephani Cadonienſis, cuius decreti verba retulit Chopin. ex Curię regeſtis.

Quintò huius iuris domanij ſyluarum iudicium à Curiis ſupremis exerceri debet, præterquàm in Neuſtria, vbi à Balliuis, Præpoſitis, Vicecomitibus, & aliis prouinciæ Proprætoribus; vbique Præfectis ſyluarum & aquarum adempta cognitione ex conſtitut. Franc. I. an. 1516. art. 64. Illis etiam, vti iam monuimus, prohibetur exequi Edicta Regia ad grauiorum arborum venditionem, niſi a ſuprema Curia & Camera Ratiocinitorum probata fuerint, ex conſtit. Bleſenſi art. 338.

Sextò qui fundum regium à Principe emit cum ſolita pactione redimendi, is æris mulctas, quaſi fructuarias obuentiones ex regio iure gruariæ eiuſmodi fundo annexo, in proximas ſyluas ſiue Nobilium, ſiue Eccleſiaſticorum obtinet ex decreto Curiæ die 4. Decemb. an. 1584. ſecundùm Comitem Challineum emptorem fiduciarium Caluiaci Regij Veromanduorum oppiduli, quia grauatia eſt potius fundi, quam fructuum pars. Denique perlegendæ ſunt conſtitutiones de ſyluarum aquarumque Præfectis, eorumque iuriſdictione, editæ à Iano Rege ann. 1355. & Carolo V. ann. 1337. Caroli VI. an. 1388. quibus Regiorum nemorū conſeruationi conſulitur. Qua verò potentia & gratia apud Principem valerent Regij Saltuarij, *les grands foreſtiers*, conſtat ex eo quod Magnus Carolus die 17. Ianu. an 792. Lydericum Harlebeccannum terra, ſyluaque Flandrica donarit, vt & Flandrici littoris præfectus,& ſyluæ ſaltuarius diceretur. Theobaldus Roberti Regis ſaltuarius montis Leterici arcem *Mont-Lehery* extruxit, ex Aimonio *lib.* 5. Neque mirum videri debet tantam apud Noſtrates Regiorum Saltuariorum fuiſſe dignitatem, tamque ſollicitam & impenſam Principum ipſorum curam in ſyluis Principalibus & nemoribus conſeruandis, cùm Ariſtot. *lib.* 7. *Politicor c.* 8. & *lib.* 7. *c.* 12. inter Magiſtratus Reipublicæ neceſſarios adnumeret nemorum ſyluarumque cuſtodes, & definitores agrorū *ἀγρονόμους, καὶ ὑλωρούς*, & apud Romanos ipſis aliquādo Conſulibus, Callium, ſyluarumque prouincia demandabatur, vti nuper ex Sueton. obſeruabamus: eóque alludit Virgil.

Si canimus ſyluas, ſyluæ ſunt Conſule dignæ.

Qui mos originem habuit ex nemorum & arborum cura quam à priſcis vſque temporibus Romani commendatam habebant, ne cuiuis impunè grādiores arbores cædere liceret. Itaque Ancus Martius Romanorum Rex dominio Reipublicæ ſyluas primus addixit, & ad vſum nauium publicauit. Et ſanè cùm lignorum materies tum nauibus conſtruendis, tum pluribus aliis ædificiis atque operibus fabricandis neceſſaria ſit, ne ea aliquando frequenti arborum cæſura Reipublicæ deſit cauerunt perpetuò Principes noſtri maximè, qui idcircò de grandiorum excisione &

ſyluarum etiam cæduarum cæſura plurima ſuis conſtitutionibus ſanciuerunt.

9 Nam in primis grandiores arbores nemorum dominicalium, ſiue Regiorum nihilo iuſtius abalienari, donari, aut excindi quàm ipſummet fundum, & nemus voluerunt. Ita Molinenſis conſtitutio ann. 1566. §. 8. 9. 11. Bleſenſ. ann. 1579. §. 336. 338. quarum conſtitutionum ea fuit ratio, quod huiuſmodi arbores antequam cæſæ ſint inter immobilia cenſeantur, quod tradit Pomponius in *l. Quintus 4. D. de actionibus empti. Arborum quæ in fundo continentur non eſt ſeparatum corpus à fundo, & ideo vt dominus ſuas ſpecialiter arbores vindicare emptor non poterit, ſed ex empto habet actionem.* Cui Pomponij reſponſo affine eſt illud Celſi *in l. 49. D. de rei vindication.* ſolum eſſe partem ædium ipſi inædificatarum: idcircò locum eſſe retractui gentilitio in ſylua non cædua, tanquam in re ſoli & immobilli, exiſtimauit Ferroni. *in conſuetud. Burdegal. in §. 15. de retractu.* Neque diſſentit Tiraquell. *tractat. de retractu, §. 1. verſ. ou autres choſes, Gloſſ. 7. num.* 54. alius tamen quàm dominus ſoli, cuius ſuperficies in ſylua conſiſtens vænit, ad retractum non admittitur ex opinione communi quam ſequitur lex municipalis Senonum §. *pen. & vltim. de retractu.* Inde quoque colligit Conchilius *ad conſuetud. Niuern. tit. de feudis,* §. 21. grandiores arbores quamdiu ſolo hærent, eſſe quid immobile; ſi verò cædendæ vendantur, ex ea venditione nihil domino fiduciario debetur, quamuis nemus ipſum beneficiarium ſit: itáque iudicauit Senatus Pariſienſ. 25. Ianuar. ann. 1606. ſecundùm Equitem Monloirium aduerſus Ducem Eſpernoium. Confirmatur ex eo quod in fructibus emphiteutici arui, vel fructuarij, glandiferæ arbores minimè computentur; ideóque vſuſtuctuarius, qui eas cædit priuatur vſufructu, vel emphyteuſi, vti paſſim. colligunt *ex l. arboribus 12. l. Proculus 29. l. arbores 59. D. de vſufructu.* Ideóque prohibetur ſacerdotibus grandiores arbores ſacrorum fundorum abſcindere ordinatione regia in Parlamento publicata, probatáve die 14. Iunij an. 1537. fauetque conſtitutio Aurelianenſis in maximis comitiis an. 1560. art. 29. Quod ſeruandum erat etiáſi alioquin ſylua non cædua, futura ſit inutilis poſſeſſori, cui eiuſmodi ſyluæ vſusfructus conceſſus fuerit.

Secundò nemora regia eo modo vænire, aut quotannis cædi oportebit, vt centum annorum ſpatio cæſæ arbores in iuſtam magnitudinem denuo renaſci & exurgere, queát ex conſtitutione an. 1573. Quare ſyluarum magiſtri ſingulis annis indicem venditarum grandium arborum conficere, & ad Gallicum Iuris Præfectum, & ad indices ſyluarum ad menſam marmoream ſedentes in Baſilica Lutetiana mittere debent, alioquin ſuis ſtipendiis mulctantur ex conſtitutione Bleſenſi art. 339.

Tertiò Principes regiæ ſtirpis, quibus fiduciario nomine fundi regij in hæreditatem, veluti partem, aut apanagium conceduntur, cædua quidem ſyluâ vti poſſunt, cæſura tamen fieri ſtato conditoque legibus tempore debet: ſylua verò non cædua non aliter vti poteſt, quàm diligens gnauuſque paterfamilias; quare annuorum eiuſmodi prouentuum ratiocinia, vbi ab ordinariis Præfectis expenſa fuerint, biennio quolibet in tabulas ratiociniorum regiorum referri omninò curabit, vti continetur in diplomate die 25. Iulij an. 1582. quo Franciſc. I. renatæ Franciscæ Carnutum Montis. Argi, & Giſortij ditiones dotales dedit.

Quartò nemorum præfectis vetita eſt rei lignariæ in priuatos aſſignatio, ſeu diſpenſatio qualiſcumque, & ex quocumque reſcripto, niſi prius Senatui & Rationalibus maturè probato, ex conſtitutione Molienſ. menſe Maio an. 1515. *art.* 78. qua eadem ſanctione munus ſyluaticum à Principe factum anni vnius ſpatio definitur; neque eo finito eſt ſyluæ cæſura donatario permiſſa, *art.* 96.

Plurima alia de hac cæſura arborum & iure paſcendi pecoris in ſyluis regiis vide apud Chopinum fuſiùs iſta perſequentem *lib. 3. de domanio Gallico, tit.* 18.

ARTICVLVS VIII.

De reliqua materia tributi, ſiue rebus ſuper quibus imponitur tributum.

Tributum ſalinarium. 1.
De variis ſalinis. ibid.
Quæ æquitatem illius tributi accuſare videatur. 2.
Quandonam illud inductum in Gallias. 3.
Tributum metallicum apud Romanos. 4.
Cuius domini ſint fodinæ metallicæ. ibid.
Quo iure Principes fodinas metallicas ſibi vindicent. 5.
Quid olim ſeruatũ in effoſſione metallorũ. 6.
Quinam hodierni mores. 7.
De tributo vini, fructuum hæreditatum. 8.
De tributo litigantibus impoſito. 9.
Alia quædam tributa. ibid.
Ex lacubus & fluminibus. 10.
Ex meretricio. 11.
Ex aliis ſordidis artibus. 12.
Ex legitimo coniugio. 13.
De tributo indicto mancipiis manumiſſis, libertis mortuis. 14.
De vectigali adilitio, ſolario, habitatione, apoſtole, monopolio, tyrocinio. 15.
Ex vrina & chryſargyro. 16.
Ex fumo, vmbra, aere. 17.
Alia quadam. 18.
An omnia illa tributa iuſta fuerint. 19.
An licita vectigalia ex victualibus ad vſum non negotiationem emptis. 20.
An hæc vectigalia fraudantes peccent. 21.

TRibutum cenſus; prout illud à tributo capitis diſtinguebamus, non agros modò & ſolum afficit, ſed & res alias, nempe mobiles, quæ à rebus ſoli, ſiue ſolo affixis diſtinguuntur. Imò pleraque tributa, non niſi de eiuſmodi rebus colligebantur, pro inuectione ſcilicet, aut euectione ipſarum, ideóque & vectigalia & portoria dicebantur. De iis igitur rebus tributi, & vectigalis, vt dicam, capacibus, vel materia, pauca quædam obſeruanda ſunt, qualiſque fuerit antiquus vſus. Bulenger *libro nono de Imp. Roman. capitulo* 33. aduertit apud Romanos libera Republica ſex maximè genera vectigalium fuiſſe, nempe decumas, portoria,

ſcriptu

ſcripturas, ſaliuas, metalla, aurum coronarium. De portoriis, & ſcriptura nuper diſputauimus, ſicuti & de auro coronario quod munus initio potiùs erat, quàm tributum, quãuis deinde quod ſpõte fuerat oblatum, indictũ, & imperatum deinde tributum fuerit: quare ex illis ſex vectigalium generibus reſtant decumæ, de quibus diſſeremus articulo ſequenti, de ſalinis & metallis hoc loco.

1 Salinarum vectigal antiquiſſimum eſt, vt pote quod ab Anco Martio apud Romanos inſtitutum tradunt Plini. *lib.* 31. *capit.* 7. exactis tamen Regibus altero poſt anno ſublatum fuiſſe affirmat idem Liuius eo loco, ſed deinde reſtitutum fuiſſe M. Liuio, & C. Claudio Cenſoribus, habes in eodem Liuio *lib.* 29. quod iterum extinctum fuiſe colligunt aliqui ex Cic. qui *lib.* 2. *ad Attic. ep.* 16. dicit portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diuiſo, nullũ ſupereſſe vectigal domeſticum præter viceſimam; verùm idem Cic. *orat. pro L. Manilia* ſalinarum meminit. *Cum publicani maximas familias, quas in ſalinis habent, quas in portubus atque cuſtodiis, magno periculo ſe habere arbitrentur.* Quamquam Laubinus emendandum velit ex manuſcripto, *antiquis in ſyluis*, ſicut & Hotman *in comm. in ſalictis, aut ſaltibus.* Salictorum, enim nomine paſcua, quæ plerumque ſalicibus conſita ſunt, non difficile eſt intelligi, atque ita hæc verba cohærent optimè cum ſuperioribus, in quibus de portu, decumis, & ſcriptura mentio facta eſt. Denique Turneb. *libro* 1. *capit.* 5. ſyluas pro ſalinis reponendas eſſe pluribus contendit. Verùm quidquid de leui illa controuerſia ſtatuas, certum eſt ſalinas earumque vectigal ex prouinciis P. R. collectum fuiſſe: quamuis fortaſſis coloniæ Italiæ ab illo immunes forent, ſicut & ab omni alio tributo capitis & ſoli ex L. Thoria à P. Thorio Trib. Pleb. lata, cuius nuper meminimus ex Appiano *li.* 1. *ciuil.* Subinde tamen ſalis vectigal vel perſeueraſſe, vel ſi extinctum fuerat, reuocatum fuiſſe nemo dubitare iure poteſt, ait enim Vlpian. *in l.* 17. *D. de verbor. ſignificat. Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus accipit, quale eſt vectigal portus, vel venalium rerum, item ſalinarum, & metallorum & picariarum.* Idem aſſeritur à Caio *l.* 13. *D. de public. & vectigal. Sed & hi qui ſalinas, arenarias, & cretiſodinas, & metalla habent, publicanorum loco ſunt:* qui idem *in leg.* 1. *D. quod cuiuſque vniuerſit.* confirmat: *Vectaligium publicorum ſociis permiſſum eſt corpus habere, vel ſalinarum, vel aurifodinarum.* Celſus hanc teſtamenti clauſulam affert *in leg. liber homo* 59. *D. de haredibus inſtituend. Titius qua ex parte mihi ſocius eſt in vectigali ſalinarum, pro ea parte mihi hæres eſto.* Fit quoque mentio de ſocietate ſalinarum *l.* 3. *C. pro ſocio*: & de mancipibus & cõductoribus ſalinarum *l. ſi quis* 11. *C. de vectigalibus & commiſſis*, quam ſtatim adducemus: de mancipibus item ſalinarum loquitur Symmach. *lib.* 9. *ep.* 100. & *lib.* 10. *ep.* 58. libris feudorum computantur inter regalia reditus ſalinarum. Denique Cato *de re ruſt. cap. vlt.* agens de ſalſura pernarum, requirit in ſingulas vngulas ſalis Romanenſis moliti ſemodium, quod ſal Turneb. *lib.* 10. *cap.* 19. interpretatur illud qui è ſalinis quas Romani apud Oſtiam habebant, teſte Liuio, tum Romam, tum in alia loca exportabatur, in qua annona ſalaria vectigal conſtitutum fuiſſe à Claudio ſalinatore narrabat Liui. *lib.* 29. Romæ quoque ſalinas fuiſſe ad portam Trigeminam ait Frontinus *lib.* 1. *de aquaductu.* P. autem Victor eas collocat in vndecima regione vrbis. Fuit & aliis gentibus vſitatum hoc ſalarium vectigal. De Syris & Iudæis teſtatur *lib.* 1. *Machab. cap.* 10. vbi Demetrius Iudæos omnes immunes eſſe iubet à tributis & pretio ſalis, & coronarum, & à tertia parte ſementis, & media parte fructus è ligno. Vbi vides ſalis pretium inter alia tributa numerari. Athen. *lib.* 3. narrat in Troade Tragaſſeum ſalem fuiſſe omnium vſui expoſitum, cui cùm Lyſimmach. tributum impoſuiſſet, ſtatim euanuit, redditaque immunitate denuò creuit. Strabo *lib.* 17. ἁλιτάγιον mirabile memorat. Plin. *lib.* 31. *cap.* 7. narrat in Indis eſſe Oromenum montem, in quo lapidicinarum cæditur ſal renaſcens; *maiúſque*, inquit, *Regum vectigal ex eo eſt, quàm ex auro atque margaritis.* Paul. Venet. *in hiſtoria* narrat Magno Chamo in Vrbe Quinſai pendi annuos reditus, & dominicos prouentus ex ſale certis locis quæſitos. Bembus *lib.* 12. *hiſtor. Venet.* memorat Venetiis iam olim creatos fuiſſe quinque viros ſali procurando. Erant ſalinæ aliæ publicæ, vt diximus, aliæ priuatæ, vti conſtat *ex l. magis puto* 5. *initio, D. de rebus eorum qui ſub tutela*: vbi de pupillo ſalinas habente agitur; & *l. generali* 32. §. *vxori. D. de vſufruct. legat.* diſputatur de vſufructu fundorum & ſalinarum vxori legato, an videlicet ſal, qui in illis ſalinis inuentus eſt ad vxorem pertineat, reſpondeturque teſtatorem noluiſſe ſuo legato comprehendere, quæ venalia & mercis causâ ibi repoſita fuerant. Verùm iſtæ quoque priuatæ ſalinæ cenſuales erant, quare Vlpian. *in l.* 4. §. *ſalina. D. de cenſibus*, ſic ſcribit: *Salinæ ſi quæ ſunt in prædiis, & ipſæ in cenſum deferendæ ſunt.* Neque enim ſalis erat publicum commercium abſque authoritate Principis, debebaturque ſalinarum causâ vectigal publico, vti nuper monui *ex l.* 17. *D. de verbor. ſignificat.* & *leg. ſi quis* 11. *Cod. de vectigalibus.* Qui publicis ſalinis erant propoſiti Alabarchæ dicebantur, quamuis enim alabarchia, cuius meminit *l.* 9. *de vectigalib.* aliò pertineat, vt nuper ex Cuiacio oſtendimus, vbi tamen Euſeb. *lib.* 2. *hiſtor.* Alexandrum Alabarchem commemorat, Ruffin. *Præfectum ſalis* reddidit, fortaſis quia ἅλαβα ſalem lingua Ægyptia ſignificat. Buleng. *lib. de vectigalib. Pop. Roman. capit.* 21. vt iſta diſſidia componat, legi mauult apud Euſeb. & Ioſeph ἁλαάρχην, quaſi τῶν ἁλῶν ἀρχήσοντα, vel ἁλοσάρχην. Cæterum municipes & conductores ſalinarum honori erant apud Symmach. *lib.* 9. *ep.* 100. & ſub Comite Largitionum ex eod. *lib.* 10. *ep.* 58. Apud Nicephorum Gregoram *lib.* 8. Aluxius domeſticus dicitur τῶν δυτικῶν θεμάτων ϗ τῶν ἁλῶν τὴν διοίκησιν τιμηκλόν, Occidentalium prouinciarum, & adminiſtrationem ſalis diſpenſans. Compendia ſalinarum curandæ Thermarum exhibitioni deputabantur, *l.* 1. *C. Theodoſ. de mancipibus thermarum.* Denique damnati quondam fuere ad ſalinarum opus, *l. aut damnum* 32. §. 8. *D. de pœnis, & l. mulier, D. de captiu. & poſtlimin.*

2 Atque hactenus de ſalinarum vectigali apud Romanos, & alias quaſdam gentes, neque enim, aut ſemper, aut vbique in vſum inductum illud fuit, plerique enim putarunt grande nefas in commercio haberi, aut tributi neceſſitate corrumpi diuinum illud donum: idcircò enim Homer. Iliad. 1. vocat ἅλα θεῖον, hoc eſt, vt Euſtat. Interpretatur, diuina confectum manu, hominibuſque porrectum ad vitæ omnia alimenta, ſubſidia, atque prouidæ naturæ tum miraculum, tum eximiam magnificen

guificentiam & profuſam libetalitatem. Vnde etiam flumi gignendo ſale fœcundi, religioſi habiti ſunt, eamque cauſam fuiſſe belli inter Hermunduros Cattoſque geſti narrat Tacit. *lib. 13. ann. ſub fin. Eadem æſtate inter Hermunduros Cattoſque certatum magno prælio, dum flumen gignendo ſale fœcundum, & conterminum vi trahunt, ſuper libidinem cuncta armis agendi religione inſita; eos maximè locos cœlo propinquare, preceſque mortalium à Diis nuſquam propius audiri, inde indulgentia numinum illo in amne, illiſque ſyluis ſalē prouenire, nō vt alias apud gentes eluuie maris areſcente vnda, ſed ſuper ardentem arborum ſtruem fuſa, contrariis inter ſe elementis igne atque aquis concreta.* Huius factitij ſalis meminit quoque Varro *lib. de re ruſtic.* ſed illud contrariorum elementorum miraculum in concretione ſalis eleganter deſcribit Rutilius *li. 1. itinerarij.*

Subiectas villæ vacat aſpectare ſalinas,
Namque hoc cenſetur nomine ſalſa palus.
Qua mare terrenis decliue canalibus intrat,
Multifidoſque lacus paruula foſſa rigat.
Aſt vbi flagrantes admouit Syrius ignes,
Cùm pallent herbæ, cùm ſitis omnis ager.
Tum cataractarum clauſtris excluditur æquor,
vt fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem natiua coagula Phœbum,
Et grauis æſtiuo cruſta calore coit.
Haud aliter tanquàm glacie riget horridus Iſter,
Grandiaque aſtricto flumine plauſtra vehit.
Rimetur ſolitus naturæ expendere cauſas,
Inque pari diſpar fomite quærat opus
Iuncta fluenta gelu, conſpecto ſole liqueſcunt,
Et rurſus liquidæ ſole gelantur aquæ.

Quod tamen neque ipſo frigore fit, neque marinæ aquæ in ſalem concreſcunt, etſi conſtringantur gelu, vltra gradum 47. quod plerique obſeruarunt apud Expilizeum *action. 6. forenſ.* Solin. *capit. 47.* ſcribit anguſtiis Caſpiis *præciſorum laterum ſaxa liquentibus inter ſe ſalis venis exundare humorem affluentiſſimum, qui conſtrictus vi caloris velut in æſtiuam glaciem corporatur.* Alij ſalem dixerunt mare ſole concretum. Manilius *lib. 5. Aſtron.* vbi eandem mirabilem ſalis concretionem deſcribit, vitalem nominat, & Euſtat. in Homeri locum citatum, quintum elementum ſine quo viuere non liceat, vita nempe humana & ciuili; aliqui enim vitam quidem abſque illo ciborum condimento, ſed ferinam degunt, quomodo idem Euſtathius interpretatur illud Homericum *οδ. λ.*

οἵ οὐκ ἴσασι θάλασσαν.

Ἀνέρες οὐδ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν. Viri qui neque norunt mare, neque manducant edulium ſale mixtum, quod ita interpretatur Euſtat. ἵνα δηλοῖ ἄκραν ἀγροικίαν ἀνθρώπων ἐκείνων οἳ οὐδαμῶς ἅλας ἴσασιν οὔτε θαλασσίους, οὔτε ὀρυκτούς, οὔτε τοὺς ἄλλοθεν, vt indicet ſummam feritatem hominum illorum, qui nuſpiam ſalem norunt, neque marinum, neque foſſilem, neque quod aliunde poteſt exiſtere. Hæc diuerſa ſalis genera fusè leges apud Plinium *libro 31. capitulo* 7. & Salmaſium *in exercitat. Plinian.* Eodem modo expono quod Pauſanias *in Atticis* memorat de quibuſdam qui ne Ilio quidem capto mare norant, aut ſale vti; illi enim vitam quidem agebant, ſed omninò ferinam. Vide Brodeum *lib. 6. miſcellan. capit. 13.* Quare ſapienter dixit Plin. *loco citato*, paucis ſuo more multa complexus, *Ergo hercle vita humanior ſine ſale nequit degere, adeoque neceſſarium elementum eſt, vt tranſierit intellectus ad voluptatem animi quoque, nam ita ſales appellantur, omniſque vitæ lepos, & ſumma hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo conſtat.* Quæ omnia illuſtrat. Victor. *libro 13. cap. 12.* Brodeus *libro 6. capit. 3.* & qui in Plinium notas ſcripſit. Pergit Plinius aliam ſalis Commendationem. Hæc pauca ſufficiant vt oſtendamus ſalis ad humanam vitam neceſſitatem, propter quam plurimæ gentes noluerunt illum tributarium & vectigalem reddere, vt quiſque pro arbitrio hoc naturæ munere vteretur.

Noſtrates Galli diutiùs hoc onere fuerunt im- 3
munes, & vt loquitur Commentator qq. I. Galli ad *quæſt. 29.* veteres Reges permittebant *gabellam ſalis æquè liberam ac pluuiam:* primus enim Philippus V. cognomento Longus ann. 1318. v. Kal. Mart. Regia Conſtitutione illud indixit, cōteſtatus tamen ſe vltra quinquennium illud non prorogaturum. Verùm & a ſubſequentibus Regibus prorogatum fuit, quamuis non vbique tota Galliâ, aliquæ enim Prouinciæ eo exemptæ ſunt, nā inter cætera pacis Britannicæ capita apud Carnutes, conuentum eſt, vt huiuſmodi tributo liberi forent Pictones, Sanctones, Engoliſmenſes, & aliæ quædam prouinciæ, quæ in hunc diem nominantur *les pays de franc ſalé*. Immenſum ferè quantum excreuerit annuus ille ſalinarum reditus, ex eo quod ſalinæ omnes propriæ ſint Principis, & ſuæ cuique regioni ac prouinciæ certæ deputatæ, nec liceat aliunde inuecto ſale vti. Eſt enim prohibitum ſalis commercium; deinde locantur ſalinæ ad certum tempus Publicanis, & certo pretio à conductoribus ſalem emere coguntur, immò & alicubi ſingulis familiis pro earum amplitudine, aut exiguitate certa menſura, quam inuiti etiam emere debeant, aſſignatur. Neque idcircò mirum eſt ſi amplum ſibi vectigal ex ſalinis Princeps parat, quæ ferè omnia Iuri Romano à nobis nuper allato conſentanea eſſe obſeruauit Cuiac. *lib. 3. obſeruat. c. 31.* Nam Arcadius & Honor. AA. *l ſi quis ſine 11. C. de vectigalib. & comm.* ſic edicunt: *Siquis ſine perſona mancipum, id eſt ſalinarum conductorum ſales emerit, venderéve tentauerit, ſiue propria audacia, ſiue noſtro munitus oraculo, ſales ipſi vnà cum eorum pretio mancipibus addicantur.* Vides à ſapientiſſimis Imperatoribus conſtitutum fuiſſe, quod deinde in Gallia aduerſùs ſpeudoſalinarios, quos *faux ſaulniers* vocant, creberrimis ſeueriſſimiſque edictis ſancitum eſt; maximè ab Henrico II. ann. 1547. & 1556. Verùm ſi quis plura de hoc ſalinario vectigali quod Galli noſtri Gabellam vocitant, ſcire cupiuerit, legat Caroli Liliæi Patroni fiſci in ſubſidiorum Curia libellum accuratum de gabellis Francicis.

Alterum Romanis vſitatum vectigal colligeba- 4
tur ex metallis, & variis fodinis, quare Plin. *lib. 33. capit. 4.* meminit legis Cenſoriæ qua cauebatur ne in auri fodinis ictimulorum, hoc eſt, victimiliarum in agro Vercellenſi publicani pluſquàm quinque millia hominum haberent in opere. Eorumdem etiam pulicanorum meminit Vitruu. *libro 7. capit. 9. Quæ autem in Epheſiorum metallis fuerunt officinæ, nunc traiecta ſunt ideò Romam, quod id genus venæ poſtea eſt inuentum Hiſpaniæ regionibus, ex quarum metallis venæ portantur, & per publicanos Romæ curantur.* Cæſar *libro 5.* de bello *Gall.* ſcribit Daciam Romanis in tributum aurum, & argentum ſoluiſſe, quod fodinis abundaret, etſi nondum in Prouinciam reda-

cta

Digitized by Google

cta eſſet. Polybius ſcribit ad Carthaginem nouam non minùs quadraginta millia hominum aſſiduè in opere fodinarum verſari. Strabo *lib.*17. Principes ſibi reſeruaſſe auri fodinas, vt in fiſcum inferrentur: argenti priuatis hominibus reliquiſſe ſignificat. Liu. *lib.*45. metalli Macedonici ingens vectigal fuiſſe memorat. Metara verò in Macedonia inſtituta fuiſſe an. v. c. 59. M. Æmilio, & C. Papilio Coſſ. annotauit Caſſiodor in chronico. Idem Liu. *lib.*39. de Philippo Macedone; *Vectigalia Regni non fructibus tantum agrorum portoriiſque maritimis auxit, ſed metalla etiam & vetera intermiſſa recoluit, & noua multis locis inſtituit. Et lib.*45. de legibus deuictis Macedonibus datis à Paulo ex decreto Senat. *Metalla quoque auri & argenti nō exercers, ferri & aris permitti, vectigal exercentibus dimidium eius impoſitum quod pependiſſent Regi, & ſale inuecto vti vetuit.* De canone metallico habemus *l.*2.*C.de metallis*; & quid ex metallorum effoſſione fiſcus caperet toto eo codice tum Iuſtinianeo, tum Theodoſiano conſtat: cuius vectigalis quod noſtri etiam mores, hodieque probant, iuſtitia & æquitas explicanda nobis paucis eſt, quod faciam contra Sotum *lib.*5. *de iuſtit. q.*3.*art.*3.& Leſſi *lib.*2.*de iuſtit.cap.*5.*n.*51. qui diſtinguunt inter venas metalli, maximè auri & argenti, atque lapidicinas, aliáſue fodinas; priores enim illas volunt in nullius eſſe dominio, ſed primi occupantis, aut illas inuenientis, & effodientis; quare iure Principes ſibi facultatem metalli effodiendi vindicant, eamque priuatis concedunt etiam in agro alieno, inuitis licet agri, & fundi Dominis, compenſato duntaxat damno, quod infertur loco; neque iniuriam fundi domino faciunt, cuius fundi damnum compenſant; venam autem metallicam cuiuſque priuati domini abſque illius iniuria ſibi ſumunt. Ideoque neque ipſos ſupremos Principes, neque quemlibet alium qui aurum vel argentum in agro alieno inuito domino eruerit, teneri ad reſtitutionem auri domino fundi fatentur; ſed ad ſolam æſtimationem damni illati, in quo numerant illam etiam ſpem, aut viriſimilitudinem, quam fundi dominus habebat, aurum illud inueniendi, illóque potiundi. Mirum igitur videri non debet, ſi hæc metalla, quæ nullius domini ſunt, ſibi Reſpublica & Princeps ad ſuſtendandam dignitatem, & onera publica ferenda reſeruant, iuſque effodiendi ſumpſerint, ideóque ſi pars aliqua effoſſi metalli, vel totum fuiſſet Principi per Reipublicæ legem attributum, facienda illi eſſet reſtitutio ab eo, qui illud ſua authoritate eruiſſet: aliarum tamen rerum fodinas, quas nomine lapidicinarum complector, concedunt iſti D.D. eſſe in dominio eorum, in quorum fundo naſcuntur, quia illæ fundo cedunt, quod de venis metallicis, quæ ingentis pretij, & æſtimationis ſunt, dicere ineptiſſimum foret: ſapienter enim §.*littera, inſt. de rerum diuiſione*, dicitur, *ridiculum eſſe picturam Apellis, vel Parrhaſij in acceſſionem viliſſima tabula cedere.* Addit Soto venas metallicas ab ipſa natura in ius publicum, non priuatis vſibus inſtitutas fuiſſe; fatentur tamen iidem DD. quamuis eiuſmodi venæ metallicæ in nullius dominio ſint, ſed primi occupantis, & eruentis; nihilominus ius effodiendi ſoli domino fundi competere: quare ſi locus ille eſt priuati alicuius, ius effodiendi erit priuati illius; ſi locus ſit publicus, ius erit publicum ſecluſa omni lege & conſuetudine particulari. Quod probant ex venatione, quam quiſque prohibere poteſt aliis in ſua ſylua, atque agris: quamuis feræ ſint vagæ & nullius domini, id enim verius erit in iure effodiendi mineralia quæ naturales quædam fundorum partes ſunt. Verùm ſi cuique domino priuato competit ius effodiendi metalla in ſuo fundo nata, ei quoque competet ius eam effoſſionem, & inquiſitionem omnibus aliis prohibendi: quare patietur iniuriam quando iure priuatur à Principe, qui illud ſibi ſumit, aut aliis concedit. Deinde cur ſecluſo damno, quod fundus ea effoſſione patitur, poterit aliis illam prohibere. Sic enim iniuriam faciet illi, quem prohibebit ab occupanda re communi, & in quam ipſe æquale ius cum illo habet: & vt dominus nequit prohiberi ab eruenda vena auri ex ſuo fundo, neque alius quiſpiam qui venæ illius æquè dominus eſt, modò fundi diſpendium quod eruendo affert reſarciat: quare illius metalli inquiſitionem, effoſſionemque pati tenetur dominus ſecluſo ſuo damno, quo comprehendi non debet ſpes quam habet dominus auro potiundi, ſi illud ipſe effodi iubeat: nam qui illud effodere parat, eandem ſpem habet, & idem ius quærendi rem ſibi cum aliis communem, modo ſine aliorum damno quærat, quod ipſum facere ſupponimus. Itaque ſi ius iſtud proprium effodiendi metalla, & omnes alios ab effoſſione prohibendi tribuant iſti DD. domino fundi, æquè laborabunt in tuenda æquitate vectigalis impoſiti venis metallicis, atque ipſarum effodiendarum facultate, quam ſibi Principes arrogant, & aliis concedunt inuitis fundorum, in quibus naſcuntur dominis, quibus illam ipſam effoſſionem abſque ſua venia prohibent.

Dico igitur omnes fodinas ſiue metallicas, ſiue lapidicinas, & alias quaſcunque in eius reuera eſſe dominio, qui agri in quo naſcuntur dominus eſt, ſiue is ſit publicus, ſiue priuatus. Ita Couar. *c.*37. *qq. practicar. num.*3. Molin. *tract.*2. *diſp.*54. Vaſq. *opuſcule de reſtitutione, cap.*5.*q.*5.*dub.*2. *n.*16. Turrian. *de iuſtit. diſp.*43. *dub.*1. Bann. 2. 2. *quaſt.*66. *art.*5. *num.*8. Delugo *de iuſtit. diſp.*6. *num.*106. Ratio euidens eſt, quia omnes iſtæ fodinæ ſiue metallicę, ſiue aliæ quæcumque in fundo ſint & agro, non modò fructus naturales, ſed etiam partes quædam ipſius ſunt, ac in dominio eius, qui fundi, & agri dominus exiſtit: non enim ille ſolius ſuperficiei eſt dominus, ſed ſoli totius ad intimas vſque partes, & viſcera, in quibus tum metalla, tum aliæ quælibet fodinæ generantur, eo prorſus modo, quo ſi in extima ſuperficie gignerentur, aut reperirentur; neque vllus dubitat fructus naturales agri, ſine vlla hominis induſtria prouenientes, ad dominum agri omni iure pertinere: alioqui fas eſſet glandes, alioſque ſimiles fructus inuito domino legere in alieno agro, compenſato damno agri, quod falſum eſſe *ex l. vn. D. de glande legenda*, colliges. Quis neget aquam, & fontem ſponte in meo prædio ſcaturientem meum eſſe, quandoquidem abſque mea voluntate nemo habet ius illius aquæ ducendæ? *l.aquam* 4. *C. de ſeruitut. l.in concedendo* 8. & *l. in diem*, 9. *D.de aqua pluuia arcend.* Poſſum verò vel gratis, vel pretio conſtituere ſeruitutem tum hauriendi, tum ducendi aquam in fauorem prædij vicini, *l.*1.§.*vlt.D.de ſeruit.ruſtic. prad.l.ſi prius* 17. §. *via publica*, & §.*vltim. D. de aqua plu. arc.* oſtenditque fuſiùs Cæpola *tract. de ſeruitut. cap.de ſeruit. hauſt. aqua.* Si igitur fons in meo fundo nullo meo labore, aut induſtria ſcaturiens, iure ſeruitutis vicino meo dari, aut vendi à me poteſt; profectò non eſt communis omnibus aliis viciniis illa aqua, eamque neque ducere,

neque haurire me inuito poſſunt, etiamſi ex illo hauſtu, aut deriuatione nullum, aut damnum, aut incommodum patiar: quia & aqua mihi, aliiſque ſufficit, & deriuari, atque hauriri abſque vllo damno prædij facilè poterit. Verùm de his ſeruitutibus commodiùs dicemus in prima appendice huic operi ſubiecta: nunc perſto in argumento propoſito, & ex iure, quod habeo conſtituendi ſeruitutem ducendi, hauriendique aquam ex meo prædio in fauorem vicini prædij, dico me rectè colligere aquam illam meam eſſe, & non communem, quia mei prædij in quo ſponte ſcaturit, fructus quidam naturalis eſt, quod ipſum argumentum valet in fodinis: nam conſtitui poteſt ſeruitus cretæ, & arenæ fodiendæ *l.1.§. vltimo*, & *l. ergo 5. D. de ſeruitute ruſt. prædior.* quidni, & aliarum quoque fodinarum ſeruitus conſtitui æquè poterit. Confirmatur *ex l.vir. in fundo* 18. *D.de fundo dotali*, & *l.ſi ex lapidicinis* 32. *D.de iure dotium*, ex quibus conſtat Lapidicinas, & aliàs fodinas quæ non ſunt meri fructus, ſed partes ipſius fundi, pertinere ad vxorem, & pretium earum cedere in augmentum dotis, quando autem ſunt fructus fundi, quia renaſcuntur, pretium illarum pertinere ad maritum, qui habet vſumfructum fundi dotalis. Et *l. ſi fundus* 8. *D. ſoluto matrim.* dicitur lapidicinam apertam in fundo dotali, ante initum matrimonium, quantum ad ea, quæ effodiuntur non cedere in dotis augmentum, ſed pertinere ad maritum, quia præſumitur mulierem eo animo hunc fundum, in quo lapis cæditur dediſſe in dotem, niſi conſtet de ipſius contraria voluntate. Ius cædendi lapidem legari poſſe tradit *l.39. §. ſi quis alicui. D. de legat.*1. Neque ſanè refert, quod ager ille priuatus ad nihil aliud vtilis ſit, quàm ad lapidicinarum vſum, quia nihilominus eius ſunt lapidicinæ, in iiſque dominium habet, etiamſi cædentes lapides minimè impediant aliorum fructuum perceptionem, nec domino fundi quoad agri culturam noceant: ſufficit enim dominum iuſtè conqueri poſſe, quod eo inuito cædantur lapides: cùm ius illud ſoli tanquam domino competat, quod diſertiſſimè affirmat Vlpian. *l.venditores, §.1. D.communia prædior.* Quorum omnium alia ratio non eſt, quàm quia dominus fundi ſimul fructuum naturalium eius, ac partium dominus exiſtat, ac proinde nullus alius, ipſo inuito, ipſis vti poſſit, & iure omnium illarum rerum communem vſum prohibeat, ſi lubeat; alioquin dominus agri in quo ſponte, & natura ſua, abſque vlla alia cultura proueniunt herbæ, vel arbores odoriferæ, & ad medicamenta idoneæ, adeóque magni pretij, ingentiſque æſtimationis, non poſſet prohibere ne qui vellent, eas colligerent compenſato damno diſtincto ab ipſa collectione arborum, & herbarum, quæ omnibus communes ſunt, ex aduerſariis, & non propriæ eius, qui fundi, & ſoli dominus exiſtit; quod nemo dixerit opinor. Atqui omnes fodinæ ſiue metallicæ, ſiue aliæ quæcumque, ſunt æquè fructus, aut partes naturales fundi in quo giguntur. Igitur æquè ad fundi dominum ſpectant. Neque inter iſta lapidicinarũ, & variarum fodinarũ genera diſtinguit Vlp. *in l.diuortio 7.§.14. D.ſoluto matrimon. Sed & ſi cretifodinæ, argenti fodinæ, vel auri, vel cuius alterius materia ſint, vel arena, vtique in fructu habebuntur*: nempe ſi renaſcantur, vti *§ ſuperiori* dixerat de lapidibus, qui in Gallia, & Aſia renaſcuntur, & de Italia teſtatur Plin. *lib.36.c.15. & 18.* vbi & refert Theophraſtum, ac Mutianum credidiſſe lapides eſſe qui pariant; atque ita ſponte compleri montis viſcera. Sanè lapidem viuum appellant Pyrithem, vt obſeruat Turneb. *lib.6.c.9.* vide Gratius.

Et viuum lapidem, & circa Melitenſia nectunt Coralia.

Strabo *lib.5.* & Iſidor. *lib.16.cap.2.* agunt de montibus natiui ſalis, in quibus ferro cæditur, vt lapis renaſcens, etiam tantæ alicubi ſit duritiei, vt muros domoſque maſſis fulciant, quod etiam alicubi obſeruauit Plinius. Si igitur lapides & aliæ fodinæ renaſcentes ſunt in fructu fundi, & vt aiunt Græci Interpretes *ἐξαίρετον ἰδίαν τὸ κέρδος διὰ τὴν εὐγένειαν τῆς κατόχου*. Sunt igitur domini agri, ſiue ſint cretifodinæ, ſiue auri, ſiue argenti, ſiue cuius alterius materiæ, inquit Vlpian.

Neque diſcrimen quod inter auri argentíve fodinas, & alias mineras pretioſas conſtituebant Leſſi. & Sot. attendendum eſt: quòd non magis pretioſæ illæ venæ cedant ſolo, quàm pictura Appellis tabulæ viliſſimæ, quod ridiculum eſſe cenſetur *§. littera 33. inſt. de rerum diuiſione.* Nam obiicere licebit iſtis DD. illum ipſum §. in quo dicitur litteras, etiam aureas, perinde chartis, membraniſve cedere, ac ſolo cedere ſolent ea quæ illi inædificantur, quod dixerat *§. cum in ſuo 29.* & *§. ex diuerſo 30.* ac proinde dominum chartæ, fieri quoque dominum orationis, quam quis in illa magnificis litteris, & aureis ſcripſerit, & dominum ſoli, ædificij quoque, quamuis magnifici ipſi inædificati dominum reddi. Cur verò ſi tota ratio, cur res aliqua non cedat alteri, cui accedit, petatur ex pretio, pictura Apellis non cedat tabulæ, cui adpicta eſt, & ſcriptura aurea ac pretioſa cedat chartæ, atque magnificum ædificium ſolo multò viliori, explicandum relinquo commentatoribus: neque ſcio an ſatis fæliciter id aſſequentur, ſi ſolum pretium, & æſtimationem rei, cui altera cedere dicitur, attendant. Quare ex eo auri, argentíue pretio, & æſtimatione nunquam colliget Leſſius dominum fundi non eſſe eo ipſo dominum auri, & argenti in eo à natura producti: quandoquidem aliqua pretioſa accedunt rebus minoris pretij, vt in ſcriptura & ædificiis ex ipſomet iure oſtendimus. Verùm quidquid ſit de illa rerum acceſſione, & ceſſione, ratione cuius dominum acquiritur, de quo diſputant in illum titulum inſtitutionum interpretes, & nos alibi dicemus; non agimus hoc loco de re, quæ alteri accedat, ſed quæ eius naturalis fructus eſt, aut pars. Accedit quidem pictura Apellis tabulæ cui appingitur, at verò vena metallica, & auri fodina adnaſcitur fundo, cuius pars eſt; aut ſi ita loqui placeat cum Vlpiano, in eius fructu naturali exiſtit: neque iſta duo vnquam ſeparata ſunt inuicem dominio, cùm dominus agri ſit dominus illius totius, etiam quoad profunditatem, quare & altiſſimas foſſas excauare poteſt, & quidquid in illis continetur, ex iiſque eruetur tanquam ſuum vindicare; non tantùm quia illud cedit ſolo, & ſuperficiei, cuius ipſe dominus eſt, ſed quia pars eſt naturalis agri, cuius totius ſecundum ſuperficiem, & profunditatem dominium habet. Quod autem obiiciebat Sotus metalla in bonum commune, & publicum vſum produci à natura, non autem in vſus priuatos, iam reiectum fuit; quia & lapidicinæ quoque, vt marmora, in eundem finem à natura inſtituta fuiſſe conſtat, cùm tamen pertineant ad fundi dominum. Imò ſecum pugnant aduerſarij cùm hoc commune dominium ex illo fine publici vſus, & boni communis in ſolo auro, & argento adſtruant, & vbique metalla concedant

Digitized by Google

cedant eſſe in dominio priuati domini, cuius eſt ager in quo naſcuntur, conſtat tamen illa æquè ad publicum vſum à natura inſtituta fuiſſe, atque aurum argentumue, quod de ferrariis diſertè explicat Caſſiodor. *lib. 3. ep. 25. & 26.* vbi de ferrariis Dalmatiæ agit, & priori quidem epiſtola ſic habet. *Præterea ferrarias prædictæ Dalmatiæ cuniculo to veritatis iubemus inquirere, vbi rigorem ferri parturit terrena mollities, & igne decoquitur, & in duritiem transfertur: hinc auxiliante Deo defenſio patriæ venit, hinc agrorum vtilitas procuratur, & in vſus humanæ vitæ multiplici commoditati porrigitur, auro ipſi imperas, & ſeruire cogit locupletes pauperibus conſtanter armatis*; &c. Ferrarias autem, aliaſque fodinas fuiſſe priuati iuris nuper oſtendimus ex Vlpian. *l. 7. §. ſi vir. D. ſoluto matrimonio*, & alibi: quod ipſum de auri fodinis colliges ex Tacit. *lib. 4. annal.* vbi tradit Tiberium, ſibi ſepoſuiſſe aurarias ex publicatis priuati alicuius bonis. Denique ſi idcirco ad dominum fundi in quo naſcuntur metalla, non pertinent, quia ad publicos vſus deſtinata ſunt à natura, non pertinebunt etiam ad inuenientem, & primo occupantem, vti volunt aduerſarij, ſed ad Rempublicam. Maneat itaque, quod initio probandum ſuſceperamus, omnes fodinas, ſiue argentarias, ſiue aurarias, ſiue quaſcumque alias metallicas, aut cuiuſlibet alterius generis, eſſe in dominio eius, qui eſt agri in quo naſcuntur, dominus. Vnde vides parum prudenter Victoriam *relect. de Indis part. 3. n. 4.* exiſtimaſſe nefas fuiſſe Indis occidentalibus prohibere Hiſpanis effoſſionem metallorum quæ apud eos Indos naſcuntur, eo quod de iure naturæ aut gentium ſint omnibus communia, atque ad eam vlciſcendam iniuriam iure Hiſpanos illis bellū indixiſſe, eorumque ditiones occupaſſe: nam ipſemet Leſſius, qui commune illud metallorum dominium admittebar, ex eo tamen victoriam reiicit. *lib. 2. cap. 5. n. 52.* quod quilibet fundi dominus habeat ius impediendi, ne quis alius in ſuo fundo minetas effodiat. Quare ſi communitas poteſt extraneos à venatione in ſuis nemoribus prohibere, cur non poterit ab effoſſione ſuorum metallorum? Quod verius erit in noſtra ſententia, quæ fundi dominum, metalli quoque in eo nati dominum conſtituit; aitque ſapienter Soto *lib. 5. q. 3. art. 3. ad* 2. non magis licuiſſe Hiſpanis aurum effodere Indis inuitis, quàm Gallis auri fodinas Hiſpanas occupare. De Iuſtitia verò belli Hiſpani aduerſùs Indos noſtrum non eſt diſputare.

5 His poſitis ſupereſt difficultas initio propoſita, quo iure nimirum Principes fodinas metallicas, & alias quaſdam, vel aliquam earum partem vindicare ſibi poſſint, maximè quando eæ venæ in agro priuato, & non nullius domini, aut communi effodiuntur. Vaſq. *loc. cit. n. 17.* & Turrian. *dub. 1. citato*, exiſtimat ab initio ea lege, & conditione fuiſſe diſpertitos agros, vt mineralia reſeruarentur Principi, cùm id maximè commodo Reipublicæ foret. Verùm fictitia eſt lex, neque apud Romanos aliaſue gentes pluribus ſæculis ſeruata, cùm demonſtrauerimus ex earum proprio iure, metallica fuiſſe propriorum fundi dominorum. Communis itaque ſententia eſt hoc ius ſibi arrogare Principes ex poteſtate imponendi tributa, qua pollent: quam communem ſententiam impugnat Turrian. *n. 4.* ex inæqualitate, quæ in eo tributo neceſſariò reperiretur, quia illud ij ſoli ſoluerent, qui eiuſmodi venas in ſuis agris poſſiderent, cum magno ſuo damno. Delug. *diſp. 6. citata, n. 108.* exiſtimat inde quidem probari non poſſe imponi illud tributum poſt inuenta & occupata mineralia à domino fundi, ante inuentionem verò ferri poſſe legem, qua omnia mineralia quæ deinceps inuenientur, fiant Principis. Sic omnes qui agros mineris fœcundos poſſidebunt, eiuſmodi lege tenebuntur, neque priuabuntur niſi ſpe inueniendi tales fodinas, quæ ſpes non tanti fieri ſolet. Quæ omnia vera ſunt, neque aliter impoſita ſunt iſta tributa, quàm vindicando Principi aut Reipublicæ, quæ deinceps inuenientur: quæ enim inuenta iam erant, & à domino aliquo occupata, illi ſubducta non ſunt, niſi facta compenſatione. Adde multas occurrere poſſe cauſas propter quas prohibere poſſit Princeps priuatis, ne proprias etiam auri, argentiue venas effodiant, cum neque æquum ſit totum alicuius prouinciæ, aut regni aurum, argentúmue in vnius alicuius priuati dominio eſſe, & ex illa effoſſione plurima etiam vicinis prædiis, atque hominū operarumque neceſſariarum multitudini incōmoda ſuboriantur. Quare poſtulat Reipublicæ commune bonum, vt circa eiuſmodi effoſſiones certæ conſtituantur leges, vti factum ſæpius vidimus. Denique cùm ingentes ſumptus, in eruendis, coquendis, præparandiſque metallis fieri deberent quos priuati domini ſuppeditare non poſſunt, eaque de cauſa diuites aliquando venæ negliguntur, magno ipſius Reipublicæ damno, iure ſibi Principes id vindicarunt, cum aliqua priuati domini compenſatione aut parte, minimoque eius diſpendio, qui vel venam auri, alteriuſue metalli non inueniſſet, vel nimio ſumptu deterritus non eruiſſet.

Reſtat itaque videndum quid iam olim circa metallorum effoſſionem conſtitutum ſit, quidue hodie ſeruetur: ſiue quis huius tributi, cuius æquitatem ſtabiliuimus, modus exiſtat. Et initio quidem non licuit in Italia metalla effodere, quod teſtatur Plin. *lib. 3. cap. 20.* de illa agens. *Metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris, ſed id interdictum vetere conſulto Patrum Italiæ parci iubentium*: quæ eadem repetit *lib. 33. cap. 4.* Deinde ſub Imperatoribus liberum cuique fuit aurum effodere, ea tamen conditione, & lege, vt fiſco inferret octo ſcrupulos in ballucam, & reliquum, quod colligeret, fiſco potiſſimum diſtraheret, *l. 1. C. de metallar.* vbi balluca dicitur eſſe quæ Græcis *χρυσαμμός*. Alciat. in eam legem ait à quibuſdam legi chryſoma, quod eſt vas, in quo aurum infundebatur. Vnde nomen ſumpſit ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ. Plaut. *in Bachid. Opus eſt chryſo.* Chryſale alij legunt, ſed retinenda eſt vulgaris vox *χρυσαμμὸς*, quam Alciat. interpretatur auream arenam, auri ramentum, quod dicitur chriſitis, & quandoque pſegma. Verùm *χρυσαμμὸς*, vti obſeruauit eo loco Cuiac. eſt nuper effoſa terra, aliquid habens auri nondum purgati, & vt aiunt gloſſæ veteres *ἀχώνευτος γῆ ἢ χρυσῖτις*, vel *ψῆγμα χρυσοῦ ἀκαθάριστον*. Pollux vocat τὴν χρυσίτιδα ψάμμον. Baſilic. *lib. 52. tit. 11.* *συντέλεια χρυσάμμου διδόσθω.* Plin. *lib. 33. cap. 4.* balucem vocari ait ab Hiſpanis aurum minutum in puteis inuentum, maſſas enim, quæ ibidem quoque inueniuntur, & aliquando denas excedunt libras, iidem Hiſpani nominant palacras, alij palacranas. Strabo *πάλας* vocari dicit. Sunt autem *πάλαι* globi, vel globæ rotundæ: *πάλα* vel *πάλλα* ſphœra: itaque in Plinio ſcribi *palacas* pro *palatas* ſuſpicatur Salmaſius, quod C, & T, cognata ſint. Græcè *παλάδας*; ſic enim Græcè vocantur maſſæ. ballux, ex Græco *βῶλαξ*, quæ *ψῆφον* calculum ſignificat. 6

ſignificat. Ballucis meminit Martial. *lib.* 12. *Epig.* 57. vti legit. Turneb. *lib.* 30. *cap.* 26.

Illinc ballucis malleator Hiſpana.
Tutum nitenti fuſte verberat ſaxum.

Quod de auro crudo, & rudi, & ramentis ragi aureis interpretatur, & *paludis* nomine, quod habet communis lectio, tagum intelligunt. Verùm quid conuenit aureæ ſiue aurariæ operæ cum fuſte? Itaque retinenda eſt vox *paludis* in Martiali, & de lino & ſetabo, quod in paludoſis Hiſpaniæ locis naſcitur explicandum: nam ſudaria ſetaba ex Hiberis miſſa leges apud Catullum, atque ita lineæ operæ benè conueniet cum fuſte. Quidquid verò legas, conſtat ballucem, ſiue ballucam eſſe auream glebam recens erutam, nondum purgatam, certæ cuiuſdam magnitudinis: libra ballucæ conſtabat XIV. vnciis ex *l.* 2. *C. de metall.* cùm libra obryſæ eſſet tantum XII. vnciarum ex *l.* 5. *C. de ſuſceptorib.* cuius diſcriminis rationem reddunt Græci dum adiiciunt ὅπεσθαι πολλὴν μετάλλου ἔχει: obryſa ſiquidem purior & defæcatior multò eſt. Septem quoque ſcrupuli largitionibus inferebantur per hominem ab Aurilegulis in Aſiana & Pontica diœceſi, ex *l.* 5. *C. de metall.* Quod enim diximus de octonis ſcrupulis in ballucea ex *l.* 1. pertinebat ad Illyrici diœceſim. Et ſanè diuerſus fuit canon metallicus pro diuerſitate Diœceſeon.

Secundò lapides ſiue marmora è priuatorum prædiis, ea lege licebat effodere, vt decimas fiſco, decimas domino præſtaret effoſſor, reliquum ſibi haberet, laboris præmium *l.* 3. *C. de metall.* & *l.* 11. *C. Theodoſ. eod.* Non tamen fas erat agere cuniculos ſub aliorum ędificiis, ne labefactatis fundamentis moles ædificij ſubuerteretur *l.* 6. *C. de metall.*

Tertiò circa Inſulæ Cretæ cototias, de quibus vide Plini. *lib.* 18. *cap.* 28. ſic edixerat Cæſar, *ne quis præter redemptorem poſt Idus Martias cotem ex Inſula Creta fodito, neue eximito, neue auellito.* Quare cum nauis onuſta cotibus ante Idus Martias ex portu Cretæ profecta, in eundem reflante vento relata eſſet, indéque denuò poſt Idus Martias ſoluiſſet, reſpondit Alfenus in *l. Cæſar* 15. *D. de publican.* nihil videri commiſſum fuiſſe contra legem, quòd iam initio euectæ cotes viderentur, cum primùm ex portu nauis profecta eſſet. Adde ex Cic. *de Inuent.* nautam excuſari tempeſtate. Deinde inuoluntaria non puniuntur, quod illuſtrat nonnullis Gotofred. *in notis ad l.* 15. *citatam.*

Quartò erant Procuratores metallorum, quos Euſeb. *lib.* 8. *Hiſtor. Eccl.* vocat τοὺς ἐπὶ τοῖς μετάλλοις τεταγμένους. Præficiebantur ad tempus, neque ante illud exactum ad aliam dignitatem euehi poterant; parebant illi Comiti metallorum, ille verò, ſaltem per Illyricum, Comiti largitionum.

Quintò fuere aliqui metallarij metallis cum vxore, & liberis addicti vt ſeruirent, quibus ſolutis tota eorum familia libera erat, *l. vlt. C. de metall.* Alij fuere ad metallum damnati. De qua pœna *l. aut damnum* 8. §. 4. 5. *&* 6. *de pœnis*, vbi diſcrimen ſtatuit inter eos, qui ad metallum, & qui ad opus metalli damnantur: quòd illi grauioribus vinculis premantur, & refugæ ex opere metalli in metallum dentur; ex metallo autem grauius coërceantur. Obſeruat prætereà ex Epiſtola Diui Seueri Præfecto vrbi ſpecialiter competere ius in metallum damnandi.

Quod attinet ad mores hodiernos hæc ſufficiant. De Hiſpanis agit Turrian. de Luſitanis Molina locis nuper citatis, de Germanis *lib.* 2. *different. iuris ciuil. & Saxonici*, & alij. In Gallia verò Karol. IX. edixit an. 1563. 26. Maij, quod die 1. Iulij anni ſequentis in Pariſienſi Curia publicatum fuit, decumas omnium foſſilium Regi pro maiori ſummóve imperio competere: *Que le droict de dixiéme appartient au Roy par droit de ſouueraineté, ſur toutes les mines, mineres, & autres ſubſtances terreſtres.* Ex conſtitutione verò Caroli VII. & VIII. & Ludouici XII. licet cuique quærere, & effodere mineras, compenſatis priuatis dominis & Regio iure ſeruato.

Primò fuit Romæ vectigal macelli, quo nomi- 8
ne intelligo locum in quo obſonia venduntur; nam licèt Plutarch. vocet macellum κρεοπώλιον, veteribus tamen gloſſis macellarius eſt ὀψαριοπώλης, quo ſenſu Sueton. *in Iulio cap.* 26. *Ea quæ ad epulum pertinerent, quamuis macellariis oblocata etiam domeſticatim apparabat.* Et infrà. *Diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra vetitum retinerent.* Et *in Veſpaſian. cap.* 19. *Conuiuabatur aſſiduè, ac ſæpius, rectè ac dapſilè, vt macellarios adiuuaret,* qui nimirum annonam macelli magnò vendebant. Varro *lib.* 3. *de re ruſtic. cap.* 2. *Sed vt ad hunc bolum peruenias, opus erit tibi, aut epulum, aut triumphus alicuius, vt tunc fuit Scipionis Metelli, aut Collegiorum Cœna, quæ tunc innumerabilem excandefaciebant annonam macelli.* Hinc apud Senecam *viuere in macello*, pro in popina, & τὰ πυρῶα καὶ ἱσάτηρίοις. Ex eduliis igitur & macello collectum fuiſſe vectigal habemus in Liuio *lib.* 38. qui illud ſublatum ait, ſed deinde tamen à Caligula reſtitutum fuiſſe teſtatur Sueton. *cap.* 40. vbi de tributis ab illo impoſitis ſic habet. *Pro eduliis, quæ tota vrbe venirent certum, ſtatumque exigebatur.*

Secundò fuit quoque vini portorium etiam libera republica: vnde Cic. *pro M. Fonteio* illum à crimine vinario, id eſt inſtituto in Gallia Narbonenſi vini graui portorio defendit, ſed eius defenſio periit, magno rei litterariæ damno. Fuit & aliud portorium mercium, de quo nuper, & iterum *art. proximo.*

Tertiò ex plantariis, & arboretis quinta fructuum pars impoſita apud Appian. *lib.* 1. *ciuil.*

Quartò, legatis & hæreditatibus detracta viceſima, ex Plin. *lib.* 8. *Epiſt.* 14. de qua viceſima *art. proximo.*

Quintò Caligula pro litibus atque iudiciis vbi- 9
cumque conceptis quadrageſimam ſummæ, de qua litigabatur indixit, nec ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe, vel donaſſe negotium conuinceretur. Sueton. *c.* 40. De huius vectigalis æquitate inde conſtat, quòd per modum mulctæ ſtatueretur litigantibus indebitè, ſic Caligula bono animo & odio litium, quas coërcere volebat, ita edixit. Videmuſque ſimile quid à pientiſſimis Principibus factitatum: nam ex lege Salica fiſcus ex qualibet actione iudiciali, ſiue vti appellabant, placito, fredam, ſiue *fredum* capiebat, non tamen ante compoſitionem litis; eratque tertia pars illius compoſitionis. De freda habes *lib.* 3. *capitular. cap.* 30. Turon. *lib.* 4. *de vita S. Mart. cap.* 16. Marculf. *lib.* 1. *c.* 3. *&* 20. & Bignon. *in notis ad Marculf.* vbi & capita legis Salicæ notat, volebant enim coërcere eos qui iniuſtè litigabant; eas ſiquidem fraudes perpetuò viri ſapientes odere. Quare monet Nicocl. Iſocratem, vt ciuibus negotiationes lucroſas redderet, lites verò detrimentoſas. Plini. *lib.* 19. *cap.* 1. queritur Marcellum velis forum inumbraſſe, vt ſalubriùs litigantes conſiſterent. *Quantum,* inquit, *mutatis moribus Catonis Cenſorij, qui ſternendum quoque forum muricibus cenſuerat*, vt nempe difficilius

ciſius illud adirent. Apud Cytæneos qui malam cauſam agebat, ab Ephoris mulcta damnatus, infamis fiebat; variæque fuerunt pœnæ tum apud Romanos, tum apud noſtrates, iis qui iniuſtè litigarent inflictæ. Plura in hanc rem collegit Oliua *lib.2. quæſt. forenſ. cap.1. & in notis ad illud caput:* nunquam tamen litigantibus, ea duntaxat de cauſa quòd litigarent, indictum, aut tributum, aut pœna fuit, vt ipſis agere, aut iudicio experiri liceret; ſic enim cogerentur iniuriam ſibi illatam perpeti. Itaque Curia Tholoſana 2. Maij an. 1628. dominum Auenſaci ſibi vindicantem ius exigendi à ſuis ſubditis quatuor denarios pro qualibet forenſi actione, & à victis duos ſolidos in ſingulas libras Francicas, nullum eſſe pronuntiauit; quia etſi poſtremum hoc caput eſſet tantùm mulcta iniuſtè litiganti impoſita, ſolius ſupremi domini erat eas indicere, vt habet Oliua *loco citato.*

Sextò Alexand. Seuerus brachiariorum, vel vt alij legunt, bractariorum, linteonum, cithariorum, pellionum, plauſtrariorum, argentariorum, aurificum, & aliarum artium vectigal inſtituit, ex quo thermas quas fundauerat, pluribus vſibus ornauit. Ita Lamprid. & iam olim Caligula ex gerulorum diurnis quæſtibus partem octauam ſibi capiebat. Sueton. *c.*40. Gerulos vocat Appian. *lib.*4. μισθῷ φέροντας: Attici προυνίκους & περιδίγους: Latini baiulos, & gerones.

10 Septimò fluminibus & lacubus publicis, quorum cura ad Principes pertinet ex *l.2. D. de rerum diuiſion.* licet vectigalia colligere, atque ex iure ipſo piſcandi, quod aliàs monuimus: quare Vlpian *in l.4. D. de cenſib.* lacus piſcatorios, & portus in cenſum à domino deferendos eſſe ait. Herodian. *lib.*3. vocat προσόδους τῆς ἁλιείας. Lacus Lucrinus boni ominis cauſa, in locandis vectigalibus primus à Cenſoribus addicebatur, teſte Feſto. Fuere quædam ciuitates, quæ tributi nomine piſces penſitarent, cùm ob ſoli duritiem, & ſterilitatem neque laridum, neque triticum ſoluere poſſent. Ita actum cum Rhegienſibus apud Caſſiodor. *lib.*12. *Ep.*14. vbi huius agri ſterilitatem deſcribit, eiuſdemque marinas delicias atque piſcium abundantiam, & maximè celeberrimum illum piſcem quem exormiſton vocabant: quia fundum maris deſerere ſolet, vt in ſummo enatet, quod dicitur propriè de naui ſublatis anchotis, nam cum fundata eſt iactis anchotis dicitur ὁρμισθῆναι. Sterilitatem porrò huius ſoli, & pelagi delicias oriri ait ex vicinia maris, cuius impetu à reliquo Siciliæ corpore auulſum eſt; vnde ciuitas ipſa nomen accepit, diuiſio enim ῥῆον dicitur. Fuit quoque πισκινικὸν piſcina, tributum piſcinis impoſitum, cuius meminit Cantac. *lib.*2. *cap.*1. & *lib.*4. *cap.*42. atque plura denariorum & aureorum millia ſuppeditaſſe, & inter publica vectigalia Byſantij numerat. Nicephor. Gregoras *lib.*9. vocat πρόσοδον τῆς ἁλιευτικῆς. Cæterum quamuis vectigalia fluuiis, & lacubus propter piſcationem impoſita perſeuerarint, aliqua tamen alia è fluminibus ſublata fuiſſe à Pertinace Imperatore narrat Herodian. *lib.*2. ea ſcilicet in quibus nihil auxilij nautis & mercatoribus præſtatur; putà ſi portu ſoluatur, aut ſub pontibus tranſitur, quæ tamen & reſtituta deinde ſunt, & pluribus in locis, hodiéque perſeuerant, vti *art.*1. agentes de portoriis notauimus.

11 Octauò fuit Athenis quondam vectigal ex meretricio quæſtu πορνικὸν τέλος, vti oſtendit Æſchin. *orat. contra Timarch.* Caligula, vt narrat Sueton. *cap.*40. cepit *ex capturis proſtitutarum quantum quaque vno concubitu mereret.* Capturæ ſunt Latinis merces artium ſordidarum, & obſcœnarum, ſic apud Valeri. Maxim. *lib.*3. *cap.*4. *lib.*6. *cap.*9. & *lib.*9. *cap.*4. Græci vocant propriè μισθώμα, quod eſt pretium flagitij aut ſceleris: μισθὸν, cuiuſcumque operæ etiam honeſtæ merces. Itaque has voces diſtingui à Philone obſeruat Cauſabon. *in comm. Sueton.* quo etiã ſenſu vult accipi μισθώμα apud Ælian. *lib.*4. *c.*12. Alij Græci dicunt ἐμπολὰς, atque ita intelligendus eſt apud Athenæum titulus comœdiæ Ephippi ἐμπολὴ. Philo *in lib. de non inferenda mercede meretricis in templum, περὶ τοῦ μισθώμα πόρνης εἰς τὸ ἱερὸν μὴ προσδέχεσθαι,* ciuſmodi capturas nominat λήμματα αἰσχρά. Hebræi dicunt *Etnas:* vnde ſuum ἔδνον deriuarunt Græci, quod eſt donũ amatorium, & pretium amoris, ſed honeſti, quod aliqui male ab ἥδω deducunt. Ex his igitur capturis, & infamibus mercedibus proſtitutarum ſibi vectigal fecit Caligula, addiditque ad caput legis, *vt tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium feciſſent.* Itaque non illæ ſolùm quæ in præſentia meretriciam artem exercerent, ſed & quæ olim exercuiſſent, quamuis à turpi illo quæſtu modo temperarent, ea lege tenebantur. De tributo ob venditam honeſtatem lupanaribus, lenonibus, & meretricibus impoſito, diximus *cap.2. art. vltimo, conſ.*12. *n.*24. quibus adde quæ exprobrat Iuſtin. *in Apolog.*4. nempe vt quondam veteres armenta, & greges alebant; ita nunc ipſos alere pueros ad turpia, & muliebrem patientiam, atque ex æquo fœminarum, catamitorum, & opicorum ſpurco ore multitudinem, indeque tributa colligere. Tertullian. *lib. de fuga in perſecut. cap.*13. vt oſtendat non eſſe retinendam pecuniis fugam in perſecutione, & ſoluendum ea de cauſa tributum, propudioſum eſſe ait Eccleſiæ inter lenones, aliosque ſordidos, & obſcænos homines tributarios cenſeri Chriſtianos. *Neſcio dolendum, an erubeſcendum ſit, cum in matricibus beneficiariorum, & curioſorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones Chriſtiani quoque continentur.*

Ex quibus etiam colliges ſordidis quibuſque artificibus, vt ſuam artem liberè profiteri poſſent, tributa indicta fuiſſe: qua ratione obſcœnitatem, & impietatẽ omnem redimebant, quod de Mathematicis, & Planetariis, qui ſæpius vrbe pulſi fuerant, certum eſt; illi enim vt vaniſſimam artem poſſent profiteri, tributum pendebant, quod Alexandrini teſte Suida βλακενόμιον vocabant, quo nomine ſtultitiam conſultoribus Aſtrologorum exprobrabant. 12

Verùm non modò lenocinio, & meretricio tributum indixit Caligula: ſed ipſi quoque legitimo connubio, illius enim legis caput refert Sueton. *loco citato, Vt matrimonia obnoxia eſſent:* quod non intelligo de maritatis, quæ domi meretricium, aut lenocinium facerent, ſed de caſtis connubiis, quæ etiam obnoxia tributis eſſe voluit Caligula, in quem locum obſeruat Boxhornius apud antiquiſſimos Septentrionales populos receptiſſimum fuiſſe, quod in eorum legibus nominatur vectigal, *marcheta mulierum:* nam *marchiis* ſignificat equum, vnde *marchio, marcheren,* & eiuſmodi alia nomina deriuantur. Hinc marcheta mulieris dicitur prima eius pudicitiæ delibatio, quæ omnibus Principibus & Dynaſtis, quos leges appellant Capitales dominos, impiè permiſſa erat cum omnibus nuptis, prima nuptiarum nocte: ſed accedente Chriſtiana, Religione mos ille obſcœniſſimus emendatus eſt, 13

&

Digitized by Google

& infame ius certo vaccatum numero redéptum: quare priſcæ Scotorum leges ſic habent. *Quæcumque mulier fuerit ſiue nobilis, ſiue ſerua, ſiue mercenaria, marcheta ſua erit vna iuuenca, vel tres ſolidi, & rectum ſermentis tres denarij: & ſi filia liberi ſit, & non domini villa, marcheta ſua erit vna vacca, vel ſex ſolidi.* Ita legitur in collectione legum Scoticarum, quam edidit Skenæus. Addit Boxhornius ſimile quoddam quibuſdam ius Dynaſtis in Belgio etiam hodie ſolui, & alicubi dicitur ius coxendicis, *droit de cuiſſe*, de quo, & quibuſdam aliis inſolitis, quæ vbi minus honeſta viſa ſunt ſupremæ Curiæ Franciæ ſuis decretis ſuſtulerũt, vbi autem nihil contra bonos continebant, confirmarunt. Vide Charond. *tom. 1. reſponſ. lib. 7. cap. 49.* Chopin. *lib. 2. de legib. And.* Maynar. *lib. 1. cap. 70.* Bacquet. *cap. 2. de nothis.* Seruin. *action. 72. forenſ.* & qui alios dabit Oliuam *lib. 2. qq. forenſ. cap. 1. in notis.* Louet. *in collatione Arreſtor.* neque enim noſtrum eſt ire per ſingula, ſatis fuerit vniuerſalem regulam tradidiſſe ad horum æquitatem tributorũ diiudicandam; nam ſi bonis moribus, honeſtati, & libertati matrimonij repugnent, reiicienda ſunt: ſin minus toleranda, vti ſapienter factum eſſe à ſupremis Curiis Franciæ monuimus. Quod idem dico de quibuſdã aliis vectigalibus ratione adulterij, aut fornicationis impoſitis: ſi enim indicta ſunt ad obtinendam liberam facultatem adulterandi, & fornicandi impunè, iniqua, & obſcœna ſunt, neque toleranda: ſi verò in pœnam adulterij, fornicationis, alteriuſve turpitudinis commiſſæ, probanda erunt, modò tamen vſque adeò leuia non ſint, vt eorum metu non ſatis coërceantur rei: quod maximè verum erit, ſi ſoluto exiguo eiuſmodi vectigali, omnem aliam pœnam, quam vel merentur, vel leges decernunt, euitant, tunc enim vectigal illud non erit pœna criminis, ſed eius committendi facultas, & impunitatis redemptio.

14 Collectum fuit tributũ ex mancipiis, cùm enim, inquit Dio *lib. 55.* Cæſar egeret pecuniis ad onera militiæ, & vigiles alendos *εἰς τὴν τῶν νυκτοφυλάκων τροφὴν*, inſtituit vectigal viceſimæ quintæ mancipiorum *τῶν ἀνδραπόδων*, quod Tacit. *lib. 13. annal.* ait Neronem remiſiſſe ſpecie magis, quàm vi, quia cùm venditor pendere iuberetur, in pretium emptoribus accreſcebat.

Ex manumiſſis quoque fuit indictum vectigal; legem enim Cnei. Manlius Conſul, ad Sutrium in caſtris tulit de viceſima eorum, qui manumitterentur, teſte Liuio *lib. 7.* eius meminit Arrian. *lib. 2. diſſertat. Epict. cap. 1.* & Cic. *lib. 2. ad Attic. Ep. 16.* Aurum viceſimarium dictum eſt, quòd ex ea viceſima reficiebatur, & ad vltimos caſus reſeruabatur in ærario ſanctiori, apud Liuium *lib. 27.*

Imperatum fuit libertis quotquot in Italia degerent, ſi ducenta H.S. vel amplius poſſiderent, octauam ſuarum facultatum publico inferrent, & ab ingenuis quadrans annui redditus exactus in Triumuiratu C. Lepid. & Anton. ait Dio *lib. 50.*

Et pro mortuis imperatum tributum; nam apud Xiphilinum *in Nerone*, Boudica Britannica queritur ſe pendere pro mortuis *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τελῶμεν*: Romanis ſolis etiam mortuos viuere, mori non licere ſine tributo, & mulcta. Commodum vendidiſſe ſepulturas tradit Lampridius, pro cadaueribus quæ in patriam referebãtur, vbi vel portus ſubibant, vel vrbium portas intrabant, *in l. funeris 37. D. de religioſ. & ſump. fun.* inter ſumptus funeris numerantur, *ſi quæ vectigalia ſunt*, vbi licèt communis lectio habeat, *veſtiaria*, rectè tamen Cuiac. *lib. 5. obſeruat. cap. 40.* ex *lib. 89. Baſil.* reſtituit *vectigalia καὶ τὸ τέλος καὶ ὁ φόρος καὶ ἡ συντελή.* Erant ea vectigalia quæ in itinere pro delatione cadaueris ſoluebantur, quæ demùm ſublata ſunt, *l. vlt. C. eod.* quæ in Latino antiquo Codice ſæpe deeſt, & quam ex Baſilicis edidit Cuiac. *lib. 11. obſeruat. cap. 21. ἐν οὐδενὶ τόπῳ οὐδὲν τέλος παρ' οὐδενὸς φροντίζηται ὑπὲρ τῶν διακομιζομένων σωμάτων παρέχεται.* Eſt tamen vetus prouerbium à mortuo vectigal exigere *ἀπὸ τοῦ νεκροῦ φορολογεῖν.*

Erant & vectigalia, quæ Prouinciales ludorum nomine pendebant Romanis ædilibus, quæque in ornatum fori, & munerum apparatum conferebant, dicebanturque ædilitia vectigalia, quorum meminit Cic. *lib. 1. ep. 1. ad Q. fratrem. Quantum verò eſt illud beneficium tuum, quod iniquo & graui vectigali ædilitiorum, magnis noſtris ſimultatibus Aſiam liberaſti. Enim vero ſi vnus homo nobilis queritur palam te, quod edixeris, ne ad ludos pecunia decernerentur H. S. CC. ſibi eripuiſſe: quanta tandem pecunia penderetur, ſi omnium nomine, quicumque ludos facerent, quod erat iam inſtitutum, erogaretur.* Cæterum de collatione ad ludos & collatione Syriarchiæ vide Bulleng. *cap. 69. lib. 9.* de Imperio Romano. 15

Solarium erat vectigal, quod pro ædibus quas quis in ſolo Reipublicæ extruxerat, pendebatur, eius meminit *l. 1. C. de diuerſ. præd. l. 2. D. ne quid in loco vel itin. l. legatum* 8. §. 1. *D. de operib. public. l. 15. D. qui potior. in pignor.* ipſi quoque Græci *in Ecloga* 58. *Baſilic. σολάριον* dicunt. Iuſtin. *lib. 18. Carthago conditur ſtatuto annuo vectigali pro ſolo vrbis:* vnde huius tributi antiquitatem videas. De ſolario pro ſoli æſtimatione vide Symmach. *lib. 4. ep. 19. & ep. 51.* 16

Fuit & Romæ penſio causâ habitationis pendi ſolita, quæ & idcirco habitatio dicebatur. Sueton. *in Iulio cap. 38. Annuam etiam habitationem Romæ, vſque ad bina millia nummum, in Italia non vltra quingenos ſeſtertios*, quam legem deinde renouaſſe Auguſtum narrat Dio qui & *τὸ ἐνοίκιον* vocat, Iuriſconſulti, & vetus gloſſarium, obuentionem, cùm verum vectigal fuerit annuæ habitationi; nempe qui ciues non eſſent, & Romæ, aut in reliqua Italia habitarent, Reipublicæ pendebant vectigal. Alij referunt ad penſionem, quam ex ſingulis habitationibus percipiebat Reſpublica, vnde fiebat vt Romæ carè omninò habitaretur, & Cic. ſcribit M. Cœlium filiumfamilias à patre ſeparatum triginta millibus habitaſſe. Exiſtimat Cauſab. Iulij & Octauij beneficium ad tenuiores duntaxat ciues pertinuiſſe, quod deinde Romanus Conſtantin. filius ad omnes ſine diſcrimine ampliauit: Scribit enim Cedrenus *δεδωκέναι καὶ τὰ ἐνοίκια τῆς πόλεως ἀπὸ τοῦ ὑψηλοτέρου καὶ μέχρι τοῦ ἐσχάτου.*

Erat & aliud Romæ, & in Prouinciis ſub Gothis Regibus indictum Senatoriis domibus; pendebant enim ſiliquam vnam, conductores autem tum diuites, tum tenues canonicos ſolidos; quod videbis apud Caſſiodor. *lib. 2. ep. 24. & 25.* queritur enim priori loco Theodoricus reſcribens ad Senatum, nihil, aut parum à Senatoriis domibus illatum fuiſſe, vnde tenues deprimantur, quos magis decuerat ſubleuarij. *Fiet enim*, inquit, *vt exactorum nimietas, dum à potentibus contemnitur, in tenues conuerſa graſſetur, & ille potiùs ſoluat aliena, qui eſt deuotus ad propria.* Vnde concludit; *atque ideò P. C. ſic æqualiter ordinate, vt quidquid vnaquæque domus Senatoria profitetur, deſtinatis procuratoribus per*

prouincias

Prouincias trina illatione perſoluat. Sequenti ep. 25. ipſum edictum mittit, & canonicos ſolidos ab omnibus ſolui præcipit.

Apoſtole tributum fuit à Iudæis ad Imperatorem miſſum, quod ipſis Iulianus Imperator pepercit, & *Ep. ad ipſos* ſcribit iuſſiſſe illis remitti apoſtolem *κωλυθῆναι τὴν ἀποστολήν.* Eam Patriarchæ Iudæorum exigebant: ille exactor Apoſtolus dicitur *l.* 14. *& l.* 18. *C. Theod. de Iuda.* Denique Epiphan. *lib.* 1. *Pan.* eius tributi collectionem *ἀποστολῆς ἐπικαρπίαν* nominauit.

Monopolium eſt penſio, vel vectigal, quod quis Principi ſoluit, pro ſibi ſoli conceſſo iure vẽdendi certum aliquod mercis genus, quod alij proinde vendere nequeunt. Strab. *lib.* 17. inter tributa rerum grauis pretij *τῶν βαρυτίμων τὰ τέλη,* numerat *μονοπωλίας.* Procop. *lib.* 2. *de bello Perſic.* narrat Iuſtinianum, authore Ioanne quodam, monopolion in Petra vrbe maritima, à ſe in Lazis ædificata inſtituiſſe, in quam omnia Lazorum deferebat, neque illi deinde aliunde quàm ex Petra quidpiã emere poterant. Caſſiodor. *lib.* 2. *Ep.* 4. meminit cuiuſdam Antiochi ſiliquatici, vel monopolij titulos iuſſione regia exercentis. Erat verò ſiliquaticum onus, & vectigal mercibus impoſitum, vti ex eodem Caſſiodoro conſtabit art. ſequenti. Cæterum vtrum monopolia iuſta & licita ſint diſputabimus inferiùs *lib.* 4.

Tirocinium fuit onus præſtandi tironis, cuilibet poſſeſſori agrorum impoſitum pro ratione ſuarum facultatum, quod onus aliqui redimebant auro loco Tironis dato. Huius tirocinij meminit Vegetius *lib.* 1. *cap.* 7. indeque Romanas clades deducit, dum poſſeſſoribus indicti tirones, per gratiam, aut diſſimulationem probantur. De hoc tirocinio eiuſque taxatione, vt loquitur Symmach. *lib.* 9. *Ep.* 10. plura habes toto *C. Theodoſ. de tironibus.* Aurum itaque tironicum eſt, quod loco tironis pendebatur, Socrat. *lib.* 4. *cap.* 34. *Hiſtor. Eccleſ.* narrat Valentem numerato pretio vendidiſſe militem, qui ex Prouinciis per vicos præſtabatur, cùm iuſſiſſet, vt pro quoque milite aurei octoginta à Tributariis exigerentur, nec prius eos vectigalium onere leuauit, quàm id præſtitiſſent. Idem affirmat Paul. Diacon. *lib.* 11. Inde porrò clades Romani Imperij cùm milites deeſſent adſcitis Gotthis, & exacto auro pro tironibus ex Imperij vrbibus, & locis, coëgitque clericos adſcribi militiæ: De toto hoc Valentis facto conſule etiam Sozom. *lib.* 5. *cap.* 4. Euag. *lib.* 3. *cap.* 42. vocat *χρυσοτέλειαν* aurariam præſtationem, & ab Anaſtaſio Dichoro inſtitutam. Syneſ. *Ep.* 79. *στρατιωτικὸν χρυσίον.* Diuerſa porrò fuit hæc tironis taxatio, vt ex *C. Theod. de tironib.* colliges. 25. enim ſolidi definiuntur *lib.* 13. vel 36. ſolid. *l.* 7. aut 30. ſolidi *l.* 20. Vocatur aliquando collatio iuniorum *C. Theod. de agentib. in reb.* Valens octoginta aureos in ſingulos exegit, vt monebamus. Exigebant hoc tributum capitularij, qui & turmarij dicti ſunt. Simmach. *lib.* 9. *Ep.* 10. *Poſtulant capitularij taxationem tironis ab hominibus meis.* De turmariis *l.* 3. *C. Theod. de priuileg. eorum qui*, & enumeratis iis, qui cubiculo Imperatorio vacabant, addit; *Quibus omnibus condonamus ne exactorum, vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam ſubeant, vel obſequium temonarium, vel protoτυπία.* De temonariis quoque loquitur eodem ſenſu lex 7. *Cod. Theodoſ. de tironib. Sin verò aurum fuerit pro tironibus inferendum, vnumquemque pro modo capitationis ſuæ debitum redhibere oportet, & ne aliquid dubium relinquatur, & ſolidorum numerum qui temonario inferendus eſt, deſignamus.* Quare capitulum & temo coniunguntur, quod aliàs monuiſſe me memini, erantque munera & præſtationes capitulariæ; item temonaria functio, quæ ſordidæ & viles habebantur; quare *leg.* 14. *Cod. Theod. de extraordinar. & ſordidis muneribus*, Comites alioſue dignitate præfulgentes, *omnium vilium munerum, ac totius capitularia, ſiue, vt rem quam volumus intelligi communi denuntiatione ſignemus, temonariæ functionis fieri iubemus exertes.* Plura alia in hanc rem, ſed confusè ſuo more dabit Bulenger *lib.* 9. *de Imp. Roman. cap.* 68. Ne ſacrum quidem, ſiue Imperiale Patrimonium à præſtatione tironicij eximebatur *l.* 12. *C. Theod. de tironib.* Eccleſias illi ſubiicit oneri Nouella Theodoſij. Hoc nihilominus tributo immunes erant ipſi milites, quamuis agros militares & illi oneri obnoxios poſſiderent, id enim militari dignitati concedebatur ex *l.* 7. *&* 18. *C. Theod. de tironibus.* Hinc Ioan. Coſta in ſuis veriſimilibus eplicat. *leg.* 3. *C. de condict. ob turpem cauſ. Quod euitandi tirocinij cauſa dediſſe te in dubiæ probationis luce conſtiterit, inſtantiâ competentis Iudicis recipies.* &c. Continet enim querelam Dionis, ſiue Dizonis cuiuſdam militis, à ſe exactum fuiſſe ex cauſa ſui agri militaris tirocinium, cùm tamen ipſe militaret: quæ ſimilis querela eſſet ſi feudi militaris poſſeſſor, banno vel retibanno proclamato, militiæ accinctus ab eo quidpiam Coactor Regius exegiſſet iniquiſſime; quod oſtendit Bacquet. *tract. de iure immunitatum feudalium; du droict des francs fiefs. cap.* 10. Quod igitur Dizo miles pro tirocinio vitando, id eſt, ne tirocinij vectigali premeretur, dare coactus fuerat, ipſi reſtitui volunt Imperatores, cùm ratione militiæ eo ipſo onere liber foret. Illa tamen vox *euitandi tirocinij cauſâ*, aliud quiddam magis proprie ſonare videtur, quam liberationem à vectigali, quod tirocinium dicebatur, eo quod tiro dare debebat, aut eius loco aurum. Itaque Mornac. *in comm. ad illam leg.* 3. magis propriè intelligi vult de ipſo tirocinio, quod per annum, aut plures annos ponendum erat ex veteri, ſeueriorique diſciplina, antequam quis militiæ adſcriberetur, illudque tirocinium moleſtum, & graue plurimùm erat, vti notat Turneb. *cap.* 22. *lib.* 16. aliique, maximè Veget. *lib.* 2. *c.* 4. 10. *&* 11. *&* 14. *ad* 20. quare quamplurimi illud vitare cupiebant, atque ſtatim in militiã adſcribi ſiue per gratiam promoueri, quod & ambitio, & mollities ſuadebant. Quare per auri copiam & numerum, gratiam illam emerebantur, quod dum præſtitiſſet iſte Dizo, vbi deinde miles factus eſt, pecuniam à ſe ea de cauſa datam condicere aduerſus centurionem, aliumve qui illam accepiſſet voluit, ſiue quia ſpem fefellit, ſiue quia ob anteuerſum tirocinij tempus militia ſubmotus eſt, ſiue quia ipſemet perfidè egit, & extortam à ſe fuiſſe pecuniam cauſatus eſt.

Veſpaſianus vectigal ex vrina inſtituit, & ar- 16
guenti Titio filio pecuniam ex eo collatam admouit ad nares, ſciſcitans num odore offenderetur, & illo negante, *Atqui*, inquit, *è lotio eſt.* Ita Sueton. *in Veſpaſian. cap.* 23. quibus ſimilia habet Dio. Alluſiſſe Veſpaſianum ad morem probandi metalli ſuſpicatur Cauſabon. ad id enim etiam olfactus adhibetur, narratque Ariſtotel. *lib. de mirab.* cognita fuiſſe Darij pocula narium iudicio, ænea eſſent, an aurea, & nummularios

eodem in æſtimanda pecunia vſos fuiſſe ſignificat Arrian. *lib. 1. diſſertat. Epict. c. 20.* Verùs tamen videtur voluiſſe Veſpaſianum ſignificare, quod deinde dixit Iuuenal. *ſatyr. 14.* lucri bonum odorem eſſe ex qualibet re. Modus verò quo colligeretur hoc vectigal, duplex eſſe potuit: primus ex fullonibus, qui ad dibaphas tingendas lotio vtebantur, vt habemus in Athenæ. *lib. 1.* idcircò Galen. *lib. 3. ὑγιεινῶν* meminit neſcio cuius, qui diceret fullonis eſſe tractare de vrinis, non Medici. Alter modus huius vectigalis erat, vt exigeretur ab iis, qui per diem veſicam exonerare, aut aluum vellent in amphoris, quæ per angiportus, & vicorum angulos, eam ob cauſam collocatę fuerant, quarum meminit ex Titio vetere ſcriptore Macr. *lib. 3. ſat. cap. 17.* & Lucr. *lib. 4.*

Pueri ſæpè lacum propter ſe, ac dolia curta
Somno deuinctò credunt extollere veſtem
Totius humorem ſaccatum, vt corpori fundant,
Cum Babylonica magnifico ſplendere rigantur.

Petron. cap. 39. eiuſmodi amphoras Gaſtras vocat. *Itaque cùm hora tota per omnes ſcrupos, gaſtrorumque eminentium fragmenta traxiſſemus cruentes pedes*, quod de glareis, & calculis arenoſis, quibus offenderentur transeuntium pedes paſſim explicant: Ego de fragmentis eiuſmodi amphorarum fictilium, in quas impegerant, vel quæ confractæ erant, interpretor. Dicebantur gaſtra, quaſi ventres, vel à capacitate, vel quòd exciperent, quæ ex ventre eiicerentur. Nobiliores, & diuites ponè ſe lazanam, ſiue matulam, & ſimul vini amphoram deferre iubebant. Vnde ille Horat. locus *lib. 1. ſatyr. 6.*

Obiiciet nemo ſordes mihi, quas tibi Tulle,
Quum Tiburte via Prætorem quinque ſequuntur
Te pueri, lazanam portantes, œnophorumque.

Simile fuit foricariorum vectigal, de quo Iuuenal. *Satyr. 3.*

—— Inde reuerſi
Conducunt foricas.

Foricariorum meminit *l. 17. §. fiſcus. D. de vſuris*, vbi Paulus obſeruat, hoc eſſe ſingulare fiſco, vt ei fiat mora reipſa, & ex ſolo tempore tardæ ſolutionis, ſine interpellatione, & vt ipſe ex ſuis contractibus vſuras non det, ſed accipiat. Ponit exemplum in Publicanis, qui tardiùs illatorum fiſco vectigalium vſuras pendunt, & in foricariis, qui pecuniam fiſco tardiùs etiam inferunt. Vbi aliqui malè foricarios, interpretantur Exceptores τῶν φόρων tributorum: neque benè alij, qui furicas ſiue cloacas purgandas conducunt, illi enim pecuniam à fiſco accipiunt, non inferunt. Budæ. legit fumicarios opifices, nimirum propolas, & inſtitores, qui tabernas à fiſco ſub fornicibus, vbi merces venales ſunt, habeant: ſed retinenda eſt lectio Florentina, quam probant Cuiac. *lib. 22. obſeru. c. 34.* Briſſon. aliique, & foricarij dicendi ſunt, qui foricas, vti appellabant, certo pretio à fiſco redimebant, vt inde ferrent minuta æra à ſingulis, quos in foro ſubita neceſſitas exonerandi alui deprehenderet. Gloſſæ veteres foricam interpretantur latrinam, ſeceſſum ſecutinam ſellam, quam Varro *lib. 1. de re ruſtic. cap. 13.* familiaricam appellat. Alij ſimpliciter ſellas. Marcellus Empiricus, *per vomitum & ſellas.* Hinc verbum *adſellare*, creberrimum apud Vegetium in commentariis de re veterinaria, *vt lib. 3. Stercus durum adſellat*, & *ibid. Deinde ſale & melle miſtis in anum infundet, vt adſellandi augeat voluntatem.* Et *lib. 1. Si poſt clyſterem, vel potionem multùm ſtercoris adſellatus ediderit.* Forica igitur eiuſmodi, ſella familiarica in angiportibus, & vicorum angulis collocata erat. Quo ſenſu interpretor illa Iudicis ad Symphorianum Martyrem Auguſtodinenſem verba: *Niſi Deæ matris ſimulachrum adoraueris, adorare te foricas faciam.* Foria liquidiora ſtercora ſignificant: inde conforire, liquidò ſtercore fœdare. *Non Conforiſti me Diomedes.* Foriarum igitur, & vrinæ vectigal non modò ex ſtercore, & vrina hominum, ſed & brutorum omnium colligebatur, vti habet diſertè Manaſſes *in politicis ſuis*, vbi ait homines ſiue viri, ſiue mulieres, ſiue pueri infantes, mendici, liberi, ſerui eſſent, fiſco nummum argenteum pependiſſe, pro iumentis autem, bobus, mulis, & equis idem onus impoſitum fuiſſe ipſorum domino; pro canibus autem & aſinis ſex folles.

Hoc tributum dictum fuit χρυσάργυρον, de quo plura Baron. an. 330. qui tamen illud negotiatoribus impoſitum dixit, contra quàm affirmet Manaſſes. Huius tributi authorem Conſtantium fuiſſe mentitur Zozimus *lib. 2.* quod ſapienter reiicit Baron. & iam olim Euagr. *lib. 3. c. 40.* cùm Sueton. locis à nobis allatis id apertè tribuat Veſpaſiano. Suſtulit illud Aſcetarum precibus Anaſtaſ. vti tradunt Manaſſes, Euagr. Cedren. & alij paſſim: eius exigendi munus amplum fuiſſe tradit Euagr. *lib. 5. cap. 39.* Quolibet luſtro colligebatur; vnde aliqui exiſtimant fuiſſe aurum luſtrale de quo in *Cod. de naucul.* ſed malè, luſtrale ſiquidem aurum latiùs multò patuit. Monet Suidas Timotheum Gazæum ſcripſiſſe Tragædiam de Chryſargyria.

Non minus ſordidum, importunumque fuit vectigal fumi, vmbræ, & aëris, quod aliqui indixerunt. Quod quidem attinet ad fumarium vectigal, quod καπνικὴν ἐπιβολὴν nominat Zonar. *tom. 3. annal.* illud peſſimum inuentum ἐπονομαζόμενον fuiſſe dicit Nicephor. qui per ſummum ſcelus exturbata Irene Imperium inuaſerat, ille enim omnibus Eccleſiarum, & domorum focis, in quibus pauperes, ſeneſque alebantur τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν καὶ πτωχείων γηροκομείοις παροίκοις, licet neque agros, neque quidquam aliud haberent vectigal exegit: quod idcircò καπνικὸν, & fumarium dictum arbitror, quòd pro eo quod fumum in eiuſmodi locis haberent, ſoluebatur, quod nos dicimus *par feu.* Vexaſſe verò Eccleſiam, eiuſque pluribus modis immunitatem violaſſe Nicephorum; Zonaræ, Cedrini, aliorumque frequentes querelæ ſunt. Hoc porrò ſenſu Iſaacius Comnenus ſtatuit canonicum tributum pro vico habente 310. caminos, ſeu fumos καπνοὺς, vt habes *lib. 1. iuris orient. in conſtitut.* Cedren. eadem habet, aitque illud in Regium ærarium inferri, τὸ εἰς τὸ βασιλικὸν ταμεῖον εἰσαγόμενον τέλος δημόσιον ὃ καπνικὸν καλοῦσι. Idem narrat à Ioanne Tzimiſce deletis Bulgaris abolitum fuiſſe, ſed illud deinde ſubſequentes Imperatores reſtituerunt, donec tandem à Manuele Comneno penitus ſublatum eſt; prohibuit enim deſcribere monaſteriorum immobilia, & ab iis fumarium exigere τὰ τῶν μοναστηρίων ἀκίνητα ἀναγράφεσθαι ἢ καπνολογεῖν. Denique in vniuerſum ait Cedrenus venitſſe capnicum colligi ἐκ καπνικοῦ ἀναλαμβάνεσθαι. 17

Vectigal vmbræ colligebatur ex arboribus, quæ vmbræ tantùm gratiâ quærebantur, & carò venibant. Ita de Platano diſſerit Plin. *lib. 1. cap. 17.* 23

Sed

Digitized by Google

Sed quis non miretur arborem vmbra gratiâ tantùm ex alieno petitam orbe, platanus hæc eſt, per mare Ionium in Diomedis Inſulam, eiuſdem tumuli gratiâ primum inuecta: inde in Siciliam trangreſſa, atque inter primas donata Italia, & iam ad marinos vſque peruecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, vt gentes vectigal & pro vmbra pendant. Vbi plura alia de platani latitudine & pulchritudine refert: quibus adde ex Herodoto Xerxem tantæ pulchritudinis platanum in Lydia comperiſſe, vt illam aureo monili donauerit, vnique ex Immortalibus ſuis cuſtodiendam tradiderit. Nicander vocat πλάτανον θερμολέκτα, quòd æſtate τοῖς σκιᾷ τρεφομένοις lectum, ac cubile vmbramſuæ frondis præbeat: vide Rhodig. *lib.* 25. *cap.* 1. Victor. *lib.* 19. *cap.* 19. vbi & in Hetruria multam ſponte naſci ſcribit.

Vectigal denique pro ære, quem hauri mus exegiſſe Michaëlem Paphlagonem tradit Harmenopulus, idemque affirmat Cedrenus, nimirum quia eo ipſo, quod quis viueret, & aërem hauriret, etſi omnibus aliis facultatibus careret, vectigal penderet. Quo ſenſu Chryſoſt. in illud: *In vanum turbatur omnis homo*; queritur vrbes omnes plenas eſſe decumanis, portitoribus, aliiſque exactoribus, & ad cogerendas pecunias vendi libera elementa, vias eſſe vectigales, & aërem vendi: διὰ τὰ χρήματα ἐλεύθερα στοιχεῖα πεπράκαμεν ὁδοὺς πλουτοῦντας ὁ ἀὴρ αὐτοῖς ὑποβάλλεται. & Peſcennius Niger apud Spartianum dixit Iudæis, *Vos terras leuari cenſitione vultis, ego vero etiam aërem veſtrum cenſere vellem.*

18 Fuerunt & quædam alia tributa quæ ex variis circunſtantiis nominata ſunt ab ſcriptoribus, ſed quod attinet ad materiam, ſiue ad res ſuper quibus imponebantur, ad ſuperiora referri facilè poterunt, quare illa duntaxat, ne quid ex antiquis Auctoribus omiſiſſe videamur, numerabimus.

Igitur pacta dicebantur tributa, quæ Imperatores pendebant Scythis, Bulgaris, aut Sarracenis; ſic enim Bulgarus loquitur dum ab Imperatore pacta ſibi tribui poſtular apud Diacon. *lib.* 23. E contrario verò, quæ Sarraceni pendebant Imperatori tributa, nominabantur commercia apud eund. Diacon. *lib.* 24. Vide & Conſtant. Porphyrogenit. *in corograph.*

Alliſengion tributum erat, quod diuites pendebant pro tenuibus cùm militarent. De illo Zonar. *tom.* 3. & *lib.* 1. *iuris orient. tit.* περὶ ἀλληλεγγύου.

Χαρτιατικὸν tributum fuit duorum follium, quod pendebatur Officialibus pro chartis, de quo Zonar. & Cedrenus *in Nicephoro.*

Peſceſium tributum fuit, quod Turcorum Sultano Conſtantinopolitani Patriarchæ pendunt, pro ineundo ſacerdotio, quod ad tria millia florenorum excreuit. Ita ſcribit Zygomalas *in Turco-Gracia.*

Menſuaticum μετρητικὸν, de quo Balſam. ad *concil.* 7. *canon.* 12. coniungitque cum fumario, & vtrumque ſublatum fuiſſe gratiâ monaſteriorum, ſoluebatur pro metiendo.

Ergaſteriacon impoſitum ab Andronico iuniore, illud pro ſuis officinis ſoluebant officinatores, ſicut καπηλιατικὸν pro caupona caupones: metaxicum tributum impoſitum metaxæ, & ſerico. Quid ſit metaxa diximus alibi.

Alemanicum induxit Alexius Comnenus, cum Alemani in expeditionem Hieroſolimitanam itarent, illos enim cum iuuare debuiſſet, tributis & portoriis vexabat. Nicetas *lib.* 1. *Alexij.*

Καμπανιστικὸν libripendi publico ſoluebatur; καμπανὸς enim ſtatera eſt, eius meminit Manuel Comnen. in ſua conſtitutione. Μεσατικὸν æs eſt, quod pro loco in foro occupando mercibus vendendis pendebatur, μέσον enim in Gloſſis eſt ἀγορὰ forum, quia forum erat in medio vrbium. Gomeriaticum pro ſarcinis lanarum ſolutum; gomeria enim ſarcinæ lanarum. Bigliaticum æs quod excubitores, ſiue biglæ capiebant. Bigla vigilia. Pechyaticum à cubito, genere menſuræ dictum; πῆχυς cubitus. Διαβατικὸν, quod pro tranſitu mercium penditur; portaticum ſoluebatur pro mercibus vbi euehebantur; ſcaliaticum pro ſtatione nauium ſolutum; portorium pars in qua naues in portu ligantur, dicitur Moſcopulo ὅρμος, vulgò ſcalæ. Antinaulum tributũ à nautis exactum, de quo Nicetas *lib.* 2. *Alex.* Plurima alia tributorũ genera nobis ferè ignota leges in conſtitutione Andronici iunioris, ex quo aliiſque Buleng. *lib.* 9. *de Imp. Roman. c.* 88. *& ſequenti.*

Ex his omnibus colliges primò an antiqua illa tributa iniuſta fuerint ratione materiæ, ſi enim ratione illius ita importuna ſint ſubditis, vt inde naſcatur inæqualitas cum cauſa finali, & neceſſitate propter quam imponuntur, aut ſi propter eandẽ materiã, ita vexentur pauperes, vt vix viuere queant, iniuſta omninò ſunt, licebitque Principem illa imponentẽ δημοβόρον, populi votum cum Homero *Iliad. α.* nominare; maximè cùm ea ratione priuãtur rebus, ſine quibus vitam tolerare ægrè admodum poſſunt. 19

Colliges ſecundò an liceat tributa imponere in rebus ad proprios vſus, & familiæ ſuſtentationem neceſſariis, vt in eduliis & cibis, carnibus, piſcibus, pane, vino, oleo & aliis eiuſmodi, quoties ſibi illa quis ad proprium tantùm vſum comparat, & non ad negotiationem, cuius cauſâ neque emuntur, neque euehuntur, neque inuehuntur. Eiuſmodi ſiquidem tributa ſuper eduliis, & aliis eiuſmodi, vt vocant vſualibus, impoſita, iniqua eſſe contendunt Caietanus *verb. vectigalia.* Driedo *lib.* 2. *de libert. Chriſtian. c.* 2. Medina 1. *part. q.* 96. *art.* 4. Ang. *verb. pedagium, num.* 3. & alij quos adducit Dian. 2. *part. tract.* 3. *miſcell. reſolut.* 28. immo Tolet. *lib.* 5. *c.* 75. exiſtimat exactores eiuſmodi vectigalium incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, aduerſus eos, qui prohibita pedagia exigunt. 20

Dicendum nihilominus eſt eiuſmodi pedagia, vel tributa, & vectigalia licita eſſe, & æqua ſi nihil aliud attendatur quàm ipſa materiæ conditio, quod ad proprium vſum aut ad negotiationem comparetur: quicumque enim ſit finis propter quem acquiritur, ſiue vſus proprij, ſiue commercij, erit capax vectigalium. Ita Suar. *lib.* 5. *de legib. c.* 16. *n.* 3. Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 7. Molina *tract.* 2. *dip.* 669. *num.* 2. Vaſq. *opuſc. de reſtit. cap.* 6. §. 3. *dub.* 1. Azor. 3. *part. lib.* 5. *cap.* 21. *quæſt.* 1. Malder. 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 6. de la Cruz. *in directorio pracep.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 1. Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 14. *dub.* 3. *n.* 6. Sanch. *lib.* 2. *conſilior. c.* 4. *dub.* 44. qui & alios dabit cum Dian. *loco cit.* quibus etiam acceſſit Delugo *de iuſtitia diſp.* 36. *n.* 26. quod facilè oſtenditur, quia neque ex natura rei, neque humano iure tale vectigal prohibitum eſt. Ergo, ſi aliæ æquitatis leges ſeruentur, iuſtum erit, & licitum ratione materiæ, quod vnum hoc loco attendimus. Et quidem iure naturæ non prohiberi vectigal iſtud, inde patet, quod nihil afferatur ab aduerſariis, vnde natura vectigalis violetur; quod enim vulgò dicunt cum Caietano non ſeruari formam, & proportionem debitam, quia pauperes plus æquo grauantur, cùm indigentia ſit radix vſus, & qui magis indigent, magis vtantur, & quod

inde ſequitur, magis grauentur, neque vllus ambigere poteſt pauperes magis indigere, quàm diuites: hoc, inquam, Caietani argumentum, quo vno perſuaſi ſunt aduerſarij, parum efficax eſt, cùm inſigni laboret æquiuocatione. Indigentia enim eſt quidē radix vſus, prout ſignificat neceſſitatem, non autem prout ſignificat paupertatem. Neceſſitas autem tum pauperibus, tum diuitibus communis eſt. Imò maior eſt in diuitibus, qui idcircò pluribus vtuntur, quàm pauperes, plura & pretioſiora ſibi emunt, ac comparant, ac proinde plura pendunt vectigalia. Atque ita ſeruatur proportio, quam quærebam; quia qui plura & pretioſiora comparat, plura & maiora vectigalia pendit. Quod autem pro eiuſdem rei aſportatione, aut emptione idem vectigal ſoluatur à paupere, & à diuite, nullam continet iniquitatē, quæ alioquin reperiretur in vectigalibus impoſitis rebus, quæ commercij, aut negotiationis causâ comparantur, & in decimis aliiſque tributis cenſus, eadem enim quota imponitur agro diuitis, & pauperis, ſi eiuſdem amplitudinis & opimitatis exiſtat, neque dicas diuites plura ex propriis prædiis colligere quàm pauperes, ac proinde pauciora ſoluere vectigalia: nàm id per accidens omninò eſt; cùm agro v. g. imponatur vectigal, cuiuſcumque ille ſit: neque ex eiuſmodi, quæ per accidens contingunt, violatur æquitas à lege vniuerſali. Imò diuites plura emunt ad victum neceſſaria, quàm pauperes, vti initio monebam. Nihil igitur affertur ab aduerſariis vnde ex natura rei vectigal iſtud iniquum ſit. Neque rectè Sanches dixit potuiſſe conſuetudine vectigal iſtud induci; nam ſi ex natura ſua iniquum foret, nō poſſet emēdari conſuetudine: ſed hoc non voluit Sanches, quandoquidem addit cōſuetudinem poſſe id omne, quod poteſt lex, legem autem iuſtam de hoc vectigali ferri poſſe. Supponat igitur neceſſe eſt ex natura rei iuſtum eſſe tale vectigal, quod alioquin lege conſtitui non poſſet.

Venio ad ius humanum & poſitiuum, ex quo nihil profertur ab aduerſariis, quod admodum vrgeat. Nam bulla Cœnæ quam obiiciebat Toletus, præterquam quod vbique non obligat, vti *tract. de cenſuris* monuimus, illa dumtaxat damnat, & plectit exigentes vectigalia prohibita, ipſa verò nulla prohibet. Quod autem *cap. quamquam, de cenſibus in 6.* dicit pedagiorū exactiones tā iure Ciuili, quā Canonico damnatas eſſe, loquitur de pedagiis prohibitis à Concilio Lateranenſi *cap. innouamus, de cēſibus*: & ab Innocent. III. *cap. Super quibuſdam, de verbor. ſignificat.* quibus locis prohibentur tantùm pedagia, quæ ſine legitima authoritate fuerant indicta. Neque quidquam etiam officiunt, quæ ex Iure Ciuili congeruntur, in quibus præcipua eſt illa Conſtantini conſtitutio *in l. vniuerſi 5. C. de vectigalib. Vniuerſi Prouinciales pro his rebus, quas ad vſum proprium, vel ad fiſcum inferunt, vel exercendi ruris gratiâ reuehunt, nullum vectigal, à ſtationariis exigatur.* Addit ea, quæ extrà prædictas cauſas, vel negotiationis gratiâ portantur, ſolitæ præſtationi, vel penſitationi obnoxia eſſe. Verùm neque hæc cōſtitutio Principes omnes obligat, qui æquè pro ſua ſumma poteſtate vectigalia indicere poſſunt, atque poterat ipſe Conſtātinus, ſi aliunde iniqua nō ſint, qualia non euadunt ex Conſtantini lege qua ipſi nō obſtringuntur. Itaque grauibus ex cauſis poterunt Principes ſuper res ad vſum, & ſuſtentationē propriæ familiæ cōparandas, tributum inſtituere, quāuis id ordinariè non expediat, durum enim eſt illud tributi genus, quare Ledeſma 2. *part. q.* 18. damnat tributum Luſitanum, quod *Siſa* dicitur, & Hiſpanū, quod *Alcauala*, quatenus ad iſta vſualia, & neceſſaria ſe extendit, ſed de his vide Molinam *diſp.* 663. *& ſequentibus*, & maximè lege eius querelas *diſp.* 674. *n.* 9. *&* 10. circa grauia onera, & exhauſtū nihilominus regium ærarium, atque omnia priora tributa diuendita priuatis, cum pacto de retrouendendo. Conſulendi ſunt ſingularum gentium mores, atque ex neceſſitate cauſæ propter quam imponuntur tributa, diiudicandum an illa ſe extendere debeant ad res etiam vſuales, & ad quas: intolerandum enim foret ad omnes omninò res, quæ aut vēduntur, aut vehuntur vectigal porrigi. Quæ enim poterit tanta Reipublicæ fingi calamitas, quæ ita fieri exigat. Mornac. *in l. 5. C. de vectigalibus*, obſeruat quoad vſum Gallicum circa tributum vini, & aliarum eiuſmodi rerum, duas eſſe Pariſiis, & in quibudam aliis præcipuis ciuitatibus tributi ſpecies: alteram, quæ olim ex populi conſenſu indicta eſt, alteram verè Regiam mera Regis authoritate impoſitam. Prima illa ſpecies vocatur ſubſidium, *droict d'aide*, cuius ſubſidij duæ ſunt ſpecies ex vino nempe viceſima, ſi vinum vęneat per auerſionē *in ſolidum* *En gros*. Deinde quarta ſi minutatim vendatur, *En détail*, quæ quarta deinde in octauam conuerſa eſt. Altera ſubſidij ſpecies eſt viceſima cuiuſque libræ Frācicæ, *Le ſol pour liure*, ex omni re & merce quę venditur, non verò quæ ad vſus quotidianos vehitur; *Ce qu'on fait voiturer pour ſa prouiſion.* Excepta ſunt pedamenta vitium decreto ſubſidiorum Curiæ an. 1616. die 2. Decemb. quia eiuſmodi pedamēta, nō foco extruendo, ſed fulciendæ viti fieri & vehi ſoleant. In hoc igitur ſubſidio nihil penditur, niſi pro ratione ſeu vini, ſeu frumenti aliorumque fructuum, quos populus venderet. Alterum tributum Regium à Carolo VII. indictum eſt, in quo non ſpectatur, an ſit venditio, an ſola ad proprios vſus vectura, quacumque enim ex cauſa vehantur fructos, maxime vinum, indixit Princeps aliquid ſoluendum in ingreſſu ciuitatis pro quocumque dolio, aut alia menſura, quamquam neque omnium fructuum vectigal eſt, vti de aqua ex vino vaporata, quam ſtyginam, alij aquam ardentem vocant, *Eau de vie*; contra publicanos euectionis Andenſis ad Ligerim, an. 1603. die 20. Auguſt. pronuntiatum à Curia Pariſienſi fuit, quòd ille liquor nulli materiæ aut elemento adſcribendus ſit, cùm ſit abſtractum poriſſimi vltimique fæcis vinariæ ſpiritus.

Colliges tertiò an fraudantes vectigalia pro 2
eiuſmodi vſualibus excuſentur à peccato mortali, & obligatione reſtituendi; excuſant enim Nauarr. *c.* 33. 55. *&* 60. Salas. *diſp.* 15. *de legib. n.* 110. Leſſi. *cap. cit. dub.* 8. *n.* 55. Sanch. *dub.* 49. *cit. n.* 7. alios allegans; quod intelligendum eſſe monet Delugo *diſp.* 36. *n.* 27. quando non manifeſtò conſtat de iniuſtitia huius tributi, alij verò obligant, quandoquidem hoc tributum ex natura ſua iuſtum eſſe demonſtrauimus, quare niſi aliunde conſtet de iniuſtitia ipſius propter varia adiuncta, ſoluendum omninò eſt, neque fraudari licitè poterit. Bonac. *diſp.* 2. *de reſtitut. q.* 9. *punct.* 1. *n.* 5. negat ante factum ſententiam iſtam conſulendam eſſe, poſt factum autem non obligat ad reſtitutionem propter probabilitatem contrariæ ſententiæ, ex authoritate ſaltem Doctorum, qui illam docuerunt. Quidquid ſtatuas excuſandi ſaltem ſunt huius exactores tributi, quandiu de iniuſtitia ipſius non illis conſtat, quod monent Sanch. & Delugo.

ARTICV

ARTICVLVS IX.

Quid & quantùm in vectigalia imponatur.

Species vectigales. 1.
Aliquando ipſi homines. 2.
Alia animalia. 3.
Equi ad curſum. ibid.
Varÿ curſores, alÿ priuati. ibid.
Curſores publici. 4.
Erant illi aut pedites, aut equites, aut vehicularij. 5.
Curſus fiſcalis quid. 6.
Curſus publicus quid & quomodo fieret. 7. 8.
De equis curſualibus, veredis & vehiculis publicis. ibid.
Quibus concederetur curſus publicus, & quomodo. 9. 10. 11.
Cura animalium publicorum. 12.
Officiales curſus publici, curioſi, ſtationarij, procuratores, clabularij. 13.
Hippocami, mancipes, cortalini, euectiones & tractoria. 14.
Vectigalia pro curſu publico. 15.
Angaria & parangaria. 16.
Alia ſpecies vectigales. 17.
Adæratio ſpecierum. 18. 19.
Quantitas tributi. 20.

DVo quæru hoc capite. Primũ eſt, quidnam pro vectigali ſoluendum exigatur; quæ quæſtio diſtincta eſt à ſuperiori, in qua quærebamus ſuper qua materia, & re imponatur vectigal: modò autem quærimus, quidnam ex illa re vectigali facta, pro præſtatione indicti vectigalis ſoluendum ſit, an pars videlicet ipſius rei vectigalis, vel eius fructus, aut redditus, an quidpiam aliud ab ea re, eiuſque fructibus diſtinctum. Secunda quæſtio pertinet ad quantitatem vectigalis impoſiti: quæ omninò diuerſa eſt pro diuerſitate cauſæ, propter quam imponimr, & rei ſuper qua imponitur.

1 Circa primam quæſtionem in vniuerſum ſtatuendum eſt, vel ſolui ipſas ſpecies vectigales, vel adærari, hoc eſt, ære æſtimari, cuius æris, & pretij pars aliqua, & ſumma ſoluatur, neque tamen liberũ eſſe tributario, aut exactori, quem libuerit ſoluendi modum ex iſtis eligere. Nam aliquando ipſæ exigendæ ſunt ſpecies, aliàs ipſarum adæratio permittitur, aliàs prohibetur, aliàs denique certa quædam ſumma pecuniæ imponitur, quæ omninò ſoluenda eſt exactori, qui ſpecies non acceptabit, ſed vendi & diſtrahi iubebit, vt inde pecunia vectigalis conficiatur. Quæ omnia ex antiquo, nouoque iure facilè fuerit demonſtrare. Et quidem quod attinet ad præſtationem ipſarummer ſpecierum, habemus in primis fælicem embolam. *l. 10. C. de ſacroſ. Eccleſ.* quam publicarum ſpecierum tranſuectionem ibidem appellat Imperator, quod idem repetimr, *l. 2. C. de nauib. non excuſand.* quibus locis edicitur, neque naues Eccleſiarũ, neque perſonarũ in dignitate poſitarũ ampliores duorum millium modiorum excuſati à tranſuectione annonæ publicæ, & publicari eas, quæ ab eo onere aliqua ratione ſubductæ fuerint. Briſſon. doctè interpretatur embolam παρὰ τὸ ἐμβάλλειν ταῖς ναυσὶ τὸν σῖτον, ab inuecto nauibus frumento. Erat enim publicarum ſpecierum, & annonarũ tranſuectio delata quotannis ex Ægypto Conſtãtinopolim. Ideò σιτοπομπείαν ἐμβολὴν vocat Iuſtin. *edicto* 13. vt videas hallucinatum fuiſſe Molinæ. *ad conſuetud. Pariſ.* §. 30. *num.* 72. *& alibi*, cum ſcripſit embolam fuiſſe exercitum Imperatoriũ ingredientẽ, & erumpentem; ἔμβολος enim velociſſima nauis eſt, & quidẽ roſtrata, quod ex Plutarch. & Appiano demonſtrat Bayfius de re nauali. Erat & ſacra embola certus frumenti modus, quem Romæ tanquã vectigal ſubminiſtrabat Ægyptus: vnde Aurelianus apud Vopiſcum ex Ægypto vectigal vrbi Romæ, vitri, chartæ, lini, ſtuppæ, atque embolicas ſpecies æternas conſtituit. Itaque frumentis Ægyptiacis alias addiderat ſpecies Aurelianus, quæ pars embolicæ ſacræ cenſerentur. Ægyptia ἐμβολὴ dicitur ῥῶπος ἢ λεπτὸν φόρτον, faſciculus è diuerſis rebus colligatus. Species igitur veteribus Latinis dicebantur fruges, id eſt vinum, oleum, frumentum, legumina, cæteraque eiuſmodi: nam Arcadius Charifius *in l. vlt.* §. 5. *D. de mun. & honor.* σιτώνας & ἐλαιώνας vocat ſpecierum frumenti, & olei curatores, & *l. 26.* §. *in traiectitiis, C. de vſuris*, Imperator ſtatuit modum vſurarum in traiectitiis contractibus, & ſpecierum fœnori dationibus. *l. vlt. C. de conditis in public. horreis*, qui horreaticas ſpecies contigerit, deportari iubetur. *l. 1. C. de quibus munerib. vel præſtat.* dicitur neminem à cõparatione, & trãſuectione ſpecierũ, quæ militibus Illyricanis conferuntur ſolẽni tẽpore excuſari; vbi cõparationẽ nominat, quod alibi συνωνὴν, frumenti coemptionẽ. *l. nemo* 8. *C. de ann.* manſiones inſtrui, & conferri ſpecies ex collatione vicinorum iubentur: erant verò illæ manſiones, in quas milites expeditionis tempore, aut ſacer comitatus ſe recipiunt. *l. vn. C. de ſalgamo hoſpitib. non præb.* culcitræ, lignũ, oleũ, ſpecies vocantur. *l. vlt. C. de collatione fundor. fiſcal.* prædia rei priuatæ, & quæ ad fiſcum ex proſcriptorũ bonis deuoluta ſunt, ſpecies annonarias pręſtare tenẽtur. Denique Vegetius *lib. 3. c. 3. Solers debet eſſe tractatus, vt pabula, frumentũ, cæteraque annonaria ſpecies, quas à Prouincialibus cõſuetudo depoſcit, maturius exigantur.* Ex quibus omnibus cõſtat ſpecies fuiſſe fruges, & alia quæ ad annonã ſiue priuatã, ſiue publicam pertinent, eaſque ſpecies fuiſſe tributi nomine præſtandas, & indictas, quod ampliùs oſtẽdimus, *ar. 3. n. 4. & 6.* vbi de annona militari, & publica indicta diſputauimus fuſiùs; quo etiã loco oſtẽdimus præter ſpecies annonarias, quo nomine fruges omnis generis cõprehendimus, plures alias res tributi nomine indictas fuiſſe, vt onus transferendi militarẽ annonam, pabula, ſiue vti appellabãt capita equorũ, & iumentorũ ad militiam, manſiones, ac diuerſoria, metatũ, & veſtẽ militarem, naues præterea, quæ pluſquàm duorũ millium modiorũ capaces eſſent ad fælicẽ embolam, & publicã annonã tranſuehendam. Naues quoque à Methymnęis, & Chyis fuiſſe ſubminiſtratas cum cęterorum omniũ tributorũ immunitate prodidit Thucy. *lib. 7.* Indi quartam fructuum partem Regi pendebant ex Diodor. *lib. 1. c. 10.* Canum Indicorum tantam multitudinem circa Babylonem nutritam fuiſſe prodit Herod. *lib. 1.* vt ad eorum cibaria ſuppeditanda quatuor magni vici deſtinati ſint, omnium aliorum tributorum immunes.

Homines præterea & tyrones indictos fuiſſe poſ- 2
ſeſſoribus agrorũ diximus *a. ſup.* cui indictioni ſucceſſit noſtrũ bannũ, & heribannũ, atq; ius quod habet dominus euocandi ad militiã ſuos beneficiarios

& vaſſallos, de quo diximus opere de vſuris *lib. 4. c. 3. art. 6. num.* 2. Huc ſpectat quod Paul. Diacon. *lib.* 24. narrat, Nicephorum Imperatorem præcepiſſe omnes egenos militare, & armari aduerſùs cõpatriotas, & conferre nihilominus decem & octo, ac dimidiom numiſma per ſingulos fiſco. Colchi centenus pueros & totidem virgines cæterorum tributorum immunes quotannis præſtabant, ex Herodot. *lib.* 3. Meminit quoque ſeruorum quorumdã vectigalium Lamprid. *in Alexandro*, qui inſtituerat auiaria pauonum, faſianorum, gallinaceorum, anatium, perdicum, & maximè palumborum; & ne eorum paſtus grauaret annonam, ſeruos habuit vectigales, qui eos ex ouis, & pullicenis, & pipinnibus alerent: hos ſeruos interpretatur Bulenger. *lib. 9. de Imp. Roman. cap.* 90. ſeruos, qui hoc priuatum domus Regiæ vectigal exercerent, venderentque oua, pullicenos & pipiones, vt ex pecunia quã reficerent, aues alerent; quo ſenſu non erant ſerui vectigales, quòd à tributariis ſuppeditari deberent.

3 Animalia ſæpius pro tributo indicta fuiſſe certum eſt; nam Capadoces Perſis quotannis quingentos equos, mulorum duo millia, ouium quinquaginta millia præſtabant ex Strabone *lib.* 11. in Nouella quoque Iſacij Comneni dimidiata ouis, cum certa pecuniarum ſumma pro tributo, quod meſatuum dicitur, imponitur habeuri viginti furnaria. Aſpendij Dariu pendebant equos ex Arrian. *lib. 1. de reb. Alexand.* Cilicibus equos albos ſexaginta & trecentos vnum in ſingulos dies penſitatos fuiſſe Perſis narrat Herod. *lib.* 3. Illyricum pro tributo vinum in vſum militum, & equos generoſos præſtabat; vnde Claudian. *de laud. Serena.*

Illyricis ſudant & equis, & viribus ala.

Verùm equi, & iumenta, & quædam alia animalia vice tributi cuiuſdam exigebantur ad curſum publicum, angarias, parangarias, & vehiculationes. Quare de his omnibus, atque iſto tributi genere pauca explicanda videntur. Athenienſes ſuos habuere ἡμεροδρόμους; Romani ſuos brutianos: priores illos Liu. *lib.* 3. ingens die vno emerientes ſpatium appellat, erantque ſpeculatores, qui è ſpecula contemplati vel hoſtium agmen, vel quid aliud eiuſmodi quàm celerrimè id nuntiarent, vt factum eo loco narrat Liuius circa Regium Philippi agmen, quod imparatas Athenas occupaſſet, niſi eiuſmodi ſpeculator, & hemerodromus illud è ſpecula contemplatus, prægreſſus nocte media Athenas perueniſſet. Veteres gloſſæ hemerodromos eos dicunt, qui regiis iuſſis celerrimè deſeruiunt οἱ τοῖς βασιλικοῖς διατάξεσι τὰ κύλατα διακομένοι. Et Leo *conſtit.* 3. mandatores appellat, qui mandata Ducum ad milites perniciter deferũt, Græci enim poſteriores voces quoque Latinas ſæpius vſurpant μανδατόρες οἱ τὰ μανδάτα ὑπὸ τ' ἀρχόντων πρὸς τοὺς στρατιώτας ὀξέως διακομίζοντες. Fuere verò varij curſores. Cadmus enim κυρσεύοντας vocat equites, qui ante exercitum excurrunt, qui nullum proprium ordinem, cui adſcripti ſint, neque proprium flamulum μήτε φλάμουλον ἴδιον, id eſt nullum vexillum habent, quibus præerat προτοστράτωρ, qui & eos defenſabat. De illis etiam Turneb. *lib. 24. c.* 16. Pollux. *lib.* 3. varios curſores recenſet. Nam δολιχοδρόμος eſt, qui curſum plenum, & maiorem diaulo decurrit: διαυλοδρόμος, qui ad metam currit, & rursùs à meta ad carceres: δίαυλος καὶ ὁ τοῦ διαύλου ἀγωνιστὴς καὶ ἀγωνιζόμενος, qui duplex ſtadiũ emetitur: σταδιοδρόμος, qui ſtadium decurrit: ὁπλιτοδρόμος, qui armatus ſtadium emetitur. Verùm de his curſoribus, & curſu qui inter gymnaſtica numerabatur, modò nõ diſputamus, ſed de curſoribus, qui ad varia loca alicuius mandati, aut nuntij perferendi, aut rei agendę gratiâ deſtinabantur, aut qui ad eiuſmodi aliquod miniſterium expediti ſemper erant. Caſſiodor. *lib. 5. ep.* 5. curſuale miniſterium vocat. Erãt verò iſti curſores tum priuati, tum publici. De priuatis illuſtre Pauli teſtimonium habemus *in l. 99. §. 5. D. de legat.* 3. *Si alij vernæ, alij curſores legati ſunt, ſi quidẽ vernæ & curſores ſint, curſoribus cedent, ſemper enim ſpecies generi derogat.* Huc pertinent. Senecæ *Ep.* 123. querelæ. *Omnes iam ſic peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat Equitatus, vt agmẽ curſorum antecedat, omnium pedagogia oblita facie vehantur, ne ſol, ne frigus teneram cutem vehat. Turpe eſt neminem eſſe in comitatu puerorum, cuius facies medicamentum deſideret.* Simili ratione impuriſſimi Trimalchionis comitatum deſcribit impurus & ipſe ſcriptor Petron. *cap.* 28. lecticæ impoſitum, *præcedentibus phaleratis curſoribus*: de Baſſo Martial. *lib. 3. Ep.* 47.

Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno curſor oua portabat.

Sueton. de Neronis luxu *cap.* 30. *Numquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillata & phalerata Mazacum turba, atque curſorum.* Turneb. *lib. 27. c.* 18. legit *phalerata acu Mazacum turba*: & Mazacas interpretatur Africæ populos. Laudantur & Mazacæ equi à M. Aurelio Olympio *in lib. Cynegeticon.*

Quemque coloratus Mazax deſerta per arua
Pauit, & aſſiduos docuit tolerare labores.

Suam hanc coniecturam confirmat denuò idem Turneb. *lib. 30. c.* 3. ex eo quod Romani, illo comitatu Afrorum Equitum delectarentur. Martial. *lib. 10. ep.* 13.

Cùm cathedralitios portet tibi rheda miniſtros,
Et Lybis in longo puluere ſudet Eques.

Alij tamẽ ex codicũ varietate legunt *phalerata Comazacũ turba*: alij *Hamazicorũ*, alij *cum Amaxicorũ*, alij *Cymazacũ*, denique alij *Chiramaxicorũ*, vel *Chiramaxeorũ turba*, quo nomine deſignãt rhedarios & eſſedarios; ἁμαξεὺς enim eſt eſſedarius, qui nimirũ chiramaxis cum imperio præerat: eſt verò chiramaxion, genus modici plauſtri, quo vnus tantùm geſtari poterat, & à ſeruis, non à mannis trahebatur, vnde & nomen ſumpſerat, quale plauſtrum *Arcumã* nominatũ fuiſſe dixit Feſtus, vt in caſtigationibus obſeruauit Scalig. Verùm quidquid de Mazacis ſtatuas, ſufficit mihi curſores ſeruos præceſſiſſe Dominos, nos hodie dicimus *Laquais*, miniſtros à pedibus, ſiue pediſſequos. Verùm ad publicos curſores redeamus.

Strabo *lib.* 15. narrat Picenos, Lucanos, & Brutios, quòd primi ad Annibalem defeciſſent, nunquam deinde à Romanis in militiam adſcriptos fuiſſe, ſed iuſſos eſſe curſores, & litteras ferre. 4
Agell. *lib. 10. cap.* 3. ſcribit ob eandem ad Annibalẽm defectionem, ignominia notatos fuiſſe Brutianos, neque milites aut pro ſociis habitos, ſed Magiſtratibus in Prouincias abeuntibus parere, & præminiſtrare ſeruorum vice iuſſos. Itaque illos ſequebantur tanquam in ſcenicis fabulis Lorarij, & quos erant iuſſi, vinciebant, & verberabant: ibidem exemplum affert ex M. Catone *lib. de iuſtis pugnis*, vbi queritur de Quinto Termo, qui decem viros quòd ſibi minus curaſſent cibaria, iuſſerat à Brutianis verberari. Feſtus eadem de Brutianis omninò tradit, & ad ſeruorum officia Magiſtratibus præſtanda damnatos fuiſſe ob crimẽ

defectionis,

defectionis. Veter. gloſ. Brutiani *οἱ δουλίχαι τάξεως χειρωνάκτες*. Gerones dixit eſſe Fulgentius: ſunt verò gerones ex Gloſſa *χειρισταὶ πρακτῆρες*, quos Plautus *in Truculento* dixit gerulos.

Ite hac ſimul muli æris, damni geruli, foras gerones, Bouorum Hamaxagoga.

Brutiani igitur gerones, quia onera tanquam ſerui gerebant, ſubtiliter tamen ſuſpicatur Scaliger *in in caſtigat. ad Feſtum*, gerones dictus, quia erant gerones litterarum, & publici curſores, quod ex Stabone monebamus. Fuere igitur in libera Republica publici curſores, ſed frequentiores ſub Imperatoribus. Veſpaſianus apud Sueton. *capit.* 8. claſſiarios, qui ab Oſtia, & Puteolis Romam pedibus per vicos commeabant, iuſſit excaleatos curſitare, quia petierant aliquid ſibi *calcearij* nomine conſtitui, hoc eſt, ad calceos comparandos, ſicut clauarium dicitur à Tacito *lib.* 3. *Hiſtor.* quod in calceos aut caligares clauos impenditur. *Camelaria*, vel camelaſia, quod alendis camelis datur, *l.* 1. *& l. vlt. D. de muneribus*, &c. & Amnian. *lib.* 17. Sic denique vaſarium à Cicerone *in Piſon.* illud omne, quo itur Magiſtratus in Prouinciam ſupellectilem inſtruebant. Vides itaque claſſiarios iſtos, curſores fuiſſe. Aurelianus apud Vupiſc. curſores eo habitu, quo ipſe habebat, Senatoribus conceſſit, qui olim ingenui fuere. Alexand. Seuerus ſuos ſeruus eſſe voluit. Spartian. ſic ſcribit de Vero: *Curſores ſuos homines ingenuos indixiſſe, atque inhumaniter faciebat curſitare.* Codin. meminit præfecti curſorum, quem protocurſorem vocat Landulph. *in Phoca.* Deferebant igitur iſti curſores mandata, aut reſponſa, aut alias litteras ſiue Reipublicæ, ſiue Principum, atque alia nuntiabant, ideóque *ἀποκρισιάριοι*, ſiue reſponſales dicti ſunt, ab Eleuthenio Zebeleno *lib. de forma & conſtit. corpor. μανδατοφόροι*, & ab Euſtathio *γραμματοφόροι*. Symmach. *lib.* 5. *epiſt.* 50. *vectores indicialium litterarum* nominauit. Perniciſſimè currebant, quare Verus apud Spartianum ſuis curſoribus nomina ventorum indidit, immò & Cupidinum more alas aliquando ipſis aptauit. Erant & milites quidam pinnigeri, & pinnirapi, quibus Imperatores, Præſideſve litteris perferendis vſi ſunt. Iuuenal. *Anxia præcipiti veniebat epiſtola pinna.* Inde dicti *πτεροφόροι*.

5 Currebant verò alij pedibus, qui *πεζοδρόμοι*, & *ταχυδρόμοι* dicti. *Δρομεῖς* vetus gloſſar. exercipedes vocat. Alij verò equis. Herodot. *lib.* 8. Miſit *Ξέρξης* in Perſidem qui acceptam cladem nuntiarent, his nuntiis nihil pernicius tranſcurrit in rebus humanis: tot diebus, quot vita conſtat, totidem equos & viros ferunt eſſe diſtinctos, ad ſingulorum dierum iter decurrunt, quos neque vis niuiũ, neque imber, neque æſtus, neque nox diſtinet, quin propoſitum ſibi curſum expediant: primus curſor ſecundo tradit mandata *τὰ ἐντεταλμένα*: ſecundus terrio, inde ex alio in aliũ curſus tranſit, cuiuſmodi eſt apud Græcos facium ſuccenſio, *ἡ λαμπαδηφορίη*. Hunc curſum *τὸ δράμημα*, Perſæ vocant *ἀγγαρήιον*, angariam, de qua voce inferiùs. Quod autem de facium ſucenſione apud Græcos ſignificauit Herodot. habebant & illi *φρυκτωρίαν*, vnde apud Heſychinum *φρυκτὸς, φρυκτὸς, φρυκτωρία, πυρσεία, πυρσεῖα, λαμπάς, καῦσις* eſt ignis accenſus: de die ſiquidem fumos è turribus, de nocte ignes excitabant, vt hoſtium irruptionem nuntiarent; quod hodieque apud noſtrates in ora maritima vſurpatur, ne quæ claſſis inimica portum inopinatò ſubeat. Equos autem per vices in curſu mutatos fuiſſe notauit quoque Theodoret. *lib.* 1. Euſtath. & alij. Mutabantur & curſores ipſi vt ſignificabat Herodot. vnuſque alterj mandata perferenda tradebat, fuit hoc Perſarum inuentũ, eiuſque authorem facit Cyrum Xenophon *lib.* 8. *Cyr.* Alij curſorea vehiculis & thedis vtebantur, quod ab Auguſto inſtitutum fuiſſe author eſt Sueton. *cap.* 49. *Et quò celeriùs, ac ſub manum annuntiari, cognoſcique poſſet, quid in quaque Prouincia gereretur, iuuenes primò modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Commodius id viſum eſt, inquit, vt qui a loco iidem perferrent litteras, interrogari, ſi quid res exigeret poſſent.* Antoninus Pius apud Capitolinum; *Vehicularium curſum ſumma diligentia ſubleuauit.* Denique non equis ſingulis, ſed vehiculis vſos ſæpius veteres teſtis eſt Ammian. Marcellin. qui idcircò *lib.* 21. *&* 14. curſum publicum, rem vehicularem appellat; & *lib. illo* 14. *ſub fin.* ſic habet. *Decem vehiculis publicis, vt præceptum eſt vſus, relicto palatio omni, celerare gradum compellebatur.* Et Symmach. *lib.* 10. *ep.* 37. ad Theodoſ. *Licèt vehiculo publico cum cæteris quæ ex more mittuntur omnia neceſſe ſit rurſus ad ſerenitatis veſtræ notitiam peruenire.* Volunt aliqui legendum eſſe *indiculo publico*, qua voce vtitur ipſemet Symmach. *lib.* 6. *epiſt.* 46. & *lib.* 7. *epiſt.* 81. atque Ennodius. Eſt autem indiculus paruus index, quẽ breuem ſolet appellare tum Simmach. *lib.* 10. *ep.* 48. *&* 60. tũ Caſſiodor. *lib.* 5. *ep.* 31. *Breuis ſubter annexus.* Et *lib.* 2. *ep.* 49. *Miſſis breuibus.* Illis igitur indiculis, & breuibus ſumma capita rerum præſcribebantur, & annotabantur epiſtolis, erantque publici illi indiculi, quibus res publicæ à Magiſtratibus ad Imperatorem referebantur. Verùm ſapienter contendit Iuretus *in notis*, vulgatam lectionem, *vehiculo publico*, retinendam eſſe, ſignificareque Symmachum ea omnia de quibus monebat Theodoſium, ad eum vehiculo & curſu publico deferenda eſſe. Hæc vehicula ferè ciſia erant, & duabus tantùm rotis inſtructa. Eſt id vehiculi genus velociſſimum. Cic. *pro Sext. Roſcio. Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis peruolant.* Et *Philippic.* 2. *Delituit in quadã caupona, atque ibi ſe occultans perpotauit ad veſperum, inde ciſio celeriter ad vrbem vectus, domũ venit, capite inuoluto.* Inde illa apud Vlp. quæſtio, *l. item quæritur* 13. *D. locat.* de ciſiario, qui dum cæteros tranſire contendit, ciſium euertit, & ſeruum quaſſauit, aut occidit, an ſit in eum ex locato actio; quod ibidẽ affirmat Iuriſconſultus. De huius vehiculi & aliorum generibus adi Cotraſium *lib.* 3. *miſcell. cap.* 20. Has duas curſus ſpecies equis aut vehiculis ferè peractas complectitur Auſonius, *ep* 8. *ad Paulum.*

Cornipedes rapiant impoſita petorita mulæ,
Vel ciſio triiugi ſi placet inſilias.
Vel celerem mannum, vel rupta terga veredum
Conſcendas, properè dummodo iam venias.

Atque hoc fuit primum, vt ita dicam curſus publici genus, ſiue pedibus, ſiue equis, ſiue vehiculis conficeretur, vt quid in prouinciis gereretur, celeriùs cognoſci poſſet, & mandata, ac litteræ, nuntiique hinc inde facillimè, & ociſſimè perferrentur: à Perſis primùm inuentum deinde à Græcis, Romanis, cæteriſque gentibus magno compendio vſurpatum, quod noſtræ hodiernæ *poſtæ* imitantur, ita nominatæ quòd ſunt quaſi poſitæ ſtationes equorum curſualium, fuitque ſemper ille veterum in iſto curſu publico inſtituendo finis, & eius mutatione celeri, vti loquitur Ammian. *lib.* 21. maximè vt Imperatorũ litteras curſu celeri perferrent;

quare Regum nuntios nominat Firmicus *lib.3.c.3.* Quidquid in Rep. geritur, penè miniſteriu curſuali compleri dixit Caſſiodor. *lib.5.ep.5.* Neceſſitatem veredariæ functionis nominat *l.8. Cod. Theodoſ. de cohortalib.* De vſu iſtorum curſorum, quos paſſim veredarios appellant, cuius nominis cauſam modò reddemus, frequens eſt vbique mentio in Symmacho, Eunodio, Firmico, Epiphanio, Hieronymo, & aliis; neque inſcitè ſenem quendam, qui quotidie perambulabat cubicula monialium, *veredarium vrbis* appellat Hieronym. *ep. ad Euſtoch. de cura virginit.*

6 Alterum genus publici curſus fuit, quod Magiſtratibus, aliiſque quibus id ex Imperatoris diplomate licebat, exhibebatur, illud ab Adriano inſtitutum fuiſſe vult Spartian. qui curſum fiſcalem appellat, ne Magiſtratus enim grauarentur ſumptibus, quos in curſu faciebant, eos à fiſco adminiſtrari voluit Adrian.

Altiùs tamen repeti poſſe videtur huius inſtituti prima origo, aut eius velut rudimentum quoddam ex facto L. Poſthumij Conſulis, in Campaniam ire iuſſi, ad agrum publicum à priuato terminandũ: is enim, vti narrat Liui. *lib.42. Iratus Præneſtinis, quod cum eo priuatus ſacrificij in templo Fortunæ faciundi cauſâ profectus eſſet, nihil in ſe honorificè, neque publicè, neque priuatim factum à Præneſtinis eſſet, priuſquam ab Roma proficiſceretur litteras Præneſte miſit, vt ſibi Magiſtratus obuiã exiret, locũ publicè pararet vbi diuerteretur, iumentaque, cùm exiret inde præſto eſſent. Ante hunc Coſſ. nemo vnquam ſociis vlla in re oneri, aut ſumptui fuit; ideò Magiſtratus mulis, tabernaculiſque, & omni alio inſtrumento militari ornabantur; ne quid tale imperarent ſociis, priuata hoſpitia habebant; ea benignè, comiterque colebant, domuſque eorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis diuerti mos eſſet, legatique repentè aliquò mitterentur, ſingula iumenta per oppida, iter quà faciendum erat, imperabant; aliam impenſam ſocij in Magiſtratus Romanos non faciebant, iniuria Coſſ. etiamſi iuſta, non tamen in Magiſtratu exercenda: & ſilentium nimis aut modeſtum, aut timidum Præneſtinorum, ius velut probato exemplo Magiſtratibus fecit, grauiorum in dies talis generis imperiorum.* Hactenus Liuius; ex quibus vides initio quidem Præſidibus aliiſque Magiſtratibus in prouincias proficiſcentibus ſuppeditata fuiſſe è publico, ſiue à Republica, quæ ad iter neceſſaria erant, nimirum mulos, tabernacula, & omnẽ aliã ſupellectilẽ militarem quam inſtrumentum nominat Liuius, & vaſariũ dici à Cicerone exiſtimauit Budæus. Alciat. tamen *in l.294. D. de verbor. ſignificat.* eo nomine voluit ſignificari ſalarium, aut donatiuum, quod redeuntibus è prouinciis dari ſolitum erat; quare mancipes publicè redimebant quæ eiuſmodi Magiſtratibus præbenda erant, qui mancipes præbendorum dicebantur, & ἐργολαβοῦντες à Dione *lib.55.* vbi eius veteris moris meminit. Ventidius Baſſus ἐργολάβος & manceps præbendorum fuit, ex qua humili fortuna, & præbendorum exercitui conductione in ampliſſimum ordinem, atque ad ipſum Conſulatum euectus eſt, vti narrat Agellius *lib.15. cap.4.* vbi de eius conſulatu hos verſus à plebe iactatos refert.

Concurrite omnes Augures, Aruſpices,
Portentum inuſitatum conflatum eſt recèns,
Nam mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.

Vlpian. in *l.19. D. de teſtibus*, repellit à teſtimonio publicanos, & eum *qui præbenda exercitui conduxerit*, ſi inuiti dicant. Accurſius legit *præbendam*, ſubaudiendo *annonam*. Alciat. *lib.2. parerg. cap.43.* retinet *præbenda*, quomodo Liuius, Plautus, Agellius loquuti ſunt. Cuiac. *lib.2. obſeruat. c.23.* *præbendum* mauult ex Pandectis Florentinis: Magiſtratus poſtmodum hæc omnia imperarunt Prouincialibus exemplo Poſthumij Coſſ. à quo id primùm tentatum diximus ex Liuio, quod cùm graue eſſe prouinciis animaduerteret Auguſtus, ſicut & ex publico locationem, certam pro Conſulibus ad prouincias euntibus pecuniam aſſignauit, vt ſibi mulos, tabernacula & reliquum inſtrumentum militare, & quæ publicè locari ſolebant, compararent, teſte Suetonio *cap.36.* Adrianus deinde fiſcalem curſum inſtituit, & omnia à fiſco miniſtrari præcepit, vt obſeruat Spartian. qui etiam ait Seuerum vehicularium munus à priuatis ad fiſcum traduxiſſe. Alexander præbuit prouinciarum Præſidibus equos binos, & mulos binos, cæteriſque rebus ita inſtruxit, vt adminiſtratione depoſita redderent mulas, mulos, equos, muliones, & coquos, cætera ſibi habituri ſi bene rem geſſiſſent; ſi autẽ malè in quadruplum redditurì ex Lampridio. Denique ſub poſterioribus Imperatoribus non modò equi publici, ſed & manſiones, & commeatus ſuppeditatus fuit, atque vti vocabant metatus, quod ex mox dicendis conſtabit.

Fuit igitur curſus publicus iter publicis equis, aut vehiculis per ſtationes mutatis, & ſuffectis inſtitutum, quibuſdam Magiſtratibus, & aliis ex venia Principis conceſſum, quibus etiam aliquando manſiones, omniaque neceſſaria eodem ſumptu publico ſuppeditabantur. Quæ definitio ſatis manifeſta eſt ex nuper allatis. Equorum nomine intelligo omnia animalia, quæ ad curſum publicum adhibebantur, quomodo etiam abſolutè appellantur *l.2. C. Theod. de curioſis*: & animalia publica *l.2. & 10. C. Theodoſ. de curſu publico.* Capitolin. *in Maximin. Tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, vt quarta die Romam veniret.* Symmach. *lib.2. epiſt. 27.* monet fratrem ſuum Flauianum, *quæ illi ratio præfecturæ reddenda ſit, quo numero animalia collocarit, & quo apparatu inſtruxerit manſiones.* Paſſim denique animalia publica & publico curſui deſtinata dicuntur, atque etiam pecora, *l.2. Cod. de curſu publico*: Victor *in Conſtantino: publica iumenta.* Et ſanè non ſolis equis, ſed mulis, aſinis, bobus ad publicũ curſum vſi ſunt, quod Iulianum ſuſtuliſſe, ſolo equorum curriculo ad publicum vſum relicto, affirmat Socrat. *lib.3.* E contrario verò queritur Procop. *in Hiſt. Arcan.* Iuſtinianum per Orientem excepta Perſide in diurno viæ ſpatio vnam ſtationem, σταθμὸν μόνον, non equorum, ſed paucorum aſinorum οὐχ ἵππων ἀλλ' ὄνων ὀλίγων, ad curſum inſtituiſſe. Vnde factum vt geſta in prouinciis ſerò referrentur, neque ſine Reipublicæ diſpendio. Theod. *lib.1. Hiſtor. Conſtant.* Auguſtum iuſſiſſe Epiſcopos vehi δημοσίοις ὄνοις ἢ ἡμιόνοις καὶ ἵπποις: & apud Socrat. *lib.1.* idem Conſtantinus quibuſdam Epiſcopis, vt ad ſe venirent indulſit νωτοφόρων ὑπηρεσίας, miniſterio aſinorum dorſo geſtantium onera, aliis autem δημόσιον δρόμον. De bobus autem habemus *l.1. Cod. Theod. de curſu publico*, quæ iubet per ſtationarios corripi eum, qui iter faciens bouem, non curſui deſtinatum, ſed aratris debitum duxerit abſtrahendum. Et *l.53.* qui per vnam mutationem veredum, mulámve, aut bouem ſuperducendum eſſe crediderit, fiſco mulctam inferre iubetur: neque ad plauſtra tantùm trahenda aut vehenda onera boues in curſu publico vſui erant, ſed etiam ad carpentum

Digitized by Google

pentum curſale; nam Carolum Magnum iter feciſſe carpento iunctis bobus, & bubulco agente ruſtico more, prodit Eghinart. & priores etiam Galliæ Reges menſe Maio vehiculo boum vecti ſpectandos ſe, adorandoſque nobilitati præbebant; quamquàm non diffitemur bobus maximè vſos veteres in curſu publico ad plauſtra ferendis oneribus, & variis ſpeciebus deſtinata, vnde quantum oneris ſingulis imponi debeat ſæpe præſcribitur, vt ſtatim monebimus.

Quod attinet ad vehicula iſta fiſcalia, & rhedas, de quibus nuper aliquid diximus; Nazianz. cum narrat incommoda quæ ex curſu publico recipiebat Saſimorum Eccleſia, vehiculorum, & curruum meminit. Erant verò diuerſi illi currus, nam *l.2.C.Theod.de curioſis*, nominat rhedam Birotam, & Clabulare: & rheda quidem currus erat duarum rotarum, qua vtebantur paſſim omnes, etiam abiectiſſimi, vti colligunt ex Ciceronis *Philipp.2.* vbi deſcribit Tribunum plebis eſſedo vectum, mimas lectica, rheda lenones, & comites nequiſſimos. Ad portas vrbis Romæ erant rhedæ meritoriæ, quas cuique danti mercedem habere licuit. Rheda verò curſalis, de qua loquuntur hoc loco erat ciſium, vti iam monuimus, quod côcitatiſſimè ferebatur. Birotum erat quoque currus duarum rotarum, & eſſedum quoddam breuius, & minus rheda, deferendo vno homine celerrimè accommodatum, de quo agere Ciceronem dum Trebatio in Britannia agenti ſcribit, exiſtimauit Corraſ. *lib.3. miſcell. cap.10. Eſſedum aliquod rapias ſuadeo, & ad nos quamprimum recurras.* Clabula eſt vehiculi genus, quo in tranſitu militum, armorum, & legatorum vtebantur. Ammian. *libro 10.* curſum clabularem, vehicularem dixit, procurationem clabularij curſus *l.23.Cod.Theod de curſu publico*, & mancipes curſus clabularij. Quare ſapienter Cuiac. in conſtitutione Leonis Auguſti, quæ eſt *l.12. Cod. de curſu publico*, emendauit curſum ambularem ὀξυμαῖρον, & legit curſum clabularium, quia ita Græci eo loco interpretantur ὁ πλατὺς δρόμος διὰ ὀχημάτων, ex quibus etiam eos arguas, qui legunt curſum caballarem nulla planè ratione ducti. Bulleng. *lib.6. de Imp. Roman.c.35.* clabularem curſum dictum exiſtimat propter teſſeras euectionum, de quibus ſtatim, eo quod clabulæ ſint taleæ, quæ de tenero ramo ex vtraque parte æqualiter præciduntur apud Varron. *lib.1. de re ruſtic. cap.40.* quaſi illæ euectionum teſſeræ, clabulæ quædam ſint: verùm præterquàm quod Varro ait hos ſurculos ab aliis taleas, ab aliis clareolas vocari non autem clabulas, non poſſunt hæ teſſerarum taleæ aptari his, quæ ex codice Theodoſiano retulimus, vbi & clabula vehiculi genus apertè ſignificatur, & clabularius curſus ſæpius repetitur.

Iſti equi curſorij, & curſuales, vti hos appellat Caſſiodor. *lib.5.epiſt.5.* & Græci ταχυδρόμοι, paſſim veredarij dicuntur. Procop. *lib.1. Vandal.* ait eos qui equo celeriter inuecti regias litteras, τὰς βασιλικὰς ἀποχρίσεις, reſponſiones ferebant, nominari veredarios βερεδαρίους. *Et libro 2. Perſic.* equos publicos ἵππους δημοσίους, appellari veredos βερίδους. Iſidor. *lib.12. cap.1.* veredos dictos exiſtimat, quod vehant redas, aut quod per vias publicas currant, per quas rhedas ire ſolitum erat. Idem habent veteres gloſſæ: vide & Cuiac. *in rubr. Cod. de curſu publico*, & Pythæum *in gloſſario capitular.* Veredum itaque paſſim interpretantur equum qui vehat rhedam, quod negat Turnebus *lib.18. cap.1.* & neque ciſium, neque rhedam trahere veredum, ſed loco rhedæ eſſe; quod probat ex Mart. *lib.12.epiſt.14.*

Parcius vtaris moneo rapiente veredo,
Priſce, nec in lepores tam violentus eas.

Sanè Priſcus non venabatur lepores vectus rheda, ſed equo, quod ſatis indicat verſus ſubſequens.

Sæpe ſatisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excuſſus, nec rediturus equo.

Auſon. *ep.10.* diſtinguit rhedam à veredo.

Non ciſium aut pigrum cautus conſcende veredum,
Nec tibi ſit rheda, non amor acris equi.

Verùm facilè conciliabis hæc diſſidia, ſi dicas veredum rhedæ ductandæ applicitum primò fuiſſe, indeque nominatum, vti affirmat Feſtus, idemque deinde nomen retinuiſſe ſiue rhedas duceret, ſiue non, & omnes qui curſui publico deſeruirent, ſimili donatos appellatione, eo quod aliqui rhedas, aliqui equos conſcenderent. Vnde veter. Gloſſar. veredarij equi dicuntur à veredo, quia feſtinantes in equis currunt, nec deſcendunt de equis antequam ſua reſponſa liberent; habent pennas in capite, vnde intelligitur feſtinatio itineris, daturque eis ſemper equus paratus; non manducant niſi ſuper equis, quando proficiſcuntur; quare non diſſentit à gloſſa Turneb. cùm dixit veredos fuiſſe equos ſingulares, qui loco rhedæ eſſent, parauerеdi erant maiores equi in eundem vſum cum veredis deſtinati; illos leges Boiariorum & Francor. parafredos deinde vocarunt: quamquã dici poteſt parauerеdos vſurpari pro equis, qui ſupra deſtinatos veredos poſtulabantur, aut capiebantur. Caſſiodor. *lib.5.epiſt.39. Parauerеdorum itaque ſubuectiones exigere eos qui habent veredos adſcriptos. prouincialium querelâ comperimus, quod nullum penitus ſinatis præſumere, quando per turpiſſimos quæſtus, & poſſeſſor atteritur & commeantium celeritas impeditur.* Ipſe tamen Caſſiodor. *libro 11. epiſt.14.* parauerеdos pro veredis ſimpliciter vſurpat, *Cùm multis itineribus Como ciuitas exteratur, ita ſe poſſeſſores parauerеdorum aſſiduitate ſue gerunt eſſe fatigatos, vt equorum nimio curſu, ipſi potiùs atterantur.* Quo loco Caſſiodorum non videtur parauerеdos à veredis diſtinguere. Dicuntur etiam hi equi publici, equi agminales, *l.5. Cod. Theod. de curſu publico: Vſurpandi agminalis, ſeu parauerеdi licentia derogetur.* Et ibidem, *Publicis veterini agminalibus.* Fortaſſis quia agminatim procedebant. Parrippus erat, vt inquit Iulian. *in l.4.Cod. de curſu publico*, equus, qui ſupra numerum veredorum, quos euectio continebat extra ordinem commonebantur. Idem Iulian. *in epiſt. ad Euſthoch. Curſus publicus te ducet vno vehiculo, & parippo vſum,* ὀχήματι χρώμενος ἑνὶ καὶ παρίππῳ. Vbi vides parippum eſſe equum ſingularem ſupra vehiculum. Idem alibi ſæpius, & *l.19. Cod. Theod. de curſu publico. Hi tantum parhippum præſumant, quibus nos ipſi in euectione quam facimus veredum cum parhippo tribui iuſſimus.*

Curſus porrò publicus ſic inſtituebatur vti diſſerit Procop. *in arcana hiſtoria ſub fin.* ex veteri 8
Principum Romanorum diſciplina; in via, quam diurno itinere expeditus viator conficit, octonas fermè ſtationes σταθμοὺς, alicubi pauciores, infra tamen quinque nuſquam poſuere; in ſingulis ſtationibus equi diſpoſiti fermè quadraginta, & ad equorum numerum ἱπποκόμοι κατὰ λόγον τῶν ἵππων μέτρου. Ergo quorum hoc negotium eſt, iis equis quam exercitatiſſimis, aliis aliunde ſuccedentibus feruntur, curſuque diurno decem

non

Digitized by Google

nonnumquam dierum viam euadunt. Conſtantinus fugiens Galerium eqnos publicos in ſtationibus ἐν σταθμοῖς mutilabat, & iis vtebatur quos in vltimis manſionibus reperiſſet, nimirum ne Galerius fugientem inſequeretur. Ita Zozimus *lib.* 1.

Has ſtationes ſiue manſiones idem Procop. *lib.* 5. *ædific.* diuerſorium veredariorum nominauit, καταλυτήριον τῶν βερεδαρίων. Gregorius in vita Nazianz. vno verbo ὑποστάθμιον, & ipſe Nazianz. ὑποστάσια. Nam de Saſima ait eſſe oppidum λεωφόρου βασιλικῆς μέσον κείμενον, καὶ τοῦ δημοσίου δρόμου ἔχοντα ὑποστάσια. Paſſim verò reddunt ſtabulum, quam etiam vocem à Romanis Græci vſurparunt: quare Author vitæ S. Hypatij, qui imperante Arcadio floruit: prope monaſterium, inquit, erat ſtabulum in quod equi publici curſus diuertunt: πλησίον τῆς μονῆς στάβλος ὑπῆρχεν ἐν ᾧ εἰσὶν ἵπποι τοῦ δρόμου. Byſantio in Aſiam iter facienti occurrebant eiuſmodi ſtabula in Rufiniano, Chalcedone, Dacibiſa, Nicea, Helluopoli, Saſimis, qui vici, & & vrbes ea de cauſa σταθμοὶ vocantur ab ſcriptoribus, vt à Nazianzeno Saſimi nominabantur, & ſtationes, ſiue loca mutandi publici curſus deſtinata ἀλλαγαὶ mutationes, quare in Baſilicis plectitur, qui vel vnam mutationem fuerit prætervectus μίαν ἀλλαγὴν, & ἀλλάγιον eſt curſus publicus, ὁ ἄρχων τοῦ ἀλλαγίου præpoſitus mutationum curſus publici, qui & apud Codin. nominatur πρωταλλαγάτωρ, & magno Primicerio ſubeſt. Talis fuit apud Cantacuz. *lib.* 1. *cap.* 26. Sennacherim protallagator generalis curſus, quamquàm aliqui malint eam vocem deducere ἀπὸ τοῖς ἀλόγοις: nam ἄλογον iumentum eſt, μεγαλοαλογῖται qui magnis equis & iumentis vtuntur; ἄλογα ζῶα νωτοφόρα ἀχθοφόρα animalia quæ onera geſtant. Nicetæ denique ἄλογον ὑποσελλακὸν πολεμιστήριος ἵππος equus cum ſella militari. Quibus omnibus animalibus in curſu publico vtebantur, vt iam obſeruauimus. Apud Codinum quoque ἀλογάτωρ præerat equitibus ſtationariis. Mutationes portò pro ſtationibus, & manſionibus in quibus equi curſales locabantur paſſim vſurpantur in iure *l.* 15. *Cod. de curſu publico; Si quis vel pro vna mutatione veredum ſuperducendum eſſe crediderit. l.* 17. *C. eod.* agit de mulione mutationibus deputato non ſollicitando, neque ſubtrahendo. *l.* 9. *C. Theod. de ann. & tribut.* laudatur Anatolius, qui pabula ad mutationes, manſioneſque ſingulas animalibus curſui publico deputatis, certo ac denuntiato tempore deuehi ordinauerit. Ammian. *lib.* 21. *Vectus mutatione celeri curſus publici.* Hiſtoria Tripartit. *lib.* 6. *cap.* 45. cognitam fuiſſe ait Iuliani mortem, licèt pluſquàm viginti mutationes ab eo loco ad exercitum eſſent. Theodor. *lib.* 3. *c.* 19. vocat iter viginti dierum, quia equi & veredi qualibet mutatione iter vnius diei conficiebant. Plin. *lib.* 12. *cap.* 34. ait manſiones à ſe diſtare 150. ſtadiis. Herod. *lib.* 6. iter mari Græco Suſas diuidit per tres σταθμοὺς; quamquàm manſionum nomen non tam de equorum ſtabulis, quàm militum, aliorumque qui id iuris habebant hoſpitiis, & metatis accipiebatur, quod iterum ſtatim monebimus. Pergo ad modum huius curſus. Inſtituendus erat curſus publicus via publica, quæ & canalis dicitur *in l.* 2. *Cod. Theod. de curioſ.* & *l.* 15. *eod. Cod. de curſu publico*, & in Concil. Sardic. *cap.* 15. Ab hac itaque via non eſſe diuertendum edicit *l.* 2. & *l.* 5. *de curſu publico*, & *in Cod. Theod. eod. tit. l.* 3. & 25. quæ poſtrema non permittit diuerticulum, niſi quingentorum paſſuum: præfectis tamen prætorio, vbi cauſa aliqua publica exigebat, id permittit *l.* 1. *Cod. de curſu publico*, & *l.* 3. *in Cod. Theod.*

Non omnibus concedebatur curſus publicus; 9
nam Præſidibus, Catholicis & cæteris Magiſtratibus, quibus Reſpublicæ, ſiue Ciuitates annonas & alimenta pecoribus, ſiue capita miniſtrant, derogatur licentia vſurpandi paraueredi *l.* 2. *C. de curſu publico.* Et *in Codice Theod. l.* 4. Senatoribus facta erat euectionum copia, cùm eos ad Imperatorem proficiſci neceſſe erat, & à Principe euocabantur *l.* 6. *C. de curſu publico*, & *C. Theod. eod. l.* 35. vbi tament non videtur poſtulare euocationem à Principe Sidon. *ep.* 2. *Egreſſo mihi publicus curſus vſui fuit, vtpote ſacris apicibus accito, & quidem vianti veredorum paucitas moram non faciebat.* Priuatis prohibetur vti curſu publico, & euectione, etiamſi illam valuerint impetrare, *l.* 11. *C. de curſu publico*, quam tamen facultatem facit legatis diuerſarum gentium *l.* 16. Imò neque ſi in ciuili, aut militari dignitate quis conſtitutus euectiones obtinuerit, ea deinde dignitate depoſita curſu publico vti poterit, niſi conſulta prius Imperatoris Maieſtate ex *l.* 39. *C. Theod. de curſu publico:* quamuis autem Duces euntes in prouinciam curſu publico vterentur, vbi tamen ad eam peruenerant, & in ipſa fixerant ſedes, non amplius vel ipſi, vel ipſorum Officiales curſu & angariis vti poterant; quod idem de Præſidibus, & cohortalibus erat conſtitutum. Ita ſancivit *l.* 20. *C. de curſu publico*, & *l.* 66. *eod. Cod. Theod.*

Non licebat habenti ius pulici curſus, quot li- 10
buiſſet veredos aut rhedas acciere, ſed cuilibet certus numerus aut lege, aut euectionis diplomate deſignabatur: alioquin qui parippum, hoc eſt, vti ſumus nuper interpretati, ſupra numerum euectione deſignatum vſurpaſſet, puniebatur, niſi agens in rebus, cui euectio data erat, neceſſitatum publicarum cauſâ, eum ſubiunxiſſet *l.* 47. *Cod. de curſu publico*; alioquin qui vel pro vna mutatione ſupra numerum euectionis vnum veredum vſurpaſſet, *in quadruplum ſuperductorum animalium pretium* fiſco inferre debebat *l.* 15. *C. eod.* quin immò qui patrippum vſurpabat, rem capitalem feciſſe videtur *l.* 14. *C. Theod. de curſu publico*, in quo Codice diſtinctius explicatur numerus horum animalium dandus. Nam *l.* 4. qui bouem non curſui deſtinatum, ſed aratris deditum duxerit abſtrahendum, à Iudice, aut Magiſtratu puniri debet: aut ſi ſit illuſtrioris dignitatis, ad Imperatoré deferri. Quod ſi qui *manſionem explicauerit*, ſiue conduxerit, boues non habuerit, immorari debet, donec fuerint exhibiti ab his qui curſus publici curam egerunt, nec *cultura terra inſeruientes abſtrahere. l.* 24. ſi defecta fuerint animalia vehiculis deputata, non licet tamen veredos alteri rei deputatos, ad rhedas, quibus vtuntur, vſurpare, *ſed reſidere cogatur quamdiu animalia, quibus iter peragat, reuertantur. l.* 35. prohibet ne in quolibet oppido, aut ciuitate, manſione, vico, vno die vltra quinque veredorũ numerus moueatur. Et *l.* 8. *C. de curſu publico*, decem veredos ex vtraque parte manſionum dimitti permittit, quinque ſcilicet ex qualibet parte. *l.* 36. proficiſcente Vicario triginta aſini, veredi decem tantummodo moueantur, quinquaginta librarum auri diſpendio. *l.* 45. nullus amplius quàm ſingulas aut binas angarias ex veteri conſtitutione vſurpet. *l.* 49. Præſidibus prouinciarum, *ad vehiculorum vicem Comites quatuor veredos cum parippo, Tribunos militum ternos moue-*

ro

re permittant, cæteros domeſticos, protectores & agentes in rebus, *binis* vti tantummodo patiantur. Denique in Orientis diœceſi nullus vi euectionis datæ à Præfecto Prætorio, aut Magiſtro officiorum pluſquàm vnum veredum, & vnum parauerdum vſurpare poterat, præterquàm ſi pecunias publicas vehat, ad ampliorem numerum commouendum euectione à Principe data opus fuit. *l.23. C. de curſu publico.*

11 Neque numerus duntaxat veredorum, qui moueri poterant definitus erat, ſed etiam ipſorum onus, ne plus iuſto creſceret, quare *l.12. Cod. de curſu publico*, conſtituit ne ſella cum frænis, ne etiam auerta excedat ſexaginta libras, alioquin conſciditur ſella, confiſcatur auerta, exceptis auri centenariis, quæ hippocami, ſiue in ſolitis ſacculis domum referunt. Auertam explicat Accurſius equorum pectorale, Græci dicunt λεπαδνά, coria lata circa pectus equorum, collaria, antilenas, & Homer. Iliad. E ζυγοδέσμους. Itaque Alciato non diſplicet in hunc locum Accurſius, eo quod ſicut Plaut. *in Caſina* appellant poſtilenam, incuruatum illud corium, quod à ſella in caudam deſinit, ab eo quod poſt ſellam ſit, vulgò vocant *Croupiere*, & alij elegantiores, ephippij poſticam moram, poſticum retinaculum; ſic potuerit dici *auerta*, quòd ante collocetur. Non abhorret etiam Alciat. ibid. eſſe capitis ornamentum, quo habenæ figantur ab auertendo, quòd equi per eas vertantur, prout ſeſſori viſum eſt, cæterùm eruditè Budæ. *in l.105. D. ad l. Corneliam de falſis*, auertam eſſe vocem barbaram dixit, atque ita dictã quod auerſa ſit, eſtque ὑπομάσχαλον, id eſt lora latiora, quæ per terga equi iugalis excurrunt, ſub alis eius ſuccincta, quod & placuit Cuiacio in hanc legem, & habetur in Baſilic. ἢ δὲ βίρτα, vel ἀβίρτα τὸ περὶ τὸ ὑπομασχάλιον ὅπερ ἐπιφέρονται κατὰ τοῦ νώτου καλοῦνται δὲ βίρτα ἐκ τοῦ ἀποστρέφεσθαι: auerta ex Acr. in Horat. *lib.1. ſatyr. 6.* erat mantica, ſeu pera ad veſtes recondendas: quid verò ſint *auri centenaria* τοῦ χρυσοῦ κεντηνάρια, difficile fuerit dicere. Cuiacius interpretatur ornamenta aurea veredorum auertis applicata, quæ muliones domum referre poterant, ipſa auertã confiſcata. *l.47. Cod. Theod. de curſu publico*, ſellam cum frænis facit librarum 60. auertam autem 35. Sed redeo ad onera veredis & vehiculis imponenda, quæ in *Cod. Theodoſiano de curſu publico*, ſingillatim explicantur. *l.8.* rhedæ mille pondo ſuperponantur, birotæ ducenta, veredo triginta octo; mulæ iungantur ad rhedam æſtiuo tempore; rhedæ mulæ decem, birotis trinas ſufficere indicauimus. Idem de pondere edicit *l. 28.* additque angariæ mulæ quingenta ſufficere, eadem repetit *l.30. & 47. l.17.* enormium vehiculorum vſum penitus interdicere vult: quare pondo duntaxat mille imponi vehiculis ſtatuit, & veredis 30. & ſecus facienti ſi liber ſit exilium, ſi ſeruus metalli perpetua ſupplicia infligi mandat. *l.18.* ne ampliùs in ſingulis quibuſque carpentis quàm bini, aut vt ſummum terni homines deuehantur. *l.48.* vbi aurum, vel argentum ſacrarum largitionum ad comitatum deſtinatur, vna rheda auri quingentis libris, mille verò argenti, ſi verò priuatorum auri trecentis, quingentis verò argenti libris oneretur.

12 Cura maxima equorum, & animalium publicorum habebatur: nam primò non fuſtibus aut lignis agitari debebant, *l. 1. C. de curſu publico*, & *l. 2. C. Theod. eod.* Virgam aut flagrum acuminatum eſſe permittit, vt breuis aculeus pigreſcentes artus titillo admoueat. Secundò ſingulis annis veredorum quarta pars in omnibus prouinciis reparabatur, *l.7. Cod. de curſu publico*, & *l.34. Cod. Theod. eod.* Tertiò curabant ne pabula ſtationibus, ſiue mutationibus equorum deeſſent, quod ſummopere commendat *l.18. Cod. de curſu publico.* Quartò quibus in locis collocandi eſſent, & curſus publicus inſtituendus videbant: nam *l.22. Cod. de curſu publico*, in diœceſi Orientis, & aliis quibuſdam ciuitatibus prohibet eſſe, exceptis tribus cauſis, ſi tranſeant milites, ſi legati, ſi transferantur arma: quibus ex cauſis ſoli Præfecti prætorio euectiones faciunt, & ex eorum arca ſumitur, quod animalium locatoribus pro mercede dari ſolet. Simile quid de prouincia Sardinia, in qua non erat opus curſu publico, ſtatuitur *l.16. C. Theod. de curſu publico.*

Ad hæc omnia plures Officiales circa curſum publicum occupabantur: nam in primis erant curioſi, de quibus habemus titulum in vtroque Codice, & in Theodoſiano quidem *l.1.* nominantur curagendarij, & *l.2.* vtriuſque Codicis agentes in rebus, in curis agendis, & euectionibus publici curſus inſpiciendis, eoſque ſolos vult ad hoc obſequium adhiberi, & duos tantùm per ſingulas prouincias has curas agere, & publicum curſum gubernare. Horum igitur officium erat, vt ibidem dicitur, peruigili diligentia prouidere ne quis citra euectionis authoritatem moueat curſum, vel ampliùs poſtulet, quam euectio conceſſerit. *l.* verò 7. negat aliud quidpiam in curſum ſtatuere poſſe hos curioſos. Secundò omnia ex ſuæ ſcholæ agentium in rebus iudicio pro dignitate gerere, & nihil Principis notitiæ eorum, quæ geri viderint, ſubtrahere *l. 4.* Tertiò, vbi publicus curſus à prouincialibus exhibetur, ſingulos ſolidos per ſingulas rhedas, quas *quadrigas*, vel *flagella* appellant, percipere duntaxat debebant *l.5.* ne autem nummum pro animalibus in curſu minimè conſtitutis caperent, prohibuerat *l.2.* Quartò eorum munus anniuerſarium erat ex *l.6.* Fuere verò alij curioſi, qui paſſim delicta in re militari, & in Curia Principis commiſſa nuntiarent, & ad Præfectos per omnes Prouincias referrent, vnde Suidas ait Chryſoſtomum à curioſo vrbis in media vrbe tractum fuiſſe ἑλκόμενος ὑπὸ τοῦ κουριώσου τῆς πόλεως ἐν μέσῃ τῇ πόλει, idemque hoc munus curioſorum habetur *l.1. in vtroque C. de curioſis*: vbi tamen negatur eis facultas quemquam in carcerem compingendi. Quintò præfecti Prætorio coërcitionem habent in curioſos, qui officio fuerint inhoneſtè vſi *l.3. C. de curioſ.* ſuberãt magiſtro officiorum. Cæterum curioſi dicebantur à cura 1 nam Conſtantin. *l.2. C. de curioſ.* vocat, agentes in curis agendis, & *l.1. C. de magiſtro officiorum*, vbi diſponitur ordo officiorũ, & qui illud exercere debeant; *Principatum adipiſcatur matricula decurrente, vt ad curas agendas & curſum illi exeant, quos ordo militiæ vocat.* Et in notitia: *Præfectus claſſis Rauennatum cum curis eius de Ciuitate Rauenna. Præfectus claſſis Comenſis, cum curis eiuſdem ciuitatis Comi.* Curæ ſunt veredarij, quibus ad claſſem neceſſaria ex ciuitate Rauennate celeriter extrahebantur. Denique obſeruat Cuiac. *in Rubricam de curioſis*, illam ſapienter Græcos interpretari περὶ φροντιστῶν τοῦ δρόμου. 13

Stationarij erant apparitores diſpoſiti per prouincias, certis locis, vt Magiſtratibus denuntiarent quæ gererentur, quod conſtat ex *l.1. D. de offic. præf. vrb.* & *l. ſi quis in hoc. C. Theod. de Epiſco-*

pis

*pis.*Erant autem & in curſu publico *l.1.Cod.Theod. de curſu publ.* qui ſine dubio ſuberant curioſis. Procuratores clabularij curſus eligebantur ex iis, qui in prouinciis Comitiuæ,& Præſidiatus, aut rationum epiſtolis honorariis nixi, omni ſe ciuilium: & publicorum officiorum miniſterio remouerunt: exceptis tamen qui legationes principales obiuerant, aut emeritis Palatinis, miſſione donati ſunt, quos non decet ea moleſtia vexare: per ſingulas manſiones aut plures locabantur:euectiones commeantium exactiſſima curâ inſpicere debebant, & animalibus alimenta, quæ fiſcus ſuggerebat, miniſtrare; ex qua officij parte videbantur diſtingui à curioſis. Horum officium durabat ad arbitrium Præfecti prætorio, qui eos conſtituebat. Quæ omnia traduntur *l.23. C. Theod. de curſu publico.* Hipocomi qui & muliones,non modò equos nutrire debebant, ſed & ducere: vnà igitur cum illis proficiſcebantur, vt *ex l.14. C. Theod. de curſu publico* colligitur: nam etiam agens in rebus muliones itineri ſubiungando, vbi neceſſitas exigebat, veredum addere poterat. *l.13. C.de Curſu publico* commendat curioſis, & Præſidibus ne patiantur hippocomis, & mulionibus, mutationibus deputatis ſaga à veredariis auferri, quin & damna reſarciant, & mulcta plectantur. Saga ſunt ſtrata equorum, quæ hoc loco Græci vertunt τὰ σαγία, forte pallia inquit Cuiac. *l. 17.* decem argenti libris plectit eum, qui mulionem mutationibus deputatum, ſollicitare, vel receptare, atque ita ſubtrahere fuerit auſus.In C.verò Theodoſiano *de curſu publico, l.37. & l.50.* vult ejuſmodi ſpoliatorem ad Principem referri, vt quid de eius contumacia ſtatuendum ſit, opportuniùs æſtimet. *In eod. Cod. l.31.* iubet muliones, carpentarios, & mulomedicos annonis & veſte, quam publicum, ſiue fiſcus ſuppeditabat, contentos eſſe, neque patitur à quoquam ipſis mercedem miniſtrari. *l.53.* mulionum, & mancipum eſſe vult inquirere animalia publica, quæ ſubtracta fuerint, & redhibere. Denique *l.58.* prohibet ne quis per compenſationis ſimulationem, aut ætatis, aut debilitatis obtentu mulionem mutationibus deputatum ſubtrahat, & Iudex qui ita ſeruum publicum liberarit, vna libra auri per ſingulos homines mulctetur, atque officio. Ex quibus vides iſtos muliones fuiſſe ſeruos publicos.

Reſtant mancipes, ſiue redemptores curſus publici, qui pro varietate locorum vel ex curialibus, vel ex cohortalibus creabantur, vel ex aliis arbitrio Præfecti prætorio, ſub idoneis fideiuſſoribus *l.14. Cod.de curſu publico,*ex curialibus etiam vti neceſſitas poſtulabat poterant aſſumi *l.16. Cod. Theod. de curſu publico*, neque officiorum veteranos ab hoc debito excuſari præcipit *l.46. C. eod.* & omninò idoneos adhiberi mandat *l.65.* Mancipium verò curſus publici ex diſpoſitione, & forma Proconſulis fiebat *l.15.Cod.Theod. de curſ. publico. l.36.* definitum erat mancipij tempus luſtrale, ſiue quinquennium. Non licebat autem à mutatione, & ſtatione amplius quàm triginta dies diſcedere, alioquin capite luebat: quinquennio verò deuoluto honorem perfectiſſimatus adipiſcebatur, & omnium aliorum neceſſitatum immunitate gaudebat. Idem de quinquennio abſoluendo præcipitur *l.42.* at verò *l.60.* ne mancipes atque apparitores animalia publica vexent, dum longè maiore ac periniquo pretio pabula æſtimantur, edicit.

Subiiciunt his omnibus curſus publici miniſtris cortalinos, quos idem cum cohortalibus, non immerito multi exiſtimant. Erant autem cohortales, apparitores, & alij, qui tanquam adminicula quædam cæterarum dignitatum quaſi cohorti obnoxij erant: τῇ τάξει ὑπαποχρέῳ. De his vide Buleng. *lib.6. de Imp. Roman. cap.19.* Cortalini igitur fuerunt veluti quidam cohortales aut apparitores, quibus vt plurimùm Primipili neceſſitas, aut exhibitio curſus iniungebatur *l.4. Baſilic. tit.1.* τοὺς κορτάλινους καλοῦ βενεφικιαρίους λέγει δὲ φροντίζειν αὐτοὺς τῶν ἀλλαγῶν τῶν ἵππων. Cortalinos vocat beneficiarios; ait autem eos gerere curam mutationum equorum: vide Cuiac. *in l.3.C.de canone largitionalium titulorum.*

14 Curſum publicum facere, & animalia illi deſtinata mouere ſine euectione non licuit, vti ſæpius diximus. Erant verò euectiones codicilli, quibus publico curſu vtendi poteſtas dabatur, in quibus & numerus ſtationum, & veredorum, ac vehiculorum, atque perſonarum deſignabatur. Dicebantur diplomata Modeſtin. *in l. eos qui 27. §. vltim. D.ad l.Cornel. de falſis.Vel diplomate viam commeauit.* Plutarch. *in Galba: Nymphius non mediocriter indoluit, cùm ſerui publici à Conſulibus deſtinati eſſent, qui Senatuſconſulta ad Imperatorem ferrent, quibus ipſis ea, quæ diplomata dicuntur, dari ſolent,vt iis ſtatim agnitis ciuitatum Magiſtratus,tabellariorum curſum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus.* Eodem ſenſu voce diplomatis vtitur Tull. *lib.10. ad Attic. ep. pen.* & *lib.6. epiſt. 13.* & alibi, dum ſcribit ſe obtinuiſſe diploma Attico, ait enim bebere κίλωτας ἄοκνον veredum impigrum. Symmach. *lib.5. epiſt.36.* ſe excuſat, quod tardiùs ſe dederit itineri propter ſeriùs allatum ſacrum diploma, quo nempe Princeps ipſi faceret liberum commeatum. *Ad huius celebritatem* (Conſulatus ſcilicet Neoterij)*voto alacri cucurriſſem, niſi diplomatis ſacri tarda perlatio arctaſſet interuallum.* Plin. *lib.10.ep.121.* excuſat ſe apud Traianum, quòd vrgente itineris neceſſitate vxori ſuæ Calphurniæ diploma commodaſſet, quod nulli hactenus fecerat. Quare reſpondet Traianus, probatque quod eo caſu iter vxoris ſuæ diplomatibus adiuuiſſet. Dicitur diploma ἀπὸ τοῦ διπλόα, quod duplicatæ darentur hæ litteræ, vnde & combinæ nominantur, vt habet Euſtath. *lib.de temporib.* qui & ipſam Latinam vocem vſurpat. Κομβίνας vocant quoque vt ibidem monet Euſtath. συμβόματα. Et ſanè, vbi *in l. eos qui*, nuper allata, habetur *falſo diplomate*; Baſilica legunt ψλασῷ συνθήματ@. Hieronym. *ad Iulian. Iam dimiſſo ſynthemate equis publicis ſternebatur.* Plautus ſingraphum dixit *in Capt. Actu 2.Scena.3.*

Heg.

Sequere me viaticum, vt dē hinc à Trapezita tibi
Eadem opera à Pretore ſummam ſyngraphum.
Tynd.*Quis Syngraphum*

Heg.

Quem hâc feras ad legionem, hinc ire hinc vt liceat domum.

De voce diplomatis plura apud Cottam in *memorabilibus.*Comuniori voce hęc diplomata nominabantur euectiones, de quibus plura in vtroque C.Inſtiniano & Theodoſiano *tit. de curſu publico.* Aug. *lib.5.confeſſion. Miſſum eſt à Mediolano ad Præfec. vrbi, vt illi ciuitati Rhetorica Magiſter prouideretur, imperata etiam euectione publica.* Non licuit autem curſu publico vti ſine euectione, ideò à[currentibus tam Iudices, quàm curioſi euectionem

Digitized by Google

nem ſibi exhiberi poſtulant, *l.2.C.de curioſis*, ſine qua currentes, aut ſupra tempus euectione comprehenſum, retinentur, & coercentur: ideóque Præſes Prouinciæ per quam tranſibatur, euectionem ſibi oſtenſam ſubnotabat *l.28.Cod.Theod. de curſu publico*, quia vt dixit Traianus reſcribens Plinio apud ipſum *lib.10.ep.55. diplomata quorum præteritus eſt dies, in vſu eſſe non debent.* Sub hoc autem Imperatore Præſides euectionem dedere, quod deinde prohibuit Conſtantinus *l.5.C.Theod. de curſu publico.* Iulianus vicariis 12. euectiones permiſit quotannis, Præſidibus duas. Plura alia de euectionibus leges toto *C.Theod.de curſu publico.* Erant prætereà euocationes litteræ euocatoriæ, quibus à Principe quis euocabatur, iſque euectionum iure gaudebat. Ita enim appellat Sidon. *lib.8.ep.12.* ſicut & Iordanus *in chronico: Theodoricum Regē audiens ordinatum Imperator Zeno, grane ſuſcepit, eique euocatoria deſtinata ad ſe in vrbem venire præcepit.* Simmac. *lib.3.ep.52. Ad auſpicia obſequy Conſularis domini Valentiniani euocatus.* Et *lib.4. epiſt.5.* dicit honorabilem euocationem, quam adiectam eſſe Flauiano ſuo gaudet: *& ep.6.* gaudet ſe impetraſſe euectiones. Caſſiod. *lib.3. ep.28. magnitudinem tuā, &c. ad comitatum noſtrum iuſſis præſentibus euocamus.* Eius formulam idem habet *lib.5. ep.28.* & *lib.7. form. 35.* refert illam quæ petenti concedi ſolita erat. *lib 10.ep.13. & 14.* reddit cauſam, quare aliquos è Senatu ad ſe euocet Theodoricus, neq; ſanè licebat aliàs ad comitatum Principis ſine eius venia accedere, quod tamen ſilentiariis, & decurionibus permittebatur *l.3. C.Theod de decurionib. & ſilent. Permiſſa veniendi ad comitatum licentia, præter euocatoriæ ſecuritatem.*

Erant denique tractoriæ, de quibus habemus titulum *in C.Iuſtinianeo*, earumque meminit *l.pen.C. de curſu publico*, & *l.8 C Theod.eod.l.2. C.de deſertoribus, l.2. Cod. Theod. de domeſtic. & protect.* & *lib.1.legum Longobard. tit.1. c 37. & tit.6.* atque in quadam Conſtantini conſtitutione in cauſa Cæciliani. *Aliquos*, inquit, *ex iis qui contra Cæcilianum diſſentiunt data euectione publica per Affricam & Mauritaniam inde ad Hiſpanias breui tractu facias migrare, & inde nihilominus ſingulis Epiſcopis ſingulas tractorias tribuas.*

Erant porrò tractoriæ euectiones, & diplomata, quæ dabantur miſſis vel euocatis a Principe curſu publico venientibus, adſcriptis etiam ſtatiuis, ſiue diuerſoriis, ac manſionibus in quibus alebantur ſumptu publico; atque in eo tractoriæ ab euectionibus differebant, quòd iſtæ publicorum tantum equorum copiam iubebant: at verò tractoriis etiam commeatus in itinere præſtandus definiebatur; perſeuerauitque diutiùs harum tractoriarum vſus, quem à Romanis deinde Franci acceperunt. Nam capitul. Caroli Magni *lib 4.cap.69. Si quis litteras noſtras deſpexerit, id eſt tractoriā, quæ propter miſſos recipiendos dirigitur.* Apud Longobardos quoque viguiſſe, ex eorū legibus nuper oſtendimus. Marculfus Monachus, qui circa Clodouei Dagoberti filij tempora florebat, vti ſapienter conicit Bignonius, præfatione in eiuſdem Marculfi formulas Landerico Epiſcopo Pariſienſi dicatas, tractoriæ formulam habet *lib.1 c.11.* quā exſcripſit & emendauit Cuiac. *in tit.C.de tractoriis.* In ea igitur explicatur commeatus qui ſuppeditandus erat, & ſingulæ ſpecies etiam diſtinctè explicantur, vt numerus panum, modij vini, & ceruiſiæ, pondus laridi, carnis, & alia huiuſmodi ſingillatim recenſita. Obſerua autem, vbi habetur *Aucas*, Cuiacium emendaſſe *Anſeres.* Verùm retinenda eſt lectio vulgaris, quam & manuſcripta habent, eſtque vetus vocabulum, hodie etiam Aquitanis cognitum, quod anſeres ſignificat, & ab antiquis vſurpatum, leg. Alemani *tit.98. l.8. Si auca fuerit inuolata. 19. Si accipiter aucam mordet.* E. *lib 2.traditionum Fuldenſ. Oues XL. Auca XVIII. Pululli II. Capones II.* In eadem formula Marculfi numerantur faculæ ſuppeditandæ, quod non de facibus, ſed de legnis ad excitandum focum explicat Bignon. Hic porrò commeatus variè definiebatur in tractoriis pro conditione, & dignitate perſonarum, quibus concedebantur, vnde *lib.4 capitul.capit.69. Accipiant ſecundum quod in ſua tractoria continetur.* Et *eod. lib. capit. capit.73. De diſpenſa miſſorum noſtrorum, qualiter vnicuique iuxta qualitatem ſuam dandum vel accipiendum ſit, videlicet Epiſcopo panes XL. friſcinga tres, de potu mody tres,* &c. Deinde quid Abbati, Comiti, & miniſterialis ſit dandum, & quid vaſſallo definit. Friſcingæ quarum & iam meminit *Canon. 13. Synod. Tricin.* & Epiſcopi Prouinciæ Rhement. *in ep. ad Ludouicum Reg.* Hincmar. *epiſt. ad Clerum, & plebem Tornacenſ.* erant porcelli qui nondum ad iuſtum incrementum peruenerant. Non poterant, qui tractorias acceperant, in ſtatiuis, ſiue manſionibus in quibus excipiebantur vltra triduum reſidere ſumptu publico: equorum tamen proſecutoribus licebat quinque diebus eſſe in ſtatiuis, quæ omnia habentur *l. vn.Cod.de tractoriis*; quinimmò commoratio ſeptem dierum permittebatur ferarum proſecutoribus *l. 1. Cod. de venatione ferarum.* Erant autem proſecutores, qui ea quæ tranſmittebantur publico nomine ac mandato proſequebantur, ſic proſequutores reorum *l. ſolem. D. de cuſtodia reorum* Proſecutores auri publici *Cod. de auri publici proſecut.* Proloquutores publicarum functionum *l.9. Cod. de curſ. publ.* qui non conſtituebantur ſine proſecutoria, ſiue præcepto Comitis Largitionum. Denique erant proſecutores frumentorum apud Caſſiod. *lib.4. ep.7.* qui de Sicilia ad Gallias fuerant deſtinati. Equorum igitur proſequutores, quibus licebat in ſtatiuis per quinque dies morari, & proſequtores ferarum, quibus idem per ſeptem dies permittebatur, erant illi qui equos, aut feras ad Principem tranſmiſſas proſequebantur, quique ea de cauſa tractoriam habebant. Cæterum exiſtimauit Bignonius *in notis ad Marculfum*, eius, & Caroli Magni temporibus non eò pertinuiſſe tractorias, vt curſus publici vſum concederent, qui nullus tunc erat, ſed vt equi, manſiones, ſumptus, & viatica, miſſis, a Principe directis, aut ab eo euocatis ſuppeditarentur à Prouincialibus, qui manſionaticorum, aut paratarum onere tenerentur. Verùm non fuerit ea ætate curſus publicus ea ratione, qua olim apud Romanos vſurpatus; eius tamen magna pars erat illa equorum & animalium ad iter conficiendum ſumptu publico exhibitio. Quare non apparet magnum hac in re diſcrimen. Aliud fortaſſis afferri faciliùs poſſet, quod licèt euectiones non modò ab Imperatore, ſed etiam à Præfecto prætorio & Magiſtro officiorum concederentur *l.9. Cod. de curſu publico* apud Francos tamen à nullo alio, quam à Rege darentur tractoriæ: quare & formula illius apud Marculfum nomine Regis inſcribitur, & Epiſcopi in Synodo Meldenſi *cap.71.* à Carolo Caluo Rege eam ſibi donari ſingularis beneficij loco petierunt, *vt authoritatem ſigillo Regio roboratam more tractoria Chriſtianiſſimus*

Princeps ſingulis donet Epiſcopis. Et ſi quæ aliæ tractoriæ ab aliis, quàm a Regibus datæ referuntur, illæ preces potiùs quam iuſſiones continent, vti oſtendit Bignon. in notis, vbi & obſeruat tractoriæ nomen aliquando latiùs extendi.

15 Atque iſtis de curſu publico, quo licuit compendio ad antiqui iuris cognitionem explicatis, reſtant onera & vectigalia, quæ prouincialibus propter curſum publicum imponebantur, eorum enim occaſione in hanc de curſu publico diſputationem digreſſi ſummus: quamuis igitur curſus publicus ſumptu publico, & fiſcali fieret, ad illum tamen plura exigebantur vectigalis cuiuſdam inſtar. Nam in primis non publicis impenſis, ſed prouincialium ſumptu, in quorum locis ſtabula conſtituta erant, apparabantur, illis tamen animalium ſtercus pro ſuo ſolatio habere concedebatur, *l.7.Cod.de curſu* publico. Secundò prohibetur quidem *l.19.C.eod.* & *l.64. C. Theod.* ne prouinciales cogantur conferre pabula, & pecuniam pro equis curſualibus, & prætereà etiam parauredos conſentaneè *legi.2. eod. tit.* Vnde colligitur non ſuppeditaſſe quidem prouinciales, equos curſuales, ſeu agminales, vnde ibi vocantur *animalia indebita*; contuliſſe tamen vel pecuniam, vel pabula; quandoquidem prohibet tantùm ea conſtitutio ne ſimul pecuniam, pabula & animalia præſtent, non autem ne nihil omninò impendant. Tertiò quibus propter tractoriam ſuppeditabantur manſiones, & viatica, ac cibi, id ferè ex onere prouincialium accipiebatur, dicebaturque ius illud, vt olim à Romanis *metatus & hoſpitium*, ita à noſtris Francis manſionaticum, de quo plura apud Bignon. in notis ad *cap.4.lib.1. Marculf.* Impenſis enim ſubditorum factas fuiſſe manſiones, & paratas, pluribus oſtẽdit; ſufficiat illud Caroli Magni *lib.4.cap. c.69. Vaſſi noſtri, qui & miniſteriales, qui miſſi ſunt, vbicumque venerint coniectam accipiant*, hoc eſt, contributionem, collectam, & ſymbolum. Turonenſ. *lib.6.c.45.* de Childeberti Regis filia, quæ in Hiſpaniam nuptura ducebatur. *Adparatus quoque magnus expenſa de diuerſis ciuitatibus in itinere congregatus eſt, in quo nihil de fiſco ſuo Rex dari præcepit, niſi omnia de pauperum coniectis.* Quare non benè Sigon. *lib.7. de Regno Italiæ*, paratas inter antiqua vectigalia Italiæ populis impoſitas à Francis interpretatur ſumptus, quos in vias, ponteſque fluminũ, quibus tranſiturus erat exercitus, aut Rex ipſe, facere tenebantur. Cùm enim perpetuo iure illo paratæ, & manſiones coniungantur, ius manſionatici, & paratarum erat ius exigendi tum manſiones, tum quæ ad permanendum in ipſis neceſſarium erat, quod vectigales ſuppeditare tenebantur.

16 Denique huc refero onus angariarum, & parangariarum, quæ in tranſuectione armorum, & ſpecierum exigebantur *l. vlt. Cod. de fabricenſ.* ibi enim iubetur tranſuectionem armorum fieri, præſtitis angariis de publico authoritate Præfecti prætorio, poſteaquam magiſtri officiorum litteris, numerum armorum, & locum ex quo tranſuectio facienda eſt perdidicerit. Angariæ iumentorum, vel planſtrorũ præſtationes ſunt, & aliquando nauium, nam & naues angariari dicuntur *l. pen. D. de priuil. vet.* & Gregorius *lib.8. ep.64. Nauem ab omni angaria exuere feſtines*: ipſæque operæ angariæ dicuntur, quod alias monuimus; quare Marculfus; *Nullas functiones, vel exactiones, neque caballorum partus, aut parauredos, aut carrorum angarias.* Vt verò paucis quid ſint angariæ aperiamus, & quæ illorum onera, obſerua ex Suida, Herodoto. *lib.8.* Heſychio, Briſſon. *lib.1. de Perſar. Principat. n.147.* Grotio in *capit. 5. Matthæi*, Druſio *libro 1. animaduerſ. capit.28.* Iohann. Loccenio *libro 1. de iure maritimo capit.5. num.2.* vocem hanc, quod initio monuimus, eſſe Perſicam; apud Perſas enim Regij nuntij ἄγγαροι dicebantur, & ἀστάνδαι, qui Græcis οἱ γραμματοφόροι ἐκ διαδοχῆς οἱ μὲν (?) τοὺς βασιλικοὺς γραμματοφόρους, inquit Heſichius: quare τὰ ἄγγαρα dixerunt σταθμοὺς, ſiue manſiones, & diuerſoria in quæ ἄγγαροι ſiue nuntij diuertunt peracto penſo, & litteras ſuas alteri tradunt, aut ipſi equos mutant; quod obſeruat Cælius *lib.10. cap.8.* & nos ipſi nuper aduertimus. Angaria verò eſt, vti interpretatur *lib.56. Baſilic.* tranſitus per publicam viam, quæ curſum habet, vt v.g. ex hoc loco Tyrum: parangaria tranſitus per tranſuerſum vt ex eo loco Eliopolim; quà igitur curſus publicus diſpoſitus eſt, angaria eſt; parangaria aliò verſum. Ἀγγαρήϊον δρόμημα eſt curſus perniciſſimus equitum, apud Herodot. *lib.8.* Hinc factum primò, vt omnes nuntij dicerentur ἄγγαροι. Et quia ſolebant Græci facibus accenſis è ſpecula hoſtium, aut claſſis, aliusve rei ſignum dare, Æſchil. *in Agamemnone*, dixit ἄγγαρον πῦρ, & alij ἀγγαρεύειν pro ἀγγαροφορεῖν, καὶ εἰς τὴν φορτηγίαν ἄγειν. Deinde ad quoſuis ſeruos & operarios tranſlata ea vox fuit, ita vt ἄγγαρος ſit ἐργάτης operarius, ſed maximè pertinet ad baiulos, ſiue ἀχθοφόρους; quare Suidas ἀγγαρείαν interpretatur ἀνάγκην ἀκούσιον καὶ ἐκ βίας γενομένην ὑπηρεσίαν, & alibi δημοσίαν καὶ ἀναγκαίαν δουλείαν, publicam & neceſſariam ſeruitutem. Ἀγγαρεύω eſt compello, adigo, maximè ad currendum, & ferendum quaſi ἐργάτας ἄγειν. *Matth.5. verſ.41.* ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν: ſi quis te angariauerit mille paſſis, id eſt coëgerit ad illud ſpatium, vade cum illo & alia duo. Et *cap.27. verſ.32.* de Simone Cyrenæo, quem angariauerunt, vt Chriſti crucem tolleret, τοῦτον ἠγγάρευσαν ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. Denique quos cogimus, vt nobis ſint itineris duces, licebit ἀγγάρους appellare. Vide plura apud Cælium *libro 1. capit.27.*

Hinc denique factum, vt in iure onerum vehendorum baiulandorumque ſiue planſtris, ſiue iumentis, ſiue manibus, ſiue etiam ipſis humeris, operarum neceſſitatem Prouincialibus impoſitam, angariam nominent Imperatores *in leg.11. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. leg.2. Cod. de Epiſcopis & Cleric.* & *leg.2. Cod. de quibus muneribus.* Eodemque modo loquitur Veget. *lib.1. capit. 3.* & *lib 2. cap. 19.* Fuit munus patrimoniorum, poſſeſſionibuſque ſiue patrimoniis indictum, vti tradit Arcad. *in l. vlt.§. patrimoniorum. D. de muneribus & honoribus.* Angariorum exhibitio habetur *l.11. D. de vacat. & excuſat.* præbitio *l.vlt. D. de munerib. & honorib.* præſtatio *leg.10. §. angar. D. de vacat. & excuſat.* Angariantur naues *leg.4. D. de veteran.* Tam dura verò erat aliquando angariarum iſtarum neceſſitas, vt nulli ab illis præſtandis excuſarentur, & ne illi quidem qui poſſeſſiones Eccleſiæ adminiſtrabant; vt cùm quid ad expeditionem fœliciſſimam Imperatoris, ſiue eius exercitum conuehendum erat, vt *leg. 11. Cod. de ſacroſ. Eccl.* Rationem reddit Caſſiod. *libro quinto epiſtol. 10. Prouidendum eſt ne, aut exercitus penuriâ inconſulta fatigetur, aut vaſtationem noſtra videantur prouincia ſuſtinere. Primus enim proſperitatis gradus eſt ſuis non eſſe damnoſum, vt*

pro

pro quorum compendio laboramus, eorum non videamur aſflixiſſe fortunas. Vide eundem *lib.5.ep.13.* & *lib.4. ep.36. in l.16. Cod. Theod. de curſu publico.* Licèt per Sardiniam curſus publicus, vt minimè neceſſarius remoueri iubeatur, addit tamen Iulian. Imperator. *Sanè angariarum curſum ſubmoueri non oportet, propter publicas ſpecies, quæ ad diuerſos portus deferuntur: proinde conſiderata rerum neceſſitate, pro locorum ſitu, atque itineris qualitate, tantum numerum angariarum collocari oportere decernas, quantum neceſſarium eſſe adhibita pleniſſima deliberationes ſuaſerunt.* Vide eod. *Cod. l.21.* in qua prohibetur pecunias petere ab angariarum præbitoribus. Denique in Marculfi formulis, & capitularib. Carol. Magni nihil frequentiùs exactione angariarum, aut ab eis exceptione, & immunitate.

17 Præter ſpecies & res hactenus enumeratas, quæ vectigalium iure exigebantur, & ſoluebantur, fuere & alia quædam, vt veſtes militares; quod conſtat ex *Codice de militari veſte*, vbi *l.2.* in Thracia in viginti quæque iugera, ſeu capita veſtes militares conferuntur, excepta Sythia, & Myſia, quæ in triginta confert, in cæteris quoque Diæceſibus in triginta. Æthiopes Regibus Ægypti ebenum, aurum, & ebur ſingulis annis pendebant tributi vice. Herod. *lib.3.* Diodor. *lib.2. c.1.* & fuſiùs Plinius *lib.12. cap.4.* Aliæ eiuſmodi res variis in locis tributi nomine exigebantur.

18 Sæpius tamen hæ ſpecies adærabantur, hoc eſt, ære, & pretio æſtimabantur, atque ita pro ipſis ſpeciebus dabatur æs, ſiue pecunia, earumque pretium, id tamen neque ſemper licitum fuit, neque vbique. Vnde Trebell. narrat Claudium prohibuiſſe ſpecies adærari. Græci dicunt ἀπαργυρίζειν. *l.1. C. de erogat. militar. annon.* prohibet ne milites pro annonis exigant pretia, ſi ſecus fecerint tam annonas amittant, quam pretia; puta ſi cum eſſet annus in fertilitate oblatas ſpecies repudiarent, quoad alius annus eſſet in ſumma caritate, ac tum pretia eius anni pro ſpeciebus exegerint. De eadem adæratione, quæ aliquando in annona militari permittitur, vide *l.15. Cod. eod.* Semel autem ſtatutam adærationem non licuit immutare *l.13. C. eod.* In oriente veſtium militarium adærationem, eius prouinciæ, excepta Oſraena, & Iſauria, præſtare debebant, quod aurum comparatitium dicebatur: ita *l.2. C. de militari veſte.* At verò *l.6.* adæratio veſtis militaris largitionibus ſacris inferebatur, ita vt quinque eius partes militibus erogarentur in nummis, ſexta in veſtibus à gynæciariis præſtaretur iunioribus, gregariiſque, quos eo loco Cuiac. tyrones interpretatur. Eadem habet *lex vlt. C. Theod. de militari veſte.* vbi quinque illas partes ait erogandas fortiſſimis militibus. Pro ſpecieb. annouariis pretia exigere vetat *l.18. C. Theod. de erogat. militar. annon.* Deinde *l.28. C. eod. ſpecies non aliter adærentur, niſi vt in foro rerum venalium diſtrahantur.* Denique *l.32.* circa eandem ſpecierum adærationem plurima conſtituuntur.

Sæpiſſimè tamen neque ſpecies, neque earum adæratio imponebatur; quod etiam hodie fit. Babylonij Perſarum Regi in ſingulos dies, ſingulas argenti artabas admetiebantur, ex Herod. *lib.1.* Aſpendij Dario talenta quinquaginta, ex Arrian. *lib.1. de reb. Alexand.* Iones verò, & alij populi quos enumerat Herod. *lib.3.* quadringenta auri talenta, alij quingena, alij ſexagena. Iuſtinus annua vectigalia Alexandri facit triginta millia talenta. Illi eidem Macedones penſitaſſe in dies ſingulos ſingula talenta ex effoſſo ære narrat Hirtius *de bello Affrico.* Leptus quoque in Africa ſingulis diebus ſingula talenta Carthaginenſibus præſtabat ex Plinio *lib.5. cap.4.*

Maſſa verò auri pendebatur, aut potiùs ſolidi quocumque titulo fiſcali debiti in maſſam redigebantur *l.12. & 13. Cod. Theod. de ſuſceptor.* Fuit ſerminum aureæ maſſæ. Incrementum quoque obryſæ memoratur *l.4. C. Theod. de auro coronar.* aliquando indicebatur certa pecunia, vt ſolidi, ſoles, drachmæ, & aliæ eiuſmodi monetarum ſpecies, quod certis exemplis conſignare nihil opus eſt, cum ea paſſim in ſcriptoribus obuia ſint.

Ex quibus omnibus colliges quid vectigalis nomine imponeretur, hodieque imponatur. Reſtat quantitas vectigalis impoſiti, quæ varia ſanè fuit, & modò diminuta, modò aucta fuit pro Reipublicæ neceſſitatibus, & non rarò pro Principum libidine, & auiditate. Ex plantariis & arboretis quinta fructuum pars exacta olim apud Appian. *lib.2. Ciuil.* & Liuium *lib.31.* Caligula quadrageſimam ſummæ de qua litigaretur, & ex diurnis gerulorum quæſtibus exegit, quod alias ex Sueton. *cap.40.* obſeruauimus. Lex Papia decimam ex legatis vxori relictis a viro, aut viro ab vxore, quoties illis liberi legitimi non erant, deduci voluit, *l.2. C. de infirmand. pœn. cælib.* De decimis frumenti, & agris decumanis res obuia eſt. Cn. Manlius Conſul legem tulit de viceſima eorum, qui manumitterentur. Liu. *lib.7.* Arrian. *lib.2. diſſert. Epict. cap.1.* Aurum viceſimarium dictum eſt, quòd ex ea viceſima reficeretur. De viceſima hæreditatum ab Auguſto inſtituta ad ærarium militare conſtituendum habet Plin. *lib.7. epiſt.14.* Dio *libro 55.* Paul. *libro quarto. ſentent. titul.6.* & alij apud Buleng. *lib.9. de Imp. Roman. cap.40.* Idem Auguſtus viceſimam quintam mancipiorum venalium indixit, vti monuimus initio ex Dione *lib.55.* quod vectigal Nero remiſit apud Tacit. *libro 13. annal.* vbi etiam ab eodem abolitum refert vectigal quadrageſimæ, quod portorium quoddam fuit, & reuocatum à poſteribus Imperatoribus queritur Symmac. *lib.5. epiſt.63.* qui & *epiſt.60.* meminit etiam quinquageſimæ, quod fuit etiam portorium pro feris, & mercibus, quæ importantur. Centeſimam rerum venalium impoſitam fuiſſe vrbi & Italiæ ab Auguſto poſt bella ciuilia teſtatur Tacitus *lib.1. annalium*, vbi deprecante populo Tiberium ex ea militare ærarium niti voluiſſe narrat. Deinde idē Tiberius poſt Seiani mortē, loco centeſimæ, ducenteſimam ſtatuit, ſed deinde centeſima reſtituta fuit, quam denique centeſimam Caligula aboleuit. Narrat. quoque Appian. *in Syriacis*, Syrios, & Cilices quotannis centeſimam cenſus ſui ſoluiſſe. Octaua fuit quoquè vectigal omnium mercium, quæ venirent, quod octauarū, aut octauarium vectigal dicitur *l.7. C. de locato:* ſicut rerum publicè venalium vectigal dicitur venalitium *l.4. C. de proximis ſacrorum ſcriniorum.* Siliquaticum vectigal mercibus omnibus impoſitum fuiſſe colliges ex Caſſiod. *lib.2. ep.30.* ideòque in nundinis, vt ibidem dicitur, exigebatur, & *lib.4. ep.19. Siliquatici quam rebus omnibus nundinandis prouida definiuit antiquitas, in frumentis, vino & oleo dari præſenti tempore non iubemus.* Eiuſdem ſiliquatici meminit *lib.2. Epiſt.4.* & *lib.3. Ep.25.* & *Ep.26.* vocat ordinationem ſiliquatici. Hoc vectigal Theodoſius & Valentinianus ſeparādo ærario inſtituerunt, vt nundinis quibuſque ex qualibet mercium negotiatione, fiſco in ſingulos ſolidos dimidiam ſiliquam venditor, & alteram dimidiam

emptor inferret, quod ex ipſorum Nouella conſtat. Siliquæ exactorem, ſiliquarium Caſſiodor. appellat, quem etiam de ſiliqua & canonicis ſolidis adeas *lib. 2. Ep. 24. & 25.* Fuit & aliud ſiliquaticum, quod in ſingulas rogationes debetur *l. 1. C. Theod. de agentibus in rebus.* Leo Iconomachos ad reficiendos muros vnum milliareſium exegit, ideóque dantur bini foles. Cedren. *in illo.* Paul. Monach. *lib. 16. 21.* interpretatur duas ſiliquas. Manaſſes id inſtitutum, aut innouatum à Nicæphoro exiſtimat. Apuliæ, & Calabriæ negotiatores ſextarium pendere cogebantur, quo vectigali ipſos exoluit Theodoricus, & Præfectis Regiæ ſedis, qui illud exegerint, mulctam triginta librarum auri infligit apud Caſſiod. *lib. 2. Ep. 26.* Tertiarum quoque vectigal quo tertia pars fructuum agri pendebatur, ſubmouit idem Theodoricus. Caſſiod. *lib. 1. Ep. 14.* & *lib. 2. Ep. 16.* Binorum quoque, & & ternorum ſæpius meminit Caſſiod: Erat bina, & terna penſio quæ ſingulis annis præſtarentur. Vide Buleng. *lib. 9. de Imp. Roman. cap. 62.* Athenis *μετοίκιον* fuit vectigal decem, aut duodecim drachmarum, quod inquilini ſinguli inferebant ærario, & publicano tres obolos. Ita Heſych. Pollux *lib. 3. cap. 4.* nempe ſimile illi, quod habitationem apud Romanos nominari dicebamus nuper. Ex quibus omnibus, & aliis videas non vnam fuiſſe tributi menſuram, ſed omninò variam atquè ſæpius mutatam.

ARTICVLVS X.

Qualis & quanta ſit obligatio ſoluendi vectigalia.

Iuſta vectigalia non fraudantur ſine culpa. 1.
Etiam non petita debentur. 2. 3.
Niſi aliud ferat lex, aut conſuetudo. 4. 5.
Qualis ſit ea culpa. 6.
Iniuſtitia tributi an & quomodo excuſet. 7.
Impotentia ſubditi excuſat. 8.

HActenus de variis vectigalium generibus, & illorum cauſis omnibus diſputauimus, & quid antiqui mores ea in parte tolerint, explicauimus: qualia enim ſint hodierna vectigalia, quæque gentes ſatis norunt, & maximè illi qui ipſa vel exigere, vel pendere tenentur. Quare ad poſteriorem totius huiuſce diſputationis partem, eamque magis neceſſariam, de ipſorum penſitatione, & exactione delabimur; prior enim illa potiùs enucleando antiquo iuri, quàm explicandis interni fori quæſtionibus, quod tamen iſto tractatu profitemur, vtilis erit. Non fuit tamen omittenda, ne lectorem iucunda & erudita notitia fraudaremus, & manca, aut hiulca cenſeretur à viris doctis iſta tractatio. Venio igitur ad exactionem, & præſtationem tributi, ordiorque ab obligatione illud ſoluendi, qualis nimirum, & quanta ea ſit, quam vtramque quæſtionem paucis explico.

1 Aio igitur in primis gabellas, & omnia alia vectigalia iuſta, retineri & fraudari abſque culpa non poſſe, ſed omninò ſub obligatione peccati ſoluenda eſſe, etiam non petita, niſi vel lex aliud ferat, vel vſus & recepta conſuetudo ita legem interpretetur, vt exactionem tributi ab obligatione ſolutionis ipſius poſtulet.

Hac aſſertione compono diſſidia Doctorum circa obligationem ſoluendi tributa, quoad conſcientiæ forum. Et quidem abſolutè pronuntio eiuſmodi obligationem eſſe ſub culpa, quod communis quoque DD. ſenſus affirmat. Couuar. *in regul. peccatum, 2. part. relect. §. 5. num. 5.* Panorm. *in cap. innouamus, de cenſibus*, ibique paſſim DD. qui & de communi opinione teſtantur. Bertachin. *tract. de gabellis part. 9. init.* Sylueſter *verb. gabella 3. quæſt. 8.* Alfonſ. à Caſtro *lib. 1. de poteſtate legis pœnal. cap. 11.* Soto *lib. 3. de iuſtit. quæſt. 6. art. 7.* Salas *de legibus diſp. 15. ſect. 16. numer. 116.* Sanch. *in Decalog. lib. 6. cap. 4. numer. 62.* & *lib. 2. conſilior. cap. 4. dub. 1. numer. 2.* Suar. *lib. 5. de legibus, cap. 18.* Vaſquez *de reſtitut. cap. 6. §. 3. dub. 2.* Molin. *tract. 2. diſp. 674. concluſ. 1.* Layman. *lib. 3. tract. 3. cap. 3. numer. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 33. dub. 56.* Lugo *de iuſt. diſp. 36. numer. 39.* Turrian. *de iuſt. diſp. 46. dub. 1.* Fragoſa *de regim. 1. part. lib. 3. diſp. 8. numer. 21. 22.* Valerius Reginald. *lib. 10. praxis fori pœnitent. cap. 25. numer. 378.* Arriaga *tract. de legib. diſp. 22. numer. 2.* & deinceps. Cæteros nihil attinet ſingillatim recenſere, benè multos dabit qui eos ſequitur Gutierr. *quæſt. 3. de gabellis*, & Diana *1. part. tract. 10. reſolut. 19.* Placuit paucos illos ferè ex noſtra ſocietate nominare, vt quorumdam ineptis calumniis occurrerem. Non defuere tamen aliqui iique non ignobiles DD. qui contrariam ſententiam ſequerentur, docerentque leges tributa, & vectigalia imponentes, cùm ferè pœnales ſint, non obligare ad culpam, ſed ad pœnam duntaxat, ſi quis legem violare deprehendatur ſubeundam. Ita cenſent Angel. *verb. pedagium, & verb. inobedientia.* Tabiena *eod. verb. numer. 8.* Baia *1. p. caſuum, caſu 13.* fuſiſſimè Duard. *in Bullam Cœna lib. 2. Can. 15. quæſt. 12. numer. 9.* Nauarrus *cap. 17. numer. 201.* quærendum eſſe vult, num Princeps habuerit *intentionem imponendi obligationem ad pœnam æternam, præter obligationem ad pœnam temporalem*: & *numer. 203. ſub fin.* hæc habet. *Regulariter fraudans legem temporali pœna munitam, non incidit in ſpiritualem æternam*: & fuſiùs id ipſum contendit *cap. 23. à numer. 55. & ſequent.* vbi *numer. 60.* exemplum affert in noſtro caſu de ſolutione gabellarum; quam eandem quæſtionem circa tributa fuſiùs explicandam ſuſceperat *in cap. fraternitas 12. quæſt. 2.* ſed non abſoluit. Quare tanti viri nouiſſimam ſententiam in quæſtione ſæpius retractatam deſideramus hactenus. Henriq. *lib. 7. c. 36. §. 5.* ait dubius tributum tranſuectionis mercium deberi ſi petatur, quare videtur exiſtimare non deberi niſi petatur, & *in commentario ibidem littera D.* allegat Socinatem *regul. 208. verb. gabella.* Afferuntur & pauci quidam alij, atque etiam ex illis ipſis, qui noſtram, communemque ſententiam amplectuntur, iſtam tamen non exiſtimant improbabilem, vt Bonacina, *de contractibus diſp. 2. q. 9. p. 1. num 3.* & Leſſius *loco citato.* Sa *verb. gabella, num. 6.* ait doctos viros aſſerere non eſſe mortale gabellam abſque vi, & fraude non ſoluere, aut etiam non reſtituere; ipſe verò non audet in totum id affirmare, in dubio tamen eos qui prædicto modo non ſoluerunt, minimè ad reſtitutionē obligaret, quamuis denique cōmuni ſententiæ ſtandum eſſe pronuntiet. Deinde *n. 7.* addit cùm nimis durum eſt tributum, ſufficere

ſi

ſi ſoluatur, dum petitur. Non multum etiam abeſt ab hac ſententia Toletus *lib. 5. cap. 75. ſub fin.* qui tamen omnes reiiciuntur, facileque demonſtratur noſtra communiſque ſententia: Nam & Paul. *cap. 13. ad Roman.* præcipit ſolui tributum Regi, tanquam ipſi debitum, & Chriſtus ipſe *Matth. 22.* Cæſari tributum pendendum eſſe dixit, probatque ex numiſmate cenſus, eius imagine inuſto, & denique Petrum ſoluere didrachma voluit. Vnde colligitur euidens demonſtratio; quod enim verè & propriè debitum eſt, atque ex quodam veluti contractu, ſoluendum eſt, & abſque conſcientiæ religione retineri nequit. Atqui gabella, & tributum iuſtum reuera debitum eſt, alioqui neque imponi, neque exigi poſſet: nemo enim quod ſibi indebitum eſt, ab inuito exigere poteſt, neque propter eius negationem, infligere iure pœnam neganti. Atqui Princeps mulctat negantes, atque fraudantes tributa: ergo ſibi debita eſſe, eorumque negationem aut defraudationem iure plectendam eſſe ſupponit, quod fatentur ipſi aduerſarij, qui præterea addunt non modò pœnam eſſe ſubeundam fraudantibus gabellas, & vectigalia, ſed etiam illos peccare, etiam ſecluſis mendaciis, periuriis, & aliis eiuſmodi, ſed ſimplici occultatione: vt dum a via recta deflectunt, aliiſque rationibus quæ in ſe ſpectatæ nullum peccatum continent. Atqui ſi tributa non ſunt debita, licebit impedire ne à me petantur, aut extorqueantur. Immò ſi ea de cauſa malis artibus vtar, peccabo quidem vtendo eiuſmodi fraudibus ex ſeſe malis, non tamen occultatione præcisè, neque obligabor ad reſtitutionem; quia malis illis artibus non contra iuſtitiam, ſed contra quampiam aliam virtutem peccaui, eluſi enim duntaxat eum, qui petiturus à me erat rem ſibi non debitam. Cur enim mihi non licuit curioſos eius oculos, & rapaces manus effugere, quamuis malis artibus, & modis mihi vti nefas fuerit. Fatendum igitur eſt tributa, & vectigalia deberi Principi, vel antecedenter ad legem ea imponentem, quæ eorum duntaxat modum, & materiam determinat, ante quam determinationem nihil debeam, niſi indefinitè & in vniuerſum, quatenus omnia, & ſingula Reipublicæ membra ad eius bonum commune conſpirare, & quatenus opus fuerit, quidpiam etiam de ſuo conferre tenentur. Per determinationem autem factam à Republica, eius quod ſinguli conferre debeant, completur illa ſingulorum obligatio, & ab illis, quod a ſingulis conferendum eſt, iure exigitur: quæ exactio ſupponit priùs eſſe in eo a quo exigitur, obligationem conferendi quod exigitur, & in illo, qui exigit ſupponit quoque ius exigendi, illudque omninò, & neceſſariò reſpondet obligationi conferendi. Dici quoque poteſt debitum eiuſmodi pendendi tributa non modò compleri, & in actu proximo formaliter conſtitui per legem illa imponentem, ſed etiam primò & per ſe poni; quia ante eiuſmodi legem, Princeps habet duntaxat ius exigendi, quod ad Reipublicæ adminiſtrationem, ſuamque ſuſtentationem, & oneris ſibi à Republica ipſa impoſiti exequutionē, pro variis rerum, & occaſionum euentibus, adhibito maturo conſilio, neceſſarium eſſe iudicabit, ſeruatis aliis conditionibus, quæ in ſingulis Rebuſpublicis ſeruari ſolent, & diuerſæ ſunt, pro diuerſitate regiminis, quo reguntur, & ferè ſtatæ, ac ſolemnes ita ſunt, vt ſine illis leges latæ, & indictiones iſtæ nullius roboris, ac momenti eſſe cenſeantur, ac proinde ab initio conditæ talis Reipubicæ, præſcriptæ iure merito cenſeantur. Vbi igitur hæ leges indictionum ita latæ ſunt, conſtituunt ſubditos obligatos ad exequendum quod imperatur, & conferendum quod indicitur ſingulis. Quod debitum, quia fundatum eſt in iure orto ex quodam quaſi contractu inter Rempublicam & Principem, in quem ſui adminiſtrationem, & curam coniecit, eſt reuera, vt iterum monebimus inferiùs, iuſtitiæ debitum: obligauit enim ſe Princeps ad impendendam omnem curam in regenda, & adminiſtranda Republica, illa viciſſim in compenſationem tot laborum, atque curarum, & ad exequutionem tanti muneris contulit illi ius exigendi quidquid tum ad ſuſtentandam ſupremam dignitatem ſibi collatam, tum ad tuendam Rempublicam, eamque benè & fœliciter regendam neceſſarium fuerit: quo iure continentur ea omnia, quæ in libris feudorum, & paſſim hodie nominantur Regalia. Atque huius quodammodo contractus, & iuris in Principem vi illius collati maximum habemus argumentum, quod ſemper, & vbique, ab omnibus omninò gentibus, ab initio conditarum ciuitatum, & Rerumpublicarum vſurpatum fuerit, ſiue ſuprema poteſtas in vno aliquo, aut in præcipuis, & optimatibus, aut in tota Republica extiterit, atque adeò cum ipſo Principatu natum fuerit, vti oſtendebamus *art. 1.* quibus tandem colligitur quod initio demonſtrandum ſuſceperamus, tributa vbi iuſtè indicta ſunt, propriè & verè deberi, ac proinde in conſcientia deberi, neque abſque peccati religione negari poſſe, vti contingit in cæteris veris & propriis debitis, quæ exoluere in conſcientiæ quoque foro tenemur.

Quare falſum eſt, quod aduerſarij dicunt, leges vectigalium verè pœnales eſſe, quæ proinde ad ſolam pœnam ſubeundam obligent. Sunt enim morales, licèt habeant aliquando adiunctam pœnam, aliàs non habeant. Neque enim adiicitur pœna legi, vt tollat obligationem, quam induceret, ſi ſine adiectione pœnæ ferretur, alioquin leges omnes, quæ prohiberent quidpiam, diuina, aut naturali, aut etiam alia poſitiua lege nondū prohibitum, & ſecus facienti pœnam infligerent, non obligarent conſcientiam, & ſine peccato violarentur; quod nemo ſapiens dixerit, quandoquidem Principes adiecta pœna intendunt potiùs augere legis efficaciam & obligationem, quàm minuere. Quando enim aliud volunt Principes, leges habēt ſenſum conditionatum, & diſiunctiuum, vt quis quidpiam faciat, aut non faciat, vel pœnam talem ſubeat: tuncque obligatio, quæ omni legi eſſentialis eſt, diſiunctiua quoque eſt, & ſubditus tenetur vel ad facienda imperata, vel ad ferendam pœnam inflictam, vbi ad illam per ſententiam condemnabitur: & vtraque illa obligatio ſub diſiunctione, eſt in conſcientia, & eiuſmodi dicuntur eſſe leges quædam, quas purè pœnales nominant. Aliæ verò, quæ ſunt morales, feruntutque verbis præceptiuis, quamuis ſimul habeant adiectam pœnam, obligant ſimul & ad culpam ſi violentur, & ad certam pœnam pro ea culpa commiſſa ſubeundam poſt Iudicis ſententiam condemnatoriam, vel certè declaratoriā criminis, ideóque mixtæ appellantur: quæ omnia fuſiùs à nobis explicata ſunt in ſcientia Canonica, in quæſtione de lege pœnali. An verò leges tributorum, quæ & verbis præceptiuis feruntur, & debitum iuſtitiæ implendæ reſpiciunt, licèt aliquando, immò & ſæpius

ſæpius pœnam adiectam habeant, leges mixtæ, & non purè pœnales ſunt: neque ſub disiunctione tantùm obligant ad pœnam, vel ad culpam, ſed ad vtrumque. Et ſanè cùm tota iſta materia tributorum ſoluendorum ſit grauiſſima, & reipublicæ maxime neceſſaria, ad eius defenſionem, atque conſeruationem, quis credat Principes tuliſſe leges ferè inanes, & ſaltem parùm efficaces, ſi nullam conſcientiis ſubditorum obligationem iniicerent, & ſolam pœnam intentarent, quam non eſſet difficile ſæpiſſimè euadere. Voluere igitur maiori quàm pœnæ metus vinculo ligare ſubditorum conſcientias, nempe peccati religione.

3 Aiebam ſecundò in aſſertione deberi vectigalia, etiam non petita. Quæ aſſertio ſequitur ex ſuperiori tributa iuſta, de iis enim duntaxat loquimur, probante deberi in conſcientia. Inde enim euidentiſſimè ſequitur debitum illud ſoluendum, licèt non petatur, vti contingit in omnibus aliis debitis abſolutis iuſtitiæ. Vnde enim habent aduerſarij debitum iſtud eſſe conditionatum? Non ſanè ex natura ſua: ſiquidem iuſtitiæ debitum ex natura ſua abſolutum, & reddendum eſt, non conditionatum; nempe ſi petatur, reddendum eſt: neque etiam id neceſſariò colligunt ex lege tributum indicente; quia quamuis ea non dicat expreſsè ſoluendum eſſe, quamuis non petitum, non concedit etiam expreſsè hanc moram. Quare igitur nos illam concedemus, & legem eiuſque obligationem faciemus conditionatam, præſertim cùm Principes velint omninò tributum ſibi ſolui, ideóque obligent quantum poſſunt efficaciter. Neque video cur inter noua & antiqua tributa nonnulli diſtinguant in hac parte; nam licèt faciliùs præſumatur iniuſtitia in tributis nuper impoſitis, quàm in veteribus, vbi tamen ea iuſta eſſe conſtat æqualis omninò erit obligatio ea ſoldi, quare eam diſtinctionem paſſim reiiciunt Couarr. Suar. Molina, Vaſq. Tolet. Leſſ. aliique nuper laudati.

4 Aiebam tertiò non deberi tributa priuſquam petantur, quoties vel lex illa imponens id ſignificat, vel conſuetudo ſic eam legem interpretatur. Atque ita duas exceptiones regulæ vniuerſali à nobis ex communiori DD. ſenſu poſitæ aſſigno. Et quidem quod attinet ad primam petuam ex lege indicente tributa, nulla poteſt eſſe difficultas, quando ea ita fertur, vt vel ad pœnam tantùm obliget, vel non niſi vbi petantur. Potuit enim Legiſlator, qui tributum imponit, illud eo modo indicere, & vel ad culpam, vel ad ſolam pœnam obligare. Sicut enim poteſt tributum indicere, ita quoque poteſt eius ſoluendi modum præſcribere, & obligationis rationem, atque menſuram definire. Tota itaque difficultas eſt in aſſignandis regulis, ex quibus dignoſcamus, an lex de abſoluta obligatione ad culpam ſimul & pœnam adiectam, an de ſola obligatione ad pœnam ſit intelligenda. Et quidem conueniunt omnes animum Legiſlatoris, tum ex variis circumſtantiis, ac cauſis, modóque ferendi legem, tum ex ipſius legis verbis, quibus lata eſt, colligi oportere. Prima illa coniectura difficilior eſt. Cum enim ex illis omnibus conſtare ſolùm poſſit Principem velle ſibi ſolui tributum quod imponit, & ad id faciendum ſubditos obligare; inde colligi ſatis efficaciter nequit, illum voluiſſe aut legis ſuæ obligationem minuere, aut non niſi leniorem obligationem, quæ facilè à ſubditis eludi valeat, imponere. Sic enim non obtineret, quod ſua lege intendit, nempe tributorum, quibus indiget ſolutionem. Itaque ad verba quibus fertur lex recurrendum eſt, eorumque ſignificatio, eaque propria, & non translata, aut amplior per quandã extenſionem exponenda, quandoquidem in odioſis neque improprianda ſunt verba, neq; vltra communẽ vſum extendenda. Odioſæ verò ſunt leges, quæ vel noua onera ferunt, vel admodum importuna, cuiuſmodi ſunt nouæ leges tributorum, maxime quando frequentes, & inſolitæ ſunt. Quare vbi eiuſmodi leges abſolutè verbis præceptiuis vtuntur. v.g. *mandamus*, *præcipimus*, aliiſque æquiualentibus claris, & perſpicuis, licet ſimul pœnam non ſoluenti tributum adiiciant, & ad pœnam, & ad culpam ſimul obligant, vti omnes aliæ leges morales, quæ certam pœnam culpæ, quam prohibent, infligi mandant: neque etenim poteſt inter eiuſmodi leges vllum afferri diſcrimen, neque quoad modum, neque quoad materiam. Quare vti nuper argumentabamur, nihil planè fingere licet propter quod obligationem vnius legis minorem, aut diuerſæ rationis ab obligatione aliarum legum faciamus. Quoties verò lex tributorum fertur verbis minime præceptiuis; v. g. qui hoc tributum, aut gabellam non ſoluerit, aut exactores euaſerit, ſoluet in duplum, aut eius merces incident in commiſſum, aut quamlibet aliam ſimilem pœnam feret, exiſtimarim cum Arriaga *diſp.* 22. *de legibus*, *ſect.* 1. *num.* 3. eiuſmodi legem eſſe purè pœnalem, & ad ſolam pœnam obligare non ſoluentem tributum, contraquàm velit Suar. qui exiſtimat eiuſmodi legem ſupponere, aut implicare aliam legem tributum directè, & abſolutè imponentem, hanc verò pœnam infligere; quo caſu prior illa lex abſoluta violabitur, & non ſoluetur tributum. Verùm ſapienter obiicit Arriaga hinc ſequi nullas vnquam dari leges purè pœnales, quas tamen admittit ipſe Suar. quia dicam eam omnem legem præſupponere, aut inuoluere priorem legem abſolutam, quæ directè quidpiam imperet, aut prohibeat, & ad culpam obliget, quam hæc poſterior lex puniat. Deinde cùm ille ſonus verborum ex ſeſe, & neceſſariò non afferat obligationem in conſcientia, ſed ad ſolam pœnam, cur potius in tributis colligemus obligationem in conſcientia, quàm in omnibus aliis materiis, & cur volumus hoc caſu legem verbis illis non præceptiuis conceptam, neceſſariò legem aliam præceptiuam & in conſcientia obligantem præſupponere, vel implicare, quàm in omnibus aliis caſibus, in quibus eodem verborum tenore feruntur leges. Deinde negare non poſſunt aduerſarij ad minimùm dubium eſſe, quænam obligatio eiuſmodi verborum formâ deſignetur: in dubiis autem, & ſimul odioſis benignior interpretatio, vti iam monui, probanda eſt; maximè cùm alioquin grauis admodum ſæpiſſimè lex futura ſit. Quæ profectò fuit ratio propter quam Nauarrus, & alij quidam viri eruditi nuper laudati dixerunt tributorum leges eſſe pœnales, quia ferè omnes concipiuntur verbis non abſolutè præceptiuis. Quare prudentis fuerit verba legis expendere vbi agetur de reſtitutione facienda propter non ſoluta vectigalia.

Venio ad conſuetudinem quam dixi aliquando ita interpretari legem, vt non obliget ad pendenda vectigalia, niſi petantur, & non niſi ad pœnam, vbi deprehendentur eluſiſſe petitionem, exactorúmque vigilantiam. Hanc quidẽ conſuetudiẽ

impoſſi

impoſſibilem eſſe contendit Vaſq. *de reſtitution. cap.6. num.25.* quia conſuetudo nulla eſt, niſi ſciente, & diſſimulante Principe, atque adeò conſentiente; quandoquidem non coërcet legis ſuæ violationem, quam bene nouit, & coercere poſſet ſi luberet. Atqui ſi merces occultentur, & ideò non ſoluatur tributum, non poteſt ſcientia Principis præſumi, & multò minus eius conſenſus, cùm nequidem diſſimulet: grauiter enim fert eam non ſolutionem, aut occultationem mercis, aut rei vectigalis, illamque vbi deprehenditur, punit. Deinde cùm tributum ſoluatur Principi in quoddam veluti ſtipendium, & in ſumptus regendæ Reipublicæ, procurandoque bono communi neceſſarios, nulla profectò conſuetudine induci poteſt, vt aut regi ſtipendium debitum non ſoluatur, aut ſumptus neceſſarij adminiſtrandæ Reipublicæ, tuendæ, & conſeruandæ ſubtrahantur. Hæ tamen rationes minùs demonſtrant quod intendebat Vaſq. vti oſtendit Delugo citata *diſp.36. num.41.* Atque, vt ab hac poſtrema ratione ordiar, occurri poterit neceſſitatibus omnibus propter quas indicuntur tributa, licèt ea non ſoluantur, niſi petita, & non ſoluentes ad ſolam pœnam obligentur, atque ita plurimi eludant ſtationarios, alioſque exactores, quia tam multa, tamque grauia exiſtunt vbique ferè vectigalia, vt licet aliqua ipſorum pars pereat, aut ſubtrahatur non ſoluentium fraudibus, reliqua tamen quæ ſemper maior eſt, ſufficiat. Ideóque fortaſſis plura tributa imponunt Principes, vt pereunte aliqua ipſorum parte variis fraudibus, quæ vix vitari poſſunt, colligant tamen quod neceſſarium eſſe iudicant ad Reipublicæ adminiſtrationem, quæ tandem omnia fatetur Vaſq. *n.26.* Quare fatemur quidem non poſſe induci conſuetudine, vt debitum ſtipendium Principi, & neceſſarij ſumptus Reipublicæ negentur. Dicimus tamen hæc omnia Principem obtinere, quamuis conſuetudo ferat, vt tributa non ſoluantur, niſi petita; quia quamuis ex ea conſuetudine ſequatur aliqua vectigalium diminutio; quæ tamen reipſa ſoluuntur, æqualia ſunt cauſæ propter quam fuere impoſita. Quod verò ad ſcientiam, & patientiam quæ ad inducendam conſuetudinem legi derogantem, illamue interpretantem neceſſaria eſt, ea habetur in noſtro caſu, ſciunt enim Principes eiuſmodi committi fraudes, ideóque multiplicant vectigalia, vti dicebam, ſciunt quoque ipſi conductores, qui & ea de cauſa minori pretio illa redimunt à Rege, illiſque fraudum periculis vltro ſe exponunt. Tum quia exiſtimant ſua ſe, ſuorumque ſtationariorum, & excubitorum diligentia vitaturos omnes fraudes. Tum quia ſperant vnius in crimine deprehenſi pœna, & rerum vectigalium confiſcatione, plurimorum aliorum defraudantium iacturam facilè compenſaturos. Vnde etiam ſæpiſſimè fit, vt vix ob eiuſmodi pericula Princeps minori pretio ſua vectigalia vendat redemptoribus, nihilque proinde illa conſuetudine non ſoluendi vectigalia niſi petita, deperdat, ideóque eam facilè patiatur contentus pœna, quam fraudantibus inflixit. Et quamuis neſciat quinam fraudaturi ſint, aut fraudauerint, niſi vbi in flagitio deprehenſi ſunt; ſcit tamen eiuſmodi fraudes, & occultationes à ſolertioribus paſſim committi. Nihil igitur eſt cur negemus conſuetudinem poſſe in legibus tributorum, id ipſum quod in omnibus aliis legibus poſitiuis poteſt, ipſas nimirum interpretari, earumque obligationi derogare, vel illam minuendo, vel penitus antiquando, aut etiam contrarium omninò aliquid ſtatuendo, & imperando, vti fuſiùs oſtendimus in noſtra ſcientia Canonica, diſputantes de iure conſuetudinario; quod de conſuetudine non ſoluendi tributum antequam petatur, concedunt expreſsè cæteri DD. cum Couarru. *in regul peccatum 2. part. §.5. ſub fin.* Quare difficultas omnis in eo verſatur, an conſuetudo leges tributorum ſic interpretetur, vt non niſi petita ſoluantur, & vtrum ad ſolam pœnam obligent. Plurimi DD. Hiſpani ita ſentiunt, quoad alcaualam, aliaque vectigalia in iis regionibus impoſita: quinimmò contendunt nunquam alia conditione leges illas, & indictiones fuiſſe acceptatas à populo, de quarum etiam exceſſu, & grauiſſimo onere plurimùm conqueruntur: illorum aliquot dabit Sanch. *lib.2. conſilior. cap.4. dub. 10.* & Gutier. *quæſt.3. de gabellis*, qui illos pluribus reiicit. Noſtrum non eſt eam litem æſtimare; placet tamen quod tum Gutieres, tum alij quoque ſapienter hoc loco, atque alibi mouent, neque legum tributariarum, neque aliarum vim, & efficaciam ad obligandum pendere à populi acceptatione, ſi alioquin iuſtæ ſint, & ferantur ab eo qui poteſtatem habeat illas ferendi independenter à populo: in quibuſdam enim locis Principum ſumma poteſtas certis quibuſdam terminis concluſa eſt; quod etiam iſto tractatu monuimus. Sed noſtrum non eſt de ſingulorum Principum iuribus & poteſtate diſputare, neque etiam de ſingularum gentium conſuetudinibus. Habent illæ ſuos DD. qui ipſarum iura, & mores pertractent, quos conſulat, qui curioſiùs iſta perſcrutari voluerit. Nos in vniuerſum quærimus an conſuetudo paſſim ita explicet legum tributariarum obligationem, vt tributa non niſi petita ſoluantur, ita enim plurimi viri eruditi affirmant, in iiſque Nauarr. *cap.13. num.59.* vbi ait eſſe illum ſenſum non plebeiorum tantùm, & indoctorum, ſed Nobilium, & Doctorum, leges humanas pœnales obligare ad ſolam pœnam, eamque conſuetudinem obtinere. Et deinde *num.60.* affert exemplum in vectigalibus, & portoriis. In *cap.* verò 17. *num.103.* dixerat ſoluendam eſſe gabellam quando petitur, neque tunc occultari poſſe ſine obligatione ad reſtitutionem. Cenſet igitur conſuetudinem eſſe, vt petita vectigalia non occultentur, ſed ſoluantur, non petita autem poſſe retineri, quod & plerique alij ſentiunt etiam ex iis qui dicunt tributarias leges verè, & in conſcientia obligare tum ad culpam, tum ad pœnam: volunt enim illum à quo petitur iuſtum vectigal, teneri ſoluere, alioquin & culpam incurrere, & pœnam mereri. Nauarri verò teſtimonium magni faciendum eſſe hoc loco ſapienter mouet Arriaga *n.11.* quia cùm ille fuerit vir eximiæ ſanctitatis, & doctrinæ, & non timoratæ modò, ſed ſcrupuloſæ quoque conſcientiæ, non auſus fuiſſet tam conſtanter aſſerere talem eſſe hanc conſuetudinem, niſi à magnis, & viris doctis didiciſſet. Quo eodem ratiocinio nos vtimur, cùm legamus paſſim omnes de ea conſuetudine ſubducendi res ſuas, atque merces exactoribus, & non ſoluendi niſi cogantur, teſtari, eamque eſſe praxim, atque vſum omnium paſſim, licèt eruditorum, atque piorum, idque præſertim affirmat Arriaga de ſarcinulis, & reculis quas viatores deferunt, quæ merces neutiquam ſunt, neque commercij cauſâ aſportantur. Solent tamen a ſtationariis excuti, & pro illis vectigal exigi, quod cùm in longiori itinere ſæpius contingit, duplo, aut quadruplo plus gabellariis penditur, quam ſarcinæ omnes valeant, quod ſibi accidiſſe

Digitized by Google

cidiſſe ex Hiſpania Rumam proficiſcenti narrat: ſex enim telonia, quotum ſingula decimam, vel vigeſimam partem omnium ſuarum tecularum abſorbebant, intra vnam Hiſpaniam perſoluit. Teſtantur & cæteri de communiori ſenſu ſubducendi ſuas ſarcinas eiuſmodi excubitoribus; alij idem de mercibus affirmant. Denique vix iſta ſubdi religioni, & à Confeſſariis vix aut damnari, aut etiam ad reſtitutionem obligari eos qui non petita vectigalia non ſoluerint. Neque ſanè ſolent quærere gabellarios vt vectigalia ſoluant, niſi timerent ne deprehendantur, & tanquam mala fide ſeſe ſubdùxerint, eorum merces committantur, quando enim ſe exiſtimant hoc metu, & periculo liberos, qualibet diligentia ſubducunt ſeſe, eaque eſt omnium ptaxis. Atque hanc conſuetudinẽ rationabilem eſſe, ex eaque explicãdas eſſe leges tributarias inde facilè erit demonſtrare, quòd alioquin iniuſtæ erunt propter enormem exceſſum, & immenſum grauamen, quod continebunt, ſi omnia iſta vectigalia plenè, & integrè, atque adeò non petita ſolui debeant. Longè enim ſuperabunt neceſſitates propter quas imponuntur, & vexabunt intolerandis oneribus ſubditos; quandoquidem licèt paſſim non niſi petita ſoluantur, & omni qua poſſunt arte ſinguli ſe ea ſolutione liberent, eludantque ſtationariorum exactiſſimam ſollicitudinem; ſufficientiſſima tamen ſunt, & ferè intoleranda. Quare hanc multitudinem tributariarum indictionum vix commodiùs excuſare poſſumus, quàm ſi dicamus eas omnes non percipi, cùm ab excubitoribus, quamuis diligentiſſimis, colligi nequeant propter fraudes, & artes ſoluentium, vel ipſorum etiam inopiam: quare, vt quod ita deperditur, compenſetur, multiplicantur indictiones à Principe, vti iam monuimus. Neque dicas inde non excuſari retinentes tributa non petita, quia eximunt ſe obligationi naturali, quam habent contribuendi pro virili ad ſumptus publicos, aliis contribuentibus. Reſpondeo enim non ita imponi tributa, vt neceſſariò omnibus & ſingulis imponantur, alioquin nullus eximi poſſet, neque lege, neque priuilegio, aut conſuetudine: per accidens verò eſſe quod iſti eo caſu imponatur. Et ſanè quando vni merci, qua tu non eges imponitur vectigal, tu illud non teneris ſoluere, vt ſi vino, aut carnibus imponantur, & tu aut abſtemius ſis, aut carnibus non veſcaris, ſatiſque eſt Principi ſi eius neceſſitatibus occurrat ſuis bonis Reſpublica, quamuis ſinguli ſiue caſu, ſiue aliqua alia ratione nihil conferant: quamuis & iſte quoque qui in hac materia tributum non petitum non ſoluit, aliàs illud, quia petitum eſt, ſoluerit, ſiue in illa eadem materia, ſiue in aliis, quas ſubducere publicanis non potuit, atque huic debito naturali, ſi quod eſſet in ſingulis contribuendi Regi ad communes neceſſitates, ſatis ſuperque fecerit.

6 Dico ſecundò obligationem ſoluendi tributa modo explicato, eſſe ſub leui, vel graui culpa pro conditione vectigalis retenti, quod ſub eadem quoque culpa reſtituendum erit, ad pœnam tamen non tenebitur quis ante ſententiam.

Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperiori, quare & eoſdem Doctores habet authores. Et quidem grauitatem culpæ violantis legem, & maximè circa iuſtitiam, commenſurandam eſſe cum leuitate aut grauitate materiæ, ſiue iniuriæ, & damni quod per eiuſmodi iniuſtitiam infertur, certiſſimum eſt ex tractatu de iuſtitia, & ex iis quæ fuſiùs dicemus *libro vltimo huius operis, in appendice de reſtitutione.* Vbi quoque ſecundam huius noſtræ aſſertionis partem demonſtrabimus, nimirum vectigal iniuſtè ſubductum reſtituendum eſſe; cùm omne damnum contra iuſtitiã illatum reparandum omninò ſit, alioqui quamdiu non reparatur, cum reparari poſſit, continuatur inæqualitas primò poſita, & cum eadem culpa qua primùm poſita eſt. Immo licèt aliquando propter probabilem ignorantiam, aliaſue cauſas inculpabilis fuerit prima rei alienæ acceptio, & damni illatio, retentio tamen eiuſdem rei culpabilis fieri poterit. Vnde eſt duplex illa vulgaris radix reſtitutionis ratione iniuſtæ acceptionis, aut rei acceptæ: quæ duæ cauſæ reſtituendi non ſemper ſimul in eodem caſu repetiuntur, quæ omnia conſtant ex principiis vniuerſalibus, & amplius loco citato explicabuntur.

Quod denique diximus impoſitam à lege non ſoluentibus vectigalia pœnam, non eſſe ſubeundam, niſi poſt ſententiam, commune quoque eſt omnibus aliis legibus pœnalibus, cùm nemo teneatur ſibi pœnam externam, poſitiuam, temporalem infligere, ſed a Iudice, alióve eiuſmodi inflictam pati. Quæ omnia in ſcientia canonica diſputantes de lege pœnali demonſtrauimus; vnde in iſto noſtro caſu colligit Couarruu. *in regul. peccatum 2. part. §. 5. num. 5.* legem finalem § *dum vltimo. D. de publicanis*, quam ita interpretantur aliqui, vt velint tranſuehentem merces per locum publicum, & conſuetum abſque vlla fraude, & errore, mercium profeſſionem omittentem teneri ad dupli pœnam; obtinere tantùm in iudicio externo, nam in animæ iudicio ad ſolam vectigalis ſolutionem tenebitur. Addit *ibid.* Couarru. in Hiſpania, vbi decima pars rerum vendi..arum debetur Regi, & ſub pœna alterius decimæ tenetur venditor eam venditionem publicano aperire; ſi quis hanc declarationem omittat, non teneri ad eam dupli pœnam ante ſententiam, licèt teneatur ad reſtitutionem decimæ publicano ſubductæ: & denique vbi pœna ſtatuta eſt tranſmittentibus in vetitas, eam non eſſe ſoluendam in iudicio animæ, ſed exteriori duntaxat, nimirum poſt ſententiam.

Dicendum eſt tertiò duo quædam excuſare à ſolutione, nempe iniuſtitiam tributi, & impotentiam ſoluentis. Huc reuoco omnia, quæ excipere quis poſſet aduersùs ſolutionem tributi, quo alioquin teneretur. Non enim ago impræſentiarum de iis, qui præcipuo quodam iure eiuſmodi onere eximuntur, de ea ſiquidem immunitate diſputabimus inferiùs. Omnes itaque cauſas quas obtinere quis poterit, ne tributum alioquin ſibi ferendum, pendat, ad duo capita reuoco; iniuſtitiam nimirum tributi, & ſoluentis impotentiam. 7

Et quidem quod attinet ad iniuſtitiam illa facilè reperiri ex aliquo capite poterit; quia, vt inquit Caietan. *verb. vectigalia iniqua. Tot conditiones requiruntur ad iuſtitiam vectigalis, vt difficile fortè ſit iuſta inuenire.* Iuſtitia ſiquidem iſta eſt petenda ex cauſa efficiente, fine, forma, materia, & vſu: vndecumque verò oriatur iniuſtitia, vel illa euidens eſt, vel dubia, vel tantùm probabilis.

Et quidem cùm manifeſta eſt iniuſtitia vectigalis, tunc etiam petitum non debetur, quatenus & in quantum iniuſtum eſt; quod nemo negarit. Quare licet occultare merces, exactores eludere, damnum ſibi illatum exigendo, & capiendo quod debitum non eſt, per occultam compenſationem reparare ex bonis Principis, ſine vi tamen, rapina, & ſcandalo, teneturque ipſe Princeps reſtituere

quod

quod iniquè extorſit, inque eius defectum exactor, vel publicanus. Quæ omnia ex diſputatione de reſtitutione manifeſta fiunt. Dixi porrò non eſſe ſoluendum tributum iniuſtum, quatenus iniuſtum eſt, nam ſi totum iniuſtum non ſit, ſoluendum erit qua parte iuſtum fuerit, ſi autem totum iniuſtum exiſtat, nihil omninò eius debebitur, v. g. ſi iniuſtùm eſt defectu poteſtatis in imponente, tunc ad nihil omninò obligabit: ſi tamen peccatum duntaxat fuerit in aliquo exceſſu poteſtatis, tunc non valebit tributum quoad exceſſum, & valebit quoad alia, vt ſi feratur perſonis exemptis, quoad illas nullum erit, quoad alias autem omninò validum fuerit. Quando iniuſtitia petitur ex defectu cauſæ, ſi nulla omninò cauſa huius indictionis exiſtat, nullum quoque erit tributum, quod ſi deficiat ſolùm in proportione cauſæ cum tributo, quod longè illam cauſam ſuperat, aut in proportionali diſtributione inter perſonas, & bona: tunc non valebit quoad illum exceſſum, quem poteris non ſoluere, aut aliunde compenſare. Si deficiat ratione materiæ, quæ vel tota, vel ex parte eius incapax eſt, ex parte inualidum erit, atque ita in cæteris aliis iniuſtitiæ cauſis ſentiendum erit.

Quando iuſtitia tributi dubia eſt, vel illud dubium oritur ex poteſtate imponentis, de qua nobis non conſtat, vel ex æquitate cauſarum propter quas imponitur. Si primum, non obligat tributum, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Poſſeſſio verò eſt pro populo, qui adhuc fruitur ſua libertate, & ſua bona poſſidet. Quare eo caſu non tenetur ſoluere tributum, etiam petitum, atque ita derogare ſuæ libertati, quam adhuc integram poſſidet.

Quod ſi dubium ex aliarum cauſarum obſcura, & ineuidenti æquitate proficiſcatur, ſiue dubium ſit tantùm negatiuum, ſiue poſitiuum practicum, quia vel ignorat an Princeps habuerit cauſam indicendi hoc tributum, & quam habuerit, vel licèt nouerit cauſam, habet tamen rationem eam impugnandi ſimul, & propugnandi eius æquitatem, ita vt animo pendeat, neque in vnam, aut alteram partem momento rationum, quæ ſibi occurrunt inclinare poſſit, aut eiuſmodi dubium ponere, & practicè ſine dubio operari; in illo dubio ſoluere tenetur tributum. Ita Suar. *lib. 5. de legibus cap. 18. num. 16.* Vaſq. *de reſtitutione cap. 6. §. 3. dub. 5.* aliique; quia in dubiis tenetur ſubditus obedire Superiori præcipienti, cui fauet poſſeſſio poteſtatis, vti docuimus t. 2. *& in ſcientia canonica, diſputantes de conſcient.* neque poſſumus ab ea vniuerſali regula tributorum leges excipere, & iuſta poteſt eſſe tributi cauſa, quamuis occulta, neque tenetur Princeps eam propalare, cùm fortaſſis non expediat, & difficillimum atque ferè impoſſibile exiſtat ſubditos omnes & ſingulos cauſam eiuſmodi aut cognoſcere, aut cognitam penetrare, eiuſque omnia momenta expendere. Denique præſumptio tunc eſt pro Principe.

Contra hanc noſtram ſententiam pugnant paſſim Doctores cum Molina *diſp. 674. num. 6. & 9.* Lugo *diſp. 36. num. 86.* & aliis quos illi, ſicut & Diana *3. p. tract. 3. de conſcientia dubia, reſolut. 49.* referunt: quare communem ſententiam nobis aduerſarij fatentur, maximè circa noua tributa, & parum efficaciter probant *ex cap. peruenit, de cenſibus, & cap. quamquam, eod. tit. in 6.* cùm vti fatetur ipſe Lugo, illis locis non agatur de iuſtitia cauſæ, ſed vel de imponente, vel de rebus & materiis propter quas pedagia ſoluenda, aut non ſoluenda ſunt. Itaque Delugo communem hanc ſententiam ex eo probandam putat, quia in dubio probando onus reiicitur in petentem. Quare incumbit Principi petenti tributum, onus probandi iuſtum eſſe tributum, quod petit; quare niſi id poſitiuè præſtet, non debet ſubditus obligari ad illud ſoluendum, quamuis nequeat eius iniuſtitiam poſitiuè, ſiue per rationes poſitiuas oſtendere. Verùm iam diximus poſſeſſionem poteſtatis indicendi tributum fauere Principi, melioremque eius conditionem reddere, vt in omnibus aliis legibus contingit, quarum cauſas non tenetur ſemper Princeps ſubditis aperire, neque aliquando iure poteſt, ſatiſque eſt, ſi præcepti iniuſtitia non appareat, licet quoque iuſtitia ipſum lateat: eo enim caſu pro iuſtitia legitimi Principis legem ferentis, iure meritò præſumitur, & dicitur à Canoniſtis habere ſuam intentionem fundatam in præſumptione; quod vltimum vidit Lugo. Quare monet totam controuerſiam in eo verti, vtrum in dubio illo præſumendum ſit Principem iuſtè præcipere, ac petere, ac proinde parendum & ſoluendum ſit, cùm de iniuſtitia præcepti non conſtet, licèt iuſtitia quoque non doceatur, quod paſſim omnes docent, dum de ſententia Iudicis, & lege Principis diſputant, docentque fuſius Suar. *lib. 1. de legibus, cap. 10.* & Ferdinand. à Caſtro Palao *tract. 3. diſp. 1. punct. 1. n. 4.* quod fatetur quidem Lugo, quoties non occurrunt hæ circunſtantiæ, quæ præſumptionem illam pro Rege extenuent, cuiuſmodi plurimæ ſunt in legibus tributariis, cùm plurima tributa reipſa iniqua ſint; quod obſeruant Driedo *lib. 1. de libertate Chriſtiana, cap. 5.* & Sanch. *lib. 2. conſil. cap. 4. dub. 6. num. 5.* paucique exiſtant, qui ſincerè monere Principes, aut dum ab illis ſententiam rogant, veritatem aperire præſumant, multóque minus iniuſtitiæ, quam aliquando aduertant, opponere ſeſe audeant, quod deplorat Molina *diſp. 674. n. 6.* Itaque præſumptio illa generalis pro Principe nequit dubium expellere, cùm pauca omnino tributa iuſta exiſtant, quod tamen poſtremum ſapienter fateri Lugo non audet, & tamen illi omnino fatendum erit, ſi quia plura ſunt iniqua tributa, & quia difficile eſt in illis omnes conditiones ad retinendam eiuſmodi æquitatem neceſſarias aſſignare, ad obligationem imponendam ſubdito ea ſoluendi, debeat Princeps tributi iuſtitiam docere, quamuis nulla appareat iniuſtitia, neque ſufficiat illa Principis præcipientis communis præſumptio: vix enim vnquam tenebitur ſubditus legi tributariæ parere, imò neque in aliis materiis obedire: facile ſiquidem fuerit circunſtantias aliquas, aut conditiones inuenire, quibus communis illa pro iuſtitia Principis præcipientis præſumptio imminuatur; ſi aliunde quàm ex iniuſtitia rei præceptæ, vel ex ſola non apparentia iuſtitiæ minui cenſeatur. Quod autem reſpondet Ioann. de la Cruz *prima part. directorij, q. 7. art. 3. dub. 1. conc. 1.* communem illam regulam de præſumptione fauere præcipienti, intelligendum eſſe, quando non agitur de intereſſe ipſius Principis, nihil vrget; quia in tributis non tam agitur de intereſſe Principis, quàm ipſius Reipublicæ. Deinde in omni lege agitur de aliquo Principis intereſſe, & ſaltem de ſumma eius in præcipiendo authoritate. Denique addit Delugo *illo num. 9.* quamuis in ea celebri quæſtione de obligatione parendi ſuperiori, quando dubium eſt an ſuperior tunc præcipere poſſit, plurimi cum Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 3.* & à Caſtro Palao *tract. 1. diſp. 2. punct. 3.* fateantur parendum eſſe, plurimi

nihilomi

nihilominus, quos idem Authores ſequuntur, negant eiuſmodi obligationem perſeuerante tali dubio, quando id quod præcipitur vel admodum difficile, & incommodum eſt ſubdito, vel illi damnum aliquod affert. Atqui tributa, maximè ſi grauia ſunt, damnum afferunt ſubdito, illudque graue: in illo igitur dubio ſoluere minimè tenebitur. Verùm loquuntur omnes iſti DD. quando dubium eſt de poteſtate imperantis, non autem de æquitate rei imperatæ in ſe, aut in illis circumſtantiis, & conditionibus, quibus tunc afficitur, & quærunt vtrum quādo dubitatur, an qui imperat ſit verè ſuperior, aut ſaltem habeat ſufficientem poteſtatem circa illam ipſam rem, quam imperat, licèt habeat circa alias, quo perſtante dubio negatiuo, nos ipſi diximus non teneri ſubditum obedire, quod verius multò erit in re admodum difficili, incommoda, & damnum afferente ſubdito, vti contingit in tributis. At verò nos modò agimus de dubio iuſti præcepti ratione rei imperatæ duntaxat, quæ in ſe, & in illis circumſtantiis ſpectata, & non ſolùm ratione patentis, æqua & iuſta minimè videtur, quamuis etiam iniuſta non appareat, in quo dubio dicimus præſumendum eſſe pro iuſtitia Principis, illique donec aliquid euidentius, certiúſque conſtiterit, parendum eſſe.

Maior difficultas videri poterit quando ſunt probabiles rationes pro iuſtitia, & iniuſtitia tributi, ſiue ratione tributi imperati, ſiue ratione poteſtatis indicentis illud, vtrum in eo dubio, quod aliqui appellant poſitiuum, quamuis ſit potius opinio, quam dubium, niſi vti monebam nuper, intellectus propter æqualia momenta rationum vtriuſque partis nequeat in alterutram inclinare, ſed maneat ſuſpenſus, & veluti in æquilibrio, de quo dubio non agimus modò, iam enim de illo diximus, idem ſentiendum eſſet, quod de dubio negatiuo, quod conſtituebamus potiùs in ignorantia quadam iuſtitiæ, & iniuſtitiæ tributi, quàm in aliqua perſuaſione vtriuſque. De opinione igitur probabili iniuſtitiæ tributi diſputamus, quærimuſque an ſubditus ex illa opinione probabili, quam habet de iniuſtitia tributi, vndecumque illam oriri opinetur, poſſit non ſoluere tributum, abſque conſcientia peccati. Ita affirmant à Nauar. *lib. 3. de reſtitutione, cap. 1. num. 263.* Delugo *diſp. 36. num. 91.* Leſſius *lib. 2. cap. 33. num. 64. & 67.* quo loco dicit eſſe communem Doctorum. Acceſſit Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 7.* & alij, quia licet agere ex conſcientia practicè probabili, de ea enim tantum agimus, non de ſpeculatiua duntaxat. Hinc autem probabilitatem practicam petit Leſſius ex eo, quod viri docti, qui norunt Reipublicæ ſtatum, iudicent tributum illud eſſe iniquum, accedatque publicus rumor, & aliqua etiam veriſimilitudo. Et ſanè cùm Princeps in indicendo ſequatur opinionem probabilem, neque certitudinem, aut maximam probabilitatem quærere teneatur, cur non erit æquè fas ſubdito probabilem quoque opinionem ſequi in illo negando. Nam ſicut Princeps iudicat probabiliter ſe poſſe indicere tributum, ita ſubditus iudicat probabiliter ſe poſſe negare. Confirmat Delugo ex eo quod ſententia Iudicis, quæ probabiliter iniuſta eſt, non obliget reum in foro interno, ſecluſo ſcandalo. Denique lex tributaria nihil aliud eſſe videtur, quàm petitio debiti, quod ſubditus vel ex lege naturæ, vel ex quodam quaſi contractu cum Principe debet; qui autem exiſtimat probabiliter ſe non debere, quod ab ipſo petitur, illud negare poterit abſque culpa. Poterit quidem creditor, qui exiſtimabit probabiliter ſibi quidpiam eſſe debitum, illud petere, ſed debitor qui quoque putat probabiliter ſe illud non debere, iure negabit. Poterit quoque Princeps ex opinione probabili, quam ſequitur, tributum & imponere, & exigere, atque ſubditus ex eadem probabilitate negare, dabiturque bellum iuſtum ex vtraque parte propter ignorantiam veritatis, quæ ex vna parte intercedit. Alij tamen docent teneri ſubditum in eo caſu oppoſitæ probabilitatis ex parte Principis ſimul, & ſubditi, tributum impoſitum ſoluere. Sic Suar. *lib. 5. de legibus, cap. 18. num. 20.* Vaſquez, *cap. 6. de reſtitutione, §. 3. num. 78. Turrian. diſp. 46. dub. 6. num. 5.* Bonac. *diſp. 2. de reſtitutione, quæſt. 9. punct. 1. num. 3.* quia Princeps habet ius imperandi non tantùm quod euidenter iuſtum, & æquum eſt, ſed etiam quod non eſt euidenter malum, alioquin arcta admodum eſſet illius poteſtas, ex vix vnquam teneremur obedire, & quiſque facilè ſe à tributorum ſolutione eximeret, & denique cùm probabilitati iuſtitiæ tributi accedat authoritas Principis, pro qua præſumendum eſt, iam illa pars præualet probabilitati, quæ eſt ex parte ſubditi, quæque Principem ſuo iure nequit ſpoliare.

Ego hæc diſſidia, quæ fortaſſis de vocibus potiùs, quàm de reipſa pugnant, componi poſſe *hac* diſtinctione exiſtimarim: nam vel ſubditus ita habet probabilitatem de iniuſtitia tributi impoſiti vnde vnde oriatur illa iniuſtitia, vt ſimul quoque habeat iudicium probabile de altero extremo, hoc eſt, de iuſtitia tributi; vel nullum *habet* iudicium probabile de iuſtitia tributi, ſed de eius duntaxat iniuſtitia, ſiue quia de illius iuſtitia non cogitat, ſiue quia licet non habeat rationem euidentem, ſed probabilem duntaxat de iniuſtitia tributi, nullam tamen habet quæ eius iuſtitiam perſuadeat: in primo caſu tenebitur obedire Principi præcipienti, & tributum indictum præſtare, quia reuerà tunc non habet iudicium practicè probabile, ſed ſpeculatiuè ſolum, vt etiam monuit Leſſius. Cùm enim videat probabilem eſſe iuſtitiam tributi, licèt non vſquequaque euidentem, & Principem imperare poſſe quidquid non eſt euidenter iniuſtum, & eius poteſtatem non excedit, non poteſt habere iudicium practicum probabile, ſe non teneri tunc obedire Principi legitimè, & iuſtè *præcipienti*, quamuis ſpeculatiuè iudicet rem præceptam non eſſe certò & euidenter iuſtam, atque in eo ſenſu vera eſt ſententia Suar. & aliorum, qui tributum ſoluendum eſſe affirmāt, neque id tunc negat Leſſius, & à Nauarr. qui loquuntur de ſecundo caſu, in quo ita videtur probabiliter iniuſtitia præcepti, & tributi, vt non videatur probabilis eius iuſtitia, ſiue quia ea non attenditur, ſiue quia nihil occurrit quod eam ſuadeat: quamuis iniuſtitia non ſit quoque euidens, tunc poterit nō ſoluere tributum, quia operabitur ex iudicio practicè probabili de illius iniuſtitia, quod optimè ſtare poteſt cum iudicio probabili, quo iudicatur eam iniuſtitiam non eſſe euidentem, ac manifeſtam, licèt iuſtitia contraria nulla ratione nobis innoteſcat.

Alteram excuſationem ſoluendi tributi aiebam 8
eſſe ſubditi impotentiam, quam non oportet eſſe extremam, ſed grauem duntaxat neceſſitatem, aut inopiam. Nam de extrema neceſſitate, & impotentia dubitari nequit, cùm in illa ceſſet omnis obligatio. Appello itaque impotentiam, atque inopiam cùm aliquis nequit ſolutis vectigalibus ſe ſuamque familiam alere, quamuis omnia non expendat

pēdat in vectigalia, & ex negotiatione atque mercibus, vbi præſtita ſunt vectigalia, ſuperſit illi aliquod mediocre lucrum; verùm quia vel pluribus liberis auctus eſt, vel aliunde neceſſitatibus opprimitur, aut debitis vexatur, non poteſt ſine graui admodum ſuæ familiæ damno vectigal, quod exigitur pendere. Hoc igitur caſu omni obligatione ſoluendi vectigal liberat miſerum iſtum hominem *gloſſa in l. omnes 3. C. de annonis & tributis, verſ. compelletur*, vbi ait Officiales debere remittere indictionem pauperi, cùm patrem agere debeant. Idem affirmant Bartol. *ibidem num.* 1. Roſella *verb. pedagium, num.* 10. Sylu. *q.* 9. *dicto* 3. Conſentiunt qui docent paupertatem excuſare a ſolutione collectarum. Ita Felin. *in cap. ſi quis, de teſtibus, num.* 10. Gigas *de penſionibus q.* 80. *n.* 3. & qui negant viſitatorem debere petere procurationem à pauperibus. *Gloſſa in cap. cum inſtantia, verſ. indebito, de cenſibus.* Panorm. *ibid.* & alij quos affert, & ſequitur Sanch. *lib.* 2. *conſil. cap.* 4. *dub.* 15. qui ait ſe viros doctos conſuluiſſe. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 3 *num.* 6. Sa *verb. gabella, num.* 8. Lugo *diſp.* 36. *n.* 69. Suar. *lib.* 5. *de legibus, cap.* 18. *n.* 25. qui ſapienter obſeruat ſeruandam eſſe proportionem conditionis perſonæ cum onere tributi, vt iudicetur an nimis graue ac durum ſit, & vtrum obligetur totum, aut partem eius duntaxat ſoluere, aut prorſus nihil. Quorum omnium ratio eſt, quia quiſque priùs obligatur ſuæ familiæ ſuſtentationi moderatè prouidere, quàm regiæ. Ex quibus etiam exiſtimarim quoties tributum tam magnum eſt, vt totam rem vel mercem pro qua impoſitum eſt abſorbeat, ita vt eo ſoluto nihil plane ſuperſit, poſſe partem eius occultari, aut non ſolui; quia tunc non capitur ex merce vectigal, ſed tota ipſa merx capitur, qui non eſt dubio procul animus Principis tributum indicentis. Ad hanc inopiam referri poſſet quod paſſim docent non deberi tributum ex iis, quæ quis ſibi ad familiæ ſuæ victum comparat, qua de re diximus alibi. Vide Lugo *num.* 71. *diſp.* 36.

ARTICVLVS XI.

Conſectaria ex doctrina ſuperiori.

CONSECTARIVM. I. *An quando tributum non debetur niſi petitum, fas ſit eludere exactorem ne petat.*

II. *An gabella debeatur quando gabellarius eam petit poſt tempus definitum.*

III. *An qui non ſoluit vectigal debitum ex re vendenda, poſſit eam eodem pretio vendere atque ſi ſoluiſſet gabellam.*

IV. *An qui emit rem ab eo quem nouit gabellam defraudaſſe, teneatur eam ſoluere.*

V. *An creditor Principis non ſoluentis poſſit ſe compenſare fraudatione gabellæ.*

VI. *An actores mercatorum, qui cum gabellariis tranſegerint, & partem eius tantùm ſoluerunt, poſſint illam integram à mercatoribus exigere.*

VII. *Monitum Confeſſariis.*

EX doctrina próximo articulo ſtabilita plurima ad praxim quotidianam licebit colligere. Pauca quædam indicabo ex quibus ipſe cætera facilè deduces.

CONSECTARIVM I.

An quando vectigal non debetur niſi petitum, fas ſit vel petentem exactorem eludere, vel merces occultare ne petat.

An liceat reponſione ſua eludere exactorem petentem tributum 1. 2.
Varij modi petendi tributum. ibid.
An occultare liceat merces ne ſoluatur vectigal, ſi illud non debeatur niſi petitum. 3.

DIximus plures leges tributorum ita ferri, vel ex recepto vſu, & conſuetudine ita paſſim explicari, vt non debeatur vectigal, niſi petatur. Quo caſu iure quæritur an liceat vel merces occultare ne in notitiam exactoris veniant, ac proinde, ne pro illis petatur debitum vectigal, aut etiam ſtationarium petentem vectigal aliqua reſponſione eludere.

1 Et quod attinet ad quæſtionem de eludendo exactore petente vectigal, & de quantitate, vel vel conditione mercium interrogante, videtur eam eluſionem illicitam eſſe, non modò ſi vel mendacio, vel periurio, aliiſve malis artibus, ſed etiam quocumque alio modo, alioquin innoxio fiat; quia vectigal illud debetur in conſcientia quando petitur. Atqui dum exactor interrogat de numero & conditione mercium, reuerà tributum petit. Ergo tunc negari nequit. Quare non modò peccabit mendacio, aut periurio, ſi mentiendo, & peierando gabellarium decipit, ſed etiam contra iuſtitiam non ſoluendo tributum tunc debitum, & tenebitur ad reſtitutionem, niſi ea ſit eius vectigalis iniquitas, vt ob ſui grauitatem, & exceſſum aliaſve cauſas etiam petitum non debeatur, atque ita illud liceat negare & non ſoluere: tunc enim & eludere gabellarium, & merces occultare fas erit, modò tamen mendacium, periurium, aliæque malæ fraudes abſint, alioquin peccabit, non quidem contra iuſtitiam, negando tributum, quare ad reſtitutionem non obligabitur, ſed contra veritatem, religionem, aliamve virtutem, quam malis illis artibus violauit. Itaque quod attinet præcisè ad culpam commiſſam in negatione, & non ſolutione vectigalis, non eſt attendendus modus, quo fit ea negatio, ſed vtrum tunc tributum debeatur, eius enim negatio violabit iuſtitiam quocumque modo fiat, ſi verò tunc non debeatur, eius non ſolutio præcisè, & in ſe ſumpta mala non erit, licèt modus ſiue medium quo quis ad non ſoluendum, & fugiendum gabellarium vtitur, malum ſit, nempe cum mendacio, peiurio, aliiſve damnatis fraudibus coniunctum. Ita Molina *diſp.* 674. *numer.* 9. Sanch. *lib.* 2. *conſilior. cap.* 4. *num.* 10. Lugo *diſp.* 36. *num.* 44. & alij.

2 Dicendum eſt quoties tributum debetur, quando petitur ſoluendum eſſe eo modo, quo petitur; quare ſi ſummo rigore, & totum petatur, totum quoque pendendum erit, neque licebit petentem eludere. Si verò neque totum, neque cum ſummo rigore petatur, licebit quoque non ſoluere cum

insigni

inſigni eiuſmodi rigore, atque adeo quoad aliquam partem gabellarium eludere. Hac diſtinctione compono Doctorum hoc loco diſſidia, qui fortaſſis reipſa non pugnant inter ſeſe. Suppono verò totum tributum de quo agitur, iuſtum eſſe, atque idcircò cùm petitur ſoluendum eſſe in conſcientia. Quia verò nõ eſt obligatio illud pendendi, niſi dum petitur, ſanè non debetur niſi quo modo, & prout petitur. Si igitur totum petitur, totumque iuſtum ſit, totum etiam ſoluendum erit, ac proinde negatio, vel non ſolutio alicuius partis ipſius culpabilis erit contra iuſtitiã, & obnoxia reſtitutioni. Eluſio itaque gabellarij ad non ſoluendum tributum, aut non ſoluendum totum, quod tamen totum iuſtè, & rigoroſè petitur, eſt mala & contra iuſtitiam, quæ tunc obligat ad ſoluendum totum quod petitur, licèt nullum aut mendacium, aut periurium aliaue mala fraus in ea vſurpetur. Quod ſi gabellarius neque totum expreſsè flagitet, neque cum eo rigore, ſollicitudine & diligentia, vt ſignificet ſe omninò velle id totum, quod iuſtè debetur, non erit neceſſariò totum ſoluendum, neque exactè quoad omnia pendendum, licebitque abſque mala fraude eludere negligentiùs inquirentem; quia vectigal non debetur niſi dum petitur, & quomodo petitur, & non eludimus gabellarium niſi quodammodo volentem, qui idcircò neque exquiſitam diligentiam adhibet in inquirendis, ſcrutandiſque mercibus, neque ita vrget ſolutionem, vt ſatis ſignificet ſe non exactiſſimè petere. Tota itaque difficultas quoad praxim in eo conſiſtit, quandonam gabellarius, ſtationariúſve totum vectigal exactiſſime petat, quod non ſatis efficaciter colligitur ex eo, quod ſibi vindicet tanquam commiſſas merces occultatas, vbi illas deinde deprehendit; quia id facit ob iniuriam ſibi ea fraudatione acceptam, vtque cæteros in officio cõtineat. Quare alia iudicia rigidioris aut mitioris, minuſque exactæ petitionis quærenda ſunt. In primis igitur quoties gabellarius exigit iuramentum de numero, & conditione mercium, licèt vti monet Nauarr. non teneatur mercator iurare, ſufficiatque ipſum monere vt ipſemet inſpiciat, paratumque ſe eſſe ſoluere, quod æquum fuerit, ſi tamen iuret, tenebitur veritatem fateri, non modò ne periurus ſit, ſed etiam ne peccet contra iuſtitiam, retineatque aliquid debitum. Quod affirmant Nauarr. Medina & ex ipſis Sanch. *dub.* 10. *citato, num.* 14. quia tunc totum tributum, illudque iuſtum, de eo enim duntaxat perpetuò agimus, ſummo rigore exigitur. Neque enim maiori rigore vti poteſt gabellarius, quàm exigendo iuramentum, & adiiciendo nouam obligationem religionis obligationi iuſtitiæ, vt veritatem deprehendat, & quantum tributum ſibi ex illis mercibus debeatur. Quare ſi mendacio illo vſus partem tributi tanto rigore petiti, ac proinde debiti non exoluat, tenebitur ad reſtitutionem partis, quam per iniuſtitiam occultauit.

Secundò aliquando gabellarius non petit quidem iuramentum de quantitate mercium, ſed ait ſe illius conſcientiæ committere. Quæ petitio indicat animum petendi totum quod debitum eſt, teneturque tunc mercator veritatem aperire, & totum tributum ſoluere, alioquin peccat contra iuſtitiam, licet non peccet contra religionem peierando. Ita Sanch. *dub.* 10. cum Nauarr. & Medin.

Tertio gabellarius ſimpliciter interrogat, neque aut iuramentum exigit, aut conſcientiæ mercatoris ſe remittit: atque hoc caſu ſi quis eludat gabellariũ plurimi docent non teneri ad reſtitutionem; quia non petitur ſummo rigore, neque etiam omnino totum, alioquin vel iuramentum poſtularet, vel mercatoris ſaltem conſcientiam oneraret. Probabilius tamen exiſtimant Sanch. & Lugo tunc teneri veritatem fateri, & totum vectigal ſoluere, quia debetur ſaltem quando petitur, at verò tunc petitur ex communi ſaltem modo petendi. Quia tamen ſæpius ea vectigalia vel parum iuſta, vel exceſſiua ſunt; prior ſententia ſaltem quando publicæ ſunt de eo exceſſu querelæ, obtineri poterit, maximè quando idcircò gabellarij amicè, & non cum iuramento, aut onere conſcientiæ, aliòue rigidiori modo cum mercatoribus agunt; quia vel amici ſunt, vel vias illas & portus frequentant, vel ea facilitate vectigalium, & amica quadam exactione commercia ad ſeſe trahere, aut ne aliò diuertant, impedire ſatagunt. Eſt ſiquidem tacita quædam alicuius partis condonatio: quare Vaſq. *n.* 23. non obligat mercatores ad aperiendam omnem veritatem, additque Sanch. *num.* 18. hunc caſum frequentem eſſe, indeque plures mercatores tum a culpa, tum ab onere reſtituendi liberari.

Quartò quamuis vel excommunicatio, vel alia pœna lata ſit contra non ſoluentes vectigalia, vel merces occultantes, ea tamen excommunicatio non ligat iſtos omnes, niſi tributum petatur, quoties non debetur niſi petitum, vti ferè contingit; quia tunc vti oſtendimus non peccant, & excommunicatio ferri nequit niſi ob culpam, eamque grauem, neque dici poteſt ea interminatione excommunicationis exigi tributum, ac proinde tunc deberi, quia eiuſmodi petitio eſt vniuerſalis duntaxat, & generalis, neque ab ipſa lege tributum indicente diſtinguitur, quæ petitio non ſufficit, alioquin ſemper deberetur tributum; quia ſemper à lege indicente & interpellante atque vrgente ſuam executionem peteretur, & fruſtrà diſputarent DD. an tributum debeatur quando non petitur, quia ſemper petitum à lege. Diſputant igitur de petitione ſingulari, & particulari, quæ in caſibus particularibus fit a tali gabellario interpellante talem mercatorem propter tales merces: quæ petitio neceſſaria eſt vt obligeris ad ſoluendum tributum quoties non debetur niſi petitum, ideóque non ſufficiet ſi exactores petant in vniuerſum, vt ſoluas vectigal ſi quod debeas ex mercibus huius anni, aut ex tranſvectione præterita; quod obſeruat Lugo *diſp.* 36. *n.* 47.

Alter modus eludendi gabellarium conſiſtit in occultatione mercium, atque impediendo, ne in exactorum notitiam veniant, vnde fiat, vt non petantur vectigalia, quod videri poterit eſſe licitum. Cur enim non poſſum impedire ne debitum contraham; atqui non cõtraho debitum vectigalis, niſi quando petitur; poſſum itaque impedire ne petatur. Neque ſanè ſolent etiam viri timorati quærere iſtos gabellarios, eoſque monere vt petant vectigalia, quod obſeruat quoque Tolet. *lib.* 5. *cap.* 65. niſi ne deprehendantur, luantque grauiùs ſuam illam vel fugam, vel occultationem. An amabò damnares illum qui noluit appellere ad portum, in quo ſunt grauiſſima portoria, & aliò curſum deflexit, in quo vel nulla portoria luenda ſunt, vel admodum leuia. Cur etiam diuertendo paululum à via publica non effugies harpagines illos, aut ſi eam inſiſtas, neque tunc occurrant ſtationarij, & cuſtodes, occultaque eſt apotheca ipſorum, cur

cogeris

cogeris ſubſiſtere aliquantò diutiùs magno tuo incommodo,& diſpendio ſuſcepti itineris, vt gabellarij redeant,& tuas merces perſcrutētur,atque vectigal petant,quod non deberes, vti diximus, niſi peteretur. Quare plurimi viri docti exiſtimāt apud Sanch. *lib. 2. conſil. c. 4. dub.* 10 *num.* 11. non peccare hunc mercium occultatorem,neque obligari ad reſtitutionem; quia exactorum eſt inuigilare,& petere,non autem mei muneris, aut officij eos monere vt petant,quandoquidem nihil ipſis debeo niſi petant. Quod verò leges puniant ita occultantes, atque fraudantes vectigalia, ſunt leges merè pœnales,quæ in fauorem publicanorum factæ ſunt, neque poſſunt me punire eo duntaxat ex capite,quod nolim contrahere debitum, aut illud euitem. Non pecco enim impediendo ne contraham debitum, ſed non ſoluendo ritè contractum, quo non poſſum me liberare per nō petitionem creditoris. Verùm in hoc caſu non nego debitum,neque me creditori ſubtraho, ſed eius negligentiâ in non repetendo debito, me ab eius onere libero;quia reuerà quamdiu non petitur nihil debeo,neque publicanus eſt meus creditor: non fraudo igitur creditorem meum,aut vectigal debitum, quod etiam non occulto cum iniuria,& damno publicani,cui nihildum quidquam debeo, ſed impedio duntaxat ne quidquam illi debeam, neque ille habet ius,vt nō impediam hoc vectigalis debitum contrahendum, & nondum contractum, & vt non transferam alia viâ meas merces,appellam ad alium portum,tranſmittam alio nomine, ſubſiſtam in via,præſtolerque donec illi commodum ſit meas merces excutere, & vectigal petere. Denique, vti ſæpius dixi, nihil hactenus illi debitum ſubduco:quare quod vulgò dicitur nemini ſuam fraudem patrocinari, verum erit, nego autem hoc loco fraudem verè committi aduersùs publicanos, aut Principem,quibus nihildum debeo, ſed tantùm debiturus eram, ſi merces meas alia via non tranſuexiſſem, aut alia ratione non ſubduxiſſem ipſorum diligentiæ, quam ego meo commodo eluſi,& eludendo nulla re debita illos fraudaui, ſed ne quidquam illis deberetur effeci: an iure queri poſſunt quod me ipſorum debitorem non conſtituerim?

Limitant tamen aliqui iſtam aſſertionē ad fraudes,& artes licitas:ſi enim mendaciis aliiſue malis artibus ſubducerentur merces,& impedirentur publicani ne gabellam exigerent, ac proinde, ne deberetur gabella,cùm non debeatur niſi petita, volunt tunc ita fraudantes peccare, & ad reſtitutionem obligari. Verùm iam monui cum Molina,Lugo,Leſſio & aliis, malis quidem fraudibus,& artibus peccari, non tamen contra iuſtitiam, & cum obligatione reſtitutionis, niſi fraudes illæ prauæ & culpabiles cadant in rem ex iuſtitia debitam, quæ ſubtrahatur,aut retineatur:hoc loco autem nihil eſt hactenus ex iuſtitia debitum quod illis fraudibus ſubducatur, vti oſtendi, ſed verſantur illæ fraudes circa aliquid,quod ex iuſtitia deberetur, niſi fraudes eæ fuiſſent adhibitæ:& publicanus, vti iā monui non habet ius vt mercator debitum vectigalis contrahat,illudve non impediat, ſed vt vbi debitū erit,ſoluat. Quare tandem Sanch. *n.* 12. hanc ſententiam probabilem eſſe dicit, & grauium Authorū, quamuis ille contrariam probabiliorem, tutioremque fateatur,ſed cùm non demonſtret hanc maiorem probabilitatē niſi ex iis,quæ in illa explicanda attulerat *n.* 10. ibique ex iure tantùm Hiſpano fuerit argumentatus,de quo etiam ſolo loquuntur Doctores quos adducit,qui de alcanalis, & auendanis diſputāt,addatque duntaxat Sanch. illud commune diuerbium, fraudem & dolum nemini debere patrocinari, cuius veram intelligentiam modò dedimus,maiorē iſtam probabilitatē & ſecuritatem ſuæ illius ſententiæ,nobis parū efficaciter oſtēdit Sanc.

Consectarium II.

An quando gabellarius petit gabellam poſt tempus definitum, debeatur.

Poteſt quis non ſoluere gabellam tempore definito non petitam. 1.

Quid ſi nō fuerit definitum tempus petēdi. 2.

Aliquando definitur tēpus intra quod poſſunt vectigalia,& gabellæ exigi, vt in legibus Hiſpanis de alcauala. Quæritur itaque, an ſi elapſo eo tēpore petantur,reipſa debeantur,aliàs licèt non ſit vllū tempus definitū exactionis,tamen vbi ſunt iam tranſuectæ merces,gabellarius, qui earum tranſuectionē reſciuit,earū gabellā exigit,poteſtne mercator eas negare,& vel quoad numerū,aut conditionem merciū eludere eam exactionē vectigalis. Ratio difficultatis eſt quia debetur vectigal & gabella quādo petitur: atqui tunc petitur;igitur debetur, atque adeò ſine culpa & obligatione ad reſtitutionem negari non poterit.

Quoad priorē difficultatem reſpondet Sanch. *c. 4. citato, dub.* 11. non amplius teneri mercatorē ſoluere gabellā poſt elapſum tēpos,in quo peti debebat, 1
etiamſi deinde petatur,quod tum ex Iure Hiſpano, quod modò nos non moramur,oſtendit, tū ex iure cōmuni;quia debitor alicuius rei non obligatus ad illā offerendā donec petatur,præſcribet, ſi tempore aſſignato a lege ad petendum petita non fuit, quod docent Panorm. *in cap. fin. de præſcription.* Ang. *verb. præſcriptio, n.* 42. Medin. *C. de reſtitut. q.* 16. *verſ. verum eſto ita ſit.* Si igitur publicanus non petierit gabellā tēpore deſtinato ad petendū, mercator illam præſcribet,eſt enim in bona fide,cùm retinere poſſit gabellam, cùm non petetur. Quare eam ſententiā doceri ab eruditis recētioribus,& à Cord. *lib.* 1. *ſum. q.* 36. refert *ibid.* Sanch. qui ſapienter monet diuerſā fore rationē,quoties gabellæ debentur etiā nō petitæ,tūc enim nō præſcribentur,quia mala fide retinētur. Qui verò occultat merces ne petatur ex illis gabella,ſi deinde tranſacto tēpore ad petendū definito petātur,eas quoq; poterit præſcribere,quia illas bona fide retinuit,vti diximus ſuperiori conſectario, quod doctos recentiores affirmare teſtatur Sanc. *illo dub.* 11. *ſub. fin.* & ipſe probabile exiſtimat.

Maior difficultas exiſtit quādo nullū determinatū eſt tēpus,& tamē non debētur,niſi petantur, quod 2
fit aliquando poſt tranſuectionē merciū, quæ diligentiæ cuſtodum ſubductæ fuerant;quia debentur quando petūtur,neq; vllum petitioni certum tēpus præfixū eſt, vti in priori caſu, ex quo proinde non licebit ad iſtum argumentari. Exiſtimarium diſtinguendū eſſe:vel enim petitur gabella ſtatim poſt tranſuectas merces, & cuſtodes, qui id deprehenderūt,inſequuntur ſubductorē,& illū veluti in flagranti delicto cōprehendunt,etiam ſi fortaſſis iam exierit locū illū,in quo erat ſoluēda gabella,modò ingreſſus nō ſit fines ditionis, in qua aut nulla, aut non tanta ſoluitur,& tunc opinor ipſū debere gabellā petitā, quia nulla ratio afferri poteſt propter quā gabellarios petere nequeat gabellā à mercatore, quādo merces ſubtrahit ne petatur gabella;eſto poſſit ſubducere illas ne petatur gabella,nequit tamen impedire,ne iure petatur in ipſo actu ſubductionis,ſi deprehendatur. Et ſane damnabitur etiam

ad pœnam ſubductoribus poſitam. Itaque quamdiu illas ſubducit, ſiue quamdiu ſubtractio mercium eſt veluti in fieri, poterit peti gabella, quæ proinde debebitur. Eſt autem ſubductio in fieri, quamdiu fugit diuerſo itinere, aut alia ratione gabellarium à quo deprehendi, & capi poſſet. At verò ſi iam domū delatæ ſunt merces, aut exierit fines intra quos duntaxat ab illo gabellario poteſt exigi gabella, & illam non ſoluens, aut ſubtrahens merces, capi, ipſæque merces committi, nequit gabellam petere: quod verius multo erit quando non niſi aliquantò poſt tempore petetur; quia debetur quidem gabella quando petitur, verùm peti nō poteſt niſi in ipſa tranſuectione mercium, in locis ad id deſtinatis, & intra certos etiam fines, quos vbi præteruectæ ſunt merces, nullum habet amplius ius petendi gabellam ex illis mercibus, quamuis petere potuiſſet quando per ſuos fines vehebantur; neque illi facit iniuriam mercator, quia non debet ipſi amplius gabellam. Immò neque vnquam debuit, quia nunquam fuit petita, licèt ſua induſtria, & arte, non vim, aut aliud quidpiam in ipſa ſubductione per iniuriā faciendo, ſed ſubducendo merces tantùm, impediuerit ne peteretur, vti diximus cōſectario primo.

Consectarium III.

An qui non ſoluit vectigal ex re vendenda debitum, poſſit illam eodem pretio ordinario vendere atque ſi ſoluiſſet vectigal.

Difficultas maximè exiſtit quando pretium illud ordinarium, & vti appellant, currens, eſt lege, aut ſtatuto, vel communi conſenſu definitum; quia in illa pretij taxatione habita ſine dubio ratio eſt oneris ſoluendi vectigalis, quod tamen iſte non ſoluit. Debet igitur tantùm detrahere de pretio, quantùm illi ratione ſoluendi vectigalis acceſſerat, alioquin iniuſta erit ea venditio, quod aliqui affirmant apud Leſſium *lib. 2. cap. 33. n. 68.*

Ipſe tamen veriùs contrarium ſentit, modò pretium illud aliunde non ſit iniuſtum, quamuis excedat ordinarium, & taxatum propter non ſolutum vectigal, cuius in taxando pretio fuerat habita ratio. Probat Leſſius, quia illa non ſolutio vectigalis non facit pretium iniuſtum. Igitur neque venditionem; quæ conſequentia manifeſtiſſima eſt. Antecedens verò oſtenditur, quia pretium fuit quidem ita definitum, eo quod communiter ex illa re ſoluatur vectigal, non tamen illius pretij ſic conſtituti æquitas conſiſtit in indiuiſibili, ita vt minimus exceſſus ſit iniuſtus, & niſi omnes & ſinguli illud vectigal ſoluant, ſtatim pretium, & communis æſtimatio mutanda ſit: quandoquidem communis æſtimatio ex iis quæ paſſim, & communiter accidunt, capitur, neque ſi quidpiam aliter per accidens contingat, mutanda eſt ea æſtimatio, neque iniuſta in eo caſu particulari euadit. Quod in hac ipſa re, de qua agimus perſpicuum fit. Si enim quiſpiam obtineret a Principe illius gabellæ immunitatem, an amabò non poſſet rem ſuam ordinario & definito pretio communi vendere. Si enim non poteſt, nullum beneficium accepit à Principe, nihilque ipſi condonatum eſt, nam quantum ex immunitate retinet, tantumdem amitit, dum rei ſuæ pretium minuere cogitur. Si igitur illa condonatio Principis non mutat rei æſtimationem communem, neque fraudatio de qua agimus mutabit, cùm id ipſum condonetur à Principe, quod à non ſoluente vectigal decerpitur. Id ipſum videmus quando pretium rei cuiuſpiam creuit ratione periculorum, ſumptuum, & difficultatum, quibus eius tranſuectio eſt obnoxia. Si quis enim ſua induſtria, immò & malis artibus eiuſmodi pericula, atque difficultates vitauit, poterit tamen rem illam eodem communi pretio vendere; quod nemo negat. Neque enim minus valet ea res, quamuis venditor fugerit difficultates propter quas eius pretium auctum fuerat, quia ſemper conſideratur, & æſtimatur vt illis obſepta difficultatibus, licèt eæ in aliquo caſu non occurrāt, qui caſus particularis in definiēdo tamen pretio conſideratus non eſt. Atque hæc eſt ratio à priori huius aſſertionis: nā res æquè commoda & bona eſt emptori, ſiue venditor eam comparauerit cū ſolitis periculis, & ſumptibus, ſiue alio modo, etiā per iniuriam & fraudem alicuius, modò ipſe emptor non exponatur alicui periculo, & dāno: v. g. ſi ipſi reparanda eſſet fraus cōmiſſa à venditore; ſi res in cōmiſſum caderet, ſi furto eſſet ſubtracta, & à domino repeteretur; ſi ex illa ipſa re, eiuſque parte aliqua ſoluenda eſſet gabella cum dāno emptoris. In quibus omnibus, cæteriſque ſimilibus caſibus damnum emptoris impediendum, atque etiam reparandum emptori foret à venditore, quod ſi nihil iſtorum accideret, definitum pretium capere poſſet venditor, quamuis cauſas illas externas propter quas auctum fuerat, vitaſſet.

Consectarium IV.

An qui emit rem à venditore, quem nouit gabellam defraudaſſe, teneatur illam ſoluere.

Ratio difficultatis. 1.
Sententia negans eligitur. 2.
Quid de venditore vendente mercem ad fraudandam gabellam. 3.

Ratio difficultatis eſſe videtur, quia hoc onus 1
videtur eſſe reale, ac proinde rem ex communi diuerbio, cum ſuo onere tranſire, ad quemcumque dominium tranſeat, vti videmus in hypothecis, & quod magis ad rem noſtram facit, in decimis. Nam fructus non decimati non poſſunt alienari abſque onere decimarum, vti *cap. cùm non ſit 33. de decimis*, conſtituit Innocent III. in Conc. *Lateran.* generali, vti habemt *cap. 6.* rationemque reddit Pontifex, quia onus decimarum reale eſt, tranſitque idcirco vnà cum fructibus decimationi obnoxiis. Neque diſcrimen vllum ſatis idoneum afferri hoc loco poteſt inter decimas, & vectigalia, maximè quando illa ſunt certa aliqua pars mercis: decima v. g. aut vigeſima. Cur enim decima Eccleſiaſtica erit onus reale, & non decima vectigalis mercium: & quamuis daremus hoc onus reale non eſſe, ſed perſonale duntaxat, negari tamen non poſſet eas res manere hypothecatas ratione tributi debiti; quia *l. 1. C. in quib. cauſ. pignus, vel hypothec.* fiſcus dicitur habere tacitam hypothecam in bonis eorum, qui cenſentur ratione tributorum; & *l. 1. C. ſi propter publicas penſitat.* dicitur cauſas tributorum eſſe priore loco, *quibus omnia bona ceſſantis*, nimirum à tributo ſoluendo, *obligata ſunt*, & nos ipſi obſeruauimus *opere de vſuris lib. 3. c. 7. art. 4. n. 8.* & iterum *art. penultimo* diſputabimus *hoc capite.* Qui igitur mercem pro tributo hypothecatam emerit, tributum ipſum ſoluere cogetur, ſaltem vbi

principalis

principalis debitot ipſum non ſoluerit: quare exiſtimauit Sylu. *verb. gabella 3. n. 18. ſub fin.* tes emptas tranſite cum onere ſuo nondum ſoluto. Molina verò *diſp. 675.* ait quidem non teneri hunc emptorem ad ſoluẽdum tributum, niſi in defectum eius qui illud non ſoluit, & nulla habet alia bona quibus debitum illud ſoluat: quare & in ſolis illius bonis debet primùm fieri exequutio, deinde ſi ea non ſufficiant, poterit fiſcus, aut publicanus in te ex qua tributum debebatur, eam exequutionem vrgere, ad quemcumque tranſierit ea res, ptopter onus tacitæ hypothecæ, quod illi affixum eſt, quodque cum illa tranſiuit. Eadem eſt Leſſij meus *lib. 2. cap. 33. dub. 9.* vbi ſapienter diſtinguit inter gabellam, quæ eſt tantùm certa aliqua pecunia, & eam quæ eſt pars aliquota mercium, decima v. g. aut viceſima; ſtatim enim apparet priorem illam gabellam eſſe debitum perſonale afficiens venditorem ratione illius mercis, quam vendit, ac proinde non tranſire vnà cum merce ad emptorem, qui ideò non obligatur ſoluere eiuſmodi gabellam, quam nouit venditorem non ſoluiſſe. Reſtat itaque tota difficultas circa gabellam quæ eſt pars aliquota metcis, an ea de cauſa ſit onus reale, quod neceſſariò tes, cui adhæret, ſecum deferat ad emptorem, & quemcumque alium dominum, an verò tantùm perſonale.

Dico igitur cum Molina & Leſſio citatis, quibus adhæſit Lugo *diſput. 36. numer. 66.* etiam hanc, de qua agimus gabellam, eſſe duntaxat onus perſonale, quod ſolum venditorem afficiat ratione illius mercis, quam vendit, ex qua merce quidpiam debet Principi. Et ſanè quintam illam, vel decimam, vel aliam quamuis partem aliquotam mercium iubetur venditor dare, non autem emptor, neque profectò apparet ex quo capite teneatur emptor ad hanc non ſolui, ſiue petenti à venditore vectigalis reſtitutionem, cùm & rem emerit à vero domino, & illam totam eodem titulo poſſideat. Quamuis enim Princeps haberet ius ad aliquam mercis illius partem ſibi vindicandam, ſi venderetur, non habebat tamen illius dominium, neque etiam habet vbi vendita eſt, niſi vbi erit auulſa & ſeparata, atque Principi tradita. Nam etiam qui emit rem aliquam, non fit illius dominus antequam ipſi tradatur, vnde fit, vt ſi alteri vendatur, atque tradatur, hic ſecundus verus, & ſolus illius dominus fiat, neque teneatur primo emptori reſtituere. Cùm igitur emptor in noſtro caſu mercem à vero domino ipſius acceperit eiuſque totius dominium, licèt Princeps haberet ius illius partem vindicandi, cùm tamen illius partis nondum dominus factus ſit, non poteſt illam repetere à vero eius domino emptore, qui etiam non tenetur ſe eo dominio acquiſito priuare, & illius partem aliquam reddere. Neque ex decimis licet argumentari, quia neque in illis ad aliud, qui fructus decimabiles, & indecimatos emiſſet, teneretur ex natura rei, vnde fuit opus lege poſitiua, quæ aliud conſtitueret, redderetque eiuſmodi fructus non decimatos inalienabiles, ob peculiares rationes, quas affert eo loco Pontifex, quod ipſum in tributis ſtatuere poſſent Principes, id tamen non fecerunt, vti ipſe vſus quotidianus oſtendit, neque facere conſentaneum erat. Quod de tacita hypotheca rei tributariæ, & vectigalis obiiciebatur, vltro concedimus; verùm ea hypotheca cadit in omnia bona venditoris, neque obligabit emptorem, niſi vbi deperditis omnibus aliis bonis venditoris, & debitoris fiſcus aget contra hanc rem emptoris, obligatam hypotheca tacita, ratione gabellæ non ſolutæ, quæ fortaſſis ad alium dominum tranſierit, & tota iſta repetitio ſpectat forum externum, à quo damnari debet hic emptor, antequam teneatur ſoluere eiuſmodi vectigal; quia ante ſententiam fiſcus non ſit eius dominus, ſed habebit tantùm ius ad illam.

Maior difficultas eſt quando venditor occultè vendit mercem ad fraudandam gabellam, quod ita fieri nouit emptor: de hoc caſu diſputat Sanch. *c. 4. citato dub. 10.* & Lugo *n. 65.* videtur enim emptor fraudi illi cooperari. 3

Reſpondeo ſi gabella non debeatur niſi petita, poſſitque venditor impedire ne petatur, atque adeò ne debeatur, neque venditorem, neque emptorem teneri ad ſolutionem gabellæ, vti conſtat ex articulo proximo. Si verò gabella debeatur, etiam non petita, aut non poſſit occultari ne petatur, tunc debebitur à venditore, non verò ab emptore, quamuis fraudationem illam nouerit, modò illi non fuerit cooperatus ſuadendo, aliave ratione in illam influendo tanquam vera cauſa, ſaltem moralis phyſica, cuiuſmodi non erit ſi ſciat duntaxat eam fraudem, ex eaque commodum ſibi quærat; quia rem ad ſe delatam vt emat occultè, viliori pretio comparat, quæ omnia certa ſunt ex principiis vniuerſalibus ſæpius ſtabilitis.

Consectarium IV.

An creditor Principis à quo nequit ſolutionem extorquere poſſit licitè compenſationem facere defraudatione vectigalium.

Communis ſententia licitam facit. 1.
Difficultas aduerſus illam. 2.
Solutio. 3. 4.
Caſus ſingulares inde. 5. 6. 7. 8.

Difficultas non eſt de vectigali, quod neque locatũ, neque venditum eſt à Principe, qui illud per ſuos miniſtros colligit: cùm enim tunc ſoli Regi debeatur, illique ſoli ſubtrahatur, nemo dubitabit poſſe illud in compẽſationẽ à creditore Principis retineri, cùm nulli prorſus faciat iniuriam. Quare quæſtio eſt de vectigali vendito, vel locato, eo quod per eam compenſationem conductori, aut emptori damnum afferatur, cùm illis tunc & non Regi debeatur vectigal: quare eiuſmodi compenſationem licitam eſſe negat Reginald. *in praxi lib. 10. n. 383.* & Graff. *1. part. deciſion. lib. 2. c. 125.* Corduba *quæſt. 95. dub. 3.* Roderic. *tom. 1. ſum. cap. 73. n. 7.* & pauci alij.

Dicendum tamen eſt creditorem Regis poſſe debitum ſuum occulta vectigalis defraudatione compenſare, modò conditiones aliæ quæ ad licitam compenſationem requiruntur, de quibus lib. ſequenti dicemus, obſeruentur. Ita Sylu. *verb. gabella 3. q. 9.* à Nauar. *lib. 3. de reſtitut. cap. 1. num. 237.* Leſſius *lib. 2. c. 33. dub. 10. n. 75.* Bonacin. *diſp. 2. de contract. q. 9. punct. 1. num. 12.* Vaſq. *de reſtitution. cap. 6. §. 3. numer. 37.* Turrian. *diſp. 46. dub. 3.* Molin. *tract. 2. diſp. 674. numer. 10.* Fragoſa *de regimine part. 1. lib. 2. diſp. 8. numer. 43.* Vega *part. 1. ſum. cap. 15. caſu 10.* à Sancto Fauſto *in ſpecul. confeſſar. diſp. 33. quæſt. 37.* Malder. *2. 2. tract. 5. c. 9. dub. 18.* Molfeſ. *tom. 2. trac. 12. cap. 22.* 1

n.14. & num.143. Diana *2.part. tract.2. miſcellan. reſolution.*14. Sanch. *lib.2.conſil.c.4. dub.*48. Lugo *diſp.*36. *ſect.*5. Ratio eſt quia gabellæ non debentur vel conductori, vel emptori, niſi vt perſonæ ſubrogatæ Regi, cui primo, per ſe, & directè debentur, & qui non aliud ius tranſtulit in publicanum, quam quod ipſe habebat, vti obſeruauit Caietan. *verb. vectigalia.* vnde fit vt qui non debet Regi, neque publicano debeat, quique excuſatur à penſitando vectigali Regi, excuſatur quoque à pẽdendo publicano, qui non habet maius ius maioremve actionem quam habeat Rex. Atqui non teneor ſoluere Regi, quando mihi tantumdẽ debet, & retinet, neque illud ab ipſo recuperare poſſum. Ergo nec publicano tunc debeo, qui non habet aliud ius & actionem in me, quam ipſe Rex, qui in eo caſu nullam habet. Quare neque Regi, neque publicano facio vllam iniuriam. Et ſi pauper ratione paupertatis nõ obligetur ad ſoluendam gabellã Regi, non poterit ab eo petere publicanus, ñeque conqueri de vectigali a paupere defraudato. Si debeo Caio centum nummos, ipſéque mihi ex quodã alio capite tantumdem debeat, neque mihi ſoluere velit aut poſſit, nemo negabit me poſſe debitum, quo illi obligor, in compenſationem eius quod mihi debet, retinere: quamuis Caius illud debitũ, quo ipſi teneor, donarit aut vendiderit Semptonio, qui amittet eos nummos, ſi ego non ſoluam; quia Principalis creditor eſt Caius, cui non teneor in eo caſu ſoluere, ſed poſſum totum illud, quod ipſi debeo retinere in compenſationem eius quod ipſe mihi debet.

Neque dicas non poſſe me capere fructus horti, quem meus debitor alteri locauit, atque ita compenſare meum debitum, neque igitur fas erit redditus gabellæ quam publicano Rex locauit, retinere in compenſationem eius quod mihi Rex ipſe debet, & non ſoluit.

Reſp. enim latum eſſe diſcrimen inter fructus horti conducti, & nummos, qui pro ſolutione gabellæ dantur publicano, quia fructus illi ſunt conductoris horti, qui illos iam poſſidet, eſtque verus eorum dominus, non autem is qui illos ipſi locauit. Quare ſi illos in mei debiti compenſationem caperem, non caperem quod eſt mei debitoris, ſed alterius, cui proinde facerem iniuriam. At verò nummi, quos publicano in ſolutionem vectigalis dare deberem, mei adhuc ſunt, eorumque verus dominus ſum, non Rex, aut publicanus, illos tamen debeo Regi, vel publicano ipſius vices gerenti: quare cùm eos nummos retineo, non ſoluendo vectigal, non retineo aliquid quod ſit in dominio publicani, ſed id ad quod habet ius tanquam ſubrogatus Regi. Quare ſi Rex nullum habeat ius in me ad petendum iſtos nummos, quia tantumdem mihi debet ex alio capite, & datur locus iuſtæ compenſationi, Rex excidit ſuo iure, & ipſe ſimul publicanus, qui nullum alium habet ius, quàm quod ipſi confert Rex. Nihil igitur publicani retineo, ſed quod debebam Regi ſoluere eiuſque loco publicano, ſi Rex non mihi tantumdem deberet. Si autem ego iam præſtitiſſem vectigal publicano, non liceret mihi deinde illud occultè repetere in compenſationem eius, quod mihi Rex deberet, quia illi nummi præſtiti Publicano, iam facti ſunt publicani, qui eſt verus illorum dominus, non Rex. Compenſarem me igitur ex bonis publicani, non Regis, quod iniquum foret. Horum omnium rationem veluti à priori videtur mihi attigiſſe Leſſius, quia effectus aſſiduè & continuò dependens eſſentialiter ab aliqua cauſa, neque aliam, neque maiorem vim habere poteſt, quam habeat illo momento ea cauſa, cùm vel vna tantùm vtriuſque vis, & efficacia ſit, vel ita vna ſubordinetur alteri, vt nihil niſi ab ipſa habeat, & aliunde neque creſcere, neque decreſcere poſſit: nam lux quæ à ſole, aut alio corpore luminoſo fluit, non habet maiorem vim illuminandi, quàm habet ipſum luminoſum: quod ipſum verius eſt in cauſis moralibus ſubordinatis, & quarum vna virtutem accipit ab alia; qui enim ſuum ius, aut poteſtatem alteri committit, non dat niſi illud ipſum, quod habet; neque iſte commiſſarius quidquam aliud, vi illius commiſſionis poteſt, quam quod ipſe committens, ſi per ſeipſum agere velit. Atqui totum ius quod habet publicanus exigendi vectigalia continuò dependet à Principe, qui ſuum ius in alium transfudit; quare vbi ceſſat, vel minuitur ius Principis, minuitur quoque ius publicani, quod non eſt diuerſum à iure Principis, ſed illud ipſum in publicanum transfuſum. Quare eo momento quo ius ceſſat in Principe, ceſſat quoque in publicano. Cùm igitur ius Principis in me elidatur ratione iuris, quod habeo in ipſum, & per compenſationem, eliditur quoque in publicano, qui ius illud à Principe conduxerat, vel emerat, quæ eadem ratio valet in decimis, cenſibus, & aliis iuribus, quæ elocari ſolent, in quibus conductor habet ius continuo pendens à iure domini elocantis, aut potiùs habet idem omninò ius cum domino. quare nullo momento plus, aut minus poteſt, quàm dominus elocans, ſi ipſemet cenſus, decimas, aliaque ſimilia iura eo momento exigeret. Si itaque dominus cui ego penſionem cenſus, aut decimas debeo, mihi viciſſim quidpiam deberet, cuius non poſſem ab illo ſolutionem obtinere, liceret mihi vti iuſta compenſatione retinendo decimas, vel penſionem annuam, neque poſſet conductor de me conqueri, ſed agere in locatorem, qui non potuit illi locare ius, quod in me debitorem ſuum habebat cum meo damno, cùm ego idem ius in ipſum habeam, & in illam ipſam decimam aut penſionem, quam elocat.

Grauis porrò difficultas eſt, an hæc communis 3
doctrina valeat, quando Princeps non tantùm locauit, donauit, aut vendidit ad aliquod tempus, aut in perpetuum gabellam aliquam, ſed etiam totum illius dominium ita ab ſe abiecit, vt neque *directum*, neque vtile retineat; quia tunc tributa non debentur Regi, ſed illi in quem totum illud dominium tranſlatum fuit, vti aliquando in ciuitates, Marchiones, alioſque ſimiles reuerà tranſlatum eſt, ideóque cùm poſt illam tranſlationem neque dominium vectigalium, neque ius illa exigendi reſideat in Principe, & ab illo non ampliùs pendeat, ſi illud negetur, emptori, aut nouo domino negabitur, non ipſi Regi: quare non licebit in compenſationem debiti quod Rex ſoluere renuit, præſtationem vectigalis retinere, cùm nihil, quod Regis reuerà ſit, retineatur, ſed quod eſt alterius, cui proinde damnum & iniuria affertur, cum obligatione ſine dubio ad reſtitutionem, quod ſaltem verum eſt de debito, quod Rex contraxit poſt alienationem omnimodam illius iuris, ac totalis dominij. Neque enim repetendo debitum habeo actionem in bona, quæ non erant ampliùs debitoris, quando debitum factum fuit, & multò ante fuerant ab illo alienata, & amplius modò illius non ſunt, neque vllum ius in illa habet: tunc enim compenſarem me non ex re debitoris, ſed alterius, vt conſtat. Quod ſi debitum

debitum illud contractum fuiſſet ante alienationem omnimodam illius iuris, aut dominij: v. g. vectigalis, aut cenſus, poſſem vti compenſatione in illo iure, aut vectigali, vel cenſu poſt debitum alienato; quia non potuit alienari alteri ius in me, ſi ipſemet erat mihi debitor: hoc enim eſſet alienare rem meam. Nam ius quod habet in me, fit quaſi meum per compenſationem, & ita extinguitur ratione debiti, quod ipſe mihi debet, ſeu ratione iuris, quod ego viciſſim in ipſum habeo, æquè atque ſi meum fieret: quare ſi tibi debeam cenſum centum aureorum, & tu mihi intuleris damnum iniuſtum æqualis, aut maioris æſtimationis, non potes ita cenſum illum vendere, vt ego compenſatione vti non poſſim: hoc enim iniquum foret, neque impedire quo minus ratione iuris, quod in te habeo poſſim extinguere ius tuum, & quod habes in me ſecundum iuſtam proportionem: quia ſicut debitor non poteſt debitum transferre in alium ſine conſenſu creditoris; ita neque creditor poteſt transferre in alium ius, quod habet in debitorem, quando ipſe eſt viciſſim eius debitor, ea ſiquidem tranſlatio cum alterius iniuria manifeſtè fieret, faciléque foret eludere creditores, & ſe per impotentiam aut fraudem ab obligatione ſoluendi eximere.

Hanc itaque limitationem communi doctrinæ nuper expoſitæ paſſim adhibent Leſſius, Molina, Vaſquez & cæteri adducti cum P. a Nauarra. Hanc tamen pluribus impugnat Lugo *num.* 74. quia ſicut Rex nequit locare conductori niſi ius quod habet ad exigendum tributum, & quando exigere poſſet; ita neque omninò vendere, niſi cum eadem limitatione. Nam ius, quod venditur, non eſt niſi illud ipſum, quod locatur: non magis igitur obligari poſſunt ſubditi ad ſoluendum illud vectigal emptori, quam conductori, niſi quando, & quomodo tenerentur ipſi Regi, a quo tum conductor, tum qui eius plenum dominium, vt ita dicam, per omnimodam alienationem accepit, totum ius habent. In quibus itaque caſibus poſſent non ſoluere Regi, poterunt quoque non ſoluere illi, qui ius habet à Rege, ſiue per condonationem, ſiue per omnimodam alienationem. Et ſanè eodem modo venditur per aliquod tempus, v. g. triennium, ius ad exigendum tributum, atque alteri venditur in perpetuum, quod appellant venditionem tributi, & alienationem omnimodam illius, & non minùs debetur vectigal illo triennio conductori, quàm debeatur in perpetuum emptori. Cur igitur debitum contractum a Rege poſt elocationem nocebit conductori, cui per compenſationem debiti Regij fas erit tributum negare, & non nocebit emptori, cui non licebit negare tributum, in compenſationem debiti à Rege poſt alienationem contracti. Cùm enim paria ſint quoad ius à Rege translatum, ipſamque tranſlationem, totumque diſcrimen in maiori & minori duratione tranſlationis ſit, quæ ad vim & efficaciam iuris tranſlati, quamdiu durabit tranſlatio, nihil prorſus facit, quandoquidem æquè totum ius ad tributa à ſe abiecit pro hoc triennio, totumque in conductorem tranſtulit, atque in annos etiam conſequentes tranſtulit in eum, cui in perpetuum alienauit. Vel neutri igitur poteſt negari tributum pro compenſatione debiti poſt eiuſmodi tranſlationem contracti, vel vtrique negare licebit.

3 Obſeruat itaque Lugo *num.* 75. Regem vendentem, aut locantem gabellas aliaſque indictiones, non poſſe eas abſtrahere à conditione illis eſſentiali, vt non debeantur niſi quamdiu neceſſitas, & iuſtitia cauſæ propter quam indictæ ſunt, perſeuerat; illa enim ceſſante ſtatim iniuſtæ euadunt, & conſequenter indebitæ, neque ſubditi illas ampliùs ſoluere obligantur. Quando igitur quis conducendo, vel emendo in perpetuum accipit gabellas, non habet niſi ius illud ipſum, quod Rex habebat exigendi gabellas, durante neceſſitate, & iuſtitia cauſæ, quare ſi ea perſeueret per triennium locationis, conductor illas iure merito colliget, & qui emit, idem iure præſtabit, quamdiu perſeuerabit eadem iuſtitia, quæ ſi deſinat, ſtatim ceſſabit ius exigendi in conductore, & in emptore perpetuo, ſicut & in ipſo Rege, qui nequit ius quod non habet, aut ad tempus locare, aut in perpetuum vendere. Sicut nequit facere vt ceſſante iuſtitia tributi, ipſi debeatur, aut conductori, vel emptori. Eſſet enim manifeſtum ſubditorum damnum. Nam ante conductionem, & venditionem non debebant abſolutè vectigalia indicta, ſed iuſta, & quamdiu iuſta eſſent; & poſt eam conductionem, venditionemve, illa abſolutè deberent ſiue iuſta, ſiue iniuſta, ſiue cauſa perſeuerante, ſiue ceſſante, quod eſſet ingens & iniquum grauamen ſubditorum. Neque dicas præſentes neceſſitates aliquando poſtulare, vt vendatur, vel elocetur tributum abſolutum, & ſine vlla limitatione ad ſimul colligendam pecuniam, qua tunc indiget, ideóque quæcumque mutatio accidat in cauſa indicendi illius tributi, ſoluendum erit, quamdiu vel locatio, vel venditio durabit. Reſpondeo in primis conditiones eſſentialiter inditas rei, non poſſe ab illa ſeiungi quocumque contractu, ideoque ſemper ſubintelligi permanere in eiuſmodi contractibus, niſi illis expreſsè derogetur, quod fieri nequit, alioquin ipſi contractus inualidi eſſent, aut ſaltem in noſtro caſu ad æquitatem reducendi eſſent, reiiciendo eas conditiones derogantes eſſentialiter rei de qua contrahitur, tanquam turpes, & impoſſibiles, ac proinde tanquam non adiectas: quare potiori ratione non intelligentur adiectæ, ſi expreſſæ non ſunt: cum etiam eo caſu debeant reiici. Deinde cum ex natura cauſæ propter quam indicitur tributum, facilè conici queat an diu duratura ſit, facile quoque fuerit pretium locationis, & venditionis definire, cùm iſta diutiùs durare nequeant quàm iuſtitia vectigalis, quæ ceſſante cauſa, & neceſſitate ipſius, neceſſariò ceſſabit. Pluribus autem modis deſinere poteſt legitima cauſa colligendi vectigalis aliàs indicti, ſiue quia illa neceſſitas, qua vrgente fuerat indictum, omninò ceſſauit, nam ſi ex parte tantùm deſiit, minuendum erit proportione ſeruata; ſiue quia illa noua, & plura ſunt indicta vectigalia, quæ modo priorem gabellam, grauiorem, & intolerabilem reddunt, quamuis in ſe ſpectata tolerabilis foret, ideóque ceſſabit obligare ſubditum, quia alia tributa ſoluet, cùm nequeat ſine iniuſtitia ad omnes illas gabellas ſimul præſtandas obligari, aut ad vnam, aut aliam: ſiue denique quia reſpectu alicuius ſubditi gabella illa redditur iniuſta, quia iam ille ſufficienter Regi contribuit ex ſuis bonis ad neceſſitates communes, ideóque ſi & hanc gabellam cogatur ſoluere, nimio & iniuſto onere vexabitur. Quare in omnibus iſtis caſibus, in quibus vt vides gabella manifeſtè iniuſta euadit, neque Regi, neque publicano proinde

debebitur, quod nemo negat ceſſante neceſſitate, & cauſa propter quam fuit impoſita, aut accedentibus nouis gabellis eo numero, & grauitate, vt iam illa fiat intolerabilis, atque adeo iniuſta. Cùm omnes ſimul ſumptæ ſuperent longè neceſſitates propter quas indicuntur, aut ex aliis pluribus capitibus iniuſtæ euadant, quod communi ferè conſenſu tradunt DD. in tanta vectigalium, quæ in dies progeminant, & ſoboleſcunt multitudine ac varietate. De tertia cauſa iniuſtitiæ dubitari nequit: ſi enim paſſim gabella aliqua iniuſta eſſe poteſt reſpectu ſubditorum in vniuerſum, & indeterminatè, quia illos nimium onerat ex multitudine & acceſſione aliarum gabellarum, vnde fit vt plus æquo contribuere cogantur, cur eadem iniuſtitia reperiri non poterit reſpectu vnius alicuius ſingularis ſubditi, qui cùm iam ex ſuis bonis Regi contribuerit, præter æquitatem omninò onerabitur, ſi præterea ſolutione gabellæ opprimatur. Quare gabella illa, quæ in ſe ſpectata iuſta eſt, & reſpectu aliorum ſubditorum, illoſque proinde obligat, reſpectu iſtius ſingularis iniuſta erit, & illum non obligabit, quod nuper in paupere oſtēdebamus. Hoc verò totum reperiri ait Lugo *n.*76. in iſto Regis creditore, qui ſuum debitum ab illo recuperare nequit, ille enim iam ex ſuis bonis Regi contribuit. Quare ſi & modò gabellam conferre obligetur, plus æquo contribuet, ad quod cogi nequit, iniuſta igitur eſt illa gabella reſpectu illius, neque Regi debita, igitur neque publicano, qui non habet ius aliud exigendi gabellam, quàm habeat ipſe Rex, qui in eo caſu nullum habet, & iniuſtitiam committeret, ſi ab hoc ſuo creditore illam exigeret.

4 Hæc ratio De Lugo ſubtilis quidem eſt; mihi tamen à communi ratione nuper explicata parum differre videtur, niſi fortaſſis quia implicatior eſt: vtraque enim petitur ex iure, quod vnum idemque eſt in Principe, & publicano, quamuis à Principe ad publicanum, & ad emptorem deriuetur. Quare vbi ceſſat in Principe ius exigendi tributum, ceſſat quoque in conductore, & emptore illius iuris; & vbi tributum iuſtè negari poteſt Principi, poteſt quoque eadem ratione negari tum publicano, tum emptori. Ceſſat verò quoties Princeps iniuſtè gabellam ab aliquo exigit, vti facit dum à ſuo creditore, cuius debitum per vim & iniuſtitiam retinet, illud exigit: quæ ratiocinatio communis Doctorum, qui noſtram ſententiam amplectuntur, clara & perſpicua, atque, niſi fallor, efficax eſt, eamque probat Lugo, qui ex iure quod habet Princeps exigendi gabellam, quodque ſolùm confert publicano, ſapienter argumentatur. Verùm ceſſationem iuris huius in Principe, ſiue iniuſtitiam exactionis illius à ſuo creditore petit Lugo ex iniuſtitia gabellæ, quæ eo caſu petitur, & ideircò iniuſtè petitur. Iniuſtitiam autem gabellæ reſpectu huius creditoris, in eo conſtituit, quod nimium grauetur, cùm iam ex ſuis bonis ſatis ſuperque Regi contribuerit: cùm ratio communis ſupponat gabellam illam iuſtam eſſe, & verè debitam, compenſari tamen cum alio debito à Rege huic ſuo creditori: neque ad compenſationem inter duo debita requiritur, vt alterum ſit iniquè contractum, aut non debitum: ſatis enim eſt, vt vnum retineatur in ſolutionem alterius, vt fit in noſtro caſu. Cuius enim retinet gabellam, quam iuſtè debet Regi in compenſationem nummorum, quos ipſi Rex quoque iuſtè debet. Alioquin ſi eo ipſo quod Rex bona aliqua huius ſui creditoris retineat, iniuſta eſt gabella reſpectu illius, non eſt ibi compenſatio, ſed anticipata ſolutio illius gabellæ. Deinde an ea gabella erit perpetuò iniuſta reſpectu huius creditoris, an hac tantùm vice, an donec eius retentio vel negatio æquare valeat debitum, quod apud Regem manet: & quid ſi intereà decreſcant aliæ gabellæ, aut neceſſitates creſcant, ita vt nequidem cum illo ſuo tributo, & hac vna gabella ſufficienter adhuc contribuerit. Quis ambò hæc omnia iudicabit. Sanè ſi ea contributio non æquet contributionem aliorum ſeruata proportione, quæ iuſtæ cenſentur, non poterit negare gabellam; quia tunc etiam reſpectu huius regij creditoris iuſta erit. At in noſtra communi ſententia, quamuis iuſtiſſima gabella ſit, negari poterit ex iuſta & legitima compenſatione, quod affirmare nequit De Lugo, qui in alias difficultates de iuſtitia gabellæ ad huius compenſationis æquitatem tuendam, impedire ſe cogitur.

Verùm cùm conſtet nobis de veritate aſſertionis, quamuis in eius ratione explicanda diſſentiamus; plurima ex illa licebit ad praxim deducere.

5 In primis igitur licebit retinere gabellam in compenſationem debiti tum à Rege, tum à publicano debiti. De regio debito egimus hactenus: de debito publicani conſtat; cùm enim emolumentum illius gabellæ ratione conductionis, ad ipſum modò peruenire debeat, quidni ex aliqua eius gabellæ parte, quam ipſe debet, licebit compenſare.

Secundò inferunt Sanch. *dub.*48.*num.*3. & Lugo *diſp.*36.*num.*78. hanc de qua diſputamus compenſationem fieri non poſſe, cùm gabella eſt incapitata. Id autem fit, quando aliqui artifices, vel mercatores conuenerunt cum Rege, aut publicano de ſoluenda aliqua certa ſumma pro vectigali, & eam deinde inter ſe ſeruata proportione partiuntur, vt ex ſingulorum contributione ſumma illa conficiatur: quo caſu ſi vnus ex illis eſſet creditor Regis, aut publicani, non poſſet in compenſationem ſuam, illam partem retinere, quia id non cederet in damnum Regis vel publicani, qui nihilominus totam ſummam conuentam perciperent, ſed in ſociorum iniuriam, qui mutua collatione quod deeſſet ſummæ conuentæ, ex illius partis ſubtractione ſupplere tenerentur. Quæ eadem ratio demonſtrat etiam caſu, quo gabella non debetur, niſi petatur, quod aliquando contingere docuimus articulo ſuperiore; vbi tamen eſt incapitata, illam deberi omnes docent, quamuis non petatur; quia eius retentio cederet in damnum eorum, qui de ea ſumma conflanda conuenerunt, & ſinguli in ſolidum pro inuicem obligati ſunt. Ita iidem DD. obſeruant, Sanch. *dub.*10.*n.*6. Lugo *n.*48.

Tertiò quando ciuitas vel prouincia promiſit certam ſummam Regi pro tributo, & ad illam ſoluendam gabellam indicit ſuper aliquibus rebus, creditor Regis poterit nihilominus vti compenſatione de qua loquimur, non ſoluendo einſmodi gabellam, quia illam non debet ciuitati, ſed Regi, qui ciuitati vendidit vel locauit ius exigendi talem gabellam pretio ſummæ conuentæ. Quare eadem ratio huius caſus eſt, atque illius quo Rex publicano gabellam locauit, aut alteri vendidit. Neque dicas in hoc caſu Regem nullum ſentire damnum ex illa compenſatione, cùm nihilominus totam ſummam conuentam percipiat, ac proinde totum damnum cedat in ciuitatem, quæ ſummam illam nihilominus conflare debebit; quia idipſum

contingit

contingit in locatione facta publicano, qui totum pretium locationis repræſentare debebit Regi: quia tamen non potuit Rex illi dare ius aliud quàm, quod babebat, non habebat autem ius exigendi gabellam à ſuo creditore, cui tantùmdem debebat, vt diximus, idcircò publicano non facit iniuriam hic creditor, non ſoluendo gabellam.

6 Quartò quando debitum contractum fuit à Rege poſtquam gabella debebatur abſolutè, non poterit illa negari & per compenſationem retineri à creditore Regis. Obſerua hoc debitum poſſe contrahi vel poſt indictam gabellam, atque etiam publicano locatam, vel poſtquam publicanus vi illius locationis plenum illius ius acquiſiuit, ita vt illi duntaxat, & non amplius Regi debeatur. V.g. debetur gabella ex venditione mercis, aut ex tranſuectione. Venditio eſt celebrata, & merces tranſuectæ, gabella tamen nondum fuit ſoluta, quia publicanus tibi moram aliquam conceſſit, qua durante Rex tibi debitor fit; non potes retinere gabellam illam prius omninò, & abſolutè publicano debitam: nam heri debebatur publicano, & non Regi, cuius nondum creditor erat. Quod ſi heri non ſoluiſti publicano, fiaſque hodie Regis creditor, non potes idcircò gabellam publicano à te debitam, & non Regi, retinere in compenſationem debiti regij, hodie duntaxat contracti: nam ſi bodie debeas Caio centum ex cenſu annuo, illeque totum illud debitum transferat in Sempronium, qui idcircò ratione eiuſmodi tranſlationis ſibi factæ, debitum illud à te exigit, & tibi dilationem, & moram aliquam ſolutionis petenti lubens concedit; durante verò ea mora, Caius alia centum à te mutuò accipit, non poteris in huius noui debiti compenſationem retinere centum illa, quæ Sempronio debebat; quia quamuis illa prius Caio deberes, quàm Sempronio, in quem totum ſuum ius Caius tranſtulit, illa tamen non amplius Caio debes, ſed Sempronio, perinde atque ſi nunquam ea Caio debuiſſes. Non potes igitur quod debes Sempronio, & non amplius Caio, retinere in compenſationem eius, quod Caius tibi modò debet. Quare vulgare illud argumentum, non eſſe tributum ſoluendū publicano, quo tempore Regi ſoluendum non eſſet, ſi per ſe te illud exigeret, non bene obiicitur in hoc caſu à Vaſq. *c.6. de reſtitut. num.*41. quia ſoli publicano, & non Regi debetur gabella in caſu poſito: quare non licet in compenſationem debiti regij retinere quod Regi non debetur, ſed alteri, ſiue is publicanus, ſiue quis alius ſit, qui ius à Rege acceperit, propter quod illud debitum iam ſuum fecit. Concedimus quidem debitum factum à Rege poſt gabellam ab illo indictam compenſari poſſe negatione gabellæ prius indictæ, ſed non tamen poſt debitam abſolutè gabellam: ſicut non liceret gabellam iam ſolutam occultè accipere per compenſationem debiti regij, quia gabella illa ſoluta, ſiue nummi pro ipſa dati ſunt modò in abſoluto, & proprio dominio publicani, & non Regis: quod idem contingit, ſi iam debita fuit abſolutè gabella, quamuis eius ſolutio dilata fuerit ex venia, & gratia publicani, qui tibi petenti tempus colligendæ pecuniæ conceſſit.

7 Quintò ſi vendit Rex totum tributum, eiuſque ius alicui, qui illius iam factus eſt abſolutè dominus, poteſt nihilominus creditor regius in compenſationem debiti ante eam venditionem contracti gabellam retinere; quod Leſſius *c.*33. *num.*77. Malder. & Diana nuper laudati affirmant, quia nemo alteri poteſt transfere ius in me, ſi ipſe erat meus debitor, alioquin venderet rem meam, vt nuper argomentabamur. Neque poteſt hoc loco conſtitui diſcrimen idoneum inter illam venditionem perpetuam omnis iuris, ac dominij, & locationem, vel venditionem temporariam, quod attinet ad debitum contractum poſt illam omnimodam venditionem. Maior difficultas videtur an propter eius compenſationem poſſit negari tributum ita venditum, quod pluribus contendit Lugo *diſp.*36. *num.*82. & 84. quia nequit Rex vendere ius ad exigendum, niſi quale ipſe habet, illud autem eſt ſolùm quamdiu tributum iuſtum eſſe perſeuerauerit: vnde ſi accedentibus nouis tributis, iam iſtud olim venditum incipiat eſſe iniuſtum, non magis illud debebitur emptori, quàm ipſi Regi. Qua etiam de cauſa ſi creditori regio, qui iam ſufficienter contribuit ad publicas neceſſitates, ex ſumma illa debita, quam ipſi Rex retinet, incipiat eſſe iniuſtum hoc tributum venditum, ad illud non tenebitur, fraudareque poterit.

8 Sextò quoties ſunt diuerſa tributa, diuerſique publicani, quorum vnus à te indebitā, & iniuſtam, gabellam exigit, alter iuſtam, & debito modo, exiſtimant aliqui negari poſſe gabellā vni publicano illam iuſtè petenti, ad compenſandam eam, quam alter iniuſtè petierat. Cùm enim vtraque debeatur Regi, licebit mihi damnum, quod ab eo accepi compenſare. Diſtinguendum tamen eſt: nam ſi is qui iniuſtè petiit, & quod proinde non debebas, exegit ex commiſſione, & mādato, vel iure regio à ſe conducto, neque eius fines exceſſit, erit locus compenſationi, & poteris negare gabellam, quamuis alioquin ex ſe ſe iuſtam, & debito modo petitam; quia Rex, ex cuius authoritate vterque publicanus agit, non habet ius iam à te petendi; quia iam eius authoritate & mandato ſoluiſti quod ſoluere non debebas. Quare poteris vti compenſatione. Si verò publicanus commiſſionem ſuam exceſſit, vti frequenter fit, quia & ab exemptis, & ex rebus quæ tributariæ non ſunt, & pluſquam oportebat extorſit, non poteris deinde alteri publicano iuſtè petenti negare iuſtam gabellam, neque licebit vti compenſatione; quia Rex nihil tibi debet, quod compenſes, nihil ſiquidem tibi abſtulit, neque illi tributum illud ſoluiſti, ſed gabellario propria authoritate, & mentito Regis nomine petenti, qui tibi propterea, quod per iniuſtitiam extorſit, reſtituere debet. Et ſanè ſi quis fingens ſe eſſe famulum tui creditoris, nummos illi debitos à te emungeret, non idcircò liberaeris obligatione ſoluendi tuo creditori debitum repetenti. Cur igitur excuſaberis à ſoluendo iuſto tributo, & legitimè petito, quamuis aliud iniuſtum ad impoſtore ſoluere coactus fueris? Age aduerſus illum nebulonem, non aduerſus Regem cuius ille nomen per ſummam iniuriam vſurpauit.

Consectarium V.

Vtrum actores mercatorum, qui cum Gabellariis tranſigunt, poſſint à ſuis dominis integram gabellam repetere, cuius tamen duntaxat partem ipſi ſoluerunt.

Status quæſtionis. 1.

Quid ſi agat cum cuſtodibus, & non cum publicanis. 2.

Diſtinguuntur varij caſus. 3.

1 CAius Lugduni emit merces, aut aliunde aduectas tranſuehi curat nomine Tirij, Romæ, vel Pariſiis commorantis, qui illum actorem ac commiſſarium ſuum conſtituit; quod & plures alij præſtant ſolutis illi definitis ſtipendiis; ille verò pro eiuſmodi mercibus tranſigit cum publicanis, & gabellariis, qui Doannæ (ſic enim eam gabellam nominant) præſunt, & vectigal aliqua parte curat imminui, nihilominus totum & integrum aut ſaltem multò maius, quàm ipſe ſoluerit, repetit à mercatore, cuius commiſſarium egit: atque ita cùm plurium mercatorum externorum actor ſit, non exiguas ſibi copias comparat: præter enim ſtata ſtipendia, non leue lucrum ex eiuſmodi gabellarum redemptione facit. Id totum etiam ab actoribus mercatorum Antuerpienſium fieri in Hiſpania teſtatur Leſſius *dub.* 12. *cap.* 33. vbi ſapienter diſtinguit, an iſte actor mandatum habeat à domino tranſigendi cum gabellario pro mercibus inuehendis, euehendiſque; an verò nihil ipſi ſingillatim mandatum ſit, ſed ſolùm vt eas merces tranſuehi curet ſolutis gabellis, & aliis oneribus tranſuectionis, qui modus commiſſionis ordinarius eſt. Si mandatum habuit de tranſigendo cum gabellario, debet illud fide ſumma exequi, alioquin tenebitur de damno, neque vectigal eiuſmodi ſibi retinere poterit, cùm ad illud nullum ius habeat. Si verò nullum habuerit mandatum, vel init ſocietatem cum gabellario, & vnà cum ipſo gabellas conducit, vel nulla inita ſocietate totum ius gabellarij in illas merces ſibi emit, vel denique intendit obligationem vectigalis prorſus extinguere. In duobus primis caſibus poterit ſibi illam partem vectigalis in merces domini retinere, neque peccabit contra iuſtitiam. Quia vel totum ius gabellarij, vel eius partem emit inita ſocietate, quod vtrumque facere potuit: quod enim ſit actor mercatoris illius, non impedit quin poſſit eſſe gabellarij ſocius, cùm iſta inter ſe non pugnent. Neque etiam impedit, quin totum gabellarij ius quod vendibile eſt, emere ipſe poſſit, ſicut & alius poſſet, neque tenebitur lucrum, quod ex ea conductione gabellarum, & emptione iuris gabellarij faciet, in ſui domini vtilitatem conuertere; quod multò verius eſt in eo, qui non eſt mercatoris famulus, ſed eius aliorumve in foro commiſſarius: cuiuſmodi ſunt plures in foro Lugdunenſi, & aliis. Illi enim cùm ad aliud non teneantur, quàm merces, quæ, & quales petentur ab externis mercatoribus curare, & tranſmittere, aſſignatis certis ſtipendiis, v. g. duobus nummis in ſingula centena, poſſunt & ipſi mercaturam agere, & gabellariorum iura emere, aut cum ipſis ſocietatem inire; neque idcircò faciunt iniuriam mercatoribus, qui ipſis ſuarum mercium emendarum, & tranſmittendarum curam committunt, ſi ſimul alia negotia gerant, modò aliunde iniuſtitiam aduerſus illos non committant. In vltimo caſu, in quo iſte actor certo pretio, de quo cum gabellario paciſcitur, intendit obligationem vectigalis extinguere, negat Leſſius poſſe ſibi illud vectigal retinere; quia reuerà non tranſtulit in ſe ius gabellarij, ſed prorſus illud extinxit, ab eoque dominum ſuum liberauit. Duo ſiquidem illa longè diuerſa ſunt, transferre in ſe ius gabellarij, & redimere obligationem domini ſui quæ manet, aliud verò, illud ius in aliquem transferri, & ſimul manere obligationem in mercatore: nam non poteſt ea obligatio redimi & extingui, ſimùlque ius in alio manere; hæc enim duo correlatiua ſunt, quare vno ſublato, alterum manere nequit. Verùm qui ita tranſigunt cum gabellariis, id paſſim faciunt, vt inde aliquid lucrentur ſine vllo domini, aut mercatoris damno, à quo licèt plus exigant nomine gabellæ, quam ipſi ſoluerint, non tamen totam accipiunt, ſed multò minorem, quam ipſi mercatores ſoluiſſent, ſi ipſi, qui ignoti & externi erant, ſoluiſſent, quia præſtitiſſent integram gabellam. Deinde actores & commiſſarij, cum non ſint famuli eorum mercatorum, vix vnquam eorum nomine, ſed proprio ſuo cum gabellariis agunt, & cum mercatoribus, à quibus merces emunt, ipſique mercatores ſunt, qui ſuas illas etiam merces vendunt: quare non intendunt vnquam ita liberare mercatorem, ad quem merces tranſmittunt, omni obligatione vectigalis, tranſigendo cum gabellariis, vt ipſi nullum ius ſibi retineant ex illo vectigali lucrandi, aut capiendi abſque iniuria, & damno mercatoris, cuius commodum faciunt, dum illi vectigal ex parte minuunt.

Sed grauis hinc oritur difficultas; quia iſti actores, & commiſſarij nonnumquam agunt cum excubitoribus & cuſtodibus, & non cum ipſiſmet publicanis: iſti enim excubitores, & cuſtodes non fideliter referunt numerum, vel conditionem mercium, quas etiam non inſpiciunt accuratiùs, atque ita per fraudem minuitur vectigal, & gabella, cuius quod ſuperfuit partiuntur cum actore, qui totum illud deinde repetit à mercatore, non ſine aliquo tamen ipſius compendio, quia totam gabellam non ſoluit, eiuſque aliquam partem lucratur. 2
Fit tamen iniuria, & damnum gabellario, cui merces occultantur. Quod ſi dicas non deberi gabellam tranſuectionis mercium, niſi petatur, & quamuis in ea occultatione, ex qua fit vt non petatur, peccetur mendacio, & fraude, non tamen peccari contra iuſtitiam; hinc duntaxat colliges non committi iniuſtitiam contra gabellarium, neque illi quidquam ex ea ſubtractione mercium reſtituendum eſſe, fiet tamen iniuſtitia mercatori, à quo repetis tanquam eius nomine ſolutum, quod non ſoluiſti, & quod ipſe non debebat; quia non debebat hanc gabellam niſi peteretur, atqui petita non fuit: ergo neque debita, & tamen ab illo tanquam debitam repetis. Deinde non fuerat tibi debita, ſed gabellario, cum quo tu non tranſegiſti, neque eius tibi ius aliquo legitimo contractu quæſiuiſti, ſed illum fraude decepiſti, quæ fraus illius ius tibi comparare non potuit, ſicut neque cuſtodi, qui tibi fraudis committendæ ſocius fuit, qui proinde non poterit illam gabellæ partem exigere. Poteſt quidem pretium promiſſum fraudis, ſiue operæ in paranda fraude tibi exhibitæ à te exigere, & capere, (vti aliàs diximus de ſtipendio Turpis operis) non poteſt tamen à mercatore præmium illud poſtulare, ab eoque inuito, & deinſcio capere: quamuis enim in eius commodum laborauerit ſuis fraudibus, non eius tamen iuſſu; qui totius rei prorſus ignarus eſt, laborauit: quare ab illo inſcio mercedem capere nequit, qui illi nihil prorſus debeat; ſed tu debes, qui illum operi admoniſti, quamuis non tui tantùm, ſed alterius etiam gratiâ. Denique ſi totus iſte agendi modus probetur, aperitur via fraudibus omnibus. In hac implicatiſſima difficultate plura omninò diſtinguenda

diſtinguenda

ſtinguenda ſunt, vt videamus quid aduerſus gabellarium, quid aduerſus mercatorem, cuius merces ſunt vectigales committatur, & ad quid tum commiſſarius, tum gabellarij excubitor obligetur.

In primis ſi pro ea mercium tranſuectione debeatur gabella, etiam non petita, & ſi ea gabella iuſta exiſtat, vti præſumendum omninò eſt, atque ita obliget, fit damnum & iniuria gabellario ea fraude, quam ſimul cuſtos & commiſſarius concinnant, tenenturque ad reſtitutionem fraudatæ gabellæ; quod probatione non eget, & cùm ſint ambo cauſæ morales ex æquo ſimul concurrentes communicato conſilio, ſimul obligantur; quia tamen cuſtos fuit cauſa proxima phyſica, ſolus cuſtos obligatur primo loco ad reparationem damni quod ipſe ſolus intulit, quamuis cum alterius conſilio, atque conſenſu, & in eius deinde defectum obligatur commiſſarius, qui & author fraudis fuit. Quare vterque debet quidem, quod ex ea ſubtractione percepit, gabellarioque ſubripuit reddere ratione iniuſtæ acceptionis, non rei acceptæ: nondum enim nummi, quos retinent, erant gabellarij. Deinde ſi cuſtos non reſtituat ſuam illam partem debitam gabellario, illam debebit reſtituere commiſſarius. Quæ omnia ex principiis vniuerſalibus de reſtitutione certiſſima ſunt. Poterit nihilominus iſte cuſtos, qui fraudem commiſit, poſtulare à commiſſario præmium ſuæ operæ promiſſum, quod ſi fuerit pars aliqua debiti vectigalis, illam accipiet a commiſſario, non tanquam partem ſubducti vectigalis, ſed tanquam pretium ſibi à commiſſario promiſſum, & manebit nihilominus obligatus ad damnum, quod gabellario ſua culpa creauit, reparare.

Secundò ſi hæc gabella vel iniuſta erat, vel non debebatur niſi petita, & occultatione mercium ex conſenſu commiſſarij facta, cuſtos impediuit ne peteretur, peccauit quidem, & grauiter eſt, nulla tamen obligatio eſt quidquam reſtituendi gabellario, cui nondum debebatur gabella, ſed debenda erat, quare nihil, quod eius eſſet ſubductum fuit, ſed quod futurum eius erat: eius itaque reſtitutio facienda non eſt gabellario, neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniuſtæ acceptionis: debetur tamen cuſtodi pretium promiſſum à commiſſario pro opera præſtita in occultandis mercibus, qui etiam peccauit contra fidelitatem domino ſuo debitam.

Tertiò ſi merces occultæ erant mercatoris, & non commiſſarij, qui nomine mercatoris tantùm ſoluturus erat gabellam, & reuera eius nomine ſoluit partem illam gabellæ pro mercibus, quæ gabellario expoſitæ ſunt, nequit reliquam gabellam pro mercibus non profeſſis à mercatore repetere; quia illa gabellæ pars pro mercibus non expoſitis cum aliis, non debetur à mercatore, cùm petita non fuerit à gabellario, cui ſi fuiſſent expoſitæ debebatur, non cuſtodi, aut commiſſario, qui, vti iam monui, illa occultatione non tranſtulerunt in ſe ius gabellarij ad exigendam eam partialem gabellam. Iniuſtè itaque petitur à mercatore gabella, quæ neque eius nomine ſoluta eſt, neque vnquam debita: quare ſi quid accipiat pro ſua opera cuſtos, id accipiet tanquam pretium à commiſſario promiſſum, non tanquam partem gabellæ à mercatore, qui illam reuera nulli debet, neque debuit, ſed debiturus erat gabellario, quod ne faceret ſua quidem fraude cuſtos impediuit, ſed non idcircò aut ſuam, aut ſibi debitam fecit.

Quartò itaque commiſſarius, qui mercatoris rem vtiliter egit, & impediuit ne gabella deberetur, atque adeò vt ſine iniuſtitia non ſolueretur, poteſt repetere à mercatore impenſas quas fecit in vtiliter gerendo eius negotio, & conſequenter pretium operæ ſibi eam ob cauſam a cuſtode exhibitæ, illique promiſſum. Neque enim ipſe mercator tenetur ad compenſandam eam operam ex ſuis bonis, pretium autem illud fuit pars aliqua vectigalis, quod debitũ, & ſoluendum fuiſſet: eam igitur partẽ à mercatore petere poterit. Reſtat pars altera, quã ipſe commiſſarius ſibi ſumit, & à mercatore exigit, quam tamen eius nomine non ſoluit, cùm neque debita fuerit. Dici tamen poteſt illam eſſe præmium ſuæ induſtriæ, & diligentioris ſollicitudinis in minuendo vectigali, quam adhibere non tenebatur; poterat enim omnes merces exponere, atque ita obligare mercatorem ad ſoluendum totum tributum, quod tunc reuerà totum debitum fuiſſet à mercatore. Hæc igitur ſollicitudo, & induſtria ad quam non obligabatur commiſſarius, & quæ plurimùm vtilis fuit mercatori, digna ſine dubio eſt ſua mercede, in quam retinet aliquam partem vectigalis, quam mercator non exiſtimabit nimiam eſſe: quandoquidem illam ipſam partem, & multò ampliorem ſoluiſſet gabellario, ſi commiſſarius ſua induſtria non impediuiſſet.

Quintò aliquando commiſſarius, & actor tranſmittit merces omni vectigali liberas ſuo periculo, pro certa aliqua mercede, in qua definienda habetur ſine dubio ratio vectigalis, & gabellæ, cui eiuſmodi genus mercium obnoxium eſt: quo caſu ſi commiſſarius poſſit ſua induſtria deludere gabellarium, & efficere ne gabella ab ipſo petatur, neque proinde debeatur, poterit nihilominus totam illam mercedem conuentam, in qua & ipſum vectigal numerabitur, à mercatore accipere. Nam non facit illi iniuriam, aut damnum, cùm pactum ſtipendium capiat, tum pro ſua opera, tum pro vectigali quod ſoluere debebat, ſi ſua induſtria illud non euitaſſet: quod videmus in omnibus aliis, quibus aſſignatur certa ſumma pro expenſis, quas in gerendo aliquo negotio facturi ſunt. Si enim ſua parcitate, aut induſtria, aut fœlici aliqua ſorte minores multò, aut etiam ferè nullas faciant, pactam tamen ſibi ſummam iure merito capient: ipſis enim, non alteri illa parſimonia proficere debet. Et ſanè non eſt vnquam illa mens circa expenſas faciendas contrahentium, vt ſi quid non fuerit expenſum, deinde decedat actori, & accedat illi, cuius negotium geritur. Immò illa reliqua volũt in partem ſtipendij, quod alioquin maius poſtularetur, cedere, alioquin non conueniretur de certa ſumma, ſed expenſarum capita recenſerentur, vti fit à famulis; eſſetque reddenda ratio ſingulorum. Et confirmatur, quia vbi conuenitur de ſtata ſumma, ſi ea non ſufficiat ſumptibus, non idcircò augetur à mercatore. Igitur ſi minor ſufficiat, ab illo diminui nequit, ſed æqua debet eſſe ſors contrahentium. Adde in hoc noſtro caſu, commiſſarium tranſmittere merces ſuo periculo, quare ſi fraus aduersùs gabellarium commiſſa deprehenderetur, merces committerentur periculo commiſſarij, qui illas nihilominus præſtare deberet mercatori. Sanè cuius eſt periculum, eius debet eſſe & commodum. Atque hic contrahendi modus euidenter docet ita mercatorem paciſci cum actore, & commiſſario, vt illi promittat certam illam ſummam pro libera tranſuectione mercium ſuam, quocumque modo ſe gerat commiſſarius, ſiue ſoluat gabellam, ſiue illam eludat.

Et

Et licet in ea ſumma promiſſa attendatur ſolutio gabellæ, non paciſcuntur tamen, vt ſi illa ſoluatur, totam ſummam promiſſam accipiat commiſſarius, ſi verò eludat gabellam, non niſi eiuſdem ſummæ partem poſcere poſſit: ſed de ſumma illa conuenitur vtriuſque æquali periculo, vti diximus; quod idem dicendum eſſe exiſtimo, quando diſtinctè conuenitur pro mercede certa, & deinde pro gabella ſoluenda, ex quibus duabus ſummis partialibus, & ſingillatim definitis conflatur vna ſumma totalis, de qua conuenitur; totiúſque tranſuectionis periculum præſtat commiſſarius. Nam ſiue gabellam pendat, vt dixi, ſiue non, ſummam pro illa ſoluenda aſſignatam ſeruare poterit; quandoquidem ſi non ſoluit, ſuo periculo non ſoluit, ſuo etiam commodo non ſoluere debet. Præterquam quod probè ſcit mercator hunc commiſſarium non ſoluturum gabellam, ſi illam vitare poſſit, aut quantum licebit, omnique induſtria detracturum, neque omninò intendit ſibi illud accreſcere: perinde verò eſt mercatori, ſiue commiſſarius agat cum gabellario de imminuenda gabella, ſiue illi illudat, ſiue cuſtodis, alteriuſve opera vtatur, ſuo ſiquidem periculo id facit, non mercatoris, qui ſuas merces liberas omni gabella recipere dumtaxat intendit, & quod eam in rem promiſit commiſſario, libenter præſtat, quomodocumque in curanda tranſuectione ſeſe geſſerit commiſſarius, ſiue gabellam ſoluerit, ſiue non ſoluerit.

Sextò denique commiſſarius ſuas merces, & quas ſuo nomine emit, atque comparauit, vendit, tranſmittitque mercatori liberas omni onere gabellæ, cuius causâ mercium pretium auget, & tamen ipſe non ſoluit gabellam, aut non integram, ſiue ex conditione gabellarij, ſiue ex tranſactione cum ipſo, ſiue denique aliqua fraude: nihilominus tamen integrum pretium, quod ex ſolutione gabellæ ex parte conflatum erat, repetit, quod videtur iniquum, cùm gabella non ſoluta fuerit, vel non integra.

Reſp. tamen hoc caſu totum illud pretium iuſtè poſtulari à commiſſario, quia reuerà illæ merces tanti valent, quanti venduntur: nam venduntur vt liberæ gabellâ, quales reuerà ſunt, vt liberæ autem tanti valent. Quod verò liberæ factæ ſint à vectigali, eius ſolutione, aut non ſolutione propter condonationem, tranſactionem, aut fraudem, nihil omninò facit ad augendum, aut minuendum earum valorem, quem maiorem accipiunt ex eo quod immunes omni onere tranſmittantur. Itaque nulla aduersùs mercatorem committitur à commiſſario iniuſtitia, qui proinde totum illarum mercium pretium tanquam æquũ repetere poterit, neque mentitur dum in ea venditione diſtinguit valorem mercium, & vectigalis. Nam vterque ille valor verus eſt, & vterque ſolui debet à mercatore, qui & illas merces recipit, & illarum à gabella liberationem, quæ tanti eſt quanti eſt ipſa gabella, vt patet, atque hic modus agendi commiſſariorum communior eſt.

Consectarium VII.

Monitum Confeſſariis.

Ex hactenus diſputatis colligere licebit quomodo in hac implicatiſſima materia, quæ ſæpius conſcientias vrget, gerere ſe debeant confeſſarij, ne iniuſtitiæ faueant; quod pridem monuere Molina *diſp. 674. n. 9.* & Lugo *diſp. 36. num. 43.* aliique non pauci.

In primis enim monendi, vrgendique ſunt pœnitentes ad pendenda tributa, niſi manifeſtiſſima ſit eorum iniuſtitia, alioquin pro iuſtitia tributi & Principis præſumendum eſt. Secundò in particulari non eſt confeſſarij iudicare, quodnam ex tributis & vectigalibus iniuſtum ſit: quare ab eo iudicio debet abſtinere, cùm in eo facilè varias ob cauſas & rerum ſtatus, quos ignorat errare queat. Quod idem monet de tributis omnibus ſimul ſumptis Molina *conc. 3.* quare Principibus, eorumque conſiliariis relinquendum id erit. Tertiò quando ex vulgi rumore, ex Doctorum ſenſu, ac querelis, ex immenſa illa varietate, & multitudine tributorum dubium ſaltem fuerit, an ſit aliquis exceſſus, & quis fraudem commiſit, retinuitque tributum, ſi illud debitum erat non petitum, ac proinde ſi defraudatum ſit, reſtituendum; videat an id in quo defraudauit attenta perſonæ, & negotiorum conditione, aliiſve circumſtantiis non excedit id in quo ipſa tributa ſaltem ſimul ſumpta videntur æquitatem excedere, tunc non debet cogere pœnitentem ad reſtitutionem; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & confeſſarius exponeret ſe periculo auferendi quod ſuum eſt à pœnitente, quem cogeret ad reſtitutionem. Ita disertè habet Sylu. *verb. gabella, 3. num. 29.* Deinde cùm Principes idcircò, vti alias monuimus, tributa multiplicent, quia probè ſciunt omnia non integrè ſolui, & per fraudem plurima ſubtrahi, alioquin ſi ſingula præſtarentur, manifeſtus eſſet eorum exceſſus, non videntur velle ad reſtitutionem obligare iſtos defraudantes, cùm eorum fraudes aliorum tributorum adiectione compenſent: gabellarij verò eaſdem fraudes præſentiunt, ideóque & minoris redimunt à Rege, atque etiam ſuo periculo accipiunt, & confiſcatione, ac mulctis defraudationum damnum ſatis infrequens, plus æquo ſupplent, neque reſtitutionem à fraudatoribus expectant: quare in illo dubio obligationis reſtituendi, parum prudenter a confeſſario cogerentur iſti fraudatores. Quartò quando lex gabellaria vel ad ſoluendum, vel ad ſubeundam pœnam, veluti alternatiuè obligat, fraudator non debet obligari ad reſtitutionem ad quam non teneatur, ſed ad pœnam ſubeundam, vbi illa infligetur: nam ante ſententiam ſibi ipſi illam infligere non tenetur. Quintò vbi gabella non debetur niſi petita, quia illam fraudauit non petitam, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis in modo concinnandæ fraudis, mendacio, periurio, aliave ratione peccarit, non tamen contra iuſtitiam peccauit, vti fuit nuper explicatum, quare à confeſſario ad reſtitutionem cogi non debet. Sextò ita ſe gerat confeſſarius, vt & populum in obedientia Principi debita contineat, & tamen ſuum quoque ius pœnitenti ſeruet, pœnitentiæ ſacramentum importunum, & intolerabile non reddat, neque dum cogit ad reſtitutionem pœnitentem abſque ſufficienti cauſa, illum periculo ſalutis æternæ exponat. Vide Nauar. *cap. fraternitas, à num. 41.* Denique ne ſubitò & temerariò in caſu difficili, & magni momenti rem definiat, ſed ad tempus rem accuratiùs expendi poſcat, & DD. conſulat: nam ſæpiſſimè error in hac re commiſſus emendari deinde non poteſt.

ARTICVLVS XII.

Notationes de modo perficiendi & implendi contractum. 1.
Gabella debetur gabellario exiſtenti dum perficitur contractus. 2. 3.
Quando & quomodo debeatur gabella in contractibus conditionatis. 4.
Quo loco debeatur gabella. 5.

TRes iſtæ quæſtiones ita inuicem connexæ ſunt, vi ſeorſim explicati nun poſſint. Cùm enim non ſemper ſit idem gabellarius cùm celebratur, & completur contractus, vt definiamus cuinam ex gabellariis debeatur gabella, definiendum quoque priùs eſt, quo tempore debeatur, an ſtatim celebrato contractu, an verò illo impleto duntaxat. Deinde quia implemr aliquando contractus in vno loco, & in alio celebratur: v.g. hîc ſit venditio, traditio verò rei venditæ alibi, neque in iiſdem locis ſunt iidem gabellarij, & debetur gabella gabellario loci, in quo ſoluenda eſt, non poſſumus aſſerere cuinam ſoluenda gabellario ſit gabella, niſi conſtet in quonã loco ſoluẽda ſit. Quia verò contractus alij ſunt abſoluti, alij conditionales, & varijs modis vtrique & celebrantur, & perficiuntur, plures difficultates in tota iſta materia implicantur, de quibus ferè ſingillatim diſputant DD. quas ſingulas cùm innumeræ exiſtant, complecti, & percuttere vix poſſumus: præterquam quod ea ſingularis enumeratio infinitæ cuiuſdam foret operæ, quare conabimur doctrinam vniuerſalem tradere, eamque certis, & conſtantibus iiſque paucis propoſitionibus, & veluti regulis noſtro more comprehendere, quamuis in tota iſta materia priuati mores & iura monicipalia attendenda maximè ſint.

Aio igitur primò in contractibus abſolutis deberi gabellam quando celebratur, & perficitur eſſentialiter contractus, & non tantùm, quando impletur, ac proinde pendendam eſſe gabellam gabellario exiſtenti tempore contractus eſſentialiter perfecti, non autem exiſtenti tempore quo impletur, ſi iſte gabellarius diuerſus ſit ab illo priori.

1 Obſerua igitur aliud eſſe contractum eſſentialiter perfici, aliud impleri: perficitur enim dum ponuntur omnia ipſi eſſentialia, ita vt non ſit liberum parti pro arbitrio reſilire, & ad diſſoluendum contractum opus ſit nouo pacto, quo fiat ille, vt ita dicam diſtractus, incipiantque ſtatim contrahentes obligari ad implendum contractum; quia cùm obligatio vel ſit ipſa eſſentia contractus ex vulgata definitione Labeonis, vel formalia eius effectus, vel primaria eius proprietas, neceſſariò ex illa eſſentia profluent quæque impediri, aut tolli nequeunt, niſi ſublata aut mutata contractus eſſentia, quæ non oritur niſi perfecto eſſentialiter contractu, & illo perfecto neceſſariò profluit. Impleri verò dicitur contractus, dum obligatio contracta quidpiam faciendi, mandatur executioni: v.g. venditio perficitur eſſentialiter mutuo conſenſu venditoris, & emptoris, quo vnus ſeſe obligat ad tradendam rem, alter verò ad ſoluendum pretium; & ſic impletur dum res traditur, & pretium ſoluitur, quod ſi alterum tantùm ex iſtis fiat, impletur venditio ex vna parte, alteraque manet obligata quod promiſit implere: ſi vtraque pars efficit quod ſuum erat, contractus erit omninò completus, quia obligationi per ipſum contractæ, ſatisfactum vtrimque eſt. Hæc porrò impletio non eſt aliquid intrinſecè pertinens ad ipſum contractum, ſed eſt effectus illius, & conſequens ipſam obligationem, eſſentia autem contractus vel eſt ipſa obligatio, vt dixi, vel cauſa formalis illius obligationis, aut, ſi lubeat, vis quædam obligatiua, quæ tota conſiſtit abſque eo externo effectu, ad quem ponendum obligat. Sic matrimonium perfectum eſſentialiter eſt in ratione contractus, licèt nunquam ſequatur copula coniugalis ad quam ordinatur.

Obſerua ſecundò contractus diuerſis modis eſſentialiter perfici: alij ſiquidem ſolo conſenſu, alij rebus, alij verbis perficiuntur. Primi illi ſolam mutuam conuentionem partium poſtulant, vt cenſeantur eſſentialiter perfecti, neque aut rei alicuius traditionem, aut certa verba exigunt ad contrahẽdam obligationem: eiuſmodi ſunt venditio, emptio, locatio, conductio, ſocietas, mandatum, ex *§.vnic. Inſt. de obligat. quæ ex conſenſu*: quibus adde etiam hypothecam, hi enim omnes contractus non requirunt actualem traditionem rei alicuius, vt intelligantur obligare, vti ipſum nomen, atque conſtans omnium ſenſus oſtendit. Alij contractus dicuntur perfici rebus; quia non cenſentur eſſentialiter conſtitui, antequam res ipſæ tradantur, vt donatio, mutuum, commodum, depoſitum, pignus: ante traditionem enim rei non eſt donatio, ſed promiſſio, neque mutuum contraxiſti, niſi pecuniam mutuo acceperis, quod in aliis ſimilibus facilè obſeruabis, traduntque vulgò DD. hanc regulam deſumptam ex Bart. *ad l. iuriſgentium, n.* 2. *D. de pact.* Quoties nomen contractus ſignificat rem ipſam, & factum externum, ſiue actionem externam, rebus perficitur: quando verò ſolam conuentionem, & pactum, non autem actionem externam, perficitur ſolo conſenſu. V.g. mutuum & depoſitum ſignificat primò & per ſe actionem externam, qua alicui quidem res mutuò datur, aut apud alium ponitur. Itaque ante eam traditionem non dicitur res mutuò data, aut depoſita, quamuis de mutuo, & depoſito faciendo conſenſerint partes, & ad illud ſeſe obligarint; donec enim rem tradant, non eſt contractus mutui, neque depoſiti. Idem dices in permutatione, quæ reuerà non eſt niſi traditis rebus quæ inuicem permutantur; quamuis enim ante hos omnes, ſimileſque contractus præcedere poſſit aliqua conuentio, qua quis ſe obligat ad mutuò dandam, deponendam, & permutandam rem quampiam, illa tamen conuentio nondum mutuum, depoſitum, aut permutatio exiſtit: ſed vel promiſſio celebrandi mutui, depoſiti, & permutationis, vel contractus quidam innominatus, qui ſupponitur aut præintelligitur ipſis contractibus, quos mutuum, depoſitum, & permutationem nominamus. Quando nomen contractus ſignificat ſolùm conuentionem, & obligationem plurium ad quidpiam faciendum, quod nondum vi ipſius vocis intelligitur neceſſariò poſitum, ſed ponendum duntaxat; eiuſmodi contractus ſolo conſenſu perficitur, neque ad ſui eſſentiam traditionem rei exigit, quamuis ad illam faciendam obliget. V.g. ſocietas eſt aliquorum conuentio ad lucrandum, quæ & ante lucrum, & ante collatas ſortes à ſingulis contrahentibus inita intelligitur; quia nomen ſocietatis primò ſignificat & per ſe, atque in recto ſolam conuentionem, licèt in obliquo connotet rem aliquam, &

actio

actionem externam circa illam, de qua facienda conuenitur; ideóque tota illa conuentio inita, & perfecta intelligitur poſito vtriuſque contrahentis conſenſu, quo in vnum aliquid faciendum conueniunt, & ad quod ſe obligant; quam ſolam conuentionem, & obligationem nomen illius contractus primò & per ſe, & in recto propriè ſignificat, vt monui. Vſurpanda verò ſunt nomina in omnibus iſtis in propria, & communi, atque in iure vſurpata ſignificatione, alioquin ex illa verborum confuſione, maxima rerum ipſarum perturbatio oriretur, aut de verbis perpetuæ, & inutiles lites eſſent. Denique quidam contractus indigent verbis ad ſui conſtitutionem, non ex natura rei, ſed ex iuris diſpoſitione: licèt enim conſenſus cum ipſa rei traditione ad quemcumque contractum eſſentialiter conſtituendum ſufficere poſſit, voluit ius quibuſdam contractibus certam quandam verborum formulam, ad ipſorum validitatem, & formam ſubſtantialem præſcribere: quare niſi ea verba adhibeantur, contractus illi ſubſtantialiter perfecti non ſunt. Poſſe autem ius eiuſmodi formam aliquam ſubſtantialem, & ſine qua non conſiſtat contractus, præſcribere, fuſius documus *opere de vſuris lib 3. cap. 2. art. 4.* Id videmus in ſtipulatione & acceptilatione, quæ certam eiuſmodi verborum formulam requirunt ex iuris diſpoſitione, vti dicemus *lib. ſequenti.* Ad verba refertur ſcriptura, quæ aliquando neceſſaria quoque eſt ad perfectionem eſſentialem contractus, ex voluntate contrahentium, qui illam requirunt, non ad probationem tantùm obligationis mutuò initæ, ſed ad eius quoque eſſentiam, ita vt licèt in omnia pacta conuentum ſit, volunt tamen partes ſuſpendi totum illius conuentionis effectum, & integrum eſſe cuique a pactis reſilire, donec authenticum inſtrumentum conficiatur, idque contingere volunt DD. cùm contrahentes ſtatim iubent conquiri Notarium, qui pacta conſignet ſcripturæ authenticæ, ita vt prior illa conuentio ſit potiùs tractatus quidam de contrahendo, quam ipſe contractus, qui cenſetur ſolum perfici coram Notario conficiente inſtrumentum, neque ante illud exiſtimant ſe obligatos, & ſine religione iniuſtitiæ inuito altero contrahente, ſi nouæ occurrant cauſæ, reſiliunt. Id videmus in contractu dotali: etſi enim conuenerint partes de ſingulis pactis, & capitibus, eaque etiam ſubſcripſerint ſua manu; niſi tamen inſtrumentum dotale confectum & authenticum iam ſit, facilè reſilire ſolent. Ergo ex variis circumſtantiis coniiciendum eſſe ſentio, an ſcriptura requiratur à contrahentibus ad ſubſtantiam contractus, an verò ad ſolam probationem. Sunt etiam aliqui contractus ad quorum formam, & valorem ſcriptura requiritur a lege, vt in emphyteuſi Eccleſiaſtica, in cenſu reali conſignatiuo ex conſtitutione Pij V. vti plures cenſent, & denique in omnibus donationibus & contractibus, qui ad ſui valorem indigent inſinuatione, quæ ſanè ſine ſcriptura fieri nequit. His obſeruatis facilè fuerit noſtram vniuerſalem regulam explicare.

a Dixi igitur in contractibus abſolutis gabellam deberi vbi perficitur eſſentialiter contractus: quæ eſt omninò DD. ſententia, qui magno conſenſu fatentur alcaualam in Hiſpania, & alibi gabellam deberi ex venditione ante traditionem mercis, aut pretij, quos inferiùs adducemus: tunc autem venditio eſt quidem perfecta eſſentialiter, non tamen completa, vt vides. E contrario verò quando debetur gabella ex permutatione, ſoluenda non eſt niſi rebus permutatis & traditis, quia nondum eſſentialiter perfecta eſt permutatio, quæ non dicit eſſentialiter ſolam conuentionem de permutanda re, & inuicem tradenda, ſed ipſam mutuam, atque reciprocam traditionem. Ratio verò eſt quia quod debetur vi contractus, ſtatim atque contractus eſſentialiter poſitus eſt, debetur, & niſi ipſe contractus certum aliquod tempus, aut modum exoluendi illius debiti deſignet, tunc ſoluendum eſt. Immò quamuis conditiones aliquæ, & tempus ad impletionem eius, ad quod contractus obligat, definitum ſit, obligatio tamen ſtatim, & ſimul cum ipſo contractu obſtringit contrahẽtes, quamuis illum non niſi tempore definito, & cum conditionibus appoſitis implere teneantur: aliud enim eſt obligatio, aliud eius impletio: vnde poteſt aliquis velle ſe obligare ad quidpiam faciendum, & tamen velle ſuam obligationem implere, vti fuſiùs oſtendimus *opere de vſuris lib. 3. cap. 2. art. 2.* & conſtat in eo, qui vouet caſtitatem, vult tamen fornicari. Neque ſanè obligatio pendere poteſt ab impletione, quæ eſt aliquid poſterius ipſa, eiuſque effectus; neque eadem obligatio à contractu eſſentialiter perfecto ſeparari poteſt, cùm vti monui, vel ſit ipſa eſſentia contractus, vel aliquid cum ipſa neceſſariò, & prorſus inſeparabiliter, tanquam prima proprietas, cum ſua eſſentia connexum. Vnde veriùs colligo quidquid vi alicuius contractus debetur ſiue ex natura ipſiuſmet contractus, & obligationis ipſi intrinſecæ, ſiue ex iure poſitiuo cum eo contractu connexa ſit, ſtatim deberi atque contractus eſſentialiter perfectus eſt, neque expectandam eſſe eius impletionem, quæ eſt quidpiam contractui extrinſecum, aut finis contractus, non verò contractus ipſe.

Hinc liquidò ſequitur altera pars aſſertionis noſtræ, deberi gabellario exiſtenti tempore, quo perficitur eſſentialiter contractus vectigali obnoxius: quia debetur gabellario exiſtenti eo tempore, quo tale debitum contrahitur, atqui illud debitum gabellæ contrahitur, dum perficitur contractus ex quo exurgit, non autem quo tempore contractus impletur, iam enim contractum eſt prius debitum cùm poſitus fuit contractus, qui non ponitur tantùm dum impletur, ſed poſitus omnino ſupponitur. Ergo debetur gabellario, qui exiſtit dum fit contractus, non autem dum impletur. Non dico tamen eſſe ſoluendam actu gabellam ſtatim atque contractus eſſentialiter perficitur, ſed dico deberi eo momento, & deberi gabellario illius temporis, quocumque deinde tempore ſoluatur; quia aliquando neque ſoluitur, neque fortaſſe ſolui poteſt, dum primùm contractus eſſentialiter ponitur, ſed ſolùm dum ex aliqua parte impletur: vt ſi gabella ſit decima pars pretij, negant aliqui ſoluendam eſſe gabellam à venditore, antequam pretium accipiat, debet tamen illam ex momento perfectæ venditionis, & gabellario illius temporis, non autem gabellario temporis, quo venditor pretium accipiet, & ex illo gabellam ſoluet: alioquin cui conceſſa eſſet dilatio ſolutionis, ſoluere poſſet illam gabellario tempore ſolutionis exiſtenti, non illi cui eam priùs debebat, quique illi dilationem indulſit. Maneat igitur deberi gabellario exiſtenti tempore contractus, quocumque deinde tempore contractus impleatur, & gabella reipſa ſoluatur. Neque enim agimus de actuali ſolutione, ſed de debito & obligatione ipſius: quandonam videlicet contrahatur, & aduerſùs quem, quocumque deinde tempore fiat ſolutio.

Dices

Dices nos fuſiùs docuiſſe opere de vſuris *lib.4.c.4. art.2. n.1.* cum Antonio Fabro, laudimium non deberi ex die alienationis, ſed poſſeſſionis actualis noui emphyteutæ. Ergo neque debebitur gabella, niſi ex die traditæ mercis, aut impleti ſaltem ab aliqua parte contractus ex quo debetur, cùm omnia videantur eſſe paria, & plures DD. hæc onera comparent inter ſeſe.

Reſp. diſcrimen eſſe, quòd laudimia non debeantur niſi in approbatione noui emphyteutæ, qualis non eſt ante poſſeſſionem. Deinde quia, vti eo loco docebamus, id videtur apertè definitum *in C. de iure emphyteutice*, ex quo laudimiorum ius deriuatum eſt. Denique ſemper vnus idemque dominus eſt, cùm ſi mutatus ſit, materialiter tantùm mutetur, vt ſuccedat in omnia iura prioris. At verò in noſtro caſu debetur gabella ex ipſa venditione, alióve contractu: quo nomine non deſignamus niſi conuentionem eſſentialiter perfectam, non autem eius impletionem, ſiue inchoatam ſiue perfectam, quæ quidpiam poſterius contractu eſt, vt dixi: illa itaque expectanda non eſt ad contrahendum iſtud debitum, quod ex contractu naſci voluerunt leges, quæ non poſtulant ad hunc effectum impletionem contractus, ſi enim eam voluiſſent, id omninò ſignificaſſent. Deinde licèt Princeps & quicumque gabellarius ab ipſo gabellas colligendas conducat, ſua iura ſalua, & integra retineat, interfuerit tamen plurimùm gabellarij definire, quo tempore contrahatur gabellæ debitum, vt ſciatur cuinam gabellario ſoluenda ſit, quandoquidem interdum mutantur, & id ipſum explicare diſtinctiùs lex debuit, quod cùm non fecerit, dixeritque duntaxat ex venditione, v.g. deberi gabellam; venditionem abſque dubio accipit in vulgari, & maxime nota ſignificatione, pro conuentione dandi rem pro pretio definito, & non pro traditione rei venditæ, quæ poſterior eſt venditione, eiuſque effectus, ſine qua venditio exiſtit, quamuis ad illam ordinetur; aut ſi lex non eo modo venditionem accepit ſed voluit præterea traditionem rei venditæ ad debitum gabellæ, id ipſum exprimere debuerat.

4 Dicendum eſt ſecundò in contractibus conditionatis non deberi gabellam pendente conditione, & nondum poſita, quoties tamen illa retrotrahitur ad tempus, quo celebratus fuit contractus, debetur gabella illi gabellario, qui tempore celebrationis contractus exiſtebat, non illi qui exiſtit quando ponitur conditio, ſi diuerſus fuerit à priore. Si autem conditio non retrotrahatur ad primum tempus celebrati contractus debebitur gabellario exiſtenti dum reipſa ponitur conditio, non priori.

Hanc aſſertionem magno conſenſu tradunt DD. agentes de venditione conditionali, ex qua negant deberi gabellam quamdiu pendet conditio, vbi autem ea ponitur, retrotrahi dicunt ad tempus celebrati contractus, ac proinde deberi gabellario loci, & temporis in quo fuit facta venditio: nos autem ex contractu venditionis conditionatæ ad alios omnes contractus conditionatos, quoties ex illis debetur gabella, argumentamur; cùm conditiones idem omninò in omnibus contractibus quibus adiiciuntur, operentur. Sequimur itaque Anton. Gomeſ. *tom. 2. cap. 2. numero* 30. Tiraquell. *de retractu gentilit.* §. 1. *gloſſ.* 2. *numero* 23. & *gloſſ.* 10. *num.* 46. Laſſart. *de decimis vend. capit.* 5. *num.* 10. Girond. *de gabell.* 6. *part. numero* 1. *& ſeq.* Molina *diſput.* 337. *num.* 10. Gutier. *de gabellis quæſt.* 8. qui omnes alios dabunt. Idem ſentit Sanch. *libro 2. conſil. capit.* 4. *dub.* 37. Lugo *diſp.* 36. *num.* 160. aliique paſſim. Ratio euidens eſt ex ſuperiori; quia gabella non debetur niſi ex vero, puro, & perfecto contractu, euiuſmodi non eſt, qui ſub conditione celebratus eſt, quamdiu ea conditio pendet, & nondum poſita eſt, vti ex natura talis contractus conſtat. Quare quamuis neuter contrahentium nequeat inuito alio diſcedere à pactis conuentis, ad quæ ſeruanda tenebitur, vbi conditio poſita fuerit, non idcircò tamen dici poteſt perfectus contractus, cùm eius omnis effectus, immò & efficacia, atque obligatio circa rem de qua, aut in quam conuentum eſt, ſuſpenſus omninò maneat, & multò minus parere poſſit obligationem ad aliquid extrinſecum, quod ipſi ſolo iure poſitiuo fuit annexum, qualis eſt obligatio ſoluendi gabellam ex re per illum contractum comparata, aut alienata, vndè etiam fit, vt ſi nunquam ponatur conditio, quæcumque illa ſit, & per quemcumque contrahentium ea poſitio, & impletio impediatur, nulla debeatur gabella; quia nunquam perfectus fuit contractus, ex quo deberi poterat. Idem continget ſi mutuo conſenſu contrahentium diſſoluatur: cùm enim nunquam perfectus fuerit contractus, ſed ſemper in pendenti quodammodo extiterit, nunquam debita fuit gabella, & cùm modò nullus omninò ſit, cùm ab ipſo reſilierint contrahentes, nulla quoque modò gabella deberi poteſt.

Quia verò retrotrahitur conditio ad tempus celebrati contractus, quod paſſim DD. obſeruant *in l. qui balneum. D. qui potior. in pignor.* quamuis aliqui id negent de conditione poteſtatiua, & ſolùm concedant de conditione caſuali, & mixta, quam controuerſiam definiemus *lib. proxime*; quare vt ab illa abſtinerem hoc loco, dixi in vniuerſum deberi, aut non deberi gabellam gabellario exiſtenti tempore, & in loco celebrati contractus, aut impletæ conditionis prout illa retrotrahitur, aut non retrotrahitur ad tempus celebrati cõtractus. Quæ omnia perſpicua manent ex dictis.

Dicendum eſt tertiò, iure communi, tributũ ſoli contractui impoſitum ibi deberi, vbi contractus perficitur, aut cenſetur factus in ratione talis contractus, ſiue res & bona de quibus contrahitur ibidem exiſtant, ſiue alibi. Quando autem gabella aliudve tributum imponitur traditioni rei, ſiue contractui, ſequuta traditione, ibi ſoluendum erit, vbi ponetur traditio per quam vltimò completur contractus ratione cuius gabella debetur. Denique gabella & tributum imponitur bonis ipſis, de quibus contrahitur, quo caſu ibi ſoluenda erit gabella, & tributum, vbi ſunt illà bona, quando circa ipſa contrahitur. 5

Ago de iure cõmuni, aut ex natura rei in hac aſſertione, & abſtraho à priuatis gentiũ legibus, quæ aliquod ius ſingulare in hac materia conſtituerũt, ſiue ius commune confirmarint, ſiue illi derogauerint: nã doctor, qui doctrinam vniuerſalem tradit, & ius commune omnibus explicat, non debet attendere iura iſta ſingularia, maximè cùm ſingulæ nationes, quæ iure aliquo ſingulari reguntur, & leges priuatas ſeruant, ſuos habeant Doctores, qui illas illuſtrent; quod in Hiſpanis legibus, quæ plurimæ ſunt in hac parte, accuratè præſtiterunt Laſſarte *de decimis vendit.* Girond. *de gabellis*, Gutier. *ſimili tractatu*, qui alios dabunt, & breuiùs Molina *diſp.* 676. Turrian. *de iuſtitia diſput.* 45. *dub.* 5. *&* 6.

Sancb. *lib.2.conſil.c.4.* per plurima dubia, quibus omiſſis.

Dixi iure communi ibi ſoluendam eſſe gabellam, vbi perficitur contractus, cùm illi ſoli innititur, & non traditioni, vti contingere oſtendimus aſſertione prima: ſequimur Bald. Panormitan. & alios quos dabit Sancb. *cap.4.cit.dub.* 42. *num.*2. Et ſanè nulla ratio eſt propter quam alij alicui loco ſolutionem aſſignemus, quam illi in quo contrahitur eius obligatio. Obſeruandum tamen ex eodem iure communi cenſeri ibi vnumquemque contrahere, vbi ſoluere ſe obligauit, *leg. contraxiſſe* 22. *D. de obligat. & action. Contraxiſſe vnuſquiſque in eo loco intelligitur, in quo vt ſolueret ſe obligauit.* Idcircò ſapienter Bertach. *de gabell.6. part. n.* 8. docet ex communi DD. ad ſoluendam gabellam ſpectandum eſſe locum deſtinatæ ſolutionis, non locum contractus, neque hoc negamus cùm dicimus ſoluendam eſſe gabellam, vbi contractus, cui imponitur, perficitur, quod verum eſſe nemo negabit, ſi in eo non deſtinetur certus locus ſolutioni, aut traditioni rei de qua contrahitur: ſi verò deſignetur in contractu ille locus, contractus cenſetur ibi fieri, vbi quis ſe ſoluturum obligauit: in eo igitur ſoluenda erit ea gabella, quia in eo perficitur contractus.

Quando autem gabella imponitur traditioni, vel contractui provt completur vltimò per traditionem, ibi ſine dubio ſoluenda erit gabella, vbi fiet ea traditio, cùm illi imponatur, & antequam ea traditio fiat nondum ſit eiuſmodi obligatio. Denique quando bonis ipſis imponitur tributum, certum æquè eſt non deberi, niſi vbi conſtituta ſunt illa bona, quibus hoc onus, & tributum reale quodammo cohæret.

Circa tempus ſoluendæ gabellæ quæri etiam poteſt, an præſcribi poſſit hæc obligatio. Verùm ea difficultas communis eſt omnibus aliis obligationibus, & iuribus, quam tractabimus vltimo libro in appendice de præſcriptionibus. Eſt quidem difficultas peculiaris circa leges quaſdam Hiſpanas, quæ certum tempus ſoluendæ gabellæ definiunt, an & quomodo præſcribatur hæc obligatio, quam difficultatem fuſiùs examinant DD. Hiſpani, maximè Gutier. *à q.*119. *ad* 120.

ARTICVLVS XIII.

Conſectaria ex quibus contractibus debeatur gabella.

CONSECT. I. *An & quando ex venditione debeatur gabella.*

I I. *Quando ex venditione conditionali debeatur gabella.*

III. *An gabella debeatur ex venditione nulla.*

IV. *An ex venditione, aliòve contractu reſoluto debeatur gabella.*

EX vniuerſalibus iſtis regulis non fuerit operoſum innumeras quæſtiones circa contractus ex quibus debetur gabella definire, ſpectato iure communi, quia priuata iura, vti nuper monebamus, non moramur hoc loco.

CONSECTARIVM I.

An & quomodo ex venditione debeatur gabella.

PRimò igitur quoties gabella debetur ex venditione, peti illa poterit tanquam debita vbi de pretio, & merce conuentum fuerit inter partes, nondum re aut pretio traditis, niſi conſuetudo, legis optima interpres, aliud ferat. Ita fuſiſſimè Laſarte *de decim. vend. cap.3.n.6.* Gutier. *de gabell.q.7. num.*16. Molina *tract.2. diſp.*337. qui & alios dabunt contra nonnullos alios, qui ſe maximè tuentur authoritate Baldi conſil. 243. & 253. *lib.*4. Ratio noſtra eſt quia venditio ſolo conſenſu perficitur eſſentialiter, traditione rei, & pretij ſolutione nondum ſubſequutis, quæ non ad ſubſtantiam huius contractus, ſed ad illius exequutionem pertinent. Sic dicitur *inſt. de empt. in princ.* & *inſt. de obligat. quæ ex conſenſu inito*, & §. *perficiuntur*, *inſt. de donat. l.*1. *D. de rerum permutat l.2. de contrah. emption.* atque ex communi DD. quos dabit Tiraquell. *de retractu gentilit.* §.1. *gloſſ.*2. *num.*41. Agimus autem de venditione, non de alienatione, quia iſta requirit traditionem, vt res alienata tranſeat in dominium alterius, quod in venditione non contingit, quia venditum adhuc manet in dominio venditoris, quod apertiſſimè dixit Vlpianus in *l. alienatum* 67. *D. de verbor. ſignificat. Alienatum non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet, venditum rectè dicitur.* Et Feſtus alienum vocat, qui alienus eſt factus. Quoties igitur rei alienationi imponitur gabella, traditio rei neceſſaria erit ad gabellæ debitum, cùm propria alienationis ſignificatio id poſtulet. Deinde eſt quidem aliqua venditio quæ includit rei traditionem, quando illa ipſamet venditione fit, vt in venditione iuris & actionis, & in omnibus iuribus incorporalibus: in cæteris autem venditio, vt diximus, ſolo conſenſu perficitur ante traditioné. Quoties autem aliquid conceditur, aut debetur ratione alicuius actus, computandũ eſt tẽpus ex die illius actus, quod colligunt DD. *ex l. an lex.*21. §.1. *D. ad l. Aquiliam.* Inde fit vt actio redhibitoria, quæ ratione contractus datur, ſtatim competat ex die venditionis, neque rei traditio expectatur, *l. ſciendũ* 19. §. *vlt. D. de edilit. edicto.* Eandẽ ob cauſã tẽpus conceſſum ad retrahendum iure ſanguinis rem venditam, incipit à die venditionis, non traditionis rei, vti in Francia obſeruari teſtatur Tiraq. *de retractu gentilit.* §.1. *gloſſ.*2. *n.*48. & *gloſ.* 10. *n.*111. De Hiſpano more fuſiùs Gutier. *lib.2. qq. pract. q.*152.

Dices venditionem non perfici niſi traditione, ex eo igitur tantùm tempore debebitur gabella ex noſtra vniuerſali regula. Probatur autem antecedens *ex l.*1. *iuncta gloſſa verſ. perfectam, C. de iure fiſci.* Vt enim nó reſcindatur donatio facta filiis à patre antequam fiſci rationibus obligaretur, requirunt Imperatores donationem perfectam ipſamet collatione prædiorum. Deinde *leg.*13. & *l. ſi quis alienã* 46. *D de action. empt.* ſi quis alienã rem vendiderit, & medio tempore hæres domini rei illius extiterit, cogitur implere venditionem. Igitur priùs impleta nondum erat. Ex his fit, vt tempus pretio ſoluendo emptori conceſſum, non currat à die cõtractus, ſed traditionis rei: quod ex communi DD. oſtendit Tiraq. *de retract. gentilit.* §.1. *gloſ.*2. *n.*41. & *gloſſ.*10. *n.*108. *ex l. tali facta ſtipulatione* 48. *D. de iure dotiũ*, vbi definitur tempus promiſſionis dotis

currere

currere non à die ſtipulationis factæ, ſed ipſarum nuptiarum. Quæ omnia confirmantur ex eo quod ante traditionem firma non ſit venditio, & poſſint contrahentes à conuentione diſcedere. Quare neque firma erit ea gabella, & æquè negari poterit, atque ipſa venditio diſſolui.

Reſp. ex his omnibus nihil aduerſus noſtram aſſertionem colligi. Non negamus aliquando ius ad certos effectus requirere non modò perfectam eſſentialiter venditionem, aliumve contractum, ſed etiam vltimum eius complementum per traditionem rei, & contractus exequutionem, quam aliquando iura reſpiciunt. Sic *l. fin C. de iure emphyteut.* quæ pœnam commiſſi imponit vendenti emphyteuſim abſque conſenſu domini, & reſpicit potius effectum ex alienatione ſequutum, quam ex ſola & nuda venditione: quare niſi traditio venditæ emphyteuſis ſequuta fuerit, non eſſe locum commiſſo ſapienter dixit Gomeſ. *in l. 45. Tauri, num.* 94. & alij paſſim cum Tiraq. *de retractu gentilit.* §. 1. *gloſſ. 1. num.* 43. & Iul. Claro *lib.* 4. *recept. ſentent. verb. Emphyteuſis, q.* 13. Et ſane per nudam venditionem emphyteuſis ante traditionem nondum præiudicatur domino, cùm ipſa nondum ad alium poſſeſſorem pertineat, neque dominium eius vtile ſit adhuc tranſlatum. Qua eadem de cauſa feudum non cadere in commiſſum ex ſola venditione à feudatario facta ſine conſenſu domini, niſi acceſſerit traditio, ſcribit Tiraq. *loco citato num.* 45. nos autem in noſtra regula diximus effectum qui tribuitur à iure alicui contractui oriri ex illo, vbi eſſentialiter perfectus eſt, etſi nondum per exequutionem ſit completus, niſi vel ius aliud intendat, vel ex ſubiecta materia, cæteriſve circumſtantiis colligatur.

Vnde recte deducimus gabellam, quæ venditioni imponitur, ea eſſentialiter perfecta, licèt nondum impleta per traditionem rei venditæ, deberi, niſi aliter conſuetudo legem illam gabellariam interpretetur. Quare nihil faciunt ad hoc noſtrum conſectarium arguendum quæ afferunt aduerſarij circa caſus quoſdam, in quibus iura volunt completum & executioni mandatum contractum, ad certos quoſdam effectus, vt quod afferebant de donatione perfecta filiis à patre per collationem prædiorum, vt filij præferantur fiſco, cuius rationibus pater erat obligatus. Cùm enim ex iure, debita ex cauſa oneroſa præferantur donationi, licèt prius factæ, nondum traditæ, mirum non eſt ſi Imperatores velint donationem factam liberis à patre, perfectam fuiſſe, & completam ipſa collatione prædiorum, vt illi donatarij præferantur fiſco, cuius poſt eam donationem factus fuerat debitor ille pater. Vide Gutier. de hoc loco *tractatu de iuram. confirmat. part.* 3. *capitulo* 15. *à numero* 23. Cur autem dotis promiſſæ tempus currat à die nuptiarum, non ſtipulationis factæ *citata leg.* 48. *D. de iure dotum*, rationem optimam reddit *ibid.* Iulianus, quia dotis ſoluendæ dies ante incipere non poteſt, quàm dos ipſa ſit, dos autem nulla eſt ante contractum matrimonium, quare illi ſtipulationi dotis ſoluendæ tacitè ineſt iſta conditio, ſi nuptiæ fiant, ſi matrimonium contrahatur. Diximus autem in noſtra doctrina vniuerſali gabellam, aliudve tributum eius in contractibus conditionatis non deberi, niſi poſita conditione, quamuis deinde retrahatur ad tempus celebrati contractus, perinde verò conditio tacita operatur, atque expreſſa. Sanè in hoc caſu dotis promiſſæ hypotheca conuentionum matrimonialium retrotrahitur ad diem contractus matrimonij, quod fuſiſſimè oſtendit Chopin. *ad conſuetud. Pariſ. lib.* 2. *tit.* 2. & Mornac. *ad l.* 48. *citat.*

Consectarium II.

Quando ex venditione conditionali debeatur gabella.

Gabella ex venditione conditionali non debetur niſi dum eſt impleta conditio, quando tamen ea conditio retrotrahitur ad tempus celebratæ venditionis, debetur gabellario, qui tunc exiſtebat. Hoc conſectarium probatum eſt in ipſa regula vniuerſali proximo articulo, vbi & authores huius noſtri conſectarij adduximus: agunt enim ſingillatim de venditione conditionali, vnde nos ad contractum conditionatum in vniuerſum deduximus. Ratio perſpicua eſt, quia neque venditio, neque quilibet contractus conditionatus perficitur, niſi poſita conditione; & illa, vt loquuntur, pendente, ipſe quoque contractus in ſuſpenſo eſt.

Hinc fit vt deficiente conditione, nulla ſit venditio, ſicut & nulla eſſet ſtipulatio, *l. neceſſariò* 8. *D. de periculo & comm. rei vend.* & *l. pecuniam*, *D. ſi certum petat.* & paſſim Doctores, ideóque nulla tunc gabella debeatur. Deinde ſi tempore venditionis huius celebratæ, qui debet gabellam, illi obnoxius erat, & ab illa immunis ſit tempore conditionis impletæ, gabellam debebit. E contrario verò ſi tempore contractus immunis erat, & tributarius fiat tempore conditionis impletæ, gabellam non debebit; quia cùm conditio retrotrahatur ad tempus celebrati contractus, licèt non ſoluenda ſit gabella niſi impleta conditione, eius tamen debitum ad tempus contractæ venditionis retrotrahendum erit; quare prout eo tempore fuerit, aut non fuerit capax contrahendi eiuſmodi debiti, illud contraxerit, aut non contraxerit; ſi tamen conditio appoſita, quæque retrotrahitur, talis eſſet, quæ ſi tempore celebratæ venditionis extitiſſet, illum liberaſſet à gabella, erit quoque immunis poſita conditione: verbi gratia, vendo tibi fundum, ſi fiam ſacerdos, impleta ea conditione, non debebitur gabella; quia poſita conditione retrotrahitur ad tempus, quo fuit initus contractus, eo modo atque ſi tunc purè, & præſente ea conditione fuiſſet initus. Atqui ſi tunc ea conditio fuiſſet præſens, reddidiſſet, vt ſupponitur, illum venditorem ab omni gabella liberum. Videndum tamen ne eiuſmodi conditiones adhibeantur in fraudem legum, quod monet Molina *diſput.* 337. Debet quoque eſſe venditio, non promiſſio tantùm de venditione facienda, vbi talis conditio poſita fuerit: tunc enim non retrotrahetur conditio ad tempus promiſſionis, ad impediendam gabellam; quod obſeruat Gutier. *q.* 8. *de gabell. n.* 14.

Hinc etiam ſi venditio fiat in nundinis, in quibus non debetur gabella, & deinde conditio illis tranſactis impleatur, non debebitur gabella; quia debetur ex die celebrati contractus, vbi conditio implebitur. Atqui cùm celebratus eſt contractus, non debebatur. Ad debitum denique gabellæ ex venditione conditionali, nihil omninò refert traditam eſſe rem ante euentum conditionis, neque enim propterea debetur gabella ante poſitam conditionem; quia toto eo tempore ven-

Digitized by Google

ditio ſuſpenditur, neque adhuc reipſa perfecta eſt, & ſi nunquam ponatur conditio, nulla erit venditio, reſque tradita reddenda erit venditori, ideóque non poterit deberi gabella.

Venditio fructuum futurorum ex aliquo fundo non debebit gabellam, niſi natis fructibus, debebitur tamen gabellariis exiſtentibus tempore venditionis, non tempore collectionis fructuum. Quod ſi nulli naſcantur, nulla debebitur gabella; quia illa venditio fructuum futurorum conditionalis eſt, tacitè quippe ineſt illa conditio, ſi naſcantur. *l. interdum 73. D. de verbor. obligation.* & *l. 1. §. 5. D. condition. & demonſtrat.* Quando verò eſt venditio fructuum plurium annorum, exiſtimat Gutier. *q. 8. citata num.* 18. eſſe plures venditiones conditionatas licèt, nempe totidem quot ſunt anni, ac proinde gabellam deberi ſingulis gabellariis cuiuſque anni reſpectiuè, quia ſingulis annis reſpondere debet retractatio tacitæ conditionis, ſi fructus eo anno naſcantur. Ratio verò eſt quia quot ſunt res contentæ, & deductæ in aliquo contractu, tot cenſentur eſſe contractus, vti ex ipſo iure pluribus demonſtrat Anton. Gomez. *tom. 2. variar. cap. 11. n. 16.* Et ſanè, ſi hæc fructuum pluribus annis colligendorũ venditio vnica eſſet, vnica quoque pro illis omnibus deberetur gabella, illique gabellario, qui tempore venditionis extitiſſet, quod nemo dixerit.

Quæ verò diximus de venditione aliove contractu conditionali, non valet in venditione ſub modo; quia vti fuſiùs dicemus *lib. proximo*, conditio ſuſpendit actum, ideoque non poteſt ex illo oriri obligatio, vel actio: Modus autem qualificat duntaxat diſpoſitionem, quam afficit, ideóque relinquit actum, atque contractum purum, & abſolutum, & non impedit, ne ſtatim oriatur obligatio, & detur actio efficax. Ex venditione itaque ſub modo debetur gabella, quamuis ille modus nondum reipſa poſitus ſit.

Consectarium III.

An gabella debeatur ex venditione nulla.

Ex venditione nulla & inualida, nulla quoque debetur gabella, quod nuper monuimus, & latiùs probant Girond. *de gabellis, 5. part. num. 25.* Tiraq. *de vtroque retract. §. 1. gloſſ. 2. n. 7.* quia etiam gabellam eo caſu ſolutam repeti poſſe ſapienter monet *de retract. conuent. §. 6. gloſ. 2. num. 6.* Ratio eſt quia lex, ſtatutum, & conſuetudo dum de aliquo contractu quidpiam definiunt, de contractu vero & valido, non autem de nullo perpetuò loquuntur, vti tradunt DD. *in l. 4. §. condemnatum. D. de re iudicat.* & *in leg. 1. §. hac autem. D. quod quiſque iuris in alium ſtatuit, l. non putauit 8. §. non quauis. D. de bonorum poſſeſſion. contra tabulas.* Et ſanè venditio aut contractus nullus, neque venditio neque contractus eſt. Vndecumque igitur nulla exiſtat venditio, ſiue quia res venditæ non ſunt in hominum commercio, ſiue ob alium defectum ſubſtantialem, ſiue ex aliis cauſis, quas hoc loco perſequi non licet, nulla debebitur gabella.

Quia tamen aliquando venditio claudicat, vnus ſiquidem contrahentium reſilire poteſt à venditione, altero inuito, qui tamen cogitur ſtare venditioni, ſi alter ſtare ipſum velit, vti contingit in venditione, cui dolus, aut vis cauſã dedit, qui enim dolum, aut vim paſſus eſt, poteſt reſilire à venditione, qui tamen dolum commiſit, aut metum incuſſit, non poteſt alium cogere, vt ſtet contractui, & venditioni: quæritur an tunc debeatur gabella. Reſpondet Molina *tract. 2. diſput. 352. num. 9.* quoties venditor eſt decipiens, quia venditio reſpectu, ipſius valida eſt, illique ſtare tenetur, ſi emptor deceptus velit, teneri ad gabellam, eamque integram ſoluendam, ſi forſan ex lege emptor partem ſoluere debuiſſet, quia ex ea validitate reſpectu vendentis fiſcus comparauit ius ad gabellam, quod deinde amittit, & venditor tenetur indemnem emptorem, quem decepit, præſtare, ideóque gabellæ partem, quam illum ſoluere ſua deceptione cogebat, ſoluere & ipſe debet. Quæ eadem pluribus allatis tradit Gutier. *de gabell. quæſtion. 9. a numer. 9.* qui addit *numero* 16. gabellam eam deberi gabellario exiſtenti quo tempore ſtare contractui cogitur decipiens, non verò tempore celebrati contractus, qui non erat adhuc validus, quandoquidem deceptus poterat altero inuito ipſum diſſoluere.

Consectarium IV.

An ex venditione, aliove contractu reſoluto, & reſciſſo debeatur gabella.

Prima regula 1.
Ex contractu re integra per merum diſſenſum reſoluto non debetur gabella. 2.
An debeatur gabella ex diſſoluto contractu re non integra. 3.
Quid ſi contractus diſſoluatur ex pacto in illo contento. 4.
An ex diſſoluto per pactum de retrouendendo. 5.
An ex ſoluta venditione ex pacto legis commiſſoriæ. 6.
An ex contractu reſciſſo beneficio legis. 7.

Implicata eſt hæc quæſtio: poteſt verò venditio, & quilibet alius contractus duobus modis diſſolui. Primò ex pacto & conuentione partium. Secundò beneficio legis quæ venditionem aliúmve contractum in certis quibuſdam caſibus reſcindi permittit, aut iubet: qui vterque diſſolutionis modus plures alios ſub ſe complectitur. Circa primum verò ſolutionis modum hanc regulam vniuerſalem accipe.

1 Quoties venditio, aliuſve contractus verè & propriè ſubſtitit, neque pactum diſſolutionis futuræ incluſit, debetur ex illo gabella, ſicut & ex ipſius diſſolutione, quoties illa nouam venditionem includet; ſecus verò ſi ſit mera veluti venditionis prioris diſtractio, & ſolutio partium eius, vt ita dicam, abſque nouo contractu & venditione: tunc enim ex ea diſtractione nulla noua debebitur gabella, quamuis ex priori venditione debita fuerit, quæ proinde ſi fuit ſoluta, repeti nequibit. Quæ doctrina vniuerſaliſſima, certiſſimaque eſt. Lex enim indicens gabellam ex venditione, de venditione eſſentialiter perfecta, & ſubſiſtente intelligenda eſt: neque refert quamdiu illa ſubſtiterit, & an diu diſſoluta fuerit, cùm eo

Digitized by Google

eo ipſo momento quo ſubſtitit, debita fuerit gabella, iuſque acquiſitum fiſco ad eam repetendam, quod deinde venditionis diſſolutione perdi non potuit; cùm ſemel acquiſitum fuerit. Quod ſi vel non perfectè ſubſtitit illa venditio, quia vel eo ipſo momento, quo coaluit, diſoluta fuit, vel pactum de diſſolutione accedente aliqua conditione incloſit, vel quia lex eam nullam haberi permiſit, altero contrahente ab illa pro arbitrio diſcedente, ſanè nunquam debita fuit gabella, cùm vel non ſubſtitent ea venditio, vel non perfectè; ſed veluti in ſuſpenſo fuerit pendente conditione, aut lege illam continuò ſuſpendente, quæ erat prima pars noſtræ regulæ.

Secunda verò æquè facile oſtenditur; cùm enim agamus de gabella ex venditione debita, vbi venditio noua non reperitur, neque noua gabella debebitur. Si igitur diſſolutio venditionis ſit, vti dicebam, pura & mera eius diſtractio, nullamque nouam venditionem contineat per noui pretij, aut rei traditionem, nouamque conuentionem, ſed ſolam deſitionem, atque receſſum à priori; ſanè non poterit ex illa diſſolutione deberi noua gabella à quocumque, & quandocumque fiat ea ſolutio diſtractioque contractæ prius venditionis. Quod ſi fiat noua venditio, noua quoque debebitur gabella: quando verò id contingat, aperiemus in ſingulis modis huius diſſolutionis.

2 Primò igitur pœnitet nonnumquam contrahentes venditionis factæ re adhuc integra: ideóque mutuo conſenſu ab eo diſcedunt, quo caſu videbitur deberi gabella, quia non poſſunt partes diſcedere à contractu etiam re vtrimque integra in præiudicium tertij, cui gabella aliuſve ius quæſitum eſt: quod tradunt *DD. in l. ab emptione. D. de pactis*, quã aliaſque adducit Molinæ. *in conſuetud. Pariſ. tit.* 1. §. 13. *gloſſ.* 5. *n.* 15. Conſtat autem ius gabellæ natum, adquiſitum eſſe ſtatim venditione perfecta, vel nudo conſenſu, vti diximus. *art. ſuperiori aſſertione* 1. & *hic conſ.* 1.

Reſp. nihilominus eo caſu non deberi gabellam, neque ex ipſa venditione, neque ex eius diſſolutione, quæ tunc eſt merus diſſenſus, & non nouus contractus primo contrarius; quia iura permittunt contrahentibus re non ſequuta liberè diſcedere à contractu, mutuo conſenſu, eſtque tunc merus diſtractus, per quem contractus præcedens omninò habetur pro infecto; ſecus verò re ſecuta, & non integra. §. *final. inſt. quibus mod. tollit. obigatio. l.* 2. & 3. *D. de reſcind. vendition.* & *l.* 1. *Cod. quando liceat ab empt. diſced.* Cuius rei ratio redditur *l. nihil tam naturale* 35. *D. de regul. iur. Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidque diſſoluere, quo colligatum eſt; ideò verborum obligatio, verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſoluitur.* Quandiu igitur res eſt integra, non eſt ex venditione acquiſitum ius gabellario, aut alicui alteri tertio ex eiuſmodi contractu, niſi reſolubile & commutabile, ſicut interim contractus eſt reſolubilis, & pro infecto haberi poteſt à contrahentibus: quare cum pluribus quos adducit ſapienter concludit Molinæ. *ad conſuetud. Pariſ. tit.* 1. §. 13. *gloſſ.* 5. *num.* 12. ſtatim, vel ſolo contractu facto acquiri domino, verbi gratia, ius retractus, aliudve ſimile, ſed reuocabiliter; quia ſi re integra contrahentes mutuo conſenſu diſcedant, nihil debetur illi tertio, neque ex diſtractu, qui nomen contractus non eſt, vti ſtatim dicam amplius, neque ex contractu, quia habetur pro infecto, iure communi permittente; atque adeò non deberi gabellam, ſaltem quando incontinenti (vt loquuntur) hoc eſt antequam ad alia extrema ſiue alios actus diſcedant contrahentes, & diſſoluant contrario conſenſu venditionem, fatentur paſſim DD. Vbi autem ex interuallo fit iſta diſceſſio à venditione, quantumuis re integra volunt deberi gabellam ex illa venditione, eaque diſtinctio communis eſt, vti videbis apud Anton. Gomeſ. 2. *tom. variar. capitulo* 2, *numer.* 31. Tiraquell. *de retract. conuention.* §. 6. *gloſſ.* 2. *num.* 10. Molin. *tractat.* 2. *diſput.* 337. & qui alios dabit Gutier. *queſt.* 10. *de gabell. num.* 2. quam tamen diſtinctionem reiiciunt graues DD. cum Molinæo, qui illos adducit *loco citat. numero* 13. quia iura nuper allata faciunt facultatem diſcedendi mutuo conſenſu à contractu, re adhuc integra: neque diſtinguunt vtrum illa diſceſſio ſiue diſſenſus fiat incontinenti, aut ex interuallo, & vulgare illud argumentum Baldi, quem cæteri ſequuti ſunt, nempe ius quæſitum fiſco, ab eo per contrahentes auferri non poſſe, facilè reiicitur. Concedimus enim quæſitum fuiſſe ius, ſed reſolubile, ſicut & ipſe contractus reſolubilis eſt: quare cùm tota iſta materia gabellarum odioſa ſit, exiſtimo cum poſteriori iſta ſententia, venditione per merum diſſenſum, re prorſus integra, reſoluta, non deberi amplius gabellam, ſi ſoluta non fuit.

3 Secundò venditio diſſoluitur mutuo conſenſu, re non integra, integritas autem, & non integritas conſiderari poteſt reſpectu venditoris, emptoris, & gabellarij, de quo tantùm agimus hoc loco, non de domino, aut patrono rei venditæ. Integra igitur eſt venditio reſpectu venditoris, quando res vendita, necdum tradita eſt emptori, neque per realem traditionem, neque per aliquod æquiualens, putà precarium, & aliud ſimile in quo facta ſit traditio: reſpectu verò emptoris venditio eſt integra, quamdiu neque pretium, neque eius pars ſoluta eſt: nam per ſolam eiuſmodi ſolutionem res deſinit eſſe integra emptori *leg.* 2. *Cod. quando liceat ab empt. diſced.* Quare neque per dationem arrharum, vt ibidem obſeruant gloſſa & DD. niſi in partem pretij computentur, neque per dationem fideiuſſorum, & pignorum, ſiue ab emptore, ſiue à venditore dentur, neque per confeſſionem receptionis totius pretij, & renunciationem vulgarem, ſi reipſa nihil fuerit ſolutum, res deſinit eſſe integra emptori, modò ea non ſolutio probetur.

Deinde reſpectu gabellarij deſinit res eſſe integra, quandocumque ille incipit iure ſuo vti, quia aut gabellam requiſiuit, aut cepit, & ſimile quid egit ex proprio iure. Denique res deſinit eſſe prorſus integra, & ex omni parte, quia omninò impleta & conſummata eſt venditio tradita re, & ſoluto pretio, ac toto iure iam acquiſito gabellario, qui illo vel vſus eſt, vel vti omninò abſque nulla execeptione potuit. Quando itaque venditio omnimode vtrimque completa fuit, re tradita, & pretio ſoluto debetur gabella ex ipſa, & ſi deinde mutuo conſenſu diſſoluatur, debetur ſecunda gabella ex diſſolutione. Ita. Molina *tract.* 2. *diſput.* 373. *num.* 7. Gutier. *q.* 10. *de gabel. n.* 4. & Molinæ. *in conſuetud. Pariſ.* §. 22. *num.* 19. quia in hac diſceſſione à priori venditione eſt noua, & ſpontanea vēditio, 4 non tantùm vel prioris executio, vel ex cauſa illi intrinſeca, neceſſaria quædam diſceſſio: neque enim poteſt prima illa venditio poſtquam habuit vltimam perfectionem, haberi pro infecta per

ſimplicem diſſenſum *ex l. in bello* 12. §. *facti. D. de captiuis*, & perſpicuè traditur *l.* 2. & 3. *D. de reſcind. vendition.* venditionem re non integra non poſſe infectam haberi; neque poſſunt contrahentes per actus contrarios retroſimiles, & per formam diſtractus habere priorem venditionis contractum, & omnia ex illo ſequuta pro infectis abſque vllo alio nouo contractu; quia licèt ita loquantur contrahentes, ea verborum commenta non immutant veritatem *l. ſi ancillam* 7. *C. de contrahenda emptione*: & reuerà nouum contrahunt, quo priorem iam omni ex parte completum elidant. Itaque præter laudatos DD. duplicem deberi gabellam dixit Bertachio. *de gabellis* 5. *part. octaua part. q.* 14.

Quando venditio non erat vtrinque completa, quia vel res erat tradita, & pretium non erat ſolutum, vel è contrario pretium ſolutum erat, re adhuc apud venditorem remanente, monet in primis Molina *diſp.* 373. ex eo mutuo conſenſu, vel diſtractu elidi in foro conſcientiæ naturalem obligationem venditionis prius factæ; quia oritur noua obligatio naturalis recedendi à venditione priùs facta, & ſi quid ex illa fuerit acceptum, reſtituendi, quod per ſeſe manifeſtum eſt, alioquin inutile foret hoc pactum, neque intelligi poſſet diſtractus manente tota obligatione contractus, à quo tamen diſcedere ſe dicunt contrahentes per iſtum diſtractum. In foro tamen externo non diſſoluetur ea obligatio, quia iure ciuili nulla ex nudo pacto naſcitur obligatio ciuilis, vti oſtendit idem Molin. *diſput.* 255. & 257. noſque docebimus *lib. ſeq.* Quod verò ad gabellam pertinet, ſi incontinenti diſcedatur à venditione per actum contrarium retroſimilem præcedenti, neque quidquam innouetur in contractu ſiue ex parte mercis, ſiue parte pretij, ſed duntaxat prior venditio pro infecta habeatur, & quod traditum fuerat, reſtituatur, nulla debetur gabella: non quidem ex hoc poſteriori diſtractu, & diſceſſione à venditione, quia non eſt noua venditio, neque nouus contractus, ſed extinctio & reſciſſio præcedentis; neque etiam debetur ex vi ipſius venditionis ex aliqua parte impletæ & incontinenti reſciſſæ; quia ex quo diſſenſus superuenit incontinenti, ineſt iam ipſi venditioni, & nunquam cenſetur fuiſſe conſenſum in aliquo *l. Iuriſprudentium* 7. §. *quinimmò. D. de pactis*, vbi id affirmat Vlpian. de pactis, quæ ex continenti ſubſecuta ſunt, quod Græci dicunt *συνχέσιν τῦ συςάσει τῦ συναλλάγματος*, in ingreſſu, initio, & exordio contractus. Ita vt pactum eiuſmodi non pariat etiam actionem; neque quidquam hoc loco intereſt, an ficta, an vera traditio fuerit.

Si verò ex interuallo pœniteat contrahentes, diſcedantque à priori venditione abſque nouo contractu, quia nihil planè innouant circa rem aut pretium, ſed per actum omninò retroſimilem, nempe retrotraditionẽ animo diſtrahẽdi, debebitur vna gabella ex ipſa venditione iam ex parte impleta; non autem ex hac diſtractione. Ita Molina. *diſp.* 373. Gutier. *q.* 10. Molinæ. *in conſuetud. Pariſi.* §. 22. *num.* 20. Bertach. *de gabell. part.* 5. Tiraquel. *in ll. connub. gloſſ.* 3. *n.* 2. quia licèt contrahentes venditione ex parte completa non poſſint pœnitere, nec diſtrahere etiam per actus retroſimiles in præiudicium iuris iam formati, & alicui tertio quæſiti; tamen reſpectu iuris futuri, & quærendi ex nouo contractu poſſunt pœnitere; quia poſſunt non contrahere de nouo, ſed ſolùm diſtrahere per retrotraditionem animo diſtrahendi. Atque ita hæc diſtractio non elidit quidem ius quæſitum gabellario, aut alicui tertio ex priori vẽditione, ſed impedit ne nouum acquirat; quia nouum ius acquiri nequit, niſi ex nouo contractu, qualis hic non eſt, vti iam ſæpiùs monuimus. Ratio perſpicua eſt, quia iura permittunt mutuo conſenſu diſtrahere non modò re omnimodè integra, ſed etiam ab altera parte tantùm impleta, modò non ſint omnia vtrimque completa, & procedatur per actus omninò retroſimiles, *l.* 1. *C. quando liceat ab empt. diſced.* Rationem reddit gloſſa & DD. quia ibi non ſunt duo contractus, cùm vltimus actus ſit tantum diſceſſio à primo contractu ex iure permiſſa; foretque illa permiſſio omninò inutilis, ſi ex iſto diſtractu, idem ius ſibi compararet gabellarius, aliuſve tertius, quod ex vero, & nouo contractu ſibi quæreret, quod in diſpendium vergeret; nam gabellam aliudve eiuſmodi ius, v.g. laudimium ſoluerent, non ex noua venditione, ſed ex reſolutione prioris, pro qua, iam gabellam, aut laudimium debent: quare ſapienter docet Fabiao. *tract. de emptione & venditione in q.* 5. *princip. quæſt.* 8. non deberi niſi vnam gabellam, & primùm quidem actum contractum verum eſſe, ſecundum verò eſſe tantùm primi pœnitentiam, itáque nominari. Sicut igitur re prorſus integra licet pœnitere in præiudicium iuris alicuius tertij, ex venditione iam quæſiti, ſed reuocabiliter, potiori multò ratione licebit re non planè integra, ſed neque prorſus conſummata pœnitere in præiudicium iuris nondum quæſiti, ſed quærendi duntaxat.

Hæc porrò diſceſſio venditionis nondum vtrinque completæ, nonnunquam fit per aliquam prioris contractus immutationem, quia vel minuitur, aut augetur pretium, vel res vendita immutatur, & diſceditur quidem a priori emptione, facta non, quatenus hæc poſterior à priori diuerſa eſt; non ſunt tamen duo contractus, ſed vnus aliquantulum variatus, tuneque non debebitur noua gabella; ſed eius augmentum iuxta proportionem augmenti facti in pretio: quod ſi minoatur pretium, nihil tamen reſtituere, aut diminuere de gabella tenebitur gabellarius; quia ad illam iam ab initio plenum ius acquiſierat, cui non potuit nocere iſta variatio in contractu, maximè cùm ex interuallo fit: vides enim ibi non eſſe ſimplicem diſtractionem per actus retroſimiles, cùm ſit variatio in pretio, vel re vendita. Ita Molina *diſp.* 373. *n.* 3. & Gutier. *q.* 10. *n.* 5. & *q.* 20.

Aliquando denique fit iſta diſtractio prioris venditionis, quia vel emptor remittit rem vẽditori, vel venditor pretium emptori, abſque vllo nouo contractu, aut pacto. Si id fiat incontinenti, non debetur gabella cùm ſit diſtractio, vti diximus ſæpius per retrotraditionem, ſi ex interuallo, ex prima venditione debetur gabella: quod enim emptor deinde donet rem venditam venditori, aut venditor pretium emptori, nihil omninò facit ad priorẽ venditionem, vt ex ea debeatur gabella, aut non debeatur. Hæc ſiquidem donatio, contractus eſt nouus poſterior venditione, ex qua debita fuit gabella. Ita Gutier. *q.* 10 *n.* 9. Si quid verò in feudi venditione ſimile contingat, an debeatur laudimium, & an locus ſit retractui, paucis ibidem quærit Gutier. allegans Molinæum fuſiùs iſta diſputantem in conſuetud. Pariſ. §. 13. *n.* 55.

Tertiò venditio diſſoluitur ex pacto aliquo in priori venditione poſito, quod triplex eſſe ſolet, 4
primum

primum eſt retrouenditionis; alterum eſt legis commiſſoriæ, ſi intra annum, aut aliud ſimile tempus non ſolueris, res ſit inempta; tertium quod multùm non differt à priori, eſt adiectionis in diem; ſi intra tale tempus, alius meliorem conditionem attulerit, res tibi inempta ſit. De quibus omnibus pactis fuſiùs agemus *lib. ſeq.* nunc illa duntaxat conſidero in ordine ad gabellam, an ex ea diſſolutione, quæ noua quædam venditio videtur, debeatur; atque ita duplex ſoluenda ſit gabella. Hæc porrò pacta duobus modis adhiberi poſſunt. Primò verbis directis, quæ important contractus reſolutionem ipſo iure: v. g. res ſit inempta, infecta, vel contractus habeatur pro nullo, infecto, omnia ſint in eodem ſtatu, in quo quondam ante conuentionem fuerant, cæteriſque eiuſmodi æquiualentibus: qualia ſunt quæ executionem facti ſignificant, & ſupponunt reſolutionem executionis ipſo facto: ſi v.g. dicatur quod in defectum ſolutionis poſſit venditor abſque vllo Iudicis miniſterio, rem venditam poſſidere, capere, illaque frui & illã tradere propria authoritate. Secundò hæc pacta apponuntur verbis obliquis, vel aliquando dubiis, & obſcuris quæ non ſignificant expreſsè & directè reſolutionem contractus ipſo iure, vt ſi non ſolueris res vendita reuertatur, redeat, pereat, quia hæc verba non perſpicuè indicant, an res illa vendita debeat per nouum contractum redire ad priorem dominum miniſterio Iudicis, alteriuſve, an ipſo iure iam fiat prioris domini: quàm diuerſos autem habeant hæc verba directa, vel obliqua effectus, maximè quoad translationem dominij diſputant Couarr. *lib. 3. variar. cap.* 8. Anton. Gomez. *lib. 2. variar. cap. 2. num.* 30. ex quibus & aliis nos aliqua dicemus *lib. ſequenti*, nunc in ordine ad gabellam de qua modo diſſerimus.

5 Aio in primis quoties vendititio reſoluitur ex pacto retrouendendi in venditione appoſito, debetur vnica gabella, nempe ex venditione, non autem ex reuenditione. Ita Anton. Gomez. *cap. 2. citat. num.* 31. vbi dicit eſſe communem DD. allegatque Angelum, Imolam, Roman. Aretin. Alexand. ſequuntur quoque Tiraq. plurimos ſuo more referens, *de retractu conuention.* §. 6. *gloſſa 2. numero* 20. Molinæ. *in conſuetud. Pariſ.* §. 22. *q.* 3. *n.* 12. 15. & 40. & §. 23. *q.* 8. *num.* 26. & §. 55. *gloſſa* . . *q.* 4. *n.* 47. Girond. *de gabell. 5. part. princip. num.* 30. Gutier. *de gabell. q.* 10. *num.* 22. Molina *tract. 2. diſput.* 374. & alij paſſim; eſtque manifeſta ratio, quia cùm prima venditio perfecta, & abſoluta fuerit (nam intereà emptor fecit ſuos fructus illius rei, itaque ex ea ius fiſco, ſiue gabellario quæſitum) elidi nunc non poteſt, ac proinde debetur gabella; at verò cùm reuenditio fiat ex cauſa inexiſtente primæ venditioni, cui vel initio, vel re adhuc integra fuit adiecta, conſequenter eſt pars primæ venditionis, ſiue illius quædam executio, vti ſapienter aduertit Baldus *lib. 2. conſ.* 418. quare non eſt diſtinguendum hoc loco, vtrum venditio reuocetur in hac retrouenditione ipſo iure, an nouo hominis facto, per viam ſimplicis diſtractus, aut noui contractus. Cùm enim tota iſta reſolutio, quocumque tandem modo fieri dicatur, ſit duntaxat prioris venditionis pars vel executio, non poteſt ex illa nouum ius, & diuerſum à iure primæ venditionis oriri: quare ſi pactum retrouendendi non apponeretur in prima venditione, ſed aliquantò poſt de ea reuenditione conuenirẽt contrahentes, deberetur ex illa noua gabella exiſtenti tunc gabellario; quia eſſet noua omninò venditio, atque ex noua cauſa, non autem prioris tantùm exequutio, vti contingebat in primo caſu. Idemque dicendum erit, ſi pactum retrouendendi in prima conuentione appoſitum ſit de redimenda, aut reuendenda re maiori pretio, aut minori, quam vendita fuerit: tunc enim erit ſecunda venditio diſtincta, & noua gabella debebitur: quod etiam continget, ſi primum pactum reuenditionis obliget duntaxat emptorem, vt ſi rem velit reuendere, teneatur venditorem primum omnibus aliis præferre: nam ſi id contingat licèt eodem prorſus prætio res retrouendatur primo venditori, erit verè noua venditio & non prioris tantùm reſolutio; quare & nouam diſtinctamque gabellam debebit. Denique vbi pactum primæ venditioni appoſitum continet certum quoddam tempus, intra quod retrouendere cogatur emptor, ſi tempus illud deinde mutuo conſenſu prorogetur, eoque exacto fiat retrouenditio, debebitur gabella, quia hæc venditio non procedit ex cauſa primæ venditionis, cuius proinde iſta ſit vel pars, vel executio duntaxat. Simile quiddam eſt quando venditor ius illud redimendi, quod ſibi in venditione retinuit, vel emptori, vel alteri cuipiam vendit, quod fieri poſſe oſtendit Tiraq. *de retractu gentilit.* §. 36. *gloſſa* 3. *n.* 1. debebitur ex hac venditione noua gabella, cùm ſit nouus contractus: quare in eo caſu triplex gabella debebitur. Prima ex venditione principali. Secunda ex venditione iuris redimendi. Tertia ex redemptione ſiue reuenditione ipſa poſtremò facta ex vi pacti de retrouendendo, quod executioni mandatur in fauorem ceſſionarij, aut emptoris iuris de redimendo. Simile quid definit Molinæ. *in conſuet. Pariſ.* §. 55. *gloſſa.* 1. *n.* 52. Quinam verò debeat gabellam illam vltimam ſoluere, an primùm venditor, an ceſſionarius, diſputat Gutier. *q.* 10. *num* 30.

6 Aio ſecundò diſceſſionem venditionis ex pacto directo legis commiſſoriæ, vel addictionis in diem in ipſo contractu, vel incontinenti poſt appoſito non parere obligationem nouæ gabellæ; immò neque ex venditione ſic celebrata deberi gabellam, quæ ſi ſoluta fuiſſet, repeti poterit. Ità magno conſenſu DD. apud Anton. Gomez. *tom. 2. variar. cap. 2. n.* 31. licèt ipſe ſit in contraria ſententia, velitque ex eiuſmodi venditione deberi gabellam, non tamen ex eius diſceſſione vi appoſiti pacti. Communi DD. accedunt Carol. Molinæ. *in conſuetud. Pariſ.* §. 55. *gloſſ.* 1. *num.* 162. & idem dixerat §. 23. *num.* 9. Tiraq. *de retract. conuent.* §. 6. *gloſſa* 2. *n.* 19. & 20. Molina *tract. 2. diſp.* 378. Sanch. *lib. 2. conſil. cap. 4. dub.* 39. Gutier. *q. 10. de gabell. n.* 10. Ratio euidens eſt, quia pactum illud, ſi poſtea verificetur, reſoluit ipſo iure contractum ac ſi nunquam fuiſſet; retrotrahitur enim ad initium contractus, ac proinde tollit omnes eius effectus: quare vel illa venditio conditionalis fuit, ac proinde nihil operabatur pendente conditione, qua poſita, tota reſoluitur, vel ſi pura fuit venditio, ex eaque proinde ſtatim naſcatur obligatio, & quæratur ius fiſco; hæc omnia tamen ſunt reſolubilia ſub illa conditione, ſi non ſoluatur pretium dicta die, ſi alius meliorem conditionem attulerit: tunc enim res ex pacto appoſito inempta erit, quare ea conditione poſita tota venditio diſcinditur eodem modo atque ſi nunquam fuiſſet, totúmque ius ex ea quæſitum reſoluitur ipſo iure eodem planè modo atque ſi venditio fuiſſet merè conditionalis. Requirebam autem vt iſta pacta apponerentur vel ipſi

contractuI venditionis, vel incontinenti antequam contrahentes ad aliam diuertant: nam ſi ex interuallo adiiciantur, cum iam ius ex illis quæſitum fuerit fiſco immutabiliter, non poteſt ſola contrahentium voluntate, vel pacto illi auferri. Volebam præterea ea pacta exprimi verbis directis, & non tantùm obliquis: in priori enim caſu reſolutio contractus fit ipſo iure, in poſteriori autem opus eſt ſententia Iudicis, & via actionis, vel exceptionis; ideóque manet ſemper valida venditio ipſo iure, ac proinde parit obligationem gabellæ, quamuis deinde à Iudice reſcindatur ex cauſa ipſi contractui inexiſtente, vti paſſim DD. argumentantur. Quare ſi ſoluta fuerit gabella, repeti nequit, cùm fiſcus illam iure ſuo acceperit. Eadem omnia valent in ea conditione, ſi res diſplicuerit emptori, inempta ſit, de qua vide Gutier. ea *quæſt.* 10. *n.* 14. ſed de omnibus iſtis conditionibus agemus *lib. proximo.*

7 Hactenus egimus de diſſolutione venditionis ex pœnitentia, & mutuo conſenſu contrahentium, aut ex pacto venditioni appoſito; reſtat reſolutio, quæ fit beneficio legis, & à Iudice, vtrum ex ea debeatur gabella.

Dicendum in vniuerſum eſt, quoties prior venditio perfecta fuit, neque deinde ipſo iure reſoluitur, neque ita per ſententiam Iudicis annullatur, vt omnia in eodem ſtatu reponantur, atque ſi nunquam poſita fuiſſent, debetur gabella ex ea venditione, & ſemel ſoluta repeti nequit; ex ipſa autem reſciſſione nunquam debebitur. Hæc aſſertio manifeſta eſt ex ſuperiori atque ex regula vniuerſali; venditio enim eſſentialiter perfecta ſtatim parit omnem obligationem, quæ ex ipſa immediatè oritur, qualem eſſe diximus obligationem ſoluendæ gabellæ. Quando autem venditio ipſo iure reſoluitur, aut ita à Iudice annullatur, vt omnia reponantur in ſtatu in quo erant ante celebratam venditionem; perinde ſe habet ea venditio, atque ſi nunquam fuiſſet, & omnia retrahuntur ad ipſum initium contractus, ac proinde ea obligatio vnà cum ipſa venditione reſoluitur, & vt venditio fuit ſemper reſolubilis, ita & illa obligatio fuit reſolubilis, iuſque illi reſpondens fuit ſemper reſolubile, & nunc per ipſum ius, & leges beneficium reſoluitur, licet fortaſſis ſententia Iudicis interuenerit, quæ eſt tantùm legis illius declaratio, & exequutio quædam. Altera pars aſſertionis nempe ex ea reſciſſione non deberi nouam gabellam, perſpicua per ſeſe eſt, cùm ea reſciſſio non ſit noua venditio, ſed pura eius diſtractio: verùm hæc omnia dilucidiora fient enumeratis variis modis, quibus fieri ſolet eiuſmodi reſciſſio. Igitur venditio reſcinditur per actionem redhibitoriam, quæ actio ædilitia eſt, & datur emptori aduersùs venditorem, vt mancipium, & rem aliam venditam redhibeat; id eſt recipiat, pretiumque acceptum reſtituat *l. redhibere, D. de ædilitio edicto.* Quatuor verò ſunt eius redhibitionis concedendæ cauſæ: morbus mancipij, rei venditæ vitium, cum pronuntiatum eſt quid adeſſe quod abeſt, vel abeſſe, quod adeſt, denique cùm ex ædilitio edicto venditor non cauit. Per hanc redhibitoriam actionem Iudicis ſententià venditio reſcinditur, & retroannullatur; prout ſi ab initio nulla fuiſſet, vt dicitur citata *l. rehedibere*: in hoc caſu debetur gabella ex ipſa venditione, & ſi ſoluta fuerit, repeti nequit: ita Bertachinus *de gabell.* 8. *part. memb.* 3. Tiraq. *de retractu conuent.* §. 6. *gloſſ.* 2. *num.* 16. & *de retractu gentilit.* §. 29. *gloſſa* 4. *num.* 1. Molinæus *in conſuet. Pariſ.* §. 22. *num.* 40. Garſias *de expenſis c.* 18. *num.* 53. Molina *tract.* 2. *diſp.* 352. Gitond. *de gabellis*, 5. *part.* §. *vnic. num.* 19. Sanch. *lib.* 2. *conſil. c.* 4. *dub.* 40. *num.* 1. Gutier. *de gabellis q.* 11. *num.* 1. alij paſſim, quia venditio illa pura fuit, & valida ipſo iure, licèt potuerit deinde emptor ad eius reſciſſionem agere, Iudexque illam omninò reſcindere. Vbi autem perfecta fuit venditio, quæſitum quoque fuit ius fiſco, & gabellario, vti diximus in noſtra regula vniuerſali; illud igitur deinde abſque eius culpa, aut voluntate auferri nequit: neque iſta retrotractio quidquam obſtat, quia non impedit, quominus reipſa initio valida fuerit, aut ex pacto primæui contractus diſtrahatur, & fictio illa retractionis nunquam operari poteſt, aut admitti in præiudicium tertij.

Non debebitur tamen gabella altera ex ipſa redhibitione, quod eodem conſenſu affirmant laudati DD. quia licèt is qui redhibet, retrouendere intelligatur, *l. ſi duob.* 6. §. 1. *D. de diuerſ. & temporal. præſcription.* & gloſſa *in l. qui fundum* 7. §. 4. *verſ. emptor. D. pro emptore*: propria tamen venditio non eſt, neque talis dici poteſt, *l. ſi hominem* 19. *D. de vſucapion.*

Secundò reſcinditur venditio beneficio *l.* 2. *C. de reſcind. vendit.* propter læſionem vltra dimidium iuſti pretij, tuncque debetur nihilominus gabella ex venditione; quia licèt eo modo reſoluatur decreto Iudicis, agente decepto, qui non vult ſtare venditioni, valida nihilominus illa fuit initio, ex eaque ius quæſitum fiſco, qui & illam petere, & ſi iam accepit, retinere poterit, quod affirmant DD. proximè laudati. Cuius verò fuerit hanc gabellam ſoluere venditoris, an emptoris diſſentiunt, quod fuſiùs videbis apud Gutier. *quæſt.* 12. *à n.* 4.

Tertiò maior difficultas eſt in reſciſſione venditionis per reſtitutionem in integrum minori conceſſam, & à Iudice decretam propter damnum, quod in ea venditione paſſus fuerit minor. Itaque in ea controuerſia diſſentiunt DD. Volunt aliqui deberi gabellam ex ea venditione, & ſolutam repeti non poſſe; quia & venditio ipſa initio valida fuit ipſo iure, quamuis per ſententiam deinde annullari poſſet, vti in multis aliis venditionibus contingit, ex quibus tamen diximus gabellam deberi, quamuis deinde reſciſſæ fuerint. Præterea quamuis illa reſtitutio in integrum omnia reponat in eodem ſtatu, in quo erant ante contractum, id tamen non intelligitur reſpectu tertij, qui interea aliquit acquiſiuit ex eo contractu, vt pluribus exemplis fit manifeſtum. Secundò negant plures alij deberi gabellam; quia licèt valida fuerit initio venditio; ita tamen annullatur per hanc reſtitutionem, ac ſi a principio vel nulla fuiſſet, vel celebrata non fuiſſet, & vt minor ſeruetur omninò indemnis, quod non fieret ſi damnum ſolutæ gabellæ adhuc ferret; ideóque ea reſtitutio vim quoque habet aduersùs ius tertij ex annullata venditione quæſitum, ſi illud in damnum minoris incidat, alioquin enim non eſſet indemnis, quod tamen per eam reſtitutionem maximè intenditur. Vnde benè explicat Molinæ. *in conſuetud. Pariſ.* §. 22. *num.* 35. hanc reſtitutionem in integrum extendi ad iura quæſita tertio, quando quæſita ſunt immediatè ex quapiam alia cauſa extrinſeca, alióve contractu. Verùm de efficacia reſtitutionis in integrum agemus *lib. proximo.* In hac verò controuerſia gabellaria, ſapienter mihi videtur Gutier. *quæſt.* 13. *num.* 9. *ſub fin.* aduertiſſe eligendam eſſe ſententiam negantem debitam eſſe gabellam, quia

in

in dubio contra fiſcum iudicari poteſt *l. non puto 10. D. de iure fiſci*, & cùm gabella ſit res odioſa ex communi DD. ideóque vbi de eius obligatione diſputatur, ſtrictè interpretanda eſt ex parte ſoluentis, qui quantum fieri poteſt, ex ea liberandus eſt, quod fuſiùs oſtendit Laſſart. *in præfat. de decimus vendit. num.* 31. & Gutier. *queſt.* 6. *de gabellis n.* 10. liberandus erit hic minor in integrum reſtitutus, maximè cùm opinio, quæ illi fauet, ſit ita dubia, vt tamen probabilior exiſtat contrariâ. Hæc tamen omnia intelligenda ſunt, vt venditio prior per reſtitutionem omninò annulletur, & non reſtituatur tantum aduersùs læſionem pretij, rato firmoque manente contractu; tunc enim tenebitur ad ſolutionem gabellæ tum ex pretio, tum ex eius ſupplemento, cùm valida maneat venditio, nullaque omninò cauſa ſit tollendi fiſco ius, qood ipſi ex eiuſmodi venditione valida competit. Deinde ſi venditio facta fuerat ea lege, vt emptor gabellam ſolueret, eamque reuerà ſoluit, & aduersùs illam venditionem minor reſtituatur in integrum, debebit vnà cum pretio reſtituere emptori gabellam ſolutam, quia reſtitutio omnia reponit in primo ſtatu, tum reſpectu minoris cui conceditur, tum reſpectu aduerſarij iuxta eius ius. Sed de his alibi.

Quartò reſcinditur venditio ex cauſa doli mali, vel metus, debetur tamen gabella ex ea venditione, quæ ex ipſo iure valet, vti fuſiùs oſtendit Couarru. *in 4. decretal.* 1. *part. cap.* 4. §. 1. *num.* 12. & nos *lib. ſequenti*. Incumbet verò onus ſoluendæ gabellæ illi, qui metum dolúmve fecerit, vbi per Iudicem ea de cauſa fuerit diſſoluta venditio. Ita Laſſart. *de decim. vendit. cap.* 14. *n.* 55. Girond. *de gabel.* 5. *par.* §. *vnic. n.* 23. 24. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 352. Sanch. *c.* 4. *citat. dub.* 40. Gutier. *q.* 14. *n.* 1. *de gabellis*

Quintò nulla eſt vēditio ratione minoris ætatis, niſi elapſo quinquennio confirmetur, poſt quam confirmationem, & retrohabitionem debebitur gabella præſenti gabellario, quia tunc demum valida eſt.

Sextò vbi pupillus contrahit ſine tutoris authoritate, aliiſque iuris ſolemnibus, claudicat contractus, & ab eo reſilire poteſt pupillus, quare ex eo non debetur gabella; vbi autem validabitur ex nouo conſenſu pupilli, & tutoris authoritate, aliiſque iuris ſolemnibus neceſſariis, debebitur gabella huius temporis gabellario. Ita Gutier. *queſt.* 14. *n.* 3. & 4.

Plurima alia circa varios contractus, ex quibus ſolui debet gabella, & cui gabellario, & quo in loco ſoluenda ſit, diſputantur à DD. ferè Hiſpanis, quia eorum priuata onera reſpiciunt; quare ea lubens omitto, & quia parum ad praxim neceſceſſaria eſſe exiſtimo, nam vbi vrgent gabellę, aliaque vectigalia, omnibus perſpicuum eſt, ex qua re, coi gabellario, in quo loco, & à quibus debeantur gabellæ, quidve ferant ea de re conſtitutiones, quas etiam rudes, & miſeri ſuo diſcunt experimento.

ARTICVLVS XIV.

De indulgentia, & immunitate vectigalium.

Quid ſit indulgentia, quid immunitas vectigalium. 1.
Quandonam daretur indulgentia. 2.
Quorum foret immunitas. 3. & *n.* 8.
A quo tribuenda foret. 4.
Quibus ex cauſis concedenda. 5.
Quis debeat tributum vni indultum ferre. 6.
An poſſit Princeps eam immunitatem vendere. 7.
An qui falsò exiſtimatur nobilis, poſſit ea immunitate gaudere. 8.

INdulgentiam diſtinguo ab immunitate hoc loco; illam enim appello more veterum, cùm vel 1
tributa, vel ipſorum pars, vel reliqua remittebantur alicui à Republica, vel Principe: quare Ammian *lib.* 16. ait Iulianum ad vſque Imperij & vitæ finem vtiliter obſeruaſſe *ne per indulgentias, quas appellant, tributaria rei concederet reliqua.* Immunitas eſt quando quiſpiam ſingulari beneficio a lege tributaria, qua cæteri obligantur, eximitur; res ſiquidem vectigali obnoxia dicebatur munifica; quare Paul. *in l.* 4. *D. de publican. Si quid amplius quàm mandatum eſt transferret, id munificum ſit*, hoc eſt muneribus obnoxium. Idem Paul. *in l.* 18. *D. verbor. ſignificat.* milites quoſdam ait *munifices* appellari, quia munera militaria præſtant: eadem res vectigalis, dicitur quoque munis. Sic Papinian. *in l.* 8. *D. de publican. Si vnus ex pluribus hæredibus rem munem cauſa vectigalis ſubripiat.* Res munis eſt fiſco obligata, de cuius fraudatione ibi agit Papinian. quod ſi legamus, vt aliqui contendunt, *rem communem*, & Baſilica legunt κοινὸν πρᾶγμα, eodem modo explicanda erit. Dixerunt veteres municare pro communicare. Erit igitur res munis, ſiue communis, pro *commune* ſubſtantiuè ſumptum, ſicut dicitur pro *publico*, à quo publicani, publica res. Cic. 4. *Verrin. Quis appellare auderet eum videret ſtatuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, à communi Siciliæ*: & *Verrin* 3. *Quomodo commune Myliadum vexant.* Feſtus ait munem ſignificare officioſum, & Plaut. *in mercat. Dico eius pro meritis gratum me & munem fore*: vbi peſſimè quidam emendant memorem. Nonius munes deduci vult non à largitione, ſed quòd conſentirent ad ea quæ amici volebant, munifices verò authore Feſto, qui munus Principi faciebant, officio nempe ſuo defungebantur, & non vacabant, quomodo dicuntur à Vegetio *lib.* 2. *cap.* 7. milites munifices, quod & à Paulo dictum meminimus. Inde Plin. *lib.* 11. *cap.* 40. *Mamma munifer*, quæ lacte abundat, ſicut & mamma mima quæ ſicca erat. Simili de cauſa Iul. Firmicus illod Pauli ad Cor. θεῦ συνεργοῖς *Dei munifices*, reddit. Immunis igitur eſt, qui munere obſtrictus non eſt, quales dicebantur beneficiarij principales, quia Principis beneficio vacabant omni munere, & inde immunitas, ab oneribus ſcilicet, atque etiam vectigalibus: quæ immunitas aliquando ſingularibus perſonis, aliàs certo hominum generi, aliàs vniuerſitatibus, regionibus, & ciuitatibus conceditur.

Soliti erant veteres vel ob bellorum iniuriam, vel annonæ calamitatē aliquando indulgere quidpiam circa tributa, aut ipſorum reliqua: ſic enim appellant, quæ ex debitis tributis nondum ſoluta ſunt, ſic dicuntur reliqua colonorum paſſim, immò & arcæ reliqua apud Symmach. Conſtantin. Magnus remiſit publica vectigalia, & debitorum chartas in foro Romano incendi iuſſit, quod teſtatur

tur Georgius Monach. *in Chron.* Euſeb. *lib.4. de illius vita*, ait ipſum illationum annuarum quarta parte leuaſſe regiones omnes. Sozomen. *lib.1.* ait eundem Imperatorem partem vectigalis, quam ſingulis ciuitatibus imminuerat, Clero aſſignaſſe, Nerua Italiæ remiſit vehiculationem; Traianus vetera reſidua condonauit, noua retinuit. Anthoninus Philoſophus præteriti temporis per omnes prouincias tributa donauit, omniaque ſimul calomniinoſa monumenta iuſſit incendi; quod idem de Adriano narrat Cedrenus. Arcadij & Honorij ſimilis ampliſſima conſtitutio refertur in *C. Theod. de indulgent. l.3.* Refertur quoque *l.1. C. Theod. de indulgent.* eiuſdem Iuliani conſtitutio, qua excepto auro, & argento cuncta reliqua remittebat. De remiſſioue tributorum facta à Tiberio, teſtis locuples eſt Euagr. *lib.5. c.13.* De Marco Philoſopho Capitolin. & Dio. Iulianus quintam illationum partem cum reliquis ſe remiſiſſe teſtatur *in Myſopogon.* De tertia parte idem in epiſtolis ſuis meminit. *In oration.* verò ait Conſtantinum ſæpe decem millia modiorum tritici quotannis dediſſe fruenda Athenienſibus. Anaſtaſius remiſit ad ſeptem annos tributa Amidenis, qui capti fuerant a Perſis, apud Procopium. Mauricinis tertiam partem vectigalium remiſit, quod affirmat Simochat. *lib.8.* Theodoricus Lucanis & Brutiis, quorum culta vaſtarat exercitus ad defenſionem Reipublicæ deſtinatus. Commendat Gratianum Auſon. quòd *cumulata benitate reſidua tributorum condonaſſet*, & tabulas debitorum exuri iuſſiſſet, quod olim fecerat Auguſtus apud Suetonium, Aurelianus apud Vopiſcum: ſed audi Auſon. de hoc ſalubri Incendio: *Tu argumenta omnia flagitandi publicitùs ardere iuſſiſti. vidêre in ſuis quaque foris ciuitates conflagrationem ſalubris incendij; ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum, iam ſe cum puluere fauilla miſcuerat, iam nubibus fumus inuoluerat, & adhuc obnoxij in paginis concrematis ductus apicum, & ſeſtertionum notas cum inuantia de ratione cernebant, quod meminerant legi poſſe & veteres.* Poſtremam lineam corruptam eſſe apparet; itaque Hotmanus, aliique varie emendant: *cum denaria ratione cernebant quas meminerant*, vel *cum immani*, vel *ingenti*, *& inſana trepidatione*, vel *cum titubantia & trepidatione*: vltima autem verba ſic emendabant, *quod meminerunt lectum, legi poſſe etiam verentes*: vel *legi id poſſe vetueras*, vel *legi poſſe & lituras.* Extat quoque Maioriani Nouella de indulgentiis reliquorum: erant tamen qui ubliteratas tabulas, & legebant, & retrahebant: in his fuit Petrus *exercendis apud Ærarium ſectionibus famoſus*, vt ait Tacitus *lib.13. annal. cap.23.* *illi à Nerone exilium irrogatum, & tabula exuſta ſunt, quibus obliterata ærarij monumenta retrahebat.* Ammian. Marcell. *lib.26.* de Pettonio, *qui ſepulta iamdudum negotia*, & *rediuiuas tabulas debitorum in diuerſos ordines excitabat.* Nec ob ſolam vaſtitatem à bellis, aut tempeſtate cœli illatam agris laxabantur aliqua ſaltem ex parte tributa, ſed alias quoque ob cauſas, ob quas populo Principes gratificari volebant, v.g. ob alicuius prouinciæ illuſtrem deuotionem erga Principem, vti factum Affricæ ab Imperat. Honorio & Theodoſio habes *l. 6. C. Theod. de indulgent.* aut ob liberatæ patriæ ab hoſtibus celebritatem. Plura de eiuſmodi indulgentiis vide *in eod. C. Theod. de indulgentiis.*

Immunitas propriè eorum erat populorum, qui ſuis legibus viuebant, neque alienis ſeruiebant, ac multò minus erant ſubditi tributariis, dicebantur *αὐτόνομοι*: ſic in Bulgaria Iuſtinianus voluit à ſe denominatam Iuſtinianeam *αὐτονομεῖσθαι* apud Nicephor. Gregor. *lib.2.* Denique Conſtantino Porphyrog. *in Corograph.* immunes ſunt *αὐτοκέφαλοι μὴ ὑπὸ τῷ βασιλεῖ ῥωμαίων μήτε ἑτέρῳ τινὶ ὑποκείμενοι αὐτόνομοι ἰδιόρρυθμοι* ſui capitis, qui neque Imperatori Romanorum, neque alteri cuiquam ſubditi erant, ſuiſque legibus & moribus viuebant: qui itaque lege tributaria eximebantur, immunes nominati ſunt, & iure immunitatis gaudere dicebantur, cuiuſmodi fuit quondam ius Italicum, quod quibuſdam coloniis communicatum dicit Vlpianus *l.1. D. de cenſibus*, in quibus numerat ſplendiſſimam Tyriorum coloniam, vnde ipſe duxerat originem, cui ob egregiam in Rempublicam, Imperiumque Romanum illuſtrem fidem Seuerus Imperator ius Italicum dederat. Cuiacius tamen *lib.10. obſeruat. cap.35.* negat aduersùs communem opinionem Ius italicum eo loco eſſe immunitatem tributorum. In primis quia quædam coloniæ Prouinciales, quæ ius Italicum non habebant, à tributis tamen immunes erant, vt Cæſarienſis in colonia prima Flauia; quam Veſpaſianus deduxit authore Plinio *lib.5. cap.13.* & *Nou.103.* Immunis autem fuit eiuſdem Veſpaſiani, & filij eius Titi beneficio, *l. vlt. D. de cenſib.* illa tamen non habet ius Italicum *ex l.1. D. eod.* Deinde plus erat ratione tributorum ciuitatem, aut coloniam eſſe immunem, quàm habere ius Italicum: nam ius Italicum eſt tantùm leuatio cenſitionis; nempe vt idem in cenſitione ius experiantur quod Italicæ coloniæ, non tamen leuabat hoc ius omni tributo, quamquam plura alia complecteretur priuilegia, ea nempe quibus vtebatur ipſa Italia, puta in traditionibus nexi, in vſucapionibus, in annali exceptione, idemque in iure capiendi. De iure Latij, quod aliud erat, ibidem habet Cuiacius; quare Colonia, quæ ſimul erat immunis, & habebat ius Italicum, maiori gaudebat iure, quàm quæ aut immunis ſolùm erat, aut iuris tantùm Italici; quia vnum ius non continebatur neceſſariò in altero. Verùm quidquid ſit de immunitatis & indulgentiæ vocibus.

Certum eſt à ſuprema duntaxat poteſtate tributa laxari poſſe, atque illis aliquos eximi; cùm enim 4
ea poteſtas ſola potuerit indicere tributa, vti fuit alias oſtenſum, eius etiam ſolius fuerit tollere, cùm inferior poteſtas legem à ſuperiore poſitam refigere nequeat: atque olim in libera Republica, ea tributorum immunitas à populo concedi, aut ſi à Conſulibus conceſſa iam fuiſſet, confirmari debebat; ſicut & reliqua fœderum pacta; quod obſeruabis apud Liuium *lib. 38.* circa immunitatem Ilienſibus ex fœdere cum Anthiocho inito factam. Vbi verò Imperatores ſibi Reipublicæ adminiſtrationem ſumpſerunt, illi quoque ſoli immunitatem, & indulgentiam fecerunt, quod ſatis conſtat *ex C. de his quia à Princ. vocat. acceperunt*: & *C. de excuſat. muner.* & *C. de quibus muneribus nem. liceat ſe excuſare.* Huius indulgentiæ, & immunitatis ſæpius à Theodorico factæ veſtigia plura occurrent apud Caſſiodorum: in Gallia ſolius Regis eſſe eximere quempiam à tributis, & vectigalibus conſtans exiſtit omnium ſenſus, quem & quotidianus vſus confirmat, neque in hac re probanda diutiùs immorandum videtur.

Prudenter tamen in iſtis immunitatibus concedendis gerere ſe debent Principes, ne dum aliquibus fauent aduersùs alios iniquiùs ſe gerant; ſapienter enim Imperatores *in l. omnes 9. C. Theod. de luſtrali collation.* iubent omnes negotiationis ſtudio

intentos

intentos ad pẽſitationem auri, quod negotiatoribus
indicitur, compelli, *beneficium enim quibuſdam da-*
5 *tum plebis iniuria eſt.* Nemo tamen iure negarit iuſtas interdum accidere cauſas, propter quas aliqui eximantur ab eiuſmodi oneribus, vti circa Nobilium à gabellis exemptionem oſtendit Sotus *lib. 3. quaeſt. 6. art. 4. conſ. 4.* Sanch. *lib. 2. conſilior. cap. 4. dub. 60. & 61.* & Molina *diſp. 673.* circa alios. Vbi tamen nulla eſt iuſta cauſa, & rationabilis, negant DD. poſſe quemquam ab ipſo etiam Principe eximi, additque Molina id verum eſſe, quamuis eiuſmodi exemptio non caderet in cæterorum præiudicium, quia inde non plus ſoluere cogentur, quàm ſoluturi eſſent, neque pars quæ quibuſdam condonatur, in alios reiicietur. Rationem reddit Molina, quia iniquum eſt abſque rationabili cauſa inducere inæqualitatem in Republica circa onera communia ſuſtinenda. Deinde, quia ſi poſt aliquod tempus tributa quæ ſuperſunt non ſufficiant ad communes Reipublicæ neceſſitates, noua alia indicenda erunt, atque ita non exempti grauiùs onerabuntur propter conceſſam aliàs exemptionem, immò vix vnquam, vti aduertit Lugo *n. 95.* contingere poteſt, vt ratione eiuſmodi exceptionum cæteri non ampliùs grauentur: nam ſi tributa quæ reſtant modò, & à paucioribus ſoluuntur, ſufficiant, igitur priùs à pluribus ſoluta, ſuperflua erant, atque adeò iniuſta propter illum exceſſum, quem hodie quidem vectigales ſubditi debent, quia ampliùs exceſſus non eſt; ſed tunc non debebant, quia tunc exceſſus erat. Si verò non ſufficiant, oportet augere tributa, quo augmento ſubditi non exempti grauabuntur. Denique ſi initio lata fuiſſet lex tributaria cum ea inæqualitate perſonarum, abſque rationabili cauſa, iniqua fuiſſet lex propter non ſeruatam proportionem membrorum: atqui eadem inæqualitas deinde per eiuſmodi exemptiones inducitur abſque cauſa neceſſaria: igitur opus eſt aliqua causá, quæ bonum commune ſpectet, & non ſolum arbitrium, & libido Principis, qui nihil aliud quærat, quàm vni alicui cæterorum graui diſpendio gratificari.

Poſito autem eiuſmodi iuſta cauſa quæritur an illa pars, quæ indictioni detrahitur per exemptionem, debeat ferri à Principe, vti cenſent Angel. *in l. ſi vnus, §. item ſi pactus, & §. ſed ſi generaliter. D. de pactis,* & Bald. *in eand. l.* & *in l. inter debitorem. D. eod.* & *in l. vacuatis, C. de decurionibus,* ne iniuſtè cæteri ſubditi vexentur, an verò cæteri vectigales ea parte, qua eximuntur immunes, aſpergi iure poſſint, quod exiſtimant Bartol. *in l. 1. C. de operib. public.* Ioannes Andræas *in cap. peruenit, de immunitatibus Eccleſ.* & Boër. *deciſ. 213.* alioquin Princeps ſuo damno duntaxat quempiam eximeret, neque aliis proficere poſſet, niſi ſibi nocendo. Deinde vti argumentabamur cum de Lugo, cùm eiuſmodi exemptionibus decreſceret neceſſariò dominicum patrimonium, cogeretur Princeps noua tributa indicere, aut vetera augere, atque ita tandem tota illa diminutio, in cæteros ſubditos vectigales refunderetur, quod tamen vitare volebat prima ſententia, quæ dicebat eam diminutionem ferendam eſſe à Principe: quare dicendum eſt quoties exemptio fit ob rationabiles cauſas, quales non cenſentur hoc loco quæ neceſſitates communes non reſpiciunt aliquatenus, partem, quam exẽpti non ſoluunt, in reliquos diſpergi poſſe: quod ſi eiuſmodi cauſa non ſubſit, diminuendum eſſe tributum, quod ſuppleri non debet à cæteris, ſed alia quapiam ratione prouidendum eſſe ad compenſandum illud tributi detrimentum.

Qua ſimili diſtinctione ſoluitur illa difficultas 7
an Rex poſſit eiuſmodi exemptionem vendere, ſiue immediatè, ſiue mediatè vendendo nobilitatem, aut aliud quidpiam, vnde ea immunitas proficiſcatur, quod fieri poſſe, niſi Rex partem illam tributi relaxet, negant aliqui: Alij verò concedunt cum Sanch. & Molin. locis citatis, qui alios afferunt. Diſtinguendum eſt, ſi Princeps enim indigeat ad commune bonum ingenti aliqua ſumma, quam poſſet à ſubditis exigere, cur non poterit illam comparare vendendo exemptionem, ex qua fiet vt aliquid ſuperindicatur ſingulis tributariis. Si verò nulla exiſtat eiuſmodi cauſa, debebit compenſari pagus, in cuius, vt vides, præiudicium conceditur, aut venditur exemptio tributorum, aut nobilitas, aliáve dignitas, cui priuilegium illius immunitatis annexum eſt.

Quæres, an qui exiſtimatæ vulgò nobilitatis ob- 8
tentu immunis habetur à penſitatione tributi, quod ea de cauſa ab ipſo non exigitur, tutus ſit in conſcientia, cùm probe ſciat ſe nobilem non eſſe, & vulgi opinionem falſam eſſe, eius enim occaſione cæteri plus æquo onerantur, & ea parte quam ipſe ſoluere tenetur, cùm nullo vero titulo eximatur, aſperguntur.

Reſp. cum Sanch. *dub. 2.* & eruditis Neotericis, eum qui bona fide, & abſque dolo, & fraude, quam ipſe fecerit, aut cui cauſam dederit, habetur pro nobili vulgò, ideoque non exigitur ab illo gabella, aliudve tributum, non teneri ad illud ſoluendum, quia licèt fortaſſis ea de cauſa maius tributum cæteri tributarij præſtent, ille non concurrit ad illud grauamen, niſi admodum remotè; & bona fide proceſſit, neque tenetur ſuam ignobilitatem detegere, atque exauthorare ſeipſum, & abdicare illo ſtatu ad quem illum ſua bona fortuna erexit, & quem nulla fraude, aut dolo quæſiuit: quare cùm non debeat gabellam niſi petatur, & illam ab eo non petant publicani, quia falsò exiſtimant ipſum propter ſuam nobilitatem immunẽ; atque ita ſibi ipſis illudunt, ad quam illuſionem & errorem ipſe non concurrit, tutus omninò eſt in conſcientia. Addiderim cum eodem Sanch. & aliis recentioribus, non modò hunc falsò exiſtimatùm nobilem, non peccare, & non teneri ad tributum, & gabellam ſoluendam quando ab ipſo non petitur propter falſam eius nobilitatis opinionem, ſed neque ſi petatur, vectigal illud debere quandiu de eius ignobilitate non conſtat; & vulgò nobilis habetur, atque etiam per aliquot annos talis habitus eſt. Nam neque tunc tenetur cum infamia ſe prodere, ſed poteſt opponere petentibus vectigal, ſe nobilitatis immunitate hactenus gaudere; itaque ipſorum eſſe impugnare ſuam ignobilitatem, & rem iudicio permittere, & modò neque teſtes corrumpat, neque fraudem aliam committat ad tuendam fictam illam nobilitatem, tutus erit in conſcientia, ſi Iudices pro illa pronuncient, atque hanc opinionem æquam, & piam eſſe, contrariam verò rigidiſſimam exiſtimarunt docti illi viri apud Sanch. noſque olim nondum lecto Sanche in eum ſenſum reſpondimus conſulti à quodam, qui vulgò exiſtimatur nobiliſſimæ cuiuſdam familiæ, cuius nomen, & ſcutum gentilitium gerebat, eaque de cauſa nullo repugnante, Nobilium comitiis intererat, omnique nobilitatis eximio iure fruebatur, & maximè tributorum omnium immunitate, communi cum cæteris Nobilibus conditione, ipſe tamen certo comperetat, ſe eius ſtirpis

non

non eſſe; quare rogabat an talem ſe gerere poſſet qualis ab omni hominum genere tota prouinciâ habebatur, maximè cùm nullus omninò ex antiquiſſima illa familia ſupereſſet, quare nulli faciebat ea ex parte iniuriam: angebatur tamen animo propter immunitatem vectigalium, & cætera præcipua iura, quibus falsò exiſtimatæ nobilitatis prætextu gaudebat. Reſpondi ego quandoquidem bona fide vſus fuiſſet, neque fraudibus, aut malis artibus ſibi illam nobilitatis opinionem quæſiſſet, neque nobiliſſimæ ſtirpis nomen & teſſeram gentilitiam mentitus eſſet, & ſibi volens aſciuiſſet, ſed à parentibus accepiſſet, neque ſciret vnde in ſuam familiam deriuatum fuiſſet, nulluſque ipſi ea de de cauſa negotium faceſſeret, aut faſciuiſſet vnquam, poſſe ſua illa fælicitate tuta conſcientia vti, non teneri abiicere Nobilis ſtatum, aut conditionem, & publica profeſſione plebeitatis ſuæ homines dedocere, nulli iniuriam facere, immò potiùs exſuſcitare antiquiſſimam ſtirpem funditùs extinctam, modò nihil indignum ea committeret, neque debere tributa, quæ ab eo non exiguntur. Iucundum deinde fuit, hanc meam ſententiam à Sanche & doctis, quos ipſe conſuluerat probatam fuiſſe.

Quando verò quis fraude, aut vi ſuam falſam nobilitatem probauit, & iiſdem malis artibus impediuit; ne ab ipſo exigerentur vectigalia, quæ idcircò aliis maiora ſunt ſuperindicta, tenetur ad reparationem damnorum, quæ cæteris vectigalibus attulit hactenus, & ne illa inferre pergat prouidere; quia iniuſti damni cauſa fuit, vt patet, quamquàm difficilis ſit iſta reſtitutio, præſertim quoad damna futura, nam præterita compenſabuntur expendēdo ſummam aliquam in illius plebis, cui damnum creatum eſt, beneficium, vt extruendo pium aliquod opus. Quoad futura damna, quæ continuò perſeuerabunt, quamdiu iſte pſeudonobilis, eiuſque poſteri collectas, talias, aliaque tributa non ſoluent; cæteri enim inde ea parte grauabuntur, neque videtur obligandus ad nobilitatem iis artibus collectam, magna ſui ſuorumque ignominiâ prorſus abiiciendam, & ſuæ turpitudinis publicas pœnas ſponte ſubeūdas: quare Sanch. duo quædam ſuggerit. Primò, vt ad aliquod opus publicum, vel pium conſtituendum, aut conſeruandum conſtituat eam ſummam, cuius annui redditus æquiualeant vectigalibus, quæ ipſe eiuſue poſteri ſoluturi eſſent, ex prudentum hominum arbitrio æſtimatione facta: v.g. vt ex redditibus ſummæ eiuſmodi alantur pauperes, aut orphani, curentur ægroti, puellæ collocentur matrimonio. Secundò vt curet creari deinceps Nobilis à Rege, ſic enim non faciet iniuriam in poſterum cæteris.

Poſtulabat hæc controuerſia de Immunitate inquirere hoc loco quænam perſonæ & dignitates habeant eiuſmodi immunitatem, ſed longioris & inutilis foret operæ, cùm enim varij ſint gentium mores, leges, & ſtatuta ſingula percurrenda forent, & cum ij, qui ſe immunes eſſe tuentur, acriter id faciant, ſuumque ius minimè ignorent, non conſulent nos, ſed mores patrios, aut leges municipales, priuilegiaque à Principibus conceſſa, vt ſuam immunitatem vel ſciant, vel tueantur. Sola quæſtio quam video paſſim à DD. hoc loco tractari, pertinet ad perſonas Eccleſiaſticas: verùm ea diſputatio prolixior eſt & plurimas alias grauiſſimas, inuidioſaſque difficultates implicat, quæ vix diſtrahi poſſunt, ſi in illis tractandis veritati, breuitati, & perſpicuitati ſtudere volumus, ſimulque tota materia immunitatis Eccleſiaſticæ cùm iiſdem innitatur principiis, ſiue de perſonis, ſiue de bonis agatur, pertractanda eſt, quod commodiùs fiet alibi in noſtra ſcientia canonica, vbi tum de perſonis, tum de bonis Eccleſiaſticis agemus, neque modò vocat in tractatione de negotiatione, vectigalium occaſione ad diffuſam adeò diſputationem alieno ſanè loco digredi; conſule intereà DD. qui paſſim hanc controuerſiā agitant.

ARTICVLVS XV.

De Præfectis vectigalium, & ipſorum exactoribus, redemptoribus ac publicanis.

Cura circa vectigalium exactionem quam ſollicita fuerit. 1.
Quid incumberet circa illam rectori prouinciæ. 2.
Quid collatori. ibid.
Quinam eſſent canonicarij. 3.
Quid vindices, defenſores ciuitatis, ſuſceptores, arcarij, mittendarij, opinatores, proſecutores, magiſtri cenſus. 4.
Exactores, executores, eorum munus. 5.
Quid centenarij, ducentenarij. ibid.
Forma exactionis. 6. 7. 8.
Quid ſuperindictio. 8.
Mancipes, redemptores, publicani. 9. 10.
Conductio vectigalium quomodo fieret. 11. 12.
Quinam vectigalia conducere poſſint, an clerici, milites. 12.
Obligationes conductorum. 13.

SVmma ſemper fuit in exigendis tributis cura, & 1
diligentia tum libera Republicâ, tum Imperatoribus illam adminiſtrantibus, quique eam ob cauſam plurimos hinc officio præfecerunt, qui vel colligendis, vel deferendis, vel condendis, vel computandis tributis incumberent: nam omnibus Magiſtratibus per prouincias conſtitutis edixit Iuſtinian. *Nouell.* 134. vt curarent tributa tutò deferri ad comitem largitionum & priuatorum: & *Nouell.* 17. *cap.* 8. agit de apochis tributorum, vt eas curent præſides ab exactoribus tributorum ita confici; vt prædiorum nomina exprimant, & tributorum quæ prædiorum nomine illata ſunt, modum, & capitum item modum, iugerumque, ſiue iugorum, aut centuriarum, ſiue quo alio nomine, pro conſuetudine regionis menſuræ agrorum vocentur: nam alij iugis, alij iugeribus, alij verſibus, alij centuriis, alij libris, alij paralellis agros metiuntur, vti aliàs diximus: eadem habet *Nou.* 124. Deinde ſi dubitetur de poſſeſſionibus, quæ tributa debent, vel de tributorum modo, quia v.g. plura prædiorū iugera eſſe dicūtur, quàm ſint, conſulantur tabulæ & cenſitores, quos *Nou.* 128. vocat τῶν δημοσίων ἀπογραφῶν φύλακας, vt edere cogantur veras, & cum omni ſubtilitate confectas, ἴσα, hoc eſt, exemplaria publici cenſus, & eius rei diſceptatio ad Præfectum prætorio referatur. Interim verò abſque præiudicio collatores inferant, quæ diu præſtiterunt, & venditio prædiorum

diorum non inhibeatur à decurionibus, vel cenſualibus, qui exactioni tributorum incumbunt, etiamſi emptor non idoneus eſſe dicatur, ſi modò venditor in ſe periculum recipiat. Denique ea res diſceptetur apud Præſidem ſine ſportulis, & impendio.

2 Rectori prouinciæ fiſcalium tributorum exactio credebatur, vt ait Caſſiodor. *lib.6. ep.21.* hoc verò nomine donabantur omnes, qui prouincias adminiſtrabant; ſic Sueton. *in Veſpaſ.cap.8. de inſulari rectore à Veſpaſiano creato.* Ammian. *lib.2. Rector Narbonenſis*, atque alibi ſæpius eadem rectoris vox vſurpatur: Habebant illi tributorum exactores, quos vulgò *διοικηταὶ* nominabant, quod teſtatur Leo *Nou.61.* Ipſorum Princeps, ac veluti magiſter, ad quem cæteri ſuas collectas transferebant, dicebatur magnus Diocceta, qui Conſtantinopoli fuit, Codini tamen ætate eius officium
1 exoleuerat: *ὁ μέγας*, inquit, *διοικητὴς οὐ δημίαν ὑπηρεσίαν ἔχει.* Cantacuzenus tamen *lib.3. cap.14.* meminit glebæ magni Dioccetæ. Hi collectores autem ex venia Principum ſibi etiam quædam *ἐνδυματικὰ* capiebant, quod prohibet portitoribus Iuſtinian. *cap. 3. edict.*

3 Canonicarij canones, & illationes exigebant, inferebantque in horrea, canon enim, quod aliàs diximus, erat anniuerſaria penſitatio, functio, collatio, præſtatio, quæ à Prouincialibus quotannis Populo Romano, vel Conſtantinopolitano, vel Alexandrino gratis, ac ſine vllo pretio mittebatur, & ſpeciebus fermè conſtabat frumento, vino, oleo; vnde paſſim canon frumentarius reperitur: hoc tamen nomen ad omnes deinde certas, & ſtatas penſitationes tranſlatum eſt, vnde canon aurarius, delegationis, emphyteuticus. Caſſiodor. *lib.5. ep.39.* habet tranſmarinorum canones, & telonei canones: eſt canon glebæ, canon largitionalium titulorum, canon metallicus, vrbanus, ſuarius, ſenatorius, patrimonialis, rei priuatæ, fundorum, veſtium, nauli, titulorum omnium, & cæterarum rerum. A canone igitur dicti ſunt canonicarij, qui eiuſmodi canones exigerent. Ioannes Canonicarius Thuſciæ fuit apud Caſſiodor *lib.11. ep.38.* cui mittitur pecunia pro chartis conficiendis, vt ſcriniis cõſuleretur *lib.12. ep.7.* Canonicario Venetiarũ iubetur, ne de prędiis quæ incurſione Sueuorum nouerit eſſe vaſtata, præſentis indictionis tributa exigat, reliqua tamen ſolemni compulſione procuret. Et *Ep.16.* quendã canonicarium vult admonere in diœceſi ſua poſſeſſorem, vt trina illatione ſeruata, aſſem tributarium deuotus exoluat. Erant igitur canonicarij palatini, qui mittebantur in prouincias ex ſcrinio canonum ad exigendos ſolemnes titulos fiſcales: mittebantur verò vel à comite domorum, vel à Præpoſito ſacri Cubiculi, vel à Comite priuatarum, atque de hoc poſtremo id ſignificat Caſſiod. *lib.6. form.8.* quod eſt comitiuæ priuatarum. *Habes quoque per prouincias de perpetuario iure tributorum non minimam quantitatem, canonicarios dirigis.* De præpoſito ſacri Cubiculi, & Comite domorum conſtat ex *Nou. 30.* vbi prædia Tamiaca in Cappadocia, quæ ſuberant Comiti domorum, transfert in curam Proconſulis. Comes autem domorum, cùm inter cubicularios numeraretur, Præpoſito ſacri Cubiculi ſubdebatur, qui idcircò canonicarios in Cappadociam ad res Tamiacas mittebat: quare vbi ea cura à Comite domorum, in Proconſulem Cappadociæ reiecta fuit, Proconſul quoad res Tamiacas præpoſito ſacri cubiculi parere tenebatur, & relationes ad eum deferre, & admittere quos ille miſiſſet palatinos canonicarios. Deputati erant redditus Tamiaci Cubiculo, & Cellario ſacro, quod eſt propriè *ταμιεῖον.* Erant igitur in Pontica Diœceſi, & Cappadocia præcipuæ poſſeſſiones, & domus multæ proprij patrimonij Principis, & in eis coloni & inquilini & ſerui, & equitia eiuſdem iuris, conditionis, nominis, homines puta Tamiaci, poſſeſſioneſque Tamiacæ, quia ſacro Cellario deſtinatæ, qui quæve omnes erant ſub iuriſdictione Comitis domorum *l. pen. Cod. vbi cauſa fiſc.* & *Nou.20.* Sublato verò eo Comite, & eius officio in Proconſulem deriuato, pertinuit ad Præpoſitum cubiculi, canonicarios ad redditus, & canonem Tamiacum in Cappadociam deſtinare. Canonicarij porrò ſuo, & eos mittentium periculo, aurum quod inferebatur ſuſcipiebant, tranſmittebant, & erogabant *Nou. 128.* Dicuntur quoque ſcriniarij *Nou. 129. & 147.* De illis agit Maiorian. *Nou.4. de indulgent. Reliquos*, inquit, *ſuperioris militiæ authoritate terribiles, & in prouincialium viſcera, & damna ſæuientes.* Et mox: *Ne vlterius canonicariorum venalis improbitas publicis fortunis inferat, priuatiſque diſpendium, veteri more reuocato, prouinciarum Rectores celebrandæ exactionis forma reſpiciat. l. vlt. C. de exactionib. tributor.* iubet vnum tantùm in ſingulas Prouincias ex competenti ſcrinio canonicarium mitti, qui eorum, quæ proprio ſcrinio debentur exactionem vrgeat. Deinde mitti vult compulſorem poſt menſem, quàm ſolui debuit, quod ita quoque ex Euſthatio magiſtro vrbis in libro *ῥοπῶν* refert Cuiac. in hanc legem *μετὰ μῆνα τῆς ὡρισμένης προθεσμίας πέμπεται ὁ ἐκβιβαστὴς.* Canonicario ſalarium à collatoribus præſtatur: compulſori, & aliis, qui poſt compulſores mittuntur, datur ſalarium à Præſide, & officio eius, & canonicario, & primo compulſore, qui in expediendis fiſcalibus debitis negligenter verſati ſunt. Quæ omnia habentur in citata conſtitutione, quæ etiam prohibet omnia *ἐνδυματικὰ*, quæ erant munera data exactori à collatoribus, vt aliquid de exigendi ſeueritate, inſtantiaque remitteret; quod nomen penitùs aboleri vult conſtitutio. Cæterùm quod de mittendo compulſore poſt canonicarium iubet, reſciſſum deinde fuit à Iuſtinian. *Nou. 128.* quæ & nomen compulſoris vſurpari prohibet, ſapienter omninò, vt enim dixit Valentinian. *in Nouell. de indulgentiis reliquorum: Si vtilis publico eſſe non potuit, qui ante perrexit, ſuperfluum eſt ire alterum æquè prouincialibus obfuturum*: vbi agit de diſcuſſoribus qui eandem ob cauſam mittebantur in Prouincias, erantque iidem cum compulſoribus.

Anaſthaſius Imperator, teſte Nicephoro *lib.16. c.44.* Curiis exigendi tributi onus ademit, & vindices in ſingulis vrbibus conſtituit, quibus id munus incumberet. Euagr. *lib.3.* idem affirmat, & *βινδικὰς* vocatos ait: eos tamen propter ſuam improbitatem ſubſtolit Iuſtinian. *Nou. περὶ τῶν δημοσίων ἀνύσεως*: *& Nouell. περὶ τοποτηρητῶν.* Horum iniquitatem coërcebant defenſores ciuitatum, qui vt habet Imper. Gratian. *in leg. 4. Cod. de defenſorib. ciuitatum*, in vicem parentis plebi aderant, deſcriptionibus ruſticos vrbanoſque non patiebantur affligi, officialium inſolentiæ, & iudicum procacitati occurrebant, ſoperexigendi damna, 4

vel ſpolia plus petentium ab his quos liberorum loco tueri debebant, excludebant; denique non patiebantur quidquam vltra delegationem ſolitam ab his exigi. Sed de his defenſoribus conſule eum Codicis titulum, & Nou.XV. & Cuiacium his locis, atque Buleng. *lib.7. de Imper. Roman. cap. 12.* Mornac. commentario in hanc Rubric. ait ſucceſiſſe in locum τιποτηρητῶν, de quibus *Nou.*134. & dictos τιμητὰς, ſeu πρώχοντες, honorabiles. Apud Maſſilienſes, apud quos erant quadringenti, teſte Strabone *lib.4. cap.*145. comparabantur Tribunis plebis, ex quibus ſumebantur. Horum vices referre hodie in Gallia Scabineos, Conſules, Syndicos, Capitulinos & Iuratos ciuitatum monet. Denique de his videndum Carol. Magn. *cap. 75. & 77. capitular. addit. 4.* Chopin. *lib. 3. tit. 20. de domanio.* Loiſeau *lib.5. cap. vlt. de officiis,* & alios. De eo denique intellige Paul. qui *ep. ad Roman. cap. vlt. verſ.* 23. Eraſtum vocat τὸν τῆς πόλεως οἰκονόμον, quem vulgatus reddidit arcarium, nos dicimus *Receptaeur de ville*; alij procuratorem, vel curatorem ciuitatis appellarunt: verùm vulgata erudita verſio eſt: nam arca publica ſumitur pro ærario publico. Vopiſcus in Aureliano: *Eſt notoria veſtra authoritatis arca publica.* De variis arcis & arcariis diximus alibi, eſtque titulus *in Cod. de ſuſceptoribus, præpoſitis, & arcariis.* Curam gerebant annonæ, & cæterorum titulorum *leg.6. Cod. de exactorib. tributor.* ponderabant ſpecies annonarias, Sidon. *lib. 5. ep.* 7. ſicut & aurum, atque argentum qnod inferebatur *leg. 15. Cod. de ſuſceptorib.* & denique ſuſcipiebant, quæ in arcam Præfecti prætorio inferebantur. Vide alia apud Buleng. *lib. 6. de Imper. Roman. cap.* 54. quare & ad collectionem titulorum pertinebant.

Erant præterea quoque mittendarij, qui vix diuerſi fuiſſe videntur à canonicariis. Mittebantur ex palatinis in prouincias à Comite Largitionum ſacrarum, vt integra tributa, & quæ reliqua erant exigerent *leg. 2. Cod. de can. largition. titulor.* & *leg. 4. de palatin. ſacrarum largition.* Non tamen ipſi conueniebant poſſeſſores, ſiue ex præterito reliquum traheretur, ſiue præſentia tributa ſolui deberent, ſed per Rectorem prouinciæ.

Ex iſtis erant opinatores, qui *l. 7. C. de exaction. titulor.* mittuntur cùm delegatariis in prouincias petendæ militaris annonæ causâ. Non funguntur autem exactorum officio, ſed inſtant Præſidibus, & officiis eorum, & curialibus tantum, quibus titulorum fiſcalium exactio competit, vt intra anni ſpatium annonas accipiant, *leg. 11. Cod. de erogat. milit. annon.* quod idem de palatinis miſſis conſtitui diximus *leg. 2. Cod. de canone largitional. titulor.* & de canonicariis *leg. 9. C. de exactionib. tribut.* Præſides & Iudices exigebant, non iſti palatini opinatores, quod tum *hac leg.7.* dicitur, tum *l. nullum 9. Cod. de officio rector. prouincial.* & *l.12. Cod. Theod. de exactionib.* ſic edicitur. *Potentiorum poſſeſſorum domus officium prouinciæ Rectoris exigere debet; Decurio verò perſonas curialium conuenire, minores autem poſſeſſores defenſor ciuitatis ad ſolutionem fiſcalium penſitationum ſpectata fidelitate compellere.* Præſes itaque, qui patiebatur prouincialem exigi ab opinatoribus, in duplum damnatur, curialis exulat ad tempus: in duplum quoque damnatur præſes, qui opinatorem vltra annum protrahit, ſorte opinatori, pœna fiſco relicta. Debet itaque omni modo intra annum vel de ſuo annonas, quæ flagitantur opinatori præſtare, ne fiat longior mora, ac deinde à prouincialibus eas repetere; quæ omnia traduntur laudata *leg.7. Cod. de exactionib. tribut.* Cur verò nominarentur eiuſmodi miſſi petendæ militaris annonæ causâ, opinatores, non vſqueadeò liquet. Cuiac. *in citatam leg.*17. dictos ita putat, quia exigebant opinionem, id eſt cenſum agri. Gloſſæ Philoxeni ſic habent ὁ τῆς στρατιωτικῆς ἀννώνης ἀπαιτητής. Cenſum autem agri opinionem dici habes *in l. vlt. Cod. de prædiis, & omnibus rebus nauicular.* & *leg. vlt. Cod. de collat. fundor. fiſcal. Integram opinionem ſciant eſſe ſoluendam:* quia cenſus æſtimabatur, quanti ſcilicet ſpecies adærandæ eſſent. Opinatorum meminit Auguſtin. *ep.* 219. agens de Faſtio, qui cùm debito decem & ſeptem ſolidorum ab opinatoribus vrgeretur vt redderet, & vnde ſe explicaret non inueniret, ne corporalem pateretur iniuriam, ad auxilium ſanctæ Eccleſiæ conuolauit. Ex quibus vides malè Haloandrum *in leg. 7. Cod. de exaction. tributor.* legiſſe *optiones*, pro *opinatores*: nam optiones erant, qui militibus annonam diuidebant *leg 9. Cod. de iure fiſci*, idque pluribus probat Cuiacius, *l. citat.* Sed de varia optionum acceptione conſule Bulenger. *lib.6. de Imper. Roman. cap.*47.

His omnibus adde proſecutores, qui publico nomine ac mandatu proſequerentur ea, quæ ttanſmitterentur, aut qui aurum vel publicas functiones proſequerentur. Horum meminit Caſſiodor *lib.4. Ep.7.* Proſequutores equorum *l. 1. Cod. de tractor. & ſtatiuis,* & *leg 9. Cod. de curſu publico.* Proſequutores ſiue perſecutores auri publici, *C. de auri publici perſecutoribus.* Hi autem ſine proſecutoria, id eſt præcepto Comitis largitionum, aurum publicum proſequi non poterant, vt eo loco ſtatuitur *l. vnic.* Fuit etiam magiſter cenſus, qui & cenſualibus, hoc eſt, iis præerat, qui tabulas cenſus conficiebant, quorum & alia quædam munia erant, de quibus vide Bulenger. *lib. 6. de Imp. Roman. cap.* 58. & de magiſtro cenſus *cap. 59.* & *lib.9. cap.* 13. nos enim de iis non agimus, niſi quatenus ad tributa pertinent. Diximus autem alias tributum diuidi in tributum capitis & cenſus: & ſanè veteres gloſſæ cenſum, & tegeſtum interpretantur ἀπογραφὴν τῶν ἀρχῶν deſcriptionem capitum, eaque ſignificatio cenſus pro tributo paſſim obuia eſt apud Paul. Diacon. & alios.

Hactenus enumerati officiales præerant exactioni tributorum, aut illam vrgebant, ſuiſque iuuabant officiis exactionum illationem, ipſi verò non exigebant, vti oſtendimus: quare alij erant qui ab eo munere exactores, vel exſecutores dicebantur, ipſique tributa per ſeſe exigebant, & indictam exactionem exequebantur. Iuſtin. *Nou.*17. vocat δημοσίων πράκτορας καὶ ἐξακτωτάς. *l. 5. C. Theodoſ. de cenſitoribus,* ſtrenuos exactores incumbere mandat. Habemus in vtroque Codice rubricam *de executoribus, & exactoribus.* Firmic. *lib 3. cap.*12. vocat exactores Imperatorum, qui annuas fiſcariorum præſtationes exigunt, & *lib.14. cap.* 3. fiſcalium præſtationum exactores. Plaut. flagitatores. Executorem idem cum exactore facit Iſidor *lib.*10. Sidon. *lib.4. Ep.*24. improbitate

executorum vocat. Chryſolog. *ſerm.* 25. de Chriſto loqoens, *Ipſo eſt executor & debitor.* Eorum munus fuiſſe ait Symmach. *lib.* 10. *Ep.* 43. queſtus publicos eruete, cenſus ſenatonos tractare, & ea nomina iudicio perſequi. *Palatini munerationum ſacrarum, queſtus publicos eruentes, inter cætera nomina, quæ iudicio perſequuntur, hæredes Peſthumins V. C. in examen meum conuentionibus euocarunt, Luciane mouente, qui cenſus ſenatorios ante tractauit, quòd oblatiuis functionibus eadem domus eſſet obnoxia.* Dicebantur qooque compulſare. Fulgent. *in Mythol g. Nam tributaria in dies conuentio compulſantium pedibus limen proprium triuerat, noua indictionum ac momentanea proferens genera.* De compultore dictum eſt nuper.

Hæc porrò illis præſcribuntur *in C. de executorib. & exactorib.* In primis vt io prouincias exactionis causâ miſſi, præſidibus potiùs quam prouincialibos immineant, quod nuper monuimus *ex l. 7. C. de exaction. tributor.*

Secundò ne ſuo cuique ſeparatim mandato negotio oitutas ſibi operas præſtent, ne quod vni iniunctum eſt, alter quaſi collega præſumat.

Tertiò intra annum peragant exactionem, & iudici ſuo, qui miſit renuntient quid egeruot, quid ſit in reliquis, qoi ſint reliquatores, cuius vitio reliqua contracta ſint: poſt annom ſi non redeant, ligati vinculis ferreis, cohortalium curâ ad congruum iudicem tranſmittuntur, ne eandem exactionem iterare poſſint.

Quartò ne poſſeſſionem alterius pro alienis debitis publicis, aut priuatis conueniant. Itaque prohibentur ἐνεχυρασμοὶ, quibos vnus vicanos pro conuicani debito capiebatur, aut bona eius à creditore prehendebantur, & pignorabantur; quod etiam multò poſt iuſtulit Zeno *l. vn. Cod. vt nullus ex vicanis pro aliorum debit. teneatur,* & Iuſtinian. *Nou.* 52. *&* 134. Idem conſtituit & Thodoricus apud Caſſiod. *lib.* 4. *Ep.* 10. *His multò acerbiora ingerentes alienis debitis ad ſolutionem alios trahi, ſolamque cauſam probabilem videri, ſi aliqua debitori potuit in ciuitate coniungi, ô iniquum perſuaſionis errorem! Diuiduntur cauſa germanis, filius obligationibus paternis, ſi non ſit hæres, eximitur, vxor maritalibus debitis, niſi per ſucceſſionis vincula non tenetur, & audacia ad ſolutionem trahit extraneos, cùm abſoluant iura coniunctos.* Et mox. *Si verè alterum pro altero, quod nefas dictu eſt, pignorare maluerit, in duplum, cui vim fecit, direpta reſtituat, quem verò ab hac redimitione fœdum patrocinium tenuitatis excuſat, pro admiſſi qualitate facinoris, in eum fuſtario ſupplicio vindicetur.* Idem omninò prohibuerunt Longobardi *leg* 3. *de debit. & vadimen.* & conſtitutiones quoque Neapolitanæ *tit. de cultu pacis, & tit. de præ'aliis puniendis.* Sed cùm vſus earum pignorationum reuocatus fuiſſet; illis liberauit clericos Fridericus, & ſtudioſos, promiſſa actione repetundarum famoſa in quadruplum, vti obſeruauit Coiaci. in *C. citatum.* De repræſaliis in exteros agemus alibi; modò duntaxat contendimus non potuiſſe vnius fundum, aut poſſeſſionem pro tributis ab altero debitis, & non ſolutis conueniri. His conſonat *l.* 3. *C. de annon. & tribut.* Tributa publica non perſonis ſed rebus indici, ideóque curandum eſſe Præſidi prooinciæ, ne quis pro iis quæ non poſſidet conferat ὑπὲρ ὧν οὐ νέμεται συντελῇ, inquit Synopſ. *lib.* 56. *tit.* 8. aliod tamen hodie alicubi ſeruari, & ſingulos vicanos obligari in ſolidum vectigal audimus, iure, an iniuria noſtrum, non eſt hoc loco arbitrari, ipſi viderint, qui ita edicunt.

Quintò ſi quid executor contraquàm ei mandatum ſit, exigat, duci poteſt mano iniecta à Præſide prooinciæ ſub proſequotoribus ad Præfectum prætorio, quinimmò à Prouinciali, quem ita vexat, manu & viribus repelli poterit, quamuis prouincialis probetur obnoxius, id eſt debeat id quod ab ipſo exigitur, ſed ſine mandato.

Sextò executori in prouinciam miſſo committi quidem poteſt duarum cauſarum exactio, ſi tamen illi vna prius commiſſa fuerit, non poteſt aliam ſuſcipere prius quàm prioris rationem reddiderit.

Septimò ducenarij, & centenarij, ſiue ſexagenarij, qui exigebant pecunias fiſcales, non poterant debitorem conoenire, niſi ex breui debitorum a tabulario confecto, *l.* 1. *C. de exactionib. tributor.* Vnde verò denominarentur ducenarij, & centenarij, qui erant in ſchola agentium in rebus, & in officio ſacrarum largitionum, vti oſtendit Cuiacius *in leg.* 1. *citatam*, & nomioatur à Cypriano procurator ducenarius, non ſatis liquet: ſuſpicatur idem Cuiac. à numero pecuniarum eis commiſſarum ſic appellatos, qua ſimili ratione indita fuiſſe nomina procuratoribus Cæſaris ſignificat Dio *lib.* 55. *ἐπιτρόποις καίσαρος ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων ὄνομα περιγίγνεσθαι*: Procuratotibus Cæſaris nomen factum a pecuniarum numero, quæ illis datæ ſunt. Sic dicti ſunt duplicarij milites à duplicibus cibariis. Varro *lib.* 4. *de ling. latin. Duplicarij dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur, inſtitutum.* Idem affirmat Liuius *lib. ſecundo. Ad hoc centuriones, duplicarioſque, quibus duplum ſtipendium.* Et Vegetius *lib. ſecundo cap.* 7. *Annati dupliares binas conſequuntur annonas.* Quia igitur ducenteſimam, aut centeſimam auctionum exigebant, ducenarij, aut centenarij dicebantur. Ita Alciat. & Turneb. Alij deducunt hæc nomina ex militia, cuios exemplo officia curialia fuerant inſtituta, inditaqoe illis nomina militaria, ſiue legiooaria; vt enim in armata militia fuere Imperatores, Legati, Tribuni, Centuriones, Decani, ſic & in palatina fuere Præfecti, Magiſtri, Centurarij, Ducenarij, Sexagenarij: in legione ducenarius ducentis militibus præeſt, centenarius centum, ſic in officio ducenarius ducentis cohortalibus, ceotenarius centum præeſt. Ducena porrò & centena gradus fuiſſe dignitatis, in ſchola agentium pluribus demonſtrat Boleng. *lib.* 6. *de Imp. Roman. cap.* 50. & variis rebus adhibitos fuiſſe, ex reſcriptis Imperatoriis colligit; oos mòdò agimus de illis, qui tanquam procuratores in prouincias colligendis tributis mittebantur; quos etiam nonnulli dictos eo nomine exiſtimant qoòd ducena ſtipendia accipereot. Capitolin. *in Pertinace; At ducenarium ſtipendium tranſeuntis.* Qui igitur fiſcalium exactionum procuratores ducenta ſeſtertia pro ſtipendio haberent, ducenarij vocantur. Claudius ornamenta conſularia etiam procuratoribus ducenariis indulſit, apud Sueton. *cap.* 24.

Octauò nullus eorum à quibus tributa publica exigebantor in carcerem conijci poterat, aut

plumbatarum verbera, aut pondera, aliaque inſolita ſupplicia pati cogebatur, ſed liberæ tantùm cuſtodiæ militum tradendus erat: quod ſi contumax eſſe perſeuerarit, tunc in bonorum ipſius poſſeſſionem fiſcus mittebatur, *l. 2. C. de exaction. tribut.* & *in Synop lib. 56. tit. 8.*

Nonò fiſci debitorem captum iam ab Officiali fiſci abripere non poterat Officialis Comitis rerum priuatarum, tametſi idem debitor ærario rerum priuatarum Principis quidpiam quoque deberet: & e contrario Officialis fiſci, vel Comitis ſacrarum largitionum debitorem captum iam ab Officiali Comitis rerum priuatarum abripere non poterat, quod ſi capiat tenetur vtriuſque quantitatis nomine *l. 3. C. de exaction.*

Decimò actores, procuratores, conductores rei priuatæ ad ſolutionem canonum, & ſpecierum ſolemnium compelli poſſunt manu militari, aut miſſione in poſſeſſionem, ne horum immunitas cæteros grauet, vt Græci legunt *ἵνα μὴ ἡ τοῦ βασιλικοῦ ἀπαίτησις ἐπιβλαβὴς γίνηται ταῖς ἐπαρχίαις.*

Vndecimò quicumque ærariæ functionis exactores, & ſine dubio reliquorum quoque tributorum, debuerunt acceptorum, & reliquorum rationem principali ſuſceptori reddere, vt ex ea inſtructione, & relatione ſuſceptor intelligeret quid ſolutum, quidque reliquum eſſet *l. 5. C. eod.*

Duodecimò titulis omnibus vt annonarum, tributorum, veſtium exigendis Præſides prouinciarum vim, & authoritatem ſuam interponere debebant *l. 11. C. de annon. & tribut.* Immò ad petitionem exactorum cogebatur Præſes facere exactionem *l. 6. C. de exactionib. tribut.*

6 Ex his omnibus, quàm accurata & diligens foret tributorum omnium exactio, facilè colliges, eius formam dabit *Nouell.* 128. quæ cauet in Iulio vel Auguſto menſe apud acta Præfecti prætorio cuiuſque diœceſeos inſinuetur deſcriptio tributorum ſequentis anni vel indictionis, atque inde edatur cuilibet poſtulanti, qua quidem declaretur quantùm, quamque prouinciam, vel ciuitatem inferre oporteat iugorum, vel centuriarum nomine ſecundùm morem regionis, in auro, argento, ſpeciebus, vel annonis, quæ etiam ad ærariam rationem æſtimet ſpecies quæ adærantur collatoribus, declaret item, quid in arcam Præfectorum inferendum ſit, quid inſumendum in militares, vel alios vſos. Mittitur hæc deſcriptio à præfecto Prætorio Præſidibus in prouincias *l. vlt. Cod. de canon. largit. titul.* Mittitur porrò initio cuiuſque anni ſiue indictionis, & à Præſidibus proponitur ſingulis ciuitatibus. Indictio incohatur Septembri menſe, quod etiam habetur *l. vlt. Cod. de annon. & tribut.* & *leg. 1. Cod. de militar. veſt.* Addit Iuſtinian. ſi hic ordo non fuerit obſeruatus damnum fiſco præſtari à Præfecto prætorio, & Præſidibus, & tractatoribus cuiuſque prouinciæ: prouinciales ipſos nihil damni facere, ſi ignorantiâ deſcriptionis, tributorum modum, legemque tributorum in ea adſcriptam in tributis ſoluendis minimè ſeruauerint: ſpecies inferendas eſſe ſtatim initio indictionis, pecuniam diuiſis penſionibus.

Secundò agit de apochis, quas ſuſcepta, & ſecuritates reddit Latinus interpres *ἀποχὰς ἢ ἀμεριμνίας*, quas duplices facit, particulares, & plenarias, hæ ſunt totius debiti apochæ generales, quo ſenſu plenaria dicitur *in edicto de Alexandrinis cap. 13. §. 1.* & Gregor. plenariam munitionem dixit *ep. 4.* In ea apocha nomen ſoluentis, ſumma cauſæ, dies, Conſul, menſis adſcribitur; qua ſecuritate accepta is qui ſoluit, moleſtiam pati, aut iterum interpellari non poteſt *l. 2. Cod. de apochis public.* & qui prolatis apochis oſtendit ſe proximis tribus annis ſoluiſſe, præſumitur etiam ſoluiſſe ſuperioribus, itaque exactori incumbit onus probandi, *l. 3. C. eod.* quod vulgò ad emphyteuticarium trahitur: & licèt contra chirographa intra biennium opponatur exceptio non numeratæ pecuniæ, contra apochas priuatorum intra dies triginta, numquam tamen contra apochas publicas *l. 4. Cod. eod.* Quia verò tribus penſionibus anni cuiuſque indictiones ſoluebantur *ex l. vlt. Cod. de annon. & tribut.* & *leg. 15. & 16. Cod. Theod. eod. tit.* vnde Caſſiodor. *Vt trina illatione deuotus poſſeſſor ſuam compleat functionem*: ſingularum penſionum breues quadrimeſtrui conficiebantur à chartulariis, & ad officium Palatinum, aut Præfectum prætorio tranſmittebantur *leg. 1. Cod. de apoch. public.* Caſſiodor. *lib. 12. ep. 2. Expenſarum quoque fidelem notitiam quaternis menſibus comprehenſam, conſuetudine cuſtodita ad ſcrinia noſtra dirigere maturabis, vt totius erroris diſcuſſa caligine publici ratiocinij poſſit claritas apparere.* Agit tota ea epiſtola de exactione, & ſolutione tributorum. Maiorian. in *Nouell. Quadrimeſtrui illationibus annonæ, functionis celebretur exactio.*

7 Tertiò edicit Iuſtinian. vt quoties poſſeſſores poſtularint, cenſuales proferre debeant tabulas publicas, ex quibus diſcant debitorum, & reliquorum modum, quod etiam cauetur *Nou. 17.* & congruit cum *leg. 2. Cod. de diſcuſſoribus*, quæ ſtatuit; *Ne caſu amiſſa ſecuritate publica* (id eſt apocha) *illationis quædam præda naſcatur, collatoribus decernit, vt quando ſecuritates à diſcuſſoribus, ſeu apparitoribus expoſita ratiociniis publicis continentur, rurſus per iniuriam non repetantur.* Vbi ratiocinia publica vocantur in *C. Theod. de diſcuſſorib. leg. 2.* & *in C. de indulg. debitorum, leg. 13.* polyptica, quæ Alciat. *lib. 2. parerg. cap. 31.* malè dicit eſſe chyrographa, & apochas, ſunt enim rationes publicæ, & regeſta publica, ſiue *ὑπομνήματα*, quod allatis *ex Cod. Theodoſ.* locis conſtat. Hinc omnia quæ ad rationes publicas ſpectabant, adnotari ſolere colliges, atque etiam ex Vegetio *lib. 2. Totius legionis ratio, ſiue obſequiorum, ſiue militarium munerum, ſiue pecuniæ, quotidie adſcribitur actis, maiore propè diligentia, quàm res annonaria, vel ciuilis polipticis annotatur*: ſic enim eruditè emendat Cuiac. *lib. 4. obſeruat. cap. 27.* quod mendosè legebatur *Politicis libris.* Nam & manuſcripta exemplaria carent *libris*, quam vocem addidit ſciolus aliquis, qui non intelligeret quid eſſet in *polipticis*, & ſcripſit *politicis libris.* Caſſiod. *lib. 5. ep. 14. Illud ſanè prouidentia noſtra reſpexit, vt omnibus à te ſollicita, atque æquabili indagatione compertis, polipticis iubeantur adſcribi, quatenus in teſtimonia fidei veſtræ clareant, & nulla poſt hæc, quæ abrogari volumus ſemina fraudis, iterentur.* Et *ep. 39.* inter querelas ad ſe delatas de exactione iniqua, hæc habet Theodor. *Dehinc non polypticis publicis, vt moris eſt, ſed arbitrio compulſorum ſuggeruntur prouincialium ſubiacere fortunæ.* Gregor. *lib 7. Ep. 40.* inſerat Romano diſcuſſori

cuſſori vt Calixeno filio Stephaniæ reſtitueret domum, quam Ammonia eius auia Eccleſiæ donarat; excuſabat defenſor, *quia notitia eiuſdem donationis non eſſet de pollicitis caraxata*, quam excuſationem reiicit Pontifex: *Ad munitionem*, loquit, *tuam præcepti noſtri pagina poſſet valdè ſufficere*: emendandum eſt in *polypticis*, in quibus videlicet omnia inſtrumenta ſcribebantur. *Caraxare* autem eſt veluti ſtilo & charactere imprimere. Sapienter autem aduertunt Alciat. & Cuiac. *locis citatis*, legendum in omnibus illis locis, & authoribus *polyptichis*, pro *polypticis*; dicuntur enim πολύπτυχα, eo quod habeant πολλὰς ἐπαλλήλους ὅσον πτυχὰς, qua forma dicuntur & dipthyca: verùm vt redeamus vnde digreſſi ſumus, referebatur in regeſta & ratiocinia publica quod ſolutum eſſet ex illatione, quidque reliquum foret, & ea ratiocinia atque libri cenſuales proferri debebant, vbi collator, ſiue poſſeſſor ita poſtularet.

Quartò negat Imperator inducendam eſſe aliquam neceſſitatem poſſeſſoribus, vt aurariæ contributionis ſuſceptores ſuo periculo nominent, ſed vt pro more regionis, vel præſides, vel exactores, vel vindices, vel canonicarij aurum quod infertur, ſuo periculo ſuſcipiant, & tranſmittant, vel erogent.

8 Quintò agit de ſuperinctionibus περὶ ἐπιβολῶν, quod fiebat quoties ſteriles agri fertilibus imponebantur: vnde habemos *tit. 59. lib. 11. C. de omni agro deſerto. & quando ſteriles fertilibus imponuntur*. Eſt verò ager deſertus, incultus, & ſqualidus, vt patet *ex l. 8. C. eod.* quare differt ab agro derelicto, qui fit occupantis. Eſt igitur ἐπιβολὴ ſiue ſuperindictio, & ſuperindictum onus τῶν ἐρήμων καὶ ἀπόρων χωρίων. Inualuiſſe potiſſimùm Iuſtiniani temporibus ſcribit Suidas, ideoque editæ ſunt plures de ipſo conſtitutiones Nouellæ vt 17. *166. 168.* Sunt verò agri quidam ὁμόδουλοι ſimul in cenſum relati cum aliis qui poſtea facti ſunt deſerti. Dicuntur & agricolæ ὁμόδουλοι, qui ex his agris, qui eidem domino ſeruiont bona poſſident, quaſi conſerui agricolæ, apud Sozomen. *lib. 9. ſub fin.* Alij agri ſunt ὁμοκῆνσοι ſimul quidem cenſiti, ſed quorum pars vendita eſt, & qui ex eis bonis & prædiis, quæ ſimul in cenſum relata ſunt, partem aliquam poſſident ὁμοκῆνσοι quoque ſunt, ὁμόκωμοι eiuſdem territorij poſſeſſores. Ὁμοδούλων igitur eſt ὁμοκώμων. Agrorum onus pertinet ad fertilium agrorum poſſeſſores, & poſſeſſorem ditiorem vel præſentem, ne quid fiſco pereat, qua eadem ratione deſertorum, & defectorum onus ad ὁμοκώμους, id eſt eiuſdem territorij poſſeſſores deriuatur ex *Nou. 17.* Quia itaque fieri poteſt, vt bona, quæ vnius erant, & tabulis cenſualibus iuncta ſunt, in plures poſtea diſtrahantur, tunc ſi quod vni obuenit prædium fortè deficiat, imponi debet alteri, ne quid cenſui & fiſco depereat: quod eodem modo fit in agris deſertis, aut qui eidem domino ſeruiunt, quia ad ὁμοδούλους aut ὁμοκώμους eorum indictio refunditur. Iubet tamen Iuſtinianus, vt ex eo tempore prædiorum defectorum tributa quis agnoſcat, quo ſibi prædia impoſita fuerunt, non præteriti temporis vt *l. vlt. C. de cenſibus*, licèt alias poſſeſſor, qui v. g. emit, aut legati causâ accepit, præteritis tributis obligetur, *l. cum poſſeſſor. §. idem. D. de cenſibus.* Vult præterea eiuſmodi adiectionem, ſiue ſuperindictionem fieri decreto Præſidis Prouinciæ, ſaluo prouocationis remedio, poteritque fieri cum

omni iure ſuo cum mancipiis, & peculiis, & pecoribus, & fructibus, & enthecis, & omni alio inſtructo & inſtrumento: enthecas interpretantur dotes prædiorum *ex l. 2. D. de inſtruct. & inſtrum. legat.* hoc eſt, ferramenta, & inſtrumenta agri causâ repoſita, vti *l. ſi mihi mœnia §. vlt. D. de legat. 3.* & Columella *lib. 1. cap. 8.* loquuntur. Libanius ait Atticos vocare enthecam, quidquid pecuniæ menſarij ſeponunt. In *l. Rhodia* entheca eſt onus impoſitum naui, quò alludit Auguſtin. ad fratres in Eremo: *Nobis enthecam habere non licet.* Inſtructum latiùs patet inſtrumento. Pecora paſcendi causâ parata, vt ex iis fructus capiantur, inſtructo continentur, non inſtrumento: ſupellex inſtrumento, non inſtructo.

Sextò ſpecies illatæ prouincialibus vel tranſmittuntur, vel in prouincia conſumuntur: tranſmittuntur quidem ſumptibus prouincialium, quæ ἀγωγικὰ & πρεμνοκρατικὰ vocat, ſicut & *l. vlt. C. de diſcuſſorib.* Quando in prouincia conſumuntur pro ea non tranſmiſſione exiguntur nihilominus πρεμνοκρατικά.

Septimò conſtituit ne exactores & canonicarij, aliiue in prouincias ad tributorum debita miſſi aliter admittantur, quàm vbi mandatum, & delegationem ſuam præſidi inſinuauerint, quod ipſum *ex l. vlt. Cod. de executorib. & exactor.* nuper monebamus; aitque Iuſtinianus idem ſeruari oportere in priuatis exactionibus, nempe vt procurator creatus exigendi debiti causâ, non prius admittatur, quàm ſi Iudici mandatum inſinuauerit, quæ fuit Placentini ſententia, qui tamen excipiebat niſi reus contentus eſſet cautione de rato, aut niſi procurator ex proximis perſonis foret: diſputat aduerſus Placentinum Accurſius *in l. non ſolùm. §. 1. D. de procuratorib.* vide *& l. 12. C. eod.*

Octauò exactor publicorum tributorum priuatis exactionibus occupari non debet, debitorem ſui debitoris conuenire priùs non poteſt, quàm ſi debitor publicus ſoluendo non ſit, quod confirmatur ex *l. 3. §. 8. D. de iure fiſci*, & *l. 3. & 4. C. quando fiſc. vel priuat.*

Nonò exactor tributorum cenſualis, logographus & ſimiles perſonæ, ſi quem prouincialium læſerint, & poſteà confugerint in Eccleſiam, iure aſyli non fruuntur, quod ius quoque tributorum debitoribus negatur *Nou. 17.*

Decimò ne qua fraus fieret falſis ponderibus, & menſuris, illæ publicè deponi iubentur in æde ſacra, & ſpecierum quidem menſuras, ac pondera a Præfecto prætorio, auri verò, argenti, & æris à Comite Largitionum accipere poterant collatores, vt omnem læſionem vitarent. Theodoricus in ſacro cubiculo ſeruari voluit ea pondera, ſic enim habet apud Caſſiodor. *lib. 5. Ep. 39. Exigentes verò aſſem publicum per granamina ponderum premere dicuntur patrimonia poſſeſſorum, vt non tam exactio, quàm præda eſſe videatur: ſed vt totius fraudis abrogetur occaſio ad libram cubiculi noſtri quæ vobis in præſenti data eſt, vniuerſas functiones publicas iubemus inferri. Quid enim tam nefarium, quam præſumptoribus liceat in ipſa etiam trutina qualitate peccare? vt quod eſt iuſtitiæ propriè datum, hoc per fraudes noſcatur eſſe corruptum.*

Hactenus de variis Officialibus, ad exactionẽ tributorũ conſtitutis, deque ipſa exactione: erant præterea iam olim atque ſtante Republica mancipes, 9

& redemptores publicorum vectigalium, ſiue eſſent decumani, ſiue ſcripuragij, ſiue portitores, ſiue per ſeſe, ſiue per ſuas operas vectigalia à ſe conducta, & redempta exigerent; publicanos appellabant, & coactores tributorum, quos Græci *φορολόγους καὶ φόρων ἐκλογεῖς*: dicebantur & *τελῶναι*, nam *τέλος* tributum, *τελωνεία* ſiue *τελωνία* exactio vectigalis, immò & cenſus publicus: *τελωνάρχης*, vel *ἀρχιτελώνης* Princeps publicanorum: *τέλη* vectigalia, quòd ſint perfectiones Imperiorum, & Rerumpublicarum, vti annotat Cuiac. *in C. de vectig. & com. τελωνεῖον* menſa vectigalium. Dicitur tamen & *τελώνιον* ipſum vectigal, nam Harpocration *τελώνιον ἡ δεκάτη*, addit dici decumanos teloneos, qui decimam exigunt, *δεκαλιστὰς τελώνας τοὺς τὴν δεκάτην ἐκλέγοντας*. Caſſiod. *lib. 5. Ep. 39. Telonei quin etiam canonem nulla faciatis vſurpatione confundi.* Inde telonıæ negotium, teloniæ lucra, & telonarium dixit Gregor. *in cap. vlt. Ioann.* Nonius tamen telonarios explicat eos qui portoria in portubus exigunt: Athenienſes apud Pollucem vocant eiuſmodi homines *ἀποδέκτας ἀποδεκτῆρας ἐρανίστας ταμίας* collectarios, receptatores, quæſtores, Suidas *τελώνην* interpretatur non tam collectorem aut exactorem vectigalium publicorum: quàm illorum probatorem, vel inquiſitorem *ἐξεταστήν*: quare & illis tribuit vas quoddam ferreum appellatum ſiromaſten, quo merces inquirerent. Quidquid verò de voce Græca *τελώνης* ſtatuas, certum eſt publicanos dictos fuiſſe a publico, vel publicis. Vlpian. *leg. 1. D. de publican. Publicani autem ſunt qui publico fruuntur, nam inde nomen habent ſiue fiſco vectigal pendant, vel tributum conſequantur, & omnes, qui quid a fiſco conducunt rectè appellantur publicani.* Publicum dicebatur quod erat Populi Romani *leg. 15. & l. 16. D. de verbor. ſignificat.* Publica quoque dicebantur vectigalia P. R. *l. 34. D. ex quib. cauſis. l. 1. §. 1. D. de publicanis*, & *l. 33. D. pro ſocio* publicorum conductiones. Horat. *lib. 1. Ep. 1. Pars hominum geſtit conducere publica*: & paſſim alij ſcriptores antiqui. Tulli. *Ep. 1. ad Q. frat. Vt publicanis ſatisfacias præſertim publicis malè redemptis*: & *orat. de Prouinc. conſular.* Quintilian. *declamat. 13. Ego ea voluntate non feci, vt hic liber eſſet, ſed vt publica non ſolueres*: & *declamat. 341. Ante omnia nulla lege comprehenſum eſt, vt alienam rem non profiteri liceret, alioquin publicum euerſum eſt.* Sueton. agens de vectigalibus à Caligula inſtitutis *cap. 36. Additum ad caput Legis, vt tenerentur publico, & qui meretricium feciſſent*: & *in Veſpaſ. cap. 1.* dixit *publicum quadrageſimæ*. A publicis itaque dicebantur publicani, qui publica conducebant, quæ etiam intelliguntur ex quibus vectigal fiſcus capit, vectigal portus, venalium rerum, ſalinarum, metallorum, picariarum *l. 17. D. de verbor. ſignificat.* Qui arenarias, cretifodinas, ſalinas, metalla conducta habent, publicanorum loco ſunt *l. 13. D. de public.* quique publica paſcua conducebant, apud Plinium *lib. 19. cap. 3.* De publici nomine plura omitto, quæ dabit Buleng. *lib. 9. de Imp. Roman. cap. 3.* Publicanorum maxima & potentiſſima fuit ſocietas, cùm Equites Romani eſſent, & in Prouinciis plurimum authoritate & potentia valerent, quod Cic. *Ep. ad Lentul. ad Q. frat.* & *orat. pro Cluentio*, vbi florem Equitum Romanorum nominat, & alibi ſæpius teſtatur, & Liui. *lib. 33.* In ea ſocietate erant decumani, mancipes, redemptores, magiſtri, promagiſtri, coactores, ſerui, familiares, & alij plerique qui publicanis circa vectigalia miniſtrabant, de quibus omnibus ſic habet Aſconius *in Verrem. Mancipes ſunt publicanorum principes, decumani decumas reddunt, ſi portum aut paſcua publica redemerunt, portitores, aut pecuarij dicuntur, quorum ratio ſcriptura.* Hi omnes exigenda à ſociis ſuo periculo exigunt, & Reipublicæ repræſentant. Mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet, quare publicanorum nomine rum vectigalium redemptores, tum omnes illi, quibus vtebantur publicani ad vectigalia exigenda, & adminiſtranda comprehenduntur, euiuſmodi ſunt *δεκατολόγοι*, *πεντηκοστολόγοι*, decumæ, & quinquageſimæ exactores. *Εἰκοστολόγοι* erant Athenis, apud Ariſtophan. *in Ranis*, *εἰκοστολόγος οὖν τὰ εἰκοστὰ ἐν τῷ κρίσει συνάγειν*: viceſimarij viceſimas in iudicio colligent. Pollux *lib. 6. & 8. δεκατῶναι ἐλλιμενισταὶ* portitores, & vt loquitur Aug. *lib. 2. de Ciuit.* collectarij, Heſych. nominatos ait ab Athenienſ. Naucleros *ναύκληροι, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς δυώδεκα οἵ τινες ἀφ' ἑκάστης χώρας τὰς εἰσφορὰς ἐξέλεγον*: naucleri ex vnaquaque tribu duodecim tributa ex vnaquaque regione colligebant. Dicti poſtea ſunt *δήμαρχοι*, veluti Tribuni plebis. Idem Heſych. vocat Gazaperſas, qui publicanis vectigalia indicarent, à *γαζοπέρσαι οἱ τοῖς τελώναις μηνύοντες τὰ τέλη*. Eam vocem ſuſpicatur Buleng. à gaza Perſico vocabulo à Perſis confectam, aut fortaſſis legendum eſſe gazaperthas à *πέρθω*, quòd gazam euerterent. Suidas dixit *ἐκλογεῖς*, *Plin. lib. 33. cap. 2.* Tribunos æris, Feſtus ærarios Tribunos, a tribuendo ære: quare vetus gloſſarium *ærarius ταμιοῦχος*. Denique dicti ſunt munuſcularij, quia corradebant munuſcula à debitoribus.

Quamuis autem publicani reipſa eſſent neceſſarij, ſicut & ipſa vectigalia quæ conducebant, colligebant vel ipſi per ſeſe, vel per ſuas operas, ideoque ſocietas ipſorum Romæ ex flore Equitum coaleſceret, quare in veteri quodam lapide plurimum commendantur, tanquam qui. 10

Largæ Cereris meſſes, fructuſque renatos
Digerit in pretium, cui conſtat fama fideſque,
Et qui diuitias vincit pudor, ire per illos
Conſuetus portus, cura ſtudioque laboris
Littora qui præſtat, tutis fidiſſima nautis.

Nihilominus ob inſignes, quas committebant fraudes, & crudelitatem, qua exigebant, & immodicam auaritiam, & rapacitatem per quam immenſas breui tempore diuitias coaceruabant, omnibus prouinciis ad quas mittebantur, incredibili erant odio; quare Iuuenal *ſatyr. 3.* eiuſmodi qui ex infima ſorte, & vili miniſterio gladiatorum, ex conductione vectigalium in tantas excreuerant opes, vt deinde in prouinciis gladiatoria munera ederent, cùm tamen Senatuſconſulto, cuius meminit *lib. 4. Annal.* Tacit. id vetitum fuiſſet, cui minor quadringentorum millium res eſſet; his aculeatis verſibus deſcribit.

Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluuiem, portandum ad buſta cadauer,
Et præbere caput domina venale ſub haſta,
Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,
Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter, inde reuerſi
Conducunt foricas, & cur non omnia, cùm ſint
Quales ex humili magna ad faſtigia rerum

Extollit

Extollit, quoties voluit fortuna iocari.
Sæpius in illos inuehitur Saluian. *lib. 1. ad Eccleſ. Catholic.* vtpote quibus exactio publica, præda peculiaris ſit. Suidas iam olim publicani nomen odio habitum διαβέβληται τὸ τελώνου ὄνομα; & Xeno de oropiis; *Omnes ſunt publicani, omnes ſunt raptores:* πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. Malè pereant oropij. Chryſoſt. moleſtos dicit cum ſcrutantur, quæ latere putantur, merces, & aliena vaſa, atque onera excutiunt: & *Homil. de pœnit. Achab.* nihil ait eſſe peius publicano, eſt enim alienorum laborum diuiſor, aut particeps potiùs, τῶν ἀλλοτρίων πόνων συμμεριστής, & cùm laboris non ſit particeps, lucrum tamen ex illo percipit, eſt illi libera violentia, ἡ παῤῥησιασμένη βία, legitima offenſio ἔννομος ἁμαρτία, auaritia honeſtata bona facie aut vultu, εὐπρόσωπος πλεονεξία: quæ eadem habet Suidas, qui & addit ἀνεπιτίμητος ἁρπαγὴ ἀναίσχυντος πλεονεξία πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα ἀναιδὴς ἐμπορία, rapina impunita, auaritia impudens, negotiatio ratione carens, mercatura inuerecunda. Referunt & alij illud Baſilij *orat.* κατὰ τῶν τοκιζόντων, centeſimarios, decimarios, menſtruos exactores, & alia eiuſmodi horrenda nomina eſſe dæmones quoſdam ſonticos, qui per Lunæ recurſus morbos cient. Verùm non agit de publicanis Baſilius, ſed de fœneratoribus, qui centeſimas, decimas, aut menſtruas vſuras exigebant, niſi dicas, quod non negarim, publicanos quoque fœneratores fuiſſe, ſiue quia vectigalis non ſoluti vſuras ingentes exigebant, ſiue quia pecunias publicas & ipſi dabant fœnori, antequam illas in ærarium publicum inferrent. Plurimus hac in re eſt Laurentius Mediolan. Epiſcopus *in homil.* vbi publicani & furis comparationem inſtituit, & publicanum fure peiorem eſſe oſtendit. De horum fraudibus frequentes ſunt vbique querelæ apud Caſſiodor. Maiorian. *Nouell. de indulgent. reliquorum,* eas ſingillatim deſcribit. Meminit Dio *lib. 55.* cuiuſdam Licinij, qui cùm Gallia menſtruum tributum ſolueret, quatuordecim menſes inuexit, & Decembrem verè decimum eſſe, ideóque duos alios Auguſtos fecit: cùm verò repetundarum apud Auguſtum eſſet accuſatus, illi ſua omnia donauit. Sæpius Principes has fraudes coërcere & caſtigare voluerunt; nam vt habet Vlpian. *l. 4. D. de publican.* datur actio in duplum ex edicto Prætoris aduersùs eum, qui vi ademerit ſub ſpecie publici vectigalis, ſiue vt eſt in edicto *eius publici nomine quod exercet:* ſic enim legendum eſſe monet Cuiac. Dicunt Baſilic. ὀνόματι τοῦ τέλους: in hæredem verò publicani non datur actio in ſolidum, ſed quatenus ad eum peruenit, hoc eſt, prout ex ea re locupletior ad ipſum pertinuit hæreditas, niſi tamen lis fuiſſet conteſtata cum defuncto, *leg. vnic. Cod. ex delict. defunct.* Si quid igitur publici nomine publicani, vel familia eorum vi ademiſſet, aut damnum iniuriâ, furtumve feciſſet, intra annum in duplum, poſt annum in ſimplum dabatur actio *ex l. 1. D. de publican.* quæ actio grauior eſt, quàm actio damni, iniuriæ ex lege Aquilia, & mitior quàm furti, aut vi bonorum raptorum, ſed non ideò tamẽ minus tenentur furti, aut vi bonorum raptorũ, ſicut raptor ſi apprehendatur, præter actionem vi bonorum raptorum, etiam furti manifeſti tenetur. Immò verò in eo grauior eſt hæc actio, quod ſi non exhibeant familiam, quæ damnum, vim, aut furtum fecit, aut aliquid illicitum exegit, in ſolidum ſuo nomine teneantur. Ita *l. 1. 2. & 3. D. de publican.* Tiberius Imperator apud Manaſſem *in politicis;* dicebat exactores, & publicanos φορολόγους diutiùs in eo munere detinendos eſſe, vt ſatiati mitiùs agerent cum tributariis, quod ſi quem ex illis duriorem comperiſſet ſupra modum legitimum exegiſſe, eum grauiſſimis ſuppliciis ſubiciebat, dicebatque velle oues detonderi, non deglubi.

11 Cùm igitur publicani eſſent conductores publicorum vectigalium quæ deinde exigebant adeò crudeliter, & cum pluribus ſæpe fraudibus, vt & pretium redemptionis repræſentare, & ſimul ingentia lucra facere poſſent, de eiuſmodi conductione nobis agendum ſupereſt ſuppoſita doctrina vniuerſali de locatione quam tradidimus *opere de vſuris lib. 3.*

Vectigalium publicorum locationes fiebant ſtante Republica à Cenſoribus, inde lex cenſoria, id eſt locationis, quam Cenſor dixit locando publica *l. in lege. D. de verbor. ſignificat.* in qua mendosè ſcribitur *Cæſar,* pro *Cenſor.* Tull. *orat. de prouinc. conſular.* Plin. *lib. 33. cap. 4.* Deinde ſub Imperatoribus partim à fiſci procuratoribus ex *l. 10. Cod. de vectigalib. & comm.* partim ab adminiſtratoribus rerum ad ciuitatem pertinentium, pro portionibus cuilibet competentibus; quia omnia vectigalia exceptis illis, quæ ad rem propriam priuatamque Principis pertinebant, communicabantur inter fiſcum, & ciuitates, ita ſcilicet vt fiſcus duas haberet partes, ciuitates tertiam *l. vlt. C. de vectigalibus, & comm.* ideóque à fiſci, & ciuitatum procuratoribus pro partibus cuique competentibus, vt dixi, locabantur. Olim fiebant in quinquennium; nam & cenſura erat quinquennalis. Varro *lib. 4. de ling. lat.* & *l. 4. §. cùm quinquennium. D. de iure fiſci.* Sub Imperatoribus in triennium *l. 4. Cod. de vectigalib. & comm.* quo exacto fiebat rurſus licitatio, & mutabantur publicani. Erant tamen aliquæ conductiones perpetuæ, & perpetuarij quidã conductores *ex l. 1. C. de locatione prædiorum ciuilium:* neque tamen iſti perpetuarij conductores, erant emphteuticarij, & ius perpetuum diſtinguitur ab emphyteuticario *in Nouell. Valentin. de præſcription. 30. annor.* Sanè perpetuarij non ſunt domini, & mancipia non poſſunt manumittere, *l. 2. C. de mancip. & colon. patrimon.* Emphyteuticarij habentur pro dominis; atque ita ſimpliciter dicuntur *l. 12. C. de fundis patrimon.* ideóque fundorum ſeruos manumittere poſſunt. Fundi igitur rei priuatę perpetuariis colonis addici poſſũt palatinorũ periculo, dato fideiuſſore *l. 1. C. de locatione prædior. ciuil.* Vide *C. Theod. de conductor. rei priu.* Dicebantur verò redemptores, quia vt ait *l. veteres. D. de action. empti,* veteres vtebantur promiſcuè vocibus emptionis & venditionis in contractu emptionis, & locationis: quare Feſtus, venditiones olim dicebantur Cenſorum locationes, quòd veluti fructus publici vænibant: & Hygin. *lib. 2. de limit. conſtit. mancipibus ementibus,* id eſt conducentibus in annos centenos. Dicebantur quoque publicani mancipes *leg. 11. Cod. de vectigalib. & comm.* quia vt ait Feſtus, manu ſublata demonſtrabant ſe eſſe auctores emptionis, *l. 5. Cod. eod.*

Fiunt ſub haſta eiuſmodi locationes, & ei collocantur qui plus obtulerit, *l. locatio 9. D. de publican.* & *l. 4. C. de vectigalib. & comm.* Ante locationis exeuntem diem proſcribuntur edicta futuræ locationis; immò Senatuſconſulto die 16. Februar. ann. 1571. cautum eſt, vt ea edicta ante ſemeſtre prioris locationis finiendæ proponerentur; quare

qoare & Paul. II. an. 1478. conſtitutioně edidit, ne locationes retum Eccleſiaſticaium vltra triennium prorogarentur, neve antecipato tempore prioris locationis, ad nouam etiam præcipiti feſtinatione liceret proſilire. Synod. Cameracenſis ann. 1586. Octobri menſe, *art.* 25. veruit cuiuſuis prædij Eccleſiaſtici locationem fieti, niſi poſt trinum ſolemne programma, licitationiſqoe præconiom totidem vicibus, temporibosque tepetitum, quod deinde Philippus Hiſpanos ſuo edicto probauit 1. Ianoar. aon. 1587. Deniqoe ciuſmodi rerum ad Eccleſiam vel publicum ſpectantium anticipatas locationes irritas pronontiauit Senatus ſoo decreto 4. Decemb. an. 1639. Adſtipulatur qooqoe edictum Bleſenſe ann. 1579. quare tota Regij Patrimonij & vectigaliom locatio publica eſſe debet, ac iudiciaria, vt qoi licitatione vicerit, ei addicatur.

12 De locatione gabellarum plurima diſputat Firmian. 2. *part. de gabellis*, & Gutier. *eodem tractatu à q.* 131. *ad q.* 173. ex qoibus aliiſve pauca quædam obſeruabimus, & alia reiiciemos in proximum librum, vbi de licitatione & ſobhaſtatione dicemus.

Primò igitur certum eſt omnes qui peculiari iure prohibiti non ſunt, poſſe vectigalia publica, aliolve teddıtos fiſci coudocere. Ita Girond. *de gabell.* 3. *part.* & alij paſſim; quia quilibet habilis eſt ad contrahendum, niſi aliqua pecoliari lege prohibeatur, an verò conductio illa facta à perſona inhabili propter legis prohibirionem, ſit ipſo iore nulla, diſputant DD. & ita eſſe affirmant plures Hiſpaoi apod Gutier. *q.* 132. *de gabell. n.* 3. *&* 17. Mihi videtur expendenda eſſe veiba legis prohibentis, vtrum reipſa irriteot contractum ſecus factum, vel conceptis verbis, vel æquiualentibus, qoia declarant aliquem inhabilem omninò ad conducendum, & non ſolùm condoctionem illi prohibent: in primo caſo conductio ipſo iure nulla erit, cùm legiſlator velit illam nullam eſſe, & ita velle poſſit, vti ſupponimos ex alibi diſputatis: in ſecundo caſu valida quidem erit conductio, ſed pœnis ſi quæ latæ ſint à Legiſlatore, erunt obnoxij conttahentes, poteritque tota condoctio à Iudice aot Principe reſcindi & irritari, ſi ita è commodo tegij fiſci, aut reipublicæ videatur, aut etiam in pœnam violatæ legis.

Prohibetur verò conductio gabellarum, aliorumqoe vectigalium Iudæis, & Saracenis *in cap. pen. de Iudæis*: vbi Gregor. IX. qoibuſdam Luſitanis Epiſcopis mandat, vt ſollicitè Regem moneant, vt ſi Iodæis redditus ſuos vendiderit, præficiat Chriſtianom aliqoem, per quem Iudæi, ſioe Sarraceni, ſine Chriſtianorum iniuria iura regalia, qoæ emerint, conſequantur, aitque iam in Generali Concilio, nempe Lateranenſi, ſob Innoc. III. *cap.* 69. definitom fuiſſe, ne Iodæi Chriſtianis præficereotor. Ex hac Gregorij decretali colligunt paſſim DD. neque Iodæis, neqoe Sarracenis locanda eſſe vectigalia; vide Marquardum *tractat. de Iudæis* 2. *part. cap.* 6. *&* 7. Hac tamen lege non comprehendi Moriſcos in Hiſpania, cùm hodæ ſiot Chriſtiani, obſeruant Hiſpani DD.

Deinde Clericis prohibetur hæc conductio, vt cum communi DD. docet Firmian. *de gabellis* 3. *part. num.* 1. eſtque apertum ius in *Nou.* 123. *c.* 6. inter alia munera qoæ prohibentur Clericis, qood congruit Chalcedon. Synodo *cap.* 3. & Charthagin. *cap.* 16. & Nouell. Leonis 86. DD. tamen Hiſpani id concedunt ex iore ſui Regni ea conditione, vt Clerici Laicos fideiuſſores idoneos præſtent, qoo caſu non modò fideioſſores illos Laicos, ſed ipſos etiam Clericos conductores coram Iudice ſæculari conueniri poſſe plerique contendont, idque fuſiùs diſputat Gutier. *de gabellis quæſt.* 131. *à num.* 10. Verùm cùm aliò pertineat tota ea quæſtio, ſatis nobis impræſentiarum eſt ios Eccleſiaſticum eas conductiones prohibere Clericis, quò etiam pertinet *cap.* 1. 4. 6. *ne Clerici vel Monachi*; quæ vetant ne miniſtri, procuratoreſve Laicorum exiſtant, quod ipſum habetur *capit. vlt. de vita & honeſt. Clericor. & cap.* 1. *de fideiuſſorib.* Synod. verò Conſtantinop. *can.* 11. interdicit ne in Magiſtratuum, potentiorumve ædibos ſeruitutes perſonales ſubeant, diſpenſationeſqoe domeſticas exerceant, & qui moniti ſecos facere non deſtiterint, Clero expungi iobet. Vide Balſam. *in monoc. Photij tit.* 8. *cap.* 3. & Concil. Lateran. III. *part.* 16. *cap.* 17. & Colonien. III. *part.* 2. *cap.* 27. vbi hæc habentur. *Magna eorum* (nempe Clericorum) *leuitas eſt, & in magnam Cleri ignominiam redundans, qui ſe laicis, atque adeò delicatis fœminis ventris cauſa in capellanos, vt vocant, atque anteambulones venditant*: quia nempe ſæpiſſimè procuratores, diſpenſatoreſqoe agunt; quæ omnia, vt & conductorum munera non ſuſcipiunt Clerici, niſi ditefcendi animo, quě in illis aculeatè arguit Hyeron. *ep. ad Ruſtic. Plerique Clerici artibus & negotiationibus priſtinis carere nunquam poſſunt, mutatis nominibus inſtitorum eadem exercent commercia, non victum & veſtitum, quod Apoſtolus præcipit, ſed maiora quàm ſæculi homines, emolumenta ſectantes. Nunc ſub Religionis titulo exercentur iniuſta compendia, & honor nominis Chriſtiani fraudem magis facit, quàm patitur, quodque pudet dicere, ſed neceſſe eſt, vt ſaltem ad noſtrum erubeſcamus dedecus, publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis ſacculis morimur diuites qui quaſi pauperes viximus.* Vide Ioan. Fabrum *in l. milites* 32. *Cod. de locatorib.* Sed de his àlibi erit diſputandi locus. Huc verò Caroli Magni edictum ſpectat, ne Clerici ſint villici. Vide & Cyprian. *ep.* 66. vbi & antiquam diſciplinam Eccleſiaſticam refert, vt ſi quis moriens Clericum in tutorem nominaſſet, pro eo non fieret ſacrificiom, neque ad Altare nominaretor, qoi Sacerdotes atque Leoitas ab altari anocare voluiſſet. Denique Senatus in Gallia iuſſit Eccleſiaſticos à cōductionibus abſtinere decreto pronuntiato ann. 1595. die 21. Iunij: quorum omnium ratio eſt ne eiuſmodi negotiis ſæcularibus implicati à ſacris officiis auocentor. Vide quæ diximus *cap.* 3. *art.* 2. in hanc rem; quare liceat etiam hoc loco vſurpare quod Paul. 1. ad Corinth. *cap.* 7. *verſ.* 35. ſcribit de virginibos, quas hortatur abſtinere à nuptiis, vt ſine, diſtractione & abſque impedimento Dèo poſſiot adhærere; ait enim *ſe illis laqueum non inicere* οὐχ βρόχον ἐπιβάλλων, *ſed hortari ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Deum obſecrandi*, ſiç quippe vertit Vulgatus ſenſum potiùs attendens, quàm verba; ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον, τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως; quæ verba adeò difficilia ſont, vt Hyeronim. aduersùs *Iouinian. lib.* 1. dicat illa in Latinis Codicibus non repetiri, propter interpretationis difficultatem, ipſe autem, ſic vertit; *Sed vt ad id quod honeſtum eſt, & intentè facit ſeruire Domino abſque vlla diſtractione, vos hortor.* Sanè apud exiſtimatum Ambroſium verba illa vltima omittuntur, & hæc ſola legontur: *Ad id quod honeſtum eſt*: ſi tamen ſingillatim verba expendamus non difficul

difficulter Pauli mentem quam optimè expreſſit Vulgatus eruemus; nam εὔσχημον ſignificat illud quod decet, & conuenit, τὸ πρέπον καὶ προσφερὲς, ſic εὐσχημόνως. 1. *Cor. cap.* 14. *verſ.* 40. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω: omnia autem honeſtè & ordinatè fiant: & in hoc ipſo *cap.* 7. ſi quis ſe turpem videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quam videlicet iam adultam nondum matrimonio collocauit εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει. Ad id igitur quod decens, conueniens, & honeſtum eſt, atque τὸ εὔσχημον, hortatur Paulus, nempe ad abſtinentiam à nuptiis, non quaſi indecorum ſit matrimonium, vti malè argumentatur Beza, vt inde vellicet Vulgatum, quòd honeſtum reddiderat, cùm tamen & Hieronym. & exiſtimatus Ambroſius, eandem verſionem vſurparint, ſed quia maximè decet atque honeſtum eſt Deo perpetuò aſſidere, & ſine impedimento illi adhærere, cuius adhæſionis & aſſidentiæ, vt ita dicam facultatem præbet virginitas, hancque aſſiduitatem abſque vlla interturbatione ſignificant cæteræ voces τὸ εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ: legunt alij εὐπάρεδρον, & nonnulli εὐπρόσδεκτον, quæ voces omnes idem volunt, nam προσεδρεύω eſt aſſideo, ſedulò incumbo, ſum ſedulus, aſſiſto; quare Ariſt. *lib.* 8. *politic. cap.* 4. προσεδρεύοντες ταῖς φιλοπονίαις. Chryſ. *de officio Epiſcopi*, περὶ ἴδιον προσεδρεύει, in rem propriam ſedulus incumbit, rei propriæ inſiſtit ſedulus: hinc προσεδρεία aſſiduitas, perſeuerantia πρόσεδρος aſſidens, aſſiduus. Igitur: εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ſignificat ſedulò Deo aſſidentem, illi ſedulò incumbentem, aſſiſtentem, quod & εὐπάρεδρον vti legunt alij, ſonat; nam παρεδρεύω eſt aſſideo, & παρεδρεία aſſeſſio, aſſeſſura, πάρεδρος aſſeſſor, aut aſſidens; quare ſacrificuli qui Apollini perpetuò aſſidebant dicti ſunt à Demoſthene πάρεδροι τοῦ Ἀπόλλωνος aſſeclæ quidam. Inde factum vt apud Pollucem dicantur πάρεδροι Conſiliarij, & alij Principum aſſeſſores. Denique non aberant ab hoc ſenſu qui legunt apud Paul. εὐπρόσδεκτον: nã προσδεκτὸς ſignificat acceptum, & gratum, aut ſi legas πρόσδετον quod eſt alligatum, προσδέω enim eſt alligo, vincio; hortatur Paulus ad id quod facit virgines Deo aſſidentes, eius velut aſſeclas atque illi gratas, acceptas, & quodammodo alligatas ἀπερισπάστως, abſque diſtractione, & quod dixit Vulgatus ſine impedimento interturbante, & diſtrahente quale afferunt nuptiarum curæ & ſollicitudines. Περισπάομαι eſt Græcis diſtrahor, diſtineor, circa multa occupor; quare Lucæ *c.* 10. *verſ.* 40. Martha περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, ſatagebat, diſtrahebatur, & occupabatur circa frequens miniſterium: quare ſi hanc nuſquam Interruptam in orationibus, & Dei præſentia eiuſque negotiis ſedolitatem requirebat Paulus, ideóque virginitatem ſuadebat, ne matrimonij curis diſtraheretur, potiori multò iure eandem in hominibus ſacris exigit, ac proinde longiùs illos abeſſe volet ab omnibus illis curis quæ illam cum Deo aſſiduitatem neceſſariò interturbant, ideóque prohibuit illos ſe implicare negotiis ſæcularibus, & deinceps Eccleſia à procurationibus ſæcularibus, conductionibus vectigalium, aliiſque eiuſmodi negotiis parum ſtatum illorum decentibus, ſuis ſanctiſſimis legibus remouet. Poſſunt nihilominus Clerici ipſi vel per ſe colere, vel conducere villas quaſdam & prædia Eccleſiarum, quæ ipſis in triennium, aut quinquennium ab vniuerſo Collegio veluti in ſtipendium, aut portionem Eccleſiaſticam donantur, vt ſoluto certo canone, reliquos fructus ſibi retineant; quod annotauit Ioan. Faber *ad l. milites* 31. *C. de locato.* Quia verò illa gleba Clericorum eſt, vocantur alicubi precariæ, ſed quid illæ forent fuſiùs diſputauimus *opere de vſuris*: alibi *Preſtrieres* nominantur.

Tertiò præter Clericos, milites quoque ab his vectigalium aliorumve prædiorũ conductionibus remouentur *l. pen. & vlt. C. de locato.* & *Nou.* 116. alioqui cadunt militiâ, quod & moribus noſtris receptum eſt, quibus miles qui ſecus faciat non modò prærogatiuis militaribus, ſi quas vt veteranus habebat, ſpoliatur, ſed & in ærariorum ordinem redigitur, capitationiſque illationes, ſeu tallias, vt loquimur, cum plebeis cæteris pendere cogitur. Plura quoque edicta promulgata ſunt in Nobiles, qui perſonis interpoſitis conducunt decimas, campi partes, *Champarts*, & cætera quæ in acceſſionem veniunt: ſic edictum Franc. I. ann. 1540. S. Mauri ann. 1566. & 1568. deinde edictum Ambaquianum ann. 1572. *art.* 24. Bleſenſe ann. 1579. *art.* 48. quibus conſonat Senatuſconſultum die 2. Martij ann. 1605. Imò Vegetius ait militibus priuata negotia non mandari. Luc. Poſthumius Conſulatis, quoniam cùm exercitui ſuo præeſſet opere militum quorumdam vſus eſſet, damnatus eſt, teſte Floro. Ambroſ. *lib.* 1. *offic. cap.* 36. *Si is qui Imperatori militatà ſuſceptionibus litium ac negotiorum forenſium, venditione mercium prohibetur humanis legibus, quantò magis qui fidei exerces militiam*: & Sydon. *lib.* 1. *epiſt.* 8. dum miram rerum confuſionem deſcribit; *Negotiatores militant, milites negotiantur: ſtudent pilæ ſenes, aleæ iuuenes.* Rationem geminam affert Iuſtinian. *l. vlt. Cod. de locato*, ne ſcilicet ab armorum vſu auocentur inertis otij amore, & ne graues ſint vicinis, & quà iure, quà iniuria fundos ad vicinorum moleſtiam ex conductionis profectu poſſiderent, compararentve, ſapienter enim Caſſiodor. *lib.* 1. *variar. ep.* 11. *Militaribus officiis aſſueti ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob id iuſtitiæ parere deſpiciunt, quoniam ad bella Martia ſemper intendunt, dum neſcio quo pacto aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum ſeruare menſuram.*

Quartò tutor & curator nequit publica vectigalia conducere antequam paria cum ſuis minoribus fecerit, *l. vn. C. ne tutor vel curator vectigalia conducat*; cuius prohibitionis gemina cauſa eſt: vna, ne pupillus oneretur ex cauſa fiſcali, vt *l. locatio, §. debitores. D. de publican.* altera ne pupillis prælatis, fiſci tacitæ hypothecæ amittantur, aliave fraus fiſco: fiat. Quod ſi quis contra hanc conſtitutionem faciat, tenebitur crimine falſi, cùm duobus in ſolidum obligari nequeat. Si tamen & pupillo, & fiſco ſatisfecit, poterit ſe excuſare à periculo falſi, & vt habent Baſilica ἀνεύθυνος τοῦ τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματος. Vide Cuiacium.

Quintò hæ poſſeſſiones rei priuatæ neque palatinis, id eſt apparitoribus Comitis rerum priuatarum, neque curialibus locari poſſunt, *ex l. vn. Cod. quibus ad conduction. prædiorum fiſcalium accedere non licet.* Emptio etiam rerum priuatarum palatinis interdicta eſt *l. vlt. Cod. de reſcind. vendit.* Atque hactenus de perſonis vectigalia conducentibus.

Secundò fiunt iſtæ locationes vti iam monui ſubhaſtatione & licitatione, quæ hoc loco nihil peculiare habet circa vectigalia, quare illis aptanda erit doctrina vniuerſalis de licitatione, & ſubhaſtatione libro proximo tradenda.

Tertiò onera ſiue obligationes conductorum 13
publicarum rerum ac vectigalium variæ, eæque graues ſunt. Primò quidem redemptiones iſtæ vectigalium,

ctigalium, & agrorum publicorum fatalibus cunctis caſibus obnoxiæ ſunt, nec prætextu caſus fortuiti remiſſioni penſionis locus eſt. Ita enim cauetur edicto Molinenſi §.21. vnica bellorum excepta cauſà, cuius edicti æquitas ex eo demonſtratur, quia quæcumque pactionibus comprehenduntur, eadem legibus ſanciri poſſunt: atqui ſi quis fundom alicui ita locauerit, vt ſi quid vi maiori, cœliive intemperie acciderit, hoc ab illo præſtandum ſit, reſpondit Iulian. Iuriſconſultus pacto ſtandum eſſe; quidni igitur ſi generali ſanctione id ipſum conſtituatur? vti enim in illo pacto locationis fundi, cum onere præſtandi caſus fortuitos à conductore, minuitur pretium conductionis pro æſtimatione illius oneris, ita fiet in conductione publicorum vectigalium, vbi lex iubet conductorem eoſdem caſus inopinatos ferre: quare neque in illis pactis, neque in eiuſmodi legibus continebitur vlla iniuſtitia; quare voluit Alphonſus II. Neapoli nihil in luis graſſantis obtentu deduci ex pacta mercede conductarum ædium, conſtitutione edita die 12. Iunij, ann. 1494. Ideóque Senatus Neapolitanus voluit eos qui per id tempus vrbe migraſſent, ad integras teneri penſiones. Ita Matth. de Afflictis *deciſion. Neapolit.* 258. Iſtud tamen non eſſe referendum ad cauſas omninò extraordinarias, & omninò graues ſapienter exiſtimauit *Chopin. lib. 3. de domanio*, tit. 13. *num.* 8. cum Barthol. Idcircò in edicto Molinenſi belli cauſa excepta fuit, ſapienter omnino: nam vt iam olim monebat Cicero *orat. pro lege Manilia*, cæteris in rebus cùm venit calamitas, tam detrimentum accipitur, ac in vectigalibus non ſolùm aduentus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. Cùm enim hoſtium copiæ non longè abſunt, etſi irruptio facta nulla ſit, pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt: quare ſæpè totius anni fructus vno rumore belli atque terrore amittitur; qua de cauſa vrbis Sipontinæ negotiatoribus, qui hoſtium depopulatione vaſtati fuerant, biennij inducias aduerſùs creditores conceſſit Theodoric. apud Caſſiodor. *lib.* 2. *Ep.* 38. Cùm ex Lacedæmonum lege is qui hoſtias redemerat, niſi dicta ſacrificiorum die eas præbuiſſet, capite luere deberet, & ingruenti tempeſtate Eurotus fluuius ita intumuiſſet, vt victimæ traduci nullo modo potuerint, pœnâ eiuſmodi redemptorem maior æquiorque Senatus pars abſoluit, quod teſtatur auctor Rhetorices ad Herenum *lib.* 2. Neque abſimile fuit iudicatum Curiæ 18. Ianuar. 1571. aduerſus Reginam Scotiæ viduam Regis Chriſtianiſſimi, & fructuariam Comitatus Pictauienſis, aliarumque ditionum iure doarij muliebris. Cùm enim eius procurator locaſſet in quinquennium Matthæo cuidam ius Tabularij, Scribatuſve Regij fori Pictauienſis, vt eo toto tempore munus actuarij publici ibidem exerceret, & bellum ciuile ſubortum iuſtitiū annuum Pictauis indixiſſet, & Matthæus conductor petiiſſet penſionis ſiue mercedis diminutionem, illam decreuit Senatus, quamuis conductor pactis conuentis conductionis ſuſcepiſſet in ſe caſuum fortuitorum periculum.

Secundò qui maximos fructus ex redemptione vectigalium conſequuntur, ſi poſteà tanti locari non poſſunt, ipſi ea prioribus penſionibus ſuſcipere compelluntur. Ita diſertè habet Paul. *in l. cotem* 11. §. *vlt. D. de publicanis*, quæ eſt exceptio à lege *locatio* 9. §. 1. *D. eod.* in qua ipſe idem Paulus affirmat neminem inuitum compelli ad conducendum vectigal, ideóque impleto tempore conductionis elocandum eſſe: quinimò Calliſtratus *in l. non intelligitur* 3. §. 6. *D. de iure fiſci*, teſtatur Diuum Adrianum ius retinendi inuitos conductores ſuſtuliſſe ſuo edicto, tanquam inhumanum. Audi hunc I.C. *Cùm quinquennium in quo quis pro publico conductore ſe obligauit, exceſſit, ſequentis temporis nomine non tenetur, idque principalibus reſcriptis exprimitur. Diuus etiam Adrianus in hæc verba reſcripſit. Valdè inhumanus mos eſt iſte, quo retinentur conductores vectigalium publicorum & agrorum, ſi tantidem locari non poſſint, nam & faciliùs innenientur conductores ſi ſcierint fore, vt ſi peracto luſtro diſcedere voluerint, non teneantur.*

Tertiò manceps publicorum priuſquam ſatisfecerit ſuperiori conductioni, ad eam renouandam non admittitur. Ita Paul. *l. locatio* 9. §. 2. *D. de publican. Reliquatores vectigalium ad iterandam conductionem, antequam ſuperiori conductioni ſatisfaciant, admittendi non ſunt*: quibus congruit *l. 4. C. de ſuſceptorib. propoſit.* &c. vt ſuſceptores anno finito ſuſceptionis rationem reddant, nec ad idem munus ante vocentur, quàm rationem reddiderint, quod totum in fiſci gratiam inductum eſt: nam etiamſi redemptores cupiant conductionem pura & meliori conditione iterare, liberum tamen fiſco eſt tum vectigalia, tum agros publicos aliis elocare; quod Zeno conſtituit *in leg. ne cui liceat* 32. *C. de locato*, quo & moribus noſtris receptum eſſe teſtatur Chopin. *lib. 3. de domanio, tit.* 13. *n.* 10. quare non ſequimur *l. congruit* 4. *C. de locatione prædiorum ciuilium*, &c. quæ iubet veteres conductores nouis præferri. Huc etiam pertinent quæ conſtituuntur *l. 5. C. de locat. prædiorum ciuilium*, nempe perpetuam conductionem prædiorum rei priuatæ, præteritæ adiectionis ab altero, aut delationis alteri factæ, in alterum transferri non poſſe, etiamſi hac de re reſcriptum allegatum, & approbatum ſit apud acta Comitis priuatarum; donari tamen a Principe ea prædia poſſunt ipſi conductori perpetuario, qua donatione remitti videtur merces locationis. Temporalis conductio in alium transferri poteſt vel donatione Principis, vel adiectione ab alio facta, quam nolit prior conductor ſuſcipere, vt dicebamus *ex l. 4. C. eod.*

Quartò dubiæ quæſtionis videtur an conductor rei dominicæ, ac fiſcalis expelli poſſit nondum finita conductione, ab emptore aut donatario rei illius: quod idem quæritur quando res illa dominica quæ locata fuit, ad dominium & Principem iure regni, & moribus redit. V.g. finito panagio, & ad Regē reuerſo extinguuntur omnia iura, pignora, & onera à panagiario fundis impoſita, ex edicto Molinenſi ann. 1566. & fuſiùs oſtendit Chopin. *lib. 3. de doman. tit.* 12. *n.* 7. Igitur & conductiones quibus ſtare proinde non cogitur Princeps. Deinde iſti conductores non ſunt potioris iuris quàm creditores, dotes, donationes propter nuptias, & alia eiuſmodi, quæ omnia euaneſcūt libero recepto à Rege panagio, quod filiis dederat, quod ipſum in emphyteuſi finita aduerſus colonum cenſuit Alexand. in *l. ſi filiofamilias*, §. *vlt. n.* 18. *D. ſol. matrimon.* quinimmò fiduciarij Reguli hæredem fœminam nō obſtringi ad ſeruandam conductionem à prædeceſſore factam in quinquennium, exiſtimat Chopin. *citat. tit.* 13. *num.* 1. quorum omnium cauſa eſt, quia nulla fit iniuria conductori, qui ſcire debuit conditionem fundorum, quos conducebat, & eius à quo conducebat, &

cum

cum quo contrahebat, argumento *l.9. D. locati*; & quidē ſi ſtricto iure vtamur, ita ſentiendum erit, æquius tamen erit, vt breui conductioni ſtet Princeps. Addit Chopin. rei venditæ retractum feudalem, aut conuentionalem, non præbere cauſam retrahendi ad expellendum eum, qui pro modico tempore ab emptore conduxerat, ſtareque illud iuris theorema, ſucceſſori voluntario fas eſſe colonum ne fruatur prohibere, neceſſariò fas non eſſe, & ea propter vxor, pupillus, Eccleſia obligantur prædiorum locationibus à marito, tutore, templi Antiſtite factis. De locationibus officiorum & iuriſdictionum vide eundem Chopinum eo loco. Mihi in iſtis omnibus conſulendi videntur recepti gentis cuiuſque mores.

Quintò conductor Domanij Regij, aliorumque redditum non poteſt ſibi retinere fructus quoſdam extraordinarios qui debentur Regi in ſignum cuiuſdam præcellentiæ, & prærogatiuæ perſonalis, niſi aliter in pactis conuentis expreſsè cautum ſit: eiuſmodi exiſtunt xenia quædam, & munera pro fœlici inauguratione, ſiue vti loquimur *propter iucundum eius aduentum* vel in Regnum, vel in aliquam Ciuitatem; nam & Pontifices tunc, vel Reges, vel aulæ miniſtros quibuſdam muneribus Eccleſiaſticis demerentur, quod ex priſco Galliæ vſu deducit Boër. *deciſ.* 32. & Chaſſanæ. *in cathalogo gloriæ mundi.* Quædam etiā de Epiſcoporum donis nouo Regi, aut Cæſari debitis habet Albericus Roſates ad *l. benè à Zenone. C.de quadrien.præſcrip.* ex gloſſa *Canon. Agatho* 63. *diſtinct.* frequenſque eſt in Gallia, vt obtineantur beneficia ad primarias preces Regis ob nouum eius aduentum. Henric.III. diplomate an. 1577. 6. Mart. conſtat, Rege primùm ciuitatem diœceſimque ingrediente, eius Sacerdotia vbi primùm vacauerint aſſignari factis aulæ Cantoribus, & Capellanis, extatque magni Concilij decretum die 12. Auguſti, ann. 1604. de Canonicatu Eccleſiæ S. Petri Nauuetenſis Regi debito, ob iucundum eius aduentum ad Coronam. De xeniis in nouum Imperatorem vide Chopin. *lib.1.de domanio, tit.9. num.9.* quin & Proconſuli Prouinciæ Metropolim ingredienti offerebantur xeniola, teſte Tullio *in Piſon.* & Vlpian. *in l. ſolem. D. de officio proconſul. & legat.* Hæc igitur xenia non computantur inter fructus Regij Domanij, quod conducitur: quo etiam Iure reſpondit Oldradus *reſponſo* 129. erogata Epiſcopo, vel Archidiacono in iucundo aduentu, ad conductorem redditnum Epiſcopatus non pertinere, *argum. l.1. §. pen. D. ſi quid in fraudem patr.* & *l. debitor in fin. D ad S.C. Trebell.* nam & nouo clienti, equum, ſciphum aureum, aliudve munus à ſubclientibus præſtari ſolitum ſibi non poſtulat ſuperior patronus, vti demonſtrat Molinæ. *ad conſuetud. Pariſ.* §. 37. *tit. de feudis, gloſſa* 4. *verſ. Chiacum deux.* Ita neque iſta munera vindicari poſſunt à conductore redditnum regiorum aut pontificalium, in quibus reuerà non cenſentur, ſed inter prærogatiuas honorarias regiæ, pontificaliſve dignitatis. Maior difficultas videtur quoad mulctas, quas emendas dicimus, ad quas rei damnantur, quarum pars Regi, aut Domino Iuridico cedit, an conductoris domanij fiant, nam an. 1277. in Parlamento Diuæ Magdalenæ pronuntiatum eſt, *Præpoſitum Aurelianenſem, emendas debitas pro facto monetarum habere non debere:* vti Refert Chopin. *lib.3.de demanio, tit.*13 *n.*11. ex Ioanne Gallo *part.7. Arreſtor. Parlem. Pariſ.* Nihilominus inter fructus Regij Domanij pignoratos iure diſtracti venire emendas Regi debitas conſtat ex Arreſto Pariſ. die 4. Decemb. ann. 1584. Conſulenda itaque erunt pacta conuenta locationum, quæ ſi de his fructibus extraordinariis non loquantur, ſeruandi erunt mores regionis, in quibus locata bona exiſtunt.

Sextò conductores vectigalium publicorum, aliorumque bonorum fiſcalium fideiuſſores dare oportet ex iure Græco, apud quos extabat ea lex quam refert Demoſthen. *adu. Nicoſtratum*, & Plutarc. *in Alcibiade. Si prædes in publicum non præſtiterint, bona eorum publicantor.* Iure quoque Romano idem ſancitum eſſe conſtat ex *l.9. D. de publican. l.1. C. de locat. prædior. ciuil.* & aliis paſſim, alioquin palatini, qui vectigalia & fiſcalia prædia elocant, ſuo periculo id faciunt. Iure quoque Gallico rei dominicæ locatio, adminiſtratioque non committitur ſine vinculo cautionis, ex edicto Molinenſi ann. 1566. menſe Februar. de conſeruando Reip. patrimonio, §. 20. & edicto Henrici II. menſe Decembri an. 1577. quod deinde promulgatum eſt in Camera computorum, ſiue principalium rationum die 12. menſ. eiuſd. Decemb. eodem anno. Ad quid verò obligentur iſti fideiuſſores, conſtabit ex iis quæ dicemus de fideiuſſione in vniuerſum lib. proximo; interim adi Chopin. *lib. 3. de Domanio. tit.* 14. & Gutier. de gabellis *q.* 133.

Septimò vectigalium redemptor, qui in publicum non præſtitiſſet, in neruo habebatur apud Athenienſes ex ſenatu quingentorum, quam legem deſcribit Andocides ἐν τῷ περὶ τῶν μυστηρίων. Idque etiam indicta cauſa, ex Demoſthene *in Timocrat.* vbi eius enarrator Vlpian. ait, hos redemptores prædes dediſſe, vt niſi intra nouam prytaneiam numeraſſent, vel ij ipſi, vel fideiuſſores duplum in publicum præſtarent. Manebant autem ignominioſi donec ſoluiſſent, & ſi non ſoluiſſent intra nouam prytaneiam, & in vincula conjiciebantur, & duplum præſtabant: neque iam integrum erat dupli fideiuſſores offerre. Repræſentabant autem antequam vectigalia exigerent, pecuniæ partem aliquam, quam προκαταβολὴ & προκαταβόλημα dicebant. Cæteram verò intra nouam prytaneiam numerabant.

ARTICVLVS XVI.

De Pœnis frauſtantium vectigalia.

Quale crimen huius fraudis. 1.
Res fraudata committuntur. ibid.
An hoc crimen tranſeat ad hæredes. 2.
Quomodo facienda profeſſio mercium. 3.
Quinam ab illa excuſentur. 4.
Quamdiu duret quæſtio commiſſi. 5.

CRimen fraudati vectigalis dicitur in Baſilic. 1
κλεπτοτελώνημα, & in gloſſis Philoxeni σφετέρισμα, quaſi interuerſio quædam publicæ rei, alienæ, σφετερίζω enim à σφετερίζομαι, eſt τὸ ἰδιοποιοῦμαι mihi in proprium aſſero, & vindico, & alienum Interuerto. Inde σφετεριστὴς interuerſor, qui aliena vel communia in rem ſuam vertit. *Ariſt. lib.* 5. *Politic.* ὅτι δεῖ μὴ τυραννικὸν ἀλλὰ οἰκονόμον εἶναι

εἶναι φαίνεσθαι τοῖς ἀγομένοις καὶ μὴ φορτηγικῶν ἀλλὰ ἐνέτρων. Frandatio igitur vectigalis eſt quædam rei fiſco, & publico debitæ interuerſio, & vt ait Philoxenus σφετερισμός. Qui igitur ſuas merces vt munificas, ſiue præſtationi vectigalis obnoxias ſuppreſſerit, neque ad publicanos ex lege cenſoria profeſſus fuerit, fraudem aduersùs fiſcum admiſit, & crimen fraudantis vectigalia, cuius criminis ea pœna eſt, vt merces cadant in commiſſum, ſiue fiſco committantur, recidant in fiſcum, ſiue ipſo iure fiant fiſci, aut publicanorum propriæ. Vide Couuar. *lib.4. variar. capit.*18. *num.*8. & *lib.7.c.9. num.*4. & Budæum *in l. Herennius. D. de euiction.* quare dicuntur committi merces, & prædia, quæ in publicum cadunt, *l. vir vxori* 17.*§.mulier. D.ad S. C. Vellean.* Merces igitur improfeſſæ committuntur publicanis *l.8. D. de publican.* & *l.commiſſa* 14. *D.eod.* Quare Varro *de re ruſtica: Greges ouium ad publicanos profitentur, ne ſi inſcriptum pecus pauerit lege cenſoria committant.* Agit de tributo ſcripturæ, de quo nos ſuperiùs, quod ex paſtione animalium in paſcuis fiſcalibus colligebatur. Si tamen mercator per errorem tranſierit, & proinde per errorem in commiſſum inciderint merces eius, tunc illi reſtituuntur, neque retinentur à fiſco, ſi modò duplum vectigal inferat: quare hoc caſu duplo vectigai publicanos contentos eſſe oportet *l. vltima, §.* 10. *D.de pulican.* Vnde vides eum erorem & incuriam duplo plecti, nam & ſæpè ignorantia in iure plectitur.

2 Hoc crimen ad hæredem tranſmittitur commiſſi ratione *l.8.& 14. D.de publican.* hoc eſt merces commiſſæ, quæ peruenerunt ad hæredem fraudatoris, quibuſque locupletior factus eſt, ei auferuntur, qua ratione crimen peculatus reſiduorum, & repetundarum dicitur ad hæredes tranſmitti *l. ex iudiciorum. D. de accuſation.* & *l. vlt. D. ad l. Iul. peculat.* etiamſi viuo reo non fuerit mota quæſtio, ſubreptæ tamen pecuniæ à defuncto causâ tenebitur hæres, ſi ad ipſum illa peruenerit. Rationem verò optimam reddit Vlpian. *in l. commiſſa* 14. *D. de publican.* quia quod commiſſum eſt, ſtatim deſinit eſſe eius, qui crimen contraxit, dominiumque rei vectigalis aquiritur fiſco, aut alteri cui committitur, quapropter commiſſi perſecutio, ſicut aduersùs quemliber poſſeſſorem, ſic & aduersùs hæredem competit; quomodo intelligenda etiam eſt *l.1. D. de iure fiſci*, quæ dicit nunriationem, ſiue delationem fieri ad fiſcum quotiens aduersùs commiſſum factum eſt. Vult porrò Papinian. *in l.8. D. de publican.* ſi fuerint plures hæredes eius, qui commiſſi pœnam incurrit, in eum ſolum qui rem munem, ſiue munificam, & obnoxiam vectigali accepit, crimen defuncti tranſmitti, cæteris cohæredibus, inquit, portiones non auferuntur, quia reuerà nullæ portiones ex eo crimine ad illos peruenerunt.

3 Quod autem dixi de profeſſione facienda, illa neceſſaria vſque eò exiſtit, vt ſi ea omiſſa pertranſierint, non ſint conquirendi à mancipibus, ſed ipſi vltro ſeſe offere debeant mancipibus, & merces profiteri, quod & impunè pati debet manceps, ſiue publicanus. Non ſufficit etiam vectigaliũ præſtatio, niſi & ſimul fiat profeſſio mercium, alioquin illæ committuntur; cùm enim plures aliquando ſint illicitæ, omnes oportet profiteri, earumque conditionem ſiuè qualitatem explicare, vt eas publicanus poſſit explicare, alioquin nõ modò merces illicitæ, ſed etiã licitæ improfeſſæ fiſco cõmittuntur, quod *ex l.1.§.1.D.de publican.* colligitur.

Ab hac tamen commiſſi pœna excipiuntur milites, qui propter omiſſam profeſſionem mercium non incidunt in commiſſum, modò vectigal ſoluãt *l.3. C. de vectigal.& comm.* quod idem indulgetur pupillis, modò intra diẽ triceſimum vectigal præſtent. *l. Imperatores* 7.*§.vlt.D. de publican.* ex cauſa quoque ſubuenitur aliquando minoribus *l. ſi ex cauſa, §. penult. D.de minoribus.* cum eo qui per errem non eſt profeſſus modò duplum vectigal ſoluat, vitare commiſſum ex Diuorum Fratrum reſcripto, nuper diximus, ex *leg. vlt. §.10. D. de publican.* 4

Quæſtio commiſſi finitur quinquennio *l.2.C.de vectigalib. & comm.* neque etiam ante quinquennium, ſi res commiſſa non extat, neque dolo malo ſupprimatur *ead.l.2.* vt ſi ſeruus commiſſus fiſco fuerit bona fide manumiſſus ante motam litem commiſſi, neque enim reuocabitur libertas iam obtenta, *l.5. C. eod.* Idem quinquennium actionis in cæteris quæ fiſco quæruntur. ex hoc loco ſibi videtur colligere Sichard. ſed omninò malè, cùm nihil vulgatiùs ſit quadriennali præſcriptione *ex l. benè à Zenone, Cod. de quadrien. præſcript.* quare rectiùs quinquennalem hanc actionem dixit Cuiac. eo quod olim locationes vectigalium fierent in quinquennium. Quod ſpectat ad ius Gallicum, diſtinguit Mornac. in *l.5.Cod. de vectigalib.& comm.* impoſitiones à ſubſidiis, *Impoſts & ayder*: in impoſitionibus peti poteſt commiſſum vſque ad quinquennium, ſi tamdiu duret locatio, aut intra ſex menſes locationis finitæ, ita enim ex edicto in ſubſidiis indubitati iuris eſt, peti non poſſe, niſi præterea duret locatio, quia ſubſidium ex conſenſu mero populi, impoſitio iuſſu edictoque Principis præſtatur, adeóque diuerſi iuris ſunt. 5

CAPVT III.

De foro & nundinis.

ARTICVLVS I. *De foro.*
II. *De nundinis.*

EXPLICATIS variis negotiationis cauſis, & maximè quæ ad eius materiam ſiue merces ſpectant, duo quædam ſuperſunt negotiationi adiuncta, nempe locus, & tempus quo ſolet exerceri. Ad locum pertinet forum, ad tempus nundinæ, de quibus pauca quædam de more obſeruabimus.

ARTICVLVS I.

De foro.

Fori variæ acceptiones. 1.
Quid ἀγορὰ Græcis. 2.
Leges venalium & maximè piſcium apud Græcos. 3.
Fori venalitij cura apud Romanos. 4.

FOrum inquit Feſtus, *ſex modis intelligitur: primò negotiationis locus; vt forum Flaminium, forum*

Digitized by Google

1 *forum Iulium, ab eorum nominibus qui ea fora conſtituenda curarunt, quod etiam locis priuatis, & in viis* (alias vicis) *fieri ſolet. Secundò in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi ſolent. Tertiò cùm is qui prouinciæ preeſt forum agere dicitur, cùm ciuitates vocat, & de controuerſiis eorum cognoſcit. Quartò cùm id forum appellabant antiqui, quod nunc veſtibulum ſepulchri dici ſolet. Quintò locus in naui, ſed tunc maſculini generis eſt, & plurale. Sextò fori ſignificant Circenſia ſpectacula, ex quibus etiam minores foralos dicimus, inde forare, & foras dare, & fores, & foras, & forecula* (alias *forcula*) *id eſt oſtiola dicuntur.* Atque vt ab hac vltima ſignificatione ordiar, eiuſmodi foros, qui & ſpectacula dicebantur, primùm à Tarquinio Priſco excitatos fuiſſe narrat Liu. poſt primum bellum Latinum ab ipſo geſtum, & captos vi Apiolos: *Ludos opulentius, inſtructiusque quam priores Reges fecit, tunc primùm Circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus locus eſt, equitibuſque vbi ſpectacula ſibi quiſque facerent fori appellati, ſpectauere furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes.* Subſellia igitur quibus inſidentes ludos ſpectabant foros appellauit Liuius, eaque ſæpius voce vſus fuit: nam *lib.* 29. *Cenſores Marc. Liuius, & Caius Claudius, omnia à foro boario, ad veneris, & circa foros publicos facienda locauit:* Et *lib.* 55. *Licinio Conſuli ad quadrigas mittendas aſcendenti tabellarius, qui ſe ex Macedonia venire diceret, laureatas litteras attuliſſe dicitur: quadrigis miſſis Conſul currum conſcendit, & cùm per Circum veheretur, ad foros publicos laureatas tabellas populo oſtendit:* & alibi, *pro foris publicis denuntiauit populo.* Dicebantur & hi fori ſpectacula Circenſia, quod ex illis populus ſpectaret; ſic loquitur Liuius verbis ex *lib.* 1. adductis, & Feſtus, atque ipſe etiam Varro *libro* 4. *de ling. latin.* qui inde Circum nominatum dixit: *Circus maximus dictus, quod circum ſpectaculis ædificatus, vbi ludi fiunt, & quòd ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt.* Erant igitur fori ex Liuio tabulata furcis iuncta, duodecim pedes alta, è quibus populus ſpectaret, quæ ſpectacula dicta ſunt θεωρία. Verùm circa hanc Liuij narrationem non leuis suboritur difficultas, nam neque Dionyſio Halicarnaſſeo, neque ſibi ipſi ſatis conſentire videtur Liuius. Dionyſ. enim *lib.* 3. agens de iſtis ſpectaculis à Tarquinio Priſco circa Circum excitatis, ait ὑπωρόφους πρῶτον αὐτὸν ποιήσαι καθέδρας, ſedes coopertas faciens, quia prius ſolebant ſtantes in tabulatis, quæ furcis ſuſtinebantur ſpectare, τέως γὰρ ἑστῶτες ἐθεώρουν ἐπ' ἰκρίων δυράτων ξυλίνοις σκέλεσιν ἐποχουμένων: ſic enim iure merito emendat Salmaſius *in Plinian. exercitationib. pag.* 919. vltima verba, quæ mendosè leguntur in Codicibus editis ξυλίνοις σκηναῖς ἐπικειμέναις, nullo ſanè ſenſu: quod enim Bulenger, *lib. de Circo capit.* 32. interpretatur haſtas oblungas ſcenis, ac tabulis ligneis, ad æſtum & pluuiam arcendam vmbracolis extructis, non conuenit cum Dionyſio, qui ait ſpectaſſe illos priſcos ſtantes ſuper tabulata, non ſub ligneis ſcenis: ex emendatione autem Salmaſiana perſpicuum habemus ſenſum, nam ἴκρια δυράτα ſunt tabulata vel ſpectacula, quæ ſuperſtabant ξυλίνοις σκέλεσιν cruribus ligneis, quas furcas appellauit Liuius: & ſane Græci vocant σκέλη arrectaria, quibus impoſita iuga, vel ſedilia; & interpretantur πλευρὰ τῶν σανίδων ἐργάνων. Tarquinius igitur Priſcus ex Dionyſio primus in circuitu Circi καθέδρας ὑπωρόφους ponendas curauit, ne populus cogeretur, vti hactenus fecerat, ſtans ſuper tabulata furcis, aut cruribus ligneis impoſita ſpectare. Atqui Liuius dicebat deſignatum à Tarquinio fuiſſe Circi maximi locum, loca diuiſa Patribus Equitibuſque, vbi ſpectacula quiſque ſibi facerent, *foros appellatos ſpectauiſſe furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes.* Fori igitur illi Liuiani ſunt ἴκρια δυράτα ξυλίνοις σκέλεσιν ἐπικείμενα, quibus ſpectandis ludis Circenſibus vſos fuiſſe olim Romanos, ante Priſcum ſcribit Dionyſ. Atqui foros illos ſub Priſco primùm factos dicit Liuius, cum ab illo extructas ὑπωρόφους καθέδρας ſcribat Dionyſ. vt in illis ſedentes ſpectarent commodiùs ab aeris & cœli iniuriis tuti. Non igitur inter ſeſe conſentiunt hi duo nobiles Hiſtorici, qui rurſum ſecum ipſimet pugnant: nam Dionyſ. *lib.* 4. ait Tarquinium Superbum ædificaſſe circa arenam Circi παστάδας ὑπωρόφους: ſunt autem παστάδες ὑπωρόφοι, & καθέδραι ὑπωρόφοι eadem omnino res; Quomodo igitur Dionyſ. primam ipſarum ſtructuram tribuit Tarquinio Superbo, quam iam Priſco tribuerat; Neque Liuius minùs ſecum ipſe pugnat, nam *lib. illo* 1. de operibus à Tarquinio Superbo perfectis, & de templo in arce Capitolina extructo agens, hæc addit. *Qui poſt hæc & ad alia in ſpecie minora, ſic laboris aliquantò maioris traducebantur opera, foros in Circo faciendos, cloacamque maximam receptaculum omnium purgamentorum vrbis, ſub terram agendam, quibus duobus operibus vix noua hæc magnificentia quidquam adæquare potuit.*

Non igitur à Tarquinio Priſco fori illi primùm extructi fuere, vti ipſemet ſcripſerat Liuius. Ad hoc diſſidium conciliandum dicendum eſt, initio quidem ſibi ſpectacula, & foros promiſcuè quemque feciſſe, deinde Tarquinium Priſcum loca Patribus, Equitibuſque deſignaſſe vbi ſibi ſpectacula facerent, reliquo populo ſuis ſpatiis aſſignatis. Poſt hæc eundem Priſcum maius opus aggreſſum fuiſſe conrectorum ſubſelliorum, ſiue feciſſe ὑπωρόφους καθέδρας. Verùm inchoatum, & imperfectum opus reliquit, nihil enim, vt ex *libro quarto* Dionyſij colligimus, præter κρηπῖδας ſubſelliorum perfecit, tecta impoſuit nepos Tarquinius Superbus, foros in Circo faciendos publica impenſa, eoſque proinde publicos, & perpetuò manſuros curauit tam magnifico opere, vt illud noua ſubinde magnificentia vix æquare potuerit, vti monebat Liuius, manſeruntque illi fori, ſiue ſpectacula ad extrema vſque Reipublicæ tempora: nam Varro vti nuper referebamus, vocatum dixit Circum, quòd circum ſpectaculis ædificatus eſſet. Acceſſere tandem porticus triplices, quas malè aliqui à Tarquinio Priſco ædificatas volunt ex eo quod Dionyſ. illas deſcripſerit, dum agit de Circo maximo à Tarquinio deſignato; nam Dionyſ. deſcribit illud opus ea magnificentia, qua viſendum erat dum ſcriberet, non autem quale fuit Tarquinij ætate, cùm & Euripi meminerit, quẽ à Iulio additũ ſcribit Sueton. *c.* 39. neq; aliud ait à Tarquinio factũ Dionyſ. quam locum Circo deſignatum, & cooperta ſedilia circum ſtructa, & iã inde oſtenſum, quantũ illud opus futurum erat. Additas itaque illas porticus triplices à Iulio Cæſare, cui proinde Circi maximi extructio tribuitur à Plinio, conſtans opinio eſt: in porticibus loco & perpetuo ordine addita fuere ſedilia, *quæ limitetes circi* Tertulian. *lineas* Ouidius appellant. *Quid fruſtra refugis cogit nos linea iungi.* Cùm enim Correnna, cui Ouidius in Circo aſſidebat ab eo diſcedere

diſcedere tentaret, reponit ille nuſquam patere effugium, longum enim limitem lineamque ſubſelliorum ſpectatoribus occupatam prohibere viam, & cogere ad coniunctas ſedes retinendas. Hanc Ouidij lineam Buleng. *de Circo cap.* 21. exponit de linea alba ad vtrumque podium producta, qua Prætor ſignum dabat mittendis equis, vt ſpectatores in cuneos ſe cogerent; indeque dictum ab Ouidio, *cogit nos linea iungi*. Meminit Caſſiodor. *lib.* 3. *epiſt.* huius albæ lineæ. *Alba linea*, inquit, *non longè ab oſtiis in vtrumque podium, quaſi regula directa perducitur, vt quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ne dum ſe properè conantur elidere, ſpectandi voluptatem viderentur populus abrogare.* Verùm de hoc Caſſiodori loco, & Circi lineis plurima Salmaſ. ad quæ modò diuertere non licet. Vide & Buleng. *cap.* 21. *citato*; moneo duntaxat in Circo nullos fuiſſe cuneos, ſed in theatro duntaxat, ac proinde nullam prætenſam lineam fuiſſe, vt ſpectatores loci capiendi causâ diſcederent ad cuneos, atque adeò de illa non loqui Ouidium eo ſenſu quem exponit Bulenger.

Altera ſignificatio quam afferebat Feſtus, erat in re nauali, ſed tunc & in numero plurali, & in maſculino genere vſurpatur. Sunt igitur fori, tabulata nauium Virgil. 4. *Æneid.* Sic Dido.

Faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſemque foros flammis, natumque patrêque
Cum genere extinxem.

Et *lib.* 6. *de Charonte*

Deturbat laxatque foros ſimul accipit aluea.

Ex his mendoſiſſimum Plinij locum emendabis, ille enim *libro* 7. *capitulo* 22. agens de nauibus Taprobanicis; *Mare*, inquit, *intereſt vadoſum, ſenis non amplius altitudinis paſſibus, ſed certis canalibus adeò profundum, vt nulla anchora ſidant, ob id nauibus vtrimque prora, ne per anguſtias alaei circumagi ſit neceſſe.* In antiquioribus libris hæc adduntur *magnitudo alterna millia ad forum*: quæ verba in nullis editis codicibus comparent, quia quid ea velint, non liquet: legunt tamen aliqui *magnitudo tamen ad nauium foros*, ſed quo amabò ſenſu: placet emendatio Salmaſij in exercitationibus: *magnitudo alterna ilium ad forum.* Ilia nauis ſunt τὰ ἐγκοίλια, coſtæ, & latera; forus autem τὸ κατάστρωμα. Obſerua verò alternum idem eſſe ac παράλληλον, eſt verò παράλληλον idem quod ὅμοιον ἴσον. Dicit Plinius in nauibus Taprobanicis ilium ſiue coſtarum magnitudinem alternam, ſiue parallelam ad forum fuiſſe, quia plana erant eorum laterea, & æqualis cum foro magnitudinis, quod ipſum ſignificauit Strabo dum negat eas habere ἐγκοίλια, quia ſcilicet plana latera habuere, non carinata, nec paſſa. Habes igitur foros in nauibus fuiſſe tabulata Tull. *de ſenectute*: *Cùm alij malos ſcandant, alij per foros curſent.* Græci dicunt διὰ τῶν καταστρωμάτων, Agellius. *libro* 16. *capit.* 6. Arionis fabulam ex Herodoto refert, forum reddidit pro ἐδωλίοισι, ita vt ἐδώλια fori ſint, ait enim, *de more cinctus, amictu ornatus, ſtanſque in ſumma pupis foro, carmen quod Orthium dicitur, voce ſublatiſſima cantauit.* Expreſſit omnino Herodotum. καὶ στάντα ἐν τοῖσι ἐδωλίοισι διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον. Plutarch. *in Sympoſ.* eandem referens fabulam ἑστὼς παρὰ τὸν τοῖχον ἐν πρύμνῃ, ſtans in pupi ad alterum nauis latus. Foros porrò à ferendo deducunt, quòd ſint tabulata, quibus feruntur nautæ per nauim.

Hinc factū opinor, vt fora dicerentur vaſa, quibus aliqua deferebantur. Colum. *capit.* 18. dum præcipit villicæ quæ ad vindemiam præparanda ſunt: *Tum lacus vinarij, & torcularij, & fora, omnaque vaſa (ſi vicinum eſt mare) aqua marina ſi, minus dulci eluenda ſunt, & emundanda, & diligenter aſſiccanda, ne humorem habeant*: quin & Virgilius ;plas apū cellulas foros dixit *lib.* 4. *Georgic.*

Quo magis exhauſta fuerint, hoc acriùs omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntque foras, & floribus horrea texent.

Quoad aliam fori ſignificationem relatam à Feſto, quod forum antiquis eſſet veſtibulum ſepulchri, nihil aliud ſingulare occurrit. Certè in antiquis ſepulchris fuiſſe veſtibula nemo dubitat, cùm vel in ſpeluncis ſepelirent, vt apud Iudæos, & alios populos Orientis, quod conſtat ex ſcripturis, vel ſi monumenta ampliſſima erigerent in iis veſtibula & prothyra excitabant, quæ dixere forum, quòd eſſent extra ipſum cadaueris conditorium. Tres reliquæ ſignificationes fori quas adduxit Feſtus, quæque vulgatiſſimæ ſunt, vel ad iudicia exercenda, vel ad res vænales exponendas pertinent. Itaque forum locus eſt in quo fieri iudicia, cum populo agi, & conciones haberi ſolent, vel locus negotiationis, vt aiebat Feſtus. Varro à ferendo deriuat *lib.* 4. *de ling. latin. Quò conferrent ſuas controuerſias, & quæ vendere vellent, & quò quæque ferrent, forum appellarunt.* Dicitur & forus Lucill. Satyric. *lib.* 3. *Romanis ludis foros olim ornatu lucernis.* Et quidem quod attinet ad iudiciorum locum frequens eſt ea fori ſignificatio. Quintilian. *declamat.* 274. *Forum quod mihi Templum quoddam pacis videtur, in quo iura exercentur, propter quod leges valent*: & Martial. *lib.* 3. *Epigram.* 38.

Cauſas inquis agam Cicerone diſertiùs ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Triplex forum vocat, nempe primum vetus Romanum, ſecundum Caij Iulij Cæſaris, tertium Augusti, de quibus vide Alexand. Neapolitan. *lib.* 2. *cap.* 12. & Martian. *lib.* 3. *cap.* 24. Amplius explicat ipſe Martial. *lib* 8. *Epigram.* 44.

Foroque triplici ſparſus ante equos omnes,
Ædemque Martis, & Coloſſos Auguſti
Curris per omnes tertiaſque quintaſque.

Nempe Titullus ille limen omne conterebat ſalutator, & mane ſudabat vrbis oſculis Vdus, & diſcurrebat per omnes oras litium forenſium, & per triplex forum vetus, in quo erant equi, id eſt ſtatuæ Equeſtres. Secundum Iulij Cæſaris ad ædem Martis, & tertium Auguſti, in quo erat Coloſſus, & Bibliotheca Auguſti. Meminit & triplicis fori Ouidius *lib.* 4. *Triſtium. Eleg.* 12.

Scena viget, ſtudiique fauor diſtantibus ardet,
Cumque tribus reſonant terna theatra foris.

Hunc locum in quo ius redditur, & iudiciorum controuerſiæ exercentur, Paulus *auditorium* dixit, *l. lecta. D. ſi certum petat.* & *l. contra, in fine. D. de re iudicat.* & aliquantò liberius *ius l.* 11. *D. de iuſtitia & iure. Appellatione*, inquit, *collata ab eo quod ſit in eaque ius ſit.* Hinc illud Terentianum; *in ius ambula*: & Horatius *lib.* 1. *ſerm. ſatyr.* 9.

Oppono auriculam rapit in ius.

Eòdem pertinet rubrica *D. & C. de in ius vocanda*: hinc quoque confeſſi in iure pro iudicatis habētur *l. vnica C. de confeſſoribus.* Hunc porrò locum definit Paul. Citata *leg.* 11. *Vt vbicumque Prætor ſalua maieſtate imperij ſui, ſaluóque more maiorum ius dicere conſtituit, is locus rectè ius appelletur.* In eo verò erat maieſtas, quòd ius pro tribunali

bupli

publico diceret Prætor, niſi cauſas voluntariæ iuriſdictionis tractaret, & ſine contentione, ſed de hac iudicum maieſtate alibi, nunc quod ad locum attinet, ius quidem aliquando dicebatur, vti monebat Paul. communiter tamen forum, quod & frequẽtes, vulgareſque loquendi modi teſtantur. Fori præſcriptio *D. qui ſatiſd. cogant. l.* 7. ad forum remitti, id eſt ad ius ordinarium, alterius fori eſſe, in alieno foro litigare, in eodem foto agere, rei forum ſequendum eſſe ab actore, fori diſputatio, foro interdicere, forum competens, forum diadematicum apud Varr. *Piſis*, inquit, *diadematico fore præſtatur virtuti laus*; quia in eo victoribus coronæ, & diademata decernebantur: forenſes actiones, forenſes cauſidici, forenſia inſtrumenta publicè confecta, forenſia negotia, aliaque eiuſmodi paſſim in iure reperies. Huc quoque pertinet tertia ſignificatio huius nominis indicata à Feſto, Præſidem Prouinciæ dici forum agere, cùm ciuitates vocat, vt de ipſarum controuerſiis cognoſcat. Tull. *lib.* 3. *Epiſt. famil. Maleuoli homines, qui te Tarſi forum agere, ſtatuere multa, decernere, indicare dixerent.* Hinc forum indicere, Virgil. *lib.* 5. *Æneid.*

——Gauderet Regno Troianus Aceſtes
Indicitque forum, & patribus dat iura vocatis.

Vltima denique ſignificatio fori pro loco rerum vænalium, æque vſitata eſt, quare a rebus quæ ibi exponebantur, varia fora ſunt nominata, vt forum boarium, piſcarium, ſuarium, olitorium, quæ omnia deinde in vnum coontracta ſunt. Audi Varron. *lib.* 4. *de ling. lat. Quò conferrent ſuas controuerſias, & quæ vendere vellent, & quò quæque conferrent forum appellarunt, vbi quid generatim additum ab eo cognomen, vt boarium forum, forum olitorium, hoc erat antiquum macellum, vbi olerum copia. Ea loca etiam nunc Lacedæmonij vocant* μακελλώτας, *ſed Iones oſtia hortorum, & caſtelli* μακέλλας: *ſecundùm Tiberim ad Iunium, forum piſcarium vocant, ideò ait Plautus apud piſcarium, vbi varia res: ad Corneta forum Cupedinis à Cupedio, quod multi forum Cupidinis à cupiditate: hæc omnia poſtquam contracta in vnum locum, quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus, appellatum macellum vt quidam ſcribunt, quòd ibi fuerit hortus, alij quòd ibi domus fuerit, cui cognomem fuit Macellus, quæ ibi publicè diruta, è qua ædificatum hoc quod vocatur ab eo macellum.* In quibus Varronis verbis multa emendanda eſſe coniicit Scaliger, nam quod ait *ſecundùm Tiberim ad Iunium*, legunt aliqui ad Iunonium. Neque Varro loquitur de illo foto quod erat in regione Pàlatij, ſed de eo quod erat trans Tiberim, vbi volcanalibus piſcatores pro ſe animalia in ignem coniiciebant. *Secundùm Tiberim*, eſt vltra Tiberium, nam & alibi dixit fanum Fortunæ eſſe *ſecundùm Tiberim*, quod in Tranſtiberina regione fuiſſe certum eſt. Verùm neque *ſecundùm Tiberim* ſignificat vltra Tiberim, ſed ad ripas Tiberis, neque Ianius dicebatur Iunonius, niſi in Pontificalibus indigitamentis; quare legendum eſt non ad *Iunium*, ſed ad *Ianium*, ſicut & Dianium, Mineruium, ſiue de Palatina regione loquatur Varro, ſiue de Tranſtiberina, in qua erat quoque Iani ara. Falli quoque Varronem, dum forum Cupedinis à Cupedio deriuat, coniicit Scaliger, dictumque forum illud à cupediis, quæ dicta ſunt quaſi caupedia. Sunt verò cupedia omnia lautiora eſculenta vænalia, à cauponando. Cauponari autem, ſicut & καπηλεύειν ad multa extenditur vti fuſiùs diximus *lib.* 1. Denique macellum deriuari à mactandis pecoribus monet Scaliger, quare inutiliter illas alias deriuationes conquirere Varronem. Verùm Paul. & Feſtus dictum volunt à Macello quodam propter latrocinia in vrbe damnato, in cuius domo cenſores Æmilius & Fuluius obſonia vendi ſtatuerunt: quidquid ſit, macellum vox Latina eſt, ſed Græca forma vſurpata à Græcis, quod & ſæpius in aliis vocibus vſitatum certum eſt apud profanos & ſacros, apud quos legitut ἀσσάριον, δηνάριον, ἰοῦςος, κεντυρίων, κῆνσος, κολωνία, κουςωδία, λεγεὼν, λέντιον, λιβερτῖνος, λίτρα, μίλιον, μεμβράνα, μόδιος, ξέστης, πραιτώριον, ῥέδη, σιμικίνθιον, σικάριος, σουδάριον, σπεκουλάτωρ, ταβέρνα, φόρον, τίτλος, φραγγέλλιον, φραγελλοῦν, κοδράντης, aſſarius, denarius, iuſtus, centurio, cenſus, colonia, cuſtodia, legio, linteum, libertinus, litra, milliare, membrana, modius, ſextarius, prætorium, rheda, ſemicintum, ſicarius, ſudarium, ſpeculator, taberna, forum, titulus, flagellum, flagellare, quadrans. Μακέλλον igitur, tum Plutarch. tum Paul. 1. *ad Cor.* 10. *verſ.* 25. vſurpant, ſed pro κρεωπωλίῳ. *Omne quod in macello venit manducate*: πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, vbi Paulus agit de carnibus ſacrificatis, quæ ſuperfuerant ex ſacrificiis, & deinde vænales in macello proponebantur, quarum pecunia & pretium ad ſacerdotes redibat: quod obſeruauit Auguſtin. *in expoſit. Epiſt. ad Roman.* narratque Herodotus ſolitos Ægyptios pecudum immolatarum capita in forum aſportata Græcis diuendere; & Interpres Ariſtophanis ſolemne eſſe partes ex victima domeſticis aſportare. Permittit igitut Paulus omnia quæ venduntur in macello, modò nihil inquirant an ea idolotytia ſint, an non μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν, nihil interrogantes, alij legunt hæſitantes, quaſi διακρίνοντες eodem ſenſu, quia illa interrogatio ex hæſitatione conſcientiæ oritur: ſolent verò rem aliquam empturi de eius conditione venditorem percontari, niſi illis nota ſit ſatis. Nihil igitur interrogari vult Paulus propter conſcientiam, quaſi dubitent an id quod ex macello emere volunt, ſit ex eo genere rerum, quibus veſci liceat. Audi Auguſtin. *libro contra Adimant. capitulo* 14. *Nam & munda omnia eſſe dixit Apoſtolus ſecundùm fidem, & ei eſſe immunda, qui putat immunda, & tunc eſſe ab eis temperandum, cùm per offenſionem accipiuntur, id eſt, cùm aliquis infirmus putat ſibi ab omnibus temperandum ne incidat in carnem immolatitiam, & ideò eum, qui manducat poteſt arbitrari in honorem idolorum id facere, & ex eo grauiter offendi, cùm ipſa immolatitia caro, ſi ex fide à neſciente accipiatur, neminem maculet.* Quod confirmat adducto Apoſtoli loco quem verſamus, vt in has anguſtias cogeret Chriſtianos Antiochenos, vt vel fame perirent, vel idolotytiis ſe contaminarent: Iulian. Apoſtata fontes omnes victimis impiauit, omnia in foro edulia luſtrali aqua aſperſit: verùm Chriſtiani Apoſtoli conſilio vſi, ſcelus deteſtati omnia vænalia ſine diſcrimine, nihil interrogantes propter conſcientiam, emebant, ex Theodoreto *libro* 1. *hiſtoriar. cap.* 14. Sed redeamus in viam; macellum non fuit tantùm κρεωπωλεῖον, ſed & ὀψοπωλεῖον, omnium obſoniorum & eduliorum, vti oſtendimus *capit. ſuperiori, articulo* 8. *num.* 7. neque forum & macellum ſunt omninò

ſynonima, ſed differunt vt genus & ſpecies, cùm forum omnium vænalium cuiuſcunque generis locum ſignificet, macellum autem certæ cuiuſdam ſpeciei rerum, & vel omnium obſoniorum, & eduliorum, vel aliquorum duntaxat, putà olerum, vti affirmabat Varro, vel carnium vti alij contendunt.

Fora coniungi Baſilicis ſolita erant, idcircò Vitruu. *lib.5. cap.1. Baſilicarum loca adiuncta foris, quam calidiſſimis partibus conſtitui monet, vt per hyemem ſine moleſtiam tempeſtatum ſe conferre in eas negotiatores poſſint.* Per loca autem quàm calidiſſima intelligit loca à Septentrione & Aquilone auerſa. Deinde vbi baſilicæ ſymmetriam & partes ſingillatim deſcribit, maximè cauet ne litigantes ſint impedimento negotiantibus: nam amplam aream, liberam luminoſam & porticibus & tribunalibus abundare vult: deinde pluteum, quo inferiores columnæ à ſuperioribus ſeparantur, quodque eſt veluti podium quoddã, quarta parte minùs altum ſuperioribus columnis conſtituit, vti ſupra Baſilicæ contiguationes ambulantes à negotiatoribus ne conſpiciantur, quia negotiantes parte inferiori, litigantes parte ſuperiori ambulabant. Denique in æde baſilica formari iubet tribunal hemicicli ſpecie, minore curuatura, eiuſque hemicicli in fronte interuallum eſſe pedum 46. introrſus curuaturam pedum quindecim, vti eos qui apud Magiſtratus ſtarent, negotiantes in baſilica ne impedirent. Eam itaque curam in baſilicis diſponendis haberi voluit perpetuò Vitruu. vt negotiantes & litigantes ſibi inuicem impedimento non eſſent. *Capitulo 2.* ærarium, carcerem & curiam foro coniungenda docet: quomodo autem inter ſe diſponantur non dicit, ſed architecti iudicio permittit, ſunt enim illæ veluti fori partes: verùm ne ad iſta longiùs digrediamur, & ad fori formam, quadratam apud Græcos, & oblongam apud Italos, de qua *capitulo primo* fuſiùs diſſerit Vitruuius; forum iſtud in quo etiam, vt ibidem ait, ſpectacula edi ſolebant, non erat vænalium locus, ſed ad ciuilium negotiorum, & publicarum deliciarum, ac delectationum conuentus in illo edebantur ſpectacula; carcer, curia, baſilica, ærarium, ædeſque ædificabantur, cuiuſmodi plura fuere Romæ, maximè tria illa celeberrima, quorum nuper meminimus ex Martiali; Romanum, Iulij, & Augusti. Fuit & Neruæ tranſitorium nominatum, quòd ab eo ad illa tria fora tranſitus pateret. Fuit & Traiani inter Capitolium & Quirinalem, in quo Cochlis columna. Fuit denique Saluſtij in Quirinali.

At verò forum vænalium rerum ad vſus publicos, de quo diſputamus modò, longè aliud erat, neque aut Baſilicæ, aut iudiciali foro coniungebatur, ſed pro diuerſitate rerũ vænaliũ in diuerſis ampliſſimæ ciuitatis partibus collocabatur. Boariũ in Velabro, piſcarium inter Templa Fortunæ Virilis, & Saturniæ Opis: cupidinis de quo nuper in Eſquiliis, aut vt alij in Cœlio, ſuariũ ad Quirinalis radices, olitorium inter Capitolium, & theatrum Marcelli; fuit & ſuburbanum, in quo à ruſticis res ad victum neceſſariæ deferebantur, fuerunt denique Archimorum, Ceditianum, argentarium, ingatium & Eſquilinum. De loco fori in caſtris propè prætorium, diſputandum alibi fuerit. Eſt præterà forum idem, quod emporium, nempe vicus, aut locus in quem vndique confluunt mercatores vendendi, emendique causâ, quem nos mercatum dicimus, ſic Vaccam Numidarum oppidum, forum appellat Saluſt. *in Iugur. Erat*, inquit, *haud longè ab eo itinere quo Metellum pergebat oppidum Numidarum, nomine Vacca, forum rerum vænalium totius Regni maximè celebratum, vbi & incolere, & mercari conſueuerant Italici generis multi mortales.*

Hinc pleriſque oppidis nomen à foro factum eſt, vt forum Cornelij, forum Iulij, forum Claudij, forum Clodij, forum Bibalorum, forum Liuij, forum Seguſianorum, forum Eguronum. Erant quippe loca in illis prouinciis negotiationi opportuna, in quibus primi nundinas & mercatus celebres inſtituerunt, à quibus nomen ſibi ſumpſerũt, Iulius, Liuius, Sempronius, Aurelius, aliique.

Non abſimili, eaque multiplici ſignificatione accipitur à Græcis ἀγορὰ, nam & illam Dionyſ. Halicarn. *lib.3.* ſic definit, ἐν ᾗ δικάζουσι, καὶ ἐκκλησιάζουσι, καὶ τὰς ἄλλας ἐπιτελοῦσι πολιτικὰς πράξεις. Eſt igitur ἀγορὰ conuentus, & concio ad iudicia, & politicas actiones. Apud Xenophon. ἀγορὰ λύεται Senatus dimittitur. Homer. ἀγορὴν ποιήσατο concionem coegit. Demoſthen. pro foro iudiciali vſurpat *oras. pro corona*, κατὰ τὴν ἀγορὰν περιέρχομαι: & apud Ariſtot. ἀγορὰ πλήθουσα, forum frequentiſſimum, quæ erat ex Suida hora tertia, atque vt vno verbo complectar ἀγορὰ eſt, inquit Tzetzes τὸ πωλητήριον, καὶ τὸ βουλευτήριον: ἀγορεύω eſt concionor, loquor. Plato de legibus ἀγορεύειν ὑπὲρ Διὸς, de Ioue loquor. Idem & ἀγοράομαι δημηγορῶ, διαλέγομαι ἐκκλησιάζομαι λέγω. Cauſarum forenſium actor ἀγορητὸς, orator conſultus φρόνιμος ἐκκλησιαστὸς. Eloquentia denique dicitur ἀγορητὺς, ἀγόραιος dies faſtus, ſiue vt loquitur Suidas ἡμέρα κρίσιμος, dies quo Senatus ſiue forum agitur. Forum verò rerum vænalium paſſim quoque ſignificat Ariſtot. 7. *polytic.* ἀγορὰ τῶν ὠνίων. Thucid. *lib.7.* ἀγορὰ τῶν πωλουμένων. Athenis locus erat dictus ἀγορὰ τῶν κερκώπων: in quo res furtiuæ vendebantur, cercopes enim erant latrones, quos Hercules cepit in Epheſo, quare perditorum hominum congreſſus & coitio prouerbiali locutione dicebatur ἀγορὰ κερκώπων cercopum commercium. Hinc ἐν ἀγορᾷ διατρίβω, in foro ſpatior: ἀγοράζω mercor, negotior, actionor, emo, ἀγοράσματα res prouerbiales. Ariſtot. 2. *Oeconom.* ἀγοράσματα ὑπερτίμια ἠγορακέναι res promercales ingenti pretio emiſſe: ἀγορασείω empturio, emere cupio, ἀγορασείω, ἀγόρασις, ἀγορασμὸς emptio, ἀγοραῖος forenſibus intentus negotiis, negotiator, cauponarius, vilis & ſordidus, atque emptitius. Athenis apud Herodot. *lib.5.* erat. ἀγοραῖος Ζεὺς, Iupiter forenſis, cui recta erat ara in foro: dicitur & Mercurius ab Ariſtophan. ἀγοραῖος, qui & ἐμπολαῖος, ſiue πραγματευτὴς. Ariſtot. *lib.8. ad Nicom. cap.15.* duplicem diſtinguit amicitiam, vnam quidem ingenuam & liberalem, alteram ſordidam & cauponariam, quæ velut in commerciis omnia vtilitate metiatur, & compenſatio quædã eſt de manu in manum ἀγοραία ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα. Neque forum duntaxat & locum negotiationi deſtinatum ſignificat ἀγορὰ, ſed ipſam rem vænalem, maximè annonam & commeatum. Xenophon, ἀγορὰ εὔωνος, annona vilis, ἀγορὰ ἐπείσακτος commeatus aduectitius, ἀποκομίζειν τὰς ἀγορὰς annonas deferre. Xenoph. *in Ageſil.* πόλεσιν προεῖπεν ἀγορὰν παρασκευάζειν, ciuitaribus commeatum parare imperauit: παρέχειν ἀγορὰν commeatum præbere: πάσης ἀγορᾶς, καὶ πάντων λιμένων εἴργεσθαι omni commeatu & portibus prohiberi, ἀγορᾶς εὐπορία conuehendorũ cõmeatuũ facilitas, ἀγορανόμος præfectus annonę, ἀγο-

ρανομία

νομία præfectura annonæ, *ἀγορανόμος* annonæ præfectus, vænalium inſpector, & curator. Denique *ἀγορασὴς* obſeruator & rerum in foro vænalium emptor. Ratio harum omnium ſignificationum eſt, quia deriuatur ab *ἀγείρω*, hoc autem ab *ἄγω* & *εἴρω*, inde *ἀγορὰ* quæ delationem, congregationem, plateam, forum, commeatum ſignificat *ἐκκλησίαν συνέδριον*.

3 Apud Athenienſes erant *ἀγορανόμικα νόμιμα* leges ad forum & annonæ rationem pertinentes, quas leges ſeruari diligenter curabant *ἀγορανόμοι*, quibus vniuerſa rerum vænalium cura demandata erat, vt habet Theophraſt. ſiquidem vt ait Harpocration, erant illi *οἱ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες*; & Vlpian. in Timocratæum Demoſthenis, *ἐςὶ δὲ ἀγορανόμος ὁ ἐφορῶν τῶν ὠνίων τῆς ἀγορᾶς*, qui & leges vænalitias violantes pœnis mulctabant, & flagris aliquando cædi iubebant; quod obſeruat interpres Græcus Ariſtophanis in Acharnenſibus. Illis quoque vectigal pendebant qui aliunde Athenas in forum merces aſportaſſent, quare apud citatum Ariſtophan. *eodem dramate* Dicæopolis ſibi anguillam à Bœoto dari poſtulat, *ἀγορᾶς τέλος*, vbi ſcholiaſtes monet antiquum fuiſſe morem pendendi logiſtis, & qui alij non ſunt quam agoranomi, vectigal à vendentibus in foro, *ἔθος ἦν τὸ παλαιὸν τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ πιπράσκοντας τέλος διδόναι τοῖς λογισταῖς*. Hæc porrò *ἀγορανόμικα νόμιμα* & forenſes leges duplicis fuere generis: aliæ enim ad lites de foro & rebus vænalibus excitatis pertinebant, de quibus aliquid dicemus *libro* 3. huius operis: aliæ ad fori politiam, & rerum vænalium conditionem, venditionem, aſportationem, & cætera eiuſmodi ſpectabant. Aliquas collegit Samuel. Petitus commentario *in ll. Atticas lib.* 5. *tit.* 3. & 5.

Prima erat in foro ſine dolo malo agere, & non mentiri, maximè in rebus vænalibus, *περὶ ὠνίων ἀψευδεῖν κατὰ τὴν ἀγορὰν*, quam legem laudat Hyperides apud Harpocration. & Demoſthenes in Leptinea, vbi enarrator Vlpian. *πολιτείαν γὰρ ἀψευδῆ μέχρι τῶν ὠνίων διασώζοντες*. Quia enim ſæpius Athenis ſitonæ, quò impunitiùs frumenta flagellarent, plurima mentiebantur, prouidebat agoranomus, ne qua falſitas in contractibus & commerciis committeretur: qua de cauſa re nondum emptori tradita, & arrha tantùm accepta, ſi venditor vellet à contractu recedere, competebat emptori aduersùs eum actio *βεβαιώσεως*. Hinc fides Attica *Ἀττικὴ πίστις* in prouerbium abiit. Sæpius præſenti pecuniâ vendebant, vnde Plautus *in Aſinaria*, dixit Græca fide mercari, & Theophraſt. *in charactere περὶ ἀπιστίας* deſcribit illum diffidentem nolle referre quidquam in rationes, neque cauſatum deeſſe puerum, vel mittere quod emptum erit, iubereque emptorem deponere, quòd nimirum illius fidei non credat, velitque ſine dubio repræſentari ſibi pecuniam.

Ex hac prohibitione mendacij in foro, & rebus vænalibus orta eſt illa altera lex, cuius meminit Alexis Comicus *in Lebeto*, ne quis piſcarius piſces minori venderet quàm indicaſſet, ſi ſecus feciſſet in carcerem rapi iubebatur: *εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγεσθαι*. Huius authorem legis facit Ariſtonicum hominem diuitem, & prudentem legiſlatorem *κράτιστον νομοθέτην*. Ratio huius legis, quæ lata eſt ſub tempus editi ab Alexi dramatis, fuit ne cariùs piſces indicarent, quàm vendere vellent; cùm enim tam caro pretio vendere non poſſent, cogebantur putres piſces domum reportare, quos vendere lex non permittebat. Ideóque lata fuit & alia lex ne piſces putres, aut marcidos aqua rigarent, vt viderentur recentes. Ita refert Xenarchus in *πορφύρᾳ*, vbi de piſcariis agit apud Athenæ. *lib.* 6. *cap.* 2. ibidem verò Xenarch. *τῶν ἰχθυοπωλῶν* piſcariorum in hac re fraudes detegit, vbi enim exareſcentes videbant, ſimulabant cum aliis pugnam, atque ex ficto vulnere concidebant ex animi deliquio inter piſces, quare ad refocillandum cor allata aquâ ſocius ita piſces aſpergebat proluebatque, vt iurare poſſes ipſos nuper captos eſſe. Ariſtonici porrò lex adeò vendendi cupidos piſcarios reddidit, vt iàm vel anus aliiqua, vel ſenex quiuis, aut puer denique poſſet ab illis mercari ſine fraude ſua. Addidit & aliam nouam legem, eamque protsùs auream *καινὸν νόμον, καὶ χρυσοῦν*, idem Ariſtonicus, teſte eodem Comico Alexi, ne quis piſcarius piſces vendat, niſi ſtans. Deinde addidit, vt appenſis tabulis pretium ſcribat, & demque vendat pendens veluti Deus è machina *ἀπὸ μηχανῆς πωλῶν τοὺς ἰχθῦς ὥσπερ οἱ θεοί*. Fuit & alia apud Corinthios lex cuius meminit Diphilus *in mercatore*, apud Athenæ. *libro* 6. *capitulo* 3. vt ſi quem obſonantem ſplendidius ſemper in foro videant, de eius facultatibus inquirant, quæ ſi exiguæ fuerint, abſtinere ab obſoniis ſumptuoſis iubetur, & ſi non parcat, mulctatur. Immò ſi nihil habeat vnde viuat, ſumptus tamen facere pergat, traditur carnifici puniendus. Narrat Sophilus in Androcle apud Athen. *lib.* 6. *cap.* 3. Athenis à Senatu duos aut tres magnæ authoritatis viros creari ſolitos *ὀψωνονόμους* vel *ὀψονόμους*, quibus veluti ædilibus quibuſdam cura eſſet piſcium venditio, vt viderent ne cuiuſquam intemperie, & ingluuie forum piſcarium excandeſceret. Ὀψωνονόμοι non ſunt iidem qui *ὀψονόμοι*, qui & *ἀγορασταὶ* dicti ſunt, opſoniorum & deliciarum curatores, eratque aliqua *τέχνη ὀψωνητικὴ*; vnde ille apud Antiphanem *in Paraſito*, vti refert Athenæ. *libro octauo*, *capitulo* 14. Ego rationes obſonandi non teneo, neque mihi nota ſunt illa per quæ aliquis poſſit ſublatis de triclinio cæteris, ipſe crapulam impedire, quod plerique Græcorum faciunt. Ideoque ab iſtis parari ſolebant quæ ebrietati impediendæ plurimùm valere credebantur, & amethyſta, atque *μέθης φάρμακα*, de quibus Athenæ. *lib.* 1. *cap. vlt.* In obſonatorum locum ✠ vbi deerant, ſubibant Paraſiti, quorum nomen aliàs & honorificentius, & munus nobilius quondam erat, longéque diuerſum ab hoc poſteriori infami & probroſo, vti fuſiùs diſſerit Athenæ. *lib.* 7. *cap.* 8. Ὀψονόμοι verò, vel *ὀψωνονόμοι*, qui præerant foro piſcario, alij longè erant ab obſonatoribus: iſti enim præficiebantur huic foro, ad aduertendas fraudes, quæ in eo committebantur, quia in deliciis piſces habebant veteres, & vix conuiuium lautius inſtrui poterat, niſi vbi copia piſcium abundabat, ab illiſque exquiſitiſſima obſonia parabantur, quod eo libro docet Athenæ. & innumeræ erant piſcariorum fraudes, qui & ingentes ita pecunias corradebant, quod variis comicorum teſtimoniis confirmat eo loco Athenæ. quare impij, ſceleſti, & impotentiſſimi dicuntur, & *ἀνδροφόνοι*; ſic enim appellabant omnes inſigniter improbos: quare *libro* 9. *Athenæ.* coquus præcipit diſcipulo vt ſit *ἀνδροφόνος*, hoc eſt in ædibus diuitum omni fraudum vtatur genere. Ibidem quoque Gnathena meretrix appellatur *ἀνδροφόνος*, quid mirū igitur ſi Athenienſes præter *ἀγορανόμους*, qui foro & vniuerſim

gis leges, & inſtituta receſſet, omnes illæ artes ſellularias, ſordidas, atque turpium cupiditatum incitatrices ἐπιδιοφέῖς ἢ βαναύσους καὶ προσαγωγοὺς ἐπιθυμιῶν αἰσχρῶν τέχνας tanquam animis, & corporibus peſtiferas ὡς ἀφανίζουσι καὶ λυμαινομένας τά τε σώματα ἢ τὰς ψυχὰς τῶν μεταχειριζομένων reliquit ſeruis & peregrinis δούλοις καὶ ξένοις ἐπέδωκε μεθοδεύειν. Denique probroſum fuit Romano artem eiuſmodi aliquam exercere, ingenuis verò duo opera & exercitui dedit δύο ἐπιτηδεύματα, nempe ruſticum, & militare, κατὰ γεωργίαν καὶ κατὰ πολέμους: quæ duo opera non ita partitus eſt, vt vnus bellica, alter ruſtica tractaret, vti fiebat apud Lacedæmonios, ſed vt ſinguli & rem bellicam, & rem ruſticam diuerſis tamen temporibus exercerent: vigente ſcilicet pace ruri manerent, & agros colerent, nona tamen die mercatus ergò in vrbem ventitarent, & ingruente bello omnes militare poſſent. Qua etiam de cauſa victori militi agrum hoſtibus adeptum æqualiter diuidebat, mancipia, & pecunias, vt libentiùs expeditiones ſuſciperent, & peracto bello, ſua virtute partos agros ſua deinde induſtria & opera colerent: indeque factum ait Colum. *lib.* 1. vt veteres meliùs Romanam Rempublicam, & militari vi, & agrorum cultu fundauerint, atque opibus abundantem reddiderint. Lege elegantem ſcriptorem delicias ſui populi deliciis fracti & attriti deplorantem, eius ego hanc duntaxat pagulam nundinarum occaſione refero. *Vera illa Romuli proles aſſiduis venatibus, nec minus agreſtibus operibus exercitata, firmiſſimis præualuit corporibus, ac militiam belli cùm res poſtularet facilè ſuſtinuit durata pacis laboribus, ſemperque ruſticam plebem præpoſuit vrbanæ, vt enim qui in villis intra conceptum morarentur, quam qui foris terram molirentur grauiores habitos, ſic eos, qui ſub vmbra ciuitatis intra mœnia deſides cunctarentur, quam qui rura colerent, adminiſtrarentve operâ colonorum, ſegniores viſos, nundinarium etiam conuentus manifeſtum eſt propterea vſurpatos, vt nonis tantummodo diebus res vrbanæ agerentur, reliquis adminiſtrarentur ruſtica; illis enim temporibus vt ante iam diximus, proceres ciuitatis in agris morabantur, & cùm conſilium publicum deſiderabatur, à villis arceſſebantur in Senatum, ex quo qui eos euocabant, viatores nominati ſunt, iſque mos dum ſeruatus eſt, perſeuerantiſſimo colendorum agrorum ſtudio veteres illi Sabini, Quirites, Atauique Romani, quamquàm inter ferrum & ignes, hoſticiſque incurſionibus vaſtata fruges, largiùs tamen condidere quàm nos quibus diuturna permittente pace, licuit prolatare rem ruſticam. Itaque in hoc Latio, & Saturnia terra, vbi Dij cultus agrorum progeniem ſuam docuerant, ibi nunc ad haſtam locamus, vt nobis ex tranſmarinis prouinciis aduehatur frumentum, ne fame laboremus.* Caſſius apud Macrob. *cap.* 16. *cit.* Seruium Tullium feciſſe nundinas dicit, vt in vrbem ex agris conuenirent, vrbanas ruſticaſque res ordinaturi. Geminus ait diem nundinarum exactis iam Regibus cœpiſſe celebrari, quia plerique de plebe, repetita Seruij Tullij memoria parentarent ei in nundinis, cui etiam rei Varro conſentit, inquit Macrob. Ex quibus omnibus vides non fuiſſe conuentus ſolius mercimonij causâ inſtitutos, neque ad hoc tantùm conueniſſe, quiquid emere aut vendere vel permutare volebant, ſed aliorum quoque negotiorum publicorum causâ omnis generis homines confluxiſſe, cùm in illis & leges ferrentur, & ſuffragia populi rogarentur, vti diximus ex Dionyſio, & concilium celebraretur: quare Cic. *lib.* 4. *ad Attic. Ep.* 16. quæ tunc in comitiis & Senatu ob leges ferendas agebantur, ait *ea negotia multarum nundinarum fore*: & Fuſiùs Rutilius; *Ruſticos nono die intermiſſo rure ad mercatum, legeſque accipiendas Romam veniſſe, & vt ſcita atque conſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita à ſingulis atque vniuerſis facilè noſcebantur. Vnde etiam mos tractus, vt leges trinundino die promulgarentur. Ea re etiam candidatis vſus fuit in comitium nundinis venire, & in colle conſiſtere, vnde coram poſſent ab omnibus videri: ſed hæc omnia negligentiùs haberi cœpta, & poſt abolita, poſtquam in ternundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adeſſe cœperunt.*

Erant itaque nundinæ Romanis, quod Græcis πανηγύρεις conuentus omnium celeberrimi, qui ex omni Græcia quinto quoque anno Athenis celebrabantur, vti ſcribit Herodot. *lib.* 6. ludorum ſpectandorum causâ, aliorumque publicorum negotiorum, atque etiam mercimonij; vnde Suidas ἀγορὰ καὶ πανήγυρις. Id ipſum innuit Cicero *lib.* 1. *Ep. ad Attic. Ep.* 13. *Res agebatur in Circo Flaminio, & erat in illo ipſo loco illo die nundinarum πανήγυρις.* Et *Tuſc.* 1. cum ait Pythagoram reſpondiſſe ſimilem ſibi videri vitam hominum, ac mercatum eum qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Quo eodem ſenſu dixit Nazianz. *orat. de baptiſmo*, miſerum videri mercatum πανηγύρεως prætergreſſum, poſteà negotiationem requirere πραγματείαν ἐπιζητεῖν. Inde dictæ panegyricæ orationes πανηγυρικοὶ λόγοι, quæ in eiuſmodi conuentibus, & quidē plerumque de publicis rebus habebantur. Quia verò & virorum illuſtrium laudes in eiuſmodi conuentibus, & ad concionē ex vniuerſa Græcia confluentibus ſpectaculorum causâ inſtituebantur laudationes, exornationes, vt vocat Cicero, & laudationes panegyricæ dicebantur, & genus illud dicendi quo quiſpiam exornatur dictum fuit ἐγκωμιαστικὸν, καὶ ἐπιδεικτικὸν, ἢ πανηγυρικὸν: & demùm Ariſtot. δημηγορικὸν concionale. Quia verò quæ in tam celebri conuentu agebantur, dicebanturve, magnifica, & ſplendida erant, & cum pompæ cuiuſdam ambitione, idcircò πανηγυρικῶς idem ſonat, quod magnificè, ſplendidè, ambitioſè. Plutarch. *in Camill.* πόλις πρὸς δίαιταν πανηγυρικῶς οὖσα κατεσκευασμένη, vrbs ad vitam degendam magnificam extructa: & Nazianz. μὴ πανηγυρικῶς ἀλλὰ θεϊκῶς ἑορτάζομεν. Polyb. de eo, qui ſe in regni adminiſtratione inſolentiùs & ambitioſiùs gerebat πανηγυρικώτερον φύσει κατὰ τὴν ἀρχήν. Denique quia ea coïtio hominum ex diuerſis omninò fiebat, corpus noſtrum ex multis variiſque compoſitum, & mixtum παμμιγὲς ἢ πανηγυρικὸν appellauit Plutarch. 4. *Sympoſ.* In his conuentibus illuſtrium reorum ſupplicia exercebantur, ad maiorem terrorem incutiendum: quare ea celebritate ſæpius ſumptas eſſe de Chriſtianis pœnas conſtat ex Euſebio *lib.* 1. *cap.* 5. de Martyribus Lugdunenſibus, atque alibi.

Quoad nundinas tamen attinet, vbi in vrbe potiùs quàm ruri frequentes eſſe Romani cœperunt, quod querebatur Columella, ferè mercimonij ſolius causâ celebratæ ſunt nundinæ; quare ciuitates ad quas frequentiùs conueniebant ruſtici ad diuendendas ſuas fruges, nundinas nominarunt. Sic Cicero *de lege agrar. contra Rullum*, vbi ait deuictam Capuam non penitus deletam eſſe, ſed ſeruatam ad nundinas ruſticorum, illudque fuiſſe maiorum conſilium, ne contra Romanum Imperium aliquando rebellaret: quam ob cauſam

Carthaginem & Corinthum deleuerant funditus. *Tres*, inquit, *ſolùm vrbes in terris omnibus Carthaginem, Corinthum, Capuam ſtatuerunt* (maiores noſtri) *poſſe imperij grauitatem, ac nomen ſuſtinere. Deleta Carthago eſt, quòd cum hominum copiis, tum ipſa natura ac loco, ſuccincta portubus, armata muris excurrere ex Affrico, imminere Italiæ, ac fructuoſiſſimis Inſulis Pop. Rom. videbatur. Corinthi veſtigium vix relictum eſt, erat enim poſita in anguſtiis, atque in faucibus Græciæ, ſic vt terra clauſtra locorum teneret, & duo maria maxima nauigationi diuerſa penè coniungeret, cùm pertenui diſcrimine ſepararentur. Hæc quæ procul erant à conſpectu Imperij, non ſolum affixerunt, ſed etiam nequando recreata exurgere atque erigere ſe poſſent, funditus, vt dixi, ſuſtulerunt. De Capua multùm eſt, & diu conſultatum, extant literæ, Quirites, publicæ, ſunt S. C. complura, ſtatuerunt homines ſapientes ſi agrum Campanis ademiſſent, Magiſtratus, Senatum, publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent, imaginem Reip. nullam reliquiſſent, nihil fore quod Capuam timeremus. Itaque hoc perſcriptum in veteribus monumentis reperietis, vt eſſet vrbs, quæ res eas quibus ager Campanus coleretur, ſuppeditare poſſet, vt eſſet locus comportandis, condendiſque fructibus, vt aratores cultu agrorum defeſſi, vrbis domiciliis vterentur; idcircò illa ædificia non eſſe deleta. Videte quantum interuallum ſit interiectum inter maiorum noſtrorum conſilia, & inter iſtorum hominum dementiam. Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas ruſticorum, cellam atque horreum Campani agri eſſe voluerunt. Hi expulſis aratoribus, effuſis atque diſſipatis fructibus veſtris, eandem Capuam ſedem nouæ Reip. conſtituunt, molem contra veterem Rempublicam comparant.* Quæ paulò prolixiùs adducere placuit, vt euidentiùs conſtaret quænam loca nundinarum nomine veteres appellarint, quod nos quoque etiam hodie vſurpamus aliquando. Hinc ducta metaphora, artes quibus aliqui ſibi pecunias quærunt, domeſticas nundinas vocare: ſic Cicero *Philipp.* 2. queſtus de Conſule Antonio qui paſſim immunitatis, & ciuitatis tabulas omnibus concedebat: ſic ait. *Inſpectantibus vobis toto Capitolio tabulæ figebantur, neque ſolùm ſingulis veniebant immunitates, ſed etiam populis vniuerſis. Ciuitas non iam ſigillatim, ſed prouinciis totis dabatur. Itaque ſi hæc manent quæ ſtante Rep. manere non poſſunt, prouincias vniuerſas P. C. perdidiſtis, neque vectigalia ſolùm, ſed etiam Imperium Pop. Rom. huius, domeſticis nundinis diminutum eſt.* Hinc nundinari eſt negotiari, vel emere. *Cic.* 1. *in Verrem. Qui ab iſto ius ad vtilitatem ſuam nundinarentur:* & *action.* 2. queritur de iniuriis à Verre Prætore factis Haleſinorum ciuitati. *Ab iſto & præco qui voluit iſtum ordinem pretio mercatus eſt, & pueri annorum ſenum, ſeptenumque, demum ſenatorium nomen nundinati ſunt.* Et *Philipp.* 3. aduerſùs Anton. *At verò huius domi inter quas illa, pendebatur aurum, numerabatur pecunia vna in domo, omnes quorum intererat totum Imperium Pop. Rom. nundinabantur. Act.* 5. *in Verr. Fuit nundinatio aliqua, & iſti non noua ne cauſam dicerent.* Et *orat. de l. agrar. Hinc vos quas ſpoliationes, quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem iuris ac fortunarum fore putatis.* Ex quibus omnibus tandem conſtat, nundinarum, nundinationis, & nundinandi voces ipſo vſu ad mercimonia fuiſſe ferè reſtrictas.

Nundinæ quondam feriæ erant; ſic enim Feſtus. *Nundinas feriarum diem eſſe voluerunt antiqui, vt ruſtici conuenirent mercandi, vendendique causâ, eumque nefaſtum, ne ſi liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.* Similia habet Macrob. *lib.* 1 *Saturn. cap.* 16. vbi feriarum publicarum facit genera quatuor, ſtatiuas, conceptiuas, imperatiuas, nundinas, quamquàm deinde addat non omnes veteres, ferias dixiſſe nundinas; nam Titus ſcribens de feriis, non retulit inter illas nundinarum diem, ſed ſolùm ſolemnes vocauit, affirmatque Iulius Modeſtus, Pontifices reſpondiſſe Meſſalæ auguri conſulenti, nundinarum Romanarum, nonarumque dies, ferias non videri. Trebatius quoque in libro primo Religionum ait, nundinis Magiſtratum poſſe manumittere, iudiciaque exercere. In contraria verò ſententia fuerunt plerique alij, vt Cornelius Labeo *lib.* 2. *Faſtorum*, ideoque nundinis concionem aduocari poſſe, ideſt cum populo agi, aut comitia haberi negat Iulius Cæſar *ſexto decimo auſpiciorum libro.* Hoc diſſidium componit loco citato Macrob. ex Granio Liciniano; ait enim nundinas Iouis ferias eſſe, ſiquidem Flaminica omnibus nundinis in Regia Iouis arietem ſolebat immolare: lege tamen Hortenſia factum, vt faſtæ eſſent, vti ruſtici qui nundinandi causa in vrbem veniebant, lites componerent, nefaſto enim die Prætori fari non licebat: quare concludit Macrobius: *Qui nundinas ferias dicunt à mendacio vindicantur teſtimonio vetuſtatis; qui contra ſentiunt æſtimatu ætatis, quæ legem ſequuta eſt, vera depromunt.* Ex his explicabis legem illam XII. Tabularum de obæratis, qui cùm ſoluendo non eſſent habebantur in vinculis dies ſexaginta, & inter eos dies tribus nundinis continuis ad Prætorem in comitium producebantur, quantæ pecuniæ iudicati eſſet prædicabatur, tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregrè vænum ibant. De hac lege fuſiùs nos egimus *opere de vſuris lib.* 3. *cap.* 7. *art.* 3. *num.* 8. Reſtat tamen difficultas circa illud triumdinum, dantur enim dies ſexaginta pacificandi causâ, cauetúrque vt inter hos addicti per triumdinum producantur, & tertiis nundinis capite mulctentur, in quibus verbis videtur aperta implicantia contineri, nam cùm ſingulæ nundinæ nouem diebus conſtent, tertiarum nundinarum exitus erit dies viceſimus ſeptimus, qui numerus longo interuallo abeſt à ſexagenario. Hanc difficultatem ſe primum omnium mouiſſe ait Hotman. *poſtremo commentario in l. XII. Tabular.* reſponderque cùm de triumdino, & rebus in eo agendis, vt de addictis producendis ad Prætorem quæritur, primis, ſecundis, ac tertiis nundinis non intelliguntur ipſi nundinarum dies, illi enim feriati, & nefaſti erant, intelliguntur igitur dies teroctoni, qui inter nundinas ternas interiecti ſunt. Iubet igitur hæc lex addictum, niſi per dies tres & triginta paciſceretur, trigeſimo quarto die ad Prætorem in comitium adduci, idemque per dies octo continuos qui faſti erant, fieri: nono verò qui dies nundinarum & nefaſtus erat, à præcone palam in foro prædicari quantæ pecuniæ damnatus eſſet, vt ſi quis eum emere vellet, legitima die veniret, iterumque ac tertiò per dies octo fieret, tertiis autem nundinis, qui dies erat induciarum ſexageſimus, aut capite lueret, aut trans Tyberim vænum iret. Qua ſimili ratione accipiendum eſt triumdinum, cùm dicitur legem triundino promulgari, non enim ipſis tantùm trium nundinarum diebus lex promulgari ſolebat, ſed per dies ipſos ſeptem & viginti proponebatur, præſcribebaturque, vt cuiuis eam

legendi

legendi, exſcribendi, eacutiendi, conſiderandique poteſtas eſſet. Hactenus Hotmanus: quidquid ſit, conſtat nundinarum dies antiquis feriatos eſſe, quamquàm deinceps illi dies faſti facti fuerint. Sane Paulus ex Feſto Pompeio refert ferias quaſdam fuiſſe ſine die feſto, vt nundinas. Saturnalium quoque dies ſeptem feriati erant, non feſti omnea ex Macrob. *lib.* 1. *cap.* 11. Ea hac eadem feriarum voce deducunt aliqui noſtrum nomen *foire*, & ideò etiam ferias vocant nundinas, malè omninò; potiùs enim à foro deriuare oporteret, ſed multò verius à Græco φορὰ, cuius eſt multiplex ſignificatio. Primò quidem ſonat motionem, diciturque de curſu, & conuerſione ſyderum ἁπλῶς φορὰ πρώτη, καὶ δευτέρα: φορὰ περιφορὰ deinde ſignificat ipſam vectionem & lationem, vecturam, quare apud Pollucem de baiulis περὶ τῶν φορτηγῶν καὶ ἀχθοφόρων dicitur. Φορὰ eſt quoque ipſa vectationis merces, nempe τὸ φορεῖον, φόρτον, φόρετρον καὶ κόμιστρον. Eſt etiam concitatio, impetus naturæ, ictus ὁρμὴ, & curſus rerum φορὰ πραγμάτων. Præterea φορὰ καὶ φόρος eſt tributorum collatio, inde φορὰν φέρειν tributum penſitare, φορὰ χρήματος collatio pecuniarum. Denique φορὰ prouentus eſt, copia, & vbertas, abundantia, feracitas, vt loquitur Columella; vnde Theophraſto φορὰ ἐλαιῶν, φορὰ καρπῶν copia olearum & fructuum, & *lib.* 3. *c.* 14. diait corilum exuberare fructu cùm annus prouenium tulerit, πολύκαρπον ἐν ταῖς φοραῖς: & Ariſtot. arbores poſt vberiorē fructum areſcere, μετὰ τὴν φορὰν τὰ δένδρα ξηραίνεσθαι. Denique Theoph. *lib.* 3. *de cauſ.* πρὸς τὴν τοῦ καρποῦ φορὰν ad fructum ferendū, ad fructificationem. Ea his ſumpta vulgaris illa, & elegans tranſlatio φορὰ τῶν ῥητόρων τῶν ἀνδρῶν, quod Plinius prouentum poëtarum dixit, & Cicero vberiorem oratorum fœtum. Dicitur quoque φορὰ abundantia. Eo quod igitur ad mercatus; & nundinas ſint plurimæ motiones, geſtationes, vecturæ, & vecturarum mercedes, magno & concitato impetu ad illas ferantur homines, ſit magna rerum, & mercium omnis generis copia, & denique φορὰ in multiplici illo ſignificatu reperiatur, crediderim noſtros Gallos, qui plurimas à Græcis voces deſumpſerunt, ſuam illam vocem *foire* pro nundinis & mercatibus accepiſſe, neque aliud nobis occurrit de nundinis ſtante Republica Romana.

6 Sub Imperatoribus duo quædam obſeruata fuiſſe manifeſtò traditur *l. vnic C. de nundinis, & mercatibus*, ita enim legendum eſſe non *mercationibus*, ſapienter monent Cuiac. aliique, ipſeque tenor conſtitutionis apertè ſignificat. Primò igitur iubent Imperatores haberi tantùm nundinas in iis locis, in quibus eas habendi ius datum eſt longa conſuetudine, aut beneficio Principis, vel Senatus, vel Conſulum, vel vt eſt *in Nouell. Valentin. & Martian. de ſiliquarum exaction.* decreto ordinum honoratorum ciuium, præſente Prouinciæ moderatore. Alterum huius conſtitutionis caput continet immunitates, & priuilegia nundinarum. Cùm enim, vti nuper monebamus ex Feſto, dies nundinarum feriati olim fuiſſent, quibus non licebat agere cum populo, ne nundinatores interpellarentur, & deinde fuiſſet abrogatum lege Hortenſia, quod ipſum retulimus ea Macrobio, antiquum morem reuocat hæc *l. vnica*, definitque ne qui ad nundinas conuenientes ibidem interpellentur priuati debiti causâ vt *l.* 3. *§. vlt. D. de feriis*. Deinde cauetur ne quid ex mercibus aut vænalibus ſeruis negotiatorum, & ea quæſtu temporali locorum, in quibus exponuntur merces, exigatur intra nundinarum dies, quos fuiſſe plures indicat *l. eum qui. D. de verbor. obligat.* Hanc immunitatem ſolis veteranis dederat Conſtantinus *l.* 1. *C. de veteran.* & colligitur ex *Nouell. Valentin. & Martian. de ſiliquar. exaction.* ex qua etiam habes in nundinis ſiliquatica quædam fiſco præſtita fuiſſe.

Neque hæc omnia à noſtris moribus abſunt 7
plurimùm, quod enim ad ius nundinarum ἀγορᾶς δικαῖον, illud ſicut neque facultas indicendi nouas nundinas, concedi non poteſt niſi à ſupremo Principe, cuius ratio eſt, quia immunitates, quæ ratione nundinarum concedi ſolent ab alio ſane quàm à Principe permitti nequeunt, & cùm plurima in eiuſmodi publicis conuentibus moueri facilè queant, ſolius Principis eſſe debet eos indicere, vel negare: quare Modeſtinus *in l. nundinis* 1. *D. de nundinis*, id non obſcurè ſignificat, nundinis impetratis à Principe, non vtendo decennij tempore vſum amitti, quod ipſum de amiſſione huius iuris per decennalem non vſum ſeruari in Gallia docet Morn̄ac. in *l. vnic. C. de nundinis*; ſicut & quod *in l.* 2. *D. de nundinis* traditur de agricolis & piſcatoribus, vt confeſtim vbi detulerint mercem, tradere eam, & ad opera ſua ruſtica reuerti debeant, quod maximè ſpectatur in mercatoribus dippæis, ac in cæteris, qui annonas vndequaque humeris, equis, vehiculis, terra, flumineque important. Olim à Senatu ius nundinarum poſtulabatur. Cic. *Philipp.* 2. conqueritur domeſticis Antonij nundinis non vectigalia ſolùm, ſed etiam Imperium P. R. imminutum fuiſſe. Claudius Imp. ius nundinarum in priuata prædia à Conſulibus petiit, ea Sueton. *cap.* 12. Solers vir prætorius à Senatu petiit, vt ſibi inſtituere in agris ſuis nundinas permitteretur. Ita Plin. *lib.* 5. *ep.* 4. Hodiernis verò moribus authoritas Regia poſtulatur; quod de Hiſpania & Vngaria ea priuatis illarum gentium legibus oſtendit Chopin. *lib.* 3. *de domanio, tit.* 11. *num.* 25. De noſtra verò Gallia conſtat ea decreto Curiæ in Parlamento Pentecoſtes an. 1269. quo damnauit Baronem Caſtri Rodulphi Biturigum, qui non obtenta Regia venia nouas nundinas induxerat. Sanè inter eximij regij iuris capita, quæ Rex Carolus V. ſibi reſeruauit in tradenda Monſpeſſulana ditione Nauarro Principi, fuit regiam fore mercatus publici conceſſionem, ad eumque commeantes regio tegi præſidio, an. 1372. poſtridie nonas Maias. Nihilominus alicubi antiqua lege municipali locorum, vt in Andibus, & in Cenomania publicandarum nundinarum poteſtas tribuitur Baroni, vel Caſtellano Domino, *art.* 43. *conſuet. And.* quod decreto quoque Curiæ firmatum fuiſſe refert Lebretus *lib.* 4. *de ſuprema regia poteſtate, cap.* 15. Conſule quoque. Chopin. *lib.* 1. *de morib. Andium, cap.* 43. *art.* 7 *&* 8.

Quod verò attinet ad mercatus, qui octauo quoque die vel bis in hebdomada habentur, hi longè abſunt à nundinis liberis, & immunibus, de quibus agimus, in iiſque nō erit neceſſaria Principis indulgentia. In Gallia igitur priuilegium nundinarum à Rege impetratum, ad Ballinos, vel Seneſchallos Prouinciæ dirigitur, & audita interceſſione vicinorum omnium, quorum intereſt, ex litteris deinde admittitur, vel negatur, vt enim dum vni quidpiam conceditur, alterius iuri non officiatur, duo quædam hoc loco obſeruari ſolent. Alterum eſt ne vicina ſint huiuſmodi vænalia fora, vel nundinæ conſtituantur, niſi denis paſſuum millibus interpoſitis. Alterum ne iiſdem omninò diebus,

diebus, noxio ſingulis concurſu exerceantur, ſic enim pronuntiarunt arbitri 18. Kalend. Ianuar. an. 1560. aduerſùs Philibertum Emanuelẽ Allobrogum Ducem, de nouis nundinis Carignano Ducali oppido indictis, eodem die quo Salutiarum Carmagnolæ habebantur, Chriſtianiſſimi Regis auſpiciis, vti refert Anton. Theſaur. *deciſion. 264.* Exploſa quoque fuit codicillaris poſtulatio nundinarum intra proximum alterius territorium, neque decem ab illo milliaribus diſtans, Senatus decreto 9. Februar. an. 1600. & refert Chopinus *loco citato.*

8 Alterum caput continebat varias immunitates nundinarum, quondam ab Imperatoribus conceſſas, vti habes *in l. vn. C. de nundinis. Vt nullum in mercatibus atque nundinis, ex negotiatoribus mercium conueniant, vel in venalitiis, aut locorum temporali queſtu & cõmodo priuata exactione ſcrutentur, vel ſub prætextu priuati debiti aliquam ibidem concurrentibus moleſtiam poſſint inferre.* Non licuit igitur priuati debiti cauſa quempiam negotiatorem interpellare, neque quidquam exigere ex mercibus aut venalibus ſeruis, & ex quæſtu temporali locorum, in quibus exponebantur merces.

Hodie verò ſua quoque nundinis eſt ſecuritas, neque enim niſi ſolius publici debiti cauſâ aut criminum, rei conueniri poſſunt nundinarum tempore, neque exteri mercatores, aut repræſaliarum, & clarigationis iuri, neque vt vocant albinatus, obnoxij ſunt; quod in nobiliſſimis tota Gallia nundinis Lugdunenſibus conſtat. Romani Lugduno tanquam emporio vtebantur, inquit Strabo *lib.* 4. vbi & ara memorabilis erat cum inſcriptione ſexaginta gentium, earumque imagine, vnde diuerſarum gentium aliquoties in anno ad celeberrimum hoc emporium & nundinas celebratum fuiſſe conuentum colligimus: quare & Galliæ Celticæ nundinas, hoc ipſo loco collocatas fuiſſe viri eruditi exiſtimant, ibidemque perſeueraſſe vſque ad Burgundionum Imperium, qui eam vrbem in ſuam redegere poteſtatem; tunc enim in Campaniam tranſlatæ fuere donec pulſis Burgundionibus Lugdunum poſtliminio reuocatæ ſunt; ſed Anglico bello Galliam infeſtante Geneuam traductæ ſunt, ac demùm Imperante Ludouico XI. Lugdunum rurſus reuocatæ, vbi & numero & priuilegiis à conſequentibus deinde Regibus auctæ, confirmatæque fuerunt. Hæc omnia fuſiùs recenſet Chopin. *lib. 1. de doman. tit.* 11. *num.* 23. de Hiſpanis nundinis *n.* 24. *num.* autem 22. agit de priuilegiis Teutonicorum mercatorum ſocietatis in Gallia; & *num.* 25. de Heluetiis, & cæteris etiam mercatoribus peregrinis. Quiſquis igitur ad Lugdunenſes nundinas commeat, quamuis externus iure ciuium gaudet, ſuaſque res mobiles, nomina, & emptitios redditus ad quoſcunque hæredes etiam exteros tranſmittit ex Caroli IX. edicto. Secundò pro obligatione inita apud Lugdunenſes nundinas non eſt locus ceſſioni bonorum ex decreto Curiæ 7. Septemb. an 1548. modò tamen celebratus ſit contractus in ipſis nundinis, aut merces in eis traditæ; ſecùs verò ſi ſola fuerit deſtinatio ſolutionis in nundinis, ex S.C. an. 1605. die 14. Iunij. Tertiò præcipuum harum nundinarum ius eſt, quod habeant Regium Iuridicum Conſeruatorem, pro omnibus litibus, quæ circa mercimonia nundinarum ſuboriri poſſunt definiendis; ſed de eo Iudice fuſiùs agemus *lib.* 3. vbi & reliqua priuilegia quæ tuetur iſte Conſeruator, explicabimus; tu interim illa lege in vulgato nuper Codice omnium conſtitutionum regiarum, quibus aliquid à Regibus indultum eſt nundinis Lugdunenſibus, quorum non exiguum eſt illud, quo clarigationis & repræſaliorum iudiciis obnoxij non ſunt exteri mercatores, dum Lugdunum nundinarum cauſâ commeant, indeque remeant, merceſque eò important, aut inde exportant. De ſolemnioribus aliis quibuſdam Galliæ nundinis noſtrum non eſt ſingillatim agere, cum Lugdunenſes omnium celeberrimæ ſint duratione, & frequentia, ac priuilegiis: ſunt aliis ferè locis diurnæ aliquoties in anno, ad quas plurimæ eæque exquiſitæ merces deferuntur, quales deſcribit Caſſiod. *lib.* 8. *Ep.* 33. vbi mercatum Fani S. Germani in ſuburbio Pariſienſi depinxiſſe iurares.

Duo tamen monenda ſuperſunt; alterum eſt 9
nundinarum vocem aliquando pro epulis, quæ tempore nundinarum celebrari ſolebant, fuiſſe vſurpatam; ſic enim loquitur Vlpian. in *l.* 69. *D. pro ſocio. Cùm ſocietas ad emendum oriretur & conueniret, vt vnus reliquis nundinas, id eſt epulas præſtaret, ſi eas eis non ſoluerit, & pro ſocio & ex vendito cum eo agendum erit*: nempe debebat vnus ſociorum ex pactis conuentis præſtare reliquis epulas toto nundinali tempore. Legunt aliqui apud Vlpian. *nundinarias epulas.* Florentini tamen libri habent nundinas, id eſt, *epulas.* De ea lege, quam intellectu difficilem fatetur, plura dabit Cuiac. *lib.* 4. *obſeruat. cap.* 17.

Moneo denique, vbi conſuetudo inducta eſt, vt nundinæ & mercatus habeantur, diebus feſtis licitè haberi, quod ex Caietan. Soto, Sylu. Angel. Tabien. Nauar. *cap.* 13. *num.* 8. Medina, Arm. Anton. Tolet. & aliis confirmat. Sanch. *lib.* 5. *conſilior. cap.* 2. *dub.* 25. *num.* 5. Suar. *tract.* 2. *de religion. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 4. Fagund. *in prac. Eccl. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 6. 7. Ferdinand. à Caſtro *tract.* 12. *diſp. vn. punct.* 6. *num.* 5. & alij contra Hoſt. & Panorm. *in cap.* 1. *de feriis*, qui nullam conſuetudinem volunt in hac parte excuſare poſſe à culpa violati feſti. Verùm cùm conſuetudo legi merè poſitiuæ derogare valeat, non eſt cur hoc caſu id negemus, ſed de his alibi commodius.

CAPVT IV.

De re nummaria vniuerſali negotiationis inſtrumento.

ARTICVLVS I. *Quid & quotuplex ſit nummus.*

II. *De nummorum materia.*

III. *De nummi forma.*

IV. *De pondere nummi.*

V. *De æſtimatione & valore nummi.*

VI. *De ſingulis veterum nummis æreis.*

VII. *De ſingulis veterum nummis argenteis.*

VIII. *De ſingulis veterum nummis aureis.*

IX. *Conſectaria quædam ex hactenus diſputatis.*

X. *De Gallicis nummis.*

X I. *Colla*

XI. *Collatio veterum & recentium nummorum.*

XII. *De moneta conflatione.*

XIII. *De mutatione moneta.*

XIV. *An creditoris vel debitoris damno aut lucro cedat mutatio maneta.*

XV. *De falſatione moneta.*

EXPLICATIS hactenus negotiationum, & commerciorum cauſis, venio ad illorum vniuerſale inſtrumentum, pecuniam, cùm omnia pecuniâ væneant, aut æſtimentur, ad eamque vnam omnia tandem commercia exiguuntur, vnde Plato *lib.* 11. *de Republica*, illam vocat *σύμβολον τῆς ἀλλαγῆς.* Ariſtot. *στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς*, & *κοινὸν μέτρον ᾧ πάντα μετρεῖται*, & *τὰ συμμέτρα ποιεῖ*, vt explicabimus inferiùs; non eſt tamen animus multa quæ diligenter viri eruditi de vniuerſa re nummaria, aut ſingulari aliqua eius ſpecie, hoc ſuperiori ſæculo accuratiùs diſputarunt, fuſiùs referre, aut ſingillatim expendere, ſed quatenus noſtro inſtituto, & ad commerciorum vſum fuerit neceſſarium: quamquàm nonnulla, quæ ad iuris antiqui notitiam enucleandam pertinent, prorſus à nobis omitti non potuerunt. Repetenda porrò ſunt, quæ de ponderibus nuper diſſeruimus, ex illis enim, quæ ad rem nummariam ſpectant pleraque lucem accipient. Tota diſputatio tripartita erit, primò enim agam de nummis in vniuerſum, deinde de ſingulis illorum ſpeciebus tum peregrinis, tum noſtratibus; & denique quæſtiones aliquas circa illorum conflationem, mutationem, corruptionem & vſum explicabo.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex ſit nummus.

Triplex metallum. 1.
Metallum ſignatum eſt nummus. 2.
Cur moneta dicatur. ibid.
Nummi nomen vnde. 3.
Cur pecunia dicta 4.
Qua in nummo conſideranda ſint. 5.

1 ISidorus *lib.* 5. *origin. c.* 7. *Tria*, inquit, *ſunt genera argenti; ſignatum factum, & infectum. Signatum eſt quod in nummis eſt. Factum eſt quod in vaſis & ſignis. Infectum eſt quod in maſſis eſt, & quod graue dicitur.* Ex quibus verbis emendabis corruptum Seruij *in X. Æneid. verſ.* 627. locum, quem ſine dubio reſpicit Iſidor. Tria quidem illa genera diſtinguit Seruius; deſcribit autem *ſignatum, quod in vaſis & ſignis eſt celati argenti; infectum in maſſis*; atqui falſum eſt æs & argentum ſignatum in vaſis & ſignis contineri, id enim factum dicitur, vt conſtat ex omnibus antiquis ſcriptoribus, atque ex Vlpian. *in l. cum aurum* 19. *D. de auro & argenta legat.* vbi negat auro & argento legato, ſiue factum, ſiue infectum ſit, pecuniam ſignatam contineri. Hinc quoque explicabis illud Manilij *lib.* 5. vbi de natis ſub Caſſiopea ſic ait.

Et facti mercator erit per vtrumque metalli,
Alterum, & alterius ſemper mutabit in vſus.

Scaliger *factum per vtrumque metallum*, de electro expunit, quod eſt argentum auro mixtum, & vt ait Siluius, *gemino pallet de ſemine*, quam expoſitionem reiicit meritò Salmaſius *ad Solin.* Firmicus autem exprimi vult à Manilio, *monetarium*, ipſe verò Salmaſius intelligit *κολλυβιστὴν* ſiue *νομισματοπώλην*, & *ἀργυροπράτην*, qui aurum argento mutat & argentum auro, & vtrumque ærea moneta, legendum autem eſſe contendit *facti per vtrimque metalli*, ita vt *factum per vtrumque metallum* appellet Manilius argentum, vel æs quod vtrimque ſignatum eſt. Dicitur autem *perutrimque* vt *perinde*, *peraquè*, & Ciceroni *perueſperi*, atque aliis *pertempori.* Quod ſi vulgaris lectio *per vtrumque* retineatur, ſignificabit metallum ex vtroque latere factum, & ſignatum. Nummum porrò appellat ſignatum metallum, quod eſt etiam *ἐπίσημον*, & opponitur non ſignato, & infecto *ἀσήμῳ*, vnde *ἐπίσημος στατὴρ*, & *ἐπίσημον νομίσματος* apud Plutarch. *in Theſeo.* Verum nunquam demonſtrabit Salmaſius veteres aliquando nummum appellaſſe *metallum factum*: aut ſignatum, & factum pro eodem vſurpaſſe, quod ſine dubio vidit ipſe Salmaſius *lib. de vſur. cap.* 17. vbi vitioſam eſſe ideò litteram vulgare Manilij monet, legendumque *flati per vtrumque metalli*, cùm aliud ſit nummus de quo agere putat Manil. aliud factum aurum, aut argentum. Sanè flate metallum pro conficere, aut cudere nummum dixere veteres, fueruntque Triumuiri flando auro, & argento, vt iterum monebimus inferiùs. Inſolens tamen omninò erit Manilij phraſis ſi flatum metallum per aurum, aut per argentum vſurpet pro nummis aureis, & argenteis, quos iſte collybiſta inter ſe permutat: quare placet Gronouius *lib.* 1. *de pecunia vetere cap.* 7. qui legit, *Et facti mercator erit per vtrumque metallum*: nempe operis ex vtroque metallo; aurifex nimirum deſcribitur, qui & opus, & negotiationem habet in vaſis aureis, argenteiſque, & vel argentum factum aureis, vel aurum factum argenteis nummis vendit, vel vaſa vnius generis cum altero permutat. Sic explicandum quoque *argentum factum ad veſcendum*, apud Liuium *lib.* 22. quod dictum viros eruditos exercuit, qui legebant mendosè *ad veſtiendum*, quod intelligi vix poterat, niſi de nummis ad veſtiendum, ſiue ad comparandas veſtes caperetur, quod neque verba Liuij ferebant, neque argentum factum pro nummis cognitum veteribus fuit. Sic igitur ex manuſcriptis emendabis. *Præter equos, viroſque, & ſi quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat, nam ad veſcendum facto perexiguo vtique militantes vtebantur, omnis præda diripienda data eſt*: hoc eſt militantes perexiguo argento eſcario vtebantur, ſiue perexigua erant inſtrumenta menſæ ex argento militibus: quare argentum *factum ad veſcendum* eſt argentum eſcarium, ſiue ſupellex menſæ argentea, non verò nummi argentei facti ad veſcendum, vel veſtiendum, cibos vel veſtes comparandas.

Signati porrò metalli genus, ſiue æs, aurum, & argentum ſignatum, veteres dixere monetam, nummum, & pecuniam. Monetam quidem, quòd nos ſigni ſibi impreſſi ſignificatione moneat. Simili ratione à monendo Iunonem eſſe nominatam monetam à Romanis affirmat Cicero *lib.* 1. *de diuinatione. Scriptum eſt à multis*, inquit, *cùm terræ motus eſſet, vt ſue plena procuratio fieret, vocem ab æde Iunonis ex arce extitiſſe, quocirca Iunonem illam appellatam monetam.* Eadem habet *lib.* 2. Suidas, *μόνητα*, idem nomen Iunoni tributum tradit, quòd in bello aduersùs Pyrrhum, & Tarentinos, de pecunia 2

laborantes

laborantes Romanos ope, conſilioque iuuiſſet, ideoque in eius etiam templo nummum cudi voluerunt. Sumitur quoque moneta pro ipſa forma & typo eo quo cuditur moneta, quod ipſum monuit Harmenop. *lib.5.tit.13.* vbi ait vocari archetipam formam, marculumve, quibus vtrinque numiſma ſignatur καλεῖται τὸ ἀρχέτυπον σφραγιστήριον ὁ βουλλωτήριον μεθ' οὗ ὁ τῶν τύπος διαχαράττεται. Vnde illuſtri metaphorâ Macrob. *lib.1. in ſomnium Scipion. cap.5.* de ſeptenario numero diſputans, ipſam voluam, quæ ſemen excipit formando homini monetam nominat. *Verùm ſemine ſemel intra formandi hominis monetam locato, hoc primum artifex natura molitur, vt die ſeptimo folliculum geminum circumdet humori ex membrana tam tenui, qualis in oue ab exteriori teſta clauditur, & intra ſe claudit liquorem.* Abhac igitur forma, & typo eo quo cuditur nummus, illius nomine & ipſe donatur, diciturque moneta frequentiſſimè, & aliquando aurum monetale. Apuleius *in Aſin. Plotina pretioſiſſimis monilium, & auro monetali zonis incincta.* Salmaſius, *auro cincta*, aut *incincta*, apud Solinum explicat *aurata*. Sic auro iugata cornua, apud Spartianum περικεχρυσωμένα. Vult igitur Apuleius Plotinam cinctam fuiſſe zonis, vel aureis, vel auratis auro monetali, hoc eſt, probo, ex quo moneta conflatur.

3 Nummum præterea vel numum dixere veteres metallum ſignatum. Nummi nomen videri quidem Romanum, ſed reipſa Græcum eſſe Dorienſium in Italia, & Sicilia habitantium tradit Pollux *lib.9. cap.6.* quod probat ex Epicharme, qui νοῦμμος vſurpat, & Ariſtot. qui tradit à Tarentinis numiſma vocari nummum καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς νοῦμμον. Conſentitque Varro *lib.4. de ling.lat.* vocem nummi Siculam eſſe, aliaſque monuimus Romanos à Siculis nomina ponderum accepiſſe, vt vocem λίτραν, quam primo lipram, deinde libram dixere. Male igitur Suidas *in voce ἀσσάρια* refert ex Suetonio nummum dictum à Numa ſecundo Romanorum Rege, cùm Græci duxerint à νόμος, inde enim νόμισμα & νοῦμος, ſicut ab ἀναβολή Doricè ἀμβολὰ fecerunt ἀζελλὰ: à νόμῳ autem nummum deriuarunt, ſicut & νόμισμα, quia hominum conuentione, atque à lege, & non à natura eſt, vti obſeruat Ariſtot. *lib quinto Ethic. cap.5.* τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην, καὶ διὰ τοῦτο ὄνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. Suidas quoque ait νόμισμα duo ſignificare. Primò quidem τὸ νόμιμον ἔθος legitimam conſuetudinem: deinde pecuniam ære cuſam τὸ κόμμα τὸ τετυπωμένο χαλκοῦ. Contendit tamen fuſiùs Salmaſ. *cap.15. de vſuris* νόμον ibi non legem, ſed conſuetudinem ſignificare, atque adeò non à lege, vti volebat Ariſtot. ſed à conſuetudine, ipſoque vſu, & hominum conſenſu nummum æſtimationem habere, cùm Principis, & legis non ſit illi dare æſtimationem; qua de re inferiùs. Quidquid verò ſtatuatur de hac voce nummi, Latina, an Græca ſit per Siculos accepta, nulla tamen frequentiùs Romani in re pecuniaria ſunt vſi, ſiue de monetis æreis, ſiue de argenteis, & aureis agerent; omnes ſiquidem communi nummi nomine expreſſerunt: de aureis quidem Horat.

Recendere nummos & aurum.

Et Plaut. *in Truculento.*

De mina vna diminui mihi, modò quinque nummos

Mihi detraxi partem herculanam.

Partem herculanam decimam eſſe conſtat. Eſt igitur nummus Plauto pars quinquageſima minæ, hoc eſt duarum drachmarum, quorum ducentorum fuit aureum numiſma, inquit Villapandus *in apparatu part.2. lib.2. cap.15.*

Argentei nummi meminit ſæpius idem Plaut. nam *in Pſeud.* ait: *Nimis ſum miſer, nummum nuſquam reperire argenteum queo:* & *in Aulular.*

Nam noſter noſtræ qui magiſter eſt curiæ

Diuidere argenti dixit nummos in viros.

Quomodò nummi vocabulum propriè, & reſtrictè ad pecuniam argenteam pertinere, cùm aſſis vox generalis exiſtat, & de quouis ſolido, pondere, & pecunia numerata ſoleat vſurpari, colligere ſibi videtur ex Voluſio Metiano Hotman. *lib. de re nummaria cap.6.* Neque id abeſt à mente Varronis *lib.4. de ling. lat.* vbi enim de nummis æreis diſſerit, addit *in argento nummi id à Siculis*, quaſi Siculi, nomen nummi de ſolo argento vſurparint. Nummum denique de æreis dici conſtabit ſtatim, & obuium planè eſt, quare nemo dubitare poteſt nummum omnibus monetis vocem communem eſſe. Hor. *lib.1. ſatyr.1. verſ.70.* de ſordido diuite.

—— Congeſtis vndique ſaccis.

Indormis, inhians, & tanquam parcere ſacris

Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis:

Neſcis quò valeat nummus? quem præbeat vſum?

Et paulò ſuperius de alio Philargiro æquè ſordido

Populus me ſibilat, at mihi plaudo

Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Et *lib.2. ſat.3. verſ.14.*

Pauper Opimius argenti poſiti intus, & auri

Qui Veientanum feſtis potare diebus

Campana ſolitus Trulla, Vappamque profeſtis.

Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus: vt heres

Iam circum loculos, & claues, lætus, ouanſque

Curreret: hunc medicus multùm celer atque fidelis

Excitat, hoc pacto menſam poni iubet, atque

Effundi ſaccos nummorum, accedere plures

Ad numerandum homines; ſic erigit, addit & illud

Ni tua cuſtodis, auidus iam hæc auferet heres.

Quibus omnibus locis vides nummos pro quolibet genere pecuniæ accipi ab Horatio, & ſaccos illos fuiſſe nummarios, ſiue marſupia; ſic enim ſacculum exponit Suidas σακέλλιον βαλάντιον, μαρσύπιον, ὃ καὶ σακελλάριος. Aliquando tamen nummi vox pro peculiari quadam, & certa monetæ ſpecie vſurpatur: narrat enim Ariſtot. vti nuper ex Polluce notabamus, apud Tarentinos fuiſſe quoddam νόμισμα quod νοῦμμον appellarent, in quo Tarentis Neptuni filij imago expreſſa erat, equo inſidentis. Vidimus etiam à Siculis nummum pro pecunia tantùm argentea vſurpatum fuiſſe. Obuium præterea eſt nummum pro ſeſtertio in communi loquendi vſu fuiſſe. Cic. *in Verrem act.5.4. Cogit enim Scandilium quinque illa millia nummûm dare, ac numerare Apronio:* & mox: *Cogit Scandilium Apronio ob ſingularem improbitatem, atque audaciam, prædicationemque nefariæ ſocietatis, ſeſtertiûm quinque millia, mercedis nomine ac præmij dare.* Idem *orat. pro Rabirio. Tua Poſthume nummo ſeſtertio à me addicuntur.* De quo loco conſule Turnebum *cap.3 lib.28. aduerſariorum.* Vitruu. *lib.1. cap.4. Ab Senatu populoque Romano petiit vt liceret transferre oppidum, conſtituitque mœnia, & areas diuiſit nummoque ſeſtertio ſingulis municipibus mancipio dedit:*

hoc

hoc eſt interprete Philandro, ſingulas areas ſingulis ſeſtertiis Ciuibus vendidit; quomodo verò nummus cum ſeſtertio in communi loquendi vſu accipiatur, dicam inferius.

An verò numus vel nummus ſcribendum ſit vtrumque modum probat Hotman. *cap. citat.* nam ſi deriuatur à νόμου numus, ſicut & numiſma, ſi verò ſit nomen peregrinum & Siculum νοῦμμος, vti referebamus ex Polluce, nummus appellandus erit, nummi autem ſeu numiſmatis prima ſillaba corripitur; quare Horatius.

Retulit acceptos regale numiſma Philippos.

4 Præterea metallum ſignatum, æs nempe, aurum & argentum, pecuniam nominauere, vbi enim primùm Seruius Rex ſignauit æs, vti tradit Timæus apud Plin. *lib. 33. cap. 3.* pecunia dicta eſt à pecudis tergo, inquit Caſſiodor. *lib. 7. variar. Ep. 32.* quia vt ait Varro *lib. 20. de re ruſtica cap. 2.* æs antiquiſſimũ, quod eſt flatum, pecore eſt notatum. Plutarch. *in Publicola.* ait Romanos antiquitus nummis bouem, ſuem, ouem inſcripſiſſe τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπικεχάραχθαι, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν, atque adeo à pecude ſuas facultates, & ſubſtantias peculia etiam nunc vocare, καὶ τὰς ἰδίας ἀπὸ τῶν προβάτων πεκύλια καλοῦσι. Neque in re obuia diutius hærendum eſt, quamquàm & alias quoque imagines, quam pecudis ære ſignatas fuiſſe conſtat, monebimuſque inferiùs. Quia tamen præcipuæ veterum illorum facultates in pecore conſiſtebant, vnde & peculia nominabant ex Plutarch. & pecuniæ nomine ſubſtantiam omnem, ſiue omnia quæ in alicuius patrimonio erant, deſignare ſoliti erant; hoc eſt omnes res tam ſoli, quam mobiles, & tam corpora, quàm iura, quod aliàs oſtendimus *opere de vſuris lib. 1. c. 4. initio,* ex Hermogeniano *l. 222. D. de verbor. ſignificat.* ideóque pecuniæ creditæ vocabantur res omnes creditæ, vti ex Cic. & Liuio ibidem colligebimus; idcircò vt facultates quæ in nummis, & in ære conſiſtebant ab aliis diſtinguerent, & ne pecuniæ vox quæ omnes omninò res ſignificabat, ambiguitatem pareret, aut deceptionem aliquam, dum de nummis, aut moneta loquebantur dicebant pecuniam numeratam, quaſi nummatam, aut nummariam, quo nomine omnia alia præter nummos excludebant. *L. 1. D. de condict. triticaria,* Vlpianus ait pecuniam numeratam *peti actione ſi certum petatur*, omnem autẽ aliam rem condictione triticaria, ſiue eæ res in quantitate conſiſterent, pondere ſcilicet & menſura, ſiue mobiles ſint, ſiue ſoli. Eundem loquendi modum obſeruabis *in l. 95. D. de legatis 3.* & *in l. tantum quiſque 18. l. pecunia 178. l. pecunia 222. D. de verbor. ſignificat.* quare ne auri quidem, aut argenti appellatione continetur propriè aurum vel argentum ſignatum, *l. cùm autem 15. l. Quintus 27. §. 1. D. de auro & argento legat.* Pecunia igitur, & pecunia numerata differunt, vt genus & ſpecies. Cic. *in Agrar. Nunc præſens certa numerata pecunia quæritur.* & Martian. *Pecunia numerata olim in ære erat, poſtea fieri in argento cœpit.* Vbi idem de aſſe ait referri ad pecuniam numeratam, quæ olim in ære. Perpetuò itaque pecuniam numeratam, aut ſignatam dicebant veteres. Cic. *lib. 1. fam. Ep. 32. Balbus quæſtor magna numerata pecunia, magno auri pondere, maiore argenti coacto de publicis exactionibus, &c. duxit ſe a Gadibus, & traiecit ſeſe in Regnum Boguéis, planè benè peculiatus.* Eadem ratione dicebatur aurum, & argentum ſignatum, & numeratum, quod facto & infecto opponebatur.

Plaut. *Probum & numeratum argentum vt accipias face.* Liui. *lib. 36.* de M. Fuluio nobiliori, qui biennio ante Prætor in vlteriorem Hiſpaniam erat profectus, & ouans in vrbem ingreſſus eſt. *Argenti bigati præ ſe tulit CXXX. millia, & extra numeratum XII. millia pondo argenti, auri pondo CXXVII. millia.* Et *lib. 33.* de Minutio Coſſ. de Liguribus, Boiiſque Gallis in monte Albano triumphante. *Pecunia etiam propè par ſumma fuit. Æris tranſlata ducenta & quinquaginta quatuor millia, argenti bigati quinquaginta tria millia, & ducenti. lib. 43.* de Marcello qui L. Bantium iuuenem Nolanum à defectione promiſſis reuocauit: *Lætoque iuueni promiſſis equum eximium dono dat, bigatoſque quingentos quæſtorem numerare iubet.* Erant verò bigati nummi, argentei à figura cœlaturæ ſic dicti, ſicut & quadrigati inquit Feſtus, & Plin. *lib. 33. cap. 3.* vt inferiùs iterum monebimus. Ex his autem vides apud Liu. nomine argenti non intelligi pecuniam, niſi aliquid aliud addatur, quo ſignificetur, ſe de argento ſignato loqui, hinc *lib. 34. Signati argenti octoginta quatuor millia fuere*: & *lib. 37. Argenti infecti tria millia pondo, ſignati tetradrachmûm Atticorum CXIII. millia.* Quintilian. *lib. 5. cap. 11. Non ſi quis argentum omne legauit, videri poteſt ſignatam quoque pecuniam reliquiſſe*: & cap. 14. *Si pecunia, quæ eſt in argento ſignato, argentum eſt, qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ eſt in argento ſignato legauit.* Eodem pertinet quod vulgò dicitur emptionem & venditionem non conſiſtere ſine pretio, & pretium non niſi in pecunia numerata conſiſtere §. *item pretium, inſt. de emp. & vend.* in quibus verbis non vult Imperator venditionem non conſiſtere ſine ipſamet numeratione pecuniæ, & pretij, ſatis enim fuerit de pretio conueniſſe *leg. 2. D. de contrah. empt. & l. emptio 19. Cod. eod.* Vult itaque Imperator venditionem ſine nummis eſſe non poſſe, quod ipſum dixerat Paul. *leg. 1. D. de contrah. emption.* Pecunia igitur numerata pro nummo accipitur, ſiue acceſſerit illius numeratio, ſiue non, neque à numerando dicitur numerata, ſed à nummo, quaſi nummatia, vti initio monebam, contenditque Hotman. *cap. 6. cit.* quod inde etiam probat, quòd pecuniam numeratam dicerent veteres, antequam numerari cœpta eſſet, & adhuc appendi ſoleret. Non negat tamen numeratam dici pecuniam de ea cuius ad certum numerum ratio deducta eſt, nam & vulgata eſt apud Iuriſconſultos exceptio non numeratæ pecuniæ, eſtque iam popularis illa numeratæ pecuniæ vſurpatio, quam & nos ſequemur, rationemque numerandæ pecuniæ ſiue æreæ, ſiue aureæ, vel argenteæ tradcmus inferius, vbi quædam omni pecuniæ numeratæ & nummo communia fuerimus paucis exequuti.

In omni nummo quatuor conſideranda ſunt; 5
materia, forma, pondus, & æſtimatio ſiue valor, ex his enim veluti partibus conſtat; vnde nummum definit Hotman. *cap. 1.* laminam metalli ad certum pondus examinatam, & publica lege certo pretio taxatam, certaque nota inſignitam, & Paul. *in l. 1. D. de contrah. emption.* ait electam eſſe materiã, & forma publica percuſſam, quæ vſum non tam ex ſubſtantia præbet quàm ex quantitate, hoc eſt valore, qua de re aliquid diximus *lib. 1. de vſuris & commerc. cap. 3. art. 4. n. 26.* quidnam verò iſtorum quatuor ſit eſſentia nummi in ratione nummi, ſiue nummus, ſubinde indicabimus.

ARTICVLVS II.

De origine & materia nummi.

Origo nummi ex neceſſitate commerciorum. 1.
Quomodo inductus nummus. 2.
Triplex nummi materia. 3.
Nummi arei. ibid.
Nummi argentei. 4.
Nummi aurei. 5.
Nummi ferrei. 6.
Nummi ſtannei. 7.
Electrini nummi. 8.
Spartei aliique. 9.
Diuiſio materiæ nummariæ. 10.

1 NVmmi originem omnes cum Ariſtot. *lib.* 5. *Ethic. cap.* 8. *& lib.* 1. *Politicor. cap.* 9. repetunt ex neceſſitate commerciorum, & in iis ſola rerum reciproca permutatione celebrandis difficultate: commerciorum ſiquidem neceſſitatem, & mutuam rerum communicationem induxit illa ipſa indigentia, quæ homines in ſocietatem coëgit: ſublata etenim communicatione rerum, officiorumque mutua præſtatione, ſocietas & communicatio ciuium tollatur neceſſe eſt, has autem communiones, & veluti vnitates κοινωνίας ϗ τὰς ἑνώσεις facit ipſa indigentia ἡ χρεία ποιεῖ, & ipſas Reſpoblicas tanquam vnum aliquid συνέχει τὰς πολιτείας καθάπερ ἕν τι ὄν conſtituit: nam ſi altero nõ indigeant inuicem μὴ χρείαν ἔχωσιν ἀλλήλων non commutant, non communicant οὐκ ἀλλάττονται οὐδὲ κοινωνοῦσιν ἀλλήλοις, ſiue quia neuter indiget altero, ſiue quia vnus quidem opus habet altero, qui ipſo non indiget, ſiue quia vnus non habet id, quo alter egeret, qui viciſſim nihil habet, quod reponat ei a quo ſibi neceſſaria accipiet. Reciproca igitur indigentia commercia, & communicationes induxit, & abſque huiuſmodi indigentia & inſufficientia nulla eſt communicatio: nam earum tantùm rerum communicationem quiſque optat, quibus habet opus, quibuſque caret, & quæ ſunt diſſimilia iis quæ habet: non habet autem opus ſeipſo aut rebus ſuis, vel iis quæ ipſemet efficere poteſt, ſed eorum, quæ non habet, neque ipſemet efficere poteſt, particeps eſſe cupit. Hanc porrò communicationem reciprocam ad ſubleuandam mutuam indigentiam, & inſufficientiam, reciprocis initio commutationibus celebrarunt, ſed maximis vt dixi difficultatibus eiuſmodi commutatio implicatiſſima erat. In primis quia vt monui, vel alter nõ habet quo tu indiges, vel tu nihil reponere potes, quod ipſi vſui ſit. Agricola ſæpius indiget opere fabri, & faber non indiget opere agricolæ. Sutor eget medico, qui tunc non indiget ſutore. Deinde quia quæ inuicem permutantur aliquam habere inter ſe proportionem & ſymmetriam debent, quæ enim ſunt ἀσύμμετρα permutari ἀλλαγῆναι inuicem nequeunt, alioquin non ſeruabitur æqualitas, neque iuſtum commutatiuum, quod eſt contra paſſum τὸ ἀντιπεπονθός, hoc autem difficile reperitur, cùm res aut opus vnius inæqualis ſit pretij cum re, & opere alterius, cum quo facienda eſt commutatio: non enim calceos pro ædificio ſutor dabit, ſed tantùm neceſſe eſt à ſutore impendi quantum eſt illud, quo priuatur qui ipſi ædificium confert: alioquin commutatio inæqualis eſt ἄνισα ἐστὶ τὰ ἀλλάγματα, & quæ donantur minimè paria, καὶ αἱ χάριτες ἀνώμαλαι. Seruanda igitur eſt æqualitas ſecundùm analogiam & proportionem, quæ cùm inter quaſcumque res reperiri non poſſit, inter ipſas quoque non poterit fieri iuſta & æqualis permutatio. Ideóque excogitari oportuit certam aliquam, & conſtantem menſuram, quæ cuiuſque rei pretium æſtimare, & metiri poſſet, & cum illa etiam permutari, quæ menſura & cuiuſque rei pretium eſt nummus τὸ νόμισμα μέτρον τῆς τῶν πραγμάτων ἀξίας: cum hac menſura ſingula rerum pretia veſtigamus, & eius ope ſeruatur æqualitas, & proportio in commerciis. Diſcimus enim quot calceos valeat ædificium, quantum cibi, aut alterius rei ſit pretium. Agricola fabri opere indiget, non verò faber agricola, vt tamen fabri opus ſibi comparet agricola, dat fabro ſui operis pretium, nempe nummum, qui eſt veluti ſponſor nobis, τὸ νόμισμα οἷον ἐγγυητής ἐστιν ἡμῖν, ad futuram nempe permutationem, ſi quando egerimus non recuſatum iri, cùm illum dabimus pro re alia, qua tunc indigemus. Deinde omnia tanquam menſura exæquat & commenſurabilia facit ὥσπερ μέτρον σύμμετρα ποιῆσαν: quod quomodo fiat fuſiùs ibidem exponit Ariſtotel. & nos *art.* 5. Sapienter itaque Andronic. in ſua paraphraſi τὸ νόμισμα δυνάμει ἐστὶ πάντα χρῆσθαι ὧν δεῖται ἕκαστος ἑκάστου, eſt ipſa potentiâ nummus omne illud, quo alterius indigere poteſt alter, manetque ſemper illius indigẽtia licèt non eodem modo, vt apparet in annonæ tum vilitate, tum caritate. Cùm itaque indigentiam dixerimus eſſe omnium commutationum originem, quæ tamen difficulter fiunt propter inæqualitatem ipſarum & ἀσυμμετρίαν, quam non aliquando reperire licet, & nũmi perpetua ſit indigẽtia, ipſeque omnia æquet, & commenſuret, quantumcumque incõmenſurabilia videantur, ſtatim apparet non modò nummi beneficio mutationẽ ex æqualitate ἀπὸ τῆς ἰσότητος ἀλλαγὴν fieri, quia ipsâ omnia metiri & æſtimare μετρεῖσθαι καὶ τιμᾶσθαι ſolemus, ſed etiã ſine nũmo fieri ſæpius non poſſe. Sapienter igitur Ariſtot. 1. *polit. c.* 9. τὸ νόμισμα στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς ἐστὶ, elementũ & terminus cõmutationis eſt nũmus.

Hac igitur inducti neceſſitate homines primò 2
maſſam aliquã rudem æris, vel ferri, alteriuſve metalli ſibi ſumpſerunt, quæ vice nummi foret, quam initio mole & pondere examinabant, idque vult Ariſtot. *cap. illo* 8. *lib.* 1. *politicor.* de primo numiſmate loquẽs τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ. Primùm quidem ſimpliciter magnitudine, & pondere definitum eſt: nam certæ molis, & magnitudinis erat, certique ponderis, obſeruatque Salm. *c.* 11. *de vſur.* βοῦν, qui Græcis pro numiſmate fuit, aut, vt alij volunt σταθμὸν pondus, ita nominatum fuiſſe, non quod eſſet pretium & æſtimatio bouis, ſed à magnitudine: eo quod Grçcis dicitur βοῦς quidquid magnum eſt, vt in compoſitione nominum βούσκον βούπαις deſignat & per ſe pondus ac magnitudinem Heſich. βοῦς βάρος. Non mirum itaque ſi pro põdere certo metalli hæc accepta fuerit dictio, quæ vice nũmi foret. Hæc porrò metalli portio variæ magnitudinis, & formæ fuit; quare ὀβολοὺς certi generis nummos appellatos fuiſſe obſeruant Grammatici, quòd olim verubus ferreis, pro nummo vterentur. Iones enim id nummi genus ὀβελοὺς dicunt, non ὀβολούς, vnde & ὀβελίσκος apud

Atticos

Atticos τὸ ἕκτον τοῦ νομίσματος, quia obolus eſt ſexta pars drachmæ. Drachmam quoque dictam volunt quantum ex his verubus & obeliſcis teneri manu poſſet: δραχμὴν deriuant ἀπὸ τοῦ δράττειν, idque ſignificat Pollux *lib.9. cap.6.* vbi de oboli nomine agit ex emendatione Salmaſij, qui locum corruptum eſſe contendit, eoque etiam trahit quod ibidem tradit Pollux ex Ariſtotele, quem allegat, in Sicioniorum Republica paruos quoſdam nummos cuſos fuiſſe quos ὀφέλους nominabant, eo quod augere ὀφέλλειν ſignificet, & in ὀβολοῦ vocabulo β. in φ. mutare propter affinitatem litterarum facile ſit. Cùm igitur nummi loco virgis quibuſdam ferreis vterentur, rectè illas ab incremento & extenſione ὀφέλους dixerunt, cùm ὀφέλλειν ſit augere ὄφελος augmentum, lucrum, & ab ὀφέλλω increſco, augeo, ductum ὀφείλω debeo, vnde fœnus quod vſuris multiplicatur, ac debetur ὀφειλόμενον τὸ αὐξανόμενον ὑπὸ τόκου δάνειον. Hi porrò obeliſci vel verua aſpera & impolita erant, neque abſimilia taliis ferreis, quibus ad certum pondus examinatis Britanni vtebantur pro nummo, teſte Cæſare *lib.5. de bello Gallico*, vt iterum monebimus inferiùs. Quia verò non erant æqualis ſemper ponderis, licet æqualis magnitudinis, idcircò appendebantur, vti nos quoque nummos eiuſdem characteris, formæ, & magnitudinis appendimus, neque æqualis perpetuò ponderis eſſe comperimus: quare verè dixit Ariſtotel. initio nummum definitum eſſe tum magnitudine, tum pondere. Quia tamen perincommodum erat perpetuò illa metalli fruſta examinare ad ſtateram, & pondus, vt appendendi moleſtia liberarentur, publica authoritate impreſſum eſt ſignum, quod quãtitatem, & pondus certò deſignaret: vbi Ariſtot. μέτρησιν vſurpauit ἀντὶ τῆς σταθμήσεως; illud enim omne quo quantitas examinatur, ſiue in ponderibus, ſiue in menſuris μέτρον appellatur Ariſtotel. *lib.10. metaphyſ. cap.1.* μέτρον ἐστὶν ᾧ τὸ ποσὸν γιγνώσκεται, quod deinde in longitudine, latitudine, profunditate, celeritate, pondere, leuitate, & aliis explicat, quæ etiam ad pondus pertinent: quare cùm de nummis vſurpat μέτρησιν loco nuper allato, de ponderatione, non de menſuratione rigidius accepta loquitur, neque enim metiuntur nummos, niſi quis tam multos habeat vt illos modio metiri poſſit, vti iactabatur veteri prouerbio de bene nummatis, & eximiè liberalibus ἀργύριον μεδίμνῳ ἀπομετρεῖν. Lucian. *in dial.* τὸ μὲν γὰρ ἀργύριον μηδὲ ἀριθμῷ ἄγειν ἀλλὰ μεδίμνῳ. Horat. *lib.1. Satyra 1. verſ.95.*

Vmidius quidam, non longa eſt fabula, diues
Vt metiretur nummos, ita ſordidus vt ſe
Non vnquam ſeruo melius veſtiret.

Aceruí igitur nummorum de quibus idem Horatius *lib.3. Satyr.5.*

Diuitias æriſque ruam, dic augur aceruos.

Menſurabantur modiis, non ſinguli nummi, qui ponderabantur, neque aliud voluit Ariſtotel. donec ponderis certum ſignum, & character illis impreſſus eſt. Denique inſculptæ aliæ figuræ, vti explicabimus inferiùs.

3 Triplicem porrò fuiſſe nummorum materiam, æs nimirum, argentum, & aurum tum apud Romanos, tum apud Græcos, aliaſque gentes, quibus nummus fuit in vſu, conſtans eſt omnium aſſertio, neque ad illam confirmandam plura ſcriptorum veterum teſtimonia fuerit opus adducere. Sanè apud Romanos, Triumuiros monetales æris, argenti, auri flatores dictos ait Caius *l.2. D. de origin. iuris.§.30.* qui etiã appellati ſunt *Treuiri, æri, argento, auro, flando, feriundo*, vnde has notas apud Valerium probũ interpretaberis IIIV.A.A.A. FF. Cic. *lib.3. de legibus; Minores magiſtratus æs, argentum, aurum publicè ſignãto.* Et *l.1. D. ad l. Iul. de peculatu*, aurum, argentũ, æs publicũ, manifeſtè pro pecunia publica vſurpatur, nõ perpetuò tamen fuit in vſu Romanis triplex illa nummorũ materia. Prima enim ætate ære duntaxat vſi ſunt, inde dictus illis æs, ſiue aſſis, quaſi æs: Varro *lib.4. de lingua latina*, erat autẽ libræ pondo, inde aſſipondium libræ pondus, quod monet quoque Dionyſius *lib.9.* ἦν δὲ ἀσσάριον χάλκεον νόμισμα βαρὺς λιτραῖον. Inde dictũ ærarium, & aſſiduus ab ære dando locuples dicebatur apud Cicer. *in Topic.* Itaque vſurpari in XII. Tabulis obſeruat Agell. *lib.16. c.10.* inde denique, impendia, expenſas, ſtipendia, aliaque huiuſmodi obſeruauimus ex Plin. *lib.33. c.3.* nam etiã vbi argentei vſurpari cœpti ſunt, & aurei, nummos omnes dixerunt æs, hinc æs ſuum, æs alienum, eſſe in ære alieno, obærati, æs militare, tribuni, & quæſtores ærarij, ærariæ annonæ, æruſcare, adærare, auarus & prodigus æris. Terent *in Phormion. Ancillam ære emptam ſuo.* Plaut. *in Aulular. Ad poſtremum redit miles, æs petit.* Horat. *lib.2. ſat.2.*

Et fruſtra mortis cupidus cùm deerit egenti.
Æs laquei pretium.

Cato *de re ruſtica. Fundum tribus æribus emptum poſſideat.* Eaque fuit Iuriſc. loquutio: nam *leg.2. D. ad l. Aquil. Qui ſeruum ſeruamve alienum alienamve quadrupedem, vel pecudem iniuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantùm æs dare domino damnas eſto.* Et *lib.3. D. de alim. & cibariis legat. Quæ minimi æris ſunt.* Et *lege 3. §.1. D. de pignorat. action. Si res ampla eſt, & ad modicum æris fuerit pignorata.* Mitto alia veterum ſcriptorum loca, quæ facile fuiſſet adducere, ſed inani labori ſuperſedendum exiſtimaui. Vide vnum Iſidor *lib.6. origin.* qui paucis illa omnia complectitur, andique illud Sen. *lib.5. de beneficiis, cap.14. Æs alienum habere dicitur & qui aureos habet.* Vide Briſſon. *lib.1. de numm. ſignat. verb. æris.* Ioann. fornet. *ad legem 159. D. de verbor. ſignificat.* & Hotman. *lib. de re nummaria cap.8.* Antiquiſſimam demum fuiſſe æream pecuniam ita fuit omnibus perſuaſum, vt idcircò fingerent Deum Æſculanum, qui pater eſſet Argentini Dei. Eundem quoque Græcis morem fuiſſe indicat Poll. *lib.9. cap.6. ſub fin.* qui χαλκὸν ait dictum ab Atticis χαλκίον ſicut ἀπὸ τοῦ ἀργύρου ἀργύριον. Addit deinde idiotarum eſſe æs pro pecunia dicere τὸ χαλκὸν ἀργύριον λέγειν: v.g. æs non habet, æs debet οὐκ ἔχει χαλκὸν, καὶ ὀφείλων χαλκόν. Addit tamen apud Epicharmum repetiri χρυσὸν καὶ χαλκὸς ὀφείλων. Simile quid colligit ex Ariſtophane, quamuis & alibi aliud ſignificare videatur. Sanè apud Græcos quoque initio, Heroum temporibus æream fuiſſe monetam ex Homero aliiſque colliges, atque ex toto illo *capite 6. Pollux.* Initio verò ære rudi & graui vſi ſunt; nam ante Seruium Regem æs ſignatum non fuit, vti iam ex Plin. monuimus. Itaque ante ipſum æs rude & informe erat, opponi enim æs rude pecuniæ ſignatæ vel ex eo conijcias quod Agell. *lib.2. cap.10.* narrat Quintum Valerium Soranum ſolitum dicere, *quos theſauros Græco nomine appellaremus, priſcos Latinos flauiſſas dixiſſe, quod in eo non rude æs argentumque, ſed flata ſignataque pecunia conderetur.* As tamen quãuis ſignatum & non rude, graue tamen permanſit vſque ad tempus, quo aſſes vnciales & ſemiuncia-

les facti ſunt, quamdiu enim librales extiterunt, æs graue dicti ſunt apud Agell. *lib.* 20. *cap.* 1. Phauorinus obiicit iniquam videri illam XII. Tabul. legem, *Si iniuriam alteri faxit, vigintiquinque æris pœna ſunpto*; quia nemo tam inops erit quem ab iniuria facienda viginti quinque aſſes deterreant, ideóque neque illam legem à Q. Labeone probatam fuiſſe; vbi narrat Lucium Neratium hominem egregiè improbum atque immani vecordia, qui pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuæ palma verberare, habuiſſe perpetuò ſeruum, qui crumenam plenam aſſibus portaret, & quemcunque depalmauerat, numerari ſtatim ſecundum duodecim tabulas, quinque & viginti aſſes iubebat. Phauorino reſpondet Sextus Cæcilius Iuriſconſultus, *Non omninò omnes mi Phauorine, iniurias iſto pauco diluerunt, tametſi hæc ipſa paucitas aſſium graue pondus æris fuit; nam librariis aſſibus in ea tempeſtate populus vſus eſt.* Et Liui. *lib.* 4. *Iudicibus decem millia æris grauis, quæ tum diuitiæ habebantur, & quia argentum nondum ſignatum erat, æs graue quidem plauſtris in ærarium conuehentes ſpecioſam etiam collationem fecerunt.* Ex quibus ſapienter colligit Hotman. *cap.* 8. aduersùs Budæum *lib.* 1. *de aſſe*, æs graue, & æs rude non fuiſſe omninò idem, ſed differre vt genus & ſpeciem, nam æs graue etiam ſignatum erat, & æs rude tale non erat.

Ex eo verò quod prima pecunia ærea fuerit, non modò ærarij nomen, quod perpetuò ſeruatum eſt; ſed alia plura retenta ſunt, vt ciuium ærariorum obæratorum, militum ære diruto rum, aſſiduorum, æris vxoris, aliaque eiuſmodi, & denique notæ ſummarum, quæ in rationum nominibus atque articulis ad oram libri ſcribebantur, quo faciliùs iis inſpectis confici ſumma ſummarum poſſet, æra dicebantur. Sic Nonius, *æra numeri nota*: & apud ipſum Cic. *Quid tu inquam ſoles cùm à diſpenſatore rationem accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam quæ ex his confecta ſit non probare?* Denique Lucil. *Hæc ratio peruerſa eſt; æra & ſumma ſubducta improbè.*

4 Æreæ pecuniæ acceſſit ſubinde argentea, primùm rudis & lamina quædam argentea, deinde ſignata. Quæ verò priùs tempore, diſſentiunt authores: nam Charil. *lib.* 1. hæc Varronis *ex primo annalium* verba refert: *Nummum argenteum conflatum primùm à Seru. Tullo dicunt.* Conflari autem & ſignari nummum antiquis idem eſt, vti paulò ante referebamus ex Agell. de Fauiſſis, in quibus non rude æs argentumque, ſed flata ſignataque pecunia conderetur. Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. negat ſignatum fuiſſe argentū ante Pyrrhum Regem deuictum, hoc eſt ante annum V.C.CDLXXIIII. C. Fabio Conſule, ſic enim legendum eſſe contendit Hotman. 2. *part. de re nummar. cap.* 1. quinque annis ante bellum Punicum, quod & tradidit Florus: & Zonar. *tom.* 2. *annal.* ait deuicto Pyrrho Romanos ob ingentem pecuniæ copiam drachmis argenteis vti cœpiſſe, πολλὰ δὲ χρήματα τότε τῇ Ῥώμῃ ἐγένοντο ὥστε ἀργυραῖαις δραχμαῖς χρήσασθαι. Eutrapius vult M. Æmilio, Paulo, & Seru. Fuluio nobiliore Coſſ. primo bello Punico an. V. C. CDXVIII. argenteum nummum percuſſum, corruptum tamen eſſe Eutrapij locum collectis eius variis codicibus iure ſuſpicantur aliqui: quod autem Liui. *lib.* 1. ait Sueſſa Pometia vi capta, prædaque diuendita, quadraginta argenti aurique talenta redacta eſſe, non idcircò ſignificat tunc auream, argenteamque pecuniam Romæ fuiſſe, ſed prædæ illius æſtimationem ad rationem pecuniæ, quæ cùm ipſe ſcriberet, vt erat in vſu deſcribit: dici poteſt ad conciliandos ſcriptores Seruium Tullum æquè nummū argenteum, atque æreum ſignaſſe, vti teſtatur Varro. Deinde ob tenuitatem ſenſim omiſſum fuiſſe, & quodammodo obſoletū, donec victo Rege Pyrrho, & pecuniæ copia affluente percuſſus denuò eſt argenteus nummus, vti Plin. & Zonar. affirmabant; vide Victor. *lib.* 5. *cap.* 13. Exiſtimauit verò Gronoui. *lib.* 3. *de pecunia vetere, cap.* 9. nummum illum Varronis à Seruio Tullo flatum ſeptem ſcripulorum, non fuiſſe publici vſus, ſed temporum, & memorabilis alicuius euentus notam, quod etiam hodie frequens eſt, id ſi probaret Gronouius facilè foret Varronem cum cæteris ſcriptoribus, quoad primam originem argenti ſignati apud Romanos, conciliare.

Ephorus apud Strabon. *lib.* 8. narrat Phidonem primùm in Ægina curaſſe argenteum nummum cudi, quia in ea Inſula alioqui ſoli ſterilis & culturæ parum idonei, erat emporium nobiliſſimum; æmulatos verò id fuiſſe Phœnicios ad quos nauigabant Æginetæ, & à quibus argenteos nummos deferebant, ſuſpicatur Salmaſ. *de vſur. cap.* 15. & priùs in Ægina, quàm in aliis Græciæ locis percuſſum fuiſſe argentum, ex eo ſibi colligere viſus eſt, quòd Æginea drachma maior fuit qualibet alia Græca. Heſychius Αἰγιναῖον νόμισμα ἀργυροῦν μέγα καὶ Αἰγιναῖος ὁμοίως ὀβολός. Atqui ſicut in ære, ſic in argento grauiores à principio nummos fuſos, cuſoſque fuiſſe conſtat. Phidonem porrò ex Heraclidis fuiſſe, & decimum à Temeno facit Strabo *lib.* 8. Euſeb. Carami fratrem circa Heſiodi ætatem; qua de controuerſia conſule Salmaſium *cap. cit.* vbi contendit neque Heſiodi, neque Homeri æuo nummum in vſu fuiſſe apud Græcos. Strabo igitur ait Phidonem, non modò pondera & menſuras, ſed etiam nummum inueniſſe τὸ ἄλλον τὲ καὶ τὸν ἀργυροῦν, id eſt tam aureum, quàm argenteum. Auctor Chronici Arundelliani, ſolum argenteum ipſi tribuit καὶ νόμισμα ἀργυροῦν ἐν τῇ Αἰγίνῃ ἐποίησεν. Hanc tamen inuentionem tribuit Lydis Herodotus, ſicut & Xenophanes, Naxiis Aglaſtenes, alij Athenienſibus auctore Erictonio, qui Phidonem ſexcentis ferè annis anteceſſit. Quomodo igitur Homerus nummi nunquam meminerit? Alij denique denuò quandam ſiue Ceam, ſiue Cumæam Cumæis aut Ceis primis formam nummi tradidiſſe volunt, ita Pollux ex emendatione Salmaſij. Phœnices nihilominus multò ante nummo, ſicut & mercatura vſos fuiſſe non leuis coniectura eſt, quam iuuat quoque *cap.* 13. *Geneſ.* quod loquens de Abrahamo in Cananitide, quæ vti oſtendimus aliàs ipſa Phœnicia eſt, peregrinante ait πλούσιος σφόδρα ἐν κτήνεσι καὶ ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ, *diues valde in poſſeſſione auri & argenti*, quod de auro & argento rudi atque infecto nequit intelligi, dicendum enim fuiſſet ἀργύρῳ, καὶ χρυσῷ, ſemper enim Græci ἀργύριον, vt & χρυσίον, & χαλκίον pro auro argento & ære ſignato vſurpant, vti obſeruauit quoque Pollux *lib.* 9. *cap.* 6. *ſub finem*, & *Gen.* 23. *Argentum ſignatum habes*, ibi enim Abrahamus emit ab Ephrone agrum ad ſepeliendam Saram vxorem ſuam, deditque in pretium τετρακόσια δίδραχμα ἀργυρίου δοκίμου: Vulgat. reddidit *quadringentos ſiclos probæ monetæ publicæ*: Hebr. *Quadringentos ſiclos tranſeuntis per mercatores*: quod Græci dicerent ἀργυρίου προχωροῦντος,

παρ

παρὰ τοῖς ἐμπόροις : Chaldæ. & Siriac. *Argenti accepti ad mercaturam in omni oppido.* Nos vulgò monetam acceptam currentem, tranſeuntem ἀργύριον προχωροῦν : quo ſenſu Iulianus anteceſſor de mutatione ſolidorum : *Sancimus ſolidos Romanorum Principum forma ſignatos, ſine permutationis diſpendio per omnes prouincias ambulare,* προχωρεῖν currere. Sapienter igitur dixit Moſes illam monetam ab Abrahamo Ephroni in pretium ſepulchri datam, fuiſſe argentum currens inter mercatores, quod Græci nominant προχωροῦν ἐν τοῖς ἐμπόροις : eſt verò ἔμπορος non quilibet mercator, ſed vagus qui plura loca circuit, quod ipſa vox Hebræa indicat, & Plato τοὺς δὲ πλάνητας ἐπὶ τὰς πόλεις καλοῦμεν ἐμπόρους. Eiuſmodi verò erant Phœnicij negotiatores, qui mare repleuerant; nam Iſai. 23. vbi Vulg. habet *negotiatores Sidonis transfretantes mare repleuerant te.* L X X. legunt μετάβολοι Φοινίκης διαπερῶντες, τὴν θάλασσαν. Sed de eo loco Geneſ. vide plura apud Villalpand. 2. *part. apparat. lib.* 2. *cap.* 24. in noſtram omninò ſententiam : qui & addit tunc primùm percuſſa fuiſſe numiſmata cùm ærariæ, malleatoriæque artes ſimul inuentæ fuerunt, à Tubalcain nimirum, qui *Geneſ.* 4. *verſ.* 22. fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri, ille nimirum ferrum, & æs tractare, fundere, malleo diducere, cudere, formare, & expolire docuit. Sicut igitur apud Phœnices vigebat mercatura & commercia maritima, ita & nummus qui percommodus erat ad varia & longinqua etiam commercia: quare in ipſa Cananide vſus illius erat, vti de Abrahamo vidimus, & ab illis Græcos ſuſcepiſſe per Phidonem alióſve non leuis coniectura eſt, quam etiam confirmat Salmaſius, quòd præcipua nummorum vocabula quibus vtuntur Græci ſint exotica, & ab Hebræis aut Syris, ſiue vno verbo Cananæis, & Phœnicibus deriuentur, nam mna ducitur a Siriaco mana vel mane, quod in eodem ſignificatu Arabibus & Perſis atque in toto Oriente in vſu eſſe affirmat Salmaſ. δραχμὴ non ἀπὸ τοῦ δράττεσθαι, ſed à Caldæo aut Siriaco *darchmona*, aut Perſico *dirham* aut *darhem* : Perſæ diuidunt in ſex *danacas*, ſicut Græci δραχμὴν in ſex ὀβολοὺς : Græci quoque δανάκην vocant obolum illum, quem mortuis in os indebant, vt Charonti pro vectura traderent. Ita Heſichius, Suidas, aliique. Obolus deriuatur etiam à voce Phoenicia *phelex.* Cùm itaque præcipua illa & vniuerſalia nummorum argenteorum nomina Phœnicia ſint, non leui ratione ſuſpicamur Phœnices, qui iidem fuere cum Cananæis, nummi cudendi primos authores fuiſſe. Verùm quàm infirmum ſit hoc argumentum à notatione nominis, conſtat ex ſuperiori *cap.* 6. *art.* 3. vbi harum vocum notationes longe diuerſas attulimus. Atque hactenus de nummorum argenteorum inuentione : cæterum argenti nomine pecuniam omnem olim, vti etiam hodie, fuiſſe deſignatam conſtat, & ex Terentio, Plauto, aliiſque veteribus pluribus oſtendit Tiraquell. *de retractu* §. 1. *gloſſ.* 2. *num.* 5. vbi & affert *leg.* 1. *Cod. de adulter. leg.* 1. *Cod. de can. largit. l.* 1. *C. de oper. public.* & *l. hac lege, Cod. de aquaductu*, & denique illud Matthæi 25. *verſ.* 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis* : vbi Græcus textus habet ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις.

5 Quod attinet ad nummos aureos, eorum prima inuentio æquè ignota eſt. Apud Romanos quidem *aureus poſt annum L X I I. percuſſus eſt quàm argenteus*, inquit Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. apud Græcos verò Homeri ætate in vſu fuiſſe colligere ſibi videntur aliqui ex eo quod ſæpius tum in Iliade, tum in odyſſea meminerit χρυσοῦ τάλαντον, quæ darentur præmij loco; quibus locis non accipit Homerus τὸ τάλαντον pro inſtrumento quo aurum appendebatur, quod aliquando fuiſſe non dubium eſt, ita vt Grammaticis ſit ζυγὸς ςατὴρ καὶ σταθμὸς, ſed erat modicum aliquod auri pondus, quod in præmium daretur, quod pondus denuerunt tres aurei Attici, vti refert Pollux; quod aliqui etiam talentum Macedonicum appellarunt : ſed quidquid ſit, talentum Homericum non plus valuiſſe ex ipſomet Homero colligunt ex ἱπποδρομίᾳ, vbi tertium præmium eſt lebes, quartò ἆθλον, datur, δύο χρυσοῖο τάλαντα. Sed cùm nuper docuerimus Homeri ætate nummos argenteos nondum fuiſſe in vſu Græcis, quis dicat tunc ſignaſſe aurum, quare vocat Homerus talentum breue auri pondus, quale penderent poſtea tres aurei Attici, qui qui poſtea percuſſi ſunt. Idcircò apud Homerum ἀποτεισάμεναι χρέος ſignificat reddere debitum eodem pondere, quo acceptum eſt, & Grammatici rectè interpretantur ἀποδιδόναι ςαθμῷ. Exiſtimarim igitur ſicut argentei, ita & aurei nummi primam originem a Phœnicibus repetendam eſſe, qui deductis vti aliàs monuimus in vniuerſum coloniis, & cum vniuerſo orbe habitis commerciis, nummos excogitauere ad commerciorum facilitatem, & rerum omnium vti dicebamus initio, pretium, indeque illorum vſus ad cæteras gentes ſenſim deriuatus eſt, neque putarim excogitato ſemel nummo æreo, & argenteo, diutiùs aureo caruiſſe, quandoquidem, vt ait Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. *A nummo prima eſt origo auaritia excogitata, quæſtuoſa ſegnitia.* Hæc autem potiſſimùm auro ſatiatur, vnde addit Plin. *Hæc paulatim exarſit rabie quadam, non iam auaritia, ſed fames auri* : quamuis auro facto potiùs quàm ſignato vterentur veteres, mireturque Plin. populum Romanum in tributo victis gentibus ſemper argentum non aurum imperitaſſe, ſignatum tamen in vſu fuiſſe nemo negarit.

Atque hæc tria metalla, æris, auri & argenti vulgò flata, ſignataque ſunt, & communis nummorum materia fuere, præterquam & aliæ quædam à variis gentibus vſurpatæ ſunt: nam ferro vice nummi vſos fuiſſe Lacedæmonios teſtatur Plato *in Erixia* ἐν δὲ Λακεδαίμονι σιδηρῷ σταθμῷ νομίζουσι καὶ πάντα μάτην τῷ ἀχρείῳ. Lacedæmone verò ferri certum pondus in vſu eſt, & eadem ratione inutile. Idem affirmat Pollux, *lib.* 9. *cap.* 6. ingenti magnitudine parum valente σιδηρῷ δὲ νομίσματι χρῶνται ἐκ πολλοῦ ὄγκου ὀλίγον δυναμένῳ, aceto autem eius acrimoniam ἀκμὴν propter ſcindendi facilitatem, temperabant. Sanè temperare ferrum στομῶσαι Græci exponunt ὀξύνειν; & Suidas στομώσεις παροξύνσεις, & στόμωσιν ὄξυνσιν : inde στόμωμα, ferri acies. Idem de Licurgo narrat Plutarch. in eius vita, & in vita Lyſandri, nempe ipſum ferrum, quod in nummum venerat, aceto infuſo inutile reddidiſſe, ad opera videlicet alia quæcumque facienda. Voluit itaque ferreum nummum fieri grauiſſimæ molis & ponderis, qui vilis tamen eſſet pretij, & candens aceto intingeretur, ſicque ad omnia opera inhabile illud ferrum redderetur,

neque proinde alium vſum habere poſſet quàm nummi, non alio ſanè conſilio, quàm ne vllis mercatoribus exteris ad ſuos pateret aditus, qui luxum vnà cum exteris mercibus inueherent: nam nihil erat Lacedemone quod inde pro ſuis mercibus exportarent, non nummum quidem ferreum, qui in reliqua Græcia vſui non erat; non ferrum ipſum, ex quo cuſus erat nummus, cùm illud ferrum ad cætera omnia redditum fuiſſet inutile, aceto illi candenti infuſo, ſic enim vt iam monui fragile fiebat, & vt aiebat Pollux *ἔξει τὴν ἀκμὴν οἷς τὸ ἄτομον κατασβεννύουσιν*, reſtingunt eius vigorem aceto, vt fragile fiat. Ferrum quod durum eſt, & non facilè frangitur, dicitur habere *στόμωμα* duritiem, *ἄστομον* eſt quod *ἀδρανὲς* & fragile. Maioris autem ponderis fuiſſe nummum illum conſtat ex Plutarch. qui *βαρύσταθμον*, & *δυσπαρακόμιστον* dicebatur *πέλανος*, vnde Heſich. *πέλανος τετράχαλκοι Λάκωνες*. Græcis *πέλανος* eſt genus libi, vel panis, cuius formã habuit hic nummus Laconicus. Byzantiorum nummi ferrei meminit Pollux *lib. 9. cap. 6.* quæ erat moneta minuta *σιδάρεον τι νόμισμα λεπτὸν*, ita vt quod dicitur emo mihi duobus æreis, diceretur emo mihi duobus ferreis *πρίωμαι τριῶν σιδηρῶν*. Romani ferro vſi non ſunt in re nummaria, cuius cauſam eſſe arbitratur Hotman. *cap. 1.* quia difficile funditur. Verùm æquè atque æs, ferrum fundi & liqueſcere ac ductile fieri certum eſt, nam Poll. *lib. 7. cap. 24.* ferrariam artem *σιδηρευτικὴν τέχνην* explicans, ſic eius opus deſcribit, *τὸ δὲ ἔργον ὑγραίνειν, λύειν, ἐκχωνεύειν, τύπτειν, ἐξελαύνειν, ἀκονᾶν, θήγειν, προσηλοῦν, διαπατταλεύειν, προσπάτταλα ποιεῖν εἶναι ἥλους ποιεῖν στόμωμα*: in quibus omnibus ſubauditur, vt vides vox *σιδηρὸν*, humectare, ſoluere, fundere, impellere, ferire, expellere, acuere, exacuere, affigere, transfigere, adaptare, aciem inducere, clauos facere, & alia eiuſmodi, quæ æquè ferro atque æri conueniunt: nam prius funditur & fragile eſt, deinde in alias fornaces tranſlatum, è fragili fit ductile, atque induratur, quod ipſum de ære dixit Plin. *lib. 34. cap. 8. Omne æs*, inquit, *diligentiùs purgatum igne, excoctumque regulare eſt*, *id eſt ductile*, nam ibidem habet Plin. *In Cyprio, coronarium & regulare eſt vtrumque ductile.* Et infra, *Regulare & in aliis fit metallis, itemque Caldarium differentia, quòd Caldarium funditur tantùm, malleis fragile, quibus regulare obſequitur, ab aliis ductile appellatum, quale omne Cyprium eſt.* Regulare porrò dictum fuit quòd in regulas ducatur, dum malleis ad hoc tunditur, id autem in aliis metallis contingere dixit Plin. ac proinde in ferro. Neque dubium eſt de ferro fuſili, *fontam* vocant à fundendo, & maſſas quales in fornace fluxerunt liquati ferri vocant vulgo *guſas*, quaſi fuſas vel *χώνεις*, poſteà aliis fornacibus excoctum malleis tunditur, atque in longas laminas tenuatum, duratur ictibus: aliud tamen ferrum eſt ex vena ipſa mollioris complexus, quod Græci vocant *ἀνατὸν*, aliud fragilius quod *θραυστὸν* iidem nominant, vulgò officinæ ferrariæ *ferrum rumpens* dicunt. Non idcirco igitur Romani monetam ex ære non ex ferro cuderunt, quòd iſtud difficilè fundatur, vt aiebat Hotman. Probabilior videri poſſet altera cauſa, quam ibidem affert, quod ferrum æruginem facilè concipiat, atque ita pondus legitimum vix ſeruare poſſit, cùm aſſidua tractatione facile deteratur. Et ſanè æs eſt præ ferro *λειότερον καὶ εὐαυγέστερον* leuius & lucidius, ſiue nitentius, ſed & nitor ille induci ferro poterit, vt videmus in aciario, ex quo æquè atque ex ære & cupro cudi moneta facilè potuiſſet: quare exiſtimarem æs potius quam ferrum à Romanis & aliis paſſim vſurpatum, quòd pretioſior foret illa materia.

Stannum argenti loco haberi Siracuſis narrat 7
Dyonyſ. apud Pollue. *lib. 9. cap. 6. κασσίτερον ἀντ' ἀργυρίου νομίζεσθαι*: atque hic nummus faciebat quatuor drachmas Atticas pro vna: eſt verò *κασσίτερον* apud Homerum, plumbum album, quod habuit authoritatem Iliacis temporibus, vt ait Plin. *lib. 33. cap. 16.* vbi tamen ſtannum ex plumbo nigro fieri vult. *Plumbi nigri origo duplex eſt, aut enim ſua prouenit vena, nec quidquam aliud ex ſe parit, aut cum argento naſcitur, miſtiſque venis conflatur, eius qui primus fluit in fornacibus liquor, ſtannum appellatur, qui ſecundus argentum, quod remanſit in fornacibus galena, quæ portio eſt tertia additæ venæ. Hæc rurſus conflata dat nigrum plumbum deductis partibus duabus.* De ſtanno plura deinde habet toto *cap. 17.* Stanno igitur aliquando vt plumbo ipſo vſos eſſe Siracuſios dicebamus, & ne ille vſus cerperet apud Romanos, vetitum aliquando fuit: nam *l. 9. D. ad l. Corneliam de falſis* prohibetur ne quis nummos ſtagneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet: dicitur autem ſtagneos nummos, quam lectionem in Pandectis Florentinis defendit Cuiac. *lib. 11. obſeru. cap. 1.* nam Plaut. apud Feſtum, *Mauriaticam video in vaſis ſtagneis*: & Gloſſ. veterum *ſtagnea κασσιτέρινα ſtagneum κασσίτερον*: Scribonius Largus, *pixide ſtagnea, vaſe ſtagneo*, & Priſcianus medicus *plumbeus, ſtagneus*. Vide de voce ſtagni & ſtagno plura apud Salmaſ. in exercitationibus Plinianis, vbi de Aſphaltide mihi pagina 577. nõ igitur Siracuſij duntaxat ſtanneis ſiue ſtagneis, aut etiam plumbeis nummis, ſed Romani quoque aliquando vſi ſunt, quamuis deinde id fuerit vetitum, ſed neſcio an diutiùs ea prohibitio durauerit, nam plumbei nummi meminit Plaut. *in Triumuiro.*

Nummum nunquam credam plumbeum.

Et *in Caſina.*

Cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus.

Et *in Moſt.*

Tace tu faber qui cudere ſoles plumbeos nummos.

Et Martial. *lib. 1. Epig. 100.* Caleni caſtigans auaritiam, qui auctus quatuor hæreditatibus parciùs viueret.

At tu ſic quaſi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abiſti
In tantam miſer eſuritionem
Vt conuiuia ſumptuoſiora
Toto qua ſemel apparas in anno
Nigra ſordibus explices moneta,
Vt ſeptem veteres tui ſodales
Conſtemus tibi plumbea ſelibra.

Et *lib. 10. Ep. 74.*

—— Quamdiu ſalutator
Ante ambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto.

Viliores igitur quidam nummuli, vt ſportularij cudebantur, vel plumbo ſolido, vel ære plurima plumbi mixtione vitiato.

Ex electro quoque cuſos nummos teſtatur Lamp- 8
rid. in Alexandro Seuero: *Alexandri habitu nummos plurimos figurauit, & quidem electreos aliquantos, ſed plurimos tamen aureos.* Verùm non conſtat ex quo electro cuſi fuerint hi nummi, cùm aliud ſit metallum, aliud ſuccinum; idque varij generis & coloris: vide Plin. & Salmaſ. *in exercitat. Plinian.* variis locis, & Georg. Agricol. *lib. 4. de natura*

foſſilium

foſſilium Hotman. *cap.* 1. 1. *part. de re nummaria*, exiſtimat fuiſſe ex ſuccino, quales ſe vidiſſe effoſſos ex materia quadam ſubnigra teſtatur.

9 Fuerunt denique viliores quædam materię nummorum, nam de corio pecudum nummos inciſos & ſignatos fuiſſe dicit Iſidor. *lib.* 16. *cap.* 17. vetus quidam Anonimus auctor de re militari, cuius verba refert Salmaſ. *lib. de vſur. cap.* 15. ait in æris vſum excultam politiùs terram, & igne ſolidatam certis quoque expreſſionibus figuratam vſui habuiſſe, ſed poſteriores faſtidientes priſcæ vilitatis inuentum formatos è coriis orbes auro ſignauerunt, quibus Regum magnificentia & commutationum neceſſitas, intactis collatoribus vtebantur. Deinde ad æs, argentum, aurumque ſignandum progreſſos eſſe homines narrat: facit igitur luteam pecuniam, omnium primam, deinde coriaceam, tum æream, poſtremo argenteam, aureamque. De coriacea pecunia à Romanis vſurpata ante Numam qui primus æream percuſſerit, & à ſuo nomine numum appellarit, Græci recentiores nugantur. Ita Ioann. Anthioch. περὶ ἀρχαιολογίας. Idem affirmat Suidas qui etiam laudat Suetonium, additque non modò ante Numam coriacea, ſed etiam orſtracea, ſiue teſtacea vſos fuiſſe διὰ σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων τῶν χρειῶν πληρούντων. Caſſiod. *lib.* 7. *ep.* 32. ſcorteam quoque pecuniá Romanis veteribus tribuit, Lacedæmoniis vnus Seneca *lib.* 5. *de beneficiis cap.* 15. ſed mendum in Senecæ verbis emendare conatur Salmaſ. *cap.* 15. *citato*. De Carthaginenſium nummis quoque teſtatur Ariſtides in oratione περὶ τῶν τεττάρων, vbi vocat τὰ σκύτινα νομίσματα, vbi vetus Ariſtidis ſcholiaſtes ſic habet; *Carthaginenſes in tractanda republica coriaceos numos adhibebant*, σκυτίνοις νομίσμασιν ἐπολιτεύοντο, quibus originem fecit Dido, illa enim fuga ex inſula Tiiro facta propter fratrum cædem, à Rege contendit tantùm agri ſibi tradi, quantùm loci bouis pellis occuparet, ille verò facile annuit, illa autem diſſecta pelle terræ plagulam ambit, & vrbem Carthaginem condit. Carthaginenſes igitur euentum ſemper honorantes coriaceis nummis publicè vtebantur. Aliud verò ſcholion ibidem additum negat reipſa Carthaginenſes vſos fuiſſe nummis coriaceis, ſed quia pelles ferarum, quibus abundabant cum aliis mercibus, quas ad illos exteri mercatores deferebant, permutabant, & pro nummis veteri ritu dabant. Verùm rem ipſam explicat Plato *in Erixia. Carthaginenſes*, inquit, *moneta huiuſmodi vtuntur in tanta aluta particula, quanta eſt ſtateris magnitudo, quoddam incluſum eſt, quod nemo præter facientes nouit, deinde hoc ſignatum apud eos curſum habet, & qui plurima talia poſſidet is videtur nummatus in primis & locuples eſſe, ſi quis autem apud nos plurima talia poſſideat, nihilo ſit ditior quàm ſi montanis calculis abundet*. Erat igitur ligatura ſiue ἀπόδεσμος ex aluta vel pelle confecta, cui incluſum eſſet neſcio quid, quod quale eſſet non dicit Plato, id ſoli ſciebant qui incluſerant, id erat magnitudine ſtateris ſiue tetradrachmi Attici aluta inuoluti, cui alutæ publicum ſigillum impreſſum erat: & mox idem Plato τὰ δέρματα Carthaginenſibus vice nummi fuiſſe ſcribit. Non igitur nummus è corio fuit, vti volebat Ariſtides, ſed aliquid vile tetradrachmi magnitudine, & forma, quod incluſum & inuolutum erat aluta, ſigillo publico ſignata.

Aliæ quoque viliores fuere monetæ: nam Ætyopes quo ſæculo ſcribebat Plato, lapillis quibuſdam inſculptis λίθοις ἐγγεγλυμμένοις vtebantur. Narrat Paulus Venetus incolas prouinciæ Caraianæ, quæ magno Tartariæ Regi ſubeſt, vti aureis & albis lapillis, qui in littore maris leguntur. In Prouincia Canihcu in eodem Regno minor moneta formatur ex ſale, in exiguis maſſis. In alia corallium vicem nummi præſtat: ipſius magni Chami moneta, non ex auro, & argento cuditur, ſed ex cortice mori interiore in particulas varias, ac rotundas ſciſſo, inuicem compacto, ac regali ſigillo ſignato. Haitonus ait apud Cathainos Tartaros nummum de papiro fieri in formam quadratam ſecto, cui regale ſignum impreſſum, ſicut & qui linteorum orbiculis, aut quadris, publica, aut regia forma inſignitis hodieque vtuntur: quæ, aliaque ſimilia in hiſtoriis leges, quorũ tamen fidem præſtare nolim.

Romanis certè fuit ludicrum quoddam nummorum genus ex lupinis aqua ſine dubio macecerans percuſſum, quò ſpectat illud Horatij *lib.* 1. *ep.* 7. *verſ.* 24.

Non tamen ignorat quid diſtent æra lupinis.

Quia nimirum eſt differentia inter bonos & malos nummos: in ſcena lupini aureorum vicem ſubibant, colore enim & forma auro ſignato proximè accedunt. Eodem refero illud Plauti in Pœnulo, vbi Viiticus lenoni trecentos eiuſmodi aureos tradit.

Age agite inſpicite, aurum eſt, C. profectò ſpectatores comicum

Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boues

Verùm ad hanc rem agendam, Philippicum eſt.

Alciat. *lib.* 7. *parerg. cap.* 4. interpretatur de Naporum rotulis, quibus comœdi pro auro vti ſolebant: malim ego de lupinis interpretari, vti Turneb. *lib.* 1. *cap.* 15. ex Mureto, qui pro aureis nummis in comœdia numerantur, quare inepti qui inter æra & lupinos neſciunt diſtinguere, licèt lupini veros nummos aſſimulent. Quò etiam referunt aliqui illud Petronij *cap.* 14. *Sed præter vnum diſpoendum ſicel, lupinoſque, quibus deſtinaueramus mercari, nihil ad manum erat*. Lupinaria igitur fuit moneta. Verùm vitioſam eſſe lectionem ſapienter coniicit Turneb. *lib.* 19. *cap.* 7. Scaliger aliique recentiores, quæ ſic emendanda eſt, *ſed præter vnum dipondium, ſiciliſcumque, quibus lupinos deſtinaueramus mercari, nihil ad manum erat*. Dupondium pendebat duas drachmas, eratque exiguus nummus, & contemptibilis, vti dicemus inferiùs, adi intereà Cuiaci. *lib.* 12. *obſeru. cap.* 40. Alij tamen legunt ſicel pro ſiclo. De ſicilico inferiùs. Lupini porrò de quibus Plin. *lib.* 18. *cap.* 14. ſunt viliſſima legumina, eaque amara, quibus veſcebantur Cynici, vti ex Ariſtot. oſtendit Turneb. *lib.* 25. *cap.* 29. ſub fin. duriora quoque eſſe ea legumina indicat Catull. ad Furium.

Atque id durius eſt faba, & lupinis
Quod tu ſi manibus teras, fricesque
Nonnunquam digitum inquinare poſſis.

His, aliiſque ſimilibus inſtructam pauperum, & cynicam cœnam habes ex ipſo Horat. *lib.* 1. *Satyr.* 6.

——*Inde domum me*
Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum.

——Et *lib.* 2. *Sat.* 3.

In cicere atque faba bona tu perdaſque lupinis.

Martial. *lib.* 1. *ep.* 78.

Et feruens cicer, & tepens lupinus.

Denique horum nummorum comicorum, qui fiebant ex lupinis meminit Iuſtinian. *in l.* 1. *C. de aleatoribus. Si quis ſub ſpecie alearum victus ſit, lupinis,*

nis, vel alia quauis materia, ceſſet omnis exactio; hoc eſt interprete Cuiacio, ludus aleæ interdicitur, non tantùm ſi pecunia poſita ludatur, ſed etſi poſitis lupinis argento comico, in vicem pecuniæ veræ poſtea victori perſoluendæ. Ad lupinos illos nummos Ciceronem alluſiſſe *lib. 1. ad Attic. ep. 15.* exiſtimauit Hotman. *de re nummaria, cap. 1. Sed heus tu videſne conſulatum illum noſtrum, quem Curio ante ἀποθέωσιν vocabat, ſic hic factus erit, fabam numum futurum*, vbi malè aliqui legunt mimum futurum, nullo ſenſu, qui in lectione quam adduxi perſpicuus eſt, vt enim ibidem narrat Cicero, Magnus, hoc eſt Pompeius, Auli filium, id eſt Afranium intrudebat omnibus inuitis, vt Conſulatum proximis comitiis ambiret, neque authoritate, neque gratia pugnabat, ſed quibus Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modò aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere. Cùm igitur Afranius immenſa nummorum largitione Conſulatum eblandiretur, quem Cicero ſola virtute fuerat conſequutus, ſapienter ait Cicero ſuum illum Conſulatum, quamuis mirificis laudibus ab omnibus celebratum, & à Curione quandam ἀποθέωσιν exiſtimatum, non futurum deinceps apud populum, niſi fabam nummum: cùm enim acceptos ab Afranio nummos cogitabit, ſe pro ſperatis à Cicerone nummis, fabas & lupinos accepiſſe quæretur, atque adeò ſuum Conſulatũ contemnet, tanquam fabam nummum. Ex his omnibus tandem vides veram nummi materiam vix aliam in vſu eſſe, aut etiam fuiſſe quam æream, argenteam, & auream; quare de nummis ex ea duntaxat cuſis deinceps agemus.

Hæc porrò materia iterum duplex eſt; vna pura, altera mixta. Prior illa vnico metalli genere abſque vllius alterius inferioris permixtione conſtat. Altera poſterior, aliu quam metallo temperatur. Sic Liuius Oruius octauam partem æris miſcuit argento, & Antonius triumuir, ferrum miſcuit, vti habet Plin. nos *ligam* dicimus, de qua mixtione dicemus inferius. Puritas autem materiæ, quamuis omnem alterius mixtionem excludat, non tamen eſt ſemper æqualis rationis, neque æqualis bonitatis, ſic aurum obryſum purius & defæcatius erat auro Gallico, quod idcircò minore æſtimatione taxabatur, vt ait Maiorian. *in Nouella de auro obryſo*, & nos diximus *cap. 8. art. 3. num. 12.* Argentum puſſulatum omnium optimum & puriſſimum erat, de eo diximus *opere de vſuris lib. 1. c. 1. art. 1. n. 29.* de ſubæratis verò nummis, & de pecunia æroſa *cap. 3. art. 4. n. 51.*

ARTICVLVS III.

De forma nummi.

Forma nummi quid. 1.
Quibus conſtaret. 2.
Hebræorum nummorum figura. 3.
Nummorum Græcorum figura. 4.
Nummi Romani figura. 5.
Quid nummus aſper, quid ſerratus. 6.

1 NVmmi formam appello eius figuram, ſignum, effigiem, cælaturam, characterem, quo & nummo authoritas conciliatur, & eius quoque valor, aut vt loquitur Ariſtot. *lib. 1. politicor. c. 8.* quantitas ſignificatur: quare dimenſione opus minimè eſt, ad eius valorem dignoſcendum ὁ γὰρ χαρακτὴρ τοῦ ποσοῦ σημεῖον quanti ſit, ſiue quantum valeat; atque hoc vltimo adiecto authoritatem naniſciſcitur nummus, quia ex eiuſmodi figura ſiue forma, tum vt dixi eius pondus & ſtatus; tum legitimus, & communis vſus atque publicus dignoſcitur; quare reprobari nequit ſicuti alij omnes nummi, qui ea forma percuſſi non fuerunt, & publico charactere inſigniti. Vnde ſapienter Ariſtot. loco citato de nummo agens τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ τὸ δὲ τελευταῖον, καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς, ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ ποσοῦ σημεῖον. Primum quidem nummus magnitudine & pondere ſimpliciter finitur, ſed adijcitur character, vt à dimenſione liberet, eſt enim ſignum quantitatis ipſius. Debet verò illa forma certa, & nota, & publica omnibus eſſe, vt ab omnibus recipiatur: vnde Seneca. *Non eſt malus numus, quem barbarus & ignarus forma publica reiicit*: & Quintilian. *lib. 7. cap. 6. vtendum eſt ſermone, vt nummo, & publica forma eſt.*

Hæc forma pluribus conſtabat, in primis effigie, ſiue authoris, ſiue cuiuſlibet alterius rei, tum certis litteris, vel integra ſcriptura, quæ vel nomen authoris, vel cauſam percuſſi nummi, vel locum, vel quid aliud eiuſmodi exprimerent. Deinde certa alia nota, quæ definita eſſe debebat, & authoritate publica adhibita: nam aliæ quædam erant notæ arbitrariæ, quæ nummum potiùs priuatum, quàm publicum, ſiue cuius eſſet publicus vſus, deſignabant; ad publicum enim nummum percutiendum opus perpetuò fuit publica, eaque ſere ſuprema authoritate, vti explicabimus inferius. Diſtinguendæ itaque diligenter ſunt in veteribus nummis, qui quotidie effodiuntur, figuræ, an publicæ, certæ, & definitæ fuerint ad dandam authoritatem communi monetæ, an verò priuatæ, & arbitrariæ, ſiue à viris Principibus, ſiue ab aliis, ad rei alicuius illuſtris monumentum impreſſæ ſint numiſmatis, quæ re vera non erant loco pecuniæ, ſed potiùs vel miſſilia ſpargenda populo, vel ob accepta beneficia quædam grati animi teſtimonia, vel victoriæ reportatæ, libertatis redditæ, vel acceptæ, magnifici alicuius operis perfecti, ciuitatis conditæ, aut reparatæ, ædium & templi conſtructi eximia & publica teſtimonia, aut denique Principum fœlicitati, æternitati, & vti inſaniebant, diuinitati concepta vota ab ipſis ciuitatibus, aut prouinciis, vel ab illuſtribus quibuſdã viris: quare in interiore nummi fronte Principis effigies eiuſque nomen inſculpebatur; in auerſa autem fronte ſymbolum aliquod, & hieroglyphum, quod inſigne aliquod eius factum, aut quid aliud ſignificaret: quare ſigillaria eiuſmodi numiſmata ſymbolica erant, & teſſeraria, atque vti eleganter dixit Prudent. *in hymno 2. de Sancto Laurent.* 2

Et ipſe tantùm non habet
Argenteorum ænigmatum
Auguſtus arcem poſſidens,
Cui nummus omnis ſcribitur.

Et ſanè ipſo viſu conſtat iſta ſigillaria numiſmata, teſſeraria eſſe atque ſymbolica, quorum explicatio etiam eruditos viros aliquando fugiat, vti videre eſt in illis, qui eruendis illuſtrandiſque eiuſmodi numiſmatis & ſigillis diutiùs laborarunt, & eruditis commentariis illuſtrarunt. Diuerſa verò illa fuiſſe

fuiſſe à moneta publici commercij, quidquid in contrarium contendat Anton. Auguſtinus *dialogo 1. de numiſmatis*, non dubitarim, cùm & illa tam multa, tamque varia fuerint, & quotidie noua cuderentur, pro cuiuſque ferè arbitrio, & monetam legitimi commercij certam & conſtantem eſſe oporteat: ſi enim perpetuò variatur, miram rerum omnium & commerciorum confuſioné eſſe oportebit, quamquam non negarim etiam monetæ inſculpi ſolitas aliquas imagines maximè Principum, quod fuſiùs oſtendemus inferiùs, illamque imaginem Prudentius hymno citato vocat Cæſaris nomiſma.

Sic dogma veſtrum eſt, audio,
Suum quibuſque reddite,
En Caſar agnoſcit ſuum
Nomiſma numis inditum.
Quod Caſaris ſit, Caſari
Da, nempe iuſtum poſtulo:
Ni fallor, haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam
Nec cùm veniret aureos
Secum Philippes detulit
Pracepta ſed verbis dedit,
Inanis à marſupio.

Præter Principis effigiem in auerſa, & exteriori parte, erant & aliquæ effigies aut ſymbola, ſed omnibus cognita & conſtantia; & prætereà nota aliqua, quæ & authoritatem qua percuſſus erat nummus, & locum ſiue regionem, cuius erat moneta, pondus quoque vel valorem deſignaret: alioquin facilè quis probam monetam reieciſſet, improbam & adulterinam admiſiſſet.

3 Quare ex antiquis ſiclis Hebræorum qui inſcripti ſunt longè aliis characteribus quàm ſint hodierni Hebræi, & cum veteribus Samaritanis longè alios fuiſſe quondam characteres Hæbræos, atque aliam adeò linguam colligunt viri eruditi, vti fuſiùs oſtendit Villalpand. *2. part. Apparat. lib. 2. cap. 21.* Priori autem capite docuerat mutatas fuiſſe litteras poſt captiuitatem Babylonicam ab Eſdra, quod & Hieronym. aliique affirmant. Neque opinor vllus eſt qui dubitet ſiclum fuiſſe nummum poſt tam apertam Ioſephi aſſertionem *lib. 3. antiq. cap. 9.* & conſtantem omnium ſententiam, quamuis & pondus eodem nomine fuerit, immò & ponderum omnium norma ac ratio, vt oſtendimus *capit. 6.* quod idem apud Romanos, Græcoſque contigit, qui iiſdem ſæpius nominibus, & pondera & nummos donarunt, quod eo capite demonſtratum fuit, & ſemel monuiſſe ſufficiat. Quod verò in rem noſtram facit in illa antiquiſſima Hebræorum moneta, quam Villalpand. delineari curauit, licèt variis temporibus percuſſa fuerit; tria quædam obſeruo, nimirum inſcriptionem, vel pondus nummi, vel tempus quo percuſſus eſt; vel authorem & patriam deſignare. Deinde imagines inſculptas eſſe illi ferè vni genti proprias, & demùm eas earumque ſignificationes omnibus paſſim obuias, ac notas fuiſſe, quæ omnia, illa octo numiſmata diligentiùs intuenti facilè conſtabunt. Nam in primis quatuor nummis argenteis eædem ſunt inſcriptæ figuræ, in altera quidem facie vas, in alterea virga amygdalina, quæ flores ſimul & poma profert, ſiue florida amygdala, quamquam malogranati potiùs pomum referre videantur hæ virgæ. Nemo verò dubitat his hieroglyphis exprimi tum vas, quo manna quondam cœlo delapſum ſeruabatur, tum virgam Aaronis quæ floruit diuinitus, vt illum in ſacerdotem à Deo lectum ſignificaret: inſcriptio verò in tribus prioribus nummis eadem eſt, in prima quidem facie *ſichel Iſrael, ſiclus Iſrael:* in auerſa, *Ieruſalem achadoſah, Ieruſalem ſancta:* in alio numiſmate ſimiliter *ſiclus dimidius: ſancta Ieruſalem.* Ex inſcriptione trium illorum ſiclorum ſapienter colligit Villalpand. cum Aria Montano, nummos illos percurſos eſſe ante diſciſſionem regni Iſraelitici, ſub initio Roboam factam, dum adhuc Ieruſalem toti Iſeraëlitici Imperij & religioni caput eſſe. In priori tamen nummo, medio vaſi inſcribitur א *aleph*, vnitatem & priorem faciem denotare vult Montanus, alij eam litteram coniungunt cum inſcriptione, & legunt ſechel Iſeraël echat, *ſiclus Iſraelis vnus*, vel primus. Villalpand. ex lib. quodam de abbreuiaturis Hebræorum ait א ſignificare nomen diuinum Adonai, quod in ſuis nummis exprimere voluerunt Hebræi, vt ſignificarent fontem omnium beneficiorum, quem hieroglyphis nummariis repræſentabant. In aliis duobus ſiclis medio vaſi inſculpitur geminum שש *ſim*, & ם *men*, vt aliqui legunt, volùntque ſignificari Selemoh Melce *Salomon Rex*, quaſi eo regnante percuſſi fuerint eiuſmodi nummi. Alij volunt potiùs illam litteram vltimam eſſe ד *daled*, quamuis male formatũ, & legi ſechel Dauid, *ſiclus Dauidis*, à quo nimirum cuſus fuerit. Villalpand. legi mallet *Saddai*, per illud ש *ſim*, *&* ד *daled*, quod eſt vnum ex Dei nominibus. Refertur quoque ab eodem Villalp. ſemiſiclus æreus, in cuius anteriori fronte inſculpitur radix balſami cum hac inſcriptione mulgel, id eſt *Circumciſionis tempus*: ex auerſa fronte refert palmam cum hac inſcriptione meghabit, *craſſitudo vel pinguedo eius*. Balſamum verò, & palmam fuiſſe proprias Paleſtinæ arbores nemo ignorat: inſcriptio verò diſignat tempus quo percuſſus fuit ille nummus, nempe quando à Ioſue facta eſt circumciſio totius populi ſub Chananitidis ingreſſum, *Ioſue c. 5.* tunc enim pinguedinem terræ ſibi promiſſæ, & fruges, pomaque eius guſtauerunt, in quam rem myſticè philoſophatur Villalpand de ſpirituali circumciſione cordis, quæ eodem modo facienda ſit, quo dicunt balſamum incidi à Plinio *lib. 12. capit. 25.* In alio argenteo nummo viſitur ex vna parte torquis binis margaritarum ordinibus: ex altera Gulius cælaturis eminentibus inſignis, cui ad latus adſtat virga frondeſcens, quam eſſe Aaronicam vix licet dubitare, ſicut & vas, illud quo oleum vnctionis aſſeruabatur in templo ad ſacerdotes, & vaſa templi ſanctificanda: vnde non leuis quoque coniectura eſt, torquem illum ſignificare Sacerdotalem ordinem in ſua miniſteria, aut familias diſtinctum, quod ex ipſa etiam inſcriptione colligitur, nam in medio torquis ſunt inſcriptæ quinque litteræ, quæ faciunt hæc verba ſamen gheth, *vnctionis, vel vnguenti* tempore nimirum fuit hic nummus percuſſus, annus autem quo primùm vnctionis vnguentum diuino iuſſu compoſitum fuit, primus eſt egreſſionis ex Ægypto. Prætereà illæ quinque litteræ numerum octingentorum ſexaginta annorum faciunt, quare tota ea inſcriptio huic æquiualet; *Octingenteſimo ſexageſimo anno egreſſionis Iſeraël*, nempe percuſſus fuit hic nummus, qui annus, vti ſubducit Villalpand. cadit in annum tertium Regis Ioſiæ. In altera porrò huius nummi facie legitur lecharuth, Ieruſalem, *ad ſcripturam Ieruſalem*, quam ſcripturam Villalpand. interpretatur ſcripturam Dauid, qui omnes Leuitas in ſortes ac familias ſuas, varia-

que

que miniſteria tēpli deſcripſerat *lib. 1. Paral. c. 23. & 24.* Ex quibus videas torquem illum deſignaſſe Ordinem ſacerdotalem, vti monebamus. Vltimò denique habet Villalp. æreum numulum quartam ſcilicet ſicli partem, cui ex vna facie inſculpitur manipulus ſpicarum frumenti, omnis tamen generis floribus fructibuſque abundans, & inferius religatus, illum cingunt duo vaſa Romanis vrnis haud diſſimilia; in altera fronte vas eſt pingi ſolitum, cum ea inſcriptione, vti legit Villalp. Nagaltha leſtum, *Redemptus es à ieiunio*, nempe ope manna e cœlo data, quod eo vaſe aſſeruabatur, in cuius beneficij memoriam percuſſerit hunc nummum Propheta Samoel, dum iudicaret Iſraël. Ex quibus omnibus colligis quod initio monueram, eos nummos indicare & authorem, & tempus, & pondus & qualitatem nummi: teſſeras verò hieroglyphicas non alias continere, quàm quæ illi genti ſolemnes erant, ex quibus etiam apparebat cuius gentis erat huiuſmodi moneta, quæ, & quæ, & ipſius quoque nomen impreſſum aliquando gerebat, vt *ſiclus Iſrael*, *Ieruſalem ſancta*.

Ex his porrò reiicies Rabbinicam fabulam de quatuor nummorum apud Hebræos percuſſoribus, Abrahamo ſcilicet, cuius nummi ſenem ac vetulam referrent, Ioſue qui bouem, & vnicornem effinxerit; Dauide, qui virgam & turrim; & denique Mardochæo, qui hinc ſaccum, inde Eſther, atque ſceptrum effinxerit, quod vnde hauſerint Rabini, quis diuinarit? Neque vllum vnquam proditum eſt Hebræum numiſma, quod animalis alicuius, aut hominis forma inſculptum fuerit, ſed ſymbolis tantùm, quæ indicauimus, vaſe mannæ, manipulis, radice balſami, altari Thymiamatis, cornu ſiue guſto olei, palma, & cæteris eiuſmodi illi genti conſuetis, & notis: quare falsò dixerunt qui ouium formam Hebreæ monetæ quondam impreſſam voluerunt, eo quòd *Geneſ. 33. verſ. 19.* dicatur Iacob emiſſe partem agri, in quo fixerat tabernacula à filiis Hemor patris Sichem, *centum agnis*, hoc eſt nummis, qui à figura inſcripta dicerentur agni. Immò Eugubinus lectionem vulgatam emendare auſus eſt, & pro *agnis* ſubſtituendum eſſe *nummis*, eo quod vox Hebræa non agnos ſed nummos ſignificet, & LXX. verterint μνῶν, pro quo, librariorum incuria ἀμνῶν ſcripſerit, eamque vitiatam lectionem ſecutus Hieronymus agnos verterit, pro nummis; ſed Eugubini temeritatem caſtigauit Peter. nam & vox Hebræa *Keſitha*, quæ ter reperitur dūtaxat in ſcriptura, nempe hoc loco, *Ioſue vltimo verſ. 32.* & *Iobi etiam vltimo verſ. 11.* perpetuò vertitur à Vulgato ouis, & à LXX. ἀμνῶν, & ἀμνάδων. Deinde non ſatis conſentiunt iſti, an keſitha nummum in genere ſignificet, an verò certum aliquod nummi genus. Primum illud eſſet impertinens hoc loco, Moyſes enim non expreſſiſſet pretium empti agri, quod tamen intendit. Secundum verò gratis affirmatur, cùm qualis hic nummus fuerit, cuius valoris, & ponderis ipſi non aperiant. An verò eſſent reuerà aliqui nummi, qui ab impreſſa figura ouis, agnæ dicerentur ab Hebræis, non liquet, cùm quæ in contrarium afferuntur à Villalp. non malè reiiciantur à Bonfrerio *in cap. 33. Geneſ.* nihil tamen nos cogit hic nummos interpretari, quandoquidem eo tempore venditiones ſæpè fiebant rerum permutatione reciproca. Potuit igitur ex plano ſcripturæ ſenſu Iacob dare filijs Hemor centum oues pro parte agri, aut ſi mauis pretium centum ouium, ſed de figuris ſiclorum Hebræorum hactenus.

Fuerunt & Græcis, aliiſque nationibus ſuæ propriæ nummorum figuræ, eæque & notæ omnibus, quibus eſſet cum illis commercium, & conſtantes ad aliquod longius tempus, ne frequentior earum mutatio perturbationem pareret. Plures eiuſmodi monetas enumerat Pollux *lib. 9. cap. 6.* Athenienſium itaque vetus pecunia bos dicta eſt à boue inſculpto, vnde illud Homericum interpretantur; 4
Centum boum pretio arma permutat. An verè, non diſputo, cùm ſuperiùs monuerim vix ea Homeri ætate percuſſum adhuc fuiſſe nummum apud Græcos. In Draconis legibus mulcta eſt ſoluere Decabæum ἀποτείνειν δεκάβοιον. In Deli profectione præco clamabat dari pro ſingulis bobus binas drachmas Atticas, quare aliqui putarūt bouem eſſe proprium numiſma Deliorum, non Athenienſium. Hinc locum prouerbio fuit de eo, qui argento corruptus tacuerat, Βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν, bos linguam aſcendit. Triobolum & diobolum τριώβολον καὶ διώβολον numiſmatum Atticorum ſpecies erant, & diobolum quidem noctuam habebat inſculptam, triobolum autem Iouis faciem. Peloponenſium numiſma teſtudinem vocabant ab inſcripta teſtudine, vnde præmia, virtutes & ſapientiam vincunt teſtudines τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σοφίαν, νικῶντι χελῶναι. Cora κόρη Athenienſium nummus, cui Palladis inſculpta imago, hinc illud Euripidis: *Athenienſes amant virgines, quas Pallas fert.* Eubulus vocat hoc numiſma Mineruæ pullum πῶλον, & citatus Euripides de Corinthiis meretricibus loquens; *& has quidem pullo licet ducere*, καὶ τάς μοι ἄξει πῶλον. Pullus tamen πῶλος fuit moneta Corinthiaca, quòd Pegaſum inſculptum haberet, ſicut & Tarentinum Tarentem Neptuni filium. Mitylenæi ſapho ſuæ monetæ inſſerunt Homerum, Chij, Aſi puerum delphino vectum, Dardani gallinaceorum pugnam, Aſpandij luctatores, Rhegini leporem, Cephalenij equum, Thaſij Perſam, Argiui murem.

Romanis, itaque Republica nummus ſuis, vel 5
bouis effigiem inſcriptam geſſit, ex Plutarcho *in Publicola*: quod etiam affirmauit Varro *lib. 2. de re ruſtica, cap. 1.* Plin. *lib. 18. cap. 3.* & *lib. 33. cap. 3.* Quo tamen poſtremo loco ait ex altera parte Ianum geminum, ex altera roſtrum nauis geſſiſſe. Lactant. *lib. 1. cap. 13.* & Macrob. *lib. 1. Saturn. cap. 7.* id referunt ad Ianum Italiæ Regem, qui Saturnum naui vectum exceperit hoſpitio, atque hanc nummi figuram aleæ luſu ſignificari ait Macrobius. *Cùm pueri denarios in ſublime iactantes capita, aut nauim luſu teſte vetuſtatis exclamant.* Ouid. 1. *Faſtor.* & Athenæus *lib. 15.* eiuſdem figuræ nummorum meminere, quare vt ſcriptorum loca pugnantia conciliet Hotman. *part. 1. de re nummar. cap. 9.* ait à Seruio Rege æs in vrbe Roma pecude notatum fuiſſe, in reliquis autem Italiæ partibus Iani & nauis effigie: deinde cùm bello Punico ſextantarij aſſes percuſſi ſunt, Iani & nauis effigiem iam olim in Italia vſurpatam, illis quoque Romæ impreſſam fuiſſe.

Argenti verò notæ, vt ait Plin. *lib. 33. cap. 3.* fuere bigæ atque quadrigæ, inde bigati, quadrigatique dicti, de quibus etiam habet Feſtus: erant & victoriati, ſignati victoria, vnde nomen, qui lege Clodia primùm percuſſi ſunt, antea enim hic nummus ex Illirico aduectus, & mercis loco habebatur, inquit Plin. Addebantur etiam litteræ S. C. vt ſignificarent ex Senatuſconſulto cuſum fuiſſe nummum, & deinde etiam litteras numerales apponebant, quæ

pondus

pondus ac proinde nummi æſtimationem indicarent.

3 Ex his cognoſcis quid eſſent nummi aſperi, quid ſerrati; de ſerratis meminit Tacit. *lib. de morib. German.* *Pecuniam probam veterem, & diu notam ſerratos, bigatoſque.* De aſperis Sueton. *in Neron. capit.* 44. *Exegitque ingenti faſtidio, & acerbitate nummum aſperum, argentum puſtulatum, & aurum ad obryſam.* Senec. *lib.* 2. *ep.* 19. *Sed mouebis mihi controuerſiam, ſi te noui, nec voles quod debeo niſi aſpero, & probo nummo accipere.* Lipſius *in notis ad Taciti locum citat.* varia de ſerratis nummis refert, aliqui enim ſerratos dicunt, quibus ſerræ forma impreſſa ſit, ſed quis vnquam eiuſmodi aut vidit, aut legit. Fuluius Vrſinus *in* 4. *gente Manlia* nummum refert cuius in poſtica parte caput vrbis eſt inſcriptum ROMA SER, quod ipſe ſerratum interpretatur, ſed nullo argumento, & cur non ad Serrarij cognomen, aut ad Romam ſeruatam referas: Alij lectionem Taciti tanquam vitioſam emendant, & aut æratos, aut auratos, aut Ratitos, aut Seruianos legi volunt. Et Seruianos quidem exponit Lipſius veteres nummos regios, qui in pretio fuerint Auguſto, & à Seruio Rege qui primus eos ſignauit, nominati fuerint. Alij denique quibus potiùs accedere videtur Lipſius, eos eſſe quorum ambitus dentatus ſit, atque aſper in modum ſerræ, quæ proba nota erat nihil vſu detritum eſſe aut periiſſe, quos omnes vulgò & maximè in theſauris recondebant, vnde illud Tertulliani *capit.* 6. *de pœnitentia: Qui venditant, priùs nummum quo paciſcantur examinant, ne ſculptus, neue raſus, ne adulter ſit.* Aſper itaque nummus, & ſerratus idem eſt Lipſio, quod amplius explicat Hotman. 1. *part. cap.* 2. & ſerratus nummos dici quorum ambitus angulis inciſus eſt, atque ita formatus, vt ſunt canum & ſerpentum dentes, de quibus dentibus Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. Vult igitur Hotman. typum ferreum in quem metallum vel liquatum, vel attenuatum imponebatur, habuiſſe angularem formam in circuitu, & nummum proinde in eo percuſſum illi typo aculeato reſpondiſſe, atque adeò in orbem aculeatum fuiſſe, idque ad fraudes falſariorum vitandas excogitatum fuit, vt intima nummi pars introſpici poſſet, ecquid alterius metalli foret admixtum. Cùm itaque illi nummi aculeati forent, tractatu aſperi eſſent, atque etiam veluti ſerrati, hæc nomina quoque ſortiti ſunt, & tanquam omnium probatiſſimi & integerrimi magno ſtudio conquiſiti. Turneb. *lib.* 18. *c.* 28. nummum aſperum exponit benè percuſſum & recentem, non veterem, neque tritum, aut ipſo vſu lenem fugientibus notis, nec forma expreſſa; vnde illud Perſij *ſat.* 3.

——*Quid aſper*
Vtile nummus habet.

Non placet autem quod Molinæ. *q.* 100. *de vſur. num.* 785. nummum aſperum exactum à Nerone apud Sueton. ita nominatum fuiſſe exiſtimat propter *tyrannicam & crudelem acerbitatem exactionis, videlicet inhumaniter, & contumelioſè minis additis carceris, vel tortura, aut alterius aſperitatis.*

ARTICVLVS IV.

De nummi pondere.

Nummi pondus quid ſit. 1.
Quàm varium illud pondus. 2.

PONdus nummi eſt certa quantitas metalli publica lege cuique nummo attributa, quo fit vt pro certo metalli ſignati pondere aliæ res permutentur, & antequam ſignaretur nummus, pro certo tanti pondere metalli grauis, & nondum percuſſi, ſed rudis & informis res aliæ, & merces commutabantur: v. g. pro denis æris ſingulæ oues, & pro centenis æris ſinguli boues, ita enim æſtimarat lex Ateria, vel vt vocat Agellius *lib.* 11. *capit.* 1. Aterina, & Feſtus in verbo peculatus, *Tarpeia*: nam ante æs aut argentum ſignatum mulcta grauiſſima erat duarum ouium, & triginta boum, quam legem ſanxerant T. Meneius Lanatus, & Seſtius Capitolinus Coſſ. Poſtmodum anno V. C. CCXCVIII. Sp. Tarpeius, & Aterius Coſſ. tulere legem, vt omnibus Magiſtratibus mulctæ dicendæ ius eſſet, cùm antea ſolis Conſulibus id liceret, ita tamen ne vel duas oues, & triginta boues excederent, & bos centuſſis, ouis decuſſis æſtimaretur, qua de re vide quoque Dionyſ. Halicarn. *lib.* 10. Cur verò plures boues quàm oues indicerentur, id factum dixit Agellius pro penuria ouium, & copia boum, cùm Italia eſſet *armentoſiſſima*, indeque appellatam, quia Græca lingua boues ἰταλοὶ vocantur. Eundem morem, vt appenſo ære; non numerato vterentur apud Britannos viguiſſe teſtatur Cæſar *lib.* 5. *de bello Gall. c.* 5. *Vtuntur aut ære, aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo.* Hotman. in notis ait in Stephani codice haberi, *minimo ære, aut taliis ferreis*: ipſe verò ſic emendat, *minimo ære, aut laminis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo*, eo quod Tacitus dicat in Agricula, *fert Britannia aurum & argentum, & alia metalla*: quæ emendatio probanda non eſt, quia Cæſaris æuo argentum & aurum Britannia ignorabat, quare Cicero ſcribens ad Trebatium aſſerit ne ſcrupulum quidem argenti in Britannia inueniri. Neceſſe itaque eſt horum metallorum venas poſt Cæſaris, Ciceroniſque tempora inuentas fuiſſe. Verùm quidquid ſit ea de re, appenſo mettallo eos commutabant Britanni, quod idem de Hiſpanis affirmat Strabo *lib.* 3. ἀντὶ δὲ νομίσματος τοῦ ἀργυρίου ἐλάσματος ἀποτεμνομένου διδόασι, pro nummis argenti laminam in fruſta conciſſam præbent.

Vbi autem percuſſus eſt nummus, certum etiam in illo pondus conſtitutum fuit, quod tamen variis temporibus varium fuit, nam aſſes qui initio librales erant, deinde ſextantarij, ac demum ſemunciales facti ſunt. 2

Lampridius ſcribit eam fuiſſe Heliogabali in aureorum ponderibus augendis velut inſaniam, vt eorum formas binarias, ternarias, quaternarias, denarias, immò & bilibres atque centenarias conflaret. Capitolinus de Vero. *Iaciebat & nummos in popinis maximos, quibus Calices frangebat.* Tiberius II. aureos bilibres ſignauit, ex quibus L. dono miſit Chilperico Francorum Regi. Alij alia pondera ſortiti, & ferè Orientales nationes talentis aliiſve

&

& argenteis, & aureis nummis grauiſſimis vſæ ſunt. Romani verò leuioribus; nam æreos, vel ſeſtertios, vel ad ſummum aſſes conflabant aureos, aut argenteos denarios; idque omninò ſapienter, vt & infimæ ac tenui multitudini ſuppeterent, & ex illis viliſſimæ quæque merces comparari poſſent; quæ fuit Platonis mens *lib. 3. de legibus.* Cæterum omnia pondera ad libram exigebantur; conſtitutum enim erat quot nummos æreos, argentos, aureos ex vna æris, argenti & auri libra conflarent. Denique obſerua omnia ferè nummorum genera fuiſſe quoque ponderis aliquod genus eodem nomine deſignatum, vti monuimus *cap. 6. ſuperiori.*

ARTICVLVS V.

De valore & æſtimatione nummi.

Nummi valor quid. 1.
Certus & conſtans eſſe debet. ibid.
Vnde ſumatur hic valor. 2.
An à lege. 3.
An à materia & pondere. ibid.
Duplex nummi valor. 4.
Eſt in primis à publica autheritate. 5.
Quæ debet attendere rationem materiæ. 6.
Non eſt tamen neceſſaria æqualitas æſtimationis, metalli & nummi ex eo percuſſi. 7.
Quomodo publica authoritas illum valorem imponat. 8. 9.

1 NVmmi valorem nomino id ipſum, quod Vlpian. & Pomponius æſtimationem dixerunt *l. 2. inf. D. de auro & argento legat.* vbi hæres certum pondus argenti dare iuſſus, liberatur numeratam pecuniam dando, ſi in ea pecunia eadem æſtimatio fuerit. De nummorum certa æſtimatione loquitur etiam lex 3. *D. de in litẽ iurando.* Modeſtinus *in l. 9.* & Paul. *in l. 3. D. de auro & argento legat.* auri pretium vocant, ſicut & *l. 3. C. de veteris nummi poteſtate.* Caius autem *poteſtatem, in l. 3. D. de eo quod certo loco*, dum ait pecuniarum vnam, eandemque poteſtatem vbique eſſe videri. Eódem pertinet Rubrica *C. de veter. num. poteſtate: quantitatem* Papinian. *in lege is cui 94. D. de ſolutionibus*: Vlpian. *l. cum aurum 18. D. de auro & argento legat.* Florentin. *in lege quæ extrinſecus 65. D. de verbor. obligat.* & denique Paul. *in l. 1. D. de contrah. emption.* vbi etiam *dominium* dixit quod alij *dignitatem.* De hoc igitur valore, ſiue pretio, & poteſtate nummi pauca quædam in vniuerſum conſtituenda ſunt, quæ enim ſit ſingulorum nummorum poteſtas inferiùs explicabitur.

In primis igitur certa & determinata eſſe debet nummi publici æſtimatio, ſiue pretium, & *δυνάμις.* Rationem reddit Philoſophus *lib. 5. Ethic. capitulo 5.* οὐ γὰρ ἀεὶ ἴσον δύναται· ὅμως δὲ βούλεται μένειν μᾶλλον· διὸ δεῖ πάντα τετιμῆσθαι, non enim ſemper eiuſdem eſt pretij, ſed tamen manere ac ſubſiſtere magis amat per quod oportet omnia æſtimari, & taxata eſſe, ſiue id ad quod oportet omnium rerum pretium exigere, certum eſſe oportet. Ait quidem Philoſophus nummum etiam in eadem forma manentem, atque ſubſiſtentem aliquando plus aliis nummis valere οὐ γὰρ ἀεὶ ἴσον δύναται, quia eius valor non pendet ex ſola materiæ ex qua conflatur, raritate, aut copia, ſed ex mercium abundantia, aut penuria, aliiſque circumſtantiis, ſicuti & in cæteris omnibus contingit. Sic Michael Epheſius *in ſua paraphraſi* locum illum exponit, & ipſe Philoſophus *lib. 2. œconom.* monet diligenter inſpiciendum quale, & quando carum aut vile fiat numiſma, τοῦτο δὲ ἔλεγον μὲν ἐπὶ τὸ νόμισμα λέγω, ποῖον καὶ πότε τίμιον ἢ εὔωνον ποιητέον. Nihilominus certum ac perpetuum quantum fieri poterit debet eſſe eius pretium, quodque in eodem fermè ſtatu perſeueret, attenta nummi natura, & commerciorum ad quæ inuentus eſt, facilitate, quod vult Ariſtotel. verbis initio adductis: ὅμως δὲ βούλεται μένειν μᾶλλον, magis poſtulat idem manere, quia eius natura eſt vt pretium rerum exiſtat, διὸ δεῖ πάντα τετιμῆσθαι, eaque fuit Pauli mens *l. 1. D. de contrah. emption. Electa materia eſt, cuius publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis ſubueniret.* Vides Paul. omninò velle nummi æſtimationem non modò publicam, hoc eſt omnibus notam, ſed & conſtantem, perpetuamque eſſe oportere, vt difficultatibus commutationum occurratur æqualitate quantitatis, dum nummorum quantitate ac numero pretium rerum permutandarum exæquamus, quare Ariſtotel. monet hoc modo ſemper fore permutationem, & communicationem οὕτω γὰρ ἔσται ἀεὶ ἀλλαγή, εἰ δὲ τοῦτο κοινωνία: nam numiſma eſt menſura omnia faciens æqualia, τὸ δὴ νόμισμα ὥσπερ μέτρον σύμμετρα ποιῆσαν ἰσάζει: alij legunt ὥσπερ μέσον σύμμετρα ποιῆσαν, medium omnia faciens paria & æqualia; & Andronic. *in paraphraſi* καὶ οὕτως ἐν μέσῳ γενόμενον τῶν ἀσυμμέτρων σύμμετρα ποιοῦν ἰσάζει: ſic in medio poſitus nummus inæqualium rerum æquat & paria facit, ſcilicet pretia; & alibi Ariſtot. ait numiſma eſſe κοινὸν μέτρον πάντων. In his duabus vocibus, quibus Ariſtot. numiſma vocat μέσον & μέτρον κοινὸν πάντων, ſubtiliùs philoſophatur Salmaſi. *c. 15. de vſur.* nã μέσος eſt idẽ quod μεσίτης arbiter nimirum, & pararius, atque mediator, ſic δικαστὴς μέσος iudex, arbiter, & mediator, quem μεσίδιον ab aliis vocari dixit Philoſophus. Nummus igitur eſt μέσος mediator, & conciliator permutationum, dum æſtimationem rei, quæ permutatur, pretio exæquat. Plura addit Salmaſ. de ſymmetria quam conſtituit nummus, definitione pretij & æſtimationis rerum, ex quibus optimè colligimus cum Ariſtot. æſtimationem nummi certam, & conſtantem eſſe debere; ſi enim continuò mutetur menſura rerum, erit omninò inutilis, vt vides.

Tota verò difficultas in eo conſiſtit vt conſtituamus vnde certa illa, & conſtans nummi æſtimatio, ac valor deſumi debeat: an à pondere, an denique à lege. Loquimur autem de æſtimatione nummi vt nummus, non vt res & merx quædam eſt, quia vt nummus eſt, rerum aliarum pretium & μέτρον eſt, vt res autem eſt, materia permutationis ſiue vera & propria merx eſt, vt olim monuimus, & iterum ſignificabimus inferiùs. Itaque quærimus vnde ſumatur valor, ſiue poteſtas, & æſtimatio nummi vt nummus eſt. Et quidẽ ex forma non ſumi eiuſmodi æſtimationem ex eo liquet, quod vti argumentabamur *opere de vſur. c. 1. art. 1. lib. 5.* forma vel eſt nota tantùm ponderis 2
index,

Digitized by Google

index, vt olim factitatum fuiſſe diximus, vel nota alia quæpiam & character, vt Principis imago. Prior illa non dabit æſtimationem, ſed ipſum potiùs pondus, cuius index eſt: altera verò non alia de cauſa inſculpitur, quàm vt diſtinguat varios nummos inter ſe, an Attici ſint, an Romani, Philippei, aut alij quidam. Non videtur quoque ſumenda eſſe eiuſmodi æſtimatio à materia; id enim in primis negat diſertè Paul. *l. 1. D. de contrah. emption.* *Electa eſt materia cuius publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubueniret, eaque materia forma publica percuſſa, vſum, dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate:* vbi Paul. *ſubſtantiam* appellat ipſum nũmi corpus ſiue materiam ex qua conflatur; & publica forma percutitur nummus vt ipſemet ait; eam verò materiam negat ex *ſua ſubſtantia* præbere vſum & dominium. Deinde vilis aliquando eſt materia, vt ferrea, coriacea, quæ tamen in nummum percuſſa eundem habet valorem cum alia materia, vbi Princeps illi ſuum characterem impreſſerit, & pro nummo haberi voluerit; idque euidenter conſtat ex mutatione monetarum, in qua vel augetur valor manente eadem prorſus materia, vel minuitur, vel impurata materia, atque deteriore facta per mixtionem vilioris metalli, manet tamen idem valor & æſtimatio nũmi. Nõ igitur à materia deſumitur illa æſtimatio.

Sed neque à põdere, licèt id videatur velle Paul. cùm dicit pecuniam præbere vſum *non ex ſubſtantia, ſed ex quantitate:* nam vel ibi Paul. agit de nũmis eiuſdẽ metalli, quos ſi differant quantitate, differre quoque vſu dicit: per quantitatem autẽ intelligit numerum ſiue quantitatem diſcretam; nam ſi eadem materia in varios eiuſdẽ generis nummos percutiatur, ſinguli nummi erunt; ſi autem idẽ nũmus in tot fruſtra dimidatur, ſingula illa fruſta nũmi non erunt, quamuis eandem cum nummo, & æqualem materiam contineant. Deinde certum eſt immutato pondere variari aliquando monetæ æſtimationẽ, vt cùm aſſes librales, ſextantarij, vnciales, & ſemiunciales facti ſunt; neque in nummis idem perpetuò eſt, τὸ ἰσοδύναμον, & τὸ ἰσοστάσιον: primũ dicitur de parili pretio, ſecundum de parili pondere. Reſtat itaque lex quæ nummu æſtimationẽ det, quod tradit Ariſtot. dum ait nummum non à natura, ſed lege eſſe ἀπὸ τοῦ νόμου, & in noſtra eſſe poteſtate, vt nummus modò aliquid, modò nihil ſit: ſi nimirum à lege reprobetur. Neque quidquã refert quod νόμος conſuetudinem & morem potiùs quam legẽ ſignificare contendat. Salmaſ. *c. 15. de vſur.* ſiue enim æſtimatio illa, & valor nummi ipſis moribus & populi vſu ac conſenſu inductus fuerit, ſiue legẽ lata à Principe, vel à Republica cõſtitutus, eadẽ manebit ipſius origo, cùm non à materia, & pondere, ſed ab impoſitione quadam extrinſeca per legẽ, aut populi vſum & conſenſum deriuetur tota ea æſtimatio, quod cõſtat ex iis quæ modò dicebamus de forma, materia, & pondere; ex quibus aliqui petendam nummi æſtimationem volebant, nempe in eadem forma, materia & pondere nũmi, pretiũ plerumque publica authoritate mutatur, imminuitur, aut augetur. Qui ex vna drachma duas fecit eadẽ effigie ſignatas, non formam mutauit, ſed pondus; ille rurſus qui eandẽ drachmam plus valere iuſſit, quam antea valebat, non mutato pondere, nec forma, vel materia, aliud ipſi pretium fecit. Diuerſa quoque forma ſignati nũmi diuerſis in locis plus vel minus valent, vt Athenis & Megaris. Denique alicubi nummi tanquam probi admittuntur, alibi reiiciuntur, vnde Plato in ſua Republica duplicem facit nummum, vnum priuatum quem ἰδιωτικὸν νόμισμα vocat, illudque *lib. 5. de legib.* cuique concedit tanquã neceſſarium ad quotidianas permutationes, ad penſiones pro habitatione, ad pretia & mercedes opificis, & operariis ſoluendas; auri verò argentiue non ſignati poteſtatem poſſidẽdi omnibus concedit. Aliud eſt numiſma publicũ, & commune κοινὸν νόμισμα, quod duplex eſſe vult τὸ ἑλληνικὸν, & τὸ ξενικὸν: ſolam verò Græcam & indigenam pecuniam habere permittit priuatis, at publico Græcam & externã poſſidere fas eſt, quare iubet, vt qui priuatus cum venia Magiſtratus peregre profectus fuerit, & deinde domũ reuerſus peregrinum nummum retulerit, illũ in Ciuitatis ærario deponat, & tantumdem de indigena pecunia recipiat æqua proportione. Lycurgus vt ſuperfluas opes à ſua Reblica amandaret nummum ferreum retinuit, auro argentoque ablegato. Ex quibus vides vſum dominiũque nũmi, vti loquebatur Paul. ex publica authoritate, non ex forma aut materia deſumi, quare ſapienter dixit Ariſtot. καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβαλλεῖν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον, in nobis eſſe nummum mutare, aut illum inutilem reddere.

Hæc tamen omnia non exiguam habent difficultatem, atque vt ab hoc poſtremo ordiar, quis dicat legem, authoritatemve publicam poſſe pro arbitrio nummo æſtimationem facere, & ſancire vt coriaceus, aut ferreus numus ſit æqualis æſtimationis cum argenteo æqualis ponderis; aut vt argenteus æquiualeat decem aureis æqualis quoque ponderis? Quis ferat in tota illa æſtimatione nullã haberi rationem materiæ, aut ponderis, contraquàm velit Paul. qui eam deſumit ex quantitate, atque etiam contra communem omnium gentium ſenſum; vt quid enim intererat ex vili, aut pretioſa materia cudere nummum, ſi æqualis vtriuſque æſtimatio & pretiũ eſſe poteſt. Si quis Princeps vellet ex viliſſimo metallo nummũ pretioſum cudere, & contra ex metallo pretioſo & raro atque adeò caro pecuniã vilis pretij feriendam curaret, an amabò id impetraret à populis, maximè exteris; an vtraque illa pecunia in cõmerciis, propter quæ tamen inuenta eſt, admitteretur; numquid exteris omnibus cõmerciis abſtinere illum oportebit, quis enim ſuas merces ad illum comportabit, vt pro eis coriaceam, aut vilem aliam monetam reportet. Immò ne ſi impurior ſit nummi materia id faciet, niſi vilis quoque ſit æſtimationis, quare vel merces cum mercibus commutabit, vel aliò ſuas deferet. Quinimmo alibi vilia eiuſmodi numiſmata cuderentur, quæ in eiuſmodi prouinciam deferrent, illiſque pretioſas ipſius merces ſibi compararẽt; quod factum aliquãdo ſcimus, vbi impurata in Galliis eſſet moneta, vbi verò pura, pretioſaque fuit materia, ibi cõmercia externa maximè florent; qua de cauſa iam olim Athenienſes ex puro, probatoque argento pecuniã cudendã curarũt, vt exterorum mercatorũ frequẽtiã ſua ciuitas abundaret. Itaque quod refert Xenoph. in lib. περὶ πόρων, cùm in aliis Græciæ ciuitatibus nummus peſſimus feriretur, cogebantur exteri mercatores, apud quos nullus erat eiuſmodi pecuniæ vſus, merces, quas importarant cum aliis commutare, & eas exportare, quod ἀντιφορτίζεσθαι dicebatur, hoc eſt φόρτον ἀντὶ φόρτου. *Mercatoribus*, inquit, *in pluribus vrbibus merces pro mercibus accipere neceſſe eſt, moneta enim vtuntur nullius extra patrium ſolũ vſus*, τοῖς ἐμπόροις ἐν μὲν ταῖς πλείσταις τῶν πόλεων ἀντιφορτίζεσθαί τι ἀνάγκη, νομίσμασι γὰρ οὐ χρησίμοις ἔξω χρῶνται. At verò qui Athenas accedebant, non modò inde merces, quas cum ſuis commutabant, aſportabant, ſed etiam numeratam pecuniam

cuniam magno ſuo compendio, quia nummus Athenis erat argenteus, qui vbicumque locorum excipiebatur, & illum pluris etiam alibi diſtrahere licebat per modum mercis καὶ οἱ ἀργύριον ἐξάγοντες καλὴν ἐμπορίαν ἐξάγουσιν argentum exportantes optimum exportant mercimonium: vbicumque enim ipſum diſtrahant, pluſquàm ſortem accipiebant ὅπου γὰρ πωλῶσιν αὐτὸ πανταχοῦ πλεῖον τοῦ ἀρχαίου λαμβάνουσι. Hinc quoque factum eſt vt cùm Perdiccas bellum cum Calcedenſibus gerens, pecuniâ indigeret, & ſtannum ære mixtum ſignaſſet, quod χαλκόκρατον κασσίτερον vocat Polyænus *lib.* 4. mercatores illud non reciperent, ſed pro eo fructus indigenos, aliaſque merces, quas cum ſuis commutabant, quia regius ille nummus inutilis erat, & nullius commercij extra regionis illius terminos: οἱ μὲν ἔμποροι τὸ βασιλικὸν νόμισμα οὐκ ἐλάμβανον ἐπεὶ ἀχρεῖον, ἦν ὑπὲρ τοὺς ὅρους, ἀντιφορτίζον καρποὺς τῆς ἐπιχωρίας. Denique Maiorian. Imp. *Nouella* 1. *de curialib.* *Nullus ſolidum integri ponderis calumnioſæ improbationis obtentu recuſet exactor, excepto Gallico, cuius aurum minore æſtimatione taxatur.* Recuſari itaque poterat ſolidus ex auro Gallico, eo quod minoris foret æſtimationis. Sanè apud veteres χρυσὸς ὄβρυζος & κολπικὸς comparantur vt optimum cum deteriore, vndè nummi ex illis cuſi non erant eiuſdem æſtimationis. Gratian. autem *l.* 3. *C. de veteris nummi poteſt.* *Obryſatorum omnium ſolidorum vniforme pretium eſſe edicit*: quia nimirum erant omnes æqualis materiæ, vnde pretium ex illa mutari non poterat. Vides igitur omnibus perpetuò perſuaſum fuiſſe bonitatem, aut vilitatem materiæ, & denique eius qualitatem ad æſtimationem nummi, etiam vt nummus eſt, plurimùm pertinere. Idem de pondere, ſiue quantitate eiuſdem materiæ dicendum eſt, cùm disertè Paul. *non ex ſubſtantia, ſed ex quantitate* dixerit nummum præbere vſum dominiumque. Et ſanè & materiam & pondus in admittendo recuſandoque numiſmate attendi voluit Valentin. *l.* 1. *C. de veteris nummi poteſt.* ita vt ſi pondus debitum ſit, & ſpecies proba, recuſari nequeant ſolidi, licet ſint veterum Principum veneratione ſignati: ſpeciem probam vocat non adulterinam, ſiue vt ait Leo *Nou.* 52. numiſma exiſtat, ἀνεπιλήπτως τὴν μορφὴν ἔχειν καὶ τὴν ὕλην ἀκίβδηλον, καὶ τὴν ὁλκὴν πλήρη, quod formam, materiamque non adulteratam, & plenum pondus habeat. Arrian. *lib.* 3. *ad Epictet.* τὸ τοῦ Καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς, θέλει οὐ θέλει, προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον, Cæſaris numiſma non licet menſario reprobare, neque olerum venditori, ſed ſi oſtenderis, velit nolit dimittere ipſum oportet, quod pro eo venditum eſt. Quò eodem pertinet conſtitutio nuper allata de omnium obryſatorum vniformi pretio, vt ibidem ſapienter obſeruat Cuiac. veterum enim & recentiorum eadem erat poteſtas, æſtimatio, pretium, dignitas, cùm eſſet eadem materia & pondus. Nicephor. in Phoca dixit ταῦτα πάντα βασιλικὸν ἐκτύπωμα φέροντα ἰσότιμον εἶναι τῷ ἄρτι κοπτομένῳ. Et ſanè qui ea numiſmata reprobabat, lege Cornelia tenebatur, illa verò vti videbis apud Paul. *lib.* 5. *ſentent. tit.* 15. eos qui vultu Principum ſignatam monetam præter adulterinam reprobaſſent, honeſtiores quidem deportatione in inſulam, humiliores metallo, aut cruce, ſeruos autem manumiſſos poſt admiſſum crimen capite damnabat. Capitale vero ſupplicium nullo diſcrimine indixit Gratian. *l.* 3. *citata.* Baſilica autem ſic habent κεφαλικῶς τιμωρηθήσεται ὅστις τὰ παλαιὰ ὄβρυζα ὄντα εὐτελέστερον δαπανᾶται: capitaliter punitur qui qui vetera numiſmata obryſa duxerit viliora: quando verò publico inferebantur ſolidi qui non eſſent ex auro eiuſmodi obryſo, quod merum & puriſſimum habebatur, pro eo defectu aliquid amplius exigebatur, quod appellabant pro obryſæ incremento, aut veriùs intertrimento *l.* 4. *C. Theod. de auro coronario*, quod incrementum in auro coronario & aliis ſponte oblatis exigi prohibetur. Iuſtinian. quoque ſuo edicto XI. cauet ne ille prætextus incrementi obryſæ obtendatur illationi ſolidorum, qui ſunt ſpeciei probæ, plurimæ enim fraudes ea occaſione admittebantur, in Ægypto præſertim, quas ſua ſanctione Iuſtinian. amolitur.

Quod verò attinet ad pondus, quantum ad nummi æſtimationem conferret inde colliges, quod in ſingulis ciuitatibus ponderatores ſiue ζυγοστάτας, quorum iudicio nummi probarentur, num legitimi ponderis eſſent, ſignaque illis imprimerent, conſtitui voluerit Iulian. *l.* 2. *C. de ponderat.* & rationem reddit in ea conſtitutione quæ paulò fuſior refertur *in Cod. Theodoſ. eadem leg.* 2. quia emptio venditioque impediebantur quibuſdam repudiantibus tanquam leues ac debiles ſolidos, quos aliqui etiam excidebant, diminuebant, aut adrodebant, ideóque ab Zygoſtatis examinari ſolidos, totamque controuerſiam inter emptores & venditores, eorum ponderatorum iudicio dirimi iuſſit. Inde Syneſ. ad Aſclepiodotum ὡς ἀριθμήσαιεν, ὡς ζυγοστατήσαιεν, ὡς κατασημαίνοιτο τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸ χρυσίον, vt numerarent, ponderarent, vt ſigillo ſignarent aurum. Ita allegat Cuiac. Verùm illa epiſtola ad Aſclepiodotũ vnica eſt numero 126. in qua nihil tale legitur. Pſeudo-Plautus *in Querulo*: *Quid tam ſimile quàm ſolidus ſolido? etiam hic diſtantia quæritur in auro, vultus, ætas, & color, nobilitas, litteratura, patria, grauitas, atque ad ſcrupulos quæritur in auro pluſquam in homine.* Conſtant. eadem de cauſa conſtituit *l.* 1. *Cod. de ponderat.* vt aurum quod fiſco infertur à prouincialibus, ſiue in ſolidis conſiſtat, ſiue in maſſa obryſæ, *æqua lance*; *& libramentis paribus appendatur, & ſuſcipiatur*: vide igitur æquè nummos ipſos, & ſolidos, atque ipſam maſſam, quam ibi *materiam* appellat Imperator, appendi ſolitos; quod ampliùs explicatur *in C. Theodoſ. eodem tit.* vbi & ſeptem ſolidos pro ſingulis vnciis appendi vult, & eandem rationem ſeruandam eſſe: *Si quis materiam inferat, vt ſolidos dediſſe videatur.* Explicat deinde quomodo fieri debeat ea penſio, ſcilicet, *Vt duobus digitis ſummitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad ſuſceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento ſeruato, nec æquis ac paribus ſuſpenſo ſtateræ momentis.* Vt quid verò tanta in explorandis, probandiſve nummis olim diligentia fuit adhibita, ſi tota ipſorum æſtimatio ex lege, aut Principis authoritate pendebat. Ex quibus etiam fit, vt in commerciis, omnique contractu, licèt pecunia aurea, & argentea non deducatur in diſpoſitionem tanquam maſſa quædam, ac rudis & informis metalli quantitas, ſed tanquam pecunia ſignata, nõ accipat tamen totam ſuam æſtimationem à publica forma & charactere quo ſignatur, neque ab authoritate per quam percutitur & ſignatur, ſed à bonitate quoque materiæ probæ, ac ponderis, atque etiam ſub illa veniat in commercia, quæ tamen non haberet niſi ſignaretur: quæ omnia confirmantur *ex l. Creditor* 102. *D. de ſolution.* vbi creditor non obligatur accipere pecuniam ærosam, hoc eſt multo ære corruptã, etiãſi iuſſu præſidis talis effecta fuerit.

Ad

Ad hoc diſſidium,quod fortaſſis de ſolis vocibus eſt,componendum,repetendum eſt quod obſeruauimus *opere de vſuris lib.5.c.1.art.1.n.2.* pecuniam duplicem habere valorem, & vt res eſt, & vt numiſma ſignatum:vocant aliqui materialem, & formalem, intrinſecum & extrinſecum, naturalem,& impoſititiũ ac legalem. Valor igitur pecuniæ materialis,intrinſecus,& naturalis,ſiue vt res eſt,ex ipſa rei ſubſtantia,vti in cæteris omnibus,hoc eſt bonitate intrinſeca, & puritate metalli ſumitur, neque immutatur propter ſignum & characterẽ publicũ ipſi impreſſum,qui etiã non obligat ad ſeruandum valorem lege definitum, niſi quatenus expenditur numiſma præſciſè vt numiſma:hinc apud I.C. *l.numiſmatum 28.de vſufructu,* veteres nummi tanquã gemmæ,& pretioſæ res ita ſeruãtur,ac æſtimantur, vt vſusfructus in illis conſtitui poſſit. De peregrinis verò nummis vendi ſolitis inſtar aliarum mercium multa tradit Briſſon.*lib.1.ſelectar.* ex Voluſio Mætian.*lib.de aſſe*,Plinio *lib.33.c.3.* Quæ etiam ratione intelliges *l.9.§.1.D.ad l.Corneliam de falſis*,neque de eo materiali , aut intrinſeco, & naturali nũmi valore diſputamus hoc loco,vti iã initio monui.

Alter nummi valor formalis,extrinſecus,& impoſititius,ac legalis dicitur, quia conuenit nummo formaliter vt nummus eſt,& nõ prodit ex ipſamet materia,& corpore nummi,vti contingit in cæteris omnibus rebus , quæ ſuum valorem nanciſcuntur ex ſibi interna qualitate;ſed oritur extrinſecus per impoſitionem humanam,& authoritatem publicã, quæ tantum eſſe eum valorem in ſingulis nummis definit:hic nihilominus valor,quamuis extrinſecus adueniat metallo percuſſo, & ſignato,eſt tamen de ſubſtantia & ratione formali nummi , ac monetæ, in quantum nummus ac moneta eſt. Immò eſt eius propria, ſpecifica,ſubſtantialis,& formalis bonitas, & eſſentia, quæ dat ei eſſe, & qua ſublata neceſſariò deſinit eſſe pecunia , & moneta, vt videmus in nummis authoritate publica reprobatis ; qua de cauſa Vlpian.*in l.eleganter 24.§. qui reprobos.D.de pignoratitia actione*, negat eum,qui reprobos nummos ſoluit creditori,liberari,aut pignoratitia agere poſſe:quia nempe reproba pecunia,pecunia nõ eſt. Et ſanè nulla pecunia in quantũ talis deducitur in diſpoſitionẽ,& contractũ,niſi ſub ratione valoris,& quantitatis impoſititiæ,atque vti appellant *currẽtis*, cùm aurei, aut argẽtei nõ numerẽtur tanquã maſſa, aut tanquam certa ſpecies metalli, ſed tanquã moneta, & ſub ratione quãtitatis eius. Denique moneta,pretioſa licèt,non tam conſideratur reſpectu materiæ,quã reſpectu curſus,quod tradũt paſſim DD. cum Oldrado *q.168.ad primum.* Ianu.Faber *in Authentic.hoc niſi.C.de ſolutionibus*, & *in Inſt.quib. modis toll.oblıgat.§.1.* Panorm.*in c. Quando,de iuram.*& aliis:neque aliter explicari poteſt quomodo nũmus non ſit merx , neque per merces aliaſve res æſtimetur, ſed ipſe omnia æſtimet, & menſuret, vti dicebamus ex Ariſtot. πάντα μετρεῖ, *lib.5.cap.8. Ethic.* Pompon.*in l. fideiuſſores 9. D. de fideiuſſoribus*, ait fideiuſſores in partem pecuniæ,& in partem rei accipi poſſe ; quare pecuniã diſtinguit à re. Denique ipſa nummi origo quam tradit Ariſtot.*lib 5. Ethic. c.8.* id ipſum manifeſtè docet οἷον ὑπάλλαγμα τῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην,tanquàm ſubſidiarium quoddam,& ſuccedaneum rerum neceſſarium numiſma factum ex compacto,& velut fœdere communi;inde fit vt pecunia dicatur eſſe de iure gentium,quæ primò rudis pecuniæ,& deinde ſignatæ vſum inuenerunt , probaueruntque, quod explicat Ariſtot.*lib.1 politicor. cap.9.*

His obſeruatis aio primò nummum,eiuſque valorẽ vt ſic, eſſe à publica authoritate, quæ materiã illam elegit vt ſigno publico notata,eſſet rerũ aliarum pretium, ac menſura,& ab omnibus admitteretur in commerciis;illius quoque quantitatem ſiue æſtimationem variè definiuit,quæque illum reprobare,ſiue nummi rationẽ tollere poteſt:quæ omnia conſtant ex hactenus hoc capite diſputatis ,atque ex ſuperiori opere de vſuris,dixitque Ariſtot. verbis ſæpius laudatis νόμισμα ſic dictum à νόμῳ, quia non natura, ſed lege,aut moribus gentium,& vſu, provt vocem νόμος interpretari lubebit, eſt , ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, ideóque in nobis eſſe illud mutare & inutile reddere:nimirum ſi communi conſenſu,aut lege,& authoritate publica, à qua inductum primò eſt, reiiciatur ἐφ᾽ ἡμῖν μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον : neque in hac aſſertione vides poſſe eſſe vllum diſſidium.

6 Aio 2. publicam authoritatem in conſtituendo nummo, eiuſque valorem definiendo, habere debere rationem materiæ, quam ad id elegit, & pro eius pretio,vel vilitate, atque pondere æſtimationẽ conſtituere , ſiue ſpectare bonitatem intrinſecam materiæ, ex qua cuditur nummus;neque poſſe pro arbitrio quam libuerit æſtimationem & valorẽ dare cuilibet materiæ,cuiuſcumque aut ponderis, aut qualitatis fuerit;ſiue vt vno verbo rẽ totam complectar, ſeruandã eſſe proportionem in conſtituẽda iſta nummorum æſtimatione inter materiã,quæ percutitur, eiuſque bonitatẽ naturalem, ſiue in ratione rei, & pretium quod illi tribuitur in ratione nummi. Hæc aſſertio eſt contra quoſdam recentiores,in quibus Butigriũ numerat Molinæus *de vſur. q.100.n.798.* qui volunt in pecunia attendi materiam,eiuſque bonitatẽ,& qualitatem intrinſecam, ſed ſolam æſtimationem publicam,ita vt ex qualibet materia, corio v.g.plumbo poſſit cudi moneta, ex qua ſi publicè probata fuerit,poterit ſolui debitũ in pecunia licèt aurea,aut argentea contractũ. Quæ ſententia ridicula,& irrationabilis eſt,& pugnat cũ natura & origine pecuniæ, ſenſu communi, atque omnium gentium vſu:nam æquè poſſet arte Typographica imprimi pecunia ex papyro,quod quis nõ ridiculũ, & puerile futurum diceret. Atque vt de ipſo communi omnium gentium vſu & ſenſu agã, qui ex vili materia quondam cuſam fuiſſe pecuniã fingunt , meras nugas venditant : quomodo enim coriacea fuerit Carthaginenſium pecunia nuper explicuimus ex Platone, qua ſimili aliqua ratione vilis quarumdam gentium aliarum moneta explicanda erit,licet ea non fuerit diſtinctè tradita,alioquin & cõmercio inepta eſſet,& loco pecuniæ,quę rei alicuius pretio, atque æſtimationi ſubſtituitur, fungi nõ poſſet ; quãuis ſatiùs fuerit dicere ex auditu & vano rumore nobis falſa retuliſſe ſcriptores,aut res illas quæ apud Barbaras gentes caræ,& in pretio erant,pro pecunia vſurpatas fuiſſe,quãuis nobis viles ſint, & nullius momenti, vt de lapillis quibuſdam , quibus vſos fuiſſe nuper dicebamus Æthyopes ; aut fuiſſe tantùm veluti teſſeras , quas qui accepiſſent, poſſent deinde vel ex certo collegio,vel à Republica certum demenſum, aut pecuniæ publicæ ſummam petere. Sanè quod aliqui noſtrates Galli aſſerunt de pecunia coriacea,Ioanne Rege ab Anglis captiuo in vſum inducta , refertque Guido Pap. *deciſione 493.* mera fabula eſt , cùm ex regeſtis monetalibus illus temporis quæ diligenter ſe conſuluiſſe aſſerit Molinæ. conſtet cuſam fuiſſe meliorem monetam , quàm hodie feriatur,cùm aurei nummi, qui ab inſigni pecudis

villoſæ dicebantur *Moutons à la grand laine*, primi anni notam obtinerent, vt ait Budæ *lib. 3. de aſſe*, qui tamen in eo fallitur dum *lib. 5.* primum eorum authorem facit ipſum Ioannem Regem, cùm iam regnante Philippo Pulchro percuſſi fuerint. Deinde pecunia argentea eiuſdem Ioannis ætate duplo melior erat, quàm noſtra hodierna. Æquè falsò aſſirmant alij imperante Ludouico I X. & in expeditione Palæſtinæ verſante coriaceam illam pecuniam inductam fuiſſe. Verùm nullo idoneo teſte. Nos verò oſtendimus certis teſtimoniis perpetuò obſeruatũ fuiſſe, vt metalli infecti & ſignati proportionalis æſtimatio eſſet: nam ideireò Conſtantin. *l. vnic. C. Theodoſ. ſi quis circulum*, omnes ſolidos effigie Imperatoris ſignatos, quamuis diuerſæ menſuræ eſſent, eodem pretio æſtimari voluit, quia eiuſdem erant ponderis, & probæ omnes materiæ. *Omnes ſolidi, in quibus noſtri vultus veneratio vna eſt, vno pretio æſtimandi ſunt, atque vendendi, quamquam diuerſa formæ menſura ſit; nec enim qui maiore habitu faciei extenditur, maioris eſt pretij, aut qui anguſtiore expreſſione concluditur, minoris haberi credendus eſt, cùm pondus idem exiſtat. Quod ſi quis aliter fecerit, aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera.* Vides autem rationem paris æſtimationis in iſtis maioribus & minoribus circulis, non peti ex mera Principis ita iubentis voluntate, ſed ex pari iſtorum omnium ſolidorum pondere; & habitam quoque fuiſſe rationem materiæ inde patet, quod iniquum foret idem pretium facere omnibus æqualis ponderis. Deinde quia ipſe Conſtatin. ſupponit omninò eandem fuiſſe omnium illorum ſolidorum maiorum, & minorum materiam, cùm agat de ſolidis aureis & obryſis, qui fiſco inferebantur, vti aliàs diximus. Et ſanè ibidem eadem pœna capitali plectit illum qui ſolidorum pondus imminuerit, aut materiam adulterauerit: quod ille etiam patietur qui menſuram circuli exterioris adroſerit, vt ponderis minuat quantitatem, vel figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſubieceerit. Vbi vides non puniri adrodentem circulum ſolidi, niſi eius pondus ſimul diminuat, neque ſupponentem alium ſolidum, ſi adulteratus non fuerit, quæ profectò adulteratio non eſt niſi in corruptione, aut mixtione materiæ. Id ipſum Valentin. ſignificat *l. 1. Cod. de veteris numini poteſtate*: debitum enim duntaxat pondus & probam ſpeciem requirit: & *l. 3. Cod. eod.* Gratian. obryſatorum omnium ſolidorum vniforme pretium eſſe voluit, vti nuper referebamus, quia eadem, eiuſdemque puritatis erat ipſorum materia. Conſtituere quoque Imperatores, vt ſolidi ex quocumque titulo fiſcali in maſſam auri redigerentur, atque ita pro ſolidis maſſa in Comitatum tranſmitteretur, *l. 5. C. de ſuſceptoribus*, & *lege 12. & 13 C. Theodoſ. eod.* Eſt verò maſſa rudis, infecta, informis auri, argenti, æris materia, à voce μάζα, vel μαζὰ, quam Ariſtophanis ſcholiaſtes interpretatur ἄλφιτα πεφυραμένα ὕδατι καὶ ἐλαίῳ, farina, aqua & oleo temperatam, Athenæus, libum, & placentas. Senec. *ep. 82. Maſſa in fornacem coniecta concaluit.* De metallis porrò ſæpius eadem vox vſurpatur. Scholiaſtes Thucydidis 2. χρυσίον ἄσημον μὴ ἔχοντος σημεῖον οἷον μάζια τινά: auri non ſignati quaſi maſſæ quædam. Suidas κυμβία μάζιαι χρυσίων. cymbia maſſæ aureorum. Lucan.

Primus Theſſalicæ rector telluris Iolchos
In formam calida percuſſit pondera Maſſæ.

Cai. in *l. 7. § 7. D. de acquir. rerum dom. Vas conflatum ad rudem maſſam auri, vel argenti, vel æris reuerti poteſt in maſſam.* Igitur redigebantur ſolidi dum fiſco inferebantur, aut poſtquam illati erant ad Comitatum iactum transferebantur, vti diximus, vnde Symmach. *ep. 41. lib. 10. Sartius vir perfectiſſimus erept ã ſibi partẽ Cæſarianæ maſſæ crebra actione conqueſtus.* Inde dicitur aurea maſſa, argentea maſſa, & alia ſimilia apud Symmach. *ep. citata*, Caſſiod. *lib. 5. lib. 9. lib. 12. lib. 1. epiſt. 42. lib. 8. ep. 23.* Denique ſcrinium aureæ maſſæ, eiuſque præfectus habetur *l. 7. C. de palatin.* Cùm igitur AA. iubent ſolidos ex quocumque titulo congregatos in maſſam obryſæ, ſoliditatéque redintegrari, *vt largitionum fraudibus aditus obſtruatur*; ſic enim loquitur laudata *l. 12. C. Theodoſ.* oportuit maſſam & ſolidos ex quibus illa conflabatur æqualis eſſe valoris & æſtimationis; alioquin magno diſpendio fiſci id fieret. Volunt autem Imperatores ſolidos illos redigi in maſſam vt deprehendatur, an aliqui ſint adulterini, & an ex illis fiat maſſa obryſa; & præterea, *vt in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta*: nempe vt ſciatur illata maſſa, quot ſolidi illati ſint, atque etiam æſtimetur quanti libra auri æſtimatur, quod falſum eſſet, ſi non æqualis eſſet æſtimatio maſſæ aureæ, & ſolidorum qui ex illa conflantur; v.g. ex auri libra feriuntur ſeptuaginta duo ſolidi qui non pluris valent, quàm libra auri; alioqui qui inferret 72. ſolidos plus inferret quàm qui librã auri, & ille quoque exceſſus pecuniæ ſupra materiã quæ percutitur, amitteretur, quãdo pecunia conflata in maſſam redigeretur. Eandẽ æqualitatẽ æſtimationis inter materiam ſignatam & informem, ſi paris fuerint ponderis, ſupponit Pomp. *in l. 1. § 1. D. de auro & argento legat. Cui certum pondus argenti dare hæres iuſſus ſit, & pecuniam numeratam dando iure ipſo liberatur, ſi in ea pecunia eadem æſtimatio fuerit. quod ita verum eſt ſi non certum genus argenti legatum ſit.* Hanc legẽ ita vulgò DD. interpretantur, vt qui pondus argenti *in* genere debet, liberetur ſolutione æſtimationis ipſius: benè tamen obiicit Salmaſ. *cap. 16. de vſuris*, fruſtra addidiſſe Pomponium; *ſi in ea pecunia eadem æſtimatio fuerit*, ſi agat tantùm de æſtimatione, quæ in pecunia numerata datur; ſatis enim fuerit dicere liberari hæredem dando æſtimationem argenti legati in pecunia numerata, vel dando pecuniam numeratam eiuſdem æſtimationis. Voluit itaque I.C. datũ fuiſſe ab hærede idẽ pondus pecuniæ numeratæ, quod iuſſerat dari teſtator, cùm certum põdus argenti legauerit, addit tamẽ oportere, vt ea pecunia numerata eiuſdem ponderis cum argento legato, eiuſdem ſit æſtimationis, quæ in argento infecto eſſet, ſi illud datum fuiſſet; non poteſt autem intelligi minoris æſtimationis eſſe pecuniam numeratam, quàm argentum infectum paris ponderis; nullibi enim vnquam pondus ſignati metalli viliori pretio taxatum eſt, quàm pondus eiuſdem infecti. Cùm itaque eamdem æſtimationem requirit Pomponius in pecunia numerata, quæ datur pro argento legato æqualis ponderis, non reiicit minorẽ æſtimationem pecuniæ quæ in eo caſu eſſe nequit, ſed maiorem, quæ plerumque, vt ſtatim dicã, reperiri ſolet. Hæres v.g. viginti pondo argenti dare iuſſus eſt, poteſt illud dare in numerata pecunia, ſi in pari pondere argenti non ſignati eadẽ quoque æſtimatio fuerit, ſi etenim maior fuerit, vt plerũque eſſe ſolet, nõ dabit pecuniã numeratam, ſed argentũ non ſignatum; nam dando pecuniam numeratam eodem pondere, plus daret quàm dare iuſſus ſit, neque ſi illud tantum pondus pecuniæ numeratæ daret, quod æquaret æſtimationem argenti legati,

daret

daret profecto idem pondus argenti, quod dari voluit teſtator, quia pōdus pecuniæ numeratæ æquale ponderi legati & non ſignati argenti, maioris æſtimationis eſſet, quàm argentū legatum. Igitur plus daret quàm debeat, ſapienterque reſpondit Pomponius liberari hæredem qui iuſſus eſt dare certum argenti pondus, ſi det pecuniam numeratam eiuſdem ponderis, ſi in ea tamen ſit eadem æſtimatio, quæ in argento legato. Nolo verò accuratiùs expendere hanc Salmaſij explicationem quæ mihi ſubtilior, & nonnihil violenta videtur, ſi enim Pomponius per illa verba, *ſi in ea pecunia eadem æſtimatio fuerit*, excludat maiorem duntaxat æſtimationem pecuniæ numeratæ ſupra argentum non ſignatum æqualis ponderis, malè negaret tunc liberari hæredem, qui dando pecuniam numeratam, & pondus ipſum legatum argenti dediſſet, & præterea maioris æſtimationis, quare non erat locus vllus dubitandi, an ille hæres liberatus foret. Deinde cùm fateatur ipſe Salmaſ. plerumque maiorem eſſe æſtimationem argenti ſignati, quàm non ſignati in pari pondere; non potuit Pomponius exigere vt hæres daret pecuniam numeratam eiuſdem ponderis cum argento, & eiuſdem quoque æſtimationis, cùm ſemper ſit maior æſtimatio metalli ſignati, quàm non ſignati paris ponderis & æqualis bonitatis, quare vt eadem ſit vtriuſque metalli non ſignati & ſignati æſtimatio, aliquid de pondere ſignati minuendum erit; nam in pari pondere cum non ſignato, maioris ſemper erit æſtimationis. Si igitur hæres pecuniam numeratam det pari pondere cum argento, ſemper plus dabit quàm dare iuſſus ſit, & maioris æſtimationis, cùm tamen eandem æſtimationem in pecunia numerata & argento legato poſtulet Pomponius, qui proinde ſecum pugnat, ſi & idem pondus, & eandem æſtimationem poſtulet in pecunia numerata, & argento legato, pro quo datur, cùm illa duo, quod affirmat ipſe Salmaſ. non reperiantur ſimul. Præterea ineptus erit ille hæres, qui vellet pecuniam numeratam dare eiuſdem ponderis cum argento, nam daret aliquid maioris æſtimationis. Denique ſi id temporis nummi, ſiue pecunia numerata æqualis cum metallo non ſignato ponderis, æqualis quoque erant æſtimationis, non debuit Pomponius requirere, vt illa pecunia quæ argenti certo pondere dabatur, eiuſdem eſſet æſtimationis, cùm in æquali pondere non poſſet non habere æqualem æſtimationem, aut ſi inæqualis ea fuiſſet, maior eſſet in pecunia numerata, quàm in argento legato. Non inutiliter tamen adducta ſunt à nobis Pomponij verba, vt oſtenderemus in æſtimatione nummi ſemper fuiſſe habitam rationem valoris, & æſtimationis metalli, ex quo feriebatur, cùm Pomponius dicat pecuniam numeratam aliquando habere eandem æſtimationem cum argento certi ponderis legato, & ab hærede dari poſſe eiuſmodi pecuniam, atque adeò liberari onere legati; quinimò aliquando metallum ſignatum, & non ſignatum æqualis valoris fuiſſe oſtendimus ex C. Theodoſ. & Iuſtinian.

Huic communi conſtantique omnium gentium iuri, fauet euidens ratio ea ipſa nummi inuentione ducta: nam ante nummum percoſſum vtplurimùm auri, argentique maſſæ, & grandes quoque æris moles in permutationibus vicem pretij obtinebant, non ſine incommodo, cùm ſic venditiones difficulter expedirentur, cùm res leuiori pretio æſtimanda cū metalli infecti mole non poſſet commodè permutari: quare viſum fuit operæ pretium grauiores illas maſſas in plures particulas concidere, vt permutabiles forent cum exiguis rebus, & leuioris momenti: deinde inſtitutum eſt, vt illæ particulæ certo pondere formarentur, tum additum, vt illis certi ponderis nota imprimeretur, ne perpetua ſtatera opus foret. Demùm in forma quoque inſculperentur; atque eæ, quæ talem formam impreſſam haberent, taliſque ponderis eſſent, ab omnibus reciperentur in permutationibus; & quidem initio nota pondus duntaxat indicabat, & ex pondere dignoſcebatur cuius eſſet æſtimationis ea quantitas materiæ, non ſine relatione profectò ad metalli pretium, quod habere conſueuerat, quando maſſa ipſa permutabatur in vſu publico & communi; forma verò & character publicus qui adiectus eſt id confert præter ponderis indicationem, vt à ciuibus recuſari in commerciis non poſſit, & vt probos ac legitimos ab improbis & adulterinis diſtinguat. Formam Græci nominant *κόμμα*, & omnia quæ fucata & incruſtata ſunt *πονηροῦ κόμματος*. Excuſus igitur fuit nummus, quod nuper mouebamus ex Ariſtot. vt ſubſtitueretur loco rei quæ cum alia permutabatur, & foret pretium rei, quæ emebatur. Debet igitur conſtare ea materia quæ æqualis ſit valoris, cum re quæ in alterius rei pretium aut permutationem tradebatur: nam ſi fruſtum corij, aut lapidis pro inſigni gemma, quæ cum prædio permutabatur ſupponeretur; quis cum eo corio, quamuis forma publica ſignato, vel prædium permutare, aut ipſum, loco eximiæ & ingentis æſtimationis gemmæ habere vellet? Maneat igitur quod probandum ſuſceperamus in definiendo nummi valore, ſemper habitam fuiſſe rationem ad valorem & æſtimationem metalli, ex quo percutitur, & ſeruatam eſſe vel æqualitatem, vel ſaltem proportionem aliquam inter metalli ſignati & non ſignati æſtimationem.

Aio tertiò non eſſe neceſſariam æqualitatem om- 7
nimodam inter æſtimationem maſſæ metallicæ, & pecuniæ ex illa ſignatæ, contra Gloſſ. *in l. 1. D. de contrah. emption.* quam ſequuti deinceps ſunt Bart. Bald. Lancelot. Curt. aliique laudati à Molinæ. à quibus non multùm abeſſe videtur Budæ. *lib. 5. de aſſe*, qui omnes tantùm valere volunt metallum non ſignatum, quàm ſignatum, & cuſionis expenſas fieri oportere de publico; quæ quidem æqualitas optanda eſſet, ea illa enim maxima commerciorum vbique facilitas oriretur, nullo collybiſtarum interuentu, & ſine intertrimento collybi vbique exercerentur; quia nummi vbique eiuſdem eſſent poteſtatis, tolleretur quoque occaſio adulterandi monetam, quia ex ea falſatione damnum potiùs, quàm vtilitas proueniret, pecunis ſiquidem non plus valeret, quàm materia ex qua conflaretur, prouinciæ quæ mineris auri, argentiue carent, & tamen frugibus ac mercibus abundant, auro quoque & argento affluerent eo maiori copia, quo plures merces ipſis natiuas aliæ exteræ ſibi comparare cogerentur, & cum ſuo auro, argentóve comparare. Ea nihilominus æqualitas potiùs optanda eſt, quàm ſperanda, & rarò admodum obſeruata eſt, nam ferè vbique obtinuit vſus, vt nummus aliquid amplius valeret, quàm infectum metallum ex quo cuditur, ac proinde mille aurei nummi plus valere quā maſſa auri ex qua conflantur, quia ferre cuſionis impendia non vult Princeps, & ea ipſa percoſſione compendium aliquod percipere iure poteſt, vt dicemus *articulo* 12. quod non faceret ſi æqualis æſtimationis eſſet metallum non ſignatum cum ſignato. Idcircò voluerunt Imperatores

aureum ſolidum pluribus nummulis diſtribui per argentarios, quam in vſu publico & communi reciperetur; nam Theodoſ. *in Nou.25. de pretio ſolidi*, iubet ne vnquam intra ſeptem millia nummorum ſolidus diſtrahatur, emptus à collectario ſeptem millibus ducentis; quod ſi ſolidum aureum acciperent argentarij à priuatis cum minuta pecunia permutandum, ſi vulgò permutari ſoleret ducentis ac decem æreis follibus, pro eo dabant tantùm centum & octoginta, quod Iuſtinian. inſtituit, & ita ſextam partem lucratus eſt: quare mirum non erat ſi Imperatores volebant inferri obryſam maſſam pro ſolidis, aut tot ſolidos quot ex auri obryſa libra conflari poterant, vti nuper dicebamus; quia ipſi deinde ſolidos pluribus æreis nummis permutabant, quàm in vſu communi valerent, ob cuſionis ſine dubio impenſas: minùs igitur valet metallum, quàm pecuniæ ex eo cuſæ, ſeruata tamen proportione quadam ad illius æſtimationem, de qua proportione ſic definio, &c.

7 Aio quartò, quandoquidem difficilè obtineri poteſt, vt detracta impenſa cuſionis & aliis Principum iuribus, retineatur optata illa æqualis proportio bonitatis intrinſecæ metalli ad extrinſecam, ſiue impoſititiam nummi vt ſic, debere tamen haberi congruam, quæ non conſiſtit in indiuiſibili, ſed in latitudine quadam, intra terminos tamen iuſtitiæ & æquitatis, qui continentur commoda & æquali, & quantumlibet perpetua, & ſtabili omnium legitimorum commerciorum conſeruatione, & expeditione intus, & extra, domi, foriſque.

Hac aſſertione definio in vniuerſum in quo conſiſtat illa proportio, quæ inter æſtimationem materialem & formalem nummi, ſiue inter bonitatem eius intrinſecam & impoſititiam conſtitui omninò debet, vti conſtat ex duabus proximis aſſertionibus, & quantus ſit oportet exceſſus metalli ſignati ſupra non ſignatum, & dico in primis hanc proportionem non conſiſtere in indiuiſibili, ſed habere latitudinem quandam, quod in pretiis aliarum rerum contingit, in quibus datur latitudo à ſummo ad infimum, & quæ pro variis circumſtantiis variantur, augentur, aut minuuntur, quæ eædem circumſtantiæ in metallis & nummis ſæpius reperiuntur: terminos verò latitudinis huius proportionalis æſtimationis inter metallum ſignatum & non ſignatum, ſiue inter bonitatem intrinſecam in impoſititiam nummi, quam iuſtam eſſe oportere nemo negabit, aſſignaui commoditatem, & æquitatem commerciorum domi, & foris inducendam, & retinendam: neque enim aliud reſpicere debet Princeps, qui pecuniæ æſtimationem definit, quàm illud ipſum propter quod pecunia excogitata fuit, nempe ad commoda commerciorum ſtabilienda, & expedienda; quatenus igitur eiuſmodi definitio æſtimationis pecuniæ commerciis cum ciuibus, aut cum exteris incommodabit, eatenus erit iniuſta, faciet quippe iniuriam Reipublicæ, quam externis commerciis priuat, atque adeò illa copiâ, & commodis quæ ex illis capiebat. Iniuſta quoque erit erga ſingulos ciues, qui neque inter ſeſe celebrare commercia, neque illis abſtinere ſine ſuo maximo damno poſſunt: vbi verò vel Reipublicæ neceſſitas, vel commerciorum vtilitas, aut conſeruatio certam aliquam æſtimationem pecuniæ poſtulabit, & aliunde non violabitur æqualitas, iuſta erit eiuſmodi definitio. Atque hanc vniuerſalem, certamque regulam attendere omninò debent Principes eorumque miniſtri in definienda re nummaria, & DD. in explicandis variis quæſtionibus, quæ circa eiuſmodi definitionem valoris nummi ſolent nonnumquam excitari, ne Principes eorumque miniſtri pro ſolo arbitrio monetæ curſum præſcribant, ſed æquas leges nummarias ſanciant, aut ne alij eiuſmodi ſanctionibus abutantur, quod iterum *art.13.* monebimus.

Aio quintò publicam authoritatem ita æſtimationem nummi, vt ſic definire, ſiue illi pretium dicere, vt ſimul quoque æſtimet metallum ex quo cuditur, pro eius naturali & intrinſeca bonitate, & conditionibus tum intrinſecis, tum extrinſecis, ex quibus eius valor definiri ſolet. Et quidem metallo ex quo percutitur nummus, pretium poni poſſe ab authoritate publica, attenta eius bonitate, ac qualitate intrinſeca, variiſque aliis conditionibus nemo negabit opinor, cùm pretia rerum omnium vel lege, vel vſu ipſo, vel ſapientum ſententia conſtitui ſoleant, vti dicemus *lib. prox.* atque adeò ſubinde mutentur pro variis cauſis, quæ illa vel augeri, vel minui poſtulant; idque videmus in omnibus metallis infectis, gemmis, lapidibus, aliiſque eiuſmodi. Principes verò quoties æſtimationem nummi taxant, materiæ quoque ipſius ſiue metalli quo conſtat pretium definire ſequitur ex hactenus diſputatis; cùm enim æſtimatio & valor formalis nummi vt ſic ſumatur cum ordine ad metallum, quod eſt eius materia; & proportio aliqua ſeruari debeat inter æſtimationem metalli non ſignati & ſignati, quamuis iſtius æſtimatio maior aliquantò eſſe ſoleat, quæ omnia demonſtrauimus hactenus; non poteſt definiri valor nummi, niſi & valor metalli definiatur, cùm valor nummi vt ſic, & formaliter ſumpti, valorem quoque metalli contineat, vel in recto, vel in obliquo, primò tamen, & per ſe, atque adeò inſeparabiliter. Vnde etiam fit, vt quoties valor monetæ variatur à Principe, varietur quoque valor materiæ nummariæ, atque adeò in mutatione æſtimationis nummi, attendi maximè debeat variatio æſtimationis materiæ ipſius, vtrum iuſta & licita exiſtat, an verò iniqua. Quomodo verò fiat tota illa mutatio, paucis indicauimus *opere de vſur. lib.1. capit.3. art.4. num.37.* & fuſiùs exponemus hac ipſa diſputatione *art.13.* 8

Aio ſextò totum valorem & æſtimationem nummi, vt nummus eſt, eſſe à lege & authoritate publica, non tamen arbitrarium exiſtere. In hanc aſſertionem reipſa conſentiunt omnes DD. quamuis verbis inuicem pugnare videantur, nam cùm totus nummi vt ſic, & formaliter ſumpti valor conſtet ex valore metalli quâ ſignati, & non ſignati, vti fuit oſtenſum, & vtrumque valorem tum metalli, tum nummi vt ſic definiat lex, neque poſſit præſcribere valorem nummo vt ſic, niſi ſimul & neceſſariò præſcribat eius materiæ, ſanè totum valorem nummi vt ſic, præſcribit: non tamen pro mera ſua libidine, & arbitrio, cùm neque valor & pretium metalli, ſicut neque aliarum rerum, etſi ab hominibus definiatur, arbitrarium ſit, ſed pro bonitate ac qualitate cuiuſque, attentis eius omnibus conditionibus tum intrinſecis, tum extrinſecis conſtituendum ſit; alioquin iniuſtè conſtituitur. Non poterit quoque metalli ad percutiendum nummum deſtinati pretium pro ſola voluntate ponere, & eius bonitatem & qualitatem intrinſecam, omneſque conditiones attendere debebit: deinde cùm valor nummi vt ſic, quem extrinſecum & impoſititium nominant, non poſſit definiri niſi in ordine ad bonitatem, & qualitatem 9

metalli,

metalli, ex quo conflatur, non poterit valor ille ſine formalis, ſiue extrinſecus dicatur, poni pro imponentis voluntate, ſed quatenus valor materiæ cum quo congruam habere debet proportionem, poſtulabit. Doctores itaque qui dicunt totum valorem nummi, vt nummus eſt, eſſe à lege aut Principe, verè dicunt, quia Princeps, & materiæ nummi, & nummo ipſi in ordine ad certam eius materiam pretium ponit, eumque valorem ex ſeſe non haber nummus, ſed prout talis materia ad nummum percutiendum electa, æſtimatur ab ea authoritate, quæ ipſam ad nummum cudendum elegit. Qui verò negant nummi valorem eſſe totum à lege, vel Principe, nihil aliud negant, quàm Principem pro arbitrio abſque reſpectu ad pretium intrinſecum materiæ nummi, vt nummi æſtimationem conſtituere, quod ſanè contendunt qui nummi valorem à lege, vti Ariſtot. eſſe docent. Itàque reipſa non diſſident DD. in hac controuerſia, idem enim docent, & verborum diſſidio pugnantes implicatiſſimæ, vt videbatur controuerſiæ maiorem lucem affundunt.

ARTICVLVS VI.

De Veterum nummis æreis.

Communia nummis & ponderibus nomina 1. 2.
Nummi ſingulares, & nummorum collectio iiſdem nominibus deſignantur. 3.
Nummi diuerſæ quantitatis iiſdem nominibus appellati. 4.
De aſſe. 5.
Quid as graue. 6.
Aſſis diuiſio in minores nummos. 7. 8.
Diuiſio aſſis per adiectionem. 9.
Minuti nummi Græci, Hebræi. 10.

CVm vti monuimus ex triplici duntaxat metallo percuſſi olim fuerint, hodiéque percutiantur nummi, ære nimirum, auro & argento, de triplici illo nummorum veterum genere quantum patietur ſuſcepti inſtituti ratio pauca perſtringenda ſunt, ſi priùs nonnulla obſeruauerìs.

1 Atque in primis repetendum eſt quod *lib.* 1. *cap.* 6. atque hoc ipſo ſæpiùs monuimus, pleraque nomina nummis & ponderibus communia eſſe: nam nummus omnis pondus eſt, ſed non omne pondus eſt nummus: vncia v. g. & libra pondus eſt, non nummus, at verò drachma & nummus, & pondus eſt, octaua nimirum vnciæ pars, & cæteri quoque nummi pondera ſunt, quare qui de ponderibus Latinè ſcripſerunt, & περὶ σαθμῶν Græcè, nomine σαθμῶν non tantùm vera pondera, vt vncias, libras, talenta, ſed etiam nummorum omne genus comprehenderunt; & Euſeb. *in Eclog.* περὶ σαθμῶν nummos aureos, argenteos, æreos σαθμοὺς vocat. *Prædicti*, inquit, σαθμοὶ *aliquando conflabantur ex auro, alias ex ære & ferro, prout ferebant tempora & loca*: οἱ προειρημένοι σαθμοὶ ποτὲ ἐκ χρυσίου ἐτυποῦντο πάλαι, ποτὲ δὲ ἐξ ἀργυρίου, ἄλλη δὲ ὅτε καὶ ἐκ χαλκοῦ, καὶ σιδήρου, καθὼς εἶχον οἱ χρόνοι καὶ οἱ τόποι. Sanè hæc pondera aurea & argentea fuere numiſmata, ſicut ærea, & ferrea, ipſaque prima nummi origo docet nummum fuiſſe pondus ex ære aut ferro primùm appenſo, & certo pondere definito, vti oſtendimus, imò & antiqua nomina nummorum à ponderibus deſumpta fuiſſe conſtat, λίτρα enim & pondus & nummum Siculis ſignificauit. Græci ὁλκὴν vocant drachmam & pondus, iidem appellant σατῆρα quatuor drachmarum nummum ἀπὸ τοῦ ἱςάναι, quod eſt pendere, inde στατίκη pōderario, & στατὸς Heſich. pondus, Æolibus σπαλὶς, σπολὶς, πολὶς, & Latinis pondus, Hebræis ſicel, quem Græci σίκλον nummi genus vulgatiſſimum à pondere. Chaldæi libram nominant pheles, & ſiclum philes, ex quo Latini folles cum exiguum nummum, tum nummorum coaceruationem dixerunt. Chaldæis & Syris *philem* ponderare eſt, & minutus nummus, plurimorum nummorum, & aliarum rerum pondus. Arabes phalas minutum nummum habent. Ab eadem voce Syriaca *pheles* ducta quoque Græca ὀβολὸς, nam olim ὀφελὸς & ὀβολὸς vſurpabantur. Denique τάλαντον Græcis nomen eſt lancis & ponderis, quod certa nummorum ſumma coaceruata traderet. De ea voce aliàs *cap.* 6. dictum fuit. Omnes igitur nummi pondera etiam ſunt; quandonam verò nomen alicuius numiſmatis pro pondere tantùm, aut pro nummo vſurpetur ab ſcriptoribus, facilè fuerit ex ſubiecta materia conijcere, neque licebit aliquid nummum negare, quia σαθμὸς vocatur, neque etiam omnem σαθμὸν nummum appellare, quia pondus cum nummo idem nomen obtinet.

Hinc tamen fit, vt pleraque nomina nummorum conueniant tam æreis, quàm argenteis, atque etiam aureis, quod docebimus inferiùs, quia æqualis ſunt ponderis: v. g. quia aſſis æreus, didrachmalis fuit ponderis, & quarta pars vnciæ, hinc didrachmum argentei aſſis nomine donarunt: nam in Lexico veteri legitur ἀσσάριον τοῦ παλαιοῦ ὀβολοῦ τὸ τέταρτον ἀσσάριον ἐξ ἀργυρίου λεπτὸν ἑπτά: in alio quodam eoque veteri ἀσσάριον τοῦ ἀργυρίου σαθμὸς γραμμάτων ἐξ. Eadem quoque de cauſa numiſma aureum, aſſalis, vt ita dicam, ponderis, aſſem quoque nominarunt, quæ denominatio manſit etiam vbi pondere diminutus fuit aſſis: quare Iulianus anteceſſor treſsé appellat τρία νομίσματα, vel tres ſolidos, veteres enim aſſem pro ſolido & toto vſurparunt, & deinde vice verſa ſolidum pro aſſe nummo, indeque ſolidus aureus, & aſſis aureus pro eodem, quòd aſſis ærei pondus haberet. Denique quia veteres Latini aſſem pro monade poſuerunt, & aſſis ſiue ſolidus aureus ſex millibus nummorum permutabatur, idcircò μονὰς id eſt aſſis, apud calculones numerus eſt ἑξακισχιλίοι. Folles quoque, & æreos & argenteos eſſe inferiùs docebimus, quod & alij de denariis & ſeſtertiis, aliiſque quibuſdam nummis contendunt: quare in legendis ſcriptoribus id diligenter aduertendum eſt.

Secundò ex hac eadem ratione ponderis nummo communi fit, vt ſicut pondus in ſuas partes, & veluti minutias diuiditur, ita & nummus eiuſdem nominis in ſuas ſimiles partes, ſiue in partiales & minores nummos diſſecetur. An verò in omnes, ſiue in tot minores nummos, quot ſunt minora pondera in maiori pondere nummo cognomini, diſquiram ſtatim.

Obſeruandum prætereà eſt æs eſſe pretium argenti & auri æſtimatione ac pondere. In omnibus 2
enim nummis pretium eſt ex metalli ſui pondere, quare ſicut argentea pecunia poteſtate τῇ δυνάμει, ac pretio continet æream, ita & eius pondus. Itaque

moneta quæ maior eſt in metalli pretio, & in pondere minor, continet & comprehendit illam quæ in pretio minor eſt, & maior in pondere. Indeque fit vt aliquando rei nummariæ ſcriptores, illi nummo qui plus habet in pretio, vilioris nummi pondus adſcribant, quia pecunia minor pondere, & æſtimatione maior, complectitur, ſiue potiùs exæquat pondus & numerum illius monetæ, quæ æſtimatione quidem & pretio minor eſt, ſed pondere ac quantitate maior; qua de cauſa Gloſſæ Nomicæ ſingolis denariis tribuunt pondus libræ vnius & trium vnciarum, & Lexicon vetus δηνάριον σταθμίζει λίτραν μίαν οὐγκίας τρεῖς, cùm tamen id falſiſſimum exiſtat ſi de ſolo metalli pondere agamus: nam denarius metalli ſui σταθμῷ non plus pendet quàm vnciæ octauum; at verò pretio & τῇ δυνάμει æquiualet libræ vni & tribus inſuper vnciis æreis, ſiue continet in ære libram vnam & tres vncias, ſexaginta enim aſſes eius ponderis habet ex Heron. Epiphanio & Maxim.. Simili ex cauſa Euſebius citata Ecloge περὶ σταθμῶν, & alij quidam denarium Romanum quatuor vnciarum faciunt, qui tamen ſeptimam tantùm vnciæ partem pendebat. Verùm quia ſexdecim aſſes continebat, ſiue æquiualebat ſexdecim aſſibus, idcircò dixerunt denarium eſſe quatuor vnciarum, ſiue quatuor ſeſtertiorum vncialium. Idem contingit in milliarenſi argenteo, qui quintam tantùm vnciæ partem in argento pendebat, illum tamen quidam decem vnciarum pondus habere tradiderunt μιλιαρήσιον στρατιωτικὸν δέκα οὐγκιῶν, nempe ſi ad æs quo æſtimabatur, referretur, nam relatum ad argentum ex quo feriebatur non habebat pondus illud decem vnciarum. Quibus exemplis à Salmaſ. aduerſùs Circoetium allatis, facile foret alia adiungere. Ex iis autem colligitur regula à nobis ex eodem Salmaſio tradita, nonnunquam nummo, qui plus habet in pretio & minus in metalli pondere, aſſignari, & adſcribi vilioris nummi, quem continet, pondus, licèt multò maius, quia moneta minor pondere, ſed maior metalli pretio, continet in ſe æquiualenter totam pecuniam inferiorem, qua æſtimatur, licèt illa & numero, & pondere præcellat.

3 Obſeruandum eſt tertiò nomina quædam nummorum ſignificare tum certam quandam ſummam, collectionem, & numerum nummorum ἄθροισμα, tum ſingularem aliquem nummum. Sic folis vel follis; eſt enim φόλλις βαλλάντιον, in Gloſſis Nomicis φόλλις σταθμὸς ἐστὶ λεγόμενος, καὶ βαλλάντιον. Idem habet Her. & alij, atque ipſa vetus verſio Epiphanij *lib. de ponderibus*. Βαλλάντιον autem eſt pecuniæ ſumma & nummorum ἄθροισμα, qui in ſacculum coniiciuntur, vnde Satyric. *tonſo folle reuerti*. Eſſe quoque certum & ſingularem nummum follem conſtabit inferiùs, atque ipſæmet Gloſſæ Nomicæ produnt, fuitque tum æreus, tum argenteus, vti explicabimus. Talentum & ſummam eſſe pecuniæ conſtat, & aliqui ſingularem quoque nummum aliquando extitiſſe, eumque non magnum, contendunt, quod inferiùs commodiori loco agitabimus.

4 Obſerua quarto loco nonnunquam diuerſæ quantitatis nummos, ſiue diuerſi, ſiue eiuſdem generis eodem nomine deſignari: nam aſſes primùm librales, deinde imminuti, idem tamen nomen retinuere; ita vt viliſſimum nummum æreum, & omnium minimi pretij aſſem dicerent. Catull.

Rumoreſque ſenum ſeueriorum
Omnes vnius æſtimemus aſſis.

Et Iuuen. *Satyr.* 14.

—— Merſa rate naufragus aſſem
Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur.

Sueton. *in Aug. cap.* 91. *Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certo emendicabat à populo, cauam manum aſſes porrigentibus præbens.* Qui aſſes, vt vides minuti nummi erant, quales erogari ſolebant pauperibus, & mendicis cauam porrigentibus manum: nam hominibus liberis, & honeſtis cauare manum etiam cùm aliquid acciperent, probro vertebatur. Ruffini Præfecti prætorio Orientis; imperante Honorio cæſi, manus in eam formam conlata, ludibrij cauſa per Romam circumlata eſt. Fuit & illud de Atheniensium auaritia τὴν χεῖρ᾽ ἐπίχει, καὶ ἀποθνήσκων Ἀττικός: Athenienſis vel moriens cauat manum. *Cic. lib.* 2. *officior.* §. 58. *Marcus Seius aſſe modium populo dedit*: & *lib.* 3. §. 61. *Non licitatores venditor, nec qui contra aſſe liceatur emptor apponet*: & *orat. pro Quinctio. Tum Næuius qui Quinctium ſummas in anguſtias adductum putaret, vt eum ſuis conditionibus in ipſo articulo temporis adſtringeret, negat aſſem ſe daturum.* Liu. lib. 4. *M. Minutius boue aurato eſt donatus, ne plebe quidem inuita, quia frumentum Mælianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diuiſit.* Plin. *lib.* 21. *cap.* 3. de Scipione Serapione agens: *Nec erat in bonis funeris impenſa, aſſes ergo contulit populus, ac funus elocauit*: & *lib.* 19. *cap.* 4. *Etiamne in herbis diſcrimen inuentum eſt? opiſque differentiam fecere in cibo etiam vno aſſe venali?* Inde prouerbium aſſem elephanto dare: quare Auguſtus militi timidè libellum porrigenti inquit, *Noli dubitare quaſi aſſem elephanto des.* Quintilian. *lib.* 6. *cap.* 3. Macrob. *lib.* 2. *ſatyr. cap.* 3. pro aſſe dixit ſtipem Sueton. *cap.* 53. qui erat modus argyſtarum, qui eiuſmodi belluas oſtentant, ex Ælian. *lib.* 6. *de animal. cap.* 10. Stipem hanc vocat Galen. *initio libri poſtremi, de vſu part.* ἀγυρτικὸν νομίσματα. Denique *Matth.* 10. *verſ.* 29. οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται: nonne duo paſſeres aſſe væneunt. Cùm igitur maiores minoreſque nummi vno, eodemque nomine ſæpius donentur, attendendum erit diligenter de quo nummo ſit ſermo, ne homonymia fallamur.

Obſeruandum denique eſt variis ætatibus varias fuiſſe pecuniæ mutationes, veteribus tamen, iiſdemque retentis nominibus, quamuis & formæ ipſæ, & æſtimatio plurimùm variatæ fuerint, quare quanam ætate ſcripſerint authores inſpiciendum erit.

His ita obſeruatis certum eſt ex nummis æreis primum eſſe aſſem, cæteros verò omnes vel eius duntaxat eſſe partes, vel ipſum multiplicatum. Et primò quidem fuere graues aſſes, iique librales: quare Halicarnaſſ. *lib.* 9. ἦν δὲ ἀσσάριον χάλκεον νόμισμα βαρὺ λιτραῖον, aſſem quoque libralem nummum fuiſſe ait, & *L.* præſcripta notatum, vt pondus eius notaretur. Agell. *lib.* 20. *cap.* 1. vſos libralibus aſſibus Romanos dicit. Plini. *lib.* 33. *c.* 3. *libralis aſſis appendebatur*: vnde videas erraſſe Chariſium Grammaticum, cùm ſcribit antiquis dictum fuiſſe *aſſarium*, qui nunc dicatur *as*, non *aſſis*, qui eius genitiuus eſt; nam & *aſſis* pro *as* à Plinio, vti retulimus dictus fuit, & à Donato *in Terent.* Phorm. *Aſſis*, inquit, *libra erat, eiuſque partes variæ.* Dixere & aſſipondium teſte Varrone *lib.* 4. *de ling. latin. Ideò quod as erat libra pondo*: vrgente tamen Reipublicæ neceſſitate facta eſt huius ponderis immutatio, quod Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. tradit; nam primo bello Punico, cùm impenſis Reſpublica non ſufficeret, 5

ſufficeret, *conſtitutum eſt vt aſſes ſextantario pendere ferirentur, ita quinque partes facta lucri, diſſolutumque æs alienum:* poſteà Annibale vrgente, Q. Fabio maximo dictatore aſſes vnciales facti, ita Reſpublica dimidium lucrata eſt: mox lege Papyria ſemiunciales aſſes facti. Eadem habet Feſtus. Alciatus *lib. de ponderibus & menſur.* locum Plinij corruptum eſſe contendit, & pro *ſextantarios*, reponendum eſſe *dextantarios*; emendarique vult illas voces *quinque partes lucri facta*; legendumque *quinta pars facta lucri*; ait enim dextantario pondere percuſſos eſſe aſſes,ſiue duabus vnciis minores, & dictos eſſe ſextantarios, quia ſextans illis deerat, ita reliqua parte facta lucri, diſſolutum eſt æs alienum non magno populi detrimento,cùm ſolum quinta pars deeſſet, duæ enim vnciæ quinta pars eſt dextantis. Fuiſſet verò maximum damnum ſi pro duodenis, ſolæ binæ vnciæ reſtituerentur: quare non *quinque partes*, ſed *quinta pars lucri*, apud Plinium legi debet: deinde vnciales aſſes facti ſunt, itaque nominati, quòd alia vncia præter ſextantem iam detractum ablata eſſet, & ita Reſpublica dimidium lucrata eſt eius, quod dempto ſextante lucri faciebat: mox lege Papyria ſemunciales facti ſunt, detractaque etiam alia vncia ſemis, quo fit vt pro duodecim, ſolæ ſeptem cum dimidio penderentur: qua ratione ſequebatur vt ſeſtertius quatuor aſſibus, denarius ſexdecim æſtimaretur, vti monet Plinius, quem ſic intelligendum emendandumque eſſe vult Alciat. *loco citato*, cui conſentit Philander *in ſuis ad Vitruuium ſcholiis.* Hanc Alciati & Philandri opinionem plunbus confutat Hotman. *lib. de re nummar. part.* 1. *cap.* 10. & vulgatam Plinij lectionem retinendam eſſe contendit; in primis quia vult Alciatus aſſes dextantario tantùm pondere, dictos eſſe ſextantarios, quòd ſextans iis deeſſet, cùm tamen ponderale nomen nunquam imponatur ex pondere quod rei deeſt, ſed quod ineſt. Sic dicebant aſſem libralem, & vnciarium, quòd vnius libræ, vel vnius vnciæ foret, & Clodiam Quadrantariam, quòd quadrantem pro flagitij mercede caperet. Cum igitur Feſtus ſcribit ex aſſibus librariis factos eſſe ſextantarios decreto Patrum, quis aliter interpretetur quàm factos eſſe ponderis ſextantis, aut ſextantarij, atque vt diſertè habet Plin. ſextantario pondere ferirentur. Eodem vitio laborat, quod ait Alciat. aſſes vnciales factos, quòd ipſis præter illum dextantem vna inſuper vncia detracta eſſet, cùm enim potiùs illos ſic vocaſſet Plin. quàm dodrantarios, dici quoque debuiſſent quadrantarij quibus quadrans deeſſet,& apud Liuium, vnciarium aut ſemunciarium fœnus explicandum foret de mente Alciati, cùm debitor aſſem dempta vncia, vel ſemuncia diſſolueret, quod abſurdum foret. Neque rectiùs *quintam lucri partem*, pro *quinque lucri partes*, reponit Alciat.nam debitor qui pro duodecim vnciis, denas ſoluendo liberatur, non quintam debiti partem lucratur, ſed ſextam duntaxat, cùm enim ſint in aſſe ſemiſeſtantes, qui ſenos ſoluendo liberatur, ſextam tantùm partem lucratur.

Obiicit Alciat. Feſtum affirmare percuſis ſextantariis aſſibus, æs alienum diſſolutum fuiſſe, & priuatis quibus publicè debitum ſolui oportebat, ſatisfactum fuiſſe, non magno damno, quod falſum eſſet, ſi vnus tantùm ſextans pro ſenis ſextantibus ſoluebatur.

Reſp. in eiuſmodi neceſſitatibus haberi potius rationem publici commodi, quàm priuatorum, qui ſuo etiam damno publicum bonum curare tenentur, ideòque aliquando penniſſum fuit obæratis pro nummis argenteis, æreos, aut æroſos creditoribus obtrudere,vti Caius Manlius receuti Patrum memoria factum eſſe affirmat apud Saluſt. Reſpondet ſecundò Hotman.Feſtum eo loco compenſationis commodum attendiſſe,qnia ſicut populus, hoc eſt, ærarium, duo v. g. æris millia ſoluendo liberabatur debito duodecim millium, ita priuati qui ærario, tributi v. g. nomine duodecim millia debebant, liberabantur viciſſim duo millia ipſi ſoluendo, quare ex mutua illa compenſatione, vtriuſque partis detrimentum plurimum minuebatur. Dices ſecundò Feſtum ſcribere, *Septennio quoque anne vſus eſt in priore numero, ſed id non permanſit in vſu, nec proceſſit in maiorem.* Quibus verbis ſignificare illum aliqui exiſtimant poſt ſeptennium graues aſſes in vſum fuiſſe reuocatos, atque deinceps librales fuiſſe.

Reſpondeo hunc Feſti locum manifeſtè fuiſſe corruptum,vt loquendi modus *ſeptennio anno*, ſtatim oſtendit; quare ex illis verbis Feſti nihil certi colligi poteſt, itaque emendat Hotman. vt velit Feſtus populum dixiſſe *ſeptennium* pro *ſeptimo anno*, ſicuti dicebant ſexennium, & ſeaenues: id tamen non diu permanſiſſe in vſu, neque proceſſiſſe in maiorem numerum: cum non dicerent octennium, aut nouennium. Maneat igitur aſſes tum primò grauiores, deinde leuiores percuſos fuiſſe, immò & leuiſſimos, vt nuper monebamus.

Ex hac aſſium grauiorum & leuiorum diſtin- 6
ctione, quid eſſet æs graue colligit Hotman. qui ait eſſe librales aſſes, non autem æs rude, & informe, vti exiſtimabant Budæ. & Scaliger: cum Hotmano cenſuit Salmaſ. nam *lib. de vſur. c.*19. æs graue aſſes librales ſignatos intelligit, at verò *lib. de modo vſur. cap.* 6. extra controuerſiam ponit quamdiu aſſes fuere librarij, graue æs non alia notione acceptum eſſe quàm de ære ſignato; vbi verò fuit aſſium pondus imminutum, æris grauis nomen, non niſi de rudi infecto fuiſſe vſurpatum. Gronoui. *lib.* 3. *de pecunia vetere cap.* 15. ſapienter obiicit nihil cauſæ fuiſſe cur cùm æs libræ pondo fuit, diceretur æs graue, cùm omne tunc graue eſſet, neque adhuc extiterat numiſma, quod minori pondere accederet ad idem pretium, ad cuius diſtinctionem alterum graue appellandum foret: vbi autem æs leuius percuſſum eſt, neceſſaria fuerit ea nominum, ſicut & ponderum diſtinctio, qua de cauſa ipſe Salmaſ. *cap.* 19. *de vſur.* monet nunquam fuiſſe dictum graue argentum, quia nummus argenteus nunquam in graui & magno pondere percuſſus eſt, vt à minuto propterea ac leui diſtingui deberet: quæ tamen non ſatis cohærere videntur cum iis quæ *lib. de modo vſurar. c.*6. de denarij pondere apud Romanos eodem modo atque aſſis, & libellæ imminuto tradidit. Satis nobis ſit, quamdiu as libralis extitit, nomen & diſcrimen æris grauis ignoratum fuiſſe, vbi autem leuiores aſſes percuſſi ſunt, graue æs, & de ære rudi, & de ſignato fuerit vſurpatum; neque enim vſus nummorum ſtatim ſuſtulit vſum maſſarum ſignatarum, & vbi pondus nummi diminutum eſt, pretium illarum maſſarum pro nummi proportione creuit: v.g. maſſa æris XX. librarum,quæ prius valuerat vicenos æris, aſſe ſextantario facto valuit CXX. aſſes: aſſe vnciario eadem maſſa CCXL. aſſes valuit: aſſe ſemunciario eadem maſſa pro CCCCLXXX. aſſibus appenſa eſt. Dum igitur legimus

Digitized by Google

legimus poſt imminutum pondos aſſium, donata fuiſſe decem millia v.g. æris grauis, intellig ere poſſumus accepiſſe tantùm aſſium in maſſis eiuſmodi, aut ſi mauis, vti contendit *illo cap.* 10. Hotman. in aſſibus libralibus.

7 As ſiue grauior & libralis, ſiue leuior, atque adeò leuiſſimus, & ſemuncialis in ſuas partes, eaſque duodecim diuiſus eſt, quas vncias etiam in ſemunciali, fictione quadam iuris, denominarunt, quamuis pro ratione, quæ veteris libræ, aſſiſque libralis pondus decreuit, illius quoque ſingulæ partes imminutæ fuerint: nam vt olim monebamus *cap.6 art.*1. quodlibet totum, as dicitur, & in duodecim partes diuiditur, vti ibidem diſtinctius explicauimus, quod hoc loco repetendum eſt, adeunduſque Voloſius Mætian. *lib. de aſſe*, vbi totam eam diſtributionem, & ſingulas partes, earumque notas minutiùs proſequitur: ego paucis cum Hotmano obſeruo ex eodem Mætiano, aſſem bipartito diuidi in partes ſcilicet pares, & impares, primamque diſtributionem ſexruplicem eſſe.

Primò in duos ſemiſſes, 2. in tres trientes, 3. in 4. quadrantes, 4. in ſex ſextantes, 5. in octo ſexcuncias, 6. in duodecim vncias. Diuiſio in partes impares eſt quintuplex: 1. in vnciam & deuncem, 2. in ſextantem & dextantem, 3. in quadrantem & dodrántem, 4. in trientem & beſſem, 5. in quincuncem & ſeptencem. Licebit etiam quaſi adiectione quadam aſſis aceruum conſtruere; nam vnciæ ad vnciam additione ſextans efficietur, ſextantis ad vnciã adiectione quadrans, quadrantis triens, triẽtis quincunx, quincuncis ſemis, ſemiſſis ſeptunx, ſeptuncis bes, beſſis dodrans, dodrantis dextans, dextantis deunx, deuncis verò as ſolidus conflatur. An verò tot eſſent minuti numi æris, quot erant aſſis partes, quique iiſdem nominibus dicerentur, certum non eſt, ego ſingulos enumerabo.

Semis nummus æreus fuit pretio & pondere dimidium aſſem exæquans; dicitur ſemi æs à Varrone *lib.4. de ling. latin.* & *lib.3. de re ruſtica, cap.7.* in columbariis iure ædificandis magnum lucrum ait, *aſſe ſemiſſem condere in loculis.* Vatin. *Ep. ad Ciceron. Non ſemiſſis homo.* Tertull. in Apologetic. *c.50. Licèt nunc ſarmentitios & ſemiſſios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij aſſis reuincti ſarmentorum ambitu exurimur*: ſic enim legit Crinit. *lib.1. de bono diſcipl. cap.13.* alij legunt *ſarmentitos, & ſemaxios*, alij *ſemaxarios*, & *dimidij axis*, non *aſſis.* Cui concinit idem Tertull. *in Scorpia. Eculeus & axis*: & *lib. de pudic. cap.25.* agens de Martyribus, *in axe iam incendio aſtricto.*

Triens ita dictus, quod eſſet tertia pars aſſis ex Varron. *lib.4. de ling. latin.* Erat itaque nummolus æreus ponderis & pretij trientalis, ratis ſigno percuſſus, quod de ipſo quadrante notat. Plin. *lib.33. c.3.* & affirmat quoque Feſtus, qui idcircò quadrantem & trientem ratitum dixit; aſſi verò nauis impreſſa erat: huius nummi meminit Iuuenal. *Satyr.3.*

Infelix nec habet, quem porrigat ore trientem.

De ſacro Triente Seruiliæ familiæ, quæ illi quot annis cum cura magnificentiaque ſacrum faciebat, quem ferebant aliàs creuiſſe, alias decreuiſſe videri, & ex eo aut honorem, aut diminutionem familiæ ſignificari, agit Meſſala ſenex apud Plinium *lib.34. cap.13.* qui addit trientem illum æreum auro, & argento paſci, & vtrumque conſumere. Eius trientis originem atque naturam ſibi incompertam eſſe ait, ideóque inter æris miracula numerat.

Quadrans fuit nummus æreus rate inſculptus, vt monebam, ponderis & pretij trium vnciarũ, vnde triuncis, vel triunx à Plinio *lib.33. cap.3.* dictus. 8

Teruncium quoque à Cicerone vocari exiſtimauit Budæ. *lib.2. de aſſe.* Verùm teruncius argenteus, non æreus nummus fuit; quadrans verò nominatus ex Varron. *lib.4. de ling. latin.* quòd eſſet quarta pars aſſis: & ſanè ſic vſurpatam eſſe eam vocem, quoties de diuiſione cuiuſcumque aſſis, & totius ageretur, obuiũ eſt, quod aliàs diximus *c.6. artic.*1. Sic quadrans hæreditatis pro eius quarta parte; vnde luſus Martial. *lib. 9. Epigr.49.* in Gallium, qui illi hæreditatem ex quadrante promiſerat, quam ſpem dum muneribus foueret Martialis, illi laurentem rari ponderis aprum miſit, quem Gallicus primoribus viris in conuiuio adhibuit, nec vocato Martiali, neque vel minima eius parte donato: quare eius ingratum animum exprobrans ait.

De quadrante tuo, quid ſperem Gallice? nulla
De noſtro nobis vncia venit apro.

Et Valerius Flaccus Conſul an. V.C. DCLXXVII. legem tulit, vt creditoribus quadrans ſolueretur: ita Patercul. *lib.2.* Nummi porrò quadrantis frequens eſt mentio apud Liuium, Plinium, alioſque veteres. Erat merces balneatoribus dari ſolita ab eis, qui publicis balneis vtebantur. Horat. *ſatyr.3. lib.1. verſ.137.*

—— Dum tu quadrante lauatum
Rex ibis.

Et Iuuenal. *ſatyr.6.*

Nam quæ docta nimis cupit, & facunda videri
Crure tenus medio tunicas ſuccingere debet,
Cædere Siluano porcum quadrante lauari.

Ab ea præſtatione liberos fuiſſe pueros ſignificat idem *ſatyr.2.*

Nec pueri credunt; nec qui nondum ære lauantur.

Ab hac quadrantaria mercede dixit Cic. *orat. pro Cælio*, de Clodia loquens: *Niſi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione, familiaris facta fuerat balneatorij*: obiicit nempe quod plus ab amatoribus acciperet, quàm ipſa balneatoribus penderet, ideóque ſignificat meritò quadrantariam dici poſſe, quòd quadrantibus polluta, quadrantibus lauaretur. Vbi ſportulæ pecuniariæ factæ ſunt, fuere centum quadrantum. Martial. *lib.1. Epig.60.*

Dat Baiana mihi quadrantes ſportula centum,
Inter delicias quid facit iſta fames?

Et *lib.3. Ep.7.*

Centum miſelli iam valete quadrantes
Anteambulonis congiarium laſſi
Quos diuidebat balneator elixus.

Atque hi quadrantes aliquando erant plumbei, vt ait idem Martial. *lib.10. Epigr.74.*

Iam parce laſſo, Roma gratulatori,
Laſſo clienti quandiu ſalutator,
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto.

Sextans nummus fuit æreus ſextantarij ponderis, & pretij, atque vt ait Varro *lib.4. de ling. Latin.* fuit ſexta pars aſſis, ſiue duarum vnciarum. Sextantes æreos in Menenij Agripæ funus contulit plebs in ſingula capita, quod affirmant Liui. *lib.2.* Valer. *lib.4. cap.4.* Plin. *lib.33. cap.10.* Hinc ille locus Granij præconis apud Ciceron. *lib.2. de Orator.* ſextium non eſſe ſextantis, hoc eſt, non valere duas vncias. Eadem ratione fuiſſe videntur vſurpati alij minutiores nummi ærei, ſeptunx à ſeptem & vna vncia, deunx à duodecim, vna dempta vncia, dextans dempto quadrante; bes & olim des, dempto triente,

trient , ſic enim habet Varro *lib.4. de ling. lat.* æreos nummos enomerans , *ſecuncia , nummulus unciam & ſemunciam valens*,quaſi ſeſquiuncia. Vncia quoque fuit nummulus æreus ponderis & pretij vncialis ; Plin. *lib.34. cap.3.* de ſtatua P. Minutio Præfecto annonæ extra portam Tergeminam à P. R. *vnciaria ſtipe collata*. Terentius *in Phormione* , vnciatim dixit. Semuncia dimidia pars vnciæ, ſextula ſexta pars vnciæ, & nummus æreus omniū minimus ex Varron *lib.cit.* Gronouius tamen *lib.3. de pecun. vetere , cap.9.* negat aſſis nummi partes alias præter ſemiſſem , trientem, quadrantem, diutiùs in vſu manſiſſe ; qua ratione quadrans fuerit omnium minimus nummus æreus : Marcus tamen ait *cap.12. verſ.42.* de vidua illa πτωχὴ mendica, quæ in gazophilacium iniecit λεπτὰ δύο ὅ ἐστι κοδράντης, duo minuta hoc eſt, quadrans : illa duo minuta duos denarios interpretantur aliqui , ſicut & *Luc.10.* Samaritanus ſtabulario in ægroti, ac ſaucij ſumptus erogauit δηνάρια δύο. Non tamen idem nummi genus denarij voce in vtroque illo loco ſignificatur , cùm multò minus fuerit , quod illa fœmina de ſua paupertate in arcam immiſit, quàm quod pius Samaritanus in ægroti alimoniam , ac curationem contulit. Beda *in commentar. ad Marc.* duo illa viduæ minuta quadrantem ſicli eſſe putat, hoc eſt obolos quinque , ſiue potiùs obolos ſex, nam ſiclus colligit obolos 24. ſiue drachmas quatuor , quarum ſingulæ ſunt ἑξώβολοι. Cyrillus eadem minuta nominat. Quod autem quadrantem ea nominat Marcus , alij oboli, alij etiam chalcis, quales octo in obolo numerantur, quadrantem arbitrantur, Petaui. *in animaduerſione ad Epiphani. de menſuris ac ponderibus* , exiſtimat fuiſſe chalcos, hoc eſt, oboli quadrantē. Latinus interpres *Luc.21.* vbi eadem hiſtoria narratur, vertit æra minuta duo , quod Græcus habet λεπτὰ δύο. Salmaſ. pluribus aduerſùs Petau. contendit, ex Herone , Epiphanio , & aliis, illa duo viduæ minuta & λεπτὰ fuiſſe argentea , drachmas videlicet duas , quæ quadrantem efficerent ; quamuis enim λεπτὰ & minuta, tum de æreis, tum de argenteis nummulis dicerentur paſſim , etiam ſine adiectione argentei & ærei, & ex ſubiecta materia, de quibuſnam nummis agi diiudicandum ſit , tamen aliquot veteres de argenteis minutis, & drachmis hunc Marci locum acceperunt. In hiſtoria quoque Auguſta minuta perpetuò de argenteis , non de æreis, contra receptam hactenus opinionem , accipienda eſſe diſputat idem Salmaſ. tum loco citato , tum ad hiſtoriam Auguſtam. Verùm intricata iſta diſputatio relinquenda fuerit aliis , noſtro inſtituto ſufficiat minutos pleroſque nummos tum æreos , tum argenteos iiſdem nominibus donatos fuiſſe , & λεπτὰ ſiue minuta de vtriſque paſſim apud veteres vſurpati.

9 Hactenus de aſſis partibus , diuiſione , atque minoribus nummis ſub illo contentis , non modò quando libralis fuit, ſed etiam ſextantarios, vncialis, & ſemuncialis. Venio ad eius per adiectionem multiplicationem. Seſquias , vel ſeſquas , eſt as & ſemis, eius meminit ex Didymo Priſcianus, meminerunt & Gloſſæ ſeſquas ἓν ἥμισυ ἀσσάριον χαλκίν ἕξ.

Dupondius ſiue dupondium nummus fuit æreus aſſium duorum ponderis , ac pretij. Varro *lib.4. de ling. lat.* Plin. *lib.33. cap.3.* Quint. *lib.1.* in gloſſario dicitur δυπόνδιος. Iuris ſtudioſi anno primo dicti ſunt olim dupondij teſte Iuſtiniano. Colum. *lib.4. cap.1.* dupondium pro duorum pedum menſura vſurpat. Vlpian. *l. item quod 17. §.5. D. de hæred. inſtit.* dupondium in hæredis inſtitutione agnoſcit , duo aſſes & ſemis dicebantur ſeiunctim, at verò coniunctim ſeſtertius. Magna tamen quæſtio eſt, an fuerit aliquis ſeſtertius æreus , ponderis & pretij duorum aſſium & ſemis , quod pluribus contendit Hotman. *part. 5. de re nummar. cap.13.* An verò tantùm nummus argenteus , qui duos aſſes , & ſemiſſem valuerit ; quod affirmat Budæ. *lib.1. de aſſe* , & cæteri paſſim , ita vt Hotman. fateatur ſe primum ſeſtertios æreos indixiſſe ex Varrone, qui *lib.5. de ling. lat.* duos ſeſtertios diſtinguit, antiquiorem vnum æreum , alium ſua ætate argenteum prioris ærei vſu obliterato , quem tamen deinde poſterioribus ſæculis ſub Imperatoribus reuocatum fuiſſe , pluribus adductis ſcriptorum teſtimoniis confirmare conatur ibidem Hotman. ſed de ſeſtertio & loco Varronis iterum inferiùs.

Tripondium ſiue treſſis erant tres aſſes , & ita deinceps vſque ad centuſſem ; vulgò tamen non niſi vſque ad nonuſſem. Varro *lib.4. & lib.8. de ling lat.* Itaque quadruſſis , quinqueſſis , ſexeſſis, ſepteſſis, octuſſis, nonuſſis, decuſſis, ſiue denarius; at verò vndecuſſis & duodecuſſis non dicebatur, ſed vndecim æris , nempe nummi , viceſſis tamen dicebatur à duabus decuſſibus. Lis autem eſt , an denarij fuerint ærei aliquando apud Romanos, an verò tantùm argentei ; quod poſtremum Budæ. *lib.5 de aſſe* , & reliqui communiter tradunt ; negatque Hotman. *loc. citat.* & ex veteribus ſcriptoribus colligere ſibi videtur, obſeruatque malè Budæum decuſſim à denario diſtinxiſſe , & cùm decuſſim æreum eſſe fateatur, idem de denario fateri illum oportuit.

Hactenus de Romanorum nummis æreis ; ſui 10
etiam fuere Græcis , qui & nummos & ipſa quoque Romanorum nomina aliquando vſurparunt; refert enim Anton. Auguſt. in dialogis ſuis, nummum æreum ſphinge notatum cum hac inſcriptione. ΑCCΑΡΙΑ ΤΡΙΑ. Habuere & ſuos χαλκοῦς, qui in ſeptem λεπτὰ ſiue minuta ſecabantur , ſic enim Suidas : ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτῶν ἑπτά. Minutum autem , ſiue vt ait Seneca , minutia , non ampliùs ſecabatur. Apud Polluc. *lib.9. cap.6.* plures æneos nummos relatos leges. Denique Hebræis fuiſſe nummos æreos conſtat ex ſemiſiclis , & aliis etiam minoribus, quos dabit Villalpand. *parte 2. apparat. lib.2. diſp.4. & c.22. & 24.*

ARTICVLVS VII.

De veterum nummis argenteis.

Quid denarius. 1.
Denarij nomen. 2.
Drachma Græcis quid. 3. 4. 5.
De mna & libra. 4.
Diuiſio denarij. 6.
Seſtertius, & ſeſtertium quid. 7. 8.
Milliarenſis. 9.
Ceratium. 10.
Siliqua. 11.
Follis. 12.

ROmæ non ſignatum fuiſſe argentum ante Pyrrhum Regem deuictum nuper obſeruauimus

ex

1 ex Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. vbi ait primùm placuiſſe denarium pro decem libris æris, fuit enim pterij decem aſſium, quod affirmat quoque Feſtus, Priſcian. & Mæcianus, qui ſapienter addidit omnem nummum argenteum ex numero æris poteſtatem habere. Inſculpebatur denarius ex vna facie bigis, aut quadrigis, ex altera authoris effigie cum littera ſiue nota denarij numeri, quæ vel nuda erat vt X. vel perſcripta, id eſt traiecta per medium linea transfixa X̶. De bigatis & quadrigatis ex Plinio, Feſto, Liuio & aliis diximus *art.* 3. De nota valoris X. quæ ſub mento effigiei authoris, aut ſub occipitio ſculpebatur, teſtes ſunt omnes antiqui nummi. Priſcian. Chariſ. & reliqui veteres. Aduertendum porrò eſt imperitos librarios eam notam aliquando pro ſimplici numero decem accipere, cùm pro nummo denario capienda foret, vnde innumeri errores inducti ſunt. Græci ſicut *ἀσσάρια*, ita & *δηνάρια* dixerunt, vt Didymus aut Priſcian. & paſſim in iure *in l. publia* 26. §. 1. *D. depoſiti ἔλαβον καὶ ἔχω τῶ ἀργυρίῳ δηνάρια μύρια: & in l.* 8. *ſub fin. D. de acceptil. ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα ἔχω λαβών*: Latini quoque denaria dixerunt. Plaut. *in Rudente.*

Nummi octingenti aurei in marſupio fuerunt,
Præterea centenaria Philippea in paſcolo ſeorſum.

Cæterùm argentei nomine abſolute ſumpti, intelligere denarium oportet. Vopiſc. in quadam Aureliani Epiſtola: *Ipſi autem ad ſumptus aureos Antonianos diurnos, binos argenteos, Philippeos, minutules, quinquagenos, æris denarios centum,* &c. ſimilia habet *in Probo*, & Ammian. *lib.* 24. *argenteos nummos centenos viritim pollicitus, cùm ex paruitate promiſſi percitos ſenſiſſet.*

2 Sapienter verò Gronouius *lib.* 1. *de pecunia vetere, c.* 3. obſeruat denarij nomen adiectiuum eſſe, neque ſignificare rem per ſe ſubſtantem, ſiue ſubſiſtentem, niſi aliquid ſubaduenit, quare aliqui volunt denarium dictum, quaſi dena æra, quibus æquiualebat. Sanè nomina numeralia, ſiue, vt alij loquuntur, diſpertitiua, cùm ita terminantur, ſignificant rei, cui apponuntur, vel numerum corporum, vel magnitudinem, vel pondus; qua ratione Lampridius nummos aureos ab Heliogabalo percuſſos pretio binûm, ternûm, & quaternorum conſuetorum, ac vulgarium aureorum, vocauit *binarias, ternarias, quaternarias formas.* Martialis *lib.* 4. *ep.* 46. ridet Sabelli Cauſidici ineptias, qui quia vilibus xeniis, & muneribus in Saturnalibus donatus fuerat, ſe omnium Rabularum ditiſſimum circumferebat.

Septenaria ſynthesis Sagunti,
Hiſpana luteum rota toreuma.

Acceperat nimirum ſynthesim conſtantem ſeptem poculis fictilibus, ex argilla Saguntina rudi Hiſpani figuli torno factis. Sic quoque Statius *lib.* 4. *ſyluar.*

Aut vnam dare ſyntheſim quid horres
Alborum calicum atque cacaborum.

Vide Turneb. *lib.* 23. *c.* 19. Sed redeo in viam. Catoni de re ruſtica *cap.* C I. *Dolium quadragenarium:* & *cap.* CXIII. *dolium quinquagenarium:* & *c.* XIII. *Vrna quinquagenaria*, ſunt vaſa tot librarum menſuralium capacia. Plinio *lib.* VII. *cap.* XX. *Quinquagenarius thorax plumbeus*, quinquagenum pondo, quinquagenaria materia apud Amm. *lib.* 18. ſunt ſtipites quinquaginta pedes longi. *Grex centenarius*, in quo nimirum ſunt centum corpora, Varroni *lib.* 3. *de re ruſt. cap.* 6. & Valerio maximo, *lib.* 3. *cap.* 4. Lamprid. *in Heliogabolo* dixit centenaria vaſa argentea, quæ centum librarum erant, Capitolinus *in Gordiano*: *Centenarias Baſilicas*, quæ centum pedum longitudine. Sueton. *in Nerone* milliariam porticum, Vopiſcus in Aureliano, milliarenſem, non à columnis, ſed à longitudine vel mille pedum: ſic metiebantur veteres. Horat. *lib.* 2. *ode* 15.

—— Nulla decempedis.
Metata priuatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.

Vel mille paſſuum: nam & talem excogitaſſe Cæſarem in Campo Martio indicat Cic. *lib.* 4. *ad Attic. Ep.* 16. & Neronianæ domus amplitudinem demonſtrat Plini. *lib.* 36. *cap.* 15. cùm ait; *Bis vidimus vrbem totam cingi domibus Principum Caij & Neronis.* In veteri lapide dicuntur *pontes milliarij*: VIAM FECIT AB REGIO AD CAPVAM, ET IN VIA PONTES OMNES MILLIARIOS, TABELLARIOSQVE POSEIVEI: vbi ineptè aliqui columnellas milliarium numero inſignitas agnoſcunt, & tabellarios lapides minori interuallo, quam milliario diſtantes, vt illis adiuti faciliùs equos inſilirent, atque ita faciunt pontes, columnas, & tabellas lapides, cùm facilè ſit intelligere pontes ex aſſeribus, & tabulis conſtructos mille pedum longitudine. Varro *lib.* 1. *de re ruſt. cap.* 2. tricenarias vites in agro Fauentino dixit, *quòd iugerum tricenas amphoras reddat.* Denique Tertulliano quinquagenaria promulſio, eſt lanx argentea totidem librarum. Sic igitur denarius eſt denûm vel denorum. Quænam verò ſint illa dena, non niſi ex appoſitis vocibus dignoſces, quatenus illa vel numerari, vel æſtimari, vel menſurari poſſunt: ſic quinquagenarium eſt quinquagenis æſtimandum, ſi depoſitum ære, vel aſſibus; ſi thorax libris, pondo, ſi lignum vel materia pedibus. Addunt aliqui quibus adhæret idem Gronoui. *lib.* 1. *cap.* 4. in re nummaria ferè omnia adiectiua pro ſubſtantiuis interdum poni, ita tamen vt genus & terminationem atque ſignificationem mutent quando pro ſubſtantiuis vſurpantur: maſculinis quippe nominibus ſignificatur & intelligitur *nummus*: quare denarius ſignificat nummum denarium, ita dictum quod decem aſſibus libralibus, ſiue decem libris æquiualeret, & quamuis deinde percuſſi ſint aſſes leuiores, & X V I. aſſibus denarius cenſeretur, idem tamen nomen retentum eſt. Neutri porrò iiſdem nominibus deſignantur, & ſubaudiuntur argenti pondera, ſiue mauis pondo: v. g. pondera denaria, ſicut dicuntur centenaria à Plinio *lib.* 7. *cap.* 20. *Fuſius Saluius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducena duobus humeris contra ſcalas ferebat*: hoc eſt centenûm, & ducentenûm librarum, quæ obſeruatio nobis vtilis erit inferiùs.

Qui Romanis denarius, Græcis drachma eſt, ſicut & *μνᾶ*, vel *μνᾶ*, quam Latini libram appellarunt. Plini. *lib.* 21. *cap.* 34. *Drachma Attica denarij argentei pondus habet*: qui etiam quoties apud authores Græcos inuenit pondera drachmis definiri, vel drachmas retinuit, vel denarios reddidit, vti fuſiùs collatis eiuſdem Plinij & Dioſcoridis locis demonſtrat Gronoui. *lib.* 2. *de pecunia vetere, cap.* 6. Quinimmò, quamuis Romanis non eſſet denarius niſi argenteus, qui fuit quoque aureus, Græci tamen *ἡμίχρυσον* drachmam auri, vertunt denarium aureum, vt *lib.* 34. *cap.* 7. ait Lyſippum *ſolitum ex immani pretio, cuiuſque ſigni denarios ſeponere aureos ſingulos*: & *lib.* 37. *cap.* 1. *Indicare in Cypro ſex aureis denariis ſmaragdo.* Galen. *lib.* 8. 3

de

de compoſit. medicament. ait quod Græci δραχμὴν vocant, Romanos dicere δηνάριον. Corneli. Celſ. *Ep. ad P. Natalem*, ait pondera quæ Græci ad drachmas redigunt, ad denarium conuenire, & octoginta quinque in libram incurrere, idcirco ſe pro nota Græcæ drachmæ notam denarij poſuiſſe. Similia habet Scribonius Largus ad *Calyſtum Cleopatr.* ὁ Ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν, quod male inuertit Capellus τὸ δηνάριον ἔχει δραχμὴν Ἰταλικήν. Hero Alexandrin. *in fragmento de re nummaria* τῆς Ἀττικῆς δραχμῆς χρυσοῦ τρεῖς σταθμὸν καὶ νόμισμα ὑπάρχον ἰσοδύναμος ἐστὶ τῷ Ἰταλικῷ ὃ καλεῖται δηνάριον. Alia in idem argumentum ex eodem Herone, Codice quodam Budenſi Camerarij, Epiphanio, Maximo, adduxit Gronou. *lib. 2. de pecunia vetere, cap. 6. & 7.* Innumera aliorum Authorum loca habes apud Hotman. *2. parte de re nummaria cap. 4.* quæ lubens omitto, cum Iſidor *lib. 14. cap. 24.* denarium & drachmam eiuſdem ponderis eſſe perſpicue tradat. Conſpirarunt Latini Græcique ſcriptores, quoties Latinam pecuniam ad Græcam, iſtamque ad Latinam redigere voluerunt: nam ſemper *denarium* δραχμὴν, & δραχμὴν *denarium* reddiderunt, ſicut & μνᾶμ libram, & libram μνᾶμ.

Verum grauis hoc loco exiſtit difficultas, cùm enim minam Græcam, & libram Romanam aliquando eiuſdem ponderis, alias diuerſi, ſcriptores faciant, & aliquando 72. alias 75. alias 84. alias 96. & denique centum drachmas minæ ſiue libræ tribuant, & denarij ex vncia ſeptem fiant, drachmæ autem octo, quæ omnia fuſius oſtendit Hotman. neceſſe omninò eſt, non eiuſdem protius pretij fuiſſe drachmam & denarium. Adde minam fuiſſe centum drachmarum, libram autem 96. duntaxat ex Fannio.

Centum hæ ſunt drachmæ, quod ſi decerpſeris illis.
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Quæ aliaq; ſimilia diutiùs exercuerunt eruditorum ingenia, qui in illis enucleandis impenſiùs laborarunt, in quibus fuere diligentiores Budæus, Agricola, Scaliger, Turneb. Hotman. Ciacon. Gronou. Sauotus, aliique ipſos ſequuti. Aliqui itaque plura denariorum genera inducunt, cum grauiores, leuioreſque fuerint, mutataque ſit aliquando minæ æſtimatio à Solone, teſte Plutarcho, & quæ erat trium & ſeptuaginta drachmarum, centum facta eſt. Inclinante quoque Imperio Romano libra mutata fuit, ac proinde denariorum, qui ex ea feriebantur, numerus excreuit, & ferè pro libidine, vti contendit Hotman. *cap. 15.* Hæc verò omnia ſingillatim expendere, & ſingulorum ſententias ſuis examinare momentis, infinitæ & moleſtioris, atque etiam à noſtro inſtituto alienioris foret operæ. Repete quæ fuſius diximus *cap. 6. art. 3. numer. 5.* de variis minis pondere differentibus, & dic cum Gronouio *cap. 6. citato*, communem libram ponderalem Romæ habuiſſe 84. denarios, vel drachmas, cùm eius vnciæ ſeptima pars foret denarius, vel drachma, quare Celſus & Scribonius aiunt in vncia eſſe ſeptem denarios; & nihilominus in libram incurrere tot drachmas quot denarios, quod intelligi nequit, niſi ſtatuamus quoque drachmam ſeptimam vnciæ partem, vnde Plin. *lib. 12. cap. 14.* de thure diſputans: *Eſſamnum tamen inueniuntur guttæ quæ tertiam partem minæ, hoc eſt* 28. *denariorum pondus æquent*: ſic enim in manuſcriptis legit Budæ. Alij quos ſequuntur Agric. & Ciaconius 29. vulgati libri 39. Hotman. 33. ſcrupuli.

R. P. Gibal. De Negotiat.

Scaliger noſtram lectionem probat, coniicitque Græcum authorem, ex quo iſta deſumpſit Plinius, μνᾶμ dixiſſe, cuius ſententiam Plinius ad pondus communis libræ Romanæ commodauit. Fuit ille author Theophraſtus *lib. 9. de plantis*, cuius hæc verba σταθμῷ δὲ πλεονοῦ τρίτον μέρος μνᾶς. Altera erat libra medica, Græca & Romana, quæ habebat 96. denarios vel drachmas, cuius vncia denarius vel drachma, eſſet octaua pars: vnde Fann.

Μνᾶμ vocitant, noſtrique minam dixere priores,
Centum hæ ſunt drachmæ, quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Quod idem affirmat Priſcian. dixerat autem ſe exequuturum *Peonis libellis memorata pondera*, quare agit de libra medica, vt & Galenus ἡ μὲν λίτρα δραχμὰς ἐξ ἔχει πρὸς τοῖς ἐννενήκοντα. In vtraque verò illa libra ſiue mina communi & ponderali, denarius ſiue drachma conſideratur, non vt nummus, ſed vt pondus. Fuit alia mina ſiue libra nummaria conſtans centum denariis, ſiue drachmis, quare Liui. argenti pondo *bina & ſelibrã*, Plutarch. reddidit δραχμὰς πεντήκοντα καὶ διακοσίας. In omnibus autẽ pondus idẽ fuit denarij quod drachmæ, hæ cẽtum drachmæ ex inſtituto Solonis non plus continebant argenti, quam ante illum habuerant, Septuaginta quinque, inde Priſcian. & alij quidã ſingulas minas habere ſeptuaginta quinque drachmas ſcripſerunt, veteres nimirum, nihilominus faceſſit adhuc nobis negotium Aldus Manutius, qui in quæſitis per epiſtolam denarium facit duodecim aſſium ex Polybio *lib. 2.* vbi de commoda Italiæ annona agens, in diuerſorij ſumptus aſſignat ἡμιασσάριον; illud autem ait eſſe τέταρτον μόρος ὀβολοῦ: nam cùm obolus ſit ſexta pars drachmæ, ſi ſemiſſis ſit quarta pars oboli, & oboli binorum aſſium ſinguli, in ſex obolis, qui drachmam ſiue denarium conficiunt, non poſſunt eſſe præter duodecim aſſes; cùm tamen mutato aſſium pondere, vti monuimus, tunc eſſent ſexdecim. Budæ. & Hotman. mendum in Polybio ſuſpicantur, cùm pugnet cum Plinio, Vitruuio, Voluſio Mæciano, & aliis; ſitque admodum inſolens, quemquam tam vili ſumptu potuiſſe ſe in diuerſorio procurare, quare Hotman. reponit τρίτου ἡμιασσαρίου; & deinde πέμπτον μόρος δραχμῆς, quæ licentia addendi, emendandique verba ſcriptorum veterum, vbi omnes Codices conſentiunt, vitari debet quantum fieri poteſt, quare ſapientiùs Gronoui. *lib. 3. cap. 2.* reſpondet Polybium viſum fuiſſe vulgari more rotundandi numeros, pro ſemiſſe, ſextante, vel duobus trientibus, qui faciunt octo vncias, ipſum quartam oboli ſemiſſem, ſiue ἡμιασσάριον dixiſſe, atque ita verè drachmam aſſium ſexdecim concepit, quo caſu obolus æſtimetur oportet duobus aſſibus cum ſemiſſe, & ſextante, ſiue octo vnciis, vel beſſe, nam bis ſex duodecim faciunt. Reſtant aſſes quatuor ad implendos ſexdecim, qui habent quadraginta octo vncias, quæ in ſex partes, vt ſex oboli ſunt in drachma, diſtributæ, cuique beſſem ſiue octo vncias, in nummis ſemiſſem, & ſextantem, aut duos trientes relinquunt. Ημιωβόλιον igitur aſſem, & trientem, ſiue quatuor vncias æquat, quadrans oboli ſemiſextans, vel duo trientes, octo ſcilicet vnciæ, quod iterum ſic explicat Gronouius.

Drachma ſex cõtinet obolos, obolus octo calchos; ergo drachma 48. chalcos, denarius habet duos

victoriatos, quatuor ſeſtertios, octo dupondios, aſſes ſexdecim; ergo victoriatus tres obolos, viginti quatuor chalcos, ſeſtertius obolum, & hemiobolium chalcos duodecim, dupondius chalcos ſex dodrantem oboli, as tres chalcos oboli quadrantem & ſeſcunciam, quaſi ſit ipſum τρίχαλκον Græcorum: ergo ſemis chalcum & dimidiatum, at quarta oboli duo chalci, dimidium ergo chalci ampliùs quàm debet rotundandæ ſummæ gratia ſemiſſi tribuit Polybius ſic *lib. 6.* vbi de ſtipendiis militum ait in opſonia diurna accepiſſe duos obolos, vbi duos obolos pro quinque aſſibus poſuit, ad Iulium enim vſque Cæſarem ſtipendium militum exactè fuit quinque aſſium, duo tamen oboli exactè ſunt quinque aſſes cum triente. Verùm Polybius nihil propius quinque aſſibus potuit rotundè Græcè dicere, quam duos obolos.

5 Conſtat igitur quod hactenus contendimus, denarium Romanis, drachmam fuiſſe Græcis æqualis argenti ponderis, & valoris, mutatum tamen fuiſſe denarij pondus, imminutumque à Nerone coniicit Budæus ex illis Plinij *lib. 3. cap. 3.* verbis. *Paulatim Principes imminuere pondus, minutiſſimus verè ad X L V M.* vbi Budæus vult legi *Nero*; ſed neque ex manuſcriptis, & veteribus codicibus conſtat de hoc mendo, neque eo loco Plinius agit de denario argenteo, de quo prius dixerat, pro decem libris placuiſſe, & demum vbi Q. Fabio maximo Dictatore, aſſes vnciales facti ſunt, ſexdecim aſſibus denarium permutari viſum eſſe. Subiicit deinceps de nummo aureo percuſſo poſt annum LXII. quàm percuſſus eſt argenteus, & eius ſcrupulum initio valuiſſe ſeſtertiis vicenis, poſt hæc X L M. ſignatos eſſe ex auri libris, paulatimque Principes eius imminuiſſe pondus, minutiſſimumque eſſe ad X L V M. de quo loco inferiùs & 8. plura. Verùm quid in eo de argentei denarij valore, de quo quærimus? quidve de Nerone qui leuiores denarios percuti iuſſerit. Maneat itaque denarium valuiſſe ſexdecim æris aſſibus, quamuis initio à denis æris, quibus æquabatur nomen acceperit, neque aliam mutationem denariorum quàm Agricola, ipſumque ſequuti Sauotus, Panſitolus, aliique induxerunt, inuenies, quam dubio procul Plinius aliique, qui diligentiſſimi in iſtis explicandis fuerunt non omiſiſſent: quare quos denarios Conſulares, & Imperatorios nullo certo veterum teſtimonio finxerunt, iure merito reiicimus, neque iſti noui conflatores ſatis inter ſeſe conſentiunt, quod luculentiùs præſtat Gronouius *lib. 3. cap. 9.*

6 Venio ad denarij diuiſionem, primùm in quatuor ſeſtertios, de quibus ſtatim, deinde in decem libellas. Varro *lib. 4. de ling. Latin. Nummi denarij decuma libella, quod libram, pondo as valebat, & erat ex argento parua.* Erat itaque libella, nummulus argenteus, qui aſſi, æri nummo poteſtate reſpondebat, inde nominata, quòd libram æris valeret. Similia habet Martianus, eiuſque nummi mentio frequens eſt in Plauto, nam in *Pſeud. Cui nec paratus nummus argenti ſiet, neque libella vlla ſpes*: &, *Cùm libella nuſquam eſt, niſi hic lene ſubuenit tibi*: & in *Caſin. Vna libella poſſum liber fieri*: & in *Captiu. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti, &c.* Cic. 4. *Verrin. Ecquis Volcatio ſi ſua ſponte veniſſet vnam libellam dediſſet.* Libella iterum diuiditur in duas ſembellas, eſt quippe ſembella libellæ dimidium, ſicut ſemiaſſis, vt obſeruat Varro *lib. 3. & 4.* Libella iterum diuiditur in quatuor teruncios. Eſt itaque teruncius nummulus argenteus, pretio & pondere quartam libellæ partem adæquans, *diciturque*, inquit Varro, *à tribus vnciis ſembella, quod eſt dimidium, & eſt quarta pars, ſic vt quadrans aſſis.* quæ verba ſic interpretatur Hotman. *2. part. de re nummar. c. 11.* ſicuti quadrans tres æris vncias, ita teruncius tres libellæ partes valebat, nam vt aſſi libella, ita quadranti teruncius reſpondebat. Voluſ. Martian. alias plures ſubdiuiſiones habet, quas proſequi nihil attinet, cùm huiuſmodi minutiores nummi vix in vſu fuerint. Teruncij nō ſemel meminit Cicero, vt *lib. 1. ad Attic. Ep. 5. Spero toto anno imperij noſtri teruncium ſumptus in Prouincia nullum fore*: & *lib. 3. de finib. Interit eum magnitudine maris Ægei ſtilla muriæ, & in diuitiis Crœſi teruncij acceſſio*: *lib. 2. Epiſt. 17. De præda mea præter quæſtores, id eſt P. R. teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quiſquam.*

Alius nummus argenteus Romanis fuit quinarius, ſic appellatus quòd pretio quinque libris æris reſponderet, vt ait Plin. *lib. 33. cap. 3.* Fuit & victoriatus, de quo Plini. *citat. cap. Qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt, antè enim hic nummus ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur, eſt autem ſignatus victoria, & inde nomen.* Hinc Colligit Scaliger *in Feſtum & Patres*, vſos fuiſſe Romanos nummis argenteis ſignatis vltramarinis iam inde ab ipſo Romulo, quomodo tamen ex Plinij verbis adductis, id ſequatur, non video, cùm Plinius hoc vnum dicat, victoriatum ex Illyrico aduehi ſolitum mercis loco, neque ante Clodiam legem Romæ percuſſum fuiſſe. Quid hic de Romulo? licèt enim eius ætate nondum nummus Romæ ſignaretur, vterenturque ære rudi & informi, non ſequitur illos nummis ſignatis tranſmarinis tunc vſos fuiſſe, cùm nequidem cum exteris illis regionibus commercij quidquam haberent ea ætate Romani. Cæterum peregrinos nummos mercis loco fuiſſe teſtatur Voluſ. Martian. *lib. de aſſe*, idque de Dorico, & Philippico, ſiclo tetradrachmo Attico affirmat, Phi. *lib. 9. §. 1. D. ad leg. Cornel. de falſ.* prohibetur ne quis dolo malo, nummos ſtanneos, plumbeos vendere & emere vellet.

Seſtertius nummus argenteus fuit pretij duorum aſſium & ſemis, & poſtea quatuor aſſium, vbi denarij æſtimatio ad ſexdecim aſſes excreuit, illius enim quartam partem, ſiue quatuor aſſarios compleuit. Dictus porrò eſt ſeſtertius retento antiquo nomine, quod à duobus aſſibus & ſemis ſumpſerat, vti affirmant Varro *lib. 4. de ling. lat.* Martian. *de aſſe*, Aruntius apud Priſcian. *de pondere*, Chariſ. *lib. 1.* Vitruu. *lib. 3. cap. 1.* & alij paſſim. Tam frequens porrò fuit huius nummi argentei vſus, vt ſæpius vel ſimpliciter nummus dicatur, vel ſeſtertius nummus, & nummus ſeſtertius. Itaque obſeruat Hotman. *part. 2. de re nummar. c. 17.* vbi nihil additur ad numerum, neque nominatim nummi genus deſignatur, ſeſtertios intelligendos eſſe. Varro *lib. 3. de re ruſt. c. 2. E venationibus in annos ſingulos plus quinquagena millia è villa capere dicebat*; intellige *ſeſtertium*: quo ſimili loquendi, & numerandi genere ſæpius vtitur toto illo capite, vbi plures enumerantur ſummæ, ſi prior ſumma maior eſt, poſterior verò minor, ante priorem vox vel nota ſeſtertij HS. ponitur, & poſt inferiorem vox nummum. *Cic. Verrin. 3. Dedi HS. decies ſexcenta triginta quinque millia, quadringentos decem & ſeptem nummos.* Alia exēpla dabit Hotm. ſicut & abſoluta numi appellatione ſeſtertium deſignari, & vocem ſeſtertij modò 7

modò ſolam vſurpari, modò coniunctam cum nummo, qui vel præcedat, vel ſubſequatur, accurata & faſtidioſa penè diligētia demonſtrat. Tu illū adeas velim; monet verò ſapienter vocem nummi non poſtponi ſolitam ſeſtertio ad vniuerſaliorem ſignificationem reſtringendam, ſic enim vox ſeſtertij latiùs pateret, quam nummi, ſed vel ex quadam abūdantia, & elegantiæ cauſa ita loquuti ſunt, vel quia cum ſeſtertium de iis omnibus quæ pondere & menſura conſtarent, diceretur, vt de ſeſtertio pede, ſeſtertio bipalio, veſtimento, idcircò cùm diceretur de nummo, vox ipſa nummi adiecta eſt. Hinc intelliges illud Suetonij *in Aug. cap.* 83. in extremis ſpatiis decurrere ſolitum *ſeſtertio vel lodicula indutum.* Qui in campo vel gymnaſio ſe exercebant, cætera nudi τὴν αἰδῶ campeſtri tegebant; qui verò erant infirmiori corpore gauſapam, vel pallam, vel lodiculam, vel ſabana ſumebant, quorum proinde plurimus vſus fuit in gymnaſiis & balneis. Libri medicorum ſæpius huius moris meminere, docentque adhiberi ſolidas veſtes potiſſimum ἀγνάπτους, quæ fullonis arte non eſſent politæ. Fuere & in eundem vſum linteamina, quæ poſteriores Hebræi, Græci & Latini dixerunt *ſabana*, vti obſeruat Cauſabon. Hoc igitur loco in quo Sueton. de exercitiis Auguſti diſputat, quæ iniret lodicula inuolutus, pro ſeſtertio legi vult Cuiac. *ſegeſtrio*, propter illud Varronis de vita P.R. *Hoc quod inicitur toral dicitur, lecticam qui inuoluebant ſegeſtria appellabant*, & de tegetibus Lucilius.

Penula ſi quæris Canterius ſerui ſegeſtre.
Vtilius mihi quam ſapiens.

Erat autem teges, quæ a tegetibus, quòd ex iis fieret, dicta fuit, vt vult Varro. Deinde ex pellibus factam teſtatur Plautus apud Porphyrionem: certè σίγαγρον pellem ſignificat, & noſtrum dormio ἀπὸ τῶν δερμάτων, nam dermio veteres dicebant. Verùm licèt hic commentarius eruditus ſit, retinendam tamen vocem ſeſtertij hoc loco, neque ſubſtituendum eſſe *ſegeſtrum*, meliùs cenſuit Turneb. *lib* 3. *cap.* 18. fuiſſeque operimentum breue, & lodiculam duorum pedum & ſemis in omnem partem. Sicut enim pes, quod alias monuimus *cap.* 6. *art.* 2. dicitur as, & dupondius, qui duos aſſes valet, ſignificat apud Colum. *lib.* 4. *cap.* 2. duos pedes, ſic *ſeſtertius*, qui eſt duorum aſſium & ſemis, erit aliquando duo pedes & ſemis, qua eadē ratione ſignificat quandoq; locum duorū iugerum & ſemiſſis, quòd iugerum ſit as. Et Plutarch. *in Galba*, locum in quo rei à Cæſaribus interfici iubebantur *ſeſtertium* nominatum fuiſſe dicit διὰ τόπος σηστέρτιον καλοῦνται, ſine dubio ab ſpatij modo. Vt igitur, de quo *ſeſtertio* ſermo foret faciliùs conſtaret, ſæpe cum nummo coniungebatur ſeſtertius, alias tamen abſolutè & ſimpliciter efferebatur. Nota ſeſtertij eſt duarum LL. & S. ſic LL S. ſignificant enim duas libras & ſemis, quanti valebat initio, quæ nota ſicut & ſeſtertij nomen perſeuerare non deſiſtit, cùm librarum ſeu aſſium quaternorum factus eſt ſeſtertius.

8 Grauis porrò difficultas eſt, an plura ſeſtertiorum genera ſint admittenda, eo quod in numerando ſoleant antiqui vnum ſeſtertium vſurpare, quod mille ſeſtertios minores contineat, cùm aliquando dena ſeſtertia ſint decem millia nummorum. Primò itaque Sabellicus, Beroaldus, Egnatius, Porcius, Turnebus, & alij quidam diſtinguunt inter *ſeſtertius*, & *ſeſtertium*, nam *ſeſtertius* eſt nummus æreus duorum aſſium & ſemis initio, deinde quatuor aſſium, vt diximus, iſque eſt ſeſtertius minor, & æris. At verò *ſeſtertium* neutro genere eſſe maiorem nummum argenteum denarum librarum & ſemis, ac proinde ducentas & & quinquaginta drachmas ſiue denarios continet, eoque trahunt illud Iuuen.

—— *Nullum ſex millibus emit,*
Æquantem certò paribus ſeſtertia libris.

Per ſex millia intelligit minores ſeſtertios æris, at verò per ſeſtertia æquantia libras, intelligit ſeſtertia argentea, eaque maiora, quorum quodlibet continebat mille ſeſtertios minores.

Secundò Budæo *lib. de aſſe* diſplicuit hæc æreorum argenteorumque ſeſtertiorum diſtinctio, vultque omnes eſſe argenteos, ita tamen vt ſeſtertij ſint nummi argentei binis & ſelibris æris, deinde quatuor aſſibus æſtimati. At verò ſeſtertia neutro genere non ſint nummi aliqui ſingulares, ſed ſummæ, & ἀθροίσματα mille eiuſmodi nummorum & ſeſtertiorum. Budæo magno conſenſu adhæſerunt Alciat. Anton. Auguſt. Cenalis, Glareanus, Tonſtallus, atque innumeri recentiores, qui ſeſtertio neutrius generis, & ampliori tribuunt ducentos & quinquaginta denarios, ſiue duas libras cum dimidia argenti, & proinde mille ſeſtertios ſingulares nummos quatuor aſſibus æſtimatos.

Tertiò Agricola *lib. de ponderibus* negauit eiuſmodi ſummam ingentem nummorum ſeſtertiorum contineri maiori ſeſtertio neutrius generis, cùm eam vocem in eo genere neutro ſoli Poëtæ vſurparint verſus conficiendi cauſâ, neque vel illos, vel Oratores vnquam niſi pro ſingularibus nummis accepiſſe, & ſiue *ſeſtertios*, ſiue *ſeſtertia* in eadem omninò ſignificatione vſurpaſſe, quare *decem ſeſtertios*, & *decem ſeſtertia*, eoſdem nummos, eandemq; prorſus ſummam ſignificare. Quia tamen negari nequit aliquando *dena ſeſtertium*, aut *centena ſeſtertium*, pro denis aut centenis nummorum millibus, à veteribus ſcriptoribus vſurpari, quorum loca diligenter colligit Hotman. *cap.* 26. idcircò hanc Regulam vniuerſalem tradit Agricola: Quoties nomē numerale conuenit caſu, numero, & genere cum ſeſtertio, ſiue maſculini, ſiue neutrius generis fuerit, nullum alium numerum ſignificari quam illum ipſum qui exprimitur, v.g. *centum ſeſtertij*, & *centum ſeſtertia*, idem ſignificant; centum videlicet ſingulos nummos. Quoties verò nomen numerale & *ſeſtertius*, vel *ſeſtertium*, non efferuntur eodem caſu, ſed ſeſtertius in genitiuo plurali ponitur, nomen autem numerale, quod ſemper plurale eſt, quocumque alio caſu enuntiatur, intelligitur perpetuò τὸ millia, licet non ſit appoſitum, illudque à nomine numerali expreſſo nonnunquam diſſociat: v.g. ſeſtertium dena, centum, ducenta ſignificant dena, centum, & ducenta millia nummorum, cuius ratio alia non eſt, quàm veterum ſcriptorum vſus & conſuetudo.

Quartò Hotmanus à prioribus illis ſententiis aliqua ex parte diſcedit, & hæc ſtatuit. In primis ſeſtertium neutro genere, ſingulari numero nuſquam pro nummi genere, neque pro pecuniæ ſumma apud Oratores, vel Poëtas reperiri, quod probat ex Priſcian. *qui lib.* 7. expreſſiſſimè tradit nomen ſeſtertius neutrum genus non habere; cùm ait genitiuum pluralē fieri in omni voce ab ablatiuo ſingulari aſſumente *rum*, vt à viro virorum. Inueniri tamē per conciſionē mediæ ſyllabæ maſculinorum plerumque nominum, quæ neutra non habent, hunc caſum preferentes: *liberûm* pro *liberorum*,

ſeſtertiûm pro *ſeſtertiorum*, *nummûm* pro *nummorum*: ex quibus vides nomen *ſeſtertius* non magis habere neutrum quàm vocem *nummus*, & licet Græci σηστέρτια dixerint, eodem modo, quàm δηνάρια, & ἀσσάρια pro aſſibus & denariis vſurparunt. Deinde cur apud Varronem, Plinium, Martian. Priſcianum, qui rei nummariæ leuiſſima quæque perſecuti ſunt quàm diligentiſſimè, nunquam tamen ſeſtertij neutrius generis pro nummo, aut pecuniæ ſumma mentio reperitur? Cur eiuſmodi prægrandis nummus, qui mille ſeſtertios valeret, nullibi vnquam effoſſus eſt? cur de incremento nummorum diſputantes, nunquam de aucta æſtimatione eius ſingularis ſeſtertij grandioris quidquam tradiderunt? Cur nunquam *ſeſtertium*, vna voce pro mille ſeſtertiis vſurparunt, ſed ſemper mille ſeſtertios dixerunt, non aut vnum *ſeſtertium*, aut *ſeſtertia* ſingula; immò neque mille, duo, tria quatuor millia grandiorum *ſeſtertiorum*. Sed vbi ad nongenta nonaginta nouem peruenerunt, repente ad minores ſeſtertios redierunt, dixeruntque *decies ſeſtertium*, quod valet decies centena millia nummorum ſeſtertium; De maioribus autem nunquam ita loquuntur. Deinde quo tempore, qua lege, quibus authoribus id nummi genus maioris ſeſtertij percuſſum fuit: neque dicas cum Turnebo *lib.*18. *cap.*34. apud Solin. *cap.* 17. Baſilici reliquias *amplo ſeſtertio*, Pergamenos ſibi à Cyrenenſibus comparaſſe. *Vt adem manu Apellis inſignem nec aranea intexerent, nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locarunt.* Scaliger *amplum ſeſtertium* ibi accipit decies centena millia nummûm, ſed cur potius decies quàm vigeſies, quàm denique centies. Salmaſ. *in exercitat. Plinian.* reſpondet ætate Solini ſeſtertium pro qualibet pecunia vſurpatum fuiſſe, & nullo amplius exſtante vſu ſeſtertiorum nummûm, folles tum æream pecuniam appellatam, & in locum ſeſtertiorum ſucceſſiſſe. Quare ſeſtertios dicebant de omni pecuniæ genere, æreos, argenteos, aureos: in Gloſſis δραχμὴ denarius ſeſtertius. In hyſtoria Apollonij Tyrij ſeſtertia aurea, ſunt aurea numiſmata. Dixit igitur Solinus *amplo*, vel vt in quibuſdam ſchedis manuſcriptis legitur *ampliere ſeſtertio*, pro *ampliore pecunia*, *ampliore pretio*, ſicut & alibi dixit *amplioribus pretiis* vendunt: & Ammian. Marcell. *lib.* 23. *Capturas autem difficiles & periculoſas, & amplitudines pretiorum illa efficit ratio.* Et ſanè quis dicat Cyrenenſes, & Pergamenos Romana pecunia vſos fuiſſe, & eâ res exoticas eſſe mercatos, aut tam ingentem nummum plauſtris Cyrenem vſque tranſmiſiſſe? Reſpondet præterea Hotman. *cap.* 21. Solinum dixiſſe *ſextertium* locum, quo Baſilici exuuias incluſerunt, atque adeò ſuſpicatur pro *amplo ſeſtertio compararunt*, legendum eſſe *in ampulla ſeſtertia compoſuerunt*, ampullamque ſeſtertiam dixiſſe ſpatium duorum pedum & ſemis; quamuis enim ſerpenſile eſſet tantùm, vt ait Solinus, ſemipedalis longitudinis, & vt Plin. non amplius XII. digitorum magnitudine, & Græci illi tribuant τρεῖς παλαιστὰς, Nicand. υγλα δῶρε, decuit tamen eius thecam capaciorem & ampliorem eſſe.

Ait ſecundò Hotman. veteres oratores nunquam dixiſſe *ſeſtertia*, ſed illud à Poëtis, vt verſibus ſuis ſeruirent, confictum eſſe ex genitiuo plurali *ſeſtertiûm* pro *ſeſtertiorum*; oſtenditque *cap.* 22. contra agricolam non vſurpari à Poëtis pro nummis ſingulis, & *ſeſtertiis*, vti ipſe exiſtimauit, ſed pro ſumma mille numorum, quod viderat Budæus.

Ait tertiò vbi aliquot ſeſtertiûm millia enuntianda erant, vſum fuiſſe duplicem: nam vel plena oratione dicebant quadraginta ſeſtertiûm millia, vel præcisè quinquaginta ſeſtertiûm: quã etiam duplicem in ſcribendo rationem obſeruabant; nam vel integrè perſcribebant quinquaginta millia ſeſtertiûm, vel genitiuum illum non ſcribebant, ſed vulgari nota deſignabãt 𐆘 S. quadraginta millia, voce millia alias omiſſa, aliàs expreſſa: quare triginta ſeſtertium idem erat quod triginta ſeſtertiorum millia. Centena 𐆘 S. vel centena 𐆘 S. millia, qui omnes loquendi, ſcribendique modi eandem omninò ſeſtertiorum ſummam deſignabant, vti multis exemplis demonſtrat Hotman. *cap.* 23. vbi & addit ex Macrobio veteres notæ numerorum lineam ſuperaddidiſſe qua mille ſignificarent vt $\overline{X}$ decem millia deſignat, $\overline{L}$ quinquaginta millia, 𐆘 S. centum millia ſeſtertium. Atque his pronuntiatis continetur Hotman. qui diligenter diſputationem iſtam explicuit ſententia, ſed non exhauſit difficultatem.

Quinta igitur, eaque noua ſententia Scaligeri dicit in illo loquendi modo *decies ſeſtertium*, τὸ ſeſtertiûm non eſſe genitiuum pluralem, ſed nomen neutrum ſingularis numeri, illudque declinabile; deinde idem nomen adiectiuum eſſe, ſicut & denarium, *decies*, autem & *mille* eſſe nomina ſubſtantiua, mille quidem eſſe purum ſubſtantiuum, vt χιλιὰς Græcis, *decies* autem, *centies* & cætera ſimilia tranſire in ſubſtantiuum communicatione articuli *hoc*, *hoc decies*, *hoc centies*. Cùm itaque dicitur *decem ſeſtertia*, *vel denaria*, intelligi vult τὸ millia; cui pro adiectiuo adhæreat τὸ ſeſtertia, vel denaria. *In re nummaria*, inquit, *millia ſeſtertia* dicuntur perinde ac ſi Græcè eſſet χιλιάδες σηστέρτιαι, χιλιάδες δηνάρια: quare dicimus *tria millia ſeſtertia*, & *tria ſeſtertia* pro eadem ſumma, & *tria denaria*, hoc eſt, *tria millia denaria*. Veteres itaque dicebant ex Scaligero, *decem ſeſtertia millia*, & præcisè *decem ſeſtertia*. Alterum quia *millia* eſt nomen ſubſtantiuum, alterum quia *ſeſtertia* ex adiectiuo in naturam ſubſtantiui tranſierunt. Hæc itaque eiuſdem ſignificationis erunt, *decem ſeſtertia*, *decem millia ſeſtertia*, *decem ſeſtertia nummum*.

Hæc omnia Scaligeri commenta pluribus arguit Gronoui. *lib.* 1. *de pecunia vetere*, *cap.* 2. & *ſeq.* atque in primis illum *mille* ſubſtantiuum eſſe, quamuis enim Græci δεκάδας ἑκατοντάδας χιλιάδας μυριάδας fecerunt; Romani tamen ab iis abſtinuerunt; & licèt *decuriam*, & *centuriam* dixerint; non tamen promiſcuè, ſed ſolùm de certis quibuſdam corporibus, quæ initio eo numero fuere. Deinde mille ita vſurparunt vt ſemper ſit adiectiuum plurale, quamuis minus attentis ſubſtantiuum, & ſingulare videatur, quia ſicut dicitur hoc vnum, hæc duo, ita hoc mille, hæc duo millia, & ſic deinceps multitudines, inquit Varro *lib.* 8. *de ling. latin.* & Agellius *lib.* 1. *cap.* 16. diſputans de illis loquendi modis, *mille hominum occiditur*, *mille paſſuum eſt*, ait: mille enim non pro eo ponitur quod Græcè χίλιοι dicitur, ſed quod χιλιάς: & ſicut vna χιλιὰς & duæ χιλιάδες, ita vnum mille, & duo millia certa ac directa ratione dicuntur.

Suã verò ſententiã pluribus exponit eo *lib.* 1. Gronou. in primis enim *c.* 3. contendit nomen *ſeſtertius* eſſe

eſſe adiectiuum, ſicut & *denarius*, vbi enim plurima ex antiquis adduxit de compoſitione huius vocis *ſeſtertius*, quaſi *ſemis tertius*, vt *ſemis quartus*, *ſemis quintus*; inde factum exiſtimat, vt ex ſubſtantiuo & adiectiuo compoſitum Grammatici putarent, quaſi ex *ſemiſſe* & *tertio*; quare *ſemis tertius* erant duo aſſes cum dimidio, *ſemis quartus* tres aſſes cum dimidio, *ſemis quintus* quatuor aſſes cum dimidio, *triens tertius pondo*, duæ libræ cum triente, fuitque illa ſemis tertij prima ſignificatio, vbi tamen ex duabus illis vocibus vnica facta eſt, eliſis aliquot prioris vocis literis, naturam vocis poſterioris quæ integra remanſit, tota ipſa vox ſequuta eſt, & ſicut *tertius* adiectiuum eſt, ita & *ſeſtertius*; quod idem factum videmus in voce *beſalterum*; quidni enim dicamus *beſalteram materiam*, & *beſalterum lapidem*, ſicuti dicimus *beſalterum lignum*, pro pedis & octo pollicum latitudinem habente. Vitruu. *lib.* 3. *cap.* 1. *Duabus partibus additis, & decuſſi facto, beſalterum quem ἐπιδίμοιρον vocant*, nempe breuitatis cauſa dixerunt *lignum beſalterum*, hoc eſt *lignum beſſem alterum latitudinis habens*; ſicut *Corona aurea libra pondo*: ſic & apud Martian. *beſſiſſicilicus*, quamuis non dicerentur quincunſicilici, quia nempe id nomen durius erat. Deinde τὸ *ſemis* non ſignificat tantùm dimidiatam libram æris, vel nummum, ſed eſt quid indefinitum denotans dimidium cuiuſque rei in aſſis partes diuiſæ. Neque ſanè ex ſua natura *ſemis* eſt *ſemiſſis*, ac proinde nomen ſubſtantiuum, ſed eſt quod Græcis ἥμισυς, ἡμίσεια, ἥμισυ: quare non mutat naturam adiectiuorum quibus adiungitur, ſed eandem relinquit; atque adeò adiectiua, *vt ſemiraſus vſtor*, *ſemiputata vitis*, *ſemiſopita lumina*, quod etiam videmus in *ſeſqui*, contracto *ſes*, eſt enim idem quod *&* *ſes* vel *ſemis*, nam dicitur *ſeſqui* pro *ſeſque*, vt in pluribus aliis peregre, peregri, here, heri. Cùm ergo dicitur ſeſtertium intelliguntur duo tota, duo quædam ὅλα, vel aſſes, quibus additur aliquod tertium dimidiatum, ideóque *ſeſtertius* non magis natura ſua ſubſtantiuum eſt, & neutro caret, quam tertius, & reliqua einſdem ordinis numeralia. Vnde in XII. Tabulis *ſeſtertius pes*, & apud Colum. *ſeſtertium bipalium*; *Ipſum agrum quem ſeminare deſtinaueris planum & ſuccoſum vertere, quod vocant ruſtici ſeſtertium*. Eodem modo *lapidem & milliare ſeſtertium*. Ad Æſquilinam portam Romæ dicebatur ad Seſtertium, locus ſepulchrorum, in quo pauperum ſceleratorum viliumque corpora cremabantur, ideoque quod in vita Cypriani legitur; *Cùm peruenisset in locum, qui dicitur Sextus, quarto ab vrbe milliari*, emendant aliqui, *qui dicitur ſextertius*, alij vt ortographiam ſeruent, *ſeſtertius*, neutri rectè: nam neque quartum ab vrbe milliare dici potuit ſextertius, aut ſeſtertius, neque verum eſt locum plectendis reis deſtinatum dictum vtique fuiſſe *ſeſtertium*. Retinenda igitur vox *Sextus*, ſic enim ille locus, ſiue vicus, ſiue prædium, ſiue prætorium fuit, dicebatur, ſiue à conditore, vel poſſeſſore Sexto, vel Sextio, ſiue à ſexto lapide, non reſpectu alicuius alterius quam Carthaginis, in quo loco tunc Galerius Maximus Proconſul erat, ad quem deductus eſt Cyprianus damnandus, vnde alia quædam eiuſdem Martyris acta habent. *In Sexti perduxerunt, ibi idem Galerius Maximus Proconſul bonæ valetudinis recuperandæ gratia ſeceſſerat*: & inferiùs, *In agrum Sexti perductus eſt, & ibi ſe Lacerno Birro expoliauit*. Quidquid ſit, nihil frequentius legimus quàm ad tertium, quartum, centeſimum, & ſimilia vel abſolutè poſita, vel addito lapide aut milliari: vbi perpetuò nomen numerale adiectiuum eſt, vt vides, quod idem dico de *ſeſtertium*, ad *ſeſtertium*, ſubintelligitur enim lapidem, aut milliare, aut quidpiam aliud eiuſmodi. Maneat itaque τὸ *ſeſtertium* adiectiuum nomen eſſe, & pro ſubſtantiuo appoſitu, ſiue expreſſo, ſiue ſubintellecto, genus, terminationem, numerum & ſignificationem mutare: ſic *ſeſtertius nummus*, qui eſſet æſtimatione dupondij & ſemis, ſiue duarum librarum æris, & dimidiatæ, quamdiu æs libræpondo fuit; quod nomen deinde perſeuerauit imminuto aſſium pondere, vti ſæpius monuimus. *Seſtertium* in neutro coniungitur cum argenti pondere, vel pondo, quod ſubaudiтur, ita enim *ſeſtertia pondera*, ſicut centenaria dicerentur. Hæc autem pondera argenti fuiſſe intelliguntur quoties ſeſtertia ſola ponuntur. Erant verò mille nummum ſeſtertium, ſicut *denaria pondera* mille denarium nummum, quod ſic colligitur. Centum denarij putabantur in libra Romana, ſicut & centum drachmæ in mina Attica, vti nuper oſtendimus, manifeſtumque fit ex Liui. *lib.* 22. vbi narrat inter Romanos, Pœnoſque conuentum eſſe de permutandis captiuis, vt qui plures reciperent quam darent, *argenti pondo bina & ſelibras* in militem præſtarent, quod Plutarch. *in vita Fab. Maximi* ſic expreſſit, δραχμὰς πεντήκοντα καὶ διακοσίας. Sicut igitur nummus denarius argenteus valet in ære decem aſſes vi nominis, ita pondus denarium in argento ſignato valet decem libras argenti, & ex conſequenti mille denarios nummos. Iam verò denarius nummus continet quatuor nummos ſeſtertios, ſiue illos priſca æſtimatione dupondij & ſelibræ æris, ſiue poſteriori quatuor aſſium accipias. Libra itaque argenti, vt centum denariis, ita quadringentis æſtimabatur ſeſtertiis. Duæ libræ, & ſelibra, hoc eſt ſeſtertium argenti pondus, mille ſeſtertiis nummis, bis namque quadringenti faciunt octingentos, & dimidium quadringentorum ſunt ducenti. Itaque *ſeſtertius* nummum ſignificat valentem dupondium & ſemis, ſeſtertium autem pondus argenti duarum librarum, & ſemis argenti, quæ mille ſeſtertios nummos continent, quam ſuam ſententiam Budæi, Leonardi, Portij, & Salmaſij authoritate confirmat Gronouius. Nempe cùm Latini dicunt *ſeſtertia* ſubaudiri pondo, cùm verò dicunt ſeſtertios, ſubintelligi nummos, in quam rem plurima alia adducit Gronouius, ſatis nobis fuerit iſta indicaſſe. Cætera magnis Grammaticis diſputanda permittimus, neque enim tam acrem & diuturnam contentionem dirimendam hoc loco ſuſcepimus, ſatis enim nobis eſt veterum nummorum vim & poteſtatem aperuiſſe; quare de ſeſtertio nummo ſatis, pergo ad reliquos.

Hi nummi inducti fuerunt ſenſim vbi Imperium Conſtantinopolim translatum fuit, in quibus primò occurrit milliariſium, vel milliarenſis, aut millarenſis, quem fuiſſe argenteum conſtat ex *Nou.* 105. *cap.* 2. Eius quoque meminit Cedrenus in *Leone Conone*, qui ad reparandas ingentes ruinas, quas terræ motus Conſtantinopoli intulerat, ſtatuit vt quæſtores Prouinciarum exigerent canonis nomine in ſingulos aureos, ſingula milliariſia, κατὰ νόμισμα μιλιαρίσιον ἓν, indeque

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

ttadit inductum fuiſſe mosem vt bina ceratia tributi nomine ſuſceptoribus penderentur. Quod verò addit Numam primum hoc tributi genus inſtituiſſe, voluiſſeque, vt qui ſtipendium è Palario caperent, ſingula ceraria penderent, vera fabula eſt Cedreno digna, ſic & quod ait Scipionem milliatiſia inſtituiſſe, & primum militibus à quibus nomen ſumpſerint, diſperſiſſe; quamquàm Epiphan. *lib. de pond.* à militia quoque deriuatum id nomen affirmet, vocetque στρατιωτικὸν δόμα. Cæterum à millenario numero dictum milliarenſem nummum obſeruauit Petau. *in Epiphan.* & Salmaſ. *in notis ad Hiſtor. Aug.* fuſiúſque oſtendit Gronouius *lib.4. c.16.* fuiſſe milleſimam partem, ſiue milleſimum nummum huius generis, in libris auri, vel vnum ex illis, quibus argenteis millenis auri libra penſabatur, & factam deinde aliquam mutationem in auri ad argentum proportione, atque adeò in milliarenſibus latè proſequitur: minuti itaque erant hi nummi argentei, & aliqui inter λεπτὰ reponunt.

10 Cerarium, vel cerates nummus quoque argenteus fuit, cuius meminit Iuſtinian. in *Nouella 72.* Zonaras *tom.3.* vbi de Nicephoro agit qui imperauit in ſingulos aureos bina ceraria, ἐπὶ τῷ νομίσματι δύο κεράτια, quod Cedrenus aliter narrat; ait enim à ſingulis exacta bina ceratia; eius vim ac poteſtatem ſic deſcribit Iſidos: *Cerates oboli pars media eſt, ſiliquam habens vnam ſemis, hunc Latini ſemiobolum vocant, cerates autem Græcè, Latinè ſiliqua cornu interpretatur, obolus ſiliquis tribus appenditur, habens ceratos duos, chalcos quatuor.* Cornu nomen ſumpſit vel ex forma quæ cornuta erat, vel ex lunæ creſcentis nota qua inſigniebatur.

11 Siliqua Priſciano eſt κεράτιον vel λεπτὸν, Iſidor. viceſima quarta pars aurei, quod confirmat Iuſtinian. *Nou. 32.* eius meminit *l.5. C. de impoſ. lucrat. deſcript. l.1. C. de ratioc. public. oper. Nou. 59. 115. & 46.* Edictum Valentin. & Theodoſ. circa vendition. & ſæpiſſime Caſſiod. vnde tributum ſiliquaticum, de quo *lib. 3. ep. 3. lib. 4. ep. 19. lib. 5. ep. 31. & alibi.*

12 Follis φολλὶς, φόλις, φολλὶ nummus fuit, cuius neque materia, neque æſtimatio ſiue pretium ſatis nota ſunt, nam æreos folles habet Lampridius in Heliogab. Euſtath. *in iliad.* A. ferream bracteolã facit, & tenuiſſimos obolos vocatos ait folles, alij argenteum, aut etiam aureum nummum faciunt. Minimi pretij fuiſſe teſtantur qui obolum valuiſſe dicunt, Euſtath. citatus, Muſcopulus, Suidas & Heſychi. nam hic poſtremus ἴσχατον κοδράντην Interpretatur τὸ τέταρτον τοῦ φόλλεως. Suidas, Iuſtiniani nummularios ſtaterem aureum ducentis & decem follibus permutaſſe ſcribit, ipſe tamen Iuſtinian. *in legib. Georg. tit.4. de furt.* ſiliquam duodecim follibus exæquat, atque ita ducentos & octoginta folles in ſingulos aureos imputat. Zonaras *tom.3.* & Cedrenus *in Leone Conone* in ceratio duodecim folles conſtituunt, non tamen exigui eiuſmodi pretij folles fuiſſe colliges *ex l.3. de Suar.* vbi libra carnis Suillæ taxatur ſenis follibus, quare nullius valoris extitiſſet Conſtantini donatiuum factum Eccleſiis, quod erat trium millium follium, ex ipſiuſmet Imperatoris ep. apud Euſeb. *lib. 10. hiſtor. c.6.* Denique mulcta follium triginta, quæ temerariæ appellationi imponebatur *l. 2. l. 3. C. Theod. quor. appell. non recip.* non multum timenda fuiſſet. Vides igitur totam illius nummi naturam obſcuram nobis eſſe, obſcuriorque eſt Epiphan. dum illam explicat, de cuius mente contendunt acerrimè Petauius & Salmaſi. Certum eſt aliquando pro ſumma plurium nummorum accipi, alias pro ſingulari quodam nummo. Tu vtriuſque viri eruditi diſputationem conſule, & Gronouii *lib. 4. de vetere pecunia, cap. 16.* fuſiſſimè.

ARTICVLVS VIII.

De nummis aureis veterum.

Nummorum aureorum varia ſpecies apud veteres. 1.
Denarij aurei an apud Romanos. 2.
Aurei valor. ibid.
Quot aurei in libra. 3. 4.
Solidus quid, & cuius ponderis. 5. 6. 7. 8.
Aurei ſolidi diuiſio. 9.
De ſtatere. 10.

NVmmorum aureorum apud Romanos ſpecies ignorare ſe fatetur Hotman. *part.3. de re nummar. c.1.* neque hactenus cuiquam fuiſſe compertas, cùm ne quidem conſter quo dicerentur nomine, & multò minus de eorum æſtimatione & pretio quidquam certo affirmari queat, negari tamen non poſſe denarios aureos in vſu P.R. fuiſſe, cùm Dydimus vetuſtiſſimus ſcriptor apud Priſcian. id teſtetur, & L. Cornutus illum Perſij locum. 1

—— Et veri ſpeciem dignoſcere calles,
Ne qua ſub ærato mendoſum tinniat auro.

Ait alludere ad nummularios peritos, qui denarios auro infectos, nequaquam pro auro accipiunt. Plin. ipſe *lib. 33. c.3.* denarium ex auro ſignatum fuiſſe non ſine ſcelere dicit, & *lib. 37. c.4.* narrat in Cypro ſmaragdũ ſex aureis denariis indicatũ fuiſſe. Sueton. *in Galba, c.12.* ait illum Chano Choraulæ donaſſe quinque denarios prolatos manu ſua è peculiaribus loculis, quod Plutarch. ſic expreſſit ἐκ λαβὼν χρυσοῦς τινὰς ἐπέδωκε τῇ χειρί. Terentius negat illo adhuc æuo fuiſſe denarios aureos, neque mirũ videri Plutarchum à Suetonio in re leuicula diſſentire, ſubinde verò ab Heliogabalo percuſſum fuiſſe denarium aureum, quem Græci δεκάχρυσον vocaſſent. Verùm quæ nuper protulit Hotman. de vſu denariorum aureorũ Romæ, manifeſtiora ſunt, quàm vt negari, aut obſcurari queant, laborat tamẽ ipſe in notatione nominis, non enim ſumi ex eo poteſt, quod pari argenteorũ numero reſponderet, ſicut argenteus denarius ſic appellatus eſt, quòd denos æris valeret, quia paſſim omnes aureis denarius pretium XXV. denariorum argenteorum attribuunt. Vt hunc nodum diſſoluat Gronouius *lib. 3 c.15. de pecunia vetere,* ait Romanis olim non fuiſſe niſi vnam ſpeciẽ nummi aurei viginti quinque denariorum pretio, & quia non niſi vna fuit, non niſi *aureus* vocabatur; quia verò argentei nummi erant denarij victoriati, & ſeſtertij, idcircò nominibus ſicut & pretio differebant; cum verò omnes aurei vnius forent generis, & indicaturæ, vno quoque eodemque nomine exprimebantur. Ad id verò quod dicitur denarios aureos legi apud veteres ſcriptores Romanos, aut de Romanis rebus, inde tantùm habetur eiuſmodi denarios aureos fuiſſe in vſu P.R. ſed peregrinos, quales erant ἡμίχρυσοι Attici: nam Romani non niſi aureos tunc vnius ſpeciei nummos habebant, qui abſolutè vti iam monui, aurei dicerentur. Sic Apulei. *lib.4. iubet nobis protinus gaudij ſui Gerulis decem aureos, vt*

ipſe

ipſe habebat, è ſuis loculis adnumerari. His aureis Romanis viginti quinque denarios pretij dant authores, non aureis denariis, qui multi erant apud Romanos, vti diximus, ſed peregrini duntaxat, vti iam monuimus, atque ita euaneſcit ingens illa difficultas, quæ vexabat Hotmanum; neque de nomine denarij aurei laborandum eſt Hotmano; inde enim deriuatum eſſe ſtatim apparet quod drachmam auri penderent, & decem drachmis argẽteis æſtimarentur, quare aliæ huius denominationis cauſæ quas *illo capite* 1. affert Hotman. minùs probantur.

Obiicies illud Petronij *cap.* 33. *Sequebatur puer cum tabula Therebinthina, & cryſtallinis teſſeris: notamque rem omnium delicatiſſimam; pro calculis enim albis aut nigros, aureos, argenteoſque habebat denarios.* De hoc ludi genere, atque vltimis Petronij verbis, quæ mendoſa videntur, pluribus diſputat Gronouius *lib.* 3. *de pecunia vetere, cap.* 15. Nobis in præſentiarum id vnum facit difficultatem, quod aureos denarios apud Romanos in vſu fuiſſe inde euidenter colligitur, quod tamen hactenus negauimus. Verùm vel illi denarij aurei erant *ἡμιχρύσοι* peregrini, vel in hunc vſũ oſtentandæ magnificentiæ causâ à Trimalcione denarij pondere formati, non ordinarij aurei nummi Romani qui id temporis erant, vti diximus, vnius duntaxat ſpeciei, & vocabantur vno nomine aurei, quod etiam obſeruauimus in iure, vt *in l.* 2. *§. in eum, & l. pen. D. de in ius vocando, & l.* 32. *D. de muneribus, l.* 7. *D. de iuriſdict. l.* 8. *§. vlt. & l.* 9. *de inoffic. teſtam. l.* 25. *D. de SC. Silanian. l. vn. D. ad l. Iul. de amb.* atque alibi, ipſique Græci abſolutè dixerunt *χρυσοῦν.* Moſcopul. *in ſylloge nomin. Attic. τὸ δὲ χρυσοῦς μόνον ἀεὶ λέγεται καὶ δηλοῖ νόμισμα ἐκ χρυσοῦ.*

2 Valebat autem aureus centum ſeſtertius, ſiue 25. denarios, quod diſertè tradit *lib.* 55. qui ait aureum nummum valere viginti quinque drachmas, loquendo Attico more, at verò in 25. drachmis, ſiue denariis centum ſeſtertios contineri iam monuimus, conſtatque ex Suetonio, & Tacit. nam Suetonius ſcribit Othonẽ excubanti cohorti, quoties cœna Principes acciperet, diuidere ſolitum vnum aureum: Tacitus ait dediſſe centum ſeſtertius. Zonaras *tom.* 2. Dionem allegat, idemque cum illo aſſerit. Tacitus *lib.* 11. *annal.* narrat à Clodio taxatum fuiſſe honorarium aduocationis præmium decem millibus ſeſtertiûm, quod Vlpian. *l.* 1. *D. de extraordin. cognit.* centum aureis interpretatur. Plaut. *in Truculento.*

Non iam de hoc obſonio de mina vna deminui,
Modo quinque nummos mihi
Detraxi partem herculanam.

Pars herculana decima erat, ac proinde quinque nummi, non poterant eſſe herculana minæ, quæ erat centum drachmarum, niſi nomine nummi intelligamus ſtaterem, ſiue nummum aureum, qui duabus drachmis ſiue denariis æſtimabatur. Vnde Hotman. *in comm. verbor. iur.* emendat §. 3. *Inſt. de ſucceſſion. libert. Si quidem libertus & liberta minores centenariis ſint, id eſt minus centũ aureis habeãt ſubſtantiam (ſic enim legis Papiæ ſummam interpretati ſumus, vt pro mille ſeſtertiis vnus aureus computetur,) nullum locum habeat patronus in eorum ſucceſſione.* In quibus verbis apparet eas voces *centum,* & *mille* inter ſe commutãdas eſſe, & ſic legendum: *Si quidem libertus & liberta minores centenariis ſint, id eſt minus mille aureis ſubſtantiam habeant ſic enim legis Papiæ ſummam interpretati ſumus, vt pro centum ſeſtertiis vnus aureus computetur.* Cuius emendationis euidens eſt ratio; cùm enim centum ſeſtertij vnum aureum efficiant, vti hactenus euicimus, centum quoque ſeſtertiorum millia, mille aureos conficiant neceſſe eſt; qui igitur minores ſunt centenariis, habentque minùs quàm centum millia ſeſtertiorum, habent quoque minus mille aureis. Quare malè Contius ex hac mendoſa lectione colligit ſolidum, ſiue aureum mille ſeſtertios valuiſſe. Sanè lex Papia quam eo loco interpretatur Imperator, agebat de liberto qui *HS. centum millium rem habebat,* vti eodem titulo refertur. Eos igitur Imperator minores *centenariis* nominauit, qui minus quam centum ſeſtertiûm habebant, quæ ſumma facit centum millia ſeſtertiorum, ac proinde minus mille aureis, cũ aureus centũ ſeſtertiis ſit æqualis, mille aurei, centum ſeſtertiorum millia efficiant. Similia quædam alia menda in variis legibus diluit ibid. Hotman. ex hoc autem valore aurei qui æquabat 25. denarios ſiue drachmas, explicant aliqui illud Martial. *lib.* 10. *Epigr.* 24.

Sed vita tribus aureis peractis
Lucos Elyſia petam puella.

Cùm enim petat vt ad annos ſeptem ſupra quinquaginta ſibi adiiciantur decem & octo, qui prioribus adiecti rectè efficiunt tres aureos Romanos, hoc eſt ſeptuaginta quinque denarios, hanc ſibi auream ætatem optat poëta. Ita Rader. *in comm.* quod diſplicet Turneb. *lib.* 30. *c.* 30. Ioanni Meurſio *in Mantiſſa c.* 19. & aliis qui legi volunt *tribus areis,* id eſt vitæ curriculis, id eſt pueritia, iuuenta, & ſenecta. Area in Circo eſt ſpatium curriculi, & area vnius diei, eſt 25. miſſuum, quare miſſus trium arearum conficiunt numerum annorum quos ſibi optat Poëta.

Reſtat intricata illa quæſtio quot aurei in librã 3
imputarentur propter corruptum Plinij locum *lib.* 33. *cap.* 3. in quo emendando laborarunt Agricola *lib. de pretio metalli,* Budæus *lib.* 3. *de aſſe,* Hotman. *lib. de re nummar. part.* 3. *cap.* 2. qui poſtremus ponit in primis aureum fuiſſe pondere duorum argenteorum, ſicut Græcus ſtater habebat duas drachmas Atticas ex Pollue. *lib.* 9. *ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ δυὸ δραχμὰς Ἀττικὰς*; quod etiam appenſis aureis, & argenteis qui effodiuntur, comprobaſſe ſe atteſtatur Budæus, atque ipſe Hotman. quamquàm & aliqui ſub Cæſaribus percuſſi multò grauiores reperiantur; nam & vnum ſeptem denariorum pondere ſub Nerone, alterum ſex denariorum ſub Antonio Commodo vidiſſe ſe narrat Hotmanus. Verùm illi non erant ordinarij, & vt ita dicam vſuales nummi, ſed extraordinarij ad Imperatoris magnificentiam cuſi. Hinc verò ſequitur ſenos ſcrupulos in aureo fuiſſe, quandoquidem in denario argenteo terni erant, & aureus duorũ denariorum pondere erat, vt diximus. Supponendum prætereà eſt in libra Romana ſemper fuiſſe duodecim vncias æquales, cuiuſcumque metalli, ſiue auri, ſiue argenti, vel æris, aut aliarum quoque rerum libra foret, ac proinde ex numero aureorum, vel denariorum qui ex libra cudebantur colligi numerum eorum, qui in vncia cudebantur, & viciſſim cognito numero eorum qui ex vncia percutiebantur, colligi neceſſariò quot in libram imputari debeant. Quia tamen non ſemper fuit in Romana Republica idem aureorum pondus, diligenter obſeruanda erunt tempora in quibus facta eſt aureorum aliqua in pondere mutatio. Initio ſiquidem grauiores, poſtmodum leuiores percuſſos eſſe Plinius apertè teſtatur, nam initio ait ſcrupulum valuiſſe *ſeſtertios vicenos, quod efficit in libram,*

ratione ſeſtertiorum qui tunc erant, nongentos, poſt hæc placuit XLM. ſignari, minutiſſimè verò ad XLV. millia. Qui locus etſi corruptus ſit, oſtendit tamen non ſemper fuiſſe idem aureorum pondus, ſed ſubinde mutatum: quale verò fuerit modò inquirimus, & quod inde ſequitur Plinianum locum aut illuſtramus, aut emendamus. Atque vt ordiamur à minutiſſimo pondere, cuius meminit Plinius, fuit illud non XLV. millium, vt mendoſè apud illum legitur, nam illud M. docti omnes iam diu exploſerunt, reponendumque eſt XLVIII. illud enim III. facili lapſu librarij in M. commutarunt, quod ſic demonſtramus. Cùm enim nouiſſima illa immutatio, de qua agit Plinius facta fuerit ſub Nerone, vt ibi etiam aliqui legunt, & ſaltem ſub Cæſaribus, ſub quibus ſcribebat Plinius, & illo ipſo tempore nonaginta ſex denarij, ſiue drachmæ ex libra argenti cuderentur, quod nuper docuimus, aureuſque duorum argenteorum pondus haberet, ſequitur ex auri libra octo & quadraginta aureos cuſos eſſe, quæ eſt pars dimidia nonaginta ſex. Et ſanè ipſe Plini. *lib.* 19. *capit.* 1. auri ſcrupulum quaternis denariis æſtimat; Fannius autem & Priſcian. in drachma, ſiue denario tria conſtituunt argenti ſcrupula; igitur aureus habuit pondus ſex ſcrupulorum ratione duplæ proportionis. Habemus igitur aureos id temporis 48. in auri libram imputatos fuiſſe, ac proinde in illo vltimo verſu Pliniano non XLVM. ſed XLVIII. legendũ eſſe, eradendumque illud M. Quia tamen iſta non videntur ſatis aptè cohærere cum 25. denariis, ſiue centum ſeſtertiis, quos paſſim omnes, vti dicebamus, aureo tribuunt, reſpondet Hotman. aliud fuiſſe rudis auri, aliud ſignati; ſicut & aliud eſt argenti facti, aliud infecti pretium. Nam propter operarum mercedem, ſiue manupretium aliquid accedit, ideoque licèt in aureo cudendo non plus impenderetur materiæ, quàm quantum 24. denariis æquiualeret, aureum tamen percuſſum 25. denariis fuiſſe permutatum apparet. Initio autem cùm grauiores eſſent, ac proinde in libram pauciores imputarentur, Plinius ait *ſcrupulum valuiſſe ſeſtertios vicenos, quod inquit, efficit in libram ratione ſeſtertiorũ qui tunc erant, ſeſtertios DCCCC.* Prior numerus oſtendit erratum fuiſſe in poſteriore, nam ex illo priore numero colligimus ternos aureos ex vncia, & 36. ex libra fuiſſe percuſſos: quare non nongenta ſeſtertia in libra, ſed quatuor millia quadringenta ſexaginta quatuor reponenda eſſe demonſtrat Hotmanus. Alteram mutationem factam ait Plinius cùm placuit ſignari XLM. ex auri libris, vbi illud etiam M. delendum eſt, legendumque XLII. Atque ita habes tres ſtatus huius mutationis, primò enim in libram cudebantur 36. aurei, deinde 42. & denique 48. quod fuit minutiſſimum pondus tempore Plinij.

4 Non tamen fuit vltima illa variatio, aliæ enim ſubinde pro Principum arbitrio, aut Rerumpublicarum permutatæ ſunt, & cùm initio eſſet tantùm vna aurei nummi ſpecies, vti docebamus nuper, factæ ſunt plures, nimirum tremiſſes, ſemiſſes, & ſolidi, ita dicti, quòd eſſent ſolidi integri & ſui ponderis, cùm alia eiuſdem metalli numiſmata eſſent duntaxat ſemiſſes, vel trientes. Audi Lampridium *in Alexandro Seuero. Tuncque primũ ſemiſſes aureorum formati ſunt, tunc etiam cùm ad tertiam partem vectigal auri decidiſſet tremiſſes, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non poſſet, quos quidem iam formatos in moneta detinuit, expectans ſi vectigal contrahere potuiſſet, vt eoſdem ederet, ſed cùm non potuiſſet per publicas neceſſitates, conflari eos juſſit tremiſſes tantùm, ſolidoſque formari, formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque ampliùs vſque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, reſolui præcepit, neque in vſu cuiuſquam verſari, atque ex eo his materia nomen inditum eſt, cùm diceret plus largendi hanc eſſe Imperatori cauſam, ſi cùm multos ſolidos minores dare poſſet, dans decem vel amplius vna forma, triginta, & quinquaginta, & centum dare cogeretur.* Ex his Lampridij verbis quæ paulò fuſiùs referre placuit, colligit in primis Villalpand. Heliogabalum quinquaginta aureos in libram percuſſiſſe, quia Lampridius ait denarios & eò amplius vſque ad bilibres, & centenarios fuiſſe percuſſos. Quis ambigat tricenas, & librarias fuiſſe quoque percuſſas, maximè cùm Lampridius addat tres formas, vnam, quæ triginta aureos, alteram, quæ quinquaginta, hoc eſt librariam, & tandem quæ centum continuerit, hoc eſt bilibrem; ſed id non vult Lampridius, neque ſignificat quinquaginta aureorum formam fuiſſe librariam, & ſecum pugnaret Lampridius: ſi enim forma quinquaginta aureorum erat libraria, centenaria fuerit bilibris oportet. Atqui Lampridius formas *bilibres & centenarias*, tanquam diuerſas enumerat, & centenariam maiorẽ bilibri facit. Salmaſius mendum ſuſpicatur, & pro *bilibribus, librarias* legit, eo quod bilibres & centenariæ non differrent niſi quatuor aureis, quæ erat exigua differentia, cùm enim octo & quadraginta aurei in libram ſignarentur, duæ libræ habebant nonaginta ſex aureos, atque ita bilibris forma parùm diſtabat à centenaria. Gronou. *lib.* 4. *cap.* 15. vult id temporis in libra non fuiſſe aureos niſi quadraginta, & in *bilibri forma* octoginta; quare viginti aureis centenaria, quæ æquabatur centum aureis, ſuperabant; ideoque meritò bilibres, & centenarias formas diſtinxit Lampridius, nam centenariæ erant duarum librarum & ſemis, poteramque dici formæ ſeſtertiæ, quomodo *ſeſtertias auri* pro duabus libris & ex ſelibra dixit Author vitæ Apollonij Tyrij. *Perfecto loculo regalibus ornamentis exornauit puellam, & in loculo poſuit, & XX. ſeſtertias auri ad caput eius poſuit.* Quo ſimili loquendi modo ſæpius ibidem vtitur. Obiicit Salmaſi. Lampridium illis verbis *dans decem, vel ampliùs vna forma, triginta & quinquaginta, & centum dare cogeretur*: intelligere per *quinquaginta* formas librarias, quod nempe continerent 48. aureos, neque duo illi aurei excurrentes ſupra libram appellationem formæ librariæ tollere debuerunt. Verùm ſatis aperta videtur Lampridij mens, voluit enim cogi Principem ad effuſionem, ſi cùm ſatis liberalis videri poſſit dando plures ſolidos minores iſtis formis Heliogabalicis, cogatur dare vel decem & amplius vna forma, vel triginta per tres denarias formas, aut quinquaginta in quinque denariis formis, vel denique in decem denariis formis centum, cùm parum liberalis cenſeatur, qui vnum tantum nummum dat, liberalior qui tres, aut quinque, & non maximè effuſus niſi ſaltem donet decem.

Colliges ſecundò ex Lampridij relatis verbis vocem *centenaria* deinceps abſolutè vſurpatam eſſe de centum libris auri, & de tot ſolidis quot imputantur in centum auri libras, id enim ferunt illa verba. *Atque ex eo his materia nomen inditum eſt*: quæ Cauſabonus expungi vellet, Salmaſius verò retinet, & ita interpretatur vt centenarij vox

deinceps

deinceps vſurpari cœpta ſit de quacumque materia centum libras pendente, quod falſum eſt, nam ante Heliogabalum diu fuit ille centenarij vſus, quare ad auri libras centum reſtricta eſt illa centenarij ſignificatio, eò quod illa centenariæ vox fuiſſet impoſita formæ, quæ centum aureos contineret, inde enim & ipſi *materiæ nomen inditum eſt*, & *centenarium* κατ᾽ ἐξοχὴν, & ſimpliciter tum de centum libris auri, tum de tot ſolidis, quot in centum libras auri imputantur, fuerit dicta, itáque deinceps dena centenaria, viginti mille, & alia eiuſmodi, quorum valorem fuſiùs expendit Grouoni. *lib.4. cap.* 13. aduersùs Salmaſium.

Colliges tertiò quod initio dicebamus inde deriuatum eſſe ſolidi nomen in aureis, quòd integer eſſet, ſuique ponderis, vt à ſemiſſibus & tremiſſibus, item aureis diſtingueretur; quare vox illa perpetuò deinceps vſurpata, idem omninò valet quod aureus, ſed integer & non imminutus. Vnde ſcribunt aliquãdo authores aureos ſolidos, vt Apulei. *lib.9. &* 10. *de Aſino*, aliquando aureos abſolutè, vti monebam initio, aliàs ſimpliciter ſolidos, vt *l.5. §. Prætor ait. D. de his qui deiecerunt, vel effuder.* & *l.38. §. fideicommiſſit. D. de legat.* 3. & dum Græci dicunt χρυσοὺς, Latini vertũt ſolidos. Socrat. *lib.4. &* 34. *ἑβδομήκοντα χρυσοῦς.* Caſſiodor. *lib.6. Hiſtor. trip. cap.* 13. octoginta ſolidos, atque alibi ſæpius: quare non placet quod ait Salmaſ. ſolidum nihil aliud ſignificare quàm aſſem, idemque ſit *ex aſſe*, & *ex ſolido*: cùm autem aſſis & aurei pondus æquale factum eſſet, duarum nempe drachmarum, illius in ære, eius in auro, inde quoque euenit, vt aſſem pro aureo vſurparint, itáque Caſſiodor. & Codex Theodoſian. loquuti fuerunt, & tandem ſolidum, qui & aſſis eſt, pro aureo quoque ceperint, fueritque deinde iſta ſignificatio communiſſima. Verùm confundit Salmaſius aſſem nummum cum aſſe quem partimur, neque vnquam probabit veteres Romanos vſurpaſſe ſolidum pro aſſario, ſicut neque aſſem extra ratiocinium pro aureo accepiſſe, & quæ adducit ex Caſſiodoro id minimè conficiunt: v.g. *Quæ militibus præbentur, in aſſem publicum debere imputari*: & quod alibi; *Paraneedorum, & annonarum præbitionem in aſſem publicum conſtituimus imputari*: alibi; *Ut trina illatione ſeruata aſſem tributarium deuotus exoluat*, quibus omnibus aliiſque ſimilibus locis, aſſis non ſignificat ſingularem aliquem aureum nummum, aut ſolidum, ſed ſummam quæ cenſus, vel tributi nomine pendebatur; & quamuis ſolidus fortaſſis penderetur in aſſem publicum, & tributum, ac cenſum, non tamen idcircò dici poteſt aſſis pro ſolido, potiùs quàm cenſus aut tributum. Dixit quidem aliquando Caſſiodor. canonicos ſolidos, & canonicos aſſes, qui nimirum dabantur pro tributo, nunquam tamen dixit *aſſes publicos*, ſed *aſſem publicum, aſſem tributarium*; & Codex Theodoſ. *aſſem publicarum functionum*. Et ſanè aliquando plures ſolidi conficiebant illum aſſem canonicum, tributarium, & publicum. Non igitur *ſolidus & as* idem fuit, ſed ſolidus fuit aureus integer, & non diminutus, vt ſemiſſis, & tremiſſis, nam antiqui *ſolidum* integrum dicebant. Cic. *de diuinat. Annibal cùm columnam auream vellet auferre, dubitauit vtrum ſolida eſſet, an extrinſecus inaurata*: & in *Queruli comœdia, Quid tam ſimile quam ſolidus ſolido, etiam hic diſtantia quæritur in auro, vultus, ætas, color, ſoliditas*(male enim vulgò legunt nobilitas) *litteratura, patria, grauitas, atque ad ſcripulos quæritur in auro, pluſquam in homine.* Quia igitur ille aureus integer, & non dimidiatus, aut dimidiatis minor fuit, & deinde ex auro puro ſiue ſolido, ſolidus & ipſe dicebatur.

5 Aureum dico, reiicio enim ſolidum argenteum, quem Romanorum numiſma fuiſſe pendens ſextam vnciæ partem, vnde & *ſextia* dictum ſit, aliqui inducunt, eò quod Iſidor. *lib.16. cap.*24. obſeruet *ſolidum* aliter ſextulam dici, eo quod de illis ſex vncia compleatur. Verùm non dixit Iſidor. eam eſſe vnciam argenti, aut eum ſolidum nomiſma argenteum fuiſſe: imò contrarium affirmat. *Hinc*, inquit, *vulgus aureum ſolidum vocat, cuius tertiam partem ideò dixerunt tremiſſem, &c.* Et ſanè ſex ſolidi aliquando auri vnciam expleuerunt, vti conſtabit ſtatim. Capellus facit quoque ſolidum Romanum argenteum grana Romana centum ἀν-τιῤῥέποντα, quia *in Codice Theodoſian. de expenſis ludor.* eiuſmodi ſolidi argentei quinque iubentur vnciam argenti explere, at eo loco prohibetur quidem ne in ſportulis, *maiorem argenteum nummum fas ſit expendere quàm qui formari ſolet, cum argenti libra vna in argenteos ſexaginta diuiditur*, vbi nulla eſt mentio ſolidi argentei, ſed vel milliarenſis, vel alterius cuiuſpiam argentei nummi. Et ſanè ſequenti *leg.* prohibetur ne expenſæ excedant *duorum ſolidorum librata impendia, ne inconſulta inſania viros, & fortunæ atque Reipublicæ robur euellant*: qui ſolidi ſi argentei tantum eſſent, Reipublicæ robur, & opes non euellerent. Certum itaque eſt Romanis ſolidum argentuem ignotum fuiſſe.

6 Redeamus igitur ad ſolidum aureum, cuius variatum & mutatum ſubinde pondus fuiſſe docuimus ex Plinio, eiuſque ætate 40. aureos in libram imputatos, atque hoc legitimum pondus diu perſeuerauit in ſolido, licèt minores aurei, vt ſemiſſes & tremiſſes percuſi fuerint ab Alexandro Seuero, ſicut & grauiores multò ab Heliogabalo, qui formas decarias, bilibres & centenarias induxerat, quæ tamen extraordinariæ Heliogabali formæ non erant in vſu communi, ſed ad immenſam quandam Imperatoris profuſionem. Inclinante deinde Imperio ſenſim leuiores ſolidi percuſſi ſunt. Itaque Hotman. *cap.4. part.3. rei nummar.* aliique paſſim exiſtimant Conſtantin. voluiſſe octoginta quatuor ex auri libra conflari, ſiue ſeptem ex vncia, qui ſinguli quaterna ſcrupula continerent, quod probatur *l.1. C. Theod. de ponderat. ſi quis ſolidos appendere voluerit auri cocti* (per obryſam nimirum examinati) *ſeptem ſolidos quaternorum ſcrupulorum noſtris vultibus figuratos appendat pro ſingulis vnciis, quatuordecim verò pro duabus; iuxta hanc formam, omnem debiti formam illaturus: eadem ratione ſeruanda etſi in materiam quis, vt ſolidos dediſſe videatur.* Vides itaque Conſtantium duplo ferè leuiores ſolidos conflaſſe, cùm enim quaternos ſolidos in vnciam & quadraginta octo in libram cudi mos eſſet, ille libram fecit octoginta quatuor ſolidorum, & vnciam ſeptem, deinde Valentinus ſenior rurſus grauiores fecit, & ſeptuaginta duos in libram conflauit, atque ita ſex ſolidos vnciæ attribuit, ſic enim habet eius conſtitutio in *l.13. Cod. Theodoſ. de ſuſceptoribus*, ex emendata Hotmani lectione. *Quotieſcumque ſolidi ad largitionum ſubſidia perferendi ſunt, non ſolidi (pro quibus adulterini ſæpè ſubduntur) ſed aut iidem in maſſam redacti, aut (ſi aliunde ille qui ſoluit poteſt) materia auri obryſa-ti dirigatur, &c. Illud etiam cautionis adiicimus, vt quotieſcumque certa ſumma ſolidorum pro tituli qualitate debetur, & auri maſſa tranſmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta.* Huius conſtitutionis

ſtitutionis vltima illa clauſula ſeptuaginta duos ſolidos in libram imputans refertur *l.4. in C. Iuſtinianeo eod. tit.* Vides igitur ſolidorum pondus non fuiſſe idem ſub Conſtantino, & Valentiniano, cùm ſeni aurei eſſent ſolùm in vncia imperante Valentiniano, ſex enim vnciæ duodecies ductæ conficiunt numerum ſeptuaginta duarum. At verò Conſtantinus ſingulis vnciis ſeptem ſolidos quaternorum ſcrupulorum aſſignauit; pondus tamen à Valentiniano conſtitutum deinde perſeuerauit, & legitimum fuit. Inde enim Iſidor. nuper laudatus ſolidum ſextulam vocari dixit, quod ſexta pars vnciæ foret; ibidemque tradit tres aureos ſemunciæ nomine appellari, qua etiam de cauſa Græci ἑξάγιον vocarunt. Nicephorus Phocæ auaritiam damnat, quòd nomiſma hactenus ἑξάγιον, ipſe τεταρτηρὸν quartarium feciſſet, quæ eadem habet Cedrenus, induxitque duo ſolidorum genera, & grauiorem quidem exigebat in præſtatione tributorum, minorem ſiue leuiorem in ſumptus ſuos dabat, quam fraudem ſic explicat Hotman. vt cùm antea omnis ſolidus ſextam vnciæ partem penderet, ideóque ſextula nominaretur, eratque ſextantarius, Nicephorus alium ſignari voluit, paris, eiuſdemque ponderis, quaſi quatuor tantùm in vncia eſſent; & ideò quartarium, ſiue potius quadrantarium illum appellauit, cùm tamen multò leuior eſſet vnciæ quadrante: vbi itaque quidpiam fiſco ſoluendum erat, ſextantarios iubebat adnumerari, vbi autem quid ipſe impenderet, alteros illos pondere ſextantarios, ſed verbo quadrantarios dabat; vnde magnum fiſci lucrum & priuatorum diſpendium naſcebatur, quia leuiores nummos inter ſe commutare, grauiores fiſco pendere cogerentur.

7 Hanc communem conſtantemque ſententiam de ſolidis octoginta quatuor à Conſtantino in libram conflatis, & deinde ad ſeptuaginta duos à Valentiniano reductis, plurima eaque grauia argumenta conuellunt: nam, vt ſapienter obiicit Gronouius *lib.4. de pecunia vetere, capit.13.* octoginta quatuor nummi ſcripulorum quatuor ſinguli conficiunt omninò trecenta triginta ſex ſcriptula; atqui totius libræ ſcriptula non ſunt niſi 288. ſcriptulum enim, ſiue ſcripulum eſt pars ducenteſima octogeſima octaua aſſis, inquit Voluſian. libra autem illa Conſtantini eſt 336. ſcriptulorum: debet igitur eſſe libra quatuordecim vnciarum, cùm in ipſa ſint 48. ſcriptula vltra debitum & iuſtum numerum, qui eſt in vncia quatuor & viginti. Æquè falſum eſt quod additur à magno Conſtantino ſeptem ſolidos quatuor ſcripulorum in ſingulas vncias deſignari; nam hi ſeptem ſolidi non poſſunt ſinguli eſſe niſi trium ſcripulorum, & paulò plus quinta parte ſcrupuli, aut paulò minus ſextante, quod ſi ſolidi ſunt quatuor ſcrupulorum, vt omninò vult eſſe Conſtantinus, non poſſunt eſſe in vncia niſi ſex ſolidi, quandoquidem illa non continet niſi 24. ſcripula, vti diximus; neque proinde poterunt in libram niſi ſeptuaginta duo ſolidi imputari; quare vel pugnantia loquitur illa communis opinio, & Conſtantinum ſecum pugnantem inducit, vel ſi admittit ſeptem ſolidos quaternorũ ſcripulorum in vncia, debet vnciæ tribuere 28. ſcripula, quod aliqui ſuſpicati ſunt, ſed parum omninò prudenter: ſic enim dimidia ſextula non manſiſſet duorum ſcrupulorum, neque drachma trium, neque ſextula quaternorum, neque ſicilicus ſenum, neque binæ ſextulæ octonum, nec ſemuncia duodenum, ipſumque ſcripulum non manſiſſet ſex ſiliquarum, ſed eadem proportione omnia iſta pondera augeri oportuiſſet cum vncia in qua continentur. Huius verò tantæ mutationis in ponderibus à Conſtantino factæ nullum neque veſtigium, neque cautam in illius æui ſcriptoribus deprehendimus, neque fauet aduerſariis Varro quem aiunt *in annali tertio*, vti refert Chariſius, affirmare denarium fuiſſe quatuor ſcriptulorum, cùm denarij 84. ſignarentur è libra: nam ſic habet in illo fragmento Varro, *Nummum argenteum conflatum primum à Seruio Tullio dicunt, is quatuor ſcriptulis maior fuit, quam nunc*, qui nummus non fuit ſine dubio viſualis, ſed monumentum quoddam Tullianæ magnificentiæ, cùm longè poſt Tullium ſignare cœperint argentum Romani. Deinde non affirmat Varro nummum illum fuiſſe quatuor ſcrupulorum, ſed quatuor ſcrupulis maiorem, quam eſſet Varronis ætate, ex quibus nihil in rem ſuam conficere poſſunt aduerſarij. Non poteſt igitur conſiſtere illa conſtitutio Conſtantini quæ aſſignat ſeptem ſolidos vnciæ auri, & libræ 84. quorum ſinguli forent quatuor ſcrupulorum, vti fuit hactenus demonſtratum: quare mendum omninò irrepſit in illud Conſtantini reſcriptum, & VII. pro VI. ſicut & XIV. pro XII. facili omninò confuſione ab imperito, aut incurio librario poſitum fuit. Atque ita benè conuenit Conſtantino cum Valentiniano qui ſeptuaginta duos ſolidos in libram imputari voluit, vti initio referebamus: hi enim ſinguli neque pauciorum, neque plurium quam quatuor ſcrupulorum, nec niſi ſex in vncia & duodecim in duabus, vti affirmabat Conſtantinus, eſſe poterant. Quare Valentinianus non emendauit aut abrogauit libram illam Conſtantinianam 84. ſolidorum, atque ad 72. imminuit, vti contendunt aduerſarij; vt quid enim Theodoſ. & Alaricus conſtitutionem iam à Valentiniano antiquatam ſuis Codicibus inſeruiſſent? Imprudenter præterea faciunt Valentinianũ, quem volunt imminuiſſe quidem libram auri σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ: ſic tamen vt illa non eſſet quidẽ ἰσοστάσιος veteri Conſtantinianæ, ſed ἰσοδύναμος, quia libra iſta nouiſſima 72. ſolidorum eiuſdem ponderis erat, cuius fuerat libra 84. ſolidorũ Conſtantini, eandemque æſtimationẽm valorẽ ac pretiũ habebat, quod habebat cùm antea 84. ſolidos cõplectebatur, itaque 72. ſolidi aurei tantumdem valebant, quantum octoginta quatuor eiuſdem omninò ponderis ac materiæ. Quodnam verò ex eiuſmodi mutatione pecuniæ lucrum obtinget Reipublicæ; illud enim ſolùm euenit quando imminutis aut impuratis nummis eadem æſtimatio & poteſtas manet, quæ fuerat grauioribus & ſincerioribus, quomodò Solon ex mna, ex qua non niſi 72. aut 75. denarij vel drachmæ percutiebantur, voluit centum conflati, eiuſdem omninò pretij in vſum publicum. Sic Romani vnius aſſis materiam in ſenos primùm, deinde in duodenos, & denique in vicenos quaternos, atque vt Plinius, aſſes primùm librales, tum pondere ſextantarios, deinde vnciales, ac ſemunciales percuſſerunt; quam eandem quoque rationem tenuit ipſe Conſtantinus, qui non libram auri, ſed nummos ex ea percuſſos imminuit, & nouauit, quod Gronouij verbis explico. Aureus antiquus Romanus erat ſeptem ſcriptulorum & quintæ, ſcriptuli quadraginta feriebantur è libra, ex valdè recepta opinione: ſepties autem quadraginta ſunt 280. quadraginta quintæ partes ſcriptuli faciunt octo ſcriptula integra, atque ita fiunt 288. ſcriptula libræ; pretium tamen

erat

Digitized by Google

erat aureo XXV. denariorum, quaſi ſeptem ſcriptulis & ſumpto, vel dimidiato ſcriptulo conſtaret, vt imputarentur in libram nummariam trecenta ſcriptula, quæ reſponderent tribus millibus ſcriptulorum argenti, hoc eſt mille denariis quaternis millibus ſeſtertium nummûm; tariùs tamen illa ſuper ſeptimum ſcripulum acceſſio inerat, eam ſiquidem officinæ lucrabantur, quare ſenſim ita pondus illud receſum erat, vt vix ſtaterem didrachmum veterem Atticum æquaret, & tamen pretium XXV. denariorum illi maneret. Inde occaſionem ſumpſit Conſtant. nummos mutandi ſeruata inter aurum & argentum proportione: *ſolidum* itaque pro aureo conflauit quaternorum ſcriptulorum, ſeu quatuor & viginti ſiliquarum, quare libræ LXXII. attribuit, & vnciæ auri ſex, pretio nummi prioris, ex proportione quæ olim inter aurum & argentum fuerat, quaſi tredecim denariorum & duorum obolorum. Hos tamen deinde denarios aboleuit Conſtantin. & illis ſubſtituit milliarenſes grauiores denariis XXVIII. ſiliquarum, & quatuor quintarum ſiliquæ, cùm denarius octodecim tantùm ſiliquarum fuiſſet. Hi ſexaginta libram argenti faciebant, quinque vnciam, duodecim ſolido taxabantur *l. 1. C. Theodoſ. de expenſis ludorum.* Quare vna pars auri quatuordecim & amplius partibus argenti partibus commutabatur: libra argenti continens ſexaginta milliarenſes, æſtimabatur quinis ſolidis, atque ita quatuordecim argenti libræ reſpondebant ſeptuaginta ſolidis, hoc eſt minus duobus ſolidis quàm libræ, cùm priùs decem argenti libræ vnam auri æquarent, & quatuor aurei tunc grauiores ſolidis, libram argenti valerent; deinceps quinis ſolidis libra argenti æſtimata fuit, vti habet Arcad. & Honor. conſtitut. *in l. vn. C. de argenti pretio quaſtor. theſ. infer. Iubemus vt pro argenti forma, quam quis theſauris fuerit illaturus, inferendi auri accipiat facultatem, ita vt pro ſingulis libris argenti quinos ſolidos inferat.* Præterea pro vicenis quinis libris æreis ſolidum ſibi præſtari ab iis qui æris collatione tenebantur fiſcus patiebatur *l. 2. Cod. Theod. de collatione æris. Æris pretia quæ à Prouincialibus poſtulantur, ita exigi volumus, vt pro vigintiquinque libris æris ſolidus à poſſeſſore reddatur.* Atque ita iſti Prouinciales vnam libram æris lucrabantur, eoque lucello inuitabantur ad præſtandum potiùs aurũ, quàm æs, quod ſic demonſtro. Follis erat vncialis, quare duodecim folles libram æris faciebant, CXX. folles decem libras, ducenti quadraginta folles libras viginti. Milliarenſis viginti quatuor folles penſabat, libra argenti milliarenſis ſexaginta, quare eadem argenti libra mille quadringentis quadraginta follibus, hoc eſt CXX. libris æris æſtimati debuit: itáque argentum ad æs ſe tunc habuit, quemadmodum pars vna ad pares partes centum viginti, cùm vetuſtiſſimis temporibus libra argenti millenis æris æſtimaretur; at ex quo ſexdecim aſſibus ſemuncialibus cenſebatur denarius, hoc eſt octo æris vnciis, libra argenti quæ centum habebat denarios, comparabatur mille ſexcentis aſſibus, hoc eſt libris æris LXVII. detractis octo aſſibus: ſolidus verò quia duodecim milliarenſibus conſtabat, ſingulis quatuor & viginti follium, tantumdem faciebat quantum 288. folles, & ſic XXIV. libras æris æquabat: nam viginti quatuor duodecies ducta conflant iſtum numerum, & tamen pro viginti quinque libris æris: ſolidus inferri poterat, ac proinde vnius libræ æris compendium fiebat. Vncia igitur auri ſenis ſolidis, follibus mille ſeptingentis viginti octo, quæ ſunt CXLIV. libræ, conſtabat. Libra viginti millibus ſeptingentis triginta ſex follibus, hoc eſt, mille ſeptingentis viginti octo libris, eratque aurum ad æs vt vnum ad mille ſeptingenta viginti octo. At vetuſtiſſima auri libra ad decem millia librarum æris extollebatur; aſſibus ſemuncialibus factis, libra auri aut mille denariis, vel quaternis millibus ſeſtertium nummûm cenſebatur, quibus erant pares XL. aurei, ſinguli viginti quinque denariûm, aut centum ſeſtertiûm, ita aſſium faciebat ſexdecim millia, hoc eſt æris libras ſexcentas ſeptuaginta, demptis octoginta aſſibus, ſeu tribus libris triente; aureus ipſe quadringentis aſſibus, hoc eſt ſexdecim libris & beſſe, vel ſexdecim aſſibus contentus erat. Atque ita de auri & argenti ad æs proportione Gronouius, ex quibus videbis quid veri contineant quæ habet Anthon. Auguſtin. *lib. 2. emendation. iur. cap. 9.* dum affirmat argentum ad æs centuplum fuiſſe, hoc eſt vnam libram argenti valuiſſe tum temporis centum libras æris, cùm valuerit CXX. Ex quibus fit fiſcum in immenſum profeciſſe, cùm libra auri, & argenti tam multas libras æris, quod in vſu manebat, æquaret. Conſtantinus itaque ſolidos fecit quaternorum ſcrupulorum, quod nemo negat, quorum proinde ſeptuaginta duo libram conficiunt; atque hæc mutatio in auro, alias traxit conſequenter in argento, & ære, magno, vt dixi, fiſci compendio, quod Valentinianus ſanè non ſuſtulit, nullo ciuium commodo: quamuis enim Ammian. ipſum laudet tanquam *tributorum ſarcinas mollientem,* eiuſdem tamen *lib. 30.* auiditatem deſcribit. *Auiditas,* inquit, *plus habendi ſine honeſti prauique differentia, & indagandi quæſtus varios per aliena vitæ naufragia, exundauit in hoc Principe flagrantius.* Ioan. Antiochen. eum facit φροντίζοντα καὶ τῆς θεραπῶν ὑπηκόων δικαίας, quod vltimum vereor ne adulandi causâ addiderit: verùm miſſa Valentiniani æquitate aut iniquitate, habemus illum non immutaſſe quidquam circa auri libram, dum in illam imputari voluit ſolidos LXXII. id ipſum enim priùs conſtituerat Conſtantinus; quare libra LXXXIV. ſolidorum nulla fuit.

Ex his porrò intelliges cur *lex 1. & 2. Cod. de veteris num. poteſtate* ſtatuerit ſolidos tum veterum, tum recentiorum Principum vultu inſignitos, ſi probæ ſpeciei ſint, recipi debere, omniumque obryſatorum æqualem fore poteſtatem, quod etiam ſanxiſſe Phocam habet Nicephor. quia nempe erant omnes eiuſdem ponderis, atque etiã materiæ, ſi obryſati eſſent, ſiue per obryſam igne examinati: nam quando mixti, vel potiùs alieno aliquo metallo impurati, quales imperante Caracalla cuſos fuiſſe narrat Dio, inferebantur, pro monetalium, & zigoſtarum indicio, qui idcircò in ſingulis ciuitatibus inſtituebantur à Principe, ad æſtimationem accipiebant; idcircò iuſſum eſt extra *l. 2. & 3. C. de veter. nummi poteſtate,* veterum recentiorumque Principum ſolidos æquè recipi, quia inductum in mores erat, vt ſimul atque noui Principis effigie ſolidi percuterentur, veterum authoritas deſineret, niſi noui Principis edicto confirmaretur. Rationem huius inductæ conſuetudinis ex populi adulatione petit Ammian. *lib. 26. Aureos ſcilicet nummos,* inquit, *in vultum noui Principis, aliaque ad delicias aptantes:* quare habemus, vt dixi, aliquot conſtitutiones, quibus ſolidi veterum Principum vultu ſignati, admitti iubentur, ipſeque Iuſtinian. *in pragmatica ſanctione cap. 10.* ſic edicit. *Sancimus ſolidos Romanorum Principum, ſine* 8

permu

permutationis diſpendio per omnes Prouincias ambulare & per eos celebrare contractus. Id tamen non ſemper obſeruatum fuiſſe, & poſteriores aliquando Principes, ſuperiorum Principum effigie inſignitos nummos exauctoraſſe reſtatur Leo Imperator, cognomento Philoſophus, ſua conſtitutione 52. vbi eiuſmodi abrogationem antiqui numiſmatis pluribus damnat, vt quæ plurimum communibus negotiis & commerciis detrimentum afferat, eoſque Principes videri eiuſmodi nouitate, ſubditorum opulentiæ inuidiſſe.

Verùm grauis excitata lis eſt inter duos inſignes, eruditoſque Iuriſconſultos, an Iuſtinian. certam & perpetuam æſtimationem aureo attulerit, ſeſtertiaria ratione, quam ſeruabant veteres leges & mores, redacta ad rationem aureorum, vt deinceps non ſeſtertiis, ſed aureis inter homines negotia & omnis res ageretur, id enim acriter contendit Cuiacius *lib.* 19. *obſeruat. cap.* 31. Negat verò, & quæ in ea obſeruatione adducta ſunt, fuſiſſimè reiicit Hotman. in diſputatione de aureo Iuſtinianico: noſtrum non eſt tantam litem validis vtrinque rationibus agitatam dirimere.

9 Venio ad aurei ſolidi diuiſionem, ſuas enim minores partes in quas diuideretur, ſicut aſſis habuit, & ſanè ſemiſſes ac tremiſſes ab Alexandro Seuero formatos nuper ex Lampridio referebamus, fuitque nummus pretio & pondere dimidio minor aureo, diciturque ſemiſſis quaſi ſemiaſſis; omne enim totum quod in ſuas partes diuidebatur, aſſem appellatum ſæpius hactenus obſeruauimus. Tremiſſis fuit aureus nummus pretio & pondere, nẽpe duabus tertiis minor quàm ſolidus, nomen interpretatur Iſidor. *lib.* 16. *Ethym.* quia ter miſſus ſolidum facit; triens melius Latinè diceretur, cùm tertiam ſolidi partẽ valeret, itáque videtur nominare Trebell. *in D. Claudio. Philippeos noſtri vultus annuos centum quinquaginta, & in ſtrenis quadraginta ſeptem, & trientes centum ſexaginta*: & infra. *Aureos Valerianos CL. trientes Salonianos CCC.* Tremiſſis tamen meminit *l. iubemus. Cod. de erogat. milit. ann. l.* 3. *C. de mil. veſt. Nouel.* 28. & 19. atque ſæpius leges Vviſigothorum. Septuncea auri habet Liu. *lib.* 23. agens de Annibale. *Tum demum,* inquit, *agi ſecum eſt paſſus de redemptione liberorum capitum, ſeptunces auri in ſingulos pretium conuenit.* Sapienter tamen aduertit Hotman. nondum id temporis aurum fuiſſe ſignatum, ideóque illi ſeptunces non fuere aurei nummi. Solidi, inſtar aſſis, partes omnes, quotve ſingulæ contineant milliarenſes & folles fuſiùs enumerat Gronouius *lib.* 4. *cap.* 17. v.g. *ſolidus as* milliarenſes habet duodecim, folles ducentos octoginta octo: eius deunx ſunt milliarenſes vndecim, folles ducenti quadraginta: *dodrans* milliarenſes nouem, folles ducenti ſexdecim: *bes* milliarenſes octo, folles centum nonaginta duo: *ſeptunx* milliarenſes ſeptem, folles centum ſexaginta octo: *ſemis* milliarenſes ſex, folles centum quadraginta quatuor: *quincunx* milliarenſes quinque, folles centum viginti: *triens* milliarenſes quatuor, folles nonaginta ſex: *quadrans* milliarenſes tres, folles ſeptuaginta duo: *ſextans* milliarenſes duo, follea quadraginta octo: *vncia* milliarenſis, folles viginti quatuor: *ſemuncia* milliarenſis dimidiatus, folles duodecim: *ſicilicus* folles ſex: *bina ſextula* folles octo: *ſextula* folles quatuor: *hemiſecla*, vel *dimidiata ſextula*, folles duo: *ſcriptulum* follis. Ex qua diuiſione ſimiles alias conficere licebit, & aureum ſiue ſolidum cum exteris nummis componere, modò ſciatur quoties multiplicatus ſolidum æquet: inde enim cum ſingulis ſolidi partibus nullo labore componetur, vt vides factum in milliarenſibus, & follibus, cùm aureus ſolidus valeat duodecim milliarenſes, quorum ſinguli valent 24. folles, qui proinde 288. in ſolido reperiuntur, & qua proportione pars aliqua detrahet quidpiam de ſolido, eadem quoque de numero milliarenſium, & follium detrahet. Atque hactenus de aureo & ſolido Romanorum, venio ad ſtaterem Græcorum.

Staterum duplicem facit Pollux *lib.* 9. *c.* 6. vnum ponderalem, alterum monetalem, & ponderali, minæ pondus tribuit, agit autem de aureo ſtatere ὁ δὲ χρυσοῦς σατὴρ μνᾶν ἠδύνατο, καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσταμένοις τὴν μνᾶν ῥοπῆς σατῆρα ὀνομάζουσι: auri ſtater minam valebat, nam in iis quæ appenduntur, minæ pondus ſtaterem appellarunt: quare illud μνᾶν τῆς ῥοπῆς dixit, pro ῥοπὴν τῆς μνᾶς, quod confirmat, quia cùm Græci dicunt quinque ſtaterum pondus, ſiue pentaſtaterum, dicere videntur pondus quinque minarum, ſiue quinqueminale: καὶ ὁ σὰν ἴσχων πεντασατῆρον πέντεμνον δίκελλαν λέγειν, veluti inquit ligonem quinque pondo, δίκελλαν πεντάστηρον. Vbi vides non de nummario ſtatere, ſed de librali aut ponderali Pollucem loqui. Eadem habet *lib.* 4. atque à comicis ſtaterem σατῆρα nominari τὴν λίτραν libram, ideóque etiam tem in παρακαταθήκῃ in depoſito. Lingonẽ quinque ſtaterum δίκελλαν πέντε σατήρων nominauit quinquelibralem τὴν πεντάλιτρον: quare non malè ſuſpicatur Hotman. ſtateris nomem idem valuiſſe Græcis, quod Latinis pondo, vel libra. Sane ſicut libra non modò pondus duodecim vnciarum ſignificat, ſed etiam, imò & prius inſtrumentum illud, quo pondera librantur & appenduntur, vti diximus *lib.* 1. *c.* 6. *art.* 1. ita & ſtatera trutina eſt, quæ ex vna parte lancẽ, ex altera pondus vnco appenſum habet *l.* 6. §. 1. *D de extraordinariis criminib.* vbi de adulterinis ſtateris, quibus oneratur annona; & apud Vitruu. *lib.* 10. *cap.* 8. Non autem pondus duntaxat eſt ſtater, ſed etiam nummi genus, quod idem Pollux affirmat ἐστὶ δὲ καὶ νόμισμα σατήρ, idque probat ex Ariſtophane, qui dicit famulos luſiſſe ſtateribus par impar, quod autem in Ramis ἐν πείραις τετρασατῆρας ambiguum eſt ἀμφίβολον, an ad pondus, an ad numerum pertineat, ἵνα φανερὸν ᾖ τὸ ἀριθμόν; addit Eupolium *in Demis*, pro nummo perſpicuè vſurpaſſe, cùm dixit, *habens ſtaterum aureorum tria millia*, ἔχων σατῆρας τρισχιλίους. In Taxiarchis ſumit pro pondere τὴν ῥοπὴν λέγων; ait enim trama ſiue ſubtegmen κρόκη, cùm eſſet noua, fuit quinque ſtaterum πέντε σατῆρας εἶχε. Obſeruat præterea ibidem Pollux, quod attinet ad loquendi modum, quod cùm dicitur aureus, intelligitur ſtater, ſi verò abſolutè pronuntietur ſtater, non continuò intelligitur aureus, quia nempe differunt vt genus & ſpecies, cùm ſtater & pondus & nummũ ſignificet, aureus autem nummum duntaxat deſignet. Auri igitur ſtater mina fuit, quæ vti alibi oſtendimus centum drachmarum erat, at verò aureus ſtater & nummus duas drachmas Atticas pendebat, inquit Pollux ὁ δὲ χρυσοῦς σατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. Valebat autem viginti quinque argenteos, ex quibus Hotman. 3. *part. de re nummar. c.* 8. confotat Budæ. *lib.* 3. & 4. *de aſſe*, vbi ait Iuſtiniani tempore ſtaterem aureum & numiſma aureum, & libram, ac pondo circa Iuſtiniani ætatem appellatum, & aliquando plus auri vnciam, quàm auri libram valuiſſe, ex *leg* 4. & *leg. vltim. Cod. de mod. mult.* quod pluribus iure reiicit Hotman.

Hotman. illa diſtinctione ſtateris duplicis auri, quorum vnus ſit numiſma, alter libra; oſtenditque in omnibus locis, quæ allegari ſolent de mulctis ferendis, non contineri vllas ſummas adeò magnas, vt de libra duarum duntaxat drachmarum, auri, eas debeamus interpretari, & libram aliter, quàm pro duodecim vnciis contra Romanum vſum accipere.

Alius ſtater fuit argenteus & pondere & pretio quatuor vnciarum, vti tradit Cleopatras, Epiphan. Hero, aliique adducti à Gronouio *lib. 2. cap. 6.* idcircò didrachmus dicebatur: quare Chriſtus Matth. 17. ſolui iubet ſtaterem in ore piſcis inuentum pro duabus didrachmis in cenſum Romanis ſoluẽdum pro ſeipſo & pro Petro, ſed de ſtatere tum Attico, tum Cyrenaico, & aliis plura Gronouius *lib. 3. c. 7.* quæ tu conſule. Atque hæc pauca de veterum variis nummis, ſed plura fortaſſis quàm noſtrum poſceret inſtitutum, dicta ſufficiant, ex quibus lucem aliquam legendis veterum ſcriptis accipere licebit.

ARTICVLVS IX.

Conſectaria.

CONSCTARIVM I. *De veterum rationibus ærariis & nummariis.*
II. *De variis loquendi modis & formulis.*
III. *Quid ſit libra occidua, quid ſepticiana.*
IV. *De centeſimis & aliis Romanorum & Græcorum vſuris.*
V. *Illuſtrantur aliquot LL.*

FAteor hactenus explicata de veterum numorũ materia, pondere, forma & valore, non eſſe adeo neceſſaria hodiernis commerciis, quæ antiquis illis nummis non exercentur, non erunt tamen inutilia veterum commerciis, & veterum ſcriptorum monumentis explicandis, ex quibus etiam ad noſtra hodierna, atque ad quæſtiones, quæ de re nũmaria excitari ſolent interdum vel exponendas, vel illuſtrandas, & plurima ſcriptorum obſcuriora monumenta interpretanda lucem aliquã haurient.

CONSECTARIVM I.

De veterum rationibus ærariis & nummariis.

Romanæ rationes ad denarium. 1.
Explicatur Mætianus. 2. 3.
Rationes ad quinarium. 4.
Arenarius quid. ibid.
Solutio ad denarium. 5.
Rationes Romanæ quænam. 6.
Rationes ad ſolidum. 7.

1 ROmani veteres rationes conficiebant ad denarium, quinarium, ſiue victoriatum, & ſeſtertium, vti docet Voluſ. Mœtian. *lib. de aſſe*, quod ſanè aliud non eſt quàm pecunias in codice rationum, vel expenſas ferre, vel acceptas referre *denariis*, vel *victoriatis*, & *quinariis*, vel denique *ſeſtertiis*, in quibus rationibus ſæpè reperiebatur *æs excurrens*, eratque illud quod intra denarium v.g. ſiue minus aſſibus ſexdecim erat, & tamen ad idẽ caput cui adſcribebatur pertinebat, vt in *l. 26. §. 1. D. depoſiti. Item ex ratione patris veſtri decẽ, & quod excurrit*; quidquid enim ordinẽ, numerũ & menſurã egreditur, excurrere dicitur. Aug. *lib. 12. de ciuit. Quod nos modò quærimus poſt quinque millia, & quod excurrit annorum*: & *lib. 5. nunquid credibile quadringentos, & quod excurrit annos.* Cic. in orat. vocat excurrentia verba, quæ vltra rythmum legitimum adduntur. Optat. *lib. 1. adu. Parmen. Fermè ante annos ſexaginta, & quod excurrit, per totã Aſiam perſequutionis eſt denegata poteſtas.* Similia habet *lib. 3.* Veget. *lib. 1. ad fin. Poſt primum bellum Punicũ viginti, & quod excurrit annorum, pax ita Romanos otio eneruauerat, vt ſecundo bello Punico Annibali pares eſſe non poſſent*: ſic enim corruptum Vegetij locum emendauit Cuiac. *lib. 1. obſ. cap. vlt.* Modum porrò conficiendi eas rationes, & notandi æs excurrens, explicat Mætianus, ſed ita obſcurè, vt non magis ab antiquis, quàm Cumææ Sybillæ folium intellectum hactenus fuiſſe dicat Hotman. *cap. 31. 2. part. rei numm.* ſeque primum omnium locum obſcuriſſimum auſum eſſe aggredi, non tamen ſatis feliciter, vt pluribus oſtendit Gronouius *lib. 3. c. 10. de pecunia vetere.* Mætiani iſta sũt verba: *Ingenioſiſſimè cùm ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inuenta eſt, quæ ſedecies multiplicata id efficeret, namque cùm denariis nota præſcribatur, eique ſubiungatur æris excurrentis nota, manifeſtum eſt eam ſexdecies ducendam ex adnotatione denarij.* Hotman. notam æris excurrentis interpretatur, non ſummam aliquam excurrentem, quæ minutiorum eſſet nummorum, vt modò nos dicebamus, ſed eam quæ alias præcurrit, & antecedit, ſiue aliquanto interuallo ante alias præſcripta, & prænotata eſt. Notæ autem illæ excurrentes ſunt X̶. V̶. L̶L̶S̶. quarum prima ſignificat ſexdecies, altera octies, poſtrema quater, quia hæ ſunt notæ denarij, quinarij, & ſeſtertij, & denarius ſexdecim aſſes, quinarius octo, ſeſtertius quatuor continet: quamuis enim ex decem, quinque, & duobus aſſibus cum dimidio nomen ſuum initio duxerint, nihilominus vbi auctus eſt eorum valor, idem nomen retinuerunt, quod ſæpius monuimus. Verùm non dicitur à Mætiano nota excurrens, aitque illam notam in ratione ad denarium conficienda ſexdecies multiplicari. Igitur hæc nota X̶. numerum centenum ſexagenum efficiet, cum cum denarius ſexdecies ductus conficiet; igitur illa nota ſexdecies ducta erit æs excurrens. Deinde Mætianus ait *denarij notam præſcribi*, eique ſubiungi *notam excurrentis æris, eamque ſedecies multiplicandam.* Diſtinguit igitur duas iſtas notas, aitque hanc poſtremam ingenioſiſſimè inuentam fuiſſe. Non placet etiam quod vulgatam Mœtiani lectionem emendet Hotman. *Si ad denarium rationem conficies, aſſem hac nota ſcribas* X̶ $\frac{18}{}$ *C. ac voces ſemuncia, ſicilicus.* Hotman. legi vult, *Si ad denariam rationem conficias aſſem, has notas ſcribas.* Interpretatur autẽ conficere aſſem, quamlibet pecuniæ ſummã ſoluere, aut accipere, quod nequidẽ eo loco cogitauit Mætian. qui oſtendere ſolùm voluit, quomodo in rationibus pecuniarũ, quarum sũmæ per denarios colligũtur, aſsẽ redundantẽ vocare, ac notare ſolerẽt. Ratiocinatores deniq; ſtatuit Hotm. cõficere rationes ad denariũ, nihil aliud eſſe, quã æra quocũque genere pecuniæ, poſt præſcriptã denarij notam, multiplicare per ſexdecim, ad victoriatum per octo, ad ſeſtertium per quatuor; quàm faſtidioſo & inutili amabò labore. quaſi verò v.g. qui ſe parte aliqua æris liberauerat, non potuerit in codice ſuo eam annotare, oportuerit-

que illum debitum ſuum inſtar aſſis in duodecim partes diuidere, ac deinde ſubducere, quot vnciis, ſemunciis, ſicilicis liberatus ſit.

Nihil igitur aliud voluit Mætianus quàm docere quem modum tenerent ratiocinatores in notando ære excurrenti, rationes conficiendo; neque enim id præſtabant per numeros aſſium, ſed per aſſis partes, quæ ſexdecies ductæ totidē aſſes, quot eſſent in ære excurrenti efficerent, quæ notæ aliæ non erant, quàm illæ ipſæ quibus libræ vel aſſis partes notabantur, illæ enim ſexdecies multiplicatæ æs illud excurrens efficiebant: nempe tot aſſes quot ſingulis denariorum formis ſuperfuerant. Ratio fuit, quia cùm æs primò tum graue, tum ſignatum in vſu fuerit Romanis, ratio omnis æraria per libræ, & aſſis numerum, aut eius partes fiebat; vbi verò percuſſum eſt argentum, totam ærariam rationem, cui diutiùs aſſueuerant, tranſtulerunt ad rationes nummi argentei; qui fuit primùm denarius, deinde quinarius, & demùm ſeſtertius, vti dictum fuit altas. Quia verò ſingula æra ſiue accepti, ſiue expenſi non finiebantur ſemper numero denariorum, ſed ſæpius aliquot aſſibus ſuper denarios excurrebant, illam ſummulam denario minorem perſcribebant, non numerando tres, quatuor, aut quot ſupererant aſſes, ſed conceptam certis vocabulis, & quò celeriùs fieret, notabant illam in tabulis ſignis partium aſſis, quod ſic explicat Gronouius. *Denarius* ſexdecim aſſium, erat quaſi totum; ergo *as*, quod minus erat ſexdecim aſſibus, huius aſſis pars erat, *vncia*, vel plures *vnciæ*, vel *ſemuncia*, vel *ſicilicus* habebatur. Sic vncia denarij ſexdecim aſſium, eſt as cum triente, *ſemuncia* duo trientes, *ſicilicus* triens *ſextans*: duæ *vnciæ* denarij, aſſes duo, duoque trientes; *quadrans* denarij, ſeu tres vnciæ, quatuor aſſes; *triens* ſeu quatuor vnciæ denarij, quinque aſſes triens; *quincunx* ſex aſſes, duoque trientes, *ſemis* octo aſſes, *ſeptunx* nouem aſſes triens; *bes* decem aſſes, duoque trientes, *dodrans* duodecim aſſes; *dextans deunx* quatuordecim aſſes duo trientes; adde vnciam, nempe aſſem trientem, completus erit denarius ſiue ſolidum ſexdecim aſſes. Cùm itaque as redundaret ſupra denariorum ſummam, ſic faciebant; *Mœuio expenſas tuli* 𐆖LX s Ɔ. hoc eſt *denarios ſexaginta ſemunciam ſicilicum*. As denarij ſexta decima pars conſtās ex quarta & viceſima prate, ſiue duobus triētibus, & quadrageſima octaua, ſiue triente vno, at aſſis ſexta decima pars, eſt *ſemūcia ſicilicus*; nam ſexdecim ſemunciæ ſunt octo vnciæ, ſexdecim ſicilici quatuor vnciæ, quibus duodecim iunctis completur as; eſt autem *ſemuncia* pars vigeſima quarta, *ſicilicus* quadrageſima octaua aſſis, ſiue ſolidi cuiuſcumque per duodecim diuiſi; inde igitur factum vt pro excurrenti aſſe logiſtæ notarent, dicerentque *ſemunciā ſicilicum*. Cùm duo aſſes excurrebant, ita ſcribebant & pronuntiabant, *Titio eo nomine erogaui* 𐆖L s. hoc eſt *denarios quinquaginta ſeſcuncia*, ſcilicet duo aſſes ſunt pars octaua denarij, nam bis octo ſunt ſexdecies, at octaua pars aſſis *ſeſcuncia*, etenim octo ſeſcunciæ faciunt aſſem; ſic pro dupondio vel duobus aſſibus vltra denarium notatur, & pronuntiatur *ſeſcuncia*. Cùm tres aſſes excurrerent, ſic referebatur: *Seio dedi* 𐆖 XX = Ɔ. hoc eſt *denarios viginti ſextantem ſicilicum*, tres aſſes denarij ſunt ſexta & quadrageſima octaua pars, at ſexta pars aſſis eſt *ſextans*, quadrageſima octaua ſicilicus; ergo tres aſſes denarij *ſextans ſicilicus*, ſex aſſes, duo ſextantes duo ſicilici, ſiue quatuor vnciæ, & ſemunciæ; nouem aſſes, tres ſextantes, tres ſicilici, duodecim aſſes, quatuor ſextantes, quatuor ſicilici, hoc eſt dodrans, ſiue nouem vnciæ denarij, quindecim aſſes, quinque ſextantes, quinque ſicilici, hoc eſt deunx, vel vndecim vnciæ, cum ſicilico, vel quarta parte vnciæ, vt aſſem ſiue totum denarium habeamus, ſupplendi tres ſicilici, quo numero eſt aſſarius in denario ſexdecim aſſariorum, qui vt modò dictum eſt pronuntiatur notaturque *ſemuncia ſicilicus denarij*, ſiue tres ſicilici. Si quatuor aſſes ſuperfuerant ita ſcribebant: *Lycio expenſas tuli* 𐆖 X = hoc eſt, *denarios decem quadrantem*, quia quatuor aſſes quarta pars denarij ſexdecim aſſium, as autem quatuor habet quadrātes, ergo quatuor aſſes denarij *quadrans*. Si quinque aſſes excederent denariorum numerum ſic ſcribebant: *Caio dedi* 𐆖 C =— s Ɔ. hoc eſt *denarios centum quadrantem ſemunciam ſicilicum*: quinque aſſes denarij pars quarta & ſexta decima; eſt autem aſſis quarta pars *quadrans ſexta decima ſemuncia ſicilicus*; ergo quinque aſſes denarij *quadrans ſemuncia ſicilicus*. Sex aſſes excurrentes ita ſignificabāt, *Sēpronio expenſas tuli* 𐆖CC == s. hoc eſt *denarios ducentos ſemunciam*: ſex aſſes ſunt tertia pars denarij ex ſexdecim aſſibus conſtantis, videlicet quinque aſſes, quatuor vnciæ, & viceſima quarta, nimirum octo vnciæ; octies enim viginti quatuor ſunt CXCII. quot vnciæ vniuerſæ ſunt ſexdecim aſſium, ſexdecies autem duodecim & octies viginti quatuor eundem numerum efficiunt, iam tertia pars aſſis *triens*, quarta & viceſima *ſemuncia*, ergo ſex aſſes denarij *triens ſemuncia*. Septem aſſes excurrentes ſic expreſſerunt: *Caio dedi* 𐆖 CCC =— = Ɔ. hoc eſt *denarios trecentos quincuncem ſicilicum*: ſex aſſes & duo trientes denarij ſexdecim aſſium ſunt *quincunx*, deeſt ad ſeptuſſem explendum triens vnus, ſeu quatuor vnciæ, quæ eſt quadrageſima octaua pars denarij, nā quadragies octies quatuor vnciæ ductæ conficiunt CXCII. Eſt autem quadrageſima octaua pars aſſis *ſicilicus*; ergo ſæpius *quincunx ſicilicus*. Octo aſſes excurrentes hoc modo notabantur: *Titio dedi* 𐆖 CCCCS. hoc eſt *denarios quadringentos ſemiſſem*: octo aſſes ſunt denarius dimidiatus, aſſis dimidium *ſemis*, ſic victoriatus eſt denarij ſemis. Si nouē aſſes ſuperfuiſſent: *Dedi Sempronio* 𐆖LXXS s Ɔ. *denarios ſeptuaginta ſemiſſem ſemunciam ſicilicum*: nouem aſſes denarij pars altera ſuperque pars ſexta decima; as autem duos ſemiſſes, ſexdecim ſemuncias, ſexdecimque ſicilicos habet, ita nouem aſſes denarij *ſemis ſemuncia ſicilius*. Decem aſſes qui reſtabant ſic efferebāt: *Dedi Alfio* 𐆖 XVS-- s. hoc eſt *denarios quindecim ſeptuncem ſemunciam*: decē aſſes denarij *ſeptunx*, id eſt nouem aſſes, triens & prætereà duo trientes ad decimum aſſem implendum, ea denarij *ſemuncia* eſt, nam vncia denarij eſt as cum triente. Aſſes vndecim ſic notantur: *Accepi à Caio* 𐆖XXVS= Ɔ. hoc eſt *denarios viginti quinque beſſem ſcilicum*: vndecim aſſes ſunt denarij duo trientes, ſiue octo vnciæ & quarta pars vnciæ, ſiue triens vnus, octo autem vnciæ aſſis *bes*, quarta pars vnciæ *ſicilicus*. Duodecim aſſes ita deſignabāt. *Dedi* 𐆖XXIVS =— *vel* SZ. hoc eſt *denarios viginti quatuor dodrantem*: duodecim aſſes denarij, nouem vnciæ denarij, *dodrans* in aſſe. Tredecim aſſium hæc erat in ea ratione nota; *Dedi* 𐆖XXXS =— s S Ɔ. hoc eſt *denarios triginta dodrantem ſemunciam ſicilicum*: tredecim aſſes continent denarij nouem vncias, ſiue dodrantem, & prætereà ſextam decimam partem, quæ in aſſe

ſemuncia

ſemuncia ſicilicus : Igitur tredecim aſſes ſuperantes denarium in ratione ſunt *dodrans ſemuncia ſicilicus*. Quatuordecim aſſes notantur hoc modo: *Accepi* ✱XLS = = ÷, hoc eſt *denarios quadraginta dextantem ſemunciam*:uam tredecim aſſes, & triens, ſunt denarij ſexdecim aſſium, decem partes duodecimæ; ad implendum quartum decumum, duobus opus eſt trientibus, ſiue octo vnciis, quod eſt pars quarta,& vicéſima eiuſdem denarij. Sunt autem decem partes aſſis *dextans*, quarta & vigeſima *ſemuncia*. Denique aſſes quinquidecim ita deſignabant ✱XVS = − = − Ↄ hoc eſt *denarios quindecim deuncem ſicilicum*: ſunt enim quindecim aſſes denarij vndecim vnciæ, hoc eſt vndecim aſſes, vndecimque trientes, ex quibus vndecim trientibus fiunt tres aſſes, duo trientes & inſuper quarta pars vnciæ, triens vnus: vndecim autem vnciæ cuiuſuis, *deunx*, quadrans vnciæ *ſicilicus*, ſic aſſes quindecim denarij *deunx ſicilicus*. Placuit fuſiùs iſta referre, neque enim diſtinctiùs, clariúſve Mætianus explicari potuit quàm breui illo commentario, omiſſa perplexa & obſcura Hotmani diſputatione. Has verò duodecim vncias denarij in rationibus agnouit Hero Alexandrinus, & Africanus, vti ex ipſorum verbis demonſtrat eodem *cap*.10. Gronouius.

Capite verò ſequenti vndecimo declarat, quomodo nota illa excurrentis æris ſedecies multiplicata id efficiat, quod vexat Hotmanum, & ingenioſiſſimũ inuentum vocauit Voluſius Mœtianus, cùm tamen id ex natura rei ſequatur, & omni aſſi, aut corpori, vel ſolido, vel ſexdecim minoribus quam aſſibus compoſitn neceſſariò contingat, vt ibidem ſingillatim oſtẽdit Gronouius in pede cuius *vncia* eſt pollex, hoc eſt digitus cum triente aſſis, *ſextans* duo digiti duo trientes, *quadrans* quatuor digiti, & ita de reliquis. Vnde illi modi loquendi apud veteres dum menſuras linearum deſcribunt, & interuallorum, quos etiam retulimus *cap.6. art*.1. partes enim pedis iiſdem nominibus, quibus partes aſſis deſignant. Plin. *lib*.13. *capit*. 15. ſcribit Citrinam Tiberij menſam, *quatuor pedes ſextante & ſicilico exceſſiſſe craſſitudine ſeſcunciali*. Vitruu. *lib*.5. *Superque laterculis beſſalibus pila ſtruantur*. Suetonius in Octauio, *Quinque pedum & dodrantis*. Colum. *libro* 3. *capitulo* 13. *Dupondio & dodrante altum ſulcum*. Varro *lib*. 3. *de ruſt. cap*. 8. *Pro columbariis in pariete mutulos, aut palos in ordinem, ſupra quos tegeticula cannabina ſint impoſita; infimum ordinem oportet abeſſe a terra non minùs tres pedes, inter reliquos dodrantes, à ſummo ad çamaram ad ſemipedem aquè latum ac mutulus à pariete extare poteſt, in quibus dies noctéſque paſcantur*. Cuius loquendi modi à veteribus vſurpati aliá ratio non eſt, quàm quia ſicut denarius *as* intelligebatur nominabaturque in rationibus ad denarium ſubducendis, ſic *pes* in menſuris interuallorum non modò habebatur, ſed & nominabatur *as*. Habes illuſtre exemplum in Colum. *lib*.5. *cap*.3. Quod verò de denarij & pedis partitione diximus hactenus, illud ipſum de via ſexdecim millium partienda dici poſſe demonſtrat ibidem Gronouius, nempe ſingula millia paſſuum appellari illis vocabulis aſſis, æris, vel libræ, quæ ſexdecies multiplicata efficiant tot aſſes, quot millibus ſignificandis adhibentur, quare ſi via eiuſmodi pluribus munienda diuidatur, qui mille paſſus muniendos habebunt, illi eius ſemunciam & ſicilicum munient; qui duo millia ſeſcunciam, qui tria millia ſextantem

ſicilium; & ita deinceps, modo nuper in denario explicato, quod ſingillatius proſequitur Gronouius, & in iugero ex Colum. *lib*.5. *cap*.1. cuius verba & mentem fuſiùs diſtinctiúſque per ſingula explicat.

Rationes ad quinarium ſiue victoriatum, atque etiam ad ſeſtertium eodem modo cõficiebantur, & minutiæ æris excurrentis certa nota deſignabantur:in eis verò rationibus minutiæ æris excurrentis ſunt *libella*, *ſembella*, *vel ſingula teruncij*, ita vt pro aſſe *libellam*, pro ſemiſſe *ſembellam*, pro quadrante *teruncium* ponerent. Erat autem ex Varr. *lib*.4. *de ling. lat*. libella decima denarij pars, quia libram pondo as valebat: eratque ex argento parua ſembella, quæ libellæ dimidium, & quod ſemis aſſis: teruncius à tribus vnciis ſembellæ, quod valet dimidiũ,& eſt quarta pars, ſicut quadrãs aſſis. Initio fuerunt ei nummuli, ſed cùm deinde non placuiſſet argentum in adeò minuta, & exigua fruſta ſecari, retenta etiam non ſunt in rationibus argenteæ pecuniæ eadem vocabula: quæ omnia ſignificat Voluſ. Mœtian. & modum iſtas rationes conficiendi. Ad ſeſtertium nota libellæ erat T. libella,teruncius,& infra ſemiſſem non temerè ducebatur ſeſtertiaria ratio, quam ibidem explicat, cuiuſque verba illuſtri commentario Gronouius interpretatur *cap*.12.

Quod attinet ad rationes ad victoriamm fatetur Voluſ. ſe neſcire quî à Romanis fierent, modum tamen docet quam facillimè eas conficiendi, quem expoſuit quoque Gronouius,nos prætermittimus, cùm & faſtidij plenus, & nobis inutilis exiſtat,ſatiſque fuerit in denaria ratione illum explicuiſſe. Operoſus ſanè erat calculatoribus neque expeditus, vti hodiernus per numeros & chiffras, ſed aſſiduo ſtudio iã à pueris illi ratiocinio aſſueſcebant, vt prompte & expeditè aſſem partirentur, & ad minutias quaſque ſubducerent; quare Horat. *de Arte poſt verſ*.325.

Romani pueri longis rationibus aſſem.
Diſcunt in partes centum diducere,dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Vncia quid ſuperat? poteras dixiſſe trientem:
Rem poteris ſeruare tuam,redit vncia,quid fit?
Semis.

Tertullianus quoque cum primo enodatore vocis coniungit *primum numerorum arenarium*, in Apologetico ſub finem: *De meo veſtiuntur: & primus informator litterarum, & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius, & Grammaticus, & Rhetor*, &c. vbi Tertullianus aſſignat tres magiſtros, qui primi rudes pueros erudiebant. *Primum nempe litterarum informatorem*, qui litterarum formas & poteſtatem atque ſcribendo exprimere docebat, & συλλαβίζειν, vt loquitur Lucian. Latini *literatorem* vocant. Apuleius in *Floridis: Verum enim verò muſarum cratera quantò crebrior, quantóque meracior, tantò proprior ad animi ſanitatem; prima cratera litteratoris ruditatem eximit, ſecunda Grammatici doctrinâ inſtruit, tertia Rhetoris eloquentia armat*. Græci dicunt γραμματιστὴν, cui dabantur pueri ſeptennes; duodecimo autem anno mittebantur ad γραμματικὸν, vt habet Æginera, Aetius. *libro* 4. Quintilianus *libro* 1. *capit*.2. & Galenus *in protreptico ad Artes*. Erat & *primus edomator vocis*, quem aliqui malè Phoniſcum interpretantur; hic enim qui etiam *vocalis*, & *vocipararius* φωνασκητὴς in Gloſſis dicitur, dabatur ſolùm, aut cantoribus, aut etiam oratoribus, qui ſuam vocem

formandam & exercendam habebant, eratque magiſter formandæ vocis, & πλάττειν φωνὴν dicebatur, inde & πλάσμα vox quæ πλάσσειν accepit, & benè formata eſt, quo ſenſu Quintilian. plaſma vſurpat. & Perſios.

> ——*Liquido cum plaſmate guttur*
> *Mobile colluerit.*

Quum liquidam, & εὔπλαστον vocem per lene guttur eliquaueris. Hic igitur magiſter formandæ vocis alius omninò erat ab eo quem Tertullian. *primum enodatorem vocis nominat*, hic enim pueris artem legendi, & ſcitè pronuntiandi tradit, nimirum expreſsè & articulatè ſingulas voces enuntiare, ne balbutiant, ne infracta verba vix exprimant, ne os contorqueant, qua de cauſa *iubebant*, inquit Quintilian. *libro 1. capitulo 2. nomina quædam, verſuſque affectata difficultatis, ex pluribus aſperrimè coeuntibus inter ſe ſyllabis catenatos, & velut confragoſos quàm citatiſſimè voluere, nempe vt ipſis eſſet abſolutius os, & expreſſior ſermo.* Vide & Martian. Capell. *de Grammatica*, vbi de modo circumcidendi infantibus vitia linguarum. Erat deinque *primus numerorum arenarius*, qui calculo pueros imbuebat, hoc eſt æra, ſiue calculos in tabula ducere, & reducere ad ſummam aliquam computandam, & rationem purgandam docebat, ſicut & digitorum computum; dictus eſt ψηφιστὴς, nam arenæ ſiue calculi ψῆφοι ſunt. Vnus porrò idemque magiſter ſæpius hæc tria munera obibat, docebatque ſcribere, legere & calculare, vocabant illum γραμματιστήν, qui etiam apud Suidam calculonem ſignificabat. Verùm ſiue diuerſi eſſent præceptores, ſiue vnus & idem, hæc omnia ſimul, & æquè primò docebantur pueri; vnde Capitolin. de Pertinace; *Puer litteris elementariis & calculo imbutus.* Vides itaque non minus exiſtimatam eſſe neceſſariam doctrinam calculandi atque rationes conficiendi, quàm litterarum elementorum notitiam, atque adeò à prima pueritia traditam, vt qua facilitate litterarum elementa noſſe, & ſyllabas coniungere, atque ita legere norant, eadem facilitate calculos, & rationum notas varias dignoſcere, ſummas colligere, & omnes rationes conficere poſſent; neque ſanè plus operæ ponendum erat in dignoſcendis illis notis, quas Voluſius, Priſcianus, cæterique tradunt, quàm in figuris litterarum percipiendis, ſed redeamus in viam.

5 Ex his quæ diximus de conficiendis rationibus ad denarium, quinarium, & ſeſtertium, facilè conijcies quid ſit apud Ciceron. *Orat. pro Quintio, ſoluere ad denarium*, de quo loco plura Turneb. *lib. 8. capit. 14.* & ipſum impugnauit Hotman. *2. part. de re nummar. capit. 2.* vbi ſapienter ſtatuit debitum in extranea pecunia, & in Gallica contractum, cuius ſolutio Romæ facienda erat, Romana quoque pecuniâ & denariis faciendam eſſe: quid verò detrimenti propter collybi rationem detrahendum eſſet, querebatur eo loco, arbiterque ſumptus fuit C. Aquilius, qui quæſtores ærarios conſuluit.

6 Cæterùm veteres aliquando per aſſes, aliàs per æs, aliàs per denarios, & denique per ſeſtertios, rationes conficiebant, per aſſes vnum dipondium, tripondium ſiue duos aſſes aſſes, aut treſſis, quinqueſſis, octuſſis, decuſſis, vicuſſis, centuſſis, centum viceni aſſes, mille aſſes, quinquaginta æris, centum quinquaginta æris, ducenti æris, mille æris, id eſt mille aſſes, duo millia, tria millia, & æris centum millia, æris quingenta millia, & ſic deinceps. Centies æris fuit vetus & præciſa oratio, pro *decies centena millia æris*; hinc Liui. *lib. 24. Conſules ex S.C. edixerunt, vt qui ſupra trecenta millia vſque ad decies æris cenſus fuiſſet, quinque nautas dare, qui ſupra decies ſeptem*; & lib. 10. vbi de Triumpho L. Papinij de Samnitibus, *Æris grauis magna vis tranſuecta vicies, centies, millies, & quingenta triginta millia, id as redactum ex captiuis dicebatur.*

Vbi inducti ſunt denarij, per eos quoque ſummæ colligebantur, vnde vnus, duo, centum, quingenti denarij, & ita deinceps, mille denarij, decem millia denariorum, centum millia, trecenta millia, quorum omnium ſicut & enumerationis per aſſes & æs, exempla illuſtria colligit Hotman. ad faſtidium vſque, quod & fuſius præſtitit in ſeſtertiaria ratione, in qua obſeruandum quod vbi ad mille peruentum erat, ſeſtertium vſurpabatur pro ſumma mille ſingularibus ſeſtertiis æquiualente, ſiue vti alias explicuimus pro pondere ſeſtertio, quod mille nummis æquiualeret, & in neutro genere vſurpatur, vti aliàs explicuimus; quare octoginta, triginta, viginti *ſeſtertium*, & ſic de cæteris, valent octoginta millia, trigint, viginti millia, vti fuit à nobis explicatum, & aliquando vox *mille*, aut *millia* adhibebatur, aliàs vt præciſa foret oratio, omittebatur, quæ omnia *art. 7.* obſeruauimus.

Aduerbia decies, centies, aliaque ſimilia cum nomine *ſeſtertium* adhibita, centena ſeſtertiorum nummorum millia deſignabant, exempla recenſet ſingulorum eiuſmodi aduerbiorum Hotman. reſque antiquariis peruulgata eſt.

Inclinante Imperio atque aureis ſolidis inductis ſeſtertiana ratio antiquata eſt, & omnis ad aurariam redacta fuit, & ad ſolidum confecta, quod lege cautum à Iuſtiniano fuiſſe contendit Cuiac. *libro 19. obſeruat. capit. 31.* cui repugnat vehementer Hotman. *diſput. de aureo Iuſtinianeo*; quod nuper monuimus. Hoc loco illud vnum obſeruandum eſt, omnem exactionem tributorum, & capitationum factam fuiſſe ad aureum, vel ſolidum, nempe quam quiſque aurei & ſolidi partem deberet, aut ſolueret, octauam, vigeſimam, vigeſimam quartam, & ita de aliis progrediendo vſque ad aureum vnum, aut plures, vel integros, vel excurrente aliqua parte, vti obſeruat Salmaſius ad Lampridium *in Alexandro.* Videtur hanc aurariam ſolidi rationem accepiſſe Salmaſ. ex Codice aſſeruato in Bibliotheca Regia, ex archiuis Alexij Comneni deprompto, cuius ipſe Salmaſ. ad Solin. *pag.* 808. meminit; continet autem παλαιῶν & νῦν λογαρικῶν de pretio ſolidi in exigendis tributis, quem ſicut & Salmaſij locũ illuſtrauit Gronouius *lib. 4. de pecun. vetere, capitulo 17. & 18.* atque ad formam rationis denariæ & ſeſtertiariæ à Voluſio Mætiano traditæ explicauit, vt enim antiqui calculatores denarium, ſic iſti noui ſolidum, aſſis more, eiuſque particularum, retentis iiſdem nominibus partiebantur hoc modo: ſolidus as milliarenſes habet duodecim, folles ducentos octoginta octo: eius *deunx* milliarenſes vndecim, folles ducenti ſexaginta quatuor: *ſextans* milliarenſes decem, folles ducenti quadraginta: *dodrans* milliarenſes nouem, folles ducenti ſexdecim; *bes* milliarenſes octo, folles centum nonaginta duo; *ſeptunx* milliarenſes ſeptem, folles centum ſexaginta octo; *ſemis* milliarenſes ſex,

folle

folles centum quadraginta quatuor ; *quincunx* milliarenſes quinque, folles centum viginti, *triens* millarenſes quatuor, folles ſeptuaginta duo; *ſextans* milliarenſes duo, folles quadraginta octo; *vncia* milliarenſis, folles viginti quatuor, *ſemuncia* milliarenſis dimidiatus, folles duodecim; *ſicilicus* folles ſex; *bina ſextula* folles octo; *ſextula* folles quatuor; *dimidia ſextula*, vel *hemiſecla* folles duo, *ſcriptulum* follis. Ex quibus facilè fuerit colligere ſummas, quas nominibus partium deſignat ille commentarius rationum Comneni; verbi gratia, quadrageſima octaua in aſſe eſt *ſicilicus*, ex Voluſio, ille autem in ſolido, vt diximus, ſunt *ſex folles*. Vigeſima quarta in aſſe eſt *ſemuncia*, in ſolido folles duodecim, & ita de reliqois. Qui igitur debebat aut ſoluerat ſex folles, notabatur in Breuiario dediſſe ſicilicum, qui debebat folles duodecim, notabatur debere ſemunciam, atque ita de reliquis, hæc enim ſufficient ad antiquam aurariam rationem, ſiue ad ſolidum conficiendum, ſi plura voles adi quem laudaui Gronouium.

Consectarium II.

De variis loquendi modis & formulis.

Quid ſeſtertio centies viuere.

Quid apud Ciceron. Medimna ſeptingenti. 2.

Hirtius emendatur, & Seneca. 3.

NOn difficile fuerit explicata rei nummariæ veterum natura, varios modos, quos in loquẽdo vſurpabant, intelligere. Paucos aliquot obſeruo.

1 Seneca *conſolation. ad Heluidiam c.* 10. agens de Apicio. *Cùm ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cum tot congiaria Principum, & ingens Capitolij vectigal ſingulis commeſſationibus hauſiſſet, ære alieno oppreſſus ſuas rationes priuatas inſpexit, ſuperfuturum ſibi centies ſeſtertium computauit, & velut in vltima fame victurus, ſi HS. centies vixiſſet, veneno vitam finiuit.* Hotman. *cap.* 30. 2. *part. de re nummar.* legit, *Si in ſeſtertium centies vixiſſet*, alij, *ſi in ſeſtertio centies vixiſſet*, non incognito veteribus loquendi modo; Nam author vitæ T. Pomponij Attici, *Vt neque in ſeſtertio vicies, quod à patre acceperat, parum ſplendidè ſe geſſerit, neque in ſeſtertio centies adfluentius vixerit quàm inſtituerat.* Cic. pro Roſcio. *Egebat? Immò locuples erat? debebat? Immò in ſuis numis verſabatur:* & *action.* 4. *in Verr. At hominem video auctionem feciſſe nullam, vendidiſſe præter fructus ſuos nihil vnquam, non modò in ære alieno nullo, ſed in ſuis numis multis eſſe, ac ſemper fuiſſe.* Horat. *lib.* 2. *ep.* 2.

Res vrget me nulla, meo ſum pauper in ære.

Plin. *lib.* 9. *cap.* 35. *Relictus ab eo in amplis opibus heres.* Vulcatius Gallicanus in Auidio Caſſio, *Viuant in patrimonio parentum pro parte donato, auro, argento, veſtibus fruantur.* Neque hic loquendi modus inſolens fuit Græcis, nã Libanius περὶ προςατιῶν ſic habet: τὸ ζῆν ἐν τοσούτοις, ποιεῖν αὐτοὺς φιλοψύχους ἀντὶ φιλοτίμων, καὶ πείθειν φεύγειν ἀπὸ τῶν καλῶν κινδύνων: Viuere in tantis (opibus) reddit eos vitæ quã gloriæ cupidiores, ſuadetque fingere pulchra pericula. Nihil itaque emendandum in Seneca fuit, elegantes enim dixit *in ſeſtertio centies viuere*, æquè ac in *centies ſeſtertium*, atque eadem ſignificatione. Quomodo verò centies decies, aliaque aduerbia numeralia vſurparentur, & cum ſeſtertio componerentur, nuper indicauimus, & fuſiſſimè diſputat Gronou. *toto lib.* 1. & 2. *de pecunia vetere*, quem adeas velim; nobis non licet eſſe tam otioſis, vt diotius in tricis Grammaticis immoremur, quæ foro noſtro in quo verſamur parum omninò vtiles eſſe poſſent.

R. P. Gibal. De Negotiat.

Cicero in frumentaria Verrina, §. *vel cap.* 22. *Is cùm pro iugeribus quinquaginta medimna D.CC. decuma imperarentur, quod recuſabat, domum ad iſtum in ius adductus eſt*, vbi Scaliger ſeptingenta medimna interpretatur, ſeptingenta millia medimnum, & tota illa Verrina, ſeptem modia, triginta ſex modia, medimna ſeptingenta, pro ſeptem & triginta ſex & ſeptingentis millibus exponit, ſanè contra Ciceronis mentem, ſubiicit enim verbis à me relatis: *Ibi cùm pugnis, & calcibus conciſus eſſet qui D.CC. medimnis decedere noluerat, mille promiſit.* An credemus immaniſſimum & auarum Prætorem Verrem, pro ſeptingentis millibus medimnum imperatis, mille duntaxat fuiſſe contentum, quod ne ab humaniſſimo quidem ſperare liceret. Sanè promiſit ille mille pro ſeptingentis poſtulatis, & recuſatis, cum ſe ea de cauſa pugnis & calcibus concidi videret, & peius aliquid a crudeli Prætore timeret, niſi dicat Scaliger pro D. CC. millibus, promiſſa fuiſſe mille millia; quis verò id ſibi fingat? maximè ſi ſummam totam colligamus; nam ſi in quinquaginta iugera fuerant imperata medimna ſeptuaginta, erant impoſita medimna quatuordecim in ſingula iugera, quæ exactio improba fuit, cùm ſingula medimna plus minùs, vix pro ſingolis iugeribus deberet; at ſi fuerant impoſita ſeptuaginta millia medimna, debuerit in ſingula iugera dare mille quadringenta medimna. Quis verò tam opimus ager vt cum milleſimo reficiat? Simili argumento Cicero *ibid.* increpat decumas plurium milliũ medimnûm impoſitas fuiſſe agro Leontino, ſic enim habet §. 46. *In iugere agri Leontini medimnum ferè tritici ſeritur, perpetua atque æquabili ſatione, ager reficit cum octauo vt benè agatur, verùm vt omnes Dij adiuuent cum decimo, quod ſi quando accidit, tum fit vt tantùm decuma ſit quantùm ſeueris, hoc eſt, vt quot iugera ſunt ſata, totidem medimna decuma debeantur.* Vnde iniquitatem Verrinæ exactionis exagerat Cicero; & *ſepties medimnum* non dici, licet dicatur *ſepties ſeſtertium*, pluribus contendit Gronouius *libro* 3. *cap.* 1. 2

Hirtius de bello Alexandrin. agens de Caſſio Longino Hiſpaniæ vlterioris Proprætore; *Nam palam ſeſtertio ſexagies cum Calpurnio paciſcitur, & cum Q. Sextio quinquagies:* quod Valer. Maxim. *lib.* 9. *cap.* 4. ſic explicat. *Quinquagies ſeſtertium ab illo, ab hoc ſexagies pactus.* Quare malè aliqui legunt apud Hirtium; *Nam palam HSX. cum Calpurnio paciſcitur, & cum Q. Sextio quinquaginta;* nam & in priori numero præponi debet L. ante X. & legendum eſt *ſexagies*, non *decem*, aut *ſexaginta*, ſicut & in poſteriore numero *quinquagies*, non *quinquaginta*. Sic etiam loquitur author, declamat apud Saluſtium, *ne cauſam diceret, ſeſtertio duodecies cum Cæſare paciſcitur.* Apud Senec. *lib.* 4 *de beneſic. cap.* 36. *Seſtertio centies obiurgatus*, de quo loco quia lis aliqua eſt, illũ referre placet. Agit ille de obligatione promiſſionis conferendi alicui, quem ſubinde indignum, & ingratum eſſe conſtitit; monet autem 3

inſpicere quantum ſit de quo agitur, vt rei promiſſæ modus conſilium det. Addit deinde, *ſi exiguum eſt, dabo; non quia dignus es, ſed quia promiſi, nec tanquam munus dabo, ſed verba mea, redimam, & aurem mihi peruellam, damno caſtigabo promittendi temeritatem. Ecce vt doleas, vt poſteà conſideratius loquaris; quod dicere ſolemus linguarium dabo. Si maius eſt, non committam, quemadmodum Mæcenas ait, vt ſeſtertio centies obiurgandus.* Aliqui Codices habent, *obiurgatus ſim, inter ſeſe enim vtrumque comparabo.* Omiſſis quæ in his verbis Critici non prudenter, niſi fallor, emendant, ſenſus eſt perſpicuus; negat enim Seneca ſe daturum maius munus temerè promiſſum, ne, vti loquebatur Mœcenas, *ſeſtertio centies obiurgatus dici queat.* Ita enim dicitur qui ingentem pecuniæ vim, quanta eſt in *ſeſtertio centies*, dedit, ne obiorgaretur, & cùm poſſet ſatisfacere, verborum amariorem obiurgationẽ tolerando, timens tamen intempeſtiuũ illum podorem obiurgationis, illam magno ſuo damno redimit, atque ita *ſeſtertio centies obiurgatur*, non verbis, in quo acumen Mœcenatis erat; niſi malis eiuſmodi dici obiorgatum ingenti pecunia, ſioe *centies ſeſtertio*, qui illo tactus, percuſſus, & fraudatus ſit, nam non tantùm verbis, ſed rebus ipſis, & factis, quis obiurgari ſolet; obiorgare ſiquidem colaphis, & flagris inauditum non eſt; ſic bonis Latinitatis Authoribus in vſo eſt ferire munere, tangere talento, tangi triginta minis, ſtratagemate hominem percuti; atque alteram ex iſtis ſententiis poſtulant, quæ ſubiicit Sen. *Inter ſe vtrumque comparabo, eſt aliquid in eo quod promiſeris perſeuerare: eſt rurſus multum in eo, ne indigno beneficium des. Hoc tamen quantum ſit attendendum, ſi leue, conniueamus, ſi verò magno niſui, aut detrimento, aut rubori futurum, malo ſemel excuſare quod negauerim, quam ſemper, quare dederim; totum in eo eſt quanti promiſſi mei verba taxentur.* Simili loquendi modo vtitur idem Sen. *lib.1. nat. 44. capit.16. Hunc diuitem auarum ſeſtertij millies ſeruũ D. Auguſtus indignũ vindicta iudicauit, cùm à ſeruis occiſus eſſet.* De Hirtij villa propter piſcinas, & murænarum viuaria nobili, *quadragies vendita* meminit Plini. *lib.9.cap.55.* Varro *lib.3.* de re Ruſtic. *cap.vlt.* ait illam *villam propter piſcium multitudinẽ quadragies ſeſtertio vamiſſe.* Macrob. *lib.2. Saturn.capit.11. propter viuaria, quæ habuit quadragies ſeſtertio venundatam:* quibus omnibus locis *quadragies* non ſignificat *quadraginta millia*, ſed *quadringenta millia*, quæ ingens erat ſumma, vnde querelæ de obſoniorum luxuria apud Authores citatos, & Valer. Maxim. *lib.9.c.1.* qui ait *inde infuſas culinis arcas*, quem loquendi modum aliqui mirantur, & quia non intelligunt, emendant, & pro *arcas* reponunt *artes*, cùm tamen ſic loquutus fuerit Seneca, aliique veteres. Sen. *ep.81. Sæpè enim hoc non potuere diuitiæ in domum infuſæ, quod opportunè dati mille denarij:* & *ep.115. Colatur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro, argentoque ſuſpenſo, nec in theſauros ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate.* Plin. *lib.29.cap.1. Par & fratri eius merces à Claudio Cæſare infuſa eſt.* Denique Martial. *lib.5.epig.71.*

Infuſum ſibi nuper à Patrono
Plenum maximè centies Syriſcus,
In ſellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor peregit:
O quanta gula eſt centies comeſſe,
Quanto maior adhuc nec accubare.

Ganeo ille intra paucos dies decoxerat centies ſeſtertium, ſiue centies centena millia HS. quæ aliqui reducunt ad ducenta quinquaginta millia Philippeorum.

Ex paucis iſtis ſimiles loquendi modos, vbi in antiquis ſcriptoribus occurrent, explicabis.

CONSECTARIVM III.

Quid ſit libra occidua; quid ſepticiana.

Quid libra occidua. 1.
Explicatur Synodus Simmeſſana. ibid.
Libra ſepticiana quid. 2.

ACta Marcellini dum Simmeſſanę Synodi meminerunt, in qua LXXII. teſtes Marcellinum ſacrificaſſe affirmabant, ſic loquuntur: *Hi omnes electi ſunt viri libra occidua, qui teſtimonium perhibent videntes eum ſacrificaſſe*: & mox: *Intra hæc LXXII. teſtimonia, &c. quoniam in LXXII. ſolidorum libra occidua in reparationem ſurgit annus.* 1
Baron. obſeruat veteres aliquando notis ponderum conſignaſſe numeros, eaque ratione hæreditatem integram pondo libræ comprehenſam, & eius partes ſecundum libræ pondus in alias quoque minores diuiſiſſe, ideóque numerum ſeptuaginta duorum, nomine libræ deſignatum fuiſſe, eò quod libra auri totidem ſolidos contineret; vocatam verò hanc libram *occiduam*, vt à libra 84. ſolidorum à Conſtantino inducta diſtingueretur. Verùm nunquam legimus *hæreditatem pondo libræ fuiſſe comprehenſam*, quamuis as diceretur, & in partes ſuas eodem modo, quo as diuideretur, in ſemiſſes, trientes, quadrantes, quincunces, neque inde ſequitur vocem libram pro aliquo numero vſurpari, cùm hæreditas dicatur as, & eius partes imitetur, non quatenus as certum aliquod pondus eſt, ſed diuiſor omnium ſectilium. Et ſanè ſi liceat dicere libram hominum, libram teſtiũ pro certo hominum aut teſtium numero, æquè dicere licebit minam iudicum, adſeſſorum, teſtium, talentum legionis, vel exercitus. Denique nuper reiecimus librã 84. ſolidorũ falsò tributã Conſtãtino, quare non potuit ad eius differentiam libra 27. ſolidorum appellari occidua, ſicut neque alicuius alterius Conſtantinopolitanæ, quæ maior vel minor fuerit. Quod autem aliqui *occiduam* exponunt quaſi imminutam, eo quod ad 72. ſolidos redacta fuerit, & falſum eſt, vt iam diximus, & contra loquendi morem, neque enim *occiduum* pro imminuto vſurpatum vſquam inuenimus, & quæ afferunt de occiduo ſole, occiduis partibus, occiduo mundo, & alia ſimilia, non probant, cùm occiduus ſol non ſit minor, neque mundus, eiuſve occiduæ partes imminutæ dici queant. Libram igitur occiduam dixere Sueſſani Patres Italicam, quæ erat in vſo, neque attenderunt vtrum alibi aliæ fuerint maiores: cur verò per libram numerum deſignarint, quis coniiciat? niſi voluerint fortaſſis ſignificare omnia illa teſtimonia expenſa quodammodo ad libram fuiſſe, & non imprudenter, aut temerariò vel delata, vel ſuſcepta fuiſſe, aut quia illius ætatis Barbaricæ ita vſus loquendi ferebat; nam & Palladas *lib.1. Antholog.* ridet aliquem Grammaticum, qui libram annorum in nugis Grammaticis impenderat.

Λίτραν ἐτῶν τήξας μετὰ γραμματικῆς βαρυμόχθου,
Βυλᾶς τῇ ς νεκύων πέμπομαι εἰς ἀΐδην.

Quid

Qoid verò eſt qood Authoṙ Marcellioi actorum, de occidua libra Philoſophatur , in illa annom aperiri, *in LXXII. ſolidorum libra occidua annus aperitur.* Soſpicor allodere ad mores initio anni offerendi libram auri obryſati Imperatori , ad teſtandam animæ deuotionem , ſic eoim habetur *in l.vir. Codice de oblat. votorum, in vtroque Codice. Quando votis communibus fœlix annus aperitur , in vna libra auri , & ſolidis obryſatis , Principibus offerendi deuotionem libenti animo ſuſcipimus.* In Codice Theodoſ. oumerus ſolidorum exprimitor , in vna libra auri ſolidi ſeptuaginta doo obryſiaci.

2 Eſt & quædam libra ſepticiana , cuius meminit Martial. *lib.*8. *Ep.*71.

Libra fuit Quinto ſepticiana.

Hanc libram Raderus , aliiqoe nonnolli interpretantur libram octo vnciarom cum ſemuncia , quæ Romanis bello attritis deflexerit à duodecim vnciis, quas prima libra Romana complecteretur, cui primo bello Punico ſextans detractus eſt , maneretqoe ſolùm dextans , qoi tamen eaſdem partes com antiqua libra retineret , qood ſignificat Plin. *lib.* 3.*cap.*33. cùm ait tunc percuſſos fuiſſe aſſes dextantario pondere , nempe detracto ſextante ex prima , & iuſta libra , deinde ſecundo bello Punico rurſus de ſextante vncia detracta eſt , ita vt Romana libra non amplius oiſi dodrantem , ſiue nouem vncias contineret. Denique lege Papiria vnciales aſſes , ſiue dodraotales fuiſſe imminutos, percuſſos aſſe ſemunciali , eamque libram octo vnciis cum ſemuncia conſtitiſſe , eamqoe eſſe libram quam Martialis nominat ſepticianam : verùm Plinij locum noper accuratè explicuimus contra Alciatum, agit eoim de imminoto pondere æris ſignati , ooo libræ in vniuerſom : neqoe modos loquendi Plinij quidquam facit, vti ibidem oſtendimus. Septicianam portò libram mioorem fuiſſe volgari doodecim vnciarom , non probaot adoerſarij , ex eo enim quod Poſtumianus , quot annis ſoa minuerit monera , & primò qoidem quatuor argenti libras dederit , altero anno plus minuſve duas , tertio & quarto etiam aliqoid minùs,& quinto non niſi libram ſepticianam,non ſequitur eam libram non fuiſſe duodecim vnciarum, quamois enim minùs quàm reliquis annis dederit tunc Poſtumianus , non ſequitur eum minùs libra dediſſe , qoia potuit anno ſoperiori libram & ſemis dediſſe. Vnde verò dicta fuerit libra ſepticiana non conſtat ; aliqoi ducunt à Septis , & fuiſſe negotiatoriam , alij à Septicio auri fabro , Raderus ſepticianam , quaſi ſeptuncianam , alij veriùs ab aoro ſepticiano, cuios meminit idem Martial. *lib.*4. *Ep.*89.

Ergo nec argenti ſex ſcriptula ſepticiani.

Sic enim legendum eſt , non Septiciane , quaſi ſit ille ad qoem *Epigram. vltim. lib.*15. ſcripſit. Argentum igitur ſepticianum improbioris notæ fuiſſe putant aliqoi , ſed vnde id probant , & cur ita dictum ? Itaqoe à loco & agro Septiciano oominatum fuiſſe videtur ; nam & apud Aggenom Vrbicum de controuerſiis agrorum, refertur hæc inſcriptio : *Sylua & paſcua, aut fundus Septicianus Colonia Auguſta Concordia.* Cùm autem diuerſis in locis concordiæ fuerint , hanc qua de agimos in Hiſpania non immeritò collocamus , atque ita argentum ſepticiaoum idem erit quod Hiſpanum, de qoo idem Martial. *lib.*7. *Epigram.*85.

——*Nulla venit à me*

Hiſpani tibi libra puſtulati.

Sic enim legit Gruterus è manuſcriptis , cùm volgò habeatur *argenti tibi libra poſtulati.* Aduehebatur illod argeotum ex Hiſpania, idque puſtulis, ſiue puſulis tumens vi igois excoquentis. Vide Turneb. *lib.*24. *cap.*2. erat id optimum, ex Plinio *lib.*36.*cap.*6. Ait igitur Martialis quinto anoo ſibi donatam fuiſſe libram argenti ſepticiani quidem, ſed tamen libram duntaxat , cùm ſtare aut creſcere debeant munera , & qoatuor olim miſiſſet. Nihil igitur hîc de mioota libra habemus , & octo vnciarum duntaxat cùm ſemuncia , ſed de vnica libra , quamuis ſepticiana , ſiue argenti optimi & ſepticiani , ſicut ibidem ait ſe ſeptimo anno ſelibram raſam in cotyla accepiſſe : *Poſt hunc in cotyla raſa ſelibra data eſt*, id eſt argenti raſilis, quomodo Velleius apparatum Hiſpanienſis triumphi , quem Cæſar geſſit, argento raſili fuiſſe ſcribit ; & Plini. *lib.*12. *cap.*19. coronas ex cinnamo , interraſili auro incloſas , qoas primus omnium in templis Capitolij & Pacis dicauit Imperator Veſpaſianus Auguſtus.

Consectarium IV.

De centeſimis, & aliis Romanorum atque Græcorum vſuris.

Menſtruum fœnus apud Romanos. 1.
Centeſima vſura legitima. 2.
Centeſima vſura quid. 3.
Quid plures centeſimæ. 4.
Quando primùm cognita Romanis. 5. & 8.
Nota centeſimæ. 6.
Vſuræ minores centeſimis. 7.
Vſuræ Græcorum. 9.
Vſura frugum. 10.

IN nupero noſtro de vſuris & commerciis opere, nihil ferè de earum quantitate & modo diximus , cùm enim ſolas vſuras compenſatiuas , vel punitioas, reiectis fœneratitiis ſiue lucratiois licitas eſſe ſtatuerimos , earum qoantitatem ex damno allato compenſando , & culpa punienda metiri oportebat , præterquàm quod non facilè intelligi poteraot, quæ apud veteres, atque in ipſo iure habētur de vſurarum modo, niſi ad ea qoæ hoc capite, & ſexto ſuperiori pertractata ſont, paulò longiùs qoàm noſtrum tunc inſtitutum ferret , digrederemur, ne tamen manca videatur doctrina illo opere tradita, paucis quæ deeſſe videri poterant de iſta quantitate, ex poſitis principiis colligere licebit.

Obſeruandum verò io primis eſt Romanos non anoum modò , ſed etiam menſtruum fœnus exegiſſe, quod hoeſtioribus ſaltem viris negaſſe videtur Salmaſ. *de modo vſur. cap.*6. cùm in eo differre velit Romanos à Græcis , quòd horum nomina menſtruas vſoras, illorum annuas ſignificent, quod quàm non verè dictum , nemo non videt. Cur enim exiſtimabimus eos caruiſſe vocibus, quibus menſtruum fœnus ſignificarent , ſi illud reipſa exercebant, vti exercuiſſe conſtat ipſom etiam Magnom Pompeium , virum ſine dobio honeſtiſſimom , de quo Cic. *lib.*6. *Epiſt. ad Atticum* 1. de Ariobarzane Rege. *Poſt a Pompei procuratoribus ſexcentis premi captus, &c. ei tamen ſic nunc ſoluitur tricesimo quoque die talenta Attica XXXIV. & hoc ex tributis, nec id ſatis efficitur in vſuram menſtruam, ſed Cnæus noſter clementer id fert, ſorte caret*

vſura, nec ea ſolida contentus eſt. Eiuſdem fœnoris menſtrui mentio habetur ſæpius in iure in *l. 26. §. 1. D. depoſiti.* Lucius Titius fatetur ſe accepiſſe, habereque titulo depoſiti denariorum argenti decem millia, *conuentione ſcilicet inita, vt quoad omne argentum reddatur, in ſingulos menſes, ſingulaſque libras vſurarum nomine quaternos tibi obolos ſubminiſtrem.* Atque ex ea conuentione vſuras deberi Reſpondit ibidem Paulus, quod quàm verum ſit, & vtrum ea depoſiti modum excedat, modò non diſputo, adi Hotman. *lib. 4. obſeruat. cap. 1.* non leuiter quæſtionem iſtam verſantem, & Pauli Papinianique diſſidium, quà licuit componentem, ſatis mihi fuerit, inde fœnus menſtruum Romanis vſitatum colligere, quod etiam habetur in *l. lecta. 40. D. de rebus creditis*; ibi enim conuenit, vt ſi ſumma accepta, die dicta ſoluta non fuerit, *pœna nomine in dies triginta, inque denarios centenos denarios ſingulos dari.* Quia verò ſingulis Kalendis ſoluebantur, inſtitutum eſt Kalendarium, ſiue liber rationum, de quo plura diximus *in opere de vſuris*; inde Kalendæ *celeres, aut triſtes* debitoribus, quippe annuum fœnus pro ratione menſtrui augebatur, aut minuebatur, licèt non niſi ſub annum exigi poſſet. Fuit & diarium quoddam fœnus Græcis, de quo aliàs *in citato opere de vſuris*, vbi egimus de hemerodaniſtis; ex quibus videas eleganter a Manilio *lib. 4.* dari, fœneratorem *vendere tempori.*

Nauigat, & celeres optando ſortibus annos
Dulcibus vſuris æquo quoque tempora vendit.

Seneca *lib. 7. de benefic. Quid ſunt iſta tabulæ, computationes, & venale tempus, & ſanguinolenta centeſima*: nam dierum, menſium, annorum quoque vſum pecuniâ redimere cogimur interdum à fœneratore.

2 Obſeruandum ſecundò eſt Romanos non eodem ſemper modo vſuras definiuiſſe; aliæ enim erant leuiores beſſales, aliæ grauiores, ſemiſſes, trientes, ſextantes, dodrantes, vnciariæ, pro variis aſſis partibus, à quibus ſua quoque nomina deſumebant: harum omnium exempla dabimus inferiùs; omnium grauiſſima fuit Romanis centeſima, quæ legitima tamen diu fuit, ſiue lege probata. Neque ſanè aliæ in libris Digeſtorum legitimæ vſuræ intelligendæ ſunt, quàm centeſimæ, quæ & deinde à Chriſtianis Imperatoribus vſque ad Iuſtinianum, qui ad *ſemiſſes* redaxit, probatæ quoque fuere; extat enim Conſtantini *lex 1. C. Theod. de vſuris*, quæ frugum quarumcumque, & annonæ cuiuſcumque generis commodatæ vſuram definit tertiam partem, vt qui acceperit duos modios tertium reddat; tum addit; *Quæ lex ad ſolas pertinet fruges; nam pro pecunia vltra ſingulas centeſimas creditor vetatur accipere.* Solemnes itaque & legitimæ cenſebantur vſuræ centeſimæ, quod etiam colliges ex Canone VII. Nicæno, qui prohibens Clericis ne fœnerentur, loquitur tantùm de centeſimis, δανείζοντες ἑκατοςάς, quo nomine omnes vſuras profectò comprehendit, neque enim licuit Clericis aliis omnibus vſuris, præterquàm centeſimis fœnerari; ſed quia ex ſolemnibus illæ omnium maximæ erant, cæteraſque minores, & leuiores in ſe continebant, ideò centeſimarum prohibitione, cæteras omnes comprehendiſſe ſe exiſtimarunt Nicæni P P. quod fatetur Salmaſ. *cap. 7. de modo vſurar.* qui tamen non ſatis ſecum conſentit; cùm enim toto opere de vſuris velit vſuras eſſe licitas, ſolumque exceſſum prohiberi, & ante Concilium Laodicenum, & Nicænum æquè Clericis atque Laïcis licuiſſe fœnerari, idque primùm has Synodos illis ob dignitatem ſui ſtatus vetuiſſe, & Laodicenum quidem ſolùm Clericis initiatis ſacris Ordinibus, quos ἱερατικοὺς vocat; & Nicænum deinde ad omnes omninò Clericos, qui in Matriculam Eccleſiæ relati ſunt extendiſſe, cum ea lex ſolas centeſimas prohibeat, cæteræ ipſis leuiores æquè illis permiſſæ erant, atque ante eam legem latam; ſi eſtque ſatis idonea ratio cur prohibuerit centeſimas, quia illæ grauiores erant, & minus ferri debebant in Clericis, quàm cæteræ omnes multò minores, verùm quidquid ſit de mente horum Canonum, de quibus egimus *lib. 5. operis de vſuris cap. 7.* & iterum agemus inferiùs, ſatis conſtat centeſimas vſuras & paſſim vſurpatas fuiſſe, & maximas: quare de illis priori loco quærendum nobis eſt.

Centeſima igitur vſura, eſt centeſima pars ſortis quolibet menſe data, v.g. ſi ſors ſit centum denariorum, vnus denarius in vſuram datur ſingulis menſibus: atque ita dantur in annum duodecim denarij. Græcis recentioribus dicta eſt ἑκατοςὴ; Atticis ἐπὶ δραχμῇ. Cùm enim mutuo daretur mina argenti, ſingulis menſibus drachma vna vſuræ nomine ſoluebatur, hinc ἐπὶ δραχμῇ δανείζεσθαι: aut etiam pleniùs ἐπὶ δραχμῇ δανείζεσθαι τὴν μνᾶν. Sic apud Æſchinem contra Timarchum δανεισάμενος ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τὴν μνᾶν. An verò Romani ſuam centeſimam ab ἑκατοςῇ Græcorum acceperint, an potius Græci ἑκατοςὴν à centeſima Romanorum, diſputat Salmaſ. *cap. 6. & 7. de modo vſurarum*: neque ſatis ipſe ſibi conſentit; nam Græci potiùs ἑκατοςὸν dicere debuiſſent, vt τόκον ſubintelligerent, qua ratione dicunt ἐπίτριτον, ἔφεκτον, ἐπόγδοον, ἐπιδέκατον τόκον. Galenus quidem ἑκατοςὸν τόκον, ſed vt Latinorum cum quibus viuebat, vſuram centeſimam redderet. Eadem imitatione Aſiatici, qui plurimùm cum Romanis negotiabantur, ἑκατοςὴν à Romanorum centeſima dixerint, cùm nunquam in Atticis, & antiquioribus ſcriptoribus vox ea in eiuſmodi ſignificatione reperiatur. Facit tamen difficultatem quod in voce *centeſima* ſubintelligitur *vſura*, atque Græcos quoque dum nominant ἑκατοςὴν ſubintelligere quidpiam oportet, non vtique τόκον, vt patet, non ἑκατοςὸν dicere oportet, quid igitur, an δραχμὴν, an μοιρᾶν, eo quod centeſima drachma, aut pars in menſem petatur. An verò abſolutè *centeſimam* Latinorum ad verbum expreſſerunt, cùm tamen Latini vſuram ſubintelligerent, non item Græci ſuum τόκον. Aliqui nihilominus appellant τόκον ἑκατοςιαῖον, τόκον ἑκατοςοῦ, vel ἐπὶ ἑκατοςῇ, ſicut dicitur δραχμαῖος τόκος, & ὀβολιαῖος, hoc eſt τόκος ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ ὀβολῷ. Subinde tamen Salmaſ. poſt paucas lineas dubitat an Latini in ſua centeſima ſubintelligant vſuram; an vero potiùs vnciam, eo quod centeſima vncia menſtruatim ſoluta, centeſimam vſuram efficiat; atque ita rectè conuenireut cum Græcis, quibus eſt ſua ἑκατοςὴ, ſubintelligendo δραχμὴ. Sic verò potius dicenda eſſet *centeſima vſura*; quæ omnia impedita & falſa ſunt: nam denarius qui ex centum denariis ſoluitur in menſem, efficitque *centeſimam vſuram*, non eſt reuerà vncia aſſis centum denariorum, ſed ipſiuſmet denarij, ſiue partis centeſimæ duodecima pars: nam ſortem illam cêtum denariorum diuidamus oportet in aſſes minores centum, & cuiuſque aſſis minoris pars duodecima erit totius illius aſſis maioris ex minoribus conflati *vncia centeſima.* Vncia itaque vnius denarij eſt vncia cente- 3

centeſima aſſis centum denariorum; eaque erit as cum triente, & faciet in annum duodecim aſſes, duodecim trientes, ſiue denarium vnum. Itaque ſi nomine centeſimæ intelligamus vnciam ex centum denariis, dabitur tantùm in vſuram non menſtruam, ſed omninò annuam vnus tantùm denarius, quem Salmaſius vult eſſe centeſimam vnciam; nam ſi ſingulis menſibus datur vnus denarius ex centum, vti reuerà datur in vſura centeſima, iam non datur vncia aſſis centum denariorum, vt vides, illa enim eſſet pars duodecima totius illius ſortis, quæ non eſt denarius, vt vides, ipſe enim eſt tantùm centeſima, neque erit quoque vncia centeſima, illa ſiquidem eſt tantum duodecima pars cuiuſque denarij, vti diximus, & iterum amplius poſt paulò explicabimus. Tandem vbi diutiùs fluctauit Salmaſ. concludit centeſimæ nomen ex Græco *ἑκατοςὴ* ad verbum fuiſſe conuerſum, cùm nullum liceat fingere verbum ſubſtantiuum Latinum, ad quod referri queat, non *vſuram*, quia potiùs centeſimæ vſura dicendum eſſet, non *vnciam*, quia, vti oſtendimus, centeſima vncia non eſt, & fœnus vnciarium longè aliud eſſe modò monſtrabimus: partem autem, quia pars centeſima de centum menſtruatim præſtantur, ſubaudire, eſſet omninò hariolari. Ita tamen placet ſapienter hariolari cum Voluſio Mætiano, qui centeſimam, cuius notam eo loco deſignat, vt ſtatim explicabimus, dilucidè numerat inter partes, indeque nominatam ſignificat. Neque ſanè inſolitum fuit Latinis eo in ſenſu tum centeſimæ, tum viceſimæ, trigeſimæ, quinquageſimæ, & ſimiles voces abſolutè efferre, ſubaudiendo partes; quo ſenſu dixerunt *centeſimam rerum venalium, & auctionum*: quia erat centeſima pars pretij promercalium rerum, vt de centum numis vnus ærario inferretur. Cic. ad Brutum. *Tributum ex centeſima collatum*: & *actione* 3. *in Verr. Scriba nomina de tota pecunia bina quinquageſima detrahebantur.* Liui. lib. 7. ſcribit viceſimā eorum qui manumittebantur Patronis dependendā eſſe; *Viceſimam hereditatum.* apud Sueton. *Quadrageſima publicūm, & quadrageſima litium.* apud Tacitum. *Quadrageſima quinquaſimeque exactio*, apud Symmach. quod æmulati ſunt Græci, quibus *πεντηκοςὴ τέλ@ πεντηκοςολόγοι δὲ τοῦτο ἐκλέγοντες πεντηκοςεύεσθαι, τὸ πράττεσθαι τὴν πεντηκοςὴν*: denique *πεντηκοςολόγιον* locus vbi illud quinquageſimæ tributum petebatur; ex quibus corrigas vulgatè operis Æmilij Marci inſcriptionem, *ad legem viceſimam hereditatum*, prout citatur *in l.* 13. *D. de tranſaction. l.* 22. *D. de religioſis*, &c. *l.* 254. *D. de verber. ſignificat.* nulla ſiquidem fuit lex quæ viceſima diceretur, ſed *lex viceſime*, ſiue de viceſima hæreditatum, quomodo dicitur *lex locationis*, & à Tacito *lib.* 13. *leges publici cuiuſque. Edixit Princeps, vt leges cuiuſque publici occulta ad id tempus proſcriberentur*: & Capitolin. *in Marco*; *Leges etiam addidit de viceſima hereditatum.* Centeſimam igitur vſurarum & commodi nominarunt Latini, quòd menſe quouis pars centeſima ſortis, ſiue vnus in centum, ſiue decem in mille pro vſu alienæ pecuniæ merces præſtaretur. Cùm igitur plena & integra oratione vti voles, dicendum erit, *centeſima pars ſortis vſura*, vel *centeſime partes ſortis vſura*, ſic etiam ſextantes, quadrantes, trientes vſuræ, ſextantes, quadrantes, trientes centeſimarum partium ſortis vſuræ, vel mercedes; quod ſtatim ampliùs demonſtrabitur.

Erant aliquando plures centeſimæ, idque ſigni-
4 ficat Voluſius, & paſſim legimus binas centeſimas, ternas, quaternas, quod omninò malè interpretatur Scaliger de centeſima centeſimæ quæ eſt *τόκ@ τόκου*, & *ἀνατοκισμὸς*: nam anatociſmus aliud omnino erat, vti diſputauimus in altero opere *lib.* 2. *c.* 5. *art.* 9. *conſect.* 5. nempe dum vſuræ in ipſam ſortem computatæ alias rurſum vſuras generabant. Et ſanè anatociſmum à pluribus centeſimis diſtinguit Cicero, dum illum concedit, iſtas negat *lib.* 6. *ad Attic. ep. vltima. Igitur cùm ego in edicto tranſlatitio centeſimas me obſeruaturum haberem cum anatociſmo anniuerſario ille ex ſingrapha poſtulabat quaternas*: & ibidem Brutus pecuniam Salaminis locauerat *quaternis centeſimis.* Non ſunt igitur binæ centeſimæ centeſima centeſimæ, vti interpretatur Scaliger, quem etiam Salmaſ. *lib. de modo vſurar. cap.* 8. ea de cauſa caſtigauit; ſed *bine* erant *centeſime*, cùm quinquageſimam partem ſortis menſtruæ, vel in quinquaginta nummos vnum, aut in centum binos quolibet menſe, vſurarum loco creditores ſtipulabantur, quæ vſuræ annuos nummos efficiebant viginti quatuor. *Terna centeſima*, cùm triceſimam tertiam partem ſortis menſtruam, ſiue triginta tres aſſes, trientem, aſſem vnum, tres centenos, inque dies triginta lucrabantur creditores, quæ vſuræ conficiebant triginta ſex numos annuos. *Quaterna* cùm quintam, & viceſimam ſortis partem menſtruam, ſiue in viginti quinque vnum nummum, in menſem quatuor lucrabantur, qui erant annui quadraginta octo, atque ita de cæteris pluribus centeſimis quæ non ſolùm quondam licitæ fuerant in fœnore nautico, de quo aliàs *l. a. allato* fuſiſſimè dictum fuit, ſed etiam in fœnore quoque terreſtri; illud enim fœnus binis centeſimis conſtans damnat *in Verr.* Cic. *act.* 3. *in Verrem* vnde colligis id aliquando etiam extra fœnus factitari ſolitum, maximè ab iis qui pecuniam ex ærario attributam Romæ in quæſtu relinquebant; ne tamen binæ, aut plures centeſimæ grauiores viderentur, illas fraudibus occultabant: nam ſi mille v. g. aureos credebant alicui, ex ea ſumma eodem momento ſubducebant centum, & nihilominus aureorum mille vſuras centeſimas capiebant, quas iterum vertente anno in ſortem redigebant, quam fraudem damnauit Adrian. vt in eius ſententiis refert Poſithæus, cuius verba refert, & emendat Cuiaci. *lib.* 1. *obſeruat. cap.* 9. atque paulò aliter ex membranis quibuſdam Gronoui. *lib.* 3. *de pecunia vetere, cap.* 9. Obſeruandum prætereà eſt, Ciceronem, alioſque veteres ſapientes dixiſſe ſæpius *centeſimas* quam *centeſimam*, atque eadem ratione *vncias, vſuras, ſextantes, quadrantes*, potiùs quàm *ſextantem, quadrantem, vnciam, vſuram*, cuius moris duplicem affert rationem Gronoui *loc. cit.* prima eſt quia plerumque ſors ipſa erat plurium centenum, atque adeò plures erant centeſimæ, & neceſſariò proinde plures centeſimarum vnciæ, ſextantes, quadrantes & cæteræ quæ conuenerant, & quolibet menſe maturabantur. Altera cauſa erat, quia licèt ſingulæ ſingulis menſibus delatæ forent, plures tamen ſimul, atque etiam annua die ſimul omnes ſoluebantur.

Exiſtimauit Salmaſ. tunc primùm cognitas fuiſſe Romanis centeſimas vſuras, cùm Romani nego- 5
tiatores & publicani in Aſia, Græciaque degerent, ibique fœnus exercerent, tunc enim communi illis locis appellatione *τόκων ἑκατοςῶν*, vti illis quoque placuit. Verùm nuper oſtendimus non multum diſſentiente ipſo Salmaſio, Romanos *centeſime* nomen Aſiæ, Græciæque hactenus incognitum, primos intuliſſe, vnde illi ſuam *ἑκατοςὴν* fecerint,

Latinam

Latinam vocem exprimendo, ſiue ſubaudiant *δραχμὴν*, ſiue *μοῖραν*, cùm nequeant ſubintelligere *τόκον*. Deinde fœnus vnciarium in vſu fuit ante bellum primum Punicum, de eo ſi quidem lata lex eſt anno V.C.CCCXCVI. A qui fœnus vnciarium appellari non potuit, ſi ignorabantur, neque adhuc in vſu erant centeſimæ, neque enim *vſura vnciaria* fuit, niſi centeſimarum. Deinde quis affirmet Romanis ante frequentatam Aſiam ſolum fœnus vnciarium & ſemunciarium cognitum, vſurpatumque fuiſſe. An amabò tam exiguum eiuſmodi fœnus tot querelarum, ſeditionumque aduersùs fœneratores, quæ ſæpius totam Rempublicam in extremum ferè diſcrimen adduxerunt, cauſa eſſe potuiſſet.

6 Notam centeſimæ ſic aſſignat Voluſius Mætianus: *Centeſima quæ commodi, aut vſurarum nomine ad ſortem applicaretur, ſicilice, id eſt C. auerſo pata Ɔ. eo notabatur, quòd cùm C. centum ſignificaret, conuertebatur ad eam ſummam cuius centeſima futura erat, & ſiue vna conuenerat, ſiue plures, tot ſicilici ponebantur.* Quæ verba Iuriſconſulti perſpicua ſunt. *Applicari ad ſortem*, eſt illi annecti, non quaſi ea vſuræ fiat ſors, ſed quia illi annectitur, vt ſimul ſoluatur, & debitum augeat. Deinde deſignari per C. auerſum, vt indicaretur in eam ſortem ſtipulatam eſſe vſuram centeſimam. Fœneratores itaque in ſuis ephemeridibus & Kalēdariis ſcribebant primo loco nomen debitoris cui pecuniam credide- rant, tum ſummam pecuniæ creditæ, & demùm quantitatem vſuræ de qua cōuenerant, adnotabant in margine iuxta illam ſummam. Itaque ſi fœnus conuentum erat centeſima, aut plures centeſimæ, notabant in margine C. auerſum, aut plura hoc modo, *ſumma* C IƆ. *drachmarum* ƆƆƆ. *ſumma* ✗ C.ƆƆ. Et ſanè ſolitos fœneratores tum nomine debitorum, tum ſummam crediti annotare memorat Plutarch. *lib. de mutuo fœnori non accipiendo.*

7 Venio ad inferiores vſuras, & minores centeſimis: nam iſtæ quod iam monuimus, omnium grauiſſimæ fuerunt Latinis, Græcis verò minores habitæ, ideoque Lucullus cùm enormibus vſuris vexatam prouinciam leuare vellet, ad centeſimam reduxit, teſte Plutarcho *in eius vita.* Iuſtinian. verò *L. eos qui 26. §. 1. C. de vſuris*, vt *veterem & rudem & grauiſſimam* (vti loquitur) *vſurarum molem*, ad mediocritatem reduceret, noluit centeſimas attingere, quas in traiectitia pecunia ſolùm conceſſit, eo quod periculum in ſe ſuſciperent creditores. Illuſtribus autem perſonis permiſit trientem centeſimæ *τρίτην ἑκατοστῆς*, id eſt nummos quatuor ex centum in annum, cùm centeſima ſuppeditet duodecim, vti diximus, nummulariis, cæteriſque negotiatoribus *ἐπὶ τραπέζης· καὶ τῶν ἄλλων πραγματευτῶν*, qui *ἀργυροπράται*, & *ἔμποροι*, *διμοίρου ἑκατοστῆς* beſſem centeſimæ, hoc eſt nummos octo in annum ex centum. Cæteris omnibus dimidium centeſimæ, *ἡμιεκατοστιαῖος* ſex annuos ex centum. Ex quibus etiam vides minores omnes vſuras, tales eſſe comparatas ad centeſimam, cuius tantùm partes quædam ſunt, quod paulò diſtinctiùs explicandum eſt.

Primò itaque ſunt *aſſes* quædam vſuræ, ſiue *aſſales*. Plin. Ep. ad Traian. *Pecunia publica Domine prouidentiâ tua & miniſterio noſtro, & iam exactæ ſunt, & exiguntur, quæ vereor ne otioſa iaceant, nam & prædiorum comparandorum aut nulla, aut rariſſima occaſio eſt, nec inueniuntur qui velint debere Reipublicæ, præſertim vſuris aſſibus, quanti à priuatis inmanantur: diſpice ergo Domine nunquid minuendam vſuram, ac per hoc idoneos debitores inuitandos putes, & ſi nec reperiuntur, diſtribuendam inter decuriones pecuniam, ita vt rectè Reipublicæ caueant; quod quamuis inuitis ac recuſantibus minùs acerbum erit leuiore vſura conſtituta.* Hæ aſſes vſuræ idem erant quod centeſimæ; quia enim iſtæ dant duodecim in centum annua, & aſſis eſt duodecim vnciarum, idcircò *aſſes vſuræ* ſunt appellatæ; minores verò aſſis partibus nominauerunt, qua in re non conſiderauerunt aſſem tanquam nummum, ſed tanquam diuiſorem, ſiue inſtrumentum commodè & facilè diuidendi quodlibet integrum, ſiue totum, quod duodecim conſtat partibus; itaque centeſima eſt veluti as reſpectu leuiorum vſurarum, quia illæ à centeſima tantùm diſtant, quantùm ab aſſe deunces, dextantes, dodrantes, &c. quæ proinde illis partibus appellantur. Aſſes igitur vſuræ ſiue centeſimæ, menſtruæ ſanè ſunt, nam centeſima pars ſortis quolibet menſe lucri fit, ex centum denariis vnus. Inferiores quoque vſuræ menſtruæ ſunt, & denominantur ab ea centeſimæ parte, quam lucri faciunt quolibet menſe. Sic dicuntur *deunces* vſuræ, cùm centeſimæ deunces menſtrui penduntur, qui ex centum denariis ſunt in anno denarij vndecim. *Dextantes* cùm cēteſimæ dextantes, qui in anno ſunt decem, atque ita deinceps: nam quod ſæpius repetendum eſt, as qui per minores iſtas vſuras diuiditur, non eſt ipſa ſors, ſed centeſima pars ipſius. Itaque in fœnore v. g. vnciario vncia non eſt capitis aut ſortis, ſed centeſimæ. Quare in ſingulos menſes fœnus illud reddit eius centeſimam vnciam vnam, quare toto anno exiſtit pars integra centeſima, quæ eſt denarius menſtruum ex centum denariis. Quid verò illa vncia ſit, quid ſextans, quadrans, & reliquæ illæ partes huius aſſis, quæ eſt ipſa centeſima, facile fuerit intelligere. As igitur, ſiue totum diuidendum, non eſt ſors, & capitale *κεφάλαιον* centum denariorum, ſed eius capitalis centeſima, ſiue denarius. Poſuimus autem ex ſuperioribus denarium fuiſſe duodecim aſſium, vncia igitur ſiue duodecima pars eius denarij, eſt as cum triente tantùm. Igitur illum in menſem parit vncia vſuræ, ſiue vnciarium fœnus, & in annum duodecim aſſes, duodecim trientes, qui faciunt quatuor aſſes, ac proinde vncia vſuræ parit in annum denarium ſexdecim aſſium. Qua eadem ratione progrediendum eſt in cæteris vſuris. Itaque ſextantes vſuræ exiſtunt, vbi ſextantes centeſimæ penduntur in menſem, at verò denarij ſextans, aſſes duo, duoque trientes, hi in annum ſunt viginti quatuor aſſes, & totidem trientes, qui triginta duo aſſes, hoc eſt duo denarij. Quadrans denarij in menſem ſunt quatuor aſſes, in annum quadraginta octo aſſes, ſiue tres denarij, hinc vſuræ quadrātes ſunt tres annui denarij, quos centum reddunt. Triens denarij menſtruus quinque aſſes triens; at duodecim quinqueſſes ſunt aſſes LX. duodecim trientes, quatuor aſſes; at LXIV. aſſes conficiunt quatuor denarios. Itaque vſuræ trientes ſunt quatuor annui denarij in centum. Quincunx denarij ſex aſſes duo trientes, duodecim ſexies ſunt aſſes LXXII. duodecies duo trientes octo aſſes, at LXXX. aſſes quinque denarij, quos annuatim pariunt vſuræ quincunces. Semis denarij octo aſſes, qui quot menſibus accedentes ſorti generant aſſes XCVI. ſiue ſex denarios: tot ergo ſunt vſuræ *ſemiſſes*. Septunx denarij nouem aſſes triens, at duodecies nonuſſis faciunt aſſes CVIII. duodecim trientes quatuor aſſes, atqui aſſes CXII. computantur in

ſeptem

ſeptem denariis, quot ſunt annui *ſeptunces vſuræ.* Bes denarij decem aſſes duo trientes, duodecies decem ſunt C X X. viginti quatuor trientes, octo aſſes, at CXXVIII. aſſes conficiunt octo denarios ſexdecim aſſium, quare *beſſes vſuræ* reddunt octo denarios annuos. Dodrans denarij in menſẽ duodecim aſſes, qui annui sũt CXLIV. aſſes, quot ſcilicet habent nouẽ denarij; quare nouem annui in centum ſunt *vſuræ dodrantes.* Dextans denarij tredecim aſſes triens, duodecies tredecim ſunt CLVI. duodecim trientes, quatuor aſſes. Hi CLX. aſſes decem conficiunt denarios, totque annui ſunt *vſuræ dextantes.* Deunx denarij in menſem facit quatuordecim aſſes duos triẽtes, duodecies quatuordecim ſunt C L X V I I I. viginti quatuor trientes octo aſſes, at C L X X V I. aſſes ſunt vndecim denarij; tot igitur annui exiſtunt *deunces vſuræ.* Denique denarius menſtruus reddit annuos duodecim denarios, quæ eſt *centeſima vſura*, ſiue centeſima pars centum nummorum ſingulis menſibus, atque adeò annuatim duodecim in centum; quæ ſimilis diuiſio, & computatio ſeruabatur quando denarius erat ſolùm decem aſſium initio, vnde & nomen accepit, tunc enim centeſimæ, ſiue denarij in ſingulos menſes *vncia* erat ſemis & triens, *ſextans* as duo trientes, *quadrans* duo aſſes ſemis, *triens* tres aſſes triens, *quincunx* quatuor aſſes, *ſextans*, *ſemis* quinque aſſes, *ſeptunx* quinque aſſes ſemis triens, *bes* ſex aſſes duo trientes, *dodrans* ſeptem aſſes ſemis: *dextans* octo aſſes triens, *deunx* nouem aſſes ſextans, addito ſemiſſe & triente, quam vnciam diximus, fiunt decem aſſes, ipſe denarius as diuidendus: ergo ſors centum denariorum, decem aſſium ſingulorum, cuius centeſima pars quot menſibus pendebatur, pariebat *vnciis vſuris* menſtruos ſemiſſem & trientem, duodecim ſemiſſes ſex aſſes, duodecim trientes, quatruſſis, qui ſimul omnes faciebant decem aſſes, ſiue annuum denarium: *ſextantes vſuræ* pariebant quolibet menſe aſſem duos trientes, & ex bis duodecim aſſibus & 24. quatuor trientibus, qui complent octo aſſes, exiſtunt viginti aſſes, hoc eſt duo denarij ſinguli decem aſſium, de his enim ſolis in hac diuiſione loquimur. Quadrantibus fiebat ſeſtertium antiquum duodecim ſeſtertij tres denarij, *trientes* tres aſſes trientem dabant menſtruatim, ter duodecim ſunt X X X V I. trientes duodecim quatruſſis, iunctis autem X L. aſſes quatuor denarij annui. Eadem
8 proportione pergendum in reliquis, quod accuratè præſtitit Gronou. *cap. illo* 13.

Ex quibus colliges in primis centeſimas vſurpatas fuiſſe à Romanis etiam ante ſecundum bellum Punicum, & cùm denarius decem duntaxat aſſibus æſtimaretur. Secundò etiam in ære graui neque adhuc ſignato fuerunt centeſimæ vſuræ, aliæque leniores, & communia nomina acceperunt, quæ deinde in denariis, & in argento tenuerunt, atque in omni alia ſorte, cuius centeſima pars in menſem dabatur, ac proinde annuatim duodecim in centum, atque ita ſecundùm varias huius centeſimæ tanquam aſſis diuiſiones leniores vſuræ nominabantur, quod in ære facile demonſtratur; nam centum librarum æris ſors *centeſimis vſuris* menſtruam libram, annuas duodecim gignebat; *deuncibus* deunces æris menſtruos ſiue vndecim vncias, annuas verò CXXXII. hoc eſt libras vndecim; *dextantibus*, dextantes æris menſtruos, ſiue vncias annuas C X X. quæ decem libræ, *dodrantibus* dodrantes æris ſingulis menſibus, in annum verò vncias C V I I I. libras nouem; *beſſibus* beſſes æris menſtruos, vncias annuas XCVI. libras octo; ſeptuncibus ſeptunces æris menſtruos, & annuas vncias LXXXIV. ſeptem libras; *ſemiſſibus* ſelibras æris menſtras, vncias annuas L X X I I. ſiue ſex libras; *quincuncibus*, quincunces æris menſtruos, vncias annuas L X. quinque libras; *trientibus* trientes æris menſtruos, annuas vncias XLVIII. libras quatuor; *quadrantibus* quadrantes æris menſtruos, vncias annuas X X X V I. libras tres, *ſextantibus* ſextantes æris quolibet menſe, vncias annuas X X I V. binas libras; denique *vnciis* vncias æris menſtruas annuas duodecim, libram vnam.

Colliges tertiò malè à Manutio & aliis quibuſdam fœnus vnciarium, vſuram, aut vncias vſuras confundi cum centeſimis, eſſeque eam in qua vncia ſortis quolibet menſe dabatur, ac proinde annuatim duodecim vncias pariebat, cùm pareret tantùm quot menſibus vnam vnciam, ſiue duodecimam partem centeſimæ, ac proinde annuatim vnam tantùm centeſimam partem ſortis; v. g. in ære graui & ſorte centum librarum, vncia vſura pariebat ſingulis partibus vnam partem duodecimam centeſimæ libræ, ac proinde annuatim vnam libram; centeſima verò ſingulis menſibus dabat vnam centeſimam partem ſortis centenariæ, hoc eſt vnam libram, & annuatim duodecim libras. Idem vides in pecunia ſignata. Ex ſorte centum denariorum, datur quolibet menſe centeſimus denarius, & annuatim duodecim denarij, exque ſunt vſuræ centeſimæ. At verò in vſuris vnciis datur quolibet menſe duodecima pars denarij, & quolibet anno producitur vnus integer denarius, qua proportione ſemunciarum fœnus explicabis, ſed de hoc vnciario fœnore vide plura apud Salmaſium, & Gronouium; hæc enim pauca noſtro inſtituto ſufficiunt.

Colliges quartò modum loquendi antiquæ Latinitatis fœnerari *minore centeſimis*. Cic. *lib.* 1. *Ad attic. Ep.* 11. *A Cæcilio minore centeſimis nummum mouere non poſſunt*: hoc eſt minore fœnore, quàm centeſimis vſuris ductis, ſic enim loquebantur, ducere vſuras; idem *lib.* 6. *Ep.* 1. *Cùm S. C. modo factum ſit in creditorum cauſa, vt centeſimæ perpetuo fœnore ducerentur*: lib. 6. Ep. 2. *Niſi fortè id voluimus armis efficere, vt fœnus quaternis centeſimis ducant.* Tacit. *de morib. German.* dixit *fœnus agitare, & in vſuras extendere.* Notanda & illa loquutio
Tulliana *lib.* 4. *ad Attic. Ep. XIV. Fœnus ex trien- 9
te Idibus Qintilibus factum erat beſſibus.*

Venio ad Græcorum vſuras, de quibus fuſiſſimè Salmaſ. *opere de modo vſurarum*; Gronouius *lib.* 3. *de pecun. vetere cap.* 14. aliique, ex quibus hæc pauca. Habuerunt Græci τόκον ἐπίτριτον ἕκτον ἐπίπεμπτον ἐπόγδοον ἐπιδέκατον, itaque nominabant has vſuras ab eo quod in annum reddebant. Ἐπίτριτος igitur τόκος eſt in quo pars tertia ſortis annuatim vſuræ nomine penditur, ſiue in tres nummos nummus vnus annuus, velut in drachmam bini oboli, in tetradrachmum octo oboli, in minam triginta tres drachmæ cum triente cum duobus obolis, quas vſuras ſi Latinorum more menſtruas faceres, parerent ſingulis menſibus in minam duas drachmas, quatuor obolos, paulò plus, quare erant *bina centeſima* & dodrantes, ſi autem triginta ſex darent in minam, eſſent *terna centeſimæ.*

Ἕκτος τόκος ſextam partem ſortis quot annis fœnoris loco præſtat, & vt definit Harpocrat. ὁ ἐπὶ τῷ ἕκτῳ τοῦ κεφαλαίου; parit itaque obolum in drachmam

mam, in ſex drachmas drachmam, in ſexaginta decem, in minam eius ſextam partem, nempe ſexdecim drachmas cum quatuor obolis: Latine diceres *centeſimas & trientes & quaternas ſextulas*, quare tria millia trecenta ſexaginta drachmæ τόκῳ ἐφέκτῳ reddent Alcibiadi quingentas ſexaginta, quæ ipſa ſexta pars illarum exiſtit.

Ἐπίπεμπτος τόκος qui quintam partem ſortis annuam reddit vſurarum nomine, nimirum in quinque vnum, in minam drachmas viginti, in vicena talenta quatuor; Latinè appellares *centeſimas & beſſes.*

Ἐπόγδοος τόκος annuatim parit octauam partem ſortis τοῦ κεφαλαίου τὸ ὄγδοον μέρος, v.g. chalcum in obolum, ſex chalcos in drachmam, in drachmas octo vnam, in tetradrachmum tres obolos, in octo minas vnam minam, in centum drachmas duodecim & dimidiatam; Latinè *centeſimas & ſemuncias vocares*: nam de X C V I. drachmis ἐπόγδοος τόκος reddit annuas duodecim, de quatuor quæ reſtant ad centum, dimidiatam. Ἐπιδέκατος τόκος eſt minima vſura annua apud Græcos, in qua decima pars ſortis in ſingulos annos penditur, decem in centum, in decem obolos vnus, in triginta millia drachmarum tria millia. Hæ ſunt Romanis vſuræ *dextantes*, cum aliquo tamen diſcrimine; nam ἐπιδέκατος τόκος eſt decima pars totius ſortis, vſura dextans non eſt decima pars ſortis, ſed decem partes *centeſimæ*: ἐπιδέκατος τόκος eſt annuus, dextantes vſuræ menſtruæ, vti fuit explicatum. Hinc illud Mæroclis apud Ariſtotelem in Rhetoricis, facetum dictum, cùm ſe eum alio fœneratore conferret illum; ἐπὶ τρίτων τόκων πονηρεύεσθαι αὐτὸν δὲ ἐπὶ δεκάτων

10 Hactenus de vſuris pecuniariis, earumque quantitate ac modo, reſtant vſuræ aliarum rerum, frugum v.g. & annonæ; quidquid enim accedit ſorti, cuiuſcumque generis vſura eſt; in frugibus autem ſemper fuerunt maiores vſuræ: nam lex 23. *C. de vſuris*, quæ permittit additamenta vſurarum in oleo, & quibuſcumque fructibus mutuò datis, propter incertitudinem pretij, hoc modo in Baſilicis exprimitur: ἐπὶ καρπῶν δανειζομένων ἔξεστι καὶ πλείονα τόκον ἐπερωτᾶν καὶ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν: *in frugibus mutuò datis licet ampliores vſuras ſtipulari propter incertum earum pretium.* Quia verò Philippos Imperator, cuius eſt ea conſtitutio, non definit quo vſque liceret eas ſtipulari vſuras, colligunt non ineptè liberum cuique fuiſſe pro ratione annonæ, locorum, & temporum quantas vellet ſtipulari. Lucullus olim Aſianis quartam tantùm fructuum partem creditoribus acceſſionis, & vſuræ nomine capere permiſit, quod ex Plutarcho obſeruat Cuiac. *lib. 3. obſeruat. cap. 35.* ἔταξε τῶν τοῦ χρεωφειλέτου προσόδων τὴν τετάρτην μερίδα καρποῦσθαι τὸν δανειστήν. Quia verò lex illa Luculliana Aſianis ſolis lata fuerat, & iam diu obſoluerat, creſcebantque in immenſum iſtæ frugum creditarum vſuræ, fœneratorum libidine, & fraudibus, modum adhibuit Conſtantinus, cuius eſt *l. 1. C. Theodoſ. de vſur. Quicumque fruges humidas vel arentes indigentibus mutuas dederint, vſura nomine tertiam partem ſuperfluam conſequantur, id eſt ſi ſumma crediti eſt in duobus modiis, tertium modium ampliùs conſequantur.* Quæ vſura grauis omninò eſt, cum dimidiam ſummæ creditæ partem capiat: nam qui dedit duos modios tres recipit, quare media pars crediti nempe modius vnus pro vſura datur, quod idem eſt atque ſi quis in modium ſtipularetur modij ſemiſſem, & in centum nummos quinquaginta exigeret vſuræ nomine. Hanc vſuram nominauit Conſtantinus *tertiam partem ſuperfluam*, quia ſupra ſummam crediti adijcitur, & ſuperabundat, eſtque tertia pars illi adiecta, v.g. duobus modiis creditis tertius in vſuram ſuperadditur, & ſuperabundat, nam ſic & abundantiam vſuram vocat ſcriptura, quod obſeruat Hyeronimus in *cap. 18. Ezechiel.* de hac ipſa frugum vſura diſputans, vbi & *mediam partem* appellat quam Conſtantinus *tertiam* dixerat. *Solent in agris frumenti & milij, & vini, & olei, cæterarumque ſpecierum vſura exigi, ſiue vt appellat ſermo diuinus, abundantia: v.g. vt hyemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt ampliùs partem mediam.* Hanc vſuram dictam a Græcis ἡμιολίαν, & à Synodo Laodicena prohibitam *cap. 4.* contendit fuſiſſimè Salmaſ. *cap. 8. de modo vſurar.* ibi enim prohibent PP. Clericos initiatos ἱερατικοὺς fœnerari, & vſuras, atque hemiolias accipere δανείζειν καὶ τόκους καὶ τὰς λεγομένας ἡμιολίας λαμβάνειν: vbi vides vſuras ab hemioliis diſtingui, & vtraſque vetari, quia exiſtimabant aliqui vſuras in pecunia tantum reperiri, non in cæteris rebus creditis; quod obſeruat quoque Hyeronimus in caput citatum Ezechiel. Conuellunt eam opinionem PP. Laodiceni, dum tum vſuras quæ ex pecunia, tum hemiolias, quæ ex frugibus capiebantur, prohibent: eſt itaque hemiolia vſura, in qua media pars crediti capiebatur, quam vſuram in frugibus licebat id temporis ex Conſtantini lege ſtipulari, idcircò vſura hemiolica ad frugum vſuram ferè reſtricta fuit: conſonat ipſa vocis ſignificatio; nam ἡμιόλιον ἐστὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ὅλου, nempe τὸ ὅλον & dimidium totius; ἡμιόλια verò apud Heſichium & Suidam ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου. Erudite itaque Canonem Laodiceni Dyoniſius Exiguus ſic interpretatur. *Quod non oporteat Sacerdotes, & Clericos fœnerantes vſuras, vel quæ dicuntur ſeſcupla, id eſt & ſummam capitis, & dimidium ſummæ percipere.* Peſſimè verò aliquis reddidit; *vſuras quæ centeſimæ dicuntur accipere*: ex dictis enim ſtatim apparet, quantum centeſimæ diſtent ab hemioliis, cùm illæ ex centū vnum reddant, ſiue centeſimam partem ſingulis menſibus, & annuatim duodecim centeſimas partes ex ſorte centenaria; ex denariis centum duodecim denarios annuos, hemioliæ dimidiam partem totius ſortis annuæ pariant, ex centum modiis frumenti quinquaginta, atque ita creditor accipiat centum quinquaginta modios, cùm centum duntaxat mutuò dediſſet, quare Agellius *lib. 18. cap. 14.* de numeris Græcis, qui Latina vocabula non habent; *Hemiolios eſt qui numerum aliquem in ſe habet; dimidiumque eius, vt tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti.* Dum igitur, ex lege Conſtantini dantur duo modij, & tres accipiuntur, & ex Hyeronimo dantur decem, & redduntur quindecim, eſt hemiolios, & vſura hemiolica; quare omnes aliæ expoſitiones fruſtra afferuntur, vti pluribus oſtendit Salmaſ. toto illo *cap. 8.*

CONSECTARIVM V.

Illuſtrantur aliquot LL.

Emendatur & explicatur lex 88. *D. de verbor. ſignific.* 1.

L. 4. §. 1. D. de ſtatuliberis. 2.

L. 97. D. de legat. 3. 3.
L. 1. §. 12. D. de extraordinar. cognit. 4.
L. Voconia qualis. 5.
Lex Valeria. 6.
Cæſar lib. 3. de bello Gallico illuſtratur. 7.
L. 2. C. de veteris num. poteſtat. 8.

EX hactenus hoc Capite de Romanorum re nummaria diſputatis, plurima quæ tum in Pandectis, tum in Codice vel obſcura ſunt, vel mendoſa videntur, licebit explicare.

Celſus *l. 88. D. de verbor. ſignificat. Tantùm quiſque pecuniæ relinquit, quantùm ex bonis eius refici poteſt, ſic dicimus centies aureorum habere, qui tantùm in prædiis ſimilibuſque cæteris rebus habeat.* Anton. Auguſtin *lib. 2. emendat. iur. cap. 6.* intelligit hoc loco & in aliis quibuſdam, centies centena millia aureorum, quod ſane vetus Latium non ferret; neque enim ita loquebantur de aureis, ſed vel *centies ſeſtertium* dicebant, vel abſolutè *centies*, ſubintelligendo ſeſtertium, efficiebantque centies centena millia ſeſtertium; quare in Celſo illud *aureorum* à Triboniano adiectũ expungendum eſſe ſuadet, & *centies* ſolitariè poſitum de *centies ſeſtertio* explicandum eſſe, perinde vt loquitur Papinian. *l. 77. D. de condit. & demonſtrat.* cum vxori mandatum eſſet vt moriens filiæ communi decies reſtitueret, nempe decies centena millia ſeſtertium.

2 Paul. *l. 4. §. 1. D. de ſtatuliberis: Non eſt ſtatuliber, cui libertas in tam longum tempus collata eſt, vt eo tempore is qui manumiſſus eſt viuere non poſſit, aut ſi tam difficilem, imò penè impoſſibilem conditionem adiecit, vt illi inde ea libertas obtingere non poſſit, veluti ſi heredi millies dediſſet*, ſic enim legimus hæc verba, mendosè ſiquidem legebatur, *vt aliunde ea libertas*, inepto ſane ſenſu: *mille* quoque habent aliqui Codices, ſed mendoſe pro *millies*, vti ſapienter legendum eſſe contendit Gotofredus *in notis*. Errat tamen dum illud millies explicat decies centena millia nummorum, quaſi Romanum millies idem eſſet quod millio Italicus, aut Gallicus. Cuiacius *lib. 21. obſeruat. cap. 39.* arguit Græcos Interpretes, qui reddiderunt *ἑκατὸν μυριάδας*, centum myriadas, vel *ἑκατὸν χιλιάδας*, quæ faciunt decies centena millia denarium, quadragies ſeſtertium; cum tamen millies conficiant myria myriadum, ſiue decem millia myriadum, quæ vulgus his notis exprimit 100000000, ſiue centum milliones. Verùm confundit Cuiacius rationem denariariam & ſeſtertiariam, ſiue per denarios & ſeſtertios computandi. Paulus millies vſurpat de ſeſtertiis, & ſignificat millies centena millia ſeſtertium, quæ ex quorumdam recentiorum computo ſunt vicies quinquies centena millia coronatorum, hoc eſt noſtro loquendi modo, duo milliones & dimidiatus; Græcis *διχιλίας πεντακοσίας μυριάδας*, ſeu ducenties quinquagies centena millia denarium, ſeſtertium quatuor millies, noſtrorum centies centena millia coronatorum, ſeu decem milliones.

3 Elues quoque maculam in eodem Paulo *l. 97. D. de legat. 3. Imperator interrogauit partem legatarij quærendi causâ: pone, inquit, in condito centies aureorum eſſe, quæ in vſum ſumi ſolerent, diceres totum quod relictum eſſet deberi.* Verùm neque *centies aureorum*, neque *centies aurea* Grammatici probabunt, neque *aurea* dicebant veteres, ſed *aureos*; moltò minus *ſexcenta aurea millia*. Præterea ea tempeſtate aureus Romanus valebat viginti quinque denarios, centenos nummos ſeſtertios, quod nuper fuit oſtenſum. Cùm igitur ſinguli aurei centenos nummos habeant; decem aurei habebunt mille nummos ſeſtertios, centum aurei, decem millia, atque ita progrediendo centies centena millia aureorum, de quibus agit Paul. conficient ſeſtertium decies millies, ſiue milliones, vt hodie numerant viginti quinque, ſiue ducenties quinquagies centena millia. Quis verò nugetur priuatum hominem tam ingentem ſummam in condito ſeruare potuiſſe, ad vſum quotidianum: quare in Paulo legendum eſt, *Pone, inquit, in condito centenos aureos eſſe quæ in vſum ſumi ſolerent.*

Vlpian. *l. 1. §. 12. D. de extraord. cognit.* agens de maximo patrocinij forenſis honorario legibus permiſſo, *Licita autem quantitas intelligitur pro ſingulis cauſis vſque ad centum aureos.* Volunt aliqui legi *centum ſeſtertios* vnius aurei pretium, & *centum aureos* à Triboniano poſitos eſſe, eo quod centum aureorum merces illis maior æquo videatur; verùm eam poſt multam concertationem definitam eſſe tradit Tacitus *lib. 11. Capiendis pecuniis poſuit modum vſque ad dena ſeſtertia*: & Traianus apud Plinium *lib. V. Ep. IV. Peractis negotiis duntaxat, permiſit pecuniam duntaxat decem millium dare.* Atqui dena HS. & decem millia ſeſtertium idē ſunt, quibus æquiualent centum aurei, quare retinenda eſt vulgata Vlpiani lectio, *vſque ad centum aureos*, & reiicienda noua, quæ ſubſtituebat, *vſque* ad centum ſeſtertios. 4

Voconia lex à Q. Voconio Saxa Trib. Pleb. an. V. C. DLXXXIV. Cœpione & Philippo Coſſ. de mulierũ hæreditatibus, non ita habet facilē explicitũ, licet eius meminerint Cic. *lib. 1. in Verr. & de finib. lib. 2. de ſenectute*, atque alibi. Dio *lib. 56.* Agell. *lib. 7. c. 13. & lib. 17. cap. 6.* Auguſt. *lib. 3. de Ciuitate c. 21.* Florus *in Epithoma*, aliique, ſed non deſignāt diſtinctiùs, quid illa contineret. Florus, *Q. Voconius Saxa Trib. Pleb. legem tulit ne quis mulierem heredem inſtitueret.* Auguſt. *ne quis heredem fœminā inſtitueret, vel vnicam filiam*: quod vniuerſaliùs dictum fuit, nam & aliqua parte hæreditatis aſpergi poterat mulier, & hæres ex quadrante ſcribi; immò & aliquo caſu ex aſſe, vt conſtabit ſtatim ex Cicerone. Agellius verò nihil definit; ſcribit enim fuiſſe *Plebiſcitum Voconium* de coercendis mulierum hæreditatibus, quod variis modis fieri poterat. Polybius autem in fragmento de Scipionis Æmiliani incremento, dixit Scipionem remiſiſſe ſororibus matris hæreditatē *ἐκ δ' ἐν αὐτοῖς προσῆκε κατὰ τοὺς νόμους*. Itaque lex a Cicerone & Dione capienda eſt, iiſque viciſſim affundenda. Sic igitur habet citata *lib. 1. in Verr.* Cicero. *C. Annius Aſellus mortuus eſt ſacerdote Prætore, is cùm haberet vnicam filiam, neque cenſus eſſet, quod eũ natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit vt filiā bonis ſuis heredem inſtitueret.* Quia verò Verres vt hæreditatē in L. Annium, qui erat inſtitutus, ſecũdùm filiā transferret, edicto ſuo legem Voconiam prætexebat: addit, *imitatus eſſe Q. Voconium, qui lege ſua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri: ſanxit in poſterum qui poſt eos Cenſores cenſus eſſet; ne quis heredē virginem, neve mulierem faceret*: & mox; *Quid ſi plus legarit quàm ad heredem heredeſve perueniat, quod per legem Voconiam, ei qui cenſus non ſit, licet.* Affert ſimile teſtamentum, illudque nuper ab Annia factum; *Ea de multorum propinquorum ſententia pecunioſa mulier, quod cenſa non erat teſtamento fecit heredem filiam.* 5

Ex quibus verbis id vnum colligere licet, lege Voconia mulieres inſtitui non potuiſſe hæredes hominis cenſi, ſi enim cenſus non fuiſſet quiſpiam, poterat mulierem, aut virginem teſtamento hæredem facere: quare Aſcon. non aliter interpretatur illud; *neque cenſus eſſet, neque centum millia ſeſtertium poſſideret; nam more veteri cenſi dicebantur, qui centum millia poſſeſſione detuliſſent, huiuſmodi adeò facultates cenſus vocabantur.* Quam autem capere ex bonis teſtatoris partem poſſet mulier ex lege Voconia neque Cicero eo loco, neque eius commentator Pædianus, neque cæteri nuper laudati ſcribunt, cùm tamen idem Cicero *lib. 2. de finib.* quo loco huius legis pluribus meminit, ſignificet aliquid licuiſſe per eandem legem Vocaniam filiæ teſtamento relinquere, ſic enim ait; *Nemo cenſuit plus filiæ dandum quam ad eam poſſet lege Voconia peruenire.* Et ſane Dio *lib. 56.* ſcribit ex lege Voconia nullam mulierem hæredem inſtitui poſſe ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας, quod Hotman. in Commento interpretatur, & *lib. de re nummar. 2. par. c. 28.* HS. XXV. ille enim habebat centum millia ſeſtertium authore Pædiano: nam myriadis vocabulo vocem drachmarum Græci ſubaudiunt, ac proinde ſignificant decem millia ſeſtertium: duæ myriades & dimidia XXV. HS. millia conficiunt, quæ eſt quarta pars centum millium, quot habuiſſe in bonis qui cenſebantur, affirmat Pædianus. Sanè hic fuit cenſus Decurionum in municipiis. Plinius *lib. 1. Ep. 19. Eſſe autem tibi centum millium cenſum ſatis indicat quod apud nos decurio es.* Licuit igitur etiam ex L. Voconia mulierem hæredem ex quadrante inſtituere, quod Dionem dixiſſe voluiſſet Hotman. *cap. 18. citato*, non autem certam ſummam nempe XXV. millia parum conſiderate præſtituiſſe: nam de ſolis non cenſorum hæreditatibus duntaxat lata fuit Voconia lex, quam tamen vniuerſalem facit Dio. Deinde illi etiam, qui cenſi fuerant, plura ſæpius quàm centum millia poſſidebant. Imo Agellius teſtatur cenſos primæ claſſis, qui & claſſici dicebantur, centum viginti quinque millia habuiſſe. Quartam igitur partem aut quadrantem dicere debuit Dio, non XXV. millia. Verùm fallitur & ipſe Hotman. vti pluribus oſtendit Gronouius *lib. 3. de pecunia vetere, c. 16.* nam Græci μυριάδας intelligunt δραχμῶν, non poſſunt ſingulæ decem millia ſeſtertium ſignificare, neque δραχμὴ pro ſeſtertio vſurpata aliquando fuit, & δύο ἥμισυ μυριάδες ſunt viginti quinque millia denarium, eademque ſeſtertium centum millia; ſiquidem denarius quatuor continet ſeſtertius, vti fuit aliàs à nobis demonſtratum. Nihil igitur de quadrante habet Dio, ſed illud idem quod Aſcon. in Ciceron. commentabatur, non poſſe mulierẽ relinqui heredẽ illi qui *cenſus eſſet*, hoc eſt, centũ millia in cenſum profeſſione, vt minimùm detuliſſet: ἐξεῖναι ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν inquit Dio, nemini qui οὐσίαν vel cenſum haberet maiorem, aut non minorem haberet viginti quinque millibus denarium, ſeu centum millibus ſeſtertium; quare quod de quadrante dicit hoc loco Hotman. Manutius *lib. de legibus Roman.* reijciendum omnino dicit, neque id probatur ex Dione, neque ex alio quopiam idoneo antiquitatis teſtimonio, ſed de cenſu & ærariis ciuibus, plura idem Gronouius *lib. 4. cap. 1.*

6 Lex Valeria fuit, vt debitoribus quadrans ſolueretur: de ea Velleius Patercul. *lib. 2. cap. 23. In huius locum ſuffectus Valerius Flaccus turpiſſimæ legis author, qua creditoribus quadrantem ſolui iuſſerat.* Quod Aldus Manutius *tractatu de legib. Roman.* expouit de vſura annua, quam quadrante ſolui voluit Valerius; ille autem quadrans centeſimæ continebat tres nummos, qui ex centenis pendi quot annis vſuræ nomine deberent: quæ omnia confutata ſunt nuper; ille enim quadrans fuiſſet centeſimi denarij quadrans, vti diximus; neque eam legem turpiſſimam dixiſſet Velleius, cùm paſſim cẽteſimæ viuiæ, quæ grauiores multò erant, ſoluerentur. Alij interpretantur voluiſſe, vt ære, hoc eſt, quadrantibus ſolueretur, & pro denario aſſis daretur, quod nullo authore dici poteſt, neque enim facile eſt oſtendere quadrantem fuiſſe nummum æreum, vt tamen contendit Hotman. neque ex illo nuper retulimus; quadrans ſiquidem non fuit nummus, ſed quarta pars cuiuſcumque ſummæ, ſcilicet tres vnciæ aſſis cuiuſuis crediti, neque aliter vſurpat Velleius hoc loco, aut Valerius in ſua lege, quam vt ipſius crediti quarta tantùm pars à debitoribus ſolueretur, remiſſis tribus aliis partibus, quæ erat grauiſſima creditorum iniuria. Ea ratione dodrantem, & vnciam vſurpauit Martialis *lib. 8. epig 9.*

Soluere dodrantem nuper tibi Quinte volebat
Lippus Hylus, luſcus vult dare dimidium.

Hylus qui dum lippus erat, tibi ſoluere voluit 9. vncias, quas recuſaſti, nunc altero captus oculo 6. tantùm ſoluere vult, quare ſubiicit, *ne recuſes.*

Accipe quamprimùm, breuis eſt occaſio lucri,
Si fuerit cæcus, nihil tibi ſoluet Hylus.

Et lib. 9. Epig. 4. ita Domitiani extollit opera, vt dicat Iouem & Superos omnes non fore ſoluendo, ſi Cæſar ab illis ſua nomina repetat, & ne quidem vnam vnciam de aſſe poterit accipere.

Grandis in Æthereo licet auctio fiat Olympo,
Cogantúrque Dij vendere, quidquid habent.
Conturbabit Athlas, & non erit vncia tota,
Decidat tecum quo putet ipſe Deum.

Eodem modo interpretor illud Saluſtij *de bello Catilinario. Sæpe maiores miſerti plebis Romanæ, decretis ſuis inopiæ eius opitulati ſunt, ac nouiſſimè memoria noſtra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære ſolutum eſt.* vbi aliqui addunt *ære communi*, contra fidem omnium Codicum. Et ſane tam poterat argentum debitum ex communi argento, quàm *ex ære communi* ſolui: alij ad quadrantes nummos æreos, & ad Valeriam legem, cuius eo loco meminerit Salluſtius recurrunt; melius eſt dicere argentum ære mixtum fuiſſe, atque ita debitores ſua nomina faciliùs exoluiſſe.

Cæſar *lib. 3. de bello Ciuili cap. 20.* meminit & alterius legis nummariæ, quæ difficultate non caret; ait enim M. Cœlium Rufum causâ debitorum ſuſcepta legem promulgaſſe, *vt ſexies ſeni dies ſine vſuris credita pecunia ſoluerentur.* Hæc 7 verba crucẽ fixere interpretibus, qui ea variis modis legerunt, emendarunt, aut veriùs corruperunt: mihi omniũ commodiſſima videtur hæc lectio quã reſtituit Gronouius *lib. 4. c. 5. vt ſemiſſe in dies ſine vſuris credita pecunia ſoluerẽtur*, hoc eſt, vt dimidio crediti reſtituto, ſine vſuris, iis quæ ſolutæ eſſẽt ſorti computatis, ſatisfacerent debitores, eoque non præſenti, ſed *in dies*, id eſt penſionibus quæ conueniſſent illis, quorum res agebatur, vel potiùs annua, bina, trina die, ſiue triennio æquis penſionibus: quia enim ſoliti erant in pluribus contractibus vti triplici illa die, ſiue ſolutione per tres penſiones; breuiter dixit *in dies*, ſolitos ſcilicet, & quos nemo ignorabat deſignari

nari in ſolutione, quæ partibus & penſionibus fiebat. Atque hunc modum quem lege ſua præſcribebebat Rufus, videmus plurimum ſeruari in noſtro foro Lugdunenſi: nam cum eo qui decoxit, aut foro ceſſit conueniunt creditores, vt ille crediti dimidiam, aut tertiam, aliamve partem ſoluat ſine vſuris intra biennium, aut triennium diuerſis partibus, aut penſionibus, quolibet ſolutionum ſolenni termino, qua de conuentione dicemus libro proximo.

8 Lex. 2. *C. de veteris num. poteſtate*, ſic habet: *Pro imminutione qua in aſtimatione ſolidi forìs tractatur, omnium quoque pretia ſpecierum decreſcere oportet.* Hæc lex difficilis explicatu eſt, vti ex variis in illam commentariis videbis apud Gronouium *lib. 4. c. 13. & 14.* & nuper nos reiecimus quam hîc factam a Valentiniano ſolidi immutationem fingunt; qui 72. ſolidos ex libra tãtùm cudi voluerit, cum Conſtantinus ad octoginta quatuor extendiſſet, quod quam falſum ſit demonſtrauimus, eandemque fuiſſe Cõſtantini & Valentiniani libram auri, in quam aſſignarentur LXXII. ſolidi. Et ſanè ſi illam imminutionem libræ a Valentiniano factam admitteremus hoc loco, non apparet quomodo inde pretia rerum decreſcerent; quis enim mercem quam 84. ſolidis emit, vendat ſolùm 72. ſi illi 72. qui in libram imputantur, non ſunt ſinguli maioris ponderis, quàm eſſent cùm 84. aſſignabantur, quod volunt aduerſarij nuper reiecti. Aliud igitur omninò voluit Valentinian. Conſtituerat ille, vt quidquid auri in Principia theſauros inferretur, non in nummis, ſed in maſſis igne decoctis, & per obryſam depuratis inferretur; vt quæcumque eſſent venæ ſegnioris, reliquiæ perirent; ſic enim habet *l. 3. C. Theod. de ponderatoribus. Non in materia conferatur, ſed ſub conditionalium oculis ac periculis diu, multumque flãma edacis examine in ea obryſa detineatur, quemadmodum pura videatur.* In eo porrò flammæ edacis examine, & aureorum in maſſam liquefactione intertrimentum aliquod accidere neceſſe erat, cùm in omni auro *inſit argentum*, inquit Plin *lib. 33. cap. 3. Vario pondere alibi dena, alibi nona, alibi octana parte.* Quod idem contingit in argento, cui aliquid alienæ materiæ innaſcitur, quare cum argentum in ſtipendium Carthaginenſes Romam aduexiſſent, quarta eius pars decocta eſt, quod argenti intertrimentum Romani pecuniâ mutua ſumpta ſupplere coacti ſunt, teſte Liuio *lib. 32.* Vt verò diſpendium iſtud vitarent Imperatores, cauerunt *l. 12. & 13. C. Theod. de ſuſceptorib.* vt *largitionalium, proſequuntorũ, & allectorum fraudibus aditus obſtrueretur, & ne adulterinos ſolidos ſubrogando in compendium ſuum fiſcalia emolumenta conuertant.* Iſtud quippe aurum non ex tributis tantùm & titulis, ſed ex ipſis aliquando ſpeciebus fiſcalibus, & annonariis redigebatur; nam licèt ipſæmet ſpecies inferri deberent, nonnunquam tamen permittebantur adærari, quod aliàs obſeruaſſe me memini, tuncque ipſarum pretia inferebantur; quæ omnia conſtant *ex l. 68. C. de erogat. milit. annon.* & *l. 70. C. eod.* vbi vetatur *pro ſpeciebus militaribus pretia poſtulare. l. 1. C. de Fabricenſibus*, non pretia ſed ipſas ſpecies inferri mandat. *l. 8. de ann. & tribut.* Romæ aurum pro ſpeciebus exigi prohibemr. Idem habet *l. 4. C. eod.* At verò id permittitur *l. 1. C. de exact. & tranſlat. annon. l. 17. C. de cohert. princip. l. 29. & 24. de annon. & tribut. l. vn. C. ne conlat. per. &c. l. 2. C. de equor. conlat. l. vn. C. qui à probit. tyron. l. 13. C. de tyron. Nouella 13. Theodoſij*, atque alibi.

His notatis perſpicua redditur Valentinianæ Conſtitutionis ſententia, vult enim pro imminutione & intertrimento auri dum per obryſam expurgatur, & à ſuſceptoribus in ſolidi æſtimatione taxatur, ſpecierum quæ adærantur pretia quæque in maſſam redigi debent, decreſcere: ſiue iubet ſummam illam ſolidorum, quæ pro ſpeciebus datur, minorem haberi quam ſolidi dati, & antequam in maſſam redigerentur, & æſtimarentur, ita ſuppleri intrimentum auri, quod in probatione, & conflatione ſolidorum in maſſam imminutum fuit; v.g. quis pro ſpeciebus fiſco debitis habet libram theſauris inferendam, proque ea dat LXXII. ſolidos, tot enim in libram computantur, ſed in iis ſolidis dum edacis flammæ examinæ in obryſa probantur, aliquid deperit, ita vt maſſa ex illis ſolidis decoctione conflata non pendat CCLXXXVIII. ſcriptula, quot eſſe oporteret in integra libra, ſed pendit tantum ducenta octoginta, fitque imminutio, & intertrimentum octo ſcripulorum. Pro hac igitur auri imminutione decreſcunt pretia numerata ſpecierum adæratarum, ita vt ille qui dedit illa non cenſeatur dediſſe LXXII. ſolidos; ſed LXX. duntaxat, debebitque adiicere duos auri probi ſolidos, qui ſuppleant illa octo ſcriptula, quæ deerant iuſtæ & integræ libræ; in auro tamen coronario quod ſponte offerebatur hoc obryſæ intertrimentum noluit ſuppleri *l. 4. C. Theod. de auro coronario*. à Gratian. Valentinian. & Thodoſ. AAA. lata; *Qua diuerſarum ordines Curiarum vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus proſperè geſtis admoniti in coronis aureis, ſigniſque diuerſi generis obtulerint, in quacumque fuerint oblata materia, in ea ſuſcipiantur, ne id quod voluntate offertur occaſione obryſa incrementi* (lege intertrimenti) *neceſſitatis iniuria conſequatur.* Quæ poſtrema continent rationem huius exceptionis ab vniuerſali lege ſupplendi intertrimentum obryſæ, quia *id quod voluntate offertur, non debet conſequi neceſſitatis iniuriam*: & vt ait Columella, *Quæ dono contingunt, minùs ſcrupuloſè probantur*; ideoque damnauit in Nerone Sueton. *cap. 44.* quod parans expeditionem aduerſus Vindicem, *exegit ingenti faſtidio & acerbitate nummum aſperum, argentum puſtulatum, aurum ad obryſam, vt plerique omnem collationem palam recuſarent.* Auaritiæ Galbæ tributum eſt, quod *oblatam à Tarraconenſibus è vetere templo Iouis coronam auream librarum quindecim conflaſſet, ac tres vncias quæ ponderi deerant iuſſiſſet exigi.* Sueton. *cap. 12.*

ARTICVLVS X.

De nummis Gallicis.

Qua de re agendum. 1.
Francus ſolidus argenteus. 2.
Solidus aureus. 3.
Cæteri Franci nummi. 4.

HActenus Romanorũ, Græcorum, & Hebræorũ notiſſimarum gentium communes veteres nũmos, quantum ſatis noſtro inſtituto fuit, explicuimos, reliquarũ verò nationum, quibus & ſui proprij, dubio procul fuerunt, omiſſis: tum quia obſcuriores fuerunt, vixque aliqua ipſorum veſtigia in veterum monumentis extant; tum quia infinitæ id fuerit operę, cùm non modò ſingulæ nationes, ſed & eiuſdem nationis prouinciæ, atque ciuitatea 1

paulò ampliores, aut præcipuæ, ſuam ſibi monetam cuderent, & reliquam omnem tanquam externam, & peregrinam pro arbitrio probarent, aut improbarent, neque aliter quàm mercem exoticam inferri paterentur, vti monuimus hoc ipſo Capite, & apud Polluc. *lib.* 9. facilè deprehendes. Denique inutilis foret faſtidioſa iſta, & curioſa inquiſitio, cùm ad commercia & negotiationem, quam vnam hoc opere attendimus, nihil omninò conferre queat. De Gallicis tamen & noſtratibus adiicere aliquid, viſum eſt operæ pretium. Et quidem de recentibus, qui in communi vſu & quotidiano ſunt, nihil attinet dicere, cùm omnibus notæ ſint eiuſmodi nummorum ſpecies. Et quod ad aureos quidem atque argenteos, tum noſtrates, tum peregrinos, qui tamen ex venia Principis ſunt in vſu, eduntur ſæpius Indices, qui ipſorum materiam, ſignum, pondus, & poteſtatem explicent, adiecta Regia Conſtitutione illos permittente, aut recuſante: quare inutilis otij foret de iis hoc loco agere, aut eiuſmodi Indices, aut Conſtitutiones exſcribere, vel compendio reddere, cùm & paſſim proſtent, & ſæpius immutentur. Quod ad monetam verò æream, aut cupream ea etiam in diuerſis prouinciis Gallicis diuerſa eſt, neque extra illas vſui; quare ſufficit eius prouinciæ accolis notam eſſe, atque externis qui in ea negotiantur, vel aliquamdiu hærent, aut per eam iter faciunt. Itaque pauca omninò de numiſmatis Gallicis dicenda nobis ſuperſunt.

2 Habuerunt porrò Franci noſtri ſuos denarios, & ſolidos tum argenteos, tum aureos, quorum in legibus Salicis frequens mentio eſt. Solidum quidem argenteum percuſſerunt ad ſimilitudinem ſolidi aurei, quem Conſtantinus, cæterique deinceps Romani Imperatores conflarunt; vt enim ſolidus ille aureus duodecim milliarenſibus vertebatur, ita ſolidus argenteus Francorum duodecim denariis: viginti ſolidi faciebant libram argenti, vt Romani ſexaginta milliarenſes; quia ſolidus erat trium milliarenſium, & Romani ſolidi quadrans. Franci denarij duodecim erant in ſolido argenteo, viginti in vncia, ducenti quadraginta in libra argenti: quare aduertendum diligenter eſt in earum gentium legibus, vtrum de denariis Romanis, qui adhuc in vſu illis erant, an de Francis loquantur: ſic Friſiam legem *tit.* 16. cùm ait, *ſolidus tribus denariis conſtat*, malè interpretatur Scaliger, quaſi ſolidus qui priùs æſtimabatur duodecim denariis, deinde ad tres imminutus fuerit: nam illi tres denarij erant Romani poſtremi, ſiue ſub Imperatoribus, & Conſtantino dicti milliarenſes; duodecim verò denarij, qui conficiebant ſolidum erant Franci, qui duodecim denarij, & tres illi milliarenſes, ſiue denarij Romani poſtremi non differebant pretio: quare verum erat ſolidum argenteum conſtare duodecim denariis Francis, & verum quoque conſtare tribus milliarenſibus, ſiue denariis Romanis, quo nomine ſemper intelligo hoc loco non veteres, ſed recentiores à Conſtantino inductos, & milliarenſes nominatos, vt diximus *art.* 7. quamquàm in illa lege Friſia diſtinguantur denarij veteres & noui; an fortaſſis ab ipſis Friſionibus percuſſi, quibus ſua quoque fuit moneta: vnde *ibid.* legitur, *Solidus duo denarij dimidius ad nouam monetam*: & mox, *Solidus duo denarij noui.* Quidquid ſit, Francorum veterum ſolidus argenteus, ſi ad pecuniam vetuſtiorem illum exigere placeat, erat πεντάδραχμον, atque adeò quindecim ſcripulorum, nonaginta quaſi ſiliquarum, denarius verò ſcriptulum ſiliquam cum dimidiata ſiliqua habebat, vel ſeptem ſiliquas, & dimidium ſiliquæ; ſic vt duo ſemis facerent drachmam, & ſemiſiliquam & ſiliquæ quadrantem, vel drachmam & dodrantem ſiliquæ: hinc Budæ. *lib.* 2. *de aſſe*, ait drachmam Atticam habere duos ſterlinos, & dimidiatum, ſterlinũ autem, & denarium confundunt ſcriptores. Luculenter verò Author de limitibus agror. *Iuxta Gallos viceſima pars vnciæ denarius eſt, & duodecim denarij ſolidum reddunt: ideóque iuxta numerum denariorum tres vnciæ quinque ſolidos complent, ſic & quinque ſolidi in tres vncias redeunt; nam duodecim vnciæ libram viginti ſolidos continentem efficiunt*: quibus verbis vides aſſerta, & explicata quæ nos hactenus diximus.

Diſtinguendum verò eſt in hac moneta Francica, an de libra auri, vel argenti, ſolidis aureis, vel argenteis loquantur authores: nam libra argenti duodecim ſolidis complebatur, vti iam dixi, auri verò 40. quare eum Carol. Mag. *lib.* 3. *capit. tit. XIV. Triginta ſolidos libram & dimidiũ* dicit, de libra argenti id affirmat. In argenti igitur libra veteri Francorum eius *quadrans* ſunt L X. denarij quinque ſolidi; *triens* octoginta denarij, ſolidi bes, ſeu octo denarij; *quincunx* denarij centum octo, ſolidi triens, vel quatuor denarij; *ſemis* denarij C X X. decem ſolidi; *ſeptunx* CXL. vndecim, ſolidi bes, ſeu octo denarij; *bes* libræ C L X. denarij, tredecim, ſolidi triens, ſiue quatuor denarij; *dodrans* denarij, CLXXX. quindecim ſolidi; *dextans* denarij ducenti ſexdecim, ſolidi bes; *deunx* C C X X. denarij, XVIII. ſolidi triens; *as* ſiue libra ipſa C C X L. denarij, viginti ſolidi.

Ex his Gronouius *lib.* 3. *de pecunia vetere, cap.* 6. deducit originem eius, quæ nunc in Gallia libra eſt *ſterlingum*, ſiquidem idem facit cum *denario*, quod & alij exiſtimant. Hanc igitur hodie Galli *libram* vocant viginti ſolidos, licèt tanto minores illis antiquis argenteis, & ſolidum diuidunt in duodecim denariolos. Hinc quoque Angli viginti ſolidos ſiue ſterlingos tertia parte quàm fuerant reciſiores, libram *eſterlingorum*, ſiue *ſterlingam* appellant, & ſchellingum pariter in duodecim puningos pro denariolis partiuntur, quomodo verò iſta libra Britannica ſterlingum ſe habeat ad veterem Romanam, & ad ſeſtertios, pluribus *ibid.* diſputat Gronouius.

Fuit quoque Francis noſtris ſolidus aureus, qui 3
quadraginta denariorum erat: De eo lex Salica. *Si quis porcellum furauerit, qui ſine matre viuere poteſt, XL. denariis qui faciunt ſolidum vnum, culpabilis iudicetur*: & tit. X X V I. *Si quis fœminam grauidam occiderit XXVIII. den. qui faciunt ſolidos D C C. culpabilis iudicetur*: & mox, *Si quis puellam ingenuam infra annos, antequam infantes poſſit habere occidat, VIII. den. qui faciunt ſolidos C C. culpabilis iudicetur.* In priori numero X X V I I I. den. more Romano ſunt intelligenda viginti octo millia denarium, & in poſteriori parte legis VIII. den. ſunt octo millia denarium, in eaque ſupputatione vides rationem iniri ad ſolidum X L. denariorum: quadragies ſeptingenta efficiunt viginti octo millia, quadragies ducenta octo millia: quo modo intelliges eiuſdẽ legis caput aliud: *Si quis puerũ infra duodecim annos, ſiue crinitum, ſiue incrinitũ occiderit, XXIV. den. qui faciunt ſol. DC. culpabilis iudicetur.* Paſſim ſimilia tota lege Salica reperies. Sanè Hincmar. in teſtamento S. Remigij diſertè notat *ſolidorum quantitatem numero quadraginta denariorũ cõputari.* Et in capitularibus licet obſeruare ſolidũ vnũ XII. denariorũ, alterũ XL. Prior ille argenteus

erat

erat, poſterior iſte aureus; nam *lib. 3. tit. XXX. Omnia debita quæ ad partem Regis ſolui debent ſolidis XII. dona ſoluantur, excepta freda, quæ in lege Salica conſcripta eſt: illa eodem ſolido quo cætera compoſitiones ſolui debent, cōponatur.* Vbi obſeruabis duos ſolidos, vnum X I I. denar. alterum verò maiorem, cuius lex Salica meminetit, quemque fuiſſe X L. ſolidorum iam oſtendimus, qoia vnus aoreus erat, alter argenteus minoris proinde valoris. Verùm locuples teſtimonium habemus à Synodo Remēſi. Pipini clementia conſtituit *ne ſolidi qui in lege Salica habentur per XL. denarios diſcurrant:* hoc eſt, vt pro aoreis argentei ſatisfacerent, eò qood creditores ſolidos obſtinatè peterent Salicos, tanquam lege præſcriptos magno debitorum incommodo, quibus non ſemper eiuſmodi ſolidorum copia ſuppetebat: quare voluit Pipinus, vt liceret ſolidis aliis, argenteis nempe, & X I I. denariorum ſeruata proportione ſoluere ſua nomina: quod idem deinde conſtituit Ludooicus Pius Magni Caroli filius *lib. 4. capit. tit. 75. Omnis ſolutio atque compoſitio, quæ in lege Salica continetur, inter francos per X I I. denariorum ſolidos componatur, excepto vbi contentio inter Saxones & Friſiones exorta fuerit, vbi volumus, vt quadraginta denariorum quantitatem ſolidus habeat, quem vel Saxo, vel Friſio ad partem Salici Franci cum eo litigantis ſoluere debet.* Ex his factum, vt in pluribus Franciæ municipalibus legibos, tom mulctæ, tum *ἐιλέκτινα*, ſioe laudimia X L. denariis taxentor, id eſt ſolido vno aureo. In cudendo porrò ſolido argenteo & aoteo, Francos eandem proportionem ſeruaſſe inter aurum, & argentum, quam Romani ſeruarant, diſtinctiùs oſtendit ſæpius Laudatus Gronouius.

4 Atque hactenos de Francica moneta in vniuerſom; oam de ſingularum in Gallia Prouinciarum nomiſmatibus dicere, foret hominis otioſi; cùm enim pleriqoe proceres quondam beneficio Regio ius haberent cudendæ monetæ, quiſque priuatam intra ſuam ditionem beneficiatiam cudebat, diuerſam à cæteris. Itaque plores erant eiuſmodi tunc monetæ, nam & Viennenſes, & Andegauenſes, Pariſinæ, Pictauinæ, quin & Bearnicæ, cæteræque aliæ monetæ erant diuerſæ formæ, atque poteſtatis, vt iterum ſignificabimus inferiùs, omnium tamen antiquiſſimus & communiſſimus vſos fuit monetæ Toronicæ. Vnde omnes ferè rationes Turonicis nummis ducebantur, qood etiam conſtat *ex extrau. de prebend. cap. poſtulate, §. porrò;* vbi Ioann. ipſe X X I I. ita compotat. *Dummodò valor annuus ipſorum altarium ſummam X X. librarum Turonenſium non excedat.* Quare quoties mores & conſoetudines alicuius Prouinciæ loqoontur de ſolidis, neque eos deſignant ſingillatim, de Turonenſibus intelligendas eſſe monet Molinæ, *in §. 54. conſuet. Pariſ. num. 20.*

ARTICVLVS XI.

De collatione nummorum inter ſe.

In quo conſiſtat ea collatio. 1.
Prima via in nummis eiuſdem generis & materiæ. 2.
Secunda via in nummis diuerſi generis. 3.
Monita generalia. 4.

HAnc nummorum inter ſeſe collationem plurimi tentarunt, non ſatis fœlici euentu, cùm enim plures diuerſos abacos inſtruxerint, vix duo in paucis qoibuſdam conſentiunt, & ſinguli in diuerſa abeunt, indeqoe perpetuæ lites quas ipſi Senatus Regij nunquam liquidò definiuere cùm cenſus antiqui repetontur, quanti valoris eſſet illa pecunia, in qua Patrum memoria conſtituti ſunt, & quomodo illi qua hodie vtimur reſpondeat, & ad illam exigenda ſit: neque ego oculatiorem me eſſe exiſtimo in re, in qua perſpicaciſſimi quiqoe cæcutierunt hactenos, ideóque collationem iſtam ne tentare quidem eſt animos, ſed ne nihil dixiſſe videamur, & illuſtrem in hac materia controuerſiam obſtinato ſilentio prætetiiſſe; paoca quædam principia indicabo, ex qoibus aliquid certi liceret affirmare.

Collatio igitur iſta non fit, niſi in æſtimatione nommorum diuerſorum; cùm enim differant in materia, ac pondere, eorum æſtimatio diuerſa ſit oportet. Quæritur autem quam proportionem inter ſe habeant, an æqualis, an inæqualis valoris, & quanta inæqualitate exiſtant, quod aſſequi facilè quidem liceret, ſi cuiuſque nummi certa oobis foret æſtimatio, non enim magnæ fortaſſis foret operæ eas deinde inter ſeſe comparare, ſed vix antiqoorum nommorum certam æſtimationem habemus: quare neque illos inter ſe, neqoe cum noſtris, & recentioribus abſque erroris periculo componere licet, ſi quid tamen ſperandum eſt, hac via progredi oportebit.

In primis attendenda eſt vtriuſque nummi materia, an eadem, an diuerſa ſit. Si eadem quanti valoris ea foret ea tempeſtate, qua cuſus eſt ille nummus, & in eo loco. Deinde an eſſet vtrobique, & in vtroque nummo comparando æqualis bonitatis, & intrinſecæ puritatis, an alicubi, aut aliqua tempeſtate externo metallo impurata fuerit ea materia; an præterea nūmi æqualis eſſent ponderis, ex diuerſitate enim materiæ, eius qualitate, ſiue puritate, ac pondere, æſtimationem, valoremque creſcere, aut decreſcere neceſſe fuit; tum ex copia, aut raritate eiuſdem materiæ in loco in quo percuſſi ſunt nummi. Pondus porrò non minori diligeotia attendendum eſt; quod fit qoærendo an libra eadem vtrobique fuerit, totidem vnciarum, earumque æqualium: inæquales enim aliquando fuiſſe cooſtat ex *art. 6. ſuperiori*, & denique videndum quot nummi, de qoibus inſtituitur comparatio, in libram aſſignarentur. Ex hoc ſiquidem oritur maxima diuerſitas, vt videmus in talentis, quorum alia grandiora, alia leuiora multò erant, vti oſtendimus illo *art. 6. citato.* Inueſtigandum præterea eſt quænam mutationes, quot & quando acciderint in materia, & in nummis, vt videamus quomodo eorum quoque valor æſtimandus ſit, neqoe minores & reſciſos pro maioribus & integris accipiamus; nam aſſes aliquando librales, aliàs ſextantarij, aliàs vnciales atque ſemonciales percuſſi ſunt: denarios primò decem eſt complexus, deinde ſexdecim. Aureus Romanus varij quoque ponderis fuit: nam aliquando vti oſtendimus *art.* 8. 40. aut 48. in libram imputati ſunt, tum ex quorundā ſententia octoginta quatuor, demom 72. quod in ſolidis qui aureis ſuffecti ſunt, vidimus. In hac porrò mutatione, & variatione nummorum non ſolùm pondus, eiuſque variatio conſideranda erit, an leuiores, aut grauiores, retento eodem nomine percuſſi fuerint, verùm etiam an aliqui ſuffecti fuerint aliis omninò antiqoatis, vt denariis milliarenſes à Conſtantino ſubſtituti,

an eiuſdem omninò æſtimationis ponderis, ac materiæ, quod vix vnquam contingit; cùm in eiuſmodi mutatione ſemper aliquid Principes lucrari velint, alioquin nulla cauſa mutationis eiuſmodi faciendæ, aut permittendæ ipſos moueret: quare hæc omnia tempora inuicem comparanda erunt: v.g. ſi componas noſtrum Ludouicum argenteum cum ſeſtertiis Romanorum, videndum erit an cum ſeſtertiis duorum aſſium & ſemis, an quatuor aſſium. Si inquiras quot Romanis denariis æquiualeat, quærendum an cum denariis decem, an cum denariis ſexdecim aſſium componas; atque ita de aliis.

3 Quando nummi comparandi inuicem ſunt diuerſi generis, argentei videlicet cum æreis, & aurei cum argenteis; expendenda in primis erit horum metallorum qualis fuerit proportio, de qua fuſè Villapand. Hotman. Gronou. aliique quamplurimi; neque enim eadem ſemper & vbique fuit. Deinde valor impoſititius, qui æquè varius fuit, eſtque etiam hodie; demùm ea omnia quæ nuper diximus, attendenda in comparandis inter ſe nummis eiuſdem generis, ac materiæ. Examinanda quoque erit, & maximè puritas vtriuſque illius materiæ ratione ligæ, vti vocant, & intertertrimenti, quod inde redundat, qua de re *art. ſequent.* Cùm itaque frequentes fuerint iſtæ omnes mutationes ſub quolibet ferè Principe, vix quidquam certi pronuntiare quis poterit. Si quæ tamen iniri poſſit ratio huius comparationis, illa omninò optima videtur, quam pluribus explicuit Poſſinus diſſertatione de hac re, vt minimus aliquis nummus certus ſtatuatur, cuius deinde multiplicatione cæteri omnes æſtimentur; inde enim aut nulla, aut ſanè minor erit errandi occaſio, quod ipſe pluribus demonſtrat exemplis, quibus omnibus ego ſuperſedeo, cùm illa diſſertatio omnium teratur manibus, iſque fuit ſine dubio Voluſij Mætiani, & cæterorum ea ætate ſapientum ſenſus, cùm dixit argentum ære æſtimari, ſeſtertius quippe qui argenteus nummus erat, duobus aſſibus & ſemis æris æſtimabatur, indeque nomen ſumpſerat. Deinde facta mutatione quatuor, denarius initio X. vnde ſic fuit appellatus, poſtmodum fuit ſexdecim: aureus æſtimabatur argēto, quare paſſim ad denarios, & ſeſtertios reducebatur, vt vides in Liuio, Plinio & aliis paſſim, & nos hodie aureum ad libras Turonicas reducimus, per eaſque certò æſtimamus.

Hoc vnum ad extremum monitum velim noſtrū mercatorem, qui negotia & commercia cum externis maximè celebrat, vt ſollicitus ſit in expendenda diuerſorum nummorū, ſiue patriorum, ſiue peregrinorū materia, poteſtate, & vſu, mutationibus, incrementis, decrementis, probatione & reiectione, atque exquiſita eorum omnium comparatione, inde enim maxima ex parte compendium, aut diſpendium commerciorum pendet, neque aliter campſoria, quam ferè exercent omnes ditiores negotiatores, ſine periculo aliquamdiu celebrari poteſt, quod ipſi non ignorant, eaque de cauſa maximam in hac re diligentiam & ſtudium adhibere ſolent.

ARTICVLVS XII.

De conflatione nummorum.

Sola ſuprema poteſtas poteſt conflare monetam. 1.
Quare ſuam illi imaginem inſcribit. ibid.
Ex eius aliquando venia Dynaſta beneficiarij. 2.
Inde varia moneta. ibid.
Quibus conditionibus ius illud Reges conceſſerint. 3.
Materia moneta & eius conditiones. 4. 5. 6.
Principis eſt eam præſcribere. 7.
Modus percutiendi monetam. 8.
Monetaria opera. 9. 10.

QVatuor quæri ſolent hoc loco; primò de authore cudendi nummi, ſine cui liceat monetam percutere. Secundò de materia ex qua percutitur & conflatur. Tertiò de modo qui in conflanda moneta ſeruari poteſt, & denique de miniſtris conflandæ monetæ, ſiue de monetariis.

Et quidem conſtans omnium ſemper fuit opinio poteſtatem conflandæ pecuniæ ſummi Imperij prærogatiuam eſſe, neque Principibus, & Dynaſtis beneficiariis id ius competere, niſi ex venia ſupremi Domini, eaque de cauſa ſuam imaginem nummis, quos cudi iubebant, inſcribi voluerunt Imperatores, & ſi quis aut nummū conflaſſet ſua authoritate, aut illi ſuum vultū, vt loquuntur, impreſſiſſet, violatæ Maieſtatis reus habebatur, plectebaturque; quem verò vel ad Imperium efferre, vel ſummo honore dignari vellent, illius effigie nummum inſigniri patiebantur; quæ ſingula ex antiquis monumentis oſtendere non fuerit operoſum: nam Commodus Perennium ſibi licèt perfamiliarem capite damnauit, quòd nummos ſua effigie percutere fuiſſet auſus, vt ait Herodian. *lib.* 1. Darius Ariadnem Præfectum Ægypti ob percuſſum nummum argenteum, ſuaque icone notatum, eadem pœna plecti voluit, quod teſtatur Herodot. *lib.4. in Melpone.* Apud Ammianum *lib.* 26. Equitius militum Rector, eos qui nummos noui Principis vultu effigiatos feriebant, varijs ſuppliciis affecit. Rufinus occiſus eſt, quia nummos ſua procuderat effigie, quod ipſi exprobrat Claudian. 1

Atria regifico iuſſit ſplendere paratu
Exceptura dapes, & quod poſt vota daretur
Inſcribi propriis aurum fatale figuris.

Iulij Cæſaris vultu nummos ſignatos refert Dio *lib.* 41. Lampridius quoque narrat Diadenimenum, vbi primùm in Imperium accitus eſt, monetā imagine ſua cudi curaſſe: neque aliter Vopiſcus oſtendit Proculum Imperatorem fuiſſe, quàm quia & purpuram induit, & Auguſti nomen accepit, monetamque percuſſit. Gallienus participato Imperio cum Odenato, illum Auguſtum ſalutauit, & eius monetam cudi iuſſit, in qua Perſas captiuos traheret, vti habet *in Gallieno* Trebelli. Imò ſoliti erant, vbi primùm in Imperium allegebantur, priorum Principum effigie nummos percuſſos antiquare, vt recentes propria imagine cuderentur; quòd non feciſſet Vitellium laudat Xiphilinus, ſeruauit enim Neronis, Galbæ & Otonis nummos, neque ipſorum reſpuit imagines *ἐκ ἀγανακτῶν τῇ εἰκόσιν αὐτῶν.* Alexander Seuerus Albino purpuram conceſſit, & eius imagine percuti *νόμισμα τῇ αὐτῇ κοπῆναι,* inquit Xiphilinus, Herodian. *lib.* 2. & Lamprid. Iuſtinian. vt gratiam Beliſario reponeret, altera facie nummi ſeipſum, altera Beliſarium armatum, & cataphractum exprimi voluit cum hac inſcriptione Βελισάριος ἡ δόξα τῶν ῥωμαίων. Ita Zonar. Cedrenus, & Manaſſes *in politicis.* Hinc

factum

factum vt quoties alicuius Principis imperium detrectarent, aut ab eo deficerent, eius quoque numiſmata reiicerent, & ſi ſummum Imperium affectarent, propria cuderent: quare Arabes nummos Romana imagine percuſſos repudiaſſe narrat Diacon. *lib.* 19. & ibidem ait Iuſtinian. Pogonati filium monetam Abdimelechi Arabis imagine ſignatam reieciſſe; ſed illuſtre in primis Francorum noſtrorum facinus, qui quod ait Procop. *lib.* 2. *Gothic.* vt teſtarentur ſe Romani Imperij Maieſtate non teneri, Arelate nummum ex metallo Gallico percuſſerunt, ipſique, non Romani Imperatoris, vt moris erat, ſed ſuam inſcripſere imaginem. *Νόμισμα χρυσοῦν ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος ὅπερ εἴθισται χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα.* Ratio porrò cur ſuam imaginē Principes numiſmati inſculperent, gemina erat. Prima vt Imperij maieſtatem, optimamque poteſtatem ſignificarent, & vt ipſos commerciorum omniū, & totius quodammodo vitæ, & vſus authores omnes agnoſcerent: eo quod ad vitam neceſſarius admodum ſit nummus, quem idcircò Caſſiodorus, quod aliàs monuiſſe memcmini, *vitale metallum* appellabat. Altera ratio erat, vt falſarios, atque monetæ corruptores in officio continerent, ne in Principis maieſtatem peccarent, vti ait Theodoric. apud Caſſiodor. *lib.* 7. in formula, qua moneta committitur. *Omninò moneta debet integritas quæri, vbi & vultus noſter imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur: quidnam erit tutum ſi in noſtra peccetur effigie?* Neque ſolam ſuam effigiem Principes nummis inſcribi curabant, ſed alia quædam propria ſibi ſymbola; nam Auguſtus nūmum argenteum figura capricorni, quo natus erat, percuſſit, ex Sueton. *cap.* 94. Althepia Trezeniorum regio, cùm in tutela Neptuni & Mineruæ eſſet, nummum tridente, & capite Mineruæ ſignauit, vt refert Pauſan. *lib.* 2. *Corinth.* Conſtantin. ſuæ iconi etiam nummariæ adhiberi voluit ſignum Crucis, ex Soſom. *lib.* 1. Ioann. Tzimiſceſ. primus exprimi voluit Saluatorem cum ea epigraphe; *Ieſus Chriſtus Rex Regum*: ita Glycas *parte* 4. quod & noſtri Reges aliquando ſunt æmulati. Adhibuere quoque ſcuti teſſerarij ſymbola gentilitia; quare ex diuerſa imagine atque teſſeris ſcutariis diuerſa nomina ſortiti ſunt nummi noſtrates; atque in primis vulgare *ſcuti*, *eſcus* nomen ab ſcuto ſymbolico Francico illis inſculpto ſumptum eſt. Deinde à Principis quoque inſcripta imagine ſunt denominati, vt *Philippei*, aut *Philippici*, quos Philippus Pulcher percuſſit ſua effigie; *Henricei*, aut *Ludouicei*, ab Henrico, & Ludouico in ipſis effigiato; ſicut & fuere Lacedæmone nummi Philippici, & apud Perſas Darici à Dario ipſorum Rege. Ioan. Rex Equitis effigie in ſuis nummis exprimi voluit, ideóque nominati ſunt *Franci equites*, *Francs à cheual*. Ij verò in quibus Carolus iuſtitiæ ſolio inſedens exprimebatur, dicti fuere *Franci pedites*, *Francs à pied*; quibus addita fuit Corona, aut ſtella, nominati ſcuti coronati, aut ſolati; *Eſcus ſols*, & *Eſcus couronnés*: nominati alij *aurei arietes*, *moutons d'or*, ex villoſi arietis aurei effigie à Ioanne Beturigum Duce, ex venia Regis cuius frater erat, percuſſi.

Ratio porrò propter quam poteſtatem cudendæ monetæ ſolis ſummo, & optimo iure Principibus gentes omnes vnaniami quodam conſenſu tribuere, iam à nobis indicata eſt, & fuſiùs explicatam videbis à Bodino *lib.* 1. *de Repub. cap.* 10. quia cùm nummus ſit omnium menſura, & medium, quo etiam inæqualia inter ſe coæquantur, quo commerciorum omnium ratio regitur, priuata publicaque bona æſtimantur, facultates, expenſæ, ſtipendia, cæteraque, quæ in vſum publicum veniunt, belli & pacis commoda, conuentioneſque conſtant, eius percuſſio, valor, & æſtimatio non à priuatis quibuſque, ſed à puplica poteſtate, eaque ſuprema pendere debuit; cúmque vti monebat Ariſtot. à *νόμῳ*, & lege exiſtat, ab eo qui ſolus legem ferre aliis pro imperio poteſt, ſuam originem & naturam capere debet; alioquin miram in tanta varietate nummorum, confuſionem commerciorum, & difficultatem haberemus, quod experiuntur qui habitant in regionibus in quibus plures Principes imperant, qui vel ex beneficio ſuperioris, vel ex ſua poteſtate ius cudendæ monetæ ſibi vindicant; quæ cauſa fuit propter quam Ludouicus X. cognomento Hutinus, omnia ſimilia iura, & priuilegia, quæ ſui prædeceſſores variis Dynaſtis in regno fecerant, iterum recuperauerit, & coronæ ac ſceptris æternùm addixerit.

Quoad ius autem conflandæ monetæ conceſſum a ſummo Principe Dynaſtis beneficiariis, certiſſima res eſt, cùm & iura quædam regalia concedantur ex priuilegio aliquando eiuſmodi Toparchis, vti monet Petrus Gregor. *lib.* 36. *ſyntag. c.* 2. *n.* 25. & de hoc ipſo cudendæ monetæ iure conſtat. Nam vti ex Regio monetalium Iudicum tabulario collegit Chopin. *lib.* 2. *de domanio*, *tit.* 7. *num.* 15. Comites Niuernenſis, Marchianus, Sueſſionum, Eſſuorum, Fani Paulini, Vindocinenſis, Andegauenſis, Pictonum, Bleſenſis, Carnutum, Cœnomanorum, Flandrenſis, Lemouicenſius, & Broſſius Procomites, Britanniæ, Normanniæ, Burgūdiæ, & Aquitaniæ Duces, Auriaci, Borbonij, Allobrogici, Dombenſes, Lotharingi iure iſto ex Regis venia potiebantur. Idem de Bearnico Principe fuſius probat eruditiſſimus Marca *in hiſtoria Bearnica lib.* 4. *cap.* 16. eiuſque originem repetit à pluſquàm ſexcentis annis, neque conſtare à quonam acceperint illi Principes eam facultatem, neque ſine cauſa conicit Morlanam monetariam officiniam extructam eo tempore fuiſſe, quo Romani in vicinis Pirenæis montibus metalla iſta effodi curabant. Præter laicos Dynaſtas ſacris, & pleriſque Epicopis à Pientiſſimis Regibus illud ipſum ius fuiſſe tributum conſtat, vt Ebredunenſi, Rhemenſi, Sueſſonenſi, Magolouenſi, Laudinenſi, Meldenſi, Cadurcenſi, Claramontano, Pariſino, Turonenſi, aliiſque, ex quibus exiſtebat mira monetarum varietas, & confuſio, quod vel in vno *groſſo* licet inſpicere, eius enim plures ſpecies diuerſi omninò valoris eodem tempore fuiſſe comperimus; erat ſiquidem, vti refert Robertus Cenalis groſſus vnus Venetianus, qui valebat denarios Turonicos ſexdecim, erant & Turonici groſſi, qui diutiùs perſeuerarunt in hoc Regno, variis temperaturis & indicaturis, inquit Molinæ. *q.* 100. *de vſur.* Eorum quoque meminit Bodin. *lib.* 6. *de Rep. cap.* 8. Erant & groſſi in Delphinatu, illiſque cenſus aliaque iura domanialia ſolui ſolebant, authore Guid. Pap. *deciſion.* 493. & viginti quinque illi groſſi computabantur in ſcutum auri. Franciſci I. edictum 19. Mart. 1539. tres groſſorum ſpecies numerat, nempe Metenſes, Scotos, & Anglicanos. Duo priores valebant duos ſolidos, ſex denarios, Anglicani æquiualebant tribus ſolidis, eaſque omnes ſpecies ipſe probat; nihilominus ſubinde 19. Mart. 1540. groſſos Lotharingos, ſiue

Metenſes repudiat, quod ipſum edixit Carolus IX. 17. Aug. ann. 1561. Henric. II. 25. Martij an. 1549. eos externos groſſos reiecerat, ex iiſque conflari iuſſerat alios Pariſiis in domo Neſlana, qui inde dicti ſunt *gros de Neſle*. Groſſi Flandrienſes ſex ſolidis æſtimantur à Roberto Cenali. *Libra*, inquit, *groſſorum Flandrenſium valet ſex libras Turonicas, qua ratione groſſus Flandrenſis æſtimari debet ſex ſolidis Turonicis.* In aliis quoque monetis magna erat differentia; nam libra Morlana de qua fusè Marca laudatus, excedebat triplo Turonenſem, ita vt vna valeret tres Turonenſes, & vnus ſolidus aut denarius æquabatur tribus ſolidis & tribus denariis Turonenſibus. Pecunia Cœnomēſis dimidio ſuperabat Normannam, vnde datus prouerbio locus Cœnomanenſem valere vnum Normannum cum dimidio, *vn Manceau vault vn Normand & demi.* Pariſina moneta, quam Epiſcopus cudi curarat, alias quoque omnes ſuperabat, & vt loquuntur, *fortior erat*, id eſt ponderoſior, ac proinde maioris pretij, inde dicuntur denarij Pariſij, *vn denier Pariſis*, quæ vltima vox ſignificat exceſſum denarij ſupra communes denarios XX. Et ſanè denarius Pariſinus vna quinta Turonicum ſuperat: quare quaterni Pariſini denarioli quinos Turonicos æquant.

3 Quamdiu verò Reges ante Ludouicum Hutinum voluerunt hos Regni proceres aliquo iure percutiendi monetam vti, id non niſi certis conditionibus fecerunt. In primis numquam paſſi ſunt vt cuderent monetam auream, ſed æream duntaxat, aut argenteam, *monoye blanche, & noire*, exemplo Romanorum Imperatorum, qui etiam ſibi præcipuum illud ius ſeruarunt, & ne quidem in Perſarum Rege id tulerunt, licet multò auro abundaret. Quare cùm Dux Armoricus nummum aureū cudere fuiſſet auſus, Rex illum armis compeſcuit an. 1464. nonnunquam tamen Reges noſtri quibuſdam beneficiariis ſuis id iuris indulſerunt, extra ordinem, neque ad ſucceſſores deinde fuit propagatum. Ita Carolus V. Ioanni fratri ſuo Biturigum Duci, ſpeciali prærogatiua id permiſit, à quo vti iam monui cuſi ſunt arietes aurei villoſi, *les moutons d'or*, ann. 1271. Bohæmiæ quoque Regibus aureæ monetæ ius fecit Carolus IV. Imperator ann. 1371. & Poloniæ Rex Vladiſlaus Gneſnenſi Archiepiſco, & Poſnanienſi Epiſcopo, circa an. 1214. Princeps Bearnicus eadem ſignandi auri poteſtate vtitur à pluribus ſæculis, quod pluribus demonſtrat Marca *lib. 4. Hiſtoria Bearnicæ, cap. 16.*

Aliam omnem monetam ita percuti à quibuſdam proceribus concedebant noſtri Reges, vt illis tamen monetali lege, nummorum ſpeciem, formam, modumque præſcriberent; quare cùm Flandriæ Comes Regiæ monetali conſtitutioni parere cunctaretur, illam ſanctè obſeruare in toto ſuo Comitatu compulſus eſt, decreto Parlamenti Martinalium, ann. 1289. Dux Armoricus cùm ſuam monetam imminuiſſet, illam emendare coactus fuit decreto Parlamenti in Purificatæ Virginis Feſto, anno 1274. Cuius ex antiquo Curiæ regeſto hæc verba exſcripſit Chopin. *Comes Britanniæ emendauit hoc, quod monetam ſuam, quæ erat de pondere nouem ſolidorum minorauit, & poſuit ad pondus duodecim ſolidorum, & iniunctum fuit dicto Comiti, vt expelleret Lombardos de terra ſua, iuxta ordinationem domini Regis.* Angolimenſi Comiti Senatus in Feſto Pentecoſtes ann. 1281. mutationem, & imminutionem monetæ prohibuit, Epiſcopo Engolimenſi agente: *Ordinauit dictum Comitem non poſſe facere monetam parem, ſeu æqualem illi, quæ per dictum iudicium cecidit, ſeu caſſata fuit, licèt aſſerat ſe eſſe in poſſeſſione mutandi monetam.*

Seruabatur præterea Regiæ monetæ ſua prærogatiua, vt quoties æs alienum in regia moneta contractum foret, in controuerſiis de illo ortis, ſolus Iudex Regius, & non inferiores, officium ſuum interponeret, vt ex vetuſtiſſimis Codicibus forenſibus refert laudatus Chopin. Neque iſtis Baronibus, & Principibus aliarum monetarum, quàm propriarum, aut ipſius Regis fabricationem in ſuis Ditionibus permittere licebat ex conſtitutione Philippi III. ann. 1273. *art. 2. Art.* verò proximo non modò vetat hanc externarum monetarum fabricationem, ſed etiam vſum omnem, niſi iam maiorum ætate fuerit vſus illarum inductus: multaque alia etiam circa horum priuilegiatorum monetas conſtituit, ex quibus videas noſtros Reges nunquam ſe abdicaſſe ſummo circa monetam conflandam iure, itàque illius ſignationem quibuſdam Dynaſtis beneficiariis conceſſiſſe, vt ſibi retinerent poteſtatem leges monetales ferendi, quas omnes ſeruare, & modum ab ſe præſcriptum tenere Principes beneficiarij cogerentur. Quia tamen inde plures controuerſiæ oriri ſolebant, illaque diuerſarum monetarum multitudo importuna erat plebi, & commerciis; viſum eſt ſapientiſſimis Regibus totum illud ius iterum recuperare, compenſato damno, quod ex eius iuris ceſſione inferioribus Principibus contingebat, id primus tentauit, perfecitque maxima ex parte Ludouicus Hutinus circa ann. 1314. Sanè 10. Kalend. Mai. ſiue 22. Aprilis ann. 1322. Robertus Atrebas Bellimontis Rogerij Comes Regi vendidit monetale ius ſuum ſenis libellarum millibus, quod & cæteri fecere deinceps; ita vt nullus hodie gaudeat in Gallia poteſtate cudendi, præter Dombenſem, & Auriacum Principem. Atque hactenus de Authore cudendæ monetæ.

Sequitur materia de qua iam diſputauimus *art.* 2. & deinceps 6. 7. & 8. cùm de æreis, argenteis, & aureis nummis diximus; feritur enim moneta vel auro, vel argento, vel ære, neque cuiuſuis alterius metalli, aut materiæ in re nummaria vllus vſus exiſtit, niſi in aliquo caſu admodum infrequenti, quod eo *art.* 2. monuimus. 4

Obſeruo duntaxat auri, & argenti materiam, aut laminam ex qua percutiebatur nummus, fuiſſe duplicem: puram vnam, ſiue ex puro metallo per ignem excocto; aurum ita depuratum, & igne examinatum obryſum vocabant viri monetales, & obryſam, auri per ignem probationem & excoctionem, quod monuiſſe me memini *ex C. Theod. & Iuſtinian.* Ideoque ſapienter aduertit Hotman. *parte 3. de re nummar. c. 3.* fruſtra torquere ſeſe nonnullos in eius vocis inquirenda ſignificatione, & ethymo, de quo quid ſentirent indicauimus *a. 1.* vbi de nauigatione in Ophit. Altera materia, eſt mixtione alicuius alterius inferioris metalli impurata; nam aliquando duntaxat illuſum exiſtit argento numiſma æreum; vocant monetarij *billon*, monetam æreā argento illitam, & non illitam, leuium rerum commercio, non maioribus explicandis nominibus deſtinatam: quamquàm & eadem voce ſignificent damnatorum forfice nummorum materiam, & iteratæ conflaturæ addictam monetam. Exauctorati enim nummi ex edicto Regio ſæpius ad duumuirum monetalem deferri iubentur, monetalis maſſæ, & materiæ nomine, liquandi furno, & nouæ conflaturæ addicendi. Argentea moneta quæ pu-

ri

ri argenti decem minimùm denarios contineat, argentum ſiue moneta noſtris vocatur, vbi minus argenti habet, ærea dicitur, & *billon*, eo quod illitum duntaxat argento æs videatur, quod vt meliùs capiatur.

5 Obſerua in materia monetàli duo in primis attendi: primum eſt metalli ex quo cuditor bonitas, & puritas; ſecundum eſt eiuſdem materiæ quantitas, ſiue pondus potiùs; non enim aut extenſio, ſiue latitudo, aut craſſities conſideratur, quando io quacomque mole legitimum pondus ineſt; quare ſi moneta vel ioſta materià,vel ioſto pondere defecta ſit, ſanè legitima oon eſt. In idonea porrò materia maximè conſideramus puritatẽ metalli, quæ non in eodem ſemper gradu exiſtit: nam argentum ad duodceim denarios porum *fin*, dicunt, quòd nihil æris, alteriuſve metalli adiunctum habeat, quantum licuit ad obryſam excoquere, & ad pululam expurgare. Ad ſex verò denarios purum habetur in quo media tantùm pars argentum, cui confuſa alia eſt ærea,vel plumbea. Argentum denique ad decem denarios, ſiue ad dextantem purum exiſtit, cui ſexta pars alieni metalli ipſi immixta eſt. In iſtis autem puri argenti gradibus denuò diſtingunt monetarij; nam quoddam argentum Regium eſt, quod ſemiſſe denarij dilutum, ſiue impurum eſt; habet ſiquidem X I. denarios & X I I. grana puritatis:quare diſtat XII. duntaxat granis à ſummæ puritatis faſtigio, ac culmine, vocaturque Pariſienſe: quare quoties de Pariſienſi conuenit, de hoc intelligendum eſt, quo datur aliud purius, & cineraceum Pariſinum nominant, nam diſtat ſex ſolum granis à culmine, habetque X I. denarios, & XVIII. grana puritatis. Denique tertium qooddam eſt purum, & obryſum,quod habet X I I. denarios, vocaturqoe *argent fin*, cuique nihil exquiſitæ poritatis deeſt. Quod ſi argentum dilutius impuriuſque Regio fuerit, nempe infra X I. denarios, & ſemiſſem puræ materiæ, modo X. ſaltem denarios contineat,argentum tamen ſimpliciter nominatur; infra illom gradum inter leuiora metalla cenſebitur, & *billon*, vti iam monui, appellabitur, quæ licèt minutiora videantur, idcircò ſunt aduertenda, quia cùm qois paſciſcitur de argento ſimpliciter, debet ad minimum decem denarios habere,dum de argento Pariſino, aut Regio, debebit X I. denariorum & ſemiſſis eſſe, quod ſi agat de argento puro, *d'argent fin*, exquiſitæ puritatis intelligitur,& XII. omninò denariorum. Quomodò autem fiat cineraceum, & excoquatur argeotum ſecundùm diuerſos illos gradus, explicat Molinæ. *q*.100. *de vſur.n*.783. ſed adeundi ſunt aurifices, & monetarij. Aurum habet perpetuò aliquid argenti admixtum, vti monet Plini.*lib*.35.*c*.4.quod in auro foſſili,fluuiatico,canalitio, puteano,cuniculario,& omni alio,vndecumque ſiue ex fodinis, ſiue è fluoiis, puteis,cuniculis eruatur videre licet,& rariùs puri auri grumus aliquis Palacia aut Baluce reperitur: quare arte depurandum eſt, eiuſque puritatis varij vti in argento gradus exiſtunt. Summæ aurum eſt vicenariæ, ternariæ,ac dodrantalis obryſæ, *de vinge & trois carrats & trois quarts*. Culmen & ἀκμὴ puritatis eſſet vicenariæ quaternariæ obryſæ,ſiue in 24.caractis. Infimæ puritatis, eſt argẽti qointa parte miſtum; mediocris puritas eſt in auro vicenariæ obryſæ,vicenariæ binariæ.Huc porrò caracta aori, & argenti puri denarios partiuntur in XXIV grana,& ſingula iterum grana ſubdiuidunt in XXIV. partes, quas *carobas*, vel *carobos* dicunt. eaſque demum in viginti quatuor minuta,quibus tamen vix in minutiis caracti auri vtuntur, ſed quotam aliquam partem maiorem caracti nominant,quartam, quintam,octauam, &c. caracti partem.

Altera conditio monetalis maſſæ pondus eſt.
Oſerua verò in re monetaria,& vbi de auro,argen- 6
toque facto, infecto,atque ſignato agitur, libram, ad quam pondus omne examinant,eſſe marcã quæ octo vnciarũ,ac proinde bes Romanus & Italicus, & ſelibra Francica: nam Romanis ſemper duodecim vnciarum libra fuit, Francis autem ſexdecim vnciarũ exiſtit, quare marca hæc dici poſſet ſelibra auri,argenti,vel auraria, argentea;bes auri,bes aurarius,argẽteus;eius vncia pẽdit octo ſemiſicilicos, ſiue groſſos,ſemicilicus tres denariolos,denariolus grana XXIV. granũ totidẽ carobos, *l'once du marc peſe huict groz, le groz trois deniers, le dernier* 24. *grains,le grain* 24. *carobes*: ſic enim monetarij loquuntur. Groſſus itaque eſt octaua pars vnciæ monetalis,& numulariæ, quæ eſt libræ ſeu marcæ ſexageſima quarta, vti tradit Robertus Cenalis. Idem affirmant Glarean. & Budæ. qui idcircò drachmæ comparant,quæ vnciæ quoque octaua pars eſt, & pẽdet tria ſcriptula,ſicut groſſus tres denarios. Nomen à craſſitie ponderis deriuant,quia infra vnciã eſt maximum pondus,cùm denarij ſterlini, felini, ſiliquæ, & grana leuiora multò exiſtant, atque vt drachma gemina erat,ponderalis vna,altera numularia,quę nummus erat,ita eſt duplex groſſus,quorum vnus pondus eſt octaua vnciæ pars,alter nummus,cuius varius fuit valor in variis locis, vti nuper monebamus.

Principis verò eſt legitimam materiam, eiuſque 7
puritatis gradus ac legitimum pondus præſcribere; quæ maſſa cudendo nũmo, aut faciendo operi, noſtris Gallis dicitur *Aloy*, quaſi laudata, probataque materia; *aloiier* enim ſignificat ſubductas rationes dati & expẽſi probare,admittereque tanquã legitimas. Itaque ea vox non ſolùm ſigoificat qualitatẽ, & conditionem metalli,ſed ἐμφατικῶς conditionem debitam, & lege definitam,quaſi publice laudatã, & probatam. Veriùs tamen videntur aliqui hoc nomine deſigoare congruentem inter ſe metallorũ confuſionẽ, & temperationem;vt enim aurũ coaleſcat,& coaguletur in maſſam, aliquid alieni metalli infundi oportet; quare edicit Princeps quantùm alieni metalli affũdi debeat illigandæ auri,argentiue maſſæ; vt eorum idonea temperatio fiat. *Aloüer* dicunt temperare,& aptè commiſcere metalla ad iuſtam conflaturam.Barbarè nominant *ligã*, quaſi vna materia illigetur alteri. Quamquàm alij ligam,quaſi legem nominari velint. Budæ.*lib*.3. *de aſſe* cõfundit com iudicatura malè omninò,vt monet Molin. *q*.100.*citata*, *n*.791.quia iudicatura eſt ſolida totius rei æſtimatio, eaque voluntaria; cùm *aloy* ſit materia,& ſubſtantia cudendi nummi, alteriuſve operis ex metallo elaborãdi,ideóque & qualitatem materiæ, & eius præterea pondus cõtinet: quare, & grados diuerſos tum puritatis, tum ponderis ſoſcipit, ſic dicunt vnum denarium maſſæ illios *d'aloy*, pendere ſex denarios ponderales, aut vnum groſſum conflaturæ *d'aloy*,pendere 32.grana põderalia, quib. aliſve ſimilibus formulis,illud vnum exprimunt, illam partem maſſæ, aut materiæ conflatilis puræ, & defæcatæ tanti ponderis eſſe. Itaque diſtinguendum eſt inter denarium ſubſtãſtantiæ,aut materiæ,ſioe maſſæ argenteæ puræ conflandæ,& denarium ponderalẽ:quia prior ille denarius eſt gradus puritatis, qui vti iam diximus nõ excedit duodecimum;itaque eſt duodecimus gradus,ſiue vt alij loqui volunt,duodecima pars puræ argenti materiæ:denarius autem põderalis, eſt cẽ-

teſima

teſima nonageſima ſecunda pars libræ monetalis, ſiue ponderis, & marchæ. Obſerua itaque vocem denarij æquiuocã eſſe apud monetarios; priùs enim ſignificat certam quantitatem ponderis, eſtque viceſima quarta pars vnciæ marchalis, & 192. totius libræ monetalis, ſiue marchæ, quam octo duntaxat vnciarum eſſe monuimus, continet autem denarius 24. grana ponderalia. Secundò ſignificat gradum qualitatis, atque puritatis, ſeu bonitatis maſſæ argẽteæ, quæ ſuos gradus intẽſiuos habet, ſummuſque eſt duodecimus. Itaq; denarius eſt vox technica, & propria artis monetalis, eſtque duodecima pars totius puritatis integræ materiæ, ſiue marchæ, quam in duodecim partes, velut vncias duodenarias partiuntur. Tertiò ſumitur denarius pro certa quantitate valoris impoſititij, ſiue vt aiunt curſus pecuniæ. Quartò pro corpore cuiuſlibet numiſmatis in genere; *Petiam*, inquit Molinæ. *num.* 792. vocant, id eſt, monetæ quodlibet genus; quia pars maioris, aut cumuli alicuius, & totius partis eſſe poteſt. Hinc illæ monetales leges: *Si l'ouurier perd aucun denier, il le payera:* ſi quem nummum cudendo amiſerit faber, de ſuo rependet. *Ne ſera receu des ouuriers aucun denier d'or ou blanc qui ne ſoit de poids:* nec aureus, nec argenteus nummus vllus, niſi iuſti ponderis è conflatura admittetur. *Serõt enuoyés à la Cour des monoyes deniers de chacque eſpece, & ouuriers dedans les boettes cachettées, pour eſtre mis a l'eſſay:* recentis a malleo monetæ nũmi cuiuſque generis, ac operæ, pyxidibus obſignatis probandi mittentur ad duodecim viros monetales. Denique accipitur pro certo, & ſingulari minuto nummo æreæ ſiue *moneta nigra*, qui in obolum & ſemiobolum diuiditur. Quando igitur Frãci noſtrates dicunt percuti materiam *a dix deniers de Cour, vn denier de poids, à cinq deniers d'aloy, & à ſix ſols huit deniers de taille*, ſenſus eſt ſingula numiſmata valere decem denarios monetæ currentis, & vſitati, ac communis commercij, ſingulaque pẽdere vnum denarium, ſiue viceſimam quartam vnciæ, & habere quinq; denarios puritatis, ſiue quincuncem puræ materiæ, & argenti Regij, hoc eſt depurati, reſiduũ verò materiæ eſſe ex ære, ac proinde ex libra numularia, ſiue marcha ad prædictam rationem conficiuntur octoginta numi. Hæc vocis amphibologia non reperitur in aurea moneta, quia auri bonitas, & puritatis gradus nõ explicantur per denarios, vt in argento contingit, ſed per *caratia*, vel per *caracta*, ſuntque viginti quatuor eius gradus, atque ita habitudo bonitatis auri ad argentum eſt dupla, cùm in argento duodecim tantùm gradus numerentur, & in auro 24. quia cùm aurum multò maioris pretij exiſtat, multò minutiùs diuiditur, & diſſecatur, atque parciùs tractatur, eiuſque vel fruſtulum æſtimatur. Deinde meliùs excoquitur, & ab omni extranea materia depuratur. Sũma verò eius puritas eſt in 24. caractis, quam vocẽ aliqui volunt imitari Græcorũ *κεράτιον*, quæ leuis eſt controuerſia, eam ſiquidem vocem in re monetali retinere oportet, ne ab ipſis monetariis rideamur, & dũ barbari eſſe volumus, barbari habeamur, atque imperiti, qui nequidem voces rei de qua loquimur exprimendæ proprias capiamus. Atque hactenus de materiæ nummo cudendo idoneæ conditionibus, puritate metalli ſcilicet, & pondere, quam vtramque præſcribit Princeps; ita tamen, vt quia vix attingi facilè poteſt ille gradus, quin aliquid deſit, & quia locari oportet ſumptus, qui in tota illa percuſſione, iique ingentes faciendi ſunt, aliquid de puritate & põdere diminui patiatur Princeps, cuius loco quidpiã deterioris metalli immiſcetur, illud-que *Remedium* nominatur, quia ſic medetur debiliori ponderi probæ & puræ materiæ, quod vocant *foiblage*: tu dic puri, ac puti æris monetarij licitam penuriam, & deterioris metalli legitimam veniam; quæ eadẽ facultas ſit in leuiore paulò pondere, intra fines tamen permiſſos. Deterioris æris, & leuioris ponderis nummos accudere debent fabri monetarij, alioquin impuriore ære, aut leuiores, quam pro legis formula, ſumptibus cuſoris iteratò conflabuntur, aut pecuniã luent. Hæc porrò impurioris æris, & põderis leuioris licẽtia, nõ ſẽper eadẽ, neq; ad omnia opera ex auro, argentòve faciẽda æqualiter cõceditur à Principe, & alia fabris aurariis, argẽtariis, alia monetariis permittitur; eſtque diuerſa obryſæ ratio in quolibet opere præſcripta: auri puri quidẽ in opere ferruminationis experte, obryſæ ratio eſt vicenaria ternaria dodrantaria: in opere autẽ ferruminato, nomine ferruminationis condonatur aurifici obryſæ vicenariæ ternariæ dodrantalis vnus quadrans: quare ipſi cudere licebit ad obryſam vicenariam ternariam ſemiſſariã. Deinde diſtinguendum eſt inter opus ſolidum, & æquale ab anaglypho, & toreumatis diſtincto: nam obryſa vicenaria binaria eſſe debet in opere aureo ſolido ferruminationis experte, nihilque aurifices infundere debent alieni metalli, coaguli nomine; ferruminationis autẽ nomine remittitur aurifici quadrans obryſæ vicenariæ binariæ. In opere quoque argẽti obryſa duodenaria præſcribitur, aut minuitur, & pars aliqua condonatur, prout opus ferruminatione eget, aut eius expers eſt, & operis quoque natura requirit, atque temperatio; neque vna eademque ratio præſcribitur in monetis, ſed prout illas puriores, aut deteriores eſſe vult Princeps: quare quoties fit aliqua mutatio monetæ, de qua dicemus *art. ſequenti*, præſcripta quoque obryſæ ratio mutatur, pluſque alieni metalli, & deterioris æris affunditur, ſicque aliquando ærosa moneta, de qua aliàs dictum à nobis fuit, quæ plurimùm æris argẽto immixti habebat, qualẽ percuſſiſſe Caligulam queritur Sueton.

Claudo hoc caput de materia proba legitimæ monetæ, vbi moneo cum Lebreto *lib.* 2. *de ſuprema Regis poteſtate, cap.* 10. deteriorem aliquando cudi monetam tum ære, tum pondere, ſiue minus puri æris nummarij, leuioriſque ponderis indulgentiam duabus ex cauſis iure fieri à principe. Prima eſt ratione ſupremi dominij, *Droict de Segneuriage*, ob quam illi ex moneta, ſicut ex aliis rebus tributum aliquod debetur, quod tamen ius ſæpiùs liberè cõdonant Principes ſubditis, ne deterior, quàm par eſſet cudatur moneta. Secũda pro mercede & pretio operarũ monetaliũ, *Droict de braſſage*; id eſt manupretium. Et ſanè monetarium opus tota lacertorum vi & contentione ſæpius editur; & non teneri Principes ſuis expenſis monetam cudere, ideóque poſſe definiri pretium & æſtimationem nummorum ſupra valorem ipſius materiæ, ſiue metalli, latiſſimè probat Couarru. de collation. numiſmatum *c.* 7. *n.* 5. & conſuetudinẽ idem pridem obtinuiſſe; neque cap. *quantò, de iureiurando*, prudenter nobis obiici. Edixerat tamen Henric. II. ne iſti ſumptus præſtarentur ex monetario lucro, ne inde impurior, leuiorque fieret moneta, ſed ex publico caperentur, impoſito eam in cauſam neceſſario tributo; quæ fuerat quoque ſententia Gloſſæ *in l.* 1. *D. de contrah. emption.* Verum Carol. IX. id tributum deinceps abrogauit.

Hæc porrò duo iura æquiualent quatuor libellis Franciçis, quindecim ſolidis in ſingulas auri marchas, in argenteas autẽ marchas imputantur quatuordecim ſolidi, quatuor denarij; qua de cauſa nuper

per diximus auri obryſa eſt tantũ vicenaria ternaria, ſiue ſub titulo, inquiunt, vigeſimi tertij caract: argenti verò obryſa vndecim denariorum cum ſemiſſe, itaque vigeſimus ille quartus caractus aureus, & dimidiatus denarius argenti Regi accreſcũt.

8 De modo percutiendi monetam, quod erat tertium caput hoc loco explicandum, nihil à nobis dicendum eſt, ſed ad monetalem officinam ablegandus eſt lector: Moueo duntaxat ſicut olim Romæ in æde Iunonis cudebatur moneta, ita Carol. Magn. *lib.3.c.13.* prohibuerat alibi quàm in Palatio conflari, *ne quod falſa contra iuſtitiam multis in locis fieret*; quam legem Caroli pluribus illuſtrat Lebretus *actione forenſi 46.* Deinceps conſtitutæ ſunt authoritate Regia certis in locis monetales officinæ, fueréque aliquando viginti quatuor, quæ ſingulis Alphabeti elementis diſtinguebantur, & ex elemento nummiſmati impreſſo cognoſcebatur in quanam officina cuſum fuiſſet. Ex his officinis aliæ ſunt operis aſſidui, & continentis, aliæ ſilent & vacant ab omni opere, tu aliquam operoſam fabricã adi, & omnes illius officinas luſtra, & quàm impenſus ac multiplex ſit monetalis labor miraberis, nobis enim per ſingula deſcribere non vacat.

9 Reſtabat vltimum caput de monetariis, quos in operas, & miniſtros, atque rei monetariæ præfectos, eorumque indices partiri licet. Operæ plures omninò ſunt, & variæ pro multiplici opere & vario conficiendo. Alij enim metallum, aurũ, argentumve in vrceolo, & catiulo liquant, alij liquatũ aurum, argentumve ex vrceolo, *creuſet*, fuſum in proplaſma, *moule plat de fer tracé de reaux de canelures*, in monetales clabulas, & taleola, *lingots d'or, barreaux de fer*, ducunt, effinguntve; alij deinde calentes clabulas malleo ad incudem ſubigunt, macerant, domant, molliunt, & ad futurum opus cõparant, *batent la chaude*; alij ita ſubactas, & ductas clabulas in nummarias plagulas diſſecãt, & in monetarios paſtillos diſpertiuntur, tum monetarias iſtas plagulas, ſcutulas, paſtillos, teſſelas, *quarreaus, flans, menues plaques*, primaria percuſſione informant, & iniecto marculo complanant. Eſt autem incus ea monetaria, *Rombœides*; tum monetales iſtas ſcutulas, & infectos nummos recentes ab primore marculo, igne rẽperare oportet, & ſartagine excoquere ad ſequentes ictus mallei: quæ iterata coctio ſcutularum monetalium exercetur ferè ab monetariæ fabricæ tyronibus, ſitque vnius operæ coctura: purioris tamen & impurioris metalli monetales plagulæ ſeorſum ad temperamentum recoquuntur: quoniam nobilioris materiæ ſcutulæ, vti quadrantes ſolaris nummi, *les quarts deſcus*, sũt cocturæ tolerantioris: deterioris metalli contra, vt dimidiatæ libræ, *les demi francs*; ignis minùs tolerantes ſunt, hæ itaque duntaxat poſſunt coctione rubeſcere, illi vero etiam excandeſcere. Sic Recocti rudes nummi, & monetariæ ſcutulæ ad prototypon numiſma, *demeral*, exigi debent. Et quidem cùm nummus grauior exæquatur ad prototypon, quia ex illo multũ deciditur, monetarij fabri vernaculo verbo id vocant *approcher*: ex leuiore autẽ, quia parum deſecatur, id appellant *rebaiſer*. Deradunt porrò ex oræ rimoſis angulis incuſſo marculo excitatis, quoad numiſma pondere quadret cũ ſuo archethypo, quas deinde denticulatas & ſcabras oras atque ſerratos margines complanare & exæquare oportet, tum reſciſis oræ angulis, tũ obliſis, & compreſſis marginũ echinis marculo; ſic enim valida contuſione explanantur, & in orbem coguntur, id appellant *rechauffer flans, deniers, quarreaus*. Malleus ille decircinandis numiſmatis dicitur *rechauffeir*. Incus ſupra quã inflicto rudite, rudi numiſmati iuſtus modus latitudinis, & craſſitudinis imprimitur, eſt circinata planitie, & orbiculatæ areolæ, & nominatur *tas*; nummũ autem rudiorem legitima latitudine & craſſitudine afficere monetali voce eſt *flatir*. Bubuli cornu ſpecie tudes, quo eã in rem vtuntur eſt *flateir*; numiſma verò rude, ſed latitudinis & craſſitudinis iuſtæ modò affectũ, *flan*; neque dum facta eſt opera, oportet enim iterum, ac tertiò rotundatos nummos marginum lateribus explanare, *elaiſer*, quod fit coruuto marculo ad orbiculatam incudem, ac complanatis, quibus decircinata fuerant, lateratis marginibus. Opus ſubinde illis fluidam æquabilitatem inducere, & lubricum atque ductilem nummum facere *bouer flans, deniers, quarreaus*: quod fit cornuto marculo ampliore, & decumano, qui nominatur *bouart*. Demùm ita comparatos ad ſignaturam nummos, monetales medicatis aquis incoquũt, & deſquamant, & ſuo natiuo colori reddunt, *blanchiſſent*. Ad extremũ nummos ita comparatos typo principis imprimunt, & inſculpunt, quod proprio vocabulo dicunt *monoye, marquer les flans blanchis du coing du Prince*, & qui id operis præſtat *monoyeur*, ſignator, monetarius, monetalis ſigni ectypotes dicitur. Signatos denique nummos explorant & periclitantur ſtibiario diluto, vel baſanite, lapide, & lydia cote: neque nummos duntaxat, ſed ipſam materiã monetalem, atque nummarias plagulas ſiue ſcutulas inſpiciunt, & experiuntur. Ex quibus vides operoſam eſſe nummulariam artem, in qua tanta operũ multitudo, & operarum reperiatur turba; quare non mirum Romanos in porticu ædium monetalium apum in alueis laborantium examen expreſſiſſe, teſte Plutarcho; vnde Cornelius *in ſatyr.*

Ut veſpæ quam in domus arce moneta,

Quæ tamen omnes ſuperiores impenſæ vernaculo verbo *ouurer*, & eas operas conferentes fabri, Gallica voce *ouuriers* comprehenduntur, ſed *letura* & *ſignatura* monetalis, *loteres* iterum, & *ſignatores* monetarij ea nomenclatione immunes, ac liberis ſuis propriis duntaxat appellationibus nuncupantur.

Quoad miniſtros qui præſunt fabricæ rei monetariæ, illi quoque diuerſi ſunt: ſic enim appello eos, qui curam præcipuam gerunt, in quibus ſolet numerari fabricæ monetariæ redemptor, cuius peculiaria & propria munera ſunt aureas & argenteas clabulas ex proplaſmate ducere, eaſdem feruentes adhuc malleo domare, monetales ſcutulas proximè ſignandas calida deſquamare.

Triumuiri monetales Romæ quondam inſtituti 10
ſunt, & à noſtris deinceps Regibus duodecim viri monetales, ſiue vt loquuntur Generales monetarũ, de quibus Lebretus *actione forenſi 46.* vbi de eorũ priuilegiis, honorariis, & immunitatibus ab oneribus publicis ex conſtitutione Philippi Pulchri, Franc.I. & aliorum. Denique certa eſt Curia monetalis in qua omnes controuerſiæ monetales ſupremo iure diſceptantur, vt videas quantam curam rei nummariæ perpetuò noſtri Principes habuerint, cuius argumentũ in Carol. Mag. *lib.2.c.18.* vidimus.

ARTICVLVS XIII.

De mutatione monetæ.

Cuius ſit mutare monetam.1.
An inconſultis ſubditis id liceat Principi. 2.
Incommoda mutatæ monetæ.3.
Quid tandem ſtatuendum ſit.4.5.6.

Sæpius

SÆpiùs mutatas fuiſſe monetas, vel abrogatis veteribus, & nouæ conflaturæ addictis, vel retentis, variato ipſarum valore ſiue impoſititio, ſiue natiuo, & bonitate intrinſeca metalli, vel vtroque modo, conſtat; quod de Romanis adducta à nobis toto hoc capite antiqua monumenta, & plures Imperatorum in vtroque Codice Theodoſiano & Iuſtinianeo teſtantur Conſtitutiones; & apud noſtrates Regum noſtrorum edicta monetalia quampluríma cõfirmant. De Hiſpanis oſtendit Mariana *tractat. de mutation. mon. cap. 6. &* 12. Quærendum itaque reſtat cuius authoritate, & quo iure hæc monetarum variatio legitimè fieri poſſit.

1 Et primum quidem caput non magnam patitur difficultatem; ille enim ſolus poteſt mutare monetam, qui pro ſua authoritate illam percutere poteſt. Sanè cùm nummus à νόμῳ dicatur, vti ſæpius ex Ariſtot. monuimus, eius erit nummum inducere in vſum communẽ, & commercia, aut reiicere, cuius eſt legem ferre, & de commerciis vulgatis, totaque Republica pro ſumma poteſtate ſtatuere.

Quæſtio tamen non leuis eſt, an Princeps monetam poſſit mutare inconſultis ſubditis, negant enim id paſſim DD. *in cap. quanto, de iureiurando*, vbi Innoc. Abbas, Hoſtienſis, aliique ſcribentes, S. Thom. vel potiùs Ægyd. Roman. *lib. 2. de regimine Princ. cap.* 13. Mariana *tractat. de mut. mon. cap.* 3. Sylu. *verb. falſarius q.* 7. Petr. Nau. *lib. 3. de reſtitut. c. 1. n.* 337. *&* 338. Couarr. *in collat. veter. numiſm. cap. 7. n. 6.* Albertus Brun. *tract. de monetis in princ. n.* 4. Oreſmus *tract. de mutat. moneta, cap.* 21. Martin. Garrat. Laudenſ. *tract. de monetis n.* 8. Maior. in 4. *diſt.* 15. *q.* 28. *corollar.* 6. Gabriel. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 9. *art.* 3. *dub.* 2. Layman. *lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. n.* 7. Et ſanè ita plurium Regionum leges ferunt. Arragonij à Rege cùm primum inauguratur, iuſiurandum exigunt monetæ numquam mutandæ, quod teſtatur Petrus Belluga *in ſpeculo Principum, Rubrica 36. num.* 5. productis duobus priuilegiis ab iis Regibus Valentinæ genti datis an. 1265. & 1336. Immutatam quoque hac in parte eſſe Regum Siciliæ maieſtatem docet Afflictus ex Conſtitution. Neapolitan. XVI. quod etiam inter capita libertatum Delphinat. recenſetur, quorum verba ex Franciſco Marco *deciſion.* 614. *part.* 2. retulit Chopin. *lib. 2. de doman. titul. 7. num.* 19. *Quod Delphinus debet cudendam curare bonam, receptibilem, & perpetuam monetam, nec poteſt reprobare vſum moneta patria, vel extranea, vel diminuere taxam, aut valorem ſine conſenſu ſaltem maioris partis populi, & dare duntaxat curſum ſua moneta.* Non mutandam quoque deinceps monetam ſpoponderat Ludouicus Hutinus, Niuernenſis Comitis libello ſupplici reſpondens, quod refert ibidem Chopin. Addit Lebretus *lib. 2. de ſuprema & Regia poteſtate cap.* 10. obſeruatum perpetuò in Gallia eſſe, ne quidpiam circa cuſionem monetarum mutaretur abſque omnium ordinum conſilio, idque docere tum antiquas Regum conſtitutiones, tum nouiſſimas Franc. I. Henrici II. & III. His accedit valida ratio, cùm ea mutatio monetæ cedat in graue diſpendium ſubditorum, damnum illis ſua volũtate creare non debet Princeps, neque eorũ bona, aut ipſorum partem ſibi ab inuitis ſumere. Agimus enim de mutatione, quæ damnum aliquod afferat ſubditis; nam ſi vel vtilis eſt, vt dum reiicitur moneta deterior, aut externa, quæ cum non exiguo damno in Regnum inducta fuerat, vel ſaltem non nocet ſubditis eiuſmodi mutatio, non eſt quod ſupremam Principum poteſtatem imminuamus, & illam ſubditis in ferendis legibus monetalibus ſubiiciamus, neque de ea mutatione aut reprobatione monetæ diſputant DD. ſed de ea in qua valor intrinſecus aut extrinſecus monetæ, aut vterque variatur, de quo valore diximus *art. 5. hoc ipſo capite.*

In hac difficultate mihi idem ſtatuendum videtur, quod in ſimili quæſtione de iure imponendi tributa diximus *cap. 2. art. 2.* nam tributorum impoſitionem cum mutatione monetæ Mariana, cæterique perpetuò comparant, & ex vna ad alteram ſæpiùs argumentantur. Et ſanè cur non licebit Principi, quam ſummam ſibi à ſubditis colligere iuſtè poſſet impoſito nouo tributo, eandem mutatione monetæ ſumere, cùm reuerà lucrum illud quod facit Princeps mutando monetas, ex bonis ſubditorum capiatur, qui tantum diſpendium patiuntur, quantum eſt ærarij Principis ea in re compendium: quare ſi vigente aliquo caſu iuſtum foret nouum tributum, aut veteris augmentum, iuſta quoque erit mutatio monetæ, niſi ex ea mutatione maius diſpendium ſubditorum, aut maius Principis commodum, quàm ratio poſtularet, quàmque tributum afferret, ſequatur, tunc enim ea in parte erit quidem iniuſta monetæ mutatio, ſicut & tributi noui impoſitio in ſimili cauſa eſſet iniuſta, & ad æqualitatem erit reducenda. Vbi igitur libera poteſtas eſt indicẽdi tributa inconſultis ſubditis quãdi veræ & legitimæ cauſę eius indictionis reperiũtur, illa poſſunt imponere liberè iſti & omni ſũmo, atque optimo iure Principes; atque ſi ita exigat Reipublicæ neceſſitas, aut ingens vtilitas, commerciorumque, ad quam inſtitutæ ſunt monetæ, ratio; mutationem in hunc finem neceſſariam in moneta facere poterunt, inconſultis ſubditis, quorum bono communi tunc laborant, neque ad illud procurandum eorum conſilio egent, cùm etiam inuitis conſulere ipſi debeant, & eorum commodis ac Reipublicæ ſaluti per ſeſe proſpicere teneantur: quare neque iniuſtitiam ea in re committunt, ſicut neque in iuſta impoſitione noui tributi, cùm totum quod inde capit commodum Princeps, & diſpendium quod ferendum eſt ſubditis, in bonum totius communitatis tendat, quod ſuo etiam damno ac diſcrimine ſinguli in iis caſibus promouere debent. Non facit etiam iniuriam Princeps Reipublicæ, quod abſque eius conſenſu leges eiuſmodi monetales ſanciat, cùm vtatur ſuo iure, ac poteſtate legitima, & ſuo, vti loquuntur, infixa ſceptro, neque pactũ vllum, vt ſupponimus, cum ipſa factum violet, aut limites ſuæ authoritati, dum illam à Republica accepit, poſitos, transgrediatur. Ex quibus vides rationem ab aduerſarius allatam facilè dilui. Non poteſt quidem Princeps ſubditorum bona ſibi pro arbitrio vindicare, ex iiſque diteſcere illis inuitis; poteſt nihilominus illos obligare, vt publicis neceſſitatibus ſuis è facultatibus ſuccurrant, eamque ob rem onera, quæ ferenda neceſſariò erunt, imponere, eiuſque prudentiæ fuerit media, quibus publicæ calamitati occurrat, & commerciorum frequentiam atque celebrationem tueatur, inquirere. Quare ſi nullum ſit aptius medium, quàm vel noui indictio tributi, vel aliqua monetæ mutatio, ea remedia poterit adhibere, atque ex iis illud, quod omnibus cauſæ momentis diligenter expenſis, optimum videbitur, eligere ipſum oportebit. Neque aliud volunt aduerſarij, quàm non poſſe Principem pro ſua libidine, iſta monetæ mutatione diteſcere, cum ingenti totius Reipublicæ, atque ſingulorum damno, quibus inuitis bonorum partem detrahere, ſibique vſurpare nequit, cùm ipſorum neque poſſeſſor, neque dominus exiſtat; aut agunt de Principibus, 2

pibus, qui imminutam, certiſque conditionibus illigatam poteſtatem à populis, in ipſa Regni origine acceperunt, quibus eos teneri fatemur vltrò, dicimuſque non poſſe Principes, quas fundamentales, & quodammodo ſuo Principatui eſſentiales vocant, leges violare, vel à conditionibus ſibi in inſtitutione principatus dictis, & deinde ipſo vſu retentis, atque ſeruatis diſcedere, niſi Reſpublica nouo quodammodo conſenſu ipſas reſcindat, aut aliquo in caſu particulari detrahat, aut ipſo vſu, & longa conſuetudine detrahi paſſa iam ſit, atque proinde ſuo tacito conſenſu abrogauerit.

Quare tandem ea tota controuerſia recidit, vtrum in iis angoſtiis aliquando Reſpublica reperiri poſſit, vt ex illis exire, vel vrgentes calamitates aliter nequeat amoliri, quam monetæ mutatione, quam proinde ciues etiam cum nonnullo ſuarum fortunarum damno, pati teneantur, & Princeps illis, quamuis inuitis, pro ſuo iure poſſit edicere; id enim plerique negant, neque alia ratione ducuntur Doctores nuper à nobis laudati, quàm quia incommoda, quæ neceſſariò ſecum adducit illa mutatio, maiora multò ſunt commodis, quæ ab ipſa ſpetantur, neque deſunt aliæ rationes, eæque faciliores publicis malis occurrendi. Quod & inductione & experientia certò conſtare videtur. Et quoad incommoda quidem huiuſce mutationis ſiue deterior cudatur moneta, retento veteri valore, & æſtimatione, ſiue immutata materiæ probitate, atque pondere, valor impoſititius & legalis plurimùm augeatur, manifeſta ſunt, fuſiùſque enumerat Mariana *citato opuſculo per plura capita*: Nam in primis naturalis æquitas violatur. Cum enim totum illud lucrum, quod ex eiuſmodi mutatione ſperatur, cedat Principi, & damnum ciuibus, eodem modo ſe gerit Princeps, atque ſi in horrea ſingula irrumperet, dimidium frumenti ſibi ſumeret, nocumentum verò illud compenſaret facultate facta dominis vendendi quod relinquitur quanti cumulum integrum antea vendidiſſent. Quis amabò tam præpoſtero iudicio fuerit, qui hoc factum excuſet? Atqui in mutatione pecuniæ id ipſum fit, dimidium enim, aut aliam exiguam partem ſibi arrogat Princeps, aucto tantùm monetæ valore, vt quod valebat ſeptem libellas Franciſcas, valeat decem aut duodecim, aut ſi ærosam percuti iubeat, mediam argenti aut auri partem cum ære immixto mutatam ſibi retinet, ærosamque illam pecuniam eiuſdem valoris cum antiqua dimidia parte meliori, puriorive eſſe iubet. Qua amabò æquitate, an fas eſſet regi veſtis laneæ, aut bombycinæ pretium triplo maius quam pro præſenti copia lege ſua facere, ita vt dominus penes ſe tantùm tertiam partem retineret, Regi reliquum cederet. Atqui id in deprauata illa moneta contingit: poſſidenti enim minus aliquando quàm tertia pars relinquitur debiti æris, ſiue metalli, totum reliquum fiſcus in ſuum commodum vertit. Quod igitur fieri in cæteris mercibus æquitas naturalis non patitur, cur in moneta factum probabit? Quod ſi Princeps multis nominibus factis quo tempore proba moneta erat, ea noua & deteriori moneta exoluere velit, atque eo fortaſſis fine deteriorem percuſſit, quis manifeſtam iniquitatem non arguat.

3 Alterum, illudque graue mutatæ monetæ incommodum, eſt mercium, & rerum omnium caritas, tantùm enim earum pretia creſcent, quantùm de monetæ bonitate detractum fuerit, aut valor monetæ creſcet, perinde enim eſt, quod illuſtribus, & continuis exemplis ad omnem monetæ variationem in Hiſpania contigiſſe docet Mariana *capit.* 10. & profectò quæ ſingula mercium caritatem afferunt, in nouam deteriorem monetam conſpirant; cùm enim ea moneta vilis admodum ſit, propter copiam immenſam, & quia illa ſe quiſque quamprimùm abdicare velit, parum prodeſſent etunt mercatores, qui ſuas merces cum ea permutare volent, niſi auctis admodum pretiis.

Atque inde naſcetur tertium incommodum, commercij nimirum difficultas cum ingenti Reipublicæ damno, cum vno fere commercio publicæ & priuatæ ſtent opes; neque occurretur huic malo, definiendo rerum omnium & annonæ pretium, quo ſingula quæque vendantur: nam & mercatores recuſabunt eo pretio vendere, & externi ſuas merces importare, vt prauam pecuniam inde exportent, quod *capit.* 11. luculenter docet Mariana, vitiata argentea atque aurea pecunia. Quinimò maximè mouentur mercatores probitate monetæ cum qua ſuas merces commutant, vt illas vel ex remotioribus regionibus exportent, vel in illas per tot diſcrimina importent. Vicini præterea populi ſuis è finibus deteriores illas monetas ablegant; quare ſi quid nobis cum illis futurum ſit commercij, probiores omnes monetas ad eos efficere cogemur, & vitiatæ apud nos perpetuò manebunt, quas etiam ad nos ipſi externi deferrent vt noſtras merces noſtra praua pecunia ſibi compararent, totumque damnum noſtrum ſit. Denique ditiores probas monetas recondunt, & adulterinæ duntaxat in vſu communi remanent. Ceſſare itaque paſſim commercia neceſſe eſt, atque ita gentem vniuerſam ſenſim ad inopiam redigi, concitatis interdum ſeditionibus, & tumultibus, quibus ſedandis cogetur Princeps nouam ſuam pecuniam abrogare, aut de eius valore plurimùm detrahere, atque ita derepente ſubitanea quadam metamorphoſi, qui ad 300. aut 400. aureos in ea pecunia noua poſſidebat, ad centum aut quinquaginta redigetur, ingenti familiæ ſuæ ruina, quod aliquando ingemuimus, atque in Luſitania Ferdinando Rege contigiſſe narrat Euetardus Nunnius, cùm & caritas ingens conſequuta eſſet, & inuecta ab externis immenſa illius pecuniæ copia, quam noua cenſura facta minores pendere coacti ſunt indeque innumeri mortales ad extremã inopiã redacti fuerint. Simile narrat Sand. *li.* 1. *de ſchiſmate Anglic.* nuper factum in Anglia; cùm enim Henricus VIII. ita monetam argenteam corrupiſſet, vt cùm olim ipſi vndecima tantum pars æris miſceretur, deinde ſextam tantum argenti partem retineret; & alias æris quinque haberet, & deinde antiquatam pecuniam ad ærarium deferri iuſſiſſet, & pari numero cum noua pecunia mutari, atque ita immenſum lucrum feciſſet, coactos fuit qui ei ſucceſſit Eduardus filius ſubditorum importunis, iuſtiſque querelis nouæ pecuniæ valorem minuere ad ſemiſſem, Eduardoque ſuffecta Soror Izabella alterum ſemiſſem detraxit, ſic repente, qui quadringentos aureos in ea pecunia poſſide-

bant, ad centum non amplius redacti ſunt, demum cum eo remedio malum non remitteret, ſancitum eſt vt vniuerſa ea moneta nouæ conflaturæ addiceretur, & ad officinas monetarias ea de cauſa deferretur, ſpe compenſationis, quæ facta numquam eſt, infami fraude & lattocinio, & ingenti omnium ciuium infortunio.

Atque ex hoc incommodo quartũ aliud neceſſariò profluit, illudque ineuitabile, nimirũ Principis inopia, cuius tamẽ ærario conſulere ſe dicunt qui eiuſmodi mutationes ſuadẽt. Nã Principi benè eſſe nõ poteſt, Prouincia ægrotante, cùm vtræque rationes aptæ inter ſe ſint & cõplicatæ. Vbi itaq; ciues inopia laborabunt, cõmercia turbabuntur, aut nulla erunt, quomodo vectigalia ſolita pendere poterũt? An non minoris multò conducentur à publicanis? Adde odium commune quo Princeps profectò flagrabit. Proſpera omnes ſibi vindicant, aduerſa vni imputantur capiti, quare ſeditiones & rebelliones in Principẽ propter mutationẽ monetæ ſæpius excitatas legimus. Notiſſima eſt illa, quæ aduerſus Philippũ Pulchrũ commota fuit, vt nihil attineat illam, aliaſque frequentes in omnibus ferè Principatibus exortas diſtinctiùs commemorare. Ad extremũ cenſus & redditus annui, qui ex hac praua pecunia ſoluentur, plurimũ decreſcent: in contractibus mutui, emptionis, & venditionis, aliiſque mira perturbatio continget, innumeræque lites oriẽtur, totiuſque publicæ rei confuſio. Quænã igitur fingi poterit neceſſitas ad exhibendum importunũ, auſterumque adeò remediũ ſanandæ publicæ rei, & inuitos ciues ad illud iure obligandi? Neque profectò deerunt aliæ rationes ſubleuandi publicas neceſſitates (quod erat ſecundum argumenti initio propoſiti caput) faciliores aptioreſque, quibus & vſi ſunt hactenus Principes æqui amãtes, hodieq; vtũtur. Nemo eſt qui non velit ſua etiã iactura ſaluam Rempublicam; verùm quando ſalus illa poterit aliter obtineri, nemo volens iacturam patietur vt miniſtrorum fiſcalium rapacitati ſeruiat, & immenſis diuitiis, quibus non ad ſeruandam Rempublicam, ſed ad luxum, & pompam ferè vtuntur locupletes facti, illos ipſos quos ſpoliarunt diuexent.

4 In hac implicatiſſima difficultate hæc mihi ſtatuenda videntur. In primis nõ poſſe Principem pro arbitrio, & vt diuitias ſibi comparet monetam cum ſubditorum iactura ipſis inuitis mutare; reprobare v.g. legitimam monetam, & nouæ conflaturæ addicere, ex eaque nouam viliorem deterioremque cudere lucri ſui causâ, aut ingentem aureorum copiam venditione, aliiſve artibus corradere, vt auri poſtea infrequentioris rarioriſque pretium creſcat, ipſeque totum illum exceſſum lucretur, ſiue nomina ſua diſſoluendo, ſiue monetam illius aucti valoris percutiendo. Ita Maior Gab. aliique nuper à nobis laudati qui ſaltem id quod aſſerimus volunt, idque eorum demonſtrat ratio, nempe Principem non eſſe dominum bonorum ſubditorum, quæ proinde ſine iuſta cauſa pro arbitrio diripere nequit, & eos inuitos facultatibus ſuis ſpoliare.

5 Aio ſecundò ingruente magna aliqua neceſſitate, poſſe inſignem monetæ mutationem fieri, ea tamẽ lege & cõditione vt præterita neceſſitate Princeps compenſet damnum ex illa conſequutũ, & vitium nõ vltra tẽpus anguſtiæ prorogetur, rebuſque tranquillis integra fide, iis qui quidpiã inde paſſi ſunt ſatisfiat, quo arte Fauentiam cepit Frederic. II. Imperator. Cùm enim diutiùs produceretur obſidio, deficeretque pecunia in ſtipendium, iuſſit percuti nummos coriaceos ſua notatos effigie, & ex auerſa parte aquilæ Imperialis icone, & ſingulos vnũ aureum valere voluit, atque in deditionẽ accepta vrbe, belloque peracto, integra fide pro coriaceis monetis totidem nummos aureos repoſuit: ſic refert Collenucius *lib 4. hiſtor. Neapolitan.* Simili ratione nuper Thorarius, poſtmodum Galliæ Polemarchus, ſiue Mareſcallus, dum Caſalium quondam Orobiorum Crabantiam, aduerſùs ingentem Hiſpanorũ exercitum, eorũque celeberrimũ Ducẽ, & bellicis factis inſignem Ambroſium Spinolam acerrimè propugnaret, cũq; pecunia deficeret, quã Galli ad militũ ſtipendia, & belli ſumptus, in vrbem vndique cinctam mittere non poterant, cupream monetam percuti iuſſit, fide Regia data ſe ſoluta obſidione, & vrbe liberata argenteam pro cuprea repoſiturũ, quod fuit ſanctiſſimè præſtitum. Atque hæc omnia concedunt aduerſarij, & ingruente aut durante belli gerendi neceſſitate fieri poſſe non negant, cum ea, quam diximus conditione reſarciendi iacturam. Additque Layman. *cap. 5. cit. n. 9.* cùm difficile diutius bellum duraturũ eſt, & hoſtes mutatione monetæ, atque aucto valore extrinſeco, vel impurata materia pecunias ſibi quæſierunt, indeque bellũ diutius trahunt, & difficiliùs ad officium rediguntur, poſſe Principem eadem arte ſibi & reipublicæ cõſulere. Qua de cauſa cùm Caluiniſtæ ex non magna argenti maſſa, admixtu permulto cupro vim immenſam pecuniarũ conflaſſent, viri ſapiẽtes perſuaſerũt Principibus Catholicis, vt defenſionis cauſa nonnullã & ipſi monetæ mutationẽ fieri curarent, quod conſilium tuetur *ibid.* Laym. quãquàm moneat conſiderandũ eſſe quænã mutatio monetæ commodior futura ſit, & minus detrimenti allatura, ipſeque optimã illam fore iudicat, in qua ſeruata prorſus eadem metalli materiã quoad puritatem ſcilicet, & pondus, omnis dumtaxat probæ monetæ valor extrinſecus & impoſititius augeatur, adulterinis & vitiatis nummis grauiſſima pœna interdictis, neque miniſtri quæpiam eiuſmodi vitia oſcitanter aut fraudulenter diſſimulent. Ratio eſt quia ea ſeueritate fraudes quidem impedientur, & retenta bonitate materiæ pleraque incommoda nuper allata vitabuntur, veteres & probi nũmi finito bello ſuam vtilitatem, commoditatem & pretium ſaltem antiquum retinebunt, adulterini hoſtium nummi reiicientur, reprobabunturve, ipſique vnde commodum ſperabant, non modicum capient damnum.

Aio tertiò extra ingruentem illam belli neceſſitatem, in qua ipſa, leges & conditiones traditas hactenus ſeruare oportebit, non poſſe aliam regulã certiorem tradi circa monetæ variationẽ, quam vt commerciorum tum ciuium inter ſe, tum cum exteris conſeruatio, promotio, & expeditio diligenter attendatur. Vbi enim eiuſmodi mutatio inducendis, conſeruandis, expediendis, promouendiſque commerciis vtilis, & commoda, poſt accuratum examen videbitur, quod rariùs omninò continget, fieri poterit, vel deteriorando materiam, eundem valorem retinere, vel tota materia immutata, valorem & æſtimationem augere licebit. Vbi verò mutatio monetæ commerciis erit incommoda, illaque deſtruet, aut impediet, difficilia reddet, aliaque deriuabit, magna noſtra iactura, quod accidet ferè perpetuò, nefas erit Principi mutationem monetæ curare, alioquin peccabit 6

cabit contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem faciendam ſubditis, quos iniquis artibus, & fraudibus expilauit omninò tenebitur. Hanc ipſam certā, cōſtantêque regulā tradidi, & confirmaui fuſius nuper *art.* 5. quem iterum lege, nihil enim doctrinæ illo loco traditæ addendum occurrit, cuius ratio à nobis ibidē allata manifeſtiſſima & accuratiſſima eſt, cùm enim, vti *art.* 2. diximus, ſæpiuſq; aliàs, nulla quapiam alia de cauſa fuerint excogitati nūmi, quam vt cōmercia quæ permutatione difficilè fiebant, cōmodius exercerentur, percutiendi illi erūt, admittendi, aut reiiciendi, mutandi, aut retinendi, vitandi, aut emendandi, prout eadem ratio commerciorum poſtulabit: alioquin ſi commerciis impedimentum, aut difficultas afferatur, probari non poterit à ſapientibus ea mutatio monetaria, cùm & communitati, & ciuibus nullo fructu noceat, ac tandem ipſi Principi obſit, & quorumdam miniſtrorum ſatiandæ, aut irritandæ potius cupiditati ſeruiat, innumeraque vti monuimus in Regnum mala inuebat.

Ex quibus etiā colliges quid ſentiendū ſit de externis monetis, quarū vſum Princeps prohibere, aut permittere poteſt: nā in illis eadē regula ſeruāda erit, videndumque an earum vſus iuuet, aut impediat commercia, damnū aut commodū allaturus ſit ciuibus, vt permittatur, aut prohibeatur, abrogeturve, quod poſtremum difficilius erit vbi fuerit iā vulgaris vſus; ne ea abrogatio plurimis ingēti dāno ſit. Vix autē fieri poteſt ſaluis cōmerciis, vt omnes externæ pecuniæ ſint interdicti vſus. Hæc omnia igitur erunt expendenda Principibus, qui ſe, & ſubditos ſaluos, ac diuites eſſe velint, & cum externis commercia ſeruare.

ARTICVLVS XIV.

Cuius lucro ac damno contingat mutatio monetarum, creditoris, an debitoris.

HAnc quidē quæſtionē iſto loco tractari oportuerat, illā tamen occupauimus *opere de vſuris & cōmerciis*, & permultis agitauimus *lib.* 5. *c.* 3. *ar.* 4. *conſ.* 7. neq; ampliſſimæ diſputationi quidpiā occurrit adiiciendū, illi tamē nō exiguā lucem affundent quæ toto iſto capite, maximè *art.* 5. diſſeruimus.

ARTICVLVS XV.

De falſis & adulterinis monetis.

Falſa & adulterina moneta. 1.
Falſarius qui ſine Principis venia monetam cudit. 2.
An ille teneatur ad reſtitutionem. 3. 4.
An Princeps poſſit ſub alterius Principis ſigno monetam percutere. 5.
Falſatio monetæ per impuritatem materiæ. 6.
Falſatio ex detracto pondere. 7. 8.
An peccent qui colligunt nūmos ponderoſiores, & leuiores tantùm, iuſti tamen ponderis expendunt. 9.
An ſi Principes permittant nummos adraſos, adroſores peccent. 10.
An peccet qui expendit nummum vitiatum. 11.
Pœna falſariorum. 12.

1 FAlſam monetā, adulterinam quoque Latini dixere *l.* 1. *C. Theod. de falſa mon. Adulterina numiſmata, adulterina moneta*, & *l.* 5. *Solidorum adulter.* Quæ eædē leges in *C. Iuſtinian. cod.* referuntur; quin & Cic. eadem voce fuit vſus *lib.* 3. *de offic. Si ſapiens*, inquit, *adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis.* Adulterare ſiquidem eſt, arte aliqua quidpiā pro vero ſimulare, aut rē ſincerā corrumpere: Græci dicunt παραχαράγματα παρακεχαραγμένα νομίσματα παρατέτυπα παρακεκομμένα καὶ ἀδόκιμα κίβδηλα, falſarius autem qui falſam monetam percutit παραχαράκτης, quo nomine vtitur quoque *l.* 8. *C. Theod. de falſa moneta*; & παραχαράκτας τοὺς παρακόπτοντας monetarios falſarios, falſi nūmi percuſſores, atque ſignatores. Scholiaſtes Ariſtophan. interpretatur à παραχαράττω, id eſt, τὸ παρακόπτω καὶ παρασημαίνω, vnde παράσημον ἀργύριον argentum falsò ſignatum. Idem denique διαφθείρω τὸ νόμισμα., quia παραχαράττω eſt adultero, aliquid falſifico, παραχαράττω τὰς γραφὰς ſcripturā adultero, apud Nzianaz. *orat.* 4. & apud Cyrill. παραχαράττειν τοὺς θεσμοὺς, tranſgredi aut violare limites, traditiones, & leges Patrum.

Hæc verò monetæ adulteratio fit pluribus modis, quod aduertit Sylu. *verb. falſarius q.* 7. Primò cùm abſque Principis authoritate cuditur, licèt illa ſcutario Principis typo feriatur, eſtque ſine dubio illud argentum malè & falsò ſignatum, & παράσημον ἀργύριον id appellat *l.* 2. *C. de falſa mon.* falſa fuſione numos formare; Gallicè a *faux coings*, quamuis enim monetarius ille typus ſit Principis, tamē ſine iuſſu, & authoritate Principis impreſſus eſt, neque in ea cōſtitutione queritur Imperator vitiatā eſſe monetam, aut corruptam, *ſed falſa fuſione formatam*, abſque ſua nempe authoritate; atque alibi, quàm in monetis ipſius, id eſt alio in loco, quod eadem lege prohibetur, Græci dicunt ἀρχέτυπον σφραγιστήριον. Nequidem petere licebat ab Imperatore facultatem cudendi æris, & nūmos ſibi formandi, ἐπὶ τῷ ἐκτυπῶσαι νόμισμα, & quamuis aliquis reſcriptum obtinuiſſet eam in rem, nihilominus & effectu petitionis fruſtrabatur, & pœna commenta plectebatur quaſi monetæ adulterator ὡς παραχαράκτης. Ita *l.* 3. *C de falſa mon.* Huius falſationis, vt ita dicā meminit Aug. *lib.* 2. *adu. Parmen. c.* 13. & refert *c. quod quidā* 97. *§. ſi enim* 1. *q.* 1. *Si enim aliqui furtim & extraordinariè non in monetis publicis, aurum, vel argentum, vel æs* (ſic enim legendum, non *ſed*) *percutiēdo ſignauerint, cùm fuerit deprehenſum, nonne illis punicis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale ſignum theſauris regalib. cogetur inferri.* Vt verò aliqui pœnam latam percutientibus monetam alibi, quàm in publicis & regiis officinis vitarent, aurum ipſi ſuum ad illas deferebant, vt inibi ſignaretur, quod prohibuere Valentini. Valerius, & Gratian. *l.* 7. *C. Theod. de falſa moneta*; volueruntque id omne aurum ſacris largitionibus vindicari. *Siquidem* (inquiunt) *ipſe ſe dignum condemnatione iudicauit quiſquis aurum propriū non coactus monetis fiſcalibus ſpōte crediderit inferendum.* Poſtea tamen pœnam illam temperarūt, vt binæ duntaxat vnciæ in ſingulas libras cōferrentur, omiſſa fruſtratione ſui totius auri, qua priùs puniebantur. Ita habet *l.* 8. *C. Theod. Solita moderationis arbitrio ſuperiorē ſententiā mitigamus, qua omne aurum quod a priuatis pro figuratione monetis dicebatur inlatū, fiſci iuſſeramus, cōmodis vindicari, vt pro omni sūma qua in breuibus tenetur inſerta, bina per ſingulas, omiſſa fruſtratione, vncia cōferātur.* Qui igitur propria authoritate monetā, licèt iuſti ponderis, atque legitimæ materię, & formæ percuſſerit, falſarius habetur, & punitur tanquā adulterinam monetam fabricans *l.* 2. *C. de falſa moneta*: quare Bartol. *in l. qui falsā, D. ad l. Corn. de falſis*, eā definit eſſe falsā monetā, quæ cuditur ab illo, qui nō habet poteſtatē cudendi; atque vt argumētatur Nauar. *lib.* 3. *de reſtit. c.* 1 *n.* 318. qui publico ſigillo 2

Pontificis, aut Principis ad aliquod bonum, & æquum, aut etiam a Principe conceſſum vtitur, conficitque litteras, aut Pontificias, aut Regias, ad id exequendum, falſarius habetur, atque vt talis punitur:nam rei pſa dolũ: fraudem, & falſationẽ iniuriãque aduerſus Principem commiſit, cuius authoritatẽ vſurpauit, ac ius: damnũ quoque intulit, quia Principis monetæ minori numero expẽdũtur. Deniq; monetariis regiis, aut monetæ redẽptorib. non exiguũ curat incommodũ, & damnũ, vt patet.

3 Quæritur verò primò an hoc modo falſarius monetæ obligetur ad aliquam reſtitutionem, & cui:nã Syluest. negat cuiquam teneri de damno, niſi pecunia ab ipſo percuſſa *banniretur*, id eſt a Principe abrogaretur: teneri autẽ de iniuria illi cuius ſignũ violauit, idemque docuit Nauarr.*c.* 17.*n.* 167. Principi tamẽ & monetario, quib. damnũ illatũ eſt reſtituere tenetur, quod ſapienter volunt P. Nauarr. *lib. de reſtit. c.* 1 .*n.* 328. & 29. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 702. *n.* 10. quia reuera damnũ illud ſcienter, & per iniuriã intulit. Quæ eadẽ ratio valeret erga alios, quib. ea falſa moneta nocuiſſet, quod rarò tamẽ cõtingit, cùm ſupponamus illã legitimæ materiæ, ponderis ac formæ exiſtere, & ſolum à non habente poteſtatẽ percuſſam, quod ignoratur vulgò, neque proinde eius officit expenſioni, præterquam ſi illa deinde abrogetur à Principe, detecta fraude, difficile quoque fuerit reſcire quinam eam habeant, & an ex tali abrogatione damnum patiantur.

4 Quæritur ſecundò vlterius, an ſi quis eiuſmodi cuderit probam monetam, appoſito tantùm ſigno externi Principis, & non ſui, vt extra illius Principis ditionem, cuius typicum monetarium expreſſit eam expendat iis in regionibus ad quas rarò Principis illius monetæ deportantur, teneatur ad reſtitutionem, & ſatisfactionem illi faciendam. Ratio dubitandi eſt, quia nulli facit aut iniuriã aut dãnum. Nõ iniuriam quidem, quia ille Princeps habet quidẽ ius percutiendi in ſua Ditione monetã, & ne quis intra eius fines ſibi illud vſurpet, nõ verò citra ſuum Principatum: nã quod exteri Principes cæteri, eius pecuniæ vſum in cõmerciis permittant ſuis ſubditis, non dat ipſi vllum ius extra ſuam ditionẽ, & quamuis ex venia Principis illius poſſit ipſe in externam prouinciã nummos ſuo marculo ſignatos mittere, ibique ad varia commercia expẽdere, idemque ſuis permittatur ſubditis; ius tamen illud, & facultas nõ impeditur, ſi quis alius ipſi nõ ſubditus nummos ſimiles, eiuſdẽque formæ, extra ſuã ditionẽ percuſſos immittat in alias Prouincias, in quibus tanquam probi vti reuerà ſunt, vulgò admittentur. Damnũ quoque nullum accipit, quia nõ pauciores nummos Princeps ille expendit, aut percutit, vt ſuppono, quare monetæ ipſius redemptores non minus redemptionis pretium perſoluunt, neque ex conflatura illa, quæ extra eiuſmodi Principatum fit, damnum accipiunt, & licèt aliquod acciperent, nõ habent ius impediendi percuſionẽ, quæ in alio Principatu fit, neque caſtigandi illos, qui eam faciunt. Non peccant etiam aduersùs proprium Principem, quia ille probat eiuſmodi conflaturæ, & notæ nummos, iiſque ſubditos ſuos vult in ſuis commerciis vti à quocumque percuſſi ſint, neque laborat, an iuſſu illius Principis cuius ſymbolica icone ſignantur, cuſi fuerint, an non. Quod autẽ caueat, & ſeuerè prohibeat, ne quis ſuo iniuſſu priuatus pecuniã feriat in ſua ditione, id intelligẽdum eſt de pecunia ſibi propria, & ſuo ſignatorio marculo impreſſa. Cùm enim externarũ aliarũ monetarum vſum permittat in ſua ditione, nihil planè eius intereſt, vbicumque ſignatæ fuerint, modò probæ & legitimæ fuerint: quæ eadem ratio demonſtrat neque damnũ afferri publico, ſiue ciuib. ad quos importatur ea moneta, annuente Principe, cuius eſt pecunias probare, & permittere, aut improbare & reiicere; nã modò hæc pecunia proba, legitimaque ſit, atque vulgati commercij, vndecũque deferatur, & à quocumque percutiatur, illis omnia ſunt integra: quare in hoc caſu exiſtimarem Nauarr. & Syluestri ſententiam nuper relatam probabilem eſſe, & eiuſmodi pecuniæ percuſſorẽ inuito aut inſcio Principe, cuius ipſe ſubditus nõ eſt, quãque ſignat & expẽdit extra illius Ditionẽ, ad nullã obligari reſtitutionem, neque illi externo Principi, neque eius monetariis, aut redẽptoribus, neque publico & ciuib. illius prouinciæ, in quã talẽ monetam immittit, quæque authoritate proprij Principis tanquam proba, vti reuera eſt, permittur, ſicut & aliæ perplures externæ monetæ. An verò iniuriã fecerit Principi cuius ſignum ſymbolicũ vſurpauit, pendet ex iis quæ diſputauimus *c.* 5. *art.* 3. de alienorũ inſignium & ſymbolorũ vſurpatione, & ſuix rebus impreſſione. Sanè Alexander & alij quidã apud Couarr. *c.* 8. *cit. n.* 3. *ſub fin.* excuſant eos qui adulterina numiſmata fecerint in moneta, quæ in ea prouincia nec expenditur, nec in vſũ cõmerciorũ admittitur; ipſe vero ſaltẽ excuſat à pœna ordinaria.

Quæres 3. an Princeps, cui ius eſt cudendæ monetæ, poſſit illã alterius Principis marculo ſignare. 5

Reſp. ſi hic Princeps deteriorẽ monetã cudat, quã ſit ea quam percutit ille alius Princeps, cuius ſymbolicum ſignum imprimit, iniuriam & damnũ illi affert; tũ quia eius moneta propter hanc deteriorẽ, ſtatim reprobabitur, tũ quia hæc deterior in ſuam quoque ditionẽ aſportabitur, atque in ea cõmunis & vulgati commercij erit, magna ſubditorum iactura, qui improbos & deteriores nũmos pro probis accipiẽt, & dum illa fraus agnita fuerit, cogetur ille Princeps eam reprobare, ſuamque mutare magna rerũ omnium perturbatione. Quare non dubitarim eo caſu Principem, qui talẽ monetã alterius Principis ſigno notauerit, iniuriam ipſi irrogaſſe, & damnum intuliſſe, ad illudque reparandum omninò teneri; quod mihi verum videtur, quamuis ille Princeps, cuius ſignatorũ typum vſurpauit, ſit eius beneficiarius; ſi tamen ille habet ius & priuilegiũ feriendæ monetæ, quia cum graui illius iniuria, & dãno detrahit iuri & priuilegio quo potitur. Et ſanè ſi abſque cauſa aut cõpenſatione aliqua ius ſemel optimo modo quæſitum à beneficiario tollere nequit alius, quãuis illo ſuperior, multò minus poterit cũ graui iniuria & damno eiuſmodi iuri derogare, quod tamen faceret hoc caſu, vti oſtendimus.

Reſp. ſecundò poſſe Principem eiuſdẽ probitatis monetam cũ illa quæ percutitur ab alio Principe, ipſam quoque percutere, illiuſque externi Principis ſigna ipſi inſculpere, eiuſque vſũ ſuis ciuibus permittere, tribus modis. Primò quia cùm Principis illius externi monetæ ſunt multò deteriores quàm propriæ, quæ purioris metalli ſunt, & habẽtur, neque ipſe illarum puritatem minuere velit, ne quid ſibi detrahat, aliarum verò deteriorum externarum vſum iam inductũ prohibere non debeat grauibus de cauſis, ſimiles ipſe in ſua quoque ditione feriri curat, ne totũ lucrũ quod ex deteriorum huiuſmodi externarũ commercio redit, ad exteros ſibi, ſuiſque magno damno exeat, non tamẽ ſuas monetas meliores abrogat, idcircò, licèt reuera tunc minori copia feriantur, atque ab externis non extrahãtur, quod vnum iure contendit, manẽt tamen ſolita cũ iis commercia; imò & faciliùs ea exercentur, cùm iiſdem monetis vtantur omnes communiter.

Secundò

Secundò princeps qui deterioribus monetis vtitur, poteſt imitari meliores, quæ in aliena ditione alterius Principis feriuntur, & eodem typico ſigno illas notare, vt cum illa gente, & aliis quibuſdam apud quas illius duntaxat externi Principis monetæ recipi ſolent, aliis omnibus reiectis, atque fortaſſis nominatim illius ipſius Principis, de quo agimus, vt pote hoſtis, aliaue de cauſa reprobatis, commercia ſeruare poſſit: neque tunc opinor damnum illi Principi, cuius typus aſſumitur inferri dices, quando æquè bona moneta cuditur: nam quamuis maior tunc illius copia futura ſit, ad Principis tamen externi commendationem potiùs quàm iniuriam pertinebit eiuſmodi copia: quare vtriuſque Principis ſubditi queri non poſſunt, qui & maiorem copiam probæ, ac melioris monetæ, quam priùs habent. In priori quidem caſu deterioris externæ monetæ viderentur potiori iure conqueri ſubditi Principis, qui illam neglecta propria meliori percuti mandat. Verùm cùm ille non augeat eius valorem, neque idcircò meliorem abroget, aut prohibeat, aut eius æſtimationem eiicere velit, ſed externæ monetæ vſum iam anteà inductum permittat, & ne deteriores illæ monetæ ab externis inuehantur, illiſque patrias merces commutent, & meliores quoque, ex quibus deinde ſuas deteriores cudant, exportent, Princeps ſimiles ſuis in officinis ſignari curat, & lucrum quod ad externos redibat, ad ſe trahit, nulla ſuorum ſubditorum iactura, & magno commodo.

Tertiò aliquando deteriores quædam monetæ in quibuſdam regionibus vulgares habentur; vixque meliores in iis percutiuntur, cum quibus tamē ſubditi alicuius Principis frequentia habent commercia, indeque plures merces aduehunt, ideóque cogūtur meliores multò patrias monetas eò deferre, ex quibus deinde deteriores illæ feriuntur: quare Princeps, vt vitet damnum ingens, quod patitur dum meliores ſuæ monetæ aliò deferuntur magno externorum lucro, deteriores omninò ſimiles illis quæ in eiuſmodi gentibus vulgati, communiſque commercij ſunt, percuti apud ſe curat. In omnibus porrò iſtis caſibus non exiſtimarim Principem illum obligari ad reſtitutionem vllam cuiquā faciendam, cùm nulli damnum iniuſtum inferat, & ſe duntaxat ſeruet indemnem. An verò faciat iniuriam vſurpando ſignum alienum, diximus *cap. citato*. Sanè non erit admodum grauis ea iniuria, cùm tandem ad Principis, qui violari videbatur, commēdationem, vti iam monui, fiat. Quod ſi Princeps ille hoſtis habeatur, nulla foret hac in parte dubitatio, cùm illi iuſtum bellum indicere liceat.

6 Secundò adulteratur moneta impurādo eius materiam, & alieni metalli deterioris pluſquam par ſit immiſcendo. Vlpian. *l.9. D. ad l. Cornel. de falſis*: *Lege Cornelia cauetur, vt qui in aurum vitij quid addiderit, qui adulterinos argenteos nummos flauerit, falſi criminis teneri*, iniecto videlicet ære, ſtanno, vel plumbo. Id lacunam nominat Cicero *ad Atticum*: *Vide ne qua ſit lacuna in auro*. Aliqui argentum iam conflatum ab ære ſeparabant, atque ita ærosa manebat pecunia, quos damnat Conſtantius *l.6. C. Theod. de falſa mon. Comperimus nonnullos flaturarios Maiorinam pecuniam, non minus criminosè, quàm crebrè ſeparata argento ab ære purgare*. Aliqui legi volunt flatularios, alij flatuarios. Vetus Romæ inſcriptio quam refert Scaliger in *Manil.* ſic habet.

FLATVARIVS AVRI ET ARGENTI MONETAR.

Flatura, idem eſt quod conflatura: iſti igitur flatuarij, de quibus agit lex Conſtantij conflabant Maiorinam pecuniam, ex eaque argentum ſeparabant ab ære, vnde adulterina fiebat tota illa pecunia, id etiam fit aquis medicatis, ſic enim nummos ſtanneos & plumbeos tingunt & colorant, vt aurei argenteive incautis videantur.

Hi porrò omnes falſarij & grauiter peccant, & ad reſtitutionem dubio procul tenentur, cùm fraude damnum afferant aliis quod reparare tenentur. Quærit tamen Laym. *c.5. cit. n.5.* an cùm publica authoritate cunduntur monetæ ærosæ, immixto videlicet cupro, quod ſucceſſu temporis detrito argēto, ita apparet, vt vix, aut non niſi admodum ægre à mercatoribus aliiſue admittantur, fas ſit eiuſmodi nummos mercurio, aut alio quodā ſale illinire, ita vt albiores purioreſque appareant, atque ita nō reprobentur, an verò in ea lotura graue peccatū exiſtat. Laym. iure damnare non audet, quādo eiuſmodi tinctura nullo modo deteriores reddit eos nummos, qui alioquin publica authoritate probantur, & ſunt in vulgari vſu tota illa Prouincia.

Tertiò adulteratur moneta detracto pondere, 7
quod fit in primis in ipſa conflatura dū minor materiæ quantitas, & pondus quàm oportet adhibetur: deinde dum de iuſto pondere quidpiam detrahitur radendo, circumcidendo, atque etiam tingendo aliquarum aquarum beneficio.

Huc pertinet *lex octaua, D. ad l. Cornel. de falſis*. *Quicumque numos aureos partim raſerit, partim tinxerit, vel finxerit*: Hotman. *lib.5. obſeruat. c.27.* mēdum ſuſpicatur in illis verbis, legendúque eſſe *ſtrinxerit*, non *tinxerit*, cùm argenteus, non autē aureus numus tingatur, & luſciolum aliquem poſuiſſe *tinxerit*, aliquem autem ſemidoctum, ad marginem ſcripſiſſe, *vel finxerit*. Aureum verò nummum ſtringere eſt circumcidere. Noni. *ſtringere eſt*, inquit, *interdum exſcindere*. Virgil. *3. Georg. Tunc ſtringe comas, tunc brachia tonde*: & *in Bucol. Hic vbi denſas Agricola ſtringunt frondes*. Vindicat ergo lex Cornelia, qui de nummis aureis partem aliquam vel lima detraſerint, vel forcipe detraxerint. Hoc ſenſu Lucretius verbo ſtringendi vſus, pro demere, detrahere; *Sed quæ ſunt primordia rerum, nulla vis poteſt ſtringere*. Repugnat nihilominus huic emendationi & rationi Hotmanicæ Paul. *lib.5. ſent. Quive inquit nummos aureos, argenteos adulterauerit, lauerit, conflauerit, raſerit, corruperit, vitiauerit* Hic etiam mendum ſuſpicatur Hotman. & potius à Paul. fuiſſe ſcriptum *flauerit*, quam *lauerit*. Sic Triumuiri, auro, argento flando, feriundo, dicebantur. Quidquid verò ſit de hac tinctura & lotura aureorum, damnatur *in Eclog. lib.6. tit.44. c.8.* ἢ ζύοντες ἢ περικόπτοντες ἢ χαράσσοντες τὰ νομίσματα, qui nummos radunt, vel circuncidunt, vel fingunt, & qui aliquid vitij miſcuerit auro, ὁ προσμίξας ἐπίψογον τι τῷ χρυσῷ; vel adulterinos nummos argenteos fecerit ἢ νόθον ἀργυροῦ νόμισμα ποιήσας: vbi vides adulterium auri & argenti diſtingui, nam auro miſcebatur quidpiā vitij, nempe alienum metallum, argentei nummi adulterabantur etiam aliis modis, vt tinctura & lotura; fingebantur autem vtrique cum vultu Principum, aliove ſigno notabantur à falſariis, vtrique autem radebantur, & circumcidebantur: ζύειν igitur radere numos, eſt planam eorum ſuperficiem radere, at verò περικόπτειν, eſt circulum & orbem circumcidere. *Rubrica 8. in C. Theod. Si quis ſolidi circulum exteriorem inciderit*: & *in l. vnic. ibid. Qui menſuram circuli exterioris adraſerit, vt ponderis minuat quantitatē. vel figuratum ſolidū adultera imitatione in vendendo ſubiecerit, capite luit*. Eiuſmodi circumciſio fit forcipibus, quare Byſantij, teſte Procopio *lib.2. Gothic*. Alexandrum Logothetam ψαλι-

δίων, Forcilam nominabant, quod perquam ſcitè noſſet nummos in orbem circumcidere. Et ſanè tales circumciſores volgò dicebantur *παραφαλισταί*: & *titul. alio 44. in Eclog. nuper laudat. eſt περὶ παραφαλιστῶν, καὶ παραχαράκτων*, quia forficibus ad id vtuntur: *ψάλις* forfex apud Polluc. *lib.* 10. *ψαλίδες* ſiue *μαχαιρίδες καὶ κυρίδες*, forfices quibus rondent, vnde ad architecturam, & ad alia quædam transfertur hæc vox.

Hi porrò omnes qui pondus probæ monetæ radendo, detondendo, circumcidendo, aliaue quapiā arte diminuunt, & grauiter peccant, & ad reſtitutionem obligantur, quod omnes iure fatentur, cum ſua fraude damnum irrogent publico. Difficultas nihilominus eſt.

8 Primò an qui de monetis æquo ponderoſioribus aliquid decutiunt, & ad legitimū pondus reducunt, peccent, & falſarij habendi ſint: & quidē ſi publica authoritate id faciunt, damnandi minimè ſunt, vt enim illa authoritas pondus legitimū præſcribit, ita iubere poteſt, vt ſi quid excedat, decutiatur. Monet tamen Laym. æquum videri, vt ſi qui leuioris ponderis percuſſi fuerint, alij qui grauioris iuſto ponderis exiſtunt, integri relinquātur, vt ea ratione cōmunitas priorum leuiorum iacturam ponderoſioribus compenſet. Hæc limitatio mihi non ita probatur, quia eo eo modo nequit fieri compenſatio, quā poſtulat Layman. & eius commodiores rationes reperiri poterunt; qui enim iacturā patietur ex leuioribus nummis, ille idem non habebit, neque accipiet ponderoſiores æquo, & vnus aliquando leuiores omnes ſorte quadam infœlici obtinebit, alter fortunatior omnes pōderoſiores, aut quis plures leuiores quàm pōderoſiores: quare vnus iacturam patietur, alter lucrum, neque ita duo ſeſe cōpenſabunt inuicē. Deinde quomodo reperietur æqualitas neceſſaria ad iuſtam cōpenſationem, cùm neque eadē ſit leuitas in omnibus, & ſingulis leuioribus, neq; eadē grauitas in ponderoſioribus, & certa inter eas leuitates, & grauitates adeò diuerſas, & inter eas proportio nequeat aſſignari. Facilè verò tolletur ea iactura, quam timet Laym. ſi pretium & æſtimatio nummi definiatur pro ratione ponderis. Qui v.g. leuius vno grano, minus aliquantulū valeat, qui duobus granis deficiet, minuatur etiam pretio pro taxatione grani aurei, aut argentei, quod deeſt; qui vno aut pluribus granis pōderoſiores fuerint, plus quoque valeant; qui verò in æquilibrio cum lance ſunt, aut illam non multùm prægrauant, definitum pretium retineant, & neque illud augeant, neque diminuant. Atque ita ferè iubent regiæ conſtitutiones, idcircò nummi omnes trutina explorantur, neque ſi minore pondere ſunt, ſtatim reiiciuntur, ſed ipſis aliquid pro ratione leuioris ponderis de æſtimatione decreſcit, atque ita nulli fit iniuria.

Dum autē quis priuata ſua authoritate nummos iuſto grauiores abradit, illis tamen legitimum pondus relinquit, maior eſt difficultas, an fraudator & falſarius haberi debeat, quod negat Syln. *verb. falſarius n.* 1. & Pet. Nau. *c.* 1 *lib.* 3. *de reſtit. n.* 325. Fatetur tamen Syln. illos teneri Principi, & communitati de illa parte, quam decutiunt, quia reuerà erat Principis, atque communitatis bono cedebat, neq; habent iſti ius partem illam ſibi ſumendi, quamuis illa per errorem fuerit appoſita, itaque illos damnat Laym. adducto Menochio. Et ſane ſi fateatur Syluest. eos teneri ad reſtitutionem Principi, aut communitati, non video quomodo neget eos eſſe fraudatores, & falſarios, quid enim reſtituere debent niſi quod fraudando & fallendo ſibi ſumpſerunt. Itaque *verb. falſarius* §. 8. ait ſi nolint abſtinere, quia putant ſe quidpiam iniuſtum admittere, non poſſe abſolui à Confeſſario.

Mihi in primis hic caſus videtur eſſe admodum infrequens, quia vix poteſt ſuperflua illa pars ita decuti, vt non aliquid maius detrahatur, deinde ſi deprehendantur aliqui nūmos ita abraſiſſe, iure puniri in foro externo, quod non immeritò præſumet illos eſſe iniquos detonſores pecuniarum, cùm pauci nummi ita legitimum pondus excedant, vt ille minimus ferè exceſſus poſſit abſque imminutione legitimi ponderis detrahi. Neque ſanè pro tā exiguo ſucceſſo rem adeò difficilem & periculoſam tētarent, niſi etiam iuſtam quantitatem minuere vellent: ſi tamen adeò induſtrij eſſent, vt exiguum illum exceſſum, non legitima diminuta quantitate, deſecarent, non exiſtimarē eos peccare aut in Principem, aut in communitatē. Non in Principem, qui liberaliter illū exceſſum condonauit; nam antequam clabulæ monetales marculo ſignatorio imprimantur, explorantur numiſmata ad prototypon, & trutina expenduntur, vti explicabamus *art.* 12. quare ſi ponderis aliquis exceſſus reperiatur, qui non tollatur, contemnitur vt exiguus, & condonatur, eritque fœlicitas eius, cui ſorte bona nūmus eiuſmodi ponderoſior paulò continget. Cōmunitati quoque nullā facit iniuriam, quia illa non habet ius in eo nūmo, quaſi in re aliqua communi, cùm ille ſicut & cæteri omnes ſint ſingulorū priuatorum. Habet quidē ius communitas, ne imminuantur nummi, & fraudentur pondere a Principe conſtituto, & ne leuiores expendantur, niſi illius leuitatis defectus compenſetur; non tamen exigere poteſt, vt qui grauiores ſunt, non reducantur ad pondus legitimum, aut exceſſum illum perpetuò retineant; alioquin qui haberet eiuſmodi nummū non poſſet illum conflare, ne communitati iniuriam faceret. Damnum itaque nullum patitur communitas, illi ſiquidem nihil iniuſte ſubducitur. Leges denique quæ attonſores monetæ damnant, agunt dubio procul de illis, qui ea adroſione nummos leuiores contra æquitatem faciunt: quare non exiſtimarim Angeli ſententiam improbabilem, quamuis deterendus omnino eſſet ille pœnitens, quia facilis, & procliuis lapſus eſt ad iniquam & damnatam monetæ adraſionem.

Quæritur ſecundò an qui meliores, grauioreſque nummos colligunt, vt eos vel ſibi ſeruent, vel conflent, vel cum lucro aliquo cambiant, vel in externas regiones commercij causā mittant, vel vendant iis, qui indigebunt, alios verò leuiores nummos, æqui tamen & legitimi pōderis expendunt ad vſus quotidianos, peccent contra Iuſtitiam. Hunc caſum ſimilem ſuperiori faciunt Angel. *loc. cit.* Gab. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 9 *art.* 3. *dub*, 3. Adrian. *in q. de reſtitut.* vbi de vſuris, § *anne licet*. Sapienter verò monet Laym. magnum eſſe inter duas illas quæſtiones diſcrimen, quia in priori detonſores illi monetam publicam vitiant, & diminuunt, in iſta verò domini propriorum nummorum expendunt, aut ſeruant, aut cambiunt pro ſuo arbitrio, & ex illis quoſdam inſumunt vnam in rem, alios in aliam, neque illos corrumpunt arte vlla; quare non peccant, & cùm ſæpius monuerimus *toto iſto libro*, atque etiam *opere de vſuris*, pecuniam mercis loco eſſe, cur non poterit quis nummos ponderoſiores ſibi comparare, vendere, & diſtrahere, aliiſque rationibus eos per cambia & diuerſa commercia agitare, abſque cuiuſuis iniuria, ſicut gemmas & vniones negotiationi ſubiicere. 9

Quæritur tertiò, iubent aliquando Principes monetas omnes licèt adraſas admitti, pro ratione tamē ponderis imminuti, vnde ſimul plures eadem lance

explo

explorantur; an eo caſu iſti detonſores peccent, teneanturque ad reſtitutionem, quia videntur Principes eiuſmodi ſanctionibus veniam facere circumcidendi monetas publicas, quandoquidem illas ita detonſas, & adraſas vulgati tamen commercij faciunt, neque ſuſpicari non poſſunt deſore forficulas, vt de Aleandro logotheta dicebamus: damnum autem nullum cuipiam afferunt, quia minuitur pretium pro ratione minuti ponderis.

Reſp. nihilominus hos circumciſores monetarum peccare, neque enim Principes iubent in vſu communi admitti monetas adraſas, vt adradendi facultatē faciant, aut crimen illud condonent, nam ſi qui illud cōmiſiſſe deprehendantur, deferanturve, puniuntur pœnis à lege latis; ſed eiuſmodi imminutarum monetarum vſum patiuntur, vt aliqua ratione dāno, quod imminet toti Reipublicæ ea frequenti illa adraſione & fraudibus falſariorum occurrant. Si enim omnes illæ tunc nouæ conflaturæ addicerentur, & ad monetales officinas idcircò deferri deberent, cùm tanta, tamque immenſa ſit illorum copia, plurimi ſe & pecuniis vacuos viderent, & magnam etiam ex illa noua conflatura iacturam acciperent, peccant igitur grauiter iſti deraſores in legē & in Principē, iuſtoque afficiuntur ſupplicio.

Quod attinet ad reſtitutionem maior videtur difficultas, cùm nulli nocumentum afferant, eo quod nūmi adraſi æſtimatio communis, vna cum eius grauitate, proque illius quantitate minuatur. Exiſtimo tamen fieri damnum toti communitati, quia ingens incommodum atque damnum eſt tantam in Republica monetarum imminutarū copiam ſpargi. Deinde turbantur, & impediuntur commercia, cùm externis quidem, quia eas leuiores monetas iure reiiciunt, cum ciuibus quoque, qui ſuas merces cum illis, etiam commutare nolunt, quandoquidē corruptis ita nummis difficillime alias ſibi comparabunt. Deinde datur occaſio externis, quibuſcum nobis aliquod commercium eſt, circumciſas quoque monetas in Prouinciam ingenti copia immittendi, atque ita gratis quodammodo, & cum magna noſtra iactura merces noſtras exportandi, quia dimidiatas nobis monetas in pretium dant, & ex illis raſuris alias conflant, quas iterum abradunt, & nobis quoque pro mercibus repræſentant. Singulorum quoque damnum eſt euidens: quia imminutæ illæ monetæ ſeorſim ſingulæ ſumptæ, difficillimi vſus ſunt, & præter moleſtiam continuò ponderandi illas, ſemper aliquid minus pondere etiam illo diminuto reperitur, pro diuerſitate lancium & trutinarū; quando verò plures ſimul ponderantur, in ſingulis deinde ſeorſim expendendis damnum aliquod, vt dixi contingit. Denique cùm diutiùs ferri non poſſit in bene conſtituto regno, illa monetæ publicæ corruptio & deprauatio, tandem addicentur nouæ omnes illæ, & decurtatæ monetæ conflaturæ, non ſine eorum, qui illis ſe diuites exiſtimabant, iactura. Quæ omnia mihi perſuadent, eos abraſores teneri ad reſtitutionem communitati faciendam, ex Regulis quas trademus *lib. 4. in appendice de reſtitutione*, vbi agemus de modo reſtituendi communitati, & in his, & aliis ſimilibus fraudibus, quando non conſtat, quiſnam ſingulatim fuerit læſus.

11 Ad extremum circa hanc falſationem & adulterationem monetæ quæritur an qui nummos adulterinos, aut aliquo ex modis explicatis vitiatos expendit, peccet, & an ad aliquā reſtitutionē teneatur.

Reſp. diſtinguendū eſſe an ignorans, aut ſciens nummum eſſe adulterinum illum expendat. Si bona fide & ignorans expendit, non peccauit, quia bona fide, qua illas vt probas accepit, & vt tales expendit, excuſatur à culpa. Quoad reſtitutionem verò & reparationem damni, quod alteri intulit, diſtinguēdum iterum eſt: nam vel ſcit eum, quem læſit, vel ignorat, quis reipſa læſus ſit, quia vel non conſtat cuinam nummum adulterinum exhibuerit, aut quia ille ipſum iam nulla iactura expendit, neque inquirere licet, aut ſciri poteſt, quiſnam tandem ex omnibus, ad quos peruenerit talis nummus nothus, & adulterinus, læſus fuerit. Hoc caſu non tenetur ad vllam reſtitutionē, quia neque iniuſta acceptio, neque iniuſta expenſio ipſum obligat, cùm ratione bonæ fidei, & probabilis ignorantiæ tum acceptio, tum expenſio formaliter iuſta fuerit. Non tenetur etiam ratione rei acceptæ, quia inde locupletior non euaſit, & ſi quid contractibus & commerciis per eiuſmodi falſos nūmos celebratis lucratus fuit, id non eſt pecuniæ illius falſæ fructus, ſed negotiationis ipſius & induſtriæ. Quando verò reſciuit quis ex ea moneta falſa à ſe expenſa, quamuis ignoranter, fuerit læſus, tenetur dānum, cuius cauſa fuit, reſarcire. Quia verò ad varias peruenit manus nummus ille adulterinus, exiſtimo illum tantùm, qui proximè dedit læſo teneri reſtituere, quia reuera alij omnes anteriores, qui bona fide eum nummum expenderunt, nulli damnum intulerunt, vt conſtat; & ille ſolus qui dedit proximè, & immediatè illi, qui læſus eſt, ad damnum quod intulit vnus ipſe obligatur, quidquid videatur velle in contrarium Molinæ. Dices ipſum paſſum eſſe damnum, accipiendo nummum adulterinum, qui ipſi fuit inutilis, quandoquidem inutiliter ipſum expendit, cùm dānum quod ex eo contigit illi, cui exhibuit, reſtituere teneatur. Poteſt igitur indemnem ſe ſeruare, atque ab eo a quo acceperat, ipſius valorem repetere: qui etiam poterit id ipſum poſtulare ab eo qui illum ipſum nummum ei repræſentarat, atque ita donec perueniatur ad primum, quæ eſt ſine dubio Molinæ. mens.

Reſp. tamen hunc progreſſum & inquiſitionem eſſe admodum difficilem & moraliter impoſſibilē, vbi in communi vſu vnus aliquis nummus ad plures peruenit, neque ſane fieri ſolet; & in proximo, qui dedit ferè ſiſtitur. Deinde quia alter remotior, qui bona fide dedit, non tenetur credere ſe nummum adulterinum dediſſe, nullum quidem talem ſe habere certo exiſtimabat, ac proinde vix dabitur obligatio reſtituendi. Quod ſi illi certò conſtaret ſe talem nummum dediſſe Caio, qui dedit Titio, cui damnum ea de cauſa reparare tenetur, reuera & ipſe obligaretur indemnem ſeruare Caium, atque eo caſu admitto Molinæ. ſententiam, ſed dico non inquirendum mihi eſſe tam ſollicitè, vbi deinde reſciui nummum, quem bona fide expenderam, adulterinum fuiſſe, & iam plurimorum manibus tritum fuiſſe, & demum vnum aliquem illius damnum paſſurum eſſe, aut paſſum eſſe, ſi ille fuit fortaſſis decimus aut vigeſimus, qui illum habuit; an debeo ego inquirere, aut illi primo cui dedi ſatisfacere, & illum vt alteri quoque ſatisfaciat monere, hæc in vſu quotidiano ferè ſunt impoſſibilia, ad quæ prudens Confeſſarius non obligabit opinor pœnitentem ſuum.

Vbi quis mala fide expendit nummum adulterinum, quia ſciebat eſſe talem, tenetur illi quem læſit reſtituere, quantum minus valebat, ei inquam qui damnum ſenſit, etiamſi is non fuerit is cui immediatè dedit; quia reuera ipſe cauſa fuit iniuſta, quamuis mediata talis damni. Quod ſi ille, cui primus ipſe dederat, damnum, quod immediatè intulit, nummum adulterinum ſibi datum expendendo, reparauit, illi debebit primus ille falſarius reſtituere,

quia

Digitized by Google

quia ipſi reuera damnum creauit. Cui verò ſi vltimus ille damnum paſſus non reperiatur, facienda ſit reſtitutio, pendet ex vniuerſali quæſtione, de reſtitutione facienda, quando perſona læſa incerta eſt, aut ea conditione eſt vt ipſi reſtitui quidquam nequeat; quia v.g. obiit, neque vllos reliquit hæredes, aut aliis de cauſis, de qua controuerſia dicemus *lib.* 4. Porrò non excuſatur à peccato, aut reſtitutione expendens ſcienter notham monetam, quòd ab aliis ipſe prius deceptus fuerit, vti ſapienter monent Couarru. *cap.* 8. *cit. n.* 4. qui ne quidem à pœna legis illum immunem facit. Sylu. *verb. falſar. quæſt.* 6. Molin. *diſp.* 702. *tract.* 2. *num.* 9. & 10. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 167. Gregorius Tholoſan. *lib.* 36. *ſyntagmat. cap.* 3. Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 312. Layman. & alij, quia non licet mihi decipere Caium, eo quod à Titio deceptus ſim. Quod ſi libens aliquis nummum adulterinum, & ſciens talem eſſe à me accipiat, quia ipſe eo ſine ſuo damno vtitur, poſſumne illi dare.

Reſp. Layman. me peccaturum, & lege Cornelia de falſ. puniri poſſe, quod verum quidem eſt, ſi ſuſpicer illum vſurum ad decipiendum alium, quia tamen in alios vſus accipere poteſt, vt ad conflandum, aut aliam ob cauſam non malam, exiſtimarem hac in parte idem iudicandum eſſe quod de exhibitione operum, aut rerum quibus alter benè, & malè vti poteſt, & ſi malè vtatur, eius vnius malitiæ tribuendum erit, & nulla ratio eſt ſuſpicandi illum malè vſurum, & ad malum vſum eas à me petere; diximus alias opere de vſuris *lib.* 1. *cap* 9. *art.* 5. *conſect.* 8. & 9. Quod attinet ad pœnas legis Corneliæ iis ſubiacebit, quamuis fortaſſis in foro interno non peccarit, quia leges prohibentes quædam, quorum vſus periculoſus & paſſim malus eſſe ſolet, etſi illis aliquando bene quis vti poſſit, v.g. venena quæ & ad medicamenta & ad necem parandam idonea ſunt, hæ inquam leges vtuntur præſumptione, & volunt omnem præcludere criminum occaſionem, dum periculoſarum eiuſmodi rerum commercia prohibent: quare qui ſecus faciunt iure merito puniuntur.

12 Venio ad pœnas eius criminis, quæ apud varias gentes variæ fuere, nullæ enim impunitum, illud reliquerunt, quare illius facinoris authores ne ipſo ſtrepitu deprehenderentur, furtiuas falſæ monetæ officinas in antris eremi ſibi parabant, vt inquit Hyeronimus in Antonij vita; iure igitur Romano qui falſam monetam nomine, aut imagine Imperatoris percuſſerit, igni addicitur *l.* 2. *C. de falſa mon.* Secundò eius omnia bona publicantur, *ibid.* Tertiò reus eſt læſæ Maieſtatis, *ead. l.* 2. & *l.* 8. *C. Theod. eod. tit.* At verò ex conſtitutione Conſtantini *l.* 1. *C. Theod. de falſa mon.* ſi reus ille Decurio, aut Decurionis filius eſt, exilio perpetuo mulctatur, de eiuſque facultatibus refertur ad Imperatorem, vt ſtatuat quod libuerit. Si plebeius eſt, rebus amiſſis perpetuæ damnationi deditur. Si ſeruilis conditionis, extremo ſupplicio ſubiugatur. Quartò iubentur inquiri, & accuſatoribus promittitur immunitas, ſerui quidem donantur ciuitate Romana, eorum tamen pretium à fiſco percipiunt eorum domini. Quintò militi qui eius criminis ſuſpectus è carcere capite punitur, eſt appellandi licentia, priuato denegatur. Idem Conſtantin. ita edicit *l.* 2. *C. Theod. ibidem.* Sextò domus in qua falſa moneta cuditur fiſco addicitur, niſi dominus ignorans & longè abſens excuſetur: nam ſi proximus & vicinus erat, non excuſatur, propter inſignem negligentiam, vt qui neſciuerit, quid domi ſuæ ageretur. Ita *l.* 1. *C. de falſa mon.* quæ pœna & varij eius gradus circa varias perſonas, quarum fuerit illa domus, aut fundus, & villa, fuſius explicatur *l.* 2. & 3. *C. Theod. eod. tit.* Septimò etiam falſantes numiſmata inferiorum Principum, qui neque Imperatores ſunt, capitali tamen pœna plectuntur, quod ex communi DD. refert Couarru. *cap.* 8. *de collation. veter. num. n.* 3. vbi tamen notat hanc pœnam capitalem de qua agit *l.* 1. & 2. *C. de falſa mon.* eſſe duntaxat deportationis *ex l. vlt. C. de veter. num. poteſtate*; & Gloſſæ, *ibid.* quod etiam apertè confirmatur *ex l.* 1. *C. Theod. de falſ. mon.* vbi, vti retulimus, diuerſi gradus delinquentium referuntur, & ſoli ſerui *capitali ſupplicio ſubiugantur.* Sapienter quoque idem Couarruuias colligit *ex l.* 6. *Cod. Theod. eod.* pœnam ignis cuius meminit *l.* 1. *C. de falſ. mon.* fuiſſe inflictam tantùm iis, qui ſolidos, id eſt aureos Cæſareos percuſſiſſent, & adulteraſſent. Octauò qui ſciens nummos plumbeos, vel ſtanneos, expenderit punitur pœna ordinaria falſi *l.* 1. *§. vlt. D. de falſis.* Si nummi alterius materiæ fuerint, pœna erit extraordinaria, quod vltimum alij negant. Vide Couarr. & hac de re conſule Auferium *in deciſion.* 162. *Capell. Toloſan.* Nonò tondens, radens, aut tingens monetam, ſi liber eſt, ſubiicitur beſtiis, ſi ſeruus vltimo ſupplicio *l.* 8. *D. de falſis*, *l.* 2. *C. de falſa mon.* & *l.* 1. *C. Theod.* Denique tondentibus, radentibus, tingentibus, manus abſcinduntur, *in Baſilic. Eclog. tit.* 44. *cap.* 8. *οἱ τὰ νομίσματα ζύοντες ἢ περιτέμνοντες ἢ χαράσσοντες χειροκοπείσθωσαν.* Eandem pœnam tulit lex Longobardorum *lib.* 1. *leg. Longobard tit. de eo qui falſam mon. fecit.* Ægyptiorum ſimilem legem affert Diodor. *lib.* 1. *c.* 3. neque aliud conſtituit *l.* 2. *de falſ. metall. lib.* 8. *Cod. Viſigothor. tit.* 5. & Caroli magni *in capitularibus, tit. de falſa mon.* Athenienſes capite plectebant; vnde illa Demoſthenis *oratione in Leptinem circa finem*, querela, quod qui pecuniam adulterarent capite mulctarentur, qui totam ciuitatem adulterinam, & infidam redderent, dicendi haberent poteſtatem. Narrat Gaguinus Philippum Pulchrum viginti octo ſeditionis authores, quòd non paterentur monetam ad iuſtum pondus reduci, ſuſpendio damnaſſe. Solon dicebat numiſma commutationum priuatarum causâ introductum, ciuitatis autem numiſma leges eſſe, quas ſi quis adulterinas inducat, non minùs à ſummis Iudicibus plectendum eſſe, quam qui priuatorum numiſma adulterauerit, & deprauauerit, vti refert Demoſtenes *oratione contra Timocrat.* Aurelianus cùm viri monetarij rebellaſſent, vitiatis datis fœliciſſimo Rationali, eos *vltima pœna acerbitate compeſcuit*, inquit Eutropius. Atque vt eiuſmodi fraudibus obuiam iretur, Marius Gratidianus inſtituit ſcholam probandi numiſmatis, quam legem tam gratam habuit plebs, vt Mario vicatim ſtatuas erexerit. In Gallia crimen falſæ monetæ à Iudice duntaxat Regio puniri poteſt, refert eam in rem Senatus iudicium aduersùs Comitem Niuernenſem an. 1298. Chopin. *lib.* 2. *de doman. tit.* 7. *n.* 17. Quod ſi quando ius animaduertendi in eiuſmodi reos Dinaſtæ beneficiario fecerit Rex, intelligendum eſt hoc priuilegium de adulterantibus monetam priuatorum authoritate, regio permiſſu percuſſam, non de falſantibus monetam regiam, quod ibidem oſtendit Chopin. *num.* 18.

LIBER TERTIVS.

DE FORMA HVMANÆ NEGOTIATIONIS,

SIVE

De variis negotiandi modis in vniuerſum.

NEGOTIATIONIS finem, cauſam effectiuam, ſiue perſonas ad negotiationem concurrentes, & eius denique materiam ſecundùm varias illius affectiones, atque adiuncta, primo & ſecundo libro, non indiligenter, opinor, ſumus proſequuti: reſtat vt de ipſamet negotiatione agamus, ſiue de variis modis quibus exercetur, quos modos, negotiationis formam nomino, cùm in iſtis moralibus actionibus externis vix alia forma poſſit aſſignari, quàm modus quo fiunt, à quo etiam ſortiuntur totam illam diſtinctionem, quam habeat inter ſe, quamque nos formalem & ſpecificam dicimus, impropriè quidem, ſi rem ad regulas Logicas exigamus, cùm ferè materialis duntaxat exiſtat: ſed quia aliam formalem rationem vix licet aſſignare, iſtaque ſufficit ad diſtinctionem, quam vitandæ confuſionis causâ, & ſcientifica, quantùm res ipſa patitur, methodi affectandæ quærimus. Varios itaque negotiandi modos proſequemur hoc, & ſequenti libro.

CAPVT PRIMVM.

De pactis & contractibus.

ART. I. *Quid ſit pactum, quid contractus, & quotuplex.*

II. *De cauſa efficiente pacti, & contractus.*

III. *Conſectaria de perſonis paciſcentibus, & contrahentibus.*

IV. *De materia & forma pacti, atque contractus.*

V. *De effectu pacti, obligatione, & actione.*

VI. *Regulæ vniuerſales de obligatione pactorum.*

VII. *Conſectaria ex proximis regulis.*

VIII. *De loco & tempore pacti, atque contractus celebrandi.*

IX. *De probatione pacti, & contractus.*

ORDIOR à pactis & contractibus in vniuerſum, cùm enim tota negotiationis exercitatio pactis, & contractibus conſtet, eorum natura paucis aperienda priùs eſt, vt deinde de ſingulis diſputare liceat, atque de ipſorum æquitate pronuntiare; neque erit prolixior diſputatio; plurima enim quæ ad eam pertinerent attigimus priori noſtro opere de vſuris, maximè *lib. 3. cap. 2. toto*, quæ ſuis locis indicabimus duntaxat, & quæ in iure Canonico & Ciuili in Titulis de pactis traduntur, quantum feret inſtituti noſtri ratio explicabimus.

ARTICVLVS I.

Quid ſit pactum, quid contractus, & quotuplex.

Pacti ethymon. 1.

Definitio. 2.

Pacti & contractus diſcrimina. 3.

Quid συνάλλαγμα. Ibid.

Diuiſio pactorum ex Ariſtotele. 4.

Aliæ diuiſiones. 5.

Vlpiani diuiſio. 6.
Pacta legitima, & conuenta. 7.
Pacta nuda, & cauſſata. 8.
Aliæ diuiſiones. 9. 10.
Bonæ fidei, & ſtricti iuris. 11.

1 PActio antiqua vox eſt in *l. XII. Tabular. Qui membrum ruperit, ni eum eo pacit, talio eſto:* atque alibi, *vti pacunt.* Inde inquit Feſtus *paciſci*, & *paceo*, in vſu remanet. A *pacione* igitur pactum deriuatum monet Vlpian. *l.1.§.1. D.de pactis*, vbi mendoſè legitur à *pactione,pactum*; emendandum enim eſt *à pacione*: vnde & *pacem* quoque appellatam monet, quod etiam placuit Siſinnio Capioni apud Feſtum, quaſi ſit *pacio* conditionum, quæ vtrique populo ſit obſeruanda: quare fruſtrà laborant qui quærunt hoc loco an pactum à pactione, an verò pactio à pacto deriuetur; nam præterquàm quod leuis eſt illa quæſtio, vtrumque à *pacione*, & à *paco* exiſtit, ſignificatque mutuam conuentionem, quæ ante litem exortam fieri ſolebat; nam compellebatur debitor, aut poſſeſſor, adhibitis teſtibus cum denuntiatione, vt Prætori ſatisfactum vellet *l. ſi quo tempore* 41. *D.de petit. hered. l.ſi homo* 45. *D. de rei vind.* Plerumque autem amicorum interuentu, vbi qui acturus erat, genus actionis,litiſque futuræ inſtrumento edideiat,controuerſia conuentione finiebatur per compoſitionem, aut tranſactionem, ſi res conuenire non poterat ſequebatur vocatio in ius, cuius ordinis exempla habemus in *Ciceron. orat. pro Quintio, pro Comedo, & pro Cinna*; illumque ſine dubio Prætor in ſuo edicto ſeruauit conuentionis, editionis, tranſactionis,& vocationis in ius, vti ex Paul. & Vlpiano facilè colligitur. Tribonianus tamen; *pro arbitrio, rubricarum ordinem concinnant.* Illa porrò antica per conuentionem inter litigatoros compoſitio priſca lingua *pacio* dicebatur, quam poſteriores pactionem dixerunt, vti monebam ex Feſto.

2 Pactum ſiue pactionem definit Vlpian. *l. 1. D. de pactis*, duorum vel plurium, in idem placitum conſenſus; in *Eclog.lib.11.tit.1.cap.1.* ἐστιν ἐκὶ δύο ἢ τριῶν εἰς ταυτὸν ἢ πλειόνων συνέλευσις ὡς τὸ ἀρεστὸν ϗ συναίνεσις: vnde nomen *Arreſts* Gallis familiare,pro Curiæ, & Parlamenti placito, ac decreto. Nomine autem conſenſus intelligit Vlpian. conuentionem quandam animorum in idem, quæ eſt ipſamet conſenſio; ſicut enim, inquit, conuenire dicuntur qui ex diuerſis locis in vnum locum colliguntur, & veniunt: vnde vetus illa formula qua quondam in conuocandis maioribus comitiis vtebantur omnes Quirites; *Ire ad conuentionem huc ad Iudices*: & Calpurnius dicebat; *voca ad conuentionem huc ad me*: ita qui ex diuerſis animi motibus in vnum, id eſt, in vnam ſententiam decurrunt, conueniunt: quare conuentionis nomen generale eſt ad omnia pertinens, de quibus aliqui negotij contrahendi, tranſigendique causâ conſentiunt, adeò vt eleganter dicat Pædius nullum eſſe contractum, nullam obligationem quæ habeat in ſe conuentionem, ſiue re, ſiue verbis fiat: nam & diſputatio quæ verbis fit,ſi non habeat conſenſum, nulla eſt. Vides igitur conuentionem genus eſſe ad omnem contractum & pactum,cùm idem omninò ſit cum conſenſione, ſine qua nullus contractus, nullaque obligatio contrahi validè poteſt, nullaque omnino eſt, vt oſtenditur in ſtipulatione quæ vel per ſimulationem,& ſine animo contrahendæ obligationis fit, qui contractus imaginarius dicitur *l.54. D.de obligat. & act.* vel per ludum aut iocum, non autem ſeriò pronuntiatur *l.3.§.vlt. D. eod.* Illa enim nullius momenti eſt *l. diuus* 24.*D de teſtam. milit.* ſicut ſtipulationes eorum qui conſenſu carent qualis eſt pupillus ſine tutore auctore, aut furioſus, aut prodigus, *l. 14. D. de regul. iur. l.1. C. de inutilib. ſtipulat.* atque ſtipulationes eorum qui per errorem non conſentiunt, *l.continuus*, §.1.& *l.inter ſtipulantem* 85.§.1. *D. de verbor. obligat.*

Dices obligationem aliquando ex re naſci ſine conſenſu, quia cùm actio ex re venit, furioſus & pupillus obligantur, adeóque ciuiliter, vt conueniri poſſint: *l.furioſus* 46. *D. de obligat. & action.* ſibi quoque alium obligant, & actionem acquirunt cùm pecuniam mutuam dederunt, ſi ea in rem accipientis verſa fuerit, *leg. ſi à furioſo* 24. *D. eodem, leg. ſi à furioſo* 12. *D. de reb. credit.* cùm tamen nos monuerimus neque pupillum, neque furioſum conſentire poſſe, cùm ne quidem ſentire videantur, *leg. ſi tibi electio* 8. §. *vnius. D. de option. legat. l.1. Cod. de falſa moneta.*

Reſp. cum Antonio Fabro aliud eſſe contractum re perfici, obligationemque re contrahi, aliud verò, actionem ex re proficiſci. Primum illud ſine conſenſu & conuentione fieri nunquam poteſt, debet enim conſenſus priùs interuenire, aut ſaltem ſimul cum re tradita. At verò cùm actio proficiſcitur, neque conſenſu, neque priore tractatu, aut contractu fuit opus, cùm acquiratur actio ignoranti, & conſequenter etiam furioſo, vti oſtendebat obiectio, non tamen illam præceſſit contractus, aut conuentio: verbi gratia in exemplo allato de pecunia mutuo data à furioſo, non eſt contractus mutui, & pecunia credita ſemper manet furioſi, cùm eius dominium tranſlatum non fuerit per mutui contractum, qui defectu conſenſus nullus fuit. Itaque quamuis contractus mutui re perficiatur, ſi tamen conſenſu deſtituatur, quantumuis res mutuò tradita ſit, nullus omninò eſt eiuſmodi contractus: ſi tamen pecuniam illam mihi a furioſo creditam conſumpſi, incipio teneri condictione, non quia per conſumptionem pecunia facta eſt mea, cùm conſumptio non ſit modus acquirendi dominij, ſed potiùs amittendi, ac illud deſtruendi. Verùm quia per illam conſumptionem furioſus amiſit dominium rei ſuæ, cùm nemo exiſtat amplius dominus rei non exiſtentis, in illius autem dominij locum ſubſtitui conditionem æquum fuit. Non amiſiſſet quidem furioſus dominium pecuniæ ſuæ, ſi eam mihi non numeraſſet, quia tunc ipſe eam non conſumpſiſſem; numeratio tamen, quæ deſtituta fuit conſenſu, actionem illi non acquiſiuit, ſed conſumptio, quæ a me facta eſt, fierique potuit ipſo ignorante. Atque ita vides nullam obligationem re contrahi, hoc eſt per contractum re perfectum, ſi conſenſu deſtituatur, quamuis aliquando actio aduerſùs aliquem ex re proficiſcatur abſque conſenſu, & cognitione eius cui acquiritur, facto illius aduerſus quem acquiritur. Denique licet ex facto aliquo interdum oriatur obligatio, etiam mutua abſque vllo pacto interueniente, vt in tutore, curatore, negotiorum geſtore, Aduocato, Iudice, aliiſque eiuſmodi contingit, hæc tamen omnia dicuntur quaſi pacta, & quaſi contractus, illæque perſonæ dicuntur obligari ex quaſi

ſi contractu, & aliqui appellant contractum virtualem. Etſi enim non ſit formalis vlla, & expreſſa conuentio, eſt tamen virtualis, & implicita, quod iterum monebimus inferiùs. Maneat igitur omnem obligationem propriè dictam ex contractu aut pacto natam includere eſſentialiter conſenſionem. Vides itaque conſenſionem & conuentionem omni pacto & contractui eſſentialem eſſe, atque vt obſeruat Hotman. *in Epytom.* conuentionem, conuentum, pactionem, pactum, & pactum conuentum ſynonima eſſe. Dicitur autem conſentus, & conuentum. Cicero *pro Cæcinna: Ad eum fundum profectus eſt, in quo ex conuentu vim fieri oportebat*: & *lib.6. ad Attic. Ep.3. Pontinus ex pacto & conuentu (nam ea lege exierat) iam a me diſceſſerat.* Vniuerſalis itaque eſt pacti definitio ab Vlpiano allata, duorum aut plurium in idem placitum conſenſus, aut conuentio, dicuntque promiſcuè conſentire in idem, vel de eodem paſſim in iure, & apud Ciceronem, vt oſtendit Hotman. in *1. l. de pactis*, vbi pinguiùs conceptam eſſe dicit hanc pacti definitionem, quia ſi qui de peregrinando, de inambulando, vel ineundo conuiuio pacti ſunt; non idcircò eorum pactum ad edictum Prætoris, quod explicat ibi Vlpian. pertinet, ſicut neque pactum de ſitu litterarum permutando, apud Agelli. *lib.7. cap.9.* Quare vult pactum eſſe conſenſionem de gerendo, vel diſtrahendo negotio: vel eſt conſenſio de quouis negotio quod ad rem familiarem paciſcentis pertineat; quod verum quidem eſt ſi agamus de iis tantùm pactionibus, de quibus agit Prætoris edictum, quod ad pactiones publicas non pertinet, vti in tuo expoſuimus. Verum voluit Vlpian. vniuerſaliorem tradere pacti definitionem, quæ ad omnes pactiones pertineret, etiam quæ edicto Prætoris, quod explicandum ſuſceperat, non continerentur, itáque doctrinæ methodus poſtulabat; vniuerſaliora ſiquidem prius tradenda ſunt; quare ſapienter dixit Vlpianus pactionem eſſe conſenſum in idem aliquod placitum, in quod diuerſi animorum motus tandem conueniunt, vti eleganter explicauit.

3 Hinc oritur altera & illa quæſtio, quomodo contractus a pacto differat; nam contractus eſt tractio voluntatum diuerſarum in idem, interprete Scoto in *4.d.13. littera K.* ſicut & pactum, conuentio, & conſenſio plurium in idem: quod enim aliqui diſtinguunt ex eo quod per contractum contrahatur obligatio, non verò per pactum, falſum eſt; nam & ipſum parit obligationem ſaltem naturalem *l.5. §. imperator. D. de ſolution.* Duplex tamen aſſignari poteſt differentia pactum inter & contractum in ratione obligationis, quam pariunt tanquam ſuum proprium, & eſſentialem effectum ex illa animorum conſenſione, & conuentione proximè & neceſſariò profectum: nam per pactum naturalis duntaxat obligatio, per contractum etiam ciuilis contrahitur: quare contractus eſt conſenſio de negotio gerendo Iure Ciuili confirmata, quæ idcircò ciuilem obligationem parit: pactum autem eſt conuentio de negotio gerendo iure naturali tãtùm, & prætorio comprobata, quæ propterea naturalem tantùm obligationem parit *l.5. §.1. D. de ſolution.* & ciuilem non parit *l. ſi tibi 27. C. locati, l.5. C. de contrahenda ſtipulat.* quæ omnia ſtatim ampliùs explicabuntur. Differunt præterea pactum & contractus, quod contractus pariat mutuam & reciprocam obligationem in vtroque contrahente, non verò pactum; idcircò Labeo *l.19. D. de verbor. ſignific.* contractum definit vltro, citroque obligationem: quæ definitio cauſalis eſt, non formalis, vt vides, cùm eiuſmodi obligatio ex illa voluntatum tractione, atque animorum conſenſione, quam in pacto & contractu deſcripſimus, oriatur proximè. Sed iſta moralia fere ſpecificantur in ordine ad ſuos effectus proximos, immediatos, & neceſſarios: Græci appellant συνάλλαγμα, vt monet *ibid.* Labeo, & Vlpian. *l.7. §.2. D. de pactis*, quamquam ea voce non modò mutuæ obligationes ſignificantur, ſed omnis omninò obligatio, ſicut etiam dicitur contractus *l.20. D. de iudic.* in ampliori quadam ſignificatione. Quinimò Ariſtot. æquale commutatiuum συνάλλαγμα vocat, cum ait *lib.5. Ethic. cap.5.* iuſtitiæ particularis alteram ſpeciem verſari in commerciis hominum inſtituendis, & emendandis; ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικόν. Eſt itaque συνάλλαγμα, vt late habet Budæ. in *comm. Linguæ Græc.* idem quod συμβόλαιον, & pactiones, contractus, & commercia ſignificat, ſicut & συναλλάττειν congredi cum aliquo. In his autem ſeruatur æqualitas, cùm res vna pro alia æquali datur; vt idcircò in his obiectum iuſtitiæ, quod eſt æquale, poſuerit Ariſtot. Exiſtimo tamen non ita preſsè acceptam eo loco ab Ariſto. hanc vocem συναλλάγματος, cùm amplitudinem iuſtitiæ commutatiuæ aſſignat, ſed omnem illam actionem qua ponitur æqualitas cum iure alterius; & cum obligatione quam inducit ius alterius; ſiue quia eſt reparandum, ſi violatum fuerit, ſiue quia eſt complendum, & non ponendum illi impedimentum; ſiue quia eſt faciendum, dandumve, quod illud exigit. Qua ratione diſſeruimus aliàs cum Suar. *diſp. de iuſtitia Dei, ſect.2. num.* 9. Hæc itaque omnia comprehendit nomine συναλλάγματος Ariſtoteles: ex vſu tamen ad mutuas & reciprocas obligationes, ſicut nomen contractus, reſtrictum eſt. Pacta igitur quæ in vna tantum parte paciſcentium obligationem pariunt, non ſunt proprij contractus, qui ſemper ſunt reſpectiui, vt obſeruat Molina *tract.2. diſp.253. n.2.* Ad improprios porrò iſtos contractus, ſiue, vt alij loquuntur, ſemicontractus, reuocat donationem Conrad. *q.16. de contractibus*; quia ex ea non exurgit obligatio in donatario, niſi gratitudinis, non autem iuſtitiæ ſiue naturalis, ſiue ciuilis, ex qua donans agere poſſit in donatarium: donans autem ſi præceſſit promiſſio, obligatur rem promiſſam donare, tenetur quoque de euictione, ſi rem non ſuam dolo malo dedit, aut ſi donatarius expenſas in ea, quæ ab ipſo repetita eſt, fecit. Hæc tamen obligatio, vti ſapienter obiicit Rebell. *lib.1.2. part. de inſtitut. q.1. ſect.1.* Non oritur per ſe ex donatione, ſed per accidens ex dolo malo, quo donans vſus eſt donando rem quam ſciebat eſſe non ſuam: quare melius diceretur donantem per ſe obligari ad non repetendam rem à ſe donatam; niſi accidat aliqua cauſa ex illis ex quibus licet donationem reſcindere, de quibus agemus inferiùs. Diſplicet verò Comitol. *part.5. de contract. cap.3. num.2.* dum vt donationem inter contractus propriiſſimè dictos, & reſpectiuos numerare poſſit, atque reciprocam ex illo oriri demonſtret obligationem, ait obligari donatarium, ne quid committat ex quo te donata iure ſpoliari poſſit: nam ea obligatio reuerà iuſtitiæ non eſt, de qua ſola diſputamus hoc loco; quæ omnia & alia monuimus *lib.3. de vſuris, cap.2. initio.* Diſtinguunt præterea pacta à contractibus nonnulli, quia pacta quædam diſſoluunt obligationem, non pariunt, & ſunt diſtractus potiùs quàm contractus;

contractus; vt cùm duo ſibi mutuam obligationem remittunt inuicem, quod contingit in acceptilatione, cùm creditor interroganti reſpondet, ſe pro ſoluto habere. Non placet iſta diſtinctio, non modò quia contractus & diſtractus eiuſdem ſunt naturæ, quod obſeruant DD. *in l. de tutela. C. de in integrum reſtitution.* quamuis opponantur inter ſe, ſicut & & apud Græcos *συναλλάττειν καὶ διαλλάττειν*; ſed quia in ea laxatione mutuæ obligationis ex pacto illo naſcitur noua obligatio priorem elidens, nimirum non petendi quod remiſſum, aut condonatum eſt. In acceptilatione v.g. creditor obligatur nō repetere debitum, quod pro ſoluto ſe habere faſſus eſt, & debitor acquirit ius negandi ſolutionē, ſi ab eo contra fidem pactam petatur, quod pro ſoluto ſe habere faſſus fuerat creditor. Dicamus igitur ex omni quidem pactione, ſicut & ex omni contractu aliquam obligationem oriri; ex pacto quidem, naturalem, ex contractu etiam ciuilem, ex pacto non ſemper eſſe reciprocam ſicuti in contractu contingit, ac proinde pactum eſſe quidpiam vniuerſalius contractu, cùm pactū omnes conuentiones de aliquo complectatur, contractus autem non niſi illas ex quibus ciuilis obligatio, eaque reciproca naſcatur, quamuis ex vſu & modo loquendi nomen contractus ſæpius vſurpetur in ampliori quadam ſignificatione, & cōtractus etiam improprios, non reſpectiuos, & ſemicōtractus ſignificet; atque ipſos quoque diſtractus, quod oſtendit Hotman. *in l. 7 §. 2. D. de pactis.* Quare tota iſta contentio de nomine, non magni momenti eſt, cùm quod pertinet ad cōtrouerſias deinceps pertractandas inutilis ſit, & modò vocem pacti, modò cōtractus nullo diſcrimine vſurpent DD. Sanè *in rubricam de pactis*, diſputant quidquid ad contractus in vniuerſum pertinet, neque enim vlla rubrica eſt in iure de contractibus, vt hic. Sanè cum genus inſit ſpeciei, quidquid pertinet ad pacta, ad contractus quoque pertineat oportet: quid verò peculiare habeant contractus, qui ſunt pactorum ſpecies, in ſingulorum ipſorum explicatione tradetur, quod à nobis magnam partem in opere de vſuris præſtitum fuit, & in reliquis, qui magis ad negotiationem pertinent præſtabitur hoc & proximo libro. Quod verò ad naturam cōtractus, eiuſque proprietates ſpectat, quod & omnibus contractibus, & pactis commune eſt, hoc capite & aliquot ſequentibus tradenius, vtemurque promiſcuè voce pacti & contractus abſque vllo diſcrimine.

4 Venio itaque ad pactorum & contractuum diuiſionem: & quidē Ariſtoteles *lib. 5. Ethic. c. 5.* *συναλλάγματα*, quæ commercia vertit interpres, alia dixit eſſe *ἑκούσια*, alia *ἀκούσια*, ſpontanea, & inuoluntaria: ſpontanea ſunt, quæ vtriuſque paciſcentis voluntate contrahuntur, vt emptio, venditio, & ſimiles alij contractus, ſiue iuſti, ſiue iniuſti ſint. Inuoluntaria ſunt furtum, adulteriū, & alia pacta, aut facta, quibus iniuria infertur proximo. Et priora quidem cōmercia, iuſtitiæ commutatiuæ obiectum eſſe ſtatim patet, cùm in iis maximè ſeruetur æqualitas: nam quamuis nulla plerumque exiſtat obligatio præſtandi eas actiones, ſi tamen exercere eas quis velit, debet in illis plerumque ſeruare æqualitatem cum alterius iure, & nihil aliud quàm quod ipſum exigit præſtare. Diſtinguendum autem eſt hoc loco duplex ius alterius: alterum eſt quod quilibet in rem ſuam habet, ne in illa aliquod damnum patiatur; quod ius præſupponitur omni cōtractui, & permutationi, quodque proinde ſinguli permutantes & contrahentes ſeruare debent; atque ita in ſuis commerciis ponere æqualitatem; quod in primis ſpectat iuſtitia. Sic qui ſupra iuſtum pretium vendit, facit iniuriam emptori qui habet ius ne patiatur iniuriam in pretio, quod exhibet pro viliori merce. Alterum eſt ius, quod naſcitur ex contractu, & commutatione. Emptor v.g. acquirit ius in rem emptā, quod etiam violari non poteſt ſine iniuſtitia. Circa quod tamen ius non verſatur propriè ipſe contractus; v.g. emptio, & venditio, niſi remotè, ſed illud fundat, & vbi acquiſitum eſt, parit obligationem illud ſeruandi, & vtrumque iſtud ius ſpectat iuſtitia: prius illud in ipſa actione contrahendi & commutandi; poſterius in actionibus ipſum contractum & commutationem conſequentibus.

Συναλλάγματα, & commercia quæ ſunt iniurioſa proximo, vocabat Ariſtot. inuoluntaria, cuius nominis videtur difficilis eſſe ratio, cùm nequeant eſſe iniurioſa, ſi voluntaria non ſunt: hunc locum latè verſat Comitolus *3. part. de contract. cap. 2.* Reſpondeo cum S. Thoma *lect. 4. in lib. 5. Ethic.* hæc dici inuoluntaria non ſimpliciter, ſed quia vtrique contrahenti voluntaria non ſunt, ei nimirum qui patitur iniuriam. Neque dicas Philoſophum eodem loco inter contractus voluntarios numeraſſe vſuram, quæ tamen inuoluntaria eſt mutuatario, qui inuitus adiicit aliquid ſorti: nam Ariſtot. ibi non ſumpſit vſuram pro fœnore mutui, ſed pro vſu aut vſione rei, quæ acceptio non ignota Latinis fuit, vti obſeruauimus *lib. 1. de vſuris*, & contractus in quibus rei vſus, retento eius dominio conceditur, vt fit in locato, commodato, precario, vſurarij dici poſſunt: has igitur actiones & contractus inuoluntarios *συναλλάγματα ἀκούσια* alio modo reſpicit iuſtitia, quam priores illas commutationes, & pactiones voluntarias; illas enim intendit, iſtas auerſatur & emendat, beneque afficit voluntatem vt ipſas auerſetur, atque emendet: qua ratione explicari poteſt contrapaſſum quod intendi à iuſtitia volebant Pythagoræi; vt enim ſapienter aduertit Suar. *citat. diſp. de iuſtitia Dei, ſect. 2. num. 24.* illud ita intelligendum eſt, vt qui aliquid alteri confert, tantumdem ab illo acceperit vtilitatis, aut alias æquale nocumentum intulerit: quare & ipſe nunc æquale patiatur, ſaltem in priuatione dominij rei, quam confert: nam aliquando qui operatur ex iuſtitia nullum omninò nocumentum patitur ſiue in ſe, ſiue in ſuis rebus, neque vllam percipit vtilitatem diſtinctam ab ipſa actione externa, & opere iuſtitiæ, vt cùm quis ſtipendium dat pro re ſibi prorſus inutili, aut honorem debitum impendit abſque vllo commodo aut paſſo. Igitur contrapaſſum cernitur in commutationibus ciuilibus, cùm æquale datur accepto, & quantùm vni tribuitur, tantùm quoad valorem accipitur, quantùm alicui nocumentum illatum eſt, tantùm ei quo poteſt modo fieri, rependitur; & denique pro variis circunſtantiis, in quibus damnum & iniuria conſideratur.

Suppoſita hac Ariſtotelis diuiſione commerciorum & contractuum in ordine ad obiectum iuſtitiæ, venio ad alias, vt ita dicam, quodammodo magis intrinſecas, eas latè proſequuntur Conrad. *q. 17. de contractibus*, vbi triginta eorum ſpecies enumerat. Gerſon. *tract. de contractib.* octo recenſet, ſicut & Scot. *in 4. d. 25.* Antonin. 3. *part. ſum. tit. 8. cap. 2.* facit duodecim, alij augent, alij minuunt eum numerum pro variis capitibus, ex quibus eiuſmodi diuiſionem petunt, vti explicat fuſiùs Comitol. 3. *part. de contract. tot.* Rebell. 2. *part. lib. 1. quæſt. 1. ſect. 2.* Val. 2. 2. *diſp. 5. quæſt. 20. punct. 1.* vbi omnes eſſe eiuſdem 5

ſpeciei

ſpeciei in ratione iuſtitiæ, aut iniuſtitiæ, & materialiter ſolùm differre rectè monet. Ego pauciores & celebriores apud iuris interpretes, & quæ nobis vtiliores futuræ ſunt, attingo duntaxat; præcipua ipſarum membra ſequenti capite explicaturus.

6 Vlpianus igitur *l.5. D. de pact.* conuentionum tres ait eſſe ſpecies: publicas, quæ ex publica cauſa fiunt; priuatas, quæ vel legitimæ, vel iuris gentium ſunt: quam diuiſionem plurimi impugnant. Primò quòd publicas conuentiones de pace numerarit hoc loco, quaſi verò Prætoris edictum, quod interpretatur eo loco Vlpian. ad ius fæcialium, & fœdera populorum, ac non potius ad rerum priuatarum pactiones, & negotiorum familiares geſtiones pertineat. Dici tamen poterit Vlpian. voluiſſe ſummam diuiſionem pactionum tradere, ex quibus priuatas ſuo edicto Prætor regit; quare melius ſecundò obiicitur peccari in diuiſionem legis, cùm partem in genere numeret, ſiquidem ait tres eſſe pactionum ſpecies, publicas, & priuatas, & ex priuatis legitimas, aut iuris gentium; debuiſſet enim dicere conuentionis ſpecies tres eſſe; publicam, legitimam, & iuris gentium, aut duas tantùm ſpecies eſſe, publicam, & priuatam; tum iſtam poſtea ſubdiuidere in legitimam, & iuris gentium; aut denique quatuor facere ſpecies, publicam, priuatam, legitimam, & iuris gentium. Quare aliqui dicunt vitium irrepſiſſe in numerorum notas, alij obſeruant eam eſſe familiarem Iuriſconſultis præciſam diuiſionis breuitatem, vt ſubdiuiſionis partem ad diuiſionem accommodent. Sic numerant tres ſpecies interdictorum; prohibitoria, reſtitutoria, exhibitoria *l.1. §.1. D. de interdict.* cùm tamen iubentia prohibitoriis opponenda eſſent. Sic cùm rerum aliæ ſint mobiles, aliæ immobiles, aliæ corporales, aliæ incorporales, aliquando tamen breuitatis cauſa ita diuidunt, vt alias faciant mobiles, alias immobiles, alias iura, quoniam illæ duæ priores corporales ſunt. Sic hæredum diuiſio duplex erat conſtituenda; hæredum alij ſunt neceſſarij, alij non neceſſarij: alij ſunt ſui, alij externi.Ità tamen diuidunt vt dicant alios neceſſarios, alios ſuos, & neceſſarios, alios extraneos *l.1. §.1. D. de hæred. qualit.* Similia exempla occurrunt paſſim in iure. Eadem ratione, cùm quatuor ſint ſpecies conuentionum, publicæ, priuatæ, legitimæ, iuris gentium, tres tantùm enumerauit Vlpian. aduerſus quem & illud obiicitur, quod cùm conuentionem priuatam ſubdiuiſit in legitimam, & iuris gentium, mixtam omiſerit, quæ ſimul & legitima, & iuris gentium eſt; quia & eam ius gentium induxit, & Ius Ciuile confirmauit. Cuiuſmodi eſt emptio, venditio, locatio, depoſitum, & aliæ plures. Reſpondent tamen eam ſolam conuentionem dici legitimam, quæ lege aliqua aut Senatuſconſulto adiuuatur, non verò eam omnem, quæ a Iure Ciuili admittitur, ſiue adprobatur, aut non reiicitur, ſi aliquo alio iure, vt gentium, fuerit inducta. Verùm de legitima conuentione ſtatim dicendum erit; mihi videtur neque Vlpianum, neque cæteros Iuriſconſultos fuiſſe accuratos in diuiſionibus tradendis, vt illas ad regulas Dialecticorum exigerēt, cùm ad caſus ferè, & quæſtiones ſingulares reſponderent, ſatiſque illis eſſet pinguiori Minerua, prout materia ſubiecta poſtulabat, diuiſiones eiuſmodi tradere, eaque afferre membra diuiſionis, quæ tunc vtui eſſe poterant, aliis omiſſis; neque laboraſſe an ea diuiſio ſumma eſſet, an ſubdiuiſio tantùm; an atoma, an ſubalterna: quare in tuendis iſtis aut diuiſionibus, aut etiam definitionibus, minùs religioſiores eſſe debemus. Satis igitur nobis hoc loco ſit ex Vlpian. alias eſſe conuentiones publicas, alias priuatas: publicæ ſunt quę publicam cauſam habent, vt pacem, de qua belli Duces paciſcuntur. Græci *τῶν συνθηκῶν αἱ ἐξ αἰτίας δημοσίας γίγνονται αἱ ὅταν οἱ στρατηγοὶ πρὸς ἀλλήλους περὶ εἰρήνης συμφωνήσωσι*: huc pertinent pacta, induciæ. Conuentiones priuatæ fiunt ex priuata cauſa *ἐξ ἰδίου νόμου*, priuata & domeſtica lege, illæque vel legitimæ ſunt, vel iuris gentium, quia vel lege inductæ confirmatæque ſunt, vel iure gentium.

Vnde antiquiorem diuiſionem, vniuerſaliorem que, veteribus Iuriſconſultis non incognitam, vt ex libro Rhetoricor. ad Herennium conſtat, colligit Hotman. *diſp. de pactis, num.4.* Sic enim diuidit ille Rhetor: *Pacta ſunt quæ legibus obſeruanda; ſunt item pacta quæ ſine legibus obſeruantur ex conuentu, quæ iure præſtare dicuntur.* Pacta igitur alia ſunt legitima, alia conuenta, legitima definiuit Vlpian. *l.6. D. de pactis*, quæ lege aliqua confirmantur, vt *in l. XII. Tabul. Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio eſto.* Conuenta dicuntur quæ ſolo conuentu valent, neque vlla lege confirmata ſunt, de quibus Cicero *lib.2. de inuent. Quædam genera iuris iam certa conſuetudine facta ſunt, quod genus pactum, par, iudicatum: pactum eſt quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur, vt iure præſtare dicatur*: hoc eſt firmum & ſtabilitum iure eſſe. Hæc itaque pacta conuenta non lege aliqua, ſed conſuetudine P. R. propter fidei, & ſocietatis humanæ rationem ita probata erant, quaſi iure aliquo conſcripto conſtarent. Quia verò conſuetudine ſolùm aliqua valebant, poſteà Prætores in edicta ſua tranſtulerunt; vnde ad extremum in edictum perpetuum tranſcripta ſunt, quod edictum Vlpian. Paul. aliique conſulti iuris ſunt interpretati, & locum perpetui iuris obtinuit. Hæc itaque pacta, & conuenta quia neque lege, neque iure Ciuili conſtabant, iuris gentium conuentiones dixit Vlpian. 7

Pacta conuenta, de quibus ſolis diſputat Vlpian. iterum primaria, & ſumma diuiſione licet in nuda & cauſaria partiri, nuda hic appellantur quia nuda partium voluntate & conuentione conſtant, neque aliam ſubiectam cauſam habent, quam quia ita viſum & placitum eſt paciſcentibus: nuda itaque pacta conuenta ſunt purè voluntaria, & merè arbitraria, ſic nuda voluntas pro nuda conuentione dicitur *l. 3. D. de reſcind. vendit.* 8

Cauſſaria nominat Hotman. inuſitato quidem in ſcholis verbo, ſed non inepto, cùm cauſſarios milites, & cauſſarias miſſiones dicamus, conuenta illa pacta, quæ aliquam præter nudam voluntatem cauſſam habent, & opponuntur nudæ pactioni, voluntati, atque ſimplici conuentioni. Ideóque cauſaria iure nominari poſſunt, maximè cùm videamus nudam voluntatem, & ſimplicem conuentionem opponi cauſæ generaliter *l.7. initio D. de pactis*, & *l. ſolent 15. D. de præſcript. verb.* quo poſtremo loco opponitur negotio. *Qui*, inquit, *vt ſibi fur indicaretur, aliquid promiſit, obligatur: nam illa conuentio non eſt nuda, vt quis dicat ex pacto actionem non oriri, ſed habet in ſe negotium.* Aliàs nuda, & ſimplex conuentio opponitur traditioni rei, vt *l. legem 10. l. traditionib. 20. C. de*

pactis, atque aliis ploribus locis accuratè ab Hotman. collatis *diſp. de pactis*, *num.* 9. Traditionem porò eſſe vnam cauſæ ſpeciem quis neget? Cauſatæ itaque conuentiones habent aliquam cauſam præter nudam & ſimplicem conuenientium voluntatem; quæ cauſatæ conuentiones rurſus in nominatas, & innominatas diuiduntur. Priores proprium nomen habuerunt ab verbis initio; quare generale illud, & primæuum pactorum nomen quodammodo amiſerunt, ſpecialique, & peculiari nomine ex ſuarum ac ſolemnium actionum formula denominatæ ſunt, vt emptio, venditio, locatio: aliæ verò generale conuentorum nomen retinuere; vt do, vt des, quorom omnium rationem & exempla dabimus *cap. ſequenti.* Nunc eam ſolam diuiſionem vniuerſalem pactorum attingo, eiuſque diuerſa membra numero, non explico: quare nudorum pactorum ſpecies omitto hoc loco, & venio.

9 Ad tertiam pactorum diuiſionem genericam, in expreſſa, & tacita, quæ vtraque inter præſentes & abſentes fieri poſſunt. In prioribus habetur tractatus inter paciſcentes; tacitæ verò conuentiones, rebus potius, & factis quam verbis, aut præuia tractatione fiunt, quorum omnium dabimus exempla *cap. ſequenti:* quare hic in paucis colliges conuentionum diuiſiones *ex tot. D. de pactis*, cum Hotman. & in tres ordines partieris.

Conuentionum igitur quædam ſunt expreſſæ, quædam tacitæ, aliæ inter præſentes verbis, interprete, nutu, inter abſentes per nuntium aut epiſtolam fiunt *l. 2. D. de pactis.* Tacitæ, vel iuris intellectu tacitè inducuntur, vel etiam a mutis, aut ſurdis fiunt *l. 2. & l. 4. D. de pactis.* Secunda diuiſio eſt in conuentiones publicas, & priuatas; publicæ ſunt fœdera, ſocietates, induciæ, pax, *l. 5. D. de pactis*, *l. 12. de capt. & poſtlim.* priuatæ quæ de priuatis agunt; quarum aliæ ſunt legitimæ, aliæ honorariæ, aliæ iuris gentium. Legitimæ legibus antiquis confirmantur, vt de furto & iniuria, ex XII. Tabul. *l. 27. §. pactus, D. de pactis*; honorariæ vt conſtitutum *l. 1. D. de conſt. pecun.* item hypotheca *l. 1. D. de pignor. action.* iuris gentium quæ tertiam quoque diuiſionem ingrediuntur, quam aptè non moror.

Tertiò itaque conuentionum aliæ ſunt iuris gẽtium, aliæ ciuilis, aliæ mixtæ. Iuris gentium conuentiones dicuntur, quæ ſola naturali æquitate conſtãt, neque Iure Ciuili comprobatæ ſunt; hæ neque nomen neque cauſam habent, quia ſolo conſenſu cõſtant, & nudæ dicuntur, id eſt nudæ à cauſa, & nomine *l. 7. in princ. verſ. ſed cùm nulla ſubeſt. D. de pactis*, veluti pactum de rebus permutandis *l. 1. D. de rerum permutat.* & *l. 3. C. eod.* Pactum de vſuris *l. 17. D. de pactis*; pactum de non petendo *l. 7. D. de pactis*, & paſſim: pactum vt cohæredes certo modo hæreditatem diuidant cùm eorum nullus poſſideret *l. 21. C. de pactis.* Conuentiones ciuiles iure ciuili comprobatæ ſunt, veluti nexus, dotis datio, acceptilatio, nouatio, ſtipulatio *l. 14. in fin. D. de nouat. l. 126. § pen. D. de verbor. obligat.*

Conuentiones mixtæ, quæ conſtituunt quartam diuiſionem apud Hotman. & iuris gentium, communes ſunt, & ſimul Iure Ciuili comprobatæ *l. 7. D. de pactis*, illarum quatuor facit genera; nam aliquæ tantum nomen habent, aliæ cauſam tantùm, aliæ vtrumque, quædam neutrum. Nomen tantùm habent quæ legibus inductæ ſunt, & ſuam certam naturam & formulam atque actionem ab iis qui Iuri Ciuili præfuerunt, conſtitutam habent; hinc forma antiquitus conſtituta in *l. 5. §. Iulianus, D. de admin. tutor. l. 7. §. quod in ſpecie. D. de pactis*: tales ſunt emptio, venditio, locatio, mandatum, ſocietas, quæ ſine datione, & ſine facto nuda voluntate, nudo conſenſu obligationem pariunt, *l. 1. D. de rerum perm. l. 2. de obligat. & action.* atque idcircò dicuntur tranſire in proprium nomen contractus *l. 1. in fin.* & *l. 7. in princ. D. de pactis*, & habere nomen ſuum. Aliæ cauſam tantùm habent, id eſt dationem, aut factum certa lege *l. 8. l. 15. D. de praeſcr. verb.* ſed nulla antiquitus earum cauſâ conſtituta fuit actio, itaque ſuum nomen non habent, ſed in generali & vniuerſo nomine permanſerunt: *Do vt des, do vt facias, facio vt facias, facio vt des:* qui vulgò innominati contractus dicuntur *l. 2. 3. 4. C. de praeſcr. verb.* eius generis eſt permutatio, poſtquam res ab altera parte tradita fuit, *l. 1. D. de rerum permut.* Item pactum de diuidenda hæreditate, quando iam vnus cohæredum poſſidet *l. 15. C. famil. Erciſcund.* & *l. 21. C. de pactis.* Hæc ſunt quæ dicuntur negotia ciuilia, negotia proprij contractus, negotia noua *l. 1. D. de æſtimat. l. 22. D. de praeſcr. verb.* quorum nomine cum inſtitutæ antiquitus actiones non eſſent, moribus inductum eſt vt componantur actiones perſcriptis verbis vtiles in factum *leg. 1. 2. 3. 11.* & paſſim *D. de perſcript. verb.*

Aliæ conuentiones & nomen, & cauſam habent, quia præter dationem, aut factum non modò certam ab antiquis formam conſtitutam habent, ſed etiam certam, & ſolemnem actionis formulam, veluti mutuum, commodatum, depoſitum, pignus *l. 7. D. de pactis.* Ergo hæ quoque nomen habere dicuntur, quia certa illis formula antiquitus impoſita fuit *l. 5. D. de admin. tutor.*

Denique conuentiones quædam neque cauſam, neque nomen habent, ſuntque ſolius iuris gentium, & nudæ dicuntur, quòd cauſa & nomine careant, & ſola promiſſione conſtent; veluti ſi inter aliquos conuenerit de ſuis rebus inuicem permutandis: nam poſt alterius traditionem exiſtit contractus innominatus, *do vt des*, *l. 1. D. de rerum permut.* Placuit iſta paulò fuſiùs referre, quia & futuræ diſputationi, & iis, quæ ex iure interdum adducentur lucem ſine dubio præferent.

Pergo ad aliquot alias diuiſiones noſtris Doctoribus familiares, noſtroque inſtituto accommodatas. 10

Diuiditur itaque contractus, in contractus lucratiuos & oneroſos. Primi ſunt in quibus vnus aliquid accipit nullo onere ipſi impoſito ex mera liberalitate alterius, vti contingit in acceptilatione, donatione, commodato, qui proinde non ſunt veri & proprij contractus, cùm vltro citroque obligationem non pariant, contra Comitol. 1. *part. de contract. cap.* 3. qui mutuam obligationem in his pactis aſſignat, ſed omninò male, vti oſtendimus ſuper. Gratuitos verò dici vult ex eo tantùm, quia manant primò ab animo benefico, aut quia nulla merces interuenit, cùm vnus det, & nihil recipiat. Oneroſi dicuntur contractus, in quibus onus & obligatio vtrimque imponitur, vt in emptione, & venditione; venditor enim grauatur tradere rem ſuam, & emptor iuſtum illius pretium. Sunt prætereà contractus alij diuidui, alij indiuidui, prout ipſorum materia admittit, aut non admittit diuiſionem, eſt autem ſermo de diuiſione non modò naturali, ſed maximè ciuili, & ex præſcripto

ſcripto legis, cuiuſmodi ſunt ſeruitutes reales ruſticæ, iter, actus, via, nec enim pars tantùm ſeruitutis poteſt promitti, aut in obligationem deduci, *l. ſtipulationes, D. de verbor. obligat. Stipulationes non diuiduntur earum rerum quæ diuiſionem non recipiunt, veluti via, itineris, actus, aquæductus, cæterarumque ſeruitutum.* Idem habetur *l. via itineris. D. de ſeruitutib.* Quatuor autem modis contractus diuiduus, aut indiuiduus dicitur. Primò promiſſione & obligatione. Secundò diſtributione, ſeu diuiſione inter hæredes. Tertiò ſolutione. Quartò liberatione à ſolutione, de quibus omnibus plura Conſulti iuris ſcribunt.

Diuiditur denique contractus in contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris, de qua diuiſione plura Couuar. *in regulam poſſeſſor, 2. part. §. 6.* & Comitol. *3. part. de contract. cap. 5.* Moneo duntaxat bonam fidem non eſſe ſolius doli & fallaciæ excluſionem, ſed ſignificare quandam æquitatem à ſummo & ſtricto iure ſeiunctam, neque ipſum tantum contractum, ſed eius quoque circumſtantias benigna quadam interpretatione reſpicit, vt colligitur ex *l. bona fides 31. D. depoſiti.* Strictum autem ius quod propriè & ſtrictè ad corticem litteræ abſque vlla benignitate & interpretatione accipiendum & ſeruandum eſt, ita ſumitur *l. Pannonius 86. D. de acquirenda hæreditate.* Subtilem Iuris regulam appellat *l. ſi ita ſcriptum 13. D. de liber. & poſthumis.* Contractus itaque bonæ fidei dicuntur non quia ab illis omnis dolus & fraus abeſt, id enim ad omnem contractum requiritur, ſed quia in illis multa permittuntur æqui Iudicis arbitrio, qui ratione variarum circumſtantiarum non ita præciſe adhæret litteræ, aut iuris ſcrupulorum apicibus: at verò ſtricti iuris contractus ij ſunt in quibus eſt mordicus adhærendum verbis, neque quidquam poteſt Iudicis, quamuis probi, & prudentis arbitrium. Harum autem nominationum originem aperit Couarru. Cum enim Prætores Romæ non poſſent ſingulorum primas cauſas iudicare, litigatores ſummatim auditos ad Iudicem Pedaneum remittebant, addita formula quadam ex propoſita cauſa, à qua formula non licebat aliquando Iudici inferiori diſcedere, v. g. *Si paret Titium Seio centum mutua dare oportere, Caius condemnato, extra quam ſi pactum conuentum, ne ex pecunia mutua peteretur, factum ſit.* In aliis autem formulis addebat aliquando Prætor *ex bona fide*; tuncque inferior Iudex poterat quod ſibi æquum videbatur iudicare, neque tenebatur ad præduram verborum, quibus initi erant contractus notionem, quod fit manifeſtum *ex l. quæro 54. D. locati. Vſuræ*, inquit, *in bonæ fidei iudiciis non tam ex obligatione proficiſcuntur, quam ex officio Iudicis applicantur.* Ex quibus omnibus tandem infert Couarru. contra Bald. etiam iure Pontificio diſtinctionem actionum & contractuum bonæ fidei atque ſtricti iuris manere, cùm nullibi ſublata legatur, & bona fides ibi non opponatur dolo.

***

ARTICVLVS II.

De cauſa efficiente pactorum & contractuum.

Regula prima. 1.
Regula ſecunda 2.

CAuſa effectiua contractus eſt conſenſus liber, quem præſtat perſona iure habilis, & apta ad contrahendum. Itaque duæ tradendæ ſunt certiſſimæ, & conſtantes, atque vniuerſales regulæ, quarum prima eſt.

Qui conſenſum verè liberum non præſtat paciſcendo, non contrahit, neque paciſcitur: Immò ſi eiuſmodi liberum conſenſum præſtare nequeat, paciſci nequit, illudque impedimentum phyſicum eſt, atque ex natura rei: ad liberum autem conſenſum requiritur deliberatio, & iudicium intellectus, cognitio rei de qua contrahendum eſt, quæ per errorem, ignorantiam, fraudem, ac dolum tollitur. 1

Hæc regula perſpicua eſt, & fusè à nobis confirmata nuper *opere de vſuris lib. 3. c. 2.* oſtendimus enim in primis *art. 2. 1. regula* promiſſionem ficto animo factam, & ſine voluntate promittendi, ſiue ſe obligandi, nullam omninò exiſtere; donationem item ficto animo factam nullum transferre dominium propter defectum conſenſus veri: quod verò ſtatuebamus in promiſſione liberali, & donatione gratuita, id ipſum deinde demonſtrauimus in *ſecunda regula*, circa contractus reſpectiuos, eos nimirum nudos & nullos eſſe, quoties conſenſu ficto fiunt, quibuſcumque ſignis externis conſenſus eiuſmodi ſimuletur: ad quid verò obligentur ſic fictè promittentes, & fictè paciſcentes, docuimus ibidem tum *regula 1. tum tota regula 3.*

Ad verum itaque & ſufficientem conſenſum in promittendo & paciſcendo requiritur libertas, quæ ſine deliberatione, & aduertentia haberi nequit; atque ad contrahendam obligationem promiſſionis, & contractus debet ea aduertentia & deliberatio eſſe plena, quæque ſufficiat ad peccatum mortale; quæ omnia, & ſingula pluribus demonſtrauimus *art. 3. regula prima.* Quomodo cum ea neceſſaria aduertentia, & deliberatione pugnet ignorantia poſitiua, ſiue error, docuimus *tota ſecunda regula*, benè multis. *Tertia* denique egimus de dolo eundem conſenſum deſtruente, & contractum inualidante; quibus omnibus non indiligenter eo loco diſputatis, nihil prorſus addendum occurrit; quare tu ea conſulas, neque enim animus eſt earumdem rerum repetitione, & iterata exſcriptione implere paginas, & opus augere, quod ſua mole nimium fortaſſis excreſceret.

Altera regula vniuerſalis eſt circa conditionem perſonæ paciſcentis; vt non modò libera conſentiat, contrahatve; ſed etiam vt iure habilis ſit ad contrahendum, hoc eſt liberã rerum ſuarum adminiſtrationem, & non ipſi prohibitã habeat; nã pro ratione tantùm liberæ illius adminiſtrationis, & quatenus illã habet, poterit paciſci, & ſeſe ad quidpiã obligare. Itaque vt quis validè paciſcatur, non modò id ad quod ſe vi pacti obligat, in ſuo dominio & poteſtate habere debet, ſed illius quoq; liberam adminiſtrationem, alioquin inutiliter, & inualidè 2

de ea re contrahet. Ius autem ſapientiſſimè quibuſdam perſonis rerum ſuarum adminiſtrationem, liberamque earum diſpoſitionem inhibuiſſe certum eſt, & ex ſubiiciendis conſectariis perſpicuum fiet, quare in omnibus eiuſmodi perſonis videndum erit quid ius permittat, quidve prohibeat, vbi aliunde impedimentum non eſt.

ARTICVLVS III.

Conſectaria de perſonis paciſcentibus.

CONSECTAR. I. *An pueri & impuberes poſſint contrahere.*
II. *An filiifamilias paciſci valeant.*
III. *An, & quomodo minores contrahere poſſint.*
IV. *An, & quomodo Religioſi contrahere, & ſe obligere valeant.*
V. *An prodigi, & furioſi contrahere poſſint.*
VI. *De quibuſdam aliis perſonis, quibus prohibitum eſt contrahere.*

PErſonas de qnibus controuerti poteſt, an licitè, & validè paciſci & contrahere valeant, hoc articulo recenſeo, & quid de illis ſentiendum ſit hac in parte paucis expleo ex vniuerſalibus regulis nuper traditis.

CONSECTARIVM I.

An pueri & impuberes poſſint contrahere.

Quid ſit impubes. 1.
Impubes nondum ſeptennis contrahere nequit. 2.
Septennis poteſt. 3.

1 PVbes dicitur maſculus quatuordecim annis completis; fœmina verò duodecim, anno verò decimo cum dimidio maſculus pubertati proximus cenſetur, & fœmina anno nono cum dimidio, quæ omnia ex gloſſa, iure & Doctoribus probant Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp.* 38. *n.* 2. Couuar. 2. *part. de ſponſalib. cap.* 5. *num.* 2. Tiraquell. *l.* 6. *connub. n.* 38. Gutierr. *relection. in Athentic. ſacramenta puberum, n.* 2. qui etiam quærunt cauſas huiuſce diſcriminis inter mares & fœminas, quæ tandem vti aduertit Gutier. in eam reducuntur, quòd fœminæ vti imperfectiores, & breuioris ferè vitæ, citiùs matureſcant, atque vt ait Macrob. *lib.* 7. *Saturn. cap.* 7. eandem quæſtionem verſans; maturius citiùsque vota feſtinent. Minorem verò ſiue marem, ſiue fœminam dicimus ex iure qui nondum 25. annum attigit: de impuberibus igitur quoad poteſtatem paciſcendi, aut celebrandi ſic ſentiendum.

2 In primis ante annum ſeptimum ætatis paciſci & ſeſe obligare nequit, quia tunc nondum habere rationis vſum ad liberum conſenſum requiſitum præſumitur, ideóque neque ante illud ſeptennium obligatur legibus, cùm eiuſmodi obligationis incapax eſſe cenſeatur: & denique cùm eam libertatem, atque adeò rationis deliberationem, & aduertentiam ad validè paciſcendum, imponendamque ſibi ipſi obligationem promiſſione aliqua vel pacto, requireremus, quæ neceſſaria eſt ad peccandum mortaliter, & ante ſeptennium noxæ illius, ob defectum rationis nondum illuceſcentis expers exiſtimetur, non erit quoque ad paciſcendum & contrahendum idoneus: quare omnia illius pacta, niſi ea deinde rata habeat & approbet, nulla atque inualida cenſebuntur: quod ſi inde locupletior euaſerit, non tenebitur actione ex contractu, ſed ſolùm æquitate naturali, quæ nullum aliena iactura iniuſte locupletari patitur: quare non placet, quod tradit Rebell. 2. *part. lib.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 20. obligari hunc puerum etiam ciuiliter ſi ditior euaſerit, cùm enim in foro externo pactum illud nullum fuerit, non poterit ex contractu nullo dari actio: quia tamen per eiuſmodi contractum inualidum quidpiam acquiſiuit, quod adhuc poſſidet, & habet in ſuis bonis, illud iuſtè retinere nequit, cùm ſit alienum; retinere verò cenſetur ſi ex eo ditior hodie remaneat, quamuis illud ipſum iam conſumpſerit; quia tantum reuera habet in bonis, quantum ex illis conſumpſiſſet, ſi illud aliud, quod contractu inualido acceperat, non expendiſſet, vti fuſius explicabitur in appendice de reſtitutione. Sapienter tamen monet idem Rebell. puerum necdum proximum pubertati, aut ante ſeptennium non poſſe paciſci, aut contrahere, id intelligendum eſſe niſi malitia ſuppleat ætatem, vti in quibuſdam aliis contingit; hoc eſt ſi nondum ſit doli capax. Nam ſi rationis lumen in illo præuenerit conſuetam ætatem, vti fit in quibuſdam præcocibus ingeniis, reuera vti tunc poterit peccare mortaliter, poterit quoque ſe Deo, & homini obligare. Ratioque eſt euidens; quia tota illa incapacitas paciſcendi in tenera ea ætate, oriebatur ex defectu vſus rationis: quare vbi aberit ille defectus, erit capacitas contrahendi, quam eiuſmodi defectus impediebat; quia tamen difficillimum eſt eiuſmodi malitiam, vti appellant, ſiue plenum, & non micans tantum lumen rationis certò aduertere, facit puero poteſtatem lex rata habendi, aut reſcindendi pacta illa in tam tenera ætate ante pubertatem inita, vt ſtatim dicemus.

Secundò puer poſt ſeptennium etiam nondum pubes poteſt validè contrahere, cùm & ratione ſufficienti polleat, & ius quoque id illi permittat. Et quidem quod attinet ad naturalem capacitatem paciſcendi, ea manifeſta eſt vſu rationis tunc affulgente, quod latè probat Mandoſius *de ætate minori, capitulo* 4. *numero* 2. & omnino ſuppouit *l. ſi infantis. §. vltim. Cod. de iure deliberand.* dum ait poſſe maiorem ſeptennio acquirere. At verò *l. potuit. Cod. eod.* exigit voluntatem pupilli, vt ipſi acquiratur hæreditas. Maior igitur ſeptennio voluntatem acquirendi habere poteſt, aut non acquirit ſibi: & *lex in ſponſalib.* 14. *in fine. D. de ſponſalib.* ait nullā ætatem ſpōſalibus contrahendis definitam eſſe; atque adeò à primordio ætatis fieri poſſe. *Si modò id fieri ab vtraque perſona intelligatur, id eſt ſi non ſint minores quam ſeptem annis* Exiſtimauit itaque Modeſtinus, cuius eſt illa lex, puerum ſeptennem intelligere poſſe quidnam agat, & ad quid ſeſe obliget, dum ſponſalia contrahit. Quia verò contingere aliquando poterit in tardioribus, & hebetioribus quibuſdam ingeniis, vt etiam ſeptennes nondum 3

dum præ mentis ſtupore ſatis intelligere poſſint quid agant, dum aut ſponſalia, aut quidpiam aliud paciſcuntur, tunc contrahere non poterunt, cùm non ſatis deliberationis, & neceſſariæ libertatis ad imponendam ſibi ipſi grauem obligationem afferre queant. Ita Goffredus *in ſumma, tit. de deponſal. impub. n.* 10. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 16. *n.* 3. & alij paſſim.

Atque ex præſumpto rationis vſu in ſeptennie, ſponſalia impoberum probauit nõ modo ius ciuile iam allatum, ſed etiam Eccleſia, *c. litteras* 4. *c. acceſſit* 5. *c. ad diſſoluendum* 13. *de ſponſalib.* Verùm de ſponſalibus, & matrimonio impuberum alius erit commodior dicendi locus; ſatis eſt huic noſtro inſtituto, impuberes, modò rationis vſu polleant, capaces eſſe paciſcendi, contrahendive, niſi lege poſitiua prohibeantur. Permittit autẽ illis lex, ſponſalia, non verò matrimonium, niſi malitia ſuppleat ætatem: quumodo autem illa ſponſalia rata habeantur, & tranſeant in matrimonium, ſuo loco diſputabitur; interim adi Baſil. Pontium *lib.* 2. *de matrim. capit.* 13. Gutier. *lib.* 1. *qq. Canonic. c.* 18. & *lib. de matr im. cap.* 2.

Consectarivm II.

An filiifamilias paciſci valeant.

Filiifamilias poſſunt ſe naturaliter & ciuiliter obligare. 1.
Non tamen de bonis profectitiis, aut aduentitiis contrahere. 2.
Alia quæ non poſſunt. 3.

1 AGo de filiiſfamilias ſub patria poteſtate exiſtentibus, ſiue illi puberes ſint, ſiue pubertati proximi, de quibus ſic ſtatuo.

Et primò quidem eiuſmodi filiifamilias poſſunt ſe tum ciuiliter; tum naturaliter obligare per quoſuis contractus, ſi non ſint illis ſpeciali iure prohibiti, & non redundent in præiudicium patris aut alicuius alterius, *§. item inutiles, Inſtit. de inutil. ſtipul. l. tam ex contractibus* 57. *D. de iudic. l. filiusfamilias* 30. *D. de action. & obligat. l. final. §. pupillus. D. de verbor. obligat.* Quare in eo differt filius iſte familias à minore, cui tutor curatorve datus fuit: hic ſine curatore nequit ſe obligare ciuiliter, & filiusfamilias id poteſt ſine patre, quia, vt ait Gloſſ. *in §. pupillus, Inſt. de inutilib. ſtipulat.* curator datur ad ſuppiendam imbecillitatem minoris ætatis in contractibus, quibus non aſſiſtit, ſed potiùs reſiſtit ius, quando fiunt ſine tutoris, ſine curatoris authoritate. Patria autem poteſtas eſt ſolùm ad corrigendum, quare eius conſenſus non exigitur ad contrahendum. Addit Rebell. 2. *part. lib.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 30. filiumfamilias ex rationabili cauſa poſſe ſe vendere, etiam inuito patre, qua de re diximus *lib. ſuperiori, vbi de materia negotiationis.* Neque dicas filiumfamilias non poſſe teſtari, & proinde multò minus poſſe contrahere. Reſpondeo enim cum Antonio Gomeſio poſſe filiumfamilias & bona ſibi acquirere, & ſui iuris effici, ac proinde contrahere. At verò cùm teſtetur ſtatim moriturus, & nulla bona habeat, de iis diſponere, neque teſtamentum condere valet. Egi porrò huc loco de filiofamilias pubere, aut pubertati proximo, qui impubes ne authore quidem patre obligari poteſt ciuiliter, *§. pupillus, Inſtit. de inutilib. ſtipulation.* Cur verò impubes authore tutore obligetur, reſpondet Gloſſ. *in illum §. pupillus*, quia impubes habet tutorem obligatum, ſi malè authoritatem pupillo præſtet, non autem patrem *l. final. §. pupillus. D. de verbor. obligat. l. cùm oportet, §. ſub hac, Cod. de bonis quæ liberis,* &c. Hanc porrò impotentiam filiifamilias impuberis ad ſe obligandum extendit ad bona caſtrenſia Molin. *tract.* 2. *diſp.* 230. *n.* 8. & *diſp.* 261. *num.* 3.

Dixit nihilominus aliquos contractus prohiberi filiisfamilias à iure, vt mutui acceptio, SC. Macedoniano, de quo fuſiſſimè diſputauimus *libro primo de vſur. & commerc. capitulo quinto art.* 2. *Conſect.* 4. vbi etiam oſtendimus eiuſmodi contractu filiumfamilias ne quidem naturaliter obligari, eo quod ius poſitiuum eam obligationem prorſus elidat. An verò idem filiusfamilias quidpiam mutuo dare queat, diſputauimus ibidem, diximuſque *numero* 8. non poſſe, niſi ex peculio caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi: quia illius tum dominium, tum adminiſtrationem liberam habet.

Secundò nequit filiusfamilias de bonis aduentitiis, & profectitiis contractus vllos celebrare; quia bonorum profectitiorum tum proprietas, tum vſus eſt penes patrem, & non penes filium. Aduentitiorum quidem proprietatem habet filius, & pater ſolum vſumfructum, vnde videretur poſſe filium ad ipſorum alienationem contractus aliquos celebrare, aut de ipſis aliquo modo diſponere, eo quod proprietarius poſſit inuito vſufructuario proprietatem alienare, *leg.* 2. *Cod. de vſufructu.* Id tamen circa bona, aduentitia ſpeciali iure prohibetur filiofamilias, *l. fin. Cod. de bonis quæ liberis.* Ita Molina *tract.* 2. *diſput.* 26. Anton. Gomez. *in l.* 6. *Tauri, numero* 24. Molin. Iuriſconſ. *libro ſecundo de primogenit. capitulo* 4. *num.* 20. Sanch. *lib.* 6 *de matrim. diſput.* 39. *num.* 7. Ferdinand. à Caſtro *de iuſtit. diſp.* 7. *punct.* 4. §. 6. *num.* 4.

Sufficiet tamen ad licitam, & validam hanc alienationem conſenſus etiam tacitus parentis, quod obſeruat Molina *citata diſput.* 261. quia verbi gratia à patre illi permiſſa fuit libera bonorum illorum adminiſtratio, aut ab eodem fuit expoſitus negotiationi, aut denique quia parens longiùs abeſt, neque eius conſenſus facilè poterit obtineri, interimque labitur commoda occaſio profutura plurimùm filio, illius alienationis; loquor autem de filio pubere, licèt annum 25. non exceſſerit: nam alienatio bonorum aduentitiorum ex conſenſu patris facta, valida erit, contraquàm voluerit Faber *in §. pupillus. Inſt. de inutilib. ſtipulat.* & alij quidam, quia vti argumentatur Sanch. *numero ſeptimo*, filiofamilias permittitur alienatio bonorum iſtorum aduentitiorum, quoties pater non habet illorum adminiſtrationem & vſumfructum, quia tunc ea alienatio patri non nocet, idque concedit ipſe Faber *loco citato*, & probat Gutier *Relect. in authentic. ſacramenta puerum*, *n.* 51. At verò dum pater alienationi conſentit vel nullum patitur ex ea præiudicium, vel illud volens ac libens patitur, atque iuri quod habet eiuſmodi alienationem impediendi ſponte renunciat.

Dices *cap conſtitutus de in integrum reſtitutione*; pater qui alienarat bona ſibi cum duobus filiis communia, vt firma foret alienatio, ſuos emancipaſſe filius, qui deinde emancipati conſenſerunt

aliena

alienationi priùs factæ, aut tunc faciendæ. Ad validam igitur bonorum aduentitiorum alienationem non ſufficiet patris conſenſus, niſi filius alienans ſit emancipatus, aut ſaltem maior 25. annis. Reſp. patrem illum voluiſſe emancipare filios, ne conſenſus ab illis præſtitus, videretur metu quodam reuerentiali potiùs ab illis extortus quàm libet præſtitus; aut quia illi filij fortaſſis voluerunt aliter alienationi conſentire, aut aliis de cauſis, quæ proditæ non ſunt; præterquàm quod timebat pater ne quis quidpiam aduerſus illam alienationem exciperet, non quod emancipatio illa prorſus neceſſaria eſſet ad firmitatem alienationis, cùm ius nullibi id dicat, aut ſignificet.

Reſtant bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, de quibus poteſt liberè filiusfamilias contractus celebrare abſque patris conſenſu, vt iam diximus ex *l. miles, §. actionem l. ex nota, l. patre qui dat. D. de caſtrenſi peculio*; quia patri nihil omninò præiudicat. Impubes autem nequit etiam patre conſentiente illa alienare, aut de illis contrahere, *§. pupillus, inſt. de inutilib. ſtipulat.* quod datur infirmiori ætati, ne ſibi noceat, cùm conſenſus & authoritas patris damnum quod ſibi infert ſua inconſideratione filius impubes, non reparet, quandoquidem non tenebitur pater reparare quod malè & imprudenter filio permiſerit, ſicut obligatur tutor ſi temerariò præſtiterit ſuam authoritatem minori contrahenti, vti nuper obſeruauimus ex Gloſſa cum Molina *diſp. 261. citata.*

3 Tertiò filiusfamilias impubes nihil poteſt irreuocabiliter vouere, quia eius omnia vota tum perſonalia, tum realia pater irritare pro ſua poteſtate poterit. Vota verò puberis ſi realia ſunt poterunt à patre irritari quamdiu filius erit ſub patria poteſtate, & illa vota cadunt in bona aduentitia, quorum vſum & adminiſtrationem habet pater: quæ irritatio eſt tantùm indirecta, quatenus eiuſmodi vota cadunt in materiam alteri, quàm ipſi vouenti ſubiectam, cui vouens ſuo voto præiudicare non poteſt: quæ omnia fuſiùs explicuimus tractatu de voto, vbi de eius irritatione fuſiùs diſputauimus. Interim adi Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp. 39. & 13. opere moral. lib. 4.* atque alios.

4 Quartò poteſt filiusfamilias ſuas operas artificiales alteri locare inuito patre; quia illi debet tantum obſequiales; ita Reginald. *lib. 25. praxis, num.* 156. Rebell. 2. *part. lib.* 1. *q.* 8. *num.* 31. Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp. 39. num. 4.* Quare non poteſt filius compelli à patre ad ipſi ſeruiendum, miniſtrandumve, niſi titulo pietatis, quando inops adeò pater eſt, vt ſine illo miniſterio viuere nequeat, aut quia licèt aliquam norit artem, qua victitet, eam tamen ſine graui decore exercere non valet. Non poteſt etiam pater cogere filium vt ſecum habitet extra illum caſum pietatis, & neceſſitatis extremæ, ſi filius à patre recipere alimenta nolit, & honeſtum vitæ genus perſequatur. Denique nequit impedire quo minus aut litteris ſe det, aut alicui alteri arti honeſtæ, aut ad Indos proficiſcatur, quod ex pluribus DD. confirmant Rebell. & Sanch. locis adductis.

Conſectarium III.

An & quomodo minores contrahere poſſint.

Minor authore tutore obligatur naturaliter & ciuiliter. 1.
Sine tutore non obligatur ciuiliter. 2.
Obligat tamen ſecum contrahentem. 3
Obligatur etiam ipſe naturaliter. 4.
Poterit petere reſciſſionem, non tamen vti compenſatione. 5.
Grauis obiectio diluitur. 6. 7.
Qui à minore accepit an teneatur reſtituere. 8.
Quandonam minor indigeat ſententia Iudicis ad alienandum. 9. 10. 11. 12.

1 Primò minor validè contrahit & obligatur tum ciuiliter, ſi accidat tutoris aut curatoris authoritas, ſiue licentia *l. impuberes 13. D. de authorit. tutor. Impuberes tutore authore obligantur*: quod verbum *ibidem* explicat gloſſa de naturali, & ciuili ſimul obligatione. Itàque tradunt communiter omnes, vt videbis apud Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp.* 38. *n.* 5. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 224. Rebell. 2. *part. lib.* 1. *q.* 8. *n.* 21. & alios paſſim. Loquimur autem de minore iam pubere & pubertati proximo: nam infans propter defectum conſenſus obligari per ſe nequit, & ſi quid eius nomine contrahatur, ab ipſo deinde iam pubere, aut pubertati proximo ratum haberi debet, vti diximus *conſect.* 1. dum agitur de ciuili obligatione; nam naturalem vbi primum rationis vſum habet, contrahere poterit.

Secundò minor ſine tutore contrahens non obligatur ciuiliter, niſi quatenus inde factus eſt ditior, ſiue in ſuum commodum, *l. fin. C. pro emptore, & l. ſi curatorem 3. C. de in integrum reſtitut.* ita Anton. Gomeſ. *tom.* 1. *variar. cap.* 14. *num.* 1. Gutier. *de iurament.* 1. *p. c.* 5. *n.* 6. Molina, & Sanch. citati. Ratio eſt quia leges quæ prohibent minoribus contractus celebrare, eorum tantùm commodum attendunt; quare illis obeſſe non debent. Hinc fit;

2 Tertiò vt minor, & pupillus contrahens abſque authoritate tutoris, vel curatoris obliget ſibi illum quo cum contrahit, illi tamen non obligetur ciuiliter: quare ſi contractus vertat in ſuum commodum, poſſit alium cogere vt ſtet contractui, à quo tamen viciſſim cogi non poterit: nam *inſtit. de authoritate tutor. in princip.* minoribus & pupillis ætas in damnis ſubuenire, non rebus proſperè geſtis obeſſe conſueuit: quare ſententia, quam minor obtinuit ſine tutoris authoritate, valet *l. non eo minus 14. C. de de procurat. & l. contra 28. D. de pactis.* Eſt enim iuris vulgatiſſima illa regula, priuilegium in fauorem alicuius conceſſum, in eius damnum retorqueri non poſſe *l. nulla 24. D. de legibus. l. quod fauore 6. C. eod. l. Diuus autem 3. C. de Carboniano edicto; cap. quod ob gratiam, de regul. iur. in 6. Nou.* 81. §. 2. Hinc fit vt licèt ſententia aduerſùs innocuum lata, nulla ſit, ſi tamen in eius fauorem cedat, valeat, *leg. cùm quaſi 30. D. de fideicomm. liber.* Quæ fiunt igitur à minore abſque tutore, quando conſtat de acquirendo, valent, etſi per illegiti

illegitimas perſonas agatur, atque ita in Gallia ſeruari docet magnum conſuetudinarium *lib.4. c.45. de minoribus, n.6.* ea tamen, quibus minor factus eſt ditior tenetur reſtituere, quis verò teneatur oſtendere verſum eſſe in rem pupilli ad reſciſſionem cõtractus, an ipſe minor, an qui cum eo contraxit, res dubia eſt: vide Rebuff. *in conſtitution. Regias tract. de reſciſſione contract. præfat. num.10.* Stylus Curiæ habet, teſte Louetio *litt.M.n.9.* vt qui ſine iuris ſolemnibus contraxit cum minore quoad immobilia, probet in rem pupilli verſum eſſe, ſi adhibita fuerint ſolemnia tenetur minor probare non ſibi fuiſſe proficuum, ſed damnoſum eiuſmodi contractum. Hæc tamen claudicatio contractus cum minore, ſine tutoris eius authoritate celebrati, non diuidit contractum, ita vt minor illius partem ſibi vtilem probare poſſit, alia noxia reiecta: nam totum cõtractum probare, vel totum reiicere debet, quod in omni contractu claudicante reſpectu eius, qui non obligatur ſtare contractui, valet, quod latiſſimè oſtendit Tiraquell. *de retractu conuentionali, ad finem totius tituli, à num. 4. ad 16.* & & de contractu Eccleſiæ Sarmiento *de redditib. Eccleſiaſt. part.1. cap.2. num.19.* quare contrahens cum minore, vel Eccleſia, poteſt agere vt minor, vel Eccleſia compellatur declarare ſolemniter, an velit ſtare contractui, an non, *l. Iulianus. §. ſi quis à colludente. D. de action. empti*, quod multis citatis docet Sarmient. *2. cap. citato, num.22.* Hinc verò fit, vt quia pupillo conceſſum eſt meliorem facere conditionem ſuam etiam ſine tutoris authoritate, vt ait *l.28. D. de pactis*, non autem deteriorem, dicat *in ead. lege* Caius, non poſſe probari, & cõfirmari à Prætore pactum, quo pupillus ſine ſui tutoris authoritate obligatur ne a debitore ſuo peteret, aut ne intra certũ tẽpus. Rationẽ reddit, quia pacta conuenta contra iuris ciuilis regulas rata non habentur; & ſane licèt Prætoris ſit tueri pacta quæ Iuri Ciuili incognita ſunt, quæque ex iure prætorio potiùs, quam ex Iuris Ciuilis regulis æſtimanda ſunt, non poteſt tamen tueri Prætor pacta, quæ contra leges facta ſunt *l.7. §. ait Prætor D. de pactis*; & *l. pacta 1. C. eod.* quia licet Prætor multa facere potuit, fecitque præter leges, nihil tamen contra leges *l, necnon 28. §. quoad eius. D. ex quib. cauſ. maior. l. cùm ſponſus, §. ſi res. D. de public. in rem action.* Fit autem contra leges, quidquid fit contra regulas iuris, *l. qui vetante 102. D. de regul. iur.* quarum vna eſt, vt pupillus ſine tutore ſuo poſſit ſuam conditionem meliorem facere, non deteriorem, vti faceret creditum ſuum debitori remittendo, ad idque ſeſe obligando.

4 Quartò pupillus, & minor ſua authoritate ſine tutoris conſenſu contrahens, quamuis non obligetur ciuiliter, vti iam dixi, obligatur tamen naturaliter, quod ipſum aſſerui cum communiori ſententia, *lib.1. de vſuris & commerc. cap.15. art.2. conject.3.* & probatur. Primò quia fideiuſſor pupilli ſic contrahentis obligatur *l. fin. D. de iureiurando. l. pupillus 40. D. de recep. arbit.* Ergo pupillus obligabitur ſaltem naturaliter, quia principali non obligato, fideiuſſor teneri non poteſt, eſt enim regula iuris 178. *D. de regul. iur. Cùm principalis cauſa non ſubſiſtat plerumque, ne ea quidem quæ ſequitur locũ habet:* & *l. naturaliter 13. D. de condictione indebiti*, ait fideiuſſorem ſerui obligari; quia ſeruus naturaliter obligatur, & gloſſ. *in l. fideiuſſor. D. fideiuſſor.* dixit deficiente principali obligatione, acceſſoriam non valere. Secundò contractus minoris ſine authoritate curatoris factus, firmatur iuramento, ita vt minori tunc nõ competat reſtitutio in integrum. Ex eo igitur oriebatur naturalis obligatio; quod enim nullum prorſus eſt, validari nequit iuramento, vti dicemus alibi. Eandem denique naturalem obligationem apertè ſignificant *l.1. de nouationib. l. ſi eius 64. D. ad Trebellian. l. pupillus 21. D. ad l. Falcidiam, l. cùm illud 25. §.1. D. quando dies legati.* neque propterea leges aliæ quæ negant obligationem ciuilem iniquæ ſunt, quia ea naturalis obligatio eliditur poſtea reſtitutione in integrum, & reſciſſione contractus. Non ſequitur etiam minorem aliquid dando transferre dominium, *§. nunc admonendi; Inſt. quibus alienare licet*, quia iura non exigunt ad eiuſmodi translationem dominij quamcunque rei traditionem, ſed ciuilem; poſſidens tamen rem illam ſibi à minore traditam tutus eſt in conſcientia; quia non ſolùm dominium rei eximit ab illius reſtitutione, ſed etiam ius illam accipiendi, aut retinendi, quale habet ille cui alter obligatur naturaliter illam tradere. Quando itaque iura dicunt non poſſe obligari minorem ſine ſuo tutore, loquuntur de obligatione efficaci, & quæ exigi iure tum naturali, tum ciuili queat, & facile elidi non poſſit; vnde & quando dicunt iure naturali, aut nomina non deberi, loquuntur de efficaci obligatione, & quæ ad impletionem cogi poſſit.

Quare poterit minor petere reſciſſionem contractus, qui Iure Ciuili irritus eſt, atque etiam reſtitutionẽ in integrum de qua agemus inferius; poterit quoque vti priuilegio exceptionis, & illa ſe tueri aduersùs petentem rem illo contractu debitam. Quod ſi propter magnas expenſas, aliaſque graues difficultates minor nequeat petere, aut obtinere eam reſtitutionem in integrum, exiſtimat Sanch. *lib.6. de matrim. diſp.38. num.52.* Reginald. *lib.25. num.15.* non poſſe tamen vti compenſatione occulta, quia hoc priuilegium concedit duntaxat, vt ſi læſio probetur, qui læſus eſt, reſtituatur à Iudice in priſtinum ſtatum. Sic qui ludendo ludo prohibito actionem habet ad repetendum lucrum coram Iudice, *Authentic. Alearum. C. de religioſ.* non poteſt ante Iudicis ſententiam occultè ſe compenſare, neque alter tenetur antequam condemnetur, lucrum illi reſtituere. An verò poſſit minor rem illam non ſoluere, quam beneficio reſtitutionis in integrum poterit ſtatim repetere, non leuis eſt diſputatio. Et quidem Sanch. *diſp. cit. num.39.* eam retentionem permittit, ſicut & Regin. *num.151.* Molina *tract.2. diſp.515. num.8.* de eo qui aliquid ludo prohibito amiſit, quod nondum ſoluit, vbi & alios allegat. Ratio Sanch. eſt quia quando lex aliqua concedit actionem ad rem repetendam à poſſeſſore, ſi illam ſoluerit, poteſt eam in vtroque foro retinere, cui enim datur actio, eidem competit exceptio, & retentio; *Regul. qui ad agendum 61. de regul. iuris in 6. & Regul. inuitus 79. D. de regul. iur.* alioquin fruſtra peritur, quod ſtatim reſtituendum eſt, admittiturque inutilis actio. 5

Hinc tamen oritur grauis difficultas, quam vrget Ferdinand. à Caſtro *diſp.1. de iuſtit. punct.4. §.4. n.9.* inutilem eſſe eam obligationem naturalẽ, quã in minore contrahente ſine tutoris authoritate admittebamus. Si enim poteſt, etiã antequã reſtitutionẽ in integrum obtineat, aut petierit, rẽ promiſſam aut ex contractu naturaliter validè debitam non tradere, & ſibi retinere, poteſt non exequi contractum, quem tamen exequi tenetur obligatione naturali: quæ obligatio naturalis exequendi cum 6

poteſta

poteſtate non exequendi contradictoriè pugnant. Nam qui poteſt licitè quidpiam non exequi, non obligatur illud exequi. Poteſtas itaque non exequendi contractum, eſt non obligatio exequendi contractum, quæ tamen reperitur ex aduerſariis ſimul cum obligatione eundem contractum exequendi, quæ eſt manifeſta implicantia. Adde fore vt minor poſſit nunquam huic obligationi ſatisfacere; quia antequam petat reſtitutionem in integrum, aut contractus reſciſſionem, poteſt non ſoluere, & contractum non exequi, licèt ad ipſum teneatur obligatione naturali, quod totum concedunt aduerſarij. At verò multò minus obtenta reſtitutione in integrum, & diſciſſo contractu, tenebitur ſatisfacere obligationi naturali, quam contraxerat, quia iam prorſus eliſa eſt. Inutilis igitur, & fictitia tota illa naturalis obligatio fuit, aut non potuit minor obligatus eam non implere quamdiu eliſa non fuit per reſtitutionem in integrum, aut contractus reſciſſionem: v. g. in caſu legis 28. *D. de pactis*, pupillus qui ſine tutoris authoritate pactus eſt, *ne à ſuo debitore peteret, aut ne intra certum tempus, veluti quinquennium peteret*, contraxit obligationem naturalem non petendi, & tamen petere poteſt ex aduerſariis, etiam antequam Prætor pactum illud, vtpote contra iuris regulas conuentum improbarit. Obligatur igitur hic minor non petere ex pacto conuento, & tamen non obligatur, quia poteſt licitè petere. Vel igitur fictitia, & inutilis eſt obligatio naturalis non petendi, vel ſimul conſiſtit cum non obligatione non petendi, & ſeruandi pactum conuentum.

Reſpondet Anton. Faber *in l. 28. D. de pactis, citatam*; pupillum quidem obligari naturaliter ex pacto, aut ex ſtipulatione interpoſita, ſine tutoris authoritate, vti demonſtrauimus, ipſeque eodem loco probat ex iure, illius tamen obligationis naturalis nullum eſſe effectum, neque ad impediendam condictionem ſoluti, neque ad ſubmouendam actionem exceptione pacti, neque ad inducendam compenſationem: qui ſunt tres effectus naturalis obligationis, *l. naturales* 10. *D. de obligat. & action. l. etiam* 6. *D de compenſation. l. Stichus.* 95. §. *naturalis. D. de ſolution.* Ratio eſt quia cùm pactum ex quo naturalis illa obligatio naſcitur, improbatum ſit à Iure Ciuili, ac proinde etiam à Prætore, vt habetur ea *lege* 28. *D. de pactis*, & effectus illi naturalis obligationis iam enumerati ſint ex iure prætorio, fieri nequit, vt Prætor eos effectus tribuat obligationi naturali, quin à ſeipſo diſſentiat, & pactum ex quo naſcitur eiuſmodi obligatio ratum habeat, quod tamen facere non poteſt, cùm conuentum fuerit contra regulas Iuris Ciuilis; neque poterit aliquis ex iis effectibus induci contra pupillum, quin pupillus facto ſuo ſine tutoris authoritate conditionem ſuam deteriorem fecerit, quod eſt contra certas, & euidentes iuris regulas; nimirum pupillum ſine tutore poſſe quidem conditionem ſuam meliorem facere, non tamen deteriorem. Hinc colligit Faber pupillum, ſi quid ſine tutoris authoritate ſtipulanti promiſerit, & deinde ſoluat authore tutore, poſſe nihilominus illud repetere; quia nec naturâ debet *l. pupillus* 41. *D. de condict. indebiti*; nec naturali iure, nec gentium *l. quod amplius* 84. §. 15. *natura debet. D. de regulis iuris*. Diſtinguit autem Faber debere naturaliter, & debere naturali iure, & plus ait eſſe deberi naturali iure, quàm deberi naturaliter. Hoc poſtremum eſt deberi ex naturali quadam æquitate, quæ v. g. in noſtro caſu tuetur pacta: æquum enim eſt fidem datam ſeruare; vnde etiam pupillum, quamuis ſine authoritate paciſcentem obligat *l. 95. §. naturalis, D. de ſolution.* æquitas tamen naturalis non ſufficit ad conſtituendum ius naturale; quia nonnumquam maiori & contraria æquitate, etiam naturali labefactatur; v. g. in iſto caſu æquitas naturalis obligans pupillum ſeruare pacta eliditur illa alia æquè naturali æquitate, quod naturalis ratio permittere non debeat, vt qui naturæ infirmioris vitio ſibi proſpicere non poteſt, nocere ſibi nō poſſit. At verò ius naturale eſt aliquid firmum, quod nullo alio iure elidi poteſt; vnde non conſtituitur per quamlibet æquitatem naturalem, niſi ea ſit eiuſmodi, vt alia maiore æquitate contraria non labefactetur: quare licèt nunquam ſit ius naturale ſine æquitate naturali, omnis tamen æquitas naturalis non eſt ius naturale; quia ius naturale obligat ſemper, non autem omnis æquitas naturalis, vti oſtendimus, alioquin ſæpè ad contraria obligaremur, poſtulatque ipſa naturalis æquitas, vt obligatio quæ ex alia quadam æquitate contrahenda, implendaque videbatur eo caſu, tunc ceſſet, cùm tamen ius naturale nunquam ceſſet. Id totum pergit Faber oſtendere in pupillo, de quo agimus, qui accipiendo mutuam pecuniam non obligatur iure naturali *l. 59. D. de obligat. & action.* qui tamen obligatur naturaliter *l. naturaliter* 13. §. *vlt. D. de condict. indebiti*, *l. cùm illud* 25. §. 1. *D. quando dies legat. ced. l. Stichum* 95 §. *aditio. D. de ſolution.* nam illis omnibus locis conſtat huius obligationis naturalis aliquem eſſe effectum, ſi ſolutio ſit facta, aut aliquid loco ſolutionis, nam repeti nequit à pupillo, quem tamen effectum ne quidem habet obligatio naturalis, quam contrahit pupillus promittendo ſine authore tutore. Si enim deinde authore tutore ſolutum quidpiam fuerit, repeti poterit *ex l. quod pupillus* 41. *D. de condict. indebiti*. Cuius diſcriminis alia ratio non eſt, quàm quia licèt in vtroque illo pacto contrahatur obligatio naturalis à pupillo, illa tamen quæ contrahitur per pactum pupilli ſine tutore, fuit à Iure Ciuili improbata, non verò illa per quam pupillus accipit mutuam pecuniam. Eſtque iuris regula, ne pupillus ſine tutore quidpiam promittat, ſiue paciſcenti, ſiue ſtipulanti, quia omnis qui promittit, fit eo ipſo pauperior extra caſum *l. 1. D. de nouationib.* At verò qui accipit mutuam pecuniam non fit neceſſariò pauperior, ſed ſæpius locupletior euadit, ſi talem pecuniam in neceſſarios & vtiles vſus impendat; quare non potuit ſine damno pupillorum ita ius conſtitui, vt mutuam pecuniam ſine tutore accipere prohiberentur. Cùm itaque nihil faciat contra iuris regulas, qui dat mutuam pecuniam pupillo ſine tutoris authoritate, licèt aliquando contingere poſſit, vt ille pecuniam malè inſumat, indeque fiat pauperior, nihil cauſæ fuit cur naturalis obligatio per mutui acceptionem contracta à pupillo, non habeat omnes effectus, quos habent omnes aliæ obligationes à Iure Ciuili non improbatæ, atque ita ſi quid à pupillo mutuatario ſolutum ſit, non poſſit repeti, poſſit autem quando ſimilis aliqua obligatio naturalis fuit contracta per pacta contra iuris regulas conuenta, ac proinde ab eodem Ciuili Iure improbata.

Hæc eruditiſſimi Iuriſconſulti doctrina ſubtilis 7
& vera eſt quoad effectus obligationis naturalis in foro externo, quos aliquando concedit Prætor, quando pacta ex quibus naſcitur eiuſmodi naturalis obligatio, non ſunt conuenta contra Iuris Ciuilis regulas, ac proinde rata haberi poſſunt à Prætore,

Digitized by Google

Prætore, & tunc tres effectus aſſignatos à Fabro naſcitur obligatio naturalis. Verum nos agimus de obligatione ex æquitate naturali, ſiue illa quoque ſit ex iure naturali, ſiue non, non moror enim impræſentiarum in expendenda ſubtiliori illa diſtinctione æquitatis naturalis, & iuris naturalis, de qua in ſcientia Canonica commodiùs aliquando diſputauimus. Quærimus enim an iſte minor peccet contra æquitatem naturalem ex qua obligatur naturaliter pacta conuenta, & fidem datam ſeruare, ſi non ſtet contractui, ad cuius exequutionem non obligatur ciuiliter, cuiuſque reſciſſionem & in integrum ſtatum reſtitutionem petere poteſt. An inquam quamdiu ea petitio facta non eſt, poſſit abſque culpa non exequi pactum quo tenetur, & rem ex eo pacto naturalem debitam ſibi ſeruare, & retinere, & denique promiſſionem non exequi: v. g. vt perſtemus in exemplo nuper allato, poſſit pupillus petere à ſuo debitore, cum tamen pactus eſſet ne peteret, aut ne intra certum tempus peteret. Si enim obligatur naturali æquitate pactum ſeruare, violat illam æquitatem quando petit, & quando pactum non implet, ac proinde peccat, quidquid ſit de foro externo, & an illa obligatio naturalis habeat ſemper aliquos effectus ex iis, qui illi in iure tribuuntur aliquando, vti diximus, quia impoſſibile eſt, vti argumentabamur, ex æquitate naturali obligari ad exequendum pactum, & ex eadem æquitate non obligari ad exequendum illud ipſum pactum, quod tamen contingeret in hoc caſu, vti demonſtrabat obiectio, quia poſſe licite, & abſque culpa non exequi pactum, & non obligari in conſcientia ad illud exequendum, idem omninò eſt, quod ſtare nequit, vt vides, cum obligatione naturali, ſine in conſcientia ad illud exequendum: quare exiſtimo imprimò cum Ferdinando a Caſtro *loc. citato* Vaſq. in. 2. 2. *de pæn.* 5. *quæſt.* 6. *punct.* 5. *dub.* 8. neque improbabile, quod Aragon. 2. 2. *quæſt.* 32. *artic.* 7. *ſub fin.* teneri minorem illum ad implendam promiſſionem, & tradendam rem, & faciendum opus ex pacto debitum, quamdiu ea naturalis obligatio, quam contraxiſſe fatentur aduerſarij, eliſa non fuerit reſtitutione in integrum, aut proxime elidenda, cum iam petieriteam reſtitutionem, atque adeò iam vtitur ſuo priuilegio, tunc enim non violat æquitatem naturalem, quia licèt ea obliget ad exequutionem pacti, non obligat tamen ne vti velit priuilegio ſibi facto, & modo licito, ad elidendam eiuſmodi obligationem, qua tenetur, & qua exoluere ſe poteſt, vti facile poteſt, atque vt philoſophabatur Faber, tunc vna æquitas naturalis altera maiore, & contraria labefactatur, vt enim æquitas illa poſtulat fidem ſeruare, & obligationem ex pacto contractam implere; ita æquitas quoque naturalis permittit liberare ſe obligatione, quam quis contra prudentum, & iuris regulas contraxit facto, quod improbat ius, & priuilegio quod ipſi lex ſumma cum æquitate indulſit vti; cum enim non peccet vtendo illo priuilegio, non peccabit quoque cùm illius beneficium poſtulabit, eoque vti volet, neque tunc tenetur exequi contractum, quia inutiliter illum impleret, atque cum ſuo & alterius, cum quo pactus eſt, graui incommodo, ſtatim enim rem traditam repeteret, quam proinde inutiliter accepiſſet is, cum quo pactus fuerat, & magna ſua moleſtia reſtituere cogeretur, præter impenſas & negotium litis aliquando longioris, & vtrique paciſcenti moleſtæ.

Exiſtimo ſecundò non ſtatim exequendum eſſe pactum; itaque poteſt ſæpius mora non exequentis pactum eſſe inculpabilis, poteſtque intereà minor, & alius quilibet naturaliter tantùm obligatus, & qui ſui pacti reſciſſionem iure petere poteſt, non tradere rem promiſſam, non modò quamdiu tempus exequutionis non vrget, ſed etiam dum incipit vrgere, ſumere ſibi tempus aliquod ad deliberandum vtrum velit beneficio facto a iure frui, & agere ad reſciſſionem contractus, vti poteſt, an verò ſtare contractui. Verum hæc deliberatio non debet eſſe diuturnior & incommoda alteri contrahenti: nam debet vel exequi pactum, vel illius eliſionem ſerìò quærere, alioquin ſine dubio peccabit, & ſi quod damnum afferat ſua illa iniuſta mora alteri, illud reparare tenebitur. Suppono autem minorem poſſe ſuo beneficio vti, nam ſi non poſſit propter potentiam eius cum quo pactus eſt, aut alias iuſtas cauſas, ſine ſua culpa & fraude poſitas, quamuis illud impedimentum diutius duret, non exiſtimo tamen teneri toto eo tempore, quamuis paulò prolixiori ad tradendam rem promiſſam, ſed locum eſſe ſubterfugiis, quibus eam differat traditionem; quia non tenetur obligatione qua ſe poteſt iure liberare, & a cuius exolutione iniuſte impeditur, quādiu illius impedimenti amolitionem ſperare poterit, quod ſi illud impedimentum ſit perpetuum, eiuſque amoliendi ſpem omnē abiecerit, ſi illud impedimentum ſine dolo & fraude, aliave culpa alterius paciſcentis poſitum fuerit, ſed ab alio quopiam tertio proueniat, tenebitur obligatione naturali implere pactum, cum ea obligatio perduret, neque culpa tertij debet nocere illi, cui minor obligatur, ſi culpæ impedientis eius liberationem, aut extinctionem, nullo modo particeps ſit: nam ſi ipſemet cauſa eſſet impedimenti, faceret iniuriam ſibi naturaliter obligato quidpiam tradere, circa illam ipſam obligationem & traditionē, quare poſſet ille ſe indemnem ſeruare retinendo rē, ad quam tradendam illum alter iniuſtè cogit, vti in cæteris omnibus contingit. Exiſtimo denique moram iſtam in tradendo rem promiſſam & exequendo pactum in illo qui naturaliter tantùm obligatur, & non ciuiliter, poteſtque eius pacti diſciſſionem a iure petere, & obtinere, niſi admodū diuturna ſit, non eſſe grauiter culpabilem, quia non magni ſit paſſim, etiā a prudentibus, retentio rei quæ ſi tradita fuiſſet, ſtatim repetēda, & reſtituēda erat: quare non grauiter ferunt eam ſibi non fuiſſe traditam, ne maiori moleſtia in illa reſtituenda, ſi forte conſumpta eſſet, laborarent: quare vix illam retentionem damnant culpæ alicuius allati recentiores, quod vnum fortaſſis voluerunt aduerſarij.

Quin imò qui cum minore contraxit non tenetur reſtituere quod a minore vi illius contractus accepit, donec a Iudice condemnetur: ita Molina *tract.* 2. *diſp.* 224. & *diſp.* 519. Sanch. *lib.* 6. *de matrim. diſp.* 33. *n.* 30. quia minor obligatur naturaliter, & licèt non transferat dominium irreuocabile in accipientem, cùm res repeti poſſit, ille tamē vi pacti habet ius accipiendi rē ſibi promiſſam, eamque retinendi, donec ab illo repetatur, ipſeque condēnetur à Prætore, atq; ita elidatur tota prior obligatio naturalis pupilli, qui ſecum contraxerat, & ſimul totum eius ius, quod illi obligationi reſpondebat. Diſciſſo autem contractu minor reddet illud, quod acceperit, ſi in eo factus fuit ditior, alioquin diteſceret cum iniuria alterius; quod ſi totum abſumpſerit licitè, aut illicitè, non tenebitur reddere, quia 8

tunc licitè accepit, eiuſque etiam tunc dominus fuit factus, neque ipſius quidquam reſtat, quare nun habebit quidpiam alienum, quod reddat.

Sextò pupillus & minor non poſſunt ſola tutoris, aut curatoris authoritate abſque Iudicis ſentensia bona immobilia, aut mobilia pretioſa quæ ſeruando ſeruari poſſunt, alienare *l. 1. in princ.* & *l. magis puto, §. nos paſſim. D. de rebus eor. qui ſub tutela, vel ſub cur. ſunt:* & *l. qua tutori* 22. *Cod. de admin. tutor.* voluit enim ius maximè prouidere infirmiori ætati, & curare ne quid inconſultò, aut temerariò pereat: quare eiuſmodi alienationes, quæ magni momenti ſunt, nō ſolius tutoris prudentiæ, & fidei credere, ſed Prætoris decretum accedere prætereà voluit, qui & ipſe diligenter inſpicere debet, num aliquod aliud remedium ſoluendi æris alieni & ſeruandi pupilli patrimonium præter alienationem ſuppetat; immò niſi ea adhibeatur diligentia, probeturque neceſſitas illus alienationis, nullum fore Prætoris decretum exiſtimauit Menoch. *lib. 2. de arbitrar. caſu.* 171. *n.* 10. quare mobilia, quæ minori iactura poſſunt alienari, & quædam immobilia propter eandem cauſam priùs diſtrahenda ſunt, eaque primùm alienatio ſumenda erit, quæ minori minimè præiudicabis, vt aduertit *ibid.* Menoch. *num.* 15. quare non debet Prætor decretum diſiunctiuum pronuntiare, nempe ſub diſiunctione vendendi, vel pignorandi, aliòve modo alienandi, ſed vbi expenderit quæ alienatio minus incommodabit minori, decretum alienationis abſolutuio pronuntiate.

Ex hac porrò prohibitione alienationis bonorū immobilium minoris ſine ſententia Iudici, non modò non poteſt tutor ea ſola ſua authoritate vēdere, ſed neq; oppignerare, quia oppigneratio ſpecies quædā alienationis eſt, & vt obſeruat Vlpian. *l. imagis puto. D. de reb. eorum qui ſub tutela, &c.* facile ex oppignetatione foret ad venditionē deuenire bonorū, quæ obſecuritatem debiti fuerint oppignerata. Ideò nequidem licebit minori, eiuſque tutori prædiū à ſe emptum pignori dare venditori, vt inde reliquum pretij conſtituti ſoluatur, quāuis duo illa pacta ſimul fiant, quod docet Monoch. *citato caſu* 171. *n.* 31. quia ibi eſſet alienatio, quā ob cauſam ne tranſactionem quidē de immobilibus, abſque Iudicis decreto ipſi facere licebit *l. præſes, C. de tranſactionibus, l. 4. C. de prædiis minor. l. 1. C. ſi aduersùs tranſactionē.* quia ex tranſactione ſequitur alienatio, ſicut ex compromiſſo, quod proinde vnà cum alienatione prohibetur, *l. ſi pupillus. D. de arbit. l. ſi minorem, D. de minorib.* Datio quoque in ſolutū nō licet, *l. ſi minor. C. de prædiis minorum*, quia æquipatatur vendiſioni, & emptioni, *l. ſi prædium, C. de emptionib.* Diuiſio etiam bonorum communium cū fratre aut ſocio prohibetur *l. 1. §. 1.* & *l. ſi pupillorū, in princ. D. de reb. eorum qui*; quia & ipſa alienatio quædam eſt *l. 1. C. ſi aduerſus tranſactionem.* Immò emptio & venditio nominatur *l. cum pater, §. hæred. D. de legatis* 2. Denique nequit minor abſque Iudicis decretu legatū immobile repudiare *l. magis puto, §. fundum. D. de reb. eorum qui ſub tut.* quod mirum eſt, cùm ibi non ſit alienatio, ſed ſolùm omiſſio acquiſitionis; ideóque ad sepudiandam hæreditatem & quamlibet donationem non indigeat minos decreto Iudicis: quare id ſpeciale eſt in legato immobili fortaſſis, quia id faciliùs contingere poterat, & rarior afferi poterit cauſa illud repudiandi. Hæc omnia demonſtras Menoch. *citato caſu* 171.

An verò ex aliqua cauſa poſſit minor quidpiam
10 immobile ratione quapiam alienare ſine Prætoris authoritate, plurimi diſputant, qui & diuerſas eiuſmodi cauſas afferunt, ſed ferè parùm idoneas. In primis quando ager alienādus vectigalis, aut emphyteuticus eſt; quod reiicit ſapienter Menoch. *n.* 56. Deinde quando is a quo minos immobilia alienāda acceperat, ea iam venalia habebat. Verùm vbi in minorem tranſlata ſunt, ceſſat ea conditio venalitatis, ſiuntque inalienabilia, niſi certo modo; vti ſapiēter obſeruat idem Menoch. *n.* 55. ex *l. 1. §. ſi defunctus. D. de rebus eorum qui.* Tertiam cauſam afferunt aliqui, dum pater minoris eſt eius tutor, tunc enim ad alienationem volunt nō indigere Iudicis decreto. Verùm ſi agatur de minore emancipato, aut ex cuius bonis nullum patri commodum obtingit, indigebit pater tutor Iudicis authoritate ad diſtrahēda ea bona. Itáque intelligenda eſt *l. ſi pupillorū, §. ſi pater. D. de reb. eorum qui ſub tut.* & *l. 3. C. de prædiis minorum*: minoris verò ſub patria poteſtate exiſtētis bona aduentitia, quæ patris vſui & commodis cedunt, poterunt ex iuſta cauſa æris alieni diſſoluēdi alienari à patre, nullo Iudicis intercedente decreto, quod ex Iaſone & aliis habet Menoch. *num.* 54. Quartò excuſant aliqui quādo alienatio in affines, & conſanguineos minoris faciēda eſt; verùm leges alienationem minoribus prohibenses abſolutè loquuntur, neque huius exceptionis meminerunt, quam proinde nos apponere non debemus: quod ex communi DD aduertit Menoch. *n.* 65. *n.* autem 66. reiicit quintam aliam excuſationē, quam aliqui ex priuilegio fiſci petebant, negabāt enim opus eſſe Iudicis ſententia, quoties alienatio ad diſſoluendū debitum fiſcale fiebat; quod reiicitur etiam *ex l. vlt. C. de prædiis minor.* Sextò hanc alienationē minori permittūt quando curatore caret. Verùm ſi nequidē curatore authore abſque Prætoris ſententia poteſt minor alienare, quāto iure id poterit curatore carens, cùm tūc facilius errare, & deludi poſſit, & ius illi ne ſibi noceat diligētiùs prouidere debeat, vti ſapienter argumentatur Fachinæ. *lib. 3. controu. c.* 1.

Magis dubia eſt ſeptima cauſa, dum nimirū valdè vtilis exiſtit minori alienatio; quia v. g. prædiū alienandū ſterile & infructuoſum eſt, cuius loco pinguius & vtilius multò comparabitur: tunc enim Iudicis ſententiā neceſſariam nō eſſe docuerunt plurimi, quos dabit Tiraq. *in ll. connub. gloſſa* 8. *n.* 68. quia Iudicis ſententiā, aliaque ſolemnia in iſta alienatione ſeruanda exigit ius, ne quod præiudicium minori fiat. Quādo itaque conſtabit nō modò nullum præiudiciū creari minori, ſed eius cómodum, atque vtilitatē quæri, non erit opus eiuſmodi ſolénibus præſcriptis, quod confirmans ex ſimili caſu; nā *l. cùm hi. D. de tranſactionib.* prohibetur fieri trāſactio ſuper alimenta abſque Iudicis decreto, & tamen id permittitur alimentario, vbi euidens fuerit vtilitas *l. cùm hoc, §. tranſactionem. D. eod.* Verùm ſapientiùs Menoch. *cit. caſu.* 171. *n.* 60. & alij quos tū ipſe, tum Tiraquell. citatus adducunt, hanc cauſam reiiciunt; quia alienatio bonorum minorum non permittitur à lege propter eius vtilitatem, ſed duntaxat propter æris alieni diluendi neceſſitatem, quo duntaxat caſu id Prætos permittere poteſt, *l. ob æs alienum. C. de prædiis minorum.* Non poterit igitur minor, vel eius tutor quæcumque ſpectatus vtilitas extra neceſſitatem diſſoluendi debita, alienare immobilia, cùm nequidem Prætor extra illum neceſſitatis caſum debeat eiuſmodi alienationem permittete.

Octaua cauſa propter quam non erit opus de- 15
creto Iudicis, eſt quando agitur de ſola alienatione nudæ poſſeſſionis; ita enim cenſet Tiraquell. *in ll. connub. gloſſa* 5. *numer.* 570. vbi & alios refert; quia

quia non alienat, qui poſſeſſionẽ omittit, *l. non alienat. D. de regul. iur.* negant tamen Fachinæ. *lib. 3. controuerſ. cap. 2.* Menoch. ſæpius laudatus, *num. 56.* qui alios dabunt: nam *l. magis puto, §. 1. D. de reb. eorum qui ſub tutela*, cùm pupillus fundum bona fide emptum poſſidet, cum tutores alienare non poſſint, vbi tamen eſt ſola poſſeſſio alienanda neque iure dici poteſt alienationem æquè in poſſeſſionem, atque in proprietatem ſuo modo cadere, licita erit ea alienatio; quod non negat regula iuris allata, nam affirmat duntaxat omiſſionem poſſeſſionis acquirendæ, non eſſe alienationem, quod & ipſi fatemur. Verùm agimus de omiſſione, & tranſlatione in alium poſſeſſionis iam acquiſitæ, quam veram eſſe alienationem dicimus; ac proinde ex regula iuris conſtanti, fieri non poſſe abſque Prætoris ſententia.

Maior contentio eſt circa nouam cauſam, an videlicet poſſit minor ſua immobilia ſine Iudicis ſententia in fauorem matrimonij, & dotis conſtitutionem alienare, quod diſputant Chopin. *lib. 3. de legib. Andium. cap. 2. tit. 3. n. 10.* Maynard. *tom. 1. lib. 3. cap. 45.* Bacquet. *de iuribus iuſtitia, cap. 21. num. 328.* Argent. *in conſuet. Britan. tit. de donat. art. 220. gloſſa 2. n. 2.* Affirmat verò apertè gloſſa in *l. nulla lege, Cod. de iure dotium.* Præterea *l. Titia. D. de iure dotium*, donationẽ immobilium à minore factã in dotẽ non reiicit, ſed concedit reſtitutionem in integrum; quare Bald. *conſ. 99.* exiſtimat cõſtitutionẽ dotis, & donationem propter nuptias non contineri prohibitione legis *prædia. Cod. de prædiis minorum*, quia qui habilis eſt contrahendo matrimonio, habilis etiam eſt ad pacta quæ de more gentis apponi ſolent contractui connubiali: quæ eſt ratio Molinæi in *art. 161. conſuet. Bleſenſ.* Negant tamen Barthol. in *l. ſi conſtante D. ſoluto matrimonio*; Ioannes Faber. *in l. 1. C. ſi aduerſus donationem: & in l. prædia C. de prædiis minor* Menoch. *lib. 2. de arbitr. caſu 171. num. 46.* Tiraquell. *in ll. connubial. gloſſa 6. num 195.* Ferdinand à Caſtro *de Iuſtitia. diſp. 1. punct. 4 §. 6. num. 1.* Idem tradit Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp. 38. num. 37.* de donatione in arrhas dotales facta à minore: neque valet ratio Baldi dum arguit à matrimonio ad pacta dotalia: nam matrimonij capacitas à vigore naturali pendet, cuius potentiæ defectu, etiam maiores ac ſui iuris, liberamque ſuorum bonorum diſpoſitionem habentes nequeunt inire matrimonium, ex *cap. 1. & 2. de frigid. ac malefic.* habilitas ad pacta dotalia prouenit ex diſpoſitione legis, & matrimonium ſine iſtis conuentionibus ſtare poteſt; quare capacitate ad vnum, non infertur capacitas ad alia. In Gallia videtur ea alienatio facta in tabulis dotalibus tenere, & ſolùm ad legitimum modum reducendam eſſe, vt colligitur ex Curiæ decretis collectis à Louet. *litt. M. num. 9.* Modus autem ille dignoſcitur ſpectato commodo, quod prouenit minori ex contractu talis matrimonij, & ex conditionibus perſonarum contrahentium; requiritur tamen tutoris authoritas, eaque abſque ſententia Prætoris ſufficiet.

12 Fatendum nihilominus non ſemper ad alienationem de qua loquimur, Iudicis decretum neceſſarium eſſe. Caſus illos enumerat Menoch. *lib. 2. de arbitrar. caſu 171. laudato num. 67.*

Primò quoties teſtator relinquens prædium minori facit illi poteſtatem ipſum diſtrahendi, quia tunc minor nomine teſtatoris agit, non ſuo *l. 1. in princ. D. de rebus eorum qui ſub tut. & l. magis puto, §. ſi fundus, & §. pupillus, & l. vlt. D. eod.*

Secundò ſi fundus iuſſu Prætorio oppigneratus aut diſtractus fuit, non erit ampliùs opus nouo decreto ad illum vendendum, quia tunc ea venditio non ex voluntate tutoris, ſed Magiſtratus authoritate fit, ex *l. 3. verſ. pignori. D. de rebus eorum*, quòd idem dicendum erit ſi ob vim rei iudicatæ contingat alienationem fieri.

Tertiò fundus ſolo iure pignoris poſſeſſus à minore, licitè ſine Iudicis decreto alienabitur, quia tunc neque dominium, neque proprietatem, neque poſſeſſionem alienat.

Quartò cùm res cuius dominium minori competit, ab alio poſſidetur, poterit abſque Iudicis authoritate de ea tranſigere. Sic emphyteuta poſſet rem emphyteuticam ab aduerſario poſſeſſam alienare, irrequiſito domino; & Eccleſia licèt nequeat ſine ſolemnitate præſcripta alienare, poterit tamen rem ab alio poſſeſſam abſque eiuſmodi ſolemnitate, quod docet Panormitan. *lib. 1. conſil. 57. & 63.* Denique poterit tutor ſua prædia pro euictione rei alienatæ ſubiicere vt contrahens cum minore pacificatur: quæ omnia tradit Menoch. *citato caſu. 171.*

Consectarium IV.

Religioſus cum licentia Superioris contrahens obligatur ſuo contractu 1.

Contrahens ſine licentia, an obligetur naturaliter. 2.

An fideiuſſor Religioſi obligetur. 3.

Quomodo obligetur Monaſterium contractu Religioſi. 4. 5.

De contractibus à Religioſo factis ante profeſſionem 6.

SVppoſitis quæ diximus *lib. 1. de vſuris & commerc. cap. 5. art. 2. conſect. vltimo*, circa contractum mutui à Religioſo celebratum, ſic in vniuerſum de religioſi pactis ſentiendum eſt.

In primis Religioſus cum licentia tacita, vel expreſſa ſui Superioris contrahens obligatur naturaliter, & ciuiliter. Ita Abbas, & Felin. *in cap. ex reſcripto, de iureiurando*, & alij paſſim, quia tunc nihil omninò deeſt firmitati pacti illius, cùm & voluntas Religioſi, & Superioris adſit, neque deinde poterit aut Superior, aut eius ſucceſſor, aut alias quiſpiam illorum, licet Superior, eiuſmodi contractum ſemel validum irritare, vt multis relatis tradũt Rodriq. *tom. 3. qq. regul. q. 26. art. 1.* Sanch. *lib. 7. in Decalog. c. 31. n. 41.* Conſentit Ferdinand. à Caſtro Palao *tract. 16. diſp. 2. punct. 15. n. 1.* contra Aragon. *2. 2. q. 8. art. 8.* Ratioque eſt euidens, quia per eiuſmodi contractum ius acquiſitum eſt tertio, quod ius nequit Superior remittere, cùm non gerat vices illius cui quæſitum eſt, quamuis adhuc retineat dominium tum in voluntatem Religioſi, tum in rem nondum traditam. quare non benè argumentatur Arragon. ex voto quod re integra Superior irritare poteſt, quamuis de ipſius licentia fuerit emiſſum, & per illud ius Deo quæſitum, ſicut homini per contractum, verum diſcrimen in eo eſt, quod Superior gerat vices Dei, cuius proinde ius remittere poteſt, & non gerat vices hominis cum Religioſo contrahentis, cuius idcircò nomine nequit agere, neque eius ius remittere. Si tamen Religioſus eo quod eius Superior renitatur, & impediat, non impleat contractum, minimè peccabit, ſed Superior qui iniuſtè impedit.

Digitized by Google

2 Secundò Religioſus contrahens ſine licentia ſui Superioris non obligatur ciuiliter, quod omnes concedunt; ſed neque naturaliter circa res temporales,& in materiam paupertatis cadentes, obligatur tamen naturaliter circa actiones perſonales, de quibus contraxit. Hac diſtinctione, quam attulit à Caſtro Palao *puncto* 15. *citato*, & innuit Nauarr. *commentar.* 2. *de Regularib. num.*42. compono diſſidia Doctorum hac in parte: aliqui enim omnem omninò tum naturalem,tum ciuilem obligationẽ a Religioſo hoc caſu reiiciunt. Hoſtienſis *in ſumm.tit.de fideiuſſor.* 5. *ſi quis,num.*3.Panormitan.& Felin. *in cap. ex reſcripto, de iureiurando*, aliique relati à Sanch. *lib.*7. *in Decalog. capit.*31. *num.* 36. qui & ipſe non exiſtimat improbabilem, ſicut neque Leſſius: abſolutè verò docet Molina *tract.*2. *diſp.*140. *num.*25. modò tamen nullum damnum Religioſus intulerit ſecum contrahenti, quia Religioſi voluntas Prælati voluntati vſque adeò ſubiicitur *capit. non dicatis* 12. *quæſt.*1. vt dicatur neque velle, neque nolle habere, *capit.*2. *de teſtamentis in* 6. Deinde ius apertè reſiſtit huic contractui *citato cap. non dicatis* 12. *quæſt.* 1. Nihil igitur apparet vnde illa naturalis obligatio tunc oriatur in Religioſo, niſi ex iniuria, & damno facto ſecum contrahenti. Alij verò cum Sylu. *verb. Religio, quæſt.*3. *art.* 302. 1. *part. lib.* 12. *capit.*11. *quæſt.*5. Rebell. 2. *part. lib.*1. *quæſt.*8. *numer.*4. Leſſio *libro* 2. *capit.*2. *dub.*1. *numero* 2. Sanch. *loco laudato*, vbi & alios adducit, volunt Religioſum obligari naturaliter, quia non apparet diſcrimen inter vota, & promiſſiones homini factas à Religioſo, votis autem tenetur Religioſus, donec ea irritentur. Deinde neque fideiuſſor obligaretur ciuiliter, neque pignus datum, ſi Religioſus non obligaretur ſaltem naturaliter, ex laudatiſſima regula, fideiuſſorem non obligari poſſe ciuiliter, principali nullo modo obligato *l.*1. & 2. *D. de fideiuſſorib.* Denique nullum affertur ius quod huic Religioſi obligationi reſiſtat, illamque nullam reddat. Igitur aliquam obligationem pariat neceſſe eſt; quæ contrariæ in ſpeciem ſententiæ ſapienter conciliantur diſtinctione a nobis allata circa materiam de qua contrahitur: vel enim agitur de operis, & actionibus ipſius Religioſi, vt quidpiam faciat, oret verbi gratia, ſcribat quidpiam, intercedat, concionetur, & ſimile quidpiam agat; vel contrahitur de rebus à Religioſo tradendis ſecum contrahenti. Priores contractus de actionibus perſonalibus obligant naturaliter Religioſum contrahentem, etiam ſine licentia Superioris, quod probat ſecunda ſententia: quia nulla lex contradicit huic contractui, & tunc vota Deo & promiſſiones homini factæ benè compatantur. Quandiu igitur eas non irritabit Superior, illis tenebitur Religioſus, & implere debebit, niſi Superior contradicat. Quoties verò contractus eſt de temporalibus dandis, aut recipiendis à Religioſo, ſi fiat abſque voluntate & licentia Superioris expreſſa, vel tacita, nullus omninò erit: quia obligatio, quam afferet, eſſet iniqua, & impleri non poſſet abſque peccato,& violatione voti paupertatis, quod prohibet Religioſo quidpiam dare aut accipere ſine Superioris licentia: quare ſi abſque illa licentia ſe obliget ex contractu ad aliquid dandum, aut accipiendum, obligat ſe ad faciendum contra votum paupertatis, atque adeò ad peccandum. Vides igitur ius apertũ reſiſtere huic obligationi: neque rationes ſecundæ ſententiæ impugnãt hanc partẽ, vt patet. Sola difficultas eſt de fideiuſſore, & de pignore.

Reſp. autem fideiuſſorem non obligari quoties Religioſi, qui eſt principalis debitor, obligatio nulla omninò eſt, quia iniquum foret vt oſtendimus, niſi ipſe fideiuſſor ſubeat perſonam debitoris principalis. Quoties igitur Religioſus contrahens ſine licentia ſui Superioris naturaliter obligatur, vti contingit in contractibus circa actiones eius perſonales, eius fideiuſſor obligabitur ciuiliter: quod ſi Religioſus nequidem naturaliter obligatur, eo quod contractus cadat in materiam paupertatis, ad cuius violationem obligare ſe non poteſt, ad quod tamen ſe obligaret per illum contractum, vti oſtendimus, tunc eius fideiuſſor ad nihil tenebitur. Quando autem contractus erat quidem naturaliter validus, qualis eſt qui circa actiones perſonales Religioſi celebratur, & non circa materiam paupertatis, irritatus tamen eſt à Superiore, à quo reuera aliquando poterit irritari, ſi illi acceſſerat fideiuſſio; videndum erit an illa irritatio contractus à Superiore facta præceſſerit fideiuſſionem, an ſequuta fuerit; ſi enim contractui iam irritato & iam nullo, fideiuſſio ſuperuenit, nullam ſine dubio parit obligationem. Si verò nondum erat irritatus ille contractus, quando quis pro Religioſo fideiuſſit, obligabit illa fideiuſſio, cùm acceſſerit contractui naturaliter obliganti, neque caſſata obligatione contractus, tollitur validitas fideiuſſionis: idcircò enim irritatur contractus Religioſi à Superiore, quia eius voluntas pendet à voluntate Superioris, quod non contingit in fideiuſſore, ideóque fideiuſſio ſemel obligans, nequit tolli per ſolam voluntatem alterius qui non eſt Superior fideiuſſoris. Idem omninò erit dicendum de pignore, & hypotheca: dantur enim ad ſecuritatem contractus, & locum obtinent fideiuſſoris. 3

Videndum præterea erit, an fideiuſſio petatur tantùm ad ſecuritatem debiti ex tali contractu reſultantis, tunc enim ſi nullum oriatur ex eo contractu debitum, quia vel ille contractus, nequidem naturaliter obligat, aut iam irritatus erat, fideiuſſio non obligabit. Si autem fideiuſſio præſtatur quidem ad ſecuritatem debiti, ſed quatenus pendet ex voluntate Superioris; quia enim is quo cum Religioſus contrahit, ne Prælatus contractum reſcindat petit fideiuſſionem, vt ſibi conſulat, quomodo communiter & paſſim peti præſumendum eſſe monet Molina *tract.*1.*diſp.* 140. *num.*25. obligabitur fideiuſſor ciuiliter ſoluere debitum, licèt Prælatus contractum irritet, quia vt ait *ibid.* Molina, ſe obligauit pro principali, ſiue debitum principalis ſuum fecit, quod in omni alio caſu, quo ſe principaliter obligat fideiuſſor, contingere docet Sanch. *lib.*7.*in Decalog.c.*31.*n.*47. Quamuis autem principalis debitor conueniendus eſſet coram Iudice Eccleſiaſtico, ſi tamen fideiuſſor Laicus ſit, coram Laico conueniri debebit, quia exceptio principalis debitoris ratione perſonæ, non tranſit ad fideiuſſorem, vti obſeruat gloſſa §. *fin. Inſt. de repetitionib.* & priuilegium perſonale non tranſit ad tertium, ſed perſonam ſequitur, atque cum ea extinguitur, vt habet regula 2. *de regulis iur. in* 6.

Ex eadem diſtinctione contractuum celebratorũ à Religioſo ſine licentia Superioris, quorum aliqui ipſũ naturaliter obligant, alij verò non, explicari debet & illa quæſtio, an cõtractus iſti ita claudicẽt, vt loquuntur, in fauorẽ Monaſterij, vt qui cũ Religioſo contraxit, nequeat ab illo reſilire, ſi Monaſterium illi ſtare velit. Sic enim ſentiunt Nauar.

tar. *comment. 2. num. 32. & 65. de regular.* Molina *tract. 2. diſput. 140. num. 22.* Sanch. *libro 7. in Decalog. capit. 31. num. 28.* vbi plures alios adducit: quia idem contingit in contractu cum minoribus, & Eccleſia inito. Verùm quando illi contractus nequidem naturaliter obligant, non eſt cur obligari dicamus alterum contrahentem; cùm eiuſmodi contractus ſit omninò irritus, & nullus, vti ſapienter ratiocinatur Leſſius, cui conſentit à Caſtro Palao *tract. 16. diſput. 3. punct. 15. numer. 7.* quia vniuerſalis illa regula eſt, æqualitatem inter contrahentes ſeruandam eſſe, niſi in pœnam alterius, & aliam iuſtam ob cauſam, aliquem exceperit: quæ exceptio nullibi legitur circa eos Religioſi contractus; immò neque concedi potuit, ne daretur occaſio violandi paupertatem, & decipiendi contrahentes. Quare non vrget quod de minorum, & Eccleſiæ contractu afferunt: tum quia in priuilegiis exorbitantibus à iure, non eſt facienda extenſio ab vno caſu ad alium, quamuis fortaſſis eadem, aut ſimilis ratio vrgeret, qua de re vide eundem Ferdinand. à Caſtro *tract. de legib. diſput. 4. punct. 13. numer. 4.* tum quia in iſtis caſibus diſſimilis longè ratio exiſtit: hoc ſiquidem priuilegium conceſſum fuit minoribus, & Eccleſiæ in odium contrahentium cum ipſis; præſumit enim ius illos velle decipere minores, & Eccleſiam, neque ex parte Eccleſiæ poteſt eſſe culpa, cum illa verè contrahat nomine ſuo. At verò in noſtro caſu Religioſus decipit ſecum contrahentem, & non ab illo decipi præſumitur. Cur igitur ſua iniquitate & fraude tutus erit? Quare Sanch. fatetur illum tunc peccare mortaliter, quod verius erit ſi alter contrahens reſilire nequeat, cogaturque ſuo damno ſtare contractui. Adde hos contractus ſic factos à Religioſo, non eſſe contractus Eccleſiæ, licet fiant à perſona Eccleſiaſtica; niſi velis contractus omnes ſingulares beneficiati, contractus Eccleſiaſticos eſſe, atque gaudere priuilegio contractuum Eccleſiæ, quæ magna eſſet contrahentium cum ſingulis perſonis Eccleſiaſticis iniuria. Denique non fauent Sanch. DD. quos adducit, agunt enim de contractu ſtipulationis, in quo Religioſus ſtipulatur nomine Monaſterij; quamdiu enim Monaſterium non contradicit, valet contractus, & ſtipulatio, ideóque non poteſt promittens pro arbitrio reſilire, ſed expetenda erit Monaſterij ratihabitio, aut diſſenſio: quæ conſequentia manifeſta eſt; antecedens verò, nempe valere ſtipulationem Monachi pro Monaſterio, ſiue ſibi, ſiue Monaſterio, ſiue impersonaliter ſtipuletur, habes §. *ſi quis alij. Inſt. de inutilib. ſtipulationib.* & tradunt communiter DD. Innoc. *in capit. cum oblig. 2. numer. 3. de priuileg.* Nauarr. *comment. 2. numer. 32. de regularib.* & *lib. 3. conſilior. tit. de regularibus, conſil. 73. numer. 1. in 1. edition.* & *in 2. edition. conſil. 83. numere 1.* Sanch. & Ferdinand. à Caſtro *locis allatis*: Quod ſi Monachus alteri ſtipularetur, quam Monaſterio, nihil ageret; quia neque illi alteri quærere poteſt, neque Monaſterio pro quo non ſtipulatur; argumento *l. ſeruus meus. D. de ſtipulationib. ſeruorum.* Si verò alicuius mandato ſtipulatus eſſet Monachus, actio non acquiritur mandanti, ſed Monaſterio, quod tamen cogeretur cedere actionem in totum mandanti, vt dicitur in ſeruo fructuario *l. ſi liber homo. D. de ſtipulationibus ſeruor.*

Hinc tamen fit, vt ſi Monachus acceptet legatum, aut donationem in fauorem Monaſterij ſine licentia Monaſterij, teneat acceptatio in fauorem Monaſterij: quod tradunt Nauarr. & Sanch. *locis citatis*, & Azor *tom. 1. libro ſecundo 2. capitulo 10. quæſtione 2.* An verò peccet illa acceptatione Monachus, diſputant DD. Sanch. *capitul. citato 31. numere 3.* excuſat à mortali culpa; quia ſibi non quærit, & nulli facit iniuriam, aut damnum infert, vt patet; aliquam tamen culpam agnoſcit, quam omnem iure merito reiicit Ferdinand. à Caſtro, quia ſtipulandi facultas in fauorem Monaſterij, videtur tacite conceſſa ciuiliter Religioſo; *citato §. ſi quis alij. Inſt. de inutilib. ſtipulationibus*, quandoquidem probat eiuſmodi ſtipulationes, vt diximus. Deinde nulla hic alia culpa fingi poteſt, quàm ratione paupertatis; quod fatetur ipſe Sanch. atqui illam non violat, cùm non ſibi, ſed Monaſterio ſtipuletur, & acceptet.

Non tenetur Monaſterium ex contractu Monachi ſine licentia celebrato, neque ex delicto eius niſi in monaſterij vtilitatem aliquid indeverſum fuerit; cùm religioſus omnia ſua iura in Monaſterium tranſtulerit, & nullam habeat adminiſtrationem, niſi dependenter à voluntate Prælati. Si tamen Monaſterium ex delicto, vel contractu Monachi locupletior euaſerit, tenebitur ad reſtitutionem ratione rei acceptæ, quam cum aliena ſit, ſibi retinere nequit. Certa communiſſimaque eſt iſta doctrina Nauarr. *comm. 2. numero 62. de regular.* Molina *tract. 2. diſp. 140.* Leſſius *libro 2. capitul. 42. num. 90.* Sanch. *lib. 7. in Decalog. capitulo 31. numer. 11.* à Caſtro Palao *tract. 16. diſput. 3. punct. 16. numer. 1.* & deciditur expreſſe *capit. ſi Epiſcopus 16. quæſt. 6.* & *regul. delictum 76. de regul. iuris in 6.* ex qua vniuerſaliſſima propoſitione plurima deducuntur, quorum aliqua tradidimus *lib. 1. de vſur. cap. 5. art. 2. conſect. vltimo.*

Primò igitur obligatur Monaſterium contractu ſui Prælati, ſi ſuæ poteſtatis & adminiſtrationis limites non exceſſit; nam ſecundùm illum exceſſum non habet ius adminiſtrandi, in cæteris habet. Syluest. *verb. religio. num. 8. q. 3.*

Secundò id ipſum dicendum eſt quoties alicui tacitè vel expreſsè commiſſa eſt aliqua adminiſtratio; ſic enim datur facultas contrahendi, quatenus ad eam adminiſtrationem neceſſarium eſt: ita Sanch. *cit. num. 14.* Molina *diſput. 140. num. 22.* Azor. *2. part. libro 12. capit. 11. quæſtione 11.* Leſſius *capit. 41. lib. 2. num. 90.* Monachus itaque in ſcholis, aut alibi gerendi negotij cauſâ cum licentia exiſtens, obligat Monaſterium pro ſuis impēſis, quod pluribus adductis probat idem Sanch. *num. 15.* & deinde *num. 16.* addit poſſe libros aliaque eiuſmodi obligari ab illo religioſo ad eas expenſas comparandas, non debent tamen illæ excedere ſumma ipſi quotannis in eam rē deſtinatam, niſi morbus, aut alia cauſa eam augere compulerit, neque alius ſe obligauerit ad eas expenſas ſuppeditandas loco Monaſterij.

Tertiò Monachus exiſtens abſque licentia extra Monaſterium, non poteſt pro ſuis expenſis conueniri in Monaſterij detrimentum, ſi tamen rē ſecum cōtrahētis habeat, & ex mutuo factus fuerit ditior, poterit coram Ordinario conueniri, vt ſoluat id quod retinet, & in quo factus eſt ditior. Felin. *cap. cum dilecta, num. 18. de reſcriptis.* Abbas, *cap. quanto. n. 5. de officio ordinar.*

Quartò Religioſus aliquid mutuū ſumens non gaudet beneficio Macedoniani, quod pro ſolis

filiisfamilias inductum fuit. Et ſanè illud priuilegium, quod etiam naturalem obligationem elidit, vti diximus aliàs, reſtringendum non extendendũ eſt. Præterquam quod ratio illius Senatuſconſulti ceſſat hoc loco, nempe ne filij mortem machinarentur parentibus, vt hæreditate potirentur, & ſua nomina diſſoluerent, quod in Monacho qui Abbati nunquam ſuccedit, timendum non eſt.

Quintò quod diximus ex delicto Religioſi non teneri Monaſterium, niſi aliquid in eius rē verſum fuerit, intelligendum eſt, etiam de delicto Prælati, quia perſonæ delictum non committitur in Eccleſiæ damnum, ex nuper citato *cap. ſi Epiſcopum 16. q. 6.* Si tamen Religioſus communicato conſilio cum Capitulo, & Prælato, delictum illud admiſiſſet, teneretur Monaſterium; quia delictum Prælati, & Capituli ſimul, nocet Eccleſiæ, *cap. 2. de ordine cognitionis*, & *l. iubemus nullam nauem. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Sextò ſi Prælatus pecunias ad Monaſterij neceſſarias expenſas mutuò ſumat, eaſque deinde in vſus alios malè conſumat, tenetur Monaſterium, quia legitima mutui acceptio Monaſterium tunc obligat, neque eius deinde malus vſus eximit ab obligatione aduersùs mutuo dantem, à quocumque fuerit ille malus vſus inductus.

6 Circa contractus à Religioſo celebratos ante profeſſionem, hæc ſtatuenda ſunt. Primò Monaſterium in eius Religioſi bona ſuccedens, tenetur omnibus contractibus ipſius ſecundùm vires hæreditatis illius: quod commune eſt omnibus, qui alienis bonis ſuccedunt. An verò inter illa bona religioſi numeranda ſint etiam illa quæ ipſi etiam poſt profeſſionem obueniunt donatione, legato, hæreditaria ſucceſſione, aliave quapiam ratione, ex quibus proinde bonis teneatur Monaſterium diſſoluere æs alienum Religioſi ante profeſſionem contractum, magna lis eſt, ita ſiquidem affirmant Azor 1. *part. lib. 12. cap. 10. quæſt. 5.* Sanch. *cap. 31. citato, num. 4.* & alij paſſim, qui volunt regulam illam generalem; *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*, ita eſſe intelligendam, niſi ille Monachus laboret ære alieno, tunc enim acquirit creditoribus, quorum ius illa profeſſione non extinguitur: quare ſicut obligabatur Monachus ante profeſſionem ex omnibus bonis, quæ ſibi obtingerent, ſatisfacere creditoribus, ita & obligatur Monaſterium in illa bona ſuccedens: cùm enim repræſentet perſonam Monachi, cui obueniunt, illa cum eodem onere ſuſcipit, cum quo Monachus ipſe ſuſciperet. Alij tamen negant hæc bona, quæ iam profeſſo contingunt, expendenda neceſſariò eſſe a Monaſterio ad diſſoluenda nomina illius profeſſi; quia ea bona immediatè acquiruntur Monaſterio, non Religioſo. Deinde, quia vniuerſa creditorum bona, ceſſione bonorum à debitore facta, & ſimul ipſo in Religionem ingrediente, ſunt extincta; quare nihil in hac controuerſia definire voluit Ferdinand. *citato puncto 16. num. 3.* neque nos hoc loco definiemus, commodiùs enim totam quæſtionem explicabimus inferiùs, vbi de ceſſione bonorum.

Secundò tenetur Monaſterium ſeruare, quæ Religioſus de ſuis bonis diſpoſuerit circa pias cauſas; quia eius diſpoſitio tunc valuit, neque eam Monaſterium deinde mutare poteſt.

Tertiò Monaſterium ſuccedens in bona coniugis Religioſi, non tenetur alere alterum coniugem in ſæculo relictum, quamuis inopem, quia vti argumentatur Surdus de alimentis, *tit. 1. q. 37. à num. 7.* coniux qui conſentit alterius profeſſioni, conſentit alienationi bonorum eius, ex bonis autem ſuo conſenſu alienatis non poteſt ſibi alimenta quærere, quippe conſentiens alienationi, ſibi præiudicat, quod Tiraq. *in l. ſi vnquam, verſ. donatione largitus, num. 348. Cod. de reuocand. donation.* pluribus oſtendit, & traditur *l. ſi fundum*; & *l. nihil, §. 1. D. de legat. 2. l. fideicommiſſo. §. 1. D. de pignorib. l. mater. Cod. de rei vindicatione.* Et ſanè ſi premebatur egeſtate coniux, qui conſenſit alienationi, ſibi imputet ſi poſteà in illam inciderit; cur enim poterit bona alienata repetere. Neque quod afferunt de filio aut patre, quos alere tenetur Religio in eorum bona ſuccedens, ſimile eſt, quia cùm pater poſſit reluctante filio, & filius reluctante patre ingredi religionem, non ſibi præiudicant, quia non conſentiunt alienationi, vt faciunt coniuges, quorum vnus nequit altero inuito, atque ſine eius conſenſu profiteri. Dum itaque vnus conſentit alterius profeſſioni, conſentit quoque alienationi bonorum. Quod ſi matrimonium non fuiſſet conſummatum, quo caſu vnus coniux ſine alterius conſenſu profiteri poterat, per profeſſionem diſſolutum eſt matrimonij vinculum, quare non manet amplius in coniuge obligatio alendi alterum, veri enim coniuges amplius non ſunt, neque Monaſterium in illorum bona ſuccedens, ad ea alimenta poterit obligari.

Consectarium V.

An prodigi, & furioſi contrahere poſſint.

An prodigus prohibeatur contrahere. 1.
An ante Iudicis ſententiam prohibitus ſit bonorum adminiſtratione prodigus. 2.
An adminiſtratione bonorum alienorum. 3.
An ſi falsò damnatus vt prodigus. 4.
Qualis debeat eſſe illa prohibitio. 5.
An pœnâ delicti teneatur prodigus. 6.
Quam ob cauſam prohiberi poſſit alicui bonorum ſuorum adminiſtratio. 7.

CEriſſimi iuris eſt prodigum, cui à iudice bonorum ſuorum adminiſtrationi interdictum eſt, & datus curator, non poſſe contrahere, ſicut 1
neque teſtari *l. 15. is cui bonis. D. de verbor. obligat. l. 1. & per tot. D. & Codic. de curatore furioſ. & prodig. l. 15. cui lege. D. de teſtament. §. item prodigos. Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtam.* atque alibi ſæpius; quia prodigus dicitur non habere ſenſum, & æquiparatur furioſo, vel pupillo, *l. his qui. §. final. D. de tutoribus & curatorib. datis. l. cert. condictio. § quoniam. D. ſi certum petatur.* Vnde colligit Ferdinand. à Caſtr. *de iuſtit. diſp. 5. punct. 4. §. 2.* contractũ huius prodigi, ita eſſe inualidũ, vt ne quidē iuramentò confirmetur; quia iuramentũ nõ purgat defectum iudicij, qualem eſſe in prodigo ſupponit ius, ideoque illi interdicitur adminiſtrationi, idque fatentur Sanch. Leſſius. Gomez. & alij mox adducend.; quia contractus illis tanquam iudicio carentibus, & ſicut minoribus prohibetur, ideóque alios ſibi, non verò ſe aliis obligare poſſunt. Quamuis itaque manifeſtum hac in parte ius habeamus, plurima tamen circa hanc prodigorum contrahendi prohibitionem quæri ſolent, quæ diſputant

putant accuratiùs Anton. Gomez. *tom.2. variar. reſolution. cap.14. a num.30.* Facbinæus *lib.2. controuerſiar. cap.63. & ſequentibus*, Ferdinand. à Caſtro Palao *diſp.1. de iuſtit. punct.4. §.2.* & alij, quos adducunt, ex quibus nos hæc pauca definiemus.

1 In primis prodigus notoriè talis, cui tamen nondum eſt interdicta bonorum adminiſtratio à Iudice, poterit teſtari codicillari, vt loquuntur, & validè contrahere. Ita Gomeſ. *cap. citato, num.31.* & Ferdinand. à Caſtro *num.4.* & alij, quos adducunt, qui ſequuti ſunt gloſſam *in l. is cui bonis. D. de verbor. obligat.* contra Facbinæum *cap.63.* vbi plures refert, qui omnes volunt prodigum ipſo iure ante Iudicis ſententiam priuatum eſſe bonorum ſuorum adminiſtratione, atque adeò incapacem ad contrahendum, itaque Iudicis interdictum declarat tantùm, quod ipſo iure iam conſtitutum eſt, ne quis cum eiuſmodi perſona inutiliter, & ſæpius cum ſuo damno contrahat. Noſtra tamen ſententia ex eo probatur, quod contractuum irritatio non ſit inducenda niſi vel manifeſta ratio, vel apertum ius id perſuadeat, quod non habemus hoc loco, quod enim ferè vnum vrgent ex *l.1. D. de curator. furioſ. Lege 12. Tabular. prodigo interdicitur bonorũ ſuorum adminiſtratione*, oſtendit tantum ex illa lege Prætorem debere huic adminiſtrationi interdicere prodigo, vt obſeruat gloſſa, quam non benè reiicit Fachinæ. Adde non teneri reum leges pœnales 2 exequi ante ſententiam, ſaltem declaratoriam; quare quamuis prodigus mulctetur propter inconſultam patrimonij conſumptionem, adminiſtratione ſuorum bonorum, non tenetur tamen ſe ea priuare antequam a Iudice prohibeatur, illique datus ſit curator; alioquin ea bona a nullo adminiſtrarentur. Quod verò addunt in iure prodigum comparari furioſo, quem certum eſt ipſo iure eſſe incapacem adminiſtrationis bonorum, & omnis poteſtatis contrahendi, nihil aliud probat, quam prodigum poſt Iudicis ſententiam eiuſdem iuris cenſeri, eodemque loco haberi cum furioſo; quia perinde illi vetatur adminiſtratio bonorum, atque furioſo, cùm & ipſe quoque nullius mentis & iudicij habeatur. Obiiciunt & illud ex *l. ſi quid cùm ſciret. D. de vſucapionib. pro emptore*; emptorem qui emit ab eo, quem ſcit ſtatim pretium perditurum, & in malum vſum conſumpturum, non eſſe in bona fide, neque habere illum ſibi obligatum, neque ab eo quidquam repetere poſſe, & contra ipſum agere. Reſpondet Gomeſ. caſum illum, quem ſingularem exiſtimarem eſſe ab antiquis Doctoribus, intelligendum eſſe de illo, qui ſua culpa pretium rei a ſe emptæ perdit, & alium ea emptione ad malum inducit: quia emit ab illo, quem ſcit ſtatim ad certum malum vſum perditurum pretium illi datum; v. g. emit a ludente, aut pecuniam ad libidinem petente, cui vel mutuatur, vel pretium rei quam tunc emit, & de qua paciſcitur, ſuppeditat, atque ita ad ludum & libidinem inducit, non poterit ab eo quidquam repetere: vnde non ſequitur non poſſe cum prodigo contrahere, quem ſcit ſua bona dilapidare, vt illi eam ob cauſam curator datus à Iudice fuerit. Denique dicunt aduerſarij notorium æquiparari ſententiæ ex variis iuribus, quæ allegant, ac proinde quoties notoria erit alicuius prodigalitas, perinde bonorum ſuorum adminiſtratione debebit abſtinere, atque ſi a Iudice fuiſſet damnatus prodigalitatis. Verum ſapienter reſpondet Gomeſ. notorium, & ſententiam æquiparari quoad liquidationem & probationem facti, non verò quoad iuris effectus. Vides igitur nihil eſſe in iure, quod irritet contractus a prodigo celebratos, priuſquam illi fuerit prohibita bonorum ſuorum adminiſtratio, & curator datus; immò plurima ſunt quæ noſtram ſententiam perſuadeant; nam *l. Iulianus. D. de curatorib. furioſ. dandis*, dicitur *eos quibus per Prætorem bonis interdictum eſt, nihil transferre poſſe*. Igitur ſi Prætor non interdixerit, transferre poterunt, alioquin non poſtulaſſet lex eam interdictionem à Prætore fieri. Idem ſumitur *ex l. Patri pro filio. D. de minorib.* his verbis: *Aut eius vita ſit iſte adoleſcens, vt meritò bonis ei interdici debeat. l. tres tutores. §. vlt. D. de adminiſtr. tutorum*, qui prodigus eſt, tutor appellatur, neque proinde adminiſtrationem tutelæ amittit. *l. ſed & ſi lege. §. conſuluit. D. de petit. hæredit.* poſſeſſor bonæ fidei non tenetur pro bonis dilapidatis; quis verò dicat alienationem ab eiuſmodi fidei bonæ poſſeſſore non valere, alioquin obligaretur cedere hæredi actiones ſibi competentes ad repetendum male alienata, *l. quod ſi poſſeſſor. § vlt. D. eodem.* Deinde *l. non debet. D. de dolo*, prodigus habet actionem in factum aduersùs hominem emendatioris vitæ. Habet igitur adhuc rerum ſuarum adminiſtrationem, alioquin agere non poſſet *l.1. C. qui legitimam perſonam habeant ſtandi in iudicio*. Præterea tutor qui malè adminiſtrat, ideóque ſuſpectus eſt, non priuatur tamen ipſo iure bonorum ſui pupilli adminiſtratione *l.3. §. præterea. D. de ſuſpectis tutoribus*: ergo multò minus erit ipſo iure priuatus adminiſtratione propriorum bonorum prodigus. Quod etiam confirmatur ex eo quod Epiſcopus dilapidator, non priuetur ipſo iure adminiſtratione bonorum Eccleſiæ ſuæ: *cap. veritatis, de dolo & contumacia*: & quamuis hæc omnia ex iure allata non ita demonſtrent euidenter prodigum ante ſententiam Iudicis non eſſe priuatum ipſo iure adminiſtratione rerum ſuarum, plurimùm tamen, vt vides, illi fauent, & cum in contrarium nihil plane adducant aduerſarij, quod facillime non reiiciatur, vti oſtendimus, pronuntiandum omninò eſt pro validitate contractus à prodigo facti, quamdiu ipſi non fuerit interdictum rerum ſuarum adminiſtrationi.

Vnde ſapienter colligit Gomez. *illo cap. 14. n.31.* requiri vt Iudex cognita dilapidatione, interdicat prodigo ſua bona adminiſtrare, curet præconizarij vt nullus de cætero cum ipſo contrahat, citet ipſum prodigum, quia libera perſona eſt, & legitimus interea bonorum ſuorum adminiſtrator, agiturque de ipſius maximo præiudicio; quod aliis relatis probat Gomez.

3 Secundò quæritur an prodigus ipſo iure priuetur adminiſtratione bonorum alterius, quæ controuerſia ex ſuperiori definiri debet, ſi enim bonorum ſuorum adminiſtratione, multò potiori iure alienorum bonorum adminiſtratione priuabitur ipſo iure, vti argumentatur Fachinæus *lib.2. controuerſ. cap.64.* & alij quos ibidem adducit, qui ad hanc priuationem adminiſtrationis propriorum bonorum, ſententiam Iudicis non requirebant, & confirmant hanc ſuam conſequentiam ex *l. vlt. §.1. C. de ſententiam paſſis*: ſic enim de patre filiorum bona dilapidante pronuntiat. *Nam ſi patria poteſtate ad corrumpendo, atque profundendo patrimonij licentiam abutetur, & furioſo ac dementi, vt et prodigo omnium vitiorum ſeruo, non eſt eorum pecunia committenda, quin ab adminiſtratione fugiat.* Vides itaque patrem prodigum ab adminiſtratione remouendum eſſe: verùm ea hoc loco nihil

probant; quia lex illa ad Iudicem dirigitur, qui debet patrem prodigum adminiſtratione bonorum filij prohibere, & non illi ipſorum pecuniam committere: vnde non oſtenditur eiuſmodi patrem prodigum, eſſe iam ipſo iure remotum, ſed potiùs, vt dixi, remouendum à Iudice, ſicut & nuper diximus tutorem prodigum, adhuc tutorem eſſe: quare quod in priori quæſtione diximus de adminiſtratione propriorum bonorum, idem de adminiſtratione bonorum alterius dicendum eſt; nimirum neutram ipſo iure prohiberi prodigo, ſed expectandam eſſe Iudicis ſententiam. Ita Anton. Gomez. *cap.* 14. *citato*, *num.* 32. *ſub fin.* & Ferdinand. à Caſtro §. 2. *nuper adducto*, qui alios dabunt.

Quæritur tertiò, an qui falsò Iudicis ſententia fuit prodigus declaratus, illique datus curator, & prohibita ſuarum rerum adminiſtratio, cùm tamen reipſa prodigus non ſit, ſed vir frugi, poſſit nihilominus validè contrahere: negant enim gloſſa *in l. ſi ab eo. D. de vſucapionibus*, atque alibi Gomeſ. *citato cap.* 14. *n.* 31. & alij; quia ſemper in fauorem ſententiæ præſumendum eſt, idque conueniens omninò eſt, ne contrahentes decipiantur: quare acta à tutore minus legitimo, valida tamen propter Prætoris authoritatem dicuntur *l.* 1. §. *idem Pomponius. D. quod falſo tutore authore geſtum.* Cùm igitur Prætor improbarit, & prohibuerit prodigo, quem talem declarauit, ſuorum bonorum adminiſtrationem, quod cum illo geretur, nullum, & inualidum erit, maximè, vti priorem ſententiam temperat Fachinæus *cap* 65. ſi in iudicio contradictorio datus fuit à Prætore curator prodigo, qui non appellauit, ac proinde ſententiæ illi ſeſe ſubiecit. Si verò Iudex vel ex officio, vel ad inſtantiam cognatorum eius, qui prodigus dicitur, procederet, illique daret curatorem, lite non ventilata, neque prodigo audito, tunc non præiudicaret prodigo præſumpto duntaxat, & non probato, neque conuicto; tunc enim dici poterit impoſitum fuiſſe Prætori. Quæ prioris illius ſententiæ explicatio, mihi admodum probabilis videtur; exiſtimarem tamen cum pluribus aliis à Fachinæo & Ferdinando à Caſtro adductis, vtendum eſſe hoc loco communi, & ſolemni diſtinctione; prodigum iſtum qui reipſa talis non eſt, licèt talis eſſe propter authoritatem Prætoris, cui obreptum eſt, præſumatur, poſſe in foro interno, & conſcientiæ contrahere, quamuis in foro externo, quamdiu falſitas ſententiæ latebit, inualidè paciſci præſumatur. Ratio communis eſt, quia ſententia falſæ præſumptioni innitens effectum non habet, neque obligat in conſcientia, ſicut neque lex, quæ falſa præſumptione ducitur, vbi quis de contraria veritate certus eſt, illum non obligat; atque vt aliquid magis ſimile afferamus hoc loco, datio tutoris pupillo, qui reuerà pupillus non eſt, nulla omninò eſſe dicitur *l. tutor ſi petitus*, & *l. Seia egreſſa. D. de tutorib. & curatorib. datis ab iis.* Ergo neque curatoris datio prodigo, qui prodigus reuerà non eſt, nulla quoque erit. Deinde vbi prodigus ad ſanam mentem rediit, curatoris aſſignatio euaneſcit ipſo iure, quia ille amplius tutore non eget. Igitur ſi cùm primùm aſſignatur curator, prodigus non ſit, ſed ſanæ mentis, & bonæ frugis, qui tali tutore nullatenus egeat, omnis illa aſſignatio nulla erit, aut ſaltem nullius effectus; ac proinde geſta ab illo prodigo præſumpto valida erunt. Quæ verò ab eius tutore gerentur, nulla reipſa erunt, quamuis in foro externo propter Prætoris authoritatem ſecus præſumatur, donec falſitas ſententiæ demonſtretur; quod vnum probant quæ de validis actis tutoris minùs legitimi obiiciebantur, quamquàm & aliud diſcrimen afferat Ferdinandus à Caſtro.

5 Quartò quæritur, an ſaltem ſufficiat Caium declaratum eſſe à Iudice prodigum, ipſique datum curatorem, an prætereà opus ſit ipſi interdici bonorum adminiſtrationi, vt cenſeatur teneri abſtinere ab eiuſmodi adminiſtratione: nam primum illud docet Fachinæ. *lib.* 2. *contron. cap.* 67. quia ex datione curatoris neceſſariò ſequitur illa interdictio ex mente Prætoris, in eaque continetur, ad quid cum declarat illum prodigum, illique curatorem dat, niſi vt prodigus non adminiſtret ſua bona. Negant alij, & interdictionem adminiſtrationis exigunt, eo quod declaratio prodigi, & interdictio bonorum, duo quędam diuerſa ſint, quamuis vnum conſequatur ex alio; quod ſi docerent vbi eſt ſola declaratio prodigalitatis, ſuſtineri fortaſſis poſſit. Verum cùm vna cum declaratione prodigalitatis coniungitur aſſignatio curatoris, ſatis euidenter ex neceſſaria conſequentia ſimul illi prodigo prohibetur adminiſtratio, quod idem affirmo quoties Iudex prohibet omnibus cum illo prodigo contrahere, ſic enim & ipſe prodigus cum aliis contrahere prohibetur̄ omniſque alienatio ab illo facta interdicitur.

Hæc verò declaratio, & interdictio adminiſtrationis publica eſſe debet, vt patet, non nocebit autem priuatus error, & ignorantia, vt ex communibus ſcientiæ Canonicæ principiis conſtat: & quãuis ignorantia, etiam priuata excuſet à *culpa* in violatione legis ſibi ignotæ, non tamen facit actum annullatum, & irritatum à lege eſſe validum.

6 Quæritur quintò an prodigus obligetur ad pœnam impoſitam delicto quod committit. Fachinæ. *cap.* 69. relatis variis de ea re ſententiis, tandem concludit obligari; quod etiam docuit Menoch. *de recuper poſſeſſ. remed.* 9. *num.* 95. quia nulla videtur eſſe ratio propter quam eximatur, quandoquidem in legem delinquit: quod enim furioſo comparetur aliquando in iure, non ſignificatur illum carere ratione neceſſaria, aut ſufficienti ad peccandum, ſed non habere liberam ſatis voluntatem ad contrahendum, & alienandum. Quia tamen videtur laborare aliqua infirmitate iudicij, Ferdinandus exiſtimauit illum leuiùs plectendum eſſe, quod perpetuò verum eſſe non poteſt, ſed variis aliis circunſtantiis erit diiudicandum.

Quæritur denique an propter alia vitia poſſit alicui interdici bonorum adminiſtrationi; communiorque Doctorum ſententia eſt, quam adducit, & ſequitur Gomeſ. *citato cap.* 14. *num.* 33. poſſe, nam mulieri luxurioſè viuenti poſſe fieri eam prohibitionem habet *l. & mulieri. D. de curatore furioſo dand.* Propter turpitudinem igitur, & inhoneſtam vitam fieri poterit ea prohibitio, & non ob ſolam prodigalitatem, quod tamen negat Fachinæ. *cap.* 65. aliique; quia eiuſmodi prohibitio ſine manifeſto iure non debet induci, cuiuſmodi nullum affertur: nam illud de muliere luxurioſè viuente, interpretari licet de muliere prodiga, & bona turpiter conſumente, in qua etiam lege, ſi eam de vita turpi intelligeremus, non liceret nomine mulieris etiam virum comprehendere, cùm diuerſa ratio ſit turpitudinis in viro, & muliere in ea parte, vti obſeruauit ipſe Gomeſius *loco citato.*

An

An verò prodigi contractus confirmetur iuramento, & an prodigo concedatur reſtitutio in integrum, diſputabitur commodiùs inferiùs.

Consectarium VI.

De quibuſdam aliis perſonis, quibus certi contractus prohibentur.

De coniugibus. 1.
De mancipiis. 2.
De Principibus. 3.
De Magiſtratibus. 4.
De tutoribus aduocatis poſtulantibus. 5.6.7.

1 Quæritur in primis quatenus liceat coniugibus inter ſeſe, & cum aliis contrahere. Verùm hanc controuerſiam fuſiſſimè examinauimus *in opere de vſuris & commerciis lib.4. cap.3. art.17. toto,* & *art.*18.19. *& ſequenti.*

2 Secundò mancipia non poſſunt vllam ciuilem obligationem cum quopiam contrahere ex propria perſona; quia ex regula *l. quod attinet. D. de regul. iur.* quod attinet ad ius ciuile ſerui pro nullis habentur, quod intelligas velim, niſi habuerint à domino liberam rei alicuius diſpoſitionem, de illa enim poterit ſeruus ciuiliter obligari, eamque alienare, vt ait Molina *tract.*2. *diſp.*277. *num.*8. alioquin, qui accipit à ſeruo, tenetur ad reſtitutionem: poterit tamen ſeruus teneri obligatione naturali, quia in iure naturali omnes ſunt æquales, vt ait regula *citata, quod attinet*: hæc autem obligatio nonnunquam operatur effectum retentionis, vti obſeruat Rebell. 2. *part. lib.*1. *quæſt.*8.*n.*66. Sic enim ſeruus ſui iuris effectus ſoluit promiſſa tempore ſeruitutis, & quæ creditor iuſtè & licitè acceperat ſibi retinebit, neque poterit ſeruus ea repetere per condictionem indebiti, iuxta *l. naturaliter,* & *l. ſi quod. D. de condictione indebiti,* quia reuerà illa debebantur ex obligatione naturali, quod monent quoque Gomeſ. *tom.2. variar. c.*1. *num.*3. & Molina *tract.*2. *diſp.*261.

Reſpectu verò domini idem dicendum eſt, videlicet ipſum non poſſe obligari ſeruo ſuo ciuiliter, poſſe tamen naturaliter: quare ex communi DD. poterit admoneri dominus a Iudice, vt ſeruet pactum conuentum, ex qua monitione colligit Rebell. *quæſt.*8. *citata, num.*68. grauitatem huius obligationis, quæ etiam eſt ſub mortali. Prætereà conceditur domino actio aduerſus ſeruum, qui ipſi pecuniam pro libertate promiſit, *l. promiſſa. C. an ſeruus pro ſuo proprio.* Habet quoque viciſſim ſeruus actionem in dominum, vt manumittatur ſi ſoluit pecuniam, quam promiſerat pro libertate *l.*1. *§. ſeruos. D. de officio præf. vrbi,* & *l. vix. D. de iudiciis*: ſed de his plura *lib.*4. *appendice de dominio.*

3 De contractibus inter Principem, & ſubditos celebratis diſputant Anton. Gomeſ. *tom.*2. *variar. reſolut. cap.*1. *n.*1. Molina *diſp.*261. Rebell. *citat. quæſt.*8. & alij. Definitio pendet ex ea altera quæſtione, an Princeps legibus ſubiiciatur, cùm enim leges induxerint Ius Ciuile, non poteſt Iure Ciuili teneri, ſi legibus non obligatur: quare ſolo iure naturali obligabitur ſubditis, cùm ipſorum bonorum dominus proprietarius non ſit, vti oſtendemus in appendice de dominio, cùm autem Princeps teneatur legibus quoad vim directiuam, & non coactiuam, quod alibi conſtituendum eſt, obligabitur quoque ciuiliter quoad vim directiuam contractibus, quos cum ſuis ſubditis celebrarit.

Iudex non poteſt in eo loco in quo tempora- 4
riam, & non perpetuam iuriſdictionem exercet domos ædificare, naues conſtruere, aut quid aliud ſimile facere, neque vllam donationem à ſubditis accipere, aut aliquid aliud præter neceſſaria ad vitam emere, *l. vn. C. de contractib. iudicum*: quo de Codice vide Cuiacium *lib.*16. *obſeruat. cap.*13. Conſtitutio ſanè illa, & ſimiles de Iudicibus & Rectoribus tantùm, non habentibus perpetuam adminiſtrationem, & iuriſdictionem agit, quare neque in Gallia, neque alibi vbi Magiſtratus perpetui ſunt, ſeruari monet Guid. Pap. *deciſion.*195. quinimmò Leo *Nou.*12. permittit vrbanis Iudicibus negotiari, ædificare, muneta capere. *Nouella tamen* 13. vetantur ab eo Præſides in prouinciis domeſtica ſponſalia contrahere: verùm ne hoc loco ad plura degrediamur, ex *l. vnica citata* colligimus nulli Iudici fas eſſe emere auctione publica, ſi quid pro tribunali eius væneat, maximéque per perſonas interpoſitas, ne ſua authoritate alios prohibeant emere, & quia in iſtis addictionibus publicis venditor non eſt ipſe dominus, cuius bona væneunt, ſed Iudex, qui addicit emēte Iudice, vnus & idem eſſet venditor, qui emptor. Idem prohibetur actuariis, neque quidquam facit quod debitor, aut creditor conſentiant, vt in hoc vel alio Tribunali publica fiat addictio. Quę omnia ex Gallicis moribus & Senatus decretis pluribus proſequitur Mornacius *in hunc titulum*, & Chopin. *in commentar. de ll. Andium, lib.*1. *extremo,* & *lib.*2. *tit.*1. *par.*2. *cap.*2. Cuiac. *lib.*16. *obſeruat. cap.*18. Plurima deinde eruditè congerit in Nobiles, qui in iſtis, & aliis ſimilibus caſibus ſua abutuntur potentia, & vel fraudibus, vel blando imperio ſubditos territant, atque ita quo volunt pretio in auctionibus publicis, res venales comparant.

Denique de Aduocatis cum ſuis clientibus 5
contrahentibus durante lite, & Medicis cum ægrotis, habes *l. quiſquis, 6. C. de poſtulando,* & *leg. medicus. D. de variis & extraord. cognition.* quæ leges ducuntur tantùm præſumptione fraudis ad Aduocatis & Medicis tunc commiſſæ; quare ſi fraus tunc abfuerit, exiſtimo contractus illos in foro conſcientiæ valere. Verùm de his 6
Aduocatorum pactis, ipſorumque honorario quidpiam dicemus inferiùs. Interim adi Mornac. *in l.*5. *&* 6. *C. de poſtulando,* & *in l.*6. *ſi remunerandi, §. Maurus. D. mandati.*

An pater ſuis pactis filio, an filius patri ſuis 7
pactis paciſci poſſint, & ſibi inuicem acquirere, dicemus cùm de patria poteſtate, & de dominio. An pacta defunctorum proſint aut obſint hæredibus, in appendice de teſtamentis, vbi de hærede diſputabitur. De pactis correorum, vbi de ſolutionibus; ibi enim neceſſariò de correis agitur: ſi enim has omnes controuerſias hoc loco vellemus definire, vel ad plura digredi nos oporteret, vel obſcuros admodum eſſe.

Articv

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

De materia & forma contractuum.

De materia contractus. 1.
De forma contractus. 2.

1 DE materia pactorum fuſiſſimè diſputauimus *lib. ſuperiori, toto cap.* 4. vbi de materia negotiationis, quæ non niſi pactis, & variis contractibus exercetur, omniſque contractus, commercium quoddam eſt. Itaque nihil ampliùs addendum eſſe videtur hoc loco, maximè cùm duæ tantùm difficultates ſoleant tractari à Doctoribus in iſta diſputatione. Prima eſt de re aliena, an ſit materia commercij, & contractus, quam quæſtionem *citato capite art.* 1. latiſſimè explicuimus. Altera difficultas eſt, de re debita alteri, an nempe debitor obæratus, de illa diſponere & contrahere validè queat, præſertim ſi inde fiat impotens ad ſua nomina diſſoluenda, de qua conuerſia diſputabimus inferiùs, vbi de ſolutionibus. Itaque circa materiam pactorum nihil aliud adiciam.

2 Formam pacti, & contractus appello modum, quo celebratur & perficitur, qui modus quadruplex eſt: nam fit re, ſcriptura, verbis, & conſenſu. Re quidem perficitur contractus, quoties ipſam rei traditionem exigit, vt cenſeatur perfectus, neque ad id ſufficit ſola voluntatum, & animorum conuentio, cuiuſmodi eſt depoſitum, commodatum, mutuum, pignus, donatio; quæ omnia non dicuntur perfecta, nondum tradita re, & tanquam nuda pacta, aut potiùs pollicitationes quædam habentur, neque vulgò vllam pariunt obligationem ciuilem.

Scriptura perficiuntur quidam contractus, qui ſine ea realiter poſita nondum habentur abſoluti, neque obligant, vt emphyteuſis; quod etiam contingit quoties contrahentes nolunt obligari, niſi notarius inſtrumentum confecerit, quamuis inter ſe tractarint, & de his omnibus conditionibus ac clauſulis conuenerint: liberum enim eſt cuique ſuo conſenſu ac pacto, quam libuerit conditionem apponere, non malam, neque à iure reprobatam.

Verbis perficiuntur illa pacta, quæ ex iuris inſtitutione certam verborum formulam poſtulant, eiuſmodi ſunt ſtipulationes, in quibus præuia vnius interrogatio, & ſubſequens alterius reſponſio neceſſariæ ſunt, v. g. ſpondes? ſpondeo, facies? faciam, dabis? dabo, fideiubes? fideiubeo. Solo denique conſenſu perfici dicuntur, quæ neque rei traditione, neque ſcriptura, neque certis, & conceptis verborum formulis egent ad pariendam obligationem etiam ciuilem, ſed ſolo conſenſu, exterius tamen ſufficienter explicato, quod poſtremum de explicatione conſenſus neceſſaria fuſiùs docuimus *in noſtro opere de vſuris & comm. lib. 3. c. 2. art.* 1. poſſunt quoque ad formam contractus reuocari conditiones, quæ aliquando adhibentur pactis, ſicut & modus, & demonſtratio, de quibus omnibus ſingillatim dicemus *cap. ſequenti.*

Tota itaque difficultas hoc loco exiſtit circa quædam ſolemnia, quæ nonnumquam ad validitatem contractus ius requirit ſiue commune, ſiue municipale ſingularum prouinciarum: quilibet enim iuxta leges loci, in quo contractus celebratur, contrahere debet, *l. quod ſi nolit. D. de Ædilitio edicto*: illa verò ſolemnia percenſere hoc loco noſtri non eſt inſtituti, ſed Pragmaticorum & Tabellionum; præterquam quod quiſque contrahens noſſe debet mores regionum in quibus degit, & contrahit: his itaque omiſſis.

Definienda reſtat operoſa illa quæſtio, an contractus, qui carent ſolemnibus à iure requiſitis, inualidi ſint, an verò obligent ſaltem in conſcientia. Verùm hunc laborem iamptidem occupauimus in *opere de vſuris lib. 3. cap. 2. art. 4. num.* 7. vbi oſtendimus contractus abſque forma & ſolemnitate ſubſtantiali à lege, aut ſtatuto præſcripta celebratos, eſſe inualidos, & nullos, quia carent aliquo ſibi ſubſtantiali. Numero verò ſequenti 8. tradidimus certas regulas, quibus dignoſcamus an ſolemnitas præſcripta ſit ſubſtantialis, an accidentalis tantùm, quo caſu non inualidaret contractum.

ARTICVLVS V.

De effectu contractus, obligatione, & actione.

De obligatione. 1.
Quid ſit actio. 2. 3.
Diuiſio actionis. 4.

PRimus pacti & contractus validi effectus eſt obligatio, ſiue naturalis, ſiue ciuilis, ſiue vtraque, quam aliqui mixtam nominant. De hoc effectu obligationis diximus ſufficienter noſtro inſtituto *lib. 1. de vſuris & commerc. cap. 3. art.* 1. vbi & obligationis naturam, & eius diuiſionem in naturalem & ciuilem explicuimus, earumque diſcrimina expendimus, & aliquando ſolam naturalem obligationem ſine ciuili, aliàs ciuilem ſine naturali, aliàs vtramque ſimul reperiri docuimus, quæ tu conſulas; neque enim aliquid addendum habeo. Reſtat duntaxat regulas vniuerſales tradamus, quibus cognoſcamus quandonam, & quam obligationem ſingula pacta pariant, quod exequemur proximo Articulo. 1

Diuerbium Iuriſconſultorum eſt, obligationem ciuilem, matrem eſſe actionis, quare de actione quædam attingenda nobis ſunt. Actio ſi vim nominis ſpectes, quod ab agendo deriuatur, ſignificat in vniuerſum quidquid fieri & agi ſolet, vnde hiſtrionum, oratorum, fabrorum, aliorumve actionem dicere ſolemus: à Iuriſconſultis tamen in ſuis libris contracta eſt amplior illa, & vniuerſalior ſignificatio ad eas ſolùm actiones, quæ ad ius & iudicia pertinerent, hoc eſt ritus, qui à Iuriſconſultis excogitati ſunt ad ius acquirendum, & transferendum, veluti nexum, emancipationem, manumiſſionem per vindictam, ceſſionem in iure, teſtamentum per æs & libram, & ſi quæ ſunt generis eiuſdem. Cùm verò illa omnia certa quadam conceptione verborum fierent, conſuetudine loquendi factum tandem eſt, vt actio vulgò pro formula & certa conceptione verborum diceretur, hoc eſt rerum priuatim agendarum modus, & forma Iuriſconſultorum, & Pragmaticorum ingeniis excogitata. Sic vocabantur legis actiones, quoniam præſcribebant formam, ritumque agendarum rerum, 2

de

de quibus l. X I I. Tabular. ſcripta erat. Pompon. *l. 2. D. de origin. iur. Ex his legibus eodem tempore ferè actiones compoſita ſunt, quibus homines inter ſe diſceptarent, quas actiones, ne populus prout vellet, inſtitueret, certas, ſolemneſque eſſe voluerunt, & appellatur hac pars iuris, legis actiones.* Quod itaque nos formularium practicæ vocamus hodie, erant olim actiones legis, quomodo dicuntur à Varrone, & Cicerone Manilianæ, & Hoſtilianæ actiones, hoc eſt rerum agendarum, ſtipulationumq; formulæ à Manilio & Hoſtilio Iuriſconſultis compoſitæ, quas in ruſticanorum manibus verſari dixit Varro *lib. 1. de re ruſt.* Cicero *lib. 6. ad Attic.* & *lib. 1. de Oratore* ait, Cnei. Flauium actiones compoſuiſſe, & expoſuiſſe. Valentis de actionibus libri ſeptem, & Venuleij libri decem ſæpiùs allegantur in iure. Scripſit quoque Paulus librum ſingularem de conceptione formularum; apud Romanos enim nihil fiebat ſine certa formula, emptiones, venditiones, teſtamenta, ſponſalia, diuortia, iudicia, & alia huiuſmodi; alioquin neque iure, neque legitimè fiebant. Erant itaque pro natura cuiuſque negotij præſcriptæ agendi formulæ: quia verò inter iuris actiones illa facilè principem locum obtinet, quæ ſpectat ad iudicium inſtituendum, hinc factum tandem eſt, vt actionis verbo ſimpliciter prolato, intelligatur formula aliquē proſequendi in iudicio. Eſt verò duplex: Prima eſt poſtulatio, qua quis ad iudicium prouocat, & à Prætore poſtulat recuperatores, qui de ſua lite & controuerſia cognoſcant: ea ſiquidem nominatur actio, agere enim eſt apud aliquem de alio conqueri, & vt loquebantur veteres, poſtulare; ſiquidem apud alterum poſtulare ſolemus, expoſtulare apud illum ipſum de quo querimur, ſuntque innumera apud Ciceronem alioſve veteres exempla, quorum nonnulla refert Hotman. *in §. 1. Inſtit. de actiomb.* quibus conſtat actionem propriè & principaliter eſſe eius qui ad iudicium prouocat, & apud Prætorem his vtitur verbis. *Aio te mihi dare facere oportere: hanc rem ex Iure Quiritium meam eſſe aio.* Cui aduerſarius, *At ego contra eam vindico*: quæ erat formula vindicandæ rei mouentis. Circa vèrò res alias olim quidem diſceptabatur ex X I I. Tabul. in iure præſenti, ſiue ager, ſiue quid aliud eſſet, vnde vetus illa locutio apud Cic. *lib. 1. de orator.* & alios; *In rem præſentem venire*, & antiquiſſima formula; *Manum conſerere.* Fiebant vindiciæ correpta manu, ſiue in re, ſiue in loco præſenti. Verùm, poſtquam Prætores (inquit Agell. *lib. 20. cap. 9.*) propagatis Italiæ finibus, datis iuriſdictionibus, negotiis occupati proficiſci, aliàs pacifici, vindiciarum dicendarum cauſa longinquas res grauabantur, inſtitutum eſt contra X I I. Tabulas tacito conſenſu, vt litigatores non ex iure apud Prætorem manum conſererent, ſed ex iure manu conſertum vocarent, id eſt, alter alterum ad conſerendum manum in rem de qua ageretur, vocaret, atque ita in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebam in ius in vrbem ad Prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent; cuius vindicationis verba præſcripta erant: *Fundus qui eſt in agro qui Sabinus vocatur, meus eſt, eum ergo ex iure meum eſſe aio, ibi ego te ex iure manum conſertum voco.* Cui is quo vindicabatur, reſpondebat: *Vnde tu me ex iure manu conſertum vocas, inde ego te reuoco.* Inde Ennius vt bellum deſcriberet, in quo omnia vi, & ferro fierent, & caperentur, non verbis; ſiue vt ait Agellius, conferens vim illam ciuilem, & feſtucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret, nec erat bellica & cruenta, ſic cecinit octauo annali.

Pellitur è medio ſapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur:
Haud dictis validis certantes, ſed maledictis,
Miſcentes inter ſe inimicitias agitantes,
Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Harum actionum præparatoriæ erant interrogationes, & vindiciæ. Interrogatio ſic fiebat Q.T.I.I. C.P.A.T.F.A. id eſt, *Quando te in ius conſpicio, poſtulo an te facias authorem.* Vindiciæ erant ius poſſeſſionis, quod vtraque pars lite pendente contendebat apud ſe eſſe oportere; ſic dictum, vt Pædianus ait, quòd qui in his obtineret, vindicem, hoc eſt, prædem, vel, vt hodie loquimur, fideiuſſorem dare deberet, nihil in re poſſeſſa deteriùs ſe facturum. Vide Alciatum *in l. pecunia verbum. §. actionis. D. de verbor. ſignificat.* Hæc itaque formula poſtulandi ius apud Prætorem, ſiue querela, qua ſimul poſtulabantur à Prætore recuperatores, qui de lite & querela facta cognoſcerent, actio dicebatur. Nominabat itaque Prætor recuperatores, id eſt Iudices, qui de illa controuerſia cognoſcerent, ſic dictos, quod per eos quiſque ius ſuum recuperare poſſet. Vide Feſtum *verb. recuperatio.* Formulam porrò illam, qua Prætor in dando Iudicio vtebatur, actiones quoque nominabant: v. g. *L. Octauius Iudex eſto, ſi pareret fundum Capenatem P. Seruilij eſſe, neque is fundus ei à Sempronio reſtituatur, tum Sempronius damnetur.* Hanc formulam & actionem Cicero 4. *Verrin.* commemorat, vbi etiam ſic ſcribit: *Edixit ſeſe iudicium iniuriarum non daturum, ipſi autem nullius actionem rei ſeſe daturum.* Igitur agere volentibus, & ius ſuum perſequi, dabantur & conſtruebantur actiones, vel legum præſcripto, vel à Magiſtrato, apud quem erat legis actio, id eſt, iudicandi poteſtas, qualis erat Prætor; vel à Collegio pontificum: qui autem agendi facultatem à Prætore accepiſſet, ſimul ab illo iudicium accipiebat; nempe qua lege, quo Iudice, quo loco, quo die agi vellet, vt iam monuimus, vt id inter litigatores, & Iudicem conſtaret, vnde dicitur editam actionem, futuræ litis ſpeciem demonſtrare. Sextus Ælius librum edidit, qui Tripertita inſcribebatur, quia in eo lex X I I. Tabular. & eius expoſitio continebatur, & demùm legis actio contexebatur. Appius Claudius cognomento Centimanus actiones de vſucapionibus ſcripſit, quem deinde Cneius Flauius vulgauit, & vt ait Liu. *lib. 9.* Ius Ciuile poſitum in penetralibus Pontificum euolgauit, Faſtoſque certa forma in albo propoſuit, vt quando lege agi poſſet, ſciretur. Formolæ porrò iudiciorum conciſæ, ac præſcriptæ erant, atque ſanctè vſurpandæ, vt vel vna ſyllaba omiſſa, cauſa & actione caderent; quare Quintilian. *lib. 7. Nam etiam & periculoſum, cùm ſi vno etiam verbo eſt erratum, tota cauſa cecidiſſe videamur.* Iure deinde poſteriori omnes eas formulas aucupatione ſyllabarum inſidiantes cunctorum actibus, radicitùs amputari voluit Conſtantin. *l. 1. C. de formul. ſublat.* inſidiatrices vocabat Conſtant. eas formulas, quia cauſa cadebat, qui non quemadmodum oporteret, egiſſet, erantque in omnibus ſcrupuloſæ eiuſmodi ſolemnitates, in ſtipulationibus, donationibus, arbitris, teſtamentis, bonorum poſſeſſionibus, denuntiationibus, interdictis, adoptionibus, emancipationibus, & aliis eiuſmodi. Actiones igitur non ſuſtulit Conſtant. vt conſtat ex *l. 2. Cod. eod.* ſed actionis formulam, quæ non ad ſubſtan

ſubſtantiam actionis, ſed ad accidentalem quandam formam, & quidem verbalem, ſcrupuloſamque referebatur. Eo deinde exemplo Iuſtinian. *conſuetas ſtipulationum, & ſubtiles, immò ſupervacaneas obſeruationes ab aula reiecit l. 4. C. de recept. arbit.* teſtaturque *l. 1. C. communia de legat. Subtilitates* eiuſmodi, *poſteritatem optimis rationibus vſam, nec facile ſuſcepiſſe, nec inextricabiles circuitus laudaſſe.* Sanè iam olim Conſtantius *verborum inanium captiones excluſerat l. 4. C. qui admitti ad bonor. poſſeſſion. poſſ.* Hos Principes æmulati Reges noſtri Chriſtianiſſimi formulas plurimas, quondam ſcrupuloſiùs obſeruatas ſuſtulere, vti fuſiùs oſtendit Mornac. *in Cod. de formul. & impetrationibus ſublatis*: nam conſtitutio anni 1539. *art.* 16. formulas illas in citationum libellis ſuſtulit, conſentaneè Innocentio *in cap. præterea, de dilationibus.* Conſtitutio anni 1606. velanam illam S.C. Velleiani formulam remouit, quæ tot inopinatas lites pariebat, ſi, vt paſſim, imperitus eſſet Tabellio, à quo conſcriptum fuerat venditionis, obligationis, aliuſve cuiuſuis contractus inſtrumentum, in quo alterutrius contrahentium interceſſiſſet, quidpiam omiſiſſet, non ſine periculo id faciebat. Summotæ deinde ſunt à Senatu formulæ addictionum ad extinctionem lucernæ, vel ad ictum bacilli, totidem enim erant aduerſus creditores debitoremque ipſum, cuius bona vænibant, decipulæ. Exoleuit præterea iam diu ſacramenti, ſiue iuriſiurandi vſus in ſingulis contractibus, tametſi diu ſeruatus; vnde fiebat, vt quiſquis aduerſus contractum reſtitueretur, indigeret iuramenti laxatione. Sufficiunt modò codicilli Principis abſque vlla Pontificia venia. Veteres formulæ in iudiciis eiurationum, ſeu recuſationum remotæ, exciſæ, reſciſſæque ſunt conſtitutione anni 1539. *art.* 10. 11. 13. 14. 15. cum antea, atque ex iuris antiqui formulis inſtituẽda eſſet principalis actio, dum interim per exquiſitas fugitiuaſque alterutrius litigatorum cunctationes, cognoſceretur de hac intercalari litis parte ab arbitris, vt liquet ex *cap. cum ſpeciali, de appellationib.* gloſſa *in cap. ſuſpicionis, de officio deleg.* atque ex *l. apertiſſimi, C. de iudic.* Sunt & alia innumera captioſarum formularum incommoda eadem conſtitutione reiecta, quæ etiam remouit deinceps edictum Molinenſe, Ruſcinonenſe, & Bleſenſe, ita vt hodie duæ duntaxat occurrant negotiorum ſpecies, in quibus formulæ ad minutias vſque ſeruari debebunt, nempe redhibitio gentilia, ſeu retractus linearis, vt vocant, & dominij homagiique formula; qui enim in iis deerit vel ſyllaba formulæ aucupatione præſcripta, ſingulis prouinciarum legibus, cadit omni iure, quod alias illi competeret. Hactenus de veteribus actionum formulis, quæ licèt ſublatæ fuerint, vſui tamen erant, tum ad veteris iuris cognitionem, tum ad intelligendam ipſius actionis definitionem a Iuriſconſultis, & ipſo Iuſtiniano allatam.

3 Eſt igitur actio ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, vt ait Iuſtinian. §. 1. *Inſt. de actionib.* quod deſumpſit ex Celſo 3. *Digeſtorum*, vti refertur *in l. nihil aliud 51. D. de oblig. & action.* Conſentit Iulian. *in l. 6. D. de negot. geſt.* vbi ait eum qui non habet actionem, non habere facultatem aliquem conueniendi in iudicio, vnde intelligis definiri ab illis Iuriſconſultis, atque ipſo Iuſtiniano, actionem prout ſignificat formulam, qua iudicium à Prætore dabatur, modo explicato; per ius enim perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, intelligunt poteſtatem a Prætore datam cauſam ſuam apud recuperatores agendi, ex *l. 2. C. de form. ſublat.* quamuis videatur Celſum non ſatis appoſitè actionem, quæ formula eſt, nominaſſe ius, id tamen ab illo fuiſſe pinguius factum inquit Hotman. vt ſimul extraordinarias actiones comprehenderet, quæ propriè perſecutiones appellantur *l. pecunia 178. D. de verbor. ſignificat.* in quibus formularum conceptio non obſeruatur, vt inquit ibidem Vlpian. & *in l. actio. D. de negot. geſt.* Extremis autem temporibus omnia fere iudicia erant extraordinaria; debuerat autem ex veteri illo ritu, & iure actio definiri, formula iuris recuperatorio iudicio perſequendi ab eo qui legis actionem habet. Quia verò diximus aliam quoque actionem eſſe, qua poſtulatur a Prætore, vti recuperatores det, qui iudicio de lite cognoſcant, illa ſic definiri debet: formula conceptione verborum, quibus iudicium a Prætore certa de cauſa poſtulatur. Cùm autem omnes illæ formulæ, vti ſæpius diximus, ſublatæ fuerint, vulgaris Iuſtiniani definitio a nobis allata moribus hodiernis applicanda eſt; illam latè expendit gloſſa *in Inſtit. de actionib.* Dicitur ius, quia eſt aliquid incorporeum, eſt autem ius ſiue ciuile, ſeu prætorium, ius perſequendi eſt facultas agendi, ſeu conueniendi *l. 1. D. quod certo loco, l. pure, §. fin. D. de doli mali exception.* quas nos actiones, Græci *δίκας* nominarunt, inquit Theophil. *lib. 4. inſt. tit. 6.* nonnulli putant nominari actiones, quia improbos & perfidos agimus ad iudicium, inſulſe omninò: nam ab agere, quod erat veteribus conqueri, vocatas iam monuimus. Per vocem *perſequendi.* Gloſſa diſtinguit actiones ab exceptionibus, quæ dantur reis vt ſeſe tueantur; ſicut enim actiones ſunt arma actorum, ita & exceptiones ſunt arma reorum; quare Vlpian. *l. 2. D. de exceptionib.* exceptio dicta eſt, quaſi quædam excluſio, quæ interponi actioni cuiuſque rei ſolet ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum eſt. Additur in definitione actionis, *in iudicio*, quia quæ fiunt extra iudicium, non ſunt actiones, vt obſeruat ibidem gloſſa, vt ſi diurnum, aut nocturnum furem, vel militem militiam deſerentem quis capiat, *l. 5. D. ad l. Aquiliam, & l. 1. & 2. C. quando liceat vnicuique ſine iudice ſe vendic.* Vltima particula, *quod ſibi debetur*, reſtringit actionem ad perſonalem, vti obſeruat *ibid.* gloſſa, & ſaltem diſtinguit à criminali, qua perſequor pœnam, & vindictam, quæ mihi non debetur. Verùm cùm ſubinde diuidat Imperator actionem in realem, & perſonalem, & vtramque iterum ſubpartiatur, debuit in illa definitione generica omnem actionem ſecundum rationem communem, & vniuerſalem comprehendiſſe: neque nomen debiti tam rigidè videtur accipiendum, ſed pro omni eo ad quod ius habemus, ſeu id ad quod alter obligatur, & quod nos licitè perſequi poſſumus ex iure ſiue naturali, ſiue ciuili, aut prætorio, quamuis non detur actio & poteſtas perſequendi in iudicio, niſi a iure humano poſitiuo, quod aliquando ius naturale ſupponit, aliquando non. Denique cùm actio dicitur *ius perſequendi*, ius ibi accipitur pro poteſtate, & facultate morali, vti monuimus.

Diuiſio actionis multiplex eſt, quam fuſiſſimè 4
explicat Imperator *Inſt. de actionib.* & Vlpian. etiam habet *l. actionum. D. de actionib.* & in ſuis commentariis exponit Interpretes illis locis, & Gregor. *lib. 21. ſyntagmat. cap. 8. à num. 10.* Sufficiat nobis quaſdam vniuerſaliores diuiſiones allegaſſe; duodecim genera facit gloſſa.

Primò

Primò igitur diuiditur actio in perſonalem, realem, & mixtam. Perſonalis eſt quæ ex contractu, vel quaſi ex delicto, mediante obligatione naſcitur, & ſemper contra eandem perſonam, ſcilicet obligatam, vel eius ſucceſſorem vniuerſalem, qui eadem perſona cum defuncto reputatur, competit. Dicitur perſonalis, quia omninò infixa eſt perſonis litigantium; actori quidem cuius oſſibus ita tenacitate inhæret, tanquam character baptiſmi in anima, vt ab eo auelli non poſſit, ſecundum gloſſ. 1. *in leg.* 3. *D. pro ſocio*, non ſatis idonea nec pia comparatione. Id igitur verum eſt de actione directa, quæ nunquam in alium transfertur, ſicut actio vtilis, quæ in alium transfertur quandoque. Deinde perſonalis nunquam egreditur perſonam obligati; & rem ſemper ſequitur, ſicut lepra leproſum, inquit Iaſon *in* §.1. *Inſtitut. de actionib. num.*2. Actio realis ad rem vindicandam, & contra quemcumque poſſeſſorem competit, quia oritur ratione rei, vel iuris, quod actor habet in re per aduerſarium poſſeſſa: quare non ſimpliciter, & inſeparabiliter hæret perſonæ, ſiue actoris, ſiue rei, ſed ſimpliciter rem perſequitur, nec certam perſonam habet obligatam, & competit contra quemcumque illius poſſeſſorem, modò habeat facultatem eius reſtituendæ. Alias harum actionum differentias ex origine, natura, proceſſu, & effectu, pluribus dabunt Commentatores. Actio mixta perſonalem, & realem participat, quia per actionem realem agimus ad id quod noſtrum eſt, vel in quo ius habemus, per actionem perſonalem agimus ad id quod noſtrum non eſt, ſed nobis debitum, per mixtam actionem vtrumque perſequimur: v.g. Titius hæres agit familiæ Herciſcundæ aduerſùs Caium cohæredem, vt tota hæreditas inter ipſos diuidatur, quia non vult in communione manere: ex eo igitur quod Titius petit partem ſuam virilem, agit actione reali, petit enim quod ſuum eſt, quia tamen in illa petitione includitur portio Caij cohæredis, dum Titius petit totam hæreditatem diuidi, petit quod ſuum non eſt, & quia ſæpe illi aliquid ex parte ſocij adiudicatur, perſonalibus actionibus immiſcetur, quia ex quaſi contractu oritur.

Secundò diuiditur actio in ciuilem & prætoriam, quarum iſta à Prætore, illa ab ipſo Iure Ciuili conceditur.

Tertiò in perſequutorias, pœnales, & mixtas, quæ tum ipſam rem, tum perſonam perſequuntur, vti in prima diuiſione expoſui.

Quartò in eas quæ dantur in ſimplum, duplum, triplum, & quadruplum.

Quintò in actiones bonæ fidei, in quibus æquitas Prætoris, ac Iudicis plurimum poteſt, in illarum formulis Prætor adiiciebat *ex bona fide*: & ſtricti iuris, in quibus legum rigor ſeruandus eſt, & Iudici non licet à verbis formulæ, ne tantillum diſcedere.

Sextò in præſequutorias, ſolidas, & non ſolidas. Tu alias diuiſiones earumque expoſitionem vide apud gloſſam, & Iaſon. ac cæteros illius tituli Inſtitution. Commentatores, ex omnibus iſtis actionum ſpeciebus.

Harum fortaſſis notitia deſiderari à te poterit. Actio ad exhibendum datur in poſſeſſorem, vt rem exhibeat, & palam proponat quò ſit vindicandi facultas. Actio confeſſoria datur ad tuendam ſeruitutem, quam quis ſibi debitam in fundo vicino dicit. Actione verò negatoria ſe tuetur, qui debitam eſſe eiuſmodi ſeruitutem, & ſuam libertatem defendit. Actio de in rem verſo datur aduerſus patrem, vel dominum, cùm ſeruus, vel filius mutuatam pecuniam in rem domini vel patris impendiſſe ſe contendit. Actio de pauperie in eum eſt, cuius animal ſua culpa damnum attulit. Actio ædilitia datur primò ſi res vendita redhibeatur propter morbum aut vitium, tuncque à venditore redditur pretium cum acceſſionibus, & aliis quæ iubent Ædiles, & eſt perpetua. Secundò cùm conuenit, vt ſi minus placeat res vendita, reddatur, & ius agendi clauditur ſpatio 40. dierum *l. qua ſi nolit.* §. *ſi quid ita. D. de Ædilitio edicto.* Tertiò cùm venditor non vult tradere, equum v. g. aliamve rem cum ornamento, quo veſtitam oſtenderat, neque durat hæc actio niſi per X L. dies *l. Ædiles. D. eod.* Quartò quando in itinere aliquis habet animal, quod nocere ſolet, *l. ſi enim. D. eod.* Actio Fabiana & Paulliana, ſic dictæ ab earum authoribus dantur aduerſùm debitores, qui bona creditoribus, obligatá in fraudem ipſorum alienant, petitur enim reuocari alienatio. Actio Publiciana iis conſulit, qui bona fide rem emunt, aut capiunt ab eo, qui ius dandi, aut vendendi non habet. Actio Seruiana, & hypothecaria, eſt actio in rem vtilis, quia rem tibi obligatam à poſſidente cum tuo damno repetis. Actio quanti minoris eſt in eos, qui rem vendunt, quæ propter vitium minoris vendi debuit. Actio præſcriptis verbis naſcitur ex contractibus innominatis, de qua actione *ſequenti cap.* dicemus aliquid. Cætera de actionibus ad forum pertinent, & extra noſtrum inſtitutum vagantur, ſicut & id quod diſputant de ſcriptione libelli. Erat enim libellus forma, aut formula ſcripta continens actionem in rem. Inde libellus poſitionalis, ſiue articulatus, qui ſingulas partes & circunſtantias facti præmiſſiuis pronuntiatis complectitur. Libellus etiam dicebatur libellarius. Qui verò iſtis libellis conficiendis præerant, dicebantur Libellenſes *l. 32. C. de appellationibus.* Vide Lacerdam *in aduerſ. c.5.n.1.*

ARTICVLVS VI.

Regulæ vniuerſales de pactorum, & contractuum obligatione.

Regula prima; *De pactis nudis.*
Quid ſi pactum nudum, & quotuplex. 2.3.
Pactum in perſonam, & in rem. 4.5.
Pacta nuda obligant naturaliter, non ciuiliter. 6.
Aliqua pacta nuda pariunt actionem. 7.
Et legitima ibid.
Et quæ inſunt contractui. 8.9.10.11.
Ius Canonicum conſentit cum Ciuili in neganda actione pacto nudo. 12.
Regula ſecunda. *Pacta perſonalia ſolis paciſcentibus proſunt, aut nocent.* 13.
Regula tertia. *De pactis in rem.* 14.15.
Regula quarta; *Quomodo pactum de vna re extendatur ad aliam.* 16. 17.
Quid ferat obligatio alternata. 18.
Quid obligatio generaliter cõcepta. 19.20.21.
Regula quinta *De pactis contra ius & bonos mores, aut dolo malo factis.* 22.23.24.25.26.27.

Regula ſexta. *De pactis quæ turpem cauſam continent.* 28.29.30.

Regula ſeptima. *De pactis poſterioribus, an priora elidant.* 31.32.

QVamnam particularem obligationẽ, quamve actionem pariant ſinguli contractus in ipſorum ſingulorum propria diſputatione explicamus, idque in pluribus iam exequuti ſumus *opere de vſuris, & commerc.* In reliquis qui reſtant proſequemur hoc libro: nunc genericam duntaxat & vniuerſalem doctrinam tradimus ſpectata generica pactorum & contractuum natura; quare regulas vniuerſales quæ deinde facile ſingulis aptari poterunt, ſtatuemus.

REGVLA I.

De pacti nudi obligatione.

1 NVda pacta conuenta pariunt naturalem obligationem, non ciuilem, aut prætoriam, neque proinde actionem, ſed exceptionem tantùm, niſi vel legitima ſint, vel inſint contractui ex parte actoris, hoc enim caſu formant actionem in bonæ fidei iudiciis, neque in hac parte Ius Canonicum diſſidet à Ciuili.

Explicatio & confirmatio Regulæ.

2. Repetendum eſt quod monuimus *art.* 1. nuda pacta quæ cauſariis opponebamus, & quæ ſine cauſa fieri dicuntur, ſiue non habere cauſam præter conuentionem, non ita nominari, quòd eiuſmodi conuentio fiat, nulla omninò cauſa ad paciſcendum mouente, ſic enim ea pacta, & temeraria, & prorſus inutilia forent, etiam ad producendã exceptionem, qua enim æquitate Prætor daret exceptionem ex pacto nudo ſine cauſa interpoſito, qui dat exceptionem doli contra ſtipulationem ſine cauſa interpoſitam *l. 2. §. circa. D. de doli mali exception. l. ſi quis cum alter* 36. *D. de verbor. obligat.* Et tamen ex pacto nudo dari exceptionem a Prætore poſt paulò docebimus. Pactum itaque nudum quod Prætor pollicetur ſe ſeruaturum, & de quo non agimus hoc loco, non ita nominatur, quòd ſit ſine cauſa ad illud mouente, ſed quia nullum in ſe continet negotium, & ſtat in puris finibus conuentionis: quare Vlpianus non appellat conuentionem ſine cauſa, ſed *cui nulla cauſa ſubeſt, leg. 7. §. 2. & 4. D. de pactis.* Cauſa porrò quæ ſubeſt in conuentione, eſt negotium quod præſtat materiam contractui, & non dat occaſionem duntaxat, hoc enim præcedit contractum, & non illi ſubeſt. Exemplum dat Anton. Faber *ad illum* §. 4. Si cùm deberes mihi centum ex mutuo, pactus ſum de non petendo, pactum nudum eſt, quod neque mihi tollere actionem, neque tibi dare poteſt, ſed parere tantùm exceptionem: non eſt tamen pactum eiuſmodi ſine cauſa, ita enim pepigi, quia volui liberalis eſſe aduerſum te, aut quia quidqiam à te accepi, quod non minus, vel etiam amplius eſſet, *l. ſi conuenerit* 5. & *l. contra iuris* 28. *§. fin. D. de pactis.* Nullum tamen hîc negotium ſubeſt præter conuentionem; nam reuerà nullum negotium mutuum inter nos adhuc geritur, cùm paciſcor me nihil à te petiturum. Idem contingit cùm ita paciſcor: *Dabo tibi Stichum, tu mihi Pamphilum:* nullum adhuc geritur inter nos negotium, ſed tunc geretur, cùm ego dabo tibi Stichum, vt viciſſim accipiam Pamphilum; quare nonnulli in eo pacta diſtinguunt à contractibus, quòd iſti negotium præſens reſpiciant, illa verò futurum; quod tamen diſcrimen perpetuum non eſt; nam in ſtipulationibus falſum eſt: illæ enim & veri contractus ſunt, & ſemper in futurum conferuntur, contractus tamen iuris gentiũ ſemper habent negotium præſens, vt venditio, locatio, neque enim vendit, aut locat qui dicit vendam, aut locabo, ſed qui dicit vendo, loco.

3 Hæc omnia confirmantur ex Iuliano, qui *in l. ſolent* 15. *D. de præſcr. verb.* negat nudam eſſe pactionem quæ habet in ſe negotium aliquod; nomine verò negotij intelligenda eſt datio, vel factũ, tunc enim non pactum nudum, ſed contractus euadit, quod item contingit quando interuenit ſtipulatio, alioquin ſi nomine negotij ſignificaremus id omne, quod quoquo modo geritur in pacto, aut gerendum eſt, nullum pactum eſſet nudum, ſed cauſarium, vti nuper monebamus; quia in omni pacto cauſa aliqua mouens reperitur, & de aliqua etiam re agenda conuenitur, nam & per pactum de non petendo, agitur de remittendo debito; *l. 5. C. de pactis*, per pactum de maiore ſumma reddenda, quam quanta credita eſt, agitur de obligatione vſurarum, *l. ſi tibi* 17. *D. de pactis, l. 2. de vſur.* atque ita in aliis ſimilibus; nihil tamen in illis reipſa geritur diſtinctum ab ipſa conuentione, cùm per ipſam tunc nihil detur, aut fiat: quare nuda pacta ſunt, niſi in illis interueniat ſtipulatio; atque hæc explicatio nudi pacti, atque cauſæ quæ ipſi ſubſit, carentis, diligenter aduertenda eſt ad noſtræ regulæ intelligentiam, & iuris notitiam.

4 Aduertendum prætereà eſt pactum nudum aliud eſſe ſimplex, & abſolutum, aliud ſubiunctum, ſiue relatum. Prius illud eſt, quod per ſe conſtat, neque alterius principalis appendix, & acceſſio eſt: cuiuſmodi eſt pactum creditoris cum debitore, ne ab eo petat, aut cùm ei chirographum debiti condonandi causâ, reddit, *l. 2. D. de pactis*, cuiuſmodi ſolum pactum nudum ſimplex reperiri exiſtimat Hotman. *diſp. de pactis, num.* 57. illud quod donationis cauſa fit. Pactum nudum, relatum appellant, quod in alterius pacti principalis negotium relatum eſt, ab eoque dependet, quod iterum duplex facit Vlpianus *in l. pacta conuenta* 72. *D. de contrahend. emption.* nempe detrahens, & adiiciens. Detrahens, principalis contractus obligationem imminuit, & eleuat, ſiue aliquid ipſius oneris in gratiam debitoris detrahit. Adiiciens verò, quidpiam naturali contractus formæ adiicit, & debitoris conditionem grauiorem facit. Detrahens pactum eſt vt in mutuo liceat per partes ſoluere, *l. tutor.* 41. *§. 1. D. de vſur.* in commodato ne culpa præſtetur à commodatario *l. 7. §. 22. D. de pactis*, in emptione ne de euictione caueatur, *l. pacta* 72. *D. de contrab. emption.* in his enim omnibus vides aliquid detrahi de obligatione contractus principalis. Adiiciens contingit in depoſito, vt qui recepit, culpam præſtet, *l. 1. §. ſi conuenit. D. depoſiti:* in emptione, vt euictio cum fideiuſſore præſtetur *l. pacta, citata*, vt niſi pretium certo die ſoluatur, emptor arrhas perdat, & venditor rem recuperet *leg. 2. Cod. de pactis inter emptor.* In quibus vides principalem obligationem augeri adiecto eiuſmodi pacto. Quando verò rei traditioni adiiciuntur, nuda non ſunt, reipſa enim cauſam habent, v.g. ſi in tradenda dote paciſcantur, vt ea dos propiùs quàm à iure conſtitutum eſt, die, reddatur, pactum nudum non eſt, habet enim

cauſam

cauſam, ſiue negotium ipſam traditionem dotis, quare ex eo pacto naſcitur actio *l. Attilianus*, 17. *D. de pactis dotalib.* At verò ſi poſt diuortium id conuenerit, non valebit ne ex eo naſcatur actio, inquit Vlpian. *l.7. §. 1. D. pactis.* Si in accipienda tutela conuenerit vt maiores quàm ſint ſtatutæ capiantur vſuræ, valebit pactum, quod reuerà nudum non eſt. At ſi ita conuenerit finita tutela; pactum nudum erit, neque pariet actionem *l.7. D. de pactis.* Cum itaque dicimus aliquid eſſe pactum nudum relatum ad principale, cui coniungitur, non intelligimus de pacto ad rei traditionem, cui coniungitur, nam illud cauſam & negotium habet, nimirum ipſam rei traditionem præter ipſam conuentionem.

5 Deinde pacta nuda alia ſunt in perſonam, alia in rem: hæc ſunt quoties paciſcor generaliter, ne petam, non demonſtrata perſona à qua non petam; in perſonam verò quoties paciſcor, ne a certa perſona petam; v.g. à Lucio Titio. Ita Vlpian. *l.7. §. 8. D. de pactis.* Vtrum verò in rem aut in perſonam pactum factum ſit; *non magis* (ſic enim legendum putat Faber) *ex verbis quam ex mente conuenientium æſtimandum eſſe ait*; quia facilè fieri poteſt; vt perſona pacti verbis inſeratur, nec tamen ſit illa paciſcentium mens, vt pactum fiat perſonale, ſed ſolum vt demonſtretur perſona, cum qua pactum interceſſit: v.g. *in l. tale pactum* 40. *D. de pactis*, hoc pactum; *profiteor te non teneri*, ad heredes quoque pertinet, ad quos non pertineret ſi pactum perſonale eſſet. Pactum itaque in perſona vnius ex paciſcentibus demonſtrata dubium adhuc manet, vtrum in rem, aut in perſonam ſit, & alij in rem eſſe, alij in perſonam interpretantur, videndumque erit ex variis circumſtantiis, an dictio demonſtratiue, an taxatiuè poſita fuerit; qua in re vix certa & vniuerſalis regula tradi poteſt, illud potius certum eſt, veteri locutione pactum eſſe in rem cùm impersonaliter enuntiatur, veluti, *non petetur. l. qui in futurum* 57. *l. 27. §. 1. D. de pact. l. ſiue mihi* 25. *D. de ſtipulation. ſeruor.* in perſonam cùm ſpecialiter certa, vt dixi perſona deſignatur, à qua non petetur, vt *l.8. §. ſi verba. D. de liber. legat. l.5. §. 2. D. de conſt pecun. leg 9. in fin. D. quod met. cauſ. leg.8. §. 2. de pignor. action. leg.7. §.1. D. de exceptionib.* Hoc porrò pactum in perſonam, ad aliud quam ad deſignatam perſonam non pertinere dicitur, ac ne ad hæredem quidem, vti iam monui, *leg. 2. §.1. D. de pact.* Neque obſtat, Pomponium dicere pactum cum creditore nominatim conuentum etiam ad ipſius hæredem peruenire *leg. 8. §. pen. D. de pignor. action.* id enim ita interpretatur Hotman. vt dictum non ſit, *A te ſolo non petam*, *l. non ſolum* 8. *§. tale. D. de liber. legat.* Sanè quæ perſonalia ſunt cum perſonis ipſis extinguuntur, & quamdiu perſonæ manent, mutationem non patiuntur: pactum verò in rem, & impersonaliter conceptum, *non petetur*, pertinet ad omnes generaliter, quorum intereſt, ne ab ipſis ex pacto petatur *l. & heredi* 21. *§. vlt. l. quod dictum* 32. *D. de pact.* Eſt & tertia quædam ſpecies pacti partim in rem, partim in perſonam, quæ mixta dici poteſt, cuius meminit *leg.57. D. de pact.* in qua pactum fit ex vna parte in rem, ex altera in perſonam. Si dixero; *Ego abs te non petam*, vtrimque perſonale eſt, neque ad hæredes pertinet, quare & mihi ab hærede tuo, & hære-di meo abs te petere licebit. Si dixero; *A me, vel per me non petetur*, ex mea tantùm parte pactum illud perſonale eſt; quare ego neque à te, neque ab hærede tuo petere potero, idemque eſt ac ſi dixiſſem, non petam quamdiu viuam, *l. Aurelio* 20. *D. de liber. legat.* Ex tua verò parte pactum illud in rem fuit: quare hæredi meo ius erit abs te, vel ab hærede tuo petere. Si dixero; *Non petetur abs te*, ex mea parte in rem eſt: quare & me, & hæredem meum obſtringit, qui à te ne ipſe petere quidem poterit; idem enim eſt atque ſi dixiſſem promitto fore vt à te non petatur; ex parte tua pactum illud perſonale eſt, ſiue in perſonam; quare peti poterit ab hærede tuo ſiue per me, ſiue per hæredem meum. Verùm quomodo pactum vnius alteri proſit, aut obſit, dicetur inferiùs in ſecunda Regula.

His obſeruatis facile fuerit regulam à nobis traditam confirmare; quadripartita enim illa eſt. Prima pars agit de obligatione naturali, ſecunda de obligatione ciuili, tertia continet quaſdam exceptiones ab vniuerſali regula, quarta denique componit Ius Ciuile cum Canonico.

6 Dixi igitur primò pacta nuda niſi ex aliquo alio defectu, quam quod nuda ſint, inualida exiſtant, obligationem naturalem afferre. Ita communiter ferè omnes cum Conar. *in cap. quamuis pactum. 2. p. §.4. n.13.* Anton. Gomel. *de contract. cap.8. n.3. cap.9. n.2.* Molin. *tract.1. diſp.257.* Rebell. *2. part. lib... q.3. n.19.* Leſſi. *lib.2. cap.17. dub.4. n.21.* Layman. *lib. 3.4. tract.4. c.2.* Lugo *de iuſtit. diſp.22. ſect. 5. num.5.* Ferdinand. à Caſtro Palao *de iuſtitia diſp.1. punct.3. num.4.* contra quoſdam peritos iuris, qui volunt eiuſmodi naturalem obligationem ſi quæ eſſet, elidi à Iure Ciuili denegante actionem, omnes autem contrahere velle, ſecundum leges, quæ vbi contractum, aut pactum aliquod irritant, impediunt illius validitatem, ac proinde omnem obligationem ex illo naſcituram. Id verò factum ſapienter in pactis nudis, quæ faciliora & vſitatiora ſunt, poſſuntque ſæpius fieri præcipitanter, & innumeras tum diſſenſiones, tum animi angores parere, neque eam ſententiam prorſus improbabilem exiſtimauit Rebellus, mihi tamen nulla probabilitate duci videtur, atque adeò communi ſententiæ tanquam certiſſimæ ſtandum eſſe, cùm & Iure ipſo Ciuili probetur, & æquitati naturali conſentanea ſit. Ius enim Ciuile non reſiſtit nudis pactis, neque ea reprobat quamuis ex illis actionem non concedat, ſed potiùs illa probat; qua de cauſa Prætor concedit exceptionem, compenſationem, deductionem, retentionem, impeditque contradictionẽ *l. naturales* 10. *D. de oblig. & action. l. Stichum. 95. §. naturalis. D. de ſolut. l. frater a fratre* 38. *D. de condict. indebiti.* Hi verò omnes effectus ciuiles ſunt, & ſupponunt aliquam validitatem, & obligationem pacti, ratione cuius conceduntur à Prętore qui alioquin iniquè illos concederet: quare non modò ius illis pactis nudis non reſiſtit, ſed quodammodo aſſiſtit, cùm eiuſmodi effectus ipſis tribuit; non elidit igitur obligationem naturalem, quæ ex ipſis exurgit, licèt non tribuat actionem ad vitandam litium multitudinem, illam tamen ſuo modo ſeruat, tribuẽdo exceptionem, non dat actionem ad petendum, ſed exceptionẽ ad reſiſtendũ, ſeque defendendũ, vti ſtatim dicam. Et ſanè incommodũ omninò foret humanis cõmerciis, ſi homines non poſſent ſeſe inuicẽ obligare ſine formulis quibuſdã & ſolemnitatibus Logiſticis, in rebus quoti-

dianis ad communem conſuetudinem ſpectantibus, neque alius eſt communis ſenſus, & praxis hominum, qui inter ſe paſſim paciſcuntur, & commercia agitant per pacta nuda, quæ neque negotium, hoc eſt, dationem, aut factum præſens, neque ſtipulationem, neque quidquam aliud præter ipſam conuentionem habent, & nihilominus ſe ſuis pactionibus teneri, atque in conſcientia obligari non dubitant, & ſi quando non ſatisfaciant, peccare ſe mordente conſcientia fatentur, quia nimirum æquitas naturalis fidem datam, & ea quæ inter paciſcentes placuerint, ſeruari poſtulat, vti monet Vlpian. *l.1. D. de pactis*, qui idcircò Prætorij edicti quod illo loco explicat, æquitatem naturalem eſſe dicit. Prætor autem *l.7. §.8.* ſe pacta omnia, quæ neque dolo malo, neque in fraudem alterius, neque contra leges, Senatuſconſulta, plebiſcita, & edicta Principum erunt, ſeruaturum eſſe pollicetur, dando videlicet actionem, vel exceptionem. Sane in Gallia nos æquiſſimo iure vtimur; nam obſeruat Molinæ. *ad Alexandri conſilium 16. lib.2.* ſufficere in vniuerſa Gallia conſtare de pacto ſeriò & bona fide inito, vt quis damnetur ad id de quo conuentum fuit, *ſelon ce qui a eſté arreſté*: *κατὰ τὸ συγκείμενον*, ſecundum id de quo compactum eſt. Eandem æquitatem Græcorum legibus probatam fuiſſe monet Plato *in Sympoſ. Quæ quis volens alteri conſenſit, aiunt leges Regiæ Ciuitatis iuſta eſſe*: *ἃ δ' ἄν τις ἑκὼν ἑκόντι ὁμολογήσῃ φασὶν οἱ πόλεως βασιλῆς νόμοι δίκαια εἶναι.* Similia habet Demoſthen. aduerſus Dionyſidorum: *κελεύουσιν οἱ νόμοι ὑμέτεροι ὅσα ἄν τις ἕτερος ἑτέρῳ ὁμολογήσῃ ταῦτα κύρια εἶναι.* Iubent leges veſtræ quæcumque alter alteri ſponte conſenſerit, rata ea eſſe. Inde factum, vt apud omnes gentes adeò commendata fuerit fides, & damnata perfidia, immò ipſi hoſti datam fidem ſeruandam eſſe monuimus alias cum Auguſtin. *ep.1. ad Bonifacium*, Amb. *officior. lib. 1. cap.29. & lib. 3. cap. 19.* Hieronym. *lib.5. in Ezech. cap. 17.* Verum hac de re vide Hotman. *quæſt.7. qq. illuſtrium.* Pacta ſeruanda volunt leges Boiariorum *tit. vnic. cap. 21. de pactis & placitis.* Carol. Magnus *lib.6. capitul. cap. 147.* In C. Theodoſ. *l.vlt. de pactis*, infamia notat eum qui aduerſùs pacta veniendum putauerit. Suidas *verb. συνθῆκαι* ait pacta, & fœdera tribus modis fieri ſolita; verbis, factis, manibus, quia his omnibus fides ſolita erat dari. Itaque vides naturalem æquitatem poſtulare, vt pacta ſeruentur, atque adeò vt paciſcentes illis obligentur, neque formulas, & ſolemnitates, quæ deinde illis adhibitæ ſunt, excogitatas eſſe niſi ad hominum perfidiam coërcendam, quas tamen ad ſingula quoque pacta induci non oportuit, ita vt iis pacta destituta, inutilia forent, & nullam obligationem inducerent, id enim communi hominum conſuetudini plurimùm officeret.

6 Dixi ſecundò pacta nuda nullam obligationem ciuilem inducere, neque actionem, ſed exceptionem duntaxat; ſic enim expreſſimè habemus *l.7. §. 4. D. de pactis*: *Sed cùm nulla ſubeſt cauſa præter conuentionem, hic conſtat non poſſe conſtitui obligationem: igitur nuda pactio obligationem non parit, ſed parit exceptionem.* Ex quibus vides nudam pactionem, quæ nullam præter conuentionem ſibi ſubiectam, habet cauſam, hoc eſt negotium diſtinctum, quod tunc fiat, vti explicuimus, non conſtituere obligationem, ciuilem nimirum, quæ & contractus nomen mereatur, & actionem producere poſſit, ſed exceptionem duntaxat. Itaque communis ille eſt omnium ſenſus, ex nuda pactione neque obligationem, neque actionem naſci, immò inde nudam aliqui nuncupari volunt, ſed malè, cauſa ſiquidem quare nuda pactio non producat actionem, eſt quia nuda exiſtit, eſt autem nuda, quia illi nulla ſubeſt cauſa, hoc eſt nullum negotium, quod geratur præter conuentionem. Cur verò Ius Ciuile noluerit nudo pacto actionem dare, rationem reddunt aliqui, quòd præſumat ex leuitate quadam animi, & vt plurimùm indeliberatè, ac temerariò concipi eiuſmodi pacta, quæ præſumptio erit iuris de iure, quia lex eiuſmodi nixa præſumptione ius conſtituit denegans actionem, quare licèt conſtaret tale pactum deliberato & conſtanti animo factum eſſe, non dabitur tamen actio ex illo, eo quod non veniat quidpiam contra præſumptionem iuris de iure, ex communi omnium ſententia, & ea præſumptio ius conſtituat. Hanc tamen rationem pluribus impugnat Couarru. *in cap. quamuis pactum, 2. part. §. 4. num.13.* In primis quia, vti dicebam, ex pacto nudo danda foret actio, quoties per paciſcentis confeſſionem conſtaret eius animus deliberatus, cum etiam præſumptio iuris de iure admittat in contrarium confeſſionem eius, in cuius fauorem præſumitur, quod paſſim affirmant DD. *in c.15. qui fidem, de ſponſal. & in Authentic. de æqualit. §. aliud*: & *in l. in contractibus, Cod. de non numerata pecunia*: & tamen neque hoc caſu datur actio ciuilis ex nudo pacto, ex communi ſententia, & ipſo iure, alioquin ſemper daretur: nam ſemper actor diceret ſe animo deliberato pactum eſſe, quod ſi reus negaret ſe idem feciſſe, ſuam perfidiam & fraudem fateretur. Deindè cùm Ius ipſum Ciuile fateatur ex pacto nudo oriri naturalem obligationem debiti legalis ad reſtituendum, compenſandum, excipiendum, non poteſt præſumere pactionem fuiſſe indeliberatam, alioquin Prætor defenderet pacta illa aduerſus iuris præſumptionem, & quamuis ex animi leuitate, ac ſine conſenſu ſufficienti facta eſſe exiſtimarentur à iure; quo caſu nulla ſanè iure ſeruanda ſunt. Iniquus igitur eſſet Prætor, qui vellet illa ſeruari, ad idque per conceſſas exceptiones, retentiones, & compenſationes obſtringeret. Itaque non alia quærenda eſt ratio denegatæ actionis nudis pactis, quàm quia lites præſcindere placuit, quæ innumeræ dubio procul orirentur. Ex quibus etiam vides hos paciſcentes non liberari obligatione naturali ſtandi promiſſis, & implendi pacta, atque niſi id faciant peccare mortaliter, aut venialiter pro grauitate, aut leuitate materiæ, cùm aliud omninò ſit negare actionem, aut non punire, aliud verò probare id quod non punitur, aut de quo non datur actio: nam qui in venditione læſit infra dimidium iuſti pretij, non poteſt conueniri in iudicio, & læſo non datur actio ex *leg.2. Cod. de reſcindenda vendition.* lædens tamen non excuſatur à peccato, tenetur que in conſcientia damnum illatum reſarcire, vti dicemus inferiùs. Simplex fornicatio, vt & lupanarium frequentatio neque Iure Pontificio, neque Ciuili punitur, an idcircò licitam & innoxiam eſſe dices? Nulla aduerſùs ingratum datur actio, quamuis aliquando quis teneatur etiam ſub grauiori culpa gratum erga ſuum benefactorem ſe præſtare. Malè igitur voluit Alciat.

in

in rubric. D. de verbor. obligat. num.13. & lib.6. paradox.cap.5. quoties violatio nudi pacti culpam mortalem continet, dandam eſſe ex illo actionem à Iure Ciuili. Malè quoque Fortun. *in cap.1. de pactis*, contendit actionem ex eodem nudo pacto ſemper à Iure Ciuili dandam eſſe, quia datur a Pontificio, quod in materia peccati perpetuò ſeruandum eſt, ex illoque Ius Ciuile emendandum: nam licet vbi de peccato agitur ſtandum omnino ſit Iuri Canonico, neque quod illud ius pronuntiat eſſe peccatum, excuſari, aut probari tanquam culpæ expers poſſit à Iure Ciuili, non tamen quod non punit, aut pro quo non dat actionem, Ius Ciuile pronuntiat idcircò eſſe culpæ immune, cùm ne ipſum quidem Ius Canonicum puniat omnia crimina, vti iam docuimus. Et licèt in aliquo caſu Ius Canonicum det actionem, quam negat Ius Ciuile, non proptereà probat Ius Ciuile id quod damnat Ius Canonicum tanquam peccatum, ſed ſolùm circa naturalem obligationem quam integram relinquit, nihil definit, illamque tuetur non dando actionem, ſed exceptionem.

7 Dixi tertiò vniuerſalem regulam à nobis traditam in quibuſdam videri fallere, ſiue exceptionem pati. Et ſanè nonnulli volunt eſſe quædam pacta, quæ priuilegiata nominant, quia licèt nuda ſint, actionem nihilominus pariunt, cuiuſmodi ſunt donatio acceptata ante traditionem, *l. ſi quis argentum 35. §. vlt. C. de donationib.* promiſſio dotis *l. ad exactionem 6. Cod. de dotis promiſſione*: promiſſio qua quis pro alio ſe ſoluturum pollicetur, *§. de conſtituta 9. Inſt. de actionib.* & in quibuſdam aliis quæ numerat gloſſa *in l. legitima 6. D. de pactis, & in lege iuris gentium 7. §. ſed cùm nullo 4. verſ. igitur. D. eod.* Verum hæc & alia ſimilia pacta, quibus lex actionem concedit, priuilegiata dici non debent, neque verè pactiones nudæ ſunt, ſed eſſent niſi legis adminiculo firmarentur: quare nos legitima diximus cum communi DD. atque ipſo Paulo, qui id affirmat *in l. legitima 6. D. de pactis. Legitima conuentio eſt, quæ lege aliqua confirmatur, & interdum ex pacto actio naſcitur, vel tollitur, quoties lege, vel Senatuſconſulto adiuuantur.* Itaque dixi in noſtra regula, pacta nuda non parere actionem, niſi ſint legitima, hoc eſt lege aliqua, vel Senatuſconſulto confirmentur, atque ita iam nuda eſſe deſinant, & vt ait gloſſa, *fomento legis veſtiantur.* Cùm enim legis ſit actionem inducere, aut extinguere hæc pacta quæ alioquin nuda forent, & actionem non parerent, à lege poteſtatem accipiunt, ac proinde ſi propriè loquamur, iſta pacta, non quidem veſtita dici debent, quia nunquam veteres prudentes iuris, pacti veſtiti nomine vſi ſunt, quod obſeruat Cuiacius, qui inde tamen malè colligit omnia pacta eſſe nuda, & perpetuum eſſe illud pacti ἐπίθετον, vt ſit nudum; dicit tamen pacta quædam rectè poſſunt eſſe non nuda, qualia ſunt de quibus agimus; quia nuda deſtituuntur omni vi & efficacia ad agendum; ea igitur ex quibus agi poteſt non ſunt nuda, quod dilertè dicitur *l. legem 10. C. de pactis.*

Hæc itaque pacta non nuda ex eo ſolùm quod lege confirmentur, licèt illis nulla cauſa ſubſit, modo nuper explicato, neque in ipſis ſit datio, aut factum, nos legitima nominamus cum Paulo, & cæteris Iuriſconſultis, dicimuſque actionem parere, cuius tamen pacti legitimi, tempore Pauli vſurpati, exemplum aliquod afferre difficile eſſe exiſtimauit Anton. Faber in *eam l. ſextam de pactis*, quia quod aliqui de pacto hypothecæ, aut conſtitutæ pecuniæ afferunt, ineptum eſt, cùm eiuſmodi pacta ſint ex iuriſdictione Prætoris *l.1. D. de conſtit. pecun.* & *§. item Seruiana, & §. de conſtituta, Inſtitut. de actionib.* At Prætor legem facere non potuit *§. quos autem. Inſtitut. de bonor. poſſeſſ.* quare eiuſmodi pacta licèt nuda non ſint, cùm pariant actionem, non ſunt tamen legitima, ſed prætoria, ſicut & actio quam pariunt prætoria eſt, & non legitima, & ciuilis; pacta quidem furti, & iniuriarum, hoc eſt, ne furti & iniuriarum agatur *l. ſi tibi decem 17. §. 1. D. de pactis*; ſunt legitima, quia lege XII. Tabular. confirmantur; illa tamen non pariunt actionem furti, & iniuriarum, ſed tollunt ipſo iure. In poſteriori tamen, & nouiſſimo iure huiuſmodi exempla non deſunt, quæ initio retulimus, & aliqui priuilegiata nominabant: nam dos promiſſa peti poteſt ex pacto, atque adeò ex pollicitatione ſola, *l. ad exactionem 6. Cod. de dotis promiſſion.* Ex conſtitutione Theodoſij donatio ſolo pacto facta, perinde valet hodie atque ſi olim ſtipulatio fuiſſet interpoſita ex Iuſtiniani conſtitutione, *l. ſi quis argentum, §. pen. Cod. de donation.* Neque ſane illa pacta, quæ Principum conſtitutionibus confirmantur minus legitima dici poſſunt, cùm eæ conſtitutiones, legùm vim & authoritatem habeant, cum etiam Paul. *l.6. D. de pactis*, legitimam conuentionem dicat quæ Senatuſconſulto adiuuatur: nam licèt lex & Senatuſconſultum aliud nomen habeat, *§. lex eſt*, & *§. Senatuſconſultum. Inſtitut. de iure nat. gent. & ciuili*; & *l. ſi idem codicilli 7. Cod. de codicillis*; quia tamen Senatus etſi legem facere non potuit, conſtitutionem tamen legi ſimilem facere potuit, *§. quos autem, Inſtit. de bonor. poſſeſſ. l. non ambigitur 9. l. ergo omnes. D. de legibus*, pactum Senatuſconſulto firmatum, legitimum etiam dici potuit; quamquàm nullum eiuſmodi pacti exemplum reperiri in iure fateatur Faber.

Altera exceptio ab vniuerſali regula continet pacta, quæ inſunt contractui ex parte actoris: illa enim aliquando formant actionem, contractus, cui inſunt, aliàs nouam & diſtinctam actionem pariunt. Ita diſertè tradit Vlpian. *leg.7. §. 5. D. de pactis*, quod vt intelligas, obſerua in primis formari actionem per pactum, eſſe actionem ex contractu competentem, extendi ad id, quod pacto nudo tali contractui appoſito comprehenſum eſt: quando verò ex pacto appoſito naſcitur actio diſtincta ab actione ipſius contractus, non dicitur formari actio, ſed alia quæpiam dari, & quamuis tunc non ſit opus nouo contractu, eſt tamen opus alia actione, quàm quæ ex contractu naſcitur, vt quod promiſſum eſt, fiat vtriuſque. Exempla præſtant in pactis, quæ fiunt circa adminicula emptionis, quæ aliquando detrahunt emptioni, aliàs adiiciunt, *l. pacta conuenta 72. D. de contrah. emption.* nam ſi contractui emptionis ſtatim apponas pactum de ſoluendo per partes pretio, aut tradenda re vendita certa die, actionem habebis ex empto ad obſeruationem eiuſmodi pacti. At verò ſi tibi mutuò dederim centum, & incontinenti conuenerit, vt tu pro me Romam eas, ex eo pacto quod cùm incontinenti factũ ſit, ineſt contractui, dabitur mihi actio contra te, vt Romam eas prout pactus es, non tamen agere 8

potero actione, vt ex mutuo competenti, id eſt certi condictione, vt Romam eas, ſicut vt mutuò datam pecuniam reſtituas, ſed alia diſtincta actione; quia actio mutui non extenditur ad pactum illud mutuò oppoſitum. Itaque aliud eſt pactum formare actionem contractus, aliud producere actionem, eo quod ſit appoſitum contractui, ac proinde non ſit prorſus nudum, ſed contractu, cui ineſt quodammodo veſtitum, quando ea veſtiti vox modernis Iuriſconſultis pla-
9 cuit.

Obſeruandum itaque 2. eſt, pacta adiici contractui, vel in eius exordio & ingreſſu, & in ipſo tractatu prævio, vel in contractu, vel denique poſt contractum perfectum. Priora illa pacta ineſſe ipſi contractui certum eſt, cùm eius partem conſtituant, ideóque nemo dubitat actionem ex eiuſmodi contractu competentem extendi ad illa pacta, quæ partes illius ſunt; alia verò quæ poſt contractum adiiciuntur ex conuentione contrahentium, videntur omninò extra contractum eſſe, licèt fiant de rebus ad illum contractum pertinentibus, adueniunt ſiquidem contractui iam perfecto & conſtituto, cuius proinde pars eſſe non poſſunt, neque eius formam mutare, augere, imminuere, aut quapiam alia ratione reformare; cùm mutata forma rei rem deſtrui neceſſe ſit: quare ſi ex eorumdem contrahentium conuentione fiant, erunt noui quidam contractus, non prioris partes, & aliquando quidem priorem diſſoluent, aut in alium transformabunt, non autem illi ineſſe dicentur, quod totum egregiè explicat Neratius *l. ab emptione* 58. *D. de pactis*, & Paul. *l. pacta conuenta* 72. *§. Paul. D. de contrah. emption.* nihilominus hæc pacta quæ adiiciuntur contractui, vel in continenti adiiciuntur, vel ex interuallo. Si primum, dicuntur ineſſe contractui, & eius quodammodo noua pars appoſita; quia veroſimile videtur contrahentes de eo quoque in contrahendo cogitaſſe, neque aliter fuiſſe contracturos; non mutant tamen formam ſubſtantialem contractus, cui adiiciuntur, neque proinde illam deſtruunt, vel in alium numero, aut ſpecie diuerſum transferunt: quia hæc pacta adiecta fiunt de aliquibus, quæ naturalia tantùm & accidentalia, ſiue, vt loquuntur, adminicula contractus ſunt: nam ſi fierent de iis, quæ formam ſubſtantialem contractus cui adueniunt, attingunt, ſine dubio contractum illum deſtruerent, & in alium ſpecie, vel numero diuerſum mutarent. Vtriuſque eiuſmodi pacti exempla paſſim obuia ſunt. Si poſt perfectam venditionem rebus omnibus, aliquid pretio addatur, vel detrahatur, alius numero contractus efficitur, vti obſeruat Paul. *l. pacta conuenta* 72. *D. de contrab. empt.* quia pretij quantitas ad ſubſtantiam venditionis pertinet. Si poſt depoſitam pecuniam conueniat, vt depoſitarius vti queat depoſita pecunia, fit alius contractus ſpecie, & ex depoſito tranſit in mutuum, *l. Lucius Titius* 24. *D. depoſiti.* Aliquando eiuſmodi eſt ea conuentio, quæ contractui accedit, vt cum ipſa neque contractus prioris ſubſtantia conſiſtere, neque in alium mutari poſſit; & tunc tota ea poſterior conuentio, & pactio nullius momenti eſt, & prior contractus ſubſiſtit: v. g. ſi in mutuo conuenerit creditis tibi decem, vt vndecim debeas, nulla eſt ea conuentio *l. rogaſti me* 11. *§. ſi tibi. D. de rebus creditis.* Si in precario conuenerit, vt vſque ad Kalendas Ianuarias rem meam poſſideas, nulla eſt pactio, *l. cum precario* 12. *D. de precario*; quia impoſſibile eſt vt rem meam per aliquod tempus me inuito, precario tamen poſſideas; quare ſi in illa conuentione vox *precario*, non fuiſſet adhibita, valuiſſet pactio: quando verò pactio accedens contractui ſpectat accidentia contractus, ſiue formam eius accidentalem, nihil prohibet manente tota ſubſtantia contractus, eiuſmodi conuentionem pro arbitrio contrahentium adiici: v. g. pactum in vendione, ne venditor de euictione teneatur ad id quod intereſt, ſed ſolùm ad reſtitutionem pretij, *l. ex empto* 11. *§. vlt. D. de action. empt.* aut ne cautio duplæ præſtetur, quæ aſſiduè præſtari ſolet, *l. pacta conuenta* 72. *D. de contrahend. emption.* aut ne ea cautio cum fideiuſſore præſtetur; hæc omnia pacta quæ ſunt circa accidentia & adminicula contractus, ſi illi ex continenti adiiciantur, illi ineſſe exiſtimantur, & eius quodammodo nouam partem conſtituere. Quando verò ex interuallo accedunt, non dicuntur ineſſe contractui, neque eius pars etiam accidentalis.

Vnde naſcitur aliud diſcrimen inter hæc pacta 10
ex interuallo, aut ex continenti appoſita, vt ex prioribus illis non poſſit agi, quia alioquin ex pacto nudo ageretur, & qui tunc ageret, non ex contractu ageret, ſed ex pacto omnino nudo; ſecùs quam contingat in pactis in continenti appoſitis, cùm enim inſint contractui, non agitur tunc ex pacto nudo, ſed ex contractu, ſiue actione ex eo competenti, ſiue alia noua diſtincta, vti ſtatim explicabimus. Satis modò ſit illud pactum non eſſe nudum, ſed in contractu cuius pars aliqua eſt, fundatum, aut veſtitum, quale non eſt pactum ex interuallo adiectum, quod prorſus nudum eſt, ac proinde inutile ad parandam actionem ex vniuerſali, certaque noſtra regula. Valebit tamen ad excipiendum, ſi ab actore conueniatur, quare eo pacto tueri ſe poterit: atque iſta pacta licet ex interuallo appoſita, dici poſſunt ineſſe contractui, non ex parte actoris, ſed ex parte rei, & formare quoque contractum propter illam exceptionem.

His obſeruatis facile fuerit noſtram regulam 11
confirmare, nimirum pacta incontinenti appoſita aliquando formare actionem illius, nempe in bonæ fidei iudiciis, alias diſtinctam actionem parere, vt in iudiciis ſtricti iuris; quia hæc pacta omnia inſunt contractui, & non poſſunt, quod nuper monebam, dici nuda pacta, ac proinde hic non eſt vera exceptio, ab vniuerſali regula non naſci actionem ex pacto nudo. Quando verò pacta ex internallo adiiciuntur, quia tunc contractui non inſunt, neque eius pars cenſentur, reuerà nuda manent, & idcircò non pariunt actionem, ſed exceptionem, vti fuit explicatum. Quod autem dixit Vlpianus, in bonæ fidei iudiciis pacta formare actionem quando inſunt contractui, ſignificat numquam in iudiciis ſtricti iuris formari actionem per actum, licèt in continenti appoſitum, quod oſtendebamus in mutuo, & in donatione demonſtrat Anton. Faber; in ea enim pactum appoſitum parit aliquam actionem, quæ conceditur donatori vt ſeruetur quod ei rem ſuam tradenti promiſſum eſt, *l. in traditionibus* 48. *D. de pactis*, *l.* 1. *& toto Cod. de donationibus quæ ſub modo l. cum res* 22. *Cod. de donation.* Pactum igitur donationi appoſitum ineſt donationi, alioquin cauſam nullam haberet, & eſſet prorſus nudum, ac proinde nullam pareret actionem: non format tamen actionem, cùm nulla ſit, quæ formetur, & ſi quæ eſſet, ſtricta,

ſiue

ſiue ſtricti iuris foret:nam donatio non numeratur in bonæ fidei contractibus *l.cum 22.C.de donation.* Ex quibus omnibus ſapientiſſimè colligit Faber aliud longè eſſe pactum ineſſe contractui, aliud pacto formari actionem. Pacta incontinenti facta, ſemper inſunt contractui, ſiue bonæ fidei ſit, ſiue ſtricti iuris, vt poſſit dari actio ad id quod pacto comprehenſum eſt, tamenq́ ſemper formant actionem, ſed ſolùm in bonæ fidei iudiciis. Excipitur tamen ſtipulatio, quæ licèt ſit contractus ſtricti iuris, in qua nonnumquam pactum incontinenti appoſitum, & ſtipulationi ineſt, & actionem format ex ſtipulatu *l. lecta 40. D. de verbor. obligat.* quod ibidem oſtendit Faber, & in omnibus contractibus innominatis, licèt ſint ſtricti iuris; quia ex illis contractibus non poteſt alia dari actio, quàm præſcriptis verbis, in factum ciuilis *l.1. D. de præſcript. verb.* quæ eadem actio ſola eſt quæ dari poteſt ex quolibet pacto poſt contractum ſtricti iuris appoſito. *l. Titius Sempronius. D. de præſcript. verb.* Vide eundem Fabrum *decade 1. de erroribus pragmaticor. errore 2.* Cæterom quod ſæpius dixi, pactum incontinenti adiectum, etiam in iudiciis ſtricti iuris, parere actionem, affirmant quoque cum laudato Fabro Hotman. *lib.7. obſeruat. cap.15.* & *lib.1. reſponſor. amicabil. capit. 31.* Duareo. *in comm. ad l. iuris gentium 7. §. quinimmò. D. de pactis.* Couarru. *lib.5. comment. iuris ciuilis, capit. 2.* Fachinæ. *lib. 2. controu. capit. 9.* contra Cuiac. *in comment. ad l. iuris gentium, verſ. in bonæ fidei, de pactis:* & *lib. 10. obſeruat. cap. 24.*

Quod porrò legis apud Vlpianum, *pacta conuenta ineſſe bonæ fidei iudiciis*, ſuperfluum eſſe putat Hotman. cùm idem contingat in iudiciis ſtricti iuris, in quibus quoque pacta incontinenti appoſita formant actionem, id tamen negauimus hactenus, oſtendimuſque ineſſe contractui eiuſmodi pacta, non tamen formare actionem contractus, ſed aliā diuerſam parere, niſi eiuſmodi ſit ille contractus, vt alia nō poſſit ex pacto appoſito dari actio, quàm quæ ex illo contractu ſola datur, vti oſtendebamus in contractibus innominatis, licèt ſint ſtricti iuris. Alij legi mallent apud Vlpian. *in bonæ fidei contractibus*, pro *iudiciis*, verùm retinenda eſt vulgata lectio, quia quamuis pacta incontinenti appoſita contractibus ſtricti iuris, illis inſint, non inſunt tamen iudiciis ſtrictis, hoc eſt, quamuis inſint contractui vt poſſint actionem producere, non inſunt tamen actioni ipſi ex contractu ſtricto, & nominato competenti: actio autem ſola eſt quæ iudicium conſtituit. Itaque pactum aliquod ineſſe iudicio, & formare actionem idem eſt, quamuis pactum ineſſe contractui, & actionem ex contractu pactu formari, diuerſa ſint.

12 Dixi quartò Ius Canonicū & Ciuile non diſſentire hoc loco, cùm neutrū ex nudo pacto concedat actionem. Ita Anton. Faber *in l.7 2. de pactis.* Alciat. *lib.5. Paradox. cap.3.* Fachinæ. *lib. 2. controuerſ. cap. 100.* vbi & alios allegat. Ferdinand. à Caſtro Palao *de iuſtitia diſp.1. punct.3 n.5.* vbi tamen malè adducit Anton. Gomez. *cap.8. num.4.* qui aliud omninò vult, ſicut & Couar. qui contrarium omninò ſentit *in cap. quamuis pactum, 2. part. §. 5.* nam *num.14.* omninò dari actionem ex nudo pacto à Iure Canonico contendit: *num.* verò 15. quem allegat Ferdinand. loquitur de ſimplici pollicitatione facta abſenti, ex illa enim neutro iure dari actionem affirmat, ſed illam à pacto ſapienter diſtinguit. Contraria ſententia diſſidium inter ius Canonicum, & Ciuile conſtituens in concedenda vel neganda actione ex nudo pacto, communior eſt interpretibus iuris, *in cap.1. de pactis*, vbi Felin. Panormitan. quos paſſim ſequuntur cæteri, Molin. *tract. 2. diſp. 257.* Rebell. *2. part. lib. 1. q. 3. num. 15.* Leſſi. *lib 2. cap. 17. dub. 6.* Layman. *lib. 3. tract. 4. capit. 2. ſub fin.* Lugo *diſp. 21. num. 56.* & alij, à quibus tamen omnibus diſcedere, & priori ſententiæ nos adhærere cogit ipſa ratio: nam in primis nihil prorſus afferunt ex Iure Canonico, quod eiuſmodi diſſidium oſtendat, vt expendenti patebit, ſiquidem *cap. 1. de pactis*, iubet pacta cuſtodire dumtaxat, neque de actione danda, neque de pacto nudo, aut nō nudo loquitur; id verò quoque affirmat Ius Ciuile; nā *l.7. §. prætor ait. D. de pactis*, Prætor ait ſe omnia pacta ſeruaturum. Adde pactum de quo ibi agitur, non fuiſſe pactum nudum; in Concilio ſiquidem Carthaginenſi I. Pontifice Romano Iulio I. *c.12.* vnde deſumptum eſt caput illud de pactis, non ex Concilio Africano, vti malè ibidem legitur, Antigonus Madaurenſis Epiſcopus queritur quod Optantius Epiſcopus cōtra pacta inita plebes Antigono aſſignatas circuiret & ad ſe alliceret: pactum autem illud ad componendam litem de Diœceſi initum, iam mandatum fuerat executioni, atque diuiſio Parochiarum, ſiue plebium facta, & cuique ſua plebs fuerat aſſignata, contra quam diuiſionem ex pacto factam Optantius peccabat. Erat igitur in eo pacto datio & factum, ac proinde nudum non erat, vti conſtat ex dictis. Audi querelam Antigoni. *Optantius cùm ſe præſentaret, pactum mecum habuit, & diuiſimus plebes, manuſcriptiones noſtræ tenentur, eppitacia. Contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & vſurpat populos, vt illum patrem, me vitricum nominent.* Ad hanc æquiſſimam Antigoni querelam Gratus Epiſcopus Carthaginenſis, qui Concilio præerat, damnat Optantium, vt vel pacta ſeruet, vel *Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam*, puniatur videlicet a Synodo, cui æquiſſimæ ſententiæ ſubſcribunt vniuerſi, vt pax in Eccleſia ſeruetur. Itaque communi ſuffragio dicunt *pax ſeruetur, pacta cuſtodiantur:* quidnam amabò eſt in toto iſto proceſſu, vnde colligere poſſunt aduerſarij Ius Eccleſiaſticum concedere actionem ex pacto nudo? ad quod etiam parùm appoſitè affertur *cap. qualiter 3. de pactis*, ex Gregorio *lib. 8. regiſt. epiſt. 38.* ſcribit enim Pontifex Ioanni Calaritano, vt curet ne minores à maioribus opprimantur in Sardinia, qua de re apud ipſum queſti fuerant Epiſcopus Carthaginenſis, & Innocentius Præfectus, variis, enim pollicitationibus plebem contra iuſtitiam opprimebant ditiores, qui vbi ipſorum fuerant vſi opera, aut alia ab illis extorſerant, mercedem, aliave promiſſa non reddebant; vnde monet Gregorius *ſtudioſè agendum eſſe, vt ea quæ promittuntur opere compleantur, & vt eis ſacramentum ab his quorum intereſt de ſeruanda lege, aut iuſtitia promittatur.* Ex quibus vides pacta fuiſſe legitima, in eorumque violatione legem ſimul, & iuſtitiam fuiſſe violatam; quia nempe ex parte pauperum impleta fuerant, & deinde à maioribus violabantur & promiſſa non complebantur opere: quid hîc fauet pactis nudis, vt illis naſci actionem in Iure Canonico colligatur? Et quamuis concederemus pacta de quibus agit eo loco Gregorius, nuda fuiſſe; inde tamen nihil aliud haberemus, quàm Iudicem cui denunciatio canonica facta fuerit, poſſe, aut etiam debere ex officio compellere reum violati pacti ad illius obſeruationem, quod vnum commendabat ſuis litteris Gregorius. Ratio eſt, quia Iudex Eccleſiaſticus poteſt cogere ad illud

obſeruandum, quod quis nequit ſine iniuſtitia, aut graui peccato violare, *ex cap. nouit, de iudiciis.* Cùm igitur etiam nuda pacta obligent in conſcientia, & ad culpam, vti oſtendimus *1. parte regulæ*, Iudex Eccleſiaſticus qui id reſciuerit, poterit ex officio cogere contrahentem, & culpabiliter pactum violantem, neque tandem aliud volunt qui pactis nudis actiuem concedi à Iure Canonico contendunt, Felin. *cap. 1. num. 10. de pactis*, Molina *tract. 2. diſp. 257.* Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 2.* & alij. Ad hanc tamen canonicam denunciationem, & Iudicis compulſionem debebit delictum eſſe manifeſtum, ita vt non ſit opus probare apud Iudicem, alioquin daretur actio quam negamus. Quædam alia, ſed parum efficaciter obiicit gloſſa *in cap. 1. de pactis*: nam *cap quicumque Epiſcopi ſuffragio, 66. 12. quæſt. 2.* Prælatus qui promiſerit quidpiam pro obſequiis Eccleſiæ præſtitis, iubetur ſtare promiſſis, & ad id iure compelli a Conc. Toletano IV. *cap. 36.* vbi pactum nudum non eſt cui factum acceſſerit. Neque efficacius affertur *cap. quia 12. quæſt. 5.* ex Gregorio *lib. 5. Regiſtri, ep. 1.* vbi Gregorius confirmat donationem factam a Ioanne Epiſcopo Rauennate, Monaſterio S. Apolinaris, quam Marinianus eius ſucceſſor reuocare voluerat; ait autem S. Gregor. ſe ratam habere eiuſmodi donationem Ioannis teſtamento iterum renouatam, non quia ſequitur eius vltimam voluntatem, ſed quia id ipſi ſe facturum promiſerat. Quidnam ex eo antecedente inferat; Ergo ex nudo pacto datur actio, ſicut neque ex illo dicto Leonis *ep. 90. ad Ruſticum, cap. 13. & 14.* & refertur *20. q. 1. cap. puellæ, 8.* vbi damnat virgines quæ ſponte poſt ſuſceptum virginitatis habitum nuptias eligunt, & præuaricantur: *Nam ſi humana pacta nō poſſunt impunè calcari, quid eos manebit, qui corruperunt fœdera diuini ſacramenti.* Quidnam in his omnibus ad actionem ex pacto nudo conceſſam colliges. Similia ſunt, neque maioris roboris quæ à gloſſa, & commentatoribus adducuntur, quæ ſingillatim extendere non vacat.

Secundò fatentur aduerſarij pacta nuda non producere actionem etiam Iure Canonico, niſi eorum expreſſa cauſa; ſi enim agis aduersùs Titium, vt tibi ſoluat 100. promiſſa, nihil obtinebis niſi ſcripturâ, aut teſtibus conſtet tibi ex gratitudine, aut dono, vel in mutuum, aut fundum à te donatum, promiſſa eſſe. ille enim excipiet ea centum ſe promiſiſſe ſub conditione pendente in futurum, v. g. præſtandi certa quædam obſequia; donandi fundum promiſſum, aut quid aliud faciendi; itaque ab agendo repelleris. Sic paſſim omnes cum Couarr. *in cap. quamuis pactum, 2. p. §. 4. num. 14.* vbi tamen obſeruat expreſſionem iſtam cauſæ, quam requirit Ius Canonicum, differre ab ea quam exigit Ius Ciuile, dum pactum nudum definit illud cui nulla ſubeſt cauſa, quòd iſta cauſa in Iure Ciuili ſit datum, aut factum, ſiue negotium aliquod quod geratur præter ipſam conuentionem, vti fuit explicatum; cauſa verò cuius expreſſionem poſtulat Ius Canonicum, ſit ipſa cauſa motiua contractus. Verùm per cauſam idem omninò intelligit Ius Canonicum & Ciuile, niſi aliter ſe loqui diſtinctè affirmet. Deinde in illa expreſſione cauſæ ſemper reperietur aliquod, quod efficiat pactum illud non eſſe nudum, & quæ afferunt aduerſarij continent tantùm promiſſiones non pacta quę mutuam aliquam obligationem inferunt; non autem agimus duntaxat de pactis, quæ vbi cauſam aliquam prout accipitur in iure pactum cauſatum, continebunt, reuerà nuda non erunt.

Denique non potuit eſſe alia mens Iuris Canonici & Ciuilis hoc loco: nam iſtud negauit actionem pactis nudis ad præſcindendam innumeram litium multitudinem, quæ incommoda erat toti Reipublicæ, & conceſſit exceptionem, quæ ſufficiebat ad tuendum ius læſi, qui idem animus eſſe debuit Iuri Canonico, quod non magis probare poteſt illam litium multitudinem: & quandoquidem Iuris Ciuilis definitioni ſtandum eſt, quando ea neque iniqua eſt, neque propterea à Iure Canonico emendata *c. 1. & 2. de noui operis nunciat.* habemuſque à Iure Ciuili negatam actionem nudis pactis, neque contrarium reperimus ſtatutum à Iure Canonico, vti perſpicuè demonſtrauimus hactenus, Iuri Ciuili ſtandum igitur erit.

Regvla II.

De pactis perſonalibus.

PActum perſonale alteri, quàm paciſcenti neque prodeſt, neque nocet.

Expoſitio & confirmatio Regulæ.

Huius regulæ ſententia perſpicua manet ex his, 13 quæ initio obſeruauimus *numero 4.* de pactis in perſonam, & in rem, ibidemque confirmata fuit, dum oſtendimus perſonalia cum perſonis, quibus perſonalia erant, extingui, & ſapienter Labeo *l. 25. §. 1. D. de pactis*, negat perſonale pactum ad alium pertinere, ratioque manifeſta videtur, quia actus non operantur vltra intentionem agentium, *l. non omnino 19. D. de reb. credit.* paciſcentes autem voluerunt hæc pacta in illa perſona ſiſtere, nam nulla cauſa erat cur conciperem pactum in perſonam, niſi quia volebam ipſum non egredi perſonam illam, ideóque perſonale dicimus, quod perſonam non egreditur, *l. quia tale 14. D. ſolut. matrim. l. 1. § planè. D. de conſt. princ.* Adde ſeruandorum pactorum totam rationem pendere ex æquitate fidei ſeruandæ, quæ data fuit; quare nulla ratio eſſe poteſt cur valere debeat pactum, quod ad eum, cui nulla fides data fuit, non pertinet. Denique cùm in pactis, nihil niſi factum verſetur, inſpiciendum ſemper in illis eſt, quid, à quo factum ſit, ne ad alias res, aut perſonas trahatur, idque ipſum in ſtipulationibus ſeruatur ex generali illa ratione, quod per liberam perſonam acquiri nobis nihil poteſt, *l. ſtipulatio iſta 38. §. alteri. D. de verbor. oblig.* Præterea neque verborum obligatio contrahitur, niſi quatenus verbis expreſſum eſt, *l. quidquid 99. D. eod.* neque igitur pacta perſonam, aut rem afficient, niſi quatenus in perſonam, aut rem concepta ſunt. Hæc tamen regula patitur exceptionem in iis perſonis, quæ ratione poteſtatis, vel contractus coniunctæ ſunt, ita vt perſona paciſcenis, per alteram repræſentur, vt de patre & filio, domino & ſeruo, de emptore & venditore, de reo & fideiuſſoribus dicemus *art. ſequenti in Conſectariis.*

Regvla III.

De Pactis in rem.

PActa in rem concepta, etiam aliis, quàm paciſcenti proſunt, aut nocent, quatenus ita intereſt paciſcentis. 14

Explica

Explicatio & confirmatio Regulæ.

Huius regulæ mens clara eſt, non tamen vult pacta iſta eodem modo prodeſſe aut nocere tum paciſcentibus, tum aliis, quorum intereſt: nam paciſcentibus proſunt, aut nocent principaliter, cæteris non niſi per quaſdam conſequentias, quoties nimirum eueniret, vt ne ipſi quidem, qui pactus fuiſſet, pactum prodeſſet, ſi non ad alium quoque eius commodum tranſiret: quare *l.* 21. §. 5. *D. de pactis*, ſic habetur: *In rem pacta omnibus proſunt, quorum obligationem diſſolutam eſſe eius, qui paciſcebatur, interfuit: itaque debitoris conuentio fideiuſſoribus proficiet.* Pactum itaque de non petendo mutuum a debitore, qui dederat fideiuſſorem, proderit fideiuſſori, quia quamuis alia ſit perſona debitoris, alia fideiuſſoris, adeóque alia obligatio debitoris, alia fideiuſſoris, cùm alia ſit principalis, alia acceſſoria, pactum tamen debitoris prodeſt fideiuſſori, ſi debitor pactus ſit in rem, non in perſonam, ne debitum petatur: quoniam alioquin nihil, aut parum prodeſſet ipſi debitori, contra quem fideiuſſor baberet regreſſum actione mandati, vel negotiorum geſtorum, *l. ex mandato* 20. §. 1. *D. mandati*, ſi pecuniam quam creditor à debitore petere nequit, ipſe fideiuſſori ſoluere cogeretur, *l. cum lex* 56. *D. de fideiuſſ.* Quare intereſt omninò debitoris fideiuſſoriam quoque obligationem elidi per exceptionem illius pacti; ad hoc ſiquidem comparatæ ſunt actiones, & exceptiones omnes, vt vnuſquiſque ſibi acquirat, quod ſua intereſt, *l.* 38. *§. alteri: D. de verbor. oblig.* Hinc etiam vides cur *l.* 17. §. 5. *D. de pact.* pactum de non petendo initum à venditore, in rem conceptum, prodeſſe dicatur emptori; quia licèt alia ſit perſona venditoris, & emptoris alia, cùm non poſſit idẽ eſſe venditor, & emptor *l.* 1. *D. de rerum permut. l. pupillus* 5. *§. item ipſe tutor. D. de author. & conſ. tutor.* intereſt tamen venditoris, vt pactum ab eo initum proſit etiam emptori, qui idcircò maiori pretio eam hæreditatem, tanquam propter id pactum locupletiorem emeret, & nihil ex illo pacto proficeret venditor, ſi non prodeſſet emptori; idcircò vtrique proderit, quo iure nos vti ſcribit Pomponius *in §. 5. citato, l.* 17. eaque plurium fuit ſententia. Immò nullus fuit prudentum, qui exiſtimauerit pactum à venditore conceptum in rem, non debere prodeſſe emptori; quid quod Sabinus putauit prodeſſe debere emptori; etiam quod in perſonam venditoris conceptum fuiſſet, quod Sabini dictum ne à communi regula de pactis perſonalibus ad aliam perſonam non pertinentibus diſcedere videatur, ita Cuiacius & Anton. Faber interpretantur, vt pactum perſonale alij prodeſſe poſſit, modò interſit paſciſcentis, ſed eo viuo, cuius ſola perſona pacto comprehenſa fuit: quare non tantùm emptori, ſed eius hæredi, viuo tamen venditore hoc pactum venditoris proderit ex Sabini ſententia, Interprete Cuiacio, vti dicimus cùm vſufructarius vendidit vſumfructũ, eo enim viuente, emptoris hæres gaudebit vſufructu vendito ab vſufructario, *l. neceſſariò* 8. *§. vlt. D. de peric. & comm. rei vendit.* Ex quibus colligit Faber, faciliùs eſſe, vt eiuſmodi pactum perſonale cedatur, quàm vt tranſmittatur à paciſcente in hæredem, quia nemo viuus habet hæredem *l.* 1. *D. de hered. vend. l.* 1. *D. pro herede.* Hotman. inde confirmari ait Sabini ſententiam quòd paciſcens ſe venditori non facturum controuerſiam de venditione, intelligitur ius ei ſuum donare, ac remittere, *l. donari* 29. §. 1. *D. de donat.* ac proinde ratam illam venditionem habere, atqui ratihabitio ad tẽpus paciſcendi retrotrahitur, ſicuti cùm dominus ratam babet factam ab altero rei ſuæ oppignerationem, tum enim pignus conualeſcit, *l. ſi fundus* 16. §. 1. *D. de pignorib. l. ſi donationis* 18. *C. de donat.* Cùm igitur ea venditio per domini ratihabitionem confirmata ſit, & ius quod in rem venditam habebat paciſcens cum venditore, remiſſum illi ſit, tranſibit ea remiſſio & iuris donatio ad emptorem, etiam poſt mortem venditoris ſuperſtitem, ætque atque ad eius hæredem & ſucceſſorem, tum vniuerſalem, tum ſingularem, contra quam vellent Cuiac. & Faber, quod probat Hotman. quia exceptio, quæ venditori competit, eadem etiam emptori, & eius ſucceſſoribus ſingularibus prodeſt *l. Iulia* 76. §. 1. *D. de contrah. empt. l. emptori* 28. *C. de euict.* Deinde quia remittentibus actiones ſuas non datur regreſſus ad eas, *l. quæritur* 14. *§. ſi venditor. D. de Ædilit. edict.* Denique exceptio quæ ratione rei competit, in ſucceſſorem etiam ſingularem tranſit *l.* 8. *D. de iureiurand. l. vt hoc iudicium* 14. *§. pen. D. commun. diuid.* Verùm quidquid ſit de hac Sabini ſententia, illam Pomponius refert, non approbat, ſed opponit recepto iuri, & plurium Iuriſconſultòrum opinioni; vnde videas quanta fuerit authoritas Sabini. Certum verò manet non modò pactum in rem conceptum tranſire ad alium, ſed etiam conceptum in perſonam, quando intereſt paciſcentis vt alteri quoque proſit, vti fuit explicatum in pacto inito à venditore quod emptori prodeſt. Idemque de pacto donatoris quod donatario proderit, habetur *in §. 5. citato l.* 17. *D. de pactis*, quia intereſt donatoris, vt eius liberalitas effectum habeat quantum habere poteſt, cùm donatarius obligetur ad antidora, ideóque ſaltem viuo donatore pactum, quod fuit conceptum in perſonam donatoris, debet prodeſſe donatario, neque fit iniuria ei qui cum donatore pactus eſt, cùm æquè ipſe ſubmouendus fuiſſet per exceptionem, ſi donatio facta non eſſet.

Dixi verò pactum in rem conceptum prodeſſe 15 alteri, qui pactus non eſt, quando intereſt principaliter eius, qui pactus fuit, vt pactum alij proſit, ideóque & prodeſt v.g. in reo promittendi, & his qui pro eo obligati ſunt: cùm enim pactus fuit debitor, ne debitum petatur, id eſt neque ab eo, neque ab eius fideiuſſoribus, & ex eo pacto datur exceptio fideiuſſoribus, prodeſt quidem iis pactum, ſed acceſſoriè tantùm; ipſi verò debitori principaliter, non minùs quàm ſi ipſe conueniretur, quod in duobus argentariis ſociis quoque contingit *in l. idem* 25. *D. de pactis*, de quo *art. proximo:* hancque noſtram doctrinam apertè tradit Paulus. *in l. fideiuſſoris* 23. *§. Neque enim. D. de pactis: Neque enim quoquo modo cuiuſque intereſt cum alio conuentio facta prodeſt, ſed tunc demùm cùm per eum, cui exceptio datur, principaliter ei qui pactus eſt proficiat, ſicut in reo promittendi, & his qui pro eo obligati ſunt.* Quæ verba ſic explicat Cuiac. quaſi Paulus velit, vt pactum quod ego feci, aliis proſit, neceſſe eſſe vt mea interſit, non quoquo modo, ſed principaliter.

Verùm Paul. iſta duo *quoquo modo*, & *principaliter*, non opponit inuicem in vna eademque perſona, ſed in diuerſis, vultque, quod iam monuimus, non ſufficere vt interſit quoquo modo illius, qui ex alieno pacto vult excipere, ſed requiri vt

princi

principaliter interſit eius, qui pactus fuit. Addit Faber ſi eius qui pactus fuit interſit *quoquomodo*, id eſt per conſequentias, non principaliter, dummodo peculiariter, id ſufficeret vt vnius pactum alteri prodeſſet: idcircò Paul. ibidem rationem reddit, cur fideiuſſoris conuentio nihil proſit reo: *Quia*, inquit, *nihil eius intereſt pecuniam à debitore non peti*; hoc eſt nullo modo illius intereſt, vt intelligamus aliud reſpondendum eſſe, ſi quoquomodo ipſius interſit pecuniam à debitore non peti.

Regvla IV.

Quomodo pactum de vna re extendatur ad aliam.

16 PActum de vna re factum valere non poteſt in alia re, niſi vtraque in obligatione comprehendatur.

Explicatio & confirmatio Regulæ.

Hanc regulam diſcrtè tradit. Paul. *l.* 17. §. 4. *verſ. ante omnia. D. de pactis*; vbi monet ante omnia, & primo loco *animaduertendum eſſe ne conuentio in alia re facta, aut cum alia perſona, in alia re, aliave perſona noceat.* De alia perſona diximus ſuperiori regula, de alia re modò agimus, & negamus pactum de vna re factum ad aliam extendendum eſſe, niſi vtraque in pacto & obligatione comprehendatur, cuius regulæ rationem reddidimus in ſuperiori; quia cùm in pactis nihil aliud quàm factum verſetur, inſpiciendum neceſſariò eſt, quid in illis factum ſit, ne ad alias res pacto non comprehenſas trahatur, ſicut neque ad alias perſonas, quando pactum eſt perſonale, ſiue conceptum in perſonam, vti fuit explicatum in ſuperiori regula.

17 Aſſignaui deinde cum ipſomet Paulo regulæ traditæ exceptionem, quæ in ipſamet regula continetur, quare eſt potius ipſius explicatio quàm vera & propriè dicta exceptio: nempe quando duæ aliquæ res ſimul in obligatione pacti initi neceſſariò continentur, tunc enim ad vtramque rem pertinere illud debet, quamuis de vna tantùm ſit expreſſum; quod contingit variis modis: nam aliquando plus eſt in pacto quàm in obligatione, vt dum cui debebantur decem, pactus eſt ne petat viginti: alias plus eſt in obligatione, quàm in pacto, vt ſi cui debebantur viginti, pactus eſt ne petat decem. Atqui iſtæ ſummæ decem, & viginti diuerſæ omninò ſunt: ergo ex communi & vniuerſali regula à nobis tradita, pactum non deberet ad vtramque illam ſummam pertinere, & ſi fiat de non petenda vna ex his ſummis, non tollet obligationem alterius ſummæ, neque dabit exceptionem; imò ſi cui decem debebantur, pepigit ne viginti peteret, inutiliter omninò pactus eſt: nam pactum non conſentit cum obligatione, vt vides; ergo nullo modo valet, & ne quidem in decem, vt de acceptilatione ſcribitur *l.* 14. *D. de acceptil. iuncto* §. *prætereà. Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Quia tamen minor ſumma ineſt maiori, quod ad eam ſummam non ſunt res diuerſæ *l.* 1. §. *ſi ſtipulanti. D. de verbor. obligat.* atque ita in noſtro caſu pactum cum obligatione conſentit, ideóque acceptilatio facta in viginti, ei qui non debebat niſi decem, valere deberet ſi non eſſet actus legitimus, ac ſolemnis, *l. actus legitimi* 77. *D. de regul. iur.* & conſequenter indiuiduus, qui non poteſt pro parte valere, & pro parte non valere. In pactis autem nullum ius verſatur, nulla ſolemnitas; ſed ſola æquitas naturalis, atque voluntatis vinculum. Quis verò dicat eum qui paciſci voluit de non petendis viginti, multò magis paciſci voluiſſe de non petendis decem? quare licèt daremus minimè valere pactum illud, tanquam obligationi non conſentiens, vti obiiciebant aduerſarij, danda tamen eſſet exceptio doli, quæ eſſet ſubſidiaria exceptionis pacti, *l. reſcriptum* 10. §. *vltimo. D. de pactis*: doloſè ſiquidem agit, qui pactus de non petendis viginti, petit decem. Neque dicas non dari actionem ex ſtipulatu contra eum, qui interrogatus de decem, reſpondit de viginti, §. *præterea, Inſt. de inutilib. ſtipulat.* niſi diuerſitas reponſionis illicò placuerit. Reſpondeo enim paciſcentes de viginti, ſimul in eandem ſummam viginti conſentiſſe, neque vnus conſenſit de decem, & alter de viginti, ſed ambo ſimul de viginti. At in ſtipulatione de decem cum reſponſione de viginti, diuerſus eſt conſenſus, niſi vt iam monui diuerſitas reponſionis illicò placuerit, qua ratione interpretor §. *ſi ſtipulanti l.* 1. *D. de verbor. obligat.* Quando verò viginti deberes, ſi pactus ſum ne decem petam, tantum reliqua decem exigere potero, alioqui exceptione pacti repellar; quamuis enim inuito creditori ſolutio per partes fieri nequeat, ſi tamen creditor ſolutionis partem accipiat, & debitum ſit pecuniarium, quod commodam diuiſionem patiatur, poterit pro parte liberatio contingere *l. ſtipulatus ſum* 9. §. 1. *D. de ſolutionib.* Atqui pactum non niſi inter volentes & conſentientes fit, quare pactum de non petendis decem, licèt viginti debeantur, valebit, & pro ea parte decem continget liberatio, atque ſolutio.

Secundò quando vna res eſt acceſſoria alterius de qua pactum initum eſt, ad vtramque illud pertinebit. Sic pactum de non petenda ſorte, extendetur ad vſuras, quia vſuræ ſine ſorte conſiſtere nequeunt, *l. lecta* 40. *De reb. credit.* ideóque in pacto non petendæ ſortis comprehenduntur vſuræ.

Tertiò in obligatione alternata duo quædam comprehenduntur: v. g. ſi fuero ſtipulatus decem, aut Stichum, obligatio vtramque comprehendit, ſed alternatè, neque enim alterum eſt in obligatione, alterum in ſolutione *l. ſi duo* 128. *D. de verbor. obligat.* quando autem fit pactum vel de non petendis decem, vel de non petendo Sticho, pactum non fit alternatè, quamuis alternata ſit obligatio, ſed pactum definitè fit de altera re non petenda, id eſt de non petendo Sticho, vel de non petendis decem, quamuis petitio ex eiuſmodi ſtipulatione alternata, & ipſa quoque alternata ſit: quia ſi vna res definitè peteretur, v. g. ſimpliciter & abſolutè decem, vel ſimpliciter Stichus, plus cauſâ peteretur, §. *ſi quis agens. Inſt. de action.* Pactum ergo de non petendis decem, non deberet pertinere ad non petendũ Stichum ex vniuerſali regula tradita, pactum de vna re non petenda ad aliam non pertinere: nihilominus id falſum eſſe dicitur. *l.* 27. §. *ſed ſi ſtipulatus* 6. *C. de pactis*: quamuis enim pactum interuenerit de non petendis decem, poterunt tamen ipſo iure peti decem, aut Stichus, & exceptio pacti conuenti obſtabit in totum agenti, vt neque in decem, neque in Stichum condemnatio fieri debeat: quod confirmat *in citato* §. Paulus; quia ſicut in ſolutione, & petitione, & acceptilatione vnius rei tota obligatio alternata diſſoluitur, debitor ſiquidem non obligabatur niſi ad alterutrum, ita etiam pacto de vna re non petenda,

veluti

veluti in exemplo allato de decem non petendis, totam obligationem,id eſt quod ad vtramque rem, exceptione pacti ſummoueri oportet, vt eadem ſit vis pacti iure exceptionis, quæ eſſet ſolutionis, & acceptilationis ad tollendam ipſo iure actionem: ſicut enim per ſolutionem & acceptilationem id agitur, vt obligatio tollatur ipſo iure, ita & per pactum de non petendo, vt tollatur ope exceptionis, quod in effectu, & reipſa idem eſt, *l. interdum 112. D. de regulis iur.* Et ſanè niſi hoc concedamus, pactum de non petendo, quod nemo negat poſitum fuiſſe in fauorem debitoris, eidem debitori plurimùm noceret, vt in exemplo propoſito, ſi non obſtante pacto de non petendis decem, adhuc peti poſſet præciſè Stichus, careret debitor libertate, quam habebat ante pactum eiuſmodi tradendi decem, aut Stichum, prout ipſi libitum aut commodum eſſet, deberet enim præciſè, & abſolutè Stichum. Atqui grauius eſt debere quidpiam præciſè, & purè, quam duas res alternatiuè *§. ſi quis agens, Inſtit. de actionib.* quia in obligationibus alternatiuis, licet, vti iam monui, vtrumque in obligatione ſit *l. ſi duo 128. in fin. D. de verbor. obligat.* alterum tamen præſtare ſufficit, & alterutrius preſtandi electionem habet debitor, *l. plerumque 10. §. vlt. D. de iure dotium, l. 2. §. Scæuola. D. de eo quod certo loco. l. ſi in emptione 34. §. ſi emptio. D. de contrah. emption.* niſi creditor eam ſibi ſtipulatus ſit, *l. Pamphilum 95. in princ. D. de ſolut.*

Dices primò conditionem debitoris hoc caſu fieri meliorem, quia cùm deberet pecuniam, aut Stichum per pactum de non petenda pecunia, vnam tantum obligationem, ſiue vnius tantùm rei retinet.

Reſp. quod iam monui, meliorem eſſe conditionem eius, qui duas res alternatiuè debet, quàm ſi vnam tantùm præciſè debeat.

Dices ſecundò, quando ex duabus rebus alternatiuè debitis altera perit, aut omninò præſtari nequit, ſupereſt obligatio præſtandi aliam; atqui quando ea res quæ tantùm & ſola in obligatione fuit, perempta eſt, tota obligatio quoque tollitur *l. Gracè 8. §. ſi quis Stichum. D. de fideiuſſoribus.* ac proinde obligatio vnius rei debitæ præciſè minor eſt, quàm obligatio alternatiua duarum rerum.

Reſp. ex ea quidem ratione obligationem vnius rei præciſè, minorem eſſe obligatione alternatiua duarum rerum, quando agitur de perempta re debita, quæ quidem amplius exhiberi & præſtari nequit, ſed eius æſtimatio ſæpiùs reponenda eſt. At verò quando agitur de ſolutione, æquè tollitur tota obligatio quando vna res ſoluitur, quæ alternatiuè cum alia debebatur, atque ſi ſola præciſè debita fuiſſet; in pactis autem de alterutra re debita non petenda, res illa pro ſoluta habetur, non pro perempta, ac proinde per illud pactum tota obligatio tollitur ope exceptionis.

Dices tertiò verendum eſſe ne actori adimamus actionem, dum reo volumus ſeruare optionem ſoluendi quod voluerit ex duobus alternatiuè debitis, quod ſapienter monet Scæuola *l. 2. §. Scæuola. D. de eo quod cert. loco.*

Reſp. actorem ſibi ipſi ademiſſe, cùm pactus eſt de non petendis decem, quorum ſolutionem debitor potuiſſet eligere, alioquin debitori, quod nuper monuimus noceret pactum de non petendo, quod tamen non niſi in eius gratiam interponi potuit, & debuit, nempe vt debitor minus, & non vt magis, ſiue plus teneretur; argum. *l. legata 14. D. de adim. legat. l. 3. §. ſi emancipatus. D. de bonorum poſſeſſ. l. in ratione 30. §. tametſi. D. ad l. Falcidiam.* Et ſanè ſi creditor ea mente paciſcebatur, vt ſibi faueret, & debitori noceret, ſic paciſci debuerat *ne ſibi decem, ſed Stichus preſtaretur*, tunc enim petenti creditori Stichum, non poterit opponi exceptio pacti conuenti, vti disertè habet Paul. *in §. illo 6. l. 27. de pactis*, quem verſamus; quia eo caſu pactum non eſt interpoſitum fauore debitoris ad adimendam actionem creditori, ſed potiùs fauore creditoris ad adimendam electionem debitori, cui tamen per accidens commodum eſſe poterit pactum illud, ſi v.g. Stichus qui ſolus in obligatione remanſerat, perierit citra culpam, & moram debitoris, aut hæredis eius, ſic enim in totum liberabitur debitor, quod non fieret ſi adhuc Stichum, aut decem deberet, ex nuper allata *l. Gracè 8. §. ſi quis Stichum. D. de fideiuſſorib.* Si tamen ita conuenirent paciſcentes, vt non Stichus, ſed pecunia præſtaretur, nunquam illud pactum in commodum debitoris foret, quia pecunia quæ ſola eo caſu in obligatione ſupereſſet, nunquam perire poteſt, *l. incendium 11. C. ſi certum petatur.* Addit Paul. *idem eſſe ſi de Sticho non petendo conuenerit*, poterit nempe creditor efficaciter agere de pecunia, neque ſummoueri poterit exceptione pacti conuenti; quia non poteſt dici hoc actum, vt nihil peteretur, cùm expreſsè conuenerit, vt Stichus, aut pecunia præſtaretur. Denique ſi creditoris electio fuiſſet, & de non petendo Sticho pactus eſſet, poſſet adhuc decem petere, quia paciſcendo videretur ſibi electionem duntaxat, non actionem ademiſſe. Ex quibus tandem omnibus vides, quomodo in obligationibus alternatiuis pactum de non petenda vna re, valeat in altera contra regulam vniuerſalem, pactum de vna re ad aliam extendendum minimè eſſe.

Quartò quando obligatio generaliter concepta 19
fuit, pactum de non petenda vna re ſub illo genere contenta, non extenditur ad aliam eiuſdem generis ſpeciem, quominus illa peti poſſet, neque actor ſummoueri poterit exceptione pacti conuenti, ſecus quàm contingat in obligationibus alternatiuis, vti nuper docuimus: v. g. cui generaliter homo debetur, ſi paciſcatur de non petendo Sticho, non ideò non poteſt quemlibet alium hominem in genere petere, neque ſi alium quàm Stichum petat, ſummonebitur exceptione; quia non magis Stichus, quam alius quilibet homo continetur in illa obligatione: quare non valet argumentum a ſpecie ad genus negatiuè: v. g. Stichus non debet præſtari propter pactum de ipſo non petendo, vel Stichus non debetur, quia omnium optimus aut peſſimus eſt: ergo nullus alius homo debetur; inepta erit ea conſequentia. A genere nihilominùs ad ſpeciem valet ſemper conſequentia. v. g. homine non legato, neque debetur Stichus, & homine legato, Stichus debetur, & ſolui poterit. Et ſanè manifeſtum eſt quamuis Stichus, aut præſtari, aut peti non poſſit, alium quempiam hominem, & peti, & ſolui poſſe. Deinde poſito pacto de non petendo Sticho, libera tamen manet electio debitori, vt ex aliis omnibus hominibus præſtare poſſit quemlibet alium, modò ille non ſit omnium peſſimus. Quapropter licèt ex promiſſione, aut ſtipulatione in genere ſubducatur Stichus per pactum de non ipſo petendo, manet tamen in ſuo ſtatu obligatio, neque debitori electio, neque creditori actio adimitur per eiuſmodi pactum: quare vides magnam eſſe differentiam inter obligationem præſtandi rem aliquam in genere, hominem

minem v. g. & obligationem alternatiuam præſtandi vnam aliquam rem ex duabus; v. g. Stichum, aut Pamphilum; in hoc enim caſu ſi fiat pactum de non petendo Sticho, licet adhuc præſtari valeat, receſſum nihilominus eſt à tota obligatione; alioquin, vti nuper argumentabamur, non poſſet ſupereſſe alia obligatio, quàm præſtandi præcisè Pamphili, & electio præſtandi quem vellet adempta foret debitori, in cuius tamen gratiam pactum fuit interpoſitum. Eſſet verò paritas inter obligationem generaliter, & alternatiuè conceptam, ſi hæc poſterior plures res quàm duas contineret, tunc enim ſubducta vna re ex illis per pactum de ipſa non petenda, ſupererit tamen electio debitori, quam voluerit ex illis præſtandi: v. g. obligatio eſt de præſtando Sticho, aut Pamphilo, aut Sannione, aut Erote; per pactum de non petendo Sticho, liberum adhuc erit debitori præſtare Pamphilum, aut Sannionem, aut Erotem, eodem modo atque ſi hominem in genere deberet: quare in vtroque illo caſu quando creditor non habet electionem, & pactus fuit de Sticho non petendo, cùm illi homo generaliter deberetur, ſi Stichum præcisè petat, ſummouebitur exceptione pacti, quamuis ſubintelligatur petere cum diſiunctione, *vel alium quemlibet*. Imò & illam diſiunctiuam exprimat; quia petendo nominatim Stichum, & illum in actionem deducendo, facit contra pactum à ſe factum: ſi verò alium quemlibet quam Stichum petat, relicta tamen libera electione debitori præſtandi quem voluerit, non poteſt exceptione pacti ſummoueri; illud enim de ſolo Sticho non petendo fuit, neque ad alios homines porrigi debet; immò debitor ipſum Stichum præſtare poterit: quamuis enim pactum fuerit de non petendo Sticho, non ſtatim fuit de ipſo non præſtando, ſiue ne debitor illum præſtare non poſſet, ſi vellet, ſed ſolùm ne inuitus Stichum præſtare cogeretur. Horum omnium ratio eſt quia *hominis* ſtipulatio & legatum continet orationis compendio ſingulos homines, *l. Mæuius 66. §. duorum. D. de legat. 2.*

20 Dices primò etiam poſt pactum de non petendo Sticho, illum adhuc peti poſſe, & per pactum nihil actum fuiſſe, quia homine generaliter legato, nihil agitur repudiato Sticho, aut Pamphilo, aut ille ipſe, qui repudiatus eſt, iterum eligi poteſt; *l. homine 18. D. de optione legata.*

Reſp. diſcrimen inter hanc repudiationem Stichi à legatario factam, & pactum de illo non petendo, magnum & euidens eſſe; quia repudiari nihil poteſt priuſquam debeatur *l. ſi ita ſcriptum 45. §. ſi ſub conditione. D. de legat. 2. & l. 1. §. decretalis. D. de ſucceſ. edic.* Atqui homine generaliter legato nondum debetur legatario Stichus, antequam electus ſit ab ipſo, non autem illum elegit eùm ipſum repudiat, cùm electio & repudiatio eiuſdem opponantur. Tota igitur illa repudiatio nugatoria, & inutilis eſt; at verò pactum legatarij de non petendo Sticho, ſiue de illo non eligendo, cùm ipſi homo generaliter legatus fuit, valet omninò, neque ampliùs eligere aut petere Stichum poterit, ipſique opponetur exceptio pacti: tum quia licet etiam de legato conditionali, & quod nondum debetur paciſci, *l. 1. C. de pactis*, tum quia vel electio præſtandi hominis generaliter legati, eſt legatarij, tuncque ipſe poſſet ſe obligare ad vnum aliquem certum non eligendum, vel eſt hæredis, vt *in citata lege homine 18. D. de optione legata*, multò magis ſummouendus erit legatarius, ſi Stichum de quo non petendo conuenerat, petat; non verò ſi quemlibet alium petat, modò vti monuimus, electionem hæredi relinquat: neque enim actum videri poteſt, ne quid omninò petatur quandiu integra manebit electio, ſummota Stichi perſona per pactum de illo non petendo.

Dices ſecundò ſi is cui homo generaliter debebatur, Stichum acceptotulerit, tollitur in totum obligatio, *l. & per iuſiurandum 13. §. ſi is qui hominem. D. de acceptilat.* igitur & ſi quis pactus fuerit de non petendo, nullum enim aliud diſcrimen hac in parte poteſt afferri inter acceptilationem, & pactum de non petendo, quam quod per acceptilationem obligatio tollitur ipſo iure, per pactum autem de non petendo tollitur duntaxat exceptionis ope. 21

Reſp. in eo differe acceptilationem à pacto de non petendo, quod illa vim habeat imaginariæ ſolutionis, *§. 1. Inſtit. quibus mod. tollatur obligat. & l. pen. D. de ſolution.* quod igitur inuito ſtipulatori promiſſor ſoluere poteſt, cur non etiam liberationem pariet acceptolatum, vti ibidem argumentatur Vlpian. At verò pactum de non petendo, vim ſolutionis habere nequit, cùm nihil magis alienum eſſe videatur à ſolutione, quàm paciſci ne petatur idipſum, quod ſolui debet. Mirum igitur videri non debet quod acceptilatione Stichi tollatur obligatio debiti generaliter hominis, cùm per ſolutionem ſatisfactum ſit illi obligationi; quod non fit, vt vides per pactum de non petendo.

Hinc colliges quomodo intelligendum ſit illud Pauli *in l. 27. citata, §. 9. Si acceptilatio inutilis fuit, tacita pactione id actum videtur ne peteretur.* Cùm enim acceptilatio fiat per ſtipulationem, ſiue per mutuam interrogationem, & reſponſionem *l. 1. D. de acceptilat.* & ſtipulatio inutilis non valeat in vim taciti pacti *l. 1. §. ſi quis ita, de verbor. obligat.* acceptilatio quoque inutilis vim pacti taciti nequaquam habebit.

Reſp. acceptilationem & pactum de non petendo ſiue tacitum, ſiue expreſſum conuenire in effectu, differre autem in modo agendi & effectum producendi, quamuis reipſa eundem effectum habeant; nam & acceptilatio, & pactum de non petendo liberant omninò debitorem, diuerſo tamen modo: cùm acceptilatio id efficiat ipſo iure, pactum verò ope duntaxat exceptionis. Ad hoc autem pactum inducendum ſufficit voluntas vtriuſque paciſcentium de liberando debitore, quare ſi in acceptilatione etiam inutili reperiatur talis voluntas de liberando debitore, vim habebit taciti pacti de non petendo ex paciſcentium voluntate, quod ſignificat *l. an inutilis, §. 8. in princ. l. ſi acceptolatum 19. D. de acceptilat. l. cum emptore 5. D. de reſcind. vendit.* Neque difficile fuerit oſtendere quomodo in acceptilatione, etiam inutili reperiatur ea voluntas liberandi debitorem; quia cùm acceptilatio ſit actus legitimus; duo neceſſariò requirit, voluntatem nimirum ſine qua non foret actus humanus, & ſolemnitatem qua deficiente nullus & inutilis ſiue inualidus eſt eiuſmodi actus, licèt ſecluſa lege poſitiua, & ſolo iure naturæ, voluntarius & validus foret. Acceptilatio itaque inutilis ea tantùm dicitur, quæ caret ſolemnitate requiſita, atque adeò vim quam ipſi tribuit lex, non habet, neque ipſo iure liberat debitorem, vti liberaret ſi eiuſmodi ſolemnitate nó caruiſſet: habet tamen ſuum illum effectum, qui eiuſmodi ſolemnitatem non requirit, vt liberet debitorem per modum

dum eiuſdam taciti pacti de non petendo, exceptionis ope, quæ opponetur actori, quod dici nequit de ſtipulatione, quia illi pactum non ineſt: nam ſtipulatio & pactum animo differunt; ideóque ex inutili ſtipulatione non obligamur. Vide plura apud Anton.Fab.

REGVLA V.

De pactis contra ius & bonos mores factis.

22 PActum contra ius bonoſve mores, & dolo malu factum non ſeruatur a Prætore.

Explicatio & confirmatio Regulæ.

Hanc regulam præſcribit ipſe Prætor, ſic enim ait in ſuo edicto: *Pacta conuenta quæ neque dolo malo, neque aduersùs leges, plebiſcita, Senatuſconſulta, edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſeruabo.* Ita refert Vlpian, *l.7.§.ait prætor. D. de pactis*: ex qua propoſitione affirmatiua neceſſe eſt colligi contrariam negatiuam, quã in noſtra regula poſuimus, & tradit Anton. Auguſtinus *in l.6.C.de pactis: Pacta quæ contra leges, conſtitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris eſt.* Suſpicatur Hotman. Prætorẽ in ſuo edicto verba iſta poſuiſſe, *neque contra bonos mores*, quæ retulimus, ex conſtitutione Antonij, & habentur apud Paul. *ſentent. 1. tit. de pactis.* Aduersùs hanc regulam plurima obijci poſſe videntur: nam pacta æquitati naturali conſentanea, quamuis aliquando à publico iure ciuili, & receptis ciuitatis moribus abhorreant, ſeruari ſæpius videmus; immò & ſeruari omninò oportere conſtat ex naturali æquitate, & humanæ naturæ ſocietate, quam ſola fides tuetur, vti monebamus olim ex ipſomet Prætore *l.1. D. de pactis.*

Cur igitur, licèt lex Iulia fundum dotalem alienari prohibeat, non poterit maritus paciſci in dote recipienda, vt eum ſibi alienare fas ſit, aut vt fundo dotali ſeruitutem imponat; contra *l.5. D. de fũdo dotali*: nam quamuis legibus conſtitutum ſit vt dos, annua, bina, trinà die reddatur; paciſci tamen poterit mulier vt ſibi celeriùs reddatur, *l. Attilicinus 17. D. de pact. dotalib.* Poterit & mulier aduersùs SC. Velleianum paciſci ſe eius beneficio non vſuram, *l. vlt. §. pen. D. ad Velleian.* Aduersùs Ædilium edictum paciſci licet, *l paciſci 31. D. de pact.* cùm tamen iuris ciuilis pars ſit ius honorarium, iuris autẽ honorarij portio ius ædilitiũ *l 6. §. 1. & l. 7. D. de inſt. & iure, & §. Prætorum. Inſt. de iure nat. gent. & ciu.* Igitur pacta contra ius ædilitiũ facta valere non deberent ex vniuerſali noſtra regula, pacta contra ius ciuile facta minimè valere. Denique cùm Prætoris ſit corrigere, & emendare Ius Ciuile *l.7. §. 1. D. de inſt. & iure*, cur non ſeruabit pacta cõtra Iuris Ciuilis regulas facta, ſi alioquin æqua ſint, cùm ipſe fateatur in ſuo edicto, nihil tam congruũ eſſe fidei humanæ, quàm pacta ſeruari: quod pronuntiatũ vniuerſale prorſus eſt. Ad extremũ quod pacta dolo malo facta ſe non ſeruaturũ edicit Prætor, non probatur, quia ſtipulatio dolo malo inita valet, paritque actionem, licèt repellatur exceptione doli mali *leg. 1. §. circa. & toto titul. de doli mali exception. leg. ſi quis aliter 36. D. de verborum obligationibus, leg. 5. C. de inutilibus ſtipulationibus.*

Cur igitur non valebit pactum dolo malo initum.

Vt hæc omnia faciliùs diſſoluantur; obſerua 23 nos non agere hoc loco de obligatione naturali, ſed ciuili, aut prætoria, explicamus enim duntaxat edictum Prætoris, qui ait ſe ſeruaturum pacta conuenta, nimirum dando actionem, aut exceptionem, prout nuper explicuimus, niſi vel dolo malo facta ſint, vel contra ius, ciuile nimirum; nam certum eſt pacta quæ repugnant iuri naturali iniqua eſſe, ac proinde neque à Prætore, neque ab alio quopiã probari poſſe, neque ad eorum obſeruationem obligari quempiam à Iudice, niſi qui iniquitatem commiſit in pœnam admiſſi ſceleris cogatur ſtare pacto, quod cum iniquitate contraxit, & fraudem quam alibi paciſcenti fecit, ea ratione compenſare, vti diximus aliàs in opere de vſuris *lib. 3. cap. 2. art. 2. in 3. Regula*, de ficta promiſſione; *& art. 3. in. 3. quoque regula*, de doloſè contrahente. Nomine igitur iuris, contra cuius regulas factum pactum ſe non ſeruaturum ait Prætor, nempe exceptionem, vel actionem dando, intelligendum eſt ius ciuile, vti explicat Caius *l.28. initio, D. de pactis*: hoc autem ius legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, & edictis Principum continetur, vti explicat ipſemet Prætor in ſuo edicto, & Papinian. in *l.7. D. de inſt. & iure.* Additur in conſtitutione Antonini *l.6. C. de pactis*, pacta quoque facta *contra bonos mores*, non eſſe ſeruanda, quibus verbis idem ſignificatur, quamuis propriè loquendo ius & boni mores ciuitatis diſtinguantur, vt in *l.219. D. de verbor. ſignificat.* mos enim ex Feſto, eſt inſtitutum patrium pertinens maximè ad religionem, ceremoniaſque Deorum antiquorum, eam tamen vocem latiùs extendit Varro apud Seruiũ *in lib. 7. Æneid.* cùm definit eſſe communem conſenſum omnium ſimul habitantium, qui inueteratus conſuetudinem facit, ipſeque Vlpian. *tit. 1. regul.* tacitum conſenſum populi longa conſuetudine inueteratũ; atque Iuſtinian. *§. ſine ſcripto. Inſt. de iure nat. ſine ſcripto ius venire quod vſus approbauit: nam diuturni mores conſenſu vtentium comprobati legem imitantur.* Theophil. reddit εἰς μίμησιν τῦ ἐγγράφυ νόμυ: quare mores ſunt νόμοι ἄγραφοι apud Suidam, qui ſapienter addit ἔθος ἐστὶ ἄγραφος ἀνθρώπων ἀλλάξιν καὶ χρόνω. Rationem reddit Iulian. *in l 32. D. de legib. Inueterata conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur (& hoc eſt ius quod dicitur moribus conſtitutum) nam cùm ipſa leges, nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quod iudicio populi recepta ſunt, meritò & ea quæ ſine vllo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes: nam quid intereſt ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis, & factis.* Addit argumentum à contrario ex deſuetudine abrogante legem; inde enim colligit Iulian. conſuetudinem legem inducere: *Quare*, inquit, *rectiſſimè etiam illud receptum eſt, vt leges non ſolum ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* Verum de conſuetudine & receptis moribus fuſiſſimè in ſcientia noſtra canonica diſputauimus, nunc nobis ſufficiat quidquid fiat contra bonos, & receptos populi mores, contra leges & ius ciuitatis fieri, atque adeò pacta quæ eiuſmodi publicis populi moribus repugnant, non magis à Prætore ſeruanda eſſe, quam quæ contra leges, ipſumque Ius Ciuile & publicum fiunt. Dixi autem bonos mores; cùm enim aliqui mores mali ſint, minimè ſunt ſeruandi quamuis publici exiſtant, vt alibi diximus. Fit porrò aliquid contra leges ſiue contra ius (hoc enim nomine

omnes Iuris Ciuilis, atque etiam naturalis partes complector) pluribus modis.

Primò quidem & maximè propriè quod lege vetante, ſiue reſiſtente fit, *l. qui vetante* 102. *D. de regul. iur. Qui vetante prætore fecit, hic aduersùs edictum* (eiuſdem ſcilicet Prætoris) *feciſſe propriè dicitur.* Atqui ita pactum contra ius factum inutile dicitur, neque à Prætore ſeruatur *l.* 7. *§. ait prætor. D. de pactis,* & *l.* 6. *C. eod.* Eoque propriè pertinet illud Papiniani *in l.* 38. *D. de pactis; Ius publicum priuatorum pactis mutari non poteſt.*

Secundò impropriè quid fieri dicitur contra ius, ſiue quia ius illi non aſſiſtit, licèt non reſiſtat, neque illud prohibeat, & multò minus factum irritet, ſiue inualidet; ſiue quia tollit aut ceſſare facit diſpoſitioné legis, & vnicuique licet renũtiare iuri pro ſe, ſiue in ſui fauorem introducto; quam eſſe iuris antiqui regulã dixit Iuſtinian. *l. pen. C. de pact.* & *l.* 39. *C. de Episc. & Clericis.* Vulgatum quoque eſt illud Ciceron. *Verrin.* 2. *Quod mihi lex mea cauſa dat, eo mihi non vti licebit.* Neque pugnat hæc regula cum ea quam nuper ex Papiniano referebamus, ius publicum priuatorum pactis mutari non poſſe, vbi nomine iuris publici intelligitur quidquid publica authoritate conſtitutum fuit, nempe legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, Principum placitis, Prætorum edictis, bonis & receptis moribus, & aliis ſimilibus quæ enumerantur *toto tit. de iure nat. gent. & ciuil.* & *l.* 1. *§. huius ſtudij,* & *l. ius autem* 7. *D. de iuſt. & iure:* quare quæ ex legibus fiunt, publici iuris eſſe dicuntur, vt factio teſtamenti, *l.* 3. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* ius deducendæ Falcidię, *l. quod bonis* 15. *D. ad l. Falc.* & alia eiuſmodi. Non licet igitur priuatis contra hoc ius publicũ paciſci, vt ſapienter affirmat Papin. ratioque euidentiſſima eſt; cum enim ius publicum totius populi, & non ſingulorum priuatorum exiſtat, quauis ad ipſorum vtilitatem pertineat, in ſolius populi, non in ſingulorum priuatorum arbitrio eſſe illud oportet, quoties aut conſtituendum, aut abrogandum, aut mutandum erit: alioquin priuatus quilibet, qui de iure publico, aut circa illud quidquam ſtatueret, diſponeret de re non ſua: quod enim eſt populi non eſt ſingulorum; quare dixit Papinian. *l. vlt. D. de ſuis & legitim.* priuatorum pactiones legum authoritatem nó cenſeri, quod tamen fatendum eſſet, ſi legum vim, & poteſtatem impedirent, quinimò ſuperiores & potentiores legibus forent; vtpote quas pro arbitrio mutarent, aut emendarẽt. Licebit nihilominus priuatis, & ſingulis ius ſibi legibus & iure publico delatum, ſiue quæſitum ac competens pacto remittere, quod vnum affirmabat antiqui iuris regula nuper à Iuſtiniano relata, quod non eſt aut mutare ius publicum, aut contra illud & leges facere: illæ enim ſuum effectum ſortitæ ſunt, & illi priuato ius acquiſierunt quidpiam faciendi, aut non obtinendi, qui ſi eo iure vti non vult, non iam violat ius publicum, ſed ſuum lædit. Neque enim lex efficere debet vt quis vtatur ſuo iure, ſed vt illud acquirat, & eo vti poſſit, ſi velit; quare nullo priuato pacto impediri poteſt ne lex det ius quidpiam faciendi, aut acquirendi; poterit tamen impediri ne illud cuius faciendi aut acquirendi ius contulit, reipſa fiat, aut acquiratur; quia qui illud ius ex lege habebat, eo iure vti nõ vult, imò ad non vtendum pactu ſe obligat. Exemplis res tota clarior fiet. Si paciſcatur hæres cum legatariis viuente adhuc teſtatore ne Falcidiam deducat ex legatis, reuerà paciſcitur contra legẽ Falcidiam, & impedit quantũ poteſt eius vim, & efficaciã, quæ in eo conſiſtit, vt hæres oneratus legatis quartam ex ipſis partem ſibi detrahere poſſit. At verò ſi paciſcatur defuncto teſtatore, nihil facit cõtra legem, quæ iam ſuum habuit effectum, non enim illa facit vt hæres omnimodo quartam deducat, ſed vt ipſam deducere poſſit eo tempore quo de ea deductione poterit tractari *l. quod bonis* 15. *§.* 1. *D. ad l. Falcidiam;* quare viuo teſtatore hæres inutiliter paciſcitur de non deducenda Falcidia, ſi teſtator moriatur, vt dixi, at poſt teſtatoris mortem ius illud ſibi quæſitum remittere poteſt, & ſolida legata ſoluere, *l. quidquid* 46. *D. ad l. Falc. l.* 1. & *l. vlt. C. eod.* Qui paciſcitur de non ſuccedendo ei, qui adhuc viuit, facit contra leges, ex quibus deferuntur ſucceſſiones ab inteſtato, *l. vlt. D. de ſuis & legit.* mortuo tamen eo cui poteſt ex lege ſuccedere, poterit paciſci de non ſuccedendo, & de transferenda ad alium hæreditate, *l. non vult hæres eſſe* 6. *D. de regul. iuris l.* 2. *D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* quia lex defert quidem etiam inuitis ſucceſſiones, non acquirit tamen niſi volentibus. Edicto Prætoris conſtitutum fuit, vt hæres caueat legatariis, quibus aliquid ad diem, vel ſub conditione relictum eſt, ſe legata illis bona fide præſtiturũ, *l.* 1. *& paſſim D. vt legat. nom.* eſtque præterea neceſſitas ſatiſdandi legatorum vel fideicommiſſorum nomine, ex iure publico & cõmuni *l. auia* 77. *in fin. D. de condition. & demonſtrat.* nempe gratia tuendæ voluntatis defuncti *l.* 2. *C. vt in poſſeſſ. legat.* in quo non modò legatarij, ſed publicus etiam fauor verſatur, *l. vel negare* 6. *D. teſtam. quemadmod. aper.* & tamen pactum inter hæredem, & legatarium, ne hæres legatario hoc nomine ſatiſdare teneatur, valere, neque pœnitentia reuocari poſſe dixit Tryphonin. *l. pactum* 46. *D. de pactis.* Rationem reddit, quia licet *cuique iuris ſui perſecutionem, aut ſpem futuræ perceptionis deteriorẽ cõſtituere.* Ratio igitur validitatis huiuſce pacti eſt, quia factum eſt eo tempore quo ſatisfactũ fuerat edicto Prætoris, & quo ius quæſitũ erat legatario petendæ ſatiſdationis ab hærede, qui tamen legatarius eo iure vti noluit, ſed maluit ſequi fidem hæredis; neque enim aliud voluit Prætor ſuo edicto, quàm vt hæres ſatiſdare teneatur petenti legatario, qui ſi eo iure noluerit vti, nihil neque contra edictũ, neque contra ius publicum facit, immò neque contra defuncti teſtatoris voluntatem, quam ſeruari intereſt Reipublicæ, ſi tamẽ legatarius facto ſibi legati beneficio voluerit vti; non enim aut teſtator, aut lex volunt vt legatum præſtetur legatario, niſi voluntas legatarij accedat, *l. et qui* 13. *D. de condic. inſtit. l. ſi hæreditatẽ* 32. *D. mandati. l. legatarius* 38. *D. de legat.* 1. Deinde vel teſtator grauauit hæredẽ vt ſatiſdaret legatario, vel non, ſi poſtremum illud dicas, non facit contra voluntatẽ teſtatoris legatarius, qui ſatiſdationem remiſit hæredi, ſi primũ, cùm ſolius fauore legatarij grauamen iſtud hæredi impoſuerit teſtator, poſſet illi fauori, & iuri renuntiare legatarius, ſicut & ipſimet legato; *cum liceat cuique ſui iuris perſecutionem, aut ſpem futuræ receptionis deteriorem facere;* vti monebat Tryphoninus. Si tamen iſta pactio inter futurũ hæredẽ, & futurũ legatariũ inita foret viuente teſtatore, inutilis omninò fuiſſet, & contra ius publicũ, vt pote quia edicti prætorij poteſtatẽ paciſcentes impedire voluiſſent, & ne ius daret legatario petẽdi ſatiſdationẽ ab hærede. Neque ſane edicto Prætoris locus eſſe poteſt priuſquã deceſſerit teſtator, ſicut neq; quis eſſe hæres. Itaq; circa omnia eiuſmodi pacta diſtinguendũ ſẽper erit, an interpoſita fuerint mortuo teſtatore, atque eo tempore quo iam ſatis fuerit factum iuri

publico

publico, quod legibus vel edicto prætorio continetur, an vero ante mortem teſtatoris, eoque tempore quo per eiuſmodi pacta ius publicum offenditur, eiuſque virtus & efficacia impeditur. Ex hac eadem diſtinctione conantur explicare pactū, quo quis Clericus paciſcitur ſe non vſurū præſcriptione fori, quod licere negat Pontifex *in cap. ſi diligenti, de foro competenti*, eo quod pactum eiuſmodi ſit contra ius publicum. Affirmat tamen Iuſtinian. ſtandumque eſſe illi pacto vult *l. pen. C. de pactis*, & *l. ſi quis in conſcribendo 39. C. de epiſc. & Cleric.* quia licet cuique renuntiare iuri in eius fauorem introducto. Verùm huius controuerſiæ definitio alio loco accuratius explicanda eſt, impræſentiarum ſufficiat dicere pactum, quo Sacerdos renuntiat præſcriptioni fori ante contractum, aut ab initio contractus, pugnare cum legibus Pontificiis, quæ Clericorum, & Laicorum iuriſdictiones ſeparatas eſſe iubent, quòd bonum publicum poſtulet ne Laicalis & Clericalis Ordinis iura perturbentur: quare non poteſt Clericus facere vt non debeat habere præſcriptionem fori, ſi à Laïco conueniatur, & non obſtante pacto in contrarium, poterit eam exceptionem habere, etiam inuito aduerſario; quia pactum illud fuit inutile, & illud ſeruare non debet Prætor, vt pote contra ius publicum factum; at verò quando pactum de quo agimus factum eſt poſt contractum, vbi iam Iuri Pontificio publicu fuit ſatisfactum, & Clericus habet iam ius excipiendi aduerſus Laicum, à quo conuenitur coram Iudice Laico, ſi Clericus vti nolit iure ſibi quæſito, malitque Iudicis, & Magiſtratus Laici prorogare iuriſdictionem, illique coram quo incepit diſceptatio ſtare, iam de iure priuato paciſcitur, non de publico, ideóque valet illud pactum. Itaque in Gallia, licèt ex eo Clericali priuilegio poſſit declinari Laicalis iuriſdictio, vbi tamen prima cognitione nihil de Tribunali priuilegiato exceptum, aut prolatum eſt, & conteſtata eſt lis in ciuili negotio, vel reus reſpondit ad interrogationes iure factas, pœnitere amplius ipſi non licet. Præterea vbi de crimine agitur, nequit Clericus renuntiare priuilegio clericali, cùm inde dedecus inferat toti Ordini, in cuius gratiam priuilegium datum fuit: in ciuili autem negotio ſecus; quia tunc ceſſat ratio priuilegij conceſſi ad tuendam dignitatem Ordinis Clericalis. Ita Cuiac. *ad Nouel. de Monachis*, atque ex eo Mornac. ad *l. pen. C. de pact.* vbi & prudentiſſimorum iuris ea in controuerſia diſſidium memorat, additque Senatorem & libellorum ſupplicum Magiſtrū, non poſſe, vbi de crimine agitur, renuntiare Senatorij Ordinis priuilegio, ne alio quam ab vniuerſo Senatu iudicari poſſit; itáque iudicatum alias fuiſſe narrat. In his itaque omnibus videndum eſt ne eiuſmodi pacta & renuntiationes pugnent cum iure publico, & legibus, ſi enim pugnant tantùm cū iure priuato quæſito paciſcentibus per ius publicū, & leges, valida erunt ea pacta, & renuntiationes per ea factæ, modo hactenus explicato, ne quis publici iuris obtentu, pacta ſua violet, & ſecum contrahētes decipiat, vt ait Iuſtinian. *l. pen. C. de pact.* & quia ex antiqua regula, *omnes licentiam habent iis quæ pro ſe introducta ſunt, renuntiare*, niſi tamen in peculiaribus aliquibus caſibus eiuſmodi renuntiatio fieri prohibeatur, cuiuſmodi aliquot enumerat Hotman. *in l. pen. C. de pact.* & Mornac. *in l. 39. C. de Epiſc. & Cleric.* ex Tiraquello, Rebuffo, Boërio, & aliis, de quibus ſingulis ſuus erit alibi dicēdi locus. Sanè cùm eiuſmodi renuntiationes legibus & iure publico prohibebuntur, pacta de ipſis faciendis erunt contra ius publicum, & proinde non ſeruabuntur à Prætore, niſi fiant de nō renuntiando iuri per leges quæ ſuum effectum iam obtinuerunt, quæſito; ſic enim iuri priuato duntaxat per publicum & leges comparato, non ipſi iuri publico per illa pacta renuntiabitur, modo hactenus explicato, quod cuique licitum eſſe demonſtrauimus.

Tertiò aliquod pactū fit in fraudē iuris, licèt nō fiat contra ius; quia nimirū ius non prohibuit verbis ita paciſci, eius tamen mens & ſententia circūuenitur à paciſcentibus. *Contra legem facit*, inquit Paul. *in l. 29. D. de legib. qui id facit quod lex prohibet: in fraudem vero, qui ſaluis verbis legis ſententiā eius circumuenit.* Et Vlpian. *in l. ſeq. D. eod. fraus legi fit, vbi quod fieri voluit, fieri autem non vetuit, id fit; & quod diſtat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc diſtat fraus ab eo quod contra legem fit.* Auguſt. ait hoc eſſe inſidiari ſcriptis, vide eius *lib. 4 contra Iulian. c. 8.* Eiuſmodi fraudi locū ſæpius facit ſermonis obſcuritas; exēpla vide in *l. 3. D. de iure fiſci.* Sanè nonnunquam ex mente legis, & vt dicebat Vlpian. διανοίᾳ ſupplendum eſt, quod orationi deeſt. qua ratione idem Vlpian. *in l. 16. D. de ſponſalib.* orationem Imperatorum Antonini & Commodi quaſdā nuptias Senatoribus prohibentium, ad ſponſalia extendit, licèt de illis omninò ſiluiſſet; *vt ſuppleatur*, inquit, *quod orationi deeſt*, nempe quia prohibito principali prohiberi cenſentur omnia, quibus ad id principale prohibitum peruenitur, exempla huius fraudis legi factæ habemus in ipſa lege Cincia, de qua agit Paul. in *l. 29. adducta*: erat illa de donis & muneribus, ideóque muneralis à Plauto dicitur, ne ſcilicet plus ducentis aureis donaretur, niſi coniunctis perſonis: & prætereà ne quis ob cauſam orandam, donum, munuſve caperet. Hinc tamen legi fraus variis artibus fiebat, ita vt aliud appareret quàm eſſet in receſſu. De variis eiuſmodi fraudibus vide Simeonem Marionium actione ſeptima forenſi; hanc ob cauſā iudicatū eſſe refert Mornac. *in l. 29. D. de legib.* creditorem non poſſe reducere ſummam ſibi debitam ad centum libellas Francicas, vt probare poſſet per teſtes, quod alias ob maiorem ſummam debitā prohibitū ſibi eſſe ſciebat, conſtitutione regia Molin. art. 54. ne ſaluis verbis legis, mens eius circumueniatur: quamuis autem non faciat propriè contra legem qui nō facit contra verba legis, quia tamen verba illa nullam vim habent, niſi ex mente, & ob mentē Legiſlatoris, non minus offendit Legiſlatorē, qui contra ipſius voluntatē, quàm qui contra eius expreſſa verba fraudem legi facit, quia quod Legiſlator vna via fieri prohibuit, ipſe alia facere tentat, quod prohibetur *l. ſcire oportet 21. §. 1. D. de tutor. dat. ab his*: quinimò grauiùs iſte peccat, cùm Legiſlatori ſuā imperitiam exprobret, qui legem mancam, minuſque explicatam tulerit, neque dolo caret, cùm captet occaſionem delinquendi contra legem, *ſaluis eius verbis.*

Pactum igitur in fraudem legis factum, in ipſam quoque legem commiſſum fuiſſe dicendum erit, & eodem modo quo pactum contra expreſſa legis verba reiiciendum, aut probandum erit à Prætore. Eius pacti in fraudem legis & dolo initi exemplum ſtatim afferemus.

His paulò fuſiùs annotatis non difficile fuerit poſitā à nobis regulā, quæ eſt ipſummet Prætoris edictum, confirmare, eiuſque æquitatem oſtendere.

Pacta igitur quæ contra ius publicum, & leges 25
facta ſunt, ſeruari non debent à Prætore, quia Prætor nihil contra leges ſtatuere poteſt, quamuis aliquid præter leges facere poſſit, cùm ius prætorium

introductum ſit adiuuandi, vel ſupplendi, vel corrigendi iuris ciuilis gratiâ, propter vtilitatem publicam *l. 7. §. 1. D. de iuſt. & iur. l.* verò *ſequenti* hoc ius dicitur *viua vox iuris ciuilis*, quæ ſine dubio iuri ciuili contrarium eſſe non debet, vti tamẽ eſſet, ſi pacta iuri ciuili contraria, & contra eius regulas facta probaret; ſecus verò contingit quando ius ciuile eiuſmodi pactis non reſiſtit, licèt non aſſiſtat, aut quãdo fiunt contra ius priuatum ex iure publico, cui iã ſatisfactum eſt quæſitum; quia tunc eiuſmodi pacta non ſunt niſi valdè impropriè contra legẽ, & ius ciuile, vti fuſiſſimè oſtenſum fuit: quod ſi agamus de obligatione naturali ſecluſa ciuili, & prætoria, ea pacta quæ ex natura ſua iniqua non ſunt, licèt prohibeantur iure ciuili, obligabunt tamẽ naturaliter, niſi inualidentur & irritentur à lege, elidaturque tota illa obligatio naturalis quæ ex illis exiſteret: quod fit vel ipſo iure legis actu irritantis, vel ab ipſo Iudice, quãdo lex irritari mãdat eiuſmodi actus, vti fuit expoſitum *in opere de vſuris lib. 3. cap. 2. art. 4. regula prima.*

Secundò pacta quæ fiunt in fraudem legis & iuris ciuilis pari ratione reiiciuntur, vt ipſemet Prætor ait in ſuo edicto; quia quod in fraudem legis fit, odiſius eſt, quam quod apertè fit contra leges, quod nuper oſtendimus.

Tertiò dolo malo pacta inita reiiciuntur; dolus enim malus toto iure vindicatur, & à Prætore præſertim, qui æquitatis cuſtos & vindex eſt, reiici, & cohiberi deberet: ex his tamen vides pactum dolo malo factũ, non eſſe ſemper ipſo iure inutile, quod diſputauimus *in opere de vſuris, lib. 3. c. 2. art. 3.* Sed vbi pacti exceptionem Prætor addiderit, doli mali replicationem ſubiunget, quod oſtendit Horman. *ad l. 9. Cod. de pactis.* Aliud porrò eſt dolo paciſci, aliud de dolo malo; nam dolo malo paciſcitur qui conſulto, & inſidioſè fraudandi & circumueniendi alterius cauſa paciſcitur, quod pactum iure merito à Prætore non ſeruatur: at dolo malo iam admiſſo, de eo paciſci licebit per l. XII. Tabul. & per ipſius Prætoris edictum, quamuis is qui de dolo à ſe commiſſo pactus eſt, infamiam non effugiat *l. 1. D. de his qui not. infam.* Sic tutor de dolo in gerenda tutela admiſſo paciſcitur, *l. ſi ex duob. 15. D. de tutor. & rat. diſtrahend.* Porrò aduersùs Prætoris edictum quædam obiici videntur, & quidem.

26 Primò obiicit Vlp. in *l. 7. §. 10. D. de pactis*, Prætoris edictum videri diminutum, cùm nihil dicat de pactis, quæ fraudandi causâ interpoſita ſunt, cũ tamen illa non minus improbare debeat, quàm quæ dolo inita ſunt. Reſpondet tamen ex Labeone non potuiſſe Prætorem de ea re quidquam edicere, niſi vel iniquè, vel ſuperuacaneè: nã vel deceptus tenetà eſt qui dicit fraudandi cauſa pactum fuiſſe interpoſitum, vel deceptus non eſt: ſi primum dicas, fuſtrà Prætor quiſquã edixiſſet de fraude; quoniam dolo fraus ineſt, & iam edixit ſe pacta dolo inita non ſeruaturum: ſi deceptus minimè eſt, negotium totum bona fide geſtum fuit, quare non debuit audiri creditor, qui quod bona fide remiſit debitori conatur iterum deſtruere. Ex quo Labeonis, & Vlpiani dilemmate colligit Anton. Faber non aliam fraudem in pactis coerceri, quàm quæ dolum malum adiunctum habeat: alius enim dolus bonus, & ſolertia potiùs quàm fraus dici debet ex *l. 1. § dolum malum. D. de dolo mal.* & nos diximus *de vſuris lib. 3. c. 1. art. 1.*

Secundò obiici poſſet. Prætorem agere duntaxat de pactis dolo malo factis: debuit igitur dolus malus cõmiſſus fuiſſe initio pacti, aut in ipſo pacto, nõ autẽ poſt pactum: quare qui eiuſmodi dolum admiſerit, impunitus relinquetur à Prætore. Reſpondet Vlp. §. 11. nihil intereſſe, nempe quoad effectũ, & æquitatẽ rei attinet, an dolus ex initio, an ex poſtfacto contigerit: debet enim inſpici potiſſimùm an quo tempore de æquitate pacti diſputatur, dolus inſit, & an exceptionem ponere debeat dolus malus, qui commiſſus eſſe probatur, ſiue ab initio pacti, ſiue poſtea, ſicut cùm agitur de doli exceptione obiicienda aduersùs ſtipulatorẽ, *l. 2. §. circa. D. de verbor. obligat.* neque id omiſit in ſuo edicto Prætor, cùm ait, *neque quo fraus cui eorũ fiat*: fieret enim fraus ſuo edicto de pactis dolo initis non ſeruandis, ſi ſufficeret dolum ab initio admiſſum eſſe, & qui deinde ſuperueniet, foret impunitus, & pactũ quod illi dolo cauſam dedit, ſeruandum eſſet.

Ita explicata confirmataque noſtra regula, non incommodè quæ aduersùs illam initio afferebantur, diſſoluēs.

Nam primò quod de pactis æquitate naturali conſtituris ſeruandis dicebatur, oſtendit tantum 27
naturalem obligationem, quam pariunt, quamque etiam prætor tuebitur dando exceptionem, modò contra iuris ciuilis regulas inita nõ ſint, poteſt enim ius ciuile prohibere variis de cauſis, quod alioquin iure naturali conceditur, debetque Prætor ius ciuile tueri, vt de non alienando fundo dotali per legem Iuliam, *D. de fund. dotal. l. 4.*

Secundò fruſtra obiicitur pactum de tempore dotis celeriùs reddendæ quàm lege præſcribebatur; quia licet mulieri meliorem conditionem dotis ſuæ facere, non autem deteriorem, *l. Atilicin. 17. D. de pact. dotal.* ſed de ea re ſequenti regula dicemus.

Tertiò quoad SC. Velleian. attinet, illud ſolum admonet Magiſtratus vt dent operam ne mulieres intercedant, illiſque intercedentibus exceptio proponitur, *l. 1. D. ad SC. Velleian.* Cæterum ipſis eiuſmodi exceptioni obnũtiare permittitur *l. vlt. §. pen. D. eod* ſiue per SC. Velleian. licet mulieri non intercedere, neque paciſci ipſa poteſt ne hoc ipſi liceat, illi tamen iuri non intercedendi, ſibi per illud Senatuſconſultum comparato poterit renuntiare, neque ipſa intercedendo, atque adeò ad intercedendum pacto ſe obligare, vti nuper in notatis explicuimus.

Qua ſimili ratione ſoluitur quod quarto loco obiiciebatur, fas eſſe ex *l. 31. D. de pactis*, contra Ædilitium edictum paciſci; quod tamen eſt pars iuris ciuilis, ne redhibitoria agatur: nam pactum iſtud cùm interponitur *in ipſo negotio venditionis gerendo, aut poſteà*, vt loquitur in *citata l.* Vlpian. non pugnat cum illo edicto, neque eius authoritatem conuellit, vti faceret ſi ante negotium gerẽdum poneretur, ſed tantùm beneficiũ agendi redhibitoria repudiat: quomodo dicebamus hæredem poſſe repudiare beneficium legis Falcidiæ; atque poſt mortem teſtatoris paciſci de legatis integris ſoluendis, nõ verò viuo teſtatore: qua eadem ratione licèt filius nequeat paciſci cum patre de non petenda legitima, *l. ſi quando 35. §. illud. C. de inoff. teſtam.* poterit tamen cum hærede patris de legitima, cui renuntiat, non petenda paciſci.

Quintò quod ad authoritatem Prætoris emendandi, & ſupplendi ius ciuile, quam adducebant aduerſarij, nuper docuimus illam non eſſe, vt aliquid contra ius ciuile ſtatuat, ſed præter illud, ad ipſius ſubſidium, interpretationem, & obſeruationem: quare non poteſt edicere quidpiam contrarium iis, quæ leges conſtituerunt, ſed quod ab illis omiſſum fuit, vel quod ad faciliorem exa-

ctioremque ipſarum praxim & obſeruationẽ faciet.

Sextò denique non bene argumentantur ex ſtipulatione dolo facta, quæ nihilominus valet, paritque actionem, ad pactum dolo factum, quod etiam valere debebit, licèt repelli queat exceptione doli mali, ſicut ſtipulatio dolo facta repellitur; non bene inquam argumentantur; cùm enim ſtipulatio ſit iuris vinculum, quod obſtringit promiſſorem, valere omninò debebit, quamuis dolus malus admiſſus fuerit, donec exceptione doli mali diſſoluatur. At verò in pactis nullum ius verſatur, ſed factum duntaxat attenditur, *l. ſi vnus* 27. §. *pactus. D. de pactis*: quare non defenduntur niſi æquitate prætoria, nulla verò æquitas fauere poteſt illi, quem dolum malum commiſiſſe conſtat, *l. pen. in fin. D. ad SC. Trebell.* & *l. 1. de doli mali except. l. Stichum 95. §. naturalis. D. de ſolut.*

Regvla VI.

De pactis quæ turpem Cauſam continent.

28 PActa quæ turpem cauſam continent, quia ad delinquendum inuitant, aut ſunt contra publicum bonum, publicamve cauſam, ſeruanda non ſunt.

Expoſitio & confirmatio Regulæ.

Hanc regulam colligo ex *l. 7. §. & generaliter* 16. & *l. 27. §. illud,* & *§. pacta 4. D. de pactis*: vt verò perſpicua fiat eius ſententia; obſerua pactum de turpi cauſa duplex eſſe poſſe: alterum enim producit eam turpitudinem, quia inducit ad aliquid turpe faciendũ, committendum v.g. furtũ, adulterium, incendendas ædes, dolum & inſidias texendas, iniuriamve quampiam inferendam: alterum ſupponit turpem actionem iam poſitam, & commiſſam fuiſſe; quare non paciſcimur de ea committenda, ſed de eius pœna vel punitione proſequenda, aut remittenda; verbi gratia, ne furti & iniuriæ iam commiſſæ, aut ædium iam inceſarum agam. Circa cauſam etiam publicam, quæve publici boni intereſt, duplex ſimile pactum fieri poteſt; nam vel agitur de impediendo bono communi, & publico per eiuſmodi pactum, vel de bono tantùm & iure priuato, quod mihi competit ex eo quod fuerit impeditum, aut violatum bonum publicum cum quo coniungebatur, aùt quia ex meo iure & aliorum ſingulorum bonum publicum coaleſcit: nam ſi qui meas incendit ædes, aut bona diripuerit, puniatur, ſuo exemplo cæteros fures & incendiarios continebit, qui metu ſimilis pœnæ coërcebuntur: itaque illa actio furti & incendij reſpicit bonum publicum, ſaltem reductiue. Ex his verò duobus pactis noſtra regula damnat illud, quod ad turpem actionem, aut quid contra bonum committendum inuitat, non verò illud quod eſt de ſola pœna, & actione delicti iam commiſſi; ſiue quod eſt contra bonum priuatum cuiuſquam, aut etiam contra bonum publicum, quatenus illius vindicatio pendet à priuatis; quæ omnia ſigillatim demonſtro.

Et primò quidem non valere pacta quæ inuitant ad delinquendum, ſiue ad aliquid turpe & contra bonos mores committendum, conſtat *ex l. 5. §. 1. D. de pactis dotalib. l. quæ ſub conditione* 8. *in princ.* & *§. ſed ſi ſub iuriſiurandi. D. de condic. inſtit. l. non dubitamus* 10. *D. de condit. & demonſt. l. 7. §. ait prætor. D. de pactis.* Eſtque euidentiſſima ratio, cum nemo poſſit ſe ad peccandum obligare, neque ab alio quopiam obligari: alioquin tum violando eam obligationem, tum eam implendo, peccaret, atque adeò neceſſariò. Non poteſt igitur contrahi pactum de committendo adulterio, furto, aliiſque eiuſmodi ſceleribus, ſed neque de illis, ſi committantur non puniendis, aut non perſequendis, quia eiuſmodi pactum ad ea peccata facienda inuitat, neque improbi homines auertuntur à ſcelere, niſi metu pœnæ: quare qui de impunitate ſecurus erit, facilius peccabit. Iure igitur reprobabuntur *l. 27. §. illud. D. de pact. illud,* inquit Paul. *nulla pactione effici poteſt ne dolus præſtetur,* id eſt ne qui dolum commiſerit, dolum præſtet, eiuſque pœnam ſubeat: & ſequenti §. 4. *Pacta quæ turpem cauſam continent, non ſunt obſeruanda, veluti ne furti agam, vel iniuriarum ſi feceris, expedit enim timere furti vel iniuriarum pœnam.* In quibus verbis agit de furto & iniuriis committendis, & pactum de non puniendis illis ſi fiant, initum ſupponitur antequam fierent, quod indicant illa verba, *ſi feceris,* id eſt, *ſi facies.*

Secundò valent iſta pacta facta poſt admiſſa illa facinora, quod diſerte affirmat Paul. illo citato §. 4. *Sed poſt admiſſa hæc paciſci poſſumus*; & *ſuperiori §.* pactum de dolo prodeſſe fatetur, vbi ne ſibi ipſi intra eandem lineam repugnet, de dolo iam admiſſo intelligendus omninò eſt. Et ſanè l. XII. *Tabul.* confirmantur ea pacta, ne furti, & iniuriarum agatur, ideóque legitima appellãtur, *l. 6. l. 7. §. ſi paciſcar ne operis. l. 17. §. 1.* & *l. 27. iam citata, §. 3. & 4. D. de pactis*, quia pactum poſt admiſſa crimina de pœna illis debita remittenda, honeſtum eſſe poteſt, & non inuitat neceſſariò ad peccandum, alioquin nunquam liceret ſupplicium reo debitum condonare, aut ex aliqua parte laxare. De eo autem omni, quod licite, & abſque culpa fieri poteſt, fas etiam erit paciſci, & ad id quod honeſtum eſt faciendum tum pacto, tum aliqua alia ratione ſe obligare.

Hinc orta eſt controuerſia, an pactum ne quis depoſiti agat, valeat: nam valere ſecundùm Pomponium dicitur *l. 7. §. 15. D. de pactis*; vbi idem Pomponius probat, & illud aliud pactum, vt depoſitarius omne periculum præſtet; prius tamen illud pactum ne depoſiti agat, improbandũ eſt ex illo Pauli *l. 27. §. 3. D. eod. Nulla pactione fieri poteſt ne dolus præſtetur:* ſic enim, vti iam diximus, is cui futurus dolus remitteretur ad delinquendum inuitaretur; idem verò eſt, paciſci ne de dolo futuro agatur, & ne agatur depoſiti, quia depoſitarius non tenetur vi contractus, niſi de dolo, vti fuſiùs olim *in opere de vſuris* oſtendimus. Pactũ igitur ne depoſiti agatur, idẽ omninò eſt atque ne de dolo agatur, quod vltimum pactum reiicit Vlpian. in *l. 1. §. illud non probabis. D. depoſiti. Illud non probabis, dolum non eſſe præſtandum ſi conuenerit, nam hæc conuentio contra bonam fidem, contraque bonos mores eſt, ideóque nec ſequenda eſt.* 19

Reſp. pactionem ne dolus futurus præſtetur, eſſe contra bonos mores, ideóque ab Vlpiano & Paul. locis allatis reiici, pactio tamẽ ne depoſiti agatur, etſi vi ipſa, vt aiebat Paul. id eſt, in effectu idem ſit cum pactione ne de dolo futuro agatur, cùm depoſitarius nõ teneatur niſi de dolo, & nihil omninò interſit, quod quidpiã ex æquipollentibus fiat, *l. certũ 6. D. de reb. cred. l. vlt. §. 1. D. mand. l. fideicommiſſa 11. §. ſicut ita. D. de legat. 3.* ne leges magis verbis quàm rebus impoſitæ videantur: nihilominus

pactum iſtud *ne depoſiti agatur*, probat Pompon. ipſeque Paul. prodeſſe ait; quia expreſſa nocent, non expreſſa non nocent, *l. nonnunquam 52. D. de condit. & demonſtr. l. expreſſa nocent, 195. D. de regul. iur.* de qua tamen regula an vbique valeat, non exigua lis eſt; hoc tamen loco à commentatoribus vſurpatur, atque à Pompon. & Paul. itaque expreſſa doli mentio faciet pactum inutile modo explicato, quod alioqui valeret. Præterea obligatio illa doli præſtandi, quam ex natura rei ſubit depoſitarius, aliunde compenſari in ea conuentione *ne depoſiti agatur*, poterit. Denique ea conuentio ante peccatum a depoſitario commiſſum, vel poſt illud fieri poterit, vti iam explicuimus, atque adeò probanda, vel improbanda erit. De pacto verò altero, vt depoſitarius omne periculum præſtet, quod admittit Pompon. *l. c.* conſtabit ſtatim ex ſecunda parte noſtræ regulæ.

Dixi igitur ſecundò pacta quæ fiunt contra publicam vtilitatem, & bonum, ſeruanda non eſſe, ſecus verò ſi fiant contra priuatam tantùm vtilitatem aut leges quæ eiuſmodi priuatam duntaxat vtilitatem ſpectant. Hoc ſenſu pacta, quæ non fiunt contra leges, ſe ſeruaturum edixit Prætor *l. 7. §. ait prætor. D. de pactis*, & *l. 6. C. eod.* Pacta contra leges facta nullam vim habere dicuntur: ratio eſt, quia iuris authoritas in poteſtate contrahentium eſſe non debet, cùm nequidem ſit in arbitrio Magiſtratuum, *l. 1. §. 1. D. ad S.C. Turpillian.* & *l. ordine 15. D. ad municipal.* denique *l. 7. §. & generaliter. D. de pactis*, vniuerſalis regula traditur, pactum à iure communi remotum ſeruare non oportere; & *l. 27. §. 4. D. eod.* paciſci non poſſe, ne *experiar interdicto unde vi, quatenus publicam cauſam contingit*; & in ſumma, *pactum conuentum a re priuata remotum non eſſe ſeruandum.* Hanc a iure communi remotionem interpretatur Hotmanus contra iuris communis formam, aut contra iuris communis regulas, quod enim aliqui explicant contrarium rei communi, ſiue Reipublicæ, repudiari ait a ratione latinitatis. Ratio porrò noſtræ regulæ eſt, quia priuatis permittendum non eſt, vt de iis quæ ad Reipublicæ cauſam pertinent, paciſcantur, quoniam eiuſmodi pacta ſæpius in publicum damnum cederent, & priuata ſua commoda publicis præponerent: quando verò priuatam ſolam vtilitatem pacta reſpiciunt, neque publicam cauſam habent, ea licita ſunt; cùm vti ſæpiùs diximus, liceat cuique priuato ſuo iuri renuntiare: qua ratione controuerſiam illam de pacto, *ne operis noui nunciationem exequar*, dirimit Labeo *in l. 7. §. 14. D. de pactis*: Cùm enim operis noui nuntiatio duplicem cauſam habere poſſit, priuatam vnam naturalem, vel impoſititiam, publicam alteram *l. de pupillo 5. §. & belle. D. de operis non. nuntiat.* ait Labeo, pactum de non exequenda operis noui nuntiatione, valere, quando de re priuata & familiari noui operis nuntiatio facta eſt: quia tunc pactum ad rem familiarem, non ad publicam læſionem pertinet. Et ſanè Prætor non ſe interponit in operis noui nuntiatione, niſi vt priuatorum controuerſias dirimat, quare ſi ab hiſce controuerſiis litigatores ſponte diſcedant per pacta, conuentum illud ratum habere debebit Prætor *l. 1. §. inde quæritur. D. de operis noui nuntiat.* quando verò nuntiatio noui operis de re publica facta eſt, pactum de ipſa non exequenda minimè valet, quia priuatorum pacto publica res læderetur, tunc enim legum, vel Senatuſconſultorum, vel conſtitutionum principalium tuendarum gratia nuntiatio facta fuerat; quæ diſtinctio

in aliis omnibus ad edictum Prætoris pertinentibus ſeruanda erit, vt paciſci liceat, aut non liceat, prout publicam læſionem, aut rem familiarem reſpicient, vt dicitur *in eod. §. 14. l. 7. D. de pact.* Sicque de furto lex paciſci permittit, hoc eſt, de priuata iniuria per furtum irrogata, non autem de publica vindicta, quæ furto debetur hodie ſi agatur de furto criminaliter, procuratore Principis inſtante, & publico accuſatore; olim enim furtum fuit crimen priuatum, non publicum, *l. vlt. D. de furt.* Pactum ne iudicati, vel incenſarum ædium agatur, valet *l. 7. §. 13. D. de pactis*, quia permiſſum cuique eſt, iuri ſuo, præſertim iam quæſito, renuntiare, *l. pactū inter heredem 4. D. de pact.* & *l. pen. C. eod.* Nec pugnamus cum rerum iudicatarum authoritate, quam maximā eſſe fatemur ex *l. 11. l. ſi fundus 16. §. ſi pluris. D. de pignor. l. ſeruo inuito 65. §. cum prætor. D. ad SC. Trebell.* nam ea authoritas non in eo conſiſtit, vt mandetur executioni, etiam inuito, & nolente victore, ſed ſolùm vt poſſit victor eam exequi ſi lubeat, quamuis reluctante aduerſario, qui condemnatus eſt, *l. ſi Iudex 41. D. de minor.* Siquidem iniquum eſſet rem iudicatam eum onerare, & afficere pro quo iudicatū fuit; neque inde ſequitur priuatorum conuentionem Prætoris authoritati, atque ſententiæ præferri, vt enim iam monuimus, nihil aliud agebat Prætor, quàm vt controuerſiam dirimeret quæ conuentione litigatorum finita deinde fuit. Et ſanè ad ipſum quod inter litigatores conuenerit, ſubinde a Prætore pronuntiandum eſt, *l. ſi conuenerit 26. D. de re iudic.* Quod autem obiiciunt de tranſactione, quæ fieri nequit, vbi conſtat iudicatum eſſe *l. & poſt rem*, & *l. 11. D. de tranſact.* ſimile non eſt; quia quamuis omnis tranſactio pactum ſit, nō tamen omne pactum tranſactio eſt, quia trāſactio eſt pactum de re dubia *l. 1. D. de tranſact.* Atqui poſt ſententiam, quæ tranſit in rem iudicatam, res amplius dubia non eſt, & res iudicata pro veritate habetur, *l. ingenuum 24. D de ſtat. hom. l. res iudicata 217. D. de regul. iur.* Pactum autem *ne iudicati agatur*, de quo diſputamus, ſupponit rem iudicatam, & non amplius dubiam; quare is pro quo fuit iudicatum ſibi tribuere debet, ſi iure ſibi per eiuſmodi iudicium parto non vtatur. Quod addebamus pactum, *ne incenſarū ædium agatur*, valere, modo nuper expoſito intelligendum eſt, quantùm enim ad læſionē publicæ vindictæ non valet, cùm publicè interſit incendiarios morte puniri, atque igne necari, *l qui ædes 9. D. de incend. ruin. naufrag.* Valet tamen inter priuatos ad remittendam actionem competentem ei, cuius ædes incenſæ ſunt, ſiue culpa, ſiue dolo malo incenſæ fuerint, vti modò diximus de pacto ne furti agatur. Pactum, *ne experiar interdicto unde vi*, valere aut reiici quatenus publicum, vel priuatum contingit, monuimus ex Paul. *l. 27. §. 4. verſ. item ne experiar. D. de pactis.* Si tamen ea verba, & cætera omnia quæ *in illo* §. conſequuntur, verè Pauli ſunt, & non potiùs Triboniani, *§. & generaliter, l. 7. D. de pactis*, quod pluribus oſtendit Anton. Fab. ex ipſa inconnexione cū cæteris *in eo* §. 4. aſſertis à Paulo. Denique vt concludam quod aſſerueiā de pactis, quæ ſolū ius priuatū reſpiciunt, validis, licèt contra iuris formam fieri videantur, vulgare eſt illud Vlpiani *l. 1. §. 6. D. depoſiti*, conuentionem vt in depoſito, culpa, & vt dicitur in *l. 7. §. 15. D. de pact.* periculum omne præſtetur, licèt videatur eſſe contra iuris formam, quod vult de dolo duntaxat teneri depoſitarium, nihilominus ratam haberi, *quia contractus legē accipiunt ex conuentione*, modò non ſint contra leges

eiuſmo

eiuſmodi conuentiones, ſed præter leges duntaxat, quæ ipſas neque prohibent, neque elidunt, & inualidant, maximè quando tantùm priuatam vtilitatem reſpiciunt illæ leges. Sanè ſi vendidi equum, & pactus ſum ne de vitiis eius tenear, quis dicat me teneri, quamuis ſecluſo eo pacto teneat ex edicto Ædilitio. Huc pertinet pactio de piſcatione Thynnaria non exercenda ad oram fundi Botroiani, atque adeò ſeruitute priuata impoſita mari, quod omnibus patet, quam pactionem ſeruandam eſſe contendit Vlpian. *in l. venditor* 18. *D. communia prædior.* Frequens in Galliis, atque alibi tranſactio eſt cum publicanis in minorem ſummam quàm ſit vectigal, aut portorium inſtitutum, quæ eſt viceſima v.g. vini, aut cæterarum mercium, & circa ipſas etiam decimas Eccleſiæ debitas, eam tranſactionem nominamus *Abonnement*, quam tranſactionem probari à Sublidiorum Curia docet Mornac. *ad l. 31. D. de pactis.*

REGVLA VII.

De pactis poſterioribus an priora elidant.

PActum prius eliditur per poſterius vel ipſo iure, vel per exceptionem, & replicationem.

Expoſitio & confirmatio Regulæ.

Perſpicuus eſt regulæ noſtræ ſenſus, quæ duas
31 partes complectitur. Prima affirmat prius pactum reſcindi per poſterius ipſi oppoſitum, altera pars explicat modum, quo fit ea pacti reſciſſio. Et prima quidem pars probatione non indiget; vt enim ait *lex* 12. *C. de pactis*: *Pacta nouiſſima ſeruari oportere tam iuris, quam ipſius rei æquitas poſtulat.* Neque vllus vnquam negauit, ſicut clauus clauum pellit, ita priores voluntates poſterioribus immutari, veluti conſtat in hæredum inſtitutionibus, *l. ſi quis cum* 16. *D. de vulg. ſubſtit.* item in legatis *l. diui* 6. *§. licet. D. de codicill. l. ſi mihi* 12. *§. vlt. D. de legat.* 1. in fideicommiſſis *l. Clari* 19. *D. de fideicommiſſ.* in conſtitutionibus Principum *l. vlt. D. de conſtit. princ.* vbi Modeſtin. ſecundæ conſtitutiones ſunt fortiores δευτέρας διατάξεις ἰσχυροτέρας, & illud caput XII. Tabul. vt quodcumque poſtremum populus iuſſiſſet, id ius, ratumque eſſet, apud Liuium *lib.* 7. & *lib.* 9. Hoc ipſum paſſim cernimus in edictis Gallicis, atque reſcriptis, in quibus vt locus fiat vel vtilitati publicæ, vel volũtati Principum, derogari ſolitum eſt quibuſcumque edictis anterioribus. Exemplum illuſtre affert Mornac. *ad l. vlt. D. de conſtitut.* Edictum Aurelianenſe, quo cauebatur *cap.* 9. erogari publico præceptori iuuentutis redditum vnius præbendæ in vnaquaque Cathedrali vel collegiali Eccleſia; poſterius deinde edictum Bleſenſe immunitatem illius erogationis conceſſit omnibus Clericorum Collegiis, in quibus decem præbendæ non eſſent, & iudicauit Senatus an. 1613. 5. Auguſt. ſecundùm poſterius illud edictum, quamuis aliqui ex priori edicto Aurelianenſi pacti iam forent. Denique in Senatuſconſultis vltima ſemper prioribus derogant, vbi ſaltem quæſtiones generales deciduntur. Indicem benè longum eiuſmodi Senatuſconſultorum, & decretorum Supremæ Curiæ, quæ vt tempore, ita ſententia diſſident, cùm poſteriora priora reſcindant, texuit Mornac. *ad l. 1. D. de iure & facti ignorant.* quem conſulas velim. Et ſanè neque populus, neque Princeps, neque priuatus eam ſibi legem dixere, ne poſſint recedere à priore voluntate, inquit *l. ſi quis* 22. *D. de legat.* 3. viri tamen cordati ſolent morum priſcorum ſanctitatem præferre recentioribus, fermè deterioribus; vnde illud Horatianum.

Moribus antiquis ſtat res Romana, viriſque.

Secunda pars definit veterem controuerſiam 32
de modo, quo prius pactum per poſterius tollitur, an ipſo iure, an auxilio Prætoris, nimirum exceptione, & replicatione. Dixi porrò in noſtra regula quædam ipſo iure, quædam verò non niſi Prætoris auxilio tolli. Repetenda igitur eſt ſæpius allata pactorum diſtinctio; quædã enim nuda ſunt, quæ neque pariunt obligationem aliam, quàm naturalem, neque proinde vllam actionem aut exceptionem niſi auxilio Prætoris: alia ſunt pacta non nuda, quæ vel cauſaria ſunt, vel legitima, eaque pariunt obligationem ciuilem, atque adeò actionem. Quædam denique quibus, licèt nuda forent, Prætor tamen ex æquitate naturali tribuit exceptionem. Cùm igitur ex pacto naturalis tantùm obligatio reperitur, poteſt per pactum aliud contrarium ipſo iure tolli, alioquin nulla eius tollendæ ratio ſupereſſet, niſi per ſolutionem ſiue veram, realem, ac naturalem, ſiue fictam, & imaginariam, quod abſurdum foret; quis enim dicat dari aliquam obligationem, quæ nullo modo diſſolui queat. Et ſane vinculum æquitatis, quo ſolo ſuſtinebatur eiuſmodi obligatio, contrariæ æquitatis vinculo diſſoluitur. Si itaque mihi nudo pacto promiſiſti centum, & poſteà inter nos conuenit nudo etiam pacto, ne illa peterem, eris ipſo iure, & ſine vlla exceptione liberatus; exceptioni ſiquidem nullus locus eſſe poteſt, niſi ea præſupponat actionem, quæ ex pacto nudo naſci nunquam potuit. Quando verò pactum fuit cauſarium, vel legitimum, pepereitque obligationem ciuilem, & actionem, illa non potuit tolli per pactum de non petendo, aut non exigenda ea obligatione ipſo iure, ſed ſolùm per exceptionem beneficio Prætoris: quod ſi deinde ſequatur pactum contrarium de petendo, illud non tollet eam exceptionem ipſo iure, & ſine replicatione, vt enim argumentatur Anton. Faber *in §. mox citandum*, difficilius eſt, vt per pactum poſterius tollatur exceptio pacti competens ex priore pacto, quàm vt tollatur pactum ipſum, quod nullam actionem, aut exceptionem producat. Non poteſt tolli exceptio ipſo iure magis quàm actio per pactum; quia in pactis non ius, vt in ſtipulationibus, ſed factum verſatur, eiuſdemque poteſtatis eſt exceptionem tollere, cuius & actionem; cùm exceptiones iuris quoque ſint, licèt prætorij, non ciuilis, quomodo & ſunt pleræque actiones prætoriæ. Neutrum itaque fieri poteſt per pactum in quo nullum ius verſatur: pactum verò quod neque vllam actionem, neque exceptionem producit, nihil continet niſi vinculum æquitatis, quod contrariæ æquitatis vinculo diſſoluitur, vti dicebamus ex Papiniano *l. Stichum* 95. *§. naturalem. D. de ſolution.* atque hæc eſt tandem ſententia *§. pactum ne peteret, leg.* 27. *D. de pactis*, de quo §. plurima habet Anton. Faber, Hotman. & cæteri: ex quibus omnibus colliges, ſicut certi quidam, & legitimi modi contrahendarum obligationum conſtituti iure ciuili fuerunt, ita certos & legitimos fuiſſe modos earumdem diſtrahendarum, *l.* 44. *D. de obligat. & action.* Pactum autem nudum non fuit numeratum inter modos legitimos contrahendæ, aut diſſoluendæ obligationis, nimirum ciuilis, vti 1. *Regula* diximus;

mus; vbi tamen probatum eſſe à Prætore ex quadam æquitate naturali monuimus; non enim æquum viſum eſt Prætori eum, qui pactus erat, v.g. de non petendo, contra fidem actionis petere; ſed quia ius ciuile non admittit pactum nudum pro legitimo modo diſſoluendæ obligationis, permittit quidem actionem, ſed cuius atrocitatem & rigorem exceptione corrigit: quod ſi poſt pactum de non petendo ſequatur aliud de petendo, pro illo datur à Prætore replicatio contra priorem exceptionem vi prioris pacti de non petendo conceſſam: verùm ſicut in effectu nihil intereſt vtrum quis actionem non habeat, an eam habeat quæ per exceptionem elidatur, ita in effectu nihil intereſt vtrum exceptionem quis non habeat, aut eam habeat, quæ per replicationem infirmetur *l. nihil 112. D. de regul. iur.* Hæc itaque omnia de diſſolutione prioris pacti per poſterius contrarium, ipſo iure, aut per exceptionem, & replicationem pertinent tantùm ad iudicialium formularum obſeruantiam, & vt loquitur Hotman. *atrocitatem*: nam pactum ipſo iure tolli eſt ita dare actionem, vt neque prioris pacti, neque poſterioris mentio à Prætore in conſtituendo iudicio fiat, ſiue ita conſtitui iudicium, vt neque exceptio prioris pacti, neque replicatio ex poſteriore adiungatur. Verùm hoc formularum rigore hodie non vtimur.

ARTICVLVS VII.

Conſectaria, & Legum aliquot illuſtratio ex proximis Regulis.

CONSECTARIVM I. *Quænam pacta tacita æquiualeant pactis expreſſis de non petendo, & remiſſioni obligationis.*

II. *De pactis heredum cum legatariis, & creditoribus hereditatis.*

III. *Reliqua conſectaria remiſſiuè.*

QVamuis perfacile cuique ſit, traditas nuper vniuerſales regulas ſingularibus factis admouere, placuit tamen exemplum exhibere circa aliquot nobiles quæſtiones, quæ ex illis nullo negotio diſſoluentur, qua etiam occaſione leges aliquot ex *D. & Cod. de pactis*, lucem à nobis accipient.

CONSECTARIVM I.

Quænam pacta tacita æquiualeant pactis expreſſis de non petendo, & remiſſioni obligationis.

An redditio cautionis ſit pactum tacitum de non petendo. 1.

An redditio pignoris ſit ſimile pactum. 2.

An res inquilini illata in ædes conductas ſint tacita pignora. 3.

1 CVm certum ſit quædam eſſe pacta expreſſa, quædam tacita, quæ ex communi regula eandem vim habeant quam expreſſa: quæſtio eſt, an pactum de non petendo debito cenſeatur tacitè initum per redditionem conditionis, ſiue chirographi, vel etiam pignoris, vtrumque enim nomine cautionis ſignificatur, factam debitori à creditore, ac proinde debitor poſſit aduersùs creditorem debitum petentem excipere pactum de non petendo, quod tacitè fecit quando cautionem ſibi reddidit. Et quidem ſi agamus de redditione chirographi, certum quidem eſt illâ non obtineri liberationem ab obligatione ciuili, quia cùm illo iure certi & legitimi ſint obligationis contrahendæ, & diſtrahendæ modi *l. 44. §. 1. D. de obligat. & act.* ſicut chirographum non numeratur inter legitimos contrahendi modos, ita neque chirographi redditio erit ciuilis, & legitimus diſtrahendi modus, habebit tamen vim pacti de non petendo, atque adeò liberabit debitorem iure Prætorio; quia ſi creditor contra fidem datam agat, Prætor hac exceptione reum iuuabit, ſi cum eo creditor expreſsè pactus non eſt de non petendo; atqui tacitè pactus eſt de non petendo per redditionem illam chirographi, & vbi de voluntate conſtat, eadem eſt vis pacti taciti quæ expreſſi *l. 3. D. de reb. credit.* & vt in contrahendo, ſic in paciſcendo pro cauto habetur. Pactum itaque iſtud tacitum de non petendo, illiuſque exceptionem concedit *l. 2. D. de pactis*, & meritò quidem, nam legato debitori chirographo, legatam liberationem intelligimus, ſed iure prætorio, non ciuili *l. 3. §. 1. D. de lib. legat. l. qui chirographum 59. D. de legat. 3. l. ſeruum 44. §. eum qui. D. de legat. 1.* Præterea pignoris chirographo reddito debitori, pignus quoque remiſſum cenſetur *leg. 7. C. de remiſſ. pignor.* Ratio eſt, quia qui chirographum reddit, non tantum cogitat de tabulis, ſed etiam de iure cuius probatio illis tabulis continetur, & cùm non cogatur cautionem, aut chirographum reddere, niſi debito ſibi ſoluto, *l. qui tabulas 27. D. de furtis, l. vlt. C. ad exhibit.* videtur cùm chirographum, & tabulas reddat, aut habere debitum pro ſoluto, aut ſaltem promittere ſe non petiturum; viam enim petendi ſibi præcludit, dum reddit tabulas ex quibus iure petere poterat, eaque eſt communis hominum perſuaſio; vnde Martial. *lib. 8. Epig. 37.* ridet Polycarmum qui cùm liberalis videri vellet, reddiderat tabulas debitoris qui ſoluendo non erat.

Quod Caietano reddis Polycarme tabellas,
Millia te centum num tribuiſſe putas?
Debuit hæc, inquis, tibi habe Polycarme tabellas,
Et Caietano millia crede tuo.

Simili ioco aſpergit Phœbum *lib. 9. Ep. 104.*

Quadringentorum reddis mihi Phœbe tabellas,
Centum da potius mutua Phœbe mihi.
Quære alium cui te tam vano murmure iactes
Quod tibi non poſſum ſoluere, Phœbe, meum eſt.

Hæc porrò redditio cautionis & chirographi debet fieri ab ipſomet creditore, aut eius nomine, non ab alio quopiam ipſo inconſulto; nam licèt habeatur à debitore, niſi probet ſibi à creditore, aut eius iuſſu fuiſſe redditum, nihil omninò obtinebit, quia potuit aliquo caſu, & aliter quàm redditione creditoris comparari à debitore, ſicut & perſoluto debito nonnunquam debitoris incuria, aut alia ratione poteſt cautio & ſingrapha apud creditorem remanere. Quam in rem memorat Auguſtin. *lib. de cura pro mort. cap. 11.* quid cùm Mediolani degeret, ibidem contigerit. *Inueni cui pater iam defunctus apparuit, docuitque qua ratione falſi debiti calumniam propulſaret, quam creditor,*

eius

eius patris probata cautione inferebat, & vbi eſſet recautum quo illa cautio vacuata fuerat, indicauit, vt cautionem reciperet, quam pater perſoluta pecunia non receperat. Non ſufficit etiam reperiri chirographum cancellatum, quia cancellario inducit quidem præſumptionem ſolutionis, ſed non inducit pactum de non petendo, immò neque præſumptionem ſolutionis ita firmam adducit, vt reiici nequeat manifeſtis probationibus, quibus creditor ſibi quidpiam adhuc deberi oſtendat *l. ſi chirographum* 24. *D. de probat.* niſi probetur a creditore ipſo cancellatum fuiſſe; quo caſu cancellario pro redditione eſt, & pro pluſquàm redditione: quare Alexand. *lib.* 2. *conſ.* 59. nihil etiam obeſſe docet, quod chirographum reperiatur in codice ſine regiſtro Tabellionis, niſi conſtet cancellatum fuiſſe manu ipſius Tabellionis, & conſenſu creditoris, & quo die cancellatio facta fuerit. Vide Capel. Toloſan. *quæſt.* 230. & ibi Aufrer. vbi ex gloſſa *in l. pecunia. Cod. de ſolut.* monet falli debitorem qui exiſtimat ſe liberatum ſola redditione inſtrumenti: inſcriptum enim eſſe oportet opiſtographum ſolutionis, quæ facta ſit, vt & lex admonet. Cancellare porrò propriè eſt circumducere, & radiare cancellorum inſtar ſcripturam, quod vulgò dicunt *baſtonner*, non autem concidere, aut reſcindere, vt vulgus Pragmaticorum putat.

2 Haud abſimilis quæſtio eſt de redditione pignoris à creditore, vtrum illa vim pacti taciti de non petendo habeat, cùm enim pignus cautio quædam ſit, ideòque detur vt cautum ſit creditori, *l. ſi mandatum* 59. §. *vlt. D. mandati*, & *l.* 4. §. *addici. D. de fideicom. libert.* & reddita cautione a creditore cenſeatur pactum tacitum de non petendo ex *l.* 2. *D. de pactis*, redditione quoque pignoris inducetur idem pactum. Adde non ſolere reddi pignus, niſi ſolutione, aliave ratione creditori fuerit ſatisfactum, *l. ſi rem alienam* 9. §. *omnis. D. de pignor. act.*

Negat nihilominus Modeſtin. in *l.* 3. *D. de pactis*, hanc pignoris redditionem habere vim taciti pacti de non petendo debito; cuius reſponſi æquitatem & diſcrimen à redditione chirographi, quæ eiuſmodi pactum inducit, vti oſtendebamus nuper, Accurſius aliique quærunt. Plura diſcrimina adducit Hotman. quæ non vacat expendere. Dico cum Anton. Fab. redditionem pignoris à creditore, vel ipſius iuſſu factam, inducere quidem pactum tacitum de non petendo pignore, non verò de non petendo debito; duæ enim in pignore ſunt obligationes, vna debiti quæ principalis eſt, & præſupponitur à pignore quod ad principalis obligationis ſecuritatem datur, & ſine ea conſiſtere nequit: obligatio verò principalis ſiue debiti non poteſt pendere à pignore, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad probationem, vnde aliud eſt pignus lui, aliud induci debiti liberationem *l.* 1. *in fin. D. de lib. legat.* Non præſumitur itaque reddito pignore pactum tacitum de non petendo debito, quia in pignore non continetur, neque ſignificatur, neque probatur ipſum debiti ius, ſicut contingit in chirographo, cùm tota illa obligatio principalis debiti non modò conſiſtere, ſed etiam probari ſine pignore poſſit; neque ad eam probationem detur pignus: ſicut chirographum, quod nullam aliam habet vtilitatem, niſi ad probandum debitum, neque eius etiam redditio ad aliud vtilis eſſe fingi poteſt, niſi ad inducendam coniecturam perfectæ ſolutionis, *l.* 14. *C. de ſolution.* Pignoris autem redditi multiplex alia vtilitas eſt quàm coniectura factæ ſolutionis, vt patet; quare ex eius redditione colligi non poteſt aut ſolutum fuiſſe debitum, aut initum pactum tacitum de eo non petendo, ſed ſolùm pactum tacitum, vti dicebamus, de remittendo pignore. Taciti porrò pacti de remittendo pignore exemplum Hotman. haberi ait *in l.* 4. *C. de remiſſion. pignor.* & *l. creditor* 158. *D. de regul. iur.* cùm creditor rem ſibi oppigneratam vendi à debitore permittit *l.* 4. §. 1. *D. quib. mod. pign. ſolu.* Maneat igitur pactum de non petendo debito non induci per redditionem pignoris factam à creditore, niſi aliter conuentum eſſe probetur, vt additur in *l.* 3. *D. de pactis*, quam verſamus; quod tamen additamentum Triboniani manu factum eſſe non immeritò colligit Anton. Faber.

Tertiò quæritur an res ab inquilino in conductas ædes illatæ pro mercede obligatæ intelligantur, ſitque tacita quædam, & præſumpta conuentio pignoris. 3

Reſp. tacitam hypothecam, & pignus induci in quibuſdam caſibus quos aſſignauit lex *D. & C. in quib. cauſ. pign. vel hypot. tac. contr.* de quibus nos fuse egimus *in opere de vſur. lib.* 3. *cap.* 7. *art.* 4. *à num.* 8. in illis eſt caſus de quo agimus, vt *ibidem* annotaui, quod etiam tradit Paul. *in l.* 4. *D. de pactis*; habetque lex 3. *&* 7. *in quib. cauſ. pig.* Non quæcumque igitur in prædium vrbanum conductor intulit, hoc ipſo ſunt obligata pro penſione, & mercede locationis, ſicut & fructus prædiorum ruſticorum, quod vtrumque tamen moribus potiùs receptum, quàm certa lege inductum fuiſſe monet Anton. Fab. *de erroribus Pragmatic. decade* 1. *error.* 1. *n.* 33. & indicat *l.* 3. §. *eo iure. D. in quib. cauſ. pign.* Huius nihilominus moris ſummam eſſe rationem, & in primo quidem caſu tacitam agnoſcit conuentionem, coniicitque ex facto ipſo debitoris res ſuas in alienam domum inferentis, id enim faciendo nullum ius habet, niſi ex cauſa conductionis, quæ ipſa eum obligat ad ſolutionem penſionis. Quod verò attinet ad fructus ex prædio ruſtico perceptos, cùm illi non tam ſeminis, quàm ſoli & dominij iure percipiantur *l. qui ſcit* 25. §. 1. *D. de vſuris*, conductio autem non auferat dominium locatori, ſtatim apparet non alia ratione fieri poſſe, vt conductor fructus ex fundo locato ſuos faciat, quàm quod eos percipiat ex voluntate locatoris, quod monet Africanus *l. ſi ſeruus* 63. §. *locati. D. de furt.* locator autem non aliter voluit, aut conſenſit, vt fierent conductoris, quàm vt ab eo ſibi penſio debita ſolueretur: quare non tam mirum videri debet fructus iſtos taciti pignoris vinculo teneri, quàm illud potiùs, qui fieri poſſit vt pignoris iure obligati ſint locatori, in cuius dominio exiſtunt, cum propriæ rei pignus conſiſtere nequeat *l. ne pignus* 45. *D. de regul. iur.* Verùm diſtinguendum eſt inter fructus nondum à ſolo ſeparatos, & iam ſeparatos, atque perceptos. Priores ſunt pars quædam fundi *l. fructus pendentes* 44. *D. de rei vind.* ac proinde quodammodo domini, & locatoris, ad quos tamen percipiendos ius habet conductor, cum obligatione penſionis ſoluendæ, & non aliter: fructus verò percepti fiunt conductoris perceptione, etiam nondum ſoluta penſione, in iiſque pignus tacitum vtiliter conſtitui potuit, & debuit, ſicut in illis expreſſum conſtitui potuiſſet. De hac porrò tacita conuentione circa res illatas in ædes, vide conſuetudines Pariſ. *art.* 162. 175. Melodunenſes *art.* 179. Serion. *cap.* 2. & pleraſque alias quas enumerat Mornac. *in l.* 3. *D.*

in

in quib. cauſis pignus. Si quid verò alienum indu-ctum foret in ædes conductas, non maneret obligatum pro conductionis mercede, vt enim optimè argumentatur Conchylius in *conſuetudines Nivern.* ne expreſſa quidem hypotheca in re ita aliena conſtitui poſſet; igitur multò minus tacita conſtituenda erit: quare iniquam hac in parte, & à cæteris omnibus improbatam eſſe conſuetudinem Ambranenſem, quæ contrarium ſtatuit, iure pronuntiabis.

CONSECTARIVM II.

De pactis hæredum cum legatariis, vel creditoribus hæreditariis.

De pacto hæredis cum creditoribus ante aditam hæreditatem. 1.
An illi hæredi paciſcenti proſit ſubſidiaria doli exceptio. 2.
Quid de filio, qui viuo patre cum creditoribus paternis pactus eſt. 3.
An ſeruo quoque ea doli exceptio profutura ſit. 4.

HÆredes variè cum legatariis, vel aliis creditoribus paciſci ſolent tum ante, tum poſt aditam hæreditatem, quæ pacta, quam vim habeant ex regulis nuper traditis explicandum eſt.

1 Atque in primis quæritur de pacto hæredis cum creditoribus ante aditam hæreditatem, vt illis minus ſoluatur, quàm debitum ſit. Obſerua verò hæredum alios dici ſuos, alios neceſſarios, alios voluntarios, §.1. *Inſt. de hæred. qual.* Sui ſunt, qui in morientis familia primum obtinent gradum, vt filiifamilias ſui nominatur, quia ſuarum quodammodo rerum domini & adminiſtratores ſunt; neceſſarij ſunt ſerui hæredes cum libertate inſtituti à domino, quia ſiue velint, ſiue nolint hæredes fiunt. Voluntarij denique ſunt externi, quibus adeundæ, vel repudiandæ hæreditatis poteſtas eſt; nihilominus ſuis abſtinendi facultatem permittit Prætor *l.1.§.2. D. de bon. lib.* neceſſariis autem ſeparationis beneficium, vt nempe quæ extra cauſam hæreditariam adquiſiuerint, ſeparatum habeant *l.1. §. vlt. D. de ſeparat.* & *l.6. §. pen. D. de minor.* Extranei verò ex ſeſe, & nullo Prætoris beneficio repudiandæ ſibi delatæ hæreditatis poteſtatem habent, vt conſtat.

Obſerua ſecundò cuiuſuis generis hæredes adeundo hæreditatem ſtatim obligari ære alieno hæreditario, idque ex defuncti contractu, cuius in locum ipſi ſucceſſerunt, quamuis hæreditas ſoluendo non ſit, *l. more 8. D. de adquir. hæred.* Prætereà legatariis obligantur quaſi ex ſuo contractu *l.5.§.2. & 3. D. de obligat. & action.* & §.3. *Inſt. de obligat. quæ ex quaſi contract.* Eſt verò inter duas illas obligationes differentia: quia hæreditas debet æs alienum hæreditarium, legata verò non hæreditas, ſed hæres ipſe debet; quare hæc obligatio non niſi impropriè hæreditaria dicitur aliquando. Adde æris alieni hæreditarij obligationem incipere à defuncto, legatorum verò incipere ab hærede, *l.1. & tot. C. de hæred. act.* quæ omnia fuſiùs explicabuntur *lib. vlt. vbi de teſtamentis.* Cùm igitur hæredes per aditionem hæreditatis obligarentur in ſolidum creditoribus ex contractu defuncti, & legatariis ex quaſi ſuo cum illis contractu, ſi ſuſpicarentur hæreditatem non fore ſoluendo, vel ſui ſe abſtinebant, vel neceſſarij ſeparationem obtinebant, vel voluntarij repudiabant; aliqui verò ante aditionem cum creditoribus, aut legatariis paciſcebantur, vt ſi certa ſumma contenti eſſe vellent, tunc hæreditatem ſe adituros; quæ ſimilis pactio hodie quoque fieri poteſt. Quæritur itaque an illa pactio poſſit deinde hæredibus poſt aditionem hæreditatis prodeſſe ad exceptionem, ſi fortè creditores ſuum ſolidum repeterent, & legatarij ſua integra legata. Ratio difficultatis eſt, quia de iis demum rebus, vt eas, aut earum partem remittamus paciſci licet, quæ iam noſtræ ſunt; hæreditas autem iacens in nullius bonis eſt *l.1. §.1. D. de rerum diuiſion.* & ante aditam hæreditatem nullum eſt ius hæredis, priuſque eſt vt ſit hæres, quàm vt tanquam hæres cum creditoribus, aut legatariis paciſci valeat.

Reſpondet nihilominus Vlpian. *in l.7. §. 17. D. de pactis*, valiturum eiuſmodi pactum; quia illud fit in commodum ipſius hæreditatis, quæ ſic exonerata facilè reperiet hæredem, qui cùm ſit minus ſoluturus, ipſam adeat, quam alioquin repudiaret tanquam oneribus imparem, aut ſuſpectam *l. 4. D. ad S. C. Trebell.* Deinde hæres ſiue neceſſarius, ſiue ſuus purè & citra conditionem inſtitus, & ſcriptus, ſtatim ipſo iure eſt hæres, etiam citra aditionem *l. neceſſarius 57. D. de adquir. hæred.* & *l. in ſuis hæred. 14. D. de ſuis & legitimis.* Si quid igitur paciſcantur ante aditam hæreditatem, vel priuſquam ſe immiſceant, validum erit pactum eiuſmodi, vti habetur in citata *l. 7. §.18. D. de pact.* At verò voluntarius hæres non eſt ipſo iure hæres ante ipſam aditam hæreditatem, ille tamen ſi ſuſpectam habeat hæreditatem, poterit cum creditoribus paciſci de parte remittenda, alioquin eam repudiabit, valebitque pacti exceptio aduerſus creditores ſolidum deinde repetentes, idque apertè affirmat Vlpian. *Idem*, inquit, *& in hærede extraneo.* Itáque Hotman. & Pac. interpretantur. Addit Vlpian. ſi hic extraneus hæres adierit hæreditatem mandatu creditorum, illos mandati obligatos habebit, vti dicitur in citato §.18. & *l. ſi hæreditatem 32. D. mandati*: quod ſi dolus illorum interuenerit, etiam de dolo tenebuntur *l.4. in princ. D. de doli exception.* Vnde colligit Pac. hæredem extraneum poſſe ſibi duplici ratione cauere, ne ſolidum creditoribus hæreditariis ſoluat; ſi nempe pactus ſit de parte obligationis remittenda, & ſi mandatu creditorum illam adierit: quando autem hæres vel ſuus, vel neceſſarius non purè ſcriptus eſt, ſed ſub conditione inſtitutus, quod in ſuis quoque hæredibus fieri poſſe docet *l.4. D. de hæredib. inſtit.* neutri eorum acquiritur hæreditas, niſi impleta demum conditione, vnde fit vt ſeruus qui ſub conditione ſcriptus eſt, ſi ante illam impleram paciſcatur, cùm nondum libertatem, ſicut neque hæreditatem adeptus ſit, pactum inualidum celebret, vt pote in ſeruitute initum; quare non magis eo pacto iuuari poterit quàm ex eo quod in ſeruitute geſſit conueniri poſt libertatem adeptam, *toto C. an ſeruus ex ſuo fact. poſt manumiſ.* Ratio eſt quia videtur eſſe nouus homo poſt manumiſſionem, *l. ſi ſeruus legatus 27. in fin. D. de adim. legat. l. ſi Pamphilo ſeruo 10. D. de opt. legat.* Pacti igitur in ſeruitute facti exceptio illi prodeſſe non poterit, cùm vt ſæpius dictum eſt, in pactis factum verſetur, *l. ſi vnus 27. §. pactus. D. de pactis.* At verò quando ſeruus purè inſtitutus eſt

eſt, & abſque conditione, ſtatim ipſo iure liber & hæres fit, ideóque pactum tunc ab illo factum valet; quia poſt adquiſitam libertatem, & hæreditatem factum eſt, quamuis hæreditati nondum ſe immiſceat, eo modo quo ſuum etiam hæredem ante eam immixtionem paciſci validè poſſe diximus: nam immixtio quidem facit in ſuo vel neceſſario hærede, vt eo ipſo cum creditoribus & legatariis quaſi contrahere videantur, non tamen neceſſaria eſt, vt obligentur, cùm ad hoc nullo opus ſit contractu, quandoquidem ipſo iure ſtatim ſunt hæredes, ſi purè inſtituti ſunt, vt dixi, neque quod poſſint aut abſtinere, aut ſeparationem obtinere, quidquam facit: nam qui ſuum hæredem habet, etiam ſe abſtinentem, reuerà non eſt ſine hærede, *l.cùm quaſi abſente* 30. §. *ſed etſi ſeruus. D. de fideicom. libert.* quod verius quoque eſt in eo, qui habet neceſſarium hæredem, quamuis nondum bona attingentem, ſicut nec beneficium ſeparationis, quod talis hæres habet à Prætore, impedit quominus talis habeatur hæres, etiam à Prætore *l.*1.§. *vlt. D.de ſeparat.* & *l. neceſſariis* 57. *D. de acquir. hæred.*

2 Secundò quærit Vlpian. *in* §.18.*l*.7. *D. de pact.* an hæredi, qui modo aliquo nuper explicato pactus eſt cum creditoribus, ſubſidiaria doli exceptio prodeſſe queat: & quidem Marcellus diu dubitauit, an filiofamilias, qui hæres inſtitutus fuit ab aliquo, doloque à creditoribus antequam iuſſu patris adiret, ad paciſcendum inductus eſt, & poſteà emancipatus adiit, ea doli ſubſidiaria exceptio competat aduersùs creditores, qui ab ipſo petunt, quod pactus fuit. Ratio dubitandi eſt quia quæ in poteſtate patris geſſit, ei emancipato neque prodeſſe, neque obeſſe poſſunt, *l.ſi filius* 78. *D. de verbor. obligat. l.vlt. D. de ſtipulat. ſeru.* quæ cauſa eſt cur poſt emancipationem ei non competat exceptio pacti ab eo facti, cum eſſet in poteſtate patris, quia id tunc egiſſe videtur, vt patri, non ſibi commodum & vtilitatem pacti acquireret: nam ſi filiusfamilias ſub conditione quidpiam ſtipulatus, poſtea emancipatus ipſe fuerit, & demum conditio impleta, patri non filio competet actio, quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus, ex citata *l. ſi filius* 78. *D. de verbor. obligat.* Si itaque filiusfamilias hæres inſtitutus paciſcatur cum creditoribus hæreditariis, quia creditores illi paterni fore ſperabantur, tametſi contigerit adiri hæreditatem poſt emancipationem, & illi ipſi filio adquiri, pacti exceptione iuuari non poterit; immò neque doli, ſpectato iuris rigore; ex æquitate tamen hæc poſterior exceptio doli concedenda erit, vt tandem conceſſit Marcellus, ne per iuris ciuilis occaſionem dolus proſit contra naturalem æquitatem *l.*1.*D. de doli exception.* nam doloſè agit creditor, qui cum eodem homine reuerà pactus, nunc contra propriam conuentionem venit. Et ſanè commodum pacti ex hæreditaria cauſa interpoſiti ipſam hæreditatem ſequi debet, quæ nunquam fuit Patris, ſed filij.

Non leuis eſt, eaque perobſcura difficultas, quam
3 *in citato* §.18. *l.*7. *D. de pactis*, ponit Vlpian. de filio, qui viuo patre cum creditoribus paternis pactus eſt; affirmat enim ipſi quoque exceptionem doli profuturam, cùm tamen filius de bonis paternis viuo patre paciſci non poſſit. Deinde cùm iſte filius patris poſteà fuerit hæres, alioquin non poſſet à creditoribus paternis conueniri, cur ipſi non dabitur etiam pacti exceptio, quam quilibet alius patris hæres haberet.

Reſp. in primis neque Vlpianum, neque Marcellum ab eo relatum affirmare pactum, de quo agimus, validum eſſe, cùm id, vt iam monui, prorſus falſum ſit; tum quia filius de patris viuentis bonis paciſci nequit, tum quia pactum filiifamilias ei poſtea iuris ſui facto prodeſſe nequit, ideóque in caſu de quo agimus, illi non competat pacti exceptio: quia tamen paterni creditores dolo malo vſi in fraudem induxerunt hunc filiumfamilias, vt paternæ ſe hæreditati immiſceret, & deinde contra fidem pactionis ſolidum ſuum poſtularunt, eo quod ſcirent pactum illud propter iuris à filio factam adeptionem, nullo modo conſiſtere, ſapienter reſpondet Marcell. quia pacti exceptio filio circumuento prodeſſe non poteſt, dandam ipſi eſſe doli exceptionem, ne contra naturalem æquitatem creditoribus ſuis dolus proſit. Ita Hotman.

Secundò reſpondet Anton. Faber hoc pactum filiifamilias ita fuiſſe collatum in perſonam patris, vt in eius perſona fuerit perſonale, cuiuſmodi pacta non tranſire ad hæredem certum eſt, *l.idem in duobus* 25. §.1. *D. de pactis*: ac proinde neque illud ad filium tanquam hæredem tranſit, illi proinde non proderit pacti illius exceptio; doli tamen ſubſidiaria exceptio neganda non erit, cum ille ipſe ſit, qui pactus fuit, & qui circumuentus reuerà eſt, neque dolus debeat prodeſſe creditoribus.

Tertiò magis probat idem Fab. hoc pactum fuiſſe initum cum creditore de non petendo ab ipſo filio poſt mortem patris, quo caſu pacti exceptio neque patri, neque hæredi patris acquiſita fuit, vt pater, neque ipſi etiam filio, quia quod filius paciſcatur, perinde habetur ac ſi pater ipſe pactus eſſet *l.* 45. *in princ.* & §. *ſi quis ita. D. de verbor. obligat.* quaſi vox filij ſit vox patris §. *ſi quis alij, in fin. Inſt. de inutilib. ſtipul.* quare ſola doli exceptio ſupereſſe poteſt huic filio. 4

Tertiò quæritur de ſeruo, an illi doli exceptio profutura quoque ſit, quod *in fine* §.18. quem exponimus, affirmare videtur Vlpian. cùm poſt quæſtionem de filiofamilias viuente patre cum paternis creditoribus paciſcente addit; *imò & in ſeruo doli exceptio non eſt reſpuenda.* Agit autem de ſeruo manumiſſo, cui velit dandam exceptionem doli ex pacto interpoſito in ſeruitute. Hæc nihilominus verba relata neque Vlpiani, neque Marcelli, ſed vel alicuius imperiti interpretis, vel Triboniani eſſe contendit Anton. Fab. quia vix adduci potuit Marcell. qui eam doli exceptionem concederet filio emancipato propter pactum, quod cùm in patris poteſtate eſſet, iniuit, multò minus ſeruo id conceſſerit. Deinde Marcellus ibidem agens, affert vniuerſalem illam regulam, *quoniam non ſolet ei proficere ſi quid in ſeruitute egit poſt libertatem*; illa autem regula æquè valet circa doli exceptionem, atque pacti, & æquè concludit neutram eſſe dandam ſeruo manumiſſo. Oſtendit deinde Faber diſſimilitudinem magnam inter ſeruum manumiſſum, & filium emancipatum quod ad ea quæ geſta ſunt in ſeruitute, aut ſola patria poteſtate, ex quibus tandem concludit hoc Triboniani aſſutamentum eſſe, contra mentem Vlpiani & Marcelli.

CONSECTARIVM III.

Reliqua conſectaria remiſſiuè.

QVia verò ſæpius plures ſunt creditores hæreditarij, videndumque eſt quomodo cum illis paciſci debeat hæres, an cum omnibus, an cum pluribus ſaltem, & quia nonnunquam inter ſe conſentiunt, aliàs diſſentiunt, plures naſcuntur difficultates quas attingit *l. 7. §. 19. l. 8. 9. & 10. D. de pactis*. Verùm quia quæſtiones iſtæ communes ſunt omnibus debitoribus, quoties de minuendo debito, aut modo ſolutionis paciſcuntur cum creditoribus, illas atque alias pleraſque commodiùs explicabimus inferiùs in diſputatione de ſolutionibus, ſicut & de pactis fideiuſſorum, vbi de fideiuſſionibus; de pactis tutorum, & pupillorum, vbi de teſtamentis; de pactis emptoris, diſputatione de emptione, vbi etiam dicemus de venditione hæreditatis ab hærede facta, & de pactis ab emptore cum debitoribus hæreditatis de non petendo initis, quibus ſe tueri doli exceptione poſſunt debitores illi aduerſùs venditorem ab illis quid petentem; de quo caſu agit *l. 16. D. de pactis*: de dominorum & ſeruorum pactis, quatenus inuicem prodeſſe aut obeſſe poſſint diſputatione de dominio diſſeremus, ibidemque de pactis patrum & filiorum addemus, quæ deſunt iis quæ diximus hoc ipſo capite *art. 3.* de pactis cohæredum inter ſe, & illis quæ à teſtatore facta ad hæredes tranſeunt in diſputatione de teſtamentis, atque alia ſimilia pacta ſuis quæque locis exponemus.

ARTICVLVS VIII.

De tempore, loco, atque pactorum, & contractuum probationibus.

Quodnam tempus pactis celebrandis aptum. 1.
Locus in pactis, & in contractibus celebrandis attendendus. 2.
Ex loco in quo celebratus eſt contractus dubius, explicandus erit. 3.
Forenſes tenentur hac lege. 4.
Etiam in ſoluenda gabella. 5.
Quis locus in contractu dotali ſit attendendus. 6.
Ad quod forum pertineat iudicium de contractu. 7.
Probatio pacti, & contractus. 8.

HÆc duo in pactis, & contractibus celebrandis ſpectanda eſſe cenſent omnes; non diſtinguo autem religioſiùs pacta à contractibus, etſi differant in quibuſdam, quod *art. 1.* docuimus, *num. 3.*

1 Quod attinet ad tempus, cùm *cap. 1. de feriis*, prohibeantur die feriato in honorem Dei, aut alicuius Sancti, mercatus, eoque nomine emptio, venditio, locatio, permutatio, aliique contractus tum nominati, tum innominati comprehendantur, poſſet exiſtimare aliquis die feſto fieri licitè non poſſe pacta; verùm quamuis ea prohibitio mercatus non habendi die feſto obligaret, non prohiberentur niſi illi contractus, qui in celebri illo hominum conſenſu ad mercimonia deſtinato inirentur, aut potiùs ille concurſus mercimoniorum eo die, non priuati alij contractus, aut pacta quæ fierent aliis diebus etiam feſtiuis, ſed cùm ipſa conſuetudine prohibitio illa nundinarum, & mercatuum habendorum diebus feſtis abrogata ſit hodie, vti plurium ciuitatum teſtimonio docuimus *lib. ſuperiori ſub finem capitis penultimi*, non eſt quod de tempore faciendorum contractuum, & multò minus pactorum prout à contractibus differunt moueamus hoc loco quæſtionem.

Quod ſpectat ad locum, ille maximè attendendus eſt in contractibus, & pactis celebrandis; nam loci, in quo contrahitur, mores & conſuetudines, atque leges conſulendæ erunt, & iuxta illas contrahendum, atque paciſcendum; ſiue qui contrahunt & paciſcuntur incolæ loci illius ſint, ſiue peregrini: ita paſſim docent DD. quos dabit Sanch. *lib. 3. de matrimonio, diſp. 18. n. 29.* Felin. *cap. 1. de ſponſalib. n. 23.* Baſil. Ponc. *lib. 5. de matrim. cap. 7. n. 21.* Salas *de legibus diſp. 16. num. 51.* Ferdinand. a Caſtro Palao *de iuſtitia, diſp. 1. punct. 11. n. 2.* & alij paſſim; eſtque manifeſtum ius *l. ſi fundus 6. D. de euiction. Si fundus venierit ex conſuetudine eius regionis, in qua negotium geſtum eſt, pro euictione caueri oportet*: hoc eſt, dum quæritur an pro euictione caueri oporteat, vel in quantum, aut quomodo, attendenda eſt loci in quo fuit venditio celebrata, conſuetudo, locus enim contractus regit contractuum, iudiciorum, & agendi, decidendique ordinem: ſic apud Iudæos venditor non tenebatur in perpetuum euictionis nomine: nam anno Iubilæi, ſeu ἀφέσεως, venditor res ſuas recipiens, euictionis nomine teneri deſinebat, *Leuit. 25.* Olim etiam rerum mancipio datarum venditor, author non erat. Varro *lib. 2. de re ruſtica, c. 10.* Sic Molinæ. *ad conſuetud. Pariſienſ. §. 7. n. 37.* & *ad conſuetud. Pictau. art. 21.* monet inſpiciendam ſemper eſſe in feudis conſuetudinem loci ſeruientis, vbi de laudemiis, iuribus dominicis, retractuque feudali agitur: quod ſi incidat de ſolemnitate formaque homagij præſtandi quæſtio, ſpectabitur conſuetudo regionis in qua eſt feudum dominans; atque ita paſſim ſeruatur & iudicatur. Addit idem Molinæ. *ad Alexand. lib. 5. conſ. 46.* ſi conſuetudo nihil definiat de perſonis, vel earum ſtatu, ſed de rebus duntaxat loquatur, nihilominus tenendam eſſe diſpoſitionem quoad res ſitas in ſuæ ditionis latifundio. 2

Hinc fit primò, vt ſi dubius ſit contractus, exponendus, interpretandusque erit ſecundùm leges & conſuetudinem loci, in quo geſtus eſt, vnde illud *l. quod ſi nolit 31. §. quia aſſidua 20. D. de Ædilitio edicto. Ea quæ ſunt moris & conſuetudinis, in bonæ fidei iudiciis debent venire.* Alia non diſſimilia iura citat Gotfred. *in l. citatam*, vnde abſolutè pronuntiant Abb. in *cap. cum M. n. 5. de conſtitut.* Angel. *verb. contractus, n. 4.* Sylu. *eod. verb. q. 8.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 260.* contractum cenſeri celebratum iuxta conſuetudines, & ſtatuta loci in quo celebratus fuit: quæ omnia vera ſunt ſiue per nuntium, ſiue per epiſtolam inter abſentes, ſiue inter præſentes verbis celebretur, quod obſeruat Felin. *l. c. verſ. ſed aduerte.* 3

Sequitur ſecundò etiam externos, & forenſes mercatores teneri ſeruare Pragmaticam loci in quo emunt, aut vendunt; pretium v. g. definitum 4
tritici,

Digitized by Google

tritici, vt in Hiſpania, & quibuſdam aliis locis fit. Ita Sanch. *diſp.* 18. *cit. num.* 13. Medina *Cod. de reſtitution. quæſt.* 36. §. *dubitaret aliquis.* Ponc. Ferdinand. & alij nuper adducti.

5 Tertiò tenentur quoque ſeruare gabellam contractibus in eo loco impoſitam: ita laudati DD. cum Sylu. *verb. gabella* 3. *quæſt.* 5. Armilla *eodem verb. num.* 11. Bertachin. *eod. verb gabella in repertor.* & cæteri, quia gabella eſt pars contractus, aut eius acceſſio, vt ait Felin. *loco citato, verſ.* 2. *limita.*

6 Quartò excipiunt aliqui ab hac vniuerſali lege contractum dotalem, in quo attendi volunt conſuetudinem domicilij viri, non verò loci in quo celebratur: ita Symanc. *in Catholic. inſtit. tit.* 9. *num.* 142. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 18. *n.* 11. Ferdinand. *diſp.* 1. *de iuſtitia, punct.* 11. *numer.* 2. Felin. *in cap.* 1. *de ſponſalib. num.* 24. *concl.* 2. placet diſtinctio Poncij Baſilij *lib.* 5. *de matrim. cap.* 7. *numer.* 22. inter celebrationem contractus dotalis, eius conditiones, ſolemnitatem, conſtitutionem dotis, communionem bonorum, aliaque eiuſmodi quæ ad contractum dotalem pertinent, & inter exactionem dotis, ac repetitionem illius: contractus enim dotalis celebrari debet iuxta leges, & conſuetudinem loci, in quo fit, ſiue maritus in eo domicilium habeat, ſiue non, ex regula vniuerſali omnium contractuum, à qua nuſquam excipitur in iure, contractus dotalis quoad hanc partem. Quando verò agitur de exactione, & repetitione dotis conueniendus eſt maritus, & agitanda quæſtio, vbi maritus domicilium habet, quod vnum voluit Vlpian. in *l. exigere* 55. *D. deindic. Exigere dotem mulier debet illic, vbi maritus domicilium habuit, non vbi inſtrumentum dotale conſcriptum eſt: nec enim id genus contractus eſt, vt eum locum ſpectari oporteat in quo inſtrumentum dotis factum eſt, quam eum in cuius domicilium & ipſa mulier per conditionem matrimonij erat reditura*: quibus verbis rationem reddit Vlpian. quia maritus non poteſt conueniri niſi coram ſuo Iudice, cúmque eius bona ſint pro dote obligata, dos ipſa exigi poterit, vbi maritus domicilium habet, quod pridem docuimus *in opere de vſur. lib.* 4. *cap.* 5. *art.* 16. *num.* 11. cum Couarr. *in* 4. *decretal.* 2. *part. in princ. num.* 6. Gomez. *ad l.* 53. *Tauri, num.* 50. Molina *tract.* 2. *diſp.* 443. atque eſſe hunc vſum in Hiſpania demonſtrat ex Hiſpanis ipſis legibus Baſil. Ponc. loco nuper adducto: de Gallia, Mornac. *in l. exigere, citatam,* & Bacquet *cap.* 8. *de iuſt.* & vt conueniuntur mariti defuncti hæredes apud ſuum ipſorum Iudicem, quotieſcumque agitur de iudicio, quod circa pacta dotalia, ipſumque dotalitium ſubiturus erat defunctus, ſi vinceret, vulgò dicimus, *Pour voir ordonner que le contract ſera declaré executoire contre eux, tout ainſi qu'il eſtoit à l'encontre du defunct.* Si tamen aliter pactis, & tabulis dotalibus conuentum ſit, nempe vt dos exigatur iuxta conſuetudinem loci, in quo tamen maritus non habet domicilium, ſtandum erit eiuſmodi pactioni ex variis Senatuſconſultis, fauore matrimonij, cuius contractus pactiones omnes non turpes admittit: itáque in maiori auditorio iudicatum fuiſſe an. 1611. die 2. Auguſti, refert. Mornac.

6 Quando agitur de iure communionis bonorum, & ſuperlucratorũ, ſiue conquęſtuum, vt loquuntur, Doctores Hiſpani volunt attendi etiã locum domicilij mariti, vti referebã *opere de vſuris lib.* 4. *c.* 5. *art.* 19. *n.* 3. excipiebã tamen bona immobilia, quæ iuxta conſuetudinem loci in quo affixa ſunt, diuiſionem, aut communionem habent; quod de mobilibus quoque, quæ perpetuò alicui territorio affixa ſunt, cùm neque ab eo auelli, neque aliò trãſferri valeant, dicendũ erit. In Gallia tamen noſtra, vbi de iure ſuperlucratorum, ſiue conquæſtuum, qui ſtante matrimonio facti ſunt, diſceptatur, docet Chopin. *de conſuet. And. lib.* 3. *c.* 2. *tit.* 2. *de connub. bonor. ſocietat. n.* 4. ſequendam eſſe conſuetudinẽ loci contractus matrimonij, non domicilij mariti, laudatque Arreſtum an. 1319. de Petragorico quodã, qui cum vxorem Lutetiæ duxiſſet, & deinde mutato domicilio Petragorios, vbi nulla eſt inter coniuges bonorum ſocietas, traduxiſſet, obtinuit nihilominus vidua ex moribus Pariſiorum: Id ipſum in ſimili cauſa iudicatum fuit anno 1588. 1572. & 1549. atque ſæpiùs aliàs. Denique quod attinet ad dotalitij repetitionem, reſpondet Mornac. placere fori peritioribus, vt vterque locus ſpectari debeat tam inſtrumenti dotalis, quàm mutati domicilij, quatenus ambæ locorum conſuetudines diuerſa de præſtando dotalitio ſtatuunt; porrò iura dotalitia ad res immobiles referenda eſſe: cæterum de dotis repetitione vide Tiraq. *in ll. connubial. gloſſa* 1. *n.* 28. 32. 34. Cottam *in memorab. verſ. dos repetatur.* Conſtantin. Rugerium *de dote q.* 20. Phanucium *de lucro dotis, gloſſa* 9. & alios.

Addunt nonnulli iudicium de contractu pertinere ad forũ loci in quo celebratus eſt, *ex l.* 2. §. *legatis, l. ſi hæres abſens* 19. §. *ſi quis tutelas. D. de iudiciis,* & *cap. dilecti,* & *cap. fin. de foro competenti, cap. Romana.* §. *contrahentes eod. tit.* Excipiunt tamen caſum in quo ex mente contrahentium, aut natura contractus colligitur, ſolutionem, ſiue exequutionem alibi; quàm vbi contractus celebratus eſt, promitti: tunc enim in loco executioni deſignato conueniri debet. Alij diſtinguunt inter actiones reales, & perſonales, vel mixtas, quia in realibus conuenitur quis apud Iudicem loci in quo res, de quibus agitur, ſitæ ſunt; in perſonalibus actionibus, & mixtis ſequendum eſt domicilium eius, qui conuenitur, quod ipſe vſus in Gallia, & *l. vnica, C. vbi de hæredit.* docet. Verùm non quærimus tantùm hoc loco apud quem Iudicem conueniri debeat reus vi contractus ab ipſo celebrati, ſed potiùs quomodo debeat iudicare Iudex an ſecundùm leges loci in quo fuit celebratus contractus, an verò ſecundùm leges, & conſuetudinem loci in quo res, de quibus agitur ſitæ ſint, quoties illa diuerſa loca diuerſo quoque iure, & legibus reguntur, vnus v. g. conſuetudinario, alter iure communi. 7

Ad quam difficultatem obſerua ex Ioanne Fabro *ad l.* 1. *C. de ſumm. Trinit. ſtatutum reſpicere rem aut perſonam: ſi rem, tunc inſpicitur conſuetudo loci in quo res ſita eſt, ſecus verò ſi perſonam.* Ex qua regula, vbi agitur de cõditione aliqua perſonali, v. g. vtrũ aliquis ſit capax cuiuſpiã negotij gerendi, aut contractus celebrandi, inſpicienda erit conſuetudo domicilij in definienda controuerſia: quando verò de rebus ipſis diſceptatur, conſulenda erit conſuetudo loci in quo res illæ ſitæ ſunt. Simili diſtinctione vtitur Molinæ. *conſil.* 53. *tom.* 1. additque, *conſuetudines ſuis locis concludi, quatenus ſunt mera conſuetudines & in quantum aliquid merè, & immediatè ab illis proficiſcitur; ſecus quando non agitur de mera conſuetudine, ſed de contractu mediante conſuetudine inter ibi commorantes inito, & vbi vis agendi non fundatur immediatè, & per ſe in ſtatuto alterius loci, ſed in contractu, vel alio actu geſto in certo loco, & à conſuetudine illius loci informata:*

tunc enim conſuetudo per indirectam, & per quandam conſequentiam remotam habet effectum extra locum ſuum. Tamen propriè loquendo non eſt verum quod ipſa conſuetudo egrediatur locum ſuum, nec quod diſponat de alibi ſitis, ſed ſolùm quod diſponat de actu à ſuis ſubditis intra locum ſuum celebrato, quod poteſt. Deinde quod ille actus ſic celebratus habet effectum vbique inter contrahentes, etiam quoad bona alibi ſita, quod etiam nemini prudenti fuit vnquam dubium. Eadem eſt mens Maſuerij antiqui, & docti Practici, vt ibidem illum nominat Molinæ. ait igitur Maſuer. *tit. de ſucceſſ. ab inteſtat.* dum agitur de actu, qui dependet à vi conſuetudinis tantùm, & ſine facto, aut miniſterio hominis, vt quod in Anglia primogenitus ſuccedat in ſolidum, ſecus in Francia, etſi defunctus habeat vtrobique bona, ſeruanda eſt conſuetudo quæque in his, quæ ibi ſita ſunt, quia tunc conſuetudo adhæret rei, & nihil habet perſonalitatis; ſi verò agatur de actu dependente à facto vel miniſterio hominis, vt quando filia collocatur à patre nuptui apud alienos, atque ita per conſuetudinem excluditur à ſucceſſione; non enim excluditur ſolùm a ſucceſſione quoad bona ſita in Aluernia v. g. ſed etiam quæ alibi ſita ſunt, vbi aut ius ſcriptum, aut quælibet alia conſuetudo viget, quod verum eſſe ait Molinæ. intercedente expreſſa renuntiatione, præſente, vel conſentiente eo de cuius ſucceſſione agitur. Affert & aliud exemplum Molinæ. ex Iacobo a S. Georgio *opere de inueſtit. feudor. verb. Marchio*, primogenitum Baronis, aut Marchionis ſuccedentem ab inteſtato, non ſucceſſurum in omnia caſtra & feuda, ſed ſolùm ſita in locis in quibus viget talis conſuetudo, quia non poteſt intentionem ſuam fundare, niſi in ſola conſuetudine præcisè, & immediatè; neque aliud medium tuendi ſe habet, quàm vim & iuriſdictionem conſuetudinis, quæ extra ſuum locum nullas habet vires: ſi verò hic primogenitus ſuccedat ex teſtamento, quo ſolus inſtituitur, reuera ſuccedet in omnibus caſtris, & feudis vbicumque ſitis, etiam in locis, quæ iure ſcripto & communi reguntur, quamuis illud teſtamentum non fuerit factum ſecundùm formam, & ſolemnitatem iure communi præſcriptam, ſed ſecundùm conſuetudinem loci in quo tunc erat teſtator. Ratio eſt quia tunc agitur immediatè de viribus, & effectu teſtamenti ſimpliciter, quod poſita eius validitate propter conſuetudinem loci in quo editum eſt, ſuas deinde vires vbique obtinere poteſt, non vi conſuetudinis ſimpliciter, & præcisè, ſed quia in illo loco ſic contractum, validum reuerà eſt, atque adeò ibique valere debebit. Simili ratione donatio mutua Pariſiis à Ciuibus Pariſienſibus facta porrigi poteſt ad bona extra Pariſienſem regionem exiſtentia, in qua ius ſcriptum, vt vocant, vigeat, quia tunc non agitur de vi & iure conſuetudinis, ſed de vi & effectu contractus Pariſiis, validè celebrati. Qui igitur alicobi ſimpliciter contrahunt eo ipſo intelliguntur contrahere, & paciſci ſecundùm mores, & conſuetudinem notoriam illius loci, niſi aliter expreſſè caueant, vti initio monuimus, & ſicut, inquit Molinæ. natura non ſeparatur à proprio ſubiecto, ita nec communis vſus, & conſuetudo à contractu, cui natura ineſt; & conſuetudo informat omnem conuentionem contractus, etiamſi non ſit dictum *l. excepto, C. de locat.* non ineſt autem conſuetudo contractui tanquam lex aliqua publica, ſiue tanquam ius ipſum conſuetudinarium, nec per modum legis, aut conſuetudinis, vel ſtatuti iuris publici, ſed tanquam pars contractus, & lex priuata, & conuentionalis à contrahentibus volita, inducta, & diſpoſita, quod oſtendit Molinæ. quia non ineſſet niſi contrahentibus placeret, quia poſſent aliter, ſi vellent, diſponere. Solùm igitur ineſt, quia cenſentur contrahentes ita inuicem pepigiſſe, & conueniſſe, eo quod aliter non diſponunt, quod probat *ex l. adoptiuum 13. §. 1. D. de iure dotium.* Deinde quia ad illud conſuetum tacitè conuentum, & inexiſtens non competit condictio ex ſtatuto vel moribus, nec alia actio datiua à lege vel conſuetudine, ſed competit ipſa actio natiua ex contractu, tanquam ex negotio priuatim ſic geſto, & placito inter partes.

Ex his vides ſapientiſſimè ſæpius iudicatum eſſe, coniuges qui contraxerunt eo in loco, in quo viget ex receptis moribus cõmunitas bonorum inter coniuges, ſi quid acquirant ſtante matrimonio alibi; vbi ex iure communi, & ſcripto eiuſmodi ſocietas inter coniuges non admittitur, bona tamen illa acquiſita ipſis fore communia. Senatuſconſulta eam in rem referunt Papon. *lib. 15. tit. 2. arreſto* 14. Louet. *lit. C. num. 6. 15. & 16.* atque eius annotator Brodæus *illis locis*, & *numer.* 42. Chopin. *de morib. Pariſ. lib. 2. tit. 1. num. 3. & 4.* Mationius *actione forenſi* 8. & alij, quia conſuetudo illa quæ coniuges ſocios in omnibus facit, perſonalis eſt, ideóque vim ſuam vbique obtinet, vbi fundatur in contractu dotali celebrato eo in loco, in quo conſuetudo bonorum eiuſmodi ſocietatem inter coniuges induxit; tunc enim, vti dicebat Molin. conſuetudo ineſt contractui, ſiue eſt eius pars, & contractus ille tunc continet conuentionem tacitam, vel expreſſam eiuſmodi communitatis.

Circa hanc diſtinctionem conſuetudinis realis, & perſonalis, ac proinde teſtamenti factionem, modum ſuccedendi, diſpoſitionem bonorum, aliaque eiuſmodi, vide annotatorem Louet. Brodæum *litt. C. num.* 42. Oliuam *lib. 3. quæſtion. notabil. iuris, cap.* 25. qui alios dabunt, nobis enim non licet eò digredi, maxime cùm ferè ad forum externum pertineant eiuſmodi controuerſiæ, & vbi de iure conſuetudinario in noſtra Scientia Canonica diſputauimus quantum ſatis erat noſtro inſtituto tradiderimus.

Reſtat hoc loco probatio contractus & pacti, 8
quæ duplex eſt; vel enim quæritur an contractus fuerit celebratus, aut verum cum debita forma, & ſolemnitate celebratus fuerit. Prima quæſtio ſcriptura & teſtibus probatur pro natura pacti & contractus: at verò forma, & ſolemnitas debita, ſi negetur eius defectus, probari debet à reo, qui de eiuſmodi defectu excepit, quia actus ſemper præſumitur factus ſecundùm ſui naturam, vt habet latè Menoch. *lib. 6. de præſump. præſump. 4. & præſump.* 10. quod verum eſſe de ſolemnitate intrinſeca, quæ ex natura, & ſignificatione verborum concipitur, concedit Anton. Gomez *lib. 2. variar. reſolution. c. 11. n. 17.* At verò ſolemnitas extrinſeca quæ tamen neceſſaria eſt, non ſemper præſumitur, ſed probanda erit, ſed iſta pertinent ad Pragmaticos.

CAPVT II.

De præcipuis pactorum & contractuum qualitatibus.

ARTICVLVS I. *De Pacto,& contractu puro, ſiue abſoluto.*
II. *De contractu conditionato.*
III. *De contractu ſub modo.*
IV. *De contractu in diem.*
V. *De contractu alternatiuo.*
VI. *De contractu annuo.*
VII. *De contractibus indiuiduis, incertis, & pœnalibus.*
VIII. *De contractibus verborum.*

EXPLICATA pactorum,& contractuum natura,atque primario eius effectu,obligatione videlicet; præcipuas ipſorum affectiones, & qualitates perſequi placet : ex illarum enim diuerſitate ſæpius ipſorum contractuum vis & efficacia mutatur; aliter ſiquidem de pactis puris & abſolutis, aliter de conditionatis, aut de iis quæ ſub modo, aut in diem celebrantur, pronuntiandum erit : quare ex hac quoque qualitatum varietate diuerſitatem ſpecificam contractuum nonnulli deſumunt, neque eiuſmodi ſpecificandi ratio in iſtis moralibus reiicienda prorſus eſt.

ARTICVLVS I.

De pactis, & contractibus puris, ſiue abſolutis.

Quid ſit purus & abſolutus contractus, aut pactum. 1.
An & quomodo eius obligatio & actio tranſeat ad hæredes. 2.
Quid ſi excludantur hæredes in contractu. 3.
Quandonam intelligantur excludi. ibid.
Quid ſi materia ſit intranſmiſſibilis. 4.
An in puro pacto poſſit eſſe multiplex obligatio. 5.

1 PActum & contractum purum ſiue abſolutum dicimus, cui nulla eſt appoſita conditio, aut modus, aut certa cauſa, neque dies, certumque tempus deſignatur, ideóque nulla ex cauſa ſuſpenditur eius effectus, ſed ex illo ſtatim oritur obligatio ſiue naturalis tantùm,ſiue etiam ciuilis, ſi illā producere valeat:qua de cauſa dicitur perfectum pactum,perfectus contractus,perfecta donatio,perfecta promiſſio : quare ſi vi ipſius paciſcens & contrahens aliquid alteri debeat, aut promittat, ſtatim ſoluendum eſt,*l.cum qui Kalendis* 41.§ *quoties,D.de verbor.obligat.* quod tamen ex communi ſententia, ita intelligendum eſſe monet Sanch. *lib.*1.*de matrim.diſp.*28. *n.*3. vt ſoluendum ſit tale debitum,quando creditor ipſius conſcius,illud petit, itáque in vniuerſum de omni debito abſque diei præfixione,traditur *l.debitores* 10. *C. de pignorib.* vbi dicitur debitores prius denuntiationibus conueniendos eſſe à creditoribus ; in foro tamen conſcientiæ,ſi creditor timore reuerétiali,aut obliuione impeditus,nō conueniat promiſſorē, vel debitorem, tenebitur debitor ſtatim vt poterit,ſoluere,alioquin eſt in mora.Cùm creditor poteſt commodè petere ſolutionē,& non petit, videtur volēs conſentire eius dilationi, ſecus autem quando vel non audet petere impleri promiſſionē, aut contractum,etiamſi maximè vellet.Hinc qui vouet nullo præfixo termino, tenetur implere votum ſtatim ac poteſt ; quia Deus qui creditor eſt, ſemper petit. Qui fœminæ promiſit matrimonium, ſi illa non audeat petere impletionem, & ipſe poſſit implere,eſt in mora culpabili : quæ omnia monuimus *opere de vſuris,lib.*1.*c.*3.*art.*2. & 3. & alibi iterum fuſiùs explicabimus.

Circa obligationem contractus puri & abſoluti duæ reſtant difficultates.Prima eſt an,& quomodo obligatio illa tranſeat ad hæredes contrahentium. Secunda quomodo cohærere poſſint multiplices obligationes in vno,& eodem puro contractu.Ad primam.

Reſp. & dico primò obligationem, & actionem contractus purè & abſolutè celebrati, tranſire ad hæredes vna cū hæreditate, & pro ratione ipſius, niſi vel excludantur per ipsū contractū, vel res nō ſit ex ſua natura tranſmiſſibilis ad hæredes. Perſpicua videtur huiuſce aſſertionis ſententia : nam aliquando hæredes in ipſo contractu expreſsè cōprehenduntur, aliàs excluduntur, aliàs neque excluduntur, neque comprehenduntur, cùm nulla ipſorū fiat mentio. Denique aliquando res quæ eſt materia pacti, & contractus, tranſmiſſibilis eſt ad hæredes,aliàs non eſt, vel ex ſua natura, vel ex diſpoſitione iuris poſitiui, & tamen nonnunquam ex pacto contrahentium, ad ipſos videtur tranſmitti,cum contrahentes paciſcantur pro ſeipſis, & hæredibus ſibi ſuccedentibus. De his omnibus excitantur difficultates,quas omnes in noſtra vniuerſali aſſertione complectimur.

Primò igitur obligatio & actio contractus puri, 2
cuius materia eſt tranſmiſſibilis ad hæredes, ad illos reuerà tranſit,ſiue illi in cōtractu exprimantur, ſiue non exprimantur,modò non excludantur per verba contractus, aut ex mente contrahentiū, aliqua alia ratione ſignificata, aut ex variis circunſtantiis certò probata. Hanc regulam cōmuni omnium ſenſu confirmatam tradit Anton. Gomez. *tom.*2.*variar.c.*11.*n.*12. neque fuerit opus cæteros Doctores ſingillatim in hanc rem appellare,eſtque expreſſa in iure hæc regula,cuius rationem reddit Celſus *in l. ſi pactum* 9. *D. de probationib. Quia plerumque tam hæredibus noſtris, quàm nobiſmetipſis cauemus.* Ex qua vniuerſali regula definiuit ibidem Celſus eam quęſtionē de creditore,qui pactus fuerat cum aliquo de non petendo,nulla mentione hæredis facta ; ſi deinde mortuo patre petat, probaréne debeat pactū in perſona defuncti ſtetiſſe,an verò hæres,qui aduerſùs eam petitionē excipit,pactum cum patre initum,quod ad ſe quoque pertineat:ait tamē Celſus, quamuis verum ſit quod qui excipit probare debeat quod excipitur; in hoc tamen caſu de ipſo contrahente duntaxat, & non de hærede eius quoq; conueniſſe,petitor, non qui excipit probare debet. Adde & vulgatē aliam rationem, hæredē repræſentare ipſum defunctū, vel in totum,ſi eſt ſolus hæres, vel in parte hæreditaria,ſi ſunt plures hæredes, eſtque ius perſpicuum *Nouell.*48.*initio, l.hæres* 52.*D.de vſucap.leg.hæres in omne ius* 37. *D. de adquir. hæredit. leg.*1. & 2.

atque toto C. de hæred. act. atque alibi ſæpius omnia iura, & onera defuncti vnà cum eius hæreditate tranſmittuntur ad hæredes, niſi aliud vel teſtamento, vel contractu à defuncto aliàs facto cautum aliter fuerit: qua de cauſa voluit Iuſtinian. *citata Nouell.* 48. deſcriptionem bonorum à defuncto factam, interpoſito iureiurando, hæredibus nocere, debitoribus non nocere: quia voluit Imperator hæredes contentos eſſe his bonis, & eam deſcriptionem ſequi, niſi malint hæreditate mulctari ex *Nouella* 1. Alia itaque bona quaſi hæreditaria requirere non poſſunt, ſiue per tormenta ſeruorum hæreditariorum, ſiue quopiam alio modo; licebit tamen creditoribus alia defuncti bona perquirere, & hypothecæ nomine vindicare.

Ex quibus colligit Anton. Gomez. *l. c.* primò quod in contractu rei ex ſui natura ad hæredes tranſitoriæ, ſuperflua eſt mentio hæredum, quia nihil noui operatur, neque enim eſt noua actio in perſona hæredum, ſed illamet quæ erat penes defunctum, nec requiritur, nec cauſari poteſt noua præſcriptio, ſed illa ſola ſufficit, & conſideratur quæ incepta fuit contra defunctum, *l. eum qui* 56. *§. ſe & Titium. D. de verbor. obligat.*

Secundò ſi quis ex hæredibus fiat non ſoluendo, alij non tenentur; cùm ipſo iure diuiſa ſit inter eos actio, & obligatio pro parte, vti vides in *l. 2. §. fin. D. de prætor. ſtipulat.* & *l. 1. atque toto titulo D. de hæred. act.* quod verum eſt ſiue quis ſe ſimpliciter obligauit, & contraxit, ſiue etiam promiſit pro ſe tantùm, aut pro aliquo ſolo; quia tunc quoque promiſſio & obligatio tranſit ad hæredes, niſi ſpecialiter actum ſit ne ad eos tranſeat, *l. ſtipulatio iſta* 38. *init. D. de verbor. obligat.* vbi Vlpian. eius ſtipulationis *habere licere ſpondes?* ſententiam eam dicit, vt liceat habere, nec per quempiam omninò fieri, quo minus nobis habere liceat. Deinde addit; *Se obligat ne ipſe faciat quo minus habere liceat, obligetur etiam ne hæres ſuus faciat, vel quis cæterorum ſucceſſorum officiat ne habere liceat. In l. ſi neceſſarias* 8. *§. de vendendo. D. de pignerat. act.* ſi creditori ſit facultas vendendi pignus, illud quoque vendere poterit eius hæres ſi nihil in contrarium actum eſt. Denique diximus *cap. ſuperiore*, pactum reale etiam ad hæredes pertinere.

3 Excipiebam ſecundò ab hac regula caſum, quo in contractu expreſsè excluduntur hæredes, quod & per ſe manifeſtum eſt, & traditur in *l. non ſolùm* 8. *§. cale legatum. D. de liberatione legata, l. idem in duobus* 25. *§. 1.* & *l. & hæredi* 21. *§. fin. D. de pactis.* Difficultas nihilominus eſt, an quando ponitur duntaxat particula taxatiua in contractu, comprehendantur hæredes contrahentium: v.g. ego tantùm promitto tibi, aut tibi tantùm promitto, an hæres meus poſſit ab hærede tuo, aut tuus à meo petere; an verò eis loquendi formulis hæredes prorſus obligatione, & actione omni ſummoueantur: nam Bartol. & alij quidam relati à Gomez. *cap.* 11. *cit. num.* 13. volunt excludi tantùm externos, non hæredes. Reſpondeo tamen cum eodem Gomeſio, & communi DD. eiuſmodi pacta per particulas illas taxatiuas reddi perſonalia, atque adeò non tranſire ad hæredes, aliámve vllam perſonam, niſi eo modo quo nuper explicuimus *cap. 1. huius libri, art. 6. regula* 1. & 2. quibus plura alia adiicit Gomeſius, qui prætereà obſeruat hanc noſtram aſſertionem veram etiam eſſe in obligationibus facti, quæ tranſeunt quoque ad hæredes, vbi non adiicitur particula taxatiua, de qua loquimur. Ita expreſsè definitur *leg. veteris* 13. *Cod. de contrahend. & committ. ſtipulat.* quod ita explicat Gomez. vt ex parte creditoris ſemper, & indiſtincte tranſeat ad hæredes, ex parte verò promiſſoris, ſiue debitoris, quando factum non cohæret perſonæ obligatæ, ſed per alium æquè commodè explicari, & fieri poteſt, atque per ipſum debitorem, vt ædificare, ſcribere, aliaque eiuſmodi, tunc tranſit obligatio illius operis faciendi ad hæredes: ſecus verò ſi omninò & expreſsè cohæreat perſonæ. Exemplum habes *in l. centeſimis* 46. *§. 1. D. de verbor. obligat. Cùm morieris Alexandriam venire ſpondes?* quia quod in facto eſt, in mortis tempus conferri non poteſt, vt ait ibidem Paul. Cùm igitur factum promittentis, perſonæ ita cohæret, vt ab ea diuelli non poſſit, vt ire, venire, ad hæredes non tranſit, alias ſecus, vt dixi. Eadem fuſiùs clariúſque explicat Iuſtinian. *leg. vn. §. ne autem* 9. *Cod. de caducis tollendis.* Ita porrò fit iſte tranſitus ad hæredes, vt eadem qualitas actiua, & paſſiua obligationis, & actionis, quæ erat apud defunctum, ſit deinde in hærede: non enim ex eius perſona conditio obligationis immutatur, vti loquitur Paul. *in leg. 2. §. ex his, D. de verbor. obligat.* quare talis actio, vel obligatio poteſt incipere ab hæredibus, & contra hæredes, quod ſanciuit Iuſtinian. *leg. vn. Cod. vt actiones ab hæredibus, & contra hæredes incip.*

Excipiebam tertiò à noſtra vniuerſali propoſitione, rem ex ſua natura non tranſitoriam ad hæredes; diſpoſitionis enim, & contractus de illa celebrati obligatio, & actio non tranſit ad hæredes *ex leg. 3. §. fin. D. quib. mod. vſusfruct. amitt.* & *l. ſtipulatio iſta* 38. *§. ſi quis ita* 10. *D. de verbor. obligat.* Pactum itaque de vſufructu non tranſit ad hæredes, quia vſusfructus non eſt res tranſitoria ad hæredes, alioquin proprietas redderetur inutilis. 4

Quæres quid ſentiendum ſit quando in contractu de re, quæ ex ſui natura non eſt tranſmiſſibilis ad hæredes, nihilominus mentio fit hæredum, vt ad illos tranſmittatur.

Reſp. quando in contractu de eiuſmodi re intranſmiſſibili ad hæredes, non explicatur ad quos hæredes tranſmittatur, intelligi duntaxat primos hæredes. Sic dicitur *leg. antiquitas* 14. *Cod. de vſufruct. & habitat.* vſumfructum legatum vnà cum hærede finiri, & ad vlteriores non extendi: quare ſi emphyteuſis non ſoleat alicubi, niſi ad ſecundos, vel tertios hæredes concedi, mentio hæredum in contractu emphyteutico non complectetur vlteriores; quia debet attendi natura contractus, & diſpoſitionis, & ſecundùm illam ampliari, aut reſtringi mentio hæredum. Sanè in exorbitantibus mentio hæredis intelligitur de primo hærede duntaxat, quod fuſiùs oſtendit Abbæus *in artic. 19. de donationib. in conſuetud. Bituric.* Ideóque & in hoc ſermone, *dum nupta erit*, ſignificantur primæ nuptiæ, *l. boues* 89. *§. hoc ſermone, D. de verbor. ſignificat.* quam legem libro ſingulari illuſtrauit Tiraquell. Vide quoque Mornac. *in citatam l. antiquitas* 14. *C. de vſufruct. & habitat.*

Dices *l. in annalibus* 22. *C. de legat.* Iuſtinianum

præcipere

præcipere in annalibus legatis, vel fideicommiſſis, quæ teſtator non ſolùm certæ perſonæ, ſed & eius hæredibus præſtari voluit, & eorum exactionẽ omnibus hæredibus, & eorum hæredum hæredibus ſeruari, atque ita in infinitum. Atqui legatum illud annuum ex ſui natura non eſt tranſmiſſibile, eſt enim conditionale pro ſingulis annis, *l. ſi Stichum 16. §. 1. D. de verbor. obligat.* Poterit igitur vſusfructus, aliave res intranſmiſſibilis hæredibus relinqui, eoque nomine comprehendentur in infinitum hæredes.

Reſp. primò cum Gomeſ. *c. 11. cit. n. 14.* rem de qua diſponitur in annuo legato non eſſe ex natura ſua intranſmiſſibilem, in eo tamen legato cenſeo eſſe conditionem quandam, quæ eius tranſmiſſionem impedit. Atqui teſtator facere poſt actum purum, qui erat conditionalis, atque ita ſublata conditione facere tranſmiſſibilem, quod illa conditio impediebat.

Reſp. ſecundò ſi teſtator, aut contrahens velit vſumfructum, aliamve rem intranſmiſſibilem tranſire ad hæres in infinitum, fore nouam conceſſionem, & nouum vſumfructum conſtitui in ſingulis hæredibus, neque tamen fiet perpetuò inutilis proprietas, quia in aliquo caſu poterit primus hæres pati capitis diminutionem, & tamen remanere naturaliter viuus, & tunc vſusfructus conſolidabitur cum proprietate, vt ibidem oſtendit Gomeſ. qui tamen caſus vix contingere poteſt, quare potius probamus primam reſponſionem allatam.

5 Altera difficultas initiò propoſita, erat an poſſint in puro pacto, & contractu multiplices obligationes ſimul reperiri.

Reſp. quæſtionem ferè excitari de nomine: nam ſi per purum pactum, & contractum intelligas vnicum & ſimplicem contractum; ſtatim apparet illi multiplicitatem obligationum obeſſe, cum illis enim multiplicari quoque contractum neceſſe omninò eſt; ſi verò purum contractum appelles illum, qui neque ſub modo, neque ſub conditione, neque in diem fit, quomodo nos accipimus hoc loco, nihil impediet in eo multiplices obligationes reperiri, ſed tot erunt tunc contractus cenſendi, quot erunt diuerſæ, & diſtinctæ obligationes, licet ſub vna, eademque forma, ſtipulationis, emptionis, commodati, depoſiti, aut legati contineantur; quia ſimul res diuerſas legas, deponis, emis, commodas, ſtipularis, pluresque ideò contractus facis, & plures diuerſarum rerum obligationes ſuſcipis. Eſt itaque ſtipulatio, emptio, venditio, quoad verba vnica, quoad rem, ſiue vt alij malunt, virtualiter multiplex, cùm diuidi poſſit ſecundùm ſui obiecti diuiſionem: qua de cauſa Vlpian. in *l. ſcire debemus 29. D. de verbor. obligat.* ait in ſtipulationibus tot eſſe ſtipulationes, quot ſummæ ſunt, & quot ſpecies ſunt, & Paul. *in l. Titia 134. § fin. D. eod. Quoties pluribus ſpecialiter pactis ſtipulatio ſua omnibus ſubiicitur, quamuis vna interrogatio, & reſponſum vnum ſubiiciatur, tamen perinde haberi, ac ſi ſingulæ ſpecies in ſtipulationem deductæ fuiſſent.* Adde *l. vbi autem 75. §. pen.* & *l. quod dicitur 86. D. eod.* quare tot legata cenſentur, quod res legatæ ſunt *l. 2. D. de legat. 2.* quare vnum ex illis legatis altero repudiato licebit acceptare. Quando ſub vna ſcriptura plures contractus, aut teſtamenta comprehenduntur, illa omnia ſimul ſolemnizantur, eadem ratione, atque ſi cuilibet contractui vel teſtamento ſua peculiaris apponeretur ſcriptura. Idem tutor ſuam authoritatem pluribus cauſis interponit; procurator pro pluribus dominis comparet; Superior pro pluribus rebus, aut pluribus perſonis vnico verbo licentiam concedit; Iudex vna prolatione ſententiæ plures controuerſias definit, denique quæſtio vna non eſt dicenda, ſed plures, cùm in ea de pluribus & diuerſis agitur, vel quæritur, vt in *l. 132. D. de verbor. obligat.* Si disiunctim quis interroget, tunc vna quæſtio dicenda erit, exemplo legatorum disiunctim relictorum, quæ omnia pluribus illuſtrat Gomeſ. *tom. 2. variar. cap. 11. n. 16.* vbi tamen obſeruat plurimùm intereſſe, an vnicus, an plures contractus ſub vna forma contineantur. Primò quia ſi vnicus ſit tantùm contractus, non debebitur niſi vna gabella, quæ deberetur de qualibet re aut contractu, ſi fuiſſent diſtincti, & ſeparati. Secundò qui plures res accipit in emphyteuſim vno pretio, ſi vnam inconſultò alienet, cadet ab omnibus rebus; quia tunc vnus cõtractus reputatur. Tertiò qui plures res vno pretio vẽdit cum pacto de retrouendendo, non poteſt vnam ſine aliis redimere, quod aliter fieret, ſi diuerſa fuiſſent pacta, & diſtincti contractus venditionis. Quartò eodem modo tunc poterit habere locum redhibitio, vel actio quanti minoris in vna re, & non in aliis, vbi diuerſa pretia, diſtinctæque fuerint venditiones, alioqnin non, ſi fuiſſet vna tantùm venditio. Quintò vbi erit vnus tantùm contractus non poterit debitor diuidere ſolutionem; quæ aliaque diſcrimina demonſtrat loco laudato Gomez.

ARTICVLVS II.

De pactis & contractibus conditionatis.

QVÆSTIO I. *Quid & quotuplex ſit conditio.*

II. *Quid operetur conditio de præſenti, vel de præterito diſpoſitioni adiecta.*

III. *Quid operetur conditio de futuro pactis, & diſpoſitioni adiecta.*

IV. *De conditionibus tacitis, & quæ inſunt pactis, ac contractibus.*

V. *De conditionibus impoſſibilibus, & ſubſtantiæ actus contrariis.*

VI. *De conditionibus turpibus.*

VII. *De quibuſdam ſingularibus conditionibus, an turpes ſint.*

VIII. *Qualis ſit obligatio contractus & pacti conditionalis.*

IX. *De impletione conditionis.*

X. *An contractus conditionalis indigeat nouo conſenſu poſt conditionis euentum.*

XI. *Conſectaria circa ſingulares quoſdam contractus conditionatos.*

XII. *Aliquæ leges illuſtrantur, & emendantur.*

PLurimæ difficultates hoc loco explicandæ ſunt, quæ ad omnia pacta, & contractus, donationes, teſtamenta, aliaſve quaſcumque diſpoſitiones pertinent, hæc enim omnia vel abſolutè, vel conditionatè fieri poſſunt: vt vera & perſpicua ſit iſta diſputatio, ſingulas quæſtiones ſeorſim explicare viſum fuit operæ pretium.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit conditio.

Conditio quid. 1.
Quotuplex ſit. 2.
Quomodo exprimatur. 3.
Quibus modis adiiciatur diſpoſitioni. 4.

1 CONditio in vniuerſum eſt aliquid negotio, aut diſpoſitioni appoſitum, vnde effectus pendet, quia non niſi eo adiecto & poſito exiſtit: ſiue, eſt reſtrictio & ſuſpenſio diſpoſitionis ne effectum habeat, niſi certa quadam re, aut facto poſitis. *Dono tibi centum ſi amicus meus viuit, ſi Capitolium aſcenderis, ſi nauis ex India venerit, ſi cœlum digito tetigeris.* Quæ definitio conditionis vniuerſalis eſt, omnemque conditionem complectitur, ſiue ſit de præſenti, ſiue de præterito, ſiue de futuro; quia ſemper actus conditionatus habet ſuum eſſe dependenter ab illa conditione, vel poſita, ſi eſt de præſenti, aut de præterito, vel ponenda, ſi eſt de futuro. Qui verò definiunt conditionem, actum, vel effectum futurum, in quem diſpoſitio confertur validanda, vel infirmanda: aut adiectionem appoſitam, vel ſubintellectam, quæ ſuſpendit, vel reſoluit ipſam diſpoſitionem, quas aliaſque ſimiles definitiones dabit Gumeſ. *tom. 1. variar. cap. 12. n. 59.* conſiderarunt duntaxat conditionem de futuro, per quam effectus cuiuſlibet diſpoſitionis ſuſpenditur in futurum, pendetque ab aliquo quod nondum eſt. Quando verò erit, tunc tantùm valida erit diſpoſitio, quæ ad illud vſque tempus, veluti in ſuſpenſo exiſtit, & nondum valet: atque hæc conditio ferè vna attenditur in iure, in qua ſuſpenditur effectus in futurum §. *ſub conditione. Inſtitut. de verbor. obligat.* de eaque maximè diſputant Sylu. aliique Summiſtæ *verb. conditio*: & iuris Interpretes, noſque hanc vnam maximè explicabimus hoc loco.

Diuiditur conditio primò in conditionem de
2 præſenti, de præterito, & de futuro. Secundò in conditionem poſſibilem, & impoſſibilem, ſiue talis ſit ex natura ſua, ſiue aliundè. Tertiò in honeſtam, & turpem, ſiue ex natura rei, ſiue ex prohibitione legis. Quartò in neceſſariam & contingentem, quę poteſt eſſe aut non eſſe, incertum tamen eſt an futura ſit. Quintò contingens vlteriùs diuiditur in poteſtatiuam, fortuitam, & mixtam; poteſtatiua dicitur, cuius implendæ poteſtas eſt in eo, cui imponitur: quare eius arbitrij fuerit illam ponere, aut non ponere: v. g. *Do vitam ſi manumittas ſeruum.* Fortuitam nominant quæ nulla ratione eſt in poteſtate eius, cui imponitur; v. g. *Do centum ſi Turca ducat vxorem.* Mixta partim pendet ex voluntate eius cui imponitur, partim aliunde; vt *Scribo te heredem ſi Bertham duxeris vxorem.* Sextò quædam conditiones ſunt intrinſecæ, quædam extrinſecæ diſpoſitioni; iſtæ ſunt eæ quas diſponens exprimit in ſua diſpoſitione, quæ ſi non exprimerentur, reuerà non adeſſent. Intrinſecæ inſunt diſpoſitioni, & non pendent ex diſponentis, & contrahentis voluntate, quas tamen aliqui vocant etiam extrinſecas voluntati, ſcilicet diſponentis, quæ maximè in iſtis omnibus attendi debet, quomodo loquitur Papinian. *in l. conditiones 99. D. de condit. & demonſtrat.* Septimò quædam tacitæ ſunt, quædam expreſſæ, quæ diuiſio coincidit in priorem: nam tacitæ colliguntur vel ex natura diſpoſitionis, vel ex modo contrahendi à lege præſcripto, ideóque inſunt contractui, quamuis & ex variis coniecturis à diſponente, & contrahente volitas, aut ſuppoſitas fuiſſe nonnunquam dici queat. Octauò quædam ſunt conditiones veluti formales, aliæ verò tantùm virtuales, aut potiùs æquiualentes: ſic diem incertum teſtamento, aut diſpoſitioni appoſitum facere conditionem vulgò dicunt; quia in effectu conditio eſt, vti docet Cuiac. *lib. 18. obſeruat. cap. 1.* Vbi docet omnem conditionem eſſe diem incertum, non tamen omnem diem incertum eſſe conditionem, quæ omnia inferiùs explicabuntur.

Explicantur conditiones per varias particulas: *dummodo, ſi*, quod obſeruat Gloſſa in *leg. 1. D.* 3
de condition. & demonſtrat. Deinde per ablatiuos abſolutos, v. g. *ſolutis impenſis omnibus, l. ab emptione, D. de pactis.* Tertiò dictio, *ita tamen*, conditionem importat, *l. Titia centum 70. §. Titio*; & *l. Iulianus, ita priac. D. de condition. & demonſtrat.* Quartò adiectio qualitatis conditionem importat, niſi adiiciatur diſpoſitioni iam perfectæ, conditio ſiquidem impleri debet ante perfectionem & exequutionem diſpoſitionis; quare ſi poſt perfectum actum impleri debeat, ſolùm moderatur diſpoſitionem iam perfectam, & non erit vera conditio, quamuis nomen conditionis adhibeatur. Vide Menoch. *conſil. 78. num. 31.* Difficultas eſſe poteſt de præpoſitione *cum*, an illa faciat conditionem, quod aliqui voluiſſe videntur, id tamen conſtanter negant paſſim veteres Iuriſconſulti, niſi conſtet aliam fuiſſe mentem diſponentis, vti diſertè habet Vlpian. *l. ſi ita 13. §. ſed etſi ancilla, D de manumiſſ. teſtament. Si ancilla cum filiis libera eſſe iuſſa ſit, etſi nullum habeat, libera tamen erit, vel ſi habeat quidem, filij autem eius ad libertatem peruenire non poſſint, idem erit dicendum. Et ſi ipſa libera eſſe non poſſit, filij autem eius ad libertatem peruenire non poſſunt; nam hæc adiectio cum filiis non facit conditionem, niſi mihi proponas aliam ſententiam teſtatoris fuiſſe: tunc enim pro conditione hæc verba erunt accipienda, conditionem autem non facere argumento eſt Prætoris edictum, quo ita cauetur, ventrem cum liberis in poſſeſſionem eſſe iubebo: placet enim, etſi nulli de liberis fiat, ventrem tamen ex edicto in poſſeſſionem eſſe mittendum.* Conſentit Caius in *l. ſi ſeruo 31. §. 1. D. de ſtatu liberis*, vbi de teſtamento in quo legatur illi cum illo, nam altero deficiente, alter ad legatum admittitur: Sticho v. g. legatur libertas cum contubernali. Vide & *l. ſi quis 18. D. de legat. 1. l. ſi tibi 10. D. de legat. 3. l. vxorem 39. §. agri plagam. D. eod. l. Lucius 90. §. quiſquis, D. de legat. 2.*

Repetendum denique hoc loco eſt, quod obſer- 4
uauimus *opere de vſur. & comm. lib. 3. c. 2. art. 4. n. 15.* conditionem apponi contractui, & cuicumque diſpoſitioni tribus modis. Primò ſuſpenſiuè, quando ſuſpendit effectum contractus, & cuiuſcumque diſpoſitionis in euentum conditionis, hoc eſt donec conditio ponatur. Secundò ponitur conditio per modũ obligationis & pacti cuiuſdã; celebratur nempe contractus cum pacto & obligatione quidpiã faciendi vi cõtractus celebrati. Tertiò denique conditio ponitur reſolutiuè, quia durat contractus, & diſpoſitio donec ea conditio deficiat, v. g. tecum contraho & volo me obligandum, ſi intra annum Cœlum tetigeris, ita vt deficiente conditione,

tione, amplius non obliget, atque ceſſante conditione reſolutiuè poſita, reſoluatur contractus, qui hactenus valuerat; quæ omnia Leſſ. *lib.2. cap.* 18. *num.* 121. ſic explicat, aitque dupliciter conditionem apponi poſſe. Primò vt per eam immediatè exigatur opus externum in futurum præſtandum, quodcumque illud ſit, ſiue poſſibile, ſiue impoſſibile, ſiue turpe, ſiue honeſtum; tunc conditio ponitur, vt dicebamus, ſuſpenſiuè, ſuſpenditurque conſenſus vſque ad euentum conditionis, ſiue donec opus quod exigitur præſtitum ſit; tunc autem conſenſus fit abſolutus, & contractus validus, ſi ea fuit ab initio mens contrahentium. Secundò ponitur conditio ita vt non immediatè exigatur ipſum opus externum; ſed obligatio duntaxat ad illud: v. g. *contraho tecum ſi matrem meam alueris, ſi inimicum meum occideris*, hoc eſt, ſi te ad alimenta iſta ſuppeditanda, atque ad hanc necem conficiendam obliges: hæc conditio iſto modo appoſita non ſuſpendit conſenſum, ſed ſtatim altero conſentiente, & conditionem acceptante perficitur contractus, ſi aliud non repugnet. Denique Baſil. Ponc. *lib.3. de matrim. cap. 9. n.6.* obſeruat contrahentem tribus modis ſe habere poſſe circa appoſitionem conditionis. Primò, vt velit prius poni conditionem, deinde contrahere: ſic, *Præſta mihi opus iſtud, deinde contrahemus: da mihi mutuo centum, deinde vendam tibi fundum, aut emam domum tuam, aut vineæ meæ imponam ſeruitutem itineris: fac mihi tui corporis copiam, deinde matrimonium tecum contraham.* Secundò prius contrahitur contractus, & illi deinde ſubiunguntur pacta de quibuſdam operibus præſtandis: *Vendo tibi meam vineam, deinde de modo ſolutionis, de vſuris pretij, de ſeruitute itineris paciſcemur; contrahamus inter nos matrimonium, deinde de collocanda dote, de habitatione, de ſuſcipienda & educanda prole conueniemus*, quæ conditiones nihil omninò officiunt, vt vides, contractui, cùm aut illum omninò antecedant, ab eoque ſupponantur eſſe poſitæ, aut illum iam celebratum conſequantur. Itaque actum illum, aut diſpoſitionem nulla ratione ſuſpendere, aut impedire poſſunt, ac proinde non habent veram rationem conditionis, à qua, vt diximus, aliqua ratione pendet actus & diſpoſitio. Tertiò denique ita ponitur conditio, vt obiectum conſenſus, ſit contractus ſub ea conditione perficiendus, vel ſub eo pacto, vt maneat obligatio implendi tale pactum: v. g. obiectum conſenſus, eſt venditio facienda ſub conditione appulſus nauis, aut nauigationis in Affricam; id eſt, *vendo tibi, aut vendam eas merces ſi nauis cras appulerit, aut ſi te obliges ad nauigandum in Affricam: tecum contraham matrimonium ſi pater tuus annuerit, aut ſi Pontifex in impedimento, quod habemus, diſpenſarit; aut ſi hæreditatem quæ tibi continget acceptes, neque illi renuntiare deinde poſſis.* Atque hæ, aliæve ſimiles conditiones, quæ in obiecto conſenſus apponuntur, dupliciter, vti iam monuimus, ſumuntur. Primò ſuſpenſiuè, quia contrahentes volunt ſuſpendi perfectionem actus vſque ad euentum conditionis, quæ proinde ante celebrationem, vel ſaltem, conſummationem contractus poni debet: v.g. *vendo tibi vineam meam, ſi Petrus mihi ſuam vicinam, & contiguam donet*: debet enim Petrus mihi donaſſe ſuam vineam, antequam contractus venditionis quem tecum celebro ſit perfectus, & abſolutus: *contraho tecum matrimonium, ſi ſterilitatis venena ſumpſeris; ſi tui copiam feceris*, ita vt matrimonium perfectum & contractum reuerà non ſit, niſi poſita iſta conditione, quæ proinde matrimonij celebrationem præcedit, illamque, vti dicebam, ſuſpendit. Secundò apponitur conditio obiecto conſenſus per modum pacti, & obligationis: vt, *vendo tibi domum meam ſi Romam iueris; contraho tecum matrimonium ſi decem millia in dotem dederis, ſi filium heredem inſtitueris, ſi adulterabis*, id eſt, ſi te ad omnia iſta implenda contracto matrimonio obligaueris, atque iſta pacta aliquãdo ſumuntur ſimpliciter pro obligatione quidpiam faciendi vi prioris illius contractus, cui fuerunt appoſita, aliàs reſolutiuè, vt ſuperiùs explicui, ita vt niſi impleantur hæc pacta, & obligatio, reſoluatur contractus iam factus, qui durat duntaxat quamdiu implebitur conditio appoſita, & qua ceſſante ceſſabit quoque contractus ſub ea celebratus. Hæc omnia obſeruate, atque ex citato loco in hunc adducere placuit; quia ex ipſis lucem accipient quæ de ſingulis illis conditionibus initio relatis diſputabuntur.

QVÆSTIO II.

Quid operentur conditiones de præſenti, vel de præterito, diſpoſitioni alicui adiectæ.

Non ſuſpendunt contractum. 1.
Quid ſi ea conditio credatur falsò eſſe de re futura. 2.
Quid de matrimonio ſic contracto. 3.

RESpondetur conditiones iſtas neque infirmare, neque mutare contractum, neque vim propriæ conditionis, quæ ſuſpendit effectum, habere, quod omnes fatentur; quia cùm illa conditio iam reipſa exiſtat, aut non exiſtat, neque expectari debeat in futurum, iam nunc reipſa validum facit, aut nullũ actum & diſpoſitionẽ cui adiicitur: quare ſapienter dicitur in iure, nullam eſſe conditionem, quæ in præteritum confertur *§. conditiones. Inſt. de verbor. obligat. l. conditio in præteritum* 100. *D. de verbor. obligat.* & *l.* 120. & 122. *D. eod. l. cum ad præſens* 37. & *duab. ſequent. D. ſi certum petatur*, atque alibi ſæpiùs: v. g. ſi Titius viuit, ſi Conſul factus eſt, ſi filius natus eſt, ſi rex Parthorum duxit vxorem, ſi nauis eſt in portu, ſi Annibal vicit Ad Cannas: quare neque matrimonium, neque quilibet alius contractus ſub conditione de præſenti, aut præterito celebratus, conditionalis eſt, ſed purus & abſolutus. 1

Ex quibus colligit Ponc. *lib. 3. de matrim. cap. 1. n.6.* neque facultatem alienandi rem Eccleſiaſticam ſi cedat in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, neque abſolutionem à cenſuris, ſi feciſti rem, conditionalem propriè eſſe, & non ſuſpendere effectum, quia iam exiſtit, aut non exiſtit illa Eccleſiæ vtilitas, & non expectatur vt futura ſit, & tu rem illam iam commiſiſti. Idem dices de gratia *in forma dignum*, quia iam dignitas eſt, aut non eſt; clauſula ſolita *ſi conſtiterit*, non efficit conditionalem conceſſionem. Denique monet Ponc. dationem in ſolutum iuxta æſtimationem faciendam, non eſſe conditionalem, ſi aliàs non ſit incertitudo, neque ratione quotæ, neque ratione loci; quia ea æſtimatio non reſpicit dationem in ſolutum, ſed vel effuſionem pecuniarum, ſi pluris, vel ſupplementum ſi minus ſit.

Quæres an ſi conditio ſit de re præterita, vel 2

præſenti, quæ tamen futura credatur à contrahente,& diſponente, ſuſpendat effectum.

Reſp. diſtinguendum eſſe, quia ſi diſponens ſciens poſuit conditionem, quæ continet rem quæ iterum fieri poſſit, expectanda eſt, donec iterum fiat,ſi autẽ amplius res fieri nõ poſſit,cõditio habetur pro impleta,vel pro nõ adiecta,ſiue ſciuerit,ſiue non ſciuerit:quare ſi ignorans rem quam pro conditione requiris factam eſſe, futuram adhuc exiſtimans,illius euentum ad tuæ diſpoſitionis validitatem voluiſti, valida erit ea diſpoſitio, & conditio eſt impleta;immò tota diſpoſitio eſt reipſa pura, & abſoluta, non autem conditionalis, niſi nomine tenus. Ita reſpondet Paul. in *l. 11. D. de condition. & demonſtrat. Si iam facta ſunt quæ conditionis loco ponuntur, & ſciat teſtator, quæ iterum fieri poſſunt, expectentur vt fiant; ſi verò neſciat, præſenti debeantur*: qua de cauſa in *priori l. 10.* dixerat Vlpian. *Si ſic legatum ſit, ſi nauis ex Aſia venerit, & ignorante teſtatore nauis venerit teſtamenti facti tempore, dicendum pro impleta haberi. & ſic cui legatum eſt, cum pubes erit, ſimili modo hoc erit dicendum.* Ratio eſt quia teſtator, & quilibet alius diſponens expectabat vt eueniret quod cogitabat,& nondum ſciebat euenisſe, cuiuſque euentum volebat vt ſua diſpoſitio valeret,& effectum haberet; deberetur, v.g. legatum.Atqui hoc iam euenit,neque de alio quopiam cogitabat teſtator, igitur nihil amplius expectandum reſtat; ſi verò ſciens rem quampiam euenisſe, & factam eſſe, illam tamen requirit pro conditione ſuæ diſpoſitionis, aperte oſtendit ſe de alia quapiam re, quam de ea quam iam euenisſe ſcit,ipſum cogitaſſe, eiuſque euentus, qui poſſibilis eſſe ſupponitur, expectandus omninò erit;quæ eſt ratio *l. 9. D. de condit. & demonſtr.* De legato facto à marito vxori *in tempus liberorum*, hoc non eſt intelligendum de his liberis, *quos vxor habuit cùm teſtaretur maritus*, ex *l. 68. D. eod. Si ita legatum eſſet cùm nupſerit, ſi nupta fuiſſet, & hoc teſtator ſciuiſſet,alterum matrimonium erit expectandum, nihilque intererit an viuo teſtatore, an poſt mortem ea iterum nupſerit*; cum enim teſtator ſciuerit priores nuptias Caiæ, atque aduentum nauis ex Aſſirica, & tamen dum condidit teſtamentum,& quidpiam legauit Caiæ cum ea conditione ſi nupſerit, aut ſi nauis ex Aſſirica venerit,non cogitaſſe videtur de nuptiis iam celebratis, aut de naui iam appulſa; fuiſſet enim inepta, & inutilis ea conditionis appoſitio, poſtulatque ratio, vt verba conditionalia de futuro interpretemur, cùm de præſenti, vel de præterito, non niſi impropriè conditionalia ſint: quod ſi res in conditione poſita nequeat amplius fieri, *vt ſi pubes fuerit, ſi mortuus ſit Titius, contraho tecum*; neque enim ſecundò mori, vel iterum pubes fieri poteſt Titius, ſi iam pubes, aut mortuus ſit, quare ſi diſponens ſciuerit Titium mortuum, aut pubetem eſſe,& hanc appoſuit conditionem, illa habenda eſt pro impoſſibili, aut pro non adiecta, quod ſi ignorauerit, habetur pro impleta,cùm de alia non cogitarit diſponens,quam de iſta, quam tamen nondum impletam fuiſſe putabat.

3 Hinc colliges an matrimonium contractum cum conditione de præterito, aut de præſenti, quæ tamen nondum nota eſt contrahentibus, validum ſit. *Contraho tecum ſi nobilis es, ſi centum millia dotis habeas, ſi pater tuus præſes exiſtas, ſi conſenſerit*; illa verò & reipſa nobilis eſt, & dotem poſtulatam habet, atque pater eius dignitatem obtinuit, reuera que iam conſenſit, ea tamen omnia ignota ſunt contrahentibus. Et quidem matrimonium cum conditione de præterito, aut præſenti reipſa poſita validum eſſe conſtat ex dictis, affirmatque S.Thom. *in 4. diſt. 29. quæſt. vn. art. 3. quæſt. 3.* & cæteri deinceps, quod ex doctrina vniuerſali de cæteris contractibus iã tradita certum eſt,& oſtenditur, cùm omnia ad matrimonij ſubſtantiam requiſita reperiantur, adſitque verus conſenſus, iſque abſolutus, cùm non pendeat ex aliquo euentu futuro. Difficultas duntaxat exiſtit, an conſtare debeat contrahentibus, conditionem illam, cui ſuum conſenſum illigatant, fuiſſe reuerà poſitam, ita vt ſuſpendatur ille conſenſus vſque ad notitiam poſitæ eiuſmodi conditionis, quod omninò exiſtimat Coninch. *de ſacram diſp. 29. dub. 1. num. 6.* negatque validum eſſe matrimonium quouſque cognoſcas conditionem fuiſſe appoſitam,quia ad matrimonium requiritur, vt conſenſus contrahentium vtrique notus ſit, quod de cæteris etiam contractibus diximus in opere de vſuris *lib. 3. cap. 2. art. 1.* qui autem ſub conditione ſibi, aut alteri ignota conſentit, neſcit an verè conſentiat, an diſſentiat, cùm eius conſenſus, aut diſſenſus pendeat ex conditione, cuius exiſtentiam ignorat,quare appoſitio conditionis ignoratæ æquiualet illi modo contrahendi, quo diceres, *accipio te in vxorem, vel non accipio*: quomodo nullus dicat contrahi matrimonium, cum non magis conſenſus, quàm diſſenſus ſignificetur.

Reſp. tamen poſita reipſa conditione de præterito, aut de præſenti, matrimonium ſub illa contractum validum eſſe, quamuis nondum contrahentibus illa conditionis exiſtentia nota ſit. Ita Sanch. *lib. 5. de matrim. diſp. 7. num. 2. & 3.* circa hanc conditionem, *ſi pater conſentiat.* Si enim tunc conſenſum reuerà præſtet, licet contrahentes id ignorent,immò exiſtiment diſſentire; ſi tamen verum habent animum contrahendi, validum eſſe matrimonium contendit Sanch. ſequutus Soto *in 4. d. 29. q. 2. art. 1. concl. 2.* vbi ait eam concluſionem nemini eſſe dubiam: eadem eſt mens Corduba *in ſum q. 46.* Lopes *in 2. p. inſtructorij noui, vbi de matrimonio, cap 42.* Hurtado *diſp. 7. de matrim. diffic. 2.* Ferdinand. a Caſtro *de ſponſalib. diſput. 2. punct. 11. §. 1. n. 3.* eſtque euidentiſſima ratio: nam contrahentium conſenſus datur ſub conditionis appoſitæ exiſtentia; non ſub notitia eiuſmodi conditionis: pendet v.g. ab exiſtentia nobilitatis requiſitæ, dotis poſtulatæ, officij, & dignitatis obtentæ, & conſenſus paterni realitate, non à notitia nobilitatis, aut à conditione notæ nobilitatis, dotis, aut paterni conſenſus, neque animus contrahentium eſt, vbi nouero tuam nobilitatem, aut vbi tui patris conſenſum accepero, contraham; ſed iam nunc contraho, ſi reipſa nobilis es, benè dotata, & pater tuus reipſa annuit, qui conſenſus vtrique contrahenti notus eſt, & vterque conſentit ſub exiſtentia, & realitate conditionis, quam apponunt, quæ exiſtentia cùm tunc ſit, non ſuſpenditur in futurum ille conſenſus, ſitque validus, & purus contractus; cùm iam ſit impleta conditio, neque tunc tantùm perficietur, quando innotuerit conditionis poſitæ exiſtentia; quare malè obiicit Coninch. eo caſu neque conſenſum, neque diſſenſum eſſe, & comparat illi formæ contrahendi: *Accipio te in meam, vel non accipio*: nam ibi neque eſt determinatè conſenſus, neque diſſenſus; in noſtro verò caſu eſt determinatè conſenſus, vel determinatè diſſenſus, prout conditio reipſa poſita eſt: quæ omnia confirmantur ex *§. conditiones 6. Inſt. de verbor.*

verbor. obligat. Sipulationes ſub conditionibus quæ ad præteritum tempus efferuntur, ſtatim valent, ſi conditio ſit poſita, aut non valent ſi non exiſtat conditio. Rationem reddit Imperator: *Quæ enim per rerum naturam ſunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta ſunt*: quæ eadem dixit *l. 37. D. de reb. credit. Quamuis*, inquit, *contrahentes conditionem ignorent.* Verum quidem eſt propter incertitudinem rei in conditione tunc poſitæ, non poſſe magis agi ex ea ſtipulatione, quamuis pura ſit, quàm ſi eſſet merè conditionalis; valida tamen eſt ſtipulatio, ex eaque naſcitur obligatio: quare non poterunt iſti contrahentes vti ſuo matrimonio, donec ipſis de exiſtentia conditionis appoſitæ conſtiterit, erit tamen validum matrimonium, neque ab illo poterunt diſcedere intereà dum expectatur illa notitia, huc referas illud Taciti *lib. 2. annal. Veritas viſu, & mora falſa feſtinatione, & incertis valeſcunt.*

QVÆSTIO III.

Quid operetur conditio de futuro contractibus, & diſpoſitionibus adiecta.

Quotuplex conditio de futuro. 1.
Omnis conditio de futuro ſuſpendit contractum, & quomodo. 2.
Conditio de futuro quatenus incerta contrahenti, ſuſpendit contractum. 3.
Idem facit conditio poteſtatiua. 4.

1 CONditio de futuro duplex eſt, vna de futuro neceſſario, altera de contingenti, quod iterum duplex diſtinguitur: nam vel nobis certò, & determinatè futurum eſſe conſtat, vel incertum nobis eſt, euenturumne ſit, an non, & hæc incertitudo naſcitur aliquando ex ipſa natura rei quam incertum eſt, an futura ſit, aliàs ratione temporis, quia certum qoidem eſt rem fore, ſed incertum quo tempore ex iſtis: v. g. *ſi Titius pubes fuerit, ſi Caius morietur*: nam qoamuis certum ſit annum decimomquartum maſculis, & annum duodecimum in fœminis eſſe tempus pubertatis, incertum tamen eſt an Titios ad illud tempus pubertatis peruenturus ſit, fortaſſis enim ante illos annos morietur: eiuſdem Titij mors certò quidem futura eſt, tempus verò qoo continget, dubium nobis & incertum eſt. His obſeruatis.

2 Reſp. & dico primò conditionem de futuro ſiue neceſſariò, ſiue contingenti ſuſpendere obligationem, & conſenſum in euentum conditionis, ſi contrahentes illi ſuum conſenſum ita alligent, vt omninò velint poni conditionem antequam contrahant obligationem, & vſque ad conditionis impletionem ſuſpendant ſuum aſſenſum, neque tunc contractus purus eſt; ſed omninò conditionatus. Ita omnes, vti videbis apud Turrianum. *2. 2. diſp. 55. dub. 9.* Rebell. *2. p. lib. 2. q. 10.* Ratio eſt quia conſenſus, & obligatio ex illo conſequens pendent ex libera voluntate contrahentium, qui poſſunt pro arbitrio ſuum conſenſum præſtare purum aut conditionatum, & illum cui libuerit rei obligare, quod contingere ait Lugo *diſp. 22. de iuſtit. num. 336.* qoando contrahentes ignorant conditionem eſſe neceſſariam, tunc enim cenſentur illam eodem modo adhibere, ſicot & cæteras contingentes, idemqoe contingit quando res licet in ſe neceſſaria, eſt tamen incerta contrahentibus, vt eclypſis futura, eiuſque dies; in his enim omnibus ponitur iſta conditio verè & propriè ex mente contrahentium, & illam ponentium, quod docet Sanch. *lib. 5. de matrim. diſp. 2. num. 3.* nihilominus.

Dico ſecundò, niſi conſtet de illa intentione contrahentium, vel ex coniecturis à nobis allatis colligatur, conditionem de ſuturo neceſſario diſpoſitioni appoſitam non ſuſpendere conſenſom, & obligationem in conditionis euentum, ſed relinquere diſpoſitionem puram, & abſolutam; quia præſumitur a iure non apponi iſtas conditiones in vim conditionis veram, & ſuſpenſiuam, ſed in vim potius temporis, hoc eſt, contrahentes illo loquendi modo definire tempus quo volunt exequi promiſſa. Ita definitur in iure §. *conditiones. Inſtit. de verbor. obligat. Quæ enim per rerum naturam ſunt certa non morantur obligationem, licèt apud nos incerta ſint.* Et *l. ſi pupillus 9. D. de nouat. Qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omni modo extitura eſt, purè videtur ſtipulari. L. impoſſibilis 7. D. de verbor. obligat. in fine. Si talis conditio inſeratur ſtipulationi, ſi in cœlum non aſcenderit; nam vtilis & præſens eſt, & pecuniam creditam habet*: vbi Vlpian. diſtinguit inter duas iſtas conditionales, *ſi in cœlum aſcenderit*: & *ſi non aſcenderit in cœlum*: prior enim illa inutilis & impoſſibilis eſt, poſterior verò vtilis & neceſſaria, ideóqoe præſentem atque puram obligationem facit, quod magno conſenſu docent Theologi, & periti iuris; benè multos enumerat Sanch. *citata diſp. 2. n. 2.* Ratio id ipſum demonſtrat, quia cùm illa conditio, etſi adhuc futura, ſit tamen determinata in ſua cauſa naturali, ſitque impoſſibile aliquid oppoſitum contingere, cenſetur in morali hominum exiſtimatione præſens & completa, atque adeò neque conſenſum, neque obligationem ſuſpendit, ſed eius duntaxat exequutionem moratur vſque ad tempus, quod in illa conditione implicatur: v. g. *contraho ſi ſol orietur cras, ſi Titius morietur*; iam nunc meo contractu obligor, ſed non teneor illum exequi, niſi dum cras ſol orietur, & dum Titius morietur. Itaque ſapienter monet Sanch. videndum eſſe, an conditio illa adhibeatur verè per modum, & in vim propriæ conditionis, an per tanquam temporis prædefinitionem, quo vel ſuſcipienda, vel implenda eſt iam prius ſuſcepta obligatio, faciatque hunc ſenſum. *Contraham tecum quando ſol orietur, quando Titius morietur*: aut hunc potius: *Contraho tecum ſi ſol orietur, ſi Titius moriatur*: in priori loquendi modo nondum fit contractus, ſed ſuſpenditur: in ſecundo iam fit contractus, ſed eius exequutio in tempus certum reiicitur: quare attendendum maximè erit quænam extiterit contrahentium mens.

Dico tertiò conditionem de futuro contingenti & non neceſſario eatenus ſuſpendere conſenſum & obligationem in ipſius euentum, quatenus eius futuritio incerta eſt contrahenti: Hac vniuerſali doctrina compono DD. diſſidia; cùm cùm enim conditio propria ſit ex §. *ſub conditione. Inſtitut. de verbor. obligationibus*, cùm in aliquem caſum differtur obligatio ſtipulationis, alteriuſve diſpoſitionis, vt ſi aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur ſtipulatio, illud duntaxat erit propria conditio, quod euenire, aut non euenire poterit, ac proinde quod nobis incertum eſt, vt eueniat, aut non eueniat. Quandiu igitur res quæ 3

pro

pro códitione apponitur, incerta ſub aliqua ratione erit, & impedibilis, vera & propria conditio erit ſecundùm illam incertitudinem: quod ſi ſit nobis omninò certa futura, quia eſt inimpedibilis, non erit conditio, neque ſuſpendet diſpoſitionem; quia habetur pro præſenti, & iam impleta, neque ponit in incerto vtrum res debeatur, aut non, vi illius contractus, ſed duntaxat quando debeatur: quod contingit quando in conditione dies & tempus incertum apponitur: nam aliquando dies certus eſt, incertum tamen eſt an futurus ſit, aliàs certum quidem eſt tempus deſignatum futurum eſſe, incertum autem quando erit: pro illa igitur certitudine, aut incertitudine ſuſpenderetur per conditionem appoſitam contractus: quæ omnia clariùs ſubiectis exemplis demonſtrabuntur; nam in ea conditione pubertatis requiſitæ, v. g. *Contraho tecum ſi pubes fueris:* tempus pubertatis certum quidem eſt, incertum tamen an illa pubertas aliquando futura ſit, cùm dies ille pubertatis venire & non venire poſſit; quare pubertatis conditio propria eſt & ſuſpendit contractum vſque ad pubertatis annos, quod dilertè affirmat Paul. *l. ſi dies* 21. & Pompon. *l. ſi Titio* 22. *D. quando dies legat. cedat.* Ideóque magnum diſcrimen eſt inter neceſſariò futura, & naturaliter, hoc eſt non liberè futura: neceſſariò futura nominant, quæ non eſſe non poſſunt; quia non ſunt impedibilia per cauſas naturales, vt ortus Solis die craſtino: alia verò licèt naturaliter, hoc eſt per cauſas naturales, & independenter à cauſis liberis futura ſint, non tamen neceſſariò, quia impediri poſſunt aliarum cauſarum naturalium concurſu, & ſæpiſſimè impediuntur; vnde fit vt & incerta ſint, non modo nobis qui futura non nouimus, ſed etiam in ſeipſis, cùm ex legibus ordinariis, & communi ſtatu rerum impedibilia ſint, & fortaſſis impedienda, quare euenire, & non euenire poſſunt. Itaque dum conditio in illorum euentum ponitur, verè ſuſpendit diſpoſitionem, cui apponitur: at verò quæ neceſſariò futura ſunt, & nullo cauſarum naturalium communi concurſu impedibilia, cùm nullam incertitudinem habeant, certoque, omnique modo futura ſint, non magis morantur obligationem ex inſcitia noſtra, quàm morentur præterita, & præſentia. Itaque ſi futura ſunt, non apponi cenſentur, niſi ad deſignandum tempus executionis, niſi alia fuerit mens contrahentium, vti nuper monuimus.

Quando autem tempus in conditione poſitum certò quidem futurum eſt, & nulla cauſa naturali impedibile, incertum tamen quandonam erit, vt *contraho tecum ſi morieris, ſi Titius morietur*; mortem enim tum tuam, tum Titij futuram eſſe certum eſt, immò & ex naturalibus cauſis neceſſarium; tempus nihilominus incertum eſt; poterit enim mors contingere viuentibus contrahentibus, aut mortuis, videndum itaque erit an tempus illud habeat vim conditionis ſuſpenſiuæ propter illam incertitudinem, an verò ſit tantùm præfixum ad exequutionem, quia eo tempore nequit contrahi obligatio ſi prius contracta non fuerit. Primum contingit quando in conditione aſſignatur mors alicuius tertij, & diſtincti ab eo cum quo contrahimus: *Lego tibi centum, contraho tecum ſi Titius moriatur; duco te in vxorem ſi pater moriatur*; quia enim incertum eſt an Titius moriatur viuente, aut mortuo eo cum quo contraho, vim habet conditionis, & reuerà ſuſpendit contractum, quare *ſi tibi do, & lego centum ſi Titius moriatur*, & tu prior illo moriaris, nulla erit illa donatio aut legatum, cùm mortuus incapax donationis & legati ſis, quod traditur *l. 21. D. quando dies legati cedit.* dicitur legatum ex die certa, vel conditione non pertinere ad nos, niſi dies illa & conditio exiſtat; igitur legatum de quo loquimur, ad te non pertinet, niſi mortuo Titio, atqui cùm tu tunc non exiſtas in viuis, legatarius eſſe non potes. Verùm diſtinctius loquitur Pomponius in *l. 1. §. 2. D. de condition. & demonſt. Dies autem incertus eſt*, inquit, *cùm ita ſcribitur; hæres meus cùm morietur decem dato: nam diem incertum mors habet eius, & ideò ſi legatarius ante deceſſerit, ad heredem eius legatum non tranſit, quia non ceſſit dies viuo eo, quamuis certum fuerit moriturum heredem.* Similia habet Papinian. *in l. 79. §. 1. D eod. Hæres meus cùm ipſe morietur centum Titio dato: legatum ſub conditione relictum eſt; quamuis enim heredem moriturum certum ſit, tamen incertum eſt an legatario viuo dies legati non cedat, & non eſt certum ad eum legatum peruenturum.* Hinc ſic matrimonium contractum ſub conditione ſi pater moriatur, conditionale eſſe, & proinde ſuſpendi ad mortem vſque patris exiſtimat Pont. *lib. 3. de matrim. cap. 1. n. 10.* aduersùs Sanch. *lib. 5. diſp. 2. n. 5. & 6.* neque per illas particulas præfigi duntaxat tempus contrahendo matrimonio.

Quando autem aſſignatur tempus eius cum quo contrahitur, aut cui promittitur vel donatur quidpiam, aut relinquitur legatum: *Centum tibi do, lego, tecum contraho ſi morieris*, eſt purus contractus, & legatum, aliáue diſpoſitio, *neque conditione ſuſpenditur, ſed mora*, vt loquitur. Papinian. *l. 99. init. citata*, & purum eſt legatum; non poteſt enim conditio non exiſtere, omniaque hoc loco certa ſunt, nam & certum eſt moriturum, & viuente eo cum quo contrahitur, aut legatario, illius enim conditionis *ſi morieris*, aut *ſi morietur*, ſenſus non eſt, *cùm mortuus fueris*, aut *cùm mortuus fuerit*, eſſet enim impoſſibilis conditio, *ſed cùm animam aget, cum erit in extremis*, tunc igitur debebitur & perficietur contractus, qui refertur in diem mortis in quo contrahendus eſt: quare cùm certum ſit legatum, viuenti debitum erit, & conditio illa non ponit debitum in incertum, nec ſuſpendit actum, ſed moratur tempus eius celebrationi deſtinatum. Hinc vides quid ſentiendum de illa conditione; *Contraho tecum, do centum, accipio te in vxorem ſi Antichriſtus naſcetur*: nam purum contractum eſſe exiſtimat Sanch. *citata diſp. 2. n. 6.* cui ſubſcripſit Rebell. *2 part. lib. 2. q. 10.* Ferdinandus à Caſtro Palao *diſp. 1. de ſponſalib. punct. 10. §. 2.* cùm non minus certum ſit ex fide naſciturum Antichriſtum, quàm Solem cras oriturum. Couarruu. tamen in *4. decretal. 2. part. cap. 2. §. 1. num. 11.* Henric. *lib. 11. cap. 12. n. 14.* Pont. *lib. 3. de matrim. cap. 1. n. 13.* & alij volunt contractum eſſe conditionalem, quia licèt certum ſit Antichriſtum naſciturum eſſe, incertum tamen eſt, quo tempore & die naſciturus ſit, contingereque poteſt, vt non naſcatur viuo eo quo cum contrahitur, aut donatario, legatario, aut alio eiuſmodi, in cuius gratiam diſponitur: quæ ſententia verior mihi videtur, niſi alia ſit mens contrahentium, & faciunt hunc ſenſum quem Ferdinand. & de Lugo *diſput. 22. citata num. 33.* explicant: *Contraho ſi Antichriſtus naſcatur*: id autem infallibile eſt, & a me cognitum, neque à me aſſignatur natiuitas Antichriſti, tanquam conditio mei conſenſus, aut tempus illius exequendi, ſed per modum demonſtrationis,

vt

vt quàm certum eſt Antichriſtum naſciturum eſſe, tam certum etiam eſt te contrahere, polliceri, dare, legare Titio, aut Caiam in vxorem ducere, qua ratione certum eſt omnem illam diſpoſitionem puram, & abſolutam eſſe, non conditionalem: vel hoc modo; *Contraho, promitto, lego, ſi certum eſt Antichriſtum eſſe naſciturum*: quæ conditio præſens eſt, & facit actum abſolutum, vti docuimus, atque aliquo ex illis modis licebit hæc verba interpretari, niſi alia ſit intentio contrahentium, qui reuerà poſſunt eam conditionem ſuſpenſiuè apponere, inquit de Lugo. Quibus omnibus adde contractui, & obligationi puræ non repugnare ſuſpendi morâ, ſed ſolùm ſuſpendi conditione, vti oſtendimus: quare id diligenter obſeruandum erit in diſpoſitionibus, in quibus aliqua per modum conditionis adiiciuntur.

4 Dico quartò conditiones merè contingentes, & honeſtas, ſiue poteſtatiuas, ſiue caſuales, ſiue mixtæ ſint, ſuſpendere diſpoſitionem cui adiiciuntur vſque ad euentum conditionis. Loquor de honeſtis conditionibus, quia ſæpius turpes habentur pro non adiectis, quod inquiremus inferiùs. Conſentiunt omnes in hanc vniuerſalem aſſertionem, & ſingillatim cùm diſputant de matrimonio, de quo tamen quæſtio nobis erit inferiùs. Colligunt etiam ex capite *de illis, cap. ſuper e, cap. fin. de conditionibus appoſitis*, eſtque euidentiſſima ratio, quia contrahentes non habent animum contrahendi & ſeſe obligandi ante euentum conditionis quam ipſi apponunt ſuæ diſpoſitioni, cuius effectum in illam ſuſpendi omninò volunt.

QVÆSTIO IV.

De conditionibus tacitis, & quæ inſunt contractibus, ac pactis.

Quid ſit tacita conditio. 1.
Non facit actum conditionalem. 2.
Etiamſi exprimatur. 3.
Niſi aliter exprimatur quàm quomodo tacitè ineſt. 4.
Et ſic aliquando nocet. 5.
De ſingularibus quibuſdam conditionibus. 6.

1 Diuidebamus *quæſt.* 14. conditiones in intrinſecas, & extrinſecas: iſtæ ſola voluntate contrahentis & diſponentis adiiciuntur, & idcircò ſpecialiter exprimuntur, illæ verò inſunt contractui, & diſpoſitioni, neque exprimi à diſponente neceſſe eſt: neque enim velle aut impedire poteſt ne inſint diſpoſitioni, vel ex natura rei, vel conſtitutione legis, & iuris; naturâ quidem quando relinquitur immutatum, quod ipſa natura actus & diſpoſitionis exigit, vt *contraho tecum ſi conſenſeris, duco te in vxorē ſi nihil ſit quod iure natura impediat*, vel ſi nihil ſit contra ſubſtantiam matrimonij; *lego tibi partum ancillæ, aut fructus ex fundo Tuſculano*: ſubintelligitur enim ex natura rei ea conditio, ſi ancilla pariat, ſi fundus Tuſculanus ferat fructus. Iure verò inſunt tacitè contractui, ac diſpoſitioni, quæ ad ipſius valorem ius requirit: v. g. *contraho tecum matrimonium ſi non es conſanguinea, ſi non es voto ſolemni adſtricta*, quia ius tale matrimonium irritat. Sic dum filius grauatur hæreditatem reſtituere, intelligitur à iure ſi ſine liberis decedat, *l. cùm onus* 102. *D. de condition. & demonſtrat.* Quando conditio fuit appoſita inſtituto, iure ipſo cenſetur appoſita ſubſtituto *l. licet* 74. *D. de legatis* 1. In inſtitutione legati & fideicommiſſi iure communi intelligitur, ſi adeatur hæreditas, *l. hæredis* 7. *D. quando dies legati cedat*, nihil enim poteſt accipere ex eo teſtamento ex quo hæreditas adita non fuerit *l.* 1. *D. de iniuſto rupto teſtamento.* & *l. eam quam, C. de fideicommiſſis*; quæ exempla adducit Ponc. *lib.* 3. *de matrim. c.* 2. *num.* 1. & Donell. *lib.* 8. *cap.* 31. vbi vide Oſualdum eius enucleatorem. Quæritur itaque, an conditiones iſtæ quæ inſunt intrinſecè contractui, & diſpoſitioni, idcóque dicuntur ineſſe diſpoſitioni, faciant illam conditionalem, maximè ſi exprimantur à diſponente.

Reſp. & dico conditiones, quæ vel ex natura rei, vel legis conſtitutione inſunt diſpoſitioni, non facere illam conditionalem, quamuis exprimantur à diſponente, niſi exprimantur aliter, quam inſint: quinimmò ſi contra prohibitiones legis aliquando exprimantur, nocent diſpoſitioni. 2

Hæc aſſertio communi DD. ſenſu comprobatur, & ratione euidenter oſtenditur: & quidem quando iſtæ conditiones tacitè inexiſtentes non exprimuntur, non faciunt contractum, legatum, aut aliam diſpoſitionem conditionalem: quia voluntate diſponentis non ſunt conditiones, cùm ſiue velit, ſiue nolit diſponens, illæ inſint diſpoſitioni: proinde voluntas diſponentis abſoluta eſt, vultque ſtatim ſuam diſpoſitionem ſuum habere effectum, neque ipſum ſuſpendit in aliquem euentum. Ita Ponc. *capitulo* 2. *citato, n.* 3. Mihi ratio petenda videtur ex natura harum conditionum: cùm enim debeant neceſſariò ineſſe diſpoſitioni, vel ex natura, vel ex legis poteſtate, ſi inſunt, ſtatim valet diſpoſitio, cùm in nullum alium euentum ſuſpendatur à diſponente. Si autem non inſunt, nulla eſt diſpoſitio, nullamque parit obligationem, quæ proinde nō manet in ſuſpenſo, ſed nulla eſt. Itaque cùm deinde ponetur conditio, ſi poni poſſit, nouus erit contractus celebrandus: v. g. vbi erit ſublatum impedimentum naturale, vel poſitiuum matrimonij, quod ratione illius nullum erat, iterum erit contrahendum: quare manifeſta eſt differentia inter conditionem appoſitam ſola voluntate diſponentis, qui in illius euentum ſuſpendit ſuam obligationem, & illam quæ ex natura rei, aut poteſtate legis ineſt: in priori enim valida eſt diſpoſitio cùm quoad obligationem non pendeat à conditione futura: in poſteriori ſi conditio adſit, pura & abſoluta eſt diſpoſitio, ac proinde ſtatim naſcitur obligatio; ſi verò conditio non adſit, nulla eſt diſpoſitio, & quando ponetur conditio, noua diſpoſitio facienda erit. Sic quando quis legat partum ancillæ, aut fructus ex fundo Tuſculano, legatum illud habet intrinſecam conditionem, partum ex ancilla naſciturum, & fructus ex eo fundo prouenturos: legatum tamen abſolutum eſt, quamuis legatario expectandum ſit tempus partus, & fructuum: Si verò legatarius decedat ancilla nondum enixa, aut nondum perceptis fructibus, aut nondum adita hæreditate, non intercidit tamen legatum, ſed tranſit ad hæredes, quod non contingeret, ſi legatum fuiſſet conditionale ex voluntate ſolius teſtatoris: nam ſi ante impletam conditionem illā legatarius obiret, periret legatum, ſiuè cederet dies legati, & non tranſiret ad hæredes, *l.* 5. §. 1. *D. quando dies legati cedat*; & *l. intercidit.* 59. *D. de condition. & demonſt.*

Digitized by Google

demonſt. & quod de ædítione hæreditatis dixit Vlpian. *in l.7. D. quando dies legat. cedat; aditio hæreditatis moram quidem facit legati petitioni, ceſſioni dies non facit*; quia quamuis ante aditam hæreditatem peti nequeat, ac proinde non dicatur deberi, legatarius tamen vi legati facti ius obtinet, & illud tranſmittit ad hæredes, ſi ante aditam hæreditatem ipſe moriatur: quod oſtendit aditionem hæreditatis quæ poſtulatur ex natura teſtamenti, non facere legatum illud, aut teſtamentum conditionale.

3 Dixi ſecundò expreſſionem harum conditionum quæ inſunt diſpoſitioni non facere illam conditionalem, eſtque euidens ratio; quia eiuſmodi conditiones cùm iam inſint, fruſtrà & inutiliter exprimuntur, & perinde ſe habent, ac ſi expreſſæ non eſſent; quod Proculus de hac conditione; *Cornelius, & Manius vter eorum volet, hæres eſto*: affirmat *l. 69. D. de hæred. inſtit. Illam adiectionem*, inquit, *vter eorum volet, ſuperuacuam puto, id enim etiam ea non adiecta futurum fuit, vt vter vellet, hæres eſſet, vter nollet, hæres non eſſet*: quia nempe hæreditas non defertur niſi volenti, quando nimirum hæres eſt extraneus, & non neceſſarius. Cùm igitur in inſtitutione hæredis extranei ſubintelligatur neceſſariò conditio ſi volet, ſuperuacaneè fuerat expreſſa à teſtatore, *l. ſeruo 47. D. de condit. & demonſt. Seruo libertatem ita dedit ille; ſi meus fuerit, liber eſto, legatum vel hæreditatem ſine conditione ei dedit*: quia nempe ea conditio, *ſi meus erit*, poteſtate legis inerat, cùm nemo poſſit aſſequi directam libertatem, niſi qui teſtatoris fuerit, & quando condit teſtamentum, & quando moritur. Qui igitur dicit, *Lego Caio fructus ex fundo Tuſculano ſi naſcentur, fundum dari volo Titio ſi adierit hæreditatem*, nihil magis dicit quàm ſi abſolutè dicat, *lego fundum Titio, lego fructus fundi Tuſculani*.

4 Excipio tamen ab hac vniuerſali doctrina caſum in quo conditio, quæ inerat diſpoſitioni, aliter exprimitur quàm inſit; idcóque aliter omninò intelligitur, quàm ſi non fuiſſet expreſſa; quia reuerà tunc non eſt eadem expreſſa conditio, quæ erat tacita, cùm diuerſum ſenſum faciant, idcóque diuerſum quid operentur, & vna ſit conditio inexiſtens, alia reuerà ſit conditio, poſita voluntate teſtatoris, quæ prius non erat: quare mirum non eſt ſi hæc expreſſa conditio faciat conditionalem diſpoſitionem, quam non faciebat tacita, & tunc non fruſtra adiicitur; *& non ſolùm figuram, ſed vim quoque conditionis continet*, vt loquitur Proculus *in l. 69. D. de hæred. inſtit.* Idcircò ſapienter Vlpian. *in l. in conditionib. 19. D. de conditionib. & demonſtrat.* diſtinguit an teſtator ſimpliciter conditiones, quæ inſunt exprimat, tunc enim conditionem non inferunt, an verò *hoc animo fuerit, vt faceret conditionem*; nempe quidpiam adiiciendo, aut exprimendo, quod reuerà non inerat, eodem ſaltē modo. Et Marcell. *in l. 47. D. eod.* docet *ſæpenumero mutari rei effectū, quamquā id expreſſerit teſtator, quod etſi non feciſſet, ineſſet tamen*. Quod videmus in legato & in inſtitutione hæredis, in quibus illa conditio *ſi voluerit, do, lego Titio ſi voluerit, Caius ſi voluerit hæres eſto*; aliud expreſſa dicit quàm tacita; nam quamuis in legato ſemper tacitè inſit, *ſi legatarius voluerit*, cùm beneficium non detur inuito, *l. hoc iure, §. non poteſt. D. de donat.* quia tamen legatum etiam acquiri poteſt ignoranti *l. cùm pater 77. §. ſurdo & muto, l. legatum. &. D. de legat. 2.* & *l. ſi tibi 86. §. cùm ſeruus. D. de legat. 1.* quamuis deinde agnitum poſſit repudiare ſi lubeat, conditio illa, *ſi voluerit*, expreſſa aliquid aliud operatur, quàm tacita; non enim ſignificat tantùm illum poſſe repudiare legatum, ſed etiam eius non fieri hæres, niſi ſuam voluntatem acceptandi legatum expreſſerit: aut potius vult teſtator illam conditionem, & factum perſonæ, neque ad hæredes tranſire, cùm ſit alia voluntas hæredis, alia defuncti, quod benè obſeruat Duaren. ad *l. 3. D. de legatis*; & tradit Caius *in l. 69. D. de condit. & demonſt. Si ita expreſſum fuerit; Titio, ſi voluerit do, lego, apud Labeonem Proculus notat non aliter ad hæredem legatarij pertinere, quam ſi ipſe legatarius voluerit ad ſe pertinere, quia conditio perſonæ iniuncta videtur.* Itaque legatum collatum in voluntatem legatarij, ante declarationem non tranſmittitur ad hæredem, vti tranſmitteretur ſi non fuiſſet in voluntatē legatarij collatum: tunc enim ante declarationem illius, fuiſſet illi acquiſitum, & ad hæredes eius potuiſſet tranſmitti. Vides igitur hanc conditionem in legatis, *ſi voluerit*, aliud operari expreſſam, quàm tacitam, atque ita non eſſe prorſus eandem. Similiter in hæredis inſtitutione conditio *ſi voluerit*, expreſſa aliud operatur, quàm tacita, dum agitur de ſuo, & neceſſario hærede: tunc enim ex neceſſario facit voluntarium. At verò ſi agatur de hærede extraneo, inutiliter adhibetur, vt monebat Proculus in *l. Cornelius 69. D. de hæred. inſtituend.* quia eá non expreſſa extraneus non fiet hæres, niſi voluerit, & illi non acquiritur hæreditas, niſi deſtinatione animi; neceſſariò verò, & ſuo etiam ignoranti adquiritur.

Dixi vltimò nonnumquam conditionis generalis, quæ tacitæ ineſt, expreſſionem prohiberi à lege, & tunc ſi exprimatur, nocere diſpoſitioni. 5
Exemplum habes in exhæredatione filij: cùm enim in illa inſit conditio inſtitutionis alterius hæredis, non enim exhæredatur filius, niſi alius hæres teſtamento ſcriptus fuerit; ſi tamen quis dicat; *cùm Titius hæres fuerit, filius exhæres eſto*: nulla erit exhæredatio. Cauſam inquirunt Duaren. ad *l. 3. D. de legat. 1.* & Oſuald. *in notis ad c. 32. lib. 8. Donelli*, quia ex *l. 3. §. 2. D. de liberis & poſthum.* prior debet eſſe exhæredatio filij quàm inſtitutio extranei, nec poteſt eſſe hæres extraneus, niſi exhæredato filio: quando autem teſtator ait, *ſi hæres Titius, filius exhæres eſto*: videtur velle Titium prius eſſe hæredem, quàm filij exhæredationem, nam conditio prior eſt ratione, actu qui ſub illa conditione diſponitur. Simili ratione cùm ius prohibeat dari tutorem ſub conditione *l. actus legitimi 77. D. de regul. iur. l. muto 6. §. 1. D. de tutel.* conditio tacita quæ ineſt tutelis, ſi exprimatur, nocet *l. qui in teſtamento 37. D. de excuſation. tutor.* idcircò conditionem illam adiectam tutelæ, *ſi ſatiſdederit*, negat veram conditionem eſſe Vlpian. *in l. muto 6. §. 1. D. de tutel.* ſed monitionem, nec aliter ei permitti geſtionem tutelæ, quàm ſi cauerit rem pupilli ſaluam fore. Denique in omnibus actibus legitimis, de quibus *l. 77. D. de regul. iur.* conditio tacita ſi exprimatur, nocebit, cùm eiuſmodi actus non recipiant conditionem, vt ibidem dicitur.

Ex his colliges primò an hæc conditionalis, 6
contraho tecum ſi Deus voluerit, faciat matrimonium conditionale, de quo Sanch. *lib. 5. diſput. 1. num. 11.* ſi enim intelligatur tantùm de voluntate quadam generali Dei, & beneplaciti, quæ in omnibus, quæ fiunt, reperitur, non eſt actus conditionalis, cum illa inſit omni actui. Si autem de vo-

luntate

luntate approbationis, quàm ſibi conſtare vult contrahens aliquo modo licito, erit vera conditio, & ſuſpendetur actus, donec de diuina voluntate conſtiterit.

Secundo illa conditionalis, *ſi Eccleſia placuerit*, ſuſpendit actum; quia ſenſus eſt, ſi conſtiterit non obſtare aliquam prohibitionem Eccleſiæ, aut ſi Eccleſia approbauerit, facto nempe examine impedimenti, quod ſubuereor, aut eius diſpenſatione.

Tertiò confero beneficium, *ſi es idoneus*, non ſuſpendit collationem; eadem enim conditio, & eodem modo tacitè inerat; ſecus verò, *ſi inuentus fueris idoneus*: quia eſt noua conditio, & petitur informatio, quæ iure non inerat: quod fuſiùs oſtendit contra quoſdam Canoniſtas Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 33. *n.* 4. plures multò, quos ſequatur, allegans.

Quandò conditio, *ſi non es conſanguinea, ſi non eſt impedimentum*; nihil magis expreſſa, quam tacita efficit in matrimonio, ſecus verò ſi dicat, *ſi non inuenta ſis conſanguinea, aut nullum inueniatur impedimentum*, vt modò monebam cum Sanche. Denique conditio, *ſi potero*, eſt generalis omnibus diſpoſitionibus, & ſi exprimatur, nihil addit niſi ſignificetur certa aliqua poteſtas particularis, ratione rei, de qua agitur expreſsè. Vide *l. nepos* 125. *D. de verb. ſign.* & Senec. *lib.* 4. *de benef. c.* 35. & 39.

QVÆSTIO V.

De conditionibus impoſſibilibus, & ſubſtantiæ actus contrariis.

Conditiones quæ obligant ad aliquid contradictoriè oppoſitum obligationi radicali actus, illum deſtruunt. 1.

Secus verò ſi non apponantur per modum pacti & obligationis, ſed ſuſpenſiuè tantùm. 2.

Aliquando illæ conditiones poſitæ per modum pacti contractum in alium mutant. 3.

Conditiones impoſſibiles irritant contractũ. 4.

Quid in teſtamentis. 5.

Quid in matrimonio. 6.

IMplicatiſſima eſt iſta difficultas propter diuerſas, vt videtur, iuris definitiones, eam tamen nos tutiſſimè explicuimus *opere de vſuris & comm. libro* 3. *cap.* 2. *art.* 4. *in regula* 4. quibus nihil hoc loco adiiciendum occurrit, quare reddam tantùm compendio, quæ fuſius ibidem proſequutus ſum.

1 Dico igitur primò conditiones contra ſubſtantiam actus cui adiiciuntur, illum deſtruere, quoties directè, adæquate, & contradictoriè opponuntur materiæ proximæ circa quam ſubſtantialiter verſatur ille actus, atque obligationem pugnantem cum obligatione ſubſtantiali ſaltem, aut radicali illius actus afferunt, ſiue quando eiuſmodi conditiones apponuntur per modum pacti, & obligationis, & non executionis tantùm; quia implicat ſimul ex eodem conſenſu, eademque cauſa & radice, duas obligationes inuicem contrarias & ſeſe deſtruentes oriri; neque fieri poteſt, vt quis velit ſimul ſe obligare ad oppoſita contradictoriè; ſed ſi vult ſe obligare ad vnum, eo ipſo non vult ſe obligare ad oppoſitum; quod tamen fieret in noſtro caſu: nam contrahens obligaret ſe vi contractus ad materiam proximam, & ſubſtantialem contractus, & ſimul ad aliquid illi materiæ oppoſitum, illamque deſtruens, ſiue cum ipſa incompoſſibile: v. g. qui celebraret contractum venditionis cum conditione & pacto non transferendi dominium rei venditæ in emptorem, neque ſe obligandi ad illam tranſlationem obligatione radicali; ſe obligaret ſimul ad duo oppoſita, & incompoſſibilia, nempe ad tranſlationem dominij rei venditæ, & ſimul ad non tranſlationem, & ad non accipiendam vel contrahendam obligationem radicalem talis tranſlationis, quæ tamen obligatio transferendi dominium eſt de eſſentia venditionis, cuius materia proxima, & circa quam verſatur ſubſtantialiter, eſt tranſlatio dominij, ad quam ſe ſaltem radicaliter obligat venditor. Simili ratione contractus matrimonij ſub conditione non transferendi dominiũ corporum ad vſum coniugalem, neque ſe obligandi ad illum vſum obligatione etiam radicali, nullus & chymericus eſt; quia ea conditio ſiue pactum, & obligatio adiecta huic contractui, pugnat directè & contradictoriè cum materia proxima circa quam verſatur ſubſtantialiter matrimonium, nẽpe pugnat cum tranſlatione dominij corporum, & radicali obligatione, quæ primò, & per ſe intenditur, & ponitur per matrimonium. Eadem de cauſa conditiones quæ afferunt obligationem faciendi aliquid oppoſitum obligationi, quam exigunt bona matrimonij, fides nimirum, proles, & Sacramentum, faciũt matrimonium irritum, quia ſimul idem matrimonium obligaret ad duo oppoſita & incompoſſibilia, indiſſolubilitatem nẽpe, fidem, & ad non vitandã prolis generationem, atque ad diſſoluendum matrimonium, frangendam fidem, & vitandam modo illicito prolis generationem, aut ad aliud quidpiam contra prolis bonum: atque ita interpretor legẽ Pontificiam *cap. final. de condition. appoſitis*, vbi ait vitiari, & impediri matrimoniũ per conditiones eius ſubſtantiæ contrarias.

2 Dico ſecundò conditiones actus, & contractus ſubſtantiæ contrarias, quando non apponuntur per modum, pacti, & obligationis; ſed per modũ duntaxat ſimplicis conditionis, & propriè dictæ, non vitiare actum, ſiue contractum, ſed ſuſpendere ipſius perfectionẽ, donec poſitæ, & præſtitæ fuerint: quam aſſertionẽ demonſtrat harum conditionum natura, cùm enim nullam inducant obligationem contrariam contractui, ſed illum ſuſpendant, donec conditio poſita fuerit, illis deinde ſuperuenire poteſt contractus abſque vlla incompoſſibilitate; illa ſiquidem fingi nequit niſi inter duas res ſimul exiſtentes: atqui contractus non reperitur cum illa conditione, ſed illam prærequirit, quando autem conditio ponitur per modum obligationis, illa ſimul exiſtit cum obligatione ſubſtantiali contractus, cum qua tamen contradictoriè pugnat, ac proinde in eo conſenſu & contractu inuoluitur quædam eſſentialis repugnantia, vt nuper explicuimus. In omnibus igitur conditionibus quæ videntur eſſe contra ſubſtantiam contractus cui apponuntur, diſquirendum diligenter eſt, an ponantur per modum veræ conditionis, & ſuſpendant tum conſenſum, tum ipſius contractus perfectionem; an verò per modum obligationis, & pactionis de aliqua re præſtanda vi ipſius contractus; hoc enim ſolùm poſteriori modo vitiant contractum, non autem primo, cùm & ponatur ipſa conditio ante contractum, & obligatio faciendi aliquid contra ſubſtantiam contractus non oriatur ex conſenſu ad contractum, aut ex ipſo contractu, ſed potiùs ex impletione conditionis naſcatur obligatio conſentiendi in contractum; verbi gratia in matrimonio ſi conditio procurandæ ſteri-

litatis ponatur, vt puta conditio ſuſpenſiuè, ſenſus hic erit: *Contraho tecum ſi antequam matrimonium celebretur, & perficiatur, venena ſterilitatis ſumas:* & cùm ponitur ea conditio, nondum eſt contractus matrimonij, neque vi conſenſus matrimonialis naſcitur obligatio procurandi ſterilitatem, aut aliud quidpiam contra ſubſtantiam, & bona matrimonij faciendi, ſed potiùs ex eo quod iam fuerit ab vno impleta conditio, naſcitur in altero obligatio conſentiendi in matrimonium futurum, & proinde conſenſus in eam obligationem ponendæ conditionis, non eſt ſimul cum conſenſu actuali contractus, ab ipſo itaque non naſcitur, ſed ipſum præcedit. Vt autem cognoſcamus, an eiuſmodi conditiones ponantur ſuſpenſiuè, an per modum obligationis, attendenda eſt illarum natura, ſunt enim aliquæ quæ neceſſariò ſupponunt contractum perfectum vt verificentur, aliæ verò priuſquàm perficiatur contractus, poni poſſunt, atque adeò ſuſpenſiuè.

3 Dico tertiò conditionem contra ſubſtantiam contractus appoſitam per modum obligationis, illum aliquando in alium mutare, & tunc tum conditionem ſuſtineri, tum nouum illum contractum per adiectionem nouæ conditionis factum priori diſtructo: quia iura volunt contrahentium & diſponentium voluntates non perire, quando maximè de illis conſtat, & verba quibus ſuum conſenſum exprimunt, id ferunt, eſtque legitimus aliquis modus, quod facta diſpoſitio valere poſſit, cùm enim contrahentes conditionem aliquam ſuis pactionibus ponunt, volunt ſine dubio, & eam conditionem valere, & pactum cui fuit appoſita, eo modo quo valere poterit, & ſi nequeat in vna ſpecie contractus ſubſiſtere, volunt ſanè in alia, in quam per adiectam conditionem tranſlatus eſt, ſubſiſtere. Hanc tranſlationem ex vna ſpecie in aliam, adiectione, aut detractione cuiuſpiam conditionis, pluribus exemplis confirmauimus ex iure, & quæ in contrarium afferebantur, diſſoluimus *loco* initio *cit. oper. de vſur. & comm*, quod tu conſulas velim.

4 Dico quartò conditiones impoſſibiles, licèt non opponantur contradictoriè contractui, & diſpoſitioni cui adiiciuntur, illum tamen irritare, & annullare tum iure naturali, tum poſitiuo, ac proinde in vtroque foro. Ratio manifeſtiſſima eſt quoad ius naturale, quod non patitur vllam diſpoſitionem, habere vim contra diſponentis voluntatem, ille autem noluit ſe obligare niſi ſub tali conditione, quam ideircò appoſuit, quia voluit effectum ſuæ diſpoſitionis ſuſpendere vſque in euentum talis conditionis; neque in foro conſcientiæ de quo modo agimus, alia fuiſſe voluntas diſponentis, aut contrahentis præſumitur propter impoſſibilitatem, aut turpitudinem conditionis; quia in eo foro non datur locus præſumptioni, ſed veritati, immò potiùs conditio impoſſibilis arguit diſſenſum quàm conſenſum, & qui illam apponit, ſatis oſtendit ſe non conſentire, cùm ſuum conſenſum pendere velit à conditione, quæ poni nequit, ac proinde, ſi rem aliquam, verbi gratia donet, illam nunquam fore donatarij; quia illam donat ſub conditione impoſſibili, ideóque ſi eius impoſſibilitatem nouit, ſignificat illam adiiciendo, ſe neque ſerio donare, neque alium quempiam contractum cum eiuſmodi conditione ex animo celebrare, ſed ioco duntaxat: quod etiam ex quotidiano vſu confirmatur; qui enim ait, *contraho tecum ſi chymeram, aut hircoceruum vmquam ceperis, ſi cælum digito tetigeris, ſi ſenior tuo patre exiſtas*; intelligitur ludere, & non ſeriò contrahere. Quod ſi conditionem quam apponit, exiſtimet poſſibilem, cùm reipſa ſit impoſſibilis, ſeriò quidem, & ex animo contrahit; ſed apponit conditionem quæ contractum irritum reddit, quia illum ſuſpendit in euentum eiuſmodi conditionis, quam poſſe poni exiſtimat; ac proinde ab illa omninò pendere ſuum conſenſum vult. Cùm igitur impoſſibile ſit contractum abſque conſenſu contrahentium celebrari, & firmum eſſe, illique conſenſus quoties a conditione impoſſibili pendet, ſubſiſtere nequeat, neceſſariò ſequitur contractum cui adiecta eſt conditio impoſſibilis, nullum omninò, ſed chymericum, & ſimulatum eſſe, attento iure naturæ, idque omnes docent.

Ius ciuile idem quoque conſtituit in pleriſque contractibus ſiue bonæ fidei, ſiue ſtricti iuris, qui per appoſitionem conditionis impoſſibilis ita irritantur, vt nulla ex illis aut actio, aut obligatio oriatur, neque fideiuſſor accedere poſſit, quod totum ex iure ipſo, & communi DD. confirmauimus opere citato.

Difficultas tamen eſt circa teſtamenta, quæ non vitiari per eiuſmodi conditiones impoſſibiles ius ſæpiùs ſtatuit, illaſque conditiones pro non adiectis haberi voluit, vt morientium vltimis voluntatibus faueret, *leg. obtinuit 3. D. de condition. & demonſt. leg. multa 6. §. fin. D. eod. leg. cùm in fundo 16. §. fin. D. de iniuſto teſtam. leg. ab omnibus 101. §. in teſtamento. D. de legat. 1. §. impoſſibilis. Inſtit. de heredibus inſtit. leg. ſeruum 48. §. ſi non. D. de hæred. inſtit. leg. ſiquis 6. D. de condition. inſtitut.* atque alibi. 5
Hanc iuris diſpoſitionem in vtroque foro ſeruandam eſſe nonnulli dixerunt, quos loco citato adduximus, ſimulque impugnauimus, oſtendimoſque Principem non poſſe facere validum teſtamentum, quod propter defectum conſenſus teſtatoris inualidum eſt, quia nequit voluntatem, & conſenſum teſtatoris supplere, ſiue facere vt teſtator conſenſerit, ſi reuerà non conſenſit, vti in hoc caſu, in quo ſuum conſenſum illigauit conditioni impoſſibili; ideóque diximus eo loco cum pluribus DD. adductis, eiuſmodi leges niti duntaxat præſumptione; quare quoties conſtabit de teſtatoris voluntate, qui omninò non conſenſit, niſi ſub ea conditione, inualidum erit teſtamentum in vtroque foro, neque leges volunt, aut teſtatoris voluntati repugnare, aut illam ſupplere, quod ſanè non poſſunt; & licet id poſſent, non fauerent vltimis morientium voluntatibus, ſed illas potiùs eluderent. In dubio tamen de mente teſtatoris propter conditionem illam appoſitam, cùm aliunde firmæ coniecturæ deſint, præſumunt abſolutam voluntatem teſtatoris; quia cum homines vix velint decedere inteſtati, credendum minimè eſt teſtatorem voluiſſe ludere, aut actum irriſorium facere condendo teſtamentum cum eiuſmodi conditione, ſed potiùs exiſtimaſſe poſſibilem, eóque fuiſſe animo, vt ſi impoſſibilem ſciuiſſet, illam non appoſuiſſet: Denique noluiſſe ſuum hæredem, aut legatarium obligare ad aliquid impoſſibile, aut illis illudere, eo maxime tempore, quo ſuum erga illos affectum ſignificare voluit. Quæ verò ex iure obiiciuntur loco citato, facilè diſſoluimus.

Grauior

6 Grauior videtur quæſtio circa conditiones impoſſibiles, aut turpes, adiectas matrimonio; illas enim Gregor. IX. *capit. final. de conditionibus appoſitis*, negat vitiare matrimonium, & pro non adiectis haberi iubet, ita vt matrimonium eodem modo firmum, ac validum exiſtat, atque ſi nullæ fuiſſent appoſitæ conditiones, & conſenſus contrahentium fuiſſet abſolutus, purus & non conditionatus; hoc porrò ſtatuere non potuit Gregorius, niſi vel ſupplendo conſenſum contrahentium, qui reuerà nullus eſt, cùm pendeat à conditione, quæ nunquam ponetur, neque poni poteſt; vel efficiendo vt matrimonium conſiſtat abſque conſenſu illud contrahentium, & ſine ipſo dominium corporum transferat, quod quis audeat tribuere Pontifici. Hæc difficultas plurimorum exercuit ingenia, nos eorum ſententias retulimus, & expendimus, diximuſque etiam matrimonium contractum ſub conditione impoſſibili, nullum & inualidum eſſe, niſi aliam fuiſſe contrahentium mentem præſumatur. Eccleſia verò, & Gregor. in dubio de mente contrahentium, & deficientibus aliis coniecturis præſumit contrahentes appoſuiſſe eam conditionem ſine intentione irritandi matrimonium: quænam autem ſint cauſæ ſufficientes illius præſumptionis, diſputant DD. nobis ea tunc maximè idonea viſa eſt, quod contrahentes velint contrahere ſecundùm leges ab Eccleſia fixas, & non habeant contrariam intentionem, neque malint non ſubſiſtere ſuum matrimonium, quam tolli conditionem à ſe poſitam, quidquid aliter ſtatuant leges, quod ipſos velle colligimus quando affirmant velle ſe contrahere cum his pactis, & non aliter, & ſi ea ratione nequeat validum eſſe matrimonium, volunt ipſi validum eſſe, & ſeruari leges Eccleſiaſticas.

QVÆSTIO VI.

De conditionibus turpibus.

HÆc quæſtio explicatata manet ex ſuperiori, iam conditiones turpes, ſunt quoque impoſſibiles, ſiue quia ſunt contra ſubſtantiam actus cui adiciuntur, atque adeò inuoluunt quandam impoſſibilitatem, ſi adiciantur per modum pacti & obligationis, vti fuit expoſitum; ſiue quia fieri nequeunt ſine peccato, & quin leges aut bonos mores violent. *Atqui*, inquit Papinian. *in l. filius* 15. *D. de conditionibus inſtitution. Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & vt generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Itaque impoſſibilia dicuntur, quæ non niſi cum dedecore fieri poſſunt, quæ ſalua tamen, & exiſtimatione non poſſumus: paria ſunt impoſſibile, & turpe, in noſtra poteſtate non eſſe & iniuſtum eſſe: quod igitur nuper conſtituebamus de conditionibus impoſſibilibus, idem quoque dicendum eſt de conditionibus turpibus, quæ & ipſæ impoſſibiles cenſentur. Itaque conditio turpis quæ eſt contra ſubſtantiam actus cui adicitur per modum pacti, & obligationis, vitiat, & irritum reddit illum actum: cum inde ſequatur obligatio ad duo ſimul oppoſita, quod tamen intelligendum eſt, vt vides, de conditione de futuro, non de præſenti, aut præterito, quia neque iſta poni poteſt per modum pacti & obligationis, neque eſſe occaſio peccati, quod iam ſupponitur aut præteritum, aut præſens.

Secundò omnes aliæ conditiones turpes quæ per modum propriæ conditionis adiciuntur, ſuſpendunt iure naturali actum, cui adiciuntur: cum enim diſponens conſenſum ſuum, & actum in euentum illius conditionis ſuſpenderit, velitque illam omninò poni, priuſquam ipſe ſuum conſenſum perfectum ponat, qui ab ea conditione pendet, ſane quamdiu non ponetur, neque etiam ponetur actus & conſenſus, & cùm illa conditio nunquam poni debeat, cum honeſtè poni non poſſit, numquam etiam ponetur actus, vti oſtendi in conditione impoſſibili.

Tertiò ius poſitiuum conſtituit in quibuſdam diſpoſitionibus, & actibus conditiones turpes haberi pro non adiectis; atque adeo eiuſmodi diſpoſitiones & contractus eodem modo prorſus habere ſe, atque ſi puri, & abſoluti eſſent nulla conditione adiecta ſuſpenſi. Ita de matrimonio conſtituit Gregorius IX. *in capit. fin. de condition. appoſit.* de teſtamentis *l.* 9. *&* 14. *D. de condit. inſtitution.* & *l.* 20. *de condition. & demonſtrat.* atque alibi; quanquam quoad teſtamenta turpes aliquæ conditiones excipiantur, quæ non remittuntur, ſed vitiant omninò diſpoſitionem, ſi adiciantur, nam filius non emancipatus inſtitui nequit ſub conditione quæ in eius poteſtate non ſit, & irritum eſt teſtamentum *l. vltima in princ. D. de condition. & demonſt.* & *l. filius* 15. *D. de condition. inſtitut.* Deinde dum conditio in alienam voluntatem confertur, hæredis inſtitutio nulla eſt, & vitiatur. Tertiò conditiones captatoriæ contra bonos mores vitiant inſtitutionem, de quibus conditionibus diſputant fuſiùs DD. atque ex illis nonnulla dabit Ponc. *lib.* 3. *de matrim. cap.* 5. & nos *lib.* 4. *in appendice de teſtamentis*, aliqua dicemus.

In præſentiarum obſeruo leges omnes iſtas, quæ conditiones turpes adiectas teſtamentis pro non adiectis haberi iubent, atque ita illis remiſſis valere teſtamentum, duci præſumptione, vti nuper de conditionibus impoſſibilibus loquebamur, atque adcò vbi conſtabit de mente teſtatoris, qui ſeriò conditionem vel turpem, vel impoſſibilem adhibuit, voluitque eam omninò poni ad validitatem ſui teſtamenti, pronuntiandum erit nullum eſſe teſtamentum defectu conditionis, quæ neque poſita eſt, neque poni poteſt, vt diximus, additque Ponc. *illo capit.* 5. *numer.* 2. in dubio præſumendum eſſe conditionem turpem tanquam modum ac pactum; vnde neceſſariò ſequitur nullum eſſe teſtamentum. De conſtitutione verò Gregoriana circa conditiones turpes matrimoniu adiectas, pro non adiectis habendas diximus loco citato.

QVÆSTIO VII.

De quibuſdam conditionibus particularibus, turpeſne ſint, an honeſtæ.

Conditio diſpoſitioni appoſita ſi non nupſerit. I.

Varij caſus illius. 2.
Obiecta diluuntur. 3.
Conditio viduitatis ſeruanda. 4.8.
Aliæ conditiones non nubendi. 5.
Conditio ſi caſtè, & honeſtè vixeris. 6. 7.
An legatum fœminis maritandis, dari queat viduis. 9.
Conditio ſi nupſerit. 10. 11. 12.
Si tali nupſerit. 13.
Stipulatio pœna ad matrimonium contrahendum quid ferat. 14.

HÆc quæſtio neceſſaria eſt quoties vtimur præſumptione iuris, quod conditiones turpes adhibitas matrimonio, & teſtamentis, pro non adiectis haberi vult, videndum enim eſt, an hæ conditiones reipſa turpes ſint, an ſaltem tales habeantur in iure, ideóque vitient, aut non vitient diſpoſitionem, earumque ſit aliqua ratio ducenda, an verò remittendæ, & reiiciendæ ſint eodem modo, atque ſi non fuiſſent admiſſæ: eas igitur conditiones de quarum honeſtate aut turpitudine ſiue naturali, ſiue, vt ita dicam, iuridica, poſſet aliqua iure moueri dubitatio, paucis enumerabo.

1 Prima conditio eſt, *ſi non nuperit*; ſiue *indicta viduitatis*, vt loquuntur; nam viduitatis nomen non vſurpatur duntaxat de quondam nuptis, ſed etiam de virginibus, cùm virgo, & quæ virum nunquam habuit, vidua dicatur aliquando, *quia*, inquit Labeo *in l.242.§.3. D.de verbor. ſignific. vidua ſic dicta eſt, quaſi vecors veſanus qui ſine corde, & ſanitate eſſet: ſimiliter viduam dictam eſſe ſine duitate.* Iduare lingua Hetruſca, diuidere eſt apud Macrob. *lib.2. ſat. cap.*15. vidua quaſi valdè diuiſa: quare legatur virgini quamdiu vidua erit *l. filia mea* 22. *D.de annuis legat. Filia mea quotieſcunque vidua erit, in annos ſingulos centum hæres meus dato.* Legem Iuliam Miſcell. ſic vocatam voluit Donell. *lib.*8. *cap.*32. & Mercator *not.*2. quòd pertineretam ad cœlibes quàm ad eas quæ nuptias expertæ fuerint, contraquam ſentiat Robert. *lib.*1. *Anim. c.*2. Cuiacius, & alij paſſim, inde nominatam putant, quod plurima capita contineret viris, & fœminis promiſcuè communia, quale eſt illud quod modo verſamus de prohibitione nuptiarum, & indicta viduitate vtriſque, maribus ſcilicet, aut fœminis, eadem ratione qua dicitur à Siculo Flacco *æs miſcellum*, quod lex eſt, vel forma ænea multorum agrorum, multarumque perſonarum modum comprehendens. Agellio quoque dicitur *doctrina miſcella confuſanea*, *in lib.*20.*c.*6. Sic lex Satura ὁ νόμος πολλὰ περιέχων. Robert *lib.*1. *Anim.c.*2. nominatam exiſtimat à ſuo authore Iulio Miſcello, vel Miſcella, eo quòd ita videatur affirmare ipſemet Iuſtinian. *Nou.*22.*c.*43. eo quòd vbi de hac lege agit, dicat αὐτὸς ὅθ' Ἰούλιος μυσκέλλας, aut vt alij legunt μισκέλλας, ſed mendosè omninò, & vitio interpretis, initio enim capitis legitur Ἰούλιος μισκέλλας παλαιὸς νόμος: Iulia Miſcella lex antiqua: deinde dum agit de Iulio Authore, quem negat ipſi adiciſſe cautionem, ſed Quint. Mutium Scæuolam, ait, *hanc quoque cautionem ipſe Iulius haud inuenit.* Addidit aliquis *Iulius Miſcellus*, contra Iuſtiniani mentem, qui non dixiſſet initiu Miſcellam νόμον, ſed νομοθέτην. Quod dicunt aliqui duplicem fuiſſe authorem huius legis, Iulium ſcilicet Miſcellum, ſiue Miſcellam, futile eſt, cum nulla legatur familia Romæ fuiſſe huius nominis. Nomen igitur ſortita eſt ea lex, & Miſcella appellata, quòd perſonarum vtriuſque ſexus, ac rerum communium multitudinem contineret, vt iam monuimus; Authorem tamen eius fuiſſe Auguſtum, qui illam à Iulio Cæſare Iuliam nominauit, communior opinio fert, de illa, & de Papia Popæa vide Pamel. in *Apologet. Tertulian. cap.*4. *n.*52. & alios, quos allegat. Indicitur porrò viduitas, & prohibentur nuptiæ pluribus modis. Primò ſimpliciter, & abſolute cùm coniugium in futurum ſiue virgini, ſiue quondam maritatæ interdicitur. Secundò cùm inhibentur nuptiæ ad aliquod duntaxat tempus. Tertiò cum iubetur vni tantùm perſonæ nubere, aliis autem omnibus prohibetur, cùm tamen deſignatæ perſonæ nubere honeſtè non poſſit; quia tunc omninò nubere prohibetur. Quartò dum prohibetur nubere, niſi de arbitratu aut conſenſu alterius; quia illo non arbitrante, aut non conſentiente non nubet. Videndum igitur eſt, an in omnibus iſtis caſibus, aut ſaltem in aliquo conditio nuptias prohibens reiicienda ſit tanquam turpis, ac proinde valeat legatum, & quælibet alia diſpoſitio tali conditione non impleta, de quibus ſic ſtatuo. Primò conditio prohibens omnimodè, vel directè nuptias virgini, adiecta contractibus, illos vitiat, & irritat, atque à teſtamento reiicitur à iure: quare licet ea virgo nubat, eadem ratione percipiet quod ipſi teſtamento relictum erit, atque ſi nulla prorſus fuiſſet appoſita conditio, & teſtamentaria diſpoſitio pura, & abſoluta exiſteret, niſi aliam eſſe teſtatoris voluntatem certò conſtaret. Primam partem de contractibus quos vitiat iſta conditio prohibens nuptias ei quæ nunquam nupſit, tradunt Molin. *tract.*2.*diſput.*285.*num.*10. & Sanch. *lib.*1. *de matrim. diſput.* 34. *num.*2. vbi adducit etiam Acoſtam, quia iſta conditio eſt de iure impoſſibilis & turpis, vt ſtatim oſtendam, docetque etiam Henriq. *lib.*11. *cap.*12. *num.* 6. Atqui conditiones impoſſibiles vitiant omninò contractus, quod *quæſt.*5. diximus; *§. ſi impoſſibilis, Inſtit. de inutilib. ſtipulat. Si impoſſibilis conditio, ſtipulationibus adiiciatur, nihil valet ſtipulatio*: quod in aliis quoque contractibus affirmat *l. non ſolùm* 31. *D. de action. & obligat.* vbi rationem reddit Mætianus, quia in ea re quæ ex duorum, pluriúmve conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur, quorum proculdubio in eiuſmodi actu talis cogitatio eſt, vt nihil agi exiſtiment appoſita conditione, quam ſciant eſſe impoſſibilem: conditiones autem impoſſibiles hoc loco dicimus non ſolùm quæ natura, ſed etiam quæ iure impoſſibiles ſunt, quod obſeruat quoque Molina Iuriſconſultus *lib.*2. *de primogen. capit.*12. *num.*35. Neque dicas cum alio Molina Theologo *diſputat.* 285. *citata*, has conditiones de iure tantùm impoſſibiles, vitiare quidem contractus, quamdiu non implentur, non verò ſi impleantur, ſapienter enim obiicit Sanch. falsò dixiſſe Iuſtin. & Mætianum ſtipulationes, & contractus ſub conditione impoſſibili nihil valere, nam omninò valerent impleta eiuſmodi conditione, quæ ſanè non vitiaret contractum, ſed illum duntaxat ſuſpenderet æquè atque conditio poſſibilis & honeſta: nam eius contractus obligatio penderet ex impletione conditionis. Adde in conditione non nubendi,

di, de qua diſputamus, cùm perpetuò prohibeatur matrimonium, non poſſe expectari euentum conditionis ad obligationem contractus ſub ea celebrati, quia non erit impleta, niſi poſt vitam; nam quamdiu viuit, cùm poſſit nubere, non implenit conditionem.

Secunda pars de teſtamentis, à quibus adiecta cōditio virgini nunquam nubendi reiicitur à iure, traditur paſſim à iuris Interpretibus, quos ſequuntur Syluest. *verb. hereditas* 4. Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 19. *num.* 9. Molina *tract.* 2. *diſp.* 207. *n.* 1. Baſil. Ponc. *lib.* 3. *de matrim. cap.* 6. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 34. *num.* 3. Layman. *lib.* 3. *tract.* 5. *capit.* 10. *num.* 14. & alij communiter, habemuſque expreſſum ius *l. quoties* 22. *D. de condition. & demonſt.* quoties ſub conditione mulieri legatur *ſi non nupſeris*, ſi nupſerit, legatum petere poterit, quod idem affirmat *l. cum tale* 72. §. *Mania D. eod.* & *l. mulieri* 74. *D. eod. l. ſeruo* 65. §. *ſi teſtator. D. ad SC. Trebellian. l.* 2. *C. de indicta viduitat.* Ratio huius aſſertionis eſt, quia, vt ait Iuſtinian. *in l.* 2. *C. de indicta viduitate*, Reipublicæ intereſt multis ex legitimo matrimonio procreatis augeri: quare conditio prohibens nuptias remittitur tanquam vtilitati publicæ contraria, *l.* 2. §. *tractari. D. ad SC. Tertyllian.* Ita enim hanc propagationem per nuptias procurabant Romani, vt certum æs imponerent cœlibibus, qui vxores non ducebant, quod *vxorium* dictum fuiſſe teſtatur Feſtus, illudque primos exegiſſe M. Furium Camillum. & M. Poſthumium Cenſores anno V. C. CCCL. exiſtimat Scaliger. Fuit & Athenienſibus *ἀγαμίου δίκη*, atque Lacedæmoniis *ὀψιγαμίου καὶ κακογαμίου*. Immò ipſi Hæbræi ſterilitatem, & prolis orbitatem, magnam calamitatem, & opprobrium ducebant; quod ſibi ablatum gratulatur Rachel *Gen.* 30. *verſ.* 23. & Elizabetha Ioannis Baptiſtæ parens, *Lucæ* 1. *verſ.* 25. & ſuam virginitatem deflet Iephtæa virgo a patre voti non ſatis prudentis reo mactanda: in Hebræo eſt *Iudic. c.* 11. *flere ob virginitatem* LXX. *κλαίειν ἐπὶ παρθένια*, nempe ſterilitatem pœnæ loco ſibi inflictam arbitrabantur à Deo, vti aliquando factum fuiſſe ſciebant: nam *Geneſ.* 20. *verſ.* 18. *Concluſerat dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ ab illo abductam.* Et Oſeæ 9. *verſ.* 14. *Vuluam ſine liberis, & vbera arentia* imprecatur Ephraimitis, turpe enim fuit videri expertem diuini promiſſi, ac benedictionis de fœcunditate, de qua *Exod.* 23. *verſ.* 26. *& Deut.* 7. *verſ.* 14. Præterea nuptiarum præmio & hoc carere: vnde Ambroſ. *in cap.* 1. *Lucæ: Pudor eſt fœminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc ſola cauſa nubendi.* Denique exiſtimabant ſe quodammodo alienas à Chriſto, nihil ad eius generationem conferendo. Sed vt redeam ad Romanos, tanta illis fuit nuptiarum, & Rempublicam augendi legitima prole, cura, vt Adrianus Imperator dicere ſolitus eſſet malle ſe ampliari Imperium hominum adiectione, quàm pecuniarum copia, teſte Paulo in *l. final.* §. 3. *D. de bonis damnatorum.* Quæ eadem cauſa fuit legum de matrimoniis maturè contrahendis, de quibus eruditè Pamel. *in Apologetic. Tertull. cap.* 4. *n.* 52. Eadem de cauſa præcipuo quodam honore gaudebant, qui plures liberos ſuſcepiſſent, fuitque illud ſeptimum legis Iuliæ caput teſte Agellio *lib.* 2. *capit.* 15. vt priori ex Conſulibus faſces ſumendi poteſtas eſſet, non qui plures annos natus eſſet, ſed qui plures liberos quàm collega, aut in ſua poteſtate haberet, aut bello amiſiſſet; ſed ſi par vtrique numerus liberorum erat, maritus, aut qui in numero maritorum erat, præferebatur, ſi verò ambo, & mariti, & totidem liberorum patres eſſent, maior natu faſces prior ſumebat: de iis qui cœlibes ambo eſſent, aut parem numerum liberorum haberent, aut mariti ſine liberis, nihil definiebat illa lex; iamque à Seruij Tullij temporibus mos erat, vt parentes natos ſibi liberos apud acta publica profiterentur, ille enim, quod obſeruat. Dionyſ. lib. 4. iuſſit in ſingula natorum capita Iunonis Lucinæ Templo aliquid inferri; & in cenſu agendo non ſolum facultates, ſed & liberorum nomina, atque ætatem referri voluit Iuuenal. *ſatyr.* 9.

> *— Libris actorum ſpargere gaudes*
> *Argumenta viri.*

Vide Briſſon. *antiq. lib.* 1. *cap.* 5. qui tres liberos habebant immunitate donabantur, quod & Lacedæmone ſeruatum fuiſſe author eſt Ariſtot. *lib.* 2. *politicor. cap.* 7. nam qui tres genuerat filios, immunis erat a cuſtodia, qui quatuor immunis erat ab omnibus oneribus. Verùm de hac immunitate ab oneribus etiam aliquando patrimonialibus propter numerum liberorum, & quot in hoc priuilegium requirerentur, plura dabit Couarru. *in* 4. *decretal.* 2. *p. capit.* 8. *initio*, vbi eruditè hanc ab oneribus immunitatem, liberorum causâ reſtringit ad munera perſonalia, & municipalia, contra communem ſententiam, quæ etiam ad patrimonialia extendit, vide & Franc. Duaren. *lib.* 1. *diſp. cap.* 40. vbi de iure trium liberorum plurima dabit. De pœnis præterea, quibus plectebatur cœlibatus, quas à Conſtantino ſublatas fuiſſe ſcribit Nicephor. *lib.* 7. *capit.* 47. adi laudatum Couarruuiam: nam legibus Romanis cœlibes in adeunda hæreditate non æquabantur coniugibus, neque præterquam genere propinqui quidquam ex teſtamento lucrabantur. Denique qui liberos non procreaſſent, dimidia bonorum parte mulctabantur, & opprobrio erant, vnde Iuuenal. *ſatyr.* 2.

> *Iam pater es, dedimus famæ quod opponere poſſis,*
> *Iura parentis habes, propter me ſcriberis hæres,*
> *Legatum omne capis, necnon & dulce caducum,*
> *Commoda præterea iungentur multa caducis*
> *Si numerum, ſi tres impleuero.*

Caducum dicebatur pars illa quæ fiſco adiudicabatur, & à legato, vel hæreditate detrahebatur. Harum legum meminit Tertullian. *lib. de monogam.* *Aliud eſt ſi apud Chriſtum etiam legibus Iuliis agi credunt, & exiſtimant cœlibes, & orbos ex teſtamento Dei ſolidum non poſſe capere.* Probroſus igitur fuit cœlibatus apud Roman. quare Galba in Imperium aſcitus, ratus non tam eſſe deſpectui ſenectam ſuā quam orbitatem, *τὴν ἀπαιδίαν*, inquit Plutarch. repente Piſonem Frugi Licinianum pro concione adoptauit, vt ait Sueton. *c.* 17. ſunt enim liberi *firma Imperij munimenta, & ſubſidia dominationis*, inquit Tacitus, ſubſidia aulæ, ait Sueton. ideóque *leges quæ mulcta cœlibes notarunt, parentes præmiis honorarunt.* Panegyr. Conſtantin. dixit eſſe fundamenta Reipublicæ, quia ſeminarium iuuentutis, & quaſi fontem humani corporis ſemper Romanis exercitibus miniſtrarunt. Quid mirum igitur ſi Romani conditionem non nubendi, quæ omnes omninò nuptias prohiberet, turpem eſſe dixerunt, ideóque à teſtamentis, atque, vt nuper allati DD. obſeruant, à donationibus cauſa mortis reiici voluerunt, & ſi adiicerentur, pro non adiectis haberi, totamque diſpoſitionem teſtatoris cenſeri puram, & abſolutam, neque teneri hæredem, legatarium, aut donatarium eiuſmodi

Digitized by Google

implere præſcriptam ſibi conditionem, & in perpetuum abſtinere à nuptiis, vt quod ſibi teſtamento, vel donatione cauſà mortis relictum, vel donatum fuerit, percipere valeat.

Non leuis tamen eſt difficultas cur aliter in teſtamentis, quàm in contractibus conſtitutum ſit: nam contractus, vti oſtendimus, vitiat, & irritat hæc conditio tanquam iure impoſſibilis, & turpis, cùm tamen teſtamenta non immutet. Rationem pluribus inquirit Sarmiento *lib. 1. ſelectarum interpretat. cap. 3. n. vlt.* quas expendere non vacat. Placet quod habet Sanch. *diſp. 34. n. 2. lib. 1. de matr.* poſſe contrahentes, cùm adhuc ſuperſtites ſint ſuos contractus ob eius conditionis impoſſibilitatem inualidos, facilè validos reddere, remittendo illam conditionem, quod ſi nolint, argumento eſt, eos nolle validè contrahere, idróque conditionem impoſſibilem ſuo conſenſui adhibuiſſe, quare eorum diſpoſitioni atque voluntati nulla fit iniuria, dum ſtatuitur ne contractus pendentes ab ea conditione turpi, atque adeò iure impoſſibili, validi exiſtant: at vero cùm teſtator de ſuis bonis diſpoſuerit, & iure merito præſumatur ipſum velle ſuam illam vltimam voluntatem ſortiri effectum, quem tamen ſortiri nequit, niſi conditio impoſſibilis ipſi adiecta remittatur, quam teſtator non poteſt amplius reiicere, aut emendare, æquum omninò fuit legem eius defectum ſupplere, atque eius extremæ morientis voluntati fauere, tollendo conditionem eam impoſſibilem, quæ diſpoſitionem teſtatoris prorſus iuanem, & inutilem reddebat.

Atque ex his oſtenditur tertia pars noſtræ aſſertionis, nempe vbi certò conſtaret de animo teſtatoris, qui ſuam diſpoſitionem omninò voluit ab ea conditione pendere, & non niſi in illius euentum conſenſit, atque ita diſpoſuit, nullum reuerà eſſe eiuſmodi teſtamentum, niſi conditio adiecta impleatur; quia ab eius impletione totam vim, & efficaciam ſui teſtamenti pendere voluit teſtator, idque omninò ſeruandum eſſe in foro animæ pluribus tuetur Gutierr. *lib. 2. qq. canonic. q. 25. num. 13.* ſequutus Medinam & alios. Immò addit idem Gutier. ſi propter expreſſa verba, illa ipſa voluntas teſtatoris aperta eſſet, non poſſe in foro externo contra illam pronuntiari. Ratio eſt quia omnes illæ leges, quæ ſimiles conditiones adhibibitas teſtamentis habent pro non adiectis, ſola vtuntur præſumptione, vti iam monui. Et ſanè non prohibetur legatarius à ſuſceptione prolis cũ nubere poſſit ſi velit, amiſſo legato, & potuiſſet quoque non nubere, ſi eiuſmodi legatum illi non fuiſſet relictum, quamuis nunc ſpe lucri inuitetur ad non nubendum, neque voluerit teſtator illi legare ſi nuberet, quod facere potuit: vbi autem dubia eſt teſtatoris mens, fauetur teſtamento, & reiicitur ea conditio nuptias prohibens, non tantùm quo caſu legatarius v. g. matrimonium ineat, tunc enim fruſtrabitur ſibi relicto legato, vt inquit Medin. *C. de reſtit. q. 23. verſ. itaque quatuor cõditiones*, ſed reuerà abſolutè reiicitur, & pro non ſcripta habetur, vti obſeruant Couuarru. *lib. 1. variar. cap. 19. num. 10.* Sanch. *diſp. 34. cit. n. 4.* Ponc. *cap. 6. cit. n. 9.* Quod autem affirmat à Coſta apud Sanch. virginem cui relictum fuit legatum cum conditione non nubendi, obtinere illud ſi nubat, non tamen ſi ſecundò nubat, ac proinde conditionem de qua agimus non haberi pro non adiecta, niſi ratione primi matrimonij, aut tertij, atque adeò ſi virgo ſecundò nubat, aut tertiò, non poſſe capere legatum, reiicitur ab eodem Sanche, & Poncio, alioquin iſta virgo primò nubens legatum vindicare non poſſet, niſi priùs præſtita cautione non nubendi ſecundò, quod negat ipſemet à Coſta.

Ex his de præſumpta teſtatoris voluntate propter eius incertitudinem, & interpretationem in illo dubio ab ipſo iure factam, ſequitur conditionem quæ auertit à liberis procreandis, v. g. *lego centum Caio ſi liberis caruerit, ſi ſine liberis deceſſerit*, haberi quoque pro non adiecta, quia æquiualet conditioni non nubendi, quæ idcircò tantùm turpis cenſetur, quòd impediat prolis procreationem, quod idem facit iſta, & expreſſiùs auertit à prole procreanda: Sanch *n. 7.* Ponc. *n. 9.*

Secundò legatum relictum extraneo ea conditione, *ſi Caia virgo non nupſerit*, cui reſtituere cogitur ea centum, debebitur etiamſi Caia nupſerit, & conditio remittitur, quia virgo illa inuitatur ad non nubendum, vt legatum comparet.

Tertiò legantur Caiæ virgini centum, ſi non nupſerit, rogaturque illud legatum reſtituere Titio, quamuis Caia nubat, legatum accipiet, illudque tenebitur Titio reſtituere, eodem modo atque ſi pure, & abſque conditione accepiſſet ad Titio reſtituendum, quod expreſſiſſimè habetur *l. non dubium 14. D. de legat. 3.*

Quartò ſi legentur virgini Caiæ centum *ſi non nupſerit*, & caſu quo nubat fidei ipſius committatur, vt illa reſtituat Titio, retinebit tamen iure legatum, neque Titio tenebitur reſtituere, quia illud fideicommiſſum inducit ad viduitatem, ideóque turpe eſt, ac nullum: caſus eſt legis *quoties 22. D. de condit. & demonſt.*

Quintò legatum relictum patri, tutori, aut alteri perſonæ ſi Caia non nupſerit, purum cenſetur, reiiciturque conditio non nubendi adiecta, quoties probabile eſt Caiam repudiaturam nuptias, ne legatarius careat legato ſibi relicto; quod probabile erit quoties legatarius erit ipſi aut ſanguine, aut officio, aut beneuolentia valde coniunctus; quod vix futurum ſuſpicari licèt dum legatarius extraneus eſt perſonæ, quæ iubetur nuptiis abſtinere: quare ſi relinquatur legatum Caiæ, & extraneo, ſi Caia non nupſerit, ſtatim ſua pars legati debebitur Caiæ, quamuis ea nupſerit, reiiciturque eiuſmodi conditio, quæ tamen valebit pro parte extraneo relicta, quam neque ille, neque Caia ſi nupſerit, conſequetur, ſuáque parte contentam eſſe oportebit Caiam.

Sextò Titiæ legantur centum *ſi nupſerit*, ducenta verò ſi non nupſerit, ſi tamen nubat poterit capere ducenta, *l. Titia 100. D. de condition. & demonſt.* de qua lege & eius varia lectione plura dabit Couuarru. *libro 1. variar. capitulo 19. numero 10.*

Septimò legantur centum Caiæ *ſi non nubat, niſi arbitratu & conſenſu Titij*, reiicitur conditio tanquam impediens libertatem matrimonij, Immò & inducens viduitatem: ſi enim Titius non arbitretur, aut non conſentiat nuptiis, illæ nunquam fient: quare conditio nuptiarum in arbitrium, vel conſenſum alterius collata; non valet, quamuis dos poſſit conferri in arbitrium alterius: quare Papinian. *in l. cùm tale 72. §. ſi arbitratu, D. de condit. & demonſt. Si arbitratu Titij Seia nupſerit, heres meus ei fundum dato: viuo Titio etiam ſine arbitrio Titij eam nubentem legatum accipere reſpondendum eſt, eamque legis ſententiam videri, ne quod omninò nuptiis impedimentum inferatur*: quare qui puellæ quam violauit, legauit centum ſi eam du

conſen

conſenſu patris ducat, valebit legatum, ſi illam validè ducat patre diſſentiente.

Octauò legatum relictum cum conditione *ſi nubat Caia cum conſilio Sempronij*, eſt verè conditionatum, valetque conditio, neque reiicitur; quia iuſſus quidpiam facere cum alicuius conſilio, petere illud quidem tenetur, non tamen ſequi: quare conditio de qua loquimur, non nubendi ſine conſilio Sempronij, minimè lædit matrimonij libertatem, ideóque reiicienda non eſt; quod magno conſenſu docent DD. apud Sanch. *diſp.* 34. *citata, n.* 24. Si verò Sempronius, cuius conſilium requirendum eſt, longiùs abeſt, periculumque eſt in mora, aut iam deceſſit, poterunt iniri nuptiæ, debebiturque legatum, vt *ibid.* tradit Sanch. *n.* 26. *&* 27. Denique, Caiæ ſi non nupſerit legantur centum poſt mortem, debetur ſtatim legatum, & reiicitur tum conditio, tum tempus, Sanch. *num.* 28.

Obiicies quæ dicta ſunt à nobis hactenus, at-
3 tento iure ciuili ſtare quidem poſſe, non verò iure Eccleſiaſtico, quod conditionem non nubendi, neque turpem, neque proinde iure impoſſibilem exiſtimat, eam itaque legatis, aut aliis diſpoſitionibus adiectam non poſſumus repudiare; immò illam probare oportet, cùm conditionem ingrediendi religionem apponi teſtamentis permittat: nam *c.* 2. *de condition. appoſitis*, ſerui manumittuntur ea conditione vt monachi fierent, & in certo monaſterio perpetuò manerent, alioquin denuò ſeruituti ſubiicerentur: quorum vnus cùm deſerto monaſterio Clericus factus eſſet, iubet illum Gregor. in monaſterium iterum retrudi, & *manumittentis voluntatem non præteriri*. Licebit igitur teſtatori quidpiam legare, aut alia ratione relinquere, ſi fiat Religioſus, aut Præſbyter, quæ eſt conditio non nubendi, nam ſi nubat non implebit conditionem adiectam ingrediendi Religionem: quare neque legato potietur. His omnibus adde etiam à iure ciuili ſæpius emendatas fuiſſe leges, quæ ad matrimonia cogerent, qua de re vide Pamel. loco nuper adducto, & ſæpiùs alibi quàm Romæ cultus eſt cælibatus. De fœminis Affricanis teſtis eſt Tertulian. *lib.* 1. *ad vxorem, cap.* 6. De Indorum Sapientib. Clem. Alexand. *lib.* 3. *ſtromat. cap.* 6. De Pythagoreis quibuſdam Agelli. *lib.* 1. *c.* 9. & Hieronim. *lib.* 1. *contra Iouinian. quæſt.* 3. De quibuſdam aliis Sapientibus Epictet. *in Enchir. cap.* 29. atque etiam apud Arrian. *lib.* 3. *cap.* 22. De Heraiſco Philoſopho Damaſius apud Phot. *Cap.* 24. & de ipſo Platone, qui tamen deinde peruerſam ſuorum temporum opinionem timens, naturæ dicitur ſacrificaſſe, vt peccatum illud aboleret; Auguſtin. *lib. de vera religione cap.* 3. illudque vulgare argumentum impugnantium cælibatum, quod ſic malè conſulitur humano generi, reiiciunt Porphyr. *lib.* 4. *de abſtinent.* & Epictetus apud Arrian. *lib.* 3. *c.* 22. & multò luculentius Ambroſ. *lib.* 3. *de virginit.* Auguſtin. *lib. de bono coniugali, c.* 10. & *lib. de bono viduitat. ſub fin.* Hieron. *lib.* 1. *aduerſ. Iouinian. ſub medium.* Chryſ. *de virginitate c.* 10. atque Pſeudoſixtus *lib. de caſtitate.*

Reſp. nos non dixiſſe conditionem non nubendi abſolutè ſumptam, eſſe turpem, & haberi tanquam non adiectam in teſtamentis; niſi quatenus directè omnes nuptias ita prohibet, vt ipſarum libertatem tollat directè, & ſimpliciter, quod non fit in conditione ingrediendi Religionem; tunc enim non eripitur libertas nubendi, ſed inuitamur ad ſtatum perfectiorem, quod omninò licet etiam minoribus. Ita Couuar. *lib.* 1. *variar. c.* 19. *num.* 10. Molina *diſp.* 207. Sanch. *lib.* 1. *de matr. diſp.* 34. *n.* 15. quare qui religionem fuerit ingreſſus, conſequetur legatum, licet deinde Nouitius non facta profeſſione exeat, vt ibidem affirmat Sanch. *num.* 17. quia ſatis eſt momento, & aliquando impleri conditionem *l. ſi quis hæredem* 7. *C. de inſtitut. & ſubſtitut.* id autem in caſu noſtro factum eſt. Et ſanè ingredi Religionem, atque in ea profiteri tanquam diuerſa ponuntur *c. beneficium, & c. qui poſt votum, de regularibus in* 6. qui vouit ingredi Religionem voto ſuo ſatisfecit, ſi illam ingreſſus, è nouitiatu exeat; debet tamen hic ingreſſus fieri bona fide, & non cum animo exeundi, vt videatur duntaxat præſcriptæ conditioni ad lucrandum legatum ſatisfeciſſe; teſtator enim intendit ingreſſum Religionis circa formam iuris; non attendendum verò eſt quod teſtator ſcripſerit, *Lego Titio ſi fiat Religioſus*; quia in communi modo loquendi ſignificat tantùm ingreſſum Religionis.

Secunda conditio prohibet nuptias viduis, ea-
que valida eſt, & non reiicitur. Ita Couuar. *in* 4. 4
decretal. c. 3. *n.* 9. Benedictus *in cap. Raynutius, de teſtament. verſ. qui cum alia, n.* 100. Gutierr. *lib.* 2. *qq. canonic. c.* 25. *num.* 3. & *lib.* 3. *de matrim. c.* 108. Molina *tract.* 2. *diſp.* 207. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 34. *n.* 29. *&* 30. aliique paſſim, quia licèt non prohibeantur ab Eccleſia ſecundæ nuptiæ, vti contra hæreſim Montani, Nouati, Cathaphrygum, ipſiuſque Tertuliani *lib. de monogamia*, docet Eccleſia, teſte Auguſtin. *de hæreſib. hæreſi* 20. *&* 86. & *lib. de bono viduit. cap.* 12. *in expoſitione Symboli ad Damaſum*, & *in Ep. ad Marcellum*, & *in comment. Epiſtolæ ad Titum, cap.* 1. magis tamen commendat viduitatem, honeſtiúſque ducit abſtinere à ſecundis nuptiis: quare Nazianz. primas nuptias legem, ſecundas permiſſionem dicit: *τὸ πρῶτον συνοικέσιον νόμον τὸ δεύτερον συγχώρησιν*, ideóque tam multis efferunt laudibus PP. viduitatem, quam etiam ipſi Ethnici coluerunt, quod pluribus docet Tertulian. *lib.* 1. *ad vxorem*, & *in exhortat. ad caſtitat. cap.* 13. & *lib. de monogamia ſub fin.* illuſtribus in hanc rem exemplis adductis, quod & diligenter præſtitit Hieron. *lib.* 1. *in Iouinian.* quibus alia adiecit Eſpencæ. *lib.* 3. *de contin. cap.* 12. *&* 17. domeſticum exemplum affert Chryſ. *tract. ad viduam iunior.* habet & quædam Valer. Maxim. *lib.* 2 *c.* 1. quin & animalium caſtam viduitatem in exemplum proponit Baſil. *hom.* 8. *in hexam.* & ipſi de more adhærens Ambroſ. *lib.* 5. *hexam. cap.* 19. qui *extremo libro de viduis*, ait Ethnicos quoſdam cælibatus, & viduitatis, ſtatuiſſe pœnas, *Vt annuis criminum mulctarent ſtudia virtutum, ſpecie quidem qua fœcunditatem quærerent, ſed ſtudio quo propoſitum caſtitatis abolerent.* Verùm illas leges, quæ viduitatem damnarent ſubinde abrogatas fuiſſe oportuit; nam ipſi Romani pœnas aliquas impoſuerunt ſecundis nuptiis præfeſtinatis, quando infra annum luctus feſtinarentur, ex lege Popæa & Iulia Miſcella, alias vero omnibus ſecundis nuptiis in fauorem prolis ex priori matrimonio habitæ, quas enumerat, & exponit Gutierr. *de matrimonio, cap.* 108. *&* 109. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 87. 88. 89. *& diſp.* 90. Couuar. *in* 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 3. §. 8. *&* 9. quarum tamen aliquæ ab ipſomet iure ciuili temperatæ ſunt *C. de indicta viduit.* & *Nouell.* 22. quibus locis adi Couuar. Quædam etiam emendatæ ſunt Iure Canonico, de quibus omnibus alio loco diſputandum erit, intereà lau-

datos DD. adeas velim. In Gallia quoque habemus conſtitutionem de ſecundis nuptiis, quo iure vtimur. Ex quibus ſequitur viduitatis conditionem à teſtatore poſitam ſeruandam omninò eſſe, & non tanquam inutilem reiiciendam, alioquin excidet ſuo legato legatarius: nam æquè de viduo, atque de vidua intelligendæ ſunt iſtæ pœnæ, vti paſſim hoc loco obſeruant DD. atque in ipſam conſtitutionem Regiam de ſecundis nuptiis æquè in viris, atque in fœminis valere pluribus oſtendit, & Curiæ ſanctiſſimis decretis confirmat Louet. *lit. N. n.3.* Et ſanè vir & vxor non debent ad imparia iudicari *c. gaudemus, de diuortiis*, quare ea viduitatis conditio poterit æquè imponi marito ab vxore, atque vxori à viro teſtantibus.

5 Inde ſequitur poſſe quoque apponi viduæ conditionem, ne nubat niſi de cuiuſdam alterius arbitratu, aut conſenſu; cùm enim potuerit poni conditio non nubendi, multò faciliùs ponetur conditio non nubendi, niſi Titio v.g. arbitro, quod tamen ita intelligendum eſt, vt ſi Titius nolit arbitrari, mulier nubat, & legatum acquirat, aut ſi iniuſtè arbitretur, Iudicem adire valeat.

Secundò conditio non nubendi eunuchis, aliiſque impotentibus ad generandum, imponi poteſt; quia tota cauſa cur ea conditio fuit à iure reiecta, eſt fauor prolis, cui multiplicandæ laborant iura, quæ cauſa ceſſat hoc loco, quamuis aliunde poſſit eſſe licitum, & validum matrimonium, vt in ſenibus.

Tertiò conditio non nubendi quæ neque perpetua, neque omnimoda eſt, ſed ſolum quoad aliquod tempus, aut certas perſonas; v.g. ne nubat ante 25. ne Sempronio, ne cum certa quadam familia matrimonia celebret, valet omninò quoad tempus, ait *l. ſed ſi hoc 62. §. fin. D. de condit. & demonſt.* & concedit Henriq. *lib. 11. c.6. n.6.* aliique apud Sanch. *lib. 1. diſp. 34. n. 56.* ſi tamen longum eſſet tempus nuptiis præfixum, vt poſt illud non eſſet fœmina maritum repertura, non valeret conditio, quia æquipararetur perpetuæ prohibitioni nubendi, vti obſeruat Gutier. *lib. 2. qq. canonic. c. 25. n. 3.* quod etiam dicunt quando conditio eſt ne mulier nubat, donec Caius moriatur; quia etiã illa conditio viduitatis æquiparatur perpetuæ; quare quando teſtator relinquit centum Caiæ, ſi non erit nupta, intelligitur quando obibit teſtator, valebitque conditio, ſicut & illa ne contrahantur nuptiæ in certo oppido, ne cum aliquo ignobili, ne cum Iudæis, ne cum certa ſtirpe, ne cum Titio, ne cum Sempronio, quia in illis, & ſimilibus caſibus non impeditur abſolutè matrimonium, manetque tum alibi, tum cum aliis illud contrahendi libertas. Iſtæ tamen conditiones non contrahendi cum certis perſonis perpetuæ ſunt: quare neque primò, neque ſecundò cum illis poterunt celebrari nuptiæ.

Quartò valet conditio non nubendi impoſita virgini fauore libertatis, aut piæ cauſæ, v.g. lego centum Caiæ ſi non nupſerit, ſi nupſerit illa, habeat Xenodochium, aut monaſterium, vel Stichus ſeruus liber ſit, *l. Titio 96. §. ſerui vſufructus. D. de condition. & demonſt. quia*, inquit ibidem Paul. *potior eſt legato libertas.* Eſt verò idem priuilegium piæ cauſæ, & libertatis, vt demonſtrat. Tiraq. *de priuileg. piæ cauſæ, priuil. 18.* De hac verò ſubſtitutione Monaſterij quando inſtitutus hæres non ſeruat conditionem appoſitam, pluribus diſputat Couuarru. *lib. 1. variar. cap. 19. n. 9. & 10.*

Tertia conditio ſi caſtè, & honeſtè vixerit, quando imponitur viduæ, quæ ſub ea legataria ſit, non amittit legatum per ſecundas nuptias. Ita Molin. *tract. 2. diſp. 207. n. 7.* niſi tamen ea ſit regionia vſitatæ phraſis, vt ea conditio viduis appoſita intelligatur prohibere ſecundas nuptias, aut ex aliis coniecturis colligatur eam fuiſſe teſtatoris mentem, neque aliud afferunt rationes aduerſariorum apud Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 91. n. 16.* qui idcircò addit quando apponitur illa conditio a viro, aut conſanguineis, illam excludere ſecundas nuptias, ſecùs quando à quopiam extraneo; quia præſumitur maritum velle ea conditione fidem ſibi ab vxore ſuperſtite ſeruari, quod idem ait, quando liberi ſuæ matri eandem conditionem præſcribunt, aut liberi viri præmortui, vel ipſius conſanguinei, aut etiam arctiſſima neceſſitudine coniuncti. Idemque dicendum erit de viro, cui vxor, aut vxoris liberi, conſanguinei, vel neceſſarij quidpiam legarunt ſub ea conditione caſtè viuendi: debet tamen viduus, aut vidua prius matrimonium conſummaſſe, alioqui conditio prohibens ipſis nuptias nulla eſt, vt ſtatim dicam: ſi autem ſecundæ, aut tertiæ nuptiæ ratione alicuius circumſtantiæ cenſerentur infames, aut inhoneſtæ alicui fœminæ, vt quia iam ſenior, aut quia vouit ſe abſtenturam, aut quia nubit perſonæ infami in dedecus prioris mariti, non exiſtimabitur honeſtè viuere, ideóque excidet legato; ſicut & ſi ex qualibet alia cauſa reddatur infamis: quæ omnia habet Sanch. *diſp. 91. citata, à num. 16. ad 30.* Ea porrò conditio caſtè viuendi violatur per occultam fornicationem; cùm enim hæc pœna excidendi legato propter violatam conditionem caſtè viuendi fuerit appoſita ſolius teſtatoris voluntate, non pertinet ad forum externum, quare non indiget probatione delicti, vt in conſcientia obliget, & teneatur ad reſtitutionem, qui non impleta conditione legatum retinet: quamuis enim ex regula generali pœna non obliget ante ſententiam Iudicis vel condemnatoriam, vel ſaltem declaratoriam, id intelligendum eſt de pœna legali, non de ea quæ ab homine adiicitur, quæque habet vicem potiùs conditionis, quàm pœnæ, vt fit hoc loco: neque enim aliter teſtator legare voluit, eſtque illi liberum diſponere de ſuis bonis quo libuerit modo, & conditione honeſta poſſibili, atque à iure non improbata. Prætereà inter hæredem & legatarium initur quidam contractus innominatus, *do vt des, vel facias*, firmaturque hærede dante relicta teſtamento, & legatario acceptante, qui ſicut illa acceptatione dominium acquirit, ita ſe obligat ad conditionem adiectam ſeruandam, eaque non ſeruata, & deficiente, ad reſtituendum. Ita innumeri apud Sanch. *lib. 7. de matrim. diſput. 91. num. 12.* 6

Grauis tamen difficultas eſt an vidua violet hanc conditionem per vnicam fornicationem, atque ita legato excidat: nam vnicus actus non videtur ſufficere ad denominandam vitam inhoneſtam, aliunde tamen nomina verbalia delictum importantia, non exigunt niſi vnum actum, vt calumniator, raptor, præuaricator, *l. Athenus. §. præuaricator. D. de his qui notant. infamia, l. quis ſit fugitiuus 4. D. de Ædilitio edict. c. pen. & vlt. de raptoribus.* Caſtè autem, & honeſtè viuens nomen verbale eſt. Et ſanè qui vouit honeſtè viuere, vt ſacris initiati, & Religioſi, vnica fornicatione votum violat: vidua quoque quæ intra annum luctus, vel ſemel fornicatur, perdit omnia ſibi à marito 7

rito liberaliter relicta; ſicut ſi ad ſecundas,& acerbas nuptias tranſiſſet *Nou.39. c.2.§.vnde ſancimus.* Vult enim Imperator, mulierem, quæ parit. X I. menſe poſt mortem viri, parere ex ſtupro: partus enim qui editur ſub finem menſis vndecimi iuſtus non eſt, ſi ſub initium, iuſtus eſt ex decreto quodam Adriani. Et ſanè partus humani legitimum tempus eſſe decem menſes non inceptos, ſed exactos pluribus docet Agell. *lib.*13. *cap.*16. & apud Homerum, Neptunus cùm Nympham à ſe compreſſam dicit ſpecioſum partum edituram anno circumacto, nimirum X. menſe, tot enim menſibus apud Æolas,& Romanos annum fuiſſe conſtat. Tertulian. *lib.de anima: Legitima natiuitas fermè decimi menſis ingreſſus eſt, qui numeros ratiocinantur, decurialem numerum, vt exinde reliquorum parentem colunt; denique perfectorem natiuitatis humanæ.* Sapienter itaque Cuiac. in *Nouell.*39. ſuſpicatur corruptum eſſe Plin. *lib.*7. *cap.*5. vbi vulgò legitur *L. Papirium Prætorem ſecundo hærede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe XIII. menſibus diceret tuliſſe*: ait enim Cuiac. in veteribus exemplaribus legi, *ſe decem menſibus.* Quæ igitur mulier ſtupro ſe polluit intra annum lugubrem, præter pœnam ſtupri, eiſdem pœnis obſtringetur, quibus illa quæ immaturas nuptias contrahit, de quibus *Nou.*11. agitur, ac proinde omnia ſibi a marito liberaliter relicta perdit, vt dicebamus. Neque obſtat quod Imperator videatur ad hanc pœnam partum expoſcere; ſapienter enim reſpondet Sanch. *lib.*7. *diſp.*90. *num.*2. partum requiri, vt ex eo extra tempus legitimum nato fornicatio, & ſtuprum certiſſimò cognoſcatur: quoties igitur pœna legalis,& diſpoſitio vno actu contenta ſunt, conditio appoſita teſtamento vnoquoque actu violata deficiet, ex eaque parte nullum erit teſtamentum, cùm fuerit quoddam pactum conditionale legantis & legatarij, quod non ſeruata conditio ſe nullum eſt, cúmque in caſu noſtro conditio appoſita ſit caſtitas, quæ vnica fornicatione, quamuis occulta violatur, legatum illud conditionale intercidit, & quæ vi illius relicta erant, neque capi, neque retineri poterunt. Ita Sylu. *verb. legatum,n.*2. Caietan. *verb.pœna,circa fin.* Couarru. *in* 4. *decretal.*1.*part.c.*6.§.8.*n.*17. Alij verò e contrario contendunt non perdi per vnam fornicationem legatum de quo agimus, cùm vnus actus non denominet bonum aut malum, & illa tantùm turpiter viuere dicatur, quæ vulgat corpus ſuum. Authores eius ſententiæ dabit Sanch. *lib.*7. *de matr. diſp.*91. *num.* 31. Ipſe verò *num.*34. diſtinguit; ſi enim relictum eſt legatum à viro vxori, aut à libens matri, aut ab aliis conſanguineis mulieri, quorum omnium intereſt eiuſmodi mulierem pudicam eſſe propter ſpecialem iniuriam, quam ex eius turpitudine patiuntur, vnica fornicatione amittitur legatum ex tacita teſtatoris voluntate, & mente, quæ facit ne verborum rigor & proprietas attendatur. Non dicitur quidem vita inhoneſta ex vnica fornicatione, verba ſiquidem quæ ſonant habitum, actuum frequentationem poſtulant, licèt nomina verbalia ſæpiùs vnico delicto in iure contenta ſint; quia leges quæ ſingula delicta in foro externo punire intendunt, id exigunt: & præterea quædam verbalia ex communi hominum ſenſu non exigunt niſi vnum actum, vt raptor, & ſodomita: aliàs quoque ex ſubiecta materia non attenditur omnimodò vocum proprietas: ſic in voto caſtitatis accipitur omnimodo & plena caſtitas, quæ vnico flagitio violatur; quando autem conditio caſtè viuendi imponetur ab extraneo legante, ſeruanda erit vocum proprietas, cùm nihil ſit vnde colligamus teſtatorem aliud velle: quare ſi relinquatur annuum legatum ad honeſtas fœminas, niſi expreſsè requiratur, vt ſint virgines, dari poterit etiam iis quæ aliquando fornicatæ fuerint, niſi iam frequens ea turpitudo fuerit, vt non poſſint eiuſmodi fœminæ dici honeſtè viuere, quia nihil eſt vnde coniiciamus teſtatorem tam arctam caſtitatem exigere.

Hæc præterea conditio caſtè,& honeſtè viuendi appoſita legato nō excludit quoſlibet amplexus, oſcula, & actus libidinoſos, niſi tam frequentes ſint, vt ratione illorum verè dici poſſit fœmina inhoneſte, & luxurioſè viuere: nam vnus actus non dabit eam denominationem, etſi copula vnica id faceret, hi enim actus ſunt imperfecti in ratione impudicitiæ, ita Sanch. *n.*40.

Conditio verò non tranſeundi ad ſecundas nup- 7
tias non violatur per fornicationem, ſicut neque votum non ineundi matrimonium: quia aliud verba ferunt, ſuntque iſta diuerſa, non tranſire ad ſecundas nuptias, vel omnino non nubere, viduam perſeuerare, & non fornicari, neque coniicere poſſumus vi diſpoſitionis ſolius, teſtatorem vtrumque illud voluiſſe: quare vidua fornicans non priuabitur ante ſententiam iudicis legato ſibi relicto, poterit tamen illo à Iudice priuari, vt verè dixit Sanch. *diſp.*1. *num.*42. At verò *n.*43. addit non amitti etiam in foro conſcientiæ tale legatum, quando ſecundæ nuptiæ ad quas tranſire prohibebatur, irritæ fuerunt; quia reipſa manet tota conditio appoſita, neque violata fuit: nam quod vitioſè factum eſt, non factum videtur, *l.quoties* 6. *D. qui ſatiſdare coguntur,* vbi vitioſa cautio, & captioſa ἐπιλαψιμὸς pro nulla habetur. Non amittitur etiam per ſola ſponſalia de futuro, quia diſpoſitum in matrimonio, non procedit in ſponſalibus quoad pœnam, ſed in fauorabilibus duntaxat expreſſis, cùm non valeat ſemper extenſio in ſimili ad alia ſimilia. Maior tamen erit difficultas cùm matrimonium quidem initum fuit, ſed non conſummatum, quia videtur non perfectè violari conditio appoſita, ac proinde deberi legatum, donec conſummatum ſit ſecundum illud matrimonium, quod ſemper præſumetur in foro externo. Sanè per matrimonium nondum conſummatum non incurri pœnas alicui matrimonio inflictas latiùs oſtendit Sanch. *lib.*7. *de matrimonio, diſp.*87. *num.*19.

Reſtat circa hanc conditionem viduitatis, ſiue 8
non conuolandi an ſecundas nuptias, inquirere quandonam cenſeatur apponi legato, quando illa diſertè non exprimitur.

Reſp. præſumi hanc conditionem quoties maritus legat coniugi ſuperſtiti, ſi cum liberis habitarit, quia quamuis maritus permittat eam habitationem, videaturque ſolum ſtare per liberos quominus defuncti coniugis teſtatoris mens impleatur, quia tamen tunc liberi iuſtam habent occaſionem diuertendi à matre, quam incipiunt habere ſuſpectam propter nouos amores; ipſamet mater impedimentum apponit implendæ conditioni, quæ fuerat adiecta maximè in fauorem liberorum. Ita Benedict. *in cap. Raynutius, de teſtamentis, verſ. qui cum alia, n.*170. atque alij permulti, quos adducit & ſequitur Sanch. *lib.*7. *diſp.*91. *num.*48. ſi tamen quandiu ſuperfuere liberi vidua parens cum iis habitauit, illiſque elatis ſecundò nupſerit, non

non priuabitur legato; quia non prohibebantur illa conditione ſecundæ nuptiæ, niſi indirectè, quatenus oberant habitationi matris cum liberis, quæ habitatio reddita modò eſt impoſſibilis morte liberorum. Addit. Sanch. *n.* 50. legatum abſolutè relictum vxori, extingui ea denuò nubente, quia ſic petit memoria mariti, quod etiam contingit quando in legato dicitur, quandiu ſteterit in domo viri, quia iam tranſit in alterius viri poteſtatem, & domum.

9 Denique huc quoque pertinere videtur ea vulgaris quæſtio, an legatum fœminis maritandis relictum, dari poſſit viduis ad ſecundas nuptias tranſeuntibus, id ſiquidem negant paſſim DD. quia eiuſmodi verba illas primas nuptias indicant, vti ex *l. bones* 89. §. *hoc ſermone. D. de verbor. ſignific.* probant Benedick. *in cap. Raynutius, de teſtam. verſ. qui cum alia, num.* 79. & Tiraq. *tract. in eam l. Bones, citatam, n.* 3. Vide & notas Gotufredi *ibid.* Limitat tamen communè hanc ſententiam Sanch. *citata diſp.* 91. *n.* 58. nam ſi primæ nuptiæ non fuerint conſummatæ, minimè excluduntur ſecundæ, deinde ſi non fuerint antæ nubiles, quibus hoc legatum detur: nam puella niſi XII. annus nata ſit, & ad ætatem nubilem peruenerit, neque petere legatum illud, neque illi dari poterit; quod etiamſi relinquatur puellis maritandis, nequit dari maritatæ, quia non verificarentur verba legati: quod ſi legetur fœminis, aut puellis dotandis, poterit dari maritatis ſine dote, aut non niſi exigua, & ad oneta matrimonij propter coniugum grauem inopiam minimè ſufficiente. Si denique certæ perſonæ, v. g. Titiæ maritandæ fiat legatum, illaque viuo adhuc teſtatore ſiue conſcio, ſiue ignorante nubat, vel iam nupſerit dum conditur teſtamentum, debebitur tamen illi legatum, quia factum eſt ex peculiari affectu erga Titiam, quæ nullum legato impedimentum appoſuit, vt vides.

Maior videtur difficultas, an vxori quam teſtator viduus duxit poſt conditum teſtamentum, debeatur legatum abſolutè relictum vxori, cum ea vxor æquè ad primam, atque ſecundam vxorem trahi queat. Diſtinguit Couarru. in *cap. requiſiſti, de teſtam. num.* 3. cui adhæſit Sanch. *diſp.* 91. *cit. num.* 59. nam ſi legans tempore conditi teſtamenti coniugatus erat, debebitur illud legatum vxori, quam tunc habebat; illæ enim meritò præſumitur illud legaſſe ex præcipuo erga ſuam vxorem affectu: ſi verò coniugatus tunc non erat, debebitur illi vxori, quam moriens habuerit, quia ceſſat coniectura peculiaris affectus in aliquam vxorem determinatam, & ex generali duntaxat affectu maritali legatum feciſſe cenſetur.

10 Quarta cōditio, eſt nubendi, primò abſolutè prolata; *lego Caia centum, hæredem inſtituo Sempronium ſi nubat.* Secundò cum addito ne ingrediatur Religionem; *lego Camilla ſi nubat, & non ingrediatur Religionem.* Tertiò conditio nubendi non exprimitur, ſed æquiualenter ponitur prohibendo aliquid quod cum nuptiis conſiſtere nequit; *lego mille Corneliæ ſi Religionem non ingrediatur.* Quartò denique præſcribuntur certæ nuptiæ: *hæredem inſtituo Lucretiam ſi nubat Scipioni.*

Conditio igitur *ſi nupſerit*, adiecta legato, aut teſtamento. *Lego mille Caio, hæredem inſtituo Furiam ſi nupſerit*, valida eſt, cùm non ſit turpis, neque iure ciuili vt conſtat, neque iure pontificio: quamuis enim nuptiæ inferiores ſint Religione, & virginitate, honeſtæ tamen ſunt, neque conditiones, vt honeſtæ ſint, & non reiiciantur debent eſſe de meliori bono, ſed ſufficit ſi ex natura ſua & circunſtantiis, quibus veſtiuntur, bonæ ſint, & honeſtæ, quamuis non cohæreant cum excellentiori quodam bono, illudque impediant, vt nuptiæ Religionem: alioquin malæ forent nuptiæ, cùm ingreſſum Religionis prohiberent: quare tota difficultas eſt, an legatum relictum Pupææ ſub conditione ſi nubat, ipſi debeatur ſi Religionem ingrediatur; ita enim affirmandum eſſe exiſtimat Ponc. *lib.* 3. *de matrim. cap.* 7. *num.* 9. cùm id fauore Religionis indulſerit Iuſtinian. *Nouell.* 123. *c.* 37. vbi imperat conditionem hanc *ſi liberos ſuſceperit, ſi nupſerit, cùm nupſerit*, remitti ei qui Monachiſmum, vel Clericatum præoptauerit, & ideò legati ſtatim petitionem eſſe, & ſubſtitutionem precariam extingui ſi ſub conditione contraria oneratus ſit fideicommiſſo, niſi in redemptionem captiuorum, vel exhibitionem pauperum ſubſtitutio fideicommiſſaria concipiatur. Itaque hanc conditionem, de qua agimus remitti fauore Monachiſmi, & Clericatus omninò voluit Imperator, quidquid in contrarium teſtator diſpoſuerit, quod etiam exiſtimauit Vega *in ſumma, caſu* 66. poteſt ſiquidem ſumma ſua authoritate Princeps vltimas morientium voluntates in aliquod melius commutare, & appoſitam conditionem per aliam meliorem ſupplere, quod huc loco factum eſſe conſtat, eo quod Imperator apertè fateatur velle ſe fauere Religioni, quod non faceret, ſi ex præſumpta tantùm voluntate teſtatoris conditionem aliquam ab ipſo appoſitam remitteret, vel ſuppletam eſſe per aliam iudicaret: idem enim in omnibus aliis contingeret, quoties ſimilis aliqua præſumptio locum haberet. Ex his colligit præterea Ponc. *n.* 11. legatum relictum fœminis maritandis, dari poſſe tranſeuntibus ad Religionem, ex communi ſenſu Salmanticenſium Theologorum; verius tamen eſt legatum relictũ ſub conditione nuptiarum non poſſe dari Religionem ingredienti, niſi præſumatur ea fuiſſe teſtatoris voluntas; cùm conditio nuptiarum honeſta ſit, & potuerit apponi, neque liceat hanc honeſtam voluntatem teſtatoris in aliam, licet meliorem commutare, alioquin id liceret in omni caſu, quoties aliquid melius occurreret, quàm id quod voluit teſtator: neque ipſe Princeps poteſt ſibi hoc ius vindicare, quamuis poſſit leges præſcribere ad ſolemnitatem teſtamentorum, & aliarum diſpoſitionum, quæ eiuſmodi præſcripta ſolemnitate deficiente, & nullæ, & inualidæ erunt. Immò verò ius in multis potius fauet matrimonio, quàm Religioni: quare Nouella illa Iuſtiniani conſtitutio ducitur præſumptione voluntatis teſtatoris, qui cùm non expreſſerit diſtinctè ſuam voluntatem circa Religionem, cuius non meminit, præſumitur idem fuiſſe diſpoſiturus, ſi cogitaſſet fore, vt legatarius reiecto matrimonio Religionem fortaſſis ingrederetur. Vnde ſequitur neque legatum maritandis puellis deſtinatum poſſe dari Religionem ingredientibus. Ita pluribus Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 33. *num.* 29. *& ſeq.* & *diſp.* 34. *n.* 11. vbi plures alios allegat. 11

Ex quibus ſequitur quid ſentiendum ſit erga duas illas alias conditiones; nempe *lego Caio ſi nubat, & non ingrediatur Religionem*; vel nulla expreſſa mentione nuptiarum, *ſi non ingrediatur religionem*: implendæ enim ſunt hæ conditiones, & non reiiciendæ, ſicut reiicitur conditio auertens à nuptiis; quia licet ſpirituales nuptiæ longè nobiliores

liores ſint carnalibus, ac proinde conditio auertens à ſpiritualibus æquè turpis cenſeri debeat, atque auertens à carnalibus, hoc tamen priuilegium leges non tribuerunt ſpiritualibus, quare ſi legentur 200. Titio ſi duxerit vxorem, centum autem ſi Religionem ingrediatur, vbi hoc poſtremum fecerit, non lucrabitur illa ducenta, quia conditio à religione retrahens non reiicitur, & quamuis nullus debeat alium à Religione auertere, poteſt tamen parens filiæ Religioſæ minus multò dare, quam nubenti propter grauiora onera nuptiarum, & maiores ſumptus ferendos; quæ omnia habent Molin. *tract.* 2. *diſp.* 207. Conarru. *lib.* 1. *variar. cap.* 19. *num.* 10. Sanch. *citata diſp.* 34. *n.* 11. qui complures alios adducit contra Ponc. *citato cap.* 7. *num.* 13. 14. *&* 15. & alios quos dabit ipſe Sanch. qui omnes docuntur, quòd à Iuſtiniano illa conditio non ingrediendi Religionem reiiciatur tanquam minus proba, quod tamen ipſi non oſtendunt, alioquin etiam vbi maioratibus & primogeniis apponitur à teſtatore ad conſeruationem nominis & familiæ, remittenda eſſet, quod tamen omnes paſſim negant, ipſique aduerſarij magno conſenſu: quod autem dicunt maioratus bona pugnare cum Religioſo ſtatu, non obſtat; quia cùm legata quæ dari voluit ingredientibus Religionem, quãuis relicta fuerint ſub conditione nuptiarum, non capiantur & poſſideantur ab ipſo priuato Religioſo legatario, ſed ab ipſomet Monaſterio, cur non poterit & illud bona & ditiones maioratus poſſidere, cùm alias ſimiles poſſideat, & aliæ Eccleſię paſſim. Nõ obſtat etiã, quod obiiciunt conditionem non ingrediendi Religionem, vt quis capiat legatum ſibi relictum, abducere à Religione ſuſcipienda, quod omninò non licet; nemo enim timore amittendi bona temporalia deponit animum ingrediendi Religionem, cùm eo ipſo quod illum animum ſuſcipit, velit commoda omnia, & bona temporalia delerere.

12 Ad extremum dixi in conditione *ſi nupſerit*, aliquando præſcribi nuptias cum certa aliqua perſona, aut genre, aut familia: *hæredem, inſtituo Sempronium, aut illi quidpiam lego, ſi Dorotheam duxerit vxorem.* Hanc conditionem ſeruandam eſſe, eiuſque defectu legatum, vel hæreditatem non comparari, communis ſententia eſt apud Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 33. *n.* 6. & expreſſiſſimè habetur *l. Titio* 71. §. 1. *de condition. & demonſtrat.* quia hæc conditio non eſt vera pœna; ſed ſolùm inuitatio ad certum matrimonium ſpe lucri, hæreditatis nimirum, aut legati, quod alioquin amittet; quod verum eſt etiamſi ea conditio tranſiret in modum; v. g. *inſtituo Titium, aut illi lego, vt ducat Camillam:* etſi enim modus non ſuſpendat effectum, vt dicemus inferiùs, & ſtatim acquiratur hæreditas, aut legatum, ac proinde eius priuatio videatur vera pœna diminuens propria bona, quæ pœna remouetur ab ſponſalibus, *c. gemma, de ſponſalibus*, & *l. Titia* 134. *D. de verbor. obligat.* & *l. fin. C. de ſponſalibus*; quando tamen priuatio lucri, aut boni acquiſiti fit ab eo, qui illud conceſſit ſub aliqua conditione, aut pacto, vt in hoc caſu contingit, vera pœna non eſt.

13 Hæc nihilominus conditio certi matrimonij non poteſt apponi legitimæ, quia nulla ratione grauari poteſt, vt dicemus *in appendice de teſtamentis*, non poteſt etiam imponi conditio ducendi perſonam indignam, alioquin ea conditio habetur pro non adiecta, *l. cùm ita legatum* 63. §. 1. *D. de condition. & demonſt.* quia hæc conditio eſt inhoneſta, & honeſtè compleri nequit; ac proinde in matrimonij & teſtamenti tabulis habetur pro non adiecta: nam æquiualet iſti, *ſi non nupſerit*: immò & illa durior eſt, duo ſiquidem continet, vnum expreſsè, v. g. vt ducatur à Titio Bertha, alterum tacitè, vt nulla alia quàm Bertha ducatur. Itaque ſi Bertha indigna ſit, *tale eſt*, inquit, Caius *l.* 63. *citat. quale ſi generaliter ſcriptum eſſet, ſi non nupſerit.* Immò ſi verum amamus, durior eſt hæc conditio, quàm illa *ſi non nupſerit*: nam & cæteris omnibus nubere prohibetur, & perſonæ indignæ nubere iubetur; quod ſi virgo cui legatur quidpiam, *ſi Titio nubat*, alteri ex patris conſenſu nubat, exiſtimatur non amittere legatum, à Sanche *diſp.* 33. *n.* 13. qui plures allegat, quia virgo nequit honeſtè nubere ſine patris conſenſo, non potuit igitur contra patris voluntatem nubere Titio, ac proinde cùm non potuerit honeſtè implere conditionem appoſitam, non debet priuari legato ſub illa conditione relicto; placet mihi diſtinctio Poncij *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 5. quoties virgo poterit nubere contra patris conſenſum, niſi nubat Titio, perdere legatum ſibi factum ſub conditione nubendi Titio: quando verò non poterit nubere ſine conſenſu patris, aut ſaltem contra eius voluntatem, vti in Gallia propter damnatas eiuſmodi nuptias legibus & moribus Gallicis, non amittet legatum, ſi non nubat Titio contra patris voluntatem. Eadem eſt ratio conditionis ducendi conſanguineam, ſi Pontifex diſpenſauerit, etſi enim foret in ſecundo gradu conſanguinitas eiuſmodi, valebit tamen ea conditio, quia non eſt inhoneſta, vt ait Sanch. *lib.* 5. *de matrimon. diſp.* 5. *num.* 19. *&* 20. & nos *in opere de vſuris lib.* 3. *c.* 2. *art.* 6. *n.* 20. aliquid diximus. Qui iubetur ad legatum obtinendum ducere nobilem, ſi deinde viduus factus ignobilem duxerit, amittit legatum, quia illa conditio eſt negatiua, ac proinde perpetua: quare de omnibus nuptiis, & non tantùm de primis intelligenda eſt: atque ita explicabis *l. boues* 89. §. 1. *D. de verb. ſign.* Quod ſi Caia legataria eſt ſi nupſerit Mæuio, & ille renuat, adeatque legatum Caia, ac ſubinde Mæuium facti, & recuſatarum nuptiarum pœnitentem reiiciat, non priuabitur tamen legato; quia ſufficit conditionem ſemel extitiſſe, licet poſteà deſierit, vt latè Tiraquell. *in l. ſi vnquam, C. de reuocand. donation. verſ. ſuſceperit liberos, num.* 151. qua etiam de cauſa, qui iuſſus fuerat ducere Sybillam, abnuit, ſi deinde pœniteat, intereaque ſucceſſio, quæ illi ex conditione eiuſmodi nuptiarum obtingere debebat, acquiſita eſt Sempronio, nihil iuuabitur mutatione voluntatis: ſi tamen omnia perſtarent adhuc integra, & nihil alteri fuiſſet acquiſitum, prodeſſet ea pœnitentia. Qui iuſſus ducere Luciam, aliam duxit, ſed poſtea viduus factus Luciam ducit, excidit legato, quia defecit ſemel conditio, quod ita tamen intelligendum eſſe monet Sanch. *diſp.* 33. *citata, n.* 17. vt tempore debiti legati, non pareat conditioni: nam ſi eo tempore propter diſſolutum prius matrimonium impleat, conditionem, valebit legatum.

Quoties conditio certi matrimonij, quæ mixta eſt, cùm pendeat ex duorum contrahentium voluntate, non impletur abſque culpa eius, cui impoſita eſt, valebit legatum, & habetur conditio pro impleta. Si iuſſus fuerit Mæuius ducere Lucretiam quæ eius recuſauit nuptias, impleta cenſetur conditio *L.* 1. *C. de inſtit. & ſubſtit.* & *l. in teſtamento* 27. *D. de condition. & demonſtrat.* Ita Molin.

tract. 2.

tract.2.diſp. 206. *&* 207. Sanch. *diſp. cit. n.* 19. qui addit. *n.* 20. idem dicendum eſſe quando Lucretia interim alteri nupſit, neque enim tenetur legatarius eam viduam effectam ducere, vt ait Molina *lib.2 primogen. c.* 13. *n.* 17. qui *n.* deinde 19. ſapienter obſeruat hanc doctrinam circa conditionem non impletam ex alterius, quàm eius cui fuerat impoſita culpa, non eſſe generalem; quod enim in vltimis voluntatibus conſtitutum eſt, non debet ſtatim trahi ad alios contractus, vt in *l.* 1. *C. de inſtitut. & ſubſtit.* DD. obſeruant: in his autem videndum eſt in cuius fauorem matrimonium cõtrahi voluerit teſtator, ille enim legatum conſequitur, in cuius fauorem fuerit adiecta conditio, ſi per eum non ſtet ipſius impletio: quare legatarius cum conditione ſi matrimonium aliquod contrahat, à Titio, quamuis non ſtet per ipſum, non acquirit tamen legatum, quia in eius commodum primò, & per ſe non apponitur ea conditio: quod etiam contingit quando neutrius contrahentis culpa non ponitur conditio; voluit v. g. legatarius Sempronius ducere Caiam, vti iubebatur ad obſeruandum legatum, ſed Caia interim obiit, non acquirit legatum *l.* 4. *C. de condition. inſertis*, & *l. in teſtamento* 31. *D. de condition. & demonſtrat.* vide Cuiac. *lib.* 17. *obſeruat. cap.* 2. Limitant tamen DD. niſi legatum fuerit in alimenta, vt ſi detur in dotem puellæ, tunc enim conditio caſu deficiens, habebitur pro impleta. Præterea ſi conditio deficiat ipſo teſtatoris facto, nihil nocebit; v. g. legauit Titius centum Parrochiæ ſi in ea ſepeliatur, quod tamen fieri non potuit, quia obiit excommunicatus, valet legatum. Denique ſi quis alius à legatario impediat quominus impleatur conditio legati, & contrahatur matrimonium imperatum, non valet quidem legatum, ſed legatarius habet actionem ad intereſſe aduersùs impedientem. Legatum relictum puellæ nubenti valet ea ingrediente Religionem, vti paſſim omnes affirmant, vti iam monuimus nuper *num.* 34. eo quod præſumatur ea eſſe mens teſtatoris.

14 Quintò ſtipulatio pœnæ ad contrahendum matrimonium non ſecundùm bonos mores interpoſita fuiſſe dicitur à Paulo *in l. Titia* 134. *D. de verbor. obligat. Quia inhoneſtum viſum eſt vinculo pœnæ matrimonia obſtringi ſiue futura, ſiue iam contracta*, v.g. conuentum eſt inter Caium Scium, & Titiam, vt filia Caij Seij filio Titiæ deſponderetur, & adiecta pœna ſi quis eorum nuptiis impedimento fuiſſet: hanc ſtipulationem tanquam turpem & matrimonij libertati officientem reiicit Paul. verùm de hac pœna ſiue ſponſalibus, ſiue ipſi matrimonio adiecta fuſiùs egimus in opere de vſuris *lib.* 4. *c.* 5. *art.* 2. *&* 3. explicuimuſque quid iura velint in hac parte. Quis verò ſit Galliæ vſus, & mores in hac re fuſiùs dabunt Lepreſtre *in ſuis quæſtionibus iuris, centuria* 1. *cap.* 68. Chenu *in quæſtionibus centuria* 2. *quæſt.* 44. 45. *&* 48. Bacquet. *tract. de iuribus iuſti. cap.* 21. *n.* 329. Expilliæus *in ſuis arreſtis cap.* 134. *num.* 7. & Loueius, eiuſque eruditus Annotator *littera M. arreſto, ſiue n.* 24. Res tota aliò pertinet, nempe ad libertatem in matrimonio contrahendo requiſitam, de qua commodius agemus aliquando bono fauente Numine.

Sextò ſunt plures aliæ conditiones, de quibus dubitari ſolet, an turpes ſint, an honeſtæ, ſed cùm illæ non niſi quibuſdam certis caſibus communiter adhibeantur; de illis ſingillatim in explicandis illis diſpoſitionibus, & actionibus agendum non eſt; ſatis fuerit hoc loco explicuiſſe illas, quæ magis vniuerſales ſunt; & pluribus iiſque diuerſis actibus ſæpius adiiciuntur.

QVÆSTIO VIII.

Qualis ſit obligatio contractus, & pacti conditionati.

Pendente conditione nulla eſt obligatio. 1.
Ideóque nondum eſt quis propriè debitor, aut creditor. 2.
Eſt tamen obligatio expectandi conditionis euentum. 3.
An ideò debitor teneatur cauere de ſoluendo. 4.
An creditor data cautione Mutiana poſſit tunc exigere. 5.
An res tunc vendita retrahi. 6.
Quid quando creditor conditionalis & abſolutus concurrunt. 7.
Impleta conditione, contractus, quomodo fiat abſolutus. 8.

CErtum eſſe debet ex natura conditionis propriè dictæ *quæſt.* 1. nuper explicata, nullam oriri vel actionem, vel obligationem pendente conditione, ſiue donec illa poſita exiſtat, quod oſtendimus *quæſt.* 3. docentque paſſim Doctores, quia vti monebamus eo loco, tota diſpoſitio ſuſpenditur in aduentum conditionis. Itaque virtus omnis, & efficacia contractus, alteriuſve actus eſt in pendenti, donec impleatur adiecta conditio: quare Vlpian. ait *in l. cedere diem* 213. *D. de verbor. ſignif.* vbi quis ſtipulatus fuerit ſub conditione, neque ceſſit, neque venit dies pendente adhuc conditione: & Paul. in *l. bonem* 45. *§. ſi ſub conditione. D. de ædilitio edicto*, in homine empto ſub conditione, redibitoria actione ante conditionem exiſtentem inutiliter agi: quia nondum eſt perfecta emptio. Marcian. in *l. grege* 13. *§ ſi ſub conditione, D. de pignorib.* cùm ſub conditione debiti nomine obligata eſt hypotheca, ait ante conditionem non rectè agi, cùm nihil interim debeatur. Similia vide *in l. is cui* 72. *D. de action. & obligat.* & *l. id quod* 19. *de conſtituta pecunia*, *l. fideiuſſor obligari* 16. *§. ſtipulatione. D. de fideiuſſoribus*, *l. ſub conditione* 16. *D. de ſolutionib.* atque alibi ſæpius: quam certam vniuerſalem, conſtantemque doctrinam interpretes extendunt æquè ad conditiones tacitas, atque expreſſas; v. g *ſiquis ſtipulatus ſit quod in vtero eſt, aut fructus futuros, aut domum ædificari, tunc incipit actio, cùm ea per rerum naturam præſtari poteſt*, inquit Paul. *in l. interdum* 73. *D. de verb. obligat.* Si quis mulieri dotem promiſerat, intelligitur conditio ſi nuptiæ ſequantur, & non alias: quare neque ante nuptias ſequetur vlla vel actio, vel obligatio, quod diſertè affirmat Vlpian. *in l. ſtipulationem* 21. *D. de iure dotium*: & *in l. item quia* 4. *§.* 1. *verſ. male petitur. D. de pactis*; vbi vide gloſſam quam Gomezius *tom.2. variar. c.* 11. *n.* 28. & alij plures ab ipſo relati ſingularem dicunt.

Ex hac obligationis ſuſpenſione in diſpoſitione conditionata plurima ſapienter colligit laudatus Gomez. Inprimis enim debitor ſub conditione non eſt propriè debitor, qualis eſt ſolus ille 2

à

à quo ſtatim inuito debitum exigi poteſt, *l.debitor* 108.*D.de verbor.ſignificat.*& pluribus oſtendit Facbinæ.*lib.*11.*com.c.*74. Tiraq. *in l.ſi vnquam, C. de reuocand. donat. verſ. reuertatur*, *n.*125. quod fieri nequit ab iſto ante euentum conditionis. Secundò cùm teſtator legat alicui debitũ ſibi a Titio, intelligendus eſt legare debitum purum, & non conditionale, vel in diem, ex communi DD. *in l.qui Roma* 122.§. *duo fratres. D. de verbor. obligat.* & ſatis expreſsè habetur *in l.ſi ſcripſiſſet* 46. *D. de legat.* 2. Tertiò ſi creditor ceſſit alteri iura ſibi cõpetentia contra alium, in tali ceſſione non comprehenduntur debita ſub conditione, vel in diem, ſed ſola debita pura, ex Baldo *in l.ſcripſiſſet*, *citatam*, vnde Gomeſius colligit rationem eius quod habetur in nuper *citata l. qui Roma*, §. *duo fratres*, vbi dicitur quod ſi pater inſtituit duos filios, illoſque inuicem grauat, vt qui prior decedet ſine liberis, reſtituat alteri partem ſuam, illi verò dimidiam hæreditatem, & cauent ſibi *nihil ſe contra eam diuiſionem facturos*, *& ſi contra quis feciſſet, pœnam alteri promiſit*: nihilominus cum vnus ex illis fratribus obiiſſet, & alios ſcripſiſſet hæredes; ab eis frater ſuperſtes hæreditatem petit ex cauſa fideicommiſſi, neque obſtabat diuiſio facta, & remiſſio per illam facta, quia inquit Gomez. in illa remiſſione non comprehenditur ius futurum, ſed tantùm præſens; nihilominus Iudex pronuntiauit de fideicommiſſo quoque trãſactum fuiſſe, & pœnam commiſſam fuiſſe, non quaſi ſola diuiſio per ſe fuerit argumentum remiſſi fideicommiſſi, vti obſeruauit Gotofredus in notis, ſed ex aliis quibuſdam rationibus, vt ibidem explicat Cuiac. Mihi illa plurimùm probabilis videtur, quod cum nullum aliud eſſet fideicommiſſum, aut debitum, ſiue ius de quo in illa diuiſione hæreditatis tranſigerent, quam iſtud; aduerſus illud duntaxat ſibi pœna appoſita cauerunt, illudque remiſerunt per eiuſmodi diuiſionem, & pactum de illa nunquam violanda appoſitum, graui pœna violanti inflicta: quod enim diximus debita, & alia iura pura & præſentia intelligenda eſſe, & non conditionalia, vel in diem, quando creditor de illis diſponit, verum eſt, dum creditor ſimul habet iura liquida, pura, & præſentia, & debita conditionalia, & in diem; tunc enim niſi mentem ſuam exprimat, non cenſetur diſponere niſi de debitis & iuribus puris, & abſolutis; quod ſi ſolùm habeat iura conditionalia, & in diem, ad ea debet referri diſpoſitio, vel liberatio contractus, aut vltimæ voluntatis, quod probant ex *l.fundus qui locatus* 24. *D.de inſtruct. vel inſtrum.legat.* vbi fundo cum inſtrumento legato intelligitur inſtrumentum ſolius domini, non coloni, quod ſi nullum ſolius domini fuit, illud quoque coloni legato cedei, quibus plura ſimilia in hanc rem congeſſit eo loco Gomez.

3 Tertiò quamuis contractus aliáue diſpoſitio cõditionata non pariat obligationem ad rem promiſſam ante poſitam conditionem, eaque pendente nullus ſit propriè creditor neque debitor, vti diximus, parit tamẽ eiuſmodi diſpoſitio obligationem expectandi cõditionis euentũ, quare eſt debitum in ſpe, ſiue ſpes delicti à iure probata, cuius ſunt plurimi effectus. Primò enim neuter ex contrahentibus poteſt altero inuito diſcere à cõtractu, aut illũ mutare, & grauamẽ vllum adiicere, ſed vtrique conditionis euẽtus omninò expectãdus erit, quod pluribus cõfirmat Tiraq. *lib.*1.*de retr.*§.1. *gloſ.*2.*n.*26.& *gloſ.*10.*n.*43.& neminem refragari teſtatur Mulina *diſp.*285.*n.*7. alioquin non poſſet illa debiti ſpes trãſmitti ad hæredes, neq; opus eſſet perimi rem ad extinguẽdas diſpoſitiones conditionales, vti tamen poſſe ſtatim oſtendemus. Secundò ſi pendente cõditione fiat traditio rei, dominiũ illius transfertur *l. ſub conditione* 16. *D. de ſolutionib.* vbi Pompon. *Sub conditione debitori ſi acceptũ feratur; poſtea conditione exiſtente intelligitur iã olim liberatus*: & *l.*7.§.*fin.* & *l.*8. *D.aure doti ̃*; conſentiuntq; iis locis DD. & probat Gom. *in repetit. ad l.*1. *D.de adquir. poſſeſſion.*

Quartò tenetur debitor ex communiori ſententia
propter hanc ſpẽ præſtare cautionem de ſoluendo 4
debito, adueniente conditione, ſi poſt contractum eiuſmodi debitũ ſuſpicio ſit non fore ſoluendo, *l.in omnibus* 41. *D.de iudic.* vbi Papinianus ait, in omnibus bonæ fidei iudiciis cùm nondũ dies præſtandæ pecuniæ venit, ſi agat aliquis ad interponendam cautionem ex iuxta cauſa, condemnationem eſſe: neque iuſtior eſſe cauſa poteſt quàm inopia debitoris, qui vbi dies aduenerit, ſoluendo non erit; tunc enim bona fides poſtulat, vt creditori cõſulatur, data ei actione ad interponendam cautionem, vt res in tuto collocetur, ne pereat; quid enim prodeſſet diem expectari, ſi interim res periret, inanis ſiquidem eſt actio quam debitoris eludit inopia *l. nam is* 6. *D.de dolo*: atque hanc Papiniani ſententiam in omnibus bonæ fidei iudiciis obtinere ſiue in diem, ſiue ſub conditione debeatur, volunt cõmuniter DD. apud Gomeſium, nam vtroque caſu verum eſt diem præſtandæ pecuniæ non veniſſe quamdiu dies, vel conditio pendet, æquè autem venire diem cùm exiſtit conditio, atque ſi in diem debitum fuiſſet: nihilominus communem hanc ſententiam ſapienter reiicit Anton. Fab. *ad eam l. in omnibus*, & Papinianum ad debita quæ in diem contracta ſunt, reſtringi vult, quia eorum cauſa fauorabilior eſt quàm illorum, quæ ſub conditione debentur: nã quæ in diẽ certum debentur, ea certũ eſt omnimodò debitum iri, cùm non poſſit certus dies non venire, non verò ea quæ ſub conditione; cùm conditio dicenda non ſit, niſi quæ poteſt non exiſtere, vti monuimus *q.*3. ex *l.*33.*de hæred.inſtit.* & *l.*18. *D. de condit.indebit.* Vnde fit, vt quod in diem debetur, etiamſi ante diem compenſari non poſſit *l.quod in diem* 7. *l. cùm militi* 6. *D. de compenſ.* ante diem tamen ſolutum repeti non poteſt, *l. in diem* 10. *D.de condit. indeb.* quod aliter dicendum eſt in debito conditionali *l. ſub conditione* 19. *D. eod.* Quare quod ſub conditione ita nondum deberi intelligitur, vt ſi debitor velit pendente conditione ſoluere, nequeat tamen ex ea ſolutione liberationem conſequi: quia prius eſt, vt obligatio contrahatur, quàm vt tollatur, & vt priùs quid debeatur, quàm vt ſoluatur, *l.ſtipulatio iſta* 38.§. *inter. D.de verbor. obligat.* abſurdum itaque eſt ante diem vrgeri eum ad præſtandam cautionem, qui ſoluere adhuc eo tẽpore non poteſt, etiãſi maximè velit, vel ob hoc ipſum vt ſe liberet onere præſtãdæ cautionis: debiti verò ante diem certum alia ratio eſt, quia poteſt ſolui ante diem, licèt ante diem peti non poſſit, *l.quod certa* 70. *D.de ſolutionib.* Siquidem plus præſtat, quàm debeat, qui ſoluit ante diem, *l.ſancilenus* 15. *D.de ann. legat.*

Dices hinc fieri, vt debitum conditionale perire, aut ſaltem inane fieri per inopiam debitoris, & defectu cautionis patiamur.

Reſp. id abſurdum minimè videri, cùm etiã deficiente conditione perire queat, neque magis laborandum eſt iudici, vt debitũ conditionale collocet in tutu, quàm laborauerit ipſe creditor, qui totum

ſui debiti ius ex incerto conditionis euentu pendere voluit.

5 Grauis autem difficultas eſt circa creditorem, an quando vi alicuius diſpoſitionis conditionalis quidpiam percipere debet, poſſit illud exigere, & capere, præſtita tamen cautione, quod deficiente illa conditione reſtituet illa bona iis ad quæ pertinerent, ſi non fuiſſent ipſi relicta, aut debita ſub conditione: quam cautionem Mutianã vocant à Q. Mutio, qui illam primus inſtituit, vt dicemus alibi: eius ea vis eſt vt ſtipulatione cõmiſſa, qui contra fecerit, vel rem cum fructibus, vel quanti ea res eſt, reſtituat *l. cùm ſub hac 67. & l. heres 79. §. 2. D. de condit. & demonſtration.* Obſeruandum porrò eſt alias eſſe conditiones affirmatiuas, vt *do, lego centum Caio ſi Romam venerit, ſi monumentum ædificauerit, ſi vxorem Camillam duxerit*; aliæ verò conditiones ſunt negatiuæ, quia in non faciendo conſiſtunt, vt loquitur Vlpian. *Do, lego centum Sempronio ſi Capitolium non aſcenderit, matrimonium non contraxerit*: atque ex his aliquæ ſunt temporariæ duntaxat, quia certo & deſignato tempore finiuntur; v. g. *ſi intra biennium Roma non diſceſſerit, ſi intra idem tempus Capitolium non aſcenderit*; aliæ verò ſunt perpetuæ, quia nullum illis implendis tempus aſſignatur, & idcircò durante vita creditoris, ſiue illius cui imponuntur, non cenſentur impleri: vt *inſtituo heredem Caium, ſi Capitolium non aſcẽderit*; quamdiu enim viuet Caius nun erit impleta conditio, vt patet, agimus enim de veris conditionibus de futuro, non de præſenti, aut præterito, illæ enim cùm ſuſpenſiuæ non ſint, non ſunt etiam propriæ, & veræ conditiones, de quibus agimus hoc loco; debent quoque eſſe de futuro contingenti, non neceſſario; v. g. *ſi cælum digito non tetigeris*; illæ enim, vti diximus alias, non ſuſpendunt effectum diſpoſitionis, & habentur pro impletis: quare ſapienter monet Gomez. *tom. 2. variar. c. 11. num. 38.* conditionem de præſenti & præterito, etiam in vltimis voluntatibus non impedire tranſmiſſionem eius quod ſub illa relictum fuit, quamuis ab hærede, aut legatario tranſmittente ignoretur ipſam fuiſſe impletam. Deinde quod vulgò habetur ex *l. ſi pater, C. de inſtitut. & ſubſtitut.* teſtamentum in quo filius habetur inſtitutus ſub conditione caſuali, vel mixta, nullum eſſe, intelligi debet de conditione de futuro, non verò de præſenti, aut præterito. Tertiò ſtatutum quod iubet reſpondère libello purè, & non ſub conditionibus interminata pœna, intelligendum quoque eſt de ſimili conditione de futuro tantùm; quod idem dicendum eſt quoties actus legitimus prohibetur fieri ſub conditione, ſicut & quod habet gloſſa ſingularis *in l. non ad ea. D. de condition. & demonſtration.* bona conditionalia non confiſcari. Conditiones igitur poſitiuæ, ſiue affirmatiuæ, quæ in vita impleri debent, exigunt ſui executionem, vt quod ſub illis donatur, promittitur, aut alia ratione relinquitur, obtineatur, & de illis non agimus hoc loco, an præſtita cautione poſſit creditor accipere ſibi debitum ante poſitionem conditionis: certum enim eſt non poſſe: quæſtio duntaxat erat an poſſit exigi cautio à debitore, præſtandi, quod ſub conditione relictum eſt, vbi conditio poſita fuerit, eo quod timeatur ne debitor conditione poſita, non ſit futurus ſoluendo, quod cum Anton. Fabro nuper negauimus. Tota itaque controuerſia eſt de conditionibus negatiuis, iiſque perpetuis, quæ in vita eius cui imponuntur ad obtinendum quod ſibi aliqua diſpoſitione cõditionali debebitur, impleri nequeunt, an ille, qui per eiuſmodi conditionalem diſpoſitionem creditor conſtituitur, poſſit iam nunc obtinere, & exigere ſibi ſub ea conditione debitum, præſtita tamen cautione Mutiana, quod defecta illa conditione reſtituet quidquid perceperit, cum eius etiam fructibus; atque in eiuſmodi conditionibus negatiuis duntaxat verſatur cautio Mutiana, quod affirmat Vlpian. *in l. Mutiana 7. D. de condit. & demonſt. Mutianæ cautionis vtilitas conſiſtit in conditionibus quæ in non faciendo ſunt conceptæ, vtputa, ſi in Capitolium non aſcenderis, ſi Stichum non manumiſeris, & in ſimilibus*: quod ex Ariſtone, Neratio, Iuliano antiquis Iuriſconſultis, & ex conſtitutione Diui Pij comprobat.

Quærimus itaque, quandonam cautio Mutiana locum habeat in diſpoſitionibus conditionatis conditione negatiua perpetua: & quidem in vltimis voluntatibus, inſtitutionibus, legatis, fideicommiſſis fatentur omnes fas eſſe ſibi relicta percipere præſtita cautione Mutiana, quod deficiente conditione reſtituentur bona iis, quibus aliàs competerent, ſi non fuiſſent hæredi, vel legatario relicta ſub conditiooe; habemus enim ius expreſſum *in l. Mutiana 7. l. heres meus 79. §. qui poſt. l. Titia fundus 73. l. pater Seuerianam 101. §. ſocer nurui. D. de condition. & demonſt. l. ſeruo inuito 65. §. 1. ſub fin. D. ad Trebellian.* atque alibi, conſentiuntque paſſim interpretes, quamuis in reddenda ratione idonea huius iuris non parum laborent, vt videbis apud Gomezium *cap. illo 11. n. 37.* vbi varias eorum ſententias affert, & confutat: illa minimè omnium diſplicet, quam etiam probat Ant. Fab. *lib. 2. coniectur. c. 16. n. 7.* quia illa teſtatoris diſpoſitio nunquam ſortiretur effectum in hærede, aut legatario, quem voluit ſuis bonis donare, & vel inſtituere hæredem, vel aliqua hæreditatis aſpergere portione. Cùm enim tota ſua vita non poſſit implere ſibi conditionem impoſitam, fieret hæres, aut legatarius vbi iam obiiſſet: quare, vt huic occurreretur incõmodo, voluerunt iura, vt ſibi relictam hæreditatem, aut legatum ſub vera conditione negatiua perpetua liceret adire, præſtita cautione Mutiana, quod ſi quando in illam conditionem negatiuam peccaret, illius contrarium committendo, reſtitueret hæreditatem ſucceſſuris ab inteſtato, aut legatum ipſi hæredi, aut aliis, qui deficiente conditione ius haberent.

Alia verò ratio eſt contractuum, & ſimilium aliarum diſpoſitionum conditionalium cum vera & propria conditione negatiua perpetua, in illis enim non habet locum cautio Mutiana, neque licet ea præſtita debitum exigere ante euentum conditionis: ita gloſſa in *l. Mutiana 7. D. de conditionib. & demonſtrat.* Molina *tract. 2. diſp. 285.* Molina Iuriſconſult. *lib. 2. de primogen. cap. 12. numer. 26.* Ferdinand. à Caſtro Palao *de iuſtitia diſp. 1. punct. 7. num. 12.* & qui multos dabit Gomez. *tom. 2. variar. cap. 11. num. 37.* habeturque *in §. ſi quis ita ſtipuletur, Inſtit. de verbor. obligat. Si quis ita ſtipuletur, ſi in Capitolium non aſcenderis dare ſpondes? perinde erit ac ſi ſtipulatus eſſet cùm morietur ſibi dari*: vbi vides conditionem negatiuam perpetuam in perſona creditoris appoſitam æquiualere conditioni in diem mortis eius appoſitæ: at verò in promiſſione collata in tempus mortis promiſſarij, cautio Mutiana non admittitur, neque proinde in conditione negatiua perpetua admittenda erit;

&

& quamuis ab vltimis voluntatibus valeat ſæpiùs argumentum ad contractus, id tamen verum non eſt, vbi in aliquo caſu contrarium in iure exprimitur, vti hoc loco oſtendimus.

6 Quartum effectum conditionalis obligationis & debiti, vel iuris illius in ſpe, vt loquebantur cũ cõmuni ſententia, volunt aliqui eſſe poteſtatem retrahendi rem venditam ſub conditione, ſaltem præſtando cautionem de ſoluendo, adueniente conditione: hunc tamen effectum reiicit ſapienter Gomez *c.* 11. *cit. n.* 29. quia tempus retractui deſtinatũ non fluit niſi à tempore contractus venditionis, atqui ille perfectus non eſt pendente conditione, neque obligatio firma exiſtit, ſed ſolùm in ſuſpenſo.

Quintus effectus eſt, vt ſi quis promiſit alicui rem quamdam ſub conditione, & illi ſua bona obligauit, & deinde cum altero purè & ſimpliciter contraxit cum eadem ſuorum bonorum hypotheca, & demùm impleta conditione currant duo illi creditores, primus licèt tantùm conditionatus fuerit, præferendus erit: ita Neguſan. *de pignor.* 5 *par.* & Gomez. *citat. n.* 30. *ex l. potior* 11. §. 1. *D. qui potiores*: vbi Caius optimam rationem reddit, quia cùm ſemel conditio exiſtit, perinde habetur ac ſi illo tempore quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet; quæ eadem eſt mens Gutier. *allegat.* 4. *n.* 16. & Ferdinand. à Caſtro Palao *punct.* 8. *citat. n.* 21. eadem quoque prælatio admittenda eſt in venditione; ſi enim rem iam vni venditam ſub conditione, eaque pendente, ipſam rem alteri vendas abſolutè, purificata demùm conditione, prima venditio præferenda erit, dummodo nulli eorum res adhuc tradita fuerit, alioquin poſſidens præferri deberet. Simile quid contingit in gabella, quamuis enim ex contractu conditionali pendente conditione nondum illa debeatur, non debebitur tamen conductori illius loci, aut temporis, quo conditio fuit impleta, ſed conductori illius loci, aut temporis, quo contractus fuit celebratus.

Horum verò omnium ratio petenda eſt ex eo quod impleta conditione, contractus ſub illa celebratus, ita purus, abſolutus, ac firmus redditur, atque ſi à principio fuiſſet ſine vlla conditione celebratus, vti omnes conſentiunt ex *l. fin.* §. *fin. D. de verbor. obligat. l. fin.* §. *Titius*, *D. de vulgar. & pupillari ſubſtit. l. ſi pupillus* 27. *D. de condition. inſtit.* quare tota eius virtus, & efficacia retrotrahitur ad diẽ quo contractus celebratus fuerat, illique competunt omnes effectus, qui competerent ſi fuiſſet celebratus abſque vlla conditione, dummodo tamen tempore celebrati contractus, & impletæ conditionis, nulla in contrahentibus exiſtat inhabilitas, alioquin ſi aliquo illo tempore forent inhabiles ad contrahendum, aut ſe obligandum, non poſſet retrotrahi contractus, cùm tunc nequeat contractus eſſe, neque valorem tribuere actui quẽ improbat, & qui nullus eſt: quæ & alia ſimilia confirmabuntur *cap. ſequenti*, vbi de retrotractione diſputabimus; quamquam ea nõ ſit propria retrotractio, ſed ſolùm attenditur in ſtipulationibus adueniente conditione tempus, quo contractus fuit celebratus, non autem illud quo ponitur conditio: quod aliter contingit, in legatis conditionalibus, in quibus attenditur tempus, quo ponitur conditio, non verò quo conditur teſtamentum, aut etiã quo morte teſtatoris confirmatur; cuius diſcriminis inter contractus, ſtipulationeſve conditionales, & inter legata conditionata, rationem quàm obſcuram eſſe fatentur interpretes, ſed illam eleganter reddidit, & quæ ex eo diſcrimine conſequuntur, fuſiùs explicat Ant. Fab. *lib.* 15. *coniectur. c.* 6. & 7. & nos ex illo aliquid dicemus *in appendice de teſt. inf.*

Quæstio IX.

De impletione conditionis.

Diuerſæ ſpecies conditionum diuerſimode implendæ. 1. 2.

Demonſtratio in futurum concepta, vim habet conditionis. 3.

Prima Regula. 4.

Conditio implenda in forma ſpecifica. ibid.

Tota & non ex parte implenda. 5.

Quid quando ſunt plures conditiones coniunctim, vel diuiſim. 6.

Mens potiùs diſponentis, quàm verba attendenda ſunt. 7.

Verbis tamen hærendum, vbi de contraria voluntate non conſtat. 8.

De conditione ſi rationes reddiderit. ibid.

De conditione ſi nupſerit. 9.

De conditione ſi ſine liberis deceſſerit. 10.

Secunda Regula; *Conditiones implendæ per æquipollentiam quando non poſſunt in forma ſpecifica impleri.* 11.

Quid quando modus implendi deſignatur in diſpoſitione. 12.

Explicantur aliquot ll. 13.

Tertia Regula; *De conditione impoſſibili tantum per accidens.* 14.

Quarta Regula. *De conditionibus impoſſibilibus in ſpecie. ibid.*

Quo tempore implenda. 15.

Quo momento obtineatur effectus diſpoſitionis, an cùm impleta eſt, an cùm impletur conditio. 16. 17. 18. & 21.

Explicatur l. Areſcula. 19. 20.

An impleta conditione dies adiectus expectandus ſit. 22.

A quibus ſit implenda conditio. 23.

An ius implendæ conditionis tranſeat ad hæredes. 24. 25.

TRia quærimus hoc loco, nimirũ quomodo ſit implenda conditio, deinde quando implenda ſit, & demùm quis illam implere debeat, aut poſſit, quam in difficultatum explicatio fuſior eſt, & ad plures materias pertinet.

Obſeruandum verò eſt diuerſas eſſe conditionũ 1
ſpecies, quod etiam monuimus *quæſt.* 1. quę diuerſis etiam modis impleri debent: & quidem Paul. *in l. in facto* 60. *D. de condition. & demonſt.* tripartitam facit diuiſionem conditionis, *vt quid detur, vt quid fiat, vt quid obtingat, vel retro, ne detur ne fiat, ne obtingat*: nempe in dando, aut in faciendo, aut in euentu conſiſtunt conditiones omnes: ex quibus *dandi, faciendique conditiones in perſonas collocantur, aut ipſorum quibus id relinquitur, aut aliorum, tertia ſpecies in euentu ponitur*: nempe in duabus illis primis ſpeciebus imponitur alicui quidpiam faciendum, aut dandum; v. g. *hæres meus eſto ſi centum Caia dederis; centum lego Camillæ ſi nupſerit Lucio: centum tibi lego ſi Caius te adoptauit.* In tertia ſpecie nihil cui-

quam imponitur, ſed alicuius rei euentus expectatur vt *centū do, lego ſi nauis ex Aſia venerit, ſi cras plnerit.* Ex his porrò conditionibus aliæ ſunt impoſſibiles, vti monuimus *q.* 1. aliæ verò poſſibiles: priores illæ ſunt duplicis generis; nam quædam ſunt impoſſibiles ſimpliciter, vel vt alij loquuntur *ſe habent ad impoſſibile ſemper & ad ſemper*: vel ſunt impoſſibiles ſecundùm naturam, & in genere, v.g. cœlum digito tangere, filium eſſe ſeniorem patre: aliæ ſunt impoſſibiles tantùm ex ſuppoſitione, ſiue non ſemper, ſed aliquando, & non in genere, atque ſecundùm ſuam naturam, ſed in ſpecie ſecundùm aliquam circunſtantiā, qua poſita impoſſibile deinde eſt aliter rem ſe habere quàm ſit, licèt ſecluſa illa circunſtantia potuerit, poſſetque aliter ſe habere; impoſſibile v.g. eſt vt Titius, qui ab hoſtibus captus fuit, ab iiſque reuerſus, captus non ſit, quāuis potuerit ante non capi, ſed ſi captus fuit, & ab iis libertati redditus, impoſſibile eſt vt captus non fuerit, quæ impoſſibilitas, vt vides, eſt ſolùm ex hypotheſi, ſiue conſequētiæ, neque abſolute pugnat & ſimpliciter cum poſſibilitate: atque hæc impoſſibilitas ſæpius vſurpatur in iure. Sic vbi agitur de poſtliminio *lib.* 8. *Cod.* & *in l. Cornelia*, quę legitimos apud honeſtos defunctos conſtituit hæredes, *ibidem l.* 1. impoſſibile eſt, vt ante captiuitatem ille mortuus ſit: ſic dicitur impoſſibile eſſe, vt qui in vtero eſt, natus cēſeatur. Ex quibus intelliges gloſſam *in l.* 3. *D. pro ſocio*, cum ait legem non poſſe fingere impoſſibile, nempe impoſſibile ſimpliciter, & ſecundùm naturam fingi nequit tanquam exiſtens à lege, quæ imprudenter omninò, & inutiliter id fingeret, atque ſeipſam deluderet. At verò impoſſibile duntaxat ex ſuppoſitione fingere poteſt. Immò quoties lex fingit, impoſſibile eſt id quod fingit vti ex Bartolo & aliis ſapienter obſeruat Sarmiento *lib.* 2. *ſelectar. interpretat. c.* 1. *n.* 2. & fuſiſſimè Alciat. *lib. de præſumption.* 1. *part. à n.* 5. De conditionis porrò ſimpliciter & ſecundum naturam impoſſibilis implerione ineptè diſputaremus hoc loco, quia vel hæ habentur pro non adiectis, vel ſi feriò poſitæ fuerint, illiſque ſuam diſpoſitionem alligauit, qui illas adiecit, voluit eo ipſo nullam eſſe diſpoſitionem, quam alligauit conditioni quā impoſſibilem eſſe ſciebat, vti explicuimus *quaſt.* 5. Denique inſanire eſt conari implere, quod ſecundum ſuam naturam impoſſibile eſt: quare tota controuerſia eſſe poteſt de adimpletione conditionis impoſſibilis duntaxat ex ſuppoſitione, & ſimpliciter, ac ſecundùm naturam poſſibilis; quia cùm illæ ſint vt dixi ſimpliciter poſſibiles, & ex aliquo duntaxat caſu factæ ſint impoſſibiles, quem caſum ignorauit teſtator, aliúſve, qui ſuæ diſpoſitioni cōditionem eiuſmodi adiecit, quæ modò eſt impoſſibilis, iure quæritur an ea conditio propter ſuā impoſſibilitatem reiicienda ſit, aut vitiet diſpoſitionem, aut habenda ſit pro impleta, aut denique ſi iterabilis ſit, iterum impleri & poni debeat: quæ omnia fient exemplis manifeſtiora. Teſtator ſic ſuo teſtamento Cauit: *do, lege Titio centum ſi intra triduum nauis ex Aſia venerit, ſi Titius Seiam ducat vxorem.* Atqui nauis iam ſubmerſa eſt, vel cùm condidit teſtamentum iam appulerat: Seia mortua erat, aut iam Titio nupſerat: quare non poſſunt impleri hæ conditiones adiectæ diſpoſitioni huius conditionis iam impletæ, ac proinde quæ impleri nō potuerit. Exemplum habemus *in l. ſeruo manumiſſo* 58. *D. de condit. indeb.* libertatem quis ex teſtamento reliquit ſeruo, & vbi ad libertatem perueniſſet, ipſi hæres debitum dare iuſſus eſt: is libertatem & pecuniam accepit, deinde tamen compertum eſt ipſum fuiſſe ingenuum, & proinde conditionem teſtamenti defeciſſe, & non fuiſſe impletam; immò neque impleri potuiſſe; libero ſiquidem homini libertas relinqui non potuit: nam ei, qui ingenuus natus eſt, nihil officit in ſeruitute fuiſſe, & poſteà manumiſſum eſſe: ſiue natalibus non officit manumiſſio, inquit §. *fin. Inſt. de ingen.* & *l.* 2. *C. de vend. liber.* idcircò Papinian. *in citat. l. ſeruo manumiſſo*, legatum illi indebitè ſolutum eſſe, & hæredi repetitionem eius iure competere, propter deficientem cōditionem dixit: an igitur quoties eiuſmodi aliqua conditio impoſſibilis ex ſuppoſitione duntaxat, adiicietur diſpoſitioni, illam vitiabit, cùm qui illam adiecit falſus ſit, & illam exiſtimarit eſſe poſſibilem; an verò ſi ea conditio ſit iterabilis, debebit iterari: quæ omnia, vt facilius ſequentibus regulis explicentur.

2 Obſeruandum denuò eſt ex his conditionibus hypotheticè impoſſibilibus quaſdam eſſe quarum impoſſibilitas aduerſatur voluntati teſtatoris, alteriúſve diſponentis, quia vt euenirent, teſtator rem de qua diſpoſuerat, illis alligauerat, vnde earum impoſſibilitas eius omninò voluntati contraria eſt. Aliarum verò impoſſibilitas non modò non aduerſatur diſponentis voluntati, & conſilio, ſed illud præuenit, & quod fieri volebat, iam impleuit, atque adeò facto ipſo eius mentem præuenit; quod in allatis exemplis oſtenditur: v. g. *do, lego centum Titio ſi intra triduum nauis ex Aſia venerit, ſi Camillam vxorem duxerit: volo ad legati debitum nauem appellere, aut Camillam nubere Titio.* Atqui nauis ſubmerſa eſt, & Camilla mortua, ideò impoſſibilis eſt conditio appulſus nauis, & nuptiarum Camillæ, cùm tamen illas nuptias ego vellem, & nauis appulſum. At verò ſi nauis iam appulit, & Camilla nupſit Titio, impoſſibilis quidem eſt ea conditio, cùm nauis quæ iam appulit portum, nequeat appellere, & quæ nupſit Titio, illi iterum nubere non poſſit. Verùm ea impoſſibilitas non aduerſatur diſponentis voluntati, ſed magis facto ſuo eam præuenit, atque, vt ita dicam, per anticipationem impleuit, obtinetque teſtator id ad quod obtinendum legatum legauerat, nempe Camillæ cum Titio nuptias: illa ſiquidem conditio erat cauſa quædam diſpoſitionis, quæ cauſa reipſa poſita fuit. In priori autem illo caſu neque poſita fuit conditio, quæ erat cauſa diſpoſitionis, neque poni poterit vnquam ob eius impoſſibilitatem, cùm nauis ſubmerſa portum ſubire, & mulier mortua nubere nequeant, ac proinde diſpoſitio quæ in ea cauſa fundatur, ſtare nequeat, eius cauſa motiua deficiente, & impoſſibili reddita. Duobus autem modis conditiones poſſunt eſſe cauſæ diſpoſitionis alicuius. Primò quidem ex ſola diſponentis voluntate, & arbitrio, qui ita voluit, & non aliter ſuam diſpoſitionem ſubſiſtere: *do, lego centum Titio ſi Conſul factus fuerit, ſi Rex Parthorum vixit, ſi Caius Capitolium aſcenderit, ſi nauis ex Aſia venerit*: neque enim Conſulatus Titij, vita Regis Parthici, aſcenſus in Capitolium, & appulſus Aſiaticæ nauis vllam habent aliam connexionem cum legatis centum æris, cùm ſint omninò diſiuncta, & diſparata, præter teſtatoris voluntatem, qui coniunxit quæ ſeparata prorſus erant. Aliæ verò ſunt conditiones, quæ vel ex natura rei, vel ex iuris conſtitutione ordinantur ad

diſpoſitio

diſpoſitionẽ, cui adiiciuntur,& ſunt veluti cauſæ, aut præambula neceſſaria ad effectũ quem intẽdit quis in ſua diſpoſitione: v. g. Titius legauit centũ Lucio filiofamilias ſi à patre emancipetur, aut Pãphylo ſeruo ſi à domino ſuo manumittatur: hæ cõditiones ſunt neceſſariæ ad effectum diſpoſitionis factæ à teſtatore; ſiquidem voluit filiumfamilias & Pamphylum ſeruum quibus legabat,ſibi,non patri, aut domino eũtum legata acquirere, quod obtinebunt per emancipationem, & manumiſſionem;per eas enim ſui iuris conſtituentur, & ſibi poterunt acquirere,quod vnum per adiectionem illarum cõditionum intendebat teſtator. Hanc conditionum diuiſionem alij aliter explicant, nempe conditionũ quaſdam eſſe neceſſarias ad actum,quaſdam ad effectum actus ; alias verò voluntarias , quia ex ſola diſponentis voluntate reſpiciunt diſpoſitionem, cum eaque connexionem habent.

3 Obſeruandum denique eſt demonſtrationem in futurum conceptam vim conditionis habere,quod tradit Iulianus *in l. Stichum 6. D. de legat. 1. Stichum qui meus erit cùm moriar, hæres meus dato; magis conditionẽ legato inseſſe, quam demonſtrare voluiſſe patremfamilias apparet, eo quod ſi demonſtrandi cauſa hæc oratio poneretur, ita concepta eſſet : Stichum qui meus eſt, non qui meus erit , ſed conditio talis accipi debet quatenus meus erit, vt ſi totũ alienauerit, extinguatur legatum : ſi partẽ, pro ea parte debeatur, quæ teſtatoris mortis tempore fuerit.* Itaque nihil intereſt an ita dictum fuerit *qui meus erit* , an *ſi meus erit*: vide Cuiac. *lib. 2. obſ. cap. 30.* Dixi porrò demonſtrationem in futurum conceptam vim habere cõditionis : nam ſi concepta ſit in præſens , aut præteritum , non habet vim conditionis, vt monebat Iulian. vnde fit, vt licet falſa conditio diſpoſitionem perimat ; falſa nihilominus demonſtratio legatum non perimet, ex certa iuris regula §. *huic proxima, Inſt. de legatis.* v. g. *do lego Stichum ſeruum meum Vernam, vel quẽ à Seio emi* ; licèt enim non Verna, ſed emptus ſit, aut non a Seio, ſed ab alio quopiam emptus, vtile tamen eſt legatum , ſi de ſeruo conſtat. Similia habentur *l. demonſtratio 17. & l. falſa 32. l. ſi nominatim 33. l. quibus 39. §. qui dotalem. D. de condition. & demonſtrat. l. 2. C. de falſa cauſa adiecta. l. Quintus 11. D. de auro legato , l. pen. D. de rebus dubiis , l. his verbis 100. §. paterfamilias. D. de legat. 3.* Cuius rei cauſa non alia eſt , quam quia demonſtratio illa , pura demonſtratio eſt, & vim conditionis non habet , quoties de certo corpore legato conſtat ; ſecus verò quando incertum corpus legatur ; tunc enim demonſtratio etiam in tempus præſens relata conditionis locũ ſubit ;quod eleganter explicat Pomponius *in l. nuper 85. D. de legat. 3.* & Papin. *in l. teſtamento, 51. D. de manum. teſtam.* & denique Vlpian. *in l. ſi ſic 76. §. 1. D. de legat. 1.* vbi *&* §. 2. monet plurimũ inter falſam demonſtrationem, & falſam conditionẽ ſiue cauſam intereſſe. Et ſanè cùm demonſtratio non ſit cauſa legati, ſi de illo certo legato aliunde conſtat , nihil nocere poteſt, quod falſa nota fuerit deſignatũ: at verò cùm conditio & cauſa falſa eſt, nullum omninò erit, vt vides. His obſeruatis de conditionis impletione certas regulas accipe.

Regvla Prima.

De conditionibus implendis ſecundum formam ſuam ſpecificam.

4 Conditio eſt implẽda in ſpecifica forma, prout ipſa conditio exigit iuxta mentẽ potiùs, quàm verba diſponentis, ſiue conditionẽ diſpoſitioni ſuæ adiicientis, quod ſi de mente diſponentis minimè conſtet, verbis hærendum erit, & ad eorum formam & ſenſum attendendum, alioquin non cenſebitur impleta conditio, quamuis eundem effectum habere videatur.

Expoſitio Regulæ.

Primã huius Regulæ partem, nimirum implendã eſſe conditionem in ſpecifica forma DD. communi conſenſu tradunt, & pluribus oſtẽdit Couar. *qq. practicar. c. 39. n. 2. & 7.* & probatur ex eo quod iura iubeant in perſona eius impleri conditionem, in cuius perſona eſt formata, & non in perſona alterius: quare dare domino iuſſus, cõditionẽ non implet dando eius ſeruo, & qui dare iuſſus eſt hæredi ſeruo alieno inſtituto, non ſatisfacit conditioni dãdo eius domino ; quia quæ in facto conſiſtunt, ea per ſeruum domino non acquiruntur : quæ omnia tradit Paul. in *l. qui heredi 44. D. de condition. & demonſt.* & qui dare cuipiã iuſſus eſt, ipſi licèt incapaci dare debet, ſi legatum ſibi fundũ capiat, vti docet Modeſtinus *in l. Mænius 55. D. eod. Mænius, cui fundus legatus eſt, ſi Callimacho cum quo teſtamẽti factionem non habebat ducenta dediſſet, conditioni parere debet, & ducenta dare, vt ad eum legatus fundus pertineat, licèt nũmos non faciat accipientis.* Ratio huius regulæ euidens eſt ; ſi enim conditio non impleretur in ſpecifica forma, nõ eſſet illa ipſa, quæ fuerat adiecta à diſponente, qui voluntatem ſuam illi conditioni illigarat, vti pro ſuo iure & arbitrio poterat : ideóque reipſa deficeret conditio, a cuius tamen poſitione pendet tota vis, & efficacia diſpoſitionis, vti ſæpiùs diximus hactenus. Si igitur conditio in euentũ collata fuerit, conditio impleta cẽſebitur, cùm id euenerit, quod teſtator, aliúſve diſponens euenire voluit: v. g. ſi nauis redierit, ſi Turca victus ſit , ſi in arbitrium vt daret faceret dando faciendo, ſin vt non daret, non faceret, cùm nec id factum eſſe , nec amplius fieri poſſe conſtabit, vti monet Donellus *c. 33. lib. 8.*

Hinc fit primò vt tota, & nõ tantùm ex parte cõditio implenda ſit: quare *l. cui fundus 56. D. de condition. & demonſt.* Iauolenus ait illũ cui fũdus legatus eſt, ſi decẽ dederit, partem fundi conſequi non poſſe, niſi totã pecuniam numerarit: diſſimilem autẽ cauſam eſſe cum duobus eadem res ſub conditione legata eſt; in hac enim quæſtione ſtatim à teſtamento, quo pluribus conditio ad poſita eſt , diuiſa quoque in ſingulas perſonas videri poteſt , & ideò ſinguli pro ſua parte, & cõditioni parere, & legatũ capere poſſunt : nã quamuis ſumma vniuerſæ conditionis ſit adſcripta, enumeratione tamẽ perſonarũ poteſt videri eſſe diuiſa: in eo verò , quod vni ſub conditione legatũ eſt, ſcindi ex accidenti conditio nõ debet, & omnis numerus, eorũ, qui in locũ eius ſubſtituuntur, pro ſingulari perſona eſt habendus. Quãdo igitur vni ſub cõditione legatũ eſt, quãuis illud ſit diuiſibile , nequidẽ eius partẽ capere poterit, niſi totam conditionem adimpleat. Si verò duobus ſub conditione legatum ſit, aut donatum, vnus pro ſua parte conditioni parendo legatum, vel donatum petere poterit, quod iterum monebimus inferius, vbi de conditione pluribus impoſita quæremus. In præſentiarum duntaxat contendo totam conditionem adiectam ſiue in vnam , ſiue in plures perſonas collata fuerit , implendam eſſe, & eo modo quo diſponens iuſſerit, & ſiue ſinguli totam, ſiue partem implere teneantur ; qua de cauſa exiſtimauit Iulianus *l. qui duobus 23. D. de condition. & demonſtrat.* verius eſſe eũ, qui duobus 5

hæredibus decẽ dare iuſſus eſt, & fundũ ſibi habere, conditionẽ ſcindere non poſſe, ne etiam legatum ſcindatur: igitur quamuis alteri hæredi quinque dederit, nullam fundi partem vindicabit, niſi quoque alteri adeunti hæreditatem reliqua quinque numerarit, aut illo omittente hæreditatem ei qui ſolus illam adierit, tota decem dederit. Nihilominus ſi legatarius, aut donatarius ſolidum legatum, aut datum capere non poſſet, minuendũ eſſet proportione illud, quod implendæ conditionis cauſa dandum erat: v.g. Caius iuſſus eſt decem dare hæredi, vt fundum ſibi legatum caperet, ille tamen nequit totum illum fundum capere, ſed partẽ eius dumtaxat, non tenetur dare totam ſummam hæredi, vt illam fundi partem habeat, ſed partem dumtaxat pro rata, qua legatum conſequitur, *l. ei qui 20. D. de mortis cauſa donationib. & l. Plautius 43. D. de condition. & demonſtrat. l. qui hæredi 44. §. ſi pars. D. eod. l. ab omnib. 105. §. item ſi iuſſus. D. de legat. 1.* Si tamen per imprudentiam, & errorem aliquis minus dederit, quàm dare iuſſus eſſet ad obtinendum legatum, ſi deinde reliquum ſoluat, totum legatum capiet, *l. qui putat 73. in princ. D. de acquirend. hæredit. & l. quamuis 32. D. de condition. & demonſtrat.*

6 Secundò cùm plures conditiones adſcriptæ ſunt coniunctim, omnibus parendum eſt, quia vnius loco habentur; ſi verò diſiunctim, cuilibet conditioni ſatis fuerit obtemperare *§. pen. Inſt. de hæredib. inſtit. l. ſi hæredi 5. D. de condition. inſtitut. l. cum pupillus 78. §. 1. D. de condition. & demonſt.* Ex conditionibus tamen coniunctim poſitis, ſi vna tẽpore, quo implenda erat ſit impoſſibilis, ſufficiet alteram implere: quare in hoc teſtamẽtu ſi Mæuia mater mea, & Fuluia filia mea viuent, tunc mihi Lucius Titius hæres eſto. Seruius reſpondit, ſi teſtator filiam nunquam habuerit, mater autem ſuperuixerit, Lucium Titium hæredem fore *l. ſi Mæuia 45. D. de hæredib. inſtit.* quod autem ibidem additur, impoſſibile in teſtamento ſcriptum nullam vim habere, quomodo intelligendum ſit diximus aliàs *q. 5.*

Tertiò ex pluribus cõditionibus diuiſim adſcriptis, vel vnam ex aliis fuiſſe impletam ſufficiet, ex *l. cit. cum pupillus,* in diſiunctis electio eſt implentis; in propoſitione ſiquidem copulatiua, & coniunctiua duo extrema vera eſſe oportet, in diſiunctiua vel alternatiua, ſufficit vnum eſſe verum; exemplum habes ex Scæuola *l. ſi quis 129. D. de verbor. obligat. Si quis ita ſtipulatus fuerit, decem aureos das ſi nauis venit, & Titius Conſul factus eſt, non aliàs dabitur quam ſi vtrumque factum ſit, at ſi ſic: dabis ſi nauis venit, aut Conſul Titius factus ſit, ſufficit vnum factum.* Cùm itaque plures conditiones coniunctim ſunt poſitæ affirmando, vel negando, omnes exiſtere neceſſe eſt: at verò ſi plures conditiones diſiunctæ poſitæ ſunt affirmando, vel negando, ſufficit vnam earum exiſtere. Sed de his particulis coniunctiuis, & diſiunctiuis, & orationibus quibus illæ interſeruntur, fuſiùs & eleganter diſputat Iulian. *in l. 13. D. de rebus dubiis,* quem conſulas: nobis enim in his amplius immorandum non eſt: hoc vnum modo contendimus, ex conditionibus diſiunctiuè adſcriptis in aliqua diſpoſitione, ſatis eſſe vnam aliquam impletam eſſe ad obtinendum diſpoſitionis effectum, quod ipſe loquendi modus oſtendit: quod autem dixi eſſe in arbitrio implentis conditionem, quam libuerit ex pluribus diſiunctiuè adſcriptis implere, intelligendum eſt niſi aliam eſſe voluntatem diſponentis aliunde colligatur: nam vbi quidpiam teſtamento relictum eſt, diuerſis conditionibus in diuerſis teſtamenti partibus, nouiſſima conditio, ſiue nouiſſimo, & poſtremo loco, aut nouiſſima ſcriptura adiecta, implenda erit; quia in legatis & fideicommiſſis poſterior ſcriptura derogat priori, quæ vniuerſalis regula paſſim traditur *l. ſi mihi 12. §. in legatis, D. de legat. 1. l. tranſlatio 6. §. fin. D. de adim. legatis, l. nihil 17. D. eod. l. ſi quis 55. in princ. D. de vulgar. ſubſtit. l. cum proponatis 3. C. de codicillis, atque alibi ſæpius*: quare ſi vere loquamur, dici nequit in eo caſu plures conditiones a teſtatore diſiunctiuè præſcriptas fuiſſe, cùm prioribus propoſitis per poſteriores in imo loco adſcriptas derogarit: vnde nihil efficitur contra noſtram aſſertionem, eſſe in arbitrio implentis conditionem, quam libuerit ex pluribus diſiunctiuè adiectis implere: quare ſub diuerſis conditionibus diſiunctim poſitis liber eſſe iuſſus, eam conditionem eligere poteſt, quæ ſibi leuior eſſe videbitur, vti affirmat *l. ſub diuerſis 51. & l. 87. D. de condit. & demonſt.* quæ addunt in legatis eo modo relictis legatarium nouiſſimæ conditioni parere oportere, quia vti iam monui, nouiſſima conditio prioribus derogat, neque cùm illis comparata, dici poteſt fuiſſe diſiunctiuè præſcripta. Leuiſſimam porrò conditionem libertatis definit Pomponius *l. 35. D. eod.* quæ ad libertatem perducit, quamuis natura grauior, aut durior ſit, quod tamen dicitur de leuiſſima conditione, & ſcriptura eligenda in libertatibus teſtamento relictis, intelligendum eſſe de libertatibus directè relictis, non fideicommiſſariis, in quibus nouiſſima ſcriptura ſpectanda eſt, eo quod poſterior voluntas potior haberi debeat, monet *l. in libertatib. 5. D. de manumiſſis teſtamen. & l. per fideicommiſſum 90. D. de condit. & demonſtr.* vbi Caius Diui Antonini reſcriptum allegat: quæ omnia intelligenda ſunt de conditionibus ſeparatim datis, nam ſi coniunctim datæ ſunt, niſi omnibus quis paruerit, libertatẽ ſibi ſub illis relictam non obtinebit: *l. quod vulgo 45. D. de manum. teſtamento.* Et hæc quidem de conditionibus diſiunctim adſcriptis adducta, de conditionibus affirmatiuis accipienda ſunt; quoties enim conditiones negatiuæ diſiunctim ponuntur, diſiunctiua tranſit in copulatiuam, & niſi omnes fuerint impletæ, non debetur v.g. legatũ, neque valet diſpoſitio, cui ſunt adſcriptæ. Huius regulæ exempla habemus in *l. Lucius 85. D. de hæredib. inſtituend. l. generaliter 6. C. de inſtitut. ſub conditione fact. l. ſi ita qui 15. §. fin. D. de rebus dubiis.*

Altera pars noſtræ regulæ, mentem potius quàm verba adſcribentis conditionem, ſpectandam eſſe in ea implenda, æquè certa eſt, & cõmuni omnium calculo cõprobata; voluntas enim regit cõditiones *l. 19. D. de condition. & demonſtrat.* Vide Couar. *qq. practic. c. 39. n. 7.* Itaque vbi euidens eſt diſponentis voluntas, receditur à verbis, eorumque rigidiori ſignificatione. Plura exempla congeſſit Duaren. *de condit. inſtit. cap. 3. & 4.* Donell. *lib. 8. c. 33.* Poncius *lib. 3. de matrim. cap. 16. n. 3.* Vir vxori legauit *quando liberos habebit*; illa diuortio facto liberos ex alio viro procreauit, non eſt impleta conditio, *l. cùm vir. 15. & l. ſi vir 61. D. de condit. & demonſt.* atque adeò non debetur legatum; quia vir hoc legato voluit excitare vxorem ad ſtudium ſuſcipiendæ prolis ex ipſo, non ex alio quopiã. Conditio, *ſi filia non nupſerit Ælio*, ſi filia deceſſit impubes, non eſt impleta conditio; quia intelligenda eſt ſi nubere voluerit, quo tẽpore poteſt, quod enim ea in ſpecie teſtator dari voluit Ælio, id pœnæ cauſâ 7

adiecit

adiecit, ad coërcendam filiam, cui priùs legarat, ademptione legati, ſi patris voluntati parere vellet. Ita *l. pater* 101. *D. de condition. & demonſtrat.* nullum autem eſt delictum filiæ quæ dum impubes eſt, etſi parere maxime velit, non poteſt, *l.* 17. §. 3. *D. de vſur.* Iuſſit quis dari pupillo, aut furioſo, non illis, ſed tutori, curatoriue dandum erit, *l.* 13. *D. de condition. & demonſtrat.* & *l.* 68. *D. de ſolution.* quo poſtremo loco Marcellus rationem reddit, *ne datio ex illorum imbecillitate pereat; nec enim hoc egit teſtator, vt quoquo modo eſſet datum, expleta videretur conditio.* Mater filios hæredes inſtituit *ſi emancipati eſſent*; accidit autem vt liberarentur patria poteſtate, aliter quam per emancipationem, quia pater deceſſit, aut quia per ſententiam deportatus fuit, atque ita ius patriæ poteſtatis amiſit, expletam eſſe conditionem reſpondit Imperator *leg. ſi mater* 2. *C. de inſtit. & ſubſtit.* quia emancipationem requirebat mater in filiis, ne patri quæreretur hæreditas, quod fieri non poterat, quamdiu eſſent in patria poteſtate, à qua vt ſoluerentur optarat emancipationem ipſorum. Alia dabunt exempla laudati DD.

8 Tertia Regulæ pars, verbis inhærendum omninò eſſe, vbi de contraria voluntate diſponentis non conſtaret, communi quoque conſenſu traditur, alioquin non cenſebitur impleta conditio, quamuis idem omninò effectus cõſequi videatur, quod apertè traditur *l.* 69. *D. de legat.* 3. *Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quam cùm manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe teſtatorem.*: vnde ſolliciti fuere veteres in exquirenda, explicandáque ſignificatione verborum, quibus exprimebantur conditiones, atque omnes diſpoſitiones. Sic cùm in ſeruis qui Kalendario præfuerant manumittendis frequens illa eſſet conditio; *ſi rationes reddiderunt*: explicant quid ſit rationes reddere, *leg. quamuis* 35. *leg.* 50. *leg.* 81. *leg.* 111. *D. de condition. & demonſtrat. l.* 5. *&* 34. §. 1. *D. de ſtatuliber. l.* 89. §. *vlti. D de verbor. ſignificat.* Quod ſi ſeruus, cuius libertati adſcripta eſt hæc conditio, nullas rationes adminiſtrarit, liber tamen erit ex *leg.* 26. §. 1. *D. de ſtatuliber.* quia ideò teſtator eam conditionem adiecit, ne ex mala adminiſtratione ſeruus aliquid retineat, vti obſeruat Sarmiento *lib.* 2. *ſelectar. cap.* 1. *n.* 17.

9 In conditione *ſi nupſerit*, quæritur quando rectè nubere dicatur *l.* 10. *& l.* 15. *D. de condit. & demonſt.* neque enim omnes coniunctiones implent conditionem, vt inquit Vlpian. *illa l.* 10. nam ſi nondum nubilis ætas in domum mariti deducta eſt, nondum paruit conditioni, cùm viro nupta videri non poſſit quæ nondum virum pati poteſt *l. penult. D. quando dies legat. ced.* Si illi etiam cuius nuptiis interdictum eſt, nupſit, conditionem non impleuit; ſi verò poſt factum teſtamentum viuo teſtatore nupſit, conditionem impleuit; quia illa conditio talis eſt, quæ vnico & primo actu impleatur, neque aliud aut verba, aut mens teſtatoris poſtulare videntur. An verò quæ cùm non eſſet viri potens, nupſit, aut ei cui per leges nubere non licebat, ac proinde non ritè nupſit, poſſit deinde parêre conditioni, quaſi non nupſerit, dubitat *eo loco* Vlpian. in cuius reſponſione omiſſam mendoſè eſſe negationem exiſtimauit Cuiac. *lib.* 13. *obſeruat. cap. vlt.* legique vult *non defectam conditionem*, ſiue non impletam. At verò Anton. Faber. *lib.* 1. *Iuriſprud. Papinian. tit.* 9. *princ.* 5. *illatione* 11. pluribus validiſque argumentis oſtendit totam illam quæſtionem eiuſque reſponſionem, ineptam eſſe Triboniani additionem. Alij qui neque mendum, neque Tribonianiſmum agnoſcere volunt, ita exponunt, vt dicat Iuriſconſultus conditionem illam *defectam*, ratione iuris, haberi benignè pro nondum impleta, perinde atque ſi dixiſſet, licèt ſit verè defecta conditio, ſi ſummum ius intueamur, tamen ex benignitate ſic interpretamur, ac ſi nondum eſſet impleta: quæ expoſitio contrariis Fabri rationibus non ſatisfacit. Ex verborum rigore ſeruando fit, vt legatarius iuſſus dare decem hæredi, ſi hæres tantùm acceptum tulerit, non paruerit conditioni, eſt enim aliud dare, aliud liberare: qui dat facit quid accipientis, qui liberat nihil facit accipientis, & licèt acceptilatio vim habeat ſolutionis, non tamen dicitur propriè ſolutio. Igitur non dicitur impleta dandi conditio per acceptilationem; quare in caſu poſito reſpondit Iulian. *in l.* 45. *D. de condition. & demonſt.* legatarium non videri paruiſſe conditioni, ſed ſtare per hæredem, quominus pareat, poſſeque ideò petere legatum quaſi extiterit conditio.

De verbis quoque non leuis difficultas eſt circa conditionem *ſi ſine liberis.* Primò quidem, an veniant adoptati, quod negat *l.* 76. *D. de condit. & demonſt.* & *l.* 51. §. 1. *de legat.* 2. quod idem dicendum eſt de conditione *ſi liberos habuerit*: quia in conditionibus verba omnia naturaliter, non ciuiliter accipienda ſunt: *l. qui hæredi* 44. *l. Mænius* 55. *D. de condition. & demonſt. leg. hæredibus* 77. §. *vlt. D. ad SC. Trebell.* Abſurdum prætereà fuerit in poteſtatem debitoris conferre, an debeat, necne *leg.* 2. §. 1. *D. de eo quod certo loco*, & an fideicommiſſi conditionem velit extinguere, *l. nec ei* 17. *D. eod.* eſſet autem in poteſtate illius à quo relictum fuiſſet fideicommiſſum cum ea conditione, *ſi ſine liberis diem ſuum obierit*, fideicommiſſarium elidere per commentum adoptionis, vt ait Papinian. *in l.* 76. *d. de condit. & demonſt.* ſi adoptiuos liberos reliquiſſe ſufficeret ad extinguendam huius fideicommiſſi conditionem. Denique vt argumentatur Anton. Fab. lib. 1. Iuriſprudent. Papinian. *tit.* 10. *princ.* 4. *illat.* 12. abſurdum omninò eſt in poteſtatem legatarij conferre, vt ex caſuali conditione faciat poteſtatiuam, vti contingeret, ſi is cui in tempus liberorum aliquid relictum eſt, poſſet adoptando conſequi legatum; eſt ſiquidem in cuiuſque poteſtate, vt adoptiuos liberos ſibi quærat, non naturales. 10

Secundò quæritur an in conditione ſi *ſine liberis*, veniant etiam naturales, qui ſcilicet ex concubina, aut vulgò concepti ſunt, an ſoli legitimi, & naturales, qui ex iuſto, & legitimo matrimonio nati ſunt. Hinc grauis illa quæſtio, an ſi quis rogatus, vt ſi ſine liberis deceſſerit, reſtituat hæreditatem, filij naturales excludant ſubſtitutum: ita enim reſpondiſſe Papinianum, & exiſtimaſſe tunc conditionem deficere, refert Vlpian. *in l. ex facto* 17. §. 4. *D. ad SC. Trebell. quod* Papiniani reſponſum contra communem eſſe ſententiam, & iuris ipſius regulas, pluribus contendit Corraſ. *lib.* 1. *Miſcellan. c.* 7. Connan. *lib.* 1. *comm. iur. com.* 1. *num.* 6. Duar. *de iur. deliberand. cap.* 2. Vlpianum verò quamuis ſententiam Papiniani referat, illam tamen non approbare, cum dicat voluntatis eſſe quæſtionem, ac proinde videndum eſſe, qualis fuerit teſtatoris voluntas, & de qualibus liberis intellexerit, quod ex conditione, & dignitate defuncti colligetur: additque Corraſius, coniecturas ex quibus liberorum nomine naturales intelligi à teſtatore iure merito putamus; nempe ſi grauatus ea conditione, non po-

teſt niſi naturales habere, quia v.g. ſacris initiatus eſt, neque ea conditio ad nefarios complexus inuitat, ſed ſolùm caſus contingentiam ponit. Deinde ſi teſtator ſciebat hæredem grauatum habere duntaxat filios naturales, de aliis enim loqui non potuit. Iure igitur dixit Vlpian. totam hanc quæſtionem voluntatis eſſe, nimirum inſpiciendum eſſe ex variis coniecturis, quænam fuerit teſtatoris voluntas, quidve nomine liberorum intellexerit. Alij reſpondent Papinian. non ſtatuere vniuerſaliter liberos naturales in conditione *ſi ſine liberis*, comprehendi, ſed in propoſita ibi ſpecie, in libertino, eodemque conliberto, qui in ſeruitute conceptus fuerat. Anton. Faber. *in Iuriſprud. Papinian. tit. 9. princ. 2. illat.* 1. Tribonianum de ſuo addidiſſe putat omnia quæ in illo §. reſponſioni Papiniani ſubiiciuntur; Conſultorum iuris fuerit iſta diſſidia componere, ſicut & quæſtionem ipſam, an naturales liberi ſubſtitutionem excludant, definire, quod conatur Gomeſi. *tom. 1. variar. cap.* 5. *num.* 40. ſatis mihi fuerit hoc exemplo docuiſſe, quam exactè ſint attendenda verba conditionis appoſitæ, vbi de diſponentis mente non conſtat; quod iterum in hac ipſa conditione *ſi ſine liberis*, oſtenditur, an vel vno ſuperſtite conditio deficiat, quod affirmat quidem Papinian. *in l. pater* 101. §. 1. *D. cond. & dem.* ſed addit deficere *ex voluntate*, nimirum teſtatoris, qui æque voluerit ad vnum filium relictam peruenire hæreditatem, atque ſi plures fuiſſent; itaque non ex verbi vſu, ſed ex voluntate teſtatoris ita intelligenda erit illa conditio, cui etiam fauet vſus loquendi, cum in ſingulari vix ea voce vtamur, & antiqui etiam qui vnum filium aut filiam haberet, liberos habere dixerint, quod obſeruat Agell. *lib. 2. cap.* 13. Et ſanè apud Latinos, quædam dictiones numero plurali conceptæ rem vnam tantum interdum demonſtrant, vt codicilli pugillares: è contrario quædam in numero ſingulari plures ſignificant, quod obſeruat ex vſu iuris Celſus *in l.* 158. *D. de verbor ſignificat.* Sic dicimus multum hominem veniſſe Romam, & piſcem vilem eſſe; nempe pluralis oratio inſpecto vſu loquendi in vnitatem reſoluitur; in noſtro verò caſu, *Non eſt ſine liberis cui vel vnus filius vnáue filia eſt*, inquit Caius *in l.* 148. *D. de verbor. ſignif.* & qui non eſt ſine liberis, liberos habet; vnde colligit Alciat. *in eam l.* argumentum à contrariis ſemper concludere: liberum tamen ſingulari numero vſurpauit Iuſtinian. *in l.* 33. *C. de inoffició. teſtam. Si quis ſuo teſtamento maximam quidem portionem libero relinquat, minuſculam autem alij, vel aliis de ſtirpe.* Sed ea de re vide Forſter. *obſeruat. ſucciſſu. cap.* 5. & Catellian. Cottam. *in memorabilib. verb. liberum.*

Regvla II.

De conditionibus implendis per æquipollentiam.

11 Conditiones ſecundùm exactam verborum ſubtilitatem impoſſibiles, impleri poſſunt per aliquid æquipollens, quod habeat eundem effectum ad quem obtinendum diſponens eiuſmodi conditionem requirebat.

Expoſitio Regulæ.

Hæc regula ſequitur ex ſuperiori; cùm enim attendenda potiùs ſit mens teſtatoris, quàm verba, quoties conditio per aliquid ex mente teſtatoris, & diſponentis impleri poterit, licèt non impleatur per hoc ipſum formaliter, quod ſubtilitas verborum ſignificabat, erit reipſa menti diſponentis ſatisfactum, & conditio habebitur pro impleta, neque deficere dicetur. Et ſanè cùm conſentiant omnes, aliquando poſſe conditionem impleri per æquipollens, vt manifeſto iure conſtabit ſtatim & ex allatis in proxima regula colligitur, id maximè fieri poterit, quando conditio poſita nequit in ſpecifica forma ſecundùm propriam verborum ſignificationem impleri: ſi enim poſſit ſic impleri, non erit recedendum à verbis, neque à mente teſtatoris, aut diſponentis quæ nobis per verba innoteſcit, vnde vulgò dici ſolet conditiones inducere formam, vt *in l. prætor* 3. & *l. nonnunquam* 8. *D. de collatione bonor.* & alibi obſeruant DD. qui negant ab ea forma, libertatis ipſius fauore recedendum eſſe. Tota itaque difficultas in eo conſiſtit, quandonam conditio per æquipollens impleri poſſit, cùm in forma ſpecifica poni nequit: hoc autem totum explicat noſtra iſta regula, quæ ait ſufficere æquipollens qood habeat illum ipſum effectum, ad quem ſuæ diſpoſitioni conditionem eiuſmodi diſponens adiecerat, ſiue illud ante ipſam diſpoſitionem poſitum fuerit, ſiue poſtea ponatur, ſiue, vt clariùs loquamur; quoties conditio eſt diſpoſitio quædam, aut præambulum, & via ad effectum actus, cui apponitur; atque ita non ſeipſam ſolùm reſpicit, ſed finem, & effectum, tunc per æquipollens implebitur, ſi in forma ſpecifica propter aliquam impoſſibilitatem, impleri nequeat. Quoties verò conditio merè voluntaria eſt, & ex ſola impoſitione coniungitur cum diſpoſitionis, cui adiicitur, effectu, atque ita ſeipſam reſpicit, neque aliis quidquam confert, ex ſeipſa cēleri debet, & proinde in ſpecifica forma impleri. Ita enim omnino voluit diſponens, qui ex mera libine illam quamuis leuem, & non pertinentem, aut omninò diſparatam adhibuit: non enim in eiuſmodi conditionibus attenditur cauſa, aut vis aliqua influens, ſiue an interſit fieri, aut non fieri id quod ſub conditione ponitur, ipſa ſiquidem conditio pro ſufficienti cauſa habetur, quod obſeruant DD. *in l. à Titio* 108. *D. de verbor. obligat.* quod apparet quoque in pœnis conuentionalibus, quæ conditionem ſemper habent, & ideò non quæritur, cuios interſit *l. 3. & l. ſtipulatio iſta* 38. *§. alteri. D. de verbor. obligat. Committetur ſtipulatio etiam ei cuius nihil intereſt: pœnam enim cùm ſtipulatur quis, non illud inſpicitur quid interſit, ſed quæ ſit quantitas, quæque conditio ſtipulationis.* Vide Tiraquell. *de vtroque retractu* 1. *part.* §. 2. *num.* 3. *&* 4. Idcircò ſæpius veteres Iuriſconſulti vſurpant conditionum exempla in iis rebus, quæ nullius momenti aut effectus ſunt, v.g. ſi Capitolium aſcenderit, ſi Rex Parthorum viuit, ſi Germani vicerint, ſi Titius ſaltauerit, ſi nauis appulerit: quam enim iſta connexionem habent cum legato relicto, aut cum re donata, vel cum contractu hodie celebrato. Denique in iſtis conditionibus non aliud quàm voluntas eas adiicientis inſpicitur *l. in conditionibus* 19. *D. de condition. & demonſtrat.* Illæ igitur vti imperantur impleri debent, & non per aliquid æquipollens; quod etiam difficile foret aſſignare. At verò aliæ conditiones, quæ non præſcribuntur ex mera voluntate, ſed quia aliquid conferunt ad finem, & effectum quem intendit in ſua diſpoſitione, qui illas præſcripſit, & ob illam ipſam cauſam eas requiſiuit, vti fuit ex-

plicatum

plicatum nuper *obſeruatione* 24. Has conditiones dico impleri ſufficienter per æquipollens, quando in forma ſpecifica impleri nequeunt. Ita Sarmient. *lib. 2. ſelectar. interpret. cap. 1. n. 13.* Exempla paſſim obuia ſunt, quæ dabit Duaren. *de condition. inſtitut. cap. 5. ſub fin.* Donell. *lib. 8. cap. 32.* & alij *in l. mulier 20. §. ſi quis hæreditarium. D. de conditionib. inſtit.* Quæſtio eſt de ſenſu huius conditionis. Titius hæres eſto, ſi Stichum ſeruum hæreditarium manumiſerit; cùm Titius neque hæres eſſe poſſit niſi ſeruum manumiſerit, & manumittere non poſſit antequam hæres ſit: nam ſeruus non manumittitur niſi à domino, & Titius dominus Stichi non ſit, antequam adierit hæreditatem. Reſpondet Labeo quamuis Titius manumittendo nihil egerit, hoc eſt inutiliter manumiſerit, quia dominus eius non erat, hæredem tamen eſſe, quia manumiſit, & poſt aditionem hæreditatis, libertas ante illam ſeruo data conualeſcit ex voluntate teſtatoris: nempe Titius impleuit conditionem, vti implere poterat, conuicimuſque ſapienter non aliud voluiſſe ipſum teſtatorem *in l. Stichus ſi hæredi 24. D. de ſtatuliberis*, hæc enim conditio, *Stichus ſi hæredi meo decem promiſerit liber eſto*, impletur quomodocumque promiſerit, quamuis inutilis ſit illa promiſſio, quæ nempe obligationem non produxerit, quæ inter ſeruum & dominum contrahi nequit. *Aliqua tamen ſignificatione ſpopondiſſe dici poteſt*, inquit Marcell. itáque voluiſſe teſtatorem interpretamur, qui hanc promiſſionem ad legandã libertatem requirebat, & quæ adepta libertate fieri nõ poterat, neque ante illam obtentam vtiliter; voluit igitur illam eo quo fieri poterat modo. Audi Vlpianum in *l. fideicommiſſary §. ſi cui ita. D. de legat. 3. Si cui ita fideicommiſſum fuerit relictum, ſi morte patris, ſui iuris effectus fuerit, & emancipatione ſui iuris factus ſit, non videri defeciſſe conditionem; ſed & cùm mors patri contingat, quaſi extante conditione ad fideicommiſſum admittitur.* Vides conditionem impleri per æquipollentiam eo quod reddita fuiſſet alioquin impoſſibilis: qui enim emancipatione iam ſui iuris effectus eſt, non poteſt morte patris, ſui iuris effici, vt vides, quia tamen teſtator requirebat duntaxat conditionem ſui iuris in fideicommiſſario, vt ſui iuris effectus, ſibi, non patri poſſet acquirere fideicommiſſum, nihilque intererat ad hunc effectum quocumque modo ſui iuris fieret, licèt teſtator voluerit ſui iuris effici morte patris, eius tamen præcipuæ voluntati, & fini ſatisfactum fuit; cùm per emancipationem, ſui iuris euaſit: neque teſtator ita voluit fideicommiſſarium ſui iuris fieri morte patris, vt omnem alium modum excluderet, ſed quia non poterat ſibi perſuadere patrem emancipaturum filium, & timebat ne fideicommiſſum nondum ſui iuris effecto fideicommiſſario, ad patrem perueniret. Ex his conſtituo noſtram Regulam, conditionem impoſſibilem in ſua forma ſpecifica, non facere ceſſare diſpoſitionem, quando in æquiualenti impletur, & æquè finis ad quem fuerat poſita conditio, quæ modò reddita eſt impoſſibilis, obtinetur; *l. cùm tale 17. §. falſam. D. de condition. & demonſtrat.* Falſam conditionem Caſſius, & Cœlius Sabinus impoſſibilem eſſe dixerunt, veluti: *Pamphilus, ſi quod Titio debeo ſoluerit, liber eſto*, ſi modo nihil Titio fuerit debitum, quod ſi poſt teſtamentum factum teſtator pecuniam exoluiſſet, defeciſſe conditionem intelligitur. Vides Papinianum ex mente veterum Iuriſconſultorum falſam conditionem exiſtimaſſe impoſſibilem; quia fieri nequit, vt verum ſit, quod reipſa falſum eſt, licèt exiſtimetur verum, neque poteſt ſolui debitum, quod nullum eſt; nihilominus hanc conditionem non reiicit in hoc caſu Papinian. quia licèt teſtator ſoluiſſet quod debebat, quod proinde non potuit ſolui a Pamphilo, vti iubebatur ſoluere ad obtinendam libertatem, ſed ait conditionem defeciſſe, atque adeò ſublatam eſſe, & Pamphilo libertatem ex teſtamento contingere; non vt vulgò dicunt, quòd faueatur libertati, ſed quia per illam ſolutionem, licèt ab ipſo teſtatore poſt ſcriptum teſtamentum factam, æquè obtinetur effectus, quem intendebat, atque ſi à Pamphilo, vti iubebatur, facta fuiſſet, nempe, vt abſque vllis impenſis hæres liber fieret à debito Titij, quod euenit à quocumque ſolutum fuerit, quod Titio debebatur. Vlpian. *in l. ab omnibus 104. §. in teſtamento. D. de legatis 1.* hanc teſtamenti clauſulam refert; *Lucio Titio, ſi is hæredi meo tabulas quibus ei pecuniam expromiſeram dederit, centum dato.* Titius verò nondum tabulis hæredi redditis deceſſit, quæſitumque eſt, an eius hæredi legatum deberetur. Reſpondit Caſſius non deberi ſi tabulæ fuiſſent, quia non redditis illis, dies legati non ceſſit, neque eo caſu videtur eſſe difficultas, ſed ſolum ſi nullæ tabulæ fuerunt teſtamenti faciendi tempore; reſponditque Iulianus deberi legatum, quia conditio impoſſibilis, cuiuſmodi eſt redditio tabularũ, quæ numquam extiterunt, pro non ſcripta habetur & reiicitur, vti diximus *q. 5.* & nõ vitiat diſpoſitionem. Cùm igitur non fuerint aliquando tabulæ, nec fuerit debitum, conditio reddendarum tabularum, & liberandi hæredem à debito, quod nuſquam extitit, eſt ſimpliciter impoſſibilis, ac proinde de illa, vt de conditione ſimpliciter impoſſibili pronuntiandum erit, atque in teſtamentis habebitur pro non adiecta in foro externo. At verò ſi reipſa debitum contractum aliquando fuiſſet, quamuis nullæ extarent tabulæ, non haberetur conditio ſimpliciter impoſſibilis, & pro non adiecta, ſed legatarius teneretur acceptum facere legatum, ſi illud conſequi vellet, atque ita conditionem æquipollenter impleret: debita ſiquidem acceptilatio idem operaretur, quod redditio tabularum; nempe hæredem liberaret illo debito; quod vnum voluit teſtator, neque alio fine redditionem tabularum imperauit legatario. Cùm igitur nequeant reddi tabulæ, quæ nullæ extant, debet tamen legatarius eo debito liberare hæredem, eo quo poterit modo, atque ita implere conditionem; quam impoſuerat teſtator. Cùm igitur dixit Iulianus deberi legatum, & reiiciendam eſſe conditionem reddendi tabulas quæ nullæ fuerunt, ſupponit & nullum vnquam extitiſſe debitum, & nullas quoque fuiſſe vnquam tabulas, atque ita conditionem illam prorſus impoſſibilem, quæ neque in aliquo æquipollenti impleri poſſet, adeóque pro non ſcripta habendam eſſe, quod totum ipſemet Iulianus docet in *l. huiuſmodi 84. §. ſi ita 7. D. de legat. 1. Si ita legatum cui eſſet, ſi tabulas chirographi mei, hæredi meo reddiderit, heres meus ei decem dato, huiuſmodi conditio hanc vim habet ſi hæredem meum debito liberauerit: quare & ſi tabulæ extabunt, non intelligetur conditioni ſatisfeciſſe creditorem, niſi acceptum hæredi fecerit: & ſi tabulæ in rerum natura non fuerint, exiſtimabitur impleſſe conditionem, ſi hæredem liberauerit: nec ad rem pertinebit, iam tum cùm teſtamentum fiebat tabulæ inter ceſſerint, an poſteà, vel viuo teſtatore.* Huc pertinet *l. libertate 26. §. 1. D. de ſtatuliberis*,

vbi

vbi Modeſtinus inquit; *Seruus iuſſus reddita ratione ad libertatem peruenire, licèt nullam adminiſtrauerit rationem, nihilominus liber erit.* Conſentit Scæuola *in l.41.§.16.D.de fideicomm.libertat.* & Caius *in l. ſi ſeruo ſub conditione 31. D.de ſtatuliberis*, vbi ſapienter aduertit conditionem reddendæ rationis apponi tantùm, vt pecuniam reliquorum ſeruus, aut alius legatarius priùs reſtituat, quàm legatum accipiat: quare quoquo modo illi conditioni ſatisfiat, impleta meritò cenſebitur. *L. talem 5. D. de hæredib. inſtit.* Marcianus ait, *talem inſtitutionem quidem valere non putabant: Stichus liber eſto, & ſi liber eris, hæres eſto. Diuus Marcus reſcripſit hanc inſtitutionem valere perinde ac ſi non eſſet adiectum ſi liber erit*: quia nempe non poterat hæres eſſe, niſi liber foret, neque ab alio manumitti, quàm ſuo domino, qui erat ipſemet teſtator: idcircò illa conditio libertatis iam erat impleta, neque iterum impleri poterat. In hac eadem lege, Marcianus quærit de hac conditione, *Stichus ſi meus erit cùm moriar, liber & hæres eſto*: an ſi fuerit à domino alienatus poſſit iuſſu emptoris adire hæreditatem, quod ſapienter negat; quia non fuit teſtatoris quo tempore mortuus eſt teſtator, & eam conditionem exprimi non oportebat, fuiſſet enim ſubintelligenda, quia non poterat fieri liber, & hæres, aliter quàm ſi manſiſſet eius: ſi tamen teſtator adhuc viuens Stichum manumiſiſſet, reſpondet ex Celſo hæredem hunc fore, quia palam eſt teſtatorem non voluiſſe hunc caſum excludere; non enim illi teſtamento dabat libertatem, niſi vt ſuam hæreditatem capere poſſet, quam ipſam libertatem viuens illi dedit, atque adeò capacem hæreditatis reddidit: non pugnant etiam verba inſtitutionis, nam quamuis ſeruus eius non eſt, eius tamen libertus eſt; & verba illa, *ſi meus erit*, idcircò fuerunt appoſita, quia ſi ſuus tunc non eſſet, non poterat illi dare libertatem, & hæreditatem: quare cùm illi viuens dederit libertatem, ipſum manumittendo, impleta eſt conditio æquiualenter, quam teſtator requirebat. Huc quoque ſpectat *l.cùm ſeruus 104. D. de verbor.obligat. Cum ſeruus pro libertate pactus eſt, & ob eam rem reum*, hoc eſt expromiſſorem dedit, *quamuis ſeruus ab alio*, nempe quàm à domino, *manumiſſus eſt, reus tamen*, ſiue is qui ſpopondit pecuniam pro libertate ſerui, *rectè obligabitur.* Rationem optimam reddit ibid. Iauolenus, *quia non quæritur à quo manumittatur, ſed vt manumittatur.* Atque ita quomodocumque obuenerit libertas, & manumiſſio, cenſetur impleta conditio. Ex his omnibus vides conditionem, per accidens duntaxat, ſiue hypotheticè impoſſibilem, ſuppleri poſſe per æquipollens, quoties eundem habebit effectum, atque ſi in forma ſpecifica fuiſſet impleta, quandoquidem illam diſponens non præſcripſerat, niſi tanquam viam, & præambulum neceſſarium ex natura rei, aut ex præſcripto iuris ad finem, quem ſua diſpoſitione intendebat: quem finem æquè per æquipollens obtinet: nam ſi nollet in eo caſu ſuppleri præſcriptam conditionem tunc impoſſibilem, per æquipollens, careret ſuo fine, nullaque foret eius diſpoſitio, quam tamen ipſe validam eſſe peroptat, neque eam conditionem præſcripſit, niſi vt valida foret diſpoſitio, quæ abſque eiuſmodi conditione, licèt ab ipſo præſcripta non fuiſſet, inualida omninò foret, vel ex natura rei, vel ex iuris & legis definitione. Id ipſum verò æquè contingit in contractibus, atque in vltimis voluntatibus, ſufficitque conditionem de qua agimus per æquipollens ſuppleri, & ante contractum poſitam fuiſſe: ſic enim edicunt AA. *l. final. C. de donation. quæ ſub modo. Si quid mater filia in poteſtate patris conſtituta ſub hac conditione, ſi fuerit intra biennium emancipata, donauerit, licèt hoc matris voluntate ſui iuris effecta non tenuit, tamen prius marito defuncta ſui iuris quocumque modo effecta ad ſimilitudinem legati ita relicti rem donatam ſimiliter habere vel vindicare poteſt.* Vides itaque conditioni emancipationis ſatisfieri, quocumque modo liberi ſui iuris efficiantur: quod ipſum Antoninus in vltimis voluntatibus conſtituerat *l. 3. C. de inſtitionib. Si mater vos ſub conditione emancipationis hæredes inſtituit, & priuſquàm voluntati defunctæ pareretur, ſententiam deportationis pater meruit, vel aliter defunctus eſt, morte eius vel alio modo poteſtate patria liberati, ius adeundæ hæreditatis cum ſua cauſa quæſiſtis.* Vbi vides conditionem emancipationis, quæ fieri non poterat à patre deportato, vel mortuo, impleri per aliquid æquipollens, & per omnem modum quo liberi fiunt æquè ſui iuris, atque per emancipationem facti fuiſſent.

Obiicies primò æquipollens non ſufficere ad implendam conditionem, quando certus modus illius implendæ deſignatus eſt in ipſa diſpoſitione: v.g. *hæres ſit ſeruus ſi vindicta manumittatur*: quæ conditio tunc nequidem per ipſam legem, quæ manumittat ſeruum, ſuppleri poterit, quod facilè oſtenditur; nam conſtitutio Diui Marci libertatem concedit ſeruo, qui ex contractu manumitti debebat, quoties in mora fuit, qui manumittere tenebatur, *l. 1. 3. & 6. D. qui ſine manumiſſione ad libertatem perueniunt*: & *l. cauſam 20. D. de manumiſſionib.* vbi etiam *in §. puellam*, ſic ait Papinian. *Puellam ea lege vendidit, vt poſt annum ab emptore manumitteretur, quod ſi non manumiſiſſet, conuenit vt manum iniiceret, aut decem aureos emptor daret, non ſeruata fide: nihilominus ex ſententia conſtitutionis, liberam fieri reſpondit.* Similia habentur *in l. 1. & 2. C. ſi mancipium ita fuerit alienat.* Nihilominus hæc Marci & Commodi conſtitutio non habet locum, quoties agitur de certo manumittendi modo, niſi enim ponatur ille, non ſupplebitur à lege, neque accipiet libertatem ille ſeruus, quamuis qui ipſum ex contractu manumittere eo modo debuerat, fuerit in mora, quod videmus *in l. qui Romæ 122. in §. Flauius Hermes. D. de verbor.obligat. Flauius Hermes hominem Stichum manumiſſionis cauſà donauit, & ita de eo ſtipulatus eſt: ſi homo Stichus de quo agitur, quem hac die tibi donationis cauſà, manumiſſioniſque dedi, à te, hæredeque tuo manumiſſus, vindictaque liberatus non fuerat, quod dolo malo meo non fiat, pœnæ nomine quinquaginta dari ſtipulatus eſt Flauius Hermes, ſpopondit Claudius.* Circa hanc ſtipulationem cum Stichus non fuerit liberatus à Claudio vti ſpoponderat, plurima quæſita ſunt, quibus ſic reſpondit Scæuola. In primis Claudium conueniri poſſe de libertate ſerui à Flauio Hermete. Secundò Flauij Hermetis hæredem poſſe petere à Claudij hærede pœnam ſubſcriptam quinquaginta, quam vt vitet Claudij hæres, libertatem Sticho præſtare debebit. Tertiò ſi Flauij hermetis hæres nolit ex ea cauſa agere cum Claudij hærede, hunc nihilominus teneri præſtare libertatem Sticho ex conuentione, quæ fuit inter Hermetem & Claudium. Ex quo conſultiſſimi viri reſponſo vides Stichum non accepiſſe libertatem, quamuis Claudius, eiuſque hæres, qui eam ipſi præſtare debebant ex conuentione cum Hermete, fuerint in mora, atque

ideò

Digitized by Google

ideò pœnæ conuentæ obnoxij, neque conſtitutionem Marci habere locum in eo caſu, ſed libertatem præſtandam fuiſſe à Claudio, vel eius hærede, vti fuerat conuentum, & donec id fieret, Stichum manſiſſe ſeruum, non obſtante Conſtitutione Imperatoria, quæ concedebat libertatem ſeruis, qui ex pacto manumitti debebant, quoties qui ad eam manumiſſionem obligabantur, erant in mora: neque poteſt alia reddi ratio cur ea conſtitutio in noſtro caſu non valeat, quàm quia illi pacto fuit adiectus modus manumiſſionis, nempe *per vindictam*, lex autem non ſupplet per æquipollens manumiſſionem, quoties conuentio certum modum illius deſignauit, ne detrahat paciſcentium & contrahentium expreſſæ voluntati: quoties igitur præſcribetur aliqua conditio, eiuſque implendæ certus modus, illa in ſpecifica forma, & modo præſcripto implenda erit; neque per æquipollens ſuppleri poterit: quod ſi modus ille redditus fuerit impoſſibilis, deficiet conditio, contraquàm in noſtra regula aſſeruerimus.

Reſp. nihilominus conditiones quæ ſunt præambulum diſpoſitionis, vel natura ipſa, vel iuris ordine, vel quæ reſpiciunt certum effectum, quando in ſpecifica forma impleri nequeunt, poſſe per æquipollens impleri, licèt ſit certus modus impoſitus, vti affirmabat noſtra regula, quam hactenus ex ipſo iure ſtabilimus; & confirmatur ex *l. 4. D. de manum. teſtament. Si libertate data ſic fuerit legatum, eique ſi eum vindicta liberauero, heres meus decem dato, licèt ex nimia ſubtilitate ſeparatum eſt legatum a teſtamento, attamen humanitatis intuitu valebit legatum; ſi viuus reum manumiſerit.* Vides certum modũ manumiſſionis, nempe *vindicta*, fuiſſe præſcriptum, qui modus omiſſus fuit, factaque aliter manumiſſio, & data libertas, qua quocumque modo data valuit legatum. Neque dicas id indultum fauore libertatis, ideóque Pomponium reſpondiſſe *humanitatis intuitu valere legatum:* hoc eſt remiſſo & laxato iuris rigore, eiuſque ſubtilitatibus omiſſis: monet enim Vlpianus plurima contra iuris rigorem pro libertate fuiſſe conſtituta, *l. generaliter* 24. §. 10. *D. de fideicommiſſariis libertat.* & Martian. *l. pœnales* 32. §. *fin. D. ad l. Falcidiam.* Verùm in illa *l.* 4. quam exponimus, non agitur de libertate, ſed de legato ad quod capiendum iam ſupponitur liber, & quamuis libertas ſit conditio diſponens ad legatum, eiuſque libertatis obtinendæ modus præſcribatur à teſtatore, nihilominus, quocumque tandem modo fiat liber, valebit legatum, vti ait Pomponius: neque ſapienter obiicitur eundem eſſe fauorem legati dati cum libertate, atque ipſius libertatis: nam aliquando obtinebitur libertas legata, & non illud quod vnà cum ipſa eodem teſtamento legatum fuerat. Caſum habet Vlpian. *in l. ſi ita ſcriptum* 16. *D. de manumiſſis teſtam. Si ita ſcriptum fuerit, cùm Titius annorum 30. erit, Stichus liber eſto, eique heres meus fundum dato: & Titius antequam ad annum 30. perueniſſet, deceſſerit, Sticho libertas competet, ſed legatum non debebitur.* Rationem ſubiicit Iuriſconſultus: *Nam fauore libertatis id receptum eſt, vt mortuo Titio tempus ſupereſſe videatur, quo impleto libertas contingat; circa legatum defeciſſe conditio viſa eſt.* Similia videbis *in l. ſi peculium* 20. §. *is cui. D. de ſtatuliberis.*

Ad §. *Flauius Hermes* nuper obiectum, reſp. primò conſtitutionem Marci in caſu *illius* §. non valuiſſe, quia fuerat expreſſus certus manumiſſionis modus, nempe per vindictam, quem lex non ſuppleuit, neque potuit ſupplere, niſi contrahentium voluntati derogaret, quod nunquam facere cenſetur, niſi ex graui, & communi aliqua cauſa: neque inde impugnatur noſtra regula, quæ agit de forma conditionis expreſſæ, quæ non eſt in poteſtate illius, cui talis conditio imponitur: nam ſi ſit in eius poteſtate, eam omninò in forma, quæ præſcribitur implere debet: v.g. legat mater filio ſi eum pater emancipauerit, ſufficiet vt filius ſui iuris efficiatur, & exeat à patria poteſtate quocumque modo, etiamſi non per emancipationem. At verò legat quis patri centum ſi filium emancipauerit, non acquiret legatum niſi filium emancipauerit, etiamſi filius alia quapiam ratione eius poteſtati ſubductus fuerit: v. g. per dignitatem Epiſcopalem, aut Religionis ingreſſum: quare cùm *in §. Flauius*, eſſet in poteſtate Claudij, vt Stichum vindicta manumitteret, non debuit alio modo manumittere. Ratio huius diſtinctionis eſt, quia non eſt ſubueniendum illi, qui potuit pleniſſimè conuentionem implere, & conditionem etiam in forma ſpecifica implere, ſibi enim imputet, quod non impleat modo præſcripto, vti poterat; illi autem qui facit, quod poteſt, & non amplius præſtare poteſt, iure merito indulgetur, ſi id quod æquipollet faciat.

Dices ſecundò æquipollentiã in conditione ſupplenda debere habere illum ipſum effectum, quem haberet conditio in ſpecifica forma poſita, quod in confirmatione & expoſitione noſtræ regulæ perpetuò monuimus: atqui manumiſſio, ſiue libertas per legem, non idem operatur, quod manumiſſio per vindictam: hæc enim pariebat pleniſſimam libertatem, & Ciuem Romanum conſtituebat, cùm aliis modis manumiſſi, eſſent tantùm Latini, aut dedititij. Quoties igitur diuerſa ſpectabuntur iſti modi manumiſſionis, vnus non poterit ſuppleri per alium, qui non eundem habebit effectum: qua verò ſolennitate fieret manumiſſio per vindictam coram Prætore, impoſita capiti ſerui virgula, quam idcirco vindictam vocabant, quod ea ratione in libertatem vindicaretur, & aſſereretur: erat verò illa virgula feſtuca quædam, vt ait Feſtus, Perſius.

Non in feſtuca lictor quam geſtat inani.

Et alibi.

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſſi.

De hac inquam vindicta alius erit dicendi locus in appendice de dominio.

Reſp. cum Cuiacio *lib. 1. obſer. cap.* 29. Scæuolam *in l.* quam verſamus, agere de ſeruo manumiſſionis cauſá donato. At verò Marci, & Commodi conſtitutionem pertinere ad ſeruos manumiſſionis cauſâ venditos *l. Paul. D. de liber cauſ.* Ea tamen deinde ad ſeruos donatos eadem lege, vſu quodam extenſa fuit, quod nondum acciderat, dum Scæuola de iure tẽporibus Marci & Commodi reſpondet. Itaque nihil aduerſùm nos ex ea Marci conſtitutione obiici poteſt, vt vides.

Obiicies ternò *l. ſeruo manumiſſo* 58. *D. de conditione indebiti*, vbi ſic habet Papinian. *Seruo ma-* 13
numiſſo fideicommiſſum ita reliquit: ſi ad libertatem ex teſtamento peruenerit, is poſt acceptam ſuo iudice pecuniam, ingenuus pronuntiatus eſt; indebiti fideicommiſſi repetitio erit. Vbi vides repeti legatum tanquam indebitum propter non impletam conditionem, quæ in ſpecifica forma non potuerat impleri: cùm ingenuus & liber manumitti nequeat, licèt fuerit impleta per æquipollens, & quæ eundem habeat effectum: requirebat enim libertatem teſtator in ſeruo, vt fideicõmiſſum accipere poſſet,

quam

quam libertatem iam ipſe poſſidebat, cùm eſſet ingenuus quamuis id ignoraret teſtator, qui ſi ſciuiſſet, legatum multò potiori ratione, & libentiùs omnino id reliquiſſet, cùm quia ſeruitute impediebatur, voluerit illum teſtamento manumitti. Nequit igitur conditio per æquipollens ſuppleri. De quo Papiniani reſponſo magnæ ſunt lites apud Interpretes. Anton. Faber ait teſtatorem qui conditionem, ſub qua fideicommiſſum relinquebat, exiſtimaſſe eſſe poſſibilem, atque adeò reliquiſſe ſi eius libertus fieret, non ſi ingenuus eſſet. Ex quibus vides non fuiſſe impletam etiam per æquipollens conditionem à teſtatore poſitam, nempe ſi eius libertus eſſet, & non ſi ingenuus eſſet, ideóque indebitum fuiſſe fideicommiſſum; atque adeò repeti iure poſſe condictione indebiti.

Reſp. ſecundò Sarmiento *lib. 2. ſelect. interpret. c. 1. n. 27.* in huius legis themate non repeti legatum tanquam indebitum defectu conditionis, quæ cùm eſſet impoſſibilis, poni non potuit, ſed quia ex Senatus decreto, qui poſt manumiſſionem originis repetierant ea quæ de domo manumiſſoris habebant, ibi relinquere iubebantur *l. 1. C. de ingen.* & *l. fin. C. quibus ad libertat. proclam. non lic. l. 3. D. ſi libert. ingen. eſſe dicat. l. 1. D. de iure annul. l. de bonis. D. de liber. cauſa*, in quos omnes textus conſule Gloſſam: quia igitur iſte legatarius ſuam originem repetiit, debuit relinquere legatum, quod perinde fuit ipſi indebitè ſolutum, non ratione conditionis impoſſibilis, quod explicat gloſſa *in l. 1. C. de ingenuis. Si liberum hominem quem credebas ſeruum tuum eſſe, in teſtamento manumiſeris, & ille in ingenuitatem proclamauerat, an bona quæ occaſione manumiſſionis acquiſierit in domo manumiſſoris apud hæredem relinquere debeat, quæritur: dicitur quod ſic. Idem quæritur ſi ei tanquam liberto aliquid fuerit relictum.* Ratio eſt quia videtur ingratus qui noluit libertus benefactoris haberi. Ex Papiniani itaque reſponſo nihil aduerſus noſtram Regulam inferre poſſunt aduerſarij.

REGVLA III.

De conditionibus impoſſibilibus tantùm per accidens.

54 QVoties conditio per accidens, ſiue ex ſuppoſitione duntaxat impoſſibilis, non vitiaret diſpoſitionem, ſi poſſibilis foret, & tamen deficeret, non vitiabit etiam ex eo quod ſit impoſſibilis, v. g. teſtator Titio ſi Stichum ſeruum ſuum manumiſerit, legat centum, aut hæredem ipſum inſtituit. Stichus decedit antequam Titius ſit in mora illum manumittendi, percipiet legatum Titius, neque defectus eſt conditione, quia defectus conditionis poteſtatiuæ, cuiuſmodi eſt iſta, quando contingit ſine culpa illã implere debentis, non vitiat diſpoſitionem, quod alias monuimus ex *l. quæ ſub conditione, D. de condition. inſtit.* Fingamus verò Stichum tempore facti teſtamenti inſcio teſtatore deceſſiſſe, ac proinde conditionem eius manumiſſionis, ſub qua legat centum Titio, impoſſibilem eſſe, quam tamen poſſibilem exiſtimabat teſtator, non vitiabit teſtamentum, quia etiamſi tempore facti teſtamenti, eſſet reuerà poſſibilis, cùm nunc tamen ſit impoſſibilis abſque culpa illam ponere debentis, non vitiabit, vt diximus, diſpoſitionem, cui eſt adiecta.

REGVLA IV.

De conditionibus impoſſibilibus in ſpecie.

IMpoſſibilis conditio in ſpecie ſemper vitiat actum, quando ipſum factum, eiuſque etiam poſſibilitas explicitè vel implicitè ponitur in conditione: v. g. ſi Turca viuit, vel viuet lego centum Titio, Turca mortuo, iam eſt impoſſibilis conditio, & legatum inutile, quia teſtator ſuam voluntatem alligauit illi euentui, & æquiualet illa conditio, iſti, ſi Turca non eſt mortuus lego. Atque ita interpretor *l. ſi Mæuia 45. D. de hæredib. inſtituend. Si Mæuia mater mea, & Fuluia filia mea viuent, tum mihi Lucius Titius hæres eſto: Seruius Reſpondit ſi teſtator filiam nunquam habuerit, mater autem ſuperuixiſſet, tamen Titium hæredem fore, quia id quod impoſſibile in teſtamento ſcriptum eſſet, nullam vim haberet.* Et quidem illa conditio quoad Fuluiam, quæ nunquam extitit in rerum natura, impoſſibilis eſt ſimpliciter, ideóque reiicitur à legato; quoad matrem autem Mæuiam, quia verè ſuperſtes eſt, valet legatũ, eſt enim impleta conditio.

Obiicies *leg. multa 6. §. 1. D. de condition. & demonſt.* vbi Pomponius veterum Iuriſconſultorum contrarias opiniones ſic refert: *Si ſeruos certos quis manumiſiſſet, hæres eſſe iuſſus eſſet, quibuſdam ex his antea mortuis, Neratius reſpondebat deficì eum conditione, nec æſtimabat parere poſſet conditioni, necne.* Id eſt non laborabat poſſibilis, an impoſſibilis foret conditionis adiectæ impletio, ſatis enim erat non fuiſſe impletam, ac proinde deficere, & legatum non valere. Subiicit Pomponius; *Sed & Seruius reſpondit, cùm ita eſſet ſcriptum, ſi filia & mater mea viuent, altera iam mortua non defici conditione. Idem eſt apud Labeonem ſcriptum. Sabinus quoque & Caſſius quoque quaſi impoſſibiles eas conditiones in teſtamento poſitas pro non ſcriptis eſſe; quæ ſententia admittenda eſt.* Vides magnam hic diſſenſionem: nam diximus in regula 3. defectum conditionis poteſtatiuæ, ſi ſit impoſſibilis illi cui imponitur, & abſque eius culpa, non vitiare diſpoſitionem, & tamen conditio manumittendi ſeruum, quæ hæredi imponitur, poteſtatiua eſt, & morte ſerui facta eſt impoſſibilis abſque culpa hæredis, non deberet igitur eius defectus vitiare teſtamentum, cuius contrarium tamen affirmat hoc loco Neratius. Deinde idem omninò caſus proponitur *in l. ſi Mæuia*, & *in l. multa*: & tamen illa conditio ſi mater, & filia viuent, altera ex illis mortua reiicitur vt impoſſibilis *in l. multa.* At verò *in l. ſi Mæuia*, non reiicitur, propter illam quæ adhuc ſupereſt.

Reſpondent aliqui quando conditio ex accidenti impoſſibilis adiicitur ab eo, qui ſcit nunc eſſe impoſſibilem, exiſtimari nunc pro impoſſibili ſimpliciter: v. g. lego centum Titio ſi Stichum, quem ſcio mortuum dimiſerit, illa manumiſſio cenſetur ſimpliciter conditio impoſſibilis, & vel pro non adiecta habetur, vel ſignificat diſponentem ſuam voluntatem illi conditioni illigaſſe, & reuerà nolle ſuam diſpoſitionem valere, quod explicuimus *quæſtion. 5.* Alij reſpondent diuerſam fuiſſe ſententiam veterum Iuriſconſultorum in hac re, & vtrum defectus conditionis poteſtatiuæ abſque culpa debentis illam ponere, vitiaret diſpoſitionem, an verò habenda foret pro impleta eiuſmodi conditio. Hanc diſſenſionem pluribus oſtendit Sarmiento *libro 2. ſelectar. interpret. capit. 2. num. 6.*

noſtri

noſtri non eſt lycæi has antinomias conciliare.

Venio ad alteram controuerſiam de tempore implendæ conditionis; & quidem ſi tempus aliquod certum à contrahentibus, vel à teſtatore deſignatum ſit, illud ſeruandum erit, aliàs conditio non cenſebitur impleta. At verò ſi nullum ſit tempus deſignatum; diſtinguendum eſt de variis conditionibus: nam conditiones caſuales & mixtæ, quocumque tempore impleri poſſunt, etiam poſt contractum, aut teſtamentum *leg.* 2. & *l. hac conditio* 29. *D. de condit. & demonſtrat.* Ratio eſt quia in his ſolum factum attenditur, ideóque licèt ante contractum, aut teſtamentum impletæ ſint, valebit diſpoſitio, ſiue contractus, ſiue teſtamenti eodem modo atque ſi pura eſſet. Ita Molina *tract.* 2. *diſput.* 260. Anton. Gomez. *tom.* 1. *variar. reſolut. cap.* 12. *num.* 61. *&* 68. Addit tamen id verum eſſe duntaxat, quando teſtator ignorabat implementum conditionis, quam præſcribit; factum enim tantùm & euentum conditionis quocumque modo, & tempore poneretur, attendiſſe videtur. At vero ſi ſciebat illam eſſe iam impletam, iterum implenda & ponenda erit, ſi fuerit iterabilis; vt quid enim eam, quam ſciebat eſſe impletam imperauit impleri, niſi quia denuò poni omninò voluit, vti poni poteſt in ea caſu: nam ſi iterabilis non ſit, non potuit exigere diſponens, vt ſi iam poſitam eſſe ſciebat, iterum poneretur, niſi ſuam mentem manifeſtò expreſſerit; quo caſu conditio eiuſmodi habebitur pro impoſſibili, atque ad eius regulas nuper allatas exigenda. Tota itaque difficultas eſt de conditione poteſtatiua, cuius implendæ nullum certum tempus præſcriptum fuit, cùm verò ea conditio implenda ſit ab ea perſona, quam reſpicit, idque omninò intendant, qui ſuæ diſpoſitioni eam adiiciunt, diſtinguendum eſt: nam ſi conditiones adiiciantur teſtamento, impleri non debent niſi mortuo teſtatore, vt aiunt laudati DD. & Ponc. *lib.* 3. *de matrim. cap.* 16. *numer.* 6. Ferdinand. à Caſtro Palao *de iuſtitia, diſp.* 1. *punct.* 8. *numer.* 17. quia tota diſpoſitio poſt mortem duntaxat executioni mandanda eſt *leg.* 1. *D. de teſtament.* quod tamen reſtringunt DD. laudati ad conditionem iterabilem: ſi enim ſit non iterabilis, & ante mortem teſtatoris poſita, valebit diſpoſitio, cùm eius intentioni factum fuerit ſatis, modo nuper explicato. Diſcrimen quoque conſtituunt hoc loco inter hæredem, & legatarium; quia quando nullum eſt præfixum tempus in inſtitutionibus, conditionibus poſitis hæredi inſtituto, ſatis eſt ſi in vita ſua impleat *leg.* 4. *&* 5. *D. de hæredib. inſtituend.* & *leg. vlt. D. de condition. inſtitut.* aliquando tamen cogi poteſt à Prætore conditionem non differre diutiùs, ſed adimplere *leg.* 23. §. 1. *D. de hæredib. inſtit.* Vnde colligimus à contrario illum non defici conditione, licèt non ſtatim illam impleat, ſed id ex ſuo arbitrio pendere etiam tempore vitæ ſupremo. Legatarius tamen quamprimùm poterit, conditionem ſibi à teſtatore impoſitam implere tenetur. Ratio eſt quia nunquam legatarius damnum patitur capiendo legatum, ſicut patitur aliquando hæres adeundo hæreditatem, ideóque tempus illi ad deliberandum concedendum fuit. Ita Donell. *lib.* 8. *cap.* 33. & alij paſſim. In contractibus verò, aliiſque diſpoſitionibus non teſtamentariis implenda erit conditio poſt contractum, quamprimùm licebit, quod monet Iulian. *in leg.* 29. *D. de condition. & demonſt. de conditione ſi Capitolium aſcenderit*, quam ſic recipiendam dicit, quamprimùm Capitolium potuerit aſcendere. Videturque mihi ratio manifeſta; ſi enim eſſet in arbitrio contrahentis, quando libuerit conditionem implere, poſſet ille ad longiſſimum tempus contractum ſuſpendere, illumque inanem deficiente conditione, altero contrahente inuito, & animi ſuſpenſo diutiùs, reddere. Hæc porrò omnia intelligenda ſunt de conditionibus affirmatiuis; nam negatiuæ, quæ conſiſtunt in non faciendo, cùm in illis certum tempus non præſcribitur, perpetuæ ſunt, & impleri non poſſunt toto vitæ tempore, vti aliàs explicuimus. Vnde excogitata fuit Muciana cautio in legatis, & teſtamentis, vt illa data poſſint legatarij & hæredes bona ſibi relicta comparare, alioquin illis nunquam in ſua vita gauderent, cùm tota vita ipſorum non ſit impleta conditio. An verò ſimilis cautio Muciana concedatur in contractibus, eodem loco quæſiuimus. Moneo duntaxat eiuſmodi conditiones perpetuas negatiuas non poſſe cuilibet adiici contractui, alioquin vel tanquam impoſſibiles reiicientur, aut potiùs tanquam irriſoriæ defectum conſenſus arguent in eas præſcribente, aut denique tanquam pugnantes cum ſubſtantia talis contractus, quem proinde vitiabunt vel defectu conſenſus, vel ratione eiuſdem eſſentialis cum ipſo oppoſitionis: v. g. matrimonio negatiuæ conditiones perpetuæ implendæ ab ipſis contrahentibus, quæ proinde non niſi ipſorum morte complentur, præſcribi non poſſunt: v.g. *contraho tecum ſi Capitolium non aſcenderis, ſi meas curaueris exequias.* Cùm enim conditio ſuſpendat contractum donec impleta ſit, & vbi impleta eſt, nequeat fieri contractus, aliquid contra eius ſubſtantiam ponitur: neque enim poteſt contrahi matrimonium cum altero contrahente mortuo. Vide Rebell. *lib.* 2. *de matrim. q.* 10. *ſect.* 3. *n.* 18. & Ponc. *lib.* 3. *de matrim. c.* 16. *n.* 5. 6.

Gemina ſupereſt hoc loco difficultas. Prima 16
an ſufficiat ad obtinendum effectum alicuius diſpoſitionis conditionatæ, impleri tunc conditionem; an verò impletam eſſe oporteat; ſiue an eo primùm momento, quo impletur conditio, an verò in ſequenti duntaxat, quo iam impleta eſſe dicitur, obtineatur diſpoſitionis effectus; libertas v. g. aut hæreditas, aut aliud quidpiam ſub illa conditione relictum, vel datum acquiratur. Ratio difficultatis eſt quia cùm conditio tota æſtimetur ex eo quod pendet, ideóque paſſim dicimus *pendere conditionem, pendente conditione*: & deſinat conditio pendere cùm impleri incipit, & non tantùm dum impleta eſt, cur diſpoſitio quæ ab illa pendebat, iam eo inſtanti non valebit? exiſtit ſiquidem reuera conditio tunc cùm impletur, quamuis nondum impleta ſit; nam & res dum incipit, exiſtit. Denique aliud eſt conditionem exiſtere, aliud extitiſſe, primum habet dum impletur, poſterius dum impleta eſt. Huc pertinet *l. Areſcula* 15. *D. de ſtatu hominum*, vbi Areſcula libera fit, ſi tres liberos pepetit: in qua Tryphoninus dicit eum ſolum liberum natum eſſe, qui vltimo loco natus eſt, quia ille ſolus ex libera naſcitur: *incipiente enim partu*

exiſtens conditio efficit vt ex libera edatur, quod poſtea naſcitur. Atqui in eo caſu parturiente Areſcuſa impletur conditio duntaxat, & nondum impleta fuit; niſi partu perfecto, ſiue vbi iam mulier peperit, & tamen obtinetur legata libertas ſub ea conditione *ſi tres pepererit:* ita vt qui ex illa tertius ordine naſcitur, liber abſque dubio exiſtat, tanquam ex matre verè libera natus. Aliunde tamen certi iuris eſſe videtur impletam conditionem requiri, priuſquàm aliquid peti poſſit, quod non niſi ſub conditione relictum fuerit, vt *in leg. qui hæredi 44. §. vlt. D. de condit. & demonſt.* vbi Plautius de hærede ſub conditione: *Si cohæredibus decem dediſſet,* inſtituto ſic ait: *Neu ante ad hæreditatem admitteretur quàm ſi omnem ſummam dediſſet.* Et Caius *in leg. facta 63. §. ſi ſub conditione. D. ad SC. Trebell. Vtique autem teſtator niſi expleta ſit conditio neque ſcriptum hæredem ad hæreditatem vocauit, neque per hunc illi voluit reſtitui hæreditatem:* ſuntque innumera alia eiuſmodi iura, quæ ſignificent impletam oportere eſſe conditionem, vt aliquid ſub illa diſpoſitum, & debitum, ſiue teſtamento, ſiue quopiam contractu comparetur, itáque fert communis ſententia.

17 Hanc difficultatem ſapienter, & eruditè de more Antonius Faber explicat *lib. 20. coniectu-rar. cap. 2.* & DD. diſſidia ſubtili diſtinctione componit; aliqua enim ſunt quæ ipſo iure abſque alio hominis facto vi teſtamenti; alteriuſve diſpoſitionis ſtatim competunt, niſi aliquando illa iuris & legis poteſtas, vel efficacia per conditionem appoſitam cohiberetur, & ſuſpenderetur: verbi gratia, legata directa, libertas mortuo teſtatore, atque adeò confirmato teſtamento, ſtatim ipſo iure competit legatario, nihilque impedit niſi ſi ſub aliqua conditione relicta ſit, eaque conditio nondum exiſtat, quare ad comparandam ſic libertatem legatam nihil aliud requiritur, nullumve aliud hominis factum, quàm vt teſtamentum ſit confirmatum, & ponatur conditio ſi teſtator ſub illa legarat libertatem: nam ſolus eiuſmodi conditionis defectus obſtabat efficaciæ, & poteſtati iuris, ac legis; quare vbi tolletur illud obſtaculum per poſitionem conditionis, eodem modo ſtatim ipſo iure competet æquè libertas, atque ſi purè legata fuiſſet. Alia quædam ſunt, quæ ita ex aliqua diſpoſitione debentur, vt non tamen ſtatim & ipſo iure acquiſi, & comparari poſſint, ſed præterea opus eſt aliquo hominis nouo opere, & facto, vt reipſa comparentur: verbi gratia hæreditas, & legatum; neque enim hæres, aut legatarius ſiue purè, ſiue ſub conditione ſcriptus, hæreditatem, vel legatum ſtatim ipſo iure ſibi acquirit, niſi aditione hæreditatis, vel legati agnitione; quandoquidem extra cauſam neceſſariorum hæredum, nemo inuitus hæres fit *leg. qui in aliena 6. leg. ſi quis mihi 25. §. iuſſum. D. de acquirend. hæred. l. 4. D. ad SC. Trebell. leg. nec emere 16. C. de iure delib.* Legatum autem quamuis acquiri dicatur legatario, etiam ignoranti, *leg. cùm pater 77. §. ſurdo. D. de legat. 2. l. filiusfamilias 16. in fin. D. qui teſtam. fac. poſſ.* & dominium rei legatæ tranſire recta via à teſtatore in legatarium *leg. à Titio 64. D. de furt.* & quaſi numquam factum fuerit legatum hæredis, *leg. legatum 80. D. de legat. 2.* illa tamen tota acquiſitio reuocabilis eſt, neque impedit quo minus legatarius deinde legatum à ſe repellere poſſit, atque ita facere vt nunquam ipſius fuiſſe videatur, *leg. ſi ſibi homo 86. §. cùm ſeruus, D. de legat. 1.* Vbi verò legatarius legatum agnouit, illius acquiſitio fit irreuocabilis: ex quibus fit hæreditatem, vel legatum ſub conditione relicta non ſtatim ipſo iure exiſtente conditione, abſque aliquo alio facto acquiri, quandoquidem ne purè quidem relicta ſtatim ipſo iure ex teſtamento comparantur, ſed facto aliquo in eam rem opus eſt, vti oſtendimus: quod idem dicendum eſt in iis omnibus, quæ non ipſo iure vi alicuius diſpoſitionis acquiruntur, ſed prætereà indigent aliquo alio actu ad acquiſitionem, & comparationem ipſorum. His obſeruatis.

Aio primò illa quæ ex aliqua diſpoſitione ſtatim ipſo iure, ſine aliquo nouo facto acquiruntur, ſi ſub conditione relinquuntur, ſtatim exiſtente conditione, etiam vbi primùm incipit impleri, licèt nondum impleta ſit, acquiri. Ratio euidentiſſima eſt, quia cùm nihil omninò impediat quominus illa res ſub conditione relicta ſtatim ipſo iure, vi teſtamenti, alteriuſve diſpoſitionis competat, propter conditionem, quæ iuris vim ſuſpendit; nam ſi purè relicta fuiſſet, ſtatim ipſo iure competeret, neceſſarium eſt, vt ſublato conditionis impedimento, ſtatim ipſo iure competat. Atqui tollitur hoc impedimentum eo ipſo inſtanti, quo conditio impletur, nec expectandum eſt donec impleta ſit, quia vti iam monuimus conditio tota æſtimatur ex eo quod pendet, pendere autem deſinit, cùm impleri incipit, licèt nondum impleta ſit. Libertas itaque ſub conditione legata, vbi incipit poni conditio, & impleri, licèt impleta nondum ſit, acquiritur ſtatim ipſo iure confirmato teſtamento morte teſtatoris, quia libertates legatæ directè ipſo iure, atque adeò irreuocabiliter ſtatim competunt, non expectata ſeruorum voluntate; quia nequidem recuſare poſſunt, quominus, etiam inuiti liberi fiant, *l. vlt. §. ſin verò, C. de teſtam. manumiſſ.* Et ſi hæredes ſcribantur, inuiti & neceſſarij hæredes fiunt, *l. neceſſarius 57. in fin. D. de acquir. hæred.* Nullo itaque ſerui, neque hæredis, neque vllius alterius facto opus habet Stichus ad comparandam ſibi legatam libertatem, niſi ſi ſub aliqua conditione legata ſit, vt exiſtat ea conditio, vbi autem illa exiſtit, ſtatim & ipſo iure comparabitur Sticho libertas: exiſtit porrò conditio dum impletur, & non tantùm quando impleta eſt, vti iam diximus: ergo tunc competet libertas legata. 18

Aio ſecundò quoties quidpiam ex teſtamento, aliáve diſpoſitione non acquiritur ſtatim, & ipſo iure, ſed præterea opus habet aliquo alio hominis facto, ſi illa diſpoſitio conditionalis exiſtat, oportebit non tantùm impleri, ſed etiam impletam eſſe conditionem, vt acquiratur: verbi gratia cui relicta fuit hæreditas, aut legatum ea conditione *ſi decem dederit*, non prius acquiret hæreditatem, aut legatum, quàm datis decem, & impleta conditione fecerit id, quod neceſſarium eſt ad comparandam hæreditatem, aut legatum, *leg. ei qui 13. D. de condition. inſtit.* nimirum hæreditatem vel legatum expreſsè agnouerit; quod ex dictis facilè demonſtratur: etſi enim fateamur exiſtere conditionem, & non amplius pendere, quo inſtanti impletur, neque ad hoc expectandum eſſe, vt impleta fuerit, cùm

tamen

tamen exiſtens conditio nihil aliud faciat, quàm vt quod ſub conditione relictum fuit, eodem modo tunc ſe habeat, atque ſi purè relictum eſſet, & hæreditas atque legatum purè relicta non ſtatim ipſo iure acquiruntur, opuſque ſit aliquo hominis facto, verbi gratia aditione hæreditatis, agnitione legati, & demũ aliqua declaratione voluntatis, eadẽ declaratio voluntatis neceſſaria erit ad aquiſitionẽ hæreditatis, vel legati conditionalis. Atqui illa declaratio fieri nequit ante conditionẽ, quę quamdiu pendet impedit delationem, *l. ſi ita ſcriptum ſit 45. §. ſi ſub cõditione. D. de legat. 2.* & *l. cedere diẽ 213. D. de verbor ſignif.* neque in ipſo etiam inſtanti quo impletur conditio, & quo ipſam iam exiſtere fatemur. Tum quia non licet diſcernere illud inſtans, quo impletur, ab inſtanti, quo impleta eſt. Tũ quia in inſtanti non ponitur illud, quod exiſtente conditione requiritur ad comparationem hæreditatis, vel legati, neque enim homo ſolet operari in inſtanti. Vbi igitur hæres vel legatarius ſciet impletam eſſe conditionẽ, ſuam voluntatem declarabit, hæreditatem adibit, & legatum agnoſcet, & nondum conditio impletur; idque videmus in fideicõmiſſaria libertate, quæ cum ab hærede præſtanda ſit, nequit præſtari eo ipſo inſtanti, quo conditio impletur, ſed poſt impletam conditionem, vt patet. Et ſanè vt ſapienter argumentatur Faber non poteſt priùs præſtari fideicommiſſaria libertas ex voluntate teſtatoris, quàm deberi cœperit: nec poteſt idem inſtans eſſe, quo debeatur, & præſtetur: deberi enim, & debitam eſſe libertatẽ idem eſt, licèt impleri, & impletam eſſe cõditionem valdè diſtent. Ratio huius diſſimilitudinis eſt, quia conditionis implementum facti eſt, libertatis verò debitum, iuris. In iis autem quæ facti ſunt diſtinguuntur neceſſariò inſtantia, quoniam implicat contradictionem, vt in eodem inſtanti quidpiam fiat & factum ſit; id enim fit quod nondum factum eſt. At in iis quæ ſunt iuris nulla temporis diſtinctio eſt: quia ius operatur ſemper in inſtanti: & ſicut idem ius ſemper eſt, ita & in quolibet inſtanti idipſum ſemper operatur. Si igitur ponamus Areſcuſæ libertatem fideicommiſſariam relictam eſſe ſub hac conditione *ſi tres pareret*, incipiente partu exiſtet quidẽ conditio, ſed nõ idcircò libera fiet, nec proinde liberi naſcentur, ſed ſerui quotquot eo partu naſcentur, quia tunc facto hæredis manumittentis Areſcuſam opus eſt. At ſi ponamus datam ei fuiſſe libertatem directã, incipiente partu non ſolùm exiſtet cõditio libertatis, ſed etiã fiet libera Areſcuſa quia eiuſmodi libertas ei competit, & cõtingit ipſo iure, nec vllum exigit factum hæredis: conſequenter liberi erunt quotquot ex ea naſcentur, tanquam ex libera nati, ſiue primo, ſiue ſecundo partu editi ſint, dummodo non pauciores tribus, ſi primo, aut duobus ſi ſecundo. Si enim primo partu vnus editus eſſet, ſecundo alius, tertio poſtremus ſerui omnino eſſent qui primo, & ſecũdo partu editi eſſent: nati enim eſſent ex ſerua: editus verò tertio partu liber eſſet, quia incipiente hoc tertio partu exiſtit appoſita conditio *ſi tres pariet*, eoque ipſo inſtanti exiſtens conditionis ius efficaciter & ex ſua poteſtate dat libertatẽm. Hactenus ſubtilis Fabri diſputatio.

Ex his explicabis ſolemnem, & obſcuram legem *Areſcuſa*, nuper allatam. Huius legis hoc thema eſt. Ancillæ nomine Areſcuſa, quod nomen non inſolitum eſſe conſtat: nam Licinius Mutianus prodit apud Plin. *lib. 7. c. 4.* & Gell. *lib. 9. c. 4.* Argis mulierem Areſcuſam nomine, cùm cuidam nupſiſſet à fœmina in marem mutatam eſſe, & barba, ac virilitate proueniente, vxorem duxiſſe, vt nihil opus ſit nomen Areſcuſæ in Arethuſam, aliudve mutare hoc locu, quod aliqui Interpretes nulla ratione tentarunt. Hæc igitur Areſcuſa libera eſſe teſtamẽto iuſſa eſt, cum hac cõditione *ſi tres peperiſſet*: accidit autem vt primo partu, vnum, ſecundo tres pepererit; quod mirũ videri non debet, cùm id ſæpius contigerit, & Curiacij tergemini fuerint apud Plin. *lib. 7. c. 4.* idemque de Horatiis teſtatur Paulus in *l. antiqui. D. ſi pars hæredit. petat.* quamquàm Cuiac. vti refert Gotofred. in notis, ſapienter emendauit quod vulgata lectio habet: *ſed & tergeminos Senatores cinctos vidimus Horatios*: vidiſſe enim non potuit Paulus tergeminos illos Horatios, quibus pluribus ſæculis poſterior fuit, neque *cincti* benè dicerentur Senatores, cùm id epitheton militib. conueniat, illos ſiquidem cingi mos fuit apud Romanos, vt colliges *ex l. 25.* & *l. 38. D. de teſtmen. militar.* Inde quoque teſtamentũ in procinctu, quod milites pugnaturi ex Feſto, vel vt refert Plutarch. *ὅτιν περιζώννυντες ἱμάτιον* nuncupant, cuius quoque meminit Cic. *lib. 1. de orat.* & *li. 2. de natura Deor.* Vellei. *lib. 2.* Tacit. *lib. 2. ann.* nam non verſabantur in caſtris diſcincti ſine nota, quin immò pœna erat diſcingi, & ſob iugum diſcincti mittebantur. Non igitur Romanè loqueretur Paul. *ſi Senatores cinctos* dixiſſet. Iure igitur Cuiac. deleri vult *cinctos*, & *Horatios*, & legi, *tergeminos Senatores Cincios vidimus*. Fuit autem Romæ Cinciorum familia, & Cincia lex à M. Cincio Tribuno plebis lata an. V. C. DXLIX. vt ne plus ducentis aureis donare liceret: & denique Cinciorum monumentum ad Romanam portam teſte Feſto. Legit & aliquando Cuiacius *Suſios*, vel *Suſiones*, fuiſſeque Suſionum illuſtrem Romæ familiam docet; ſed redeo ad Paulũ, qui ibidem plures alias fœminas enumerat, quæ vno partu pluſquã duos pepererunt. Idem præſtitit Iulian. *in l. ſi pater 36. D. de ſolutionibus.* Verùm de his prodigioſis numeroſiſque fœtibus conſule Plin. *lib. 7. c. 11.* Ariſtotel. *lib. 7. de hiſtor. animal. c. 4.* Cottaſium *ad l. Areſcuſa*, quam verſamus, Gotofred. in notis *ad l. ſi pater centum*, Laurentium *lib. 8. hiſtor. Anatomica q. 21.* Ioubertũ *lib. 3. c. 1. de erroribus popularib.* Nominatiſſima fuit illa mulier Alexandrina, quæ quinque vno partu peperit, Græcæ quoque ſimilis meminit Tertulian. *lib. de anima c. 6.* *Inuenitur in Iure Ciuili Græca quadam quinionem enixa filiorum ſemel omnium mater, vnici fœtus parens multiplex, vnici vteri puerpera numeroſa, quæ tot ſtipata corporibus penè dixerim populo ſectum ipſa corpus fuit.* Diſputat Pamelius in ſcholiis, quomodo Tertulianus dicat in Iure Ciuili id legi, cùm *leg. illa 3. D. ſi pars hæredit. petatur*, in qua huius prodigioſi partus meminit Paulus, aitque non leuibus authoribus quinquies quaternos enixam Peloponeſiam, nondum in Iuris Ciuilis corpus relata fuerit; Paulus ſiquidem Tertuliano coætaneus fuit, quare ait illud Pauli reſponſum deſumptũ fuiſſe ex *lib. 17. ad Plautium*, ſiue ex Plautio, qui Tertulianum præceſſit. Ex hoc prætereà Tertulliani loco vult emendari citatam *l. 3.* legendumque *quinos quater*, non *quinquies quaternos*: verùm his minutiis omiſſis, obſeruo duntaxat malè Iulianum *in l. 36. D. de ſolutionib.* dixiſſe quinque eodem partu naſci poſſe, ex Ariſtotele, quia vulua totidem habet receptacula; nam Ariſtoteles *loco nuper citato*, huius rationis non meminit, immò

eam reiicit, diuerſaque illa receptacula *libro quarto de generatione animal. capit.* 4. negatque pro numero locorum, & acetabulorum multiplicari fœtus, cùm ſæpe in eodem vteri loco gemini conſiſtant, quod ex ipſis diſſectionibus conſtat. Deinde cùm plures quàm quinque vno partu naſci docuerimus, plura quoque vuluæ receptacula forent admittenda: quare miror Agellium *libro* 10. *capit.* 2. tribuere Ariſtoteli non plures quinque gigni ſimul poſſe, cùm ipſe *libro ſeptimo de hiſtor. animalium, capit.* 44. contrarium affirmet, vbi etiam monſtruoſam illam fœcunditatem Ægyptiis mulieribus maximè tribuit, cuius cauſam refert Euſtathius *ad Dionyſium de ſitu orbis, in Niliacis*, ad Nili aquam, quam ait eſſe maximè nutritiuam, *τροφιμώτατον ὕδωρ*, & propter moderatam ſolis coactionem, *διὰ τὴν τοῦ ἡλίου μετρίαν ἕψησιν*, fœtuum copiam prouocare, *μεγαλοφυεῖν*, atque adeò prolificam eſſe, & ad multiplicâda puerperia valere, *καὶ γόνιμον, καὶ πολύγονον εἶναι*: quare interdum fieri vt mulieres quadrigeminos fœtus edant, atque etiam vt habetur in Ariſtotelis hiſtoria, ſeptingeuos. Verùm redeamus in viam: cùm Areſcuſa libera eſſet iuſſa ſi tres peperiſſet, primo partu vnum, ſecundo tres peperiſſet, quæſitum fuit quis eorum liber eſſet, tanquam ex matre iam libera natus, reſpondetque Tribonianus, potius quàm Tryphoninus, tertium illum, & vltimo loco natum, liberum eſſe, vtpote natum iam impleta conditione libertatis maternæ, indeque paſſim colligunt Interpretes expectandum eſſe donec conditio impleta ſit, ad obtinendum conditionalis diſpoſitionis effectum: at verò Anton. Faber *libro* 20. *coniecturar. capitulo* 1. *à numer.* 13. contendit in illo caſu naſci liberos, quotquot poſteriore partu editi ſunt, neque proinde curandum eſſe quo ordine nanati eſſe proponantur, quod probat primò quia *incipiente partu*, vt loquitur ipſamet lex, *exiſtens conditio efficit vt ex libera edatur quod poſtea naſcitur.* Igitur incipiente partu, hoc eſt illo ipſo inſtanti, quo mulier incipit parere, exiſtit conditio illa ſub qua data fuerat libertas *ſi tres pareret.* Quod verò non ſimul, ſed ſucceſſiuè, & ordine quodam excidant vtero, non vno impetu excutiantur, non ideò tamen plures partus ſunt, ſed vnicus, quod & ſignificant ipſa verba legis, *primo partu vnum, ſecundo tres peperit*: & ratio eſt quia cùm vnico impetu concepti fuerint, ne contra naturam ſuperfœtationem inducamus, licèt non vno impetu excidant, & effundantur vtero, vno tamen partu pariuntur. Cùm igitur mulier incipit parere tres, impletur conditio, *ſi tres pariet*, ſiue cùm primum incipit edere eum qui primus prodit; nam conditio collata eſt in tempus partus, atqui mulier parit, non cùm iam edidit fœtum, ſed cùm edit, adeò priuſquam ediderit, aliudque omninò eſt parere, aliud peperiſſe; aliud eſt inſtans quo impletur conditio, aliud quo impleta eſt: cùm in his omnibus duo ſint reuera inſtantia quorum vnum præcedit, aliud. Conditio igitur *ſi tres pariet Areſcuſa*, dum primò incipit tres parere, impletur, igitur & libertas ipſi ſub ea conditione data, tunc illi competit, ita vt eodem, vnoque momento & conditio impleatur, & libertas illi conueniat, quia, vti nuper oſtendimus, quæ ſtatim ipſo iure conueniunt, neque vllo nouo hominis facto indigent, competunt eo momento quo impletur conditio, & non tantùm poſtquam impleta eſt, ſine momento conſequente eius impletionem: atqui libertas directè legata competit ipſo iure, quod etiam docuimus. Vbi igitur implebitur conditio ſub qua legata eſt, eodem momento competet, atque adeò Areſcuſa cùm incipit tres parere, licèt nondum pepererit, libera fit exiſtente conditione ſub qua libera eſſe iuſſa eſt, atque tres illi pueri ex libera naſcuntur, liberique proinde ſunt. Secundò quia hanc conditionem *ſi tres pepererit*, incipiente partu exiſtere oſtendit ibidem lex ex comparatione alterius conditionis, quæ apponi eo caſu potuiſſet: *Veluti*, inquit, *ſi qualibet alia conditio libertati mulieris appoſita parturiente ea exiſtat, vel manumiſſa ſub hac conditione ſi decem millia heredi, Titióve dederit, eo momento quo parit, per alium impleuerit conditionem, iam libera peperiſſe credenda eſt*: atqui in illis caſibus non peperiſſet poſt impletam conditionem, ſed illo ipſo inſtanti, quo conditio impleretur, vt vides: quæ comparatio ſi rectè inſtituitur, oſtendit conditionem illam *ſi tres pariet*, impleri eo ipſo inſtanti, quo primùm incipit parere, ſiue cùm parturit, ſiue in inſtanti partus, & non poſt partum, ſed *incipiente*, vt lex loquitur, *partu*. Quidquid igitur poſteà ex eo partu naſcitur, ex libera naſcitur; quod autem paſſim Interpretes volunt diſcrimen eſſe inter conditionem illam *ſi decem millia heredi dederit*, quæ per alium impletur eo ipſo momento, quo mulier parit, & hanc noſtram *ſi tres pariet*, egregiè falluntur. In primis quia ipſe Tryphoninus, cui tribuitur illa lex, eam comparationem adducit, neque vllam diſſimilitudinem indicat. Deinde quia ineptam omninò rationem diſſimilitudinis afferunt, nimirum data fuiſſe decem millia, atque adeò impletam conditionem muliere parturiente, & antequam pareret, quod in conditione de qua diſputamus contingere non potuit. Verum Tryphoninus ipſe aliud omninò affirmat, nimirum decem millia dari *eo momento quo parit*: non igitur antequam pariat, aut poſtquam peperit: ſed ipſo partus inſtanti, vnde ibidem ait *parturiente ea*, exiſtere conditionem appoſitam; ſed bonum Bartholum fefellit, quod exiſtimauerit mulierem parturientem eſſe mulierem grauidam, & prægnantem, ſed homini minus in Latina lingua verſato condonandus eſt ille error. Cùm igitur Tryphoninus eandem rationem eſſe voluerit omninò iſtarum conditionum, & cuiuſlibet alterius, quæ mulieris libertati ponitur, & exiſtat ea parturiente, nullo ipſius mulieris aut cuiuſlibet alterius facto neceſſario interueniente, vt *ſi Caius Conſul factus fuerit, nauis ex Aſia venerit*; & certum iam ſit, ſi eæ conditiones eo ipſo momento quo mulier parit, ſiue ea parturiente, impleantur, Caius Conſul creetur, nauis ex Aſia veniat, eodem momento huic mulieri libertatem competere, & proinde quidquid ex ipſa deinde editur, liberum naſci, cur eodem iure non licebit affirmare Areſcuſa parturiente, ſiue incipiente tres parere, impleri conditionem eius libertati appoſitam, *ſi tres pariet*: ac proinde tres illos filios eo partu ex Areſcuſa editos, & liberos, & ingenuos eſſe tanquam ex libera natos.

Obiicies primò illa legis verba, *adimplendam*

eſſe 20

eſſe mulieri conditionem appoſitam. Si igitur adimplenda reſtat, nondum competit illi libertas ſub ea conditione relicta. Reſpond. adimplendam quidem eſſe conditionem, non verò adimpletam eſſe oportere, & eo inſtanti quo impletur adimplenda non eſt, quamuis nondum ſit impleta, ibi enim tria inſtantia diſtinguenda ſunt; futurum quo conditio adimplenda eſt, præſens quo adimpletur, & præteritum quo adimpleta eſt.

Dices ſecundò tot eſſe partus, quot naſcuntur externo partu liberi, ac proinde non impletur conditio *ſi tres pepererit*, niſi cùm tertius editur. Reſp. hunc popularem errorem impoſuiſſe Interpretibus, iam enim monui eſſe vnicum partum, cùm plures ex vno naſcuntur, licèt ordine quodam, & ſucceſſiuè prodeant, quia vnitas, aut multiplicitas partus non ex editione, ſed ex conceptione æſtimanda eſt. Vnde dicitur vnus venter, vnus ventus, dicunturque ſimul naſci, quia vnico illo partu eduntur, licèt ordine quodam prodeant, *leg. antiqui 3. D. ſi pars hæredit. petat. l. verum 7. D. de rebus dub. l. 2. §. eſt autem tractatum. D. de ſuis & legit. l. ſi pater 36. D. de ſolutionib.* Cæterum hanc legem *Areſcuſa*, quam verſamus, vel Tryphonini non eſſe, ſed Triboniani, vel a Triboniano totam ferè corruptam pluribus demonſtrat Faber citato *libro 20. coniectur. capit. 3.* idemque oſtendit de ſequenti, quæ Vlpiano tribuitur *capit. 2. num. 13.*

Obiicies *l. ſi fuerit 10. §. planè 60. D. de rebus dubiis*, ibi enim ancilla libera eſſe iuſſa eſt ſub hac conditione, *ſi primum marem peperit.* Cum verò vno partu marem & fœminam peperiſſet, quærebatur an filius, an filia, an mater ipſa libera foret, cui quæſtioni ita reſpondet Vlpianus; matrem liberam eſſe ſi maſculum priorem peperit, non autem ſi filiam, ipſumque maſculum priorem editum ſeruum fore vt pote ex ancilla natum: quæ ſententia ſi Vlpiani eſt, apertè pugnat cum iis, quæ modo ſtatuebamus; diximus enim incipiente partu impleri conditionem datæ libertatis, quæ proinde eo ipſo momento competit ancillæ, eaque eodem inſtanti libera efficitur, idcóque tam marem, quàm fœminam libera peperit, quod tamẽ negat Vlpian. ſiquidem vult non fore liberam matrem, niſi priore loco maſculum ediderit, atque proinde ſi ſecundo ordine illum excutiat, neque mater, neque filia, neque maſculus liberi erunt. Igitur pugnamus cum Vlpiano, illique aduerſari facimus Tryphonium, ex cuius mente *in l. Areſcuſa* nos loqui diximus.

Reſp. conſtare ſententiam à nobis hactenus traditam, & parturiente muliere, ſiue incipiente partu conditionem libertatis exiſtere, & impleri, eodemque inſtanti libertatem ipſo iure mulieri competere, atque adeò tum maſculum, tum fœminam ex libera naſci quocumque ordine naſcantur, & cùm vnus tantùm partus ſit, ſemper verum eſt primo partu editum eſſe marem; qui ſenſus eſt appoſitæ conditionis, *ſi primum marem pepererit*, cur enim ambabù faciemus deteriorem eſſe conditionem huius mulieris, vt nec illam liberam eſſe velimus, nec ingenuos qui ex ea naſcuntur, ea ſolùm de cauſa, quòd non modò maſculum quod erat ſufficiens implendæ conditioni, & verbis atque mentis teſtatoris ſatisfaciendi, ſed etiam fœminam pepererit; numquid nihilominus ſemper verum eſt primò partu maſculum editum fuiſſe, licèt eodem partu fœmina quoque effuſa fuerit; ſiue priore ſiue poſteriore loco: quare non Vlpiani, ſed Triboniani Vlpianum corrumpentis ſententiam iſtam & verba iure merito contendit Faber *citato libro capit. 4.* vbi & plura alia in eadem lege inſulſe à Triboniano vitiata eſſe demonſtrat.

Hæc omnia de impletione conditionis, & ſi- 21
mul acquiſitione eius, quod ſub ipſa relictum erat vno eodemque inſtanti, quoties ipſo iure ſtatim, & ſine nouo hominis facto acquiritur, confirmat Faber *capit. 2. citato numero 11.* ex doctrina Papiniani *in l. vltim. D. de condit. inſtitut.* agens enim de filio ſuo hærede ſub conditione poteſtatiua inſtituto, diſtinguit an conditio talis ſit, quæ vltimo vitæ momento ſaltem per alium filij nomine impleri queat: verbi gratia *ſi Titio decem dederit*: an verò quæ vltimo vitæ momento nequeat impleri, verbi gratia *ſi Capitolium aſcenderit, ſi Alexandriam ierit.* In priore caſu ait filium hunc, quamdiu vixit, neque patri hæredem fuiſſe ex teſtamento, quia conditionem non impleuit, neque ab inteſtato, quia non eſt locus ſucceſſioni ab inteſtato donec deſtitutum ſit teſtamentum, quod ſolùm contingit quando certum eſt neminem ex eo teſtamento hæredem eſſe poſſe, *leg. quamdiu poteſt 39. D. de acquir. hæredit. leg. ſi filius 16. de liber. & poſthum.* potuit autem hic filius hæres eſſe ex teſtamento, ſi alius eius nomine eo quoque moriente conditionem impleuiſſet, vti poterat proinde nepos ex eo, ſi quis ſit, qui non fuerit ſubſtitutus, ano inteſtato hæres exiſter, neque filius obſtiterit, poſt cuius duntaxat mortem teſtamentum deſtituitur, vt *in leg. ſi quis filio 6. D. de iniuſt. rupt. leg. ſcripto 7. D. vnde libert.* In poſteriori caſu conditionis poteſtatiuæ, quæ vltimo inſtanti vitæ nequit impleri, ait Papinian. hunc eundem filium eo inſtanti, quo moritur, fieri patri hæredem legitimum, & ab inteſtato, quia eo demum inſtanti teſtamentum deſtituitur, cùm incipiat certum eſſe filium hæredem teſtamento nunquam eſſe poſſe, quandoquidem nequit eo vltimo inſtanti conditionem ſibi præſcriptam implere, verbi gratia *Capitolium aſcendere, aut Alexandriam ire*: nec proinde ea impleta hæres eſſe ex teſtamento. Eodem igitur inſtanti impletur conditio delatæ ſucceſſionis legitimæ, nempe ſi teſtamentum deſtitutum ſit, & filio hæreditas legitima acquiritur non expectato ſequenti alio inſtanti, quo dici poſſit conditionem legitimæ ſucceſſionis fuiſſe impletam, quia illud inſtans eſſet illud, quod immediatè ſequeretur vltimum inſtans vitæ huius filij, atqui ille eſſet iam mortuus; patri igitur hæres eſſe non poſſet. Ratio verò propter quam eo ipſo inſtanti, quo impletur conditio ſucceſſionis ab inteſtato, filius fit hæres patri ab inteſtato, reddi alia nequit, quàm quia tunc fit hæres ipſo iure, ac ſola legis poteſtate, neque vllo in eam rem filij facto opus eſt. *leg. 11. D. de liber. & poſthum. leg. 1. §. qui ſunt in poteſtate. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* & alibi, quare ſi hic filius non eſſet hæres ſuus, ſed emancipatus, aut hæres ſcriptus, agnatus proximus ſub eadem conditione poteſtatiua, quæ vltimo vitæ momento impleri non poſſit, verum quidem erit moriente illo deſtitui teſtamentum, atque ita exiſtere conditionem ſucceſſionis ab inteſtato; non tamen propterea verum erit ipſum eſſe hæredem ab inteſtato, quia patri inteſtato ſuccedere nequit filius emancipatus, niſi beneficio

petitæ bonorum poſſeſſionis: vnde liberi, neque agnatus proximus hæres eſſe poſſunt agnato citra aditionem: atqui tam aditio, quam agnitio bonorum poſſeſſionis, facti eſt, nec ſola iuris poteſtate inducitur. Hactenus eruditè Faber.

22 Altera difficultas eſt, an quando diſpoſitioni fuit adiecta conditio, & dies ſimul, impleta conditione, ſit adhuc dies expectandus, v. g. *Contraho tecū, aut do centum intra annum, ſi ædem ædificaueris.* Sexto menſe ædificaſti, vt quid annum expectabis, vt contractus valeat, & centum capias. Hanc quæſtionem pluribus verſat Anton. Gomeſ. *tom. 2. variar. reſolut. cap. 11. n. 13.* & variis diſtinctionibus explicat, quem omninò adeas velim, neque tam longas moras nobis agere licet. Dico cum Ferdinand. à Caſtro *punct. 8. citato, num. 21.* reiectis omnibus illis diſtinctionibus, expectandum omninò eſſe diem ſiue fuerit appoſitus diſpoſitioni, ſiue conditioni, & ſiue conditio pendeat ex facto promiſſoris, ſiue ex facto alterius, ſiue ex caſu; quod in pluribus ex his caſibus aperto iure probat Gomeſ. Mihi hæc ratio ſufficit, nempe diem apponi in fauorem promittentis, & cauſa ſolutionis differendæ, vt in vulgari exemplo. Promitto tibi centum infra annum, ſi Capellam ædificaueris, ſi nauis ex Aſia venerit, ſi Titius me hæredē inſtituerit. Sanè animus promittētis eſt obligari ad dāda illa centum ſtatim poſt ædificatatam ædem, appulſam nauim, Titij teſtamentum, & infra annum poſt eiuſmodi euentus; vnde etiam ſoluitur alia quæſtio de qua fuſiùs Gomez. *ibid. num. 33.* an dies appoſitus numerandus ſit à tempore celebrati contractus, an à tempore poſitæ conditionis. Exiſtimo enim computandum a completa conditione, quia cùm, vt dixi, fuerit dies appoſitus in fauorem promittentis, & differendæ ſolutionis, non poteſt currere, & fluere tempus niſi ex eo momento, quo per conditionis impletionem perfectus eſt contractus, & nata obligatio. Atque ex his plura quæ ad forum potiùs externum quàm ad noſtrum ſpectant, diſſoluit Gomeſ. & aliqua habet Ferdinand. quos adeas.

23 Reſtat videndum à quibus impleri debeat conditio: & quidem certum eſt implendam eſſe ab eo cui præſcribitur: verùm cùm aliquando præſcribatur illi in cuius fauorem ſit diſpoſitio, cuiuſmodi eſt alter contrahens, vel donatarius, promiſſarius, legatarius, hæres: aliàs verò pendet ab alio quopiam, à quo ponenda eſt vel ſola, vel coniunctim. Et quidem quando conditio eſt in poteſtate illius, cui fauet diſpoſitio, illam omninò implere debet, vt diſpoſitione vtatur, niſi aliqua iure approbata cauſâ excuſetur ab impletione eiuſmodi conditionis, vt ſi conditio eiuſmodi reiiciatur à iure, pro non adiecta habeatur vt impoſſibilis in teſtamentis, *l. obtinuit 3. D. de condition. & demonſtrat. l. multa, §. fin. D. eod. l. 1. D de condition. inſtit. l. mulier 20. D. eod. l. cum in fundo 16. §. fin. D. de iniuſt. teſtam. l. ab omnibus 101. §. in teſtamento. D. de legat. 1. §. impoſſibilis, Inſtit. de heredibus inſtit. leg. ſeruum 48. §. ſi non. D. de heredib. inſtit. leg. ſi quis 6. D. de condition. inſtitut.* Idem contingit quando conditio falſa eſt, illam enim cum impoſſibili coniungit *l. cùm tale 70. §. falſam. D. de condition. & demonſtrat.* Conditio quoque turpis aut contra bonos mores reiicitur *l. 14. D. de condition. & demonſt. l. 9. & 10. D. eod. §. fin. Inſtit. de legatis, l. vnic. § fin. C. de his quæ pœnæ nomine.* Inter has turpes conditiones & reiectas numeratur conditio iuriſiurandi *l. 19. §. fin. D. de condit. & demonſt. l. quæ ſub 8. D. de conſtit. l. ſi inquilinos 109. §. fin. D. de legatis 1. l. hac ſcriptura 25. in princ. D. de condit. & demonſtrat.* Excipitur tamen aliquid circa legatam libertatem cum ea iuriſiurandi conditione *l. ſi quis 12. D. de manum. teſtam.* In his quoque reprobatis conditionibus numeratur illa, ſi mulier à viro diuertetit, *l. ſed neque 8. D. de vſu & habitat. l. reprehendenda 5. C. de inſtitut. & ſubſtitut.* aliud eſt de conditione ſi non diuertat, illa enim & honeſta eſt, & probatur *l. 2. C. de condition. inſertis.* Videndum igitur erit, an aliquæ conditiones vel propter impoſſibilitatem, vel propter turpitudinem, aut aliis ex cauſis reiiciantur à iure recepto, illas enim implere non tenebitur is cui illæ præſcribuntur, & nihilominus diſpoſitionis effectum obtinebit, quod quomodo intelligendum ſit, docuimus nuper *q. 5.* vbi & diximus eas omnes leges vti præſumptione contrariæ voluntatis diſponentis, & eiuſmodi conditiones adiicientis, fundari.

Deinde cùm non ſtat per illum in cuius gratiam ſit diſpoſitio, & cui imponitur conditio, eius defectus non illi officit, vt ſi conditio ſit vt ducas Caiam vxorem, illa verò tibi nubere non vult, aut iam obiit *l. in omnibus 39. D. de regul. iur. l. 23. §. fin. D. de condition. inſtit.* Alia exempla conditionum quæ cenſentur impletæ, eo quod is cui erant præſcriptæ, impeditus fuerit, ne illas impleret, habes *l. Titius 14. D. de condition. & demonſt. l. cùm filius 78. §. non iure. D. de legat. 2. l. mulier 20. l. quibus diebus 59. l. quæſitum 55. §. fin. l. cùm pupillus 76. D. de condition & demonſt. l. Titio 35. §. ſi ea conditio. D. de legatis 2. l. ſi fundamentum 87. §. Iulianus. D. de legatis 1. l. Mæuia 13. in princ. D. de annuis legatis.*

Tertiò quoties ille, cuius intereſt non impleri conditionem, impedit ne impleatur, habetur pro impleta, quod iure ciuili receptum eſſe, atque ex plurium ſententia ad legata quoque, & inſtitutiones extendi diſertè affirmat *l. iure 23. D. de conditiŏn. & demonſt.* idem pronuntiat *l. Iulius Paulus 79. § fin. D. eod. l. in iure ciuili 122. D. de regul. iur. l. teſtamento 90. §. fideicommiſſi. D. de legatis 2. l. cui vſusfructus 30. in princ. D. de vſufructu legato. l. ſi ita 3. D. de condit. inſtitut. l. Iulianus 44. D. de condition. & demonſt. l. fideicommiſſa 11. §. cùm eſſet. D. legatis 3. l. ſeruus 34. §. ſed et ſi heres. D. de ſtatuliberis. l. ſi quis 11. D. de condit. inſtitut. l. 1. C. de inſtitut. & ſubſtit. l. 1. C. de his quæ ſub modo. l. qui concubinam 29. § vxori. D. de legatis 3.* In quibus omnibus rebus varia huius noſtri dicti exempla reperies.

Quartò ſi is cuius causâ aliquid dandum, aut faciendum erat, mortuus ſit, eiuſque proinde conditionis impletio impoſſibilis exiſtat, non deficit conditio, ſed habetur pro impleta. Exempla habes *in l. turpia 54. § pen. D. de legat. 1. l. quæ ſub conditione 8. §. ſi mortuo, D. de condit. inſtitut. l. multa 6. §. ſi ſeruus. D. de condit. & demonſt. l. Lucius 90. §. quiſquis mihi. D. de legat. 2. l. 1. C. de legatis. l. illic 82. D. de condition & demonſt. l. mulcta 6. D. eod. l. filia 17. in princ. D. eod. l. ſi duobus 3. §. ſed & ſi quis. C. communia de legatis.*

Quintò interitus rei quæ conditionis causâ danda erat, ab eius impletione excuſat, neque deficere cenſetur, quamuis aliquando ad æſtimationem rei præſtandam damnari poſſit. Exempla huius regulæ habes in *l. ab omnib. 191. §. 1. D. de legatis 1. l. qui dotem 12. D. de dote relegata, l. turpia 54. §. pen. D. de legatis. 1. l. cùm quidam 7. C. de conditionibus inſertis.*

Sextò

Sextò quoties conditioni implendæ certus dies præſtitutus fuit, ignoraturque conditio, aut ipſe dies, quia non potuerunt metu Senatusconſulti aperiri tabulæ, licebit poſt illum diem implere *l. ſi quis 3. § fin. D ad SC. Syllanian.*

Septimò pupillus ſine tutoris authoritate conditioni parere poteſt, *l. 5. in princ. D. de condit. & demonſt. l. ſi pupillus 26. D. de condit. inſtit.* quod idem de filiofamilias, & ſeruo, qui ſine iuſſu domini, & patris conditionem implere poſſunt, quia eo facto nemo fraudatur *l. 5. §. fin. D. de condition. & demonſt.* & *l. ſub conditione 25. D. de condition. inſtit.*

Octauò quando in plures perſonas eſt collata conditio, ſingula illi parere debent. Si enim vnus duntaxat impleuerit conditionem, cæteris non proderit: qua de re dubitatum quondam apud Vlpianum fuiſſe, ſed nouo iure, rem vti diximus, definitam ait *l. ſi plures 6. C. de conditionibus inſertis*; idque affirmat *l. ſi ita 13. in princ.* & *§. quæſtio. D. de manumiſſis teſtamento*, vbi data libertas duobus ſeruis ſi inſulam ædificauerint, vnus parens conditioni libertatem acquirit, non alter; immò extinguitur ei conditio, cum illi non parere poſſit amplius, quia expleta eſt. Conſonat iſtis *l. qui concubinam 29. §. ſi Stichus. D. de legat. 3. l. falſa 32. §. fin. D. de condition. & demonſt. l. 2. §. fin. D. de condition. inſtitut. l. hoc articulo 29. D. de heredib. inſtit.* Ille tamen qui paruit conditioni, vt ſibi legatum quærat, debet illi in ſolidum, & non ex parte duntaxat paruiſſe: vnde *in citata l. ſi ita 13. §. quæſtio. D. de manumiſſis teſtam.* libertate legata duobus ſeruis, ſi rationes reddiderint, Iulianus reſpondet; *Si rationes ſeparatim geſſerint, ſufficere ad libertatem adipiſcendam, ei qui rationes ſuas reddiderit: ſi verò ſimul, non alias videri alterum paruiſſe, niſi vtriuſque reliqua exoluerit*: in illiſque reliquis rationum volumina reddi vult Iulian. quia alioquin non impleuit totam conditionem, voluit ſiquidem teſtator rationes reddi, ne ſibi ſerui quidquam ex illa geſtione retineant, quod non fiet, niſi redditis reliquis, ſi extent aliqua: atque ita non impletur conditio tota. Vide & *l. taleo 120. in princ. D. de condition. & demonſt.* Aduertendum porrò eſt an conditio diuidi poſſit, an verò ſit indiuidua, & an coniunctim pluribus, an ſeparatim ſit impoſita, vti monuimus regula prima.

24 Grauiſſima tamen quoad perſonas quæ conditionem implere debent, controuerſia reſtat: an ius implendæ conditionis ad hæredes tranſmittatur; defuncto v. g. legatario, fideicommiſſario, donatario, aut altero contrahente ante impletam conditionem, quam implere tenebatur, vt legatum, fideicommiſſum, donatum, & contractu debitum compararet, poſſit eius hæres eiuſmodi conditionem facere, atque ita obtinere quod poſita tali conditione debitum fuiſſet illi, cuius hæres exiſtit, ſiue vt vno verbo dixit Couarruu. *qq. practicar. cap. 39. num. 4.* an is qui debet conditionem implere tranſmittat illud ius ad hæredem: non agimus autem de eo cum quo adimplẽda eſt, ſed de eo qui implere debebat, quique creditor eſt, quamuis debitum ſit adhuc pendens ab euentu conditionis, ideóque ſi propriè loquamur, tantùm ſpem habeat ſibi debitum iri, vbi nempe poſuerit conditionem ſibi præſcriptam, vti monuimus alias. Et quidem communis opinio in vltimis voluntatibus negat conditionem vllam ſiue caſualem, ſiue poteſtatiuam, ſiue mixtam tranſire ad hæredes. Itaque ſi non fuerit impleta ab inſtituto hærede, legatario, vel fideicommiſſario, eo deinde mortuo, non habebit eius hæres ius implendæ conditionis præſcriptæ, & deinde exigendi hæreditatem, legatum, aut fideicommiſſum ſibi relictum. Itaque conditionale fideicommiſſum, vel legatum ſiue conditio poteſtatiua ſit, ſiue caſualis, non tranſmittetur ad hæredem ante conditionis euentum, licèt ille ſit ſuperſtes, qui verè conditionem implere poterat, *l. vlt. D. de conditionib. inſtitut. l. à teſtatore 109. D. de condition. & demonſt l. vnica, §. in nouiſſimo, C. de caduc. tollend.* & *§. optionis, inſtit. de legat.* Immò neque ſi conditio ſit caſualis, in qua non agitur, neque agi poteſt de iure conditionis implendæ tranſmittendo ad hæredes, nihilominus legatum conditionale non tranſmittitur. Et denique in vltimis voluntatibus conditionalia minimè tranſmittuntur ad hæredes, *l. 3. D. de collat. bonor. l. vnica, §. ſin autem ſub conditione, C. de cad. tollend. l. intercidit 59.* & *l. cùm ita datur 94. D. de condition. & demonſt.* Rationem reddit Gomeſ. *tom. 2. variar. cap. 11. num. 36.* quia in legatis, fideicommiſſis, & aliis diſpoſitionibus vltimarum voluntatum non interuenit factum vel perſona legatarij, vel fideicommiſſarij volentis ſibi, vel ſuis hæredibus proſpicere, ſed à teſtatore ſolo attenduntur merita perſonæ, quam vult honorare: quare ea mortua expirat legatum aliudve relictum illi perſonæ, ceſſatque cauſa meritorum in hæredibus qui tanquam incerti non poterunt de teſtatore benè mereri: quare niſi teſtator in ſuo conditionali legato, vel fideicommiſſo ipſorum meminerit, ad illos non tranſmittetur defuncto legatario, vel fideicommiſſario ante expletam conditionem: vide Molin. *tract. 2. diſp. 206. & 285.*

25 In contractibus autem conditionalibus diſſentiunt DD. an ius conditionis poteſtatiuæ implendæ tranſeat ad hæredes, ipſiſque competat; & communior quidem opinio, quam cum ſuis authoribus refert & explicat Couarru. *lib. qq. practicar. cap. 39. num. 1.* negat hanc tranſmiſſionem, cui ſententiæ communiori adhæſit Gomez. *tom. 2. variar. cap. 11. n. 36.* Quoties itaque dicitur in iure diſpoſitionem conditionalem tranſire ad hæredem, explicant de conditione caſuali, aut mixta, non verò de poteſtatiua, quæ ſolùm dependet à voluntate creditoris, vt ſi Capitolium aſcenderit, tunc enim negant creditore mortuo obligationem illam, & ius implendæ conditionis tranſire ad hæredes.

Contraria nihilominus ſententia, quæ ius implendæ conditionis, quamuis poteſtatiuæ vult tranſmitti ad hæredem vnà cum hæreditate, eſt nobilium Authorum Franciſci Duaren. *in l. qui Romæ 122. §. Angerius. D. de verbor. obligat.* Franciſc. Connanus *lib. 6. comment. iuris ciuilis cap. 3.* Corraſius *in l. ſi decem 48. D. de verbor. oblig.* Ioann. Faber. in *l. ſi plures 6. C. de condition. inſertis*, quibus omnibus præiuerat gloſſa *in l. ſub hac 8. verſ. nam nec heres, D. de actionib. & obligat.* Sequuntur verò Couarr. *cap. 39. citato*, Molin. *tract. 2. diſp. 285.* Ferdinand. à Caſtro Palao *de iuſtitia commutat. diſp. 1. punct. 7. num. 9.* & alij recentiores. Excipienda eſt tamen conditio perſonalis, hoc eſt, quæ ita reſpicit perſonam, vt non poſſit per alium, quàm eum, cui imponitur, aut circa alium quàm eum, qui illam exigit, impleri: *Do centum*, aut *contraho de emendo tuo fundo ſi Titiam duxeris*, aut *ſi me Matheſim docueris.* Tuus hæres non habet ius implendi eiuſmodi conditionem, ducendi videlicet

Titiam, aut docendi me Matheſim: vnde ſapienter colligit Couatru. *n.3.* aliud eſſe conditionales contractus ad hæredes tranſmitti, etiam ante conditionis euentum, aliud autem ius adimplendi ad hæredem tranſmitti, & illi competere. Primum enim non infert ſecundum, quia cum ex contractu conditionali naſcatur debitum, poſita nimirum conditione, illa ſpes tranſmittitur ad hæredem, vt ſtatim dicam, ex §. *ex conditionali. Inſt. de verbor. obligat.* Dubium tamen reſtat an ius implendæ eiuſmodi conditionis tranſeat ad hæredes, hoc eſt an ille cui incumbit adimplere conditionem poteſtatiuam, tranſmittat hoc ipſum ius ad hæredem ſuum. Et ſanè quando conditiones ſunt perſonales, ab hærede eius, cuius erat conditionem implere non poterunt impleri, ita vt quod ſub ea conditione debitum erat, illi ipſi modò debeatur, vt dixi.

Obſeruandum præterea eſt ſi quo caſu ius implendæ conditionis tranſmittatur ad hæredes illius, cui incumbebat illam implere, neceſſariò implendam eſſe ſecundùm formam expreſſam in contractu, neque enim illa tranſmiſſio contractus, vel obligationis ad hæredes quidquam tollit, aut diminuit de forma, & lege contractus, quæ eodem modo ſeruanda eſt ab hærede contrahentis, atque ab ipſo contrahente: vnde implenda eſt, cum eo cum quo impleri debebat ex lege contractus, & non cum eius hærede, niſi aliud contractu exprimatur, quia alioquin non impleretur conditio ſecundùm formam expreſſam. v. g. *emo tuum fundum Tuſculanum centum millia æris, ſi me Matheſim docueris: do decem millia Camillæ ſi mihi nupſerit,* non potens me mortuo docere Matheſim meum hæredem, & ita vi contractus conditionalis à me tecum initi petere centum millia æris in pretium fundi tui Tuſculani, cuius emptionem à me ſub ea cōditione factam præſtare coges hæredem meum. Neque poterit Camilla pro iure ſuo nubere meo hæredi ad lucranda decem millia, quæ ipſi ſub cōditione mearum nuptiarum ſtipulatus ſum; quia à quocumque conditio contractus impleatur, debet impleri ſecundum formam expreſſam, & legem contractus, nec enim à nominata perſona receditur ad eam, quæ nominatam, & expreſſam repræſentat: vnde tamen malè infert communis ſententia, conditiones in contractu poſitas, nec ab hærede, nec cum hærede impleri poſſe, atque adeò ius conditionis implendæ non tranſire ad hæredem illius, qui eam implere debet, neque ad hæredem illius cum quo implenda eſt, alioquin non impleretur ſecundùm formam expreſſam. Quæ collectio ſanè bona non eſt, neque neceſſaria, quia forma expreſſa non ſemper ſumenda eſt ſecundùm rigorem verborum, ſed potiùs ex teſtatoris & cōtrahentis mente, ac voluntate, quæ totam diſpoſitionem regit, vti diximus nuper, quoties firmæ ſunt coniecturæ aliam fuiſſe diſponentis mentem, ab ea, quam verborum, quibus enuntiata eſt, rigor præ ſe ferat, quod manifeſtum fit ex *lege vltima, D. de condition. inſtitut.* vbi Papinianus ait, hanc conditionem *ſi Titio decem dederit filius hæres eſto,* ait nomine filij per alium impleri poſſe: quod DD. intelligunt etiamſi ea ſolutio fiat ſine mandato filij; immò & illo ignorante: *& in l. Arreſcula 15. D. de ſtatu hominum*, vbi ſi mulier manumiſſa ſit ſub hac conditione ſi decem millia Titio, hærediue dederit, *ſi eo momento quo parit per alium impleuerit conditionem, iam libera peperiſſe credenda eſt*: quamquam hæc verba Triboniani eſſe, non Tryphonini non diſſimulem, quod nuper monuiſſe me memini cum Anton. Fabro *lib. 20. coniecturar. cap. 3.* noſtro tamen inſtituto ſufficeret *l. vnica, §. ne autem 9. C. de caducis tollend.* Cum igitur nonnunquam conditio per alium, quam per eum cui incumbit ex lege contractus, aut teſtamenti, impleri poſſit, tunc non ſeruatur forma expreſſa ſecundum verborum rigorem, ſed ſecundum mentem diſponentis: quò etiam pertinent illa omnia, quæ nuper attulimus de impletione conditionis per æquipollentiam in certis quibuſdam caſibus; ex quibus tandem efficitur, licèt in contractibus conditionalibus ius implendæ conditionis etiam poteſtatiuæ, modò perſonalis non ſit, vt dixi, tranſmittatur ad hæredes, & ab illis impleatur, non peccari contra communem regulam de conditione implenda ſecundùm formam, & legem in contractu expreſſam; cùm non fuerit contrahentium ea mens, vt tam religioſè verborum rigor attenderetur in implendis præſcriptis conditionibus, vt ab ipſorum hæredibus impleri nefas eſſet, quamuis per eos hæredes ad eundem effectum æquè poſſet impleri conditio; quam contrahentium mentem ex eo præſumimus, quod ea ſit natura contractuum conditionalium, vt ad hæredes quoque tranſmittantur, idque oſtendemus ſtatim.

His obſeruatis hæc noſtra ſententia, quæ ius adimplendæ conditionis non perſonalis, tranſmitti ad hæredes in contractibus contendit, probatur. In primis §. *ex conditionali. Inſtit. de verbor. obligat. Ex conditionali ſtipulatione tantùm ſpes eſt debitum iri, eamque ipſam ſpem in hæredem tranſmittimus, ſi priuſquam conditio exiſtat mors nobis contigerit*: quod intelligendum eſt ſiue debitor pendente conditione, ſiue creditor moriatur, & ſiue fuerit facta mentio hæredum, ſiue non fuerit; nihil enim diſtinguit Imperator. Et ſanè contrahens non ſibi duntaxat, ſed & ſuis hæredibus proſpicere voluit, quos etiam ſui loco relinquit obligatos, *vti ait Iulianus in l. ſi quis 57. D. de verbor. obligat. Si quis, ſi Titius Conſul factus fuerit, decem dare ſpoponderit, quamuis pendente conditione promiſſor moriatur, relinquet hæredem obligatum*: quod idem traditur *in l. 8. D. de peric. & comm. rei. vend.* & §. *vlt. Inſtit. de inutilib. ſtipulation.* ex qua obligatione quam ex contractu conditionali tranſire ad hæredes contrahentis, dicunt, ſequitur neceſſariò ius implendæ conditionis ad hæredes alterius neceſſariò tranſmitti, alioquin vel magna eſſet in contractu inæqualitas, vel inutiliter eiuſmodi obligatio in hæredem deriuaretur: & quidem non fore æqualem vtriuſque contrahentis conditionem ſtatim apparet, quia contractus tranſiret ad hæredem vnius, & non alterius, cui incumbebat ius implendi conditionem, neque præoccupatus morte potuit implere. Deinde vides obligationem in alterius contrahentis hærede inutilem fore, altero mortuo: quandoquidem ea obligatio nulla eſt, & ſuſpenditur vi conditionis, quæ iam impoſſibilis eſt, cùm neque à contrahente mortuo valeat impleri, neque ab eius hærede, qui non accepit ius conditionis implendæ.

Secundò *l. ſi prædio 15. D. de in diem addictione*, facta venditione, vt ſi intra certum tempus melior conditio afferatur venditori, venditio reſoluatur: ſi moriatur intra diem venditor, cum quo conditio adimpleri debet ex pactione, & conuentione contrahentium, habeatque hæredem, eius hæredi allata conditio melior faciet emptionem deficere: quæ emptio conditionalis erat *ex l. 2. D. eod.*

eod. Igitur conditio adimpleri poterit cum hærede illius, cum quo ex conuentione expreſſa, & ſpeciali impleri debuiſſet, & licèt perſona cum qua foret adimplenda, deficiat. Vnde ſapienter colligit Anton. Faber *in rationalib. ad illam l.* conditiones quidem perſonales, quæ factum illius ipſius qui eas implere debet, perſonale contineant, non tranſire ad hæredem ipſius. At verò conditiones reales, quæ factum aliquod perſonale contrahentis non exigunt, ad ipſius hæredes tranſmitti.

Tertiò *l. neceſſariò* 8. §. *quod ſi pendente. D. de per. & comm. rei vend.* contractus venditionis etiam conditionalis tranſit ad hæredes, etiamſi conditio extiterit mortuo venditore, vel emptore.

Quartò *l. 2. C. de pactis inter emptor. & venditor.* conditio illa adiecta venditioni. *ſi mihi pretium reddideris, rem eandem tibi reddam, aut eodem pretio vendam*, poteſt impleri per hæredem; quæ conditio eſt poteſtatiua, vt vides. Neque dicas in ea conditione quæ refertur eo loco, factam fuiſſe mentionem expreſſam hæredum, nam ipſi aduerſarij fatentur idem ſeruandum eſſe, licèt hæredom non meminiſſent contrahentes, alioquin facilè fraus fieret contrahentibus, & pactum reuendendi facilè venditorem falleret: quare paſſim eiuſmodi conditiones ab hæredibus implentur. His omnibus accedit Iuſtiniani conſtitutio *l. 2. C. de contrah. ſtipulat.* quam referre placet, ne quis amplius dubio locus ſit. *Veteris iuris altercationes decidentes generaliter, ſancimus omnem ſtipulationem ſiue in dando, ſiue in faciendo, ſiue mixta ex dando, & faciendo inueniatur, & ad hæredes, & contra hæredes tranſmitti, ſiue ſpecialis hæredum fiat mentio ſiue non. Cur enim quod in principalibus perſonis iuſtum eſt, non ad hæredes, & contra hæredes tranſmittatur, & ſic exiſtimentur eiuſmodi ſtipulationes quaſi tantummodo in dando fuerint concepta, cùm nihilominus & hæredes factum poſſint adimplere, illa ſubtili, & ſuperuacua ſcrupuloſitate exploſa per quam putabant non eſſe poſſibile factum ab alio compleri, quod alij impoſitum eſt; & quare cùm penè ſimilis omnium natura eſt, non etiam facta omnes vel plus, vel paulominus adimplere poſſint, ne ex eiuſmodi ſubtilitate cadant hominum voluntates.* Quibus verbis Imperator præcipuum aduerſariorum infringit argumentum; nempe conditiones implendas eſſe in ſpecifica forma, quod non fieret, ſi non ab iis quibus præſcribuntur, ſed ab aliis ipſorum vicem ſubeuntibus impleantur. Reſpondet enim Imperator, æquè impleri poſſe, ſcilicet quando non ſunt perſonales; tunc enim neque debitoris, neque creditoris intereſt ab altero contrahente, aut ab eius hærede impleri, vt ſi decem dederis. Quod ſi perſonales ſint, & vni adhæreſcant, nemo vnus affirmabit ad hæredem, aut alium quempiam tranſmitti poſſe: v.g. ſi Conſul fias, ſi tabulam pingas, ſi vxorem ducas, ſi filium emancipes.

Quæ verò ex iure adducunt aduerſarij parum omninò probant: nam illud Vlpiani *in l. ſi decem cùm petiero* 48. *D. de verbor. obligat. Si decem cùm petiero dari fuero ſtipulatus, admonitionem potiùs quandam quo celeriùs reddantur, & quaſi ſine mora, quàm conditionem habet ſtipulatio; & ideò licèt deceſſero, priuſquam petiero, non videtur defeciſſe conditio.* Ex his contrario ſenſu colligunt, ſi in ſtipulatione fuiſſet conditio, illam mortuo ſtipulatore non potuiſſe ab eius hærede impleri.

Reſp. in hac ſtipulatione, quæ conditionalis non fuit nullam fuiſſe cauſam dubitandi, quin hæres ſtipulatoris petere potuerit. Deinde non negabunt in hac ſtipulatione, *ſi petieris, decem tibi dabo*, quin promiſſore mortuo, ſi ſtipulator petat decem ab hærede promiſſoris illius mortui, quin committatur ſtipulatio; quæ conditionalis ſtipulatio ad hæredes tranſmittitur: neque argumentum à contrario ſenſu valet hoc loco, non deficit conditio, quia nulla erat: ergo ſi fuiſſet conditio defeciſſet, nam aliunde potuiſſet impleri. Non eſt mortuus Romæ Titius, quia ibi non erat: ergo ſi fuiſſet Romæ, fuiſſet ibi mortuus: quis ita argumentetur.

Secundò magnam vim conſtituunt aduerſarij *in l. qui Romæ* 122. §. *Augerius, D. de verbor. obligat.* Verùm in eo explicando §. ſic diſſident DD. vti fuſiſſime refert Couarruuias, vt in tanto diſſidio firmam aliquam aſſertionem fundare non liceat.

Reſtabat inquirendum in qua perſona impleri debeat adſcripta conditio: v.g. danda eſt pecunia furioſo, aut pupillo; an tutori, vel curatori danda ſit, quod tam de conditionibus in dando, quàm in faciendo quæri poteſt: verùm in appendice de teſtamentis, vbi agemus de tutelis, id definiemus; interim adi Anton. Fabrum *lib. 17. coniecturar. cap. 15.*

Qvæstio X.

An contractus conditionales indigeant nouo conſenſu poſt conditionis euentum.

Ratio dubitandi. 1.

Contractus conditionalis habet aliquem conſenſum præſentem. 2.

Aliud eſt ſuſpendi obligationem, aliud obligationis executionem. 3.

Pendente conditione non receditur licitè à contractu. 4.

An verò validè. 5.

Contractus qui ſolo conſenſu perficiuntur, non indigent nouo conſenſu accedente conditione. 6. 7.

In contractibus, qui perficiuntur ſola rei traditione, validè reuocatur conſenſus ante euentum conditionis. 8.

Et hi contractus poſita conditione indigent nouo conſenſu. 9.

Perſpicuus eſt huius quæſtionis ſenſus: vendo tibi meum fundum Tuſculanum, *ſi poſtridie nauis ex Aſia appulerit*: quæro an appulſa naui maneat perfecta venditio, an verò opus prætereà ſit vt iterum in eam venditionem conſentiant: contraho tecum *ſi pater annuerit, ſi Pontifex diſpenſauerit*: annuit pater, diſpenſauit Pontifex, opuſne eſt vt denuò tecum contraham, ſiue conſenſum matrimonio iterum præſtem. Diſſident, & in diuerſa abeunt DD. qui maximè de contractu matrimonij diſputant, quem plerique ab aliis contractibus hac in re plurimùm differre ſentiunt: ad hæc diſſidia componenda. 1

Aduertendum primò eſt, totam difficultatem hoc loco oriri ex natura conditionis, quam diximus *q. 8.* ſuſpendere conſenſum, & obligationem, quare cùm adueniente conditione perficiatur duntaxat

taxat contractus, & contrahatur obligatio, quæ prius erat veluti in pendenti, non ſatis apparet quomodo poſita conditione, conſenſus qui erat futurus, fiat præſens abſque nouo aliquo voluntatis actu, quem idcircò plurimi Doctores, iique perilluſtres exigunt. Aliunde tamen, quia dum quis contrahit ſub conditione futura, reuerà tunc conſentit, ſed dependenter à conditione futura, eſtque conſenſus præſens, ſed pro tali tempore, vel in tale tempus poſitæ conditionis, qui conſenſus virtualiter perſeuerat, non opus erit nouo conſenſu adueniente conditione, cùm fuerit verè exhibitus conſenſus, qui adhuc perſeuerat: quod inde quoque confirmatur, quod non licet ante aduentum conditionis conſenſum iam præſtitum reuocare, & ſi quis altero diſſentiente reuocet, tenebitur poſita conditione ſtare contractui, ad idque à Iudice cogetur, quia reuerà ſe obligauit per verum conſenſum, quamuis nõ niſi dependenter à futura conditione, ſiue in euentum illius. Cùm igitur in toto illo contractu fuerit præſens verus conſenſus, ex eoque naſcens obligatio, & non ſolùm conſenſus futurus, & obligatio futura, iſque conſenſus hactenus perſeueret, quamuis dependenter à futura conditione, vbi illa aderit, nihil ampliùs requiretur ad conſummatam obligationem, & perfectionem contractus, neque nouo fuerit opus conſenſu, cùm prior conſenſus, qui verus, & realis extitit, reipſa virtualiter perſeueret, ſitque ſufficiens, vti in multis aliis contingit ſiue bonis, ſiue malis actibus, in quibus voluntas moraliter ſiue virtualiter, vel vt alij loquuntur, interpretatiuè perſeuerãs ſufficit ad eorum malitiam, vel bonitatem, atque etiam ad contrahendam obligationem inde conſequentem: atque ita ſentiunt nobiliſſimi DD. Tota igitur huius nobiliſſimæ controuerſiæ, quæ ſapientiſſimos quoſdam exercuit hactenus, definitio petenda eſt ex natura conſenſus conditionalis, an præſens ille ſit, an duntaxat futurus, & ponendus impleta conditione, quod idem de obligatione ex illo conſenſu conſequente quærendum eſt, & ex ſuperioribus quæſtionibus explicari poteſt: quare.

2 Aduertendum ſecundò eſt omnem contractum conditionalem neceſſariò, & formaliter includere conſenſum aliquem præſentem, quamuis à futura conditione pendentem; cuius conſenſus obiectum eſt aliquid futurum, ad quod tamen non oritur perfectum, & conſummatum, vt ita dicam, ius, illique correſpondens obligatio, niſi purificata conditione. Vnde fit vt & ius, & obligatio, & contractus ipſe conditionalia dicantur: v.g. ſi quis dicat promitto me tibi venditurum fundum meum Tuſculanum, ſi craſtina die nauis appulerit ex Aſia: huius contractus, & promiſſionis obiectum eſt futura venditio ad quam faciendam me obligo poſita tali conditione, & reipſa nunc conſentio in hanc venditionem, eamque promitto, neque dico tantùm me conſenſurum poſita conditione, aut promiſſurum: alioquin ſenſus eſſet; promitto me conſenſurum appulſa naui ex Aſia in venditionem fundi Tuſculani, aut me promiſſurum, quod nemo niſi inſulsè dixerit, & quamuis id daremus; rurſus quæres an in ea promiſſione promiſſionis vel venditionis futuræ, iam nunc habeam conſenſum præſentem in illam futuram promiſſionem, vel venditionem, ad quam faciendam me obligo, an non. Si primum, eſt aliquis in ea promiſſione conditionali conſenſus præſens, & aliqua præſens obligatio, quæ ex conſenſu præſenti naſcitur, ſicut & ipſi correſpondens aliquod ius: quæ tamen omnia ſunt conditionalia, quia pendent à futura conditione, ante cuius aduentum ego non obligor ponere illud obiectum, in quod reuerà conſenſi, & ad quod ponendum reuera me obligaui, neque tu potes à me exigere; quia tuum ius conditionale eſt, & vi illius non potes me vrgere, niſi poſita conditione, cui iuris ſui, ſicut & meæ obligationis efficaciam quoad executionẽ obligaui: quemadmodum licèt cauſa completa ſit in actu primo ad agẽdum, eius tamen actio impeditur propter defectum alicuius conditionis ſine qua non; quæ conditio dum ponitur non complet virtutem actiuam agentis, quod ius ſtrictum omnibus ad agendum neceſſarius ſupponit, ſed tollit potiùs impedimentum v.g. diſtantiam, vel abſentiam paſſi, illíuſve indebitam applicationem. Sic in eo contractu conditionali conſenſus quidem præſens eſt in obiectum vi contractus ponendum, naſcitur quoque obligatio ad illud ipſum ponendum, atque in altero contrahente ius illi obligationi meæ correſpondens; quia tamen illa omnia reſpiciunt euentum conditionis futuræ, illum expectare oportet hæc omnia, vt ſuam omnem efficaciam habeant; neque conditio illa dum ponitur, parit nouum conſenſum, aut obligationem, aut ius, quæ antea non eſſent, & quæ reuera non ſint adhuc virtualiter, ſed complet quoad efficaciam, quia cùm antea obligarer, ſed dependenter ab adueniente conditione, nunc abſolutè obligor, & tu habes ius expeditum, & non ampliùs ſuſpenſum, & veluti impeditum petendi impletionem meæ obligationis, quam contraxi dependenter à conditione, quæ modò poſita eſt. Vides igitur in contractu conditionali eſſe neceſſariò conſenſum aliquem præſentem, obligationem, & ius, ſed dependenter à conditione, quæ vbi ponitur, neque nouum conſenſum, neque nouam obligationem, neque nouum ius affert, ſed quæ priùs erant purificat, vt loquuntur, hoc eſt facit abſoluta, & independentia ab vllo alio extrinſeco, ac denique expedita ad omnes ſuos effectus, quod in contractu promiſſorio oſtendimus, & faciliùs multò in aliis omnibus demonſtratur: v.g. in hac venditione, *vendo tibi adamantem ſi Caia vxor conſenſerit*: hic eſt aliquis conſenſus præſens in aliquod obiectum, quod non eſt futura venditio, alioquin iſta duo promitto tibi futuram venditionem tali die, ſub tali conditione, & vendo tibi pro tali die, pro tali euentu, ſynonima forent, quod nemo dixerit; nam prima illa verba ſolùm ſignificant promiſſionem futuræ venditionis celebrandæ, & purificata conditione oritur duntaxat in promittente obligatio vendendi, & celebrandi contractum: in promiſſario autem ius exigendi eam venditionem. Poſteriora autem verba ſignificant venditionem ipſam, quæ iam nunc fit, & celebratur: quare huius contractus & conſenſus obiectum non eſt ipſa venditio futura, ſed traditio futura ad quam iam nunc me obligo poſita tali conditione faciendam; quamquam ante euentum illius conditionis facere non teneor. Idẽ dicere licet in donatione, mutuo, locatione, & cæteris contractibus ſiue nominatis, ſiue innominatis, in quibus omnibus diſtinguere oportet promiſſionem celebrandi contractus in euentum talis conditionis, & ipſammet celebrationem contractus, ſiue ipſum contractum dependenter ab aliqua conditione celebratum: nam in primo caſu eſt contractus tantum promiſſorius celebrandi contractus venditionis v.g. donationis, mutui, ſi talis conditio eueniat: in poſteriori iam nunc celebratur ipſe contractus,

venditio,

venditio,donatio, mutuum,in euentum tamen futuræ cuiuſpiam conditionis: quare primi contractus promiſſorij obiectum, eſt contractus deinde celebrandus, poſterioris eſt obiectum ipſiuſmet contractus, qui tunc celebratur: v.g. traditio rei venditæ, locatæ, donatæ, in vtroque autem iſto genere contractuum eſt ſemper aliquis conſenſus præſens, & ex illo conſequens obligatio, atque ius illi correſpondens, ſine his enim intelligi nequit contractus ſiue ſit purus, & abſolutus, ſiue ſit conditionalis: in eoque dumtaxat diſcrimen eſt quod in contractu conditionali, hæc omnia, nimirum conſenſus, obligatio, & ius pendent ad ſui efficaciam ab euentu conditionis, licèt præſentia ſint: in abſoluto & puro contractu ea omnia independentia ſunt ab omni extremo caſu, cui ſe illigarint cõtrahentes, ideóque ſtatim quantum ex ſe eſt ſuum ſortiuntur effectum, ſiue agunt, niſi aliunde ponatur impedimentum, à quo ſuum contractum & conſenſum pendere nolebant contrahentes. In omni igitur omninò contractu præſens eſt conſenſus aliquis, obligatio, & ius, ſiue abſolutè, ſiue dependenter à conditione, videndumque diligenter eſt quodnam illius conſenſus, obligationis, & iuris obiectum exiſtat.

3 Aduertendum tertiò eſt ex Suarez *tom. 3. lib. 3. c. 12. n. 18.* & de Lugo *de pœnitent. diſp. 13. ſect. 15. n. 125.* quoſdam eſſe contractus qui quando fiunt, ponunt tantùm de præſenti obligationem, non autem traditionem, ſiue obligationis illius executionem: quare licèt ponatur obligatio præſens, illa tamen reſpicit tempus futurum, ſiue executionem poſteà ponendam, ſiue abſolutè, ſiue poſt aduentum alicuius conditionis, vnde dicuntur cõditionales: quare illa conditio non propriè ſuſpendit obligationem, v.g. promiſſionis, ſed executionem operis promiſſi, ſiue obligationis ipſius, cuius impletionem differt. Et ſanè aliud eſt obligari ad aliquid faciendum, & obligari ad illud faciendum poſt annum: iam enim obligor illud facere, ſed nonniſi euoluto anno teneor meam illam obligationem implere, neque euoluto anno nunc primùm aut ſecundo obligor, ſed id ad quod prius obligatus eram pro tali tempore, ponendum à me omnino erit. Hodie promitto tibi dare poſt triduum gemmam; obligatio eſt iam præſens ad dationem illam poſt triduum, quo elapſo non contraho nouam obligationem, ſed iam contractam impleo, ad idque iam ante triduum fui obligatus. Alij contractus ſunt qui eo ipſo momento quo fiunt non modò ponunt obligationem ad aliquid futurum, ſed prætereà afferunt eſſentialiter ſecum eius executionem, & traditionem rei: quare non poſſunt fieri in ſolum tempus futurum, aut ſub conditione futura; quia cùm de ratione talis contractus eſſentiali ſit, non modò obligatio præſens, ſed eius quoque executio præſens, non poteſt ſe contrahens obligare in futurum tempus ad aliquid faciendum, ſed iam nunc, & in præſenti debet facere illud, ad quod ſe obligat, eoque momento quo ſe obligat: alioquin ſi ſe obligat in præſenti tantùm ad aliquid faciendum in futurum, celebrat alium contractum, nempe promiſſorium duntaxat: v.g. traditio poſſeſſionis cùm ſit eſſentialiter præſens, non poteſt nunc dari pro tempore ſolùm futuro, aut ſub conditione futura, quia eſſet præſens executio, & non eſſet præſens.

Eódem ferè recidit alia communis diuiſio contractus, quorum aliqui ſolo conſenſu perficiuntur, alij traditione rei, quia ſine illa non ſufficit conſenſus, aut voluntatum contrahentium conuentio, niſi rei ipſius de qua conuenitur, aliqua traditio accedat, vt donatio, depoſitum, commodatum, pignus, mutuum; quia cùm in illis contractibus transferatur vel actuale dominium, vel vſus alicuius rei, ea tranſlatio abſque traditione illius rei, cuius vſus vel dominium transfertur, intelligi nequit ſine traditio actualis exiſtat, & realis, ſiue virtualis, & interpretatiua, quæ in certo modo contrahendi & certis verbis expreſſo continetur: v.g. cùm donans domum Petro, conſtituit ſe eius nomine poſſeſſorem, & inquilinum, cenſetur ei domum tradere. Contractus verò omnes qui ad ſui perfectionem non exigunt vllam traditionem, ſolo conſenſu perficiuntur, qui ſenſibiliter exprimatur, ſiue certa verba concepta, ſiue etiam ſcriptura, vel ex legis præſcripto, vel ex contrahentium voluntate ad hoc neceſſaria ſint. Dum porrò loquimur de perfectione contractus, nõ agimus de perfectione quoad effectũ, ſed quoad eſſentiam; poteſt enim contractus eſſe perfectus in ſe, & eſſentialiter integer, licèt nondum ponatur id ad quod obligabat; in qua poſitione conſiſtit complementum illius quod ad effectum; quod complementum vides eſſe extrinſecum eſſentiæ contractus, ſiue ad illam non pertinere: quis enim neget matrimonium eſſe perfectum in ratione contractus, quamuis nondum ponatur copula coniugalis ad quam ordinatur, & ad quam ius & obligationem reciprocam confert. Quando igitur aliqui contractus includunt eſſentialiter ſolam conuentionem partium ad aliquid faciendum, dandumve: ex ſolo conſenſu perficiuntur, quia illo ſolo poſito tota eſſentia contractus conſiſtit, vt videmus in venditione, locatione, conductione, ſocietate, mandato, hypotheca. Quod ſi contractus contineant eſſentialiter traditionem aliquam, non intelliguntur eſſentialiter conſtitui ante ipſam: quare dicuntur re perfici, & non ſolo conſenſu: v.g. donatio antequam res donata tradatur, non eſt perfecta, ſed eſt tantùm quædam promiſſio: nam non donatur aliquid, niſi quando gratis datur. Cognoſcimus autem contractus, qui rebus, ab iis qui ſolo conſenſu perficiuntur, nomine ipſiuſmet contractus; quando enim nomen ſignificat rem ipſam, & factum externum, rebus perficitur ille contractus, ſi verò ſignificet ſolam conuentionem, & pactum, ſolo conſenſu ſenſibiliter expreſſo perficitur: v.g. commodatum ſignificat traditionem alicuius rei ad vſum cum certis quibuſdam conditionibus: quare res nondum eſt commodata ante ipſius realem traditionem, ideóque commodatum re perficitur, & non ſola conuentione partium & conſenſu; illo enim ſtante, eſt duntaxat conſenſus atque etiam obligatio ad commodandum, ſed nondum exiſtit commodatum, & contractus illo nomine ſignificatus, nondum eſſentialiter poſitus eſt. At verò quia ſocietas ſignificat tantùm certam conuentionem plurium ad lucrandum, vbi poſita fuit einſmodi conuentio, perfecta eſt eſſentialiter ſocietas, & totum illud, quod eo nomine deſignatur, quamuis nondum iſti ſocij quidquam in commune contulerint, neque executioni mandauerint id ad quod ſe obligarunt illa ſua conuentione ſocietatis: quod idem contingit in venditione, conductione, hypotheca, quæ non exigit traditionem rei hypothecatæ, ſed ſolùm ſuppoſitionem debito creditori, & in aliis quibuſdam. Hæc verò omnia æquè valent

in

in contractibus,& pactis conditionatis,atq; in abſolutis : nam poſita conditione, aut veriùs dependentet ab illa, eodem modo perficiuntur, vel ſolo conſenſu, vel rei traditione.

His obſeruatis implicatiſſimam controuerſiam diſtinctè explicabis.

4 Aio igitur primò nunquam licitum eſſe reſilire à contractu conditionato, & conſenſum præſtitum. reuocare pendente conditione, atque altero contrahente inuito : quare ſi reſilierit, cogetur poſita deinde conditiooe ad contrahendum de nouo, ſiue ad præſtandum nouum conſenſum, & ad illud ad quod ſe per eiuſmodi conſenſum obligauerat. In hanc aſſertionem conueniunt omnes apud Turrian. *tractatu de iuſtitia, diſp.*55. *dub.* 9. *num.*11. Sanch. *lib.*5. *diſp.* 8. *num.*4. noſque diximus *q.*8. obligari contrahentem ſub conditione expectare conditionis euentum, alioquin facit iniuriam alteri qui verè habet ius, ſed conditionale, ſiue pendens à conditione, quod quamdiu pendet conditio, non magis tolli poteſt, quàm ſi eſſet abſolutum : quare ſubtiliter diſtinguit Turrian. in eo contractu duplicem obligationem, vnam conditionalem, quæ pendet ab euentu conditionis, alteram puram, qua contrahentes ſub conditione, obligantur expectare conditionis euentum, quam obligationem violat, qui non expectato conditionis euentu conſenſum ſuum reuocat, & contractum diſſoluit, ideóque cogendus iure merito eſt accedente conditiooe ſtare contractui, & ſi opus ſit, vt in matrimonio, iterum in illud conſentire; quandoquidem prior conſenſus reuocatus fuerat, & amplius nequidem virtualiter perſeuerat.

5 Aio ſecundò in contractu conditionato conſenſum aliquando validè reuocari, aliàs inualidè ante euentum conditionis. Dico validè reuocari quando deinde poſita conditione non purificatur ille contractus, quamuis maneat obligatio præſtandi nouum conſenſum, & vt loquuntur purificandi contractum. Inualida verò eſt conſenſus reuocatio, quando illa non impedit quominus accedēte poſtmodùm conditione, maneat tota obligatio, atque ita purificetur contractus : quare inutilis omninò fuit tota illa reuocatio ad diſſoluendum contractum. Interdum igitur validam poſſe eſſe hanc reuocationem conſenſus in contractu conditionato, aliàs verò inualidam, conſtat : nam in matrimonio conditionato, ſi quis reuocet conſenſum nondum impleta conditione, illa deinde adueniente non fit matrimonium ſine nouo conſenſu, quem aliquando præſtare tenebitur. Valida igitur fuit illa conſenſus reuocatio, at verò in promiſſione conditionali, ſi quem pœniteat, & conſenſum ſuum reuocet ante euentum conditionis, inutiliter reuocat: nam accedente conditione tenetur ſua promiſſione, quod fatentur paſſim omnes; eſtque ratio à priori, quia vi promiſſionis illius contracta fuit tota obligatio, & verus conſenſus promiſſorius, quamuis dependenter à conditione. Liberum igitur non eſt amplius ab ea obligatione inuito altero, qui promiſſionem acceptauit, diſcedere : vti reuera diſcederetur, ſi pendente conditione libera foret, & valida reuocatio conſenſus, & fruſtra obligaretur contrahens conditionate ante conditionis euētum, vti docebamus obligari *q.*8. ſi ſua reuocatione poſſet elidere totam obligationem conditionalem quæ deinde accedente conditione nulla foret : nā licèt ad illam ſubeundam cogeretur à iudice, vbi tamen eius iudicium effugere poſſet ad nihil obligaretur, & deluderet promiſſarium : quare nemo negat in eiuſmodi promiſſionibus conditionalibus inutiliter reuocari conſenſum ante euentum conditionis: ea ſiquidem accedente, & purificata conditione, nihilominus ſua promiſſione tenebitur. In quibuſnam verò contractibus conditionalibus inutilis, & inualida ſit conſenſus reuocatio ante conditionis euentum, conſtabit ex ſequentibus.

Aio tertiò contractus qui ſolo conſenſu perficiuntur, ſi conditionatè fiant, adueniente deinde conditione purificari, & obligare abſque vllo nouo conſenſu, modò prior non fuerit vtiliter, & validè reuocatus, quod perpetuò in tota iſta materia ſupponimus. Cùm enim contractus non poſſit conſiſtere ſine conſenſu realiter, vel virtualiter præſenti, & conſenſus non ſit realiter præſens, neque etiam virtualiter, ſi fuit reuocatus; opus ſanè erit nouo conſenſu. Neque dicas hoc argumentum valere etiamſi conſenſus fuerit inualide reuocatus, quia poſt illam reuocationem, non eſt realiter, neque virtualiter præſens adueniente conditione; quare vel dabitur contractus ſine conſenſu, vel nouum adhibere oportebit. Reſp. enim reuocationem conſenſus hoc loco dici validam, vel inualidam in ordine ad contractum deſtruendum, vel impediendum ne eſſentialiter perficiatur, & obligatio ex illo conſenſu naſcatur, aut ſi nata fuerit, deſtituatur. Cum enim obligatio ſit primus, & neceſſarius effectus contractus, quem etiam aliqui formalem eſſe volunt, & perfectoeſſentialiter cōtractu neceſſariò, atque inimpedibiliter naſcatur, quoties ea obligatio per reuocationem conſenſus eliditur, toties, vt denuò naſcatur, opus eſt nouo conſenſu : quare ſi obligatio fuerit conditionalis, & pendente conditione poſſit elidi per reuocationem conſenſus, quo producta fuerat, opus erit nouo conſenſu, vt poſita conditione denuò renaſcatur. Si verò per illam conſenſus reuocationem non potuit extingui obligatio, ſed continuò manſit quamuis dependenter a conditione adiecta, cōditione deinde poſita nō eget nouo conſenſu, cùm perpetuò manſerit : neque enim tunc fit de nooo contractus, ſed purificata obligatio fit abſoluta vi prioris conſenſus, & contractus, quo primùm poſita fuit, & hactenus perſeuerauit, quamquam dici quoque poſſet perſeuerare virtualiter conſenſum in ſuo effectu formali, & neceſſario, nimirum obligatione, quandoquidem non fuit validè reuocatus in ordine ad tollendum illum effectum, ſiue obligationem, quod dicendum neceſſariò eſt. Alioquin omnis omninò reuocatio conſenſus valida eſſet in ordine ad extinguendam obligationem, ſiue contractus foret purus, ſiue conditionatus, & cogendus ſemper eſſet contrahens ad renouandam obligationem, & nouum conſenſum præbendum, quod tamen non fit, vt vides in promiſſionibus à quibus ſi quis diſcedat iniuſtè, cogitur illis ſtare, non verò renouare promiſſionem; quia inualidè illam reuocauit; ideóque cùm promiſſio valida adhuc perſtet, illam ſeruare tenetur. Si verò validè eam reuocauit, non amplius illa obſtringitur, niſi iterum illam faciat. Maneat itaque nos in tota iſta controuerſia iure merito ſupponere conſenſum contractus conditionati non fuiſſe pendente conditione validè reuocatum: quo caſu dicimus non eſſe opus nouo conſenſu poſita conditione, quoties contractus eſt de genere eorum, qui ſolo conſenſu perficiuntur, & quorum eſſentia non poſtulat traditionem : ita Turrian. *diſp.*55. *citata, dub.*10. *num.*9. Baſil. Ponc. *lib.* 3. *de matrimon. cap.*14. *n.*7. vbi dicit nullam poſſe 6

eſſe

eſſe de hac re controuerſiam: Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13.§.7. Molina *tract.* 2. *de iuſtit. diſp.* 285. *concl.*4.& omnes fatentur de promiſſionibus. Ratio à priori eſt, quia in omnibus iſtis pactis & contractibus conſenſus eſt præſens, illoque ſtatim conſtat eſſentialiter contractus, & naſcitur neceſſariò atque impedibiliter obligatio, quæ reſpicit quidem futurum quoad exequutionem, ratione cuius dependet à conditione, quæ idcircò, vti monebamus cum Suarez, non ſuſpendit aut differt obligationem, aut validitatem conſenſus, ſed moratur duntaxat exequutionem operis promiſſi, vel debiti vi conſenſus, & contractus eſſentialiter perfecti, & non tantùm perficiendi: aut ſi magis differt obligationis exequutionem vſque ad certum terminum præfixum; quæ dilatio impleta conditione penitùs terminatur, ideóque mandanda eſt exequutioni, & opus promiſſum, vel debitum vi contractus & obligationis ex illo conſurgentis ponendum omninò eſt, ſiue contrahens de nouo conſentiat, ſiue non conſentiat, immò diſſentiat, & reſiſtat: nam nequit obligationem iam contractam, & abſolutam, atque puram factam poſita conditione, ab eaque non ampliùs pendentem abiicere: quæ omnia confirmantur aperto iure: nam *l. potior, D. qui potior. in pignor. Cum ſemel conditio exiſtit, perinde habetur ac ſi illo tempore quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet:* & *l. hac venditio. D. de contrah. emption. conditionales venditiones tunc perficiuntur cùm impleta fuerit conditio.*

Reſpondet Victoria, id quidem verum eſſe in promiſſionibus conditionalibus, non verò in aliis contractibus, quos proinde ita interpretatur, vt ſint promiſſiones quædam celebrandi eiuſmodi contractus, vbi ponetur conditio præſcripta: quare licèt in illis exprimatur per verba de præſenti conſenſus, pendet tamen a conditione futura, ideóque eſt tantùm conſenſus promiſſorius per quem non celebratur contractus, qui requirit conſenſum præſentem, & non futurum tantùm. Similia tradit Valent. 3. *part. diſp.* 10. *quæſt.* 3. *p.* 3. *dubitat.* 1. nempe conditione poſita confirmari duntaxat promiſſionem de effectu talium contractuum, quæ fuerat incluſa in verbis de præſenti ex futura conditione: v. g. *emo à te domum, ſi pecunia mihi fuerit allata ex India*; non eſt vera emptio, nec fit verus contractus emptionis, etiamtunc cùm impletur conditio, ſed eſt promiſſio de emptione, quæ poſtea confirmatur conditione adueniente; vt autem efficiatur emptio de præſenti, tunc neceſſe eſt repetere contractũ: quare cùm dicitur talis contractus emptionis conditionatæ, valere poſtea ſimul atque conditio impletur, non debet ita intelligi quaſi abſque alia repetitione tunc valeat tanquam verus emptionis contractus, ſed dicitur valere quoad effectum quidem emptionis: quia ſcilicet per leges, & magiſtratus authoritatem, ij, qui ſic contraxerunt, compelli poſſunt ad id ipſum præſtandum ex antecedenti illa promiſſione, quæ ex vi alioquin emptionis præſtari ſimiliter deberet: nempe vt ipſammet emptionem, & venditionem actu exequantur. Non longiùs abeſt Rebell. 2 *part. lib.* 2.*q.* 10.*n.* 45. additque valere tantùm hos contractus authoritate legis, quæ iubet vt contrahens velit, nolit firmum habeat contractum. Victoria verò dixit legem ſupplere conſenſum, qui tunc reipſa non erat præſens in contrahentibus: itáque iura nuper à nobis allata interpretantur, dum dicunt ſtipulationes, & venditiones conditionales adueniente conditione perfici.

Verùm iam liquidò demonſtrauimus in his contractibus reperiri verum conſenſum de præſenti, pro tempore quo ponetur conditio, vti fuit explicatum. Neque eſſe tantùm promiſſiones futuri cõſenſus, aut contractus celebrandi poſt euentum cõditionis, quod ipſamet verba indicant. *Emam domum tuam vrbanam ſi mihi intra menſem pecunia venerit ex India*: & *emo iam nunc tuam domum vrbanã ſi intra menſem pecunia venerit ex India*: quis enim vt nuper argumentabamur dicat hæc eſſe ſynonima: quis non agnoſcat in vno caſu promitti emptionem celebrandam, in alio iam nunc celebrari; quamquam ea emptio non ſit habitura ſuum effectum, aut mandanda exequutioni, ſiue potius non ſit firmiter ſubſtitura, niſi ponatur illa conditio, & ſi pecunia mihi deſignato tempore non venerit ex India. Et demùm quis neget me poſſe contrahere illo modo, & habere hunc animum, atque conſentire iam nunc, & conuenire de aliqua re in tẽpus futurum, & in euentum talis conditionis, qua poſita obliger implere contractum, quem nunc celebro, ea verò deficiente non obliger, & contractus modò celebratus nullus exiſtat, eo prorſus modo quo ſi nunquam fuiſſet celebratus. Quænam amabò in ea ratione contrahẽdi repugnantia reperitur? quod ſi fatearis me hunc animum habere poſſe, & ita contrahere, cur quando meis verbis, iiſque apertiſſimis affirmo me ita contrahere, tu id negas, & aliter meam mentem interpretaris, dicíſque me duntaxat promittere me contracturum, cùm ego expreſſiſſimè affirmem me iam nunc contrahere. Deinde ſic argumentor: cùm vendo domum ſub conditione de futuro, obligo me, vt ais, ad vendẽdam domum illa conditione poſita, quod etiam contingit quoties aliquid in futurum promitto ſub conditione; obligo ſiquidem me ad illud præſtandum poſita conditione, ſub qua promiſi, atque eiuſmodi eſſe hãc obligationẽ fateris, vt licèt ante cõditionis euentum conſenſum, & promiſſionem reuocem, maneam tamẽ æquè obligatus. Quæro igitur an adueniente conditione ſit opus nouo conſenſu, & noua promiſſione, an non. Primum non dices, alioquin fuit inutilis illa promiſſio, & obligatio ex ea orta, quia niſi poſita conditione vnà cũ nouo conſenſu renouetur, nulla eſt. Si verò vt tutè fateris, nouo conſenſu non eſt opus, ſed poſita conditione exequi & implere oportet obligationem, quæ hactenus perſeuerauit vi conſenſus aliàs dati, & hactenus perſeuerantis, quia vel non fuit reuocatus, vel non validè & efficaciter, cùm ea reuocatio non potuerit obligationem priùs natã vendendi domum, aut aliquid aliud promiſſum faciendi, tollere, & poſita conditione purificata fuerit, & abſoluta reddita obligatio. Cur igitur non æquè potero me obligare per venditionem, quam nunc facio ſub conditione ad tradendam rem à me venditã poſita illa conditione, & cur adueniente cõditione nõ æquè purificabitur obligatio cõditionalis ad illã traditionẽ, atque obligatio ad conſentiendũ, ad vendendũ, ad implendam conditionem? Cur in vno caſu potiùs, quàm in altero opus erit nouo cõſenſu ad contrahendam obligationem implendi contractum priùs celebratum, & cur de nouo celebrandus, aut iterandus erit per nouum conſenſum, quandoquidem in neutro caſu contrahens ſe obligauit abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione. Si igitur obligatio conditionalis ad vendendum, aut ad conſentiendum venditioni, non poteſt tolli

etiam per reuocationem conſenſus, ſed ſtatim poſita conditione purificatur, cur ſimilis obligatio conditionalis ad rem venditam, vel promiſſam tradendam, poterit tolli per reuocationem conſenſus, & cur adueniente conditione non purificabitur, atque ita eo ipſo purificatus quoque, & perfectus erit contractus venditionis, & promiſſionis, qui non eſt aliud quàm contractus obligans ad tradendam rem pretio, vel gratis promiſſam. Non poſſunt itaque negare aduerſarij in eiuſmodi contractibus conditionalibus reperiri conſenſum præſentem, qui & obligationem tunc producat, ſed conditionalem & dependentem ab aliqua conditione quoad executionem, & impletionem ipſius: quare quoties contractus ſolo conſenſu perficitur, ſtatim atque conſenſus ille, qui erat tantùm conditionalis purificabitur, ſiue purus & abſolutus fiet, nihil ad eius omnimodam perfectionem eſſentialem, & ad obligationem perfectam, & abſolutam deſiderabitur amplius. Atqui ea purificatio tum conſenſus, tum obligationis fit adueniente conditione præſcripta: nihil igitur opus erit, aut nouo conſenſu, aut quopiam alio facto ad contractus perfectionem. Non placet verò quod ait Victoria, Soto, aliique ipſum ſequuti. Leges quæ hos contractus conditionales purificari dicunt poſita conditione, ita loqui, quod ſuppleant conſenſum, qui alioquin præſens non eſt, niſi à contrahentibus renouetur: nam neque verbum vllum eſt ex quo hoc ſupplementum conſenſus colligamus, neque leges id poſſunt, quamuis valeant aliquando iuſtis de cauſis transferre dominium alicuius rei in alium; non poſſunt tamen ſupplere conſenſum, & facere vt id fiat conſentiente eo, qui reuerà non conſentit. Imperabunt quidem, vt contractus aliquis tanquam validus impleatur, quia præſumunt eſſe validum, aut talem haberi volunt ad vitandas fraudes, quas præſumunt, aut timent. Denique quoties lex præſumit conſenſum, atque idcircò validum iubet eſſe actum, id colligit ex ſignis quæ ex natura rei id ſignificant; cuiuſmodi alia non ſunt hoc loco quam verba quibus vtuntur contrahentes, ex illis enim præſumunt in eiuſmodi conſenſu conditionato, quem dicunt purificari adueniente conditione, eſſe ſufficientem conſenſum præſentem ad eiuſmodi purificationem, & vt ſtatim obliget: alioquin ineptè id colligerent, & dicerent purificari contractum, qui ſine conſenſu realiter, aut virtualiter præſenti neque eſſe, neque intelligi poteſt, debuiſſetque obligare contrahentes, vt poſita conditione denuò conſentirent, quod magna cum æquitate facere poterat, ſed noluit eo loco lex nouum ius condere, ſed naturale duntaxat, petitum ex natura contractus declarare; quare ſapienter Valentia non dixit ſuppleri in hoc conſenſum à lege, ſed illam duntaxat ſtatuere, vt illum impleant contrahentes, velint, nolint. Verùm id imperare non potuit niſi ex præſumpta iniuria vel damno alteri contrahenti illato. Itaque vbi reipſa aberit iniuria, & damnum, non obligabitur contrahens ſeruare illum contractum, etiam poſita conditione; quia nullus eſt, donec ipſe denuò conſentiet, & lex quæ iubet illum conſentire denuò, & renouare, ſiue potiùs perficere contractum, aut illum licèt minùs validum, ſeruare, nihilominus ducitur præſumptione, quæ ſi falſa ſit, non obligat in conſcientiæ foro. Addunt alij hanc legem, quæ dicit venditiones conditionales purificari conditione adueniente, eſſe duntaxat Vlpiani reſponſum, non potuit autem Iuriſconſultus ſua authoritate ſupplere conſenſum contrahentium, vel transferre dominia, vel iubere ſeruari contractum alioquin non obligantem, vel obligare ad nouum conſenſum, aut renouandum, & confirmandum contractum; ſed duntaxat ius naturale explicare, non poſitiuum aliquid condere; potuit quoque, quod ſapienter ex verbis de mente contrahentium præſumi poſſet, docere, quidve praxis & receptum ius ferret, tradere. Neque magis ſatisfacit Poncius *lib. 3. de matrim. c.* 14. *n.* 15. ſic enim interpretatur ſententiam Victoriæ, vt ius initio pro poteſtate Principum inſtituerit contractus ciuiles per conſenſum conditionatum celebratos, adueniente conditione purificari, & transferre dominium; nam nullum huius inſtitutionis argumentum habemus: deinde ea inſtitutio non fuiſſet facta niſi ex præſumptione fraudis, quæ vbi abeſſet, non obligaret, vt dixi. Maneat igitur ex tota iſta diſputatione, contractus, qui ſolo conſenſu perficiuntur, ſi conditionatè fiant, purificari, & abſolutos reddi adueniente conditione abſque nouo vllo conſenſu, idque tum iure naturali, tum iure ciuili certum eſſe.

Ex quibus ſequitur, illum cum quo celebratus fuit huiuſmodi contractus conditionalis, poſſe adimpleta conditione petere rem ſibi illo contractu debitam. Cùm enim ille contractus modò purus, & abſolutus ſit, habet ius ex illo adquiſitum, quod in iudicio quoque perſequi poterit, quod ſi nequeat defectu probationũ, aut alia graui de cauſa, poterit vti occulta cõpenſatione, vti in alijs rebus. 7

Deinde à tempore conditionis impletæ ſentiendum eodem modo eſt de venditione, & emptione illa, deque re vendita, atque ſi tunc pura & abſoluta fuiſſet venditio, & emptio: v. g. reſpectu gabellarum, de quibus in eo caſu Molin. *tract.* 2. *diſp.* 337. & nos *ſuperiori libro.*

Atque hæc omnia & alia ſimilia vera ſunt, licèt alter contrahentium velit retractare conſenſum: ea enim retractatio, niſi vterque conſentiat, inutilis erit, atque vt argumentatur Turrian. *citata diſp.* 55. *dub.* 50. *n.* 13. vel retractabit ante conditionis euẽtum, vel poſt illum: ſi primum, inutilis erit retractatio, vti iam docuimus, & celebrabitur contractus conſenſu debito ratione præcedentis. Si verò poſita eſt conditio, iam pura eſt venditio, & abſolutus, atque perfectus eſſentialiter contractus. Fruſtra igitur reuocabitur ille conſenſus, neque contractum perfectum diſſoluet.

Aio quartò in contractibus qui non perficiuntur ſolo conſenſu, ſed præterea traditionem rei de qua contrahitur eſſentialiter poſtulant, ſi conditionatè fiunt, poſſe valide reuocari conſenſum ante euentum conditionis à qua pendent. Hanc aſſertionem omnes docent, & manifeſtò probatur ex natura huiuſmodi contractus. Cùm enim tum conſenſum, tum traditionem rei eſſentialiter poſtulet ad ſui perfectionem; ſi altera ex his partibus deſit, nullus eſt contractus, & quando vna ex his partibus eſſentialibus ſublata eſt, licèt poſtea accedat altera, conſiſtere nequit ille contractus, qui parte ſibi eſſentiali caret: quare ſi adſit conſenſus nondum tradita re, non eſt perfectus eſſentialiter contractus: non eſt autem traditio ante conditionis euentum, cùm non niſi dependenter ab illa fiat: igitur neque ante eiuſmodi conditionis euentũ contractus eſt eſſentialiter perfectus: quia nondum habet omnia requiſita ad eſſentialem ſuam 8

perfectio

perfectionem, neque etiam adhuc eſt vlla obligatio præſens, quamuis in futurum, & à conditione futura pendens: cum neque oriri, neque intelligi poſſit oriri, aut eſſe, aut perſeuerare obligatio ex contractu, niſi eſſentialiter perfecto, qualis non eſt hoc loco ante traditionem, neque traditio ante poſitam conditionem. Si verò fiat traditio poſita conditione, & non ſit ampliùs conſenſus vel realiter, vel virtualiter ſaltem perſeuerans, non conſtabit contractus, vt qui careat parte ſibi eſſentiali, nimirum conſenſu. Atqui quando conſenſus reuocatur, deſinit prorſus eſſe, cùm neque realiter, neque virtualiter perſeueret. Ea igitur reuocatio conſenſus valida eſt in ordine ad deſtruendum contractum, ſiue ad impediendum ne eſſentialiter perficiatur, ex eoque naſcatur obligatio, quoties fiet vel ante traditionem rei, ſi abſolutus ſit, vel ante euentum conditionis, ſi fuerit conditionatus, cùm non niſi dependenter ab illa fiat traditio, ac proinde non impleatur niſi accedente conditione. Itaque hinc apparet manifeſta ratio diſcriminis, quod ſtatuimus inter illos contractus conditionatos, qui ſolo conſenſu perficiuntur, & alios etiam conditionatos, qui non perficiuntur eſſentialiter ſolo conſenſu, ſed poſtulant præterea traditionem non tantùm quoad complementum extrinſecum, & ratione effectus ad quem ponendum contractus obligat; ſed ad complementum intrinſecum, & eſſentiale; quia priores illi contractus licèt conditionati, ſunt tamen perfecti eſſentialiter ante conditionis euentum, qui vt dixi non requiritur ad complementum eſſentiale contractus illius, ſed ad eius duntaxat executionem, & non moratur, vti nuper monebam, obligationem ex contractu eſſentialiter perfecto neceſſariò & inimpedibiliter prodeuntem, ſed differt eius impletionem ad certum vſque tempus, & euentum, qui eſt veluti præfixus terminus illi adimpletioni ex contrahentium voluntate præſcriptus. Vnde fit vt ſi contrahens reuocet ſuum conſenſum ante conditionis euentum, inutiliter, & inualide illum reuocet in hoc genere contractuum, quia iam poſitus eſt totus contractus eſſentialiter, & validus eſt, nataque obligatio, neque expectatur conditio præſcripta, vt naſcatur obligatio, ſed vt mandetur executioni, quæ dilata eſt vſque ad illum euentum, qui eſt terminus ipſi, communi voluntate ita præfixus, vt ſi nunquam adueniet, nunquam implenda ſit, & defectu conditionis reddatur inutilis, vel deſinat etiam eſſe; quamuis reuerà extiterit toto illo tempore, quod implendæ conditioni præſcriptæ deſignatum fuerat. Vnde quoque fit, quod nuper oſtendimus, vt conditione poſita ſtatim contractus habeat ſuum effectum, & obligatio executioni mandetur abſque vllo nouo contrahentis cõſenſu, cùm totus contractus fuerit iam eſſentialiter perfectus, & vi illius poſita obligatio, cuius implendæ tempus præſcriptum & terminus præfixus aduenit. Non magis igitur in hoc genere contractuum poteſt reuocari conſenſus validè ante euentum conditionis, quàm reuocari potuiſſet ſi contractus eſſet purus, & abſolutus iam eſſentialiter perfectus. At verò in aliis contractibus, qui per traditionem eſſentialiter perficiuntur, cùm ſi conditionati exiſtant, non perficiuntur eſſentialiter ante conditionis euentum, à qua pendet ipſa traditio, ſi reuocetur conſenſus non poterit deinde perfici contractus, qui nondum eſſentialiter perfectus erat, & inutiliter ponetur conditio, fietque traditio, niſi conſenſus quem eſſentialiter quoque requirit, perſeueret, quod non facit poſt reuocationem, quæ idcircò valida eſt ad annullandum contractum, vel potiùs ad impediendum ne eſſentialiter perficiatur, niſi conſenſus ille denuò ponatur.

Aio quintò contractus qui traditione perficiuntur, ſi conditionatè fiant, indigere nouo conſenſu poſita conditione, quoties traditio debebit eſſe realis, & actualis, quando verò ſufficiet traditio virtualis, & interpretatiua, nihil opus erit nouo conſenſu poſita conditione, ſed ſtatim, & eodem momento perficietur contractus, modò prior conſenſus non fuerit reuocatus, vti validè reuocari poterat. Primam huius aſſertionis partem, ſcilicet opus eſſe nouo conſenſu poſita conditione, quoties contractus, qui ab illa pendebat, indiget traditione reali actuali ad ſui perfectionem eſſentialem, amplectuntur paſſim omnes, & ratio manifeſta illam demonſtrat, horum enim contractuum eſſentia non conſiſtit niſi reipſa fiat traditio rei, de qua conuenitur: quamuis igitur impleatur, & purificetur conditio, ſi traditio realis illam non ſequatur, nondum perfecta, & integra erit eiuſmodi contractus eſſentia, neque proinde contractus perficietur per ſolum conditionis euentum. Opus igitur eſt aliquo vlteriori, ſcilicet traditione, quæ non fit niſi accedat nouus conſenſus tradentis illam: v.g. quãuis tibi mutuò dem ſub conditione de futuro centum aureos, ſi illos tamen tibi reipſa non exhibeo, non facio contractũ mutui, ſed tantùm obligo me ad tibi mutuandum adueniente cõditione, qua etiã poſita nondum conſtat mutuum niſi centum illos aureos tibi realiter tradã, aut tradi curẽ, quod non facio niſi habeã animũ nunc tibi realiter tradendi.

9 Secunda pars in qua maior eſt difficultas, traditur à Delugo *diſp. 22. de iuſtitia, n. 394.* & eam amplecti debent omnes, qui cenſent matrimonium conditionatũ adueniente conditione perfici abſque vllo nouo conſenſu, de qua re diſputabimus in cõſectariis, noſtra verò ſententia in donatione, & mutuo, qui cõtractus ſolo conſenſu nõ perficiuntur, oſtenditur. Si enim deponas apud Titium centum Ludouiceos, ea tamen lege, & conditione, vt ſi poſt octiduum quidpiam, quod ipſi imperas tua cauſâ præſtet, illos ex eo tempore tanquam verè ſuos, & proprios habeat, vel vt mutuò accipiat, & illis pro arbitrio poſſit vti; reuera iam nunc eos nummos donas, aut mutuò das Titio; vis enim vt illos ipſos tanquam proprios, donatos, aut mutuò acceptos poſſideat, tali conditione poſita, à qua vis pẽdere tuã mutuationem, & donationẽ: quare nunc illi nummi non tranſeunt adhuc in dominium Titij, neque tranſibunt ante conditionis euentum; illa tamen conditione poſita, ſi priorem conſenſum non reuocaueris, poterit Titius ſtatim illos tanquam ſuos, & ſibi vel liberaliter donatos, vel mutuò datos poſſidere: ex vi enim prioris conſenſus virtualiter perſeuerantis, cenſeris eos nunc tradere: quæ traditio perficit contractum donationis, aut mutui: quare ſi Titius habet tunc animum, vel prius cùm eos accepit habuit, eos ſuo nomine poſita cõditione poſſidendi, incipit eos reipſa poſſidere poſita illa conditione, abſque nouo vllo conſenſu, vel ſuo, vel tuo; cùm totũ illud quod ad perficiendũ contractũ mutui, vel donationis requirebatur, reipſa reperiatur in hoc caſu, quod inde fit manifeſtũ: nam ſi abſolutè nunc dares illos nummos Titio, vt illos poſt octiduum tanquam ſibi donatos poſſideret, Titius non fieret dominus ipſorum ante octiduum, illo verò elapſo dominium illud acquiret, tuncque

Digitized by Google

tantùm petficeretur contractus donationis, & tamen non eſſet opus vllo nouo conſenſu ad eam traditionem, & ad contractum perficiendum. Cur igitur idē non continget, quoties iam nunc realiter donabis nummos eidem Titio, vt illos tanquam ſibi donatos, & proprios habeat, & de illis pro arbitrio diſponat poſita certa conditione, quam illi præſcribis, & à qua vis pendere donationem, quam modò facis? Cur poſita conditione illi nummi ſtatim non fient Titij? vt quid opus fuerit nouo conſenſu, cùm prior perſeueret, & ſit quoque traditio, quæ ſola deeſſe poterat ad perficiendum contractū donationis, neque ad eam traditionem opus eſt nouo conſenſu, cùm virtualis ſit, & interpretatiua, atque illa ipſa quæ realiter, & actualiter in ipſo contractu, & modo contrahendi facta eſt, & verbis ipſis contractus ſignificata, quæ virtualiter æquè perſeuerat, atq; primus conſenſus, vi cuius realiter facta fuerat: quod iterum apparet in hoc exēplo. Si donans domum Caio, cōſtituas te eius nomine poſſeſſorem, & inquilinum, cenſeris ab omnibus illi domum tradere. Si igitur idem donares, & faceres ſub conditione futura, diceretque ex nunc pro illo tempore, & hora, qua poſtridie nauis ex Aſia appellet, conſtituo me poſſeſſorem, & inquilinum nomine Caij, eius domus, quam modò illi dono; numquid poſtridie conditione poſita dicerent traditio fieri abſolutè, virtute prioris conſenſus? quis enim vlteriorem aut nouum alium requiret ad perficiendam eiuſmodi donationem, & traditionem. Ex quibus omnibus demonſtratur à priori noſtra hæc ſententia: quoties enim ad contractum perficiendum ſufficit traditio virtualis, & interpretatiua, quia vel ipſomet contractu ex modo contrahendi fit, vel res eſt iam penes illum, cui realiter vi contractus tradi deberet, ſi eiuſmodi contractus conditionatè fiat, omnia quæ ad eius perfectionem eſſentialem exigebantur, adueniente conditione ponuntur. Igitur nullo alio vel conſenſu, vel facto opus eſt, conſiſtitque eſſentialiter contractus, ac proinde obligat, obtinetque omnes ſuas proprietates, eodem prorſus modo, atque ſi abſolutè factus fuiſſet. Conſequentia, manifeſta eſt: vbi enim res aliqua habet omnia ſua principia eſſentialia, perfecta eſt, immò neque amplius perfici poteſt quoad eſſentiam, quam etiam neceſſariò & inimpedibiliter omnes proprietates conſequuntur, & effectus formales, atque illi qui primò & per ſe tanquam primæ proprietates emanant, cuiuſmodi eſt obligatio reſpectu contractus validi, & eſſentialiter perfecti: Probandum itaque eſt antecedens, nempe hunc contractum poſita conditione habere ſtatim omnia ſua eſſentialia, quod non fuerit difficile demonſtrare: duo ſiquidem duntaxat eſſentialia ſunt huic contractui, nimirum conſenſus, & traditio, cùm vtroque illo perficiatur eſſentialiter. Atqui poſita conditione vtrumque illud reperitur. Igitur poſita conditione perficitur. Huius ratiocinationis ſola minor propoſitio negari poteſt, quæ tamen perſpicua videtur: nam prior conſenſus, cùm non fuerit, vti ſupponimus, reuocatus, adhuc moraliter, & virtualiter perſeuerat, illumque fuiſſe, dum celebratus eſt contractus, realiter præſentem, non ſemel oſtendimus: eiuſmodi autem conſenſum aliàs phyſicè poſitum, & ſufficienter expreſſum, & deinde virtualiter, & moraliter perſeuerantem, ſufficere ad contractum, manifeſtum fit ex dictis *aſſertione* 3. de contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur, & qui poſita conditione non indigent nouo conſenſu, tuncque non obligant, niſi vi prioris conſenſus virtualiter perſeuerantis. Deinde conſenſus virtualiter perſeuerans eoſdem iuris effectus operatur, quos operaretur, ſi tunc phyſicè præſtaretur, & realiter actualiter præſens poneretur. Fatentur enim omnes iuriſdictionem, diſpenſationem, donationem iuris ſub conditione conceſſas, poſita deinde conditione ſtatim reddi abſolutas: tunc verò non habetur niſi conſenſus præteritus non reuocatus, & virtualiter perſeuerans, quia quidquid operatur conſenſus realiter præſens, operari poteſt idem conſenſus non reuocatus virtualiter præſens, cuiuſmodi exiſtit in noſtro caſu poſita conditione. Iam verò reperiri quoque traditionem ſufficientem, quæ ſola deſiderari poterat ad perficiendum contractum, inde oſtendo quod fuerit ante conditionis euentum poſita realis aliqua traditio. Illa autem vel adhuc virtualiter perſeuerat, vel fit traditio virtualis poſita conditione per conſenſum virtualiter perſeuerantem: nam vel in contractu illo includitur, & fit actualis traditio, vt in matrimonio, & profeſſione religioſa, vel res quæ tradenda eſt reperitur apud illum cui tradenda eſt, & tunc poſita conditione fit traditio virtualis illius rei vi prioris conſenſus virtualiter manentis, qui æquè illam inducere poteſt, atque poſſet conſenſus realiter actualiter præſens, cùm idem, vt iam dixi, operetur, & oſtendimus in donatione: v. g. iam nunc dono tibi gemmam, quam habes à me, ſi cras Capitolium aſcenderis, poſita conditione & aſcenſu craſtino Capitolij, fit traditio virtualis illius gemmæ, quæ tibi donatur, non fit autem traditio actualis, illam enim ante priùs habebas: ergo eſt traditio duntaxat virtualis, quæ non fit niſi vi conſenſus prioris, non phyſicè quidem præſentis, ſed ſolùm virtualiter perſeuerantis. Si dicas Caio do tibi centum aureos, accipe illos cras ex mea arca, quando Caius accipiet eos nummos, *perficietur* ea donatio per traditionem, non niſi virtualem, & interpretatiuam, quæ non fiet niſi vi conſenſus virtualiter perſeuerantis. Prior enim ille conſenſus hodiernus, non exiſtet cras phyſicè præſens. Sufficit igitur tum traditio virtualis ad contractum perficiendum, tum conſenſus virtualis, qui illam traditionem virtualem æquè inducit, atque conſenſus phyſicè & actualiter præſens illam induceret. Quoties igitur poſita conditione reperietur traditio virtualis per conſenſum virtualiter adhuc perſeuerantem, perficietur ille contractus eſſentialiter, abſque vllo nouo conſenſu, qui neceſſarius eſſe non poterat, niſi ad ponendam traditionem rei, huius contractus perfectioni eſſentialem. Atqui ea traditio per aduentum conditionis ponitur vi conſenſus prioris virtualiter præſentis, ſuperfluus igitur erit omnis alius phyſicè, & realiter præſens ad ponendum effectum, qui iam poſitus eſt, quod à nobis fuerat demonſtrandum.

Qvæstio XI.

Conſectaria circa ſingulares quoſdam contractus conditionatos.

Consectarivm I. *De ſponſalibus conditionatis.*

II. *An matrimonium conditionatum adueniente conditione indigeat nouo conſenſu ad ſui perfectionem, & validitatem.*

III. *Singulares caſus circa matrimonium conditionale, cum duobus, aut ſimul, aut ſucceſſiuè contractum.*

IV. *Quomodo & quando votum conditionale obliget.*

V. *De Religioſa profeſſione conditionata.*

Ex doctrina vniuerſali de contractibus conditionatis, & eorum obligatione hactenus tradita, plurimas difficultates circa ſingulares quoſdam contractus licebit dirimere, vt dignoſcamus an poſita conditione ſtatim obligent, an verò quidpiam aliud requirant, ſitque renouandus conſenſus: quæ controuerſiæ quoad praxim non exigui momenti ſunt, & ſæpius occurrere poſſunt.

Consectarivm. I.

De ſponſalibus conditionatis.

Poſſunt conditiones de futuro apponi contractui ſponſalitio. 1.

An poſita conditione valeant ſponſalia ſine nouo conſenſu. 2.

De conditionibus quæ adhiberi poſſunt ſponſalitio contractui nihil ſingulare hoc loco quærendum à nobis eſt, ex iis enim quæ de natura conditionum hactenus diximus, & de conditionibus matrimonij *lib. 3. operis de vſuris*, facilè definies, quæ in dubium venire poſſent circa ſponſalia. Hoc vnum modò diſceptatur, an ſponſalia conditionata poſita conditione obligent ſine nouo vllo contrahentium conſenſu. Et quidem poſſe contractui ſponſalitio conditionem apponi de futuro, quæ ipſius obligationem vſque ad conditionis euentum ſuſpendat, certum omnibus eſt; quem conditionis euentum expectare debent contrahentes, neque niſi illa deficiente, poſſunt à contractu licitè ſaltem, reſilire; quod omnibus contractibus conditionatis commune eſſe diximus: immò neque aliquando validè conſenſum præſtitum reuocare, vti demonſtrauimus: quia ex contractu conditionali non minùs oritur obligatio in ſpe, vt loquuntur, hoc eſt in euentum conditionis, quàm ex contractu puro, & abſoluto obligatio pura & in re, cùm vterque contractus ſit in ſuo ordine, & gradu perfectus, ideóque neuter contrahentium poteſt altero inuito ab eo contractu diſcedere; alioquin nulla ex eo obligatio orta eſſe dici poſſet, idque expreſsè de ſponſalibus conditionatis docent gloſſa, & DD. *in cap. ſuper eo, de conditionib. appoſitis*. Sylu. *verb. matrimonium 3. q. 4.* Victor. Rebell. *de matrim. par. 1. punct. 2. numer. 9.* Couarru. *in 4. decretal. 2. parte c. 1. initio, n. 6.* Gutier. *lib. 1. qq. canonic. c. 22. n. 22.* Nauar. *c. 22. n. 67.* & alij, quos affert, & ſequitur Sanch. *lib. 5. de matrim. diſp. 6. n. 8.*

His poſitis quærimus an illa obligatio ſtatim 2
abſque nouo conſenſu, fiat abſoluta, & omninò completa adueniente conditione, quæ illius exequutionem ſuſpendebat, iamque exiſtant pura ſponſalia, ex illiſque oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, quod tanquam certum omnes pronuntiant apud Sanch. *lib. 5. de matrim. diſp. 8. n. 1.* & apertè colligitur *ex cap. vnico, de ſponſalib. in 6.* vbi Bonifac. VIII. ait eum qui cum aliqua contraxit ſponſalia ſub conditione, ſi deinde ante conditionis euentum, cum alia prioris conſanguinea matrimonium contrahat, illud valere, & rationem reddit: *Cùm ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis nulla publica honeſtatis iuſtitia oriatur.* Vnde colligunt DD. à contrario ſenſu, poſt conditionis euentum oriri illud impedimentum publicæ honeſtatis, ratione priorum ſponſaliorum, quæ tunc & certa ſunt, & perfecta propter conſenſum plenum, & abſolutum, & non ampliùs pendentem a conditione, cuius incertus euentus faciebat incerta illa ſponſalia: quare difficultas duntaxat eſt, an quando ſponſalia contrahuntur ab inhabilibus & impeditis ſub conditione tollendi impedimentum per diſpenſationem, aliave ratione, poſita conditione, ſublato impedimento, & obtenta diſpenſatione, valeant ſponſalia abſque nouo conſenſu. Cùm enim prior nullus fuiſſet propter inhabilitatem contrahentium, videtur ſublata inhabilitate, nouus omninò neceſſarius eſſe. Itáque affirmat Henriq. *lib. 12. cap. 13.* & alij. Veriùs tamen nouum iſtum conſenſum, etiam in illo caſu neceſſarium eſſe negant, & poſita conditione ſtatim valida fieri ſponſalia contendunt Sanch. *lib. 5. diſp. 5. n. 24.* vbi allegat Adrian. Couar. Gutier. Ledeſmam, Rodrig. & alios, qui volunt ſponſalia ſub conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, fieri valida, eo ipſo quod Papa diſpenſet. Sequuntur Baſil. Ponc. *lib. 3. de matrim. cap. 14. numer. 7.* Conink. *de ſacram. diſp. 29. dub. 1. numer. 21.* & Ferdinand. à Caſtro, *de ſponſalib. diſp. 1. punct. 16. num. 11.* Idem quoque de ſponſalibus contractis inter fidelem, & infidelem cum conditione conuerſionis infidelis: poſita enim ea conuerſione, vera ſunt ſponſalia, neque de nouo contrahi opus eſt, quod omnes docere dixit Sylu. *matrimonium 8. q. 10. dicto 3.* Plures enumerat Sanch. *citata diſp. 5. n. 25.* quorum omnium ratio eſt, quia cùm ſponſalia ſint promiſſiones de futuro matrimonio celebrando, & promiſſiones omnes conditionales poſt euentũ conditionis perficiantur, ſicut & cæteri omnes contractus qui ſolo conſenſu eſſentialiter perficiuntur, vti oſtendimus *q. ſuperiori*, neceſſe omninò eſt ſponſalia conditionata perfici adueniente conditione, abſque nouo conſenſu, eodem prorſus modo, atque ſi pura, & abſoluta fuiſſent. Quod verò in quibuſdam caſibus contrahentes ſponſalia ſint inhabiles ante euentum conditionis ſub qua contrahunt, & illa cõditione tollant inhabilitatem, ac proinde videatur non fuiſſe ſponſalia initio, ſed ſublata inhabilitate, ideóque tunc denuò ſint repetenda, cùm priora nulla fuerint, non vrget; quia tunc cõtrahunt ſponſalia pro tempore ſequenti, ſiue in tempus ſequens, quo habiles erunt, & iam nunc

nunc conſentiunt veru, & reali conſenſu pto illu tempore, quu conſenſus virtualiter perſeuerat, eſtque præſens cùm impletur conditio, & tollitur impedimentum, propter quod non abſolutè, ſed conditionatè & in euentum diſpenſationis illius contraxetunt, & ſuſpenderuut, non quidem ſuum conſenſum, ſed obligationem ex eo naſcituram, aut potius obligationis pro tali tempore contractæ exequutionem in euentum, & tempus impletæ conditionis, vti fuit explicatum, & prior ille conſenſus, qui nondum habebat ſuam omnem efficaciam, poſt conditionem, illam omnem habet; v. g. ea ſponſalia conditionata non faciebant impedimentum publicæ honeſtatis, quæ ſtatim paruit atque conditio præſcripta aduenit: neque inſolens eſt, actum factum ab inhabili pro tempore, quo habilis erit, accedente illa habilitate, aut remota inhabilitate, valere: nam quamuis inſtitutio ſpurij inualida ſit, vt pote hominis incapacis, ſi tamen facta fuerit ſub conditione, ſi Princeps eum legitimauerit, obtenta legitimatione ſtatim valida fit ex communi ſententia quam refert Couattu. *in* 4. *decretal.* 2. *part. cap.*8.§. 5. *numer.*12. & Molina *lib.*2. *de primogen. cap.*7. *n.*40. *&* 41. qui idem *lib.*4. *cap.*3.*n.*48.docet venditionem tei feudalis, ſeu maioratus, quæ ſimpliciter facta, inualida eſt, valete tamen ſi fiat ſub conditione ſi Dominus feudi, vel Princeps annuerit: alia exempla dabit Sanch. *citata diſp.*5. *n.*12.

Consectarium II.

An matrimonium conditionatum adueniente conditione indigeat nouo conſenſu ad ſui perfectionem & validitatem.

Conditiones de futuro apponi poſſunt contractui matrimonij. 1.
Tale matrimonium poſita conditione fit validum ſine nouo conſenſu. 2.
Diluuntur obiecta. 3. 4. 5. 6.

IN hac celeberrima controuerſia, ſententia tum aiens, tum negans tam multos, eoſque illuſtres aſſertores habet, vt vtraque, & communis, & probabilis numero, & authoritate Doctorum dici iure queat; eos accuratè tecenſet Sanch. *lib.* 5. *de matrim. diſp.*8. *num.* 3. *&* 5. Obſerua tamen iuris Canonici Interpretes communiùs negare neceſſitatem noui conſenſus in hoc caſu, quam paſſim affirmant Theologi frequentiùs. Recentiores verò alij iuris Interpretibus adhæſere, alij Theologos ſequi maluerunt.

1 Supponendum verò nobis in primis eſt, poſſe apponi cotractui matrimoniali, ſicut & cæteris cōtractibus, conditiones de futuro, quæ ipſum ſuſpendant, quamdiu conditio non impleatur, quæ eſt communis DD. ſententia quos refert & ſequitur Sanch. *lib.*5.*de matrimonio, diſp.*6.& omninò tenere debent illi omnes, qui exiſtimant poſita conditione ſtatim abſque nouo conſenſu matrimonium perfici, & obligare, quod ante conditionis euentum nondum impletum erat. Ratio eſt quia neque iure poſitiuo, neque iure naturali reiiciuntur veræ, & propriè dictæ conditiones de futuro à contractu matrimonij. De iure naturali patebit inferiùs, vbi oſtendemus eiuſmodi conditionem non impedire verum conſenſum matrimonio neceſſarium. De iure verò poſitiuo, conſtat ex eo quod illud reiiciat duntaxat turpes & impoſſibiles, vti habetur *cap. fin. de condition. appoſitis*, ibi enim Gregorius IX. vult conditiones contra ſubſtantiam matrimonij, illud inualidare, turpes verò, & impoſſibiles habet pro non adiectis. De qua Pontificis definitione plura olim diſputauimus: ſollicita verò illa conditionum quæ matrimonio apponi poſſunt enumeratio, parū accurata eſſet, ſi aliæ quoque ſunt conditiones, quæ quamuis honeſtæ ſint, illi nequeunt apponi, debuerat enim præcisè Pontifex dicere cōtractui matrimoniali nullas adiiciendas eſſe conditiones de futuro, ſed contractui duntaxat ſponſalitio. Deinde Alexand. III. *in cap. ſuper eo, de condition. appoſit.* vbi agit de matrimonio contractu ſub conditione de futuro. *Si pater annuerit*, ait, *conditionem ipſam canonica inſtituta non improbare:* & gloſſ. *ibid.* notat. *quod matrimonium contrahi ſub conditione poteſt, non tamen tenet niſi conditio extiterit, vel ceſſum ſit à conditione per contrarium factum*; quam gloſſam omnes ſequuntur. Et ſane quæ toto illo titulo quæſtiones proponuntur, ſupponunt omninò fuiſſe contracta matrimonia ſub conditione, & non ſola ſponſalia, vti non rectè exiſtimant Valent. 3.*p.diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 3. Rebell. 2.*part.de obligat.lib.*2.*q.*10.*ſect.*3. Baſil. Ponc. *lib.*3.*de matrim. c.*13. qui volunt eiuſmodi matrimonia conditionalia habere duntaxat vim ſponſaliorum, quod docere quoque oporter, ſi cohærenter loqui velint omnes, qui poſt euentum conditionis requirunt nouum conſenſum ad matrimonium, quod nullum antea fuerat, ſed tantùm eius promiſſio, ſiue ad illud celebrandum obligatio, eo quod cùm fuit celebratus contractus matrimonij ſub conditione de futuro, non fuerit tunc conſenſus de præſenti, quamuis illum verba exprimerent, ſed de futuro duntaxat, quod paulò poſt confutabimus: modò quærimus an quoties matrimonium contrahitur ſub conditione honeſta de futuro, impleta conditione matrimonium valeat, eo modo atque ſi fuiſſet purè, & abſolutè contractum, licet nullus de nouo conſenſus contrahentium accedat.

Aio potiò validum omninò eſſe tale matrimonium, neque nouum conſenſum neceſſarium eſſe, ſi prior reuocatus non fuerit, ſequimurque cum Sanch. *diſp.*8. veteres pontificij iuris commentatores, atque ex Theologis non infimæ notæ Paludan. Petrum Soto, Rodriq. & alios *ibid.* adductos, quibus deinde adhæſerunt Conink. *diſp.* 29. *de ſacram. dub.*1. *num.*11. Syluius *in* 3. *part. quaſt.* 43. *art.*1. *quæſito* 1. *conſ. vlt.* Layman. *lib.*1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.*7. *n.*2. Ferdinand. à Caſtro, *de ſponſa. lib. diſp.*2. *punct.*11. §. 2. Delugo *diſp.*13. *de pœnitent. n.*3. & *de iuſtitia diſp.*22. *à n.* 386. contra recentiores Theologos, qui adhæſere veteribus, Valentia, Baſil. Ponc. Rebell. citat. Turrianus *de iuſtitia diſp.*55.*dub.*10.& alios, quos enumerat, & ſequitur Diana 2.*part. tract.*4.*reſolut.*291. Probatur verò noſtra ſententia primò quia teipſa matrimonium perficitur abſque nouo conſenſu adueniente conditione implicita, ſub qua contractum fuerat: igitur ſi ſub conditione explicita contractum fuiſſet æquè per eius aduentum perficeretur: quæ conſequentia manifeſta eſt, cùm ratio impliciti, & expliciti non mutet rationem, aut naturam conditionis, quæ ſi ſit de futuro, eodem modo ſuſpendit diſpoſitionem quamcumque, eiuſque euentum, idemque ſit conſenſus ſub conditione implicita, & ſub explicita, cùm totum quod eſt in explicito, 2

continea

contineatur in implicito. Antecedens verò manifeſtum eſt: nam qui contrahit matrimonium per procuratorem, reuerà conſentit in matrimonium ſub conditione implicita, ſi procurator eius nomine conſentiat, eodem modo atque ſi dixiſſet ex nunc conſentio, ſi procurator meus meo nomine conſentiat. Atqui certum omnibus eſt matrimonium perfici, eo ipſo quod procurator conſentiat, ſi mandans ſuum conſenſum, priùs non reuocauerit. Deinde qui ſic contrahit matrimonium, non conſentit niſi ſub implicita conditione, ſi alter conſentiat, quæ eſt conditio de futuro, quæ vbi ponitur altero coniuge conſentiente, perficitur matrimonium, ſi prior conſenſus non fuerit reuocatus, vti reuocari poterat. Non eſt igitur contra rationem, & valorem matrimonij, vt fiat per verba quæ explicent conſenſum ſub conditione de futuro.

Vnde argumentamur à priori. Ad valorem matrimonij requiritur duntaxat cõſenſus præſens ſufficienter expreſſus in coniunctionem, & traditionem corporum, quia coniuges non ſolum promittunt, ſed tradunt inuicem corpora de præſenti, vnde hic contractus cenſetur inter eos, qui non perficiuntur ſolo conſenſu, ſed re & traditione. Atqui in matrimonio conditionali hæc duo ſufficienter reperiuntur impleta conditione. Igitur tunc validũ eſt matrimonium. Sola minor eſt oſtendenda; & quidem conſtat ex *quæſtione ſuperiori*, in contractibus etiam conditionalibus dari verum conſenſum præſentem in futurum, eumque virtualiter, & moraliter perſeuerare ſi non reuocetur, atque adeò impleta conditione, ſiue dum impletur, præſentem adhuc virtualiter eſſe. Quod idem contingit in matrimonio conditionali: non dicit enim contrahens, ego conſentiam in matrimonium, ſi poſt triduum nauis appellat, aut ſi pater conſentiat, qui conſenſus eſſet tantùm futurus, & ponẽdus poſt triduum appulſa naui, & patre annuente, ſed ego conſentio ex nunc pro tertio die, ſi nauis appellat, aut pater annuat: quare ſi ante euentum conditionis, & temporis præfixi non reuocetur conſenſus, adueniente conditione erit adhuc virtualiter præſens, ſicut in aliis contractibus contingere diximus, & conſtat ex matrimonio per procuratorem celebrato, in quo certum eſt, vti monuimus, conſenſum non præſtari abſolutè, ſed conditionatè, ſi procurator nomine mandantis conſentiat: quando autem procurator conſentit, coniugis mandantis conſenſus non eſt phyſicus, & formalis, cùm ipſe tunc fortaſſis dormiat, ignoretque quid nunc à ſuo procuratore fiat; quia tamen coniux reuera conſenſit in futurum, & in tempus quo procurator ipſius nomine conſentiret, ea conditione poſita, præteritus ille conſenſus tranſit in abſolutum, & fit moraliter præſens, cùm non fuerit reuocatus: nam tunc licèt procurator conſentiret, aut ſi in amentiam incidiſſet qui procuratori mandauit, prior conſenſus phyſicè poſitus aliàs, non redderetur virtualiter, & moraliter præſens, quia aut per reuocationem, aut per amentiam, eius perſeuerantia moralis, & virtualis interrupta fuiſſet: quare non poſſet reddi præſens, niſi denuò poneretur phyſicè, & formaliter.

Iam verò traditionem quoque corporum, quæ includitur eſſentialiter in matrimonio, reperiri, vbi ponitur conditio, quæ præſcripta fuerat, demonſtratur ex dictis *quæſtione ſuperiori*, *concluſ.* 5. vbi oſtendimus in contractibus quæ traditione perficiuntur, & non ſolo conſenſu, ſufficere traditionem virtualem, eamque poſita conditione prius appoſita, reuerà abſque nouo alio conſenſu reperiri, modò prior conſenſus non fuerit reuocatus, quod ipſum in matrimonio contingit: nam ſicut contractus abſolutus & purus matrimonij continebat eſſentialiter conſenſum abſolutum, & ſimul traditionem abſolutam corporum, ita contractus conditionatus continet præſentem conſenſum, & traditionem in tempus futurum, & poſita tali conditione: & ſicut quamdiu non reuocatur conſenſus, perſeuerat, & fit moraliter præſens poſita conditione; ita & traditio illa prior perſeuerat, fitque moraliter præſens, atque abſoluta poſita conditione, & ſicut conſenſus abſolutus de præſenti facit traditionem abſolutam, ita ille idem conſenſus virtualiter manens, & moraliter præſens, dum conditio præſcripta ponitur, facit vt virtute illius cenſeatur fieri traditio corporum, ſiue potius inducit traditionem virtualem; atque cùm ille conſenſus poſita conditione tranſeat in abſolutum, reuerà continet eandem traditionem virtualem, quam contineret ſi conſenſus abſque conditione præſtaretur, ſicut nuper dicebamus de donatione. Si enim dones nunc Titio centum cras accipienda ex tua arca, cuius idcircò clauim illi tradis, non perficitur donatio niſi cùm reipſa capit cẽtum ex arca tua Titius; tunc autem tuus conſenſus non perſeuerat, niſi moraliter, & virtualiter, eo quod illum non reuocaueris, ſufficit tamen ad complendum donationis contractum, & vt vera, ſed virtualis tantùm, & moralis traditio cenſeatur. Simili ratione in matrimonio traditio corporum, quæ continetur in expreſſione conſenſus, & voluntatis de præſenti, reperietur eadem virtualiter perſeuerans per conſenſum illum præteritum, non retractatum, ideóque virtualiter præſentem; qui enim contrahit cum Caia ſub conditione, ſi cras nauis appulerit, annueritve pater, eo modo ſe gerit atque ſi dicat; *conſentio tecum in matrimonium, & tibi trado corpus meum, tuque viciſſim tuum:* quod tamen neque accipere, tuumque eſſe dicere poteris, & habere, niſi cras poſita tali conditione, quæ ſi deficiat nulla erit tota iſta traditio, & conuentio noſtra mutua. Si igitur perſeueret virtualiter iſte conſenſus poſita conditione, ſufficiet ad purificandam quoque, ſiue reddendam abſolutam traditionem, eodem prorſus modo atque ſi hic conſenſus phyſicè, & formaliter exiſteret. Atqua vt paucis concludam, ſicut conſenſus realiter præſens ſufficit in matrimonio ad inducendam traditionem actualem corporum, ſic idem conſenſus virtualiter præſens poterit poſteà eandem traditionem virtualem inducere.

Plurima obiiciunt aduerſarij, vt oſtendant in contractu conditionato matrimonij non eſſe conſenſum præſentem, ſed futurum duntaxat impleta conditione, ac proinde reipſa eſſe duntaxat ſponſalia, & promiſſionem de futuro matrimonio. In 3
primis Vrban. III. *in cap. ſuper eo, de condition. appoſitis*, rogatus an qui conſenſerat in quandam mulierem cum ea conditione, *ſi pater eius conſenſum præſtaret*, cogendus ſit ad conſummandum matrimonium. Reſpondet niſi voluntas patris intercedat, nequaquam cogendum eſſe ad matrimonium contrahendum: igitur ante patris voluntatem non erat contractum matrimonium, ſed contrahendum erat præſtito patris conſenſu, ſub qua conditione promiſſum duntaxat erat. Deinde reſpondet conſtitutioni ſui prædeceſſoris Alexandri, quæ huic reſponſioni contraria videbatur: voluerat

enim Alexander ſponſalia conditionalia diſſolui non poſſe, etiam non impleta conditione, ſi vel conſenſus de præſenti intercedat, vel carnalis copula habeatur. Reſpondet autem Vrban. *Huiuſmodi conſenſum non eſſe de præſenti habendum, licèt per verba de præſenti euidentiùs exprimatur qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit*: quæ ratio valet in omni conditione futura, cuius euentus incertus eſt, ab eo enim pendet conſenſus iſte, ac proinde nondum præſens eſt, licèt per verba de præſenti exprimatur. Hoc Vrbani reſponſum pluribus vrget Baſil. Ponc. *lib.* 3. *cap.* 13. & varias hactenus allatas interpretationes reiicit. Mihi placet ea quam tradidit de Lugo, *diſput.* 22. *num.* 393. Vrbanum ad duas quæſtiones reſpondiſſe: vnam quæ ipſi propoſita fuerat, alteram quæ conſequenter ad illam inſtitui poterat. Prior erat an qui vxorem duxerat ſub conditione paterni conſenſus, cogendus eſſet ad matrimonium conſummandum, & negat Pontifex compellendum eſſe, cùm ille conſenſus non fuiſſet abſolutus de præſenti, ſed ſolùm conditionalis in tempus ponendæ conditionis, vti fuit explicatum; conditio verò nondum poſita erat, neque pater conſenſerat. Deinde quæri poterat vlteriùs, an ſi iſte ante Patris conſenſum reſiliret à contractu, tunc eſſet cogendus; reſpondetque Pontifex non eſſe cogendum ad contrahendum, quia illa conditio canonicis inſtitutis improbata non eſt, & debet omninò expectari ad obligationem perfectè inducendam: qua reſponſione indicat quidem per argumentum à contrario, poſita conditione compellendum eſſe ad contrahendum, non tamen fauet aduerſariis, quia ex diſpoſitione & animo contrahentis colligi videbatur, illum mutaſſe conſilium, & nolle in eo matrimonio ſub conditione futura contracto perſiſtere, ideóque prior conſenſus non permanebat, neque etiam virtualiter præſens erat adueniente conditione, ac proinde non perficiebatur, neque ſubſiſtebat matrimonium, ſed neceſſarius erat nouus conſenſus, cùm prior reuocatus non ſufficeret: quia tamen illicitè, & per iniuriam reuocarat priorem illum conſenſum, obligari poterat poſita conditione aſſenſus paterni, & cogi ad conſentiendum de nouo, & priorem conſenſum per iniuriam reuocatum ſuſtinendum. Sapienter itaque Pontifex reſpondet omnibus iſtis quæſitis, ante patris conſenſum ad nihil obligari, neque ad conſummandum, neque ad contrahendum. Non ad primum, quia nondum erat perfectum matrimonium adhuc pendente conditione ſub qua contractum erat, neque ad contrahendum, quia licèt mutaſſe videretur animum, & conſenſum reuocaſſe, cùm ille penderet à conſenſu paterno futuro, non tenebatur conditione nondum poſita ſuum priorem conſenſum ſuſtinere. Adueniente deinde illa conditione & patre conſentiente poterat compelli ad contrahendum de nouo; ex qua ſapientiſſimi Pontificis reſponſione minimè ſequitur in matrimonio conditionato ſemper poſita conditione requiri nouum conſenſum ad eius valorem, quod contendunt aduerſarij, ſed aliquando duntaxat, quando prior conſenſus illicitè fuerat reuocatus. Cùm enim maneat tunc obligatio contrahendi matrimonij, ad idque non ſufficiat conſenſus reuocatus, qui neque phyſicè & formaliter, neque moraliter & virtualiter præſens eſt, tenetur nouum, & ſufficientem exhibere, ad quem tamen conſenſum compelli non poterit, niſi poſt aduentum conditionis ſub qua prius contraxerat.

Agere porrò Vrbanum de eo qui mutato conſilio conſenſum reuocarat, inde patet, quod quæratur de eo compellendo ad contrahendum, quod ſanè præſtare nolebat, alioquin compellendus non fuiſſet, cùm nemo niſi inuitus cogatur.

Quod autem obiiciebatur Pontificem dicere hunc conſenſum non eſſe de præſenti, ſed de futuro, quamuis per verba de præſenti exprimatur, facile intelligitur non eſſe abſolutum de præſenti, ſed conditionatum de futuro, qui deinde adueniente conditione fiet virtualiter præſens, non verò ante illius euentum, vti fuit explicatum.

Obiiciunt ſecundò *cap. per tuas, de conditionib. appoſit.* ibi enim agitur de eo qui contraxerat cum conditione, ſi pater, & patruus conſentirent, qui contradixerunt. Verùm ante eam contradictionem habita fuerat inter iſtos copula carnalis, ex quibus colligit Ponc. in primis hunc contractum vocari duntaxat ſponſalia, non matrimonium à Pontifice. Deinde illum vti præſumptione iuris in fauorem matrimonij, cùm tamen ex doctrina noſtra ius liquidum ſit: nam cùm per copulam videantur à conditione receſſiſſe, reuerà conſenſus qui fuerat tantùm conditionatus, factus fuit abſolutus, fuitque virtualiter præſens, atque ita fuit perfectum matrimonium, neque ad id probandum præſumptione opus fuit. 4

Reſp. ſponſalium nomen, & pro matrimonio, & pro promiſſione ſponſalitia paſſim, & indifferenter vſurpari. Deinde præſumptio in fauorem matrimonij hoc loco ſumitur ratione impletæ conditionis à contrahentibus appoſitæ, aut receſſus ab illa: non enim, vt ait Pontifex, conſtabat an pater & patruus contradixiſſent ante habitam copulam, quam vterque coniux fatebatur, atque cum per hanc copulam receſſiſſent à poſita conditione, atque adeò conſenſus conditionatus, fuiſſet redditus abſolutus, & non conſtaret de contradictione facta ante copulam, iure præſumebatur matrimonium. Et ſanè ſi iam contradixiſſent parentes, non habuiſſent copulam, aut independenter ab eorum conſenſu contraxiſſent. Itaque nihil hæc Innocentij III. reſponſio fauet aduerſariis; maximè quia vt *ibid.* obſeruat Gloſſa *verſ. præſumendum*, per carnalem copulam ipſo facto videntur conſenſum exprimere de præſenti, & à conditione recedere, in eoque fuit iſta præſumptio.

Obiiciunt tertiò, conſenſus conditionatus matrimonij reuocari validè poteſt pendente conditione, vti omnes fatentur, quod tamen fieri non poſſet; quia vt argumentatur Turrian. *diſp.* 55. *dub.* 10. *num.* 21. adueniente conditione purificaretur contractus. Cùm enim ille conſenſus tantæ ſit efficacitatis, vt transferat ius conditionale mutuum in corpus, illud adimpleta conditione tranſibit in purum; idcircò ſiquidem poſt exhibitum conſenſum conditionatum vtriuſque contrahentis, nihil operatur retractatio vnius, quia conſenſus præſtitus tantæ eſt efficacitatis naturâ ſua, vt ſolùm pendeat ab euentu conditionis. Si itaque in contractu matrimonij ſimilis eſt efficacitas, & à principio tribuit ius conditionale mutuum in corpus, quando celebratur per verba de præſenti, ſub conditione tamen de futuro, illud ius ſolo euentu conditionis purificabitur independenter à voluntate contrahentium, ſemel celebrato priori contractu, atque ita inutilis erit reuocatio etiam ante conditionis poſitionem. 5

Reſp. diſcrimen eſſe inter contractus qui ſolo

conſenſu

conſenſu perficiuntur, & eos qui præterea poſtu-ſtulant traditionem rei: nam in prioribus ſi fiant ſub conditione de futuro, inutiliter reuocatur conſenſus ante conditionis euentum; quia cùm iam perfecti ſint, & pendeant tantùm quoad obligationem à conditione ad cuius euentum dilata eſt hæc exequutio, diſſolueretur contractus eſſentialiter perfectus ſola alterius contrahentis voluntate: at verò in contractibus, qui ad ſui perfectionem eſſentialem exigunt traditionem rei, validè reuocatur conſenſus ante conditionem, quia ante illam non eſt perfectus contractus, cùm nondum ſit traditio quæ dependenter ab ea conditione facta eſt. Itaque reuocatio conſenſus impedit eam traditionem, quæ nequidem virtualiter fieri poteſt ſine conſenſu præſenti, ſaltem virtualiter, qualis non eſt conſenſus reuocatus, vti explicuimus *ſuperiori quæſtione*.

Obiiciunt quartò matrimonium eſſe Sacramentum, Sacramenta verò non poſſunt conferri ſub conditione de futuro, quæ illorum ſuſpendat effectum, qui deinde poſita conditione, ipſe quoque ponatur, vt in Baptiſmo, abſolutione, & cæteris videmus: operatur ſiquidem Sacramentum quando exiſtit; non quando tranſit: quod etiam confirmari poteſt ex eo quod non poſſit compleri Sacramentum, niſi dum completur in ratione ſigni ſenſibilis ſignificantis practicè gratiam. Atqui quando ponitur conditio ſub qua futura contractum fuit matrimonium, illud non completur in ratione ſigni ſenſibilis, quod aliud non eſt quàm conſenſus mutuus ſenſibiliter expreſſus, qui conſenſus actualiter non eſt, ſed ſolùm virtualiter, & interpretatiuè, neque ſenſibiliter exprimitur dum ponitur conditio, ſub qua datus fuerat. Opus igitur eſt nouo aliquo conſenſu ſenſibiliter expreſſo, vt compleatur matrimonium in ratione Sacramenti.

Reſp. in eo differre matrimonium à cæteris Sacramentis, quod ſimul ſit contractus humanus, habeatque omnia communia cum cæteris contractibus, atque eodem modo, quo ipſi, perficiatur. Eleuatus quidem eſt ille contractus ad rationem Sacramenti per Chriſti inſtitutionem: ea tamen inſtitutio, quæ eſt omninò extrinſeca huic contractui, non magis immutauit eius naturam, quam aquæ ad materiam Baptiſmi, aſſumptio, quod alibi à nobis fuſiùs fuit demonſtratum. Hinc fit, vt hoc Sacramentum in pluribus ab aliis differat: nam per procuratorem fieri poteſt, abſenti conferri per ſcripturam, nutus, & quælibet verba etiam virtualia, ſiue ſigna quibus ſufficienter exprimatur, quod aliis Sacramentis ſanè non conuenit: quia tamen ſufficiunt ad contractus humanos cæteros, ſufficiunt quoque ad contractum matrimonij, qui etiam ſub conditione de futuro, ſicut & cæteri, ex ſuperiori quæſtione celebrari & perfici poteſt quo eodem quoque inſtanti perficitur Sacramentum, quod reuerà non ponitur donec ponatur conditio ſub qua fuit datus conſenſus. Prius enim neque datur completè conſenſus abſolutus, nec verba neceſſaria ad illum exprimendum, per aduentum autem conditionis conſenſus conditionatus non reuocatus tranſit in abſolutum, & verba quibus ille conſenſus conditionatus expreſſus fuerat, quæ reuocata non ſunt, fiunt poſita conditione virtualiter verè præſentia, abſoluta, quibus ſignificetur conſenſus præſens abſolutus. Per illa itaque verba virtualia completur tunc forma huius Sacramenti: nam ante conditionis euentum nondum erat completa ea forma, neque etiam materia, quæ eſt ipſa traditio corporum; quia pendebant à conditione futura, ſiue nondum erant abſolutè; poſita verò conditione dantur verba virtualia, conſenſus virtualis præſens, & abſolutus, traditio virtualis præſens & abſoluta: quæ omnia ſufficiunt ad verum contractum humanum, atque adeò ad contractum matrimonij, quod tunc completur in ratione contractus, atque etiam Sacramenti. Tunc quoque operatur ſuum effectum ſi non adſit obix: quare reuerà Sacramentum in hoc caſu operatur dum primùm eſt, ſicut reliqua Sacramenta.

Ad confirmationem de ſigno ſenſibili ad rationem Sacramenti requiſito, quod tamen non videtur reperiri in matrimonio conditionali, maximè ſi conditio ſit inſenſibilis, vt emittendi votum, aut interiùs quidpiam faciendi.

Reſp. neque ad contractus, neque ad Sacramenti rationem neceſſariam eſſe conditionem ſenſibilem, quando ſub conditione fiunt, quod in Sacramentis quæ fieri poſſunt ſub conditione præſenti, vel præterita inſenſibili manifeſtum fit: v.g. *abſoluo te, baptiſo te, ſi feciſti tale votum, ſi habes voluntatem faciendi quod cras imperabo*: licèt abſoluendus, & baptiſandus non prodant vllo ſenſibili ſigno ſuam voluntatem, valebit baptiſmus, & abſolutio, ſi verè conditio poſita ſubſiſtit, quamuis inuiſibilis ſit. Id ipſum videmus in matrimonio. *Accipio te in coniugem, ſi me ex animo amas.* Ratio eſt, quia ad ſenſibilitatem ſigni non requiritur quod ſit ſenſibilis conditio ſub qua quidpiam ſignificatur, ſiquidem conditio ipſa nō eſt ſignum, ſed ſe tenet ex parte obiecti ſignificati: v. g. in Sacramentis, quæ ſigna eaque ſenſibilia ſunt, id quod ſignificatur eſt gratia ſacramentalis conferenda, quæ ſanè inſenſibilis eſt, conditio verò quæ apponitur, & ſub qua gratia illa conferenda ſignificatur, non eſt ſignum, non enim ſignificat gratiam, ſed eſt conditio appoſita illi collationi gratiæ, quæ ſignificatur practicè per ſignum ſenſibile, quo conſtat Sacramentum. Quamuis igitur de ratione Sacramenti ſit ſignum ſenſibile, conditio tamen ſub qua miniſtratur non debet eſſe neceſſariò ſenſibilis: quod ipſum aduertimus in contractibus humanis, quia eo ipſo contractus humanus debet humano modo & per ſigna ſenſiblbilia celebrari, illi tamen apponi conditionem inſenſibilem nihil vetat. Si enim promittas Petro codicem ſi cras tali hora eliciat internum amoris diuini actum, ipſeque acceptet, & impleat conditionem, teneberis tua promiſſione. Nihil igitur repugnat matrimonium contrahi ſub conditione inſenſibili, tum in ratione contractus, tum in ratione Sacramenti, quod de conditione præſenti vel præterita iam conſtat. De conditione verò futura oſtenditur: nam validus erit contractus matrimonij, vti oſtendimus, igitur erit tunc Sacramentum, cùm repugnet contrahi inter baptiſatos validum matrimonium, quod non ſit ſimul Sacramentum. Deinde ſi quid obeſſet perfectioni Sacramenti, eſſet vel fututitio conditionis, vel eius inſenſibilitas. Non primum, vti hactenus euicimus, neque etiam ſecundum, quia illa non obſtat conditioni præſenti, & præteritæ, ergo neque futuræ; cùm in illis omnibus eadē reperiatur inſenſibilitas: quare ad argumentum aduerſariorum reſpondeo poſita conditione futura etiam inſenſibili compleri matrimonij contractum, & Sacramentum; quia, vt ſæpiùs dixi, ponitur conſenſus ab-

ſolutus

ſolutus, qui prius erat tantùm conditionalis, poſita conditione ſub qua præſtitus fuerat, & ſenſibiliter ſignificatus pro tempore, quo poneretur conditio. Neque ſanè ante non erat Sacramentum defectu ſigni ſenſibilis, ſed defectu conſenſus abſoluti, qui poſita conditione nunc exiſtit, ſufficitque ſignum ſenſibile ſignificans conſenſum pro tali ſtatu, licèt ille ſtatus non ſit ſenſibilis.

Consectarium III.

Singulares caſus circa matrimonium conditionale cum duabus, aut ſimul, aut ſucceſſiuè contractum.

EX tota præcedenti doctrina plures quæſtiones licebit definire.

Primò ſi quis cum duabus contraxerit ſub conditione, quæ fuerit impleta, quodnam ex illis matrimoniis validum ſit, diſputant DD. apud Sanch. *diſp.* 8. *num.* 15. *lib.* 5. *de matrimonio*, nobis ex dictis quæſtio definita videtur cum de Lugo *diſput.* 22. *n.* 396. nam ſi priùs impleta fuit conditio prioris matrimonij, & per ſecundum licèt conditionatum receſſit à conſenſu, & voluntate prioris, non complebitur adueniente conditione, ſed nouo conſenſu fuerit opus, quia prior reuocatus eſt, ab eoque per ſecundum matrimonium receſſum eſt: ſi verò in priori illo conſenſu perſtitit, vti potuit, etiam contrahendo conditionatè ſecundum, quia noluit contrahere, & perficere illud cuius prior conditio fuiſſet impleta; prius matrimonium adueniente conditione ipſi appoſita primo loco perficitur, & validum omninò remanebit; ſi poſterioris autem matrimonij conditio priùs ponatur, validum & ratum exiſtet, quia eiuſmodi conditio inuenit contrahentem ſolutum & habilem ad contrahendum validè ſecundum iſtud matrimonium, quamuis illicitum, & cum iniuria prioris cum quo priùs conditionatè contraxerat. Denique ſi vtriuſque illius matrimonij conditio ſimul impleatur, neutrum valebit, quia cùm vtriuſque conſenſus non fuerit reuocatus, vti ſupponimus, ſed vterque virtualiter perſeueret, poſita ſimul cōditione vtriuſque, eodem modo de vtroque definiendum erit, atque ſi vtrumque fuiſſet abſolutum ſimul cum duabus initum, quo caſu neutrum propter impoſſibilitatem valeret, & vt exiſtimat Sanch. propter incertitudinem.

Secundò quando matrimonium cum duabus ſucceſſiuè contractum fuit ſub eadem conditione; v.g. ſi nauis intra octiduum venerit ex India; præſumendum eſt pro ſecundo matrimonio, quia per illud iure merito exiſtimatur receſſiſſe à priori ſub eadem omninò conditione contracto, quia impoſſibile fuit illud ſecundum ſub eadem prorſus conditione, non reuocando priorem conſenſum ſub illa conditione datum.

Quoties aliquis contraxit ſub conditione eo genere contractuum in quibus nequit conſenſus ſemel præſtitus validè reuocari, ſi deinde ante conditionis euentum cum alio quopiam contrahat, ſiue abſolutè ſiue ſub conditione, inualidè contrahet, & vbi prioris contractus conditio poſita fuerit, prior ille contractus omninò, & abſolutè obligabit: quia non potuit ſe obligare in præiudicium prioris contractus, expectareque omninò debuit conditionis euentum aut defectum, antequam cum alio contraheret, vti diximus *quæſt.* 8. Secus verò ſi contractus non poterat niſi traditione perfici, quia pendente conditione potuit validè, quamuis non licitè reuocari contractus, & res promiſſa alteri validè tradi, vti diximus.

Consectarium IV.

Quomodo, & quando votum conditionale obliget.

Status quæſtionis. 1.
Vera conditio ſuſpendit voti obligationem. 2.
Quid de conditione impoſſibili, vel turpi. 3. 4.
An vouens ſub conditione teneatur expectare eius euentum. 5.
An illum impedire poſſit. ibid.
An ſi ad non implendum votum impediat conditionis euentum, illi nihilominus teneatur. 6.
An conditio voto appoſita debeat impleri in forma ſpecifica, vt votum obliget. 7.
An impleta conditione votum ſtatim ſine nouo conſenſu obliget. 8.

QVamuis ex doctrina toto iſto articulo tradita 1
non difficile fuerit colligere, quid ſentiendum ſit de voto conditionali, & eius obligatione, quæ eadem eſſe debet quæ in promiſſionibus humanis ſub conditione præſtitis; votum ſiquidem eſt promiſſio facta Deo de re aliqua facienda, & præſtanda, aut non facienda, quod & conditionate fieri poteſt: tamen videndum etiam *hoc loco* erit, quæ & qualis conditio, & quomodo *apponatur*, ſicut & in aliis promiſſionibus propter peculiares quaſdam difficultates, quæ ſolent in hac materia excitari. Erit itaque operæ pretium vniuerſalem doctrinam hactenus traditam, ſingillatim huic materiæ aptare, & ſi quid in illa ſingulare ſit, obſeruare; agimus autem de vera conditione, quæ eſt de futuro contingenti: nam quæ eſt de præterito, aut præſenti, cùm iam poſita, aut non poſita ſit, non faciet votum conditionale, magis quàm vllum actum, qui reipſa abſolutus eſt, licet ſub tali conditione conceptus ſit; quia, vti diximus, dum concipitur actus, iam impleta, aut non eſt impleta cōditio ſub qua fiat: quare eiuſmodi diſpoſitio ſtatim & abſolutè obligat, eodem modo atque ſi non fuiſſet adiecta conditio: quod idem dicebamus in conditione de futuro neceſſario, quæ eo ipſo quod non poſſit non euenire, cenſetur etiam iam obligare abſolutè, vti obligabit quando euenerit. Cùm etenim neque incertus, neque ſuſpenſus ſit conditionis euentus, non poteſt incertam, & ſuſpenſam obligationem reddere, ſed ſolùm aliquando præfigere terminum executioni obligationis, ita vt ante euentum conditionis nihil exequi teneamur: v. g. *Do tibi centum ſi Sempronius moriatur:* cùm enim neceſſarium ſit Sempronium aliquando mori, iam nunc obligor tibi dare centū, non tamē antequam moriatur Sēpronius, ſed quando morietur: quæ omnia ſuperiùs explicata ſunt, eaque valent in voto. Agimus itaque

que de voto verè conditionali propter adiectam propriè dictam conditionem de futuro contingenti.

2 Dicendumque eſt veram eiuſmodi conditionem ſuſpendere voti obligationem, vſque ad ſuum euentum, cùm, vt latè diximus *quæſt.* 1. hæc ſit propriæ & veræ conditionis natura, quod non eſt ita intelligendum, quaſi votum illud, cùm ſit merum votum, non ſtatim imponat obligationem, alioquin non eſſet adhuc votum, ſed futurum eſſet impleta conditione; ſed quia non obligat pro ſtatim, ſed pro eo tempore duntaxat, in quo fuerit poſita conditio: quo tempore non oritur noua obligatio, quæ iam tota erat, ſed exequutioni mandanda erit, ad quam exequutionem non obligabatur vouens ante impletam conditionem; ideoque dicebatur ſuſpendi obligatio in conditionis euentum, quod ipſum nuper monebamus. Sapienter enim aduertit Suar. *lib.* 4. *de voto*, *cap.* 17. *n.* 4. votum non dici conditionatum ſubiectiuè, ſiue ex parte actus ipſius promittentis; ſic enim non fieret votũ, ſed promitteretur faciendum impleta conditione: v. g. ſi quis dicat, ſi Petro videbitur, vt ego voueam virginitatem, nondum reuera vouet ſed vouere promittit ſi Petro ita videatur: quare nondum ad illud obligatur, ideoque ſi impleta conditione non voueat, non violat votum, quod nullum adhuc fuerat, ſed facturum ſe propoſuerat: quare ſolius inconſtantiæ & leuitatis in ſeruando ſuo propoſito damnabitur. Conditio igitur in voto conditionato non ponitur ex parte actus; nam reipſa ponitur actus promiſſionis, & voti tunc, quod proinde illa conſideratione abſolutum eſt, quia abſoluiè ponitur, & ſtatim obligat. Conditio itaque ponitur ex parte obiecti, quod promittitur ſub illa conditione; quare donec illa impleatur, ſuſpenſa manet obligatio quoad exequutionem, vti monebamus, neque aliter ferè vſurpamus votum conditionatum, quàm obiectiuè ea parte obiecti; quod iterum duobus modis contingere poſſe aduertit *ibidem* Suarez, vno ſimpliciter quoad exequutionem obiecti, ſiue actus promiſſi. *Ingrediar Religionem ſi pater conſenſerit*: quod votum eſt, inquit, propriiſſimè conditionatum: aliàs ponitur conditio tantùm quoad durationem, & firmitatem rei promiſſæ: v. g. non nubam niſi parens imperarit; quæ promiſſio verè abſoluta eſt, & ſtatim, & pro ſtatim obligat, quæ tamen non eſt omninò firma, ſed quoad durationem conditionata: neque enim promitto non nupturum, niſi imperio paterno. Itaque vbi imperauerit pater nuptias, eas libens amplectar; ratione tamen eiuſmodi conditionis dicitur promiſſio illa conditionata; ſic itaque natura voti conditionati explicata, nonnulla circa eius obligationem ex hactenus diſputatis definienda ſunt: nimirum ad quid obliget ante conditionis euentum, deinde quomodo obliget impleta conditione, & demùm quandonam cenſeatur impleta eſſe conditio ad obligationem voti.

3 Primò igitur cenſent aliqui votum cui fuit appoſita conditio impoſſibilis, aut turpis, ſtatim obligare, neque expectandum eſſe conditionis eiuſmodi euentum; quia habetur pro non adiecta, atque ita votum eodem modo obligat atque ſi non fuiſſet vlla conditio ipſi adiecta. Ita de conditione impoſſibili Philiarch. *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. quia eiuſmodi conditiones habentur pro non adiectis in matrimonio, & iure canonico, & ciuili; neque enim iure præſumere poteſt Eccleſia in re tam ſeria, quidquam iocosè actum eſſe. *Voueo caſtitatem ſi cælum digito tangam*: Azor verò 1. *part. lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 9. validum exiſtimat illud votum in foro externo ex præſumptione allata, ſecùs in foro interno, cùm vouens illi conditioni ſuam illigauerit voluntatem, & conſenſum. Dicendum eſt votum illud omninò inualidum, & nullum eſſe quoties conditio appoſita impoſſibilis eſt. Ita Richard. *in* 4. *d.* 38. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. *&* Paludan. *in eand. diſtinct. q.* 3. *art.* 2. *concl.* 2. Sanch. *lib.* 4. *in decalog. cap.* 23. *num.* 8. Bonac. *diſp.* 4 *q.* 2. *de voto, punct.* 17. *num.* 1. & alij, quia cùm vouens ſub conditione non obligetur niſi dependenter ab ea conditione, vti fuit explicatum, nunquam tenetur exequi votum & promiſſionem niſi exiſtente ea conditione, cùm illa verò nunquam exiſtere poſſit, tota ea obligatio nulla prorſus eſt: neque licet argumentari ex matrimonio, quod conditiones impoſſibiles adiectæ non inualidant, eo quod pro non adiectis habeantur; quidquid enim ſit de hoc caſu, de quo diſputauimus aliàs. Reſp. id fieri ex peculiari iuris diſpoſitione, qualis circa votorum diſpoſitiones nulla reperitur.

4 Quod verò attinet ad conditiones turpes diſtinguendum eſt, quia ſi materia voti promittatur ad conditionem illam malam obtinendam, v. g. *Voueo eleemoſynam, ſi Caia copiam ſui mihi fecerit*, votum nullum eſt, quia eleemoſyna quidem promiſſa bona eſt, ſed cum adhibeatur tanquam medium ad rem turpem obtinendam, mala redditur, immò & iniurioſa eſt Deo. Si verò conditio non ſit finis promiſſionis, & voti, foretque pura conditio, non impediret obligationem voti, vbi impleta eſſet: quamquam ſi conditionis illius poſitio penderet à vouente, ille obligaretur nunquam ipſam ponere; ſi verò penderet ab alio quopiam, eius tamen impletionem neque vrgere, neque velle poſſet. v. g. *voueo Religionem, ſi ſoror fornicetur.* Ita Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 36. *&* 37. Sanch. *lib.* 4 *in decalog. cap.* 23. *num.* 11. Ferdinand. Bonac ſuperiùs adducti.

Hinc colliges quid ſentiendum ſit de voto ingrediendi Religionem, ſi fuero fornicatus, ita vt illud votum non ſit pœnale, voueaturque Religio in pœnam commiſſæ fornicationis, ſed ſit merè conditionale; quia neque fornicatio finis eſt obtinendus per votum, neque votum pœna commiſſæ fornicationis erit, ſapienter enim valere dixit hoc votum Sanch. *lib.* 5. *citato, cap.* 6. *num.* 17. & alij ab ipſo laudati; quia cùm conditio eſt, nihil omninò refert quod in ſe bona, aut mala ſit ad validandũ vel inualidandum actum, per quem res aliqua præſtanda promittitur: eſto aliunde peccet qui eam conditionem præſcribit: via tamen contingit vt homines ſub mera conditione vota illa emittant, & non aſſumant votum tanquam medium ad obtinendum illum turpem finem, in turpi conditione expreſſum; & aliud exiſtimare, eſt fingere caſum nunquam contingentem, inquit Abulen. *in c.* 30. *num.* 92. *ſub initium.*

5 Difficultas verò grauis eſt, an vouens ſub conditione, obligetur expectare conditionis euentum, neque poſſit quamdiu illa pendet conſtituere ſe in ſtatu, in quo deinde non poterit adueniente conditione votum implere. Vouit quis Religionem ſi pater conſenſerit, ſi ſoror nupſerit, ſi frater peregrè redeat, & dum expectatur patris conſenſus, ſororis nuptiæ & fratris reditus, ipſe ducit vxorem, redditque ſe inhabilem ad exequendum votum Religionis, vbi euenerint conditiones. Præ-

tereà

tereà quæritur an liceat voventi impedire ne conditio, quam ſuo voto præſcripſit, ponatur, & ſi hoc faciat, an non modò peccet, ſed etiam ſuo voto teneatur ſi conditionem impleri impediat æquè, ac ſi reipſa fuiſſet impleta.

Et quidem certum eſſe videtur teneri voventem ſub conditione perſeverare in propoſito exequendi votum, vbi fuerit poſita conditio, & non ſuſcipere contrariam illi voluntatem: alioquin violatur votum, ſiue revocatur tum illicitè, tum invalidè. Deinde obligatur ſe talem ſervare, vt adveniente conditione poſſit votum ſuum implere, alioquin ſuſcipit voluntatem non implendi votum, ad quod tamen obligatur: quare tota difficultas eſt an liceat impedire conditionis eventum, aut illum inutilem reddere per factum aliquod contrarium.

Reſp. diſtinguendum eſſe inter conditiones quæ pendent a libera voluntate voventis, & eas quæ pendent ab alterius voluntate, aut à cauſis naturalibus. Et quidem quod ad conditiones quæ a propria voluntate pendent, vt voveo caſtitatem, aut Religionem, ſi tale quid commiſero, ſi tale periculum evaſero, ſi luſero, ſi domo exiero, poteſt vovens conditiones illas impedire, atque interea reddere ſe inhabilem voto deinde implendo. Ita Suar. *lib.4. de voto, cap.17. num.9. & ſeq.* Sanch. *lib.4. in decalog. cap.22. num.* 11. & *c.* 23. *num.*28. Bonac. *diſp.4. punct.2. num.*5. Ferdinand. *de voto, diſp.1. punct.17. n.6.* Layman. *lib.4. tract.4. cap.6. q.1.* quia cùm conditio illa pendeat ex ſola libertate voventis, qui non ſe obligavit ad illam ponendam, ſed ad ſervandum votum, ſi talem conditionem poſuerit, poteſt non ponere conditionem ad quam ſe non obligavit, neque aliunde obligatur, vt ſuppono. Non peccabit igitur in non ponenda eiuſmodi conditione, vti ipſi liberum eſt, atque ita voti obligationem evadere. Vovit aliquis eleemoſinam, ſi iuraverit, ſi luſerit, ſi domo fuerit egreſſus, ſi civitatem, aut domum quandam ingreſſus fuerit; poterit non iurare, non ludere, non egredi domo, etiam eo animo ne voti reus fiat, immò & aliquando tenetur non ponere conditionem, ſed illam vitare, verbi gratia non iurare, non fornicari, nam in illis omnibus votis quæ ſunt veluti pœnalia, potius quàm conditionalia, ſuſcipitur præcipuè votum ad vitandam eiuſmodi conditionem, neque votum obligare poteſt ad eam non vitandam, cùm mala ſit, & quamvis vitet eam conditionem ne voto obligetur, neque peccabit, neque contra votum committet. Ideò v. g. vitat iuramentum ne reus fiat eleemoſinæ voto promiſſæ; quia vti iam monui, non vovit eleemoſinam illam primò, & per ſe intendens, ſed voluit ſe cohibere à iuramento, à fornicatione, & aliis ſimilibus timore eleemoſinæ erogandæ, tanquam cuiuſdam pœnæ fræno. Non eſt igitur contra intentionem voventis, aut ipſum votum, non iurare, neque fornicari, ne obligetur vovens eleemoſinam dare; immò abſtinendo ſe ab illis actibus, & non implendo conditionem, implet intentionem quam habuit in vovendo; quod etiam continget, etſi habeat propoſitum iurandi, & fornicandi, ſi vouiſſet eleemoſinam aut Religionem: quia licèt eiuſmodi propoſitum malum, & illicitum ſit, non eſt tamen contra votum de quo diſputamus. Deinde quoties quis vovet ſub conditione non iurandi, non fornicandi, & ſimilibus, non per modum pœnæ, vt in caſu proximo, ſi iuravero, ſi fornicatus fuero voveo eleemoſinam; ſed per modum cuiuſdam gratitudinis vitati peccati: ſi per annum non iuravero, non inebriatus, aut fornicatus fuero, voveo peregrinationem Lauretanã, Religionem, Ordines ſacros, & ſimilia, non peccabit contra votum liberè nõ ponendo conditionẽ illam, ſub qua ſe obligavit; quia ſi non eſſet ipſi liberum vitare conditionem illam, & contrariam ponere, votum eſſet abſolutum, vti argumentatur Suar. *num.*10. & non conditionatum: ſi enim nequeat vitare conditionem quin violet votum, ſiue impleatur conditio, ſiue non impleatur, votum obligabit, & violabitur, ac proinde obligabit independenter a conditione, ſiue ponatur, ſiue non ponatur, quod eſt votum eſſe omninò abſolutum, & conditionem inutiliter appoſitam fuiſſe: nam ſi impleat conditionem non iurando, non fornicando, tenetur voto quod ſub ea conditione fecerat, quandoquidem eſt impleta conditio. Quod ſi vitet conditionem voluntariè iurando, vel fornicando, violabit quoque votum ex adverſariis. Illa igitur conditio nihil operatur, & votum abſolutè obligat. Denique qui ita vovet, ſi per annum non fuero fornicatus, fiam religioſus, non obligat ſe ex voto ad vitandam fornicationem, neque fuit ea expreſſa ipſius intentio, vt ſupponimus, neque præſumi poteſt; alioquin ille abſolutè vovet et vitare fornicationem, quod falſum eſt. Neque dicas vouiſſe vitare quantùm in ſe eſſet fornicationem, quia ſic vouiſſet abſolutè vitare fornicationem, non enim ad illam vitandam poteſt aliud promittere, & vovere, quàm ſe facturum quantùm in ſe erit ad eam vitandam, vitabitque ſine dubio ſi faciat quantùm in ſe erit. Dicendum igitur eſt, ſic voventem non ſe obligare ſimpliciter, & abſolutè ad vitandam fornicationem, ne faciamus votum abſolutum, & non conditionatum, ſed ad exhibendum tale opus gratitudinis causâ, ſi tale beneficium vitatæ fornicationis à Deo recipiat. Vnde colligunt aliqui, neque id impoſſibile cenſet Suar. ſic voventem non transgredi votum, etiamſi directa intentione, & deſtinato animo fornicetur, ne ſuo voto ingrediendi Religionem, ſi toto anno vitaſſet fornicationem, obligetur; quia non ſe obligavit ad vitandam fornicationem, vt iam oſtendi, ſed ad amplectendam religionem, ſi vitaſſet per annum illud peccatum. Verius tamen exiſtimant Suar. *cap.*17. *citato, n.*15. Layman. *cap.6. citato, quæſt.* 1. Ferdinand. à Caſtro, *de voto, diſp.1. punct.*17. *num.*10. eiuſmodi hominem peccaturum non modò contra caſtitatem, ſed etiam contra voti Religionem, & violare pactum cum Deo initum; quandoquidem ſincerè non agit cum Deo, & fraude ac dolo vtitur, vt ſe ab obligatione, quam lubens ſuſceperat, liberet; quod totum explicat Suar. ex Palacio *in 3. d.* 38. *diſput.*1. exemplo eius cui Sempronius promiſerat centum, ſi ſuam domum adiret; deinde vt ſe illa obligatione præſtandi illa centum liberet, iubet occludi fures venienti Sempronio. Sanè contra promiſſa aget, quia in pacto tacitè includebatur, ne vlla vis aut fraus venienti Sempronio fieret, neque negari poteſt intentionem peccandi, ne quis obligetur voto, eſſe non modò inordinatam, ſed etiam iniurioſam voto, quo ſic peccans abutitur, cùm ex illo ſumat occaſionem peccandi, directèque peccare intendat, vt reſiſtat Spiritui Sancto, cuius inſtinctu votum eiuſmodi emiſerat. Hæc omnia idem demonſtrant in omnibus aliis votis conditionalibus, quorum conditiones honeſtæ ſunt, ita tamen vt ſine peccato poni, aut non poni poſſint, quoties illæ ſunt poteſtativæ, quia pendent

à

à libera voluntate vouentis, poſſe ab illo impediri etiam animo vitandi voti obligationis, neque tunc peccari contra votum: verbi gratia ſi ſacrum fecero, pro te offeram, ſi domo exeam in tuam ibo, ſi domum meam veneris, ibique me inueneris, dabo tibi codicem, ſi per annum ſubſtitero in vrbe, quotidie dabo eleemoſinam, ſi fiam Religioſus, fiam Carthuſianus. Poſſum enim non facere ſacrum, non exire domo, aut in ea non manere, exire ex vrbe, vt obligationibus quas ſub illis conditionibus mihi impoſueram, me eximam; quia eiuſmodi conditiones poſitæ fuerant duntaxat, vt ſuſpenderent obligationem voti, neque me obligaueram ad illas ponendas, ſed duntaxat ad aliquid præſtandum, vbi poſitæ fuiſſent: quare ſi eas non ponam, non facio contra votum, vt patet. Aliæ ſunt conditiones quarũ poſitio pendet ex libera voluntate alterius, quàm vouentis. Fiã religioſus ſi pater voluerit, ſi Petrus conſuluerit, eaſque impedire licet vouenti, neque peccabit contra votum, modò neque vi, neque fraudibus vtatur. Ita Suarez *cap. 17. cit. num. 16.* Sanch. Bonac. Layman. Ferdinand. à Caſtro; qui enim dicunt peccari contra votum quando impeditur voluntas alterius à quo pendet conditio præſcripta, loquuntur de impedimento, quod opponitur alterius voluntati, qui vel metu, vel fraudibus, aliáve ratione impeditur ponere conditionem, quam maximè vellet apponere; in quo impedimento nos quoque votum violari fatemur. Loquimur de impedimento quod fit precibus, conſilio, rationibus, quibus perſuademus alicui ne quidquam velit, quod alioquin voliturus erat, victus tamen rationibus, aut precibus mentem mutat. Quod impedimentum licitum eſſe, & minimè cum voti obligatione pugnare dicimus; quia vouens non ſe obligauit ad ponendam conditionem, aut ad illam non impediendam, ſed dumtaxat ad quidpiam præſtandum, profitendam Religionem verbi gratia, poſita tali conditione. Cùm igitur voti tui obligationem in liberratis electionem alterius remiſeris, ſi v.g. voluerit quid facere, aut promittere; quamdiu liberam optionem ipſi relinquis, non facis contra votum, quamuis precibus, & rationibus agas apud illum, ne velit aut conſentiat, & vt vnam potiùs partem quàm aliam amplectatur, reuerà non impedis eius libertatem, vti faceres ſi vi, aut fraude cogeres ne conditioni conſentiret, cùm tamen eo ipſo quod voti tui obligationem in Petri voluntatem reieceris, ad relinquendam ipſi liberam electionem te obligaris: promiſiſti ſiquidem Deo expectare liberam alterius determinationem, quod pactum per eiuſmodi fraudem, & vim infringis: vnde etiam fit, vt ſi quis tunc cogeret vi, vel dolo Petrum ad conſentiendum, ponendamque conditionem, non obligaret votum, quia non cenſeretur impleta conditio, quæ erat vt Petrus vellet, liberè nimirum, & non coactus: quare filius qui vouit Religionem, ſi pater conſenſerit, poterit precibus & rationibus perſuadere patri ne conſentiat: quod fatentur iidem DD. quia tunc non cogit patrem ad non conſentiendum, neque vlla ratione liberum eius conſenſum impedit, ideóque nullo modo votum violat, & malè Sanch. *cap. 23. numero 54.* excipit petitionem, quaſi peccet filius ſi a patre petat ne conſentiat, atque ita voti ſui illum obligatione eximat. Male, inquam, quia petitio eiuſmodi non cogit libertatem patris, & non ſe obligauit filius ad aliud quàm ad Religionem poſito libero patris conſenſu, cuius libertatem ſua petitione non lædit. Deinde quædam conditiones pendent à naturalibus cauſis, non tamen ita neceſſariò, vt impediri non poſſint vel à Deo, vel à cauſa alia libera remouendo vel applicando actiua paſſiuis, ponendoque quædam alia impedimenta, atque ſub hac ratione cuiuſdam contingentiæ, poſſunt duntaxat eſſe propriè conditiones ſuſpendentes obligationem; ſi enim forent neceſſariò prorſus euentura, verbi gratia, *ſi ſol cras orietur*, non eſſent veræ conditiones, vti diximus *quæſt. 1. & 2.* Quoties igitur voto adiectæ ſunt conditiones iſtæ dependentes à naturalibus cauſis, contingenter tamen, modo explicato, poterit vouens abſque voti ſui violatione impedire conditionis euentum, modò nihil vi, vel fraude agat; quia vti iam diximus, non ſe voto obligauit ad promouendum, vel nullo modo conditionis euentum impediendum: quare in eius poteſtate manet non ponere conditionem, illamve impedire, modò neque fraudibus, neque vi impediat, atque ita ſuo voto abutatur: quare qui vouit Religionem, ſi ſanitatem recuperet, ſi ſua intemperantia ſanitatem lædit, modò id non faciat animo non implendi votum, non peccat contra illud. Ita Suar. Layman. Ferdinand. aliique nuper laudati.

His poſitis quæritur vlteriùs, an cùm aliquis 6
per fraudem aut vim impediuit euentum conditionis, atque adeò peccauit contra voti religionem, teneatur voto ſuo eodem prorſus modo, atque ſi fuiſſet impleta conditio: verbi gratia, vouit Religionem ſi per annum non fuerit fornicatus, ſi ſanitatem recuperaret, ſi pater conſentiret, ille tamen voti pœnitens & vt eius elidat obligationem fornicatur, viuit intemperanter, & ſanitatem lædit, patrem conſentire volentem cogit ne conſentiat, obligari voto volunt Ricard. *in 4. d. 36. artic. 5. quæſt. 3.* Angelus *verb. votum 1. §. 10.* Nauarr. *capit. 11. numer. 42.* Azor. *1. part. lib. 11. capit. 20. q. vlt.* Sanch. *lib. 4. in decalog. capit. 23. num. 47.* Bonac. *diſput. 4. citata quæſt. 2. punct. 2. num. 6. & 7.* Gabriel. *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 3. concl. 2.* Tabiena *verb. votum 2. quæſt. 2.* Quod maximè verum eſſe ſi ex malitia, & non ex ſola infirmitate iſta præſtet vouens, dixit Sylu. *verb. votum 2. quæſt. 2. dicto 2.* & Rodriq. *tom. 2. ſummæ capit. 98.* quia *ex lege in executione 85. §. vlt. D. de verbor. obligat. & regula 66. de regul. iur.* cùm per promittentem ſtat quo minus conditio impleatur, haberi debet pro impleta, ratióque videtur manifeſta; quia vouendo obligaſti te non impedire malitioſè conditionem. Si igitur illam impedias, teneris tuo voto, cùm per teipſum duntaxat ſtet, aut ſteterit ne conditio impleatur: hanc tamen obligationem voti impleta conditione quamuis per malitiam vouentis, negauit Maior *in 4. d. 38. q. 1. corollar. 7.* & Suar. *lib. 4. de voto c. 17. num. 10* Ferdinand. à Caſtro *diſp. 1. de voto punct. 17. num. 12.* neque improbabilem putat Laym. *lib. 4. tract. 4. c. 6. q. 3.* hæc enim obligatio non poteſt oriri niſi vel ex impleta conditione, quod falſum eſt, cùm malitioſè fuerit impedita, vel ex peccato contra voti religionem, impediendo eiuſmodi conditionem admiſſo; atqui illud ad pœnitentiam duntaxat obligat, non ad reſtitutionem, aut compenſationem aliquam: ineoque differt promiſſio Deo, & homini facta, quod prioris violatio non obliget niſi ad pœnitentiam peccati commiſſi, & iniuriæ Deo illatæ: poſterioris autem infractio ad damni illati homini repara-

tionem; quia Deo in bonis vtilibus nullum damnũ accidere poteſt, quod reparandum ſit. Aufertur quidem honor & cultus debitus, qui per pœnitentiæ ſatisfactionem ſatis reparatur. Vnde patet certiſſima illa regula transgreſſionem voti non obligare ad compenſationẽ reſpectu Dei; de qua vide Suar. *lib. 4 cit. c.* 14. & Sanch. *etiam lib. laudato, c.* 15. *n.* 25.

7 Reſtat tamen difficultas circa conditionis voto appoſitæ impletionẽ, an in ſpecifica forma impleri debeat, an verò ſufficiat æquiualẽter impleri, quod poſtremum pluribus relatis exiſtimat Sanch. *cit. ſæpius c.* 23. *n.* 27. quando per æquiualentiam ſequitur idem omninò effectus qui ſequutus fuiſſet ex conditione in ſpecifica forma impleta: quia tunc conditio non tam adiiciebatur diſpoſitioni, vt propriæ conditionis vice fungeretur, quàm vt eſſet via quædam, & diſpoſitio ad obtinendũ effectum actus, cui fuerat adiecta conditio: quare quoties alia ratione, illa eadem facilitas, & diſpoſitio ad eum effectum obtinebitur, completa ſufficienter cenſeri debebit ea conditio. Idcircò dicebamus nuper fideicõmiſſum legatum ſeruo, ſi ex teſtamento libertatem obtinuerit, & filiofamilias, ſi morte patris, ſui iuris euaſerit, validum eſſe, vndecumque ſeruus libertatem obtinuerit, & filiusfamilias ſui iuris fuerit effectus *l. ſeruus 3. C. de legatis*, quia libertas requirebatur tantùm in ſeruo ad valorem teſtamenti, & filiusfamilias debebat eſſe ſui iuris ne pater in bona filio relicta ius aliquod acquireret. Simili ratione qui vouit Religionem, ſi ſoror eius matrimonio collocata fuerit, ſi ipſa prius obierit, aut Religionẽ profeſſa fuerit, aut ab aliis eius fratrib. ſuſcepta, & eius ſubſidio nihil egeat, tenetur ſuo voto; quia nõ alia de cauſa differebat ſuſcipere Religionem, quàm quia nolebat ſororem deſtitutã præſidio relinquere. Si vouit etiam Religionem ſi pater obierit, cui propter inopiã neceſſarius erat, ſi pater in pinguiorem fortunã venerit, obligabitur ſuo voto. Si vouit eleemoſinam ſi lucrum ex certa quadam negotiatione fecerit, & illud lucrum aliunde compararit, reus erit eleemoſinæ promiſſæ; quia in his omnibus, & ſimilibus, finis ad quem obtinendum poſita fuerat conditio, iam aliunde habitus eſt: vouerat enim aliquis Religionem niſi pater aut ſoror preſſi egeſtate impedimento eſſent, & eleemoſinam erogare, ſi ſatis bonorum haberet, cùm igitur illa impedimenta ſublata fuerint, conditio quoque illa impleta fuit æquiualenter.

Veriùs tamen eſt in votis conditionem in forma ſpecifica complendam eſſe, quod docet Ferdinand. à Caſtro *cit. c.* 17. *n.* 5. quia ſi quando neceſſe non ſit conditiones, quæ ſunt diſpoſitiones & media ad obtinendum effectum intentum, impleri in forma ſpecifica, quoties alia viâ potuit haberi effectus, vti conceſſimus aliàs, & fuſiùs probat Menoch. *de præſumpt. lib. 4. præſumpt.* 185. *à n.* 6. id tamen oritur tãtùm ex diſpoſitione iuris in contractibus, & teſtamentis, nihilque eiuſmodi ſtatutum reperitur in votis, neque ſtatui poteſt; quia votorum obligatio, & valor non pendet ex humana lege, ſicut contractuum, & teſtamentorum. Et ſanè in exemplis nuper allatis, qui vouebat religionem, aut eleemoſinã, conditio appoſita non eſt de fine per illam obtinendo, ſed de medio ad talem finẽ obtinendũ: quare licèt alio quopiam medio finis ille obtineatur, nõ tamẽ impletur conditio, quæ erat de tali medio.

8 Impleta demùm conditione votum ſtatim abſque nouo conſenſu obligat. Ita De Lugo *de iuſtit. diſp.* 22. *n.* 384. quia votum cùm ſit promiſſio facta Deo, ſolo conſenſu perficitur. Diximus autem quæſtione proximè ſuperiori, eiuſmodi contractus, quando conditionate fiunt, ſtatim adueniente conditione perfici, neque opus eſſe nouo vllo cõſenſu, modò prior non fuerit validè reuocatus, vti reuerà reuocari nequit: ideóque cõſenſus prior adhuc virtualiter, ſiue moraliter perſeuerat: quæ omnia loc. cit. demonſtrata ſunt & confirmantur in voto; qui enim vouet v.g. caſtitatem ſub aliqua conditione, non ſe obligat duntaxat ad vouendum caſtitatem poſita illa conditione, ſed ad ſeruandam caſtitatem adueniente conditione: eius proinde voti materia immediata, eſt caſtitas, non votum caſtitatis: quare licet ante cõditionis aduentũ reuocaret conſenſũ, & illa poſita nollet vouere caſtitatem, non peccaret tantum contra votum vouendi caſtitatem, ſed contra votũ ipſius caſtitatis; quare fornicatio poſt aduentũ conditionis commiſſa, haberet reuerà malitiam contra votum caſtitatis explicandam in confeſſione, quod malè negare coguntur aduerſarij. Et ſanè magnũ diſcrimen eſt inter eum qui vouit caſtitatem etiam ſub conditione, & illũ qui vouit ingredi Religionem, in eaque profiteri; nã iſte ſi nõ ingrediatur, & nõ profiteatur, peccabit contra votum ingrediendi, & profitendi; ſi tamẽ interea fornicetur, non peccabit contra votum caſtitatis, niſi ſimul illud cũ voto Religionis emiſerit: quia nondum habet votũ caſtitatis, ſed votum vouendi caſtitatem incluſam in voto faciendi profeſſionẽ. At verò qui vouit caſtitatem, vel abſolutè, vel conditionate, peccat contra caſtitatem, ſi poſita conditione fornicetur; quia reuerà obligauit ſe ad caſtitatem, quæ obligatio ſuſpenſa erat vſque ad aduentum conditionis, ea verò poſita ſit eo ipſo abſoluta, vti oſtendimus.

CONSECTARIVM V.

De religioſa profeſſione conditionata.

QVæſtio eſt an profeſſio religioſa poſſit fieri conditionatè, ita vt poſita conditione ſtatim abſque vllo alio nouo conſenſu fiat abſoluta, & valida reddatur. Ratio eſt, quia non videmus vllum in Eccleſia vſum eiuſmodi profeſſionis conditionatæ, vti obſeruat Suar. *de ſtatu Religioſ. lib.* 6. *c.* 12. *n.* 19. quamuis matrimonium ita nonnunquam contrahatur, & alij contractus. Deinde quoad difficultatem propoſitam attinet; cùm profeſſio contineat traditionem, quam ſuipſius facit Religioni profitens, videtur non eſſe conſenſus in traditionem præſentem, ſed in traditionem futuram poſita conditione, à qua videlicet dependet, ac proinde non eſt conſenſus ad profeſſionẽ ſufficiens, poteritque ante aduentũ cõditionis validè reuocari: quare eiuſmodi conditionata profeſſio, non eſt vera profeſſio, ſed votum ſimplex emittendæ profeſſionis impleta conditione. Ita Suar. *loc. cit. n.* 18. Gutier *lib. 3. qq. Canonic. de matrim c.* 13. *n.* 24. Ferdinand. à Caſtro *de relig. diſp.* 2. *punct.* 2. *n.* 5. quæ omnia confirmantur exemplo matrimonij, quod ſub conditione cõtractum indiget nouo conſenſu, vt obliget, vt reddatur abſolutum. Verùm nos ex eodem exemplo contrarium euincimus: pluribus enim *conſect.* 2. oſtendimus rem aliter in matrimonio ſe habere, & adueniente conditione ſtatim perfici matrimonium abſque conſenſu nouo; quare idem omninò de profeſſione conditionata dicendum eſt cum Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num.* 68. cùm nulla planè poſſit afferri differentia, & vtrobique ſit traditio, neque contractus ſolo conſenſu perficiatur,

ſunt

ſuntque perpetui DD. in illa comparatione matrimonij, & profeſſionis Religioſæ, quam etiam matrimonimm ſpirituale nominant : quænam verò conditiones poſſint apponi profeſſioni Religioſæ; colliges ex hactenus dictis.

QVÆSTIO XII.

Aliquæ Leges illuſtrantur, & emendantur.

L.4. §.vlt.D. de condition.inſtit. 1.
L. ſi cui 31. §. vlt. D. ad SC. Trebell. 2.
De conditionibus alternatis. 3.

1 DIximus nuper *q.8.n.5.* vbi legatum aut hæreditas relicta eſt ſub conditione negatiua perpetua non faciendi aliquid, v. g. ſeruum non alienandi, non aſcendendi Capitolium, legatum capi & hæreditatem adiri poſſe præſtita cautione Mutiana, idque ex certo iure, & omnium interpretum ſenſu confirmauimus, quod tamen in contractibus verum non eſt, ſed ſolùm in vltimis voluntatibus, cuius diſcriminis rationem eodem loco reddidimus. Ex hac certa conſtantique doctrina naſcitur difficultas circa intelligentiā *l.4. §. vlt. D. de conditionib. inſtit.* vbi Vlp. refert ex Iuliano; *Eum qui ita hæres inſtitutus eſt, ſi ſeruum hereditarium non alienauerit, cauentem cohæredi implere conditionem, ac ſi ſolus hæres ſcriptus ſit ſub impoſſibili conditione inſtitutum videri.* Quod reſponſum Iuliani probat Vlpianus, ſibi tamen difficile ſemper viſum fuiſſe fatetur Cuiac. *lib.5. obſeruat. c.2.* Et ſanè diu multos interpretes exercuit; cur enim cùm vnus tantùm ſcriptus fuerit hæres ſub aliqua eiuſmodi conditione negatiua, ſi legitimis hæredibus ab inteſtato venientibus præſtet cautionē Mutianam, non æquè cenſebitur implere conditionem, atque ſi eandem cautionē cohæredi aut aliis præſtaret, quandoquidē eiuſmodi cautio pro conditionis impedimento debet haberi ex certo iure. Cur præterea dicitur à Iuliano hæres ille ſub conditione impoſſibili inſtitutus fuiſſe: impoſſibilis ſiquidem cōditio non eſt, quæ impleri poteſt ſaltem æquiualenter; impleri verò iſta poteſt per cautionem, vti reipſa contingit quando hæres cauet cohæredi, quod fatetur ipſe Iulianus.

Reſp. primò huic cautioni locum non eſſe in noſtro caſu in quo viuo hærede impleri poterit conditio ſerui morte ex *l. cùm tale 72. §. Titius. l. hoc genus 106. D. de condition. & demonſt.* Verùm id etiā dici poterit in altero caſu de cohærede, in quo locū non eſſe cautioni Mutianæ fatetur Iulianus; illa enim inutilis erit, quandoquidem conditio præſcripta ſerui nō alienandi impleri poterit; immò inutilem fore dicetur cautionem hanc Mutianam in vniuerſum quoties conditiones alterius, quàm eius cui præſcriptæ ſunt morte impleri poterunt.

Reſp. ſecundò non eſſe locum cautioni in hoc caſu, cùm nullus ſit, cui caueatur; id tamen ex eo refellitur, cùm legitimis hæredibus ad quos deficiente conditione hæreditas iure ciuili pertineret, caueri verè poſſit, potiori etiam iure quàm cohæredi ad quem deficiente conditione pars duntaxat hæreditatis pertinebit, quæ tota in ſimili caſu ad legitimos hæredes pertineret. Neque appoſitè affertur caſus *leg. Muciana 7. §. vlt.* vbi maritus hæres ex aſſe ſcriptus ea conditione, ſi dotem nec petierit nec exegerit, dicitur ſcriptus ſub conditione impoſſibili, quia nemo eſt cui caueat:

nam ibidem ratio affertur, quod ipſo iure videatur impleta conditio, cùm nemo ſit quem maritus de dote conuenire poſſit adeundo hæreditatem, cuius rationis vis ita explicanda eſt: cùm cautio Mutiana introducta ſit, vt is qui adiis hæreditatem, aut legatum accepit, illam reſtituat, ſi poſtquam acceperit, cōditio defecerit, vti aliàs explicuimus ex *leg. is cui 10. leg. cùm ſub hac 67. D. de condition. & demonſtrat.* poſt aditam verò hæreditatem à marito ex aſſe ſcripto, conditio illa ſi dotem neque petierit, neque exegerit, deficere non poſſit; cùm eo tempore nullus futurus ſit, à quo dos peti aut exigi poſſit, ſapienter dicitur ipſo iure impleta eſſe illa conditio quæ deficere non poteſt amplius: quod idem non contingit in caſu, quem expendimus: nam licèt quis ex aſſe ſit ſcriptus ſub ea conditione, ſi ſeruum hæreditarium non manumiſerit, aut alienarit, aditione hæreditatis non impletur conditio, neque fit vt ſeruus alienari non poſſit; quinimò non poteſt niſi adita hæreditate alienari. Cur igitur legitimis hæredibus non cauebitur, quorum maximè intereſt, & cohæredi, cuius longe minùs intereſt, caueatur.

Reſpondent tertiò conditionem illam de non alienando facile reſpui, cùm adiiciatur in fauorem ſerui, ne alterius quàm hæredis, aut qui hæredis hæres ſit, ſeruitutem experiatur. At verò quærendum reſtabit cur ea conditio fauore cohæredis non reiiciatur, & illi præſtanda ſit cautio vt conditio impleatur.

Reſpondent itaque quartò cum Antonio Fabro *lib.2. coniect. cap.16. num.4.* hæredem ex aſſe ſcriptum cum ea conditione *ſi ſeruum hæreditarium non alienarit*, ſapienter à Iuliano dici inſtitutum ſub conditione impoſſibili, quia cùm conditionem implere debeat ante aditam hæreditatem, vti fert ipſa conditionis natura, nam fruſtra inſtitutioni adiiceretur, ſi ea non impleta poſſet adiri ex inſtitutione hæreditas, hanc tamen conditionem implere nequit, niſi adita hæreditate; nondum enim ille ſeruus eſt in poteſtate hæredis, vt ab eo alienetur, aut non alienetur. Eſt igitur ea conditio impoſſibilis, quæ impleri nequit, quando impleri debet ad effectum diſpoſitionis cui addiicitur. Et ſanè magnum diſcrimen eſt inter conditiones quæ in faciendo, & eas quæ in non faciendo conſiſtunt. Priores enim illæ ante aditam hæreditatem impleri poſſunt, & ſæpius impleri debent, non verò quæ in non faciendo poſitæ ſunt. Alioquin nihil opus fuiſſet introducere cautionem Mutianam. Iure igitur eas omnes non faciendi conditiones impoſſibiles dicimus, quæ neque Mutianæ cautionis remedio, neque alterius quàm eius, cui impoſitæ ſunt morte impleri poſſunt. Cùm ergo in noſtro caſu teſtator voluerit hæredem, priùs hæredem non eſſe, quàm conditionem impleuerit, & conditio prius impleri nequeat quàm hæreditas adita ſit, pugnantia voluit, & impoſſibilia, & conditio tanquam impoſſibilis reiicienda eſt, & adeunda hæreditas, quod non contingit quando hæres inſtitutus cohæredem habet; nam & adiri poteſt hæreditas, & per cautionem Mucianam qua caueatur cohæredi conditionem impleri.

Secundò quia inter conditiones aliquæ ſunt impoſſibiles, aliæ difficiles, aliæ turpes: quarum priores habentur pro non adiectis in vltimis voluntatibus, aliæ verò remittuntur, & pro non implendis habentur à Prætore, vel ſuo edicto, vel ex decreto. Inde nata fuit celebris quæſtio; quando hæres ſub

conditione inſtitutus & hæreditatem alij reſtituere rogatus,nõ vult conditionem implere,neque proinde hæreditatem, quam ſibi ſuſpectam eſſe dicit, adire ,. qua ratione fideicommiſſario hæreditatem poſtulanti ſuccurri poſſit. Hanc difficultatem tractant Marcian. *in l.cui 3.§.vlt.D.ad SC.Trebellian.* & Caius *in l. facta 63.§. ſi ſub conditione.D.eodem.* Diſtinguendum eſt inter conditiones in dando,& in faciendo. Et quidem ſi ea conditio in dando cõſiſtat,poterit fideicõmiſſarius offerre hæredi, quod dari iuſſerat teſtator, atque ita hæres nullo ſuo dãno,& incommodo,ſed ipſius fideicommiſſarij conditionem implere poterit,& tenebitur. Neque ſanè æquum foret hæredem alieni lucri, & compendij causâ damnum aliquod pati.Ita habetur *l.ſciendum 7.l.ſi cui 31.§. vlt.& l.facta 63.§.ſi danda. D.ad SC.Trebell.* Dixi verò offerri poſſe a fideicommiſſario quod dandum eſt ab hærede ad implendam conditionem;non autem ab ipſo fideicommiſſario impleri poſſe conditionẽ: v.g.ſi hæres ſcriptus ſit, ſi Titio decem dederit,non licebit fideicommiſſario implere conditionem, ſed debebit primùm offerre hæredi illa decẽ, vt ipſe ea deinde Titio det, atque ita conditioni, & teſtatoris voluntati ſatisfaciat:quia implendæ ſunt conditiones eo modo,quo voluit,& iuſſit teſtator,atque vt loquuntur,in forma ſpecifica: quare hæredis & fideicommiſſarij perſonæ non ita confundi poſſunt,vt quod ab hærede, vel hæredi dandum eſt, id a fideicommiſſario,vel ipſi detur,*l.qui heredi 44.in princ.*& *§.1.D. de condition.& demonſtrat.*

Cnnditiones quæ in faciendo conſiſtunt ab ipſo hærede, cui ſunt impoſitæ,impleri oportet, & non à fideicommiſſario,qui proinde non poterit facere conditionis implendæ cauſa,quod ipſum hæredem teſtator facere voluit. Tum quia ſic conditiones non implerentur in forma ſpecifica,vti iam monui, tum quia eiuſmodi conditiones quidpiam faciendi magis afficiunt perſonam, cui præſcriptæ ſunt, quam quæ in dando conſiſtunt.

a Obiicies Marcianum *in l.ſi cui 31.§.vlt.D.ad SC. Trebellian.* tradere contrarium his verbis:*Recuſante herede factum implere licentia datur fideicommiſſario ſecundum imitationem dationis factum implere, & tum neceſſitas imponitur adire hereditatem.*

Reſp.cum Ant.Fabro *lib.6.Coniect.c.11.n.5.* Tribonianiſmum hîc eſſe, & verba Iuriſconſulto ineptè aſſuta,quia & verba ipſa inelegantia Tribonianum produnt, & nullo alio iuris loco reperimus ſcriptum,conditionem hæredi adſcriptam per fideicommiſſarium impleri poſſe,ſiue in dando, ſiue in faciẽdo conſiſtat,ſed è contrario per ipſummet hæredem implendam eſſe,quod tradit Cãius *in l.ſi facta 63.§.ſi danda.D.ad SC.Trebellian.* quare falsò dixit Tribanian. in ſuo aſſumento,*ſecundùm imitationem dationis:* nã illa datio,ſiue conditio in dando debet fieri ab ipſo hærede, quamuis fideicommiſſarius offerre illi poſſit quod dandum eſt. Denique ipſemet Marcian. ſibi ipſi contradiceret in illo §. ait ſiquidem; *Si facti conditio eſt, debet parere, & adire,& reſtituere:* quod ſanè aliud nõ eſt quam hæredem teneri implere factum illud, & conditionem: malè igitur addit Tribonian. poſſe recuſante hærede fideicommiſſarium factum implere.

Hinc verò oritur difficultas initio propoſita,quomodo ſuccurrere liceat fideicommiſſario, quando hæres ſcriptus ſub conditione facti alicuius, recuſat eã implere,ac proinde adire hæreditatẽ,& reſtituere,quandoquidẽ diximus non poſſe fideicõmiſſarium hæredi factum offerre,ſicut pecuniam; durũque videatur cogere hæredẽ ad faciendum quidpiam, vt ex ſuo facto ficei commiſſarius lucrum faciat;& hæreditatem obtineat. Et quæſtio quidẽ eſſe non poteſt de conditione impoſſibili, illa enim in teſtamentis, & vltimis voluntatibus habetur pro non adiecta,vti diximus aliàs. Si verò conditio facilis ſit,quæ nullo impendio,aut incommodo poſſit ab hærede impleri, ex praua duntaxat peruerſi animi voluntate ipſam implere recuſat, & fideicõmiſſariũ hæreditate priuat; quare cùm malitiæ indulgendũ minimè ſit, cogendus erit a Prætore,qui de fideicommiſſo cognoſcet, cõditionem implere, & facere quod iuſſus eſt à teſtatore,& ex quo ipſe nullũ damnum,aut incommodum ſentiet,magnum vero lucrum faciet fideicommiſſarius,*l.ſi cui 31.§. vlt.*& *l. facta 63.§ ſi ſub conditione. D. ad SC.Trebell.* Tota itaque difficultas reuoluitur ad conditionem difficilẽ aut turpem,quã ob ſuam difficultatẽ, aut turpitudinem facere recuſat hæres; & iniquum foret illũ eo caſu ad eiuſmodi conditionẽ implendam cogere, vti fatetur Caius *d.§.ſi ſub conditione.*

Reſp.aliqui cogi poſſe hæredem a Prætore,vt reiecta conditione, perinde atque ſi adiecta nõ fuiſſet,hæreditatem adeat,& deinde fideicommiſſario reſtituat. Verùm Prætor plus tribueret fideicõmiſſario,quam ipſe teſtator tribui voluerit:nã non niſi poſita, & expleta conditione ſcriptum hæredẽ vocauit ad hæreditatem, & per ipſum teſtitui voluit hæreditatẽ fideicõmiſſario, vt ratiocinatur eo loco Caius qui efficax,illudque vnicum medium ſuppeditat his verbis; *remitti eam*(conditionem difficilẽ, aut turpem)*ab initio viſum eſt*, hoc eſt pertinere ad Prætoris fideicommiſſarij iuriſditionẽ,& officium, vt eas conditiones,quarum implectionem,aut omninò difficilem, aut turpem futuram hæredi videt, ſtatim ab initio remittat, hoc eſt priuſquam hæres adimplere recuſet:nã ſi primùm hæres iuberetur implere,& deinde recuſaret,neceſſe eſſet Prætorem, vel inuitum hæredem ad aliquid turpe inuitum cogere, vel conditionem,quam implendam eſſe iudicarat, deinde quaſi errore deluſum remittere;quod vtrumque abſurdum foret, & à Prætoris æquitate, & authoritate alienũ. Non itaque remittuntur hæ conditiones,poſtquã eas hæres implere recuſauit, ſed priùs & *ab initio*, ſiue ſtatim atque fideicommiſſarius id poſtulat, iubeturque hæres à Prætore adire hæreditatem, quaſi nulla fuiſſet adiecta conditio, neque tribuitur aliquid fideicommiſſario contra teſtatoris voluntatẽ, quia remittitur conditio & perinde habetur, atque ſi adiecta non eſſet,& hæres cogitur purè adire hæreditatem,eodem modo, quo ſi purè fuiſſet adſcriptus, & ſine vlla conditione. Ex quibus colligit Anton. Faber *c.11.cit.n.3.* retinendam eſſe vulgarẽ Caij lectionem *in d.§.ſi ſub conditione*, vbi aliqui emendabant, legebantque *abſurdum viſum eſt*; pro lectione communi *ab initio viſum eſt*. Colligit ſecundò Caium eaudẽ conſtituere rationẽ conditionis difficilis,& turpis. Colligit tertiò malè Interpretũ vulgus conditionẽ turpẽ ab impoſſibili nõ diſtinguere,cùm diſparis omninò rationis ſint,quia impoſſibilis habetur pro nõ ſcripta,& idcircò remitti nequit;turpis verò nõ habetur pro nõ ſcripta,ſed pro implenda,ideóque eã remitti à Prætore neceſſe eſt: *l.conditiones 9.l.conditiones 14. D.de condit.inſtitut.* Colligit quartò quaſdã eſſe conditiones quæ edicto Prætoris, alias quæ ipſius decreto remittuntur, quod indicat Caius *l.facta 63 §.ſi danda D.ad SC. Trebellian. Quod ſi conditio*, inquit, *adſcripta ea eſt quam Prætor remittit, ſufficere edictum Iulianus ait:*

hoc

Digitized by Google

hoc eſt in conditionibus quæ ipſo edicto remittuntur, ſufficit edictum, neque neceſſarium erit decretum fideicommiſſarij Prætoris, quod neceſſariū erit ſi difficilis, aut turpis conditio hæredi adſcripta ſit, quæ ipſomet edicto nō remittatur; aliqua ſiquidem edicto remitti conſtat ex conditione iuriſiurandi, *l. quæ ſub conditione 8. D. de conditionib. inſtit.* Colligit denique in omnibus caſibus, in quibus conditio non a iure ciuili, ſed Prætoris tantùm vel edicto vel decreto remittitur, adiri non poſſe iure ciuili hæreditatem, ſed iubendum, & cogendum eſſe hæredem, vt conſtituat prætoriis actionibus vti, aut petat bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, vt ita nactus actiones tum reſtituta hæreditate transferat eas ex Senatuſconſulto.

3 Tertiò quia diximus implendam eſſe totam conditionem, & non illius partem duntaxat, niſi altera Prætoris edicto remittatur, idcircò diligenter videndum eſt, an conditio diſpoſitioni alicui appoſita, vnica ſit, licèt duas, aut plures partes complectatur, an reipſa multiplex exiſtat conditio: ſi tamen quælibet non ſit coniunctim adſcripta, ſed diſiunctim, vel, vt loquuntur alternatiuè ſufficiet aliquam ex ipſis implere, immò ſufficiet quod aliqua ex illis edicto Prætoris remittatur; quia quæ remittitur, habetur, vti nuper monuimus, pro non implenda, neque cui adſcripta erat, & remiſſa fuit, cogitur alteram alternatiue adſcriptam implere magis, quàm ſi illam quæ remiſſa fuit, impleſſet: quo caſu certum eſt illum non teneri alteram diſiunctiuè poſitam implere, alioquin remiſſio illius conditionis non faueret illi cui remiſſa eſt, ſed potiùs noceret: quia cogeretur inuitus alteram conditionem non remiſſam implere, ad quod non tenebatur ante remiſſionem illam: erat ſiquidem illi liberum quam libuiſſet ex conditionibus diſiunctim, & alternatiuè adſcriptis implere, neque ad vnam certam ex illis determinabatur, ex *Paulo in l. ſi plures 5. D. de condition. inſtit.* vti nunc poſt factam ſibi remiſſionem determinaretur ex illa ſuppoſitione, quod eſt planè contra mentem Prætoris conditionem alteram remittentis, quare ſi ita fueris hæres inſtitutus; *Si Titio decem dederis, aut ſi iuraueris te Maniam coniugem occiſurum*, atque hanc poſtremam conditionē, vtpote turpem, tibi Prætor ab initio totam remiſerit, hoc eſt & quod ad iuſiurandum, & quod ad factū de quo iurare iuſſus eras, hæres eris, licèt Titio nihil dederis, quia non ſub illa tantùm conditione dandi decē Titio fueris ſcriptus, ſed ſub alia quoque diſiunctiuè, quæ cùm tibi fuerit à Prætore remiſſa, pro impleta habetur, aut ſaltem pro non implenda, idque omninò voluit Vlp. *l. quæ ſub conditione 8. §. ſi quis ſub iuriſiurandi. D. de cōdit. inſtit.*

Ex hac conſtanti Doctrina naſcitur difficultas circa verba *l. hac ſcriptura 26. D. de condition. & demonſtrat.* Sic enim habet: *Hac ſcriptura ſi viginti dederit, aut iurauerit ſe aliud facturum, vnam conditionem exprimis habentem duas partes:* quod falſum omninò eſt, iis enim verbis duplex conditio continetur alternatiuè poſita, quod pridem obſeruauit Cuiac. *lib. 5. obſeruat. c. 5.* Itaque ſic emendandum exiſtimat. *Si iurauerit ſe viginti daturum, aut aliquid facturū.* verùm optimè obiicit Anton. Faber *lib. 17. coniectur. c. 5. n. 2.* illa quoque Cuiacij lectio duas conditiones alternatiuè continet, & æquiualet iſti. *Si iurauerit viginti daturum, aut ſi iurauerit ſe aliquid facturum;* in qua nullus negabit duas diſiunctim includi conditiones: quare Faber ſic legēdum eſſe contendit; *Si iurauerit ſe aliquid facturū;* quod deinde ſequentibus verbis explicat Iulian. *Si iurauerit ſe decem daturum, aut monumentum factūrum.* Quibus verbis non affert vnum exemplum ſui dicti Iulianus, vti falsò exiſtimauit Cuiac. ſed duo, primum ſi iurauerit ſe decem daturum, alterum ſi iurauerit ſe monumentum facturum, atque in vtraque iſta ſcriptura non contineri duas conditiones ſtatim apparet, ſed vnam duntaxat, quæ tamē conſtet partibus, quæ ita reſolui poteſt, *ſi iurauerit, ſi monumentum fecerit:* qui enim iurat ſe monumentum facturum, ſe obligat ad faciendum monumentum, & deinde ſuam illam obligationē iuramento confirmat, & conditio illa ſi iurauerit ſe monumētum facturum, iubet & monumentum facere, & ad illud ſe iuramento obligare. Vnde Vlpian. *l. quæ ſub conditione 8. §. quoties, D. de condit. inſtit.* vbi ſic ſcribit: *Quoties iurare hæres iubetur daturum ſe aliquid, vel facturum, quod non improbum ſit, actiones hæreditarias non alias habebit, quàm ſi dederit, vel fecerit id quod erat iuſſus iurare;* nempe quia quod iuſſus erat iurare ſe daturum, vel facturum, multò magis iuſſus erat dare, vel facere. Similia alia adiicit Faber *cap. 5. citato.*

ARTICVLVS III.

De pactis, & contractibus ſub modo.

Modus quid. 1.
Eius effectus, & ad quid obliget. 2.
Quando poſſit apponi donationi. 3.

Modus eſt lex, vel grauamen, onus, aut modetamen appoſitum diſpoſitioni, quam proinde temperat, moderatur, & modificat, non tamen ſuſpendit, in eoque differt à conditione, quæ vti ſuprà diximus Articulo proximo, diſpoſitionē, eiuſque effectum ſuſpendit in futurum, non autem modus; quod diſcrimen colliges *ex l. 1. & 2. C. de donationib. quæ ſub modo;* traditque gloſſa *in c. verum, verſ. conditione. De conditionib. appoſitis*, & cæteri deinceps. Exprimitur modus per particulam *vt*, & alias æquiualentes: v. g. *do vel lego centum Titio, vt ſeruū manumittat, templum ædificet, Corneliam vxorē ducat, monumentum extruat, fundum emat.* Aliquando tamen nomine conditionis ſignificatur, vt *do lego centum ea lege & conditione vt monumentum extruat*; & tunc ſuboritur dubium, an eiuſmodi diſpoſitio fiat ſub modo tantum, aut ſub vera conditione: in quo caſu diligenter attendenda ſunt verba diſpoſitionis, quæ ſi adhuc dubia maneant, exploranda erit ex aliis coniecturis diſponentis mēs: nam ſi id quod requirit diſponens, v. g. donans, aut teſtator fieri à donatorio, hærede, aut legatario, aut alio quopiam in cuius fauorem fit diſpoſitio, deberi tantùm præſtari poſt diſpoſitionem completam, non habet rationem conditionis, ſed modi, quia conditio debet ſuſpendere actionem, quod hic non fit: ſin autem quidpiam adiiciatur diſpoſitioni, vt dum fuerit præſtitum, tunc donatio, legatum, aut alia quæpiam diſpoſitio vim ſuam & effectum habere incipiat, conditio eſt, non modus: quare ante eam conditionem impletam res non fit donatarij, aut legatarij, quod ſecus contingeret ſi eſſet modus ad quem implendum fit donatio aut legatum. 1

Et quidem cogi poterit donatarius, aut legatarius ad ſubeundum onus ſibi à donante, aut teſtatore impoſitum, ſiue implendum modum donationi, vel legato adiectum, non tamen propter 2

eius non impletionem priuari re donata, vel legata, niſi ea fuerit mens donantis, aut teſtatoris, vt ſi donatarius, vel legatarius nō impleat onus ſibi adſcriptum, eo ipſo priuetur re donata, vel legata, aut illam nunquam ſibi acquiſiuiſſe cenſeatur, quo caſu modus ſubiret potiùs vicem conditionis, quam veri modi: in dubio autem potiùs fuiſſe conditionem, quàm modum præſumendum erit ex mente Molinæ *tract. 2. diſp. 208. n. 5.* ex quo rem totam ſic explico.

3 Quando modus appoſitus poſſibilis eſt & honeſtus, ſi fuit tantùm quædam cauſa motiua diſpoſitionis; voluit v. g. donans per illā allicere donatarium ad aliquid præſtandum, atque ad illi ſuppeditandum media, non illi tamen obligationem imponere; valida erit diſpoſitio, & donatio, etiam modo non ſubſequuto, neque donatarius tenebitur ad reſtitutionem, v. g. Caius legauit Corneliæ centum vt nuberet, hoc eſt, vt faciliùs ſibi ſponſum legere poſſet, illa autem non nupſit vel quia obiit, vel quia nubere noluit, facit tamen legatum ſuum, & ad hæredes tranſmittit: dat aliquis quidpiam beneficij, aut officij collatori, vt eius emereatur gratiam ad conſequendum beneficium, aut officium, aut mercatori vt ſibi mutuetur, aut fœminæ vt ad turpem actum alliciat, quamuis ſuis muneribus non obtineat quod quærebat, non poteſt illa repetere: immò etiamſi dicat ſe dediſſe ſub conditione, ſi tamen donatarius bona fide aliter exiſtimauit, non tenetur ad reſtitutionem ſi inde non factus fuerit locupletior: cùm neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniuſtæ acceptionis teneatur, neque mulier tenetur credere dicenti ſe ſolùm ſub conditione turpitudinis, & conſenſus illiciti munera miſiſſe: poteſt enim credere illum ſua ſpe fruſtratum mentiri: ita Molina *diſp. 208.* & colligitur ex *l. ſi repetendi 7. C. de conditione ob turpem cauſam.* Quando autem modus appoſitus inducit obligationem ad aliquod opus præſtandum, ita vt eo non poſito velit donans, aut legans ſuam donationem, aut legatum eſſe nullum, verè nulla eſt ea diſpoſitio modo non ſubſequuto, eſtque res donata, aut legata, reſtituenda, vti iam monuimus; immò ſi addat velle ſe iam ab initio donationem, & diſpoſitionem eſſe nullam, tali opere non præſtito, non tantùm res ipſa, ſed omnes fructus ex ea tempore intermedio percepti reſtituendi erunt, quod docet Molina *diſp. 208. num. 14.* Denique ſi ſolùm obliget ad modum & opus donatarium, vel legatarium, non ita tamen, vt eo non impleto reuocet ſuam diſpoſitionem, tunc eo opere non præſtito valida nihilominus erit diſpoſitio, neque quidquam à donatario, vel legatario reſtituendum erit. In vtroque tamen foro reus erit modi implendi, etiam ſub mortali, ſi res grauis ſit, maximè ſi vergat in tertij cuiuſpiam incommodum, atque etiam ſi in foro externo id exigatur, cauere tenebitur de modo implendo. Rem totam alij aliter explicant: nam quando modus fuit cauſa principalis motiua diſpoſitionis, eo modo non poſito, tota diſpoſitio nulla eſt; non ſubſiſtente enim cauſa eſſentiali, qualis eſt principalis motiua, tota diſpoſitio pereat neceſſe eſt, neque diſponens, v. g. donans voluit eam ſubſiſtere, niſi propter eam cauſam, aut modum, quem intendebat. Si verò modus ſit tantùm cauſa impulſiua & ſecundaria, quam quidem intendit, ſed non principaliter donans, valet diſpoſitio. Quod ſi diſponens non apertè ſuam mentem explicet, coniecturis agendum erit, vti iam monui, iudicio prudentum; in donatione tamen ad pias cauſas dum donans non expreſſit luculenter ſuum animum quoad obligationē, quam imponit implendi operis, non cenſetur reuocata, aut nulla eo non præſtito, & modo non impleto, *cap. verùm, de conditionibus appoſitis:* quod tamen cùm ſola præſumptione nitatur, valet tantùm in foro externo, non in conſcientia, ſi aliunde non conſtat de intentione donatoris, eſto eam non expreſſerit ſufficienter in donatione. Præterea ſi ſolus Prælatus abſque Capituli conſenſu modi impletionem impedierit, volueritque donator non impleto modo donationem nullam eſſe, valida nihilominus erit donatio: v. g. ſolus Prælatus alienat rem donatam cum onere non alienandi, non irritabitur donatio; quia Prælatus nocere poteſt Eccleſiæ in acquirendis, non tamen in acquiſitis, hoc eſt ſolùm Prælatus impedire poterit ne Eccleſia quidpiam acquirat, negando conſenſum acquiſitioni, non tamen faciet, vt Eccleſia iam acquiſita deperdat, vti habet Gloſſa *in cap. fin. 16. q. 6. & ibi* communiter ſcribentes. Hanc tamen doctrinā ſapienter limitat Molin. *tract. 2. diſp. 208. n. 23.* ad res quas ſolus Prælatus non poteſt ex ſtatutis Eccleſiæ, aut Religionis alienare, quia illarum adminiſtratio ſimul pertinet ad Capitulum, & Prælatum: nam ſi ex quodam peculiari iure Prælato ſoli competeret bonorum Religionis adminiſtratio, vti contingit in Societate IESV; Prælatuſque renuat modum impoſitum ſub obligatione reuocationis, aut irritationis donationis exequi, cenſebitur abſque dubio reuocata donatio, vel legatum, quod etiam aduertit Ferdinand. à Caſtro Palao *de iuſtitia commutatiua, diſp. 1. punct. 8. n. 10.* quoties etiam onus ſiue grauamen adiungitur diſpoſitioni per modum conditionis, & non veri modi, non poſita conditione nulla erit diſpoſitio etiam ad pias cauſas, neque habebit effectum donec conditio ponatur.

His omnibus addo modum ſiue grauamen apponi poſſe donationi prius factæ, ſi nondum fuerit acceptata, non verò poſt acceptationem ſiue conſenſu donatarij, ſiue promiſſarij, qui iam conſecutus eſt ius ad rem donatam, ſiue promiſſam ſine onere, quæ propterea illi debetur ſine onere, quod conſtat ex *l. quoties 3. C. de donationibus quæ ſub modo.* Ex qua etiam conſtitutione habetur, quādo onus eſt appoſitū in fauorē tertij, illum acquirere ius, vti donatarius, ſi illud onus præſtet, atque ad hæredes ſuos tranſmittere; quod tamen quandiu ab illo tertio nondum acceptatum eſt, reuocari à donatore poterit, quia ille tertius ius nullum acquiſiuit in tale onus, niſi aut tempus, illud implendi aduenerit, aut iam impleri cœperit, aut denique à tertio fuerit acceptatum: ita Couarru. *lib. 1. variar. cap. 14. num. 3.* & Leſſi. *lib. 2. c. 18. n. 66.* qui tamen aduertit hæredes donatoris non poſſe reuocare tale onus, ſed ſolum donatorem, quod etiam aduertit Couarru. *n. 17.* propter *l. quoties, citatam:* & quia ſolus ille qui liberè dedit, poteſt donationem reuocare; deinde ſi ille tertius in cuius fauorem appoſitus eſt modus, ſiue grauamen ſit Eccleſia, vel pia cauſa, non poteſt retrahi onus, vbi res cui fuit annexum acceptata erit à donatario, *l. vt inter 23. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* habetque Couarr. *n. 14.* Denique ſi iam inceperit onus impleri, dixi eſſe irreuocabile, quia tunc tertius ille in cuius fauorem poſitum fuerat, ſufficienter illud acceptaſſe cenſetur, cum iam partem rei ſibi ſic donatæ acceperit, & conſequenter ipſam donationem admiſerit. Alia vide apud Molinam & Ferdinand. locis allatis.

ARTICVLVS IV.

De pactis & contractibus in diem.

Quid ſit diſpoſitio in diem. 1.
Quando naſcatur obligatio. 2.
Dies certa quomodo capienda. 3.
Conſectaria inde. 4.
Quid quando dies eſt incerta. 5.

1 PActa & contractus, aliæue diſpoſitiones dicuntur in diem, quibus exequutioni mandandis dies aliquis, & tempus præfigitur; in illud ſiquidem tempus exequutio diſpoſitionis, donationis, promiſſionis, legati, contractus, & pacti differtur. Lego vel promitto Titio centum in diem Paſchatis, cùm Conſul fiet, cum vxorem ducet, hoc verò tempus aliquando certum eſt, vt Kalendæ Ianuariæ poſt annum, menſem, aliàs incertum, cùm naues ex India appulerint, cùm fiet Conſul, Epiſcopus Romam peruenerit: aliquando tempus, & dies certò futurus eſt, incertum tamen quando futurum ſit; eiuſmodi eſt legatio in diem mortis: nam certum eſt Titium moriturum, non verò conſtat quando moriturus ſit. Idcirco quæritur an diſpoſitio in diem mortis, ſit diſpoſitio in diem certam, aut in diem incertam: nam inter eiuſmodi diſpoſitiones in diem certam, & incertam maximum diſcrimen eſt, vt ſtatim dicemus, hanc enim diem incertam haberi vult Anton. Gomez *tom. 2. variar. cap. 11. num. 21.* ideóque non oriri obligationem, vel actionem ante diem mortis, contendit que eſſe communem DD. in *l. 1. §. dies. D. de condit. & demonſt.* & *in l. vnica, C. vt actio ab heredib. & contra hered. incip.* Paul. Bartholum, alioſque allegans; eſſe tamen eo caſu diſpoſitionem, vt legatum, vel donationem puram, & in diem certam, affirmat gloſſa *in l. vnic. C. vt actiones ab heredib. & contra heredes incipiant.* Molina *diſp. 205. n. 4.* Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 4. n. 1.* Ferdinand. à Caſtro *de iuſtitia diſp. 1. punct. 6. n. 3.* videturque aperta *l. heres meus 79. D. de condition. & demonſt.* vbi Papinian. ſic habet: *heres meus cùm morietur Titius centum ei dato: purum eſt legatum, quia non conditione, ſed mora ſuſpenditur; non poteſt enim conditio non exiſtere.* Si verò teſtator iubeat a ſe ſcriptum hæredem in die qua morietur dare centum Titio, legatum eſſe conditionale, & in diem incertam exiſtimat Molin. *n 6.* quia cùm incertum ſit quo die moriturus ſit, & proinde incertum an Titio illi ſuperuicturus ſit, fierique queat vt Titius legatarius prior decedat, quàm hæres, & tamen implicet hanc conditionem; ſi Petrus hæredi ſuperfuerit, tota conditio poteſt non exiſtere, ideóque incerta eſt, & dies qui eiuſmodi conditionem inuoluit, incertus quoque erit. Neque rectè obiicit Ferdinand. à Caſtro ad purum legatum ſufficere ſi dies eius executioni aſſignatus certò futurus ſit, tametſi quādo futurus ſit, incertum ſit; nam in noſtro caſu dies executioni legati deſtinatus non eſt certò futurus, eſt enim is quo Titius ſupernixerit hæredi grauato, eſt autem incertum an futurus ſit ille dies, & an Titius ſuperſtes futurus ſit hæredi, quod non contingit in priori caſu quo iubetur hæres dare centum Titio, cùm morietur ipſe Titius; quia dies executioni illius legati prædeſtinatus certò futurus eſt, nempe mors Titij, atque ita conciliatur §. 1. cum initio *l. heres meus 79. citat.* ait enim *illo §.* Papinian. *Heres meus cùm ipſe morietur centum Titio dato: legatum ſub conditione relictum eſt, quamuis enim heredem moriturum certum ſit, tamen incertum eſt an legatario viuo dies legati non cedat, & non eſt certum ad eum legatum peruenturum.*

2 Quando igitur diſpoſitio in diem certam fit, confeſtim ex illa naſcitur obligatio, quæ ad hæredes tum creditoris, tum debitoris tranſmittitur, ſuſpenditur tamen executio rei promiſſæ, ſiue donatæ, vel legatæ in diem illam certam, & tempus definitum, eamque ob cauſam creditori, ſiue legatario, vel donatario competit actio petendi debitum, etiam antequam dies aſſignatus aduenerit: quia verè debitum eſt. Quia tamen eius executio in diem certum ſuſpenſa, & dilata eſt, neque proinde ante tempus illud debita, exceptione repelli poteſt: ita paſſim omnes, ſuntque aperta iura, Vlpian. *in l. ſi poſt diem 3. init. D. quando dies legat. cedat.* & Paul. *l. ſi dies appoſita 21. D. eod. Dies quidem legati cedit, ſed ante diem peti non poteſt.* Idem Paul. *in l. Sempronius Attalus 26. initio, D. de vſufructu legat.* & fauet Iuſtinian. *in l. vnica, §. cùm igitur, C de caducis tollendis, l. cedere diem 213. D. de verbor. ſignificat. l. ſtipulatio iſta 38. §. incertam 16. D. de verbor. obligat. l. centeſimus 46. initio. D. eod.* Hæc tamen propoſito intelligenda eſt de rebus, quæ ex natura ſua tranſmiſſibiles ſunt ad hæredes; ſi enim promiſſio, donatio, vel legatum fiant de vſufructu, vſu, habitatione, alimentis, aliiſve ſimilibus, quæ ad hæredes non ſunt tranſmiſſibilia, quamuis promittantur, donentur, legentur in certam diem, vt Kalendas Maias, eiuſmodi donatio, vel legatum, non erit purum, ſed conditionale: quare neque ante diem ſignatam naſcetur obligatio, neque actio, neque tranſmittetur ad hæredes: atque mortuo promiſſario, donatario, legatario, ante diem definitam, euaneſcit promiſſio, donatio, vel legatum *l. 1. §. fin. D. quando dies vſusfructus legati cedat*: vbi Scæuola ait, *agentem ante diem vſusfructus nihil facere.* Rationem reddit Ferdinand. à Caſtro *punct. 6. citat. num. 4.* quia res intranſmiſſibiles adhærent perſonæ, & contingere poteſt, vt perſona pereat antequam dies poſita adueniat: quare ſi ante eam diem naſceretur obligatio, & actio ſæpius, inutilia foret. Præterquam quod illa obligatio, & actio cùm certam tantùm perſonam reſpiciat, ſupponit illam eſſe capacem illo die, pro quo contrahitur obligatio; incertum verò eſt an tunc futura ſit capax. Itaque tota diſpoſitio includit conditionem incertam, & quæ poteſt non exiſtere.

3 Quia verò licèt dies certa ſit, poteſt adhuc dubitari quomodo illa capienda ſit, has regulas vulgò tradunt. Primò quando dies quidem certus eſt, multi tamen eius ſimiles cogitari poſſunt, vt donabo ad Kalendas Maias, obligatio cadit in illas Kalendas proximè futuras *l. eum qui Kalendis. D. de verbor. obligat.* Secundò ſi dicat, *ad talem diem ſoluam*, poteſt cogere creditorem, vel donatarium, vt ſtatim recipiat, ſi ſtatim velit dare *l. quod in diē. D. de ſolutionib.* niſi dies fuiſſet præfixus in gratiam creditoris: *l. ſi relictum. D. de legatis 2.* Deinde ſi dicat *ad talem diem ſoluam*, non poteſt cogi ſoluere niſi die ſequenti, *§. omnis ſtipulatio. Inſt. de verbor. obligat.* ſecus ſi dixerit, *tali die ſoluam. l. liber homo qui 118. D. de verbor. obligat.* Quartò ſi promiſit aliquid ſingulis annis, aut menſibus, in

ſine tantùm illius temporis ſoluere cogetur, *leg. qui hoc anno 42. D. eod.* Quintò quando annua quaotitas eſt, aut penſio, initio anni dari debet *leg. 1. C quando dies legati, vel fideicommiſſi cedit*, & probat Gomez. *tom. 2. variar. cap. 11. n. 27.* & Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 1.* ex communi ſententia. Sextò qui promittit dare ante Kalendas Maias, ſatisfacit, ſi in ipſis Kalendis donet: quia intelligitur facta promiſſio dandi antequam Kalendæ finirentur, *l. qui ante Kalendas 13. D. de verbor. obligat.* Septimò qui promittit ſe centum aliquando daturum Titio, dare debet, cùm ab eo fuerit poſtulatum; quia cùm nullum fuerit deſignatum tempus ſolutioni, promiſſum videtur arbitrio Titij *l. rego 29. D. quando dies legat. cedit.* Octauò qui infra annum, aut menſem ſoluere ſpondet, non tenetur ante finem anni vel menſis vltimamque eius diem, *l. qui hoc anno 45. l. eum qui certarum 138. D. de verbor. obligat.* & *§. hoc anno. Inſt. de inutilib. ſtipulation.* quia in dubio, tempus præfinitum eſſe ſolutioni præſumitur in fauorem debitoris, non creditoris *l. ſtipulatio iſta 38. §. inter certam. D. de verbor. obligat.* niſi aliud ex verbis iudicetur: v. g. promitto centum Titio ab ipſo infra annum petenda, ſolui debebunt cùm primùm Titius illa petierit, quod docet Gomez. *tom. 2. variar. cap. 11. n. 27.* vel ex ipſa materia diſpoſitionis id colligatur, vt ſi facta fuerit promiſſio alicuius neceſſitatis infra illum annum futuræ occaſione, teneris aduenìente illa neceſſitate ſoluere, alioqoin ſuo fine promittens fruſtraretur.

Ex diſpoſitionibus in tempus certum factis ſequitur primò creditorem poſſe aduerſus debitorem ſtatim actionem intentare, quamuis debitor illum exceptione nondum decurſi temporis repellere poſſit, vti initio monuimus; quod ſi exceptionem non opponat: poterit ad ſoluendum iure condemnari; quia abſolutè debet, non poterit tamen condemnari, vt ſtatim ſoluat, ſed in tempus deſignatum, quando dies præfixa fuit ſolutioni in ipſo contractu, vel ex pacto ſtatim, & incontinenti, vt loquuntur, nulloque interuallo, tunc ſolui debet poſt cõtractum, quia temporis eiuſmodi deſignatio pars eſt obligationis, & contractus, ac proinde nequit à Iudice diuidi; nam contra mentem contrahentium ageret: quod ſi poſt contractum abſoluè ſoluendi obligationem, aliquo poſt tempore, nouũ cum creditore pactum ſancias, ne ante certum aliquod tempus ſoluere tenearis, poterit Iudex ductu prioris contractus obligatione te damnare, vt ſtatim ſoluas, niſi noui illius, & poſterioris pacti exceptionem opponas *9. appellantur. Inſt. de exceptionib.* Adueniente certa die præfixa ſolutioni, conſtitutus es in mora ſi non ſoluas, quia dies ille non eſt præſcriptus ad inducendam obligationem, ſed ad vrgendam exequutionem obligationis, & interpellandum debitorem pro creditore, *l. magnam 12. C. de committenda ſtipulatione*: de hoc genere moræ diximus *in opere de vſuris lib. 2. c. 6. art. 1. num. 10.* Vide etiam & Antonium Fabrum *lib. 6. coniecturar. cap. 7. num. 3.* à nobis loco citato adductum, qui *num. 5.* addit moram ex die nunquam poſteà purgari poſſe, neque aliter debitorem liberari, quàm ſi ea omnia præſtet, quæ poſt litem conteſtatam præſtanda eſſent: perpetuò enim verum eſt, intra diem obligationi adiectum, datum, aut factum non fuiſſe id quod, vt intra diem illum daretur, aut fieret, conuenerat: *l. Celſus ait 23. D. de recept. arbit.* quare nihil debitori proderit ſi poſt diem dare, vel facere velit, quod intra diem iam datum, vel factum eſſe oportuerat, ſiue ſtipulationi adiecta ſit aliqua pœna, vel nulla: quia alioquin fruſtra dies præſcriberetur obligationi, ſi poſt diem moram purgare liceret: neque benè excipiunt aliqui, niſi ex mora ius actoris deterius factum ſit, hoc eſt enim dicere ſtipulationem ex qua debetur id quod intereſt, non committi niſi ſtipulatoris cœperit intereſſe, quod licèt verum ſit, non pertinet tamen ad noſtram iſtã controuerſiam, qua quærimus an mora ex die contracta purgetur obligatione poſt diem, mora autem contrahi non poteſt ex ſtipulatione, ex qua agi nunquam potuerit *l. ſi pupillus 127. D. de verbor. obligat. l. nulla 88. D. de regul. iuris*, neque agi ex ſtipulatione *quanti res eſt*, priuſquam interſit: quare ſi concedam quod concedendum omninò eſt, moram contractam ex ſtipulatione *quanti res eſt*, non poſſe purgari poſtquam cæperit intereſſe ſtipulatoris, fateri oportet nunquam purgari poſſe, quia antequam interſit, contracta videri non poteſt.

Dices primò Scæuolam *l. ſi quis ita 135. §. Seia. D. de verbor. obligat.* manifeſtò concedere etiam die ſtipulationi adiecta moram purgari poſſe, ſi nõ multò poſt diem offeratur, nec ſtipulatoris quidquam propter moram interſit. *Reſp.* non agi apud Scæuolam de ſtipulatione pœnali, aut quanti res eſt, ſed de pacto incontinenti poſt ſtipulationem adiecto, vt intra Kalendas Apriles primas vniuerſam ſummam mandatori numeraret, & hortos acciperet: in qua ſpecie iure merito reſponſum eſt moram paucorum dierum non debere nocere, vt in *l. ſi in lege 24. §. colonus. D. locati*: cùm neque ſtipulatoris quidquam interſit, neque dies adiecta ſit ob eam cauſam, vt ſi intra eam diem promiſſioni non ſatisfieret, pœnam aliquam eo nomine promiſſor pateretur; ſed ideò tantùm vt ad eam diem ſatisfaceret. Satisfeciſſe porrò cenſetur, ſi non multo poſt tempore ſatisfecit, & nihil ſtipulatoris interfuerit. Neque idcircò videri poterit inutiliter dies adiecta fuiſſe, quandoquidem neque tempus litis conteſtatæ, neque longum aliud tempus expectandum erit, vt moræ purgatio impediatur, quod tamen expectari neceſſe foret ſi dies adiecta non fuiſſet. Dices ſecundò Caium *in l. etſi poſt tres 8. D. ſi quis caution. vt iudic. ſiſtendi cauſ. fact. non obtemp.* ſic ſcribere. *Etſi poſt tres, aut quinque, pluresve dies quàm iudicio ſe ſiſti reus promiſit, ſecum agendi poteſtatem fecerit, nec actoris ius ex mora deterius factum ſit, conſequens eſt dici defendi eum debere per exceptionem*: purgatur igitur mora ex die, vbi ſtipulatoris non intererit.

Reſp. cum Anton. Fabro in conuentionalibus ſtipulationibus commiſſam pœnam, poſtea reſolui non poſſe, aut euaneſcere; quia ſemper verum erit intrà tempus conſtitutum non fuiſſe factum quod fieri debuit, vti iam monuimus; in Prætoriis autem ſtipulationibus, cuiuſmodi eſt illa de qua agit eo loco Caius, idem non ſemper continget; illæ enim ex mente Prætoris interpretationem accipiunt; *l. in conuentionalibus 52. D. de verbor. obligat.* Cùm igitur in hoc caſu Prætor cùm hanc ſtipulationem interponi iubet, non id agat, vt promiſſorem puniat, aut damno afficiat, ſed vt ſtipulatorem ſeruet indemnem, damnumque vel nullum, vel exiguum omninò ſit in mora tam modici temporis, idcircò illa facilè purgatur, aut non contrahi cenſetur. Si verò ius actoris vel ex vnius diei mora deterius factum fuiſſet, putà

completa

completa vſucapione rei, quæ petebatur, vt *in l. deperditum* 21. *D. de petit. heredit. l. ſi poſt acceptum* 18. *D. de rei vindic.* nunquam purgaretur mora. De hoc eodem Caij reſponſo plurima diſputat idem Anton. Faber. *lib.* 6. *Coniecturar. cap.* 7. *à n.* 8. & tandem ait hanc ſtipulationem non tam in promiſſoris odium, aut ſtipulatoris vtilitatem, quàm propter iudicij neceſſitatem interponi: nam iudicium nullum dicitur, niſi poſt litem conteſtatam, nec rurſus conteſtatio fieri poteſt, quin aduerſarius in ius vocatus ſit, & illi ſe ſteterit: §. *omnium, Inſt. de pæn. temerè litigant.* ideóque *l.* 1. *D. de prætor. ſtipulat.* dicitur ſtipulationes *iudicio ſiſti* communes eſſe, hoc eſt non tantùm cautionales, ſed etiam iudiciales, quia interponuntur propter iudicium, vt ratum fiat: vnde fit, vt qui à reo pœnam ſtipulatus eſt, niſi ſteterit, non tam voluerit vt reus iudicio certa die ſe ſiſteret, quàm vt ſibi poteſtas fieret ea die experiendi, & agendi. Nihil verò intereſt an ea ipſa die, an poſt trium, pluriumve dierum moram, reus ſecum agendi poteſtatem faciat, modò actoris ius non fuerit ex mora deterius factum. Et ſanè ſi reus iudicio ſtitiſſet ad dictam diem, non aliud commodum, aut lucrum obtinuiſſet actor, quam quod citius egiſſet. Iudicio igitur duntaxat moram facit, qui ad diem non ſiſtit, fieri verò poteſt vt mora fiat iudicio, & tamen non lædatur ſtipulatoris ius, quod cùm accidit, æquum eſt actionem, quæ ex pœnali ſtipulatione commiſſa ſtricto iure naſcitur, elidi per exceptionem, ſi poſt modicum tempus quod arbitrio, & religioni iudicis æſtimandum relinquitur, promiſſioni ſuæ reus ſatisfaciat.

Hinc Molinæus *ad conſuet. Pariſ.* §. 44. *n.* 1. 2. 3. docet quamuis de iure regulariter tempus currat de momento ad momentum, tamen de conſuetudine communiter obſeruari, vt dies à quo præfigitur terminus, non computetur in termino, ſiue terminus conceſſus ſit a lege municipali, ſiue à Conſtitutione Regia, vt in tribus menſibus datis condemnato ad releuandam appellationem in Senatu; nam in tribus illis menſibus, dies interiectæ appellationis non computatur in termino. Idem affirmat de termino conceſſo ab homine, putà à Iudice, nempe diem commiſſi termini non computari. Molinæo præiuerat Guido Pap. *q.* 270. Vide & Tiraquell. fuſiùs diſputantem de hac regula, diem termini non computari in termino, §. 1. *gloſſa* 11. *de retractu, à n.* 17. *ad fin.* Fauet. *l. vicena millia* 1. *D. ſi quis cautión. iudicio ſiſtendi cauſ. fact. non obtemp.* An verò ex hac mora per lapſum diei contracta, debitor condemnari debeat quanti pluriiui res fuit a die moræ, commodiùs inquiremus inferiùs, vbi de ſolutionibus.

Tertiò qui debet ad diem certum, poteſt ante diem ſoluere, etiam inuito creditore; quia & ſolui debitum, & dilatio ſolutionis præſumitur in fauorem debitoris appoſita fuiſſe: ſecus verò ſi dilatio fuiſſet conceſſa in gratiam creditoris, idque certò conſtet; tunc enim inuito creditori ſolui non poterit *l. cùm qui* 15. *D. de annuis legatis, l. filiusfamilias* 114. §. *Diui.* 1. *D. de legatis.* 1. *l. ſi ita relictum* 43. §. *Pegaſus, D. de legat.* 2. *l. uxorem* 41. §. *Seium maritum, D. de legat.* 3. *l. qui Romæ* 122. *in princ. D. de verbor. obligat.* ibique paſſim DD. atque ex ipſis Anton. Gomez. *tom.* 2. *variar. c.* 11. *n.* 23. vbi obſeruat quoties debitum conſiſtit in ſpeciebus, fructus medij temporis deberi creditori ex *l. in fideicommiſſ.* §. *cùm Polidius. D. de vſuris.* vbi teſtator grauat hæredem de reſtituenda hæreditate, vel alia re alicui in tempus certæ ætatis, tenetur hæres reſtituere omnes fructus medij temporis. Fauet. *l. ſi ita relictum* 43. §. *Pegaſus. D. de legat.* 2.

Si tamen debitor in diem certum, ſoluat ante diem errore iuris, vel facti, non poterit repetere ex *l. fideiuſſor quamuis* 51. *D. mandati*, & *l. in diem* 10. *D. de condictione indebiti*: quia ſoluit verè debitum, licèt peti nondum poſſet, & illud reuerà iam debetur, & ita debetur vt certum ſit fore, vt die adueniente peti poſſit, quia certum eſt diem venturam eſſe, ideóque differt à cæteris, quæ ita debentur ipſo iure, vt peti nunquam poſſint. Ex quibus ſequitur vt ſi quid interim ſoluatur, non poſſit repeti, quia ante diem ſolui poteſt, licèt peti non poſſit; *l. continuus* 137. §. *cùm iſta. D. de verbor. obligat. iuncta l. ſtipulatio iſta* 38. §. *inter incertam. D. eod.* alioquin non eſſet debitori liberum totum tempus medium ad ſoluendum, ſi non poſſet interim ſoluere, & poteſt ipſius promiſſoris, ſiue debitoris plurimùm intereſſe, vt liceat ei non expectata die interim ſoluere, vt tantò citius liberetur ab obligatione, & fiat locupletior, *l. ſi pupilli* 66. *in fin. D. de ſolution.* & quod in fauorem debitoris adiectum eſt, vti in dubio adiectum eſſe præſumitur, non debet in eius odium retorqueri. Hinc verò ſequitur iſtum, qui ante diem ſoluit debitum, nõ debere habere condictionem indebiti, cùm ſoluerit debitum tum naturaliter, tum ciuiliter, atque ex ea ſolutione locupletior euaſerit. Qua porrò ratione quod in diem debetur, ante diem ſolui poteſt, eadem compenſari etiam ante diem poteſt; *l. quod in diem* 7. *D. de compenſat.* Mornac. *ad l.* 10. *D. de condictione indebiti*, obſeruat ſingulare illud Pauli reſponſum eſſe in debitores ad rem ſuam accuratiſſimos, *καὶ κυμινοπρίστας*, cumini ſectores, vt vocat Ariſtoteles qui ex illa anticipata ſolutione interceptum ſibi eſſe interuſurium doleant.

Alia longè ratio eſt diei incertæ, vt quando quis fiet Conſul, aut Epiſcopus, aut ducet vxorem, quando vincet, naues ex India venerint: nam tunc diſpoſitionem, vt donationem, legatum, aut promiſſionem facit verè conditionalia; cùm enim dies ille incertus ſit, & poſſit non exiſtere, æquiualet conditioni, quæ poteſt exiſtere, & non exiſtere. Itaque *do centum quando fies Conſul*, æquiualet iſti, *ſi fias Conſul.* Eſtque ea certiſſima regula diem incertum facere conditionem, non modò in teſtamentis *l. dies incertus* 76. *D. de condition. & demonſtrat.* ſed etiam in contractibus *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *inter incertam. D. de verbor. obligat.* vnde fit vt ante aduentum diei, & conditionis nihil debeatur, neque naturaliter, neque ciuiliter, & multò minus peti poſſit *l. cedere diem* 213. *D. de verbor. ſignificat.* idcóque ſolutum repetitur *l. ſub conditione* 16. & *l. qui promiſit* 48. *D. de condictione indeb.* limitat tamen Molina *tract.* 2. *diſp.* 284. niſi dies præfixus fuerit in fauorem promiſſarij; quia tunc etſi non aduenirет illa dies, cenſeretur res debita ipſi, aut eius hæredibus: vt ſi quis det centum puellæ quando nubet, ſi illa moriatur, putat Molina eius hæredibus ea centum deberi. Idem Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 2. neque diſſentit Rebell. 2. *part. lib.* 18. *q.* 3. & Medina *de reſtit. q.* 24. §. *inde oritur eſt*: quia non videtur donator vel teſtator velle, vt donatio vel legatum pendeat ex matrimonij ſuſceptione. Sapientiùs diſtinguit Ferdinand. à Caſtro *de iuſtit. diſp.* 1. *punct.* 6. *n.* 7. nam vel illud tempus incertum afficit ſubſtantiam

diſpoſi

diſpoſitionis, v.g. *do. vel lege centum Caiæ cùm nupſerit*: & tunc facit diſpoſitionem conditionalem, hoc ſenſu, *do centum Caiæ ſi matrimonium inierit*; vel illud tempus incertum non afficit ſubſtantiam diſpoſitionis, donationis, teſtamenti, & legati, ſed illius præſtationem, ſiue executionem; quia donatio, & teſtamentum, ſiue legatum prius facta ſunt abſolutè, & deinde cautum ne illa centum dentur priuſquam Caia nupſerit; pura, & abſoluta erit diſpoſitio, atque ſtatim orietur obligatio, & donatio ſiue legatum eiuſmodi tranſmittitur ad hæredes; quia tempus illud appoſitum non habet vicem conditionis, ſed modi, qui executionem diſpoſitionis ſuſpendit, non ipſammet diſpoſitionem afficit. In dubio tamen illa incertitudo temporis appoſita donationi, vel legato, cenſenda eſt ipſam ſubſtantiam diſpoſitionis afficere, & illam conditionalem facere.

Ex hoc eodem diſcrimine diei certæ, & incertæ præſcriptæ ſequuntur effectus contrarij: nam debitum in tempus incertum nequit à creditore peti ante temporis aduentum *l. cedere diem* 213. *D. de verbor. ſignificat.* quod ſi vrgeat debet à Iudice repelli, etiam tacente debitore, quia tunc creditor nullo iure agendi gaudet, datque occaſionem faciendi iudicium irritum, & illuſorium, quia vt ait *gloſſa in* §. 1. *Inſtit. de obligat.* ſententia lata ſuper nulla & inepta actione, nulla eſt ipſo iure: quare quamuis nullam exceptionem opponat debitor, condemnari nequit, vt ſoluat, eſſetque irrita condemnatio tanquam fundata in actione nulla, & cogeretur debitor ſoluere, quod reuerà non debet, neque fortaſſis debiturus eſt: quia conditio illa ſiue tempus incertum, in quod debitum eſt, poteſt non euenire; ſi tamen pendente iudicio conditio extiterit, ius orietur actori, & agendi impedimentum ſublatum erit. Vide plura apud Anton. Gomez. *c. 12. citato, n. 24.*

Adueniente itaque die illo incerto contrahis tunc primùm obligationem; quare nequit creditor debiti ad diem incertum ſolutionem capere, ante illius diei euentum; quia acciperet ſibi non debitum: *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *inter incertum, D. de verbor. obligat. l. quod in diem, D. de ſolutionib. l. cùm tempus*; *D. de regulis iuris*, ideòque ſi ſolueris, habebis condictionem indebiti *l. ſub conditione, D. de condictione indebiti*; quod tamen Gomez. *citato cap. n. 23.* reſtringit ad ſolutionem errore iuris, aut facti factam, qui enim ſciens rem indebitam eſſe, nihilominus volens ſoluerit, non poterit repetere, quouſque conſtiterit conditionem defeciſſe, non quia præſumitur, vti aliqui exiſtimant, donaſſe; ſed quia cenſetur ſolutionem debiti contingenter futuri voluiſſe præuenire: deficiente verò conditione iure repetitur, tanquam datum propter cauſam non exiſtentem.

Quæres quid cenſendum ſit de tempore longiſſimo diſpoſitioni præſcripto, in quod fieri nequit, vt ille in cuius fauorem fit diſpoſitio, perueniat, an non cenſeatur inutiliter appoſitum illud tempus, æquiualeatque conditioni impoſſibili, quæ à teſtamentis reiicitur, neque impedit hæredum inſtitutiones, aut legata, vel fideicommiſſa, aut libertates, licèt contractus vitiet ex diſpoſitione iuris, vti fuſius diſputauimus *art. 2.* Eiuſmodi igitur longiſſimum tempus ad quod non poteſt naturaliter peruenire legatarius, reiicietur à teſtamento tanquam inutiliter poſitum, valebitque legatum: v.g. *Stichus poſt mille annos liber eſto*: nam etiam prior illa propoſito conditionem implicat; ſi *Stichus mille annos vixerit*, tum *liber eſto.* Reſpondet nihilominus Antonius Faber *lib. 6. coniectur. c. 12. numer. 4.* plurimùm intereſſe inter duas illas formulas; in vna ſiquidem datur Sticho libertas ſub conditione impoſſibili, ſi cœlum digito tetigerit: in altera datur eidem Sticho libertas in diem certam, quæ tamen viuente Sticho aduenire nequit: quare ſi libertas detur ſub conditione impoſſibili, valebit legatum illud, & datio; quia eiuſmodi conditio impoſſibilis, habetur pro non adiecta: quare erit ſtatim liber Stichus eodem modo atque ſi purè, & abſolutè libertas illi relicta eſſet. At verò cùm libertas Sticho relinquitur poſt mille annos, nulla eſt conditio, ſed certa dies, & quamuis impoſſibile ſit liberum fieri poſt mille annos illum, qui ad eam ætatem, nulla vi niſi diuina peruenire poteſt, non licebit tamen ita interpretari teſtatoris voluntatem, vt libertas, quæ poſt mille annos data eſt, dicatur purè data eſſe: quidpiam enim dari purè, & in diem contraria ſunt, ſicut dari purè, & ſub conditione: in eo tamen conditio, & dies differunt, quod in conditione ſiue poſſibilis, ſiue impoſſibilis ſit, nulla alia conditio continetur, in tempore autem certo continetur aliud breuius, ideòque qui poſt mille annos liber eſſe iuſſus eſt, non niſi poſt tres, quinque, decem, viginti, centum annos, & plures alios liber eſſe iuſſus eſt, cùm omnes illi anni, & multò plures in mille annis comprehendantur: quare ſi ex ea datione libertatis, *Si Stichus cœlum digito tetigerit liber eſto*, tollas id quod eſt impoſſibile, conditionem omninò tolles, remanebitque pura datio libertatis. Sed ſi Stichus iuſſus ſit liber eſſe poſt mille annos, non potes tollere tempus illud, in quod impoſſibile eſt Stichum viuere, quin aliud ſuperſit in quo libertas vtiliter dari potuerit; neque tamen aliquis definire poteſt in quod vſque tempus data libertas videatur, cùm eius temporis, quod teſtator ipſe præſcripſit nulla ratio habeatur. *Non competet*, igitur libertas Sticho propter tempus quod ex teſtatoris voluntate pendet, & quod ab alio nequit definiri, quamuis non imprudenter conÿciatur teſtatorem nolle dare libertatem, qui illius dationem in tam longum tempus confert, vt eo tempore nequeat is cui datur libertas, ampliùs in rerum natura exiſtere. Si verò iuſſero Stichum poſt annos aliquot, liberum eſſe, nullo aſſignato annorum numero, libertatem poſt biennium videri dediſſe ſcribit Iulian. *in l. libertas* 17. §. *vlt. D. de manumiſſ. teſtament.* tum quia fauor libertatis id exigit, tum maximè quia eiuſmodi interpretationem patiuntur verba teſtatoris, quam non patiuntur illa *poſt mille annos liber eſto*: quia in mille annis non licebit potiùs aſſignare biennium quàm quinquennium, aut decennium, aliudve tempus quod æquè in mille annis continetur. Cùm autem in conditionibus aliæ non inſint conditiones, ſublata ſemel vnius impoſſibilitate, quod ſupereſt, & poſſibile eſt, & ex teſtatoris voluntate commodè impleri poteſt. Ita ſubtiliter omninò Faber.

ARTICVLVS V.

De pactis & contractibus alternatiuis.

Quid ſit pactum alternatiuum. 1.
Cuius ſit eligere ex rebus alternatiuè debitis quam volet. 2.3.4.5.6.
Quid faciendum pereunte vna re ex duabus alternatiuè debitis. 7.

HÆc quæſtio magnam partem explicata videri poterit *c.1.art.6.in regula* 3.*n.*18. vbi de obligationibus alternatiuis, ſiue alternatis egimus: quare pauca duntaxat hoc loco ſubiiciemus.

1 Contractus ſiue pactum alternatiuum eſt, quod plura ſub diſiunctione reſpicit, quod tripliciter contingit, nempe ratione rei, perſonæ, temporis. Si quis v. g. promittat Titio bouem, aut equum, fundum, aut pecuniam, centum, vel viginti. Si duplici perſonæ ſub diſiunctione, Titio v. g. vel Seio centum paciſcatur; & denique in duplici tempore, vt infra menſem, vel infra annum. Quoties igitur pactum in plures aut perſonas, aut plura tempora ſub diſiunctione cadit, alternatiuum eſt, cuius obligatio, vti nuper explicauimus, alternatiua eſt, illique ſatisfit quando alterutra eius pars impletur. Datur Stichus, vel bos promiſſus ſoluitur Seio, vel Caio infra menſem, vel annum; recepto enim Sticho non poteſt creditor petere bouem diſiunctiuè promiſſum, neque quidquam Seius petere poteſt ſi Caio, cui alternatiuè cum ipſo fuerit promiſſum, ſolutum eſt, aut ſi differatur ſolutio in annum, cum promiſſa eſſet in menſem vel annum. Tota difficultas eſt, vt aſſignetur penes quem ſit eiuſmodi electio implendæ obligationis alternatiuæ.

2 Primò igitur contractus alternatiuus ratione rerum in quas cadit affectio, ita liberam relinquit electionem debitori, vt non obligetur niſi ad minorem ſummam, & longiori tempore ſoluendam: v. g. promittis Titio decem, vel viginti ſoluenda infra annum, aut menſem, non teneris niſi ad decem infra annum danda. Ita Anton. Gomez. *tom.* 2. *variar.cap.*11.*n.*4. & omnes DD. *in l. ſi ita ſtipulatus fuero* 109. *D. de verbor. obligat.* vbi Pomponius: *Si ita ſtipulatus fuero, decem, aut quindecim dabis? decem debentur: item ſi ita poſt annum, aut biennium dabis? poſt biennium debentur: quia in ſtipulationibus id ſeruatur vt quod minus eſſet, quodque longius, eſſe videretur in obligationem deductum.* quare eſt certa illa regula iuris, in ſummis minor, in tempore longiùs ſpectatur. Itaque ſi maior ſumma aut intra breuius tempus ſoluatur per debitorem, erit potiùs donatio quædam, quàm debita ſolutio, ipſeque creditor in libello non tenetur petere alternatiuè vtramque ſummam, ſed poterit ſimpliciter, & abſolutè petere minorem; quia illa ſola eſt in obligatione, quod obſeruat Faber *in §. huic. Inſtit. de action. n.6.*

Secundò quando alternatiua ponitur inter res
3 in quas cadit, vtraque eſt in obligatione; ſiue dicatur vnicus contractus, ſiue plures obligationes alternatiuè poſitæ, eſtque electio debitoris, quam libuerit ſoluere, ſiue contractus lucratiuus, ſiue oneroſus exiſtat, *l. plerumque* 10. *§. fin. D. de iure dotium,* illis verbis. *Cum illa, aut illa res promittitur, rei electio eſt vtram præſtet*, ideóque Anton. Gomeſius illum textum expreſſum, & capitalem nominat, cui fauent & alij *l.*34. *§.*6. *D. de iureiurando, l.*5. *§.*1. *D. depoſiti. l.*34. *§.*6. *D. de contrahend. empt. l.*7. *§.* 5. *D. de donationib. inter virum & vxorem, l.*6. *§.*1. *D. de iurepatronat. l.*6. *§.*1. *D. de re iudicata, l.*95. *D. de ſolutionib. leg.* 10. *C. de condictione indebiti*: quæ tamen omnia iura intelligenda ſunt quando promiſſio, & diſpoſitio eſt ſimpliciter alternatiua: nam ſi dirigatur ad creditorem, eius erit electio, *l. ſi ita detrahatur* 25. *D. de contrah. emption.* & *l.*34. *§.*6. *D. eod.* Vnde colligit Gomez. *illo cap.*11. *n.*42. quoties pater promiſit puellæ pro nuptiis, aut Monaſterij ingreſſu, & quamdiu illa non ſoluet penſionem aliquam annuam, quam promiſſionem licitam eſſe diximus *opere de vſuris lib.*1. liberum eſſe patri illam penſionem, vel dotem ſoluere, neque cogi poſſe à marito vel Monaſterio ad præſtandam præcisè dotem: quia in eius fauorem poſita eſt alternatiua: quare illi competit electio alternatiua ad debiti ſecuritatem inſtituta, quæ DD. nominant, alternatiua remediorum ſunt perpetuo in electione creditoris: v. g. *ſoluam Kalendis May*, vel *dabo pignora, aut fideiuſſores*; non tenebitur creditor adueniente die ſolutioni dicta contentus eſſe pignoribus, aut fideiuſſione, ſed poteſt petere debitum, aut potiùs pignora, quàm fideiuſſorem eligere, quod ex communi DD. & vario iure fuſiùs oſtendit Gomez. *citato cap.*11. *num.*42. firmaque ratione probat, quia illa remedia quæ ad ſolam ſecuritatem debiti adhibentur, non ſpectant niſi fauorem creditoris, ipſius igitur fuerit quod magis commodum videbitur eligere, niſi aliter ſit ſtipulatus. Et ſanè ſi in termino ſolutionis liberum eſſet debitori vel ſoluere, vel pignora aut fideiuſſores inuito creditori offerre, creditor nunquam poſſet petere debitum, ſed contentus eſſe deberet oblatis ſibi pignoribus, vel fideiuſſoribus, totaque obligatio inutilis ferè redderetur.

In vltimis voluntatibus ferè contrarium accidit; nam plerumque in legatis alternatiuis electio eſt legatarij, qui tamen eſt creditor: nam ſi verba teſtatoris ad ipſum diriguntur: v. g. Titius habeat, capiat fundum meum Tuſculanum, vel Tiburtinum, vel equum, nemo dubitat Titio competere electionem, idque disertè affirmat Vlpian. *in l. planè* 34. *§. pen. D. de legatis* 1. his verbis. *Si ita Titio legetur fundum Seianum vel vſumfructum ſibi habeto, duo eſſe legata, & arbitrio eius eſſe an velit vſumfructum vindicare.* Si verò verba legati ſimpliciter & abſolutè proferantur; *do, lego Titio fundi Seiani vſumfructum, vel equum,* Titio nihilominus legatario competere electionem pronunciat Marcell. *in l. Lucio Titio* 23. *D. de legatis.* 2. *Lucio Titio fundum Seianum, vel vſumfructum fundi Seiani lego: poteſt legatarius vel fundum vindicare, vel vſumfructum*: quia nempe præſumitur illam alternatiuam in fauorem legatarij appoſitam fuiſſe, quod non contingit quando teſtatoris oratio ad ipſum hæredem dirigitur: v.g. *hæres meus, det, tradat, ſoluat Titio centum vel equum*: videtur teſtator facere electionem hæredi dandi quam libuerit rem ita alternatiuè legatam, quod expreſſis verbis affirmat Pomponius *in l. ſi ita relictum* 43. *§. fin. D. de legat.* 2.

Si porrò creditor, vel debitor, hæres, vel legatarius, aliuſve cui ius eligendi competit, eligat rem 5
minoris valoris, ductus errore iuris, vel facti, quia falsò

falſò exiſtimauit ſibi non eſſe ius eligendi, nequit deinde variare, neque agere condictione indebiti, alióue iuris vti remedio, *l. 19. De legat. 2.* vbi Celſus ſic pronuntiat: *Si is cui legatus ſit Stichus, aut Pamphilus, cùm Stichum ſibi legatum putaret, vindicauerit, ampliùs mutandæ vindicationis ius non habet, tanquam ſi damnatus hæres alterutrum dare, Stichum dederit, cùm ignoret ſibi permiſſum vel Pamphilum dare, nihil repetere poſſit.* Conſonat *l. 35. D. de condictione indebiti*; quamquam Iulianus nonnihil hoc loco diſſentire videatur, de qua diſſenſione diſputat Cuiac. *lib. 8. obſeruat. c. 35.* quem adeas velim, noſtrum non eſt tantas componere lites. Ratio verò noſtri dicti perſpicua videtur, quia cùm in obligatione alternatiua, res quælibet data fuerit, atque adeò debita, quáuis alternatiuè, non fuit error ſolutionis vel in re debita, vel in aliqua cauſa ſubſtantiali, ſed in acceſſoria duntaxat, quod in rebus illis alternatiue debitis potuerit quælibet ſolui pro libito ſoluentis, re tamen qualibet ſoluta non contigit error, qui vel vitiet ſolutionem, quaſi quid indebitum ſolutum fuerit, vel in aliquopiam ſubſtantiali erratum fuerit: quare neque repetitio rei ſolutæ, neque indebiti condictio concedi iure poterit, neque ipſe electionem à ſe factam reſcindere; recepit enim quod ſibi debitum erat, ſuæque imprudentiæ tribuere debet, quod viliorem elegerit, cùm poſſet pretioſiorem accipere.

6 Hæc porrò facilitas eligendi mortuo illo, cui competebat, tranſmittitur ad illius hæredes, *l. ſi ſtipulatus fuerim 76. D. de verbor. obligat.* vbi gloſſa, & DD. communiter, quia ſicut obligatio principalis tranſit ad hæredes, ita cum illa tranſeat acceſſoria, neceſſe eſt. Neque obſtat quod ius & facultas declarandi non tranſeat ad hæredes, *l. idem Pomponius 4. §. fin. D. de rei vindicat.* ibique paſſim DD. id enim commune dictum interpretatur Gomez. *num.* 41. de iure, & facultate declarandi, quæ competit ex legis diſpoſitione, & proprio beneficio; non verò ſi competat ex proprio contractu, & diſpoſitione partium, alicui ad proprium commodum: tunc enim tranſit ad hæredes, non autem ſi illi data fuerit electio ad commodum alicuius alterius, *l. vnum ex familia 67. §. rogo. D. de legat. 2. leg. ſi quis arbitratu. 43. D. de verbor. obligat. l. fin. §. ſed ſi quis. C. communia de legat.* & *l. fin. C. de contrah. emption.* quare ſi cui detur poteſtas meliorandi, aut eligendi vnum ex filiis teſtatoris, non poteſt ius illud declarandi tranſmittere ad ſuum hæredem, & Iudex qui damnauit aliquem pœna exilij, quod ipſe deinde pro arbitrio aſſignabit, non tranſmittit illud ius ad ſucceſſorem ex communiori ſententia, à qua tamen diſcedit *loco citato* Gomez.

7 Supereſt quærendum quid pereunte vna re ex duabus alternatiuè debitis, ſentiendum ſit, an quæ ſupereſt omninò debeatur, an reſtet adhuc electio rei ſuperſtitis, vel æſtimationis illius, quæ perierit. Et quidem communior opinio DD. quam ſequitur Gomez *numer.* 40. exiſtimat integram, & præciſam obligationem cadere in rem ſuperſtitem, altera perempta, quoties iſta maioris fuit æſtimationis, & quæ remanet minoris: nam ſi quæ periit vilior erat, ea verò quæ reſtat maioris pretij, & nulla fuerit in illa peremptione debitoris culpa, ſatisfaciet ille creditori, ſi retenta re ſuperſtite, æſtimationem deperditæ creditori tradiderit, quamuis res perempta vilior fuerit, vt dixi atque ita interpretatur *l. Stichum, aut Pamphilum 95. D. de ſolutionib.* & *l. cùm is qui 32. D. de condictione indebiti*: & *l. ſtatuliberum 11. §. Stichum, aut Pamphilum. D. de legat. 2.* quæ omnes pronuntiant rem remanentem, altera alternatiuè ſiue ſub disiunctione debita pereunte, manere præciſè in obligatione: rectiùs tamen ſentire videtur Ferdinand. à Caſtro *diſput. 1. de inſtit. punct. 9. numer. 6.* rem remanentem ſoluendam omninò eſſe, & præciſè, ſiue maioris, ſiue minoris æſtimationis re perempta exiſtat, ſiue non, neque ſatisfacere debitorem qui inuito creditori rei peremptæ pretium repræſentabit. In primis quia illa diſtinctione non vtitur ius, ſed rem reſtantem præciſè in obligatione manere ſignificat. Et ſanè quæ reſtat verè debita eſt, fuitque à principio ſimul cum re perempta ſub disiunctione, data debitori facultate eligendi quam vellet, quæ facultas vnà cum re perempta perit, eaque ſublata poteſtate, ſola res quæ ſuperſtat manet præciſè in obligatione, & ſoluenda eſt: nam quoties aliquid debetur in ſpecie, & ſolui poteſt, non licet inuito creditori quidpiam aliud eius loco ſubrogare. Cùm itaque res quæ reſtat, debetur in ſpecie, eiuſque ſolutione totum debitum extinguatur, quo iure poterit debitor eius loco rei peremptæ quæ proinde amplius debita non eſt, reluctanti creditori æſtimationẽ obludere: neque quod culpa, aut ſine culpa debitoris res minoris valoris perierit, quidquam facit hoc loco, vt creditor contẽtus, aut non contentus eſſe debeat æſtimatione rei peremptæ, cùm ea quæ remanſit ſit illi modò in ſpecie debita, & in ſpecie quoque ſolui poſſit, quod vltimum ſemper attendendum erit. Si quando enim res in ſpecie debita, nequeat in ſpecie repræſentari, ad eius æſtimationem recurrendum erit. Ex quibus explicabis quæ in contrarium afferri poſſent ex iure, ſed ea diligentius examinabuntur inferius, vbi de ſolutionibus.

Reſtabat quærere vtrum quando diſpoſitio eſt alternatiua ratione perſonarum, legatur v. g. Seio aut Titio Stichus, vtrum vtrique quæratur actio, & obligatio, an verò neutri quæratur propter incertitudinem. Sed hæc controuerſia, ſolum forum externum ſpectat, & quantùm ſatis erit noſtro inſtituto explicabitur, vbi de ſolutionibus. Intereà adi Gomez. *loco citato, n. 10.* & Ferdinand. à Caſtro Palao *laudato punct 9. n. 7. 8. & 9.*

ARTICVLVS VI.

De pactis & contractibus annuis.

Quid ſit contractus annuus. 1.
Diſcrimẽ inter cõtractus, & legata annua. 2.
Quando exigendæ præſtationes annuæ. 3.
Quid faciendum in dubio de mente teſtatoris. 4.

PActa annua, ſiue contractus vocamus, quibus obligamur aliquid ſingulis annis dare, aut facere, quod idem contingit in legatis annuis; neque enim annua dicuntur, niſi quia quidpiam in ſingulos, annos à teſtatore legatum, & relictum fuit, & quamuis legata annua conueniant in multis cum contractibus annuis, in pluribus tamen differunt, quod fusiùs proſequitur Antonius Gomez. *tom. 1. variar. cap. 11. numer.* 44. atque ex illo Ferdinand. à Caſtro pro 1

more

more *diſput.* 1. *de iuſtitia commutat. punct.* 10.

2 Atque in primis pactum ſiue contractus annuus inducit vnam tantùm obligationem puram, ſimplicem, abſolutam, & perpetuam in ſingulos annos futuros quidpiam præſtandi, quod non contingit in legatis annuis, *l. ſi Stichum aut Pamphilum* 16. *§. ſtipulatio. D. de verbor. obligat. Stipulatio huiuſmodi in annos ſingulos vna eſt, & incerta, & perpetua, non quemadmodum ſimile legatum morte legatarij finitur.* Deinde *l. ſi in ſingulos annos* 4. *D. de annuis legat.* Paulus Sabini ſententiam refert, & probat legatum in ſingulos annos plura legata eſſe, & primi anni purum, ſequentium conditionale: videri enim hanc ineſſe conditionem, ſi viuat, & ideò mortuo eo ad hæredem legatum non tranſire. Eandem pluralitatem legatorum in legato in annos ſingulos agnoſcit Vlpian. *in l. cum in annos ſingulos* 10. *D. quando dies legat. cedat*: & Paul. *in l. Senatus* 45. *§. fin. D. de mortis cauſa donationibus.*

Obiicitur tamen *l. nec ſemel* 12. *l. ſi cum præfinitione* 20. & *l. Firmio* 26. *D. quando dies legat. cedat*, in quibus aliquando videtur dici eiuſmodi legatum in annos ſingulos vnum eſſe.

Reſp. illis locis fuiſſe vnum quidem legatum, ſed eius præſtationem in plures annos diuiſam fuiſſe fauore hæredis, ne nimium grauaretur, ſi totum legatum ſimul præſtare cogeretur: itaque non fuit legatum in annos ſingulos, ſed legatum præſtandum diuiſim per plures annos, donec tota ſumma conficitur.

Obiiciunt alij *l. vnic. C. vt actio ab hæred. & contra hæred. incip.* quæ ſtatuit ex incertitudine temporis, vel diei impediri obligationem, eiuſque effectum, donec verificetur. Verùm lex ea loquitur de incertitudine quæ apponitur obligationi inducendæ, non de ea quæ iam inductæ adiicitur ad ipſius extenſionem, durationem, & multiplicationem.

Ex hoc porrò diſcrimine inter contractus annuos, & legata annua, plurima alia conſequuntur: nam contractus ille eo puncto quo celebratur, perficitur, adeóque vniens eſt, & legata ſingulis annis pro multiplicitate præſtationis annuæ multiplicantur, vti iam ex aperto iure diximus. Inde verò fit, vt tempore quo perficitur contractus annuus, inſpiciatur habilitas contrahentium: ſi enim eo tempore creditor ſit, aut ſeruus, aut filiusfamilias, non ipſi, ſed patri, aut domino acquiritur, & quamuis deinde ſui iuris euadat, aut libertatem conſequatur, nihil tamen vi illius contractus obtinebit. In legatis verò quolibet anno legatarij habilitas attenditur, quia quolibet anno legatum multiplicatur, & per ſingula legata ius capiendi inſpicitur, vti loquebatur Vlpian. *l. cùm in annos ſingulos* 10. *D. quando dies legat. cedat*, nuper allata. Ex quibus etiam ſequitur quoties ex quolibet contractu, & legato debetur gabella, ex contractu annuæ præſtationis vnicam deberi gabellam ſoluendam conductori, qui erat tempore celebrati primùm contractus; ex legato verò annuo ſingulis annis gabella debetur, quia ſingulis annis multiplicatur legatum, & noua contrahitur obligatio, ideóque in contractu eiuſmodi lapſus cuiuſlibet anni, vel diei quo ſoluenda eſt illa præſtatio, conſtituit debitorem in mora, abſque alia interpellatione, vti diximus nuper, neque enim dies inducendæ obligationi, ſed faciendæ ſolutioni præfigitur. Secus contingit in legatis annuis in quibus ſingulis annis propter conditionem in illis

neceſſariò implicitam, quæ adueniente die purgatur, noua contrahitur obligatio, quare & interpellationem exigit vt hæredem conſtituat in mora, vnde neceſſariò quoque efficitur, vt in contractu annuo ſi debitor bona fide ſpatio XXX. annorum deſinat ſoluere, præſcribat aduerſus creditorem, quia obligatio vnica, & indiuiſibilis eſt, & præſcriptio incipit à primo anno non ſolutionis, quæ ſi per triginta annos eadem bona fide continuetur, nihil ipſi deerit ad integram præſcriptionem; quia verò annua legata ſingulis annis diſtinctam obligationem inducunt, præſcripta aut non impleta vnius anni obligatione ſiue præſtatione, non præſcribuntur reliquorum conſequentium annorum obligationes. Denique cùm actio & obligatio præſtationis annuæ in contractibus vnica ſit, & perpetua, tranſmittitur ad hæredes, niſi ex variis circumſtantiis colligatur illam fuiſſe certo aliquo annorum numero determinatam, aut ad vitam creditoris definitam, vti contingit in alimentis, quæ ex ſui natura non pertinent ad hæredes *l. cùm hi* 8. *§. modus. D. de tranſactionib.* aut cùm præſtandū eſt illud annuum ſub onere à creditore præſtando: v. g. Aduocato, Medico, Doctore, opifice aliquo ſub onere exercendi ſuum munus, aut artem. In vltimis voluntatibus ſola primæ præſtationis obligatio, vt pote pura, & abſoluta ad hæredes tranſmittitur, reliquæ verò cùm ſint conditionales, *ſi legatarius viuat*; eius morte neceſſariò finiuntur.

Annuæ porrò iſtæ præſtationes ſiue ex contractu, ſiue ex teſtamento debeantur, exigi poſſunt, vt adueniente præfixo termino ſoluantur: licèt enim quæ vi legati debentur, non verè debeantur antequam dies legati cedat, peti tamen poteſt vt declaretur eas debendas eſſe, & vbi dies ceſſerit ſoluendas. Neque obeſt communis regula; Iudicium inſtitui nō poſſe ſuper ius futurum, *l. non quēadmodum. D. de iudiciis*, & *l.* 1. *§. ſocius. D. de vſuris*; id enim verum duntaxat eſt cùm iudicium primò, & per ſe iuri hactenus non exiſtenti, & dūtaxat futuro innititur: nam de iure præſenti, & in conſequentiam tantùm futuro, poterit inſtitui iudicium, quod contingit in iſtis annuis præſtationibus ex teſtamento debitis; quia illarum obligatio pro præſenti anno pura eſt, & perfecta, cùm conditio purificata fuerit, vt loquuntur, iudiciumque illi innitatur, & reliquis in futurum ſequentibus annuis præſtationibus in conſequentiam. 3

Quæres an quando non conſtat de mente contrahentium, aut teſtatoris, contractus vel legatum 4 quantitatis in diem iterabilis, Kalendas v. g. Maias, ſiue communitati, ſiue ſingulari perſonæ fiat, præſumendum ſit finire vno anno, aut eſſe perpetuum, & ſingulis annis multiplicandum: ita affirmat pluribus relatis Gomel. *cap.* 11. *citato*, *n.* 48. adducitque ex Guidone de Suza, quod ſi teſtator relinquat fratribus S. Franciſci vnam pitanciam, vel prandium in diem S. Franciſci, intelligitur relinquere in perpetuum, & quolibet anno: addit teſtatorem, qui relinquit Caiæ centum donec nubat, aut Titio donec viuat, de quolibet anno legatum illud exponendum eſſe, & contra Bartbolum id verum eſſe contendit, ſiue donatio fiat inter viuos, & per contractum, ſiue in vltimis voluntatibus: quæ omnia ex variis circumſtantiis expendenda mihi videntur.

ARTICVLVS VII.

De pactis, & contractibus indiuiduis.

Quid ſit contractus diuiduus, & indiuiduus. 1.

Quot modis res dicatur diuidua, vel indiuidua. 2.3.4.

Prima Regula: *Quomodo contractus circa quantitatem ſint diuidui, an indiuidui.* 5.6.7.8.9.

Secunda Regula. *Quando contractus circa res corporales particulares ſint diuidui, an indiuidui.* 10.11.12.13.

Tertia Regula: *Quando contractus circa res incorporales ſint indiuidui, an diuidui.* 14. 15.

Quarta Regula *De contractibus circa factum, aut opus.* 16. 17.

1 CОntractus diuiduos, vel indiuiduos appellamus tum ratione materiæ quam continent, ſiue quæ in pactum deducitur, tum ratione obligationis, & effectus, quem producunt: quamquam hæc poſterior diuiſio, vel indiuiſio obligationis oriatur à priori: prout enim res in contractum deducta, diuidua, aut indiuidua erit, diuidetur quoque obligatio, & effectus contractus. Diſputationem porrò iſtam; *arduum, & profundum pelagus, materiam ſubtiliſſimam, & de apicibus iuris, quæ omnes alias materias mirum in modum excedat, in cuius intelligentia non minus DD. palpitauerunt, quàm Hercules in Lernæo conflictu*; nominant Nuperi Iuriſconſulti *in l. 4. §. Cato, D. de verbor. obligat.* Neque nos tantùm nobis tribuimus, vt earum omnium difficultatum, quæ ſapientum iuris interpretum perſpicacem aciem, & ingenia hactenus exercuerunt, claram, & indubitatam explicationem polliceamur; paucas duntaxat, & conſtantes regulas ex ipſorum eruditis commentariis, noſtro more, & inſtituto colligemus. Neque enim patiebatur ſuſcepta doctrinæ methodus, & rerum deinceps reliquo opere pertractandarum cognitio, vt ab hac diſputatione abſtineremus; quamquam illam in tractatum de ſolutionibus non incommodè reiicere licuiſſet; ad clariorem verò intelligentiam implicatiſſimæ, & ſubtiliſſimæ controuerſiæ.

2 Obſerua in primis rem aliquam diuiduam, vel indiuiduam dici duobus modis. Primò naturaliter, ſecundò ex iuris, & legis diſpoſitione. Naturaliter quidem quando poteſt ſecundùm ſuam naturam in aliquot partes diuidi, cuiuſcumque tandem rationis partes illæ ſint, ſiue integrantes, ſiue eſſentiales, ſiue aliquotæ, ſiue non aliquotæ, ſiue ſeparabiles, ſiue intellectæ. Indiuiduæ itaque res dicuntur, quæ neque naturales, neque intellectas partes recipiunt, qua ratione res nulla eſt, quæ diuidi aliqua ratione non poſſit. Verùm aliquando res ipſa diuiſione corrumpitur, vt ſi diuidatur homo, animal, equus, Stichus; aliàs verò non corrũpitur, vt ſi domus, ager, aliáve eiuſmodi res mobilis, vel immobilis diuidatur. Secundò res diuidua, vel indiuidua dicitur ex legis, & iuris diſpoſitione, & ratione alicuius effectus ciuilis: quod enim in partes aliquo iuris effectu ſeparatas ſecari poteſt, diuiduum, quod verò nullo iuris effectu in partes diſtrahere non licet, indiuiduum nominant: neque ea voce vtuntur Iuriſconſulti in eadem ſignificatione cum Dialecticis, quod pridem, & ſæpius monuimus, id enim vocant ipſi ſpeciem infimam, indiuiduum autem non Stichum, aut Pamphilum, ſed quod in partes intellectas diuidi nequit. Itaque viam, iter, aquæductum, nauem, equum indiuidua vocitant, licèt in partes Phyſicas, quibus conſtant, ſecari poſſent, ſed non ad effectum iuris. Vnde illud Caſcelianum apud Macrob. *lib. 2. Saturn. Nauem ſi diuidis nec tu nec ſocius habebitis.* Ratio huius modi loquendi eſt, quia diuiſio, & diuidere accipitur πολιτικῶς, & ciuiliter à Iuriſconſultis, vt hominum negotiis, & commerciis deſeruit: ſæpius enim quæritur an aliquid acquiri, retineri, vel alienari poſſit pro parte, an verò non niſi totius commercium eſſe poſſit, ſiue de rebus corporalibus, ſiue de incorporalibus agatur, ſiue de obligatione, ſolutione, aut actione diuidenda: quare, vel a fine, vel ab effectu præcipuo diuiſionis, res, & maximè contractus diuiduus, aut indiuiduus dicitur. Totus ſiquidem effectus diuidui, & indiuidui conſiſtit in diuidenda, aut non diuidenda obligatione, ſolutione, vel actione. Denique illud dicitur indiuiduum, cuius pars non affert tantam vtilitatem reſpectu partis, quantam totum reſpectu totius: quam certam regulam probant Iuriſconſulti ex *l. in executione 85. §. ſecunda ad opus. D. de verbor. obligat. l. 5. §. opere. D. de verbor. ſignificat. l. ædificia 139. §. perfeciſſe. D. eod.* Diuiſionem porrò variis modis explicant iura; dicunt enim partium præſtationem recipere à ſingulis hæredibus, diuiſim conſequi, pro parte peti, admitti partis exequutionem, pro parte adquiri, pro parte retineri, pro parte remitti, a communione diſcedere, familiam erciſcere, id eſt hæreditatem diuidere, vel rerum vniuerſitatem. Indiuiduum contrariis loquutionibus exprimunt, partium poteſtatem non recipere, niſi totum detur, *ſtipulationi* non ſatisfieri, in ſolidum teneri, ab *omnibus hæredibus* pœnam committi, in *ſolidum* peccari, in ſolidum agi, diuiſim non præſtari, totum dari in executione. Ex quibus, aliiſve ſimilibus loquendi rationibus vides diuiduum, & indiuiduum dici ratione partium, iuris aliquo effectu ſeparabilium, qui effectus iuris ſunt obligatio, liberatio, ſiue ſolutio, & actio.

Obſerua ſecundò hanc diuiſionem, & indiuiſionem contractus ex diſpoſitione legis, ratione obligationis, actionis, & effectus iuris, quamuis ex legis ſanctionibus proxime oriatur, nihilominus ex natura rei, quæ in contractum deducitur, & in quam cadit obligatio, & actio, radicaliter deſumendam eſſe: vnde *l. 72. D. de verbor. obligat. Stipulationes non diuiduntur earum rerum quæ diuiſionem non recipiunt, veluti via, itineris, aquæductus*: idque lege XII. Tabul. ſancitum fuiſſe dicit *l. 25. §. in ea. D. famil. Erciſc.* quod de ſimilibus legatis *l. 80. §. quædam. D. ad l. Falcid.* de promiſſionibus, *l. 2. §. ſi diuiſionem. D. de verbor. obligat.* de hæreditatibus, de quibus ea, quæ diuidi in partes non poſſunt, ſingula ſingulis hæredibus debentur, *l. 92. D. de regul. iuris*, confirmatur ex eo quod actio, & obligatio dicatur mobilis, vel immobilis pro ratione rei ſubiectæ; *l. ſi ad reſoluendam 7. Cod. de prædiis minor.* vbi gloſſa, & DD. communiter id obſeruant, atque alibi. 3

Res porrò quæ in contractũ, & obligationẽ deducuntur, ſunt in quadruplici differentia. Primò

quædam

quædam conſiſtunt in pondere, numero, & menſura, vt pecunia, vinum, oleum, & ſimilia, quæ dicuntur res quantitatis, & functionem accipiunt, de quibus fuſiùs egimus in opere de vſuris *lib. 1. c. 1. art. 1.* Secundò quædam aliæ res ſunt quæ in quãtitate non conſiſtunt, ſiue ſint mobiles, ſiue immobiles, ſiue in genere, ſiue in ſpecie ponantur, vt homo, animal, domus, fundus, equus, Stichus. Tertiò quædam ſunt intellectualia, & incorporalia, vt ſeruitutes ſiue perſonales, ſiue reales, ſiue mixtæ, & iura omnia. Quartò denique deducitur in obligationem factum aliquod, ſiue proprium, ſiue alienum: prout igitur in res iſtas, quæ ſunt materia contractus, poteſt cadere diuiſio, aut indiuiſio ratione effectuum iuris, ſiue ciuilium, contractus dicitur diuiduus, aut indiuiduus.

4 Obſerua denique quatuor duntaxat modis contractum dici poſſe diuiduum, vel indiuiduum. Primò ratione obligationis, quæ tota vel per partes contrahitur ab omnibus, vel à ſingulis ſeorſim, aut coniunctim. Secundò ratione diſtributionis, & diuiſionis inter hæredes. Tertiò ratione ſolutionis. Quartò ratione liberationis, & effectus, qui quatuor modi poterant fortaſſis in pauciores contrahi, placuit tamen Gomeſij partitionem claritatis causâ retinere, atque his ita obſeruatis paucas regulas ex eodem Gomeſio tradere.

Regvla Prima.

An contractus circa quantitatem ſint diuidui, vel indiuidui.

OMnes contractus qui habent pro materia quantitatem, ſiue res in pondere, numero, & menſura conſtantes, omni prorſus modo diuidui ſunt.

Expoſitio & confirmatio regulæ.

5 PErſpicuus manet huius vniuerſaliſſimæ regulæ ſenſus ex hactenus annotatis, atque eius etiam confirmatio, quandoquidem conſtat diuiſionem, & indiuiſionem contractus circa obligationem, partitionem inter plures, ſolutionem, & liberationem, alioſque iuris effectus, ratione quorum omnium diuidui, vel indiuidui nominantur contractus, deſumendam primò & radicaliter eſſe ex materia, quæ in pactum, & in obligationem deducitur, & de qua contrahitur; quantitatem verò, reſque in numero, pondere, & menſura conſiſtentes, diuiſibiles eſſe nemo dubitat; neque igitur negari poteſt contractus, qui habent pro materia quantitatem, diuiduos eſſe oportere. Confirmationis tamen amplioris causâ ſinguli diuiſionis modi qui contractibus conuenire poſſunt, & in iſto de quo diſputamus repetiri, placet ſingillatim oſtendere.

6 Et primò quidem quoad diuiſionem obligationis nulla eſt difficultas; ſicut enim maxima quantitas, numerus, menſura, & pondus in obligationem per contractum deduci poteſt; ita & eius pars maior, aut minor pro libito contrahentium, qui quantitatem de qua conueniunt, ſibi ipſi pro arbitrio definiunt: quare Paulus *in l. 2. §. 1. D. de verbor. obligat.* ait ſtipulationem tum in dando, tum in faciendo quaſdam partium præſtationes recipere, veluti cùm decem dari ſtipulamur, quaſdam non recipere, vt in his quæ naturâ diuiſionem non admittunt, vt cùm viam, iter, actum ſtipulamur.

Secundò diuiduus eſt iſte contractus ratione diſtributionis, ſiue diuiſionis inter hæredes; mortuo ſiquidem debitore, eius hæredes ſiue inſtituti, ſiue ab inteſtato tenentur ad debitum eiuſmodi contractum, & ſecundùm portiones hæreditarias diuiditur inter ipſos actio, & obligatio, vt enim Paulus nuper adductus obſeruat *in l. in executione 85. §. 1. D. de verbor. obligat.* petitio, & ſolutio ad portiones hæreditarias pertinet, *& l. 2. C. de hæreditar. action.* pro hæreditariis partibus hæredes onera hæreditaria agnoſcere placuit; quæ eadem conſtituuntur *l. ſi vxor 7. C. de bonis auctor. iudic. poſſid. l. licet 14. C. ad l. Falcidiam. l. ſi ab eo 7. C. de negotiis geſtis. l. cum à matre 14. C. de rei vindicat.* Horum omnium ratio eſt, quia quilibet hæres perſonam defuncti pro ea tantùm parte, qua eſt hæres, & non pro alia repræſentat, quod tradit gloſſa ſingularis, & vnica *in l. 2. §. final. D. de prætor. ſtipulat.* indeque ſunt duæ vulgatiſſimæ regulæ. Prima actionem dari perſonalem contra hæredes pro hæreditariis portionibus; altera actionem in rem dari contra hæredes pro parte, qua poſſident; ſiue breuiùs actiones perſonales paſſiuè inter hæredes diuidi pro portionibus hæreditariis, reales poſſeſſorem paſſiuè ſequi, quod traditur *leg. 1. & 2. C. ſi vnus ex pluribus hæredibus.* Gloſſa tamen *in leg. 2. Cod. de hæreditar. action.* enumerat ſeptem caſus in quibus hæ regulæ fallunt. Primò in obligatione indiuidua, cuiuſmodi non eſt pecuniaria. Secundò ſi res quæ debet ab vno reſtitui, obligata ſit creditori, & cuilibet alij in ſolidum. Tertiò in pollicitatione facta Reipublicæ propter honorem quem ipſa defuncto detulerat. Quartò in alimentis. Quintò ſi teſtator legauerit ab vno hærede creditori hæreditatio ex cauſa compenſandi debiti, tunc enim hæres ad quantitatem vſque legati feret onus æris alieni. Sextò in funeraria. Septimò in caſu legis *qui fundum 87. §. ſi ex parte. D. ad l. Falcid.* de quo caſu plura aliàs. Vult ibi Iulianus plures portiones vnius, & eiuſdem inſtituti contribuendas eſſe ad augenda legata; verùm de his omnibus caſibus non placet hoc alieno loco diſputare, & vtrum verè à communi noſtra regula excipiantur: ſatis nobis ſit etiam ex noſtro hodierno vſu, vti Mornacius *in l. 2. C. de hæreditariis action.* obſeruat, indubitati iuris eſſe ſi hæres qui conuenitur, velit rem obligatam relinquere (deguerpir) ac ſoluere pro virili ſua parte, qua obligatus eſt perſonaliter, liberandum eum eſſe oneribus hæreditariis, & ſic tandem iudicaſſe patet poſteriora Senatuſconſulta contra praxim veterem, qua ſi perſonalis ſemel iuncta fuiſſet cum hypothecaria mox vnus hæredum tenebatur in ſolidum ad æris alieni diſſolutionem pro aliis, ſicque intelligendus *artic. 333. conſuetudinum Pariſienſium,* quo ſtatuitur hæredem, qui fundum à defuncto obligatum poſſidet, teneri in ſolidum ſeruato ei regreſſu aduersùs cohæredes; liber enim eſt ex vltimis arreſtis dum cedat. Vide plura apud Baquetium *tract. de inſtit. & iure cap. 21. numer. 177.* Neque dicas in maiori Auditorio, ſiue exedra deciſum fuiſſe an. 1602. die 3. Maij, cohæredem teneri & perſonali, & hypothecaria, fruſtraque offerre partem ſuam hæreditariam. Reſpondet enim Mornacius *loc. cit.* Megionium, qui hoc petebat,

ſingularia quædam vtiſſe, quæ reum quæſtione dedocerent.

7 Ex his verò colligit Gomeſ. *cap. 10. citato n. 3.* quemlibet hæredem poſſe pro ſua parte ſoluere debitum inuito creditori, & manere liberatum, quia ſoluit totum quod debet. Neque dicas creditorem non cogi accipere ſolutionem particularem *l. tutor 41. §. Lucius. D. de vſuris*, quia id de principali debitore ſoluente, non de hæredibus eius partiariis intelligendum eſt.

Secundò licèt legatarius non poſſit diuidere legatum, & ex parte illud repudiare, ex parte verò agnoſcere, *l. neminem 4. D. de legat. 2.* eius tamen hæredes ſi partiarij ſunt, id poſſunt *l. legatarius 38. D. de legatis 1.* vbi Pomponius id expreſſis verbis docet, & *in l. 3. C. de negot. geſtis*, habetur quod ſi quis tenebatur ad certam pecuniam, & quantitatem, ac pluribus relictis hæredibus deceſſit, & vnus ſoluit totum, repetit ab aliis actione negotiorum geſtorum, ſi verò ſoluit ex neceſſitate, repetit iudicio familiæ Erciſcundæ: quod autem dicitur *l. 2. §. ex his. D. de verbor. obligat.* ex perſona hæredum conditionem obligationis non mutari, explicat Gomeſius de contractibus indiuiduis, non autem de diuiduis, qualis eſt iſte de quo diſputamus, & cuius obligatio in materiam diuiduam, id eſt quantitatem cadit.

Tertiò ſi cenſus ſit impoſitus cum pacto de retrouendendo, & vnus hæres velit ſoluere partem, & redimere, id non poteſt, ſicut etiam quando fuit adhibitum pactum reſolutiuum, vt ſi pecunia, vel certa quantitas intra certum tempus non ſoluatur, res maneat inempta, tunc in totum ſolui, & non pro parte debet: nam ſi vel minima pars deficiat, res erit inempta, quod tradit gloſſa *in l. ſi res bona fide. D. de contrah. emption.* quia obligatio non cadebat ſimpliciter in quantitatem ſoluendam, ſed in retrouenditionem, aut reſciſſionem venditionis, quæ duo dicunt indiuiſionem.

Quartò idem quoad retractum exiſtimat iure merito Gomez. non enim res pro parte retrahi poterit, vt dicemus alibi.

8 Quod autem diximus de obligatione diuiſa ipſo iure inter hæredes pro portionibus hæreditariis, ita vt vnus non teneatur pro alio, qui non eſt ſoluendo, quod etiam probat *l. fin. C. depoſiti*, & *l. 2. C. ſi plures vna ſentent.* & *l. legatorum petitio 33. D. de legatis 2.* fauetque ratio, quia cùm ſemel per legem, aut Iudicem diuiſa fuit obligatio, periculum vnius alios onerare non debet; id tamen verum duntaxat eſſe in rigore iuris ciuilis, & in foro externo, non verò in iure canonico, & foro conſcientiæ docent Gloſſa, & plures Canoniſtæ *in cap. tua nos, de vſuris*; voluntque cohæredem teneri quantum vires hæreditatis patiuntur.

Dicendum tamen eſt nullo iure neque ciuili, neque canonico: neque interno conſcientiæ teneri talem hæredem ſoluere pro alio, qui ſoluendo non eſt, vti hactenus explicuimus. Et quidem ius ciuile manifeſtum hoc loco docent aduerſarij; neque repugnat ius canonicum; nam in illo *cap. tua nos*, Alexander III. iubet filios, & hæredes vſurariorum ſoluere illas vſuras, quas ipſi vſurarij ſoluere tenebantur, & ad quas reſtituendas cogi poterant; quia cùm hæc bona in quæ ſuccedunt iſti hæredes, malè parta ſint, ab illis reſtitui debent quantùm vires hæreditatis patiuntur, non quòd bona vſurariorum ſint hypothecata pro vſuris malè acceptis, id enim reiecimus in noſtro opere de vſuris *lib. 1. cap. vlt.* ſed quia defunctus eas vſuras debet, debitumque illud tranſmittitur ad hæredes, quos omnes, & ſingulos obligari ad hanc reſtitutionem, atque vnum in defectum alterius, quandoquidem ſinguli participant ea bona malè parta, voluit Alexander: nam & iure ciuili hæredes ſinguli eodem modo tenentur ad debitum ex delicto patrum, ſi quidpiã ad eos peruenit, atque vt ratiocinatur Vlpian. *in l. quod diximus 16. §. fin. D. quod metus causâ: Licet pœna ad hæredem non tranſeat, attamen quod turpiter vel ſcelere quæſitum eſt, ad compendium hæredis non debet pertinere.* Vide quoque *l. ſi duo 22. D. depoſiti*: ſed de his aliàs, vbi de ſolutionibus, & de hæredibus: ſufficit modò etiam ex iure ciuili partiarios aliquando hæredes ita obligari ad debitum ſcelere contractum, vt ſi vnus ſoluendo non ſit, alter ſupplere debeat: quare mirum videri non debet ſi idem conſtituerit ius canonicum de hæredibus defuncti vſurarij, quoad vſuras à defuncto reſtituendas, & non reſtitutas. Vnde non licet in vniuerſum colligere hæredes partiarios teneri ſemper ad debita realia defuncti in ſolidum, & vnum in defectum alterius ſupra vires partis hæreditariæ, quam accepit, ex iure canonico; cùm id tantùm verum ſit in debito vſurario, alióve ex delicto proueniente, quod ipſum ius ciuile conſtituit. Cùm igitur ius ciuile diuidat obligationem inter hæredes partiarios debiti pecuniarij, atque in contractibus circa quantitatem, neque ab illo diſſentiat ius canonicum, vti oſtendimus, & vt eiuſmodi leges non vtantur præſumptione, illis tutò nos in conſcientiæ foro conſentire poſſumus, ipſarumque definitionem circa partitionem obligationis obſeruare.

Ex his porrò ſequitur eundem contractum circa quantitatem, diuiduum eſſe ratione ſolutionis; cùm vna pars validè ſolui poſſit, *leg. 24. D. de verbor. obligat.* & nuper oſtendimus in partiariis hæredibus. Debet tamen creditor partem illam quantitatis debitæ recepiſſe, non poterit enim particularem illam ſolutionem non acceptare ſi debitum ſit liquidum, aut eius certa aliqua pars; eam enim tenebitur acceptare abſque dubia, & incerta, ſicut & quando ſunt plura debita ex diuerſis contractibus, cogetur ſiquidem recipere ſolutionem vnius; quæ omnia, aliáve ſimilia tractatu de ſolutionibus hoc ipſo libro docebimus. 9

Poſita diuiſione ſolutionis neceſſariò ſequitur diuiſio liberationis: non poteſt enim debitor validè partem debiti ſoluere, ipſamque creditor recipere, quin debitor pro ea parte, quam ſoluit maneat liberatus, cùm non cogatur denuò partem illam creditori, qui ipſam accepit, repræſentare; traditque apertè *l. ſi ſtipulatus ſum mihi 81. D. de ſolution.* Ex quibus omnibus ad extremum vides contractum, qui habet pro materia quantitatem, ſiue res in menſura, pondere, & numero conſiſtentes, eſſe omni ratione, & modo diuiduum, quod affirmabat noſtra regula, quamque tradunt paſſim DD. *in l. ſtipulationes non diuiduntur 72. & l. 4. §. Cato. D. de verbor. obligat.*

Regvla II.

An contractus circa res particulares corporales, ſint diuidui, an indiuidui.

OMnis contractus quo res aliqua particularis certa, & determinata deducitur in obligationem

tionem in ſpecie, eſt omni ratione diuiduus: ſi verò res illa ponatur in genere, vel alternatiuè, contractus erit indiuiduus ratione liberationis, in reliquis verò diuiduus.

Expoſitio & confirmatio regulæ.

Sumimus hoc loco res quæ diſtinguuntur à quantitate hoc eſt quæ in numero pondere, & menſura non conſiſtont, ſunt tamen & ipſæ corporeæ: nam de incorporalibus agemus ſequenti regula. Agimus quoque de re aliqua particulari, vt fundo, equo, boue, non de vniuerſitate aliqua, vt grege, armento, exercitu, vnde fit vt rem illam particularem certam, & determinatam dicamus, quia cùm particularis ſit, ſuis certis limitibus illam contineri oportet. Denique ſpeciem, & genus vſurpamus Iuriſconſultorum more, qui vti ſæpiùs monui, ſpeciem dicunt quod Logici indiuiduum, genus quod iidem Logici ſpeciem nominant. Ariſtoteles nominat indiuidua quandoque ἔσχατα εἴδη. Itaque Pamphilus, Camilla, Bucephalus, fundus meus Tuſculanus, domus Neronis, eſt ſpecies, at verò, ſeruus, homo, equus, fundus, domus, res eſt in genere, certa tamen; vt vides, & quæ ſuos ſine dubio terminos habet. Quod autem poſſit res alternatiuè deduci in obligationem, iam ſæpiùs diximus, quando nimirum vel vna, vel altera promittitur ad arbitrium creditoris, vel debitoris, ita vt neutra determinatè promittatur, aut debeatur, peti ve poſſit, ſed vel vna, vel altera. Ex quibus perſpicuus manet noſtræ vniuerſalis Regulæ ſenſus: nimirum quoties res particularis in ſpecie ponitur in obligatione, contractum eſſe omni ratione diuiduum, ſcilicet ratione obligationis diuiſious inter hæredes, ſolutionis, & liberationis: quod ſi illa res ponatur duntaxat vel in genere, vt equus, ſeruos, domus, vel alternatiuè, vt Stichus, vel Pamphilus, vel Bucephalus, vel alius equus certo nomine deſignatus, contractus erit indiuiduus ratione liberatioois, diuiduus verò obligatione diuiſionis inter hæredes & ſolutione, qui ſunt omnes modi quibus contractus aliquis diuiduus, aut indiuiduus dicitur, vti monuimus initio. Tripartita itaque eſt noſtra regula, cuius ſingulæ partes ſingillatim à nobis probandæ ſunt, quod non operosè conficiemus.

11 Et quidem prima pars, contractum in quo res particularis ponitur in ſpecie, vt Stichus, Bucephalus, domos hæc mea, hæc columna marmorea, hæc lanx aurea, Titij fundus Tuſculanus, eſſe omni ratione diuiduum patet. Primò quoad obligationem, quia ſicut illa cadere poteſt in totam illam rem certam, & determinatam; ita & in illius partem aliquotam diuiduam: v. g. tertiam, quartam, aliámve eiuſmodi: quare Iulianus *l. in ſtipulationibus* 54. §. 1. *D. de verbor. obligat. Cum ſpecies ſtipulamur, neceſſe eſt inter dominos, & inter hæredes ita diuidi ſtipulationem, vt partes corporum cuique debeantur.* Idem omninò vult Vlpian. *in l. Stichus* 29. *D. de ſolutionib.* Pomponius *l. ſed ſi communis* 18. *D. de contrahend. emption.* & *l. ſed etſi non* 10. *D. de acceptilat.* atque *eodem tit.* Paulus *l. pars ſtipulationis* 9. Similia habentur *leg.* 2. & *leg.* 7. §. *fin. D. communi diu.* atque alibi, quæ tamen diuiſio obligationis non ita intelligenda eſt, vt quiſque partem rei ſeparatam, & diſcretam ſibi obligatam habeat, eamque ſibi vindicare, aut petere poſſit, cùm certum ſit permanente ſubiecto, ſiue re non deſtructa, fieri minimè poſſe talem diuiſionem. Eſt igitur quædam diuiſio virtualis, quæ & ſuum habet effectum, cùm & pars illius rei pro indiuiſo & peti, & ſolui poſſit, quod eleganter explicat Vlpian. *in l. ſeruus communis* 5. *D. de ſtipulatione ſeruorum: Seruus communis ſic omnium eſt, non quaſi ſingulorum totus, ſed pro partibus, atque indiuiſis, vt intellectu magis partes habeat quam corpore: & ideò ſi quid ſtipulatur, vel quaqua alia ratione acquirit, omnibus acquirit pro parte qua dominium, in eo habent*: itaque pars pro indiuiſo magis intellectu pars eſt, quàm corpore, ex mente Vlpiani, cui cæteri omnes deinde conſentiunt: pars autem diuiſa ſiue pro diuiſo, non eſt pars propriè, ſed totum, id eſt prædium, non pars prædij, vt habet Vlpian. *in l. ſi quis* 6. §. 1. *D. communia prædiorum*: & Quintus Mocius *in leg.* 25. *D. de verbor. ſignificat.* pars pro diuiſo certa eſt, pars pro indiuiſo incerta: vnde fit vt certæ parti pars pro indiuiſo paſſim opponatur in iure *leg.* 25. *D. quib. mod. vſusfructus amittit. leg.* 1. §. 7. *D. vti poſſidetis.* Pars pro diuiſo ſenſu corporis, pars pro indiuiſo ſenſu mentis percipitur, vt aiebat Vlpian. vnde Gottofredoa *in notis ad leg.* 6. *D. communia prædior.* ait ſolui nobilem illam quæſtionem, cur ſeruitus adquiri, vel imponi non poſſit parti pro indiuiſo. Finge feudum inter me, & te communem eſſe, cur ego parti meæ non poſſum adquirere, vel imponere ſeruitutem, cur fundo tibi mecum communi id non imponam, quod ſaltem valere poſſit pro parte mea, aut cur iure meo non vtar iure communi. Ratio eſt, quia mea pars non continetur regione certa, ſed fuſa per totum fundum eſt, ita vt impoſitam, vel adquiſitam parti meæ ſeruitutem, neceſſe ſit per totum fundum diffundi, aut in nullam partem inuito te: quia quælibet gleba mea eſt, quælibet tua eſt. Deinde ſeruitus eſt ius in corpore; parti pro indiuiſo non ſubeſt corpus, nec enim eſt, ſed intelligitur, neque plus mea parte in re communi vti poſſum, quod tamen fieret, ſi mihi ius eſſet in re communi inuito ſocio ſeruitutem imponere, quia is cui à me ius illud ceſſum eſſet vteretur ipſo fundo, & ſeruitute in eodem: quare neque prædij libertas adquiri, neque ſeruitus remitti in fundo communi poteſt ab vno ſocio, inuito altero; quod tradit Iauolen. *l.* 5. *D. communia prædior.* Neque dicas ſeruitutem à me impoſitam fundo communi, & meæ parti pro indiuiſo prohibere me non poſſe, quin illa vtatur is cui eam ceſſi; nam ſocius meus ipſum iure prohibere poterit ex *l. per fundum* 11. *D. de ſeruit. ruſticor. prædior.* vbi Celſus ait, quod ſi ſeruitutem in fundo communi ſolus tibi ceſſi, *ſubtili ratione*, hæc ſeruitus non aliter tua fiet, quàm ſi omnes mei ſocij eandem tibi ſeruitutem confirmauerint: nam nouiſſima hac ceſſione à ſociis facta anterior confirmabitur, quod etiam traditur *l.* 18. *D. communia prædiorum*: quare ſi ſtricto iure ageremus, poſſem te vtentem ſeruitute ante ſociorum meorum ceſſionem, prohibere; non tamen benigno iure, quod non patitur vti aduerſùs factum meum, licèt iure nondum teneat. Ex hac porrò explicatione partis pro indiuiſo, & à parte pro diuiſo, diſtinctione, quę in tota illa diſputatione, atq; alibi vtilis erit, manifeſtum fit quomodo contractus poſſit eſſe diuiduus ratione obligationis, quamuis res, quæ in illa deducitur, non ſit

ſecabilis in partes ſeparabiles abſque eius deſtructione, aut quin fiant tota noua, vt in ſeruo & fundo diximus: ſatis enim fuerit quod res illa partes habeat intellectas, ſiue potiùs intellectu, quam corpore, quæ ſunt partes pro indiuiſo, vt loquuntur Iuriſconſulti.

Secunda verò diuiſio diſtributionis inter hæredes in contractu de quo diſputamus circa rem particularem in ſpecie, æquè facilè oſtenditur: nam mortuo creditore diuiditur inter eius hæredes actio & obligatio, debitoris verò hæredes tenentur illam ſpeciem ſoluere pro rata, & ſecundùm partes hęreditarias, itáque diſtributio illa inter hæredes fit actiuè, & paſſiuè, quod manifeſtò probant iura nuper adddućta, *l. ſtipulationum*, *l. in ſtipulationibus*, *l. in executione*, *D. de verbor. obligat.* & *leg. 2. ac per totum C. de hæreditariis actionibus.*

Manifeſta quoque eſt diuiſibilitas ſolutionis, cùm debitor poſſit ſoluere partem pro indiuiſo illius rei, vel ſpeciei: vnde Vlpian. *l. ſtipulatus ſum mihi, 9. §. fin. D. de ſolutionib. Qui ſtichum debet, parte Stichi data in reliquam partem tenetur.*

Ex quibus etiam verbis conſtat eum contractum diuiduum eſſe ratione liberationis, quandoquidem parte rei ſoluta, & per creditorem accepta, contingit plena liberatio illius partis, & debitor manet tantùm obligatus ad reliquam partem, vt apertè pronuntiabat Vlpian. ibique gloſſa, & DD. conſentiunt, fauetque ratio, quia facta fuit ſolutio in parte rei verè debitæ, neque accidit illud volgatum incommodum, quod in diuerſis rebus fiant ſolutiones iſtæ partiales, quæ tamen in eadem re fieri deberent: nam cùm hîc; vti ſupponimus, ſit certa ſpecies debita, eius vnius partes pro indiuiſo ſoluuntur, licèt tota non ſoluatur ſimul. Denique quando ſolutio tantam affert vtilitatem reſpectu partis, quantam totum ſolutum reſpectu totius, ſi creditor accipiat particularem ſolutionem, liberabitur debitor.

12 Secunda pars noſtræ regulæ, contractum de re particulari in genere, diuiduum quidem eſſe ratione obligationis diuiſionis inter hæredes, & ſolutionis, indiuiduum tamen ratione liberationis; inde oſtenditur circa diuiduitatem, vti loquar, quia ſicut tota illa res in genere promitti, & in contractu poni poteſt, ita & eius pars, ſiue pro diuiſo, ſiue pro indiuiſo, & mortuo debitore hæredes illius tenebuntur pro rata ſecundùm partes hæreditarias ad illius rei partem ſoluendam; *leg. 1. & 2. C. de hæreditariis action.* & *l. in executione 85. §. pro parte. D. de verbor. obligat.* Soluere quoque poterit debitor partem rei genericæ reſtringendo ſolutionem ad rem particularem, & valebit ſolutio mero iure, creditore acceptante; quia tamen parte illa ſoluta, non contingit liberari debitorem, neque in tota re, neque etiam in parte ſoluta, idcircò eiuſmodi contractus dicitur indiuiduus ratione liberationis, & effectus ſolutionis. Ita verò habet citata *l. in executione 85. §. pro parte, D. de verbor. oblig.* vbi & idoneam rationem reddit Paul. his verbis: *Pro parte autem peti, ſolui autem niſi totum non poteſt; veluti cùm ſtipulatus ſum hominem incertum: nam petitio eius ſcinditur, ſolui verò niſi ſolidus non poteſt: alioquin in diuerſis hominibus rectè partes ſoluentur, quod non potuit defunctus facere, ne quod ſtipulatus ſum conſequar.* Non poterit igitur debitor vna parte ſoluta, aliam partem in alia re diuerſa illius generis dare, alioquin creditor haberet rem aliam ab ea quam fuerat ſtipulatus: v. g. non haberet ſeruum, aut rem aliam integram, ſed haberet partes in diuerſis ſeruis, vel rebus, & ſolutio non adferret tantam vtilitatem reſpectu partis, quantam totum reſpectu totius, ideóque non liberatur ſoluta illa parte pro indiuiſo; nam reliquas in eadem re, & non in diuerſis ſoluere tenebitur, niſi fortaſſis per acceptilationem aut per ſententiam abſolutoriam liberatio illi concederetur in ea parte, *l. qui hominem 17. D. de acceptilationib.* vbi Iulianus; Qui *hominem aut decem ſtipulatus eſt, ſi quinque accepto fecerit, partem ſtipulationis peremit, & petere quinque, aut partem hominis poteſt.* Eſt igitur indiuidua illa ſtipulatio ciuiliter, non naturaliter. Conſentit Paul. *in l. 2. §. ſi tamen hominem; D. de verbor. obligat.* Ex quibus infert Gomeſius *c. 10. citato n.* 8. ſi res cuius eſt ſoluta pars quotitatiua pro indiuiſo, pereat caſu fortuito, debitorem teneri aliam rem integram ſoluere in genere, quia prior partis ſolutio ipſum in aliquo non liberauit, ad idque adducit Gomez *l. in ratione 30. §. incerte. D. ad l. Falcid.*

Infert ſecundò creditorem, cui facta eſt ſolutio illius, poſſe petere totam rem in genere, eodem modo atque ſi nulla pars ipſi fuiſſet ſoluta, cùm debitor non fuerit liberatus illa particulari, & priori ſolutione, *l. ſi ſtipulatus ſum mihi 9. §. fin. D. de ſolutionib.* exiſtimarem tamen ſi deinde rem aliam in genere integram exhibeat, teneri creditorem reſtituere ſolutionem partis pro indiuiſo, quam antea acceperat, alioquin plus haberet quàm fuerit ſtipulatus, & ipſi debitum ſit, vt patet.

Quinimmò partem illam in iudicio poterit debitor repetere per condictionem indebiti, vel erit in pendenti penes creditorem, donec alia pars præſtetur in eadem re, aut alia res integra ſoluatur, quod diſertis verbis affirmat Paul. *in leg. 2. §. 1. D. de verbor. obligat.* vbi *ſi hominem* generaliter ſtipulet, *& Stichi pars ſoluta ſit, nondum in vlla parte ſtipulationis liberatio nata eſt, ſed aut ſtatim repeti poteſt; aut in pendenti eſt donec alius detur.* Si igitur debitor partem aliam ſoluat in eadem re, ſtatim erit liberatus; ſi verò aliam diuerſam rem integram ſoluerit, v.g. totum Pamphilum, poterit repetere partem, quam primò ſoluit, per condictionem indebiti; medio verò tempore quo debitor nondum ſoluit aliam partem in eadem re, vel aliam rem integram, & penitus diuerſam, creditor poterit petere rem integram in genere ac ſi debitor nihil ſoluiſſet. Debitor verò toto illo medio tempore minimè poterit repetere partem, quam ſoluit, quia cùm de eius voluntate peruenerit ad creditorem, poterit creditor eam ſibi retinere, donec ipſi in eadem re, vel in alia integra ſibi fiat ſolutio. Repetitio itaque debitoris per condictionem indebiti erit in re pendenti, donec ſoluat plenè, & perfectè in eadem re, vel in alia integra: nam ſi in eadem, non competeret ipſi repetitio quæ competeret ſi ſoluat in alia integra. Atque ita Paulum explicat Gomez. *num. 9.* vbi aduertit diſcrimen eſſe inter principalem debitorem rei genericæ, & eius partiarios hæredes: nam ſi principalis debitor ſoluat partem, non liberatur, vti diximus, neque ſuſpenditur obligatio, & actio, ſiue executio creditoris: nam creditor poterit integram rem in genere petere, æquè atque ſi nihil recepiſſet. At verò licet obligatio diuidatur inter eius

hæredes

hæredes partiarios pro partibus hæreditatis, ſi tamen vnus eorum ſoluat partem, licèt reipſa non ſit liberatus, tamen ſuſpenditur actio, & exactio pro illa parte ſoluta, quam non poteſt exigere creditor, eſtque in pendenti eiuſmodi exactio, donec alij hæredes conueniantur, qui ſi ſoluant in eadem re, tunc ille prior erit planè liberatus; alioqnin non liberabitur, & conueniri poterit, quod totum diſertè affirmat Gloſſa, quam DD. paſſim ſequuntur *in l. in executione* 85. §. *pro parte. D. de verbor. obligat.* Ratio huius diſcriminis eſt, quia quando principalis debitor ſoluit partem, non ſoluit totum quod debet: quando verò vnus ex hæredibus ſoluit ſuam partem, videtur ſoluere totum quod debet. Iure igitur ſuſpenditur, aut impeditur actio contra eum.

Difficultas tamen non leuis eſt quando plures hæredes debitoris rei in genere non conſentiunt in eligenda re in qua fiat ſolutio, quia vnus vult dare ſuam partem in vna re, alter in alia, quid faciendum ſit. Aliqui volunt ſtandum eſſe maiori parti hæredum, alij agendum ſorte putant, alij petendum à Iudice vt conuenire iubeat, vel ipſemet rem in qua fiat ſolutio deſignet vrgente creditore. Gumeſ. diſtinguit *num.* 10. nam vel creditor vult agere ad pretium, & æſtimationem rei debitæ, vel ad rem ipſam. Primum poteſt propt:r hæredum diſcordiam, atque ita cogentur ſinguli ad illam æſtimationem ſoluendam, prout diximus: ſi rem ipſam exigat, officium Iudicis erit cogere hæredes, vt in vna tandem re conueniant, quandoquidem illorum diſſenſio cadit in præiudicium tertij; vnus autem hæres contra alium agere poterit ſorte; poterit quoque ſoluere totam rem pro ſe, & cohæredibus diſſentientibus, vt ſe pro ſua parte liberet, quod non obtineret niſi tota re ſoluta; ac deinde iudicio familiæ Erciſcundæ recuperabit pretium ſuæ ſolutionis. Si verò creditor rei genericæ plures relinquat hæredes, qui inter ſe diſſentiant, lis iſta inter cohæredes ſorte dirimenda erit, ſi electio fuerat creditoris, & ſi quis eorum ſit in culpa, propter quam alij damnum paſſi fuerint, tenebitur ad illud reparandum iudicio familiæ Erciſcundæ. Si verò electio fuerat debitoris, poterit ille rem quam voluerit offerre hæredibus, ſicut defuncto creditori poterat offerre, quandoquidem ex perſona hæredum conditio obligationis non mutatur. Debebit tamen offerre rem integram omnibus hæredibus, non vni vnam partem in vna, & alij in alia; quia non maneret liberatus donec aliis ſoluiſſet, *l. qui hominem* 34. §. 1. *D. de ſolutionib.* vbi qui promiſit ſeruum duobus reis ſtipulandi, & vtrique partes diuerſorum ſeruorum dederit, non remanet liberatus. Si tamen debitor verè, & realiter ſoluit omnibus hæredibus partes ſuas in diuerſis partibus, liberari illum exiſtimat Gomeſi. quia ipſo iure diuiſa fuit obligatio, & actio inter illos, ceſſatque omne inconueniens, cùm aliud pro alio, de voluntate creditoris ſolui poſſit.

13 Tertia noſtræ regulæ pars erat de contractibus alternatiuis, de quibus idem omninò ſtatuebam, quod de pactis rei in genere, nempe ratione obligationis, diſtributionis inter hæredes, & ſolutionis, diuiduos eſſe; cùm rei alternatiuæ pars obligari, ſolui, & pro portionibus hæreditatis diſtribui inter hæredes poſſit; eſſe nihilominus indiuiduos ratione liberationis, ſoluta enim parte rei alternatiuæ, non obtinetur liberatio, ſed manet in pendenti, donec alia pars ſoluta fuerit in eadem re, vel alia res integra alternatiuè debita ſoluatur: ita *l.* 2. §. *& harum, D. de verbor. obligat. l. in executione* 85. §. *pro parte, D. eodem, l. ſi non ſortem* 26. §. *ſi decem, D. de condictione indebiti*: quia cùm in alternatiuis electio ſoleat eſſe debitoris, ſi liberararetur ſoluta parte rei alternatiuè debitæ, poſſet ſoluere aliam partem in altera re alternatiuè debita, quod cederet ſæpius in præiudicium creditoris, qui ſolutionem ſuam in diuerſis rebus capere cogeretur: quare ſi electio foret creditorum, contingeret ſanè liberatio debitori in parte ſoluta, quia iam elegit rem in qua partem ſolutionis accepit, poteritque cogere debitorem vt aliam partem ſoluat in eadem re.

Ex quibus infertur primò quod ſi plures ſunt domini alicuius ſerui, qui damnum, aut noxam fecerit, quilibet dominus tenebitur in ſolidum actione noxali: quod idem dico de aliorum dominorum hæredibus: quare ſi vnus eorum conueniatur actione noxali, tenebitur aut ſoluere æſtimationem totius damni, aut dare totum ſeruum pro noxa, neque ſatis fuerit dare partem ſuam, quã habet in ſeruo *l. ſi ſeruus communis* 8. *D. de noxalib. actionibus*: quare noxæ deditio partem non recipit. Ratio eſt, quia quando agitur actione noxali, quantitas ſeu æſtimatio damni eſt in obligatione; datio verò pro noxa eſt in ſolutione: ideò vnus ex dominis non poteſt ſoluere pro parte; quia ſi vnus ſolueret pro parte quantitatis, alter fortè vellet ſoluere partem quam habet in ſeruo pro noxa, atque ita actor conſequeretur debitum ſuum in diuerſis rebus, quod eſſe inconueoiens exiſtimant paſſim iura. Contrarium verò contingit quando plures ſunt domini ſerui, vel alicuius animalis, quod damnum paſſus eſt, & non intulit, licèt enim quilibet tunc poſſit agere, non conſequetur tamen niſi partem ſuam in æſtimatione, vel totum, ſi dominus eam elegerit eum dare noxam, *l. ſi ſeruus ſeruum* 27. §. *item ſi ſeruus communis, D. ad leg. Aquiliam.* In cæteris etiam non contingit, vt dum plures damnum faciunt, perpetuò teneantur ſinguli in ſolidum, vti oſtendit *capite* 10. *citato*, Gomeſ. *n.* 14. in actione de aqua tollenda, & nos de aliis oſtendemus inferiùs, vbi de reſtitutione ex delicto.

Regvla III.

An contractus circa res incorporales, & intellectuales, vt ſeruitutes, ſint diuidui, & quomodo.

Contractus circa ſeruitutes reales omni ratione 14
indiuiduus eſt; circa ſeruitutes verò perſonales diuiduus eſt, vel indiuiduus prout eiuſmodi ſeruitutes diuiſionem pati, aut non pati poſſunt.

Expoſitio & confirmatio Regulæ.

De ſeruitutibus fuſiùs acturi ſumus inferiùs *in appendice* 1. *de dominio*, impræſentiarum duntaxat, quærimus diuiduæ, an indiuiduæ ſint, cùm enim hoc loco agamus de contractibus in vniuerſum diuiduis, aut indiuiduis, qui tales, vti initio monuimus, denominantur à materia, quæ per illos in obligationem deducitur, in illa verò materia ſubiecta contractibus ſæpius ſint ſeruitutes, non potuimus abſtinere à præſenti quæſtione, & in appendicem citatam reiicere, ne vniuerſalis iſta doctrina manca, & imminuta foret. Pono autem

ſeruitutem eſſe ius quod quis vel in *re*, vel ex re ſua alteri conſtituit: eaque duplex eſt, vna perſonalis, veluti vſusfructus, vſus, habitatio, altera realis, vt ſeruitutes prædiorum vrbanorum, & ruſticorum *l. 1. D. de ſeruitut.* hoc eſt ius in alieno prædio aliquid agendi, quod alteri agere non licet ab ipſius domino permiſſum. *l. 1. citata*, dicuntur ſeruitutes illæ reales, quia prædiorum ſunt, & ſine prædiis conſtitui non poſſunt; nemo enim ſeruitutem acquirere poteſt vrbani, aut ruſtici prædij, niſi qui prædium obtinet, nec quiſquam debere, niſi qui prædium habet, §. 3. *Inſt. de ſeruitut. l. 1. D. commun. prædior. l. quoties 15. D. de ſeruitut.* Seruitutes perſonales dicuntur, quia & hominibus debentur & cum iis pereunt, atque extinguuntur *l. 8. §. tale. D. de ſeruitut. legat. l. 15. D. de ſeruit. l. 20. in fine, D. de ſeruit. ruſt.* Itaque ſeruitutes perſonales nominantur cùm res perſonæ, reales vero cùm res rei; ſeruit ſumunt enim denominationem iam reales quàm perſonales à dominante, tamquam à digniore, non autem à ſeruiente.

Aio igitur in prima parte noſtræ Regulæ, contractus circa ſeruitutes reales, eſſe omni ratione indiuiduos; ago verò in primis de contractu promittente ſeruitutem aliquam realem; oſtenditur autem hæc noſtra Regula ex enumeratione quadruplicis modi, quo contractus poteſt eſſe diuiduus, vel indiuiduus, vti monuimus initio. Et primò quidem ratione obligationis, atque promiſſionis indiuiduus eſt contractus, de quo agimus, cùm pars tantùm ſeruitutis in obligationem deduci nequeat, *l. ſtipulationes non diuiduntur 72. D. de verbor. obligat.* & *l. via itineris 17. D. de ſeruit.* vbi Pomponius rationem reddit, quia harum ſeruitutum vſus indiuiſus eſt: & *l. pro parte 11. D. eod. l. ſi quis duas 6. §. ſi quis partem, D. communia prædiorum*, vbi Vlpianus; *per partes ſeruitus imponi non poteſt, ſed nec acquiri*: & *l. & per iusiurandum 13. §. 1. & 2. D. de acceptilat. l. fin. D. de ſeruit. legata, leg. vt pomum 8. D. de ſeruitutib.* Paulus negat ſeruitutem per partes ab initio acquiri potuiſſe. Ratio verò perſpicua eſt, quia ſeruitus neque naturaliter, neque ſecundum iuris diſpoſitionem diuidi poteſt. Non primum cùm ſit res intellectualis, & incorporea. Neque ſecundum, illa enim eſt conſtantiſſima regula, quantum ex communi DD. tum manifeſto iure *l. in executione, §. ſecunda ad opus. D. de verbor. obligat.* & *l. 5. §. opere, D. de verb. ſignificat.* & *l. ædificia, §. perfeciſſe. D. eod.* atque alibi probat Gomez. *tom. 2. variar. cap. 10. num. 15.* illud dici & eſſe indiuiduum cuius pars non affert tantam vtilitatem reſpectu partis, quantam affert totum reſpectu totius; id verò contingere in ſeruitute non difficulter oſtenditur, ſiue fundum ſeruientem ſiue dominantem attendas; quia vel fundo indefinitè, vt loquitur Celſus *l. ſi cui 9. D. de ſeruit.* imponitur ſeruitus, vel vni tantùm parti fundi. Si primum tunc quælibet pars fundi eſt ſeruiens, & per quamcumque iter, aut viam v.g. agere licebit, quia quælibet pars fundi fundus eſt. *l. ſi quis duas 16. §. 5. D. commun. prædior.* & *l. locus 60. D. de verb. ſignificat.* & conſequenter ſeruiens eſt. *l. certo generi 13. §. 1. l. ſi mihi 21. l. via 23. §. vlt. D. de ſeruit. ruſticor.* Si verò ſeruitus vni parti fundi duntaxat impoſita fuit vel ad illam reſtricta electione eius cui conceſſa fuit, vel ex ſubintellecta conditione, cùm omnia non exprimantur ſemper in contractibus, qui ciuiliter intelligendi ſunt, vti monet Celſus *l. 9. nuper allata*; pars illa fundi eſt fundus ſeruiens, & ſeruitus in illa conſtituta indiuiſibilis eſt, cùm eius vſus indiuiduus ſit, & totus ille fundus ſeruiat reuerà fundo dominanti, neque quis ea ſeruitute fundi partialis vti poſſit, quin totam illam fundi partem tangat, aut ſibi ſeruientem habeat: ſi enim illius partis aſſignatæ vna tantùm pars ſeruituti fuerit obnoxia, hæc iam pars ab altera veluti auulſa, erit duntaxat fundus ſeruiens. Cùm igitur ſeruitus ſit indiuidua reſpectu fundi ſeruientis, erit quoque reſpectu fundi dominantis, propter mutuam, & reciprocam correlationem: tale ſiquidem, & tantum eſt dominium, vt ita dicam, vnius fundi, qualis, & quanta eſt ſeruitus alterius ſibi obnoxij. Denique cùm ſemel deſignata eſt aliqua pars fundi, quæ ſeruiat, aliis liberis permanentibus, illa mutari nequit, vt dicitur *eadem l. 9. D. de ſeruitutibus*, atque alibi. Quod ſi reſtringatur, iam fit alia ſeruitus, vt ex ſeruitute viæ, ſeruitus itineris, aut perit tota ſeruitus, vti ſuo loco explicabimus *lib. vltimo in prima appendice.* Denique licèt ſeruitus ſit tota, in toto, & tota in qualibet parte fundi non diuiſi, vt ſæpius habetur *D. de ſeruitutib.* ſi tamen fundus ipſe diuidatur, & in aliqua parte fundi illius ſiue ſeruientis, ſiue dominantis pro diuiſo conſtituatur, vel remittatur ſeruitus, non diuiditur ipſa ſeruitus, ſed ſolùm reſtringitur, & ſicut anteà comprehendebat totum fundum, & quaſlibet eius partes, nunc reſtricta eſt tantùm ad illam partem fundi diuiſam, in qua reperitur conſtituta, neque ad alias fundi partes diuiſas, aut ſeparatas extenditur, quod Gomeſius explicat ex Bart. Angelo, & aliis, ſimilitudine animæ rationalis quæ eſt tota in toto homine & tota in qualibet parte, ſi tamen pars aliqua diſtrahatur à corpore, abſcindatur v.g. manus, aut pes, non diuiditur anima, ſed intra reliquas partes quodammodo reſtringitur, cùm partes auulſas non informet amplius. Verùm de indiuiſione fuſius dicemus loco citato, vbi & de diuiſione, & diſtributione ſeruitutis inter hæredes: nam mortuo promiſſore ſinguli eius hæredes tenentur conſtituere ſeruitutem; & mortuo creditore quilibet ex *hæredibus* poteſt agere in ſolidum ad conſtituendam ſeruitutem, nec poteſt inter eos diuidi actio, vel obligatio ſecundùm partes hæreditatis: quæ omnia potiùs hoc loco ſupponenda ſunt, quàm probanda, ne longiùs digrediamur, & implicatiſſimam materiam incommodè, & breuiùs, atque adeò obſcuriùs alieno loco tractemus, interim adi Gomeſium *cap. 10. citato, num. 16.*

Indiuidua præterea eſt promiſſio, & pactio ſeruitutis ratione ſolutionis, & liberationis, cùm pro parte tantùm ſolui non poſſit ex Paulo *l. 2. §. 1. D. de verbor. obligat.*

15 Altera noſtræ regulæ parte dixi contractus circa ſeruitutes perſonales diuiduos aliquando eſſe, aliàs indiuiduos pro natura ſeruitutum quas habent pro materia; quod ipſa enumeratione eiuſmodi ſeruitutum manifeſtè conſtabit. Nam primò vſusfructus ſeruitus diuidua eſt omni ratione, quia poteſt promitti in toto aliquo fundo, vel pro parte quotitatiua, factaque traditione quæritur ius vſusfructus, vel in toto fundo; vel in eius parte, & conſequimur commoditatem fructuum pro ea parte, habemuſque omnia remedia, & interdicta quæ competerent ipſi fructuario *l. 5. D. de vſufructu*: vbi Papinianus: *Vſusfructus & ab initio pro parte indiuiſa, vel diuiſa conſtitui, & legitimo tempore ſimiliter amitti, eademque ratione per legem Falcidiam minui poteſt*: quare in eo differt vſus fructus à cæteris ſeruitutibus, quod diuiduus eſt, *l. 5. §. vſus*

§. *vſusfructus, D.ad l. Falcidiam.* diuiduus inquam non minùs tempore, quàm re, cùm æſtimetur ex vtendo *l. vn. D. quando dies vſusfruct.legat. cedat.* Vtitur autem, & quiſque fruitur eo tempore quo fructus percipit: quare eleganter Celſus dicebat vſumfructum quotidie conſtitui, & quotidie amitti *l. 1. §. interdum. D.de vſufructu adcreſcendo*: habet verò partes non intellectu tantùm iuris, ſed etiam diuiſione corporis, ſi in fundo diuiſo conſtituatur, vt loquitur Papinian. *in l. Manius 66. §. duorum. D. de legat.* 2. poterit igitur conſtitui pro parte ſiue diuiſa, ſiue indiuiſa. Vide alias rationes apud Gomeſ. *cap.* 10. *citato, n.* 18.

Secundò vſusſeruitus qui perſonalis quoque eſt prorſus indiuiduus exiſtit, cùm neque pro parte promitti, & conſtitui, neque ſolui poſſit, *l. vſus pars. D.de vſu*: *Vſus pars*, inquit Paulus, *legari non poteſt: nam frui quidem pro parte poſſumus, vti pro parte non poſſumus.* Indiuiduus igitur eſt vſus, in eoque differt ab vſufructu; ratio diſcriminis eſt, quia licèt vſusfructus formaliter in iure conſiſtat, materialiter tamen conſiſtit in fructibus, qui cùm ſint corporales, diuidui ſint: vſus autem conſiſtit totus in vtendo, quod meri facti eſt, facta verò omnia indiuidua ſunt, *l. 2. §. item ſi in facto. D. de verbor. obligat.* quod autem plures poſſint in vſu concurrere, vt *in l. per ſeruum* 14. *§. pen. D.de vſu*, non facit vſum diuiduum, ſicut neque alia ſeruitus prædialis diuidua fiet, ſi duobus ſimul legata fuerit, ſinguli enim vtentur tota ſeruitute in ſolidum, quaſi reipſa, quam ſeruitutem debet in ſolidum, libera affecta *l. 2. & l. pro parte* 11. *D. de ſeruitutibus*, ipſorum erit ne diſſentiendo ſe inuicem impediant, cùm in ſolidum ſeruitute vti non poſſint *l. 2. §. vlt. D. quib. mod. vſusfruct. amitt. l. itinere* 28. *D. de ſeruitutib. ruſticor. præd.* Quod ſi conſentiant, neque vtantur in ſolidum, quod non poſſe diximus, ſed pro ſua quiſque parte, id occaſione magis fiet, quàm iure *l. 2. D. de riuis*: neque quis eo minus vtitur in ſolidum, quòd cum alio vtatur *l. ſi vt certo* 5. *§. vlt. D. commodati*; quamuis in effectu pro parte tantùm, vti videatur, ſcilicet facta relatione ad factum potiùs, quàm ad ius. Cætera dicemus vbi de vſufructu, & vſu, *appendice.* 1.

REGVLA IV.

An contractus circa factum aliquod, & operam præſtandam, ſint diuidui, vel indiuidui.

16 CVm ordinatiè factum omne ſit indiuiduum ex iuris diſpoſitione, pactio quoque, & contractus circa illud indiuiduus erit.

Expoſitio & confirmatio Regulæ.

Obſeruandum eſt aliquem promittere poſſe factum proprium, vel alienum: prima illa promiſſio promittentem obligat tum naturaliter, tum ciuiliter ad ipſummet factum præſtandum, vel ad intereſſe, hoc eſt quantum intererit promiſſario factum illud non fuiſſe præſtitum, ita vt communiter non poſſit promiſſor, ſiue debitor compelli ad factum præſtandum, ſed liberetur ſoluendo intereſſe. Quam communem, certamque ſententiam ex iure, & DD. oſtendit pluribus Gomeſius *tom. 2. cap. 10. n. 12.* Et ſanè ſi in aliquo caſu quis obligetur præcisè ad ipſum factum, ad illudque compelli valeat, neque liberetur offerendo intereſſe creditori, id non tam oritur vi contractus & promiſſionis de illo factæ, quàm ex alia cauſa pariente obligationem: v.g. ex obligatione impoſita à Iudice, qui quidpiam factum explicare in iudicio iubet; tunc enim illa confeſſio, aut explicatio facienda omninò in ſolutionem alicuius intereſſe commutatur, *l. ſed & hæc. §. præter. D. de procurat.* & *l. certum, D. de confeſſ.* ibique paſſim DD. quando factum ex legis diſpoſitione debetur, *l. ſi cum exceptione, §. ſed & ſi quis. D. quod metus cauſa. l. 1. & per totum D. de tutelis. l. 1. D. de adminiſtrat. tutor. l. ſtipulatio, §. opus. D. de operis noui nunciat.* vbi ſi quis poſt denuntiationem ſibi factam domum ædificauerit, præcisè cogitur demoliri. Tertiò ſi quis ex lege teſtamenti obligetur ad factum, illud reipſa ponere cogetur; ſic enim habet *l. fideicommiſſa, §. fin. D. de legat.* 3. Si quis opus facere iuſſus, paratus ſit pecuniam dare Reipublicæ vt ipſa faciat, cùm teſtator per ipſum fieri voluerit, non audietur. Quartò quando promiſſioni de facto fuit adiectum iuramentum, tunc etiam illi promiſſioni accedit obligatio Religionis, vti explicabitur inferius. Quintò ſi quis actione reali, puta rei vindicatione conueniatur, & à Iudice condemnatus ſit rem reſtituere, tenetur præcisè ad illam rei reſtitutionem, neque ipſius pretium offerre, erit in eius arbitrio, quinimmò licebit Iudici expellere ſic condemnatum à poſſeſſione, & tradere actori qui in iudicio victor extitit, *l. qui reſtituere, D. de rei vindicat.* Teneri enim venditorem rem ipſam tradere, ſi poteſt, neque eius oblato, aut reſtituto pretio contentum eſſe teneri emptorem inuitum plures exiſtimant, & nos inferiùs fusè, qua de re vide gloſſam ſingularem in *§. pretium, Inſtit. de emption. & vendit. verſ. tradatur.* In his omnibus vides non agi de promiſſione facti præſtandi, ſed de obligatione ad aliquod factum, aliunde quàm ex promiſſione natum, vt ex iudicio, lege, teſtamento, religione, & alio quopiam contractu. Si tamen factum promiſſum non implicaret intereſſe aliquod, & commodum pecuniarium, teneretur promiſſor ad factum, neque liberaretur offerendo, aut ſoluendo intereſſe, vt qui promiſit profiteri aliquam artem, aut illam docere pro certo ſalario, ad illam ipſam artem promiſſam teneretur fauore Reipublicæ, cuius intererat illam artem exerceri, & quæ cum eo debitore conuenerat.

Promiſſio facti alieni, ſiue ab alio quàm à te præſtandi non obligat etiam ad compenſandum intereſſe illius omiſſionis, quando illud factum eſt omninò extraneæ perſonæ, quæ non eſt in poteſtate promittentis, & à quo cogi ad agendum non poteſt, vti cogi poſſent filij, ſerui, & alij eiuſmodi. Ratio verò manifeſta eſt, & à nobis olim indicata, quia promittitur aliquid impoſſibile promittenti, cùm facere non poſſit, vt ille extraneus quidpiam faciat, ſi nolit. Cùm igitur illa promiſſio nulla ſit & non pariat obligationem, de ea non agimus hoc loco: vide quæ fuſiùs diximus *cap. 1. art. 6. in 2. regula de pactis perſonalibus*, quæ alteri quam paciſcenti neque proſunt, neque nocent. Deinde cùm ex pactione de facto proprio nullus vi illius pactionis, & contractus obligetur præcisè ad factum, ſed diuiſim ad factum, vel eius omiſſi intereſſe, eodem modo diuidua, vel indiuidua erit iſta pactio ratione intereſſe ſoluendi, atque facti præſtandi.

Obſerua ſecundò poſſe ab initio contractus promitti, vel ſimpliciter aliquod factum, & opus,

vt

vt ædificatio domus, vel pars aliquota, & determinata, atque diuiſa operis deſignati, vt cœmenta, parietes, fundamenta, tectum, vel frons domus, quæ ſunt ſingula opera prorſus diuiſa, & ſeparata, de quibus æquè quæritur an ſint diuidua, vel indiuidua, atque ſi totum opus omnibus ſuis partibus conſtans indiuiſè fuiſſet promiſſum.

Obſerua tertiò factum aliud eſſe reale, vt ædificatio domus, aliud merè perſonale, vt non offendere, non impedire ab aſſequenda dignitate, & ſimilia.

Obſerua denique promitti nonnunquam factum proprium promittentis, alias verò expenſas duntaxat, & ſumptus, earumque omnem illius perficiendi.

17 Dixi igitur in noſtra regula, pactionem, & contractum de facto aliquo, ſiue opere faciendo, eſſe prorſus indiuiduum, quia ordinariè factum eſt ex iuris diſpoſitione indiuiduum, quæ ratio euidens eſt ex hactenus diſputatis, cùm dixerimus pacta, conuentiones, & contractus, diuiſionem, aut indiuiſionem accipere à ſubiecta ſibi materia. Si igitur factum indiuiduum eſt ex iure, contractus circa illud præſtandum ſimili ratione indiuiduus erit: tota itaque difficultas eſt in probanda facti indiuiſione, quam in primis affirmant DD. & ius ipſum *l. libertus qui* 15. *D. de operis libert.* neque promitti, neque ſolui, nec deberi, neque peti pro parte poterit opera. Sanè impoſſibile foret aliquam partem operis facere pro indiuiſo; ſi enim aliquid fiat etiam minimum, in eo ipſo debitor, vel alter quiſpiam habebit reliquas partes, atque ita non poterit creditori præſtari pars, quam fuerit ſtipulatus. Deinde mortuo promiſſore, vel debitore facti, relictis pluribus hæredibus, quilibet tenetur in ſolidum *l. in executione* 81. *D. de verbor. obligat.* vbi etiam habetur, quod quando fit ſolutio in parte diuiſa, aut indiuiſa, debitorem non liberari in illa parte ſoluta, cuius alia ratio non eſt, quàm quia factum eſt indiuiduum, quod manifeſtò demonſtratur. Primò quia factum tantùm pro parte non affert tantam vtilitatem reſpectu partis, quantam totum reſpectu totius; in quo tamen rationem indiuidui collocari à iure nuper notauimus. Et ſanè tota domus eos habet vſus, ad quos deſtinatur, qui in eius tantùm parte ſoluta non reperientur. Secundò opus & factum ad ſui perfectionem, & conſummationem reſpicit formam primam ſine qua non poteſt dici factum: quare *l. ſi is qui quadringinta, §. quadam, D. ad l. Falcidiam* ait: *Sed & ſi opus municipibus hæres facere iuſſus eſt, indiuiduum videtur legatum, nec enim, aut vllum balneum, aut theatrum, aut ſtadiũ feciſſe intelligitur, qui ei propriã formã, quæ ex conſummatione contigerit, non dederit.* Vide & *l.* 5. & *l. ædificia. D. de verbor. ſignificat. leg. ſtipulatio. §. opus D. de noui oper. nunciat.* & *l.* 2. *D. de præter. ſtipulat.* Tertiò cùm in obligationibus facti ſuccedat poſt moram debitoris obligatio ad intereſſe, immò debitor non obligetur præcisè ad factum, libereturque ſoluendo intereſſe, vti nuper monuimus ex communi DD. fas eſſet debitori vbi partem facti præſtitiſſet, aliam partem ſoluere in æſtimatione, & pecunia, atque ita fieret ſolutio in diuerſis rebus inuito creditore, contraque eius mentem *leg. in executione, citat. §. pro parte.*

Ex his plurima infert Gomeſius *capite citato* 1. factum merè perſonale, v.g. non offendere alium, eſſe quoque indiuiſum. Secundò promiſſionem, obligationemve pecuniæ in ordine ad factum, eſſe quoque indiuiduã, ſicut & ipſum factũ, *l. fideicommiſſa, §. ſi in opere. D. de legat.* 3. *Si in opere ciuitatis faciẽdo aliquid relictũ ſit, vnumquemque hæredem in ſolidũ teneri Diuus Marcus, & Lucius Verus reſcripſerũt.* Tertio quoties aliqua quãtitas, vel res poſita eſt in conditione ſolutionis, reputatur indiuidua, quia cenſetur factum, & pro parte ſolui non poteſt, mortuoque debitore non diuiditur inter hæredes, ſed quilibet tenetur in ſolidum in his caſibus, in quibus ius vel obligatio implendi conditionem tranſmittitur ad hæredes: ſic enim *l. cui fundus. D. de condition. & demonſt.* loquitur. *Cui fundus legatus eſt, ſi decem dederit, partem fundi conſequi non poteſt, niſi totam pecuniam numeraſſet:* quod verum eſt quando vni tantùm eſt adiecta conditio; ſecus verò ſi pluribus, quia tunc poterit quiſque pro parte illam implere, & emolumentum quoque conſequi pro parte, *l. ſi quis legata. §. fin. D. de cond. & demonſt.* Quartò ſi quis vendat rem certo pretio cum pacto de retrouendendo, ſi dimidium pretiũ, vel eius tertiam, quartam, aliamve partem reddat, non poterit rem venditam pro illa parte redditi pretij redimere; neque ſi decedat relictis pluribus hæredibus, poterit vnus illorum rem eiuſmodi pro ſua parte redimere. Primò quia facultas illa redimendi eſt indiuidua, cùm quantitas in ea poſita ordinetur ad factum, nempe tradendam rem, traditio verò facti eſt. Deinde talis quantitas, & ſolutio videtur poſita in modum conditionis, ideóque in ſolidum impleri debet, vt quis rem conſequatur; & manifeſtum ius habemus *in l. fiſtulas, §. qui fundum. D. de contrah. empt. l. ſi quis aliam, D. de ſolution.* Accedit ratio, nam ſi pro parte poſſet redimere, emptor incideret inuitus in communionem cum venditore, quod inconueniens exiſtimatur *in l. cùm pater. §. dulciſſimis. D. de legatis* 3. Quintò idem contingit in contractu cenſuali, & emphyteutico cum pacto, vt debitor poſſit rem cenſualem redimere reddita pecunia, neque ipſe, neque eius hæredes poterunt redimere pro parte. Sextò ſi plures domini vendant rem cum pacto de retrouendendo, vnus ſine alio nõ poterit redimere pro ſua parte, quæ omnia pluribus oſtendit Gomeſ. Septimò emphyteuta obligatus cenſum ſoluere de ædibus; pluribus hæredibus relictis, talis obligatio eſt indiuidua, quare licèt vnus ſoluat pro parte, & non alter, elapſo triennio res emphyteutica cadet in commiſſum, eadem ratione atque ſi nullus ſoluiſſet, *l. communi diuiduo. D. communi diuid.* quod idem contingit mortuo debitore, qui pignus creditori tradiderat; licèt enim vnus ex hæredibus partem debiti pro ſua portione hæreditaria offerat, non poterit pignus conſequi, niſi totum debitum ſoluat, quod ex iure oſtendit Gomeſ. tum in illo caſu, tum in caſu retractus qui à proximiori conſanguineo pro parte fieri nequit.

ARTICVLVS VIII.

De pactionibus & contractibus incertis.

Quid ſit incerta pactio. 1.
De incertitudine ratione perſonæ. 2. 3. 4.
De incertitudine ex verbis ambiguis. 5.
De incertitudine quantitatis. 6.

De

De incertitudine ex rei indeterminatio-ne. 7.

De incertitudine indiuidui. 8.

1 INcertas nominamus pactiones, & contractus aliáſve diſpoſitiones, quarum obligatio incerta, & dubia, ac proinde nulla eſt, cùm ita mandari nequeat executioni, vt nullum maneat dubium, an fuerit ſatisfactum intentioni paciſcentium, aut diſponentium. Conſtat verò ex variis iuribus ſtatim adducendis, incertitudine totam diſpoſitionem ſæpius vitiari, & corrumpi. Hæc porrò incertitudo contingit vel ratione perſonæ cum qua paciſcimur, aut in cuius fauorem de re quapiam teſtamento v. g. donatione, aliáve ratione diſponimus, quæ perſona non ſatis clarè deſignatur, incertumque eſt de qua loquatur diſpoſitio, cùm de aliis æquè poſſit intelligi. Secundò petitur incertitudo ex verbis quibus fit diſpoſitio, ſiue vt loquuntur alij, ex forma diſpoſitionis, eo quod verba ſint admodum obſcura, & varias interpretationes æquè probabiles patiantur. Tertiò denique naſcitur incertitudo ex ipſamet re de qua fit pactio, vel diſpoſitio, quæque eius obiectum, vel materia eſt, eo quod non ſatis deſignetur, demonſtreturque vna aliqua res, & ab aliis ſimilibus diſtinguatur, quia vel non exprimitur numerus, pondus, & quantitas, quoties res illa conſiſtit in quantitate, v. g. promittitur oleum, vinum pecunia, neque quantitas explicatur, vel genus duntaxat generaliſſimum ponitur in diſpoſitione; legatur v.g. animal, ſubſtantia, ens, vel ponitur genus ſubalternum quod æquè in pluribus ſpeciebus verificari poſſet, vt dum legatur animal, de equo enim, boue, ſue, & aliis verificari poterit; vel adhibetur ſpecies quæ pluribus numero differentibus æquè conuenit; Iuriſconſulti nominant genus inferius, quod pridem, & ſæpiùs monuimus, legat v. g. aliquis ſeruum, equum, bouem; vel ponitur res indefinita ſiue quæ nullos habet terminos certos, ſiue naturâ, ſiue hominis voluntate, & diſpoſitione conſtitutos: legauit quis fundum ruſticum nulla adhibita demonſtratione, per quam à cæteris fundis deſignetur, vel denique factum de quo diſponitur indeterminatum, incertumque eſt, grauat nempe teſtator hæredem domum ædificare, vel aliud quidpiam, neque explicat quo loco, qua forma, in quem finem ædificium illud faciendum ſit. In his omnibus caſibus redditur, vt vides incerta pactio, hæretque animus quomodo ſit ſatisfaciendum obligationi diſponentis; atque vbi in eiuſmodi incertitudine quidpiam fecerit, an diſponentis intentioni ſatisfecerit, poteritque ab alio pati negotium, quaſi diſpoſitionem violarit, quia aliter quàm ipſe ſibi finxerit, intelligenda fuerat, quare non fecit id quod ferebat diſpoſitio, ſed quidpiam aliud. In his porrò enumeratis caſibus reperitur incertitudo, quando non ſunt aliæ coniecturæ, ex quibus mens promittentis, dantis, legantis, paciſcentis, alióve modo diſponentis colligi valeat: ex adiunctis enim, reique ac controuerſiæ ſtatu, negotij natura, diſponentium conditione, & cæteris eiuſmodi circumſtantiis, quæ diligenter expendendæ ſunt, conſtat certò de intentione, & voluntate diſponentis, eiuſque ambiguitas, & incertitudo, quæ ratione perſonæ non ſatis diſtinctè deſignatæ, aut ex verborum obſcuritate, ambiguitate, & æquiuocatione, ac demùm ex ſubiectæ materiæ ſiue obiecti omiſſa demonſtratione naſceretur, facilè, & admodum probabiliter diſcutitur, tuncque dici nequit incertam eſſe pactionem, contractum, & quampiam aliam diſpoſitionem. Explicandum verò paucis ſupereſt, quænam incertitudo, & quando vitiet diſpoſitionem, illiuſque obligationem inualidet.

Incertitudo perſonæ, in cuius fauorem fit diſpoſitio, quemque nos creditorem nominamus, poteſt contingere variis modis. Primò quia ſunt plures eiuſdem nominis, neque ex illis vnus aliquis deſignatur certa aliqua nota, qua diſtinguatur ab aliis. v. g. promitto, vel lego Titio centum, cumque plures Titij ſint, non conſtat vlla coniectura, quis ex illis promiſſarius, aut lagatarius exiſtat; nulla eſt diſpoſitio, cùm propter incertitudinem perſonæ mandari non poſſit executioni, *leg. Paulus* 4. *D. de rebus dub.* vbi Paulus, id indubitatum eſſe dicit *l. ſi fuerit legatum* 10. *D. eod.* vbi Vlpian. plura exempla eiuſmodi incertitudinis affert, in quibus omnibus legata, & libertates impediri ait; ademptione autem (vt legit Donell.) in vtrumque valere. Simile quid in manumiſſione affert Modeſtin. *l. ſi quis de pluribus* 27. *D. eod. leg. Quoties* 9. §. 9. *D. de hæredib. inſtit. hæres inſtitui, niſi vt certo demonſtretur nemo poteſt.* Incerta itaque perſona nequit inſtitui, vt ſi dixero qui primus ad funus venerit, vt ait idem Vlpian. *l.* 22. §. 4. *D. eod.* hocque fuiſſe antiquum ius ne perſonis incertis legari poſſet, affirmat Imperator §. *incertis*, *Inſtit. de legatis.* Certus tamen intelligitur qui demonſtratur indubitato ſigno, quod penè à nomine nihil diſtet, quodque ὁμολογούμενον γνώρισμα Græci vocant, vti obſeruat Cuiacius, aut qui intelligitur à teſtatore deſignatus per relationem ad aliam ſcripturam, in qua ſit nomen eius expreſſum *l.* 6. *D. de rebus credit. l.* 74. & *l.* 76. *D. de verbor. obligat.* quam opinionem & communem eſſe, & receptam non tantùm in legatariis ſed & in hæredibus, teſtatur Clarus *lib.* 5. *ſententiar.* §. *teſtamentum. Denique quoties, aliis apertiſſimis probationibus fuerit reuelatum pro qua perſona teſtator ſenſerit*, inquit Modeſtinus *l. in tempus* 62. §. 1. *D. de hæredibus inſtituend.* quare inſtitutis pluribus eiuſdem nominis, is demùm videbitur inſtitutus, qui probauerit ſe à teſtatore deſignatum, ſin minus ob inſtitutionis incertum, inſtitutio non valet. Variæ autem coniecturæ, & probationes afferuntur: nam ſi teſtator Titium inſtituit, ſitque aliquis Titius ipſi ſpeciali amicitia, aut genere coniunctus, hæ circumſtantiæ nominis obſcuritatem declarabunt, vt ait Romanus *in l. hæredes palam* 21. *D. de teſtament. l. duo ſunt Titij* 30. *D. de teſtamentaria tutela.* Deinde teſtatore filiam, & neptem habente, & filiam inſtituerit, quamuis dum ſupereſſet, neptem perpetuo nomine filiæ appellaret, filia tamen inſtituta videtur, non neptis *l. cùm acutiſſimi* 30. *C. de fideicommiſſ.* Simili ratione filiis inſtitutis ſolos filios, non filias inſtitutas videri, ſi filiæ ſtatuto excludantur extantibus maſculis, plurimi exiſtimant.

Ab hac tamen regula, qua legatum, aliáve diſpoſitio vitiatur, & nulla eſt ratione incertitudinis perſonæ, cui fauet, excipitur quando fit pro cauſa pia, vt in gratiam pauperum *l. id quod pauperib.* 24. & *l. ſi quis ad declinandam* 37. *C. de Epiſcop.* & fuſiùs probat Tiraquell. *de priuileg. cauſa pia, priu.* 46. In dubio quoque teſtator intelligitur legaſſe pauperibus ſuæ Parœciæ, argumento *l. qua conditio*, §. 1. *D. de condition. & demonſtrat.* idque ſtatuiſſe volunt Concil. Carthagin. IV. *cap.* 83. ſi aliqua Eccleſia teſtamento deſignata fuerit, & plures 3

eiuſdem

Digitized by Google

eiuſdem nominis in eo oppido, vel Parœcia fuerint, debebitur pauperiori ex Anfrerij *q.57. deciſion. Capell. Toloſan.* ſententia: quod etiam exiſtimauit Anton. Gomeſ. *tom.2.cap.11. num.*8. additque vbi eſt vnum tantùm hoſpitale, in quo ſunt pauperes, legatum diſtribuendum eſſe inter eos pauperes, quod ſi nullum reperiatur inibi ptocotrophium, diuidendum erit inter pauperes illius loci, in quo teſtator obiit, ille enim locus attenditur: quæ omnia conſentanea ſunt citatæ *legi 37. C. de Epiſcop.* Plurima tamen in hac controuerſia pendere ex iudicantium, maximè ſi apud ſupremos agatur, arbitrio, quatenus ſcilicet huic, aut illi perſonæ, vel vniuerſitati magis fauerint, monet Mornac. *in l.14. C. de Epiſcop.* vbi etiam obſeruat in ambigua quæſtione de voluntate teſtatoris fauere pauperibus in actione contra hæredes à latere, probatque ex Senatuſconſulto 26. Maij an. 1615. facto in explicando teſtamento Berchiani. Addit denique ſapienter à Cuiacio reprobari opinionem Orientalium, qui edictum de legatis præſtandis *l.3. §.1. D. de legat. præſtand.* ſublatum eſſe hodie putant, quaſi legata de quorum præſtatione ambigitur, præſtari debeant omnibus. Ad extremum monet Mornac. in interpretatione mentis defuncti, quæ tota in coniecturis verſatur, maiorem ferè iuridico, quàm teſtatori gratiam deberi à victoribus, argumento *l. in prætoriis. D. de prætor. ſtipulat.* Verùm de his alias commodiùs.

Dices qui poſſidet rem alienam, quam tamen cuinam ex duobus, aut tribus iure competat neſcit, non excuſatur ratione illius incertitudinis creditoris ab eius reſtitutione, ſed inter eos incertos creditores diuidere tenetur. Igitur neque incertitudo legatarij, aut donatarij ex pluribus, qui eodem nomine deſignantur, & intelligi poſſunt comprehendi in diſpoſitione, vitiabit ipſam diſpoſitionem, & nullam faciet, ſed inter eos diuidenda erit res donata, vel legata; quia in vtroque iſto caſu quilibet habet ius dubium ad illam.

Reſp. diſcrimen eſſe inter iſtos caſus: nam in priori res aliena quam poſſides, eſt reuerà vnius ex illis creditoribus, quamuis ignores quis ex illis ſit verus creditor: quare cùm rem quam ſcis eſſe alienam, retinere nequeas, & noueris etiam ipſius dominos, qui ius, & dominium ſaltem dubium ipſius habent, reſtituere teneris eo modo quo poteris, diuidendo illam inter ipſos, qui de ſuo iure contendent. At verò cùm res donata vel non debeatur vni ex pluribus Titiis, niſi vi donationis, & legati, illáque donatio, & legatum nulla omninò ſit propter incertitudinem perſonæ, vti manifeſto iure probauimus, nullus ex pluribus illis Titiis ius habet etiam dubium in rem donatam, vel legatam, donatione, vel legato, quæ nulla ſunt, ac proinde nulli debetur, neque hæres aliuſve eiuſmodi rem inter iſtos incertos donatarios, & legatarios diuidere tenetur.

4 Secundò oritur incertitudo diſpoſitionis ratione perſonæ cui fauetur, quia illa non deſignatur ſuo nomine, aliáve nota, ſed in eius tantum præſentia fit diſpoſitio: v.g. dicis in præſentia Titij; *promitto dare decem:* illa promiſſio valebit, & promiſſione tua obligaris. Intelligitur enim promiſſio facta Titio, qui præſens eſt, ita Gomeſ. *cap.11. cit. n.7. concl.2.* ex *l. ſtipulatio iſta 38. §. ſicut. D. de verbor. obligat: Et nihil intererit verum ita ſtipuler habere licere, an mihi habere licere.* Vnde colligit Coraſius, imperſonalitatem non vitiare diſpoſitionem, ſed de eo ſtatim. Rationem noſtræ concluſionis reddit Gomeſ. quia ſemper ſtipulator, vel ille cui facta eſt promiſſio, videtur ſibi proſpicere, & velle acquirere, ideóque licèt nihil reſponderit, ſibi tamen acquirere voluit. Adde in hoc caſu tolli incertitudinem omnem ex præſentia illius, cui fit promiſſio, licet ille neque nominetur, neque expreſſis verbis acceptet, modò non recuſet.

Tertiò incertitudo perſonæ contingit, quia illa non nominatur à diſponente, ſed alterius arbitrio nominanda permittitur, vt, *Inſtituo ex meis liberis illum hæredem, quem Caia vxor deſignauerit: Volo dari centum ei Xenodochio, quod hæres meus elegerit.* Idem contingeret ſi creditor ſtipularetur ſoluendum eſſe à debitore illi, quem poſt annum ipſe creditor deſignauerit. Hæc incertitudo non vitiat diſpoſitionem, quia reuerà certa erit perſona, dum ſolutio facienda erit, aut adeunda hæreditas, quamuis incertum modo ſit, quiſnam tunc hæres deſignabitur, aut cui modo ſtipuletur creditor. Plura alia in hanc rem dabit Gomeſius *concl.4.*

Quartò incertitudo perſonæ contingit, quia pendet ex aliquo euentu futuro, eoque incerto, v.g. *Inſtituo hæredem filium qui mihi morienti aderit, qui vxorem tunc duxerit, liberoſque habuerit, qui primus ex Aſia redierit, qui talem magiſtratum fuerit adeptus.* Hæc incertitudo neque vltimas voluntates, neque pactiones corrumpit; nam Marcell. *in l. vter ex fratribus 23. D. de condition. inſtitut.* probat hanc inſtitutionem, *Vter ex fratribus meis conſobrinam noſtram duxerit vxorem, qui non duxerit ex quadrante hæres eſto:* Vlpian. verò eandem refert, & admittit *in l.2. §. ſi quis ita inſtituet. D. de bonor. poſſeſſione ſecund. tabul.* & *in priori §.* hanc ſimilem adducit. *Primus ex parte hæres eſto; ſi primus hæres non erit, ſecundus hæres eſto; tertius ex alia parte dimidia hæres eſto: ſi non erit, quartus hæres eſto:* & Caius *in l. quidam relegatus 5. D. de rebus dubiis,* hanc teſtamenti clauſulam legitimam eſſe vult, vt & Iulianus, cuius ibidem reſponſum adducit: *Si quis ex hæredibus, cæteriſve amicis, quorum hoc teſtamento mentionem habui, ſiue quis alius reſtitutionem mihi impetrauerit ab Imperatore, & ante deceſſero, quàm ei gratias agerem, volo dari ei, qui id egerit à cæteris hæredibus aureos tot.* Similis eſt & illa clauſula a Marciano adducta *in l. ſi quis ita ſcripſerit 24. D. eod. Illis qui meum teſtamentum ſignauerint, hæres meus decem dato:* quod legatum vtile eſſe putat Trebatius, validumque ait Pomponius ibidem relati. Valet igitur legatum incertis perſonis declarandis ex futuro euentu; nã & Africanus *in l. ſi ſeruus legatus 108. § huiuſmodi, D. de legatis 1.* huiuſmodi legatum, *illi aut illi vter eorum prior Capitolium aſcenderit;* vtile eſſe probat euidenti argumento, quòd conſtet vſumfructum libertis legatum, & qui eorum ſuperuixerit proprietatem vtiliter legari. Nihilominus *§. incertis. Inſtit. D. de legatis,* inter incertas perſonas, quibus antiquo iure legari non poterat, numerantur, quarum declaratio pendebat ex futuro euentu; v.g. *quicumque filio meo filiam ſuam in matrimonium dederit, ei hæres meus illum fundum dato.* Eodem modo ſi quid legaretur iis, *qui poſt teſtamentum ſcriptum primi Conſules deſignati eſſent:* nihilominus ſub certa demonſtratione, id eſt ex certis perſonis incertæ perſonæ legabatur: veluti, *ex cognatis meis qui nunc ſunt, ſi quis filiam meam vxorem duxerit, ei hæres meus illam rem dato.* Hunc tamen iuris antiqui rigorem molliuit Iuſtinian. *l.1. C. de incertis perſonis;* & conſtat ex hactenus allatis de incertis perſonis ex futuro euentu declarandis, in

illis

illis non fuiſſe ius illud ſeruatum, cùm legata illis relicta vtilia fuerint, vti oſtendimus: quamuis incertæ perſonæ dicantur, quas nequidem ipſe teſtator nouit, quod contingit in illis quæ futuro tantùm euentu declarabuntur, cùm tamen ipſe teſtator eiuſmodi incertitudinem nouerit, voluerit que ſuam inſtitutionem ab illo futuro, eoque incerto euentu pendere; ſatis ſuam mentem, & vltimam voluntatem explicuit, neque illi derogare debemus, cùm ipſi libetum foret ſuæ diſpoſitioni quam vellet conditionem apponere. Denique non manet ſemper incerta perſona, ſed tandem declaratur: ſi enim maneat omninò incerta perſona, neque ex iure veteri, neque ex hodierno valebit legatum. Ex his omnibus vides legatum ſolutum incertæ perſonæ, cui relictum fuerat, non poſſe repeti, vt ait Iuſtinian. §. *citato*. Ratio videtur, quia tale legatum eſt naturaliter debitum ex voluntate teſtatoris, indebitum tamen ciuiliter, eo quod ius non aſſiſtat illi diſpoſitioni: naturaliter verò debitum, licèt ciuiliter indebitum, ſi ſolutum fuerit non repetitur, *§. iis quoque. Inſtit. quib. mod. re contrah. obligat.*

5 Incertitudo diſpoſitionis propter verborum, quibus exprimitur, obſcuritatem, ambiguitatemve, vnde manet incerta mens, & voluntas diſponentis, vitiat diſpoſitionem, quia tunc præſumitur non fuiſſe animus ſe obligandi, vt quando impersonaliter promittitur, v.g. *ſatisfiet tibi ſic, Auth. ſi quando, C. de conſtit. pecun. Sin autem dixerit, ſatisfiet. verbo impersonaliter prolato, non tenebitur.* Verùm de ambiguitate verborum fuſius alibi.

6 Incertitudo quantitatis in rebus quæ numero, pondere & menſura conſtant, vitiat diſpoſitionem, niſi aliunde ex coniecturis, aut ex tractatu præcedente inter partes, certa aliqua quantitas colligatur, *l. vbi non apparet 75. l. triticum 94. l. ita ſtipulatus 115. D. de verbor. obligat.*

Dices *l. quidam heredem, 7. D. de tritico, vino, & oleo legato*, ſi teſtator legauit vxori triticum, vinum, & oleum, aliúdve quid ſimile, cenſetur legaſſe quod fuerit in ſuis bonis. De hoc textu plura diſputat Anton. Gomeſ. *c. 11. cit. n. 9.* Paucis reſpondeo ex modo legandi, collegiſſe Iuriſconſultum, legatum fuiſſe à teſtatore quod eius ſpeciei in ſuis bonis haberet, quia propoſitione vniuerſali, & indefinita fuit vſus.

7 Incertitudo propter indeterminationem rei, quia nullos neque ex natura ſua, neque ex hominis lege, aut ex inſtituto terminos habet, atque ita indefinita promittitur, vitiat diſpoſitionem. Legat quis, aut promittit fundum ruſticum nulla demonſtratione facta, inutilis, & vitioſa eſt promiſſio, quia illi, vel vnico palmo ſatisfieri poſſet *citata l. vbi non apparet 75. & l. 115. D. de verbor. obligat.* Si tamen promiſſor, vel teſtator vel vnum fundum habuerit, vel plures ſuis finibus, & ſignis diſtinctos, videtur conceſſio ad vnum aliquem illorum referri, quem vel promiſſarius, aut legatarius, vel eius hæres elegerit: qua de re aliàs; quia præſumitur noluiſſe ſuam promiſſionem, & diſpoſitionem erroneam, fruſtraneamque facere. Si verò res promiſſa, vel legata terminos quidem hominum facto habeat, ſed mutabiles, & varios, vt domus, nauis, aliúdve ſimile quid, niſi eius forma, & modus, deſignetur, incerta erit tota diſpoſitio, atque adeò nulla, niſi in ſuis bonis eſſet aliqua domus, nauis, aut hortus, quia caſu iſto cenſerentur legata *l. ſi domus. D. de legat.* 1. Eadem ratione ſi grauetur hæres ædificare domum, vel quid aliud, neque locus, & forma ædificij determinetur, nulla erit diſpoſitio; quia poſſet ædificari in loco inimico, & incommodo legatario, *l. ita ſtipulatus 115. l. qui in ſolidum. D. de verbor. obligat. l. 3. §. ſi quis inſulam. D. de eo quod certo loco, l. cùm qui inſulam. D. de iudiciis.* Quia verò monuimus nuper incertitudinem non vitiare diſpoſitionem pro cauſa pia, tota illa incertitudo à Iudice tollenda erit, & res definienda.

Incertitudo rei promiſſæ in indiuiduo, quæ tamen in ſpecie certa eſt, ſiue vt loquuntur Iuriſconſulti, incertitudo in ſpecie, ſi res ſit certa in genere ſubalterno, non corrumpit diſpoſitionem, v.g. legatur ſeruus, equus, bos, quia nihil intereſt vt ſatisfiat menti teſtatori, ſi detur hic aut ille ſeruus, equus & bos, idque innuit *l. legato generaliter, D. de legat. 1. l. ſi ſeruus legatus, §. cùm homo, D. eod. §. ſi generaliter. l. ſt. de legatis*: quare ſi v.g. teſtator vnum duntaxat ſeruum habuerit, illum præſumitur legaſſe, illū igitur tradere oportebit; ſi plures ſeruos habuerit, legatarij fuerit eligere, quem libuerit ex illis; quia in eiuſmodi legatis de rebus animatis electio competit legatario, ne legatum illi inutile aut etiam noxium ſit, ſi cogatur, quod libuerit hæredi dare aut accipere. In rebus autem inanimatis quæ nequeunt legatario eſſe incommodæ, electio competit hæredi: cuiuſque verò fuerit electio, tenebitur eligere rem mediocrem, non optimam, aut minimam, ſiue peſſimam. An verò ſi illa res omnis quæ tunc erat in bonis teſtatoris, aut promittentis perierit, legatum quoque perierit & promiſſio; an verò perſeueret, teneaturque hæres aliam quampiam rem aliunde comparare, & tradere legatario, diſputat Ferdinand. à Caſtro *de inſtit. diſp. 1. punct. 12. n. 8.* probabiliúſque exiſtimat legatum periiſſe, ſed de his alibi diſputādi locus commodior fuerit. 8

Ad extremum moneo cum eodem Ferdinando, quoties alimenta, ſalaria, & ſtipendia, & ſimilia promittuntur, neque determinantur, non vitiari promiſſionem, aut legatum, ſed illa ex recepto vſu a Iudice, aut conuentione partium definienda eſſe.

CAPVT III.

De pactionibus, & contractibus inualidis, earumque validatione, ſiue confirmatione.

ARTICVLVS I. *Quomodo pactio & contractus confirmetur iuramento.*

II. *Conſectaria ex ſuperiori doctrina.*

III. *Pactiones, & contractus confirmari ratihabitione.*

IV. *De retractione contractus, & pacti.*

1 CONTRACTVS, & pactiones aliquas inualidas eſſe tum iure naturæ, tum defectu libertatis, quæ per dolū, errorem, & metum tollitur, & aliis quoque de cauſis, tum iure ciuili, atque canonico, quæ nonnullas perſonas inhabiles ad certas quaſdā pactiones, & contractus reddit, obuium eſt, diximuſque nuper *c. 1. art. 2.* vbi etiam deſignauimus loca, in quibus eiuſmodi inualiditatis cauſas explicuimus: quare circa eiuſmodi inualiditatem nihil nobis hoc loco diſputandum reſtat; totam itaque tractationem ad inualidi contractus confirmationē, ſiue vt loquuntur reualidationem reſtringimus.

ARTICVLVS I.

Quomodo contractus inualidus confirmetur iuramento.

Aliud eſt iuramentum eſſe validum, aliud eſſe confirmatorium. 1.
A quo debeat præſtari hoc iuramentum, an à ſolo pubere. 2.
An poſſit præſtari per procuratorem. 3.
Iuramentum aliquando confirmat, aliquando non. 4.
Non confirmat ex natura ſua contractum, ſed & iure humano. 5.
Duplex modus huiuſce confirmationis, directus, & indirectus. 6.
Quinam contractus directè, quinam indirectè confirmetur. 7.
Prima Regula; *De confirmatione contractus naturaliter inualidi.* 8.
Secunda Regula, *De confirmatione contractus ciuiliter irriti.* 9.
Non confirmat hos contractus iuramentum directè. ibid.
An id verum ſit in iure pontificio. 10.
Diluitur obiectio 11. 12.
Confirmatio Regulæ. 13.
Hi contractus iure inualidi aliquando confirmantur iuramento indirectè. 14.
Quale debeat eſſe hoc iuramentum indirectè confirmatorium 15. 16. 17.
Quomodo ius reddat aliquando nullum iuramentum promiſſorium. 18.
Obiecta diluuntur. 19. 20.

1 ADuerte aliud eſſe iuramentum eſſe validum, ac proinde ſeruandum, aliud verò iuramentum firmare contractum, cui apponitur: nam prius illud, obligat ſolùm ad executionem rei iuratæ, ne Deus in falſum teſtem adducatur, & committatur periurium, ſiue promiſſio in ſe ſit efficax, ſiue inefficax, & tunc ſola eſt religionis obligatio; vnde appellatur iuramentum per ſe ſtans, & obligatorium, quia non niſi ſuam propriam obligationem inducit in ordine ad Deum, & contractum cui adiicitur, immutatum in ſua natura relinquit, nullumque ius nouum tribuit alteri contrahenti. Quando verò eſt confirmatorium, non ſuam ſolùm obligationem ex virtute religionis, & in ordine ad Deum inducit, ſed etiam ius tribuit homini, atque ſopitam, vel impeditam, vel quapiam alia ratione inefficacem, & inutilem obligationem ipſiuſmet contractus exſuſcitat, & efficacem reddit, ita vt in illo contractu duplex tunc exiſtat obligatio, vna Religionis reſpectu Dei, altera fidelitatis, vel iuſtitiæ reſpectu hominis: quam diſtinctionem indicat Couarr. *in cap. quamuis pactum, de pactis in 6. 2. part.* §. 1. *n.* 7. & cæteri omnes communiter docent. Ex quibus plura diſcrimina inter iuramentum purè obligatorium, & confirmatorium colliguntur, maximè circa vtriuſque obligationẽ, & relaxationem, quæ proximo articulo explicabimus. Obſeruo duntaxat hoc loco iuramentum confirmatorium eſſe ſemper de futuro aliquo opere faciendo, aut omittendo, neque ſufficit aſſertorium de præſenti, quod non niſi celebrationem contractus teſtatur, & aliquis iurat ſe donare, contrahere, promittere, quia, vt obſeruat Couarr. *in rubric. de teſtament. 3. part. n. 4. concl. 5.* & Sanch. *lib. 6. de matr. diſp.* 11. *n.* 5. iuramentum aſſertorium de præſenti ſignificat tantùm te habere animum contrahendi, ſiue potiùs te contrahere ex animo; quare ſi id tũc falſum ſit, committitur periurium, neque ſi deinde diſſoluatur cõtractus, & promiſſio reuocatur, ſiue verè, ſiue fictè, & falsò iurauens, committitur periurium in illa diſſolutione, & reuocatione contractus, & promiſſionis: contrarium verò contingit in iuramento de futuro, & confirmatorio, quod omninò violabis diſſoluẽdo contractũ, & reuocãdo promiſſionẽ, atque adeò periurus efficieris.

Debet porrò hoc ſacramentum confirmatorium præſtari à pubere, quamuis enim iuramentum impuberis obliget, ex *l. vlt. §. vt eum, D. de liberali cauſa*, non erit tamen confirmatorium, licèt impubes, ſit iam proximus pubertati, & doli capax: ita Couar. *in c. quamuis pactum 3. p. §. 1. n. 3.* & *in 4. decretal. 2. part. c. 5. §. 1. n. 4.* Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 38. n. 16.* & *lib. 3. in Decalog. c. 13. n. 28.* Fachinæ. *lib. 3. controuerſ. c. 10.* Ferdinand. à Caſtro *tract. 14. diſp. 2. punct. 9. §. 4. n. 8.* Lugo *diſp. 22. de iuſtit. n. 214.* & alij innumeri apud ipſos relati contra Gutier. *in Authentic. ſacramenta puberum, n. 11.* Ant. Gabr. *tom. 2. commun. opinion. lib. 19. q. 34.* Molin. *tract. 2. de iuſtitia, diſp. 579. n. 6.* & alios ab ipſis, atque à Sanche locis citatis adductos, ideóque hanc opinionem communẽ eſſe plures teſtantur apud Gutier. *l. c.* quare Curtius iunior qui in eã Authent. fuſiſſimè hanc quæſtionem agitat. *n. 45.* & *n. 73.* ait communem hanc opinionem, & *n.* 85. durum eſſe ab ea recedere in iudicando fauore animæ, quod ipſum affirmat Gutier. & Anton. Gomez. *tom. 2. variar. cap. de reſtitutione minorũ, n. 18.* licèt fateatur falſam eſſe in puncto iuris. Tenẽda nihilominus eſt noſtra ſententia, quã & veriorem eſſe in puncto iuris dicebat Gomeſius. Et ſanè illa authentica, *Sacramenta puberum*, requirit apertè pubertatem, vt iuramentum firmet contractum, neque quidquam habet vnde colligatur ſufficere doli capacitatem. Non video autem cur iudicando, conſulendóve nefas ſit ſequi opinionẽ, quã in puncto iuris fatentur eſſe veriorem aduerſarij: quod enim dicunt fauendum eſſe potiùs animæ minoris, quàm eius indemnitati, concedimus vltrò, negamus tamen nos quidquam conſulere cõtra conſcientiam huic minori impuberi, quia cùm iuramentum confirmatorium, de quo diſputamus, ab eo præſtitum nullum ſit, & reipſa contractum, cui adiicitur non confirmet, ſi illum deinde rationabiliter diſſoluat, vtaturque beneficio reſtitutionis in integrum, non efficitur periurus, neque peccat non ſeruando iuramentum, quod nullum erat, ſiue non obligabat ad non diſſoluendum illum contractum. Ratio verò cur ius à quo ſolo, vt ſtatim dicam, iuramentum habet vim confirmatoriam contractus, cui adiicitur, noluerit id tribuere iuramento impuberum, euidentiſſima eſt, ſicut enim illa ætas facillimè decipitur in contractibus celebrandis, æquè facilè in præſtandis iuramentis confirmantibus contractus celebratos decipietur: quare vtrique fraudi ſapienter occurrere ſuis legibus Principes voluerunt. Excipitur tamen ab hac vniuerſali doctrina matrimonij contractus, qui iuramen

Digitized by Google

iuramento etiam impubetis confirmatur *cap. ex litteris 2.de ſponſalibus*, vti omnes DD. interpretátur. Rationem reddit Couarru. quia hic contractus potiùs intellectum, quàm certam ætatem exigit.

Adde his omnibus iuramentum impuberis,quod validum eſſe diximus, licèt non confirmatorium, relaxari poſſe ſolius infirmioris, & impuberis ætatis intuitu,vt tradit cum pluribus aliis Sanch.*lib.6. de matr.diſp.38.n.17.*ſequiturque Ferdin. §. *citato.* Hæc porrò relaxatio,ſi impubes non obligetur naturaliter ſuo contractu,inualidéque contrahat, fieri poterit à tutore,aut à patre,etiam circa peculium caſtrenſe; quia etiam circa illud impubes inualidè contrahit, vt ait Molina *tract.2. diſput.130. §.licèt filiusfamilias* ; & *diſp. 261. §. filiusfamilias.* Si verò impubes ſuo contractu naturaliter obligetur, iuramentum eius contractui additum non poterit à ſolo patre relaxari, quia ius tertio fuit acquiſitum, quod verius erit in iuramento puberis, quia illud eſt etiam confirmatorium, & per illud acquiritur tertio ius irreuocabile. Addimus tamé cum Sanch. *lib.3.in Decalog.cap.12.n.8.*contractum factum ab impubere confirmari per iuramentum, ab ipſo iam pubere præſtitum, nõ tamen ſi adhuc impubes iuret ſe confirmaturum contractum, quem pubes factus celebrabit; quia tale iuramentum confirmatorium, tenerà præſtitum fuit ab impubere, cùm tamen ad validitatem eiuſmodi iuramenti confirmatorij Authentica, *Sacramenta puberum*, euidenter poſtulet pubertatem in iurante. Vſus porrò,& moter Gallici ferunt, vt minor gratiam ſiue diſpenſationem iuriſiurandi petat à ſuo Epiſcopo qui ei eã non denegat ; deinde litteras impetrat à Rege, aut eius Cancellario. Itáque in omnibus Curiis ſeruari teſtatur Rebuff. *in proœmium conſtit.gloſſa 5.n.50.*

3 Iuramentum iſtud confirmatorium præſtari poterit per procuratorem cum ſpeciali mandato iurãdi, ſi tamen mandans ſit minor, debet ſuum mandatum iuramento confirmare,alioquin poterit agere ad reſciſſionem illius contractus. Requirebam autem ſpeciale mandatum, quia fieri debet procuratori poteſtas non tantùm agendi ſuo nomine, ſed etiam iurandi,ita vt iuramentum adiiciatur principali contractui, & non ſolùm mandato, hoc eſt vt iuramentum confirmet contractum initũ per procuratorem,& mandatarium, & non ſolùm mandatum illi factum. Rationem verò propter quam requiratur hoc ſpeciale mandatum ad iurandum alterius nomine,ſicut & ad contrahendum matrimonium,affert Suar.*lib.2. de iuramento,c.31. n.6.* quia illi conſtare debet mandantem verè ea animo promittere,& conſentire in contractus obſeruationem, quam eius nomine iurat. Itáque paſſim omnes docent cum Sanch.*lib.3.in Decalog.c.13.n.19.* Ferdinand.à Caſtro *tract.14.diſp.2.punct.12.n.2* Couar. *in cap.quamuis pactum,1.part.§.5.n.8.*vbi & reiicit eos qui voluerunt ſufficere procuratori ad iuramẽtum de calumnia, generale mandatum ad omnes cauſas, & ſpeciale ad iurandum de calumnia, etſi non exprimatur cauſa ſuper quam iuramentũ præſtari oportebit; quod dictum ideò confutat ſapienter Couarr.quia ſi dominus non conſentit in particulari, neque cauſam expreſſit, non poteſt procurator rectè ſcire dominum ſub iuramento requiſitum,idem fore aſſeueraturum,iiſve defenſionibus vſurum, & nullam in illius perſecutione calumniã adeſſe: quod tamen ſcire certò debet,vt dominum iuramento ſuo obliget:quare procuratorem,qui ſine ſpeciali mandato circa hanc,vel illam cauſam iuramentum præſtat,non modò non obligare dominũ,

ſed etiam grauiter peccare contendit Sanch. *c.13. n.19. citat.* ex Soto, & Pet.Ledeſma,Bonac.*diſp.4. in decalog. q.1. punct.10.* & Ferdinand. *punct.12. citato.* Quamuis verò liceat vt dixi,iurare per procuratorem vti DD. omnes, ipsúmque ius tradunt *cap.metuẽtes 14.& cap.sibi domino 63.diſt.cap.optatum 100.diſt.c.1.§.verum,de ſtatu Regularium in 6.* & *c.vlt. de iuramento calumniæ in 6.* Cur enim æquè media aliqua perſona, non poterit aliquis actum internum iurandi manifeſtare, atque per ſcripturam,aut nuntium;neque iuramentum dicitur actio perſonalis,quia ab ſola perſona,quæ per illud obligatur, præſtari debet, & non per alium aliquem eius nomine agentem, ſed quia ille ſolùm, qui iurat ſiue per ſe,ſiue per alium,iuramento obligatur, ſicut matrimonium actio perſonalis eſt ; quia licèt per procuratorem contrahatur, ſolùm tamen contrahentem obligat,non eum autem, qui eius vices contrahendo gerit, illumque repræſentat ; licèt inquam hæc omnia veriſſima ſint, excipiunt tamen aliquos caſus, in quibus vel iure,vel conſuetudine iurare non licet per interpoſitam perſonam,vt cùm tactis propria manu Euangeliis iurandum eſt, vt *in cap.ſi verò de ſententia excommunicat.* Itáque docet Couarr. *in cap.quamuis pactum,1.part.§.5.num.8.* Azor.1.*part. lib.11.c.7. q.vlt.*Sanch.*lib.3.in Decalog.c.13.n.23.*Bonac.*in Decalog.diſp.14. q.1.punct. 10.n.4.*Ferdinand. à Caſtro *punct.12.citato,num.4.* Idẽ dicunt de iuramento cùm in aliqua cauſa teſtificandum eſt. Diſputant de quoque iuramento fidelitatis, ſiue clientelæ præſtando domino à vaſſallo, illudque per procuratorem exhiberi contendunt ; nos de illo fuſiùs aliquando egimus in opere noſtro de vſuris *lib.4.cap.3.art.8.*

His omnibus addo procuratorem, qui ſcienter, vel dubitans nomine alterius falſum iurat, grauiter peccare ; quia domini periurio cooperatur,quãuis ipſe propriè periurus non ſit, ſi autem bona fide iuret, non peccat, vt patet : his obſeruatis.

Dicendum eſt primò iuramentum aliquando confirmare contractum, alioquin inualidum ; quæ propoſitio ita vniuerſaliter ſumpta,& præſcindendo à modo directo, vel indirecto iſtius validationis,certiſſima eſt, paſſimque admittitur, & euidenter colligitur ex modo loquendi iuris circa iuramenta adiecta contractibus: aliquando enim dicunt impleto ſemel iuramento eſſe cogendum creditorem ad reſtituendum illud, quod vi eius iuramenti acceperat à debitore, ne periurus fieret:v.g. creditorem teneri ad reſtituendas vſuras ſibi ſolutas à iurante ſe illas daturum, *c.debitores, de iureiurando.* Dicunt verò aliàs iuramentum appoſitum contractui ſeruandum omninò eſſe *in cap. quamuis pactum, de pactis in 6.& cap cùm contingat,de iureiurando*:illa verò particula *omninò*,ſignificat abſque vlla diſpenſatione, exceptione,remedio, ad vnguẽ præciſam obligationem inducit, quod ex iure demonſtrat Sanch.*lib.1.de matr.diſp.32. n.6.* & Tiraquell.*in l. ſi vnquam verſ.reuertatur,n.78.& n.79.* Igitur iuramentum illud quod omninò ſeruandum eſſe dicitur,contractum cui adiicitur,firmum, & irreuocabilem facit, ſicut & ille alius loquendi modus, quo dicitur ſacramentum inuiolabiliter ſeruandum eſſe, *Authent. ſacramenta puberum. C. ſi aduerſus venditionem.* Aliquando prohibentur audiri qui aduerſus contractum iuratum agunt, vt mulier contra alienationem fundi dotalis iuratam, *capitulo 2. de iureiurando in 6.* Hi autem omnes loquendi modi oſtendunt diuerſitatem quandam obligationis, quæ non eſt in ſimplici iuramento: 4

ramento: illud enim omne, ſi eius impletio non ſit contra bonos mores naturales, ſeruari debet; eſt igitur in aliquo annexo cum illo iuramento, nempe contractu, qui cùm validus fiat per huiuſmodi iuramentum, facit etiam, vt idem iuramentum non poſſit relaxari, niſi ratio boni communis vrgeat, & vt non impleatur momentanea ſolutione eius obligatio, ſitque irreuocabiliter ſeruandum, vt loquuntur iura. Deinde in citato *cap. quamuis pactum*, verba illa; *Si tamen iuramento, non vi nec dolo præſtito firmatum fuerit, omninò ſeruari debebit*: particula *omnino* non refertur ad iuramentum, ſed ad pactum iuramento confirmatum, quod pactum omnino, & irreuocabiliter ſeruari debet, vt ibidem aduertit Gloſſa, & Couar. in idem caput, 3. *part. §. 4. n. 8. fin.* Addit præterea Pōtifex in *illo c. 13.* & Imperator, *in Authentica, ſacramenta puberum*, hæc iuramenta eſſe ſeruanda, ſi ſine dolo, & vi præſtita fuerint; quæ exceptio perſpicuè docet non agi ſolùm eo loco de obligatione iuramenti, nam ea manet, etſi metus, & dolus illi cauſā dederit, ſi res iurata licita ſit, & ſine peccato præſtari valeat, quod latè tradit Sanchez *lib. 3. in Decalog. c. 11.* & nos iterum monebimus inferiùs. Hæc igitur exceptio demonſtrat iuramentum neque metu, neque dolo extortum inducere aliquam obligationem, quam non induceret, ſi metu, & dolo fuiſſet extortū: hæc autem obligatio cogitari alia non poteſt, quàm ipſius contractus, cui iuramentum adiicitur, validatio, quæcunque tandem illa ſit.

5 Dicendum ſecundò eſt iuramentum non eſſe ex natura ſua, ſed ex ſola diſpoſitione iuris humani, confirmatorium contractus. Ita Suar. *lib. de iuram. c. 28. n. 3.* Sanch. *lib. 3. in decalog. c. 12. n. 3.* & alij; quia iuramentum inſtitutum non eſt, niſi ad confirmandam veritatem adducendo Deum in teſtem ipſius: quare non inducit aliam obligationē, quàm eam, quæ firmandæ veritati neceſſaria eſt, cuiuſmodi nō exiſtit confirmatio contractus: nam contractu ſtāte, & remanente inualido, fieri poteſt verum quod iuratum eſt. Et ſane ſi hæc duo facere verum, & cōfirmare contractum eſſentialia forent iuramento, vel inuicem neceſſariò connexa, non poſſent ſeparari, cuius tamen contrarium videmus in contractu ſoluendi vſuras iurato; eſt ſiquidem ſeruandum iuramentū, & tamen inualidus manet contractus, poteritque debitor, qui ſoluit vſuras ne periurus fieret, eaſdem à creditore vſurario repetere, qui illas reddere tenetur in conſcientia; immò ad id cogi poterit à Iudice. Deinde iuramentum per ſe, & ex ſua natura nullam aliam, vti iam monui, obligationem, quàm Religionis inducit; ad validitatem autem contractus, vel promiſſionis opus eſt obligatione fidelitatis, vel iuſtitiæ, quæ ex actu Religionis, cuiuſmodi eſſe iuramentū conſtat, naſci nequit. Denique cùm lex humana irritauit contractus inhabilitādo perſonas, & reddendo voluntates ipſorū inefficaces ad contrahendum, vndenam capiet iuramentū vim irritandi ius illud humanum, & habilitandi perſonam ab illo inhabilitatam: eodem enim iure poterit alias leges humanas prohibitiuas exſcindere: quare non improbabiliter dicunt aliqui apud Sanch. *l. c.* iuramentum iure antiquo caruiſſe vi confirmandi contractum. Inde quoque ſequitur contractus infidelium inualidos, non firmari iuramento: quamuis enim illud obliget quoque infideles, non tamē apud illos habet effectum de quo diſputamus modò; quia is pendet à iuris ciuilis & canonici minimè obligantis infideles, diſpoſitione, vt arguit Sanch. *lib. 3. in Decalog. c. 12. n. 14.* Hinc denique fit vt ſolum iuramentum ſpontaneum, & non vi, aut dolo extortum hanc efficaciam confirmandi contractum habeat, vti iura nuper adducta teſtantur; quia cùm ſuam hanc vim totam ducat à iure humano, potuit illud eā dare quibuſdam iuramentis, & nō aliis, fuitque omninò æquum vt nemo ſibi tam grauem obligationē inuitus, aut ignorans imponeret, atque ne iniuria, fraus, atque peccatum vim afferenti, aut fallenti faueret, vti contingeret, ſi quodlibet iuramentum etiam metu, & fraude extortum contractum confirmaret: acquireret enim aliquis ſibi ius per contractum iam confirmatum, & validum redditum, dum iniuriam alteri faceret, & metum inferret. Non benè porrò dixerunt aliqui petendam eſſe relaxationem illius iuramenti, vi & fraude extorti, non enim vt dixi vim illam confirmatoriam habet, quæ relaxari debeat. Vide Couar *lib. 1. variar. c. 4. n. 7.* & Azor. *1. part. lib. 11. cap. 7. q. 2.*

Dicendum eſt tertiò duplici modo confirmari poſſe contractum iuramento. Primò quidem directè quo contractus in ſe, & quoad vinculum validatur, cùm prius nullus omninò, & inualidus eſſet. Secundò indirectè, & quoad effectum, quia etſi nō fiat validus formaliter, & in ſe, habet tamen totum illum effectum ratione iuramenti adiecti, quē habuiſſet ſi reuerà validus fuiſſet: hæc verò poſterior confirmatio fit per iuramentum, quod habet pro obiecto, & materia promiſſionem non violandi cōtractum, ipſumque obſeruandi, & non retractandi, quam eiuſmodi aliquā promiſſionem ſiue formalem, ſiue virtualem, dari nullus negabit opinor, & euidenter colligitur ex Authentica, *Sacramenta puberū*; vbi dicitur ſacramenta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis ſponte facta, ſeruanda eſſe: & *c. cum contingat, de iureiurando*, habetur ne vlteriùs contraueniant proprio iuramento firmando. Et ſanè cùm contractus fiat in præſenti, iuramentum immediatè in illum cadens non poteſt eſſe promiſſorium, niſi non violationis contractus iam facti: illud enim inducit obligationem in futurum. Deinde non poteſt quis renuntiare iuri irritanti contractum, niſi promittendo ſaltem virtualiter ſe non vſurum illo beneficio iuris, ſed contractum inuiolabiliter ſeruaturum, hoc eſt, ſe non contrauenturum vnquam: *capit. quamuis pactum, de pactis in 6.* cùm filia dicitur firmare iuramento renuntiationem paternæ hæreditatis à ſe factam, iudicatur promiſſio nō contraueniendi renunciationi factæ, in quam promiſſionem cadit iuramentū, & non in ipſam formaliter renuntiationem, qui enim iurat ſe renuntiare, nō idcircò iurat ſe nihil vnquā facturum contra eā renuntiationem, aut ſe eam non reuocaturū, qui iurat ſe ſoluturum vſuras, non iurat ſe eas non repetiturum, ideóque poterit, vbi eas ſoluerit repetere ſine crimine periurij, *cap. debitores, de iureiurando*: & qui beneficium ſe reſignaturum iurauit, poterit poſt reſignationem, illud repetere, quia vt ait *cap. ad euidentiam, de his quæ vi*, non ad non repetendum, ſed ad reſignandum tenebatur duntaxat. Aliquando tamen ipſe contractus eſt promiſſio de futuro, aut illam ſaltem intrinſecè includit: nam contractus aliquid in poſterum faciendi, inducit obligationem non contraueniendi, aut non retractandi. Sic promiſſio non retractandi votum, eſt idem cum voto, & promiſſio inſtituendi aliquem hæredem, videtur eadem cum promiſſione non reuocandi teſtamentum; quia prior illa non poteſt habere effectum ſine poſteriore. Eſt verò diſcrimen inter formalem, ac diſtin-

ctam

ctam promiſſionem, quæ accedit contractui de ipſo non violando, vel non retractando; & virtualem tantùm, ſiue incluſam intrinſecè in ipſomet contractu; quia diſtincta illa, & formalis promiſſio adiecta contractui, non ſit legibus, & iure irrita, vel reprobata, quamuis contractus in quem cadit, ſit vel irritus, vel reprobatus; leges enim inualidantes cõtractum illum, non loquuntur de adiecta ipſi promiſſione, neque ad illam ſunt ampliandæ; quia cùm tota eiuſmodi irritatio fiat in fauorem debitoris, lex non cogit debitorem conceſſo ſibi priuilegio non renuntiare ſi lubeat: quare ea promiſſio non violandi contractum, quamuis iure irritum, licet iurata non eſſet, pareret tamen obligationem in conſcientia, neque poterit promittens deinde à contractu recedere, ſi cætera ad validitatem ſuperadditæ illius promiſſionis neceſſariò adſint, vt acceptatio, quamuis fortaſſis non detur actio ciuilis ex illa ſola promiſſione nuda, & nõ veſtita iuramento, aut alia ratione, qua de re diximus *c.2.* Promiſſio verò quæ non eſt diſtincta ab ipſomet contractu, ſed in eo formaliter, & intrinſecè incluſa, ſæpiſſimè irritatur à lege ſicut & ipſe contractus à quo non differt: quare ſi contractus nullam pariat neque naturalem, neque ciuilem obligationem, cùm ſit vtroque iure inualidus, nulla ratione in vtroque foro obligabit illi ſuperaddita promiſſio.

Hinc ſequitur vlteriùs, vt quia promiſſio formalis & diſtincta non contraueniendi contractui, cui adiicitur, valida eſt ſaltem naturaliter, confirmetur per iuramentum appoſitum; quia iuramentum excludit tunc omnia media, quibus iure, vel facto infirma illa obligatio fidelitatis, vel iuſtitiæ reſcindi poſſet, eſtque hæc confirmatio directa, & quoad vinculum. Inde tamen ſequitur confirmatio contractus cui adiicitur, cùm enim non liceat ratione promiſſionis adiectæ, & iuratæ contrauenire contractui, ſolidus & firmus manet, habetque eundem effectum, quẽ habuiſſet ſi in ſe validus fuiſſet; & quod leges irritantes impediebant, alia viâ nanciſcitur, diciturque iuramentum confirmatorium contractus; quia idem operatur, atque ſi immediatè, & directè confirmatorium foret; quod ſingillatim oſtendit Suar. *lib. 2. de iuram. c. 29. n. 10.* percurrendo omnes effectus quos iuramento per ſe confirmatorio paſſim tribuunt DD. promiſſio verò virtualis tantùm, & non diſtincta ab ipſomet contractu irrito ipſo facto, iure naturali, aut humano, non confirmatur iuramento, quod tunc eſt per ſe ſtans, quia nulla tunc ſupponitur obligatio, quam valideт, contra Molin. *tract. 2. diſp. 151. ſub fin.* & Sanch. *lib. 3. Decalog. cap. 12. cit. n. 22.* qui tamen concedit noſtram ſententiam eſſe probabilem. Ratio eſt euidens, quia iuramentum promiſſionem eiuſmodi, neque directè, neque indirectè confirmat: igitur nullo modo confirmat. Non directè quidem, quia iuramentum non reuocat, neque impedit effectum legum irritantium eam promiſſionem, & nullam prætereà reperit obligationẽ, cui ſuam adiungat; ipſum autem per ſe ſolùm non poteſt, niſi obligationem religionis, & nullam aliam, vt initio monui, afferre, ſiue fidelitatis, ſiue iuſtitiæ; & non benè Molina *tract. 2. diſp. 150.* concedit iuramentum, licet promiſſionis obligatio, quæ nulla eſt, non reuiuiſcat, habere tamen ex natura ſua vim conferendi promiſſario, qui nihil egit contra iuſtitiam, ius aliquod nouum diſtinctum ab eo, quod induxiſſet promiſſio, ſi valida fuiſſet: nam tres obligationes in iuramento promiſſorio deberent admitti: vna ad Deum, & duæ ad promiſſarium, quarum vna erit ex valida promiſſione, & altera ex iuramento, quod vbique ſuam obligationem inducit, ſiue promiſſio valida ſiue inualida ſit. Quæro deinde qualis futura ſit tertia iſta obligatio; non iuſtitiæ, quia oritur à virtute religionis, & eius actu, & quia noua obligatio iuſtitiæ non naſcitur ſine voluntate hominis ſeſe obligantis, quæ voluntas hic non repetitur, cùm iurans non aliam ſibi velit imponere obligationem, quàm eam quam affert promiſſio & iuramenti religio; nec noua alia obligatio religionis fingi poteſt in hoc caſu, quia ea non tranſiret ad hæredes, cùm tamen ad illos tranſire velint aduerſarij. Denique qui illam violabit, dicetur periurus, aut ſacrilegus. Iuramentum itaque non confirmat directè promiſſionem inualidam, de qua agimus, neque etiam indirectè, quia nulla ſupponitur obligatio ad hominem, quam iuramentum afficiat, & in promiſſionem redundet: quare nullum ius confert creditori, neque aliã affert obligationem, quàm Religionis.

Obiicit aduerſus hæc omnia de Lugo *de iuſtit. diſp. 22. n. 210.* hanc indirectam confirmationem & quoad effectum, vel impropriam omninò eſſe, & falsò vocari confirmationem contractus, vel eſſe confirmationem contractus, vt contractus formaliter, quam directam appellabat Suar. & qui ipſi adhæſerunt: vel enim poſito illo iuramento cadente ſuper promiſſionem formalem, aut virtualem non retractandi contractum factum, oritur ex illo obligatio iuſtitiæ, quæ anteà non oriebatur propter ablatum vi iuramenti impedimentum illius obligationis, tuncque confirmatur contractus directè, & formaliter in ratione contractus, vel non oritur illa iuſtitiæ obligatio, & tunc falſum eſt contractum confirmari, quoad effectum per iuramentum, cùm illius adiectione non habeat eoſdem effectus, quos haberet ſi fuiſſet validus; quia caret primario ſuo effectu qui eſt obligatio iuſtitiæ, & habet ſolam obligationem religionis, ratione iuramenti additi.

Reſp. contractum dici confirmari quoad effectum, quando idipſum quod poni, & fieri debuiſſet vi illius, ſi validus eſſet, ponendum & faciendum neceſſariò eſt ratione alicuius ipſi ſuperadditi, licèt non ſit ponendum, faciendùmve eodem genere neceſſitatis, & obligationis, quo ponendum fuiſſet vi validi contractus; vnde ob hãc diuerſitatẽ obligationis, licèt in eandem materiam cadat, nominamus eiuſmodi contractus confirmationem indirectam, & impropriam, ſiue quoad effectum, cùm contrahentes ad idem obligentur ad quod valido contractu fuiſſent obligati, ſed non eodem titulo.

His obſeruatis quærendum eſt quoſnam contractus, & quomodo directè, an indirectè confirmet iuramentum illis adiectum: contractus autem confirmandus, vel erat irritus ipſo iure, & nullam pariebat obligationem, neque naturalem, neque ciuilẽ, vel erat validus iure naturali, non ciuili, eo quod eius naturalis obligatio, vel impediretur, vel irritaretur à lege, vel denique licèt eſſet validus, erat tamen infirmus, quia erat reuocabilis, & irritabilis ſiue ab altero contrahente, ſiue Iudice ad quẽ prouocare licebat, & remedio exceptionis, aut beneficio legis vti: vel denique dicebatur nullus, quia carebat actione ciuili. Quærimus verò, an omnes iſti contractus iuramento illis ſuperaddito confirmentur, & quomodo, an directè quoad vinculũ, an indirectè propter adiunctã nouã promiſſionẽ, eamque iuratam nõ violandi contractum iam celebratum, vnde naſcitur quidem in iurante obligatio religionis non violandi tales contractus, nullum tamen ius iuſtitiæ tribuitur alteri contrahenti, ne- 7

que vinculum contractus, quod nullum erat, & tale manet, colligat contrahentes, vti hactenus expoſuimus.

Exiſtimant igitur aliqui nullos contractus reipſa irritos, & inualidos confirmari iuramento in ratione contractus. Ita Sanch. *lib. 3. in Decalog. cap.* 12. *n.* 8. vbi plures allegat, quibus adhæſit Baſil. Ponc. *lib.* 10. *de matrim. cap.* 5. *&* 6. & in eam ſententiam inclinat Ferdinand. a Caſtro Palao *tract.* 14. *diſp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 4. Alij volunt contractus iure inualidos propter vtilitatem publicam non confirmari iuramento; ſecus verò quando inualidi ſunt duntaxat à iure propter priuatam vtilitatem, modò in creditore non ſit turpitudo aliqua, quæ eſt communis diſtinctio Doctorum: diſtingunt enim inter contractus inualidos naturaliter, & ciuiliter: priores illos non confirmari iuramento concedunt, ſed poſteriores; indirectè tamen per ſuperadditam promiſſionem iuratam non violandi, aut reſcindendi hos contractus beneficio legum illos irritantium. Alij denique concedunt contractus aliquos iure ciuili irritos, confirmari tamen iuramento ex diſpoſitione iuris pontificij, ſed eam confirmationem extendendam non eſſe ad alios caſus, quàm in iure pontificio expreſſos, qui ſunt duo duntaxat, nempe renuntiationis legitimæ, & alienationis fundi dotalis; illi enim duo contractus, licèt à iure ciuili irritati, nihilominus iuramento confirmantur ex iure pontificio; vt verò implexam quæſtionem explicem, & diſſidia DD. quantum licuerit componam, diuerſa genera contractuum percurrere placet, & quomodo iuramento confirmentur paucis, conſtantibuſque Regulis definire.

REGVLA I.

De confirmatione contractus naturaliter inualidi.

8 PRimò igitur contractus naturaliter nullus, & inualidus nulla ratione confirmatur iuramento, hoc eſt neque directè, neque indirectè: contractus autem naturaliter eſt inualidus, vel quia ipſi eſſentialia deſunt, vel quia vi, & dolo extortus eſt, vel quia ſine peccato ſeruari nequit, eo quod cadat in præiudicium tertij, aut actionem aliquam inhoneſtam contineat. Ratio noſtræ regulæ eſt quia iuramentum foret vinculum iniquitatis, faueret enim fraudem facienti, aut metum inferenti, quod nullus conceſſerit, vel obligationem quæ nulla prorſus priùs fuerat, confirmaret, cùm tamen intelligi nequeat quidpiam confirmari, niſi aliqua ratione validum ſit, licèt infirmum, & debile exiſtat. Deinde ſi inualidus fuit ex ſua natura contractus, nulla fuit obligatio, neque ius illi correſpondens in contrahentibus. Abſque iniuria igitur diſſolui poterit eiuſmodi contractus, neque illius ſeruandi obligatio ex vi contractus oriri poterit, atque inde conſtat ſtatim non confirmari directè iuramento, ſiue quoad vinculum tradendo ius alteri contrahenti, quod nullum antea fuerat, & obligationem iuſtitiæ inducendo.

Non confirmabitur etiam indirectè, & quoad effectum, eo quod vi iuramenti, & ex virtute religionis ponenda ſit veritas rei iuratæ, atque adeò promiſſio formalis iurata de non violando contractu priùs facto, ſeruanda prorſus ſit, ne periurus efficiaris: nam diſtincta illa, & formalis promiſſio ſuperaddi nequit eiuſmodi contractui, & multò minus iurari, cùm ſit de obiecto naturæ lege prohibito: ſi enim contractus nullus ex ſua natura exiſtit, ſimiliter nulla erit ipſi ſuperaddita promiſſio de illo ſeruando, eaſdemque cauſas nullitatis habebit cum contractu, cuius obſeruationem promittit: non poterit itaque illa promiſſio, quæ nulla eſt, confirmari iuramento, quod etiam tunc nullum erit, quia iuramentum ita eſſe debet de materia licita, & honeſta, vel ex ſe vel ex fine operantis, vt nequidem poſſit habere materiam indifferentem, vti docent Caietan. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. Vaſq. *de teſtament. cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 38. Valent. 3. *tom. diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *& punct.* 4. Suar. *lib.* 1. *de iuram. c.* 16. Ponc. *lib.* 12. *de ſponſalib. c.* 7. *n.* 18. quare vulgò iuſtitiam quæ inter conditiones iuramenti numeratur, explicant de iuſtitia, & honeſtate morali, quam habet iuramentum promiſſorium, S. Thom. 2. 2 *q.* 89. *art.* 3. Aragon. *ead. q. art.* 1. & alij Diui Thomæ Interpretes, fauetque ratio quam adducit Ponc. *n.* 18. nam vel dari poterit actus indifferens in indiuiduo, vel vti nos veriùs exiſtimamus, non poteſt. Si primum, non habebit quidem eiuſmodi actus malitiam, carebit tamen honeſtate, fietque iniuria Deo, ſi rei quæ nihil intereſt, vocetur in teſtem per iuramentum, quod proinde nullam afferet obligationem. Neque dicas res indifferentes ſæpiùs eſſe commodas, vel vtiles proximo, ſapienter enim reſpondet Suar. eiuſmodi res non eſſe tunc indifferentes, & actus, qui circa illas verſantur, bonos eſſe, pertinereque ſaltem reductitiè ad aliquam virtutem, vt ibidem explicat. Si verò non detur vllus actus indifferens in indiuiduo, hæc promiſſio de ſeruando contractu naturaliter nullo bona vel mala neceſſariò erit, & ſi mala ſit, non poterit confirmari iuramento, vt vides, atqui non poteſt non eſſe mala, quod vt oſtendam.

Obſeruo aliud eſſe contractum factum obligare vel ex propria ratione iuſtitiæ, vel alicuius alterius virtutis; aliud verò obligationem quæ deerat illi contractui propter eius nullitatem, *fieri materiam* & obiectum alicuius alterius contractus, & promiſſionis de nouo factæ: nam obligatio aliquid faciendi, aut dandi, quam ſubire, ſibique viciſſim imponere volebant contrahentes, quod tamen non potuerunt efficere per contractum ab ipſis celebratum, quia fuit naturaliter nullus, poterit terminare nouum alium contractum naturaliter validum, atque adeò ponenda erunt vi iſtius noui contractus, promiſſionis, ea quæ ponenda non obligabat prior contractus de ipſis initus, & naturaliter inualidus; qui tamẽ per nouum illum contractũ non dicetur validari, ſiue confirmari, ſed omninò manet inualidus, ſicuti prius erat. Quoties igitur contractui naturaliter inualido adiicitur promiſſio iurata de illo ſeruando, videndum eſt, an ea promiſſio poſſit obligare promittentem per ſe, & abſtrahendo à priori contractu naturaliter nullo, cui adiicitur, tunc enim iuramentum, eáque promiſſio obligabit per ſe, non tamen confirmabit priorem contractum nullum; neque aliam afferet obligationem, quã afferret ea promiſſio iurata, ſi abſque ordine ad illum priorem contractum facta fuiſſet. Si verò obiectum illius contractus inualidi tale fuit, vt promiſſionem validam de illo ponendo terminare non poſſit, neque contractus ille adueniente iuramento promiſſorio de illo ſeruando confirmabitur, neque ipſa promiſſio ſuperaddita validabitur, neque iuramentum obligabit: quare, vt videamus an promiſſio iurata de ſeruando contractu priùs

nullo

nullo naturaliter, ſit obligatoria, expendendæ ſunt cauſæ nullitatis illius naturalis: ſi enim iniuſtitia, ſiue turpitudo obiecti, ſiue materiæ, cauſam dederit nullitati, vel fraus, & dolus commiſſus aduersùs alterum contrahentem, vel alienius tertij præiudicium, & iniuria, manifeſtum eſt eius contractus obſeruationem eſſe malam, ac proinde neque promitti, neque iurari poſſe: Si verò dolus commiſſus aduersùs iſtum promittentem, eiuſque error cauſam dederit contractui, ac proinde nullum, & inualidum reddiderit, & deinde hic contrahens cognito ſuo illo errore, & fraude, quam paſſus eſt, vult nihilominus ſponte ſua ſubire illam obligationem, quam ſibi per errorem impoſuerat; condonata quam in ea fraude paſſus fuerat iniuria, ideóque promittit, & iurat ſe ſeruaturum id ad quod per errorem ſe priori contractu obligarat; iam nouum omninò contractum facit, qui validus eſt, cùm ſublata fuerit tota cauſa priorem annullans, quæ erat ſolus error contrahentis, vel dolus, aut fraus aduersùs illum cōmiſſus. Nunc verò ipſe ſine fraude ſciens, & volens, omni errore depulſo ſeſe denuò obligat: neque hæc obligatio eſt prioris contractus confirmatio, ſed noui circa eandem materiam, atque obiectum celebratio: cùm contractus eſſentialiter, atque naturaliter nullus, non poſſit idem eſſe cum contractu naturaliter, & eſſentialiter valido, licèt verſentur circa eandem materiam, & obligationis obiectum, & contractus validus conſequatur inualidum priùs poſitum, qui ideircò malè confirmari dicetur etiā indirectè, & quoad effectum, quaſi idem operetur, atque ſi fuiſſet initio validus: nam neque quidquam priùs operari poterat; neque modò quidquam operatur, cùm ſemper ſit inualidus, licèt ſuperadditus ſit ipſi contractus validus, qui idem omninò operatur, quod fuiſſet operatus prior, ſi fuiſſet validus, & modò æquè manet inualidus, atque fuerat priùs; quod idem omninò dicendum eſt quoties nullitas naturalis alicuius contractus oritur ex defectu alicuius ſubſtantialis: ſi enim adiiciatur de eadem materia alius contractus, qui habeat ſua omnia ſubſtantialia, quibus carebat prior, validus quidem erit, ſed non validabit, vel confirmabit priorem, quamuis eandem afferat obligationem, quam peperiſſet prior, ſi poſitis omnibus ſubſtantialibus ipſi neceſſariis validus fuiſſet, manetque ſemper illa ratio vniuerſalis, confirmari nihil poſſe, niſi quod aliqua ratione validum eſt, quamuis infirmum, ac debile exiſtat. Indeque conſtat certa noſtra regula, contractus naturaliter nullos, & inualidos neque directè, neque indirectè confirmari iuramento; præterquam quod, cùm initio docuerimus iuramentum non habere vim confirmandi contractum, niſi ex iure humano, & non per ſe, & ex natura ſua, ius humanum non potuit vim tribuere iuramento confirmandi contractum naturaliter nullum propter defectum ſubſtantialem.

Quare contractum à prodigo factum negat firmari iuramento Bartb. *in l. cui bonis, D. de verbor. obligat.* & alij cum Couarr. *in cap. quamuis pactum, 2. part. §. 3. n. vlt.* quia prodigus iudicio carere præſumitur, & furioſo comparatur, quando alienat, aut contrahit ſine curatore. Deinde qui contrahit cum prodigo, præſumitur vti fraude, *l. ſi quis cùm ſciret. D. pro emptore*, ideóque hic contractus inualidus eſt iure naturæ propter defectum iudicij, & fraudem circa ſubſtantiam rei promiſſæ, & iuratæ, quo caſu ipſummet iuramentum nullum eſt, vti diximus, & oſtendit Sanch. *lib. 3. in Decalog. cap. 11. n. 42.* Suarez *lib. 2. de iuramento, c. 11. n. 5.* & Leſſi. *lib. 2. c. 42. n. 33.* ac proinde nullam dabit vim contractui, neque directum, vt patet, neque indirectum, cùm ipſummet iuramentum eo caſu non ſit obligatorium.

Regvla II.

De confirmatione contractus ciuiliter irriti.

Contractus ciuiliter nullus non confirmatur 9
directè, & in ratione contractus, ſiue quoad vinculum iuſtitiæ, per iuramentum illi ſuperadditum; indirectè tamen, & quoad effectum confirmari poterit per iuramentum adiectum de ipſo ſeruando, ſiue non violando, modò iuramentum eiuſmodi validum ſit, & ius ipſi non reſiſtat, vti poteſt, ſæpiuſque reſiſtit, & ipſum iuramentum non modò illicitum, ſed etiam nullum inualidumque reddit. Hac vniuerſali Regula diſſidia DD. facilè componimus, ſingillatim verò demonſtranda eſt.

Dixi itaque primò, contractus ciuiliter nullos, & irritos non confirmari in ratione contractus ſiue directè, & quod ad vinculum iuramento ſuperaddito. Ita docent Sanch. *lib. 3. in Decalog. cap. 12. numer.* 8. Turrian. *de iuſtit. diſp. 55. dub. 7.* Ferdinand. à Caſtro *tract. 14. diſp. 2. punct. 9. §. 3.* Ponc. *lib. 12. de matrim. cap. 7. §. 6. & 7.* Vaſq. *cap. 3. de teſtament. dub. 2. n. 30.* & probabilem putat Suar. *lib. 2. de iuram. cap. 29.* atque ex Iuriſconſultis Portius, aliique plures apud Gutier. *in repetition. ad authentic. ſacramenta puberum à n. 24.* Ratio manifeſta eſt, quia iuramentum neque eam vim confirmandi contractus, vt contractus ſunt, habet ex natura ſua, neque ex iure. Non primum, iam enim ſæpiùs diximus illud parere ſolùm obligationem religionis, non autem iuſtitiæ, qualis eſt obligatio contractus vt ſic, quæ alteri contrahenti tribuit ius, quod non facit iuramentum, vti initio in notatis fuit demonſtratum. Si quam igitur habebit vim hac in parte iuramentum, illam habebit à iure humano, quod voluit contractum, quem priùs infirmabat, irritabatque, adiecto iuramento fieri validum, & omnem illam inualiditatem ciuilem abſtergit, aufert nempe impedimentum quod eius valori poſuerat, ideóque validus, & firmus euadit, atque adeo obligat obligatione iuſtitiæ, & non ſolius religionis propter adiectum iuramentum. Atqui nullum eſt ius humanum, neque ciuile, neque canonicum, quod hanc vim tribuat iuramento, & eius adiectione vinculum contractus alias per lege inualidi validari conſtituat.

In primis enim ius ciuile non modò eam vim confirmatoriam iuramento non dat, ſed potiùs negat, cùm ſacramenta adhiberi, & admitti prohibuerit contra leges irritantes contractus, *l. non dubium 5. C. de legibus*: cuius hæc verba ſunt; *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri voluimus ſubſecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente: quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres, quàm nouellas trahi generaliter imperamus, vt legiſlatori quod fieri non vult, tantùm prohibuiſſe ſufficiat, cæteraque quaſi expreſſa ex legis voluntate liceat colligere, hoc eſt, ea quæ fieri lege prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam ha-*

Digitized by Google

beantur, licèt legiſlator fieri prohibuerit tantùm, neque ſpecialiter dixerit inutile eſſe debere quod factũ eſt: ſed & ſi quid fuerit ſubſecutum ex eo, vel ob id quod intercedente lege factum eſt; illud quoque caſſum, & inutile eſſe præcipimus. Secundum itaque prædictam regulam, qua vbicumque non ſeruari factum lege prohibente cenſuimus, certum eſt neque ſtipulationem huiuſmodi tenere, nec mandatum vllius eſſe momenti, neque ſacramentum admitti: quæ poſtrema verba diligenter expendenda ſunt. Cùm enim omnia contra leges prohibentes, & irritantes facta, nulla omninò eſſe velit, neque contra ea aut ſtipulationes, aut mandata, aut ſacramenta admitti patiatur, non magis ſacramenta contractus eiuſmodi irritos confirmabunt, quàm ſtipulationes, aut mandata, de eorum contractuum iure irritorum obſeruatione. Neque benè reſpondet Cuiac. hanc legem intelligendam eſſe de iuramento in rem turpem cadente: nam Imperator non aliam in his contractibus aduertit, aut indicat turpitudinem, quàm quod fiant contra legis prohibitionem, eaque ſolum de cauſa illos inutiles, & nullos eſſe decernit, & aduersùs eam nullitatem ſtipulationes, mandata, vel ſacramenta fieri, & admitti prohibet; neque meliùs Suar. aliiue Imperatorem interpretantur de contractibus nullis ob bonum publicum; nam vniuerſalis eſt ea conſtitutio, & loquitur de omnibus contractibus nullis propter prohibitionem legum, quæcumque tandem fuerit illius prohibitionis cauſa, ſiue bonum publicum, ſiue priuatum contrahentium. Et denique in omnibus illis actibus nullis prohibuit abſque vlla exceptione iuramentum adhiberi; ne ſcilicet prætextu religionis iuramenti ſeruandi, fraus fieret legibus prohibentibus, & irritantibus. Huic conſtitutioni conſentiunt antiqua iura; nam *l. iuriſgentium* 7. *§. etſi*: & *l. generaliter* 16. *D. de pactis*; *Quoties pactum à iure communi remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec legari, nec iuſiurandum de hoc adactum, ne quis agat, ſeruandum.* Manum quidem Triboniani agnoſcit eo loco Anton. Faber, *qui pactum remotum* à iure communi dixerit, pro *improbatum*, alioquin falſum dixiſſet, pacta enim quæ ſunt præter ius, ſunt neceſſariò remota à iure communi, & tamen ſeruanda ſunt: mendosè etiam dixit *legari*, nam *ligari* dicendum eſt; vide Cuiac. *lib.* 1. *obſeruation. c.* 24. eiuſmodi ſiquidem pactum à iure communi improbatum, nullum protinus eſt, ac proinde non ligat; iuſiurandum autem de hoc *adactum*, vel potiùs exactum, ſeruandum non eſt; ergo non confirmat pactum illud nullum, vt vides.

Præiit alia Seueri, & Antonini ſimilis conſtitutio quam refert. Marcian. *in l. ſi quis inquilinus* 52. *§. fin. D. de legatis. Diui Seuerus, & Antoninus reſcripſerunt iuſiurandum contra vim legum, & authoritatem iuris in teſtamento ſcriptum, nullius eſſe momenti.* Inde illud Baldi, & aliorum vulgare dictum; iuramentum non firmat actum iure prohibitum. Confirmatur ex *l. ſi quis pro eo* 56. *D. de fideiuſſor. Si quis pro eo qui libertus non eſſet, & operas præſtiturum ſe iuraſſet, fideiuſſor erit, non tenebitur*: non alia ſanè de cauſa, quàm quia cùm ille non liberti contractus nullus eſſet, nulla quoque neceſſariò erat fideiuſſoris pro eo contractu obligatio, & tamen ille non liberti contractus iuratus fuerat, neque iuramentum eum confirmarat; ideóque Gotofred. *in notis ad illam legem*, obſeruat iuramentum non eſſe modum inducendæ ciuilis obligationis.

10 Maior difficultas eſt circa ius canonicum; nam plures DD. qui negarunt iura ciuile hanc vim confirmatoriam dediſſe iuramento, contrarium affirmant de iure pontificio, adeóque communis eſt illa ſententia, vt Ponc. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 7. *n.* 4. vulgatem errorem, qui Iudicum occuparit ſubſellia, dixerit: innumeros Authores dabit Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. c.* 52. *num.* 15. aliqui nihilominus hanc vim iuramento non tribuunt, niſi in duobus caſibus in iure canonico expreſſis, & ad alios non expreſſos extendi poſſe negant: ita Ferdinand. à Caſtro Palao *tract.* 14. *diſp.* 2. *punct.* 6. *§.* 3. *n.* 4. & alios ſequutus Anton. Faber. *de erroribus pragmatic. decade* 41. *errore* 4. *n.* 1. quæ exceptio, ſiue reſtrictio non placet, quia idcircò confirmari iuramento vult Fab. contractus illos de quibus agit ius pontificium, quamuis iure ciuili nullos, quia iuraměti religio obligat quoties ſeruari poteſt abſque peccato, & diſpendio vitæ æternæ, quantumuis leges ciuiles retractentur, vti diſputat *ibid. & errore ſuperiore*, in quo donationem factam à patre filiofamilias iuratam, idcircò non obligare dicit, quia illa donatio violat patriam poteſtatem, & pietatem, eſtque rei impoſſibilis, ideóque iuramentum ad eam ſeruandam nequit obligare. Vbi igitur res per contractum promiſſa honeſta fuerit, & ſine peccato poterit impleri, implenda erit, ſi contractui illi acceſſerit iuramentum, quamuis iure ciuili contractus eiuſmodi nullus ſit, & repugnantibus legibus celebratus, qui proinde æquè dicetur confirmari iuramento, atque alij, qui in iure Pontificio ſunt expreſſi propter identitatem rationis, neque fuerit opus vniuerſali conſtitutione pontificia, quam poſtularet Faber, quæ iubeat omnes conuentiones iuratas validas haberi, quantumuis fiant contra leges: quæ conſtitutio *ſtulta & inepta eſſet*, inquit idem Author, *tantam patefaciens feneſtram ad legum maieſtatem infringendam, quam expedit publicè ſanctam eſſe, atque inuiolatam.* Non erit inquam opus hac lege vniuerſali expreſſa, ſi ratio conſtitutionis particularis, circa aliquos caſus vniuerſalis ſit, & valeat in *omnibus aliis*, ideóque paſſim DD. pronuntiant ex iure pontificio confirmari contractum iuramento adiecto, quoties res contractu comprehenſa fieri poterit ſine peccato: quare vel dicendum eſt eiuſmodi omnes contractus confirmari, vel nullos etiam ex iure pontificio, quod hoc loco contendo. Agimus autem de confirmatione contractus, vt contractus, quam cum Suar. directam appellauimus: eam itaque non tribui iuramento à iure pontificio inde validè probatur, quia contractus Laicorum ſaltem in materia ciuili, non ſubſunt poteſtati pontificiæ; quare ſicut non poteſt illos inualidos reddere, & obligationem tum naturalem, tum ciuilem ipſorum ſua conſtitutione elidere, ſi naturaliter validi ſint, & à legibus tanquam validi probentur; ita neque poteſt illos, ſi inualidi & irritati ſint à lege, validos efficere, vel conferre obligationem iuſtitiæ, qua carebant, auferendo impedimentum illorum valori à legibus poſitum, quibus reluctantibus ius rigoroſum iuſtitiæ pariat, atque adeò illi correſpondentem obligationem, & actionem in iudicio, vbi acceſſerit iuramentum, quod proinde non inducet ſolam religionis obligationem, ſed efficiet præterea, vt contractus, cui adiicitur, producat, vt dixi, obligationem iuſtitiæ, quam propter legum irritationem parere non poterat; idque docet Vaſq. de *teſtam. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 32. cùm ait Pontificem poſſe in ditionibus dumtaxat ſibi ſubiectis ſtatuere, vt contractus iure inualidi, confir-

mentur

mentur iuramento, idem affirmat Ponc. *lib. 12. de matrim. c. 7. n. 97.* alios allegans, quia nequit Pontifex leges Principum iuſtas abrogare, quod tamen faceret leges irritantes contractus elidendo, ſtatuendoque, vt ceſſaret omnis illa irritatio, & nullitas per legem inducta, quoties contractui ita irrito iuramentum accederet, ita vt non modò ſeruandum eſſet iuramentum ob virtutem religionis, ſed etiam fieret contractus validus, & ius per illum alteri contrahenti acquireretur. Quod totum confirmatur ratione, idcircò enim neque Pontifex, neque Princeps poteſt ſtatuere, vt contractus naturaliter irritus confirmetur iuramento, quia non poſſunt ſua lege ſupplere defectum ſubſtantialium, & eſſentialium contractui, v. g. conſenſum liberum, ac proinde non poſſunt auferre impedimentum naturale validitatis contractus, vt eo ſublato contractus non ſit amplius inualidus, ſed validus euadat; neque etiam iuramentum ex ſua natura habet hanc vim ſupplendi defectum ſubſtantialem, neque illam accipere poteſt à lege ſiue ciuili, ſiue canonica, quæ illam, vt dixi, non habet. Atqui Pontifex non habet quoque poteſtatem ſupplendi defectum ſubſtantialem contractui ad eius valorem ciuilem; non poterit igitur auferre impedimentum valoris ciuilis poſitum à lege ciuili, eamque vim dare iuramento, niſi vt dixi poſſit legem ciuilem, quamuis iuſtam, & honeſtam abrogare, quod nemo conceſſerit opinor, cùm Pontificia dignitas, & cura impediendi peccati poteſtatem illam non poſtulet, ad eam enim ſufficit ſi iubeat iuramenti religionem ſeruari, & periuria vitari. Neque ſanè aliud vnquam conſtituit Pontifex, & nunquam ſibi eam poteſtatem arrogaſſe legitur; nam *in cap. cum contingat* 28. *de iureiurando*, Innocentius III. conſultus de mulieribus quæ conſtante matrimonio conſenſerunt alienationi rerum dotalium, illamque ſacramento firmarunt, ſic reſpondet: *Quod etſi mulierum conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundùm legitimas ſanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat periuriis aperiri, mulieres ipſa ſeruare debent iuramenta ſine vi & dolo præſtita, cùm in alterius præiudicium redundent, nec obſeruata vergant in diſpendium ſalutis æternæ.* In quibus verbis vides non aliud præcipere Pontificem, quàm vt illæ mulieres iuramentum à ſe præſtitum ſeruent, non autem confirmare contractum factum alienationis, qui ſemper inualidus manet. Vnde ait expreſsè earum mulierum conſenſum *non videri obligatorium ſecundum legitimas ſanctiones*; hoc eſt contractum reuerà nullum eſſe, neque dicit ſe *eum conſenſum* facere *obligatorium*, aut ſe in hoc caſu *legitimis ſanctionibus* derogare, ſed ſolùm ſeruandum eſſe iuramentum, quandoquidem ſine peccato, & præiudicio tertij ſeruari poteſt, & ſine vi, ac dolo ſponte præſtitum fuit. Eodem ſenſu *cap. quamuis pactum, de pactis in 6.* & *cap. mulieres, de iureiurando in 6.* præcipitur omninò ſeruari iuramentum ſicut & *cap. debitores, de iureiurando*, iuramentum de ſoluendis vſuris promiſſis: quo vltimo loco nemo dicet confirmari contractum, alioquin vſurarius ius haberet exigendi, capiendi, & retinendi vſuras ſibi debitas, cùm tamen contrarium affirmet Alexander III. *illo cap.* & *ſequenti*, vbi eundem vſurarium ad reſtituendas vſuras ſibi à mutuatario, ne periurus fieret, ſolutas, *ſeueritate Eccleſiaſtica compelli* mandat. Nihil igitur habemus aliud ex iure canonico circa iuramenta adiecta, contractibus iure ciuili irritis: quàm ea iuramenta, cùm ſine præiudicio tertij, & peccato, ſine diſpendio vitæ æternæ ſeruari poterunt, & ſponte præſtita fuerunt, ſeruanda eſſe, ne via periuriis aperiatur. Manet nihilominus contractus æquè irritus, ac nullus, vti fuerat ante iuramentum, cuius acceſſione non acquiritur obligatio iuſtitiæ, neque tollitur impedimentum poſitum à lege irritante, valori illius contractus.

His omnibus adde non fore ſatis prouiſum infirmis, & debilibus perſonis, vt mulieribus, & minoribus, in quorum fauorem leges contractus ab ipſis factos vel irritarunt, vel inutiles eſſe voluerunt, ſi enim adiiciant ſuis contractibus iuramentum, contractus priùs irriti validi fient, neque amplius reſcindi poterunt beneficio legis, quod iſti contrahentes amplius aduersùs eos contractus implorare non poterunt, cùm iam firmi, & validi ſint: nam etiam relaxato iuramento validi manebunt; facilè autem fuerit illis, qui cum eiuſmodi perſonis debilibus contrahunt, eas inducere ad iuramentum ſui contractus confirmatorium.

Reſpondet Lugo *diſp. 22. de iuſtit. numer. 203.* conceditque non ita prouiſum infirmis fuiſſe, atque ſi iuramentum non confirmaret contractus, eaque de cauſa poſſe Eccleſiã vniuerſali lege prohibere, ne contractibus inualidis, & à iure irritis adiicerentur iuramenta confirmatoria, maluiſſe tamen hactenus conſulere reuerentiæ iuramenti, & ad illius obſeruantiam obligare, ne facile contemnantur periuria, & cautiores fiant homines, neque ſub iuramento niſi poſt maturam deliberationem contrahant. Verùm iam habemus non ſatis efficaciter prouiſum eſſe infirmis perſonis per leges irritantes contractus, non ipſarum legum defectu, ſed conſtitutione Eccleſiaſtica, quæ illarum legum effectum impedit, opportunoque remedio ab illis præſtito ſpoliat infirmas illas perſonas, quibus tamen ipſa pro ſua pietate maximè prouidere deberat, daturque locus inuidioſæ illi quæſtioni, an leges iſtas vſque adeò naturali æquitati conſentaneas, bonoque communi vtiles, eius enim intereſt ne infirmæ, & debiles perſonæ aliorum fraudibus, & vexationibus pateant, potuerit Eccleſia vel impedire, vel abrogare. Deinde non magis conſuluit reuerentiæ iuramenti Eccleſia tribuendo vim confirmatoriam contractus iuramento, quàm iubendo duntaxat vt iuramenta ſpontanea, quæ neque vi, neque dolo extorta ſunt, & ſine præiudicio tertij, atque peccato ſeruari poſſunt, omninò ſeruentur: nam ad reuerentiam, & religionem iuramenti, aliud non requiritur quàm vt ſeruetur quoties validum erit, & ſeruari poterit; id autem totum imperat ſua conſtitutione Pontifex, quamuis non tribuat vim confirmatoriam contractus iuramento; modò enim ſeruetur ſiue confirmatorium ſit, ſiue tantùm per ſe ſtans, & obligatorium duntaxat, ſatisfit obligationi naturali virtutis religionis, quam vnam iuramentum per ſe inducit, atque hac rigida & inuiolabili obſeruatione, quam imperat Pontifex, obſtruitur omnis locus periuriis: nam faciliùs ſeruabuntur iuramenta iſta, quàm confirmatoria, relaxabunturque faciliùs, cùm nulla fiat iniuria tertio, cui nullum ius quæſitum fuit contractu, cui iuramentum non confirmatorium, ſed ſolùm obligatorium adiectum fuit; vnde etiam ſequitur magis vitari peccata, quod vnum intendit maximè ſuis legibus Eccleſia, ſi iuramentum fuerit duntaxat obligatorium, quàm ſi ſimul confirmatorium exiſteret: tunc enim violato iuramento

non

non tantùm religio ſed & iuſtitia violabitur, & duplex peccatum admittetur, faciliúſque quilibet inuitabitur ad ſeruandum iuramentum, quod nullum ius acquirat tertio, neque ſibi, ſuiſque hæredibus, ad quos non tranſit præiudicet.

11 Obiicies cum Delugo *diſp. 12. n. 201. & 206.* confirmari contractum iure irritum, eſt duntaxat concedere actionem ad reſciſſionem illius contractus, quam lex contractum irritans, priùs negauerat; quia non dicuntur inualidi ſolo iure contractus, niſi quia ius negat actionem ad illorum reſciſſionem: atqui ius ciuile & canonicum dant actionem aduersùs iuramentum adiicientem contractui à ſe inito, ſiue iuret dum contrahit, ſiue deinde iuramentum apponat: ergo confirmant contractum, cui iuramentum acceſſerat, illique vim obligatoriam, qua priùs carebat, concedunt, cùm ex obligatione naſcatur actio. Dari verò actionem eo caſu inde conſtat, quòd iubeant leges Iudicibus, vt eiuſmodi pacta iurata curent inuiolabiliter obſeruari, vt vides *in l. vt iuriſiurandi 7. D. de operis libertorum*, vbi *pactum iuratum liberti cum patrono de operis obſequialibus illi exhibendis*, obſeruari iubetur, *l. 5. C. ſi aduerſus venditionem*, minorem viginti quinque annis, qui caueat iuramento corporaliter præſtito emptori prædij, de cætero ſe nullam controuerſiam eſſe facturum, cautionem illam iuramento firmatam ſeruare vult, ne ſi contrarium permittat, ipſemet Imperator perfidiæ, & periurij auctor fiat. Fridericus verò Imperator *in Authentica ſacramenta puberum, C. eod.* ſpontanea puberum ſacramenta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inuiolabiliter cuſtodiri mandat; Iudicibus vtique imperat, ne contra ſpontaneum iuramentum à pubere factum, illum ad reſciſſionem agere patiantur, ſed illum cuſtodire inuiolabiliter iuramentum præſtitum compellant.

Pontifex autem *in cap. cùm contingat de iureiurando*, prohibet mulieres alienationes fundi dotalis iuratas reuocare, ne periuræ fiant. Itáque vult Epiſcopum Beluacenſem, qui ipſum de ea quæſtione conſuluerat, obſeruare, in iudicio quippe: *& cap. licèt mulieres, de iureiurando in 6.* Bonifacius VIII. mulieres, quæ alienationibus dotium, & donationibus propter nuptias conſentiunt, illis non contrauenire, proprio iuramento firmantes, eiuſmodi iuramento ſine vi, & dolo præſtito teneri ex iure canonico definit, & Iudices ſæculares, qui contra illas alienationes adiuuant eas mulieres, de quarum tamen iuramento legitimè præſtito certi ſunt, compelli per locorum Ordinarios cenſura Eccleſiaſtica ad ſeruandum hoc ius canonicum decernit; & *cap. quamuis pactum, de pactis in 6.* pactum quo filia nubens paternæ ſucceſſioni renuntiat, quamuis lege ciuili improbetur, ſi tamen ſpontaneo iuramento firmatum fuerit, omninò ſeruari debere idem Bonifacius edicit. Vbi obſerua Pontificem apertè dicere pactum illud renuntiationis iuramento firmatum, omninò ſeruandum eſſe, vbi & pactum ipſum firmatum iuramento fatemur, & ita firmatum omninò ſeruandum eſſe; neque affirmat tantùm iuramentum ſeruandum eſſe, ſed ipſummet pactum iuramento firmatum: videlicet quia tunc vim accepit, quam nullam habebat, cùm eſſet improbatum à lege ciuili. Cùm igitur negetur à Iudice actio illi, qui contractus iurati reſciſſionē poſtulat, ne periuriis faueat, quam actionem negare non poterat ſi iuramentum non acceſſiſſet; dicendum eſt eo iuramento confirmari contractum, & fieri validum, ideóque non audiri, qui eius reſciſſionem contra ſuum iuramentum poſtulat: quæ omnia confirmantur ex diuerſo modo quo loquuntur iura de diuerſis contractibus, quibus acceſſit iuramentum; aliqui enim cùm iure naturæ, & non ſolùm iure humano inualidi ſint, non confirmantur accedente iuramento, ideóque licèt ſeruari iuramentum iubeant iura, quod tamen vi illius datum eſt creditori repeti poſſe volunt, immò & ad id compellendum eſſe creditorem; quia iuramentum debitoris nullum ipſi ius accipiendi, aut retinendi ſolutum tribuit, vt videmus in vſuris, quas aliquis ſe ſoluturum iurauit, illas enim ſoluere debet, ne periurus fiat, ſolutas tamen repetere poteſt, & creditor vſurarius reddere tenetur, cùm iuramentum debitoris nullum illi nouum ius attulerit: ita *cap. debitores, de vſuris, & cap. penult. de pignoribus.* Ex quibus manifeſtum fit eiuſmodi iuramentum obligatorium duntaxat fuiſſe, & non confirmatorium. At verò longè aliter loquuntur iura de alienatione fundi dotalis, renuntiatione futuræ ſucceſſionis, contractu minoris ſine tutoris authoritate, & decreto Iudicis facto, hos enim omnes propter iuramentum ipſis adiectum ſeruari volunt, & ratione ipſorum actionem concedunt aduersùs iurantem: quæ actio ſupponit obligationem non vi tantùm iuramenti, & religionis, ſed vi ipſius contractus, & iuſtitiæ, alioquin iuberent vbi momentanea ſolutione ſatisfactum foret obligationi religionis, & iuramenti, creditorem reddere quod accepiſſet: immò & ad illud compellerent, cùm nullum ius haberet illud exigendi, accipiendi, & retinendi, quandoquidem totum illud ius non potuit oriri niſi ex contractu, qui cùm initio inualidus, & irritus fuerit iure humano, neque acceſſione iuramenti fuerit factus validus, non poteſt vllum ius conferre creditori, neque obligationem vllam imponere debitori, quamuis ille teneatur dare, aut facere quod promiſerat propter obligationem iuramenti, quam ſibi impoſuit, quæ tamen nullum ius tribuit creditori, vt diximus. Ex quibus etiam apparet ratio propter quam iura voluerint quoſdam contractus confirmari iuramento, & non alios, quibus adiectum iuramentum obligatorium duntaxat eſt, & per ſe ſtans, quia quidam contractus ſunt naturaliter irriti, & illos ius validos facere nequit, neque vim illos validandi iuramento conferre, vt vides in contractu vſurario, qui eſt iniuſtus, & naturaliter nullus. At verò quidam alij ſunt duntaxat iure humano irriti, & nulli, quia licèt ſpectato ſolo iure naturali validi forent, & obligationem iuſtitiæ parere poſſent, illam tamen obligationem naturalem eliſit lex irritans, quod eam poſſe facere fuſiùs demonſtrauimus *opere de vſuris lib. 3. c. 2.* Horum igitur contractuum inualiditatem ſiue impedimentum, quod poſuit eorum valori ius, auferre poteſt, id autem facere ſe ſignificat, quando iuramentum illis adiicitur, ideóque dicit illa pacta iurata *omninò & inuiolabiliter ſeruanda eſſe*, datque actionem aduerſus iurantem, ſi ea non impleat, & ſi excipiat nullitatem contractus, non auditur. Ad extremum quamuis daremus ius ciuile non dediſſe hanc vim confirmatoriam iuramento, quod de iure antiquo fatentur aliqui apud Sanch. *lib. 3. in Decaleg. c. 12. num. 3.* negari non poteſt ius canonicum aliquid amplius ſtatuiſſe circa iuramenta addita quibuſdam contractibus, quàm ius ciuile: illud verò additum à iure canonico, non eſt obligatio religionis, nam illam quoque ſeruari vult

Ius

ius ciuile, neque enim probat periuria, vt ſignificat Alexander Imperator *l. 1. C. ſi aduerſus venditionem*: debet igitur eſſe vis aliqua confirmatiua pacti, quod idcircò omninò,& inuiolabiliter ſeruari mandat, alias autem tantum edicit ſatisfieri iuramento momentanea ſolutione, & data repeti non modo permittit, ſed etiam creditorem qui illa acceperit reſtituere compellit, etiam cenſuris Eccleſiaſticis, ſi opus fuerit.

12 Reſp. diuerbium quidem eſſe Iuriſconſultorum, obligationem exiſtere matrem actionis, quæ non conceditur niſi ſupponatur eſſe aliqua obligatio, vel vera, vel præſumpta, cùm actio detur ad ius ſuum perſequendum in iudicio, non tamen ſtatim atque negatur actio alicui, ſequitur alterum aduerſus quem agere prohibetur, aut non permittitur à lege, habere ius aduersùs ipſum, illudque firmum: neque vbi negatur repetitio rei datæ, aut acceptæ, idcircò qui illam retinet ius habet ad eius retentionem: non enim datur actio aduersùs fraudantem citra dimidium iuſti pretij, ſicut neque ſi frater fratri qui in eadem poteſtate eſt, pecuniam mutuam dederit, aut ſeruus ciui Romano, aut ſi qui tibi pecuniam mutuam dederit, poſtea proſcribatur, aut deportetur: in quibus tamen, ſimilibuſque caſibus negatio actionis, & repetendi in iudicio, quod datum fuerat, non elidit obligationem reſtituendi, quam habet defraudans infra dimidium iuſti pretij, & cæteri de quibus egimus ſoluendi pecuniam mutuò acceptam. Non bene igitur ex eo quod ius neget actionem ad reſciſſionem contractus iure quidem inualidi, ſed iurati, colligit Delugo contractum eiuſmodi iuramento fuiſſe confirmatum, & vi illius quæſitum fuiſſe ius contrahendi, qui idcircò ex iuſtitia poterit vel acquirere, vel retinere quod eo contractu pactus erat, eodem modo atque ſi initio fuiſſet validus: nam vel iuramentum tribuit illud ius, firmatque contractum, vel denegatio actionis: non primum, quia vt ſæpiùs diximus, id non habet ex natura ſua, neque à iure quod ſtatuerit poſito iuramento tolli inualiditatem prioris contractus, quam lex ipſa poſuerat, id enim nullibi legitur, immò contrarium habemus in lege ciuili. Neque id colligit Delogo niſi ex denegatione actionis factæ iuranti, qui nequit reſciſſionem contractus iurati perſequi in iudicio, cùm tamen opus eſſet clara, & perſpicua lege, quæ eo caſu aliam legem irritantem contractus emendaret. Denegatio verò actionis nequidem eſt ſignum ſufficiens validitatis contractus, cùm vt iam oſtendi, in multis caſibus denegetur actio aduerſus illum, qui certò obligatur ad reddendam rem, diſſoluendumque contractũ, cuius repetitio, aut diſſolutio peti in iudicio non permittitur, vt ex caſibus allatis aliiſque innumeris conſtat.

Obſeruandum igitur eſt, quod fuſiùs diximus *opere de vſuris, lib. 1. cap. 3. art. 1. hoc ipſo libro c. 1. art. 5. & 6.* contractus aliquos iure naturali, & ciuili validos eſſe, & obligationem tum naturalẽ, tum ciuilem parere, alios verò quibus lex, & ius humanum reſiſtit, quoſque reprobat, & irritat, neutram obligationem, parere, & omninò nullos eſſe. Alij ſunt quibus lex humana ita reſiſtit, vt tamen non faciat reipſa irritos, ſed irritabiles duntaxat, & à Iudice reſcindibiles; donec tamen petatur, obtineaturque illa reſciſſio, validi ſunt, & obligant. Alij denique ſunt quibus neque reſiſtit ius ciuile ipſos irritando, neque aſſiſtit dando actionem, iique pariunt obligationem naturalem, non ciuilem, & vt ait Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp. 7. n. 26. Manent deſtituti auxilio iuris ciuilis ſub fomento iuris naturalis.* Quoties igitur apponitur iuramentum contractibus, illi contractus in ſeſe ſpectati iidẽ, & immutati prorſus manent eodẽ modo, atque ſi iuramẽtum adiectũ minimè fuiſſet; quare ſi vtroque iure naturali, ac ciuili validi erãt, præter obligationem naturalem, & ciuilem, quam afferebant, habent quoq; obligationem religionis, neque ad illorum reſciſſionem, vt vides, iure agi poteſt. Si igitur denegatur actio iure denegatur ob validitatem contractus quæ exiſtit etiam ſecluſo iuramento addito. Si verò iuramentum acceſſerit contractibus quos lex improbat, & irritat, ita vt ipſo iure, & facto ſint inualidi, non facit illos in ſe validos iuramentum, neque enim naturalem obligationem, quam lex irritans eliſerat, reſtituit, neque ciuilem quam nunquam habuit, confert, vti oſtendimus; negatur tamen aliquando actio iuranti, neque ad reſciſſionem agere permittitur, iuſtis de cauſis, ipſique denegatur repetitio, eius quod creditori ſemel ſoluit.

Illuſtre habemus exemplum in filiofamilias, qui mutuam accepit pecuniam: Senatus enim conſultum Macedonianum obligationem etiam naturalem, quam contraxerat hic filiusfamilias, ita eliſit, vt poſſit in conſcientia vti eius Senatuſconſulti exceptione, neque creditori quidquam reſtituere teneatur; quam eſſe communem ſententiam fuſiùs demonſtrauimus *in opere de vſuris lib. 1. c. 5. art. 2. conſectario 4. n. 24.* Si tamen filiusfamilias ſoluit creditori mutuatam ſibi pecuniam, illam repetere nequit *l. ſed ſi paterfamilias 9. §. vlt. D. ad SC. Macedon.* vbi dilertè Vlpian. affirmat filiumfamilias non poſſe repetere, ſi ſoluerit, licèt perpetua exceptione Macedoniani tutus ſit; vnde colligit Anton. Faber communem illam regulam qui tutus exceptione perpetua ſoluit per errorem, ſolutum poteſt repetere, quam tradit *l. qui exceptionem 40. D. de condict. indebiti,* non ſemper veram, ſiue perpetuam eſſe, & aliquando fallere, vt in illa ipſa lege ſingularibus exemplis demonſtrat Marcian. atque hoc ipſo filiifamilias qui ſoluit pecuniam, quam contra SC. Macedonianum mutuò acceperat: nam illam repetere non poteſt, licèt tutus foret, vt diximus, exceptione perpetua illius Senatuſconſulti. Rationem reddit eo loco tum Marcian. tum Vlpian. *citata l. ſed ſi pater,* quia illa exceptio odioſa eſt, nempe in odium creditorum, non fauorabilis in fauorem filiorumfamilias: ſapienter enim inquit Vlpianus, *Hi demum ſolutum non repetunt, qui ob pœnam creditorum actione liberantur, non quoniam exonerare eos lex voluit.* Cùm igitur voluerit Senatus punire creditores iſtos, & fœneratores, qui filiorumfamilias abutebantur facilitate, voluit illos habere actionem ex mutuo aduerſus filiosfamilias, quos eadem cauſa obligatione naturali ſoluendi liberauit in eorumdem creditorum odium: quia tamen non intendebat primò & per ſe fauere filiisfamilias, mirum non eſt ſi pecuniã fœneratori reſtitutam repeti noluerit, ſiue negauerit actionem filiofamilias ad petendam pecuniam, quam ſibi mutuanti ſoluerat, vt & ipſe vnà cum creditore ſimul puniatur ſuo modo, vtrique negarit actionem, neque inde bene colligit Couarru. *in cap. quamuis pactum 2. part. §. 3. n. 4.* filiosfamilias liberari duntaxat actione, quam creditores habere poſſent aduersùs eos ex mutuo, non autem omni prorſus obligatione ſoluendi: quia tunc filiifamilias ſoluendo renuntiant

tiant exceptioni Senatuſconſulti Macedoniani, qua poterant non ſoluere, ideóque noluit Senatus facere ius repetẽdi, quod ſoluere non tenebãtur beneficio legis, quæ naturalem obligationem eliſerat: quare cùm ſponte noluerint vti legis beneficio, mirũ non eſt ſi nõ permittat lex illus mutato deinde animo, vti eo beneficio cui renuntiarant, atque ita permiſerit creditoribus quod iure repetere non poterant, vbi tamen ipſis ſolutum fuit, retinere. Neque enim probibuit lex filiiſfamilias ſoluere, quamuis illos obligatione ſoluendi, quã naturaliter contraxiſſe videbãtur, liberarit, & ab ipſis quidquã petere creditores vetuerit, negata ipſis actione; quare ipſis prohibuit fœnerati filiisfamilias, non tamẽ accipere, & retinere quod mutuatarij iſti illis redderent. Neque nouum eſt in iure negare repetitionẽ ſoluti illis, quos perpetua exceptione tutabatur ab actione, qua ad ſoluendũ cogerentur, vt pluribus exemplis facilè foret oſtendere. Maneat itaque regula nuper à nobis ex Marciano allata, *l. qui exceptionem* 40. *D. dè condictione indebiti. Si eius cauſâ exceptio datur cum quo agitur, ſolutum repetere poteſt: vbi verò in odium eius cui debetur exceptio datur, perperam ſolutum non repetitur*: hoc eſt videndũ eſſe an exceptio perpetua concedatur fauore illius cui permittitur excipere, an verò in odium eius aduersùs quem excipitur. Prioris caſus exẽplum affert exceptionẽ Velleiani de interceſſionibus mulierum: poſterioris exceptionem Macedoniani aduersùs eos qui filiofamilias crediderint. Prior illa exceptio fauorabilis eſt ei, cui conceditur, non in odium eius aduersùs quem conceditur; nam dubio procul Senatus ſuo illo decreto fauere voluit mulieribus propter earum infirmitatẽ, & ſexus imbecillitatem, ne ſi quando contra Ampliſſimi Ordinis decretum interceſſerunt, obligari queant cum effectu, non autem punire illum, qui cum muliere bona fide contrahit, licèt eam intercedere non ignoret: quando verò idem Senatus ſtatuit ne filiusfamilias poſſit cum effectu conueniri à creditore, atque exceptione perpetua Macedoniani, à condictione certi liberauit, id non ſtatuit in fauorem filiorumfamilias, vt eos exoneraret, ſed in odium fœneratorum, & creditorum, vt eos puniret: mirum igitur non eſt ſi mulieribus intercedentibus contra probibitionem Senatus, concedatur repetitio ſoluti tanquam indebiti, & negetur filiiſfamilias qui creditoribus, & fœneratoribus ſoluerint quod mutuò acceperant.

Contra hanc tamen vniuerſalẽ Iuriſconſultorum regulam ſapienter obiicit Ant. Fab. *ad citatam l. qui exceptionem* 40. *D. de condiction. indebiti*; diſtinctionem illam exceptionis conceſſæ in fauorem eius, cui conceditur, & odiũ eius aduersùs quem cõceditur, probandã non videri; æquius enim videtur permittere, vt quis renuntiet potius iuri, quod in ipſius fauorem latum eſt, quàm illi quod in odium alterius conceſſum eſt: atqui ille qui perpetuã exceptionẽ qua tutus erat omittit, mauultque ſoluere, quàm ipſa vti, renuntiat iuri ſuo, donantique ſimilis eſſe videtur, *l. ſi quis delegauerit* 12. *D. de nouat. & delegat.* Cur igitur potiùs repetet ſolutum is qui fauorabili exceptione tutus erat, quàm qui odioſa. Deinde cùm in odiũ, & pœnam, is qui contra Senatuſconſultum pecuniam filiofamilias credidit, perpetua exceptione à petendo ſuo debito repellatur, cur in idẽ odium, & pœnam non repetetur ab eo, quod fuerit ipſi ſolutũ, grauiùs ſiquidẽ inde punietur hic fœnerator: ſi enim ſciret ſe neque mutuò datũ petere, neque ſolutum retinere poſſe, difficiliorẽ ſe præberet in mutuando filiisfamilias; & cùm mulier ſoluerit id quod exceptione perpetua Velleiani poterat retinere, cur ipſi cõceditur repetitio ſoluti: nã nõ magis id indebitũ fuit quàm pecunia ſoluta creditori à filiofamilias in noſtro caſu. Plurima in explicanda iſta difficultate diſputat eo loco Faber de naturali & ciuili æquitate, quarũ iſta priorẽ aliquando elidit, videturque in filiofamilias agnoſcere ex naturali æquitate naturalẽ obligationem, quæ etiã poſt SC. Macedonianum ex mutuo naſcitur, quæque non impeditur ab æquitate ciuili, neque proinde retentio ſoluti, quã naturalis obligatio creditori ſolutionem accipienti peperit. Verum iã monuimus ex cõmuni DD. ſententia, quam videtur hac in parte deſerere Faber, Senatuſconſulto Macedoniano deleri omnem obligationem, etiam naturalem ſoluendi, quam vi mutui haberet filiusfamilias, ſi illa vel impedita, vel extincta, & deleta non fuiſſet ab æquitate ciuili legis contractum filiiſfamilias prorſus irritantis, quo poſito facilè dicemus legem ſapientiſſimè cõceſſiſſe exceptionem perpetuam filiofamilias aduersùs ſibi fœnerantem, negaſſe tamen ſoluti repetitionem, tum vt fœneratorem plecteret negando ipſi actionem, tum vt filiofamilias non faueret concedendo illi repetitionem, ne eius ſpe illectus faciliùs mutuum acciperet, cùm ſe tutum videret, & exceptione, & repetitione ſoluti, vnde etiam grauiora orirentur incommoda; nam fœneratores qui viderent ſe neque in iudicio petere poſſe mutuò datum, neque ſolutum deinde retinere, filiumfamilias qui mutuò fortaſſis poſtulat impellerent ad grauia quæque ſcelera, quæ maximè cauere voluit Senatus ſuo decreto, ne & mutuò creditores dare importunè cogerentur, & omni ſpe illud aliqua ſaltem parte quandoquẽ recuperandi carerent, quare vt ſe indemnes præſtarent, & flagitia quæ illi filiofamilias perſuaderent, vitaret, eam repetitionem negauit filiofamilias: verùm de his aliàs. Nobis impræſentiarum ſufficit neque ex negatione *actionis, neque* ex negatione repetitionis colligi certò poſſe contractum aduersùs quem actionem, & ſi quid vi ipſius ſolutum fuerit, repetitionem negat lex, validum eſſe, aut ſi inualidus erat, validum fieri per eam negationem actionis, & repetitionis. ideóque licèt aliquando ius neget actionem aduersùs contractum iure inualidum, vbi illi iuramentum acceſſit, non ſequitur iuramento illo adiecto firmari, & validum fieri in ratione contractus, quaſi lex poſita conditione iuramenti, reddat ipſi validitatem qua carebat, cùm enim maneant eædem cauſæ inualiditatis propter quas ius illum irritauerat, neque per iuramentum aliæ contrariæ ipſis ſubſtituantur, æquè manebit inualidus atque antea, quamuis ius neget actionem ad eius reſciſſionem proſequendam, quam conceſſiſſet ſi illi iuramentum non acceſſiſſet; quia licèt maneat irritus ille contractus, vult tamen iuramentum ipſi additum, ſi validum fuit, omninò ſeruari, ne detur locus periuriis, & fraudibus, cùm vbi quis alium deluſerit, facta & iurata promiſſione ſeruandi, aut non violandi contractum initum, nihilominus deinde ad eius reſciſſionem ageret, & ſi quid ſolutum, datumve fuiſſet, repeteret.

Præterquam quod cùm iſte periurus ſuo iuramento, quod ad firmitatẽ contractus præſtitit, renuntiarit beneficio legis irritantis, aut eo ſe non vſurum iurauerit, meritò ſi iuramentum validum fuit, ab implorando eodem beneficio, &

auxilio

auxilio legis, quod abiecerit, repellitur; vnde non ſequitur aut contractum inualidum, fieri validum, aut ex illo partum eſſe ius iuſtitiæ in altero contrahente; quidni etiam dicere liceret, ſi quandoque negatur repetitio ſoluti in his caſibus, negari in pœnam periurij, mulctarique ea amiſſione periurum, & eum quem ſuo periurio fallere voluit, ad compenſationem iniuriæ, quam ex illa fraude patitur, quod ſibi ſolutum fuerit, retinere ex conceſſione legis, quæ id præſtare ſine dubio poterit: quamuis enim iſte contrahens nullum habeat iuſtitiæ ius ad accipiendum, retinendumque quod illi vi contractus ſolutum fuerat, quandoquidem contractus inualidus fuit, & ſi nihil aliud ſpectaretur, repeti poſſet ab eo, quod ipſi indebitè ſolutum fuit, habuit tamen ius ne deciperetur ab eo ficta, & iurata promiſſione, paſſuſque eſt in ea deceptione iniuriam: poterit igitur lex eiuſmodi periurum mulctare negando ipſi repetitionem indebitè ſoluti, & actionem ad reſcindendum contractum, atque in deceptum transferre dominium rei, quam indebitè acceperat. Neque aliud probant quæ ex iure adducebat cum communi ſententia Lugo, quæ nos ſingula commodiùs expendemus in conſectariis *art. ſequenti*, & quorum aliqua ſupponunt contractus, de quibus agunt fuiſſe validos in *l. vt iuriſiurandi 7. D. de operis libertor.* quæ ex pacto iurato liberti cum patrono circa operas obſequiales præſtandas, actionem, & obligationem oriri concedit; validus enim fuit hic contractus. Itaque accedente iuramento obligabat libertum obligatione iuſtitiæ ſimul, & religionis.

13 Quæ omnia confirmantur, quia iuramentum de quo agimus, non cadit niſi in obſeruationem contractus, quem afficit, & aliquam ſiue formalem, ſiue virtualem promiſſionem illius obſeruandi, aut non violandi neceſſariò includit, vti monuimus initio, & iterum poſt paulò explicabimus. Atqui promiſſio ſeruandi contractum ad quem non obligabar propter eius inualiditatem, non facit contractum illum eſſe validum, ſed ſolùm me obligat ad illa præſtanda, ad quæ me obligaſſet contractus ille ſi fuiſſet validus. Eſt igitur noua obligatio diſtincta prorſus à contractus obligatione, quæ nulla omninò fuit, & licèt noua iſta obligatio cadat in eandem materiam, non tamen eadem ex cauſa naſcitur.

Deinde poſſum quidem non vti beneficio legis irritantis actum aliquem, aut diſpoſitionem; non poſſum tamen facere, vt lex non irritet actum illum, & diſpoſitionem, neque vt illa diſpoſitio irritata à lege, non ſit irrita: quare promiſſio non vtendi beneficio eiuſmodi legis, non impedit irritationem actus, & diſpoſitionis, neq; ſi adiiciatur actui, & diſpoſitioni iam factæ, & irritæ per legem, cuius effectum impedire non potui mea promiſſione, reddet illum validum, cùm iam lex ſuum habuerit effectum, ſed obligabit me ne vti promiſi, vtar eo beneficio legis, & vt ponam id ipſum, quod tamen priori actu, & diſpoſitione, non obligabar ponere: quare ſapienter obſeruat Anton. Faber *ad l. qui ex optionem 40. D. de condictione indebiti*, conuentiones quibus renuntiatur legi, aut Senatuſconſulto, ſi fiant ad eius aciem quodammodo obtundendam, antequam lex aut Senatuſconſultum vires ſuas exerere potuerit, nullius eſſe momẽti, cùm factæ fuerint contra ius publicum: Si verò poſtquam legum voluntati, & poteſtati fuit ſatisfactum, valent *l. ſi quando 35 §. & generaliter. C. de inofficioſis teſtamentis, l. Seius, & Agerius 27. D. ad l. Falcid.* v.g. legis voluntas eſt, vt filius etiam inuitus poſſit legitimam conſequi in bonis patris, & matris, non tamen, vt eam inuitus conſequatur. Legis Falcidiæ, & Senatuſconſulti Pegaſiani mens eſt vt hæres poſſit, etiam inuitus, quartam ex legatis, & fideicommiſſis detrahere, non autem vt detrahat inuitus, *l. ſi ſponſus 5. § ſi quis rogatus. D. de donat. inter vir. & vxor. l. patrem 19. & ſeq. D. quæ in fraud. creditor.* Senatuſconſulti Macedoniani & Velleiani voluntas, poteſtaſque eſt, vt filiofamilias competat exceptio Macedoniani aduersùs creditorem, à quo mutuam acceperat pecuniam, & mulieri conueniat exceptio Velleiani aduersùs eum apud quẽ interceſſit; etiamſi neque filiusfamilias, neque mulier velint ſibi eiuſmodi exceptionem competere, non tamen coguntur vti ea exceptione vi illorum Senatuſconſultorum competente, ſi nolint: quare ſi quid factum, & conuentum ſit à filiofamilias, vel muliere per quod impediatur ne oriatur illa exceptio, poteſtas illa vtendi nullius momenti erit, tanquam factum in fraudem Senatuſconſulti Macedoniani, vel Velleiani. Si tamen noluit vti eo beneficio exceptionis, non peccabitur contra illa Senatuſconſulta, ideóque licebit non vti, atque adeò ad non vtendum ſe obligare, vnde tamẽ vt iam monui non fit, vt ille prior actus fiat validus, & per exceptionẽ non irritabilis, vti nihilominus ea exceptione non licebit, vbi qui ſponte ad non vtendum vti poterat, ſe obligarit, quod verius erit ſi ſuam illam promiſſionem iuramento firmauerit; tunc enim ſi vtatur ea exceptione, periurus fiet: quod ſi reipſa aliquis ſponte non fuerit vſus exceptione legis, vel Senatuſconſulti ſibi permiſſa, exequutuſque fuerit quod ferebat contractus inualidus, & ad quod proinde vi eius non obligabatur, permittitur aliquando à iure repetere quod ſoluerat, vti dicebamus de muliere intercedente: aliquando non permittitur, vt vides in filiofamilias, cui vti diximus non datur actio ad repetendum quod ſoluit ſibi fœneranti, & quod non obligabatur ſoluere ex Senatuſconſulto Macedoniano, potuitque lex æquè negare, vel concedere actionem ad repetendum in his caſibus, atque cõtractũ, & actum irritare, vel non irritare. Cur verò in vno potiùs caſu, quàm in altero conceſſerit, vel negarit actionem ad repetendum, quod ſolutũ fuit, & poterat iure non ſolui propter exceptionem legis irritantis contractũ, ex quo creditor ſibi debitum eſſe contendebat; inquirendũ erit in ſingulis illis caſibus. Nobis hoc loco ſufficit fuiſſe demonſtratum, neque non vſum exceptionis conceſſæ à lege irritante, neque obligationem quam ſibi quis ſponte impoſuit ad non vtendum beneficio illo legis, firmare priorem contractum irritatum à lege, atque adeò inualidum: neque negationem actionis ad reſciſſionem, aut repetitionem ſoluti poſt promiſſionem ſpontaneam non vtendi exceptione legis irritantis priorem contractum, ipſum validare, aut eius valoris reſtituti, ſublato impedimento quod lex appoſuerat, argumentum eſſe; atque adeò iuramentum cadens in promiſſionem formalem, vel virtualem adiectam illi contractui inualido, non magis illum confirmare in ratione contractus, quàm confirmet ipſa promiſſio ſimplex, & non iurata.

Dixi ſecundò in noſtra Regula vniuerſali, contractum iure irritum poſſe aliquando confirmari 14
indirectè, & quoad aliquos effectus iuramento ſuperaddito: quam confirmationem impropriam

admodum eſſe nuper monuimus; quia licet addito illo iuramento, quod vt modò dicebamus, continet promiſſionem ſeruandi contractum, ſiue illum non reſcindendi, & non vtendi exceptione beneficio legis ipſum irritantis, obliget ad ponendum id omne de quo conuentum in illo contractu fuerit, non obligor tamen vi illius contractus, & ex iuſtitia, ſed ex ſola fidelitate promiſſionis nouæ, & acceptatæ, atque ex religione iuramenti, vi cuius alter contrahens nullum acquirit verum, & proprium iuſtitiæ ius aduerſum me: quare ſi violem iuramentum, pecco quidem periurio, non tamen contra iuſtitiam, neque obligor ad reſtitutionem, niſi meo illo iuramento promiſſorio alterũ in fraudem induxerim, & damnum aliquod crearim, cuius cauſá culpabilis fuerim: ad illud ſiquidem reparandum me naturalis æquitas obligabit. Verùm nos agimus duntaxat de ſola obligatione, quam affert iuramentum appoſitum contractui ipſo iure inualido; dicimus autem eam non eſſe vi contractus priùs inualidi, qui vires ex adiectione iuramenti ſumpſerit, ſed ſolius religionis, & cadere in illud ipſum quod eiuſmodi contractu conuentum erat; quia iuramentum factum eſt de ea conuentione, quamuis inualida, ſeruanda; atque hanc confirmationem contractus indirectam, & impropriam nominamus, quam dari poſſe conſtat ex ipſa rei explicatione: quoties enim iuramentum validum adiicietur contractui, obligabit ad ſeruandum quod illo fuerit promiſſum, niſi relaxetur, vt conſtat ex tractatu de iuramento promiſſorio: neque in re adeò perſpicua fuerit immorandum; itaque ſeruari debebit quod contractu fuerat conuentum, quandoquidem illa obſeruatio iuramento valido promiſſa eſt, licèt ipſe contractus maneat æquè inualidus, atque erat priùs, neque ex illo partum ius aliquod ſit cuius vi cogamur ſeruare conuenta. Atque ita explicari poſſunt plures DD. qui volunt iuramento confirmari contractum, neque modum illius confirmationis explicuerunt.

15 Requirebam tamen iuramentum validum ad hanc confirmationem, licèt indirectam, & impropriam, quod per ſe perſpicuum eſt; quandoquidem ſolum iuramentum validum obligat. Itaque tota difficultas conſiſtit, vt oſtendamus iuramenta contractibus inualidis adiecta, eſſe ſæpius & ipſa inualida: deinde quid requiratur ad huius iuramenti, de quo diſputamus, validitatem, ſiue quid illam impediat.

Atque in primis iuramenta iſta contractibus ipſo iure inualidis adiecta, eſſe quoque ſæpius ipſa inualida, non difficilè demonſtratur; iuramentum ſiquidem promiſſorium validum eſſe nequit, niſi promiſſio in quam cadit licita, & valida ſit, alioquin obligaret ad aliquid illicitum, & quod non ſubſiſtit, eſtque moraliter impoſſibile. Atqui promiſſio de ſeruando contractu iure inualido illicita, & inualida aliquando eſt, vtpote contra legem prohibentem, & irritantem facta, *l.28. D.de pactis*: *Contra iuris ciuilis regulas pacta conuenta rata non habentur*: Græci dicunt *τὰ παράνομα σύμφωνα οὐκ ἔῤῥωται*; in Baſil. *lib. 11. tit. 1.cap.* 22. ſuperiùs verò dixerat contra iura communia non licere paciſci *παρὰ τὰ κοινὰ δόγματα συμφωνεῖν οὐκ ἔξεστιν*. Addit ſtipulationem illi pacto interpoſitam non valere, ſicut & ſi quis iurauerit de his non acturum, ratum non erit: quare neque Prætor, cuius eſt pacta tueri, data ex iis exceptione, vel etiam aliquando actione, tuetur vnquam ea quæ contra leges facta proponuntur *leg. 7. §. an prætor. D. de pactis*, & *l. pacta quæ contra 6. Cod. eod.* quia licèt multa facere potuerit Prætor, feceritque præter leges, nihil tamen contra leges, *l. nec non 28. §. quoad eius. D. ex quibus cauſ. maior. l. cum ſponſus. §. ſi res, D.de public. in rem action.* paciſci tamen contra edictum Ædilitium licet *leg.31. D. de pactis.* Rationem diſcriminis hac in parte inter ius ciuile, & Ædilitium edictum vulgò afferunt, quia edictum Ædilitium ita concipitur, vt non tam ius publicum reſpiciat, quàm priuatam contrahentium vtilitatem, quibus conceſſum eſt iuri pro ſe priuatim introducto renuntiare, *l. pactum 46. D. de pactis*, & *l. penult. C. eod.* ſubtiliùs tamen reſpondet Anton. Faber ad *citatam leg. 31.* Vlpianum cùm dixit *paciſci contra Ædilitium edictum omnimodo licere*, non eſſe abſolutè intelligendum illud *omnimodo*, ſed addidiſſe, *ſiue in ipſo negotio gerendo venditionis conueniſſet, ſiue poſtea*, quibus verbis ſignificat non valiturum illud pactum, ſi ante negotium gerendum interponeretur, quia tunc pugnaret contra authoritatem edicti, quod conſtituit partem iuris ciuilis, hoc ipſo quod conſtituit hanc partem iuris honorarij: cùm autem interponitur in ipſo negotio gerendo, vel poſt illud, non committitur authoritas edicti, ſed beneficium eius repudiatur: qua ratione poteſt hæres repudiare beneficium legis Falcidiæ, ſi velit paciſci de legatis integris ſoluendis, modò poſt mortem teſtatoris, non ipſo viuo paciſcatur, *l. quod in bonis 25. §.10. D. ad l. Falcidiam.* Poteſt filius paciſci cum hærede patris de legitima, quod non liceret cum ipſo patre, *l. ſi quando 35. §. illud, C. de inoff. teſtam.* Si igitur conueniret inter priuatos ne in futuris ipſorũ contractibus locus eſſet Ædilitio edicto, inanis æquè eſſet illa conuentio, atque ſi pacti eſſent ne in ipſorum contractibus locus eſſet legibus, quod non licet; *l. ius publicum 38. D. de pactis.* Cum igitur cœpit locus eſſe Ædilitio edicto, & contrahitur venditio, licebit paciſci de non vtendo huius edicti beneficio, quia Ædiles non agunt, vt emptor vtatur ſuo beneficio ſi nolit, ſed vt illud implorare poſſit, ſi lubeat. Quoties igitur pactio aliqua, vel promiſſio erit contra legem prohibentem, aut irritantem actum, qui promittitur, illicita, & inualida erit, ac proinde iuramentum tali promiſſioni additum, nullum erit. Si verò promiſſio ſit duntaxat de non vtendo beneficio legis, cui iam ſatisfactum eſt, ſiue quæ iam habuit ſuum effectum, licita erit, quia per illam non conuellitur legis authoritas, ſed eius beneficium repudiatur, ſiue non imploratur eius auxilium, quod eo tempore licebat implorare. Non peccatur itaque in legem, eritque promiſſio tum valida; quia non licebit deinde ea violata beneficium legis, quod reiectum fuit, denuò implorare; remittenti ſiquidem actiones ſuas non datur regreſſus *l. quæritur 14. §. ſi venditor. D. de ædilitio edicto*, tum licita, quia non pugnat cum lege, vt diximus, niſi aliunde mala reddatur, quia ex ea ſequatur quidpiam contra bonos mores: quare in citata *l. quæritur.* ſi venditor ſciens morbum aliquem, illum conſultò reticuerit, & conuenerit ne teneatur redhibitoria, conuentioni ſtandum non erit, ſed danda emptori aduerſùs exceptionem pacti replicatio de dolo malo, cui alioquin contra bonos mores faueretur. Si verò venditor nominatim exceperit de aliquo morbo, & de cætero ſanum eſſe dixerit, aut promiſerit, ſtandum erit conuentioni, quia deceptus non eſt, qui ſciens morboſum emit.

His

His obſeruatis facilè conſtabit ſæpiùs iuramentum adiectum contractui iure ipſo irrito, inualidum eſſe; quia cùm ſit promiſſorium de non reuocando contractu illo, ſed obſeruando, quamuis ſit ipſo iure irritus, illa promiſſio æquè irritatur à iure, atque ipſe contractus: nam vel promiſſio eſt duntaxat virtualis, vti explicabamus aliàs, quia in ipſo contractu implicatur, qui enim promittit vineam dare, implicitè promittit non contrauenire illi ſuæ promiſſioni, aut aduersùs illam quidpiam excipere, ſaltem antequam vineam det; quare ſi irrita ſit promiſſio dandi vineam, irrita quoque erit promiſſio non contraueniendi illi promiſſioni, nec ipſã impediendi. Sic quo iure minores, & alij non poſſunt valide contrahere, eodem etiam non poſſunt valide eorum obſeruationem promittere: quod nemo negabit de promiſſione virtuali duntaxat in ipſo contractu implicita. Iuramentum itaque non magis ratione promiſſionis illius confirmabit contractum, quàm ſi conſideretur ſecluſa illa virtuali promiſſione cadere in ipſummet contractum, vti reipſa cadit, quem proinde neque directè confirmat in ratione contractus, neque indirectè ratione promiſſionis implicitæ illum ſeruandi, quod fatetur ipſe Suar. cum & contractus, & implicita, atque virtualis promiſſio prohibita ſint, atque irrita, iuramentumque de ipſis nullum & inualidum.

16 Si autem agamus de diſtincta, & formali promiſſione addita contractui de ipſo non violando, aut reſcindendo, etiam exceptione legis ipſum irritantis; ipſa quoque valida non eſt ſecundùm ſe, alioquin obligaret naturaliter, & in conſcientia, facileque foret confirmare omnes contractus irritos, addendo promiſſionem non reclamandi aduersùs illos, ideóque inutilis eſſet lex contractus illos irritans, neque ſufficienter prouidiſſet perſonis infirmioribus, quarum contractus irritauit: quia illis obligabuntur ſi promittant contractus illos ratos habere, & nunquam ab iis reſilire, ad quam promiſſionem tam facile inducentur, atque ad ipſummet contractum celebrandum. Irritatio igitur contractus, & promiſſionis virtualis in eo incluſæ, cõtinet neceſſariò irritationem alterius promiſſionis formalis, & ſuperadditæ, quæ ad valorem illius contractus ordinatur, alioquin prima illa irritatio inutilis foret, vt diximus: quare iuramentum cadens in hanc promiſſionem formalem, non habebit maiorem vim, quàm ſi cadat in ipſummet contractum, ſed erit æquè illicitum, atque inualidum.

Confirmatur, quia quamuis illa promiſſio ſuperaddita cõtractui irrito, per ſeſe valida foret aliquando, non tamen tribueret ius poſſeſſori retinẽdi quod accepit vi illius: neque enim iuſtum titulum confert. Fuerit v.g. venditio inualida, traditio conſequens, dominium nullũ tranſtulit in emptorem; quo ergo titulo rem alienã poſſidet? non emptionis, quæ nulla fuit, non etiam additæ promiſſionis, qua venditor ſe obligauit ad non reclamandũ vel repetendũ: quæro igitur an hæc promiſſio dominium valide tranſtulerit, vel non, ſi enim non tranſtulit, iniuſtè rẽ illam alienam retinet iſte poſſeſſor, qui eius dominus non eſt: ſi tranſtulit, fuit igitur vel donatio, vel venditio, vel alius quiſpiam cõtractus; quæ omnia ſunt irrita à lege. Cùm igitur totũ ius retinendi debeat oriri à contractu, qui inualidus manet, & non confirmatus, ipséque non confirmetur in ratione contractus, nullũ tribuit ius retinendi, quod vi ipſius fuerat acceptum: quare inutilis eſt illa ſuperaddita promiſſio ad retinendũ, quod fuerit ſolutũ, niſi vim aliquam conferat priori contractui inualido, quod ipſam facere negant ipſi aduerſarij. Et ſanè alia voluntas eſt, & promiſſio non reclamandi, alia voluntas donandi, & transferendi dominiũ: neque hæc poſterior voluntas neceſſariò ſequitur ex priori, aut cũ illa connexa eſt: quare poterit ſe aliquis obligare ad non reclamandum, aut non petendum, non tamen ſi quidpiam vi contractus inualidi ſoluit eximet creditorem ab obligatione reddendi rem alienam, cuius dominus factus non eſt: quod videmus in contractu vſurario, licèt enim mutuatarius promiſerit ſe non reclamaturum aduersùs illum, & reipſa ſoluerit, non tamen fecit ius creditori vſurario vſuras ſibi ſolutas retinendi; imò ad eas reſtituendas cõpelli vult *cap. debitores, de vſuris.* Cùm igitur promiſſio iſta ſuperaddita actualis, & formalis inualida plerumque ſit, & non tribuat vllum ius creditori, iuramentum ipſam non confirmabit, & ad præcipuum effectum contractus inualidum erit.

Atque ex his colliges vniuerſalem regulam, promiſſionem ſuperadditam contractui iure inualido, quoties fit contra legem irritantem actum, vel contractum, toties illicitam, & irritam eſſe, eadem lege, qua contractus ipſe irritus fit, atque adeò iuramentum cadens in eam promiſſionem, nullum erit, & illicitum, vtpote de re illicita, & nulla: quoties verò lex irritans contractum habuit iam ſuum effectum, illique, vt loquuntur ſatisfactum eſt, conuentio ſubſequens de non vtendo beneficio, & exceptione legis aduersùs eiuſmodi contractum, quod iure poſſet, ſi vellet, valida eſt, & licita, niſi alio quopiam iure peculiari irritetur, cùm nemo inuitus cogatur vti iure ſuo, illique poſſit renunciare, atque adeò iuramentum in illam cadens licitum, & validum erit: quare cùm vi huius iuratæ promiſſionis obligemur non reſcindere contractum lege irritum, tenemur quoque illum implere, aut eius impletionem non impedire, & contractus ille aliqua ratione indirecta, & impropria dicitur confirmari per eiuſmodi promiſſionem iuratam, non tamen habet ſuum præcipuum effectum contractus ille, cùm vi eius non transferatur dominium, & ius capiendi, & retinendi quod ſolutum fuerit, vt oſtendimus in vſurario, cui ſolutæ ſunt vſuræ ad quas ſoluendas debitor iuramento ſe obligat. Vides igitur quatenus iuramentum quoties validum eſt, eo quod cadat in promiſſionem validam de non violando contractu irrito iam celebrato, confirmet admodum impropriè contractum illum, quoad aliquos effectus, non quoad omnes, neque quoad præcipuum capiendi, & retinendi quod fuerit ſolutum, niſi liberalis donatio, aut alia quæpiam tranſlatio dominij accedat. Itaque Suar. & aliorum quorundam ſententiam de confirmatione contractus inualidi, per iuramentum illi adiectum intellectam probamus, non autem alio ſenſu, ſi quem intendant; eum enim reiicimus.

Reſtat explicandum quid requiratur ad validitatem huius iuramenti modo explicato confirmatorij, ſiue quidnam eius valorem impediat: & 17
quidem conſentiunt omnes, vti nuper monebam, debere eſſe de actu virtutis: quare non ſufficit, vt res promiſſa licita ſit, & mandari valeat executioni, atque adeò iuramentum abſque peccato, & periculo vitæ æternæ ſeruari: ſed præterea requiritur vt cadat in actum virtutis ponendum, ſiue talis ſit ex natura ſua, ſiue

per iuramentum honeſtetur, vti contingit in voto. Verùm ea de controuerſia commodiùs alibi diſceptabitur, nunc communem doctrinam ſuppono.

Exigebam ſecundò ad huius iuramenti valorē, vt illi ius non reſiſtat, neque in tali caſu adhiberi prohibeat, atque pro nullo haberi, ſi adhibeatur: tunc enim reuerà non obligabit, immò neque aliquando ſeruari poterit, ne peccetur in leges, quæ rem iuratam fieri non obſtante iuramento vetant, & quamuis tale iuramentum ſeruari valeret ſine peccato, cùm tamen propter reſiſtentiam iuris non obliget, non poteſt dici validum: omne ſiquidem iuramentum validum, obligat ad ſui obſeruationem niſi relaxetur. Deinde tale iuramentum non erit confirmatorium contractus, etiam indirectè, & impropriè: nam tota ea impropria confirmatio in eo conſiſtit, quod iuramentum illud obliget ad ſeruandam promiſſionem de non retractando contractu, ac conſequenter, & indirectè ad ponendum id de quo contractu conuentum erat: quamuis alia obligatione, & titulo quam iuſtitiæ. Atqui in noſtro caſu iuris ipſi reſiſtentis, ipſumque prohibentis, iuramentum adiectum tali promiſſioni non obligat, ſicut neque ipſa promiſſio, quod hactenus oſtendimus. Igitur non confirmabit contractum, qui reſcindi poterit tanquam irritus, contrarium, neque ea reſciſſione violabitur iuſtitia, vt patet, neque religio, cuius obligationem iuramentum inualidum afferre nequit. Ius porrò reſiſtere nonnunquam iuramento patet ex *l. non dubium, C. ſi aduersùs venditionem, l. iuriſgentium 7. D. de pactis, l. 28. D. eodem l. ſi quis inquilinus 12. §. fin. D. de legatis 1. l. ſi quis 56. D. de fideiuſſoribus,* quæ iura nuper adduximus. Edicunt verò in caſibus, de quibus agunt illis locis, ſeruandum non eſſe iuramentum adiectum, idcóque *l. 6. D. de condition. inſtitution.* conditio iurandi habetur pro non adiecta in inſtitutionibus. De iure canonico quandoque iuramentum prohibente, & annullante, lis eſſe non poteſt: nam agens de iuramentis appoſitis à mulieribus alienationi fundi dotalis, & renuntiationi ſucceſſionis paternæ, iubet ea ſi ſpontanea fuerint, ſeruari, ſi verò, vi, vel dolo fuerint extorta, nulla eſſe, & non obligare pronuntiat. Illa tamen ſecluſa hac lege pontificia ſæpius obligarent, cùm ſine peccato ſeruari poſſent, indigerentque relaxatione ſi violarentur. Antonius Auguſtinus *in notis ad cap. cum contingat, de iureiurando, collectionis* 4. colligit plures caſus in quibus ex iure tum ciuili, tum canonico iuramenta non obligant, quamuis ſine animæ interitu ſeruari poſſint, vnde ſapienter obſeruat falſam eſſe communem, & vniuerſalem illam regulam, iuramentum vbi ſine peccato ſeruari poterit, ſeruandum eſſe, aut petendam eius relaxationem: nam in aliis quoque caſibus, vt ibidem oſtendit, ex diſpoſitione iuris non obligat, atque vt ſapienter explicat Poncius mox adducendus, regula negatiua eſt vniuerſaliter vera: nempe nunquam ſeruandum eſſe iuramentum quando nequit ſine peccato ſeruari: at verò regula affirmatiua non eſſe vniuerſalis, ſeruandum eſt iuramentum quoties ſine peccato ſeruari poterit: nam poteſt aliunde inualidum, & irritum eſſe, ac proinde non obligare.

18 Neque difficile fuerit intelligere quomodo ius reddat iuramentum promiſſorium inualidum, & nullum; id enim fit primò inhabilitando perſonas ad iurandum iuramento promiſſorio, ſicut & ad promittendum, quod facere poſſe nemo dubitat. Sic inhabilitat ad vouendum, profitendum in Religione, contrahendum matrimonium, aliofve quoſdam actus faciendos: quo caſu, vt vides, iuramentum nullum eſt, neque indiget relaxatione. Secundò inualidant leges iuramentum ſubtrahendo materiam, illámve immutando: cùm enim antea actus virtutis foret, & apta in quam caderet iuramentum, per legis prohibitionem mala, vel inutilis fit, neque proinde iuramenti capax eſt, vt enim argumentatur Baſil. Ponc. *lib. 12. de matrim. cap. 8. numer.* 39. priùs eſt materiam, eſſe capacem iuramenti, quam iuramentum in illam cadens vim habere: neque enim facit ſuam materiam capacem, ſed ſupponit: quoties verò lex actum aliquem irritum, & nullum reddit, facit illum eſſe materiam incapacem iuramenti: illa ſiquidem debet eſſe honeſta, non turpis, aut indifferens, quod ſæpiùs monuimus. Atqui actus nullus redditus à lege, vel ea prohibitione fit turpis, vel ſaltem manet indifferens, & non actus alicuius virtutis, cùm nullam virtutem, cuius honeſtatem participet, ſiue ad quam reducatur, liceat aſſignare: non enim pertinet ad fidelitatem, cùm actum illum promiſſum promiſſione irrita à lege ponere non teneat, fidelitas autem obligationem promiſſionis requirit. Non pertinebit etiam ad iuſtitiam, cùm ex actu nullo nullum ius oriri poſſit, niſi actum illum validum facere obligárer, vti poteram, eaque nullitate voluntaria damnum alteri crearim; quod non contingit hoc loco. Non pertinebit etiam ad charitatem erga ſeipſum, vt contingit in ſolutione latroni facta; aut ad redemptionem vexationis, vt in ſolutione vſurarum. Denique non erit religionis, quia iuramentum non facit materiam ſuam eſſe materiam religionis, ſed illam in ſeſe immutatam relinquit, ipſique addit duntaxat obligationem religionis. Denique communis eſt doctrina *Suar. lib. 2. de iuram. cap. 22. n. 8.* & *cap. 24. num. penult.* & Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp. 32. num. 21.* quandoque ex prohibitione contractus reddi malam, & prohibitam eius obſeruationem. Sic dum Eccleſia prohibet ſtipulationem pœnæ in ſponſalibus, ad tuendam libertatem matrimonij, non ſolùm mala eſt ea pœnæ ſtipulatio, ſed etiam pœnæ ſolutio, licèt enim dare ſponte illam pecuniam non ſit malum, dare tamen, & ſoluere ex obligatione promiſſionis, & iuramenti, atque tanquam pœnam, malum eſt: quia minuit libertatem matrimonij. Vide eundem Sanch. *lib. 3. in Decalog. c. 9. n. 15.* Tertiò poteſt Princeps in materia ſuæ poteſtati ſubiecta remittere obligationem iuramēti, ſicut ſi tibi quiſpiam promiſiſſet etiam iuratus, remittendo promiſſionem tibi factam, remitteres quoque neceſſariò iuramenti ſuperadditi obligationem. Dum igitur aliquibus contractibus iuramentū adhiberi lex vetat, illius obligationem remittere videtur, quia in eiuſmodi iuramentis ſubintelligitur iſta conditio, niſi Princeps aliud iuſſerit, quod pluribus docet Couarru. *in cap. quamuis pactum 1. part. §. 3. n. 11.* Deinde cùm ſua poteſtate contineat ſuorum ſubditorum voluntates, poteſt actum, & conſenſum promittentis, & iurantis irritare, atque ita impedire ne conſurgat obligatio iuramenti.

Obiicies primò Principem laicum non poſſe impedire obligationem iuramenti, quia eſt vinculum ſpirituale ad religionem pertinens, atque poteſtatē temporali ſublimiorem, ſiue ſpiritualem, quam ſoli Eccleſiæ contulit Chriſtus: quare licèt 19

lex

lex non aſſiſtat, immò & reſiſtat iuramento, quod prohibet adiici alicui contractui, nequit efficere, vt ſi illud iuramentum nihilominus apponatur, non pariat obligationem: quare ſi aliud non obſtet, ſeruandum erit, donec relaxetur: neque leges aliquot Hiſpaniæ quæ prohibent apponi iuramentũ vlli contractui, vllum verbum habent de irritatione iuramenti, ſed irritant duntaxat contractus ciuiles, quibus iuramentum fuerit adiectum: quare licèt eo caſu nulla naleatur obligatio ex eiuſmodi contractibus, iuramentum tamen per ſeſe obligabit ad id de quo factum eſt, quodque ſine peccato ſeruari poteſt, illud ſiquidem lex ciuilis non poteſt impedire. Cùm itaque iuramentum de non contrauenîendo contractibus, quantumuis nullis, ſiene ſeruari poſſit, ſeruandum erit. ita Couarr. *in cap. quamuis pactum 2. part. §.1 n.8.* Barbola *in l.1.§.1. n.70.& 71. D. ſoluto matrimonio,* Suar. *lib. 2. de iuram. c.38. n.55.* & alij quampIures. Deinde leges irritantes contractum propter adiectionem iuramenti, pugnant cum immunitate eccleſiaſtica, saltem indirectè; ſic enim impediunt ne prætextu iuramenti contrahentes trahantur ad forum Eccleſiaſticum; *cap. nouit, de iudiciis,* obſeruatque Layman. *lib.4. tract.3. c.11. num.*10. Laicum iudicem poſſe compellere ſibi ſubditos ad obſeruationem iuramenti ſuper aliquo contractu, ſiue negotio præſtiti, ſed iudicem quoque Eccleſiaſticum idem poſſe ex *cap. vlt. de foro competent. in 6.* vbi omnes ſcribentes obſeruant iuramentum non mutare forum, ſed addere forum foro: nam ſi contractus confirmatus ſit iuramento, poterit iurans ratione contractus ciuilis coram Laico Iudice conueniri, vt ille totam litem definiat: poterit quoque coram Iudice Eccleſiaſtico conueniri ratione iuramenti, cuius obligatio per ſe, & ex natura ſua ad illius forum pertinet. Cum igitur in tali caſu materia iuramenti ſit mixti fori; quando Princeps Laicus prohibet iuramentum adiici contractui, ancquin illum irritum eſſe vult, & nullam rationem iuramenti haberi, impedit ne contrahentes ratione iuramenti trahantur ad forum Eccleſiaſticum, cuius proinde iura lædit, & immunitatem Eccleſiaſticam violat, quod de ſimili lege Luſitana tradit Iaunes Valerius *in differentiis vtriuſque fori, verſi iuramentum, different.9.* Diana *tom.1. tract.4. reſolut.*114. & alij plures laudati a Thoma Delbene *tom.1. de immunit. Eccleſiaſt. c.8. dubitat.* 28. *ſect.5. n.2.* dubitat verò Suar. *loco citato*, & Lugo *de iuſtitia diſp.* 22. *n.*248. quoties illæ leges feruntur eo fine, ne cauſæ ratione iuramenti trahantur ad forum Eccleſiaſticum.

Hæc porrò omnia confirmantur: nam in iuramento iſto promiſſorio, & contractus directè, vel indirectè confirmatorio, duplex tantùm obligatio reperiri poteſt: vna quidem iuſtitiæ, & vi contractus iam confirmati, & corroborati accedente iuramento; altera religionis ad tuendam iuramenti veritatem. Et quidem vltrò concedimus Principem Laicum impedire poſſe ne ex contractu oriatur obligatio iuſtitiæ, irritando videlicet contractum, qui eius poteſtati ſubiicitur: de poteſtate verò irritandi contractus fuſiùs diſputauimus in noſtro opere de vſuris *lib.3.*

Neque de irritatione huius obligationis agimus hoc loco, tota difficultas eſt de obligatione religionis ex iuramento, quam impediri poſſe lege Principis Laici negamus; vel enim id faceret directè, vel indirectè. Non primum, ſic enim eam obligationem, quæ ſpiritualis eſt, ſolus Deus, & cui poteſtatem ipſe fecit, impedire poteſt, ſicut & relaxare, vt omnes fatentur: non impediet etiam hanc obligationem indirectè, ſiue conſequenter impediendo ne contractus obliget, ipſumque irritando; contrarium enim videmus in contractu vſurario; ſiue promiſſione ſoluendi vſuras; licet enim ille contractus ſit irritus, eique ſuperaddita promiſſio ſoluendi, ſi tamen iurata ſit, pariet obligationem religionis, donec relaxetur iuramentum, & ſolui debebunt vſuræ; quamuis repeti poſt ſolutionem valeant. Igitur ex irritatione contractus non ſequitur neceſſariò irritatio obligationis iuramenti ſuperadditi. Ratio eſt quia iuramentum iſtud non habet pro materia obligationem ex contractu valido, ſed rem iuratam quæcumque illa ſit, modò ſine peccato poni queat, vt oſtendimus in promiſſione iurata ſoluendi vſuras: illius ſiquidem iuramenti materia non eſt contractus vſurarius, ſed ſolutio vſurarum, quam iuramento promittit, & quæ ſine peccato poni poterit: ideoque vſuras eiuſmodi ſoluere debet, quamuis eas ſolutas repoſcere valeat. Itaque contractus irritatus à lege non eſt materia iuramenti promiſſorij de non contrauenîendo illi contractui, ſed non contrauentio, quæ licita eſt, cùm fas cuique ſit ſuo iure cedere, aut beneficio legis non vti: quare non benè afferunt aliqui exemplum matrimonij clandeſtini: cùm enim Eccleſia illum contractum clandeſtinum irritauit, conſequenter, & indirectè fecit, vt Sacramentum eſſet irritum, quia ſubtraxit materiam capacem ſacramentalitatis, huius enim Sacramenti materia eſt ſolus contractus connubialis validus, & legitimus, quare ſubtracto eo contractu per irritationem, non remanet ampliùs idonea materia, cui accedat ratio Sacramenti: quare qui ſubtrahit illam materiam conſequenter, & indirectè impedit ne fiat Sacramentum, neque tamen quidquam ſibi arrogat circa inſtitutionem ſacramenti. Verùm ſimilis ratio non reperitur in noſtro caſu, quia vti iam monui, materia huius Sacramenti non eſt contractus validus, quare eo ſublato manet adhuc iuramentum quod habet ſuam materiam, nempe rem iuratam, quæ eſt non reſciſſio contractus, non contrauentio, ſiue illius obſeruatio, ad quam ſe ſponte etiam iuramento obligat, quod ſine diſpendio animæ facere poteſt, atque adeò tota illa materia cùm non ſit turpis, iuramenti capax eſt.

Reſp. nihilominus Principem Laïcum poſſe non modò ſua lege non aſſiſtere iuramento, ſed illi quoque reſiſtere, prohibere ne fiat, atque impedire ne eo caſu obligationem pariat, non directè quidem, ſed indirectè aliquo ex illis modis in explicanda noſtra ſententia adductis, quorum aliquos ipſi quoque aduerſarij probant. Itáque ſentiunt Molina *tract.2. de iuſtit. diſp.*147. *n.*13. Sanch. *lib.3. in Decalog. cap.*22. *numer.*10. Vaſq. *de teſtament. cap 3. dub.2.* Baſil. Ponc. *lib.*12. *de matrim. cap.8.§.5. num.*39. Layman. *lib.4. tract.3. cap.11. num.9.* Rebell. *2. part. lib.16. q.2. num.9.* Delbene *ſect.5. citata, num.2.* vbi plures alios refert; falſum enim eſt iuramentum, quoties res iurata ſine peccatu fieri poteſt, ſeruandum ſemper eſſe, quia ex alio quopiam capite nullũ, & irritum eſſe poteſt, & hoc ipſo loco promiſſio in quam cadit iuramentum, eſt prohibita à lege, ac proinde mala, vti oſtendimus: quod vt intelligatur obſeruanda eſt doctrina nuper allata ex Antonio Fabro,

conuentiones quæ ita fiunt contra legem irritantem, vt impediant ne effectum habeat, & irritet actum, eſſe nullas, & prohibitas, atque adeò malas; conuentiones verò quæ ſupponunt iam effectum huius legis, nempe actum iam irritum, & reſpiciunt duntaxat vſum beneficij, quod conſuluit lex, non eſſe malas, cùm quiſque poſſit cedere ſuo iuri, non tamen impedire ne ius illi conferatur à lege: nam lex irritans, illud ſæpius confert etiam inuitis, vti explicabamus. Quoties igitur iuramentum cadet in conuentiones prohibitas, & malas, eo quod pugnent cum legibus irritantibus, ideóque illis apponi prohibebitur, toties nullum erit; quia cadet in materiam illicitam, nullam itaque pariet obligationem, vt vides. Hinc apparet cur iuramentum ſoluendi vſuras, obliget, quia licèt contractus vſurarius propter iniuſtitiam quã continet, non obliget ad ſui obſeruationem, nullumque ius conferat vſurario; ſolutio tamen vſurarum ex parte ſoluentis mala non eſt, licet vſurario nullum capiendi tribuat ius, ideóque ab eo repeti poſſint; imò quamuis non repetantur, eas ipſe reſtituere teneatur; ideóqoe non fuit prohibitum à iure iuramentum de illarum ſolutione; immò illi iuramento ius aſſiſtit, cùm impleri iubeat: & ſimul compellat vſurarium ad eaſdem reddendas. Cùm itaque hoc iuramentum momentanea ſolutione impleri queat, & iuranti non ſit incommodum, neque vſuris faueat, viſum non eſt operæ pretium illud prohiberi à iure, aut irritandum; vnde non licet ad aliorum iuramentorum, quæ prohibentur à iure contractibus inualidis adiici, valorem argumentari; quoties res iurata in ſe mala non erit.

Quod porrò pertinet ad Eccleſiaſticam immunitatem, negamus cum nuper laudatis Doctoribus, eam violari legibus Principum, quibus prohibetur ne contractibus accedat iuramentum, eiuſque nulla ſit obligatio; quia nihil ſibi in rem ſpiritualem arrogant, ſed ſolùm faciont vt res iurata ſit illicita, adeóque materia incapax iuramenti, vti nuper dicebamus. Neque deerit iuſta cauſa propter quam executionem rei promiſſæ prohibeat Princeps, atque adeò promiſſionem ipſam annullet: v. g. ad vitandas fraudes, arcendas iniurias, finiendas lites, impediendos contractus iniuſtos, & ne eorum diſſolutio difficilior reddatur propter neceſſariam iuramenti, ſi validum fuit, relaxationem. Ea quibus cauſis latas eiuſmodi leges minimè lædere Eccleſiaſticam immunitatem concedit ipſe Lugo *diſp.* 22. *citata, numer.* 248. quia ſicut poſſet lex ciuilis aliquando propter grauiora quædam incommoda prohibere ne contractibus adhiberentur fideiuſſores, alioquin irritus foret contractus, nempe ne quandoque contrahens cogatur nocere ſuo fideiuſſori, ideóque ſoluere, quod aliquando non debet, aut non poteſt; cur non poterit eadem lex, ne ex appoſitione iuramenti quis cogatur ſeruare contractum iniuſtum, propter reuerentiam adiecti iuramenti, prohibere, ne deinceps ad ſecuritatem contractus aſſumatur Deus in teſtem, aut fideiuſſorem, alioquin contractum eo ipſo irritum, & nullum eſſe? quid in eo toto proceſſu pugnat cum poteſtate Eccleſiaſtica? quare prodigus cui bonorum adminiſtratio prohibita fuit, non poteſt ſe iuramento obligare ad ſoluendum, vel alienandum, vti ex pluribus docet Couarru. *in cap. quamuis pactum, part.* 2. §. 3. *numer.* 11. quod quoque ſtatuit ne ea contracta tutoris cum pupillo, aut minorum & mulierum, niſi certa forma, atque ſolemnitate fiant, ſequatur vlla obligatio; addito licèt iuramento.

His addo leges illas etſi ferantur eo fine, ne contractus ciuiles ratione iuramenti trahantur ad forum Eccleſiaſticum, iuſtas nihilominus eſſe, quod plures negant, vt Eccleſiæ iura ſeruent illæſa; neque opus eſt cum Valero nuper laudato ad tuendas illas leges, dicere conditas fuiſſe in comitiis publicis, quæ conſtant Clericis, & Laïcis, nam vt Poncius, Delbene, aliique ſapienter obſeruant, debet publica poteſtas ſibi eſſe ſufficiens ad procurandum bonum commune, & remouenda illius impedimenta, irritando contractus quoſdam, quod non eſſet, niſi poſſet prohibere iuramenta quæ inutilem redderent omnem eiuſmodi irritationem. Debet & poſſe ſe tueri, & ſicut nefas eſt alienam iuriſdictionem inuadere, ita propriam tueri, & ne eam ſibi vario, & ſpecioſo prætextu quiſpiam vindicet; prouidere æquum eſt. Eccleſia ſane prætextu periurij plurimas cauſas ciuiles ad ſe traheret, quod Laïci Principes impediunt, dum contractum cui fuerit adiectum iuramentum, irritum eſſe volunt, cui legi, inquit Ponc. *c.* 8. *citato, n.* 8. non poteſt derogare Eccleſia, cùm in materia ciuili nullitatem actuũ ipſa ſupplere nequeat, aut illi valorem reſtituere; alioquin cùm nunquam ferè tabelliones prætermittant ſcribere clauſulam iuramenti à contrahentibus præſtiti ad contractus obſeruationem, omnes ferè cauſæ poſſent pro arbitrio litigatorum ad forum Eccleſiaſticum trahi, regio admodum imminuto: quare ne tam graue ſuæ iuriſdictionis diſpendium paterentur aliqui Principes, ſapienter conſtituerunt contractus quibus adiiceretur iuramentum, nullos fore, neque vi illorum obligandos eſſe contrahentes, etiam ratione iuramenti ſuperadditi, quod contra prohibitionem eiuſmodi præſtitum, nullum etiam, & non obligatorium foret. Atque ita Sanch. Molina, *& alij plures Leges* Hiſpanas, & Luſitanas interpretantur, & tanquam æquitati conſentaneas tuentur. Quid verò hac in parte fuerit actum, agaturve hodie in Gallia, docebit Mornacius ad *l. ſi qui ex conſenſu* 8. *C. de Epiſcopali audientia.* 20

Obiicies ſecundò nullum fore diſcrimen inter ius ciuile & canonicum, quoad iuramentum confirmatorium contractus, ſiue promiſſorium, eiuſque vim, atque obligationem impediendam; cùm vtrumque ius illam æquè impedire poſſit: videtur tamen ius canonicum aliquid amplius ſtatuiſſe, cùm iubet mulieres iuramento de non reuocanda alienatione fundi dotalis, & renuntiatione paternæ ſucceſſionis omninò teneri, ad idque compellendas eſſe, vti nuper retulimus. Pontifex igitur ſeruandum eſſe edicit iuramentum præſtitum circa contractus, qui iure ciuili improbantur; de hac quæſtione vide Ponc. *lib.* 12. *de matr. c.* 8. §. 7. *à n.* 49.

Reſpondent aliqui à quibus non longiùs abeſt Vaſq. *c.* 3. *de teſtam. dub.* 2. eas conſtitutiones valere duntaxat in ditionibus Pontifici ſubiectis, vbi poteſt & irritare contractum, & illum reualidare tollendo impedimentum, quod eius valori ipſemet oppoſuerat; quod ſi extra eas ditiones velimus valere eiuſmodi conſtitutiones, non validabuntur contractus per iuramentũ appoſitum, illud tamen ratione vitandi periurij ſeruandũ erit, quare Reſp. ſecundò cùm Poncio, ius ciuile duntaxat attendere quid ſequatur ex natura contractus irriti, & prohibiti. Cùm enim ille actos, ſi

non

non poſſit eſſe virtutis alicuius actus, vti nuper oſtendebamus, ſitque vel turpis, vel indifferens, atque adeò non exiſtat materia capax iuramenti, ſapienter iuramentum eiuſmodi actui adiici noluit, & ſi adiiciatur ſeruandum non eſſe conſtituit, & nullam eius in iudicio haberi rationem: quia verò materiæ indifferenti poteſt honeſtas ex fine, quem ſibi præſcribit operans, accedere, vt in hoc ipſo caſu, obſeruatio contractus iure inualidi ſuſcipi, & promitti ex honeſto aliquo fine, vt ad tuendam v.g. ſuam famam, vitandum alterius damnum, componenda diſſidia, finiendam litem, ſi eiuſmodi obſeruatio contractus irriti aut eius non reuocatio ex aliquo ſimili honeſto fine promittatur, iureturque, valida & honeſta erit promiſſio, & iuramentum ſeruandum erit. Pontifex igitur qui conſcientiam ſolùm attendit, præſumit iurantem ex honeſto quopiam fine iuraſſe, dum contractum irritum ſe ſeruaturum, & non reuocaturum iurauit, quoties ſponte id fecit, & non vi coactus, aut dolo deluſus: quare ſeruari iuramentum illud conſtituit, donec relaxetur, ad vitandum periurium. Lex itaque Pontificia in præſumptione fundatur, quare qui ſibi conſcius eſſet ſe non iuraſſe ex honeſto fine, non iuraſſet validè, neqoe egeret relaxatione quamuis in iudicio agere non poſſet.

ARTICVLVS II.

Conſectaria, & ſingularium difficultatum explicatio.

CONSECTARIVM I. *Diſcrimen inter iuramentum confirmatorium, promiſſorium, & ſolùm obligatorium.*
II. *An ſit diſcrimen inter iuramentum appoſitum contractibus irritis propter vtilitatem publicam, & inualidis propter vtilitatem priuatam.*
III. *An poſterius iuramentum obliget, & confirmet contractum factum contra prius iuramentum.*
IV. *Examinantur regulæ quibus cognoſcatur, an iuramentum confirmet contractum cui adiicitur, an ſaltem ſit obligatorium.*
V. *Caſus ſingulares ex hactenus dictis.*
VI. *Explicatur authentic.* Sacramenta puberum, *C. ſi aduerſus venditionem.*
VII. *Illuſtrantur aliquot capita iuris ciuilis.*

DOctrina quam tradidimus hactenus, vniuerſalis eſt, & certis conſtantibuſque regulis confirmata, maiorem tamen lucem accipiet ex ſingularum difficultatum explicatione, quam illi ſubiicimus, vel ex illa potiùs colligimus.

CONSECTARIVM. I.

Diſcrimen inter iuramentum promiſſorium, confirmatorium, & ſolùm obligatorium.

Primum diſcrimen circa obligationem.
Secundum quoad relaxationem. 2.
Tertium quoad petitionem relaxationis. 3.
Quartum quoad actionem. 4.
Quintum quoad tranſmiſſionem obligationis ad heredes. 5.
Sextum quoad impletionem obligationis. 6.

SApienter omninò Vaſq. *cap. 3. de teſtamentis, dub. 2. n. 1.* arguit quoſdam Theologos, qui exiſtimabant inutiliter quæri an iuramentum accedens contractui ſit illius confirmatorium in ratione contractus, an non, quandoquidem ſeruandum prorſus eſt, ſi ſine peccato ſeruari poſſit, & ne ab ipſo quidem Pontifice relaxari poſſit inuito illo, cui eiuſmodi promiſſio iurata facta fuit. Verùm conſtat ex iis quæ nuper initio ſuperioris Articuli diximus, non inutilem eſſe hanc quæſtionem propter diuerſos effectus, quos pariunt, & qui penſandi omninò ſunt, quorum.

Primus eſt diuerſa vtriuſque obligatio, in confirmatorio ſiquidem iuramento duplex eſt obligatio, nimirum iuſtitiæ, vel fidelitatis, & præterea religionis, quæ poſterior obligatio ſola reperitur in iuramento per ſe ſtanti, & duntaxat obligatorio, & non ſimul confirmatorio, quod alibi ſignificauimus, & ſæpius toto proximo articulo monuimus. 1

Hinc ſequitur ſecundò relaxato validè iuramento, quod erat ſolùm obligatorium, & per ſe ſtans, non manere obligationem ſoluendi contractum, qui proinde licitè violari poterit, quia erat ſola religionis, & iuramenti obligatio, quæ per relaxationem prorſus extincta eſt, manetque contractus irritus, & inefficax, ſicuti erat ante additum iuramentum. Quoties autem iuramentum eſt confirmatorium, eius obligatione per legitimam relaxationem extincta, manet nihilominus validus contractus, qui per tale iuramentum confirmatus fuerat, atque adeò retinetur obligatio iuſtitiæ, quæ non conſurgebat ex iuramento, niſi quoad firmitatem, tanquam ex conditione ſine qua ius non dediſſet valorem illi contractui: ita Couarru. *in cap. quamuis pactum, 2. p. §. 1. n. 7.* Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 25. n. 3.* Rebell. *2. part. lib. 1. q. 9. n. 11.* Molin. *tract. 2. diſp. 150.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 7. q. 5.* Sanch. in *Decalog. lib. 3. cap. 13. num. 59.* Vaſq. *dub. 2. citato*, & alij paſſim contra Albert. *in cap. cum contingat, de iureiurando n. 9.* & Felin. *in cap. 1. n. 26. eod. titulo:* qui volunt ſublato vinculo iuramenti confirmatorij manere irritum contractum, illos tamen interpretatur Couarru. *loco citato*, de contractibus qui non accipiunt robur a iuramento, ſed ſolùm aliquem effectum, vt cùm non poteſt aliquis aduersùs contractum iure validum agere, & vti remedio legis ad ipſius diſſolutionem propter iuramentum appoſitum: ſic qui minus dimidio iuſti pretij vendidit, poteſt petere reſciſſionem venditionis *l. 2. C. de reſcind. vend.* ſi tamen iurauerit ſe non viurum remedio legis, non poterit agere aduerſus eam venditionem: tunc enim licèt maneat validus contractus, poterit tamen aduersùs illum agere, & vti beneficio legis, ſicut poterat ante iuramentum, quod laxatum fuit. Verum non proptereà dici poteſt contractum aliquem firmatum iuramento, eo ſublato irritum eſſe, quia talis contractus non fuit firmatus iuramento quoad ſuam obligationem, ſed ſolùm quoad obligationem non agendi ad eius reſciſſionem, vti agi poſſet ex lege, & abſolutio à iuramento tunc non datur niſi ad effectum agendi. Retinen-

da itaque eſt communiſſima ſententia, iuramenti confirmatorij relaxatione poſita, manere adhuc obligationem contractus, quia vti diximus *art. ſuperiori*, ſi quam vim confirmandi contractum habeat iuramentum, illam non habet ex natura ſua ſed ex legis diſpoſitione, quæ contractus irritationem aufert, & relinquit efficaces contrahentium voluntates poſita conditione iuramenti: quare ſublato deinde iuramento, manet firmus contractus beneficio legis, quæ illum denuò non irritat, niſi vnà cum iuramento fiat plena abſolutio à contractu, quæ æquiualeat irritationi, vel reſciſſioni. Obſeruat verò Sanch. *n.60. cap. citato*, relaxationem iuramenti ad effectum agendi ex beneficio legis aduersùs contractum nullum, eſſe in eo qui nouit alterum cui iurauit, rem de qua agitur iuſtè poſſidere, & peccare contra iuſtitiam ac iuramenti religionem, adeóque teneri ad expenſas litis, & damna inde conſequuta. Hinc tamen ſequitur non fore inutilem relaxationem iuramenti confirmatorij, licèt contractus maneat validus, quia ſaltem aliquando tollitur impedimentum agendi in iudicio ad diſſolutionem contractus. Deinde tollitur altera ex duabus obligationibus, quas in tali contractu iuramento confirmato neceſſe eſt reperiri, manetque ſola obligatio iuſtitię; ſi tamen relaxatio iuramenti fieret à creditore, periret vniuerſa contractus obligatio, quia creditor non relaxat per ſe, & immediatè iuramentum, ſed ſolùm mediatè quatenus cedit iuri quod per eiuſmodi contractum ipſi obuenerat, atque ita ſublato fundamento cui acceſſit iuramentum, ipſum iuramentum intercidat neceſſe eſt: ſuperior autem immediatè abſoluit à iuramento, neque neceſſariò priorem obligationem, aut illi adiunctam tollit.

3 Tertiò non licet petere iuramenti confirmatorij relaxationem, ſecus verò quando eſt ſolùm obligatorium, quia in priori caſu ius eſt acquiſitum tertio, eique fit iniuria ſi eiuſmodi relaxatio concedatur, aut petatur: quæ ratio ceſſat in iuramento per ſe ſtanti, quod tamen Suar. *cap.*25.*cit.n.*12. ita explicat, vt iuramentum iſtud non ſit relaxabile vi conditionum ſuarum intrinſecarum: nam ex quapiam cauſa extrinſeca poterit aliquando, etiam in præiudicium tertij, iuſtè relaxari, neque volunt communiter contrarium DD. dicunt ſiquidem non poſſe iuramentum illud laxari, niſi à Pontifice de plenitudine poteſtatis, à qua habet, vt propter bonum commune poſſit priuatorum iuribus derogare. Quod autem ad iuramenti non confirmatorij relaxationem ait idem Suar. *cap.*19. *n.vlt.* eam non eſſe ſemper poſſibilem ex vi ſuarum conditionum intrinſecarum, ſed tantùm quando eſt turpitudo in eo cui iuratur, neque ſufficere promiſſionem, cui accedit iuramentum eſſe irritam, vt iuramentum nulla alia de cauſa irritetur; quia cùm lex irritans contractum & promiſſionem inducta ſit in fauorem iurantis, qui ſponte voluit beneficio legis irritantis renuntiare, aut eo non gaudere, & ſuam illam voluntatem iuramento firmare, debet occurrere aliqua cauſa propter quam obligatione quam eo iuramento contraxit liberetur; reiicit tamen hanc doctrinam Sanch. *lib.*3. *in Decalog. cap.*12. *num.*65. quia eædem iuſtæ cauſæ, quæ induxerunt Legiſlatores, vt talem contractum irritarent, & omni obligandi efficacitate priuarent, & denique contrahentium voluntates, ne pro arbitrio de ſuis rebus diſponerent inefficaces redderent, poſſunt inducere ad relaxationem iuramenti, cùm nulla iniuria fiat parti, quæ eiuſmodi contractu nullum ſibi ius acquiſiuit; immò intereſt Reipublicæ dari poteſtatem hæc iuramenta laxandi, ne legis irritantis effectus alia via fruſtretur, neque renuntiatio beneficij, & fauoris à lege facti impedit aliud beneficium repetitionis, nec validat contractum; ſecus eſt quando iuramentum confirmat contractum; tunc enim validus fit contractus, ſaltem quoad effectum, & excluditur beneficium repetitionis rei ſolutæ.

Quartò iuramentum confirmatorium dat actio- 4
nem parti in iudicio, quod non facit quando non eſt confirmatorium. Ratio eſt, quia in priori caſu ius parti acquiritur: igitur & actio ſuum ius repetendi. Deinde quia promiſſio iuramento plenè voluntario firmata parit actionem externam in iudicio, vt tradunt Iuriſtæ communiter apud Couarr. *in cap. quamuis pactum*, 2. *p.*§.4.*n.*16. ex ſolo verò iuramento non oriri actionem tradit Innoc. *in cap. cum veniſſem, de inſtitution.* Quærit autem Couarru. *in cap. citatum* 1. *part.*§.2.*n.*3. an actio ex iuramento promiſſorio naſcatur iure pontificio, & ciuili, & tandem affirmatiuè concludit contra Barthol. *qui in l. ſi quis pro eo, D de fideiuſſorib.* negat iuramentum eſſe modum inducendæ obligationis in iure ciuili; ſequitur tamen gloſſam *in l.* 1. *C. de operis libertor.* Couarruuias, probatque *ex lege vt iuriſiurandi, D. de operis libertor.* vbi dicitur vt iuriſiurandi obligatio contrahatur, libertum eſſe oportere, qui iurat, & libertatis cauſâ iurare, & *ibid.*§.3. fatetur apertè Iuriſconſultus actionem competere ex iuramento quo libertus operas patrono promiſit: quod ipſum aſſeritur *l. licet dubitatum, D. de liberali cauſa.*

Obiicies *l. ſi quis pro eo* 56. *D. de fideiuſſorib.* vbi negauit fideiuſſorem teneri pro eo, qui cum libertus non ſit, iurauit ſe operas alicui præſtiturum. Vnde colligit Barthol. ex ea promiſſione iurata nullam oriri obligationem: alioquin ſi quæpiam præceſſiſſet obligatio, fideiuſſor teneretur.

Reſpondet Couar. operas in præmium libertatis imponi ſolitas poſſe valide à liberto promitti, non ab ingenuo: quare ſi filiusfamilias eas patri manumittenti promittat, vel per ſtipulationem ſolemnem, vel per iuramentum, nulla erit ea promiſſio, cùm ipſi ius apertè reſiſtat: non quia iuſiurandum nullam obligationem ciuilem inducit, ſed quia ingenuus non poteſt ſe ad eas operas obligare, adeóque ſi per ſolemnem ſtipulationem operas promiſiſſet, non obligaretur, neque poſſet illi accedere fideiuſſor: quæ ratiocinatio Couar. mihi non placet: nam ſi inualida eſt illa promiſſio ingenui in hoc caſu reſiſtente iure, iuramentum illi accedens æquè inutile erit, atque fideiuſſor, neque maiorem afferet obligationem iuramentum, quàm fideiuſſio. Itaque vel nullam afferet obligationem, vel ſaltem non ciuilem. Non eſt verò mirum, quod promiſſio valida, & iurata pariat obligationem ciuilem, vti contingit quando libertus iuramento promittit patrono ſuas operas, quia ea promiſſio fuit valida, & probata à iure. Quia verò quandoque fiebat ſine ſolemni ſtipulatione, atque ita non poterat actionem parere, voluit lex, vt ſi accederet iuramentum, licèt deeſſet ſolemnis ſtipulatio, pareret nihilominus actionem. Vnde neque certè colligitur iuramentum confirmare contractum, & promiſſionem inualidam (vti plures contendunt ex hac lege) neque iuramentum per ſe ſtans, vt loquuntur, ſiue non confirmatorium, parere actionem ciuilem, ſed ſolùm promiſſionem per ſe validam, neque improbatam à iure, licèt ipſi non tri-

tribuat

buat actionem ad præſcribendas lites propter certæ cuiuſdam ſolemnitatis defectum. Si tamen accedat iuramentum, obtinere actionem ciuilem, quam profectò non parit iuramentum, ſed promiſſio valida cum conditione illa iuramenti, qua deſtituta non pareret, cùm ſolemnitatibus à iure ad impetrandam actionem requiſitis careat: quæ omnia conſentiunt cum iis, quæ *ſuperiori Articulo, noſtra Regula tertia vniuerſali* diximus.

5 Quintò obligatio iuramenti confirmatorij, ſi quod daretur, tranſiret ad hæredes, ſicut & omnes actiones, atque iura defuncti; obligatio verò iuramenti per ſe tantùm obligatorij, perſonalis duntaxat eſt, & non tranſit ad hæredes: qua de re adi Sanch.*lib.3. in Decalog c.*12.nos alibi commodiùs ea de controuerſia diſputabimus: obſeruo duntaxat plurimùm intereſſe dignoſcere an iuramentum ſit verè confirmatorium contractus inualidi, an non; quia in priori caſu contractus ille inualidus, licèt accedente tamen iuramento reualidatus, non iurantem modò, ſed eius quoque ſucceſſores obſtringet, quod non faciet ſi iuramento non fuerit confirmatus contractus, manſeritque inualidus, ſicut erat ante iuramentum; tunc enim ſi demus iuramentum fuiſſe validum, eo quod non prohibeatur, neque reiiciatur à iure reſiſtente, & improbante, vti fuſiùs expoſuimus *articulo ſuperiori*, obligabit ſolum iurantem, & cum eo vnmus illa obligatio extinguetur, neque tranſmittetur ad hæredes.

6 Sextò obligatio iuramenti per ſe ſtantis, & non confirmatorij impletur momentanea ſolutione, poteritque, ſi contractus erat irritus, taliſque accedēte iuramento manſerit, repeti quod ſolutum erat, neque opus eſt relaxatione iuramenti; quia eius obligatio per præuiā ſolutionem extincta prorſus fuit, neque ad eam repetitionem debet eſſe turpitudo in creditore, à quo ſolutum repetitur, vti malè voluit Abbas *in cap. cum contingat, de iureiurando n.*8. Quod ſi iuramentum confirmatorium eſſet, non extingueretur eius obligatio per ſolam ſolutionem, teneretúrque iurans non repetere ſolutum, quia tunc ſupponitur contractus per illud iuramentum factus eſſe validus, & eodem modo: atque ſi initio validus fuiſſet. Ita omnes apud Sanch.*cap.*12.*citato n.*61. quod intelligo de obligatione præcisè vi iuramenti; non diſputo enim an eo ſepoſito poſſit dari iuſta cauſa non repetendi quod ſolutum eſt, vti dari poſſe putat Suar *lib.*2.*de iuramento, cap.*25. *num.*11. ex qua Suar. doctrina pluribus ab eo confirmata vides, quod ſuperiori articulo contendebamus, ex negata à iure repetitione eius quod ſolutum eſt, non colligi neceſſariò confirmationem promiſſionis, vel contractus, vi cuius indebitè ſolutum erat.

Consectarium II.

An ſit aliquod diſcrimen inter iuramentum appoſitum contractibus irritis propter vtilitatem publicam, & inualidis propter vtilitatem priuatam.

Communis ſententia affirmans. 1.
Explicatur, & probatur eius prima pars. 2.
Conſectaria ex ea ſententia. 3.
Secunda pars probatur. 4.
Communis illa ſententia impugnatur. 5.
Doctrina de Lugo ibid. examinatur. 6.
Noſtra ſententia demonſtratur. 7.

ITa paſſim ſentiunt DD. concedunt enim contractus irritos propter vtilitatem priuatam confirmari iuramento, niſi cauſa irritationis fuerit turpitudo creditoris: quando verò cauſa irritationis eſt bonum publicum, negant confirmari accedente iuramento. Vt verò hanc poſteriorem partem probent, obſeruant etſi finis cuiuſlibet legis ſit bonum publicum, in executione tamen leges aliquas primariò tendere ad priuatam vtilitatem, & ſecundariò tantum ad publicam; aliàs verò primariò ferri in publicum commodum, & ſecundariò ac per quandam conſecutionem in commodum priuatorum, quod ex bene conſtituto bono communi neceſſariò reſultat, ſicut bonum quoque publicum ex priuatorum, & ciuium vtilitatibus ſequitur. Quoties itaque lex habet pro materia proxima bona particularia ciuium, toties dicitur ferri primò in bonum priuatum, & eo mediante in publicum. Eiuſmodi ſunt leges quibus ſingulorum patrimonia conſeruantur, & conſulitur infirmitati minorum, & mulierum, prohibentur illis alienationes, & alia eiuſmodi: quod enim vxor alienet aut ſeruet fundum dotalem, non intereſt per ſe Reipublicæ, ſed eſt commodum priuatorum: quando autem materia proxima legis eſt bonum commune, vt quæ conſulit immunitati Sacerdotum, iudiciorum publicorum integritati, ſufficientiæ bonorum, vt leges annonariæ, aut publicæ ſecuritati, v. g. quæ armorum delationem vetant, ferri dicuntur in fauorem boni communis, & publici. Quoties igitur boni communis intuitu contractus irritatur; nequit adiecto iuramento reualidari, quia priuati non poſſunt communi bono renuntiare, neque iuri ipſi immediatè proſpicienti, *cap. cum ad Apoſtolicæ, de regular.* & *l. ius publicum. D de pactis.* Deinde cùm illæ leges obligent in conſcientia, qui eas violat, peccat; quare iuramentum de ea violatione eſt iniquum; immò & nullum. Et ſanè paciſci contra ius, & in præiudicium alterius, eſt iniurioſum, & contra iuſtitiam. Atqui paciſci contra ius publicum, & illi renuntiare eſt paciſci in præiudicium communitatis, & contra iuſtitiam legalem, ac proinde peccatum: quare iuramentum de eo, contrarium eſt bonis moribus naturalibus; & non modò confirmatorium non eſt, ſed nequidem obligatorium: nam licèt actus prohibitus non præiudicet per ſe communi bono, factus tamen ex obligatione plurimùm officit Reipublicæ: v. g. deportatio equorum, armorum, & auri extra regnum, licèt non prohibeatur niſi lege pœnali, obligatio tamen ad eiuſmodi deportationem non poteſt non nocere plurimùm bono communi. 1

Dices pactum legis commiſſoriæ reprobari in pignoribus *l. vlt. C. de pactis pignor.* ob bonum commune, & tamen ſi addatur illi iuramentum, obligabit *cap. ſignificante, de pignoribus*: igitur iuramentum de actu prohibito propter bonum commune non eſt ſemper iniquum, & nullum. 2

Reſpondent legem prohibentem eiuſmodi pactum verſari immediatè circa materiam boni priuatorum ciuium; eſt enim commiſſoria in emptionibus, cùm res ea conditione vænit, vt non ſoluto dicta die pretio, res ſit inempta: in pignoribus autem, vt niſi definito tempore ſoluatur debitum,

pignus

Digitized by Google

pignus fiat creditoris, quod vltimum reprobatur, vt conſulatur domino pignoris, qui tale pactum iniit, & in odium creditorum, qui tamen non peccant retinendo pignus: quare iuramentum de eiuſmodi pacto validum eſſe nihil prohibet, maximè cùm ea lex in ſola præſumptione fundetur: quare ſi in eo pacto commiſſoriæ nihil fiat contra iuſtitiam, obligabit naturaliter. Putat tamen Panormitanus iuramento non confirmari hoc pactum, ſed malè, cùm illud pactum non irritetur, niſi quia eſt contra bonos mores ciuiles, etſi prohibitio feratur in odium creditoris, qui in eo pacto non peccat, vt ſupponimus. Idem dicendum erit de contractu ludi, quem ius irritat, quando pecuniâ credita luditur: nam ea lex fertur primariò in bonum priuatorum, quare iuramentum adiectum obligabit. An verò etiam confirmet contractum, & promiſſionem illam, quæſtionis dubiæ eſt; nam ſi illa promiſſio inuexit obligationem naturalem, & nulla alia fraus, aut iniuſtitia acceſſerit, confirmabitur iuramento ex Molina *tract.* 1. *diſp.* 514. §. *verum autem qui.*

3 Ex iſtis colligunt primò Clericum inualidè renuntiare etiam iuratum beneficio fori, *cap. ſi diligenti, de foro competenti*, quia priuilegium illud Eccleſiæ, & non priuatis primariò fuit conceſſum.

Colligit ſecundò Couarru. *in cap. quamuis pactum*, 2. *p.* §. 1. *n.* 1. contractum quo quis vendendo prædium retinet colonos culturæ prædij adſcriptos contra prohibitionem *l. quemadmodum* 7. *C. de agricol. & cenſit.* non confirmari iuramento, quia ea prohibitio reſpicit primariò bonum Reipublicæ, ne agricultura damnum graue patiatur. Erant porrò olim, quod alibi monuimus, tria genera colonorum, nimirum adſcriptitij, originarij, & cenſiti. Primi illi per contractum priuatamve conuentionem culturæ alicuius agri adſcribebantur, vt in eo colendo ſuam perpetuò operam impenderent, de quibus agit Codex *de agricolis, & cenſitis*, vt ibi obſeruat gloſſa. Originarij dicebantur qui ex adſcriptitiis naſcebantur, & ius colonarium origine contrahebant *l. colonos, C. de agricol. & cenſit.* Denique cenſiti erant ipſi adſcriptitij, qui ex peculiari conuentione debebant ſuis dominis cenſum aliquem ex ſuis agris, & eorum fructibus, vt ex *l.* 2. *C. in quibus cauſis colon. domin. accuſ. poſſ.* colligit Couarru. *loco citato*, & annotarunt Hoſtienſ. & Abbas *in capit. indicatum, de immunit. Eccleſiar.* Quia igitur plurimùm intererat Reipublicæ colonos vacare ſuo agro, prohibebatur diſtrahi prædium ſine colonis adſcriptitiis, quam legem hodie non obligare tradit Couarru. qui & alia corollaria ad forum ciuile pertinentia deducit ex communi illa doctrina, contractus in fauorem boni communis, & publici irritos, non confirmari iuramento adiecto, ſecus verò ſi inualidentur duntaxat in fauorem priuatorum, niſi ſit aliqua turpitudo creditoris, cui iuratur, & in cuius odium contractus ille irritatur.

4 Hanc partem communis ſententiæ probant, quia quoties contractus aut promiſſio per vim aut dolum, aliámve iniuriam extorta ſunt, ſi iuramentum accedens contractum eiuſmodi confirmaret, eſſet vinculum iniquitatis, atque ita ſentiunt Couar. *in cap. quamuis pactum*, 2. *p.* §. 3. *n.* 1. allegans Barthol. & alios iuris interpretes, quibus magno conſenſu adhæſerunt Suar. *lib.* 2. *de iuram. cap.* 27. *n.* 3. Leſſi. *lib.* 2. *c.* 17. *n.* 56. Rebell. 2. *part. lib.* 1. *q.* 9. *num.* 11. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 150. & *diſput.* 515. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 7. *regul.* 3. *q.* 1. Sanch. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 12. & alij paſſim. Hæc autem turpitudo creditoris inuenitur quoties non tantùm creditor, & qui accipit, tenetur reſtituere, vti cenſet Molina, ſed etiam quoties peccat in acceptione rei iuratæ, & denique quoties non poteſt impleri iuramentum ſine peccato eius, cui præſtatur: tunc enim turpitudo eſt in ipſo actu ad quem poſtulatur iuramentum: neque quidquam obſtat eam turpitudinem eſſe inductam per ius ciuile, modò ſit contraria honeſtati morum, & per eam verè peccetur, quia tunc violatur lex obligans in conſcientia, vt ait Suar. *cap.* 27. *citat. n.* 4. & 5. quare ſi tutor peccet contrahendo cùm pupillo, quod leges Galliæ prohibēt, non confirmabitur ille contractus iuramēto pupilli; ſi autem ſit ſolùm politica quædam turpitudo, quia etſi lex reſiſtat contractui, is tamen cui præſtatur iuramentum, non peccat; illa turpitudo ciuilis non impediret confirmari contractum à iuramento, vti contingit *in cap. quamuis pactum, de pactis in* 6. vbi filia renuntians hæreditati paternæ, ſua dote contenta, licèt repugnante iure ciuili, renuntiationem ſuam validam reddidit per ſpontaneum iuramentum. Ratio iſtorũ omniũ eſt, quia iuramentum non eſt confirmatoriũ ex ſua natura, lex autem non fauet turpitudini, & iniuriæ creditoris; quando autem ius canonicum vult ſeruari iuramentum, non agit niſi de eo quatenus eſt obligatorium ad veritatem ſeruandam, & vitandum periurium, dum Deus adducitur in teſtem falſæ promiſſionis, optiméque Suar. ait talem legem eſſe potiùs declaratiuam naturalis, & diuini iuris, quàm noui & humani conſtitutiuam. Addunt denique ſufficere in hoc caſu turpitudinem materialem, & non exigi formalem, hoc eſt, etiamſi ipſe creditor & recipiens excuſetur à peccato inuincibili ignorantia, aut alia quapiam ratione; ſi tamen actus ſit in ſe malus, v. g. ſit contractus vſurarius, non firmabitur iuramento, quod omnes vulgò concedunt, dum negant vſuras iuramento promiſſas poſſe retineri, & accipientem ius aliquod ad eas acquirere: quare etſi debitor, vt ſuo iuramento ſatisfaciat, vſuras ſoluat, poterit eas repetere, aut ſi nequeat, vti occulta compenſatione. Neque *cap. debitores, de iureiurando* fauet Abbati, qui in illud *cap.* 4. *num.* 4. contrarium ſentit, quòd ibi dicatur; *Si de ipſarum ſolutione iurauerint, cogendi ſunt domino reddere iuramentum*: quia hæc coactio fit à Iudice Eccleſiaſtico, vt obligatio Deo quæſita reddatur, non ad inſtantiam partis, quæ ius aliquod acquiſierit: vnde ibidem dicitur vſurarium cogendum eſſe reddere Deo iuramentum; quod autem dicitur *eod. tit. cap.* 1. cogendum eſſe vſurarium vt laxet iuramentum ſibi præſtitum de ſoluendis vſuris, non ſignificat ipſum acquiſiuiſſe ius aliquod in iurantem, & promittentem, ſed ne ex eo moleſtum ſe exhibeat debitori, quaſi ſua promiſſione iurata ita teneatur, vt vſuras ſemel ſolutas repetere nequeat.

Hæc communis doctrina de iuramentis contractibus irritatis, & inualidis in fauorem iuris & boni publici, aut priuatorum appoſitis, quam paulò fuſiùs explicui, adductis, quibus videtur inniti rationibus, vt ſi quis eam ſectari velit, habeat quo ſe tueatur, non vſquequaque mihi placet: quod enim affirmatur iuramentum eſſe inualidum, quando cadit in actum irritum propter ſolum fauorem publicum, meritò reiicitur à Leſſio *cap.* 17. *laudato. n.* 55. ſi enim eo actu non peccetur, cur iuramentum erit inualidum, & ſi in contractibus irritis, & boni priuati fauore non peccetur, cur non 5

confir

confirmabuntur iuramento. Itaque Delugo *diſp* 22. *num.* 228. nullum eſſe inter hæc iuramenta, & contractus irritos, quibus adiiciuntur, diſcrimen conſtituit: nam vbi aberit, aut aderit culpa in celebrandis illis contractibus contra legem irritantem, & prohibentem, implendo iuramentum confirmabuntur, aut non confirmabuntur. Itaque attendendum eſt duntaxat ad id quod iuratur, an illud lex ita prohibuerit, vt idipſum abſque culpa fieri non poſſit; quod quia frequentiùs contingit, quando contractus eſt prohibitus propter bonum commune, quàm quando prohibetur ſolùm ob priuatam vtilitatem contrahentis, ideò frequenter illi priores non poterunt adiecto iuramento confirmari, licèt poſteriores aliquando poſſint. Obſeruat deinde legem aliquando prohibere tum contractum, tum eius executionem, v.g. cùm canonicis prohibetur donare abſentibus diſtributiones, atque adeò prohibentur omninò pacta, remiſſiones, ſolutiones, &c. propter bonum publicum, ad procurandam aſſiſtentiam, ſiue frequentiam in choro, ideóque quodlibet pactum contrarium nullomodo iuramento confirmari poterit; cuiuſmodi quoque ſunt omnia pacta ſimoniaca in materia beneficiali, quæ etiam iuramento non confirmabuntur. Aliquando verò prohibetur contractus, non tamen eius executio, vt quando prohibetur ludus pecuniâ credita, non tamen ſolutio; & tunc quando quis ludo illo pecuniam amiſit, obligabitur ex iuramento præcedenti ad ſoluendum, & ad non repetendum ſolutum. Aliquando denique prohibetur contractus, & eius executio: non tamen ſolutio, v.g. lex præſcribens certum numerum famulorum, ne familiæ tanta multitudine opprimantur, obligat ad non conducendum eum numerum, & vbi conductus fuerit, non retinendum. Si tamen quis contra legem prohibentem retentus fuerit, & operas domino præſtiterit, debebitur ei omnino merces pro præſtito obſequio. Attendendum igitur ſemper eſt illud, quod lege prohibitum fuit, illud enim iuramento promitti nequit: quando verò id quod iuratur, prohibitum non fuit, ſiue probibitio facta fuerit ob bonum publicum, ſiue ob priuatum iuramentum, obligabit ex hoc capite, ideóque contractum confirmare poterit niſi quidpiam aliud obſtet.

6 In hac doctrina Delugo non placet, quod affirmat, iuramentum, vbi licitum & validum eſt, quia non cadit in aliquid iure prohibitum, confirmare contractum cui adiicitur; tum quia negauimus in vniuerſali noſtra regula, iuramentum, quamuis alioquin validum, confirmare vnquam contractum; nam licèt tale iuramentum, cùm nullam babeat turpitudinem, neque in materiam prohibitam cadat, neque alio ex capite, vt ſupponimus, inualidetur, ſeruandum ſit, & res iurata ponenda ſit ex obligatione religionis; inde tamen non ſequitur niſi impropria admodum confirmatio contractus, & promiſſionis, ex qua nullum iuſtitiæ ius, ſed ſola religionis obligatio naſcitur, adeóque laxato iuramento nulla remanebit in iurante obligatio. Placet verò quod ſapienter monet bic auctor attendendum perpetuò eſſe id quod lege prohibetur. Si enim iuramentum in illud verè cadat, non modò non confirmabit actum illum prohibitum, & irritatum à lege, ſed nequidem erit obligatorium, aut validum: quare ſi iuramentum cadat in ipſum contractum prohibitum, non obligabit, ſicut neque ſi cadat in eius executionem, ſolutionem, vel retentionem prohibitas. Si verò aliquid iſtorum prohibitum non fuerit, & illud iuretur, obligabit iuramentum circa illud; obligationem tamen ſolius religionis afferet, & non circa alia prohibita, quãuis connexa cum eo non prohibito, & iurato, niſi tanta ſit ea connexio, vt iſtud non prohibitum, & iuratum poni non poſſit vi iuramenti, niſi alia prohibita ſimul, & neceſſariò ponantur, quia tunc non erit obligatorium iuramentum, obligaret enim ad faciendum aliquid contra legem, & proinde ad peccandum: neque enim licet vnquam aliquid facere, quod quamuis ex ſeſe malum non ſit, cum alio tamen quod malum eſt, ita connexum eſt, vt vno poſito, neceſſariò ponatur aliud. Placet denique quod monet Delugo nihil diſtinguendum eſſe an actus prohibitus, & irritus probibeatur, irriteturve propter bonum commune, aut priuatorum; ſatis enim eſt prohibitum eſſe, vt reddatur materia incapax iuramenti, quod proinde neque confirmatorium erit, neque obligatorium, cùm cadat in rem prohibitam, atque ea ſaltem de cauſa malam, quod verius multò erit quoties res iurata propter bonum publicum, vel priuatum probibetur, quia mala & turpis eſt. Itaque vt dignoſcamus vtrum iuramentum ſit confirmatorium contractus prohibiti, & irriti, cui accedit, an obligatorium duntaxat, non eſt attendendum bonum publicum, aut priuatum, quod intendit lex prohibens, aut irritans, ſed duntaxat an cadat in rem prohibitam quocumque fine fuerit prohibita, & an violando eam prohibitionem peccetur; tunc enim neque confirmatorium, neque obligatorium erit. Si verò non peccetur, quod rarius omninò continget, obligatorium erit, nunquam autem confirmatorium, vti in noſtra regula *ſuperiori Articulo* demonſtrauimus.

Atque ita cenſet Ponc. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 7. *num.* 45. & hac ratione demonſtrat, quod ſi vnum iuramentum quoſdam contractus confirmet, & non alios, vel oritur ex ipſa materia, vel ex natura iuramenti, vel ex ipſa iuris diſpoſitione; nihil autem illorum affirmari poteſt hoc caſu ratione ſolius vtilitatis publicæ, vel priuatæ propter quam irritantur, & prohibentur actus & contractus. Non primum, quia falſum eſt omnem actum contra vtilitatem publicam eſſe illicitum, & peccatum; nam aliquando ille actus, prout fit hic & nunc, non nocet Reipublicæ, ad quod nocumentum, & præiudicium amoliendum fuit prohibitus, & irritatus: neque etiam fuit ſub culpa prohibitus, vt ſupponimus, ſed ſolùm ſub nullitate, & irritatione actus. Igitur tunc non erit illicitus ille actus, & fieri ſine peccato poterit. Si autem ratio legis prohibentis reperiretur adhuc in illo actu, qui certis perſonis fuit prohibitus, quamuis bìc & nunc non noceret Reipublicæ, foret tamen illicitus, & incapax iuramenti. Plurimæ verò leges, vti iam monui, irritant contractus aliquos propter bonum publicum, non prohibendo perſonis vt iterum monebimus inferiùs *conſectario* 4. Qui igitur eas violat, non peccat, quod manifeſtum eſt in lege irritante teſtamenta ſine certa ſolemnitate facta, qui enim aliter condet teſtamentum, non peccabit, licèt nihil efficiat; quia non obligatur facere teſtamentum: ergo neque validum, immò, quia vult inteſtatus decedere iuſtas ob cauſas, vult ſuum teſtamentum eſſe nullum, ideóque prætermittit ſolemnitates præſcriptas. Illud tamen teſtamentum, quod re naturalem quidem obligationem parit, confirmandum eſſe iuramento negant aduerſarij; igitur ratio propter quam actus irritatur

propter 7

prupter bonum commune, non confirmatur iuramento, non eſt quia materia illius iuramenti eſt illicita, & peccaminoſa, quod non contingeret ſi actus fuiſſet probibitus propter vtilitatem priuatã; quod idem vides in bonorum renunciatione facta à nouitio ante duos vltimos menſes probationis ſine ſolemnitate præſcripta à Tridentino: illa enim nulla eſt, neque iuramento confirmari poterit, & tamen in illa renuntiatione non peccatur, quia lex probibens fertur in actum, non perſona, ſi reſpicit tamen primariò bonum publicum; non eſt igitur vniuerſaliter verum, idcircò actus irritos ob bonum publicum, non firmari iuramento, quia ſunt de materia illicita, & quæ ſine peccatu poni nequit: quare vniuerſale erit diſcrimen ex parte materiæ licitæ, & illicitæ inter contractus irritos ob bonum publicum & priuatum, & leges illæ omnes æquè fieri poſſunt in actum, aut in perſonas in vtroque caſu. Diſcrimen autem ex natura iuramenti nullum peti poteſt circa iſtos actos, quia iuramentum nullam aliam, vt ſæpius monuimus, obligationem affert, quàm religionis, ex qua peti non poteſt cur vnum potiùs actum, quàm alium validum efficiat, neque ex natura ſua reſpicit potiùs vtilitatem communem, quàm priuatam. Denique nullum diſcrimen in hac parte petere licebit ex diſpoſitione iuris: nam ciuile in vniuerſum reiicit hæc iuramenta contractibus adiecta, vti oſtendimus in noſtra regula ex *l. non dubium, C. de legibus, & l. iuriſgentium, D. de pactis*, neque diſtinguit inter actus irritos ob vtilitatem priuatam, aut publicam. Ius etiam pontificium nullum eiuſmodi diſcrimen aſſignat, ſed eodem modo loquitur, quamquam rectè Puncius *num. 5. q. cit.* obſeruat ius iſtud nunquam loqoutum eſſe de contractibus irritis ob defectum certæ cuiuſdam formæ, & ſolẽnitatis ad eorum validitatem à iure præſcriptæ, quod conſtat ex omnibus capitibus, in quibos de iuramentis contractibus adiectis egit, qoæ examinabuntur inferiùs. Illi verò actus, & contractus quibus eſt certa illa forma & ſolemnitas præſcripta, ſunt illi qui ob vtilitatem publicam irriti dicuntur, vt ibidem Poncius exponit, ex Vaſq. qui ipſi præiuerat *cap. 3. de teſtament. dub. 2. n. 30.* cuiuſmodi ſunt teſtamenta, matrimonium, contractus minorum, ludi, renuntiatio nouitij, alienatio rerum Eccleſiaſticarum, qui omnes adjecto iuramento reualidari nequeunt; immò neque iuramentum ſeruari.

Consectarium III.

An poſterius iuramentum obliget, & confirmet contractum factum contra prius iuramentum.

Status controuerſiæ. 1.
Sententia Suaris. 2.
Contraria ſententia communis. 3.
Noſtra ſententia 4. 5.

1 IVrauit quis ſe non venditurum domum ſuam niſi Petro, aut de illius licentia, vendit nihilominus Caio, ſuamque venditionem iuramento confirmat: Camilla iurat ſe non alienaturam fundum dotalem, quem tamen deinde alienat, adhibito nouo iuramento de non reuocanda alienatione: quærimus an illa venditio domus, & fundi dotalis alienatio contra prius iuramentum facta confirmentur per poſterius iuramentum, & an ſaltem in noſtra ſententia negante vim confirmatoriam contractus cuilibet iuramento, ſit obligatorium ſecundum iſtud iuramentum, atque adeò ſeruandum ex obligatione religionis.

Suar. *lib. 2. de iuram. cap. 30. n. 4.* exiſtimat hæc poſteriora iuramenta in iſtis caſibus allatis eſſe 2
confirmatoria contractus contra prius iuramentum celebrati. Probat quia iſta iuramenta non ſe mutuò deſtruunt; prius enim fuit v.g. non alienandi fundum dotalem, non donandi quidpiam, non vendendi, non contrahendi: poſterius ſupponit contractum iam factum, celebratam alienationem, venditionem, donationem, & cadit in promiſſionem non reuocandi, vel reſcindendi alienationem, aliúmve contractum iam initum: quæ duo iuramenta nemo non videt eſſe diuerſa, & non oppoſita; cùm vnum cadat in promiſſionem non contrahendi, non alienandi, aliud in promiſſionem non contraueniendi contractui & alienationi factæ: quare licèt mulier quæ iurauerat ſe non alienaturam fundũ dotalem, periurium admittat ſi alienet, ſi tamen deinde non reuocet alienationem, non dicitur violare prius iuramentum, quia non iurauit ſe nõ reuocaturã ſemel factam alienationem, vti iurat poſteriori iuramento, quod proinde ſeruari poterit abſque peccato, & conſequenter, ſi aliud non obſtet, poterit confirmare contractum. Sanè Sanch. qui eſt in cõtraria ſententia *lib. 6. de matrim. diſp. 13. n. 2. & lib. 3. in Decalog. cap. 12. n. 38.* fatetur hoc poſteriori loco *num. 39.* quoties poteſt abſque periurio contractus iniri, eum firmari iuramento; vnde quando prius iuramentum non eſt factum Deo intuitu pietatis, neque homini cuius intereſſet, ſed in fauorem ſolùm abſentis, à quo modò eſt acceptatum, quia poterit tunc abſque periurio contra illud iuramentum celebrari contractus, poſteriori iuramento non reuocari, ſed ipſum firmari tunc vult. Deinde quando iuramentum emiſſum eſt propriæ commoditatis intuitu, *poteſt quiſque* ſuo iuri cedere, & iuramentum ſibi quodammodo relaxare; quare celebrabitur contractus iſte poſterior abſque periurio, & deinde ſequenti iuramento de contractu illo non reuocando confirmabitur. Denique quidquid ſtatuatur de periurio admiſſo in celebratione contractus contra prius iuramentum, cùm tamen in poſteriori iuramento de non reuocando contractu cum periurio facto, nullum vti oſtendimus admittatur peccatum, non eſt cur negemus æquè per illum confirmari contractum, alioquin nullum, atque ſi non præceſſiſſet iuramentum de eo non celebrando; actus enim cum periurio celebratus ſuæ naturæ relinquitur, & validus eſt, ſi talis erat priùs: v.g. qui conſtituit Caium procuratorem cum iuramento illum non reuocandi, periurus eſt ſi reuocet; valida tamen remanet reuocatio, vt obſeruat Gloſſa *in cap fin. de procuratorib. in 6. verſ. reuocatus.* Venditio quoque cum traditione rei venditæ facta contra priorem venditionem iuratam, ſed ſine traditione, valet, *l. traditionib. C. de pactis, l. quoties, C. de rei vindicat.* Denique matrimonium contra ſponſalia iurata valet. Tota igitur ratio quæ poterit impedire ne iuramentum habeat vim confirmatiuam contractus inualidi, quam haberet, ſi non præceſſiſſet iuramentum, eſt quia hoc poſterius iuramentum eſt iniquum, & illicitum, non autem quod in celebratione cõtractus ſit admiſſum periurium, & peccatum, hoc autem falſiſſimum eſſe docuimus. Nihil igitur affertur propter quod negemus confirmari contra

Digitized by Google

contractum illo caſu : quod totum manifeſtum eſt ex modo, quo dicunt confirmari iuramento contractum iure inualidum, indirectè tantùm, & quoad effectum, qui ſanè poteſt eſſe bonus ex actu malo. Neque enim hoc iuramentum cadit immediatè in ipſum contractum periurum, & ſacrilegum, ſed in promiſſionem eum non reuocandi; quæ promiſſio neque irrita eſt vi legis, vt ſupponimus, neque prohibita ratione prioris iuramenti, quod nullo modo violat, quod enim ait Sanch. prius iuramentum continere promiſſionem non contraueniendi, quia ſuppoſita nullitate actus, iurare eum non celebrare, eſt iurare eum non habere ratum, falſum eſt; ratihabitio enim propriè ſupponit contractum celebratum: quare iurare non contrahere, non eſt iurare contractum iam factum, aut vbi factus fuerit, non habere ratum. Ad extremum aliud eſt iuramentum ratione alicuius circumſtantiæ eſſe iniquè factum, aliud obligare ad aliquid iniquum, qui enim iurauit aliquid ſe non promiſſurum cum iuramento, ſi deinde promittat eum iuramento, periurus eſt, & eius iuramentum iniquè fit, ſi tamen res promiſſa licita ſit, & honeſta, obligat, & confirmat promiſſionem, quæ eſt de re licita, neque fit vinculum iniquitatis: quare etiamſi in noſtro caſu poſterius iuramentum eſſet priori contrarium, & periurium, quia tamen immediatè cadit in promiſſionem non reuocandi, quæ licita eſt, non erit vinculum iniquitatis, ſed eandem vim habebit, atque ſi non eſſet periurium, & priori iuramento contrarium, atque ex ea parte illicitum, ſeu iniquum: id enim tantùm habebit ratione modi quo fit, non ratione materiæ quam afficit, atque adeò obligabit.

3 Negant nihilominus paſſim DD. confirmari iuramento contractum inualidum contra prius iuramentum factum, ſequuti gloſſam *in cap. licet mulieres, de iureiurando in 6.* quæ tamen aliter ſentire viſa eſt *in capit. fin. de procuratoribus in 6.* vti nuper referebam. Eam cum ſeipſa conciliare nititur Sanchez *lib. 6. de matrim. diſput.* 13. ſequuntur Couarru. *in capit. quamuis pactum*, 2. *p.* §. 2. *numer.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *capit.* 6. *quæſt.* 3. Rebell. 2. *part. lib.* 1. *quæſt.* 9. *numer.* 13. Boñac. *diſput.* 3. *de reſtitution. quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 7. Leſſi. *lib.* 2. *capit.* 17. *num.* 58. 59. & alij, quod probant primò quia ſæpius per prius iuramentum, ille cui factum eſt, ius aliquod acquiſiuit, quandoquidem per illud confirmatus fuit aliquis contractus, aut eius non celebratio promiſſa. Poſterius igitur iuramentum, atque promiſſio, in quam cadit, iniquum eſt, non tantùm ratione modi, vt dicebat prior ſententia, ſed etiam materiæ, quam afficit, cùm vergat in præiudicium tertij; qua de cauſa *in cap. intellecto, de iureiurando,* Rex Hungariæ prohibetur ſeruare iuramentum de non reuocanda alienatione contra prius iuramentum facta; alienauerat nempe bona Coronæ in præiudicium Regni contra quam in ſua inauguratione iuraſſet bona Regni ſui, & in honorem Coronæ ſeruare, illicitumque fuerat proinde iuramentum de non reuocanda alienatione eiuſmodi; non quia erat contrarium priori iuramento, neque enim dixit Pontifex ipſum fuiſſe periurum, ſed quia erat de re illicita, & contra iuſtitiam, cùm Rex obligetur veluti ex contractu, Regni iura ſeruare.

Secundò quia nonnumquam iuramentũ habet rationem voti, quando nimirum Deo præſtatur intuitu pietatis; reuocato igitur illo iuramento promiſſio erit iniqua, & conſequenter iuramentum in illam cadens; itaque ſi mulier iuret ſe non alienaturam fundum dotalem, quia vult ex illius redditibus pietatis opera facere, & deinde nihilominus alienet, promiſſio non reuocandi eam alienationem contra prius iuramentum factam, erit prorſus iniqua, atque adeò iuramentum in ipſam cadens, quod proinde ipſam non confirmabit; quia vi prioris iuramenti, quod æquiualet voto, tenetur mulier non tantùm non alienare fundum dotalem, ſed etiam perpetuò retinere; quia tenetur ex eo pietatis opera exercere. Denique ille cui præſtatur iuramentum, ſi conſcius fuit prioris iuramenti, turpiter agit cooperando celebrationi contractus contra prius iuramentum, ideóque iuramentum poſterius in fauorem illius præſtitum, non poteſt confirmare contractum, cùm ſit turpitudo ex parte creditoris, ſiue illius cui præſtatur, ex regula quam admittunt ipſi aduerſarij, vti retulimus *conſectario ſuperiori.*

In noſtra ſententia, quæ negat vllum iuramentum eſſe confirmatorium, certum nobis eſſe debet contractum inualidum factum contra prius iuramentum, non confirmari iuramento ipſi adiecto, ſiue hoc poſterius iuramentum ſit contrarium priori, ſiue non ſit, eo quod cadat in diuerſam materiam, vti oſtendebat Suar. cùm tamen tota contrarietas circa idem ſubiectum, ſiue obiectum, & materiam eſſe debeat. Si enim iuramentum accedens contractui inualido nequit illum confirmare, quare id præſtare poterit, quando contractus ille inualidus celebrabitur cum periurio: ſi tamen nihil aliud impediret confirmationem huius contractus quàm periurium in eo celebrando commiſſum, reuera confirmaretur per iuramentum conſequens; cùm enim in ea ſententia iuramentum habeat vim confirmandi contractum, alioquin iure inualidum, cui adiicitur, non amittit illam vim per periurium antecedens; neque enim duo illa iuramenta in eo caſu ſe deſtruunt: quare ſi quando accideret non confirmari talem contractum per ſubſequens iuramentum, id non orietur ex priori iuramento, quod in celebratione contractus violatum fuit, ſed aliunde, vt contingit in caſibus à ſecunda ſententia poſitis; quia in illa celebratione fuit violata iuſtitia, & ius quod per prius iuramentum quæſitum fuerat alicui, aut ius diuinum propter promiſſionem Deo factam, cùm prius iuramentum voto æquiualet; in illis ſiquidem caſibus ſi quidpiam contra ius Deo, aut proximo per prius iuramentum quæſitum, committatur in celebratione alicuius contractus, manifeſtum eſt non confirmari poſteriori iuramento; quia tunc vinculum iniquitatis foret; confirmaret ſiquidem actum, quo vel proximo ius ſuum tollitur, vel promiſſio & votum Deo factum violatur. Quia verò ſæpius contingit in contractibus inualidis contra prius iuramentum de illis non celebrandis factum, violari ius tertij, aut Dei, quod ex illa promiſſione iurata de non celebratione talis contractus natum erat, idcircò dum deinde celebratur, nequit confirmari poſteriori iuramento: quare ferè vniuerſalior, & verior eſt ſecunda ſententia nuper relata, negans confirmari poſteriori iuramento contractum contra prius iuramentum celebratum, ſpeculatiuè loquendo, & ſecluſis illis duobus caſibus de violata iuſtitia, vel diuino iure propter promiſſionẽ homini, vel Deo factam priori iuramento, & acceptatam, vera eſt ſententia Suaris, prius iuramen- 4

tum, ſiue periurium in celebratione contractus commiſſum, non impedie quominus talis contractus confirmetur per iuramentum ipſi adiectum, cùm hæc iuramenta nou pugnent inuicem, neque ſeſe deſtruant.

5 Tota igitur difficultas quæ nobis explicanda reſtat, eſt vtrum hoc poſterius iuramentum ſit ſaltem obligatorium, atque adeò quodammodo impropriè confirmet eiuſmodi contractum, cùm obliget ad aliquid, ad quod obligaſſet ille contractus contra prius iuramentum factus, ſi fuiſſet validus. Et quidem Innocent. *in cap. veniens, de iureiurando*, exiſtimat hoc poſterius iuramentum obligare contra promiſſionem homini factam, nempe ad compenſandum damnum, quod alter patitur ex violata promiſſione ſibi facta, ſed pugnantia loquitur Innoc. ſi enim proximus damnum patitur in violatione promiſſionis ſibi factæ, & iuratæ, violatur iuſtitia, quod fatetur Innoc. dum ait damnum eiuſmodi compenſandum eſſe: iuramentum igitur poſterius quod obligat ad violationem, aut continuationem violatæ iuſtitiæ, obligabit ad quidpiam iniquum, nimirum ad violandam iuſtitiam: quod idem dico ſi prius iuramentum æquiualebat voto, quod violare obligabimur, per poſterius iſtud iuramentum. Idcircò cum communiori ſententia Poncius *cap.8. citato, numero* 20. negat hoc iuramentum obligare.

Obſerua tamen quod ad dignoſcendam obligationem iuramenti promiſſorij, non eſt conſiderandum an ipſum iuramentum ſit peccatum, ſed an obliget ad peccatum; ſiue an id quod iuratur ſit malum. Si enim quod iuratur bonum eſt, & ſine peccato poni poteſt, licet ipſum iuramentum propter aliquas circumſtantias illicitè fiat, & cum peccato præſtetur, validum tamen erit; quod fuſius oſtendit Sanchez *lib. 3. in Decalog. capit.9. numer.* 22. atque ita intelligendum eſſe vulgare diuerbium; *Iuramentum non eſt vinculum iniquitatis*, monet Lugo *diſput.*22. *num.*222. vt non liget, aut obliget ad faciendum aliquid iniquum, & malum; non verò quod in ſe non ſit iniquum, & malum; ſiue iuramentum iniquum obiectiuè non eſt validum, iuramentum verò ſubiectiuè tantùm iniquum, ſiue quod in ſe illicitum, & turpe eſt, poteſt eſſe validum, & obligare: verbi gratia ſi quis contra prohibitionem ſibi factam alienandi quidpiam, quæ prohibitio non eſt irritatio, vt ſuppono, alienet tamen, & deinde iuret ſe non reuocaturum, tenetur vi iuramenti non reuocare, quamuis peccarit iurando de alienando, *vt ibid.* demonſtrat *num.*224. Hæc omnia confirmantur ex voto quod poteſt eſſe illicitum, & tamen de re bona, atque obligatorium; ſi quis enim contra legem Pontificis prohibentem ſolùm, & non irritantem faciat profeſſionem in aliqua religione, profeſſio illa erit illicita, & peccatum mortale; nihilominus valida erit, & obligatoria: verùm hæc omnia de iuramento promiſſorio illicito, & tamen aliquando valido commodiùs alibi diſputabimus.

Consectarium IV.

Examinantur regulæ quibus dignoſcamus, an iuramentum confirmet contractum cui adiicitur, vel ſaltem ſit obligatorium.

Leſſij regula. 1.
In quibuſdam diſplicet. 2. 3.
Aliæ quadam regula examinantur. 4.
Noſtra regula. 5.

QVamuis negauerimus articulo ſuperiori iuramentum confirmare nonnunquam contractum iure inualidum; quia tamen contraria ſententia non eſt improbabilis, & à pluribus uſque locupletibus authoribus docetur, non erit abs re examinare regulas, quas aliqui tradunt, vt explicent quandonam eiuſmodi contractus confirmentur iuramento ſuperaddito; neque enim vult communis ea ſententia, iuramentum habere perpetuò, & neceſſariò hunc effectum confirmatorium, ſed in quibuſdam caſibus illo deſtitui fatentur. Erit propterea nobis vniuerſalis aliqua regula non inutilis, qua dignoſcamus quando iuramentum ſuperadditum contractui inualido ſit obligatorium, & improprio quodam modo contractum confirmet, obligando ad ponendum illud ad quod obligaſſet contractus, ſi fuiſſet validus, quamuis diuerſa obligatione; quæ enim naſceretur ex contractu ſiue initio valido, ſiue deinde reualidato, eſſet iuſtitiæ; quæ verò ex iuramento paritur, eſt religionis duntaxat, vti fuit *articulo ſuperiori* explicatum: & *hoc ipſo conſectario primo*: quam tamen obligationem iuramenti perpetuam non eſſe in hoc caſu diximus; quia aliquando eſt de re illicita ſaltem ex prohibitione legis, itaque egemus aliqua regula quæ nobis ſignificet, quandonam continget hæc obligatio.

1 Leſſius *lib. 2. capit. 17. dub.7.* duas vniuerſaliſſimas regulas tradit, quarum prima eſt de obligatione ipſius iuramenti; ſecunda de vi eius confirmatoria contractus: ait igitur iuramentum perpetuò ſeruandum eſſe, & indigere relaxatione, niſi vel ſit de re illicita, vel iure irritum, vel tacita conditione deſtituatur, vel fiat contra bonum publicum: & primò quidem ſi res iurata ſine peccato iurantis nequeat poni, & quod promiſſum eſt fieri, & ſine culpa promittentis ſeruari, nemo dubitat inualidum eſſe iuramentum, alioquin eſſet vinculum iniquitatis, & obligaret ad peccatum, quod inuoluit contradictionem, quia obligaretur quis ad faciendum illud, quod obligatur non facere, & ſi faciat, violat obligationem qua iure diuino, & naturali tenetur: quare vulgaris regula iuris, *Iuramentum contra bonos mores præſtitum non eſt obligatorium*, intelligenda eſt de bonis moribus, non ciuilibus duntaxat, ſed naturalibus, quorum violatio ſit culpa Theologica; quæ vbi aberit, iuramentum, ne Deum in teſtem falſi promiſſi adducamus, ſeruandum erit, ſi validum ſit: nam vt diximus articulo ſuperiori, ius aliquando non modò contractum, ſed etiam iuramentum ipſi ſuperadditum reddit irritum: ſic Trident. *ſeſſ.*25.

Digitized by Google

ſeſſ.25. cap.16. de regul. omnem renuntiationem, & diſpoſitionem nouitij etiam iuratam, factam ſine licentia Epiſcopi ante duos menſes profeſſionis, irritam prorſus reddit. Deinde iuramentum deſtituitur aliquando conditione tacita, quæ ineſſe deberet, cuius defectu redditur inualidum. Cùm enim iuramentum induat naturam, & qualitatem actus, ſuper quem cadit, quando actus aliquis vel ex iuris diſpoſitione, vel ex recepta conſuetudine, vel ex agentis intentione tacitam aliquam conditionem includit, eandem quoque includit iuramentum, niſi iurans aliud intendat; quare quia promiſſio facta abſenti non obligat, niſi ab ipſo, vel ab alio eius nomine validè acceptetur, ſub eaque conditione perpetuò fieri præſumatur, iuramentum quoque eidem promiſſioni appoſitum, eandem conditionem includit, & ante acceptationem non obligabit, poteritque pro arbitrio reuocari vnà cum promiſſione priuſquam acceptetur, quod tradit quoque Sanch. *lib. 1. de matrim. diſput. 7. num. 24.* Neque dici poteſt iuramentum fuiſſe acceptatum à Deo, quia iuramentum promiſſorium homini factum in eius fauorem, non acceptatur à Deo, niſi homo cui iuratur, & promittitur illud acceptet, & homine remittente Deus ipſum etiam remittit, eo quod includat hanc tacitam conditionem, *ſi acceptetur, ſi non remittatur*: nam ſi fieret ſoli Deo, & per modum voti, acceptaretur à Deo, etiam homine non acceptante, vt ſi iures te non luſurum alea, Religionem ingreſſurum, templum aditurum, ſeruaturum caſtitatem; quia tota illa promiſſio in Deum dirigi cenſetur, & iuramentum illi adiectum. Denique quando prohibetur, aut irritatur aliquis actus in fauorem boni communis, iuramentum non eſt obligatorium.

2 In hac Leſſij regula nonnulla diſplicent, & in primis poſtremum illud de actu irrito ob bonum publicum; hanc enim communem diſtinctionem prohibitionis & irritationis propter bonum publicum, & priuatum reiecimus nuper *conſectario ſecundo*, tanquam inutilem hoc loco, & quamuis illam admitteremus, ex ea non ſequeretur iuramentum de huiuſmodi actu non reſcindendo non eſſe obligatorium, ſi res promiſſa eo iuramento videlicet non reuocatio actus, contractus, teſtamenti, diſpoſitioniſve alterius, poni poſſit ſine peccato, vti ſæpiſſimè poterit, vti diſputabamus eo loco.

Aliud fortaſſis dici poſſet de vi confirmandi priorem actum irritum, quam eo caſu non haberet, nos verò impræſentiarum agimus de ſola vi obligandi ratione religionis iuramenti. Deinde non videtur mihi ex eo quod lex irritet actum aliquem, etiam iuratum, neceſſariò colligi iuramentum illud non eſſe obligatorium, ſed duntaxat non eſſe confirmatorium vt in decreto illo Tridentini annullantis renuntiationem, aut diſpoſitionem nouitij, etiam iuratam abſque forma, & ſolemnitate præſcripta. Cùm enim eiuſmodi diſpoſitionem, propter grauiſſimas cauſas, nullius roboris eſſe vellet Concilium, ſciretque paſſim doceri contractus irritos confirmari iuramento ſupperaddito, ſtatuit ne illa diſpoſitio, etiam iurata vim vllam obtineret, atque ita vim omnem confirmatoriam ratione huius diſpoſitionis ademit iuramento; quod facere potuit, quia ex omnium conſenſu iuramentum non habet eam vim confirmatoriam ex natura ſua, ſed duntaxat à iure. Itaque ex nouitij diſpoſitione licèt iurata nullum acquiritur ius illi, in cuius fauorem facta fuit diſpoſitio, non conſtat tamen Concilium irritaſſe iuramentum iſtud adæquatè ſecundum omnem ſuam vim obligatoriam, & confirmatoriam, immò nequidem prohibuit illud adhiberi, ſed tantùm voluit inutile fore ſi adhibeatur, quoad confirmandam eam nouitij diſpoſitionem, quæ ſemper manebit irrita, nullamque pariet obligationem, aut ius. An verò ſi nouitius iuraret ſe eam diſpoſitionem non reſciſſurum, aut potius ſe eandem tempore legitimo confirmaturum, declaratúrumve ſe eam valere velle, æquè atque ſi tunc fieret, aliúdve eiuſmodi; an amabò non obligaret illud iuramentum: quare vt nobis tradat Leſſius vniuerſaliſſimam regulam ad dignoſcendum quandonam iuramentum appoſitum contractui iure inualido, nequidem obligatorium ſit, non bene ab illo aſſignatur irritatio actus etiam iurati, niſi amplius oſtendatur legem irritare ipſummet iuramentum, quoad omnem ſuam vim, quod facit dum prohibet adhiberi eiuſmodi actibus iuramentum ad vitanda periuria, eiuſque ſi adhibeatur nullam rationem haberi omninò vult, quod legem facere poſſe oſtendimus. Et ſanè tunc peccatur adhibendo iuramentum contra legis æquiſſimæ prohibitionem, quæ eo ipſo reddit materiam iuratam incapacem iuramenti, vt diximus *eo loco*.

Prætereà ex eo quod iuramentum induat rationem actus, cui adiicitur, non benè infert Leſſius iuramentum de non reuocando actu irrito, non eſſe obligatorium, & non egere relaxatione, quia illa communis, veraque doctrina intelligenda eſt de iuramento quod cadit ſupra obligationem actus illius, cui apponitur, quia ſi ceſſat obligatio illius actus, ceſſet quoque neceſſe eſt obligatio iuramenti quod adiicitur duntaxat in confirmationem obligationis actus ipſius: 3
idcircò, vti ſapienter obſeruabat Leſſius, iuramentum cadens in promiſſionem, ſubintelligitur habere eaſdem conditiones, quæ ſeruarentur in ea promiſſione, ſi valida foret; quare qui promiſit, iurauitque Corneliæ ſe ducturum illam in vxorem, non impedietur religione iuramenti ingredi religionem, contra Molin. *tract. 2. de iuſtit. diſput.* 149. quia ea exceptio continebitur in promiſſione matrimonij. Denique obligatio iuramenti huius promiſſorij tamdiu permanet; quamdiu permanet obligatio promiſſionis: quare promiſſarius, & quilibet alius, qui poteſt remittere obligationem promiſſionis, poterit remittere obligationem iuramenti: quæ omnia vera ſunt de iuramento, quod non habet aliud obiectum quàm obligationem ipſius actus, cui adiicitur, in quo iuramento eſt duntaxat promiſſio virtualis eum actum non reuocandi, aut in eo perſtandi, vti *initio ſuperioris articuli* monebamus cum Suarez. At verò quoties iuramentum adiectum actui cadit immediatè in aliud obiectum, quàm in ipſammet obligationem actus, quam mediatè tantum attingit, extincta obligatione actus non ideircò neceſſariò extinguitur obligatio iuramenti adiecti: verbi gratia promiſſio quidpiam præſtandi, ceſſat quibuſdam conditionibus variatis; iuramenti quoque, quo iurans eam promiſſionem inuocato Deo in teſtem confirmauit, obligatio ceſſabit ceſſante promiſſione, quæ eius iuramenti fuit obiectum immediatum. At verò iuramentum de non reuocanda illa promiſſione, immò & ſeruanda,

uanda, quacumque rerum mutatione facta, non ceſſabit ceſſante obligatione promiſſionis, propter variationem ſtatus & negotiorum; quia ea immediata promiſſionis obligatio non fuit immediatum obiectum iuramenti, ſed alia noua formalis, & diſtincta promiſſio non reuocandi priorem promiſſionem, ſed in ea perſtandi, eamque implendi, licèt aliquo caſu ceſſaret eius obligatio; atque de hoc iuramento ſuperaddito contractui inualido diſputamus, an ſemper & quandonã ſit obligatorium, licèt non ſit confirmatorium: quare tandem tota illa regula Leſſij reducitur ad materiam rei iuratæ, licitáve, an illicita ſit: verùm iam olim monuimus tegulam negatiuam vniuerſalem, & perpetuam eſſe, non verò affirmatiuam; quia non ſemper ſeruandum eſt iuramentum quod ſine peccato fieri poteſt & iuratum eſt, quia iuramentum aliunde quàm ex incapacitate materiæ, & obiectis inualidari poteſt.

4 Quoad confirmationem autem contractus irriti à iuramento, geminã quoque regulam affert Leſſi. illo *dub. 7. n. 56.* quando actus eſt iure naturæ irritus, vel irritabilis, non confirmatur iuramento, quamuis ordinariè ſeruandum ſit iuramentum, ſi id quod promittitur non eſt illicitum: v.g. ſi dolo, vel vi contractus exortus fuit, ratione iniuriæ poteſt qui læſus fuit petere reſciſſionem, & alter contrahens tenetur ad eandem reſciſſionem; qui tamen iuramento confirmauit ſuum illum contractum, ille tenebitur, niſi iuramenti ſui petat laxationem, quam facilè ratione iniuriæ ſibi factæ obtinebit.

Secunda regula, quando vel actus ipſe, vel promiſſio ipſum ratum habendi, vel non reuocandi inducit obligationẽ naturalem, quamuis iure ciuili ſit irritus, confirmatur iuramento, quod neque vi, neque fraude fuerit extortum: has tamen regulas reiicit Lugo *diſp. 22. n. 225.* quia contractus iure ciuili ita irritus, vt obligationem naturalem quam alioquin peperiſſet, eliſerit, confirmari poteſt iuramento; cùm enim omnia tunc eſſentialia contractui habeat, & ſolum ius humanum obligationem, quam produxiſſet, impedierit, poterit idem ius eam obligationem reſtituere, aut impedimentum quod eius ortui poſuerat, tollere, poſita certa quadã conditione v. g. iuramenti, quod feciſſe æquè in hoc caſu, atque quando ſola obligatione ciuili caret, contendunt qui hanc vim confirmatoriam contractus iuramento tribuunt, cùm ius nullibi hoc diſcrimen conſtituerit. Et ſanè alia longè ratio eſt huius caſus, & illius qui aſſignatur in prima regula; quia quando contractus ipſo iure naturæ, ſecluſo omni humano iure, eſt irritus, nequit iuramentum, vel ex natura ſua, vel ex legis conſtitutione, eſſentialia quæ deſunt illi ſua conſtitutione ſupplere, quod neceſſarium foret ad eius valorem: quod ſi ſit eodem naturæ iure irritabilis ob acceptam iniuriam à iurante, nequit iuramentum eam iniuriam reparare, ab eiuſque reparatione alterum contrahentem eximere: quare tenebitur non modò reſcindere contractum, ſi id poſtulet alter cõtrahens, qui læſus fuerit, neque poterit vti aduersùs illum exceptione iuramenti de non reuocando contractu, ſed etiam ipſemet obligatur ad eam reparationem, & reſtitutionem, etiam non rogatus, atque ita reſcindere contractum vi cuius nullum ius acquiſiuit ad inferendam iniuriam, quam per ipſum intulit, aut ad eam non reparandam contra quàm ipſa naturalis æquitas obliget. At verò quando ius humanum duntaxat irritat, & elidit omnem obligationem naturalem contractus contra præſcriptam formam celebrati, poterit idẽ ius poſita conditione iuramenti eam omnem obligationem permittere: quare ſi ſemel vim aliquam confirmatoriam actus inualidi concedamus iuramento, non eſt quod eam in iſtis contractibus ita irritis iure humanano, vt obligatio naturalis poſita fuerit, negemus: quare Sanch. *lib. 3. in Decalog. c. 22. n. 42.* hanc vniuerſalẽ regulam ſtatuit quã deinde explicat Lugo *diſp. 21. n. 226.* Quoties iuramentum abſque peccato ſeruari poteſt, nec turpitudo inuenitur ex parte eius, cui iuratur, & promittitur explicitè, vel implicitè non reuocat contractum, toties iuramentum, contractum ipſum confirmat. Non tamen planè ſatisfacit hæc regula illis qui putant confirmari iuramento contractus inualidos. In primis, quia poterit explicari iſta tota confirmatio de impropria tantùm, & indirecta confirmatione, quæ ſolam obligationem inducit ex religione, & nullum ius tribuit contrahentibus vi contractus, cuius tamen præcipuus effectus eſt ius, & obligatio iuſtitiæ. Deinde ſæpiùs falſum eſſe diximus iuramentũ obligare, & multo minus confirmare contractum quoties ſine peccato impleri poteſt, cùm aliunde inualidũ eſſe queat. Tertio quod Sanch. excipit in ſua regula caſum in quo turpitudo reperitur in eo cui iuratur, eo quod ius humanum, quod hanc vim confirmatoriam tribuit iuramento, noluerit fauere turpitudini creditoris, in cuius tamen fauorem tota iſta confirmatio cederet, grauem difficultatem patitur: nam ipſe Sanch. *n. 57.* non multùm diſſentit à Couar. *in cap. quamuis pactum, 62. §. 3. n. 1. & 4.* & Gutier. *de iurament. 1. par. q. 43. n. 3.* qui volunt confirmari cõtractum iuramento, licèt is cui iuratur iniquè contraxerit, modò non iniquè accipiat: tunc autem, vt vides, turpitudo eſt in eo cui iuratur, illi tamen cõfirmatio fauet. Deinde quæri poteſt vlterius, an ea turpitudo creditoris debeat eſſe ſimul in *accipiendo*, & retinendo quod ipſi ſoluitur, *vt in vſurario*, aut in extorquente per vim, vel *fraudem* iuramentũ; vel ſufficiat turpitudo in accipiendo, licèt nulla ſit in retinendo; quia nulla eſt obligatio iuſtitiæ reſtituendi, quod acceptum iniquè, ſed non contra iuſtitiã, fuerat. Ideóque licet peccarit creditor accipiendo rem promiſſam, non tamen violauit ea acceptione iuſtitiam: quare peccatum contra iuſtitiam, vt contractus non confirmetur iuramento, requirit omninò Lugo *diſput. 22. num. 232.* quia quando iura negant confirmari contractum addito iuramento, afferunt duntaxat exempla vſurarij, & eius qui iuramentum vi, vel dolo extorquet; qui omnes peccant contra iuſtitiam, vt vides. Et ſanè cùm contrahens contra iuſtitiam nullum ius ex eo contractu ſibi poſſit acquirere aduerſus alterum, cui in eo ipſo actu facit iniuriam, quam iniuriam non delet iuramentum additum, non eſt cur iuramentum confirmet eiuſmodi actum, & obligatio religionis commiſſam iniuriã tueatur: quæ ratio nõ valet quando quis contra quampiam aliam virtutẽ, quàm iuſtitiam peccaret contrahendo, & tamen illum contractũ confirmabit iuramentum. Non eſt igitur vniuerſalis regula Sanchis, non confirmari contractum inualidum iuramento, quoties turpitudo reperitur in eo cui iuratur, debuitque Sanches reſtringere ad turpitudinẽ iniuſtitiæ; quæ vix fingi poteſt in accipiendo quin committatur quoque in retinendo. Cum enim in iniuſta acceptione illata ſit iniuria, & damnum, ſtatim oritur obligatio reparandi illius damni, quod non fiet niſi reſtitutione rei per iniuſtitiam acceptæ. Quod ſi duæ iſtæ

iniuſtĩ

iniuſtitiæ acceptionis, & retentionis poſſent ſeparari, & vna ſine altera contingere, illa in quam cadet iuramentũ ſi iniuſta ſit, non confirmabitur per illud: v.g. ſolutio quæ promiſſa fuit iuramento per quam nequit creditor ſine iniuſtitia recipere, non confirmabitur iuramento. Si verò retentio in aliquo caſu nõ ſit iniuſta quamuis acceptio talis fuerit, promiſſio iurata de non repetendo quod ſolutum eſt, valere debebit ex Sanchez; quæ omnia vera ſunt, etiamſi iniuria, & iniuſtitia illius contractus ſit materialis duntaxat, & non formalis propter ignorantiam inculpabilem creditoris contrahentis; quia reipſa acceptio, & retentio iniuſta, eſt quæ proinde confirmari nequit, vt diximus.

Nos qui nullam vim confirmatoriam inualidi contractus agnoſcimus in iuramento ſuperaddito, ſed ſolam vim obligatoriam, non perpetuam, ſed in aliquibus tantùm caſibus, vti conſtat ex *Articulo ſuperiori*, quærimus quomodo cognoſcamus quandonam eiuſmodi iuramentum adiectum actui inualido ſit validum, & obligatorium, atque adeò ſeruandũ ſit, licet cadat in aliquid iure ciuili prohibitum, hanc regulam tradimus: Quoties iuramẽtum neque ex natura ſua malum, & illicitum eſt, neque prohibitione legis tale conſtituitur, atque adeò cũ neque ratione materiæ, neque vllo alio ex capite redditur inualidũ, obligat omninò, & ſeruãdum eſt, niſi relaxetur. Tota difficultas conſiſtit, vt aſſignemos certam regulã ad dignoſcendum, quãdonam id quod fit contra legem prohibentem, ſit illicitum, atque adeò iuramentum in illud cadens ſit illicitum ratione materiæ: regula itaque vniuerſalis eſt quam tradunt Barthol. & alij paſſim, quos dabunt Panormitan. in *cap. cum contingat, de iureiurando. n.6.* Alciatus. *ibid. n.9.* Couar. *in cap. quamuis pactum, 2. part.* §. 2. n.2. & ſequitur Vaſq. 1.2. *diſp.* 171. *c.*3. & Ponc. *lib.* 12. *de matr. c.* 8. *n.*36. atque cæteri deinceps. Quoties verba legis potiùs feruntur in actũ, quàm in perſonã, non prohibetur actus tanquã peccatũ, ſecus verò quando verba legis prohibentis diriguntur in perſonã, quod fit contra eiuſmodi legem peccatum eſt. Ratio huius diſcriminis eſt, quia in priori caſu lex non videtur aliud intendere, quàm firmitatem illius, vultque quidquid aliter fit, quàm præſcribatur nullius eſſe roboris; quod autem fiet cum forma præſcripta robur ſuum obtinere, neque inualidari poſſe. Exemplum habes in forma, & ſolemnitate præſcripta teſtamentis quæ tuebitur Prætor ſi ſolemnitatem illam habeant, ſi verò ea careant, inualida habebuntur, quod ad vitandas fraudes, præſcindendas lites, aliaſque graues ob cauſas ſapienter ſtatutum eſt. Si quis tamen reſtaretur ſine ea ſolemnitate, non peccaret, quamuis inualidè teſtaretur; quia non obligatur ad validè teſtandum, immò poteſt iuſtis ex cauſis non teſtari, aut inualidè teſtari. In poſteriori autem caſu cùm verba legis prohibentis diriguntur primariò, & immediatè in perſonam, cui prohibetur actus, ſi illum faciat, peccat omninò contra prohibitionem legis, quare laborat æquiuoco Panormitan. cùm ait idem eſſe prohibere actum factum à perſona, & prohibere perſonæ ne faciat actum: nam cùm dicimus legem ferri in actum, nõ dicimus ferri quoad obligationem illum exercendi, aut non exercendi, ſed quoad valorem, aut nullitatem ipſius: lex enim illi actui ſi modo præſcripto fiat, aut non fiat, dat, aut tollit firmitatem, ſiue cum peccato, ſiue ſine peccato fiat. At verò quando prohibetur, aut imperatur perſonæ actus, prohibetur, vel imperatur cum obligatione faciendi, aut omittendi talem actum; ideóque ſi quid contra illam obligationem lege poſitam committatur, reuera peccatum committitur, vt dum lex prohibet miniſtris accipere munera, & cæteris arma extra regnũ deferre, vel pretia rebus definit: videndum tamen erit, an hæ leges ſint puræ pœnales, quæ ad pœnam dũtaxat ſubeundam obligent, & non ad culpam, an verò ſint directiuæ, obligantes ad culpam, ſiue illi culpæ pœnam definiant, ſiue Prætori definiendum relinquant: qua de re alibi *in ſcientia noſtra canonica.* Cùm igitur iuramentũ cadit in aliquid prioribus legibus prohibitum, quæ non obligant ad talem actum, ſed ſolùm illum qualificant, vt non valeat, & irritetur, ſi aliter fiat, quàm imperatur, eſt obligatorium ratione materiæ, quia ſine peccato impleri poteſt. Si verò iuramentum cadat in actum prohibitum poſterioribus legibus, quæ obligant in conſcientia ad non faciendum eiuſmodi actũ, non eſt obligatorium, ſed nullum, & inualidum ratione materiæ, quæ culpabilis & illicita eſt, vt vides: expendenda igitur erunt verba legis prohibentis, & irritantis actum, vtrum prouideant ſolum firmitati actus, quem aliter factum irritant, ſine vlla obligatione in conſcientia, & ad culpam illum faciendi, aut non faciendi; & videndum in quid cadat iuramentum, vt videamus, an ratione materiæ fiat illicitum: nam ſi ex alio capite inualidum reddatur, id ſatis conſtabit ex perſona iurantis, aliiſve circumſtantiis: atque hæc regula ſic explicata, & vera eſt, & nõ ſatis efficaciter impugnatur à Gutier. *repetit. in Authentic. Sacramenta puberum, à n.* 35. *& ſequentib.* Videndum quoque diligenter erit, an promiſſio iurata accedens actui inualido, ſit ad faciendum aliquid contra legem prohibentem, atque ad impediendum eius effectum; an verò ad vtendum, vel non vtendum beneficio, & iure legis, quæ iam habuit ſuum effectum. Prius illud nefas eſt, poſterius autem licebit, maximè ſi noſtrum duntaxat priuatum ius ſpectet, neque alienum cum noſtro implicatum violet.

Consectarium V.

Caſus ſingulares ex hactenus diſputatis.

Quid de Alumnis Anglicani Collegij iurantibus ſe in Angliam fidei cauſâ redituros. 1.

De aliis quibuſdã Scholarũ iuramentis. 2. 3.

De iuramento non dimittendi beneficium. 4.

Iuramentum de eo quod præbere poteſt occaſionem ruinæ. 5. 6.

Iuramenta adiecta ſtipulationi pœnali. 7. 8.

Iuramenta adiecta donationi omnium bonorum. 9.

De quibuſdam aliis promiſſionibus quibus adiicitur iuramentum. 10. 11. 12.

NOn ago hoc loco de obligatione iuramenti promiſſorij in vniuerſũ, de ea enim alibi tractandum eſt, atque ex vniuerſalibus regulis eo loco tradendis caſus ſingulares explicabimus: agimus igitur vti hactenus, de obligatione iuramenti contractibus, & actibus inualidis ſuperadditi, aut contra priorem quandam obligationem facti. Ex doctrina igitur vniuerſaliùs tradita peculiares quaſdam quæſtiones facilè definiemus.

Alumni Collegij Anglicani, Romæ, atque ali- 1

bi iurant ſe abſolutis ſtudiis in Angliam docendæ fidei cauſâ redituros. Deinde quando religionem ingrediuntur, aut ingreſſuros ſe vouent, vel iurant, nondum impleto priori iuramento, an id amabò licitè faciunt? ita affirmat Baſil. Ponc. *lib.* 12. *de matr. c.* 8. *n.* 27. quia praxis quotidiana, quam nemo damnauit hactenus, id fert, & quia qui iuramentum commutat in melius, periurus non eſt *cap. periurus* 2. *de iureiurando*; quod confirmatur ex communi ſententia de cõmutatione voti quod vouens authoritate ſua poteſt in melius commutare, & qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſeruantiam commutat, non habetur voti reus *cap. ſcriptura, de voto*.

2 Secundò iuramentum emiſſum à quibuſdam Italię Scholaſticis ſe non ingreſſuros Religionem, niſi monito Superiore Collegij in quo aluntur, validum eſt, quia non iurat ille ſe non ingreſſurum Religionem, aut non niſi de facultate illius Rectoris, quod eſſet contra libertatem, quam Eccleſia cuilibet permittit in hac parte, ſed ſolùm ſe non inconſulto tali Superiore Religionem ingreſſurum, eo verò conſulto poterit ſuum iuramentum etiam renuente illo Rectore exequi: Ita Ponc. *loco citato*.

3 Tertiò in pluribus Hiſpaniæ Collegiis dum quis in collegam eligitur, iurare cogitur ſe laturum auxilium ſuis collegis, quotieſcumque poterit ferre ſuffragium, quod intelligendum eſt quoties ille collega dignior cæteris, vel ſaltem æquè dignus fuerit, alioquin iuramentum illud non obligaret, quia violaret iuſtitiam diſtributiuam, ſi vel indignò, vel minus digno cæteris dignioribus omiſſis, ſuffragaretur.

4 Quartò alicubi promoti ad Parrochialem, coguntur præſtare iuramentum ſe non dimiſſuros beneficium in fauorem tertiæ perſonæ; quod ſeruandum eſſe vult Ponc. ita vt licèt ille Parrochus velit ingredi Religionem, non poſſit reſignare in fauorem alterius, niſi petita relaxatione iuramenti. Mihi videtur imponi onus in illa collatione quod non ineſt beneficio, atque adeò non iuſtè exigi hoc iuramentum; ſi itaque vltro præſtetur, valebit, ſi verò à nolente exigatur, niſi id fiat, ab eo qui poteſt talia onera imponere beneficiis, non magis obligabit quàm alia iuramenta metu extorta; nam iſte non niſi metu non obtinendæ Parrochiæ, quæ ſub ea duntaxat conditione confertur, tale iuramentum præſtat.

5 Quintò pacta etiam iuramento firmata de non agendo id, cuius omiſſio præbet occaſionem ruinæ, & peccati; vel illi faciliorem aditum confert, nullius momenti ſunt, & non obligant: v. g. Titium inſtituis œconomum, emptorem, aut negotiorum geſtorem, cum pacto vt non teneatur de dolo, aut furto, quod in adminiſtratione commiſerit, iuramentum & pactum inualida ſunt, cùm peccato dent occaſionem, commiſſo tamen dolo, aut furto, aliáve fraude, eius condonatio atque iuramentum de ea valida erunt, tunc enim non præbetur occaſio ruinæ, ſed iniuria commiſſa condonatur, *l. ſi vnus* 27. *§. illud, D. de pactis*.

6 Sextò qui incitat ad furtum, iurat ſe pœnam illius, ſi deprehendatur, luiturum, inualidè iurare putat Ponc. quia ad furtum, & peccatum illo iuramento incitat. Verùm cùm promiſſio mercedis pro opere malo patrato obliget, vti diximus *lib.* 1. iuramentum quoque de illa promiſſione obligabit.

7 Septimò malè affirmat Couarru. irritum eſſe iuramentum appoſitum ſtipulationi pœnali adiecta promiſſione de non reuocando teſtamento, quia in ea ſtipulatione nullum eſt peccatum, atque adeò iuramentũ adiectum ſine peccato fieri potuit, ideóque validum eſt ex parte materiæ, & obligationem naturalem inducit religionis: ita Molina *tract.* 2. *de iuſtit. diſp.* 271. Vaſq. *de teſtam. c.* 3. *dub.* 7. *n.* 10. Ponc. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 8. *num.* 32. vbi addit ſimiles promiſſiones per ſe loquendo, & attento iure naturæ valere, modò ſine vi & fraude fiant: non enim peccatum admittet ille, qui promittet ſub pœna certæ pecuniæ, ſe non reuocaturum teſtamentum; cur enim non poterit de ſuis bonis diſponere, & non reuocare teſtamentum, ad idque ſeſe obligare ſub certa pœna, ſi id faciat.

Octauò ſtipulatio pœnalis de contrahendo matrimonio cùm ex iure naturali licita ſit, poterit 8
confirmari iuramento, quod inducet Religionis obligationem: ſi verò eiuſmodi ſtipulatio prohibita eſſet iure ciuili, iuramentum eſſet de re illicita, ac proinde inualidum: quid verò circa illam ſtipulationem conſtituerit ius ciuile, & canonicum, fuſius diſputauimus *in opere de vſuris lib.* 4. *c.* 5. *art.* 3. & vtroque iure licitam eſſe eam ſtipulationem oſtendimus, ac proinde iuramentum ipſi adiectum. Diſplicet verò Koninch. *diſp.* 22. *de ſacram. dub.* 5. *n.* 24. dum affirmat cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 56. confirmari iuramento hanc adiectionem pœnæ in ſponſalibus, quamuis illicita ſit, vt enim ſapienter argumentatur Baſil. Ponc. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 19. *num.* 7. non poterit hoc iuramentum obligare ad ſolutionem pœnæ, quæ iniquè & contra prohibitionem legis adiecta fuit, cùm æquè iniqua ſit ſolutio, quam pœnæ adiectio; ad peccatum igitur obligaret illud iuramentum, ſi ſtipulationem eam pœnalem in ſponſalibus confirmaret, etiam indirectè obligando ex Religione ad eius ſolutionem, quæ vt dixi, prohibita & illicita eſt. Præterquam quod non poteſt is, qui ex iuſta cauſa diſcedit ab ſponſalibus, obligari ad pœnam impoſitam diſcedenti; iniqua enim erit illa obligatio, *& contra libertatem* matrimonij, quod metu *illius pœnæ* cogetur contrahere, qui iuſtam habet cauſam non contrahendi. Non poterit igitur iniqua illa obligatio confirmari iuramento, quod cadens in materiam eiuſmodi illicitam, nullum erit, alioquin eſſet vinculum iniquitatis.

Nonò donatio omnium bonorum confirmatur 9
iuramento appoſito, quod ex religione obligabit illam tenere, ſi aliud non obſtet, contra Gomeſ. *in l.* 69. *Tauri*, qui id negat, eo quod exiſtimet eam donationem eſſe illicitam, & contra legem naturalem, cùm auferat poteſtatem teſtandi, atque votum captandæ mortis cauſet: verùm hæc omnia cõtingerent in inſtitutione maioratus, in certorum bonorum ſubſtitutione, atque aliis, quæ omnes licita eſſe concedunt. Cùm igitur non appareat vnde illa donatio ſit illicita, & cur quis non poſſit validè ſuis ſe omnibus exuere, immò ſuppetant ſæpiùs graues cauſæ id faciendi, iuramentum illi donationi appoſitum validum, & obligatorium erit ratione materiæ, quam afficit, cùm licita ſit. Ita Molin. *diſp.* 151. & *diſp.* 280.

Decimò quoties in quibuſdam contractibus iure 10
propter bonũ publicum inualidis, celebrandis nullũ committerent peccatum, iuramentũ illis accidens affert obligationem religionis; quod de teſtamentis ſine ſolemnitate factis, atque adeò nullis affirmat Vaſq. *de teſtam. c.* 3. *dub.* 2. & alij apud Suar. *lib.* 2. *de iuram. c.* 23. *n.* 2. vbi id probabile cenſet. Quandonã verò peccetur celebrando contractũ iure inualidũ propter bonum publicum, explicuimus conſectario

ſuperio

ſuperiori in noſtra Regula vniuerſali, circa modum quo lex illa irritat actum, aut illum fieri prohibet, & ſua verba dirigit in actum, aut in perſonas.

11 Vndecimò quoties contractus iure inualidus conſiſtit in actione, quæ reſpicit tempus præſens, in eoque perficitur, ſi addatur promiſſio iurata de non contraueniendo, nulla eſt ea promiſſio, nullumque iuramentum, quod proinde neque confirmatorium, neque obligatorium exiſtit; eo quod ea promiſſio de non contraueniendo ſit prohibita, & contra leges, quæ inutiliter prohiberent illum contractum, ſi non prohiberent ſimul pactum de eo non reuocando: ſi verò contractus conſiſtat in actione, quæ reſpicit tempus futurum, & adiici illi poſſit diſtincta, & formalis promiſſio de non reuocando, eaque firmetur iuramento, tenebit iuramentum, & obligabit, dabitur tamen actio iuranti *cap. debitores, de iureiurando, cap. ad audientiam, & cap. ad aures, de his quæ vi.* Cum enim duæ promiſſiones diſtinctæ, & ſeparabiles reperiantur in eo caſu, quarum vna non eſt iure prohibita, ſupra illam poterat cadere iuramentum ſine peccato, & prohibitione iuris, quod idcircò validum erit: nam ſi promiſſio in contractu eſſentialiter imbibita, & quæ eſt ipſemet contractus, non ſit ſeparabilis à promiſſione non reuocandi, & non contrauueniendi, iuramentum cadet in rem prohibitam, nempe in ipſum contractum.

12 Duodecimò ſi mulier ſe obligauit contractu nullo, quia ſtatutum illum ſine conſenſu parentum factum annullat, ſi iuramentum adhibuit, tenebitur iuramento, quod tamen non tranſibit ad eius hæredes: ita apud Gutier. *in Authent. ſacrament. puberum, n. 26.*

CONSECTARIVM VI.

Explicatur Authentica *Sacramenta puberum*, C. ſi aduerſus venditionem.

Authentica conſtitutio. 1.
De quibus contractibus agat. 2. 3.
Alexandri conſtitutio. 4.
Extenſio Authentica. 5.
Quid requiritur, vt illi conſtitutioni ſit locus. 6.

1 HAnc Authenticam *notabilem, famoſam, & clauim, ac magiſtram in iure ciuili in materia iuramenti contractus firmatorij,* dixit Gutier. *repetitione ad illam, num. 7.* quare non potuit à nobis aliqua eius explicatio prætermitti hoc loco, in quo de iuramento contractibus inualidis adiecto diſputamus; iubet igitur illa conſtitutione Frederic. Imperator, ſacramenta puberem ſponte ſua ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis facta inuiolabiliter cuſtodiri; nomine verò puberum intelligimus reipſa puberes, & non ſolùm pubertati proximos, quod docuimus art. ſuperiori: ex hac porrò cõſtitutione, colligunt paſſim DD. iuramẽta iſta non modò eſſe obligatoria, ſed etiam confirmatoria contractuum à puberibus celebratorum; quia verò contractus illi, quibus pupillus alienat res immobiles, abſque Iudicis decreto, vel res mobiles ſine tutoris, vel curatoris authoritate, nulli ſunt, & inualidi, inde colligunt doctrinam vniuerſalem, iuramenta ſpontanea de contractibus inualidis non retractandis obligatoria, & ſimul confirmatoria eſſe contractuum illorum, quibus adiiciuntur, contra aſſertionem à nobis ſuperiori art. ſtabilitam; quare quæ ſit huius Authenticæ mens paucis aperiendum eſt.

Et primò quidem non agit illa niſi de contracti- 2
bus quos *rerum ſuarum* celebrant puberes, hoc eſt, illarum quarum dominium, vſumfructum, & adminiſtrationem habent; nam de illis quarum vſumfructum pater, aut alius quiſpiam habet, contrahere nequeunt abſque iniuria, & præiudicio patris, alteriúſve, quem ſuo contractu, illo vſufructu priuarent: quare eo caſu neque contractus & alienatio valida erunt, neque iuramentum vllius momenti ad firmandum contractum; immò neque erit obligatorium, vti ex communi ſententia refert Gutier. *in repetitione citata, n. 33.* additque *n. 34.* idem contingere quoties minor concedit feudum non adhibitis, & conſultis Paribus Curiæ, quia tunc eorum iuri præiudicat: quare eiuſmodi conceſſio ſi nulla ſit, non firmabitur iuramento. Inde quoque ſoluitur ea quæſtio quam pluribus verſat idem Gutier. *à num. 35.* an quando ſtatuta municipalia prohibent à minoribus contrahi, niſi in præſentia conſanguineorum, & alioquin ſimiles contractus inualidant, qualia ſtatuta ſunt in pluribus Italiæ ciuitatibus, ſi eiuſmodi contractus firmentur addito iuramento, validentur: omiſſis verò quæ pluribus diſputat *ibid.* Gutier. circa regulam a Bartholo traditam, & a nobis *conſectario 4.* probatam, nempe an verba legis & ſtatuti ferantur immediatè, & primò in actum, quem prohibent, cuiuſque prouident ſecuritati, aut in perſonam, cui prohibetur facere illum actum, & quem proinde ſi faciat, peccat contra legem; his inquam omiſſis ſi ſtatutum voluerit iuri conſanguineorum prouidere, quia ex ea plerumque temeraria celebratione contractuum per minores, toti familiæ plura damna proueniunt, ideóque ad bona familiæ, & iura ſeruanda voluit ſtatutum nullos eſſe contractus minorum, qui non fient de conſenſu conſanguineorum, qui idcircò ius habent ſaltem à lege, probandi aut reiiciendi contractus illos, iuramentum illis à minore ſuperadditum, neque confirmabit contractum, neque etiam obligabit, quia & in celebratione contractus, & in eius confirmatione violatur ius conſanguineorum. In promiſſione quoque non retractandi contractum, quo violatum eſt ius alterius, committitur iniuſtitia, ideóque illa etiam iurata, non poteſt obligare. Idem dico de lege annullante contractum celebratum à muliere ſine præſentia conſanguineorum, vel ſine licentia, & authoritate, de quo poſtremo maximè diſputat Gutier. *à num. 41.* ſapienterque monet non confirmari iuramento, quia contractus ille vergit in mariti præiudicium, licèt fiat de bonis dotalibus, ipſorum enim adminiſtrationem, & vſumfructum habet maritus ad ſuſtinendum matrimonij onera, & vxorem exhibendam, vti fuſiùs diximus alias *in opere de vſuris lib. 4. vbi de vſuris dotalibus.* Denique Gutier. in 44. legem Hiſpanam, quæ prohibet viro dare vxori arrhas excedentes decimam partem bonorum ſuorum, cui legi nequit renuntiari, ita ait annullare promiſſionem de maioribus arrhis vxori datis, vt nequeat firmari iuramento, quia lex illa non tam fauet arrhas promittenti, quàm eius conſanguineis, quibus datur ius repetendi arrhas datas ſupra quãtitatem definitam: quare iuramentum confirmaret promiſſionem iniquam, ſi ad illam exequutioni mandandam obligaret, & intuitu religionis pec-

caret contra iuſtitiam, quod nemo ſanus dixerit. Maneat itaque in hac Authentica non agi niſi de contractibus rerum, quarum puberes iſti domini ſunt, quaſque alienare, diſtrahere, & donare, de iiſve alia quacumque ratione diſponere, ſine cuiuſquam alterius præiudicio & iniuria poſſunt, cùm vti iam monui iuramentum neque confirmare actũ iniuſtum, neque ad illum ponendum, aut non retractandum obligare valeat: quare qui ex hac Authentica à contractibus minorum ad cæteros omnes, quibus adiicitur iuramentum, argumentantur, ſupponere debent in illis contractibus nulla ratione violari ius alterius.

3 Aio ſecundò constitutionem non agere de contractibus nullis, & inualidis celebratis à minoribus ſine authoritate iudicis, circa res immobiles, aut tutoris circa mobiles, ſed de contractibus validis, ſed reſcindibilibus, & irritabilibus beneficio restitutionis in integrum. Iuramentum itaque de iſtis contractibus validis authoritate tutoris, vel decreto Prætoris factis non retractandis, & non reſcindendis, inuiolabiliter cuſtodiendum eſſe edicit illa Authentica: ita Baſil. Ponc. *lib.12. de matrim. cap.*8. Ferdinand. à Caſtro *de iuram. diſp.*2. *punct.*9. §.4. *n.*4. & plures alij quos dabit Sanch. *in Decalog. cap.*11. *num.*8. contra Gutier. *in repetitione ad illam authentic. num.*8. *ad* 14. *& n.*23. *ad* 31. *& n.*106. *ad* 109. Anton. Gomez. *tom.*2. *variar. cap.*14.*n.*18. Molin. *lib.*2. *de primogenit. c.*2. *num.*28. Sanch. *cap.*12. *citato n.*12. qui innumeros alios dabunt. Probatur verò noſtra ſententia ex ipſis constitutionis, verbis; ait enim iuramenta de contractibus non retractandis cuſtodienda eſſe, illi igitur indigent aliqua retractatione, vt reſcindantur; igitur validi erant, quamuis reſcindibiles. Deinde cùm contractus aliqui ſint ipſo iure nulli, lex quæ illam nullitatem tollit, datque robur contractui à lege, & iure communi irrito, quæque proinde ius commune corrigit, expreſſa, & perſpicua eſſe debet, cùm non liceat iuris communis emendationem, correctionemve abſque vrgenti & perſpicua ratione per voluntariam alienarum legum interpretationem inducere. Atqui nullam legem quæ expreſſè iuri communi deroget hoc caſu, afferunt aduerſarij præter hanc ipſam Authenticam, de cuius mente diſputamus, neque bene obiiciunt hanc Authenticam ſubiici *in eo C. ſi aduerſus venditionem*, constitutioni Alexandri, ac proinde illi aliquid adiicere, alioquin ſuperflua foret. Atqui illa definierat minorem alienantem prædium cum decreto Prætoris, & iurantem ſe de cætero nullam facturum controuerſiam emptori, teneri ſuo iuramento, neque abſque periurio poſſe de ea venditione mouere controuerſiam, eiuſque reſciſſionem, & reſtitutionem in integrum poſtulare; id verò ipſum, & nihil amplius edicit Authentica noſtra, igitur altera ex iſtis constitutionibus ſuperflua eſt, & inutiliter in codicem relata: non bene inquam iſta obiiciuntur, vt enim non diſputem, an nullæ ſint leges, quæ idem omninò ſanciunt, eaque de cauſa videri poſſint ſuperfluæ, reſpondent paſſim DD. primam illam legem loqui de contractibus rerum immobilium à minore factis, cùm Authentica etiam ad contractus rerum mobilium porrigatur, non confirmat igitur hoc iuramentum inualidos contractus, ſed ſolùm obligat ad non vtendum beneficio reſtitutionis in integrum, quando minor promittit, & iurat ſe non retractaturum contractum à ſe factum, neque quidquam amplius ex hac Nouella colligi iure poteſt, poterit autem obligare hoc iuramentum ſi aliunde non infirmetur, quia licèt lex contractus iſtos minorum reddat irritabiles, & permittat contrahentes minores reſtitui in integrum, non tamen illos obligat ad poſtulandam eam irritationem, & reſtitutionem a Iudice, quare non peccat minor eam non petendo, & ſtando contractui, neque vtendo beneficio legis: ſi igitur iuret ſe non vſurum eo iure, licitè iurat rem, quam licitè facere poteſt, atque adeò iuramentum ipſum obligat ad rem, quam promiſit, niſi aliunde inualidetur eiuſmodi iuramentum, cùm aliud omninò ſit facere contra legem, & impedire eius effectum, aliud non vti eius effectu: hinc etiam vides cur ſeruato hoc iuramento, & impleto contractu, non detur minori repetitio eius quod ſoluit vi contractus, cui acceſſit eiuſmodi iuramentum, & tamen qui iurauit ſe ſoluturum vſuras habeat actionem ad illas ſolutas repetendas, quo maximè argumento probare paſſim contendunt DD. quoſdam contractus confirmari iuramento, & non alios, alioquin, qui cum minoribus contraxerunt, non magis poſſent addito iuramento retinere quod ab illis vi contractus acceperunt, quàm vſurarij vſuras acceptas à debitoribus qui eas ſoluere iurauerant. Diſcrimen porrò ex dictis euidens eſt, quia contractus minoris fuit validus, & quod vi illius fuit ſolutum, iure ſolutum fuit, iureque retinetur donec infirmetur contractus, quod non fit niſi minore petente reſtitutionem in integrum, quam petere nequit, quamdiu de ea non petenda iuramenti religione tenetur. At verò vſurarij contractus nullus erat, quare quod vi ipſius debitor ſoluit, ne periurus foret, retineri nequit à creditore vſurario, qui neque vi contractus, neque vi iuramenti, vllum ius ad eas vſuras ſiue capiendas, ſiue retinendas acquiſiuit: verùm vt Alexandri constitutionem, & Frederici Nouellam totam *in c.*1. §. *item ſacramenta, de pace iur. firm. in vſibus feudorum*, indeque à collectoribus *in C. ſi aduerſus vendition. relatam*, atque Alexandri reſcripto ſubiectam componam, & explanem.

4 Obiectum Alexandrum agere cum Florentio, vel Florentino quodam milite, cui reſcribit, cui neque perfidiæ, neque periurij authorem ſe futurum in ſpecie, quæ proponebatur, negat: quamuis autem ille minor adhuc eſſet, annos tamen minimùm viginti attigerat, neque enim Romanis licebat dare nomen militiæ niſi anno decimo ſeptimo; tuncque incohabat tyronicium, quod per annos aliquot exercebat, vt conſtat ex *C. de tyronib.* & Vegetio: quare cum hic Florentius iam miles factus contrahebat, ferè viginti annos, aut etiam ampliùs agebat, tunc autem ratione militiæ qua fungebatur iſte Florentius ſic agebat, ſic contrahebat, quaſi miles, & non vt minor, adhibueratque iuramentum *corporaliter*, id eſt perſonaliter, manibus datis inuicem, aut vt explicat Coiac. ex Orphei verſu, manu ſublata, aut quia ad aram acceſſerat, eamque tenuerat ex ſolemni more, cuius meminit Valer. Maxim. *lib.*2. *cap. vlt.* Cic. *pro Flacco.* Virgil. *lib.*12. & Sil. *lib.*14. λιθωμόται vocabant Athenienſes qui ad aram lapideam iurarent, quod ex Solonis lege faciebant Oratores, tum Theſmotetæ, & ipſis Theſmotetis vniuerſi Athenienſes intra Porticum Regium, vt inquit Iulius Pollux *lib.*8. *c.*9. De hoc more plura vide apud Ioan. Meurſ. *lib.*1. *cap.*6. & *lib.*6. *c.*17. *Atticarum lection.* Cùm igitur hic miles qui prædium vendiderat, & deinde præſtito ſolemni iuramento cauerat de cætero ſe non facturum

factum controuerſiam emptori, cui tamen violato perfidè iuramento moleſtiam faceret, prætextu ſuæ minoris ætatis; noluit Alexander illi concedere reſtitutionem in integrum, & perfidiæ, ac periurij author fieri, cùm reuerà ſuo iuramento teneretur de non retractando contractu, & mouenda ſuper illo controuerſia prætextu minoris ætatis, ratione cuius ius illi concedebat actionem ad reſcindendum contractum, & petendam reſtitutionem in integrum, quo iuris beneficio ſe non vſurum ſolemni iuramento præſtito cauerat, quod iuramentum vt dixi, obligabat, cum eſſet de re licita, neque enim renuntiabat iuri minorum, ſed eo iure non vtebatur, quod ipſi licebat, vt monui. Itaque iuramentum de eo non vſu, ſiue de non vtendo iure ſibi competente, licitum erat, neque aliunde infirmabatur: quare ſapienter Alexander negauit illi actionem, & reſtitutionem in integrum, quam alioquin minori ætati ius concedebat; quia illam hic miles cum periurio poſtulabat, ne & ipſe eam concedendo perfidiæ, & periurij author haberetur, cùm vt ait Procop. *lib. 2. de rebus Perſicis*, iuramentum ſit omnium quæ inter homines aguntur, vltimum & fortiſſimum omnium, ac ſingulorũ inter ſe, & fidei, & veritatis pignus: *ὅρκος των ἐν ἀνθρώποις ἁπάντων ὕςατον τι καὶ, ἰσχυρότατον τῆς τε ἐν ἀλλήλοις πίςεως καὶ ἀληθείας ἐχέχυρον*. Inde illud Menandri prauorum hominum iuſiurandum; in aqua ſcribe *Ἀνδρῶν φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε*. Vides igitur ex illo reſponſo Alexandri imperatoris non colligi contractum venditionis celebratum ab illo milite minore 25. annis, confirmari iuramento addito de illo non retractando, ſed eiuſmodi iuramentum obligaſſe illum militem ad eam non retractationem, quam iurauerat; ideóque Alexandrum ſapienter negaſſe illi militi reſtitutionem in integrum, ne periurio faueret, eiuſque perfidiæ ſua facilitate author haberetur. Ex quo caſu particulari non ſequitur vel omnem contractum iure inualidum, vel iſtum ipſum de quo agitur, confirmari iuramento ſuperaddito; quia iſte validus erat, quamuis irritabilis in fauorem minoris ætatis, quam tamen reſciſſionem petere non potuit ille miles, niſi violata religione iuramenti quo ſe obligarat ad eam reſciſſionem non petendam; manebat tamen contractus ille in ſe reſcindibilis, & ſi reſciſſus reipſa fuiſſet à Iudice, ceſſaſſet omnis illius obligatio, emptórque non potuiſſet vi illius retinere prædiũ emptum emptione reſcindibili, & tunc actu reſciſſa, peccaſſet nihilominus minor violando ſuum iuramentum; immò iam peccarat, & periurus fuerat petendo ab Imperatore reſciſſionem, quam ne periurio faueret, negauit Imperator, neque aliud deinde voluit alius Imperator Fredericus ſua Authentica, quàm vt iuramenta facta à puberibus ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis inuiolabiliter cuſtodirentur, atque adeò negaretur deinde actio tali puberi ad reſtitutionem in integrum, qua in re Fredericus ſequutus fuit Martini opinionem contra Bulgarum, & puberem obligari voluit iuramento ad id exequendum de quo conueniſſet parum conſultè, vt ait Mornac. *in notis ad illam.* Ideóque Henricus VIII. quotidianis querelis de eius iniquitate permotus illam abrogare voluit, ſed mors immatura intercepit cogitantem, quod teſtantur Paulus Caſtrenſ. & Iaſon. Sanè Cynus queritur mille animas in Orcum demiſſas ex captionibus, quæ minoribus infirmis per eiuſmodi ſacramenta facta ſunt: quare ipſo deinde vſu abrogata opinione Martini, obtinuit in foro opinio Bulgari, reiecta Frederici Nouella, quod de Gallia noſtra teſtatur ſic Ioan. Faber. *Theorici*, inquit, *practici ſequi malunt opinionem Bulgari, vt ſcilicet eiuſmodi iuramentum non ſit obligatorium*: & Rebuff. *in proœmio conſtitution. gloſſa 5. numer. 50. Non ſeruant Galli hanc Nouellam qualecumque iuramentum interuenerit*; cui etiam Armorica conſuetudo expreſsè derogauit *artic. 471.* in quem conſule Argentæum; quinimmò in ipſa Italia Parmenſium & Papienſium ſtatuta id ipſum præſtiterunt, quod Paulus Caſtrenſis, & Iaſon teſtantur; nihil itaque nobis circa eiuſmodi Authenticam quærendum videtur.

5 Addo nihilominus hanc Authenticam, vbi obſeruatur, extendi ad donationes à minoribus factas, quia & ipſæ ſunt validæ, quamuis reſcindibiles beneficio reſtitutionis, vbi ſine legitima cauſa factæ reperiuntur, vt ait Leſſi. *lib. 2. cap. 18. n. 81.* neque aliter intelligenda eſt *l. fin. C. ſi maior factus alienationem factam ſine decreto ratam habuerit.* Noſtram itaque ſententiam docent Gutier. *repetitione citata, num. 128.* Molin. *tract. 2. diſput. 579. n. 32.* Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp. 38. n. 13.* Ferdinand. à Caſtro *diſp. 2. de iuram. punct. 3. §. 4. num. 5.*

6 Addo denique minorem cùm iuramento de non retractando contractu a ſe facto teneatur, atque adeò nequeat ſine periurio vti beneficio reſtitutionis conceſſo *l. 2. C. ſi aduerſus vendition.* atque adeò à reſciſſione contractus propter læſionem vltra dimidium ceſſare, debere huic etiam reſciſſioni in ſuo iuramento expreſsè renuntiare. Ita Gutier. *n. 86.* Gomez. *tom. 2. variar. cap. 14. n. 20.* Couuar. *de pactis 3. p. §. 4. n. 6.* Molin. *tract. 2. diſp. 529. n. 26.* Ferdinand. à Caſtro, *§. 4. citato, n. 6.* atque alij cõmuniter relati à Couarru. cum gloſſa *in citatam l. 2. & in cap. penult. de emption. & vendition.* quia per eiuſmodi iuramentum minor videtur, & præſumitur renuntiare duntaxat beneficio ætatis, neque ſi aliud non exprimat, excluditur à beneficio legum aliarum, aut enormis læſionis, & ex mente etiam illorum qui volunt contractus iure inualidos confirmari iuramento, minor tantùm ex iuramento maior efficitur, & non excluditur ab auxilio legum, quod ipſis maioribus competit, additque Bald. in *cap. 1. §. item ſacramenta col. 3. de pace iuramento firmand. & in Rubric. de permutat. rerum, ad fin.* non obſtante iuramento præſumi ſemper in minoribus, mulieribus, & ruſticis ſimplicitatem; idcircò Præſides, ac Iudices curare oportere vt iuramenta à minoribus præſtita propter facilitatem ætatis, remittantur: vt tamen minor teneatur ſuo iuramento de non retractando contractu, ſatis fuerit, ſi ſciat, aut ſaltem ſuſpicetur ſuum contractum infirmum eſſe, & reſcindibilem ratione minoris ætatis, aut quacumque alia ex cauſa, quamuis non ſit conſcius omnis, aut ſingularis cauſæ eius reſcindibilitatis, ſufficit enim ſi iuret ſe nulla de cauſa eius reſciſſionem petiturum: ita cum aliis quos adducit Ferdinand. *§. 4. cit. num. 7.*

Consectarium VII.

Illuſtrantur aliquot capita iuris canonici.

Cap. cum contingat, de iureiurando. 1. 2.
Quid ferant Galliæ leges. 3.
Cap. Quamuis pactum, de pactis in 6. 4.
Quid obſeruetur in Gallia. 3.

1 CApite *cum contingat* 28. de iureiurando, Innocentius III. conſtituit mulieres, quæ conſtante matrimonio conſenſerunt alienationi rerum dotalium, præſtito iuramento de ea alienatione nunquam reuocanda, ſi deinde ſoluto matrimonio velint reſcindere factam alienationem, ſuo iuramento teneri, ſi ſine vi, & dolo præſtitum fuerit, ne viam periuriis aperiri contingat: maximè cùm iuramenti illius obſeruatio neque cuiquam præiudicet, neque in diſpendium ſalutis æternæ vergat. Bonifacius deinde VIII. Iudices Laicos, qui mulieres eiuſmodi aduerſùs eas alienationes audirent, licèt de iuramento illo conſtaret, cenſuris compelli voluit ad ius canonicum ſeruandum, & Innocentij conſtitutionem. Ad veram horum Canonum ſententiam percipiendam repetenda ſunt quæ fuſiùs diſputauimus *lib. 4. de vſuris & commerc. cap. 5. art. 17. conſectar.* 11. De alienatione rerum dotalium, quam ſiue res illę immobiles ſint, ſiue mobiles, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, ſiue inæſtimatæ, ſiue æſtimatæ, æſtimatione venditionem non faciente, diximus fieri non poſſe ab vno coniuge etiam altero conſentiente, niſi ad manifeſtam vxoris vtilitatem, aut ad implendam naturalem obligationem ab ipſa contractam, aut denique ſi vtrique coniugi neceſſaria, non voluntaria fuerit alienatio: quam vniuerſalem regulam ibidem ſtabilimus ex *lege Iulia relata l. 1. D. de fundo dotali*, traditurque à Iuſtiniano *l. vnica*, §. *& cùm lex, C. de rei vxoriæ actione*, & §. 1. *Inſtitut. quib. alienar. lic. vel non*: quare eiuſmodi alienatio nulla erit, neque aut dominium, aut poſſeſſionem ciuilem transferet in emptorem, qui tamen ſi ſine fraude contraxit, quia bona illa eſſe dotalia neſciebat, tenebitur de euictione alienans, illique pretium rei euictæ, & totum illud quod ipſius intererit non fuiſſe euictam, reſtituere debebit. Poterit igitur vxor vindicare ſoluto matrimonio res dotales, quas inualidè alienauerat conſtante matrimonio, ideóque vt ſibi cauerent emptores ſoliti erant iuramentum exigere ab vxore conſentiente in alienationem rei dotalis, ſe nunquam eam alienationem reuocaturam. Aliquæ nihilominus mulieres ſpreta iuriſiurandi religione res alienatas dotales repetebant, & à Iudicibus Laicis audiebantur; de quo caſu interrogatus Innoc. reſpondet iuramentum à tali muliere ſine vi & fraude præſtitum ſeruandum omninò eſſe, Bonifacius verò Iudices etiam Laicos, vbi ipſis legitimè conſtiterit, cogi cenſuris Eccleſiaſticis ad negandam actionem illis mulieribus voluit.

2 Ex his porrò Pontificiis reſcriptis colligunt DD. contractus iure inualidos firmari iuramento, vt nuper diximus, & fuſiùs refert Barboſa in collectaneis ad cap. *cùm contingat*, & ad *C. licèt mulieres*: ſed non omninò efficaciter; quod iam monuimus *art. ſuperiori, num.* 13. *&* 20. Et ſanè nihil aliud dicunt Pontifices, quàm eo caſu iuramentum à muliere præſtitum ſeruandum eſſe, & eam non poſſe ſine periurio repetere ſoluto matrimonio rē dotalem alienatam, quam ſe non repetituram olim iuramento promiſerat. Rationem reddit Innoc. quia hæc iuramenta neque in alterius præiudicium vergunt, neque rem illicitam continent, vnde igitur tolletur obligatio iuramenti ſpontanei. Et quidem non præiudicari tertio conſtat, cùm maritus conſenſerit, & ipſa mulier ſpontaneè ſine vi & dolo promiſerit, emptori autem non modò non fiat iniuria, ſed potiùs indemnis ſeruetur, non reſciſſa alienatione. Licitam porrò fuiſſe eam promiſſionem de non reuocanda alienatione, atque adeò licitam etiam eſſe huius promiſſionis obſeruationem tradunt Rebell. *lib. 5. q. 7. num.* 5. & Bonacin. *diſp. 3. de contract. q. 11. punct. 7. n. 6.* & alij apud ipſos, cùm neque ea peccet contra iuſtitiam, cùm vterque coniux conſentiat alienationi, & ſuo iuri cedat, neque contra legem prohibentem, quæ quoties irritat, & prohibet actum primariò, & per ſe propter bonum priuatum alicuius, & ſecundariò tantùm ob bonum commune, non obligat ad culpam, quia non vult tollere libertatem, quam quiſque habet cedendi bono ſuo particulari, ſatiſque fuit Legiſlatori non approbare illum actū, immò & illum irritare, quæ irritatio ſatis magna pœna eſt violantibus legem. Non peccat quoque prædij dotalis emptor, quia emit à veris dominis, & exponit ſe periculo reſciſſionis contractus, ſi iſti coniuges reſiliant à contractu ſoluto matrimonio. Ex quibus etiam oſtenditur hunc contractum non fuiſſe prorſus irritum, ſed duntaxat irritabilem, & parere naturalem obligationem, atque adeò mulierem remanere in foro animæ, vt loquuntur obligatam, tenuerunt plures apud Gutier. *1. part. de iuramento cap.* 1. *num.* 42. alioquin teneretur emptor ante euictionem reddere rem alienatam, neque eius fructus percipere poſſet, cùm non foret eius dominus: quare quod *dicebam per eam alienationem non transferri dominium in emptorem*, intelligendum eſt de dominio ciuili, & de dominio naturali firmo, & non reuocabili: quamdiu autem non reuocatur, emptor, verè manet dominus rei dotalis à ſe emptæ, donec ab ipſo euincatur, vti euinci poteſt, & lex habet ſemper ſuum effectum, quo reddidit hunc contractum reſcindibilem: non obligatur tamen vxor illum reſcindere, ſed poteſt in eo perſtare, & non vti beneficio legis irritantis, vti explicuimus *art. ſuperiori*, poteritque cedere ſuo illi iuri, & promittere ſe non vſuram eo iure ſibi à lege conceſſo, atque adeò ſuam eam promiſſionem iuramento firmari, cuius iuramenti obligatio valida eſt, ideóque ſeruanda, cùm & non renciatur à lege irritante alienationem, quæ nec cogit inuitam mulierem ad irritandam alienationem, & nullam culpam contineat: quare iuramenti illius violatio verum periuriū erit, immò & iniuſtitia, cùm ſua promiſſione iurata mulier cluſerit emptorem, qui non emiſſet prædium dotale, niſi mulier iuraſſet ſe non vſuram beneficio legis, quæ illius contractus reſciſſionem permittebat. Ne igitur prætextu legum, quæ dotium conſeruationi plurimùm fauent, via periuriis aperiatur, ſapienter reſpondit Innocent. obligatorium eſſe illud mulieris iuramentum, & Bonifacius conſtituit ne Laici Iudices ſua facilitate mulieres contra præſtitum ſpōte iuramentum ad reuocandas alienationes rerum dotalium admittendo, locum dent periuriis, alioquin compellantur & ipſi cenſuris Eccleſiaſticis ad reiiciendas periuras eiuſmodi mulieres.

Quia

Digitized by Google

3 Quia tamen leges poſſunt, quod monuimus articulo ſuperiori, actus quoſdam ſine certa ſolemnitate factos, etiam iuratos irritare, & prohibere, ne habeatur ratio iuramenti ſuperadditi de eiuſmodi actu non reuocando, quo caſu nullius roboris erit iuramentum, vt pote quod fiat contra legis prohibitionem; qua de quæſtione fuſius diſputat Alciatus *in cap. cùm contingat, de iureiurando, à n.60.* in pluribus Galliæ noſtræ prouinciis diſpoſitio capitis *cùm contingat* locum non habet, & mulier agere poterit ad reſcindendam alienationē fundi dotalis, licèt ſe eam non reſciſſuram conſtante matrimonio iuraſſet, eo quod recepti mores tale iuramentum fieri prohibeant, illiuſque rationē nullam haberi velint. Et quidem de Prouinciis quæ iure Romano vtuntur, & in quibus viget diſpoſitio legis Iuliæ, teſtantur plures apud Louet. Commentatorem, ipſeque Louet. *littera D. n.12.* refert in hanc rem Senatus decretum 15. Maij. an. 1585. itáque ſapientiſſimè obſeruatur; cùm enim nulla illis in locis admittatur bonorum ſocietas inter coniuges, & vxorum interſit ne quid eis decedat de dotali patrimonio, non permittuntur ſe illo ſpoliare, neque ad id ſe obligare etiam præſtito iuramento. Deinde quia conſenſus vxoris in alienationem rei dotalis, & iuramentum ſuperadditum præſumuntur ex metu reuerentiali mariti: *Velle autem non creditur qui obſequitur imperio patris, vel domini,* inquit Vlpian. *l.4. D. de regulis iuris.* Præterea quia pacta contra bonos mores publicos, & leges non poſſunt firmari iuramento, alioquin inutiles forent illę leges, & ipſum iuramentum induit, quod alias indicauimus, naturam actus cui accedit, ideóque eiuſdem naturæ quodammodo, & valoris ſit cum materia principali, ſiue cum ipſo actu. Nonnullæ etiam leges municipales expreſſimè derogant *cap. cùm contingat,* quandoquidem ita fundi dotalis omnem alienationem prohibent, vt nequidem iuramento ſuperaddito validari queant, ita conſuetudo Aruern. *c.14. art.3.* & cōſuetudo March. *art.299.* In cæteris verò prouinciis quæ reguntur conſuetudine, ſine proprio iure municipali, & non Romano, non habet locum lex Iulia; ideóque mulieres liberè de conſenſu mariti de re dotali diſponere poſſunt, vt ex Molinæo, & aliis refert loco citato Louet. quare iuramento de non reuocanda eiuſmodi alienatione tenebuntur omninò: cæterùm vbi ſeruatur definitio *cap. cùm contingat,* plures limitationes addunt DD. de quibus vide Gutier. *de iuram. cap.1.* pertinent enim tum ad forum externum, tum ad dotis alienationem, de qua diximus alibi quantum noſtri inſtituti ratio poſtulabat.

4 Secundò *cap. quamuis pactum, de pactis in 6.* Bonifacius VIII. pactum filiæ nubentis, & dotatæ, cum patre initum de renunciatione paternæ hæreditatis, licèt improbetur à lege ciuili, ſi tamen iuramēto liberè præſtito firmetur, ſeruandum omninò eſſe edicit. Omiſſis verò quæ pluribus diſputant DD. circa renuntiationem paternæ ſucceſſionis factam a liberis, quæ fuſius expendunt Couarruu. *relectione in hoc caput, tota 1. p.* & Gutier. *repetitione in idem caput*; ea duntaxat quæ ad huius pacti iure ciuili inualidi confirmationem per iuramentum appoſitum ſpectant, paucis indicabo, hoc enim maxime argumento probabant contractus inualidos confirmari iuramento. Excipiunt tamen illi ipſi DD. plures caſus; v.g. enormem læſionem, tunc enim non obſtante iuramento poterit vti filia iſta beneficio *l.2. C. de reſcind. vendit.* Vide fuſè Fachinæ. *lib.8. controuerſ. c.69.* & Couarru. *cap. quamuis pactum, 1. p. §.4.* Deinde excipiunt paſſim pactum de hæreditate viuentis patris illo inſcio, aut non conſentiente, quod iuramento firmari negant. Vide tamen Fachinæ. *lib.6. cap.72.* qui alios dabit, ſicut & Gutier. *repetition. in cap. quamuis pactum, à num. 2.* pactum igitur renuntiationis factæ à filia non confirmari iuramento dixit Gloſſa *in l. ſi quando 1. & 2. C. de inoffic. teſtam. §. illud verſ. prægrauari*: & *in l. pactum dotali verſ. improbatur, C. de collation.* & *in l. qui ſuperſtitis, verſ. repudiat. D. de acquir. hæred.* quia lex ciuilis improbat eiuſmodi pactum, & iuramentum tanquam factum contra prohibitionem legis.

In Gallia tamen noſtra locus huic quæſtioni non eſt; quia iure Gallico renuntiationes filiorū, quæ tabulis nuptialibus fiunt, legitimæ, & validæ exiſtunt, etiamſi nullo iuramento firmentur, qua de re vide Annæum Robertum *lib. 2. rerum iudicatar. c.4. & 5.* & alios relatos *in notis ad Louet. littera R. n.17. 19.* qua de quæſtione in appendice de teſtamentis; nos aliquid pro inſtituto dicemus. Non itaque diſputandum hoc loco eſt an eiuſmodi renuntiationes iuramento confirmentur, quandoquidem per ſeſe validæ ſunt, & legitimæ, ideóque de valore, & obligatione iuramenti ſuperadditi dubitare non poſſumus. Addo duntaxat æquitatem huius iuris Gallici faciliè reddi ex iis quæ Anton. Faber *decade 41. de errorib. pragmatic. errore 5.* obſeruat pactum de non ſuccedendo patri non violare pietatem, neque ius patriæ poteſtatis. Non mirum igitur ſi pactum eiuſmodi, & probauit & legitimum eſſe voluit Gallia; primum autem illud ex eo demonſtratur, quia pacti illius vis & poteſtas confirmatur, & confertur in id tempus quo iam mortuus erit pater, ac proinde quo patria poteſtas nulla amplius erit, quam nimirum patris morte finiri cōſtat; omnes enim conuentiones de futura ſucceſſione ſiue affirmatiuè, ſiue negatiuè cōcipiantur, habent tacitam illam conditionem ſi hæreditas defertur, quod monent DD. ad *l. qui in ſuperſtitis. D. de acquir. hæredit.* Non poteſt autem deferri ſucceſſio patris, niſi poſt eius mortem, cùm viuentis nulla ſit hæreditas *l.1. D. de hæred. vel act. vend.* & *l.1. D. pro hæredib.* quare vulgò dicunt filiam quæ paternæ ſucceſſioni etiam cum iuramento renuntiauit, ſi moriatur ante patrem, non tam excludi a paterna ſucceſſione per renuntiationē illius à ſe factam, quam per mortem; quia etiamſi non renuntiaſſet, non magis propterea ſucceſſiſſet. Denique pactum filiæ de non ſuccedendo patri, ſiue de renuntiatione ſucceſſionis paternæ, in id tantùm tendit, vt ſi poſt mortem patris filia velit ſuccedere, pacti exceptione ſummoueatur, quod non magis offendit patriam poteſtatem, præſertim iam morte patris extinctam, quàm ſi renuntiatio fieret poſt mortem patris, quo caſu conuentio illa valeret etiam ex iure communi *l. ſi quando, §. illud, in fin. C. de inoffic. teſtam.* nihil enim refert, an conuentio filiæ facta ſit poſt mortem patris, an in id tempus collata, cùm videantur omnia pacta fieri eo ipſo tempore in quod conferuntur *l.4. C. de donat. ante nuptias, l. dotis fructum 7. §. ſi res in dotem, & l. ſi ego 9. D. de iure dot. l. Titio vſusfruct. 51. D. de vſufruct.* Cum igitur hoc pacto filiæ nubentis cum patre de renuntiando eius ſucceſſioni, neque pietas, neque patria poteſtas violentur, ſapienter à iure Gallico probatur. Confirmatur ex diſcrimine quod inter pacta de ſuccedendo, & non ſuccedendo ſubtiliter obſeruauit ibid. Anton. Faber.

tam

nam primum illud repugnat legibus, primò quia vel aufert, vel reſtringit liberam facultatem teſtandi, quam leges concedunt *l. pactum quod dotali* 15. *C. de pactis, l. cum duobus* 52. *aliàs l. ſi frater*, §. *idem reſpondit ſocietatem, D. pro ſocio*. At verò pacta de non ſuccedendo potiùs ampliant facultatem illam teſtandi, cùm nihil amplius v. g. pater ſuæ filiæ iã dotatæ, teſtamento relinquere teneatur, vti teneretur ſi non pepigiſſet cum filia dum illam dotauit. Secundo pacta de ſuccedẽdo adhibentur, vt pariant actionẽ, pacta verò de non ſuccedendo, vt pariant duntaxat exceptionem: multo verò faciliùs defenditur conuentio exceptionem paritura duntaxat, quàm productura actionem, *l. iuris gentium* 7. §. *quinimmò. D. de pactis, l. pacta conuenta* 72. *D. de contrahend. emption. l.* 1. *D. de pignorib.* Tertiò idcircò pacta de non ſuccedendo iure cõmuni ciuili improbantur, quia ſi vim habeant, impedient ne ea perſona ſuccedere poſſit, cui lex delatura erat hæreditatem, atque ita ſunt contraria legi; at verò pacta de ſuccedendo deferunt ſucceſſionem, quæ ex ſolis legibus deferri debet, *l. hæreditas*, 5. *C. de pact. conuent. tam ſup. dot. l. obuenire* 130. *D. de verbor. ſignificat.* Denique per pactum de non ſuccedendo neque pietas, neque patria poteſtas, vti oſteodimus, violatur, ſicuti contingit in pacto de ſuccedendo, obligatur enim per illud pater ne adhuc viuus poſſit diſponere, ſiue inter viuos, ſiue in vltima voluntate, de iis bonis, quæ vi pacti, & ſucceſſionis iure filio relinquere omni modo cogitur, idcircò potuit pactum de non ſuccedendo iure meritò probari & moribus Gallicis, & conſtitutionibus pontificiis.

Hinc colligit Faber pactum de ſuccedendo cũ filio initum, & donationem quoque patris in filium etiam fauore matrimonij, neque validam eſſe, neque iuramento confirmari poſſe, qua de re alibi dicemus; vide intereà Gutier. *de iuram.* 1. *art. c.* 4. *&* 5.

ARTICVLVS III.

De confirmatione contractus per ratihabitionem.

Ratihabitio quid, & ſtatus quæſtionis. 1.
Quomodo validetur contractus nullus ex defectu ſolemnitatis ſubſtantialis. 2.
An matrimonium inualidum debeat iterum coram Parocho, & teſtibus celebrari. ibid. & n. 3.
Quomodo validetur contractus nullus defectu materiæ capacis. 4.
Quid faciendum quando alter coniux ignorabat impedimentum diriment. 5. *&* 6.
Quomodo validetur contractus nullus defectu veri, & liberi conſenſus. 7.
De contracta inualido ratione doli. 8.

1 RAtiabitionem vel principali mandato, vel conſenſui non eſſe abſimilem dixit Iuſtinian. *l. fin. C. ad Macedonian.* eſt igitur approbatio eius quod enim alio geſtum eſt qui noſtro nomine inſtar procuratoris egit; cuius contrarium eſt retractatio. Itaque rem ratam habere definiuit Vlpian. *in l.* 12. *D. rem ratam hab.* comprobare, & agnoſcere quod à non vero procuratore, noſtro nomine actum eſt, quod nõ verbis tantùm, ſed & facto explicari poteſt, *l.* 5. *D. eod.* ſic procurator ſtipulatur, & cauet dominum rem ratam habiturum: quæ ſtipulatio de rato cautio, & ſatiſdatio de rato vocatur, *l.* 23. *D. de adminiſt. tutor. l.* 22. §. *ſi pater, D. ſoluto matrim.* & ſtipulatio de rato habendo *l.* 2. *D. rem ratam hab.* De hac porrò ratihabitione, & cautione de rato habendo plurima diſputant iuris interpretes *in D. rem ratam haberi*, quæ omnia non forum modò externum, ſed & ad iudiciorum formulas, & ambages pertinent, quare à noſtro inſtituto ſunt aliena: de illa igitur ratihabitione non diſputamus hoc loco ſed de ea qua contractus, qui inualidus fuerat, deinde à contrahentibus ipſis ratus habetur, atque validatur: duo v. g. matrimonium inualide contrahunt, quod deinde ratum habent; quæritur an eiuſmodi ratihabitione validum euadat matrimonium, & ſimiles alij contractus, vel actus, & quomodo facienda ſit ea ratiabitio, ſiue ratificatio, vti alij appellant.

Obſerua verò contractum, aliúmve actum inualidum eſſe poſſe triplici ex capite. Primò propter defectum alicuius ſolemnitatis ſubſtantialis à iure præſcriptæ. Secundò ob incapacitatem materiæ, in quam cadit contractus, vel conſenſus. Tertiò ex defectu conſenſus qui vel fictus, & ſimulatus fuit, vel vi, aut dolo per fraudem, iniuriamve extortus, vel denique per errorem, & ignorantiam minùs liber; quæ omnia vides in exemplo allato contractus matrimonij, quod nullum, & inualidum eſſe poteſt, quia non fuit celebratus coram Parrocho, & teſtibus, vti præcipit Tridentinum, vel quia contractum eſt cum aliquo impedimento dirimente, ideóque quamuis fuerit verus conſenſus, ratione tamen incapacitatis, & ineptitudinis materiæ, vel vt alij malunt, inhabilitatis contrahentium inualidè fuit exhibitus: aliàs verò deſinit verus conſenſus, & fictus duntaxat, atque ſimulatus præſtitus eſt; aliàs denique conſenſus eſt quidem verus, & non fictus, ſed non ſatis deliberatus, liber, atque adeò minus ſufficiens; impeditur verò illa neceſſaria libertas vel vi, & dolo, vel ignorantia ſiue culpabili, ſiue inculpabili, quas omnes inualidi contractus cauſas explicuimus *in opere de vſuris & commer. lib.* 3. *cap.* 5. *art.* 3. & *c.* 2. *art.* 2. 3. *&* 4. *&* 6. vbi etiam diximus ad quid eiuſmodi contractus obligent, ſiue quos pariunt effectus in illo qui ita inualidè contraxit, hoc verò loco quæro duntaxat, quid faciendum ſit iis, qui contractum quem inualidè celebrarunt, validum eſſe volunt, & ratum habere. Et quidem in vniuerſum tollendam eſſe priorem nullitatis cauſam nemo dubitat, alioquin ea cauſa perſeuerante, perſtabit nullitas actus: difficultas verò eſt qua ratione tolli poſſit eiuſmodi nullitas, & validari contractus, quod in ſingulis cauſis nullitatis nuper allatis aperiendum paucis eſt.

Et primò quidem quoties contractus fuit inualidus defectu ſolemnitatis ſubſtantialis à lege præſcriptæ, non ſeruatæ, ponenda erit illa ſolemnitas, alioquin quantumcumque ratum habeant ſuum actum contrahentes, & nouum conſenſum præſtent, ſemper deſtituetur aliquo ſibi ſubſtantiali, ac proinde nullus erit, & inualidus, non tantum in foro externo, ſed reipſa, vti pluribus docuimus *opere de vſuris lib.* 3. *cap.* 2. *art.* 4. quare matrimoniũ quod nullum fuit ratione clandeſtinitatis, & quia non fuit in facie Eccleſiæ præſente 2

Parrocho,

Parrocho, & duobus teſtibus celebratū, ſi contrahentes illud ratū habere velint, denuo contrahēdū erit, ſeruata ſolēnitate à Tridentino præſcripta.

Diſſentiunt tamen DD. vtrum vbi ſolemnitas ſubſtantialis ſeruata fuit, idcóque contractus alia ex cauſa fuit inualidus, putà ratione ficti conſenſus, aut impedimenti alicuius dirimentis, neceſſe ſit ad reualidandum contractum non modò impedimentum dirimens, aut fictionē conſenſus tollere, ſed etiam denuò ſolemnitatem illam externam, ſubſtantialē tamen adhibere: v. g. an matrimonium in facie Eccleſiæ ex Tridentini decreto contractum, inualidum tamen propter occultū impedimentum dirimens, aut quia alter coniugum fictè conſenſit, ſoblato eiuſmodi impedimento, debeat iterum coram Parrocho & teſtibus celebrari, alioquin perſtet inualidum; an verò ſufficiat occultè contrahi iterum iſtud matrimonium; atque iteratam iſtam coram Parrocho, & teſtibus matrimonij celebrationem in noſtro caſu omninò neceſſariam eſſe contendunt Comitol. *lib. 1. reſponſor. quæſt. 1 20. n. 3.* Baſil. Ponc. *lib 5. de matrim. c. 6. n. 6.* idque ſaltem quando impedimentum vtrumque contrahentem afficiebat, ſeruandum eſſe dicunt Nauar. *de ſponſalibus conſilij*, & *de deſponſat impub. conſ. 4.* & Gutier. *lib. 1. qq. canonic. cap. 18.* & *tract. de iuramento, 1. part. cap. 5 t. n. 22.* & *tract. de matrim c. 47. n. 5.* Probatur primò quia cùm illa Parrochi, & teſtium aſſiſtentia pertineat ad formam ſubſtantialem matrimonij ex Tridentini decreto, adhiberi debet quando contrahitur matrimonium, quod alioquin nullum eſt, vt pote carens aliquo ſibi ſubſtantiali. Atqui dum ſublato impedimento renouatur conſenſus, ponitur, ſiue contrahitur matrimonium, quod prius reipſa contractū non fuerat, ſed exiſtimabatur eſſe contractum: ergo adhibenda ſunt tunc omnia ſubſtantialia huic contractui, neque ſufficit prius adhibita fuiſſe: quod in omnibus actibus videre eſt, dū enim fiunt ſua ſubſtantialia habere debent; nam ſi quidpiam eiuſmodi omittatur, quamuis antea poſitum fuerit, inutile eſt ad conſtituendum actum, qui deſtituitur aliquo ſibi ſubſtantiali. Quod igitur nullo, & inualido, ſiue ficto, & putatiuo tantùm matrimonio Parrochus, & teſtes adfuerint, nihil confert ad verum matrimonium, ſi quando reipſa contrahitur non etiam adfuerint; alioquin licebit dicere matrimonium, illudque verum, & validum celebrari ſine præſentia Parrochi, & teſtiū, atque adeò ſolemnitatē illam à Tridentino præſcriptā non eſſe ſubſtantialē, cùm ſine illa contrahatur verū & validū matrimonium. Confirmatur, is qui ignarus impedimenti dirimētis contraxit, non tenetur factus impedimenti conſcius iterū cum eadē contrahere, poteſtque ab ea diſcedere, atq; alibi alterā ducere: ſi igitur renouaſſet occultè conſenſum in prius illud matrimoniū, ſi tamen deinde, quia ſcitur diſputari, an ea ſola renouatio occulta conſenſus ſufficiat ad validandū prius illud matrimoniū, alibi eū alia corā Parrocho & teſtibus nouū matrimoniū contrahat; quodnā amabò ex illis duobus matrimoniis præferendum erit, an iſtud, quod omnia quæ Tridentinum requirebat habuit; an verò illud, quia cùm eſſet validum, poſterius inualidum neceſſariò fuit; vt igitur eiuſmodi caſus minimè contingat, dicendum eſt in renouatione cōſenſus matrimonij prius inualidi repetendam eſſe totam illius ſolemnitatem ſubſtantialem à lege præſcriptam.

Secundò, quoties lex quidpiam tanquam formam actus præſcribit, ceſſante cauſa propter quam formam illam præſcripſit, non propterea tamen ceſſat ipſa lex, quæ eſt communis doctrina ſapientium apud Tiraquell. *tractatu ceſſante cauſa, limitat. 37.* Salam *de legib. diſp. 11. ſect. 3.* Azor 1. *part. inſtitut. lib. 5. cap. 16. quæſt. 15.* quare vbi ceſſat ratio propter quam lex aſſignauit formam contractibus, non ceſſat lex, eademque forma adhibenda eſt, alioquin nullus erit contractus; quod maximè verum eſt ſi in aliquo tantùm caſu particulari ceſſet ea ratio legis, & non in vniuerſū, quia cùm lex illa ducatur vel præſumptione fraudis, vel periculo mali, & incommodi, quod vitare intēdit, reipſa non ceſſat ratio legis, licèt in hoc caſu peculiari neque fraus exiſtat, neque malum illud, quod timebatur, quodque vitare voluit lex; quia cauſa legis non eſt ipſa fraus, aut malum vitandum, ſed præſumptio fraudis & periculum mali; quæ præſumptio ſemper exiſtit, ſicut & periculum, licèt neque fraus committatur, neque malum incurratur, quod alias fuſiùs diximus in ſcientia canonica. Cùm igitur Tridentinum certam formam præſcripſerit matrimonio ad vitandas fraudes, & grauia incommoda, quæ ex clandeſtinitate illius præſumebantur; timebanturve, licèt in caſu de quo agimus nulla fraus, aut incommodum reperiatur, non idcircò poterit valide celebrari matrimonium ſine forma præſcripta.

Tertiò conſultus Clemens VIII. a Patre Stephano Tuccio Societatis Ieſu, Romanæ Pœnitētiariæ Rectore, circa matrimonium primariæ fœminæ, quæ ficto animo viro item primario nupſerat, & tandem pluribus ſuſceptis liberis commiſſi criminis ream ſe peragebat, reſpondit neceſſarium eſſe nouum vtriuſque conſenſum coram Parrocho, & teſtibus, admonito prius marito de nullitate matrimonij; nihilominus ad vitandum ſcandalum diſpenſauit, vt ſecreto inter ſe contraherent, iniuncta, fœminæ propter admiſſum, ſcelus pœnitentia. Ita refert Comitolus loco nuper citato: his accedit quod Seraphinus *deciſion. 900.* teſtatur, conſueſſe Papam ex ſtylo Pœnitentiariæ diſpenſare quoties matrimonij impedimentum fuit occultum, vt poſſint de nouo contrahere, non adhibitis, ſeu repetitis ſolemnitatibus omnibus à Concilio requiſitis, ſecus verò ſi manifeſtum eſt impedimentum, tunc enim contrahendum denuò erit repetitis omnibus ſolemnitatibus in primo contractu adhibitis, quam Cōgregationis reſponſionem ſequitur Rota apud Seraphinum *deciſione citata*: & deinde apud Farinac. *tom. 2. deciſion. 165.* vbi contrariam ſententiam Thomæ Sanch. quem nominatim adducit, reiicit, affert verò Victoriam *relectione 7. de matrimonio, 1. part. 2. puncto, n. 9.* Probatque rationibus nuper à nobis allatis, quia quæ ſunt de forma, debent interuenire in tempore, quo actus producitur in eſſe, quod Baldus, & alij paſſim obſeruant *in l. obſeruari, §. fin. num. 5. D. de officio Proconſ.* neque ratificatio ſubſequens quidquam facit; quia in ratificatione actus, qui nullus fuit, conſideratur tempus ratificationis, & non illud quo fuit poſitus actus nullus, quod monet Surdus alios allegans *deciſione 241. n. 7.* cùm ratificatio actus inualidi nihil aliud ſit, quàm nouus actus, *l. aſſe toto, D. de heredibus inſtitut. l. obuenire ſolet, D. de verbor. ſignificat.* & habent Socinus *lib. 3. conſ. 92. numer. 11.* & Menochius *conſ. 8u. num. 66.* quare omnis forma, & ſolemnitas, quæ debet interuenire in actu vt valeat, interuenire debet in ratificatione, nec poteſt deſeruire ſolemnitas per prius ſeruata: quoniam illa debet concurrere

tempore actus, nec poteſt ab eo ſeparari, neque iuuare poteſt fictio, aut retrotractio, cùm non hac quando actus eſt omninò nullus. Quia tunc retrotractio non inuenit principiũ conſeruabile, & vbi conſenſus requiritur certo tempore, prout requiritur ex diſpoſitione Concilij tempore, quo Parrochus eſt præſens, nunquam retrotrahitur. Simile quid contingit in conſenſu præſtito iuxta formam regulæ à procuratore qui non implendo mandatum nulliter præſtitit conſenſum; reſignatio enim non conualidatur ratificatione reſignantis, ſed denuò præſtandus eſt alius conſenſus formalis, ex Puteo *deciſion. 3. lib. 3.* Ita ferè ad verbum Rota.

3 Hæc ſententia probabilis admodum eſt attento rigore iuris: contraria nihilominus communior eſt, vſuque recepta; ac proinde in praxi tuta, matrimonium ex aliquo impedimento occulto nullum, & tamen coram Parrocho, & teſtibus celebratum, non indigere ad ſui reualidationem, vt iterum cum eadem ſolemnitate celebretur. Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp. 32. num. 13.* Bonac. *de matrim. q. 2. punct. 9.* Reginald. *lib. 31. n. 187.* Coninc. *diſp. 24. de ſacram. dub. 10. n. 82.* Rebell. *2. part. de obligat. iuſtit. lib. 2. q. 9. n. 5.* Hurtado *diſp. 3. de matrim. diffic. 11.* Ferdinand. à Caſtro *de ſponſalib. diſp. 3. punct. 7. §. 3. n. 2.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 7.* Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. vlt.* Nauar. *cap. 22. num. 70. & de ſponſalib. conſilio 14. & 32.* Rodriq. *tom. 1. ſum. cap. 208.* Riccius *in deciſion. Neapolitan. deciſ. 98. & in praxi fori Eccleſ. deciſion. 241.* Gutier. *de matrimon. cap. 46. num. 15.* Poſſeu. *cap. 20. n. 25.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat. 32. num. 157.* Petrus de Ledeſma *de matrim. quaeſt. 45. art. 5. conc. 2. ante vltimum dubium,* Leo *in theſauro fori Eccleſiaſt. 2. part. cap. 9. numer. 83.* qui alios dabunt, quorum aliqui in vniuerſum, & indiſtinctè loquuntur, alij diſputant tantùm de nullitate ex parte vnius tantùm contrahentis, qui vel fictè, vel metu coactus, & non liberè conſenſit: quæ diſtinctio nulla omnino eſt; cùm enim matrimonium etiam ex vnius tantùm contrahentis ſubſtantiali defectu, nullum fuerit, & quando deinde renouatur verè fiat matrimonium, quod ante imaginarium, & præſumptum duntaxat erat, æquè erit neceſſariò ponenda ſubſtantialis ſolemnitas, ſiue fuerit nullum ex impedimento vnum tantum contrahentem afficiente, ſiue vtrumque: quare noua celebratio matrimonij in vtroque caſu iſtam ſolemnitatem requiret, aut in neutro poſtulabit, cùm eadem ſit vbique difficultas, & ratio ponendi, conficiendique noui matrimonij, cùm prius nullũ omninò fuerit, eodem modo vrgeat.

Probatur igitur in vniuerſum noſtra ſententia; quia caſus de quo agimus, non comprehenditur decreto Tridentini, vti facilè ex ratione, & fine ipſius demonſtratur; voluit enim Conciliũ annullare duntaxat matrimonia clandeſtina propter grauiſſima, quæ in Eccleſiam inferebant incommoda, ideóque ſtatuit, vt in facie Eccleſiæ, & coram Parrocho, atque duobus teſtibus celebrarentur, alioquin clandeſtina, & nulla haberẽtur. Atqui in noſtro caſu, in quo matrimonium in facie Eccleſiæ cum impedimento occulto celebratum fuit, nulla eſt clandeſtineitas, vt patet, neque ex illo ſequi poſſunt ea incommoda, quæ timebat Concilium, maximè tranſitus ad alias nuptias, quandoquidem publicum fuit matrimonium, in illoque perſeuerare coguntur coniuges, niſi ab Eccleſia de eius nullitate fuerit pronuntiatum: quare dum ſublato occulto impedimento deinde ſecretò reualidatur, non eſt reipſa clandeſtinum, neque tale iudicatur, aut iudicari poteſt ab Eccleſia, quæ illud tanquam publicum, & legitimum habet, quamdiu ipſi impedimentum occultum eſt: de hoc igitur caſu non potuit agere Concilium ſuo decreto. Et ſanè nunquam legimus contrahentem matrimonium cum impedimento occulto, prohibitum fuiſſe illud cognita nullitate ſecreto reualidare: quare cùm Eccleſia nunquam hoc matrimonium clandeſtinum iudicauerit, cur nos tale eſſe pronuntiabimus, & ad adhibendam denuò iſtam ſolemnitatem obligabimus, quæ ſæpiùs abſque grauibus incommodis vſurpari non poterit. 3

Atque ex his facilè ſoluuntur quæ pro contraria ſententia adducebantur: nam primò fateor iſtam præſentiam Parrochi, & teſtium eſſe formam ſubſtantialem matrimonij ex decreto Concilij, ſed dico fuiſſe adhibitam in noſtro caſu ex mente ipſius Concilij, quod poſtulat eam formam externam, ne illud matrimonium poſſit dici clandeſtinum, quale reuerà non dicetur, vti iam docuimus, neque vnquam tale iudicari poterit ab Eccleſia: quare non poterit qui ita contraxit, cum alia iterum in facie Eccleſiæ contrahere, impedietur nempe ab Eccleſia donec de ipſius nullitate, & de impedimento conſtiterit: quare quod in confirmatione obiiciebatur, non vrget: nam ſi conſtet Eccleſiæ de priori matrimonio ſolemniter celebrato, prohibebit ſecundum, ſi verò ipſi non conſtet, non poterit prohibere, eritque ſecundum validum ſi prius non fuit, & non fuit reualidatum ſublato impedimento, & non renouato conſenſu, quamuis ſecretò; tunc enim ſecundum nullum erit, & cogetur perſtare in primo.

Obiiciebatur ſecundò ex communi doctrina cessante cauſa legis, quæ formam *actui præſcripſit,* non idcircò ceſſare legẽ, ac *proinde formam* illam omninò ſeruandam eſſe ad valorem actus: quare cùm Conciliũ formam, & ſolemnitatem de qua agimus matrimonio præſcripſerit ad vitanda incõmoda, quæ ex matrimonio clandeſtino, & aliter celebrato iure timebat, quamuis illa ipſa incommoda timeri non debeant in noſtro caſu, atque etiam in illo ceſſet ratio legis, non idcircò tamen ceſſabit Concilij lex, & forma præſcripta in illo etiam caſu ſeruanda erit. 4

Reſp. cum Sanch. aliud eſſe rationem, & cauſam legis ceſſare in aliquo caſu, aliud verò non ſe extendere ad illum caſum; quia primò modo lex ſua vniuerſalitate caſum illum reuerà complexa eſt, alioquin non diceretur nunc circa illam ceſſare, cùm in eo nunquam locum habuerit, & quod nunquam fuit ceſſare, & deſinere non poteſt. At verò cùm lex, & ratio legis dicitur non ſe extẽdere ad aliquem caſum, ſignificatur legis rationẽ, atque adeò ipſam legem nunquam caſum illum comprehendiſſe; quãuis enim verba legis vniuerſalia ſint, nõ amplius extenduntur, quàm ferãt eius rationis, & cauſæ limites: dicimus autem caſum de quo diſputamus nunquam comprehenſum fuiſſe vniuerſali illo Tridentini decreto; quia cùm matrimonium prius inualidum, fuerit validum, & publicum in Eccleſiæ foro, licèt reipſa, & corã Deo eſſet inualidum, non potuit vnquam parere incommoda, quæ ex clãdeſtino timuit Conciliũ, & propter quæ euitanda legem tulit, quæ idcircò nunquam caſum illum comprehendit, cùm ad ipſum

nun

Digitized by Google

nunquam pertinuerit vnica ratio legis.

Ad reſponſum Clement. & Rotæ deciſiones reſp. ex DD. nuper allatis Pium V. aliter reſpondiſſe, & Pœnitentiariæ Tribunal Pij declarationem viii ipſo ſequi. Reſp. ſecundò in caſu de quo fuit Clemens conſultus, & multò magis in illis de quibus egit Rota, impedimentum non fuiſſe occultum, & ad minus probabile, & ideò matrimonium nequidem quoad apparentiam fuiſſe validum. Tertiò ad omnes vellendos ſcrupulos conſultum eſſe coram Parrocho, & teſtibus conſenſum reuocare. Quartò denique eæ deciſiones non faciunt ius, neque obligant nos vt illas ſequamur, quamuis authoritatem maiorem habeant quam vnius alicuius etiam grauis Doctoris ſententia, qua de re diximus in ſcientia canonica. Idem dicendum eſt de priuilegio quod conceditur commiſſario Generali Cruciatæ diſpenſandi in matrimonio nullo ob occultum impedimentum, ne denuo coram Parrocho & teſtibus celebretur; ſæpius enim priuilegia conceduntur ad tollendos ſcrupulos. Deinde non malè conijcit Coninch. *citata diſp.* 24. *n* 90. extendi ad impedimentum etiam probabile, modò publicum non ſit.

Denique obijcitur clauſula, litteris Pœnitentiariæ, ad reualidandum matrimonium apponi ſolita; *Si ita eſt, cum eis inter ſe publicè, & ſeruata forma Tridentini contrahant, diſpenſes.* Verum nego cum Sanch. *citata diſp.* 37. *num.* 9. inde quidquam aliud effici quam Confeſſarium non habere facultatem directè diſpenſandi hos coniuges circa formam a Tridentino præſcriptam; quia tamen poteſt diſpenſare in impedimento dirimente, eo deinde ſublato poterunt coniuges occulte inter ſe contrahere, ſi priùs ſolemnitatem neceſſariam adhibuerunt. Dic etiam moneri Confeſſarios, vt curent celebrari matrimonium ſecundum formam Concilij, quatenus id neceſſarium eſſe iudicauerint, neque Pontifex ſua illa diſpenſatione nouum imponit onus iis quibuſcum diſpenſat, ſed illud ad quod tenentur implere vult.

Egimus autem hactenus de impedimento occulto, ſi enim vel publicum ſit, vel ad forum contentioſum deductum, vel ſaltem probabile, quia duobus minimùm teſtibus probari poteſt iuxta *cap. quoties, de teſtibus,* & Maſcard. *de probat. concluſ.* 410. *num.* 9. *&* 19. *& conc.* 1023. *n.* 4. reualidandum erit coram Parrocho & teſtibus, quod tradunt Henriq. Sanch. Coninch. Rebell. Hurtado, & Ferdinandus à Caſtro Palao nuper laudati, qui tamen addunt illud impedimentum non dici publicum quod ſcitur à tribus, aut quatuor relatione ipſius coniugis, quia ea ſcientia non faciet teſtimonium ad diſſolutionem matrimonij, cùm non plus operari poſſit quàm coniugis ipſius confeſſio: non ſufficiet quoque deductum fuiſſe ad forum contentioſum, ſi in eo neque probatum fuit, neque probari poſſit, quia in iis caſibus Eccleſia iudicare debet validum eſſe matrimonium, neque eius diſſolutionem permittere poteſt. Ratio verò propter quam renouari volumus matrimoniũ coram Parrocho, & teſtibus, quando impedimentũ non fuit occultum modo explicato, eſt quia cùm tunc matrimonium ad petitionem vnius partis diſſolui poſſit, debet Eccleſiæ conſtare certò de eius valore, vt iure neget eam diſſolutionem; id autem conſtare nequit niſi denuò coram teſtibus, & Parrocho contrahatur; quæ cauſa eſt cur Sanch. & Coninch. idem ſeruandum eſſe velint, quoties vel Parrochus, vel aliquis teſtis conſcij erunt eius impedimenti, quia non conſtat Eccleſiæ de valore matrimonij, niſi per Parrochum, & teſtes, qui cum ſciant impedimentum dirimens, de valore matrimonij teſtari nequeunt, vt vides.

Quoties contractus inualidus fuit ratione incapacitatis materiæ, quæ propter ſubſtantiale aliquod impedimentum non poterit terminare eum contractum, certum quidem eſt tollendum eſſe illud impedimentum, ſi tolli poteſt; quia nempe non eſt de iure naturali, aut diuino, vt videmus in matrimonio, & præterea contrahendũ de nouo eſſe, non quidem coram Parrocho, & teſtibus, ſi coram ipſis iam fuit celebratum, vti diximus, ſed occultè renouato conſenſu, eo modo quo ſtatim dicam. 5

Grauiſſima tamen quæſtio eſt, an quando alter coniugum ignorat, vel nullitatem matrimonij, vel ceſſationem impedimenti, moneri debeat illius nullitatis, vel ceſſationis impedimenti, vt denuò conſentiat: & quidem certum eſt vtriuſque coniugis conſenſum renouandum eſſe, quia cùm prior conſenſus fuerit traditio, & acceptatio perſonæ inhabilis ad tale matrimonium, non poterit niſi per nouum conſenſum, & traditionem, atque acceptationem perſonæ factæ nunc habilis per remotionem impedimenti coaleſcere nouum illud matrimonium, quod vtriuſque coniugis cõſenſum verum, & legitimum poſtulat eſſentialiter, qualis non fuit ille prior, cùm circa perſonam illegitimam, & inhabilem verſaretur. Neque potior ratio eſt cur vnius potiùs coniugis, quam alterius conſenſus renouandus ſit, cùm vterque, vt dixi, fuerit nullus, & illegitimus. Et ſanè coniux ille conſenſit in non ſuam ex errore quidem, & nunc perſeuerat in eodem errore, & conſenſu erroneo, atque adeò nullo: atque ita docent paſſim cum Gloſſa *in cap. non debet, verſ. de cætero, de conſanguinit. & affinitat.* Nauar. *c.* 22. *n.* 47. *&* 80. Couarr. *in* 4. *decretal.* 2 *part. c.* 4. *initio, n.* 5. Sarmiento *lib.* 6. *ſelectar. interpret. c* 17. *&* qui plures dabit Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 35. *n.* 2. Gutier. *eodem tractatu cap.* 47. *num.* 3. Baſil. Ponc. *lib.* 4. *c.* 24. *num.* 2. Coninch. *de ſacram. diſp.* 24. *dub.* 10. *num.* 90. Hurtado *de matrim. diſp.* 5. *diffic.* 2. Ferdinand. à Caſtro *de ſponſalib. diſp.* 3. *punct.* 7. §. 2. Quia verò coniux ignarus nullitatis, aut ceſſationis impedimenti non poteſt de nouo conſentire in nouum matrimonium, quæritur an de illa nullitate doceri debeat, vt denuò conſentiat; an verò ſufficiat, vt qui conſcius iſtorum eſt conſentiat, alter verò ipſum tanquam coniugem tractare pergat, quia ſufficit nouum conſenſum procedere ex cognitione æquipollenti ſcientiæ nullitatis prioris impedimenti, licèt reuerà adhuc ignoretur; vt ſi coniux conſcius impedimenti petat ab alio num ſe ita diligat, vt ſi inter eos non eſſet matrimonium, vellet contrahere illud, ac num ex nunc velit ipſum in coniugem, ac ſi non fuiſſet validum matrimonium prius contractum. Hic porrò conſenſus eſt præſens, neque enim dicitur, ſi non eſſet matrimonium denuò contraheres, ſed ex nunc, & impræſentiarum contrahis. Deinde eſt nouus conſenſus, neque perſeueratur in priori conſenſu, ſed de nouo conſenſus elicitur, videtur quidem conditionalis, nempe ſi prius matrimonium fuit inualidum, de nouo, & ex nunc conſentis, ſed cùm ea conditio præſens exiſtat, nõ ſuſpendit actum in futurum, qui proinde abſolutus eſt, eſt quidem ille conſenſus cum errore, & ignorantia nullitatis prioris contractus, nõ procedit tamen ab illa ignorantia, quæ ſe habet

tantùm concomitantet. Eſt denique actus ab ſolutus tatione ſubiecti,& conditionalis ratione obiecti : poterit etiam extotqueri conſenſus iſte per Confeſſariũ,ſi hortetur coniuges ita ſe mutuo diligant,ac ſi matrimonium tunc inter ipſos initetur, & tunc ſe ita inuicem accipiant in coniuges,atque ſi nullum antea extitiſſet matrimonium.Rariùs tamẽ id vſurpandum eſſe Confeſſario monet Sanch. mox afferendus, ne inde coniux alter veniat in ſuſpicionem prioris nullitatis. Secundò poterit coniux ad docendam nullitatem matrimonij dicere ſe non in illud conſenſiſſe,non aperiendo aliud caput huius inualiditatis; qui enim inualidè conſenſit,non conſenſit , ſic qui fictè promiſit, non mentitur ſi dicat ſe non promiſiſſe,quia ficta promiſſio, non eſt promiſſio, vt oſtendit Sanch. *lib.1.de matrim. diſp.12. n.27.* & nos *in opere de vſuris lib.3. c.2. art.8.* mentietur tamen ſi dicat ſe fictè conſenſiſſe,id enim ſonat poſitiuam fictionem, hoc eſt voluntatem internam contrariam illi,quæ per verba, & externa ſigna manifeſtatur, quam tamen fictionem tunc non habuit qui in matrimonium cũ impedimento conſenſit,eùm fortaſſis tunc ne quidem noſſet impedimentum,quod poſteà comperit. Tertiò ſi hic modus non ſit ſecurus, ſitque graue aliquod periculum infamiæ , & ſcandali , neque poſſit extorqueri conſenſus conditionatus aliquo ex modis explicatis , ſufficiet vrgente neceſſitate, occulta nullitate matrimonij perſuadere coniugi eam ignoranti, vt ſe habeat in coniugem , & ille ſimiliter ſuum conſenſum innouet , quod ſi ne illa quidem petitio tuta ſit propter difficiles viri mores , ſatis eſt ſi viro petente debitum vxor conſenſum interius renouet , & copulam quam nequit ſubterfugere habeat affectu maritali , ſicut vir eam petit ; ita Sanch. *lib.3.de matrim. diſp.36. num. 9.* & Leſſi. *lib.2.cap.17. num.77.* qui ſæpiùs grauiter monet ne eam opinionem in praxi ſequamur,niſi vbi omnes aliæ viæ defecerint : quiſquis autem modus validandi matrimonij ex allatis ineatur ceſſante impedimento dirimente,vides cõiugem ignarum nullitatis matrimonij , illius non fieri conſcium, neque ceſſationis impedimenti in hac renouatione conſenſus, & matrimonij, idque minimè neceſſarium eſſe docent Caietan. *tom.1. opuſc. tract.* 11. *de matrim. q.2.* & *in ſumma verb. matrimonium.* Corduba *lib* 1. *qq.quaſt.*11.*art.2.dicto* 1.& *in ſumma q.*51. *opinion.*1. Sotus *in 4. diſt. 28.q.1.art.2.conſ.3. caſu* 1. & *diſt. 29. q.2. art.1. dub. vlt.* Henriq. *lib.*11. *de matrim.c.3.n.6.*Rodriguez 1.*tom ſum.c.*220.*n.*2.& alij ; quia ſublato illo priori impedimento illæ perſonæ ſunt habiles ad contrahendũ ſi igitur actu contrahant, vti faciunt per actualem conſenſum , quem præſtant aliquo modo explicato , legitimè & validè contrahunt. Confirmatur quia ſi iſti coniuges ſponſalia contraxiſſent,& deinde ſublato impedimento copulã haberent, reipſa matrimonium & contraherent , & conſummarent in locis in quibus Tridentini decretum non viget ; exiſtimant igitur copulam Eccleſiæ eſſe ſufficiens ſignum conſenſus requiſiti ad conſtituendum matrimonium : hanc porrò ſententiam vſque adeò veram eſſe exiſtimant aliqui eius authores , vt valere velint , licèt coniux ignarus nullitatis non eſſet conſenſurus , ſi illam ſciret , ſed potiùs à matrimonio diſceſſurus ; quia cùm de facto legitimè , & validè conſentiant , de facto contrahit , neque attenditur quod fuiſſet facturus, ſi aliquid cognoſceret quod ipſum latet ; ſatis enim eſt ſi quod facit tunc , id validè, & legitimè faciat ; vti ipſum hoc caſu facere oſtendimus. Omnes tamen fatentur vbi nullum ſcandalum , infamia , aut periculum timetur attenta conditione iſtorum coniugum , manifeſtandum eſſe alteri coniugi nullum fuiſſe matrimonium , vt in nouum conſentiat , cùm vti monet Sanch. ne probabilis quidem vlla ratio excuſet ab hac manifeſtatione, eo caſu.

6 Contraria nihilominus ſentẽtia coniugem vtrũque conſcium eſſe debere nullitatis prioris matrimonij, vt in nouum validè,& legitimè inter ſe denuo conſentiant, longè probabilior eſt , & in praxi , vbi ingens neceſſitas aliud non perſuadebit, tenendam eam docent Sanch. *lib.2. diſp.36. n.3.* Gutier. *de matrimonio , cap. 47. num.4.* Baſil. Ponc. *lib.4.cap.25.n.2.* Coninch. *diſp.24. dub.10.n. 90.* Comitol. *lib.1. reſponſor. quaſt.*120. Hurtado *de matrim. diſp.3. diffic.10.* Ferdinand. à Caſtro *de ſponſal. diſp.2. punct.7.§.2.n.3.* & alij, quia conſenſus neceſſarius ad contrahendum matrimoniũ procedere debet ex intentione efficiendi matrimoniũ,qui verò nullum dubium , aut ſuſpicionem habet de nullitate ſui matrimonij , quod omninò validum eſſe exiſtimat, nõ poteſt habere intentionem,& animum contrahẽdi de nouo matrimoniũ, & licèt cõiugio ſuo affectu maritali vtatur, id facit ex præſũptione validi ſui matrimonij,& iure quod per ipsũ ſe acquiſiuiſſe exiſtimat, nõ ex intentione renouandi conſenſum, aut matrimoniũ contrahendi. Deinde probat Ponc.quia in hoc nouo conſenſu, quẽ aduerſarij à coniuge nullitatis ignaro elici variis illis modis ſupponunt , eſt error ſubſtantialis,quia redundat in qualitatem perſonæ , ideoque repugnat valori matrimonij : non conſentit ſiquidem niſi in perſonã legitimam,& non impeditam. Verùm reſponderi poſſet ſublato impedimento eam nunc ampliùs impeditã non eſſe, ſed omninò habilem ad contrahendum : quare quod addit dolo extorqueri hunc conſenſum, ac proinde nullum eſſe , maiorem habet difficultatem ; quamuis enim non ſit dolus malus, impedit tamen libertatem ad contractum matrimonij neceſſariam.

Sed dicent aduerſarij eſſe dolum duntaxat comitantẽ,verùm cum ſit cauſa noui cõſenſus, quem præſtat, quia ſupponit priorem fuiſſe validum, nõ apparet quomodo dolus iſte ſeſe comitanter duntaxat habeat ad hunc conſenſum,quem cauſat; denique iſta ſententia eſt ex mente Clementis VIII. in reſponſis nuper à Comitolo relatis , in quibus Pontifex diſertè mandat alterum coniugem moneri de nullitate matrimonij , quod ipſum dicitur in priuilegiis Commiſſarij Bullæ Cruciatæ nuper adductis.

7 Reſp.quando contractus fuit inualidus ratione defectus alterius cõtrahentis,quia aut fictè tantùm conſenſit, aut dolo deluſit , aut metu coactus , vti contingit in matrimonio : opus in primis eſt nouo conſenſu vero,& libero in eo,qui fictè, vel metu, & fraude conſenſerat,vt nimirum verè, & ex animo, fraude, & metu omni remotis liberè conſentiat, alioquin perſeueraret idem defectus ſubſtantialis conſenſus ad contractum requiſiti.

Secundò opus eſt aliquo externo ſigno quo exprimatur nouus iſte cõſenſus ; illũ enim ſenſibilem eſſe oportet,vt fiat pars cõntractus ſenſibilis: verùm nihil opus eſt ſignũ iſtud diſtinctũ eſſe ab vſu , & poſſeſſione rei per contractum acquiſitæ, atque ita compono diſſentientes ſententias Sanc. *lib.2. diſp.* 32.qui negat ſigno ſenſibili opus eſſe, & Coninc. Baſil.Ponc.Hurtadi,& cæterorũ,qui ſenſibile ſignum

num noui conſenſus requirunt: nam vſus, & poſſeſſio rei per contractum acquiſitæ tanquam ſuæ, eſt ſignum ſenſibile vt vides, & ſufficienter explicat conſenſum in contractum, quo rem illam ſuam fecit, & nunc ipſam facit.

Tertiò non exigitur nouus conſenſus illius qui verè conſenſit in contractum v.g. matrimonij, ſed ſufficit ille quem priùs verè, & liberè præſtitit, moraliter & virtualiter perſeuerans: ita Nauar. *c.22. n.51. & 80.* & *conſilio 24. de regularib.* & Sanch. *diſp.32. citata num.90.* alios plures allegans, quia cùm ille conſenſus validus fuerit, & ſufficiens ad contractum v.g. matrimonij, nihil amplius exigitur ex parte ipſius, ſed eius qui tantùm fictè, aut non liberè ex metu, vel dolo contraxit: quare vbi iſte verè, & liberè conſentiet, contractus conualeſcet: ſic qui inualidè conſenſiſſet, nullo modo tunc conſenſiſſet, ſi deinde aliquanto poſt conſenſiſſet, reuera fuiſſet celebratus contractus; quia prior conſenſus maneret virtute, neque enim exigitur ſimultas temporis, ſed moralis, quæ eſt, quandiu prior conſenſus non cenſetur reuocatus, ad quod alij longiùs, alij breuius ſpatium temporis exigunt ſcribentes *in leg. 1. D. de verbor. obligat.* ad illa verba §.1. *Interuallum medij temporis modicum non vitiauit obligationem*: conſule Conarruu. in *4. decretal. 1. part. cap.4. num. 7.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap.3. num.6.* rem totam prudentum arbitrio relinquit Sanch. *diſp. citata, n.7.* quidquid autem ſtatuatur de hoc interuallo, conſtat plures contractus per nuntium, litteras, & procuratorem celebrari, quod de ipſo matrimonio probat Sanch. *lib.2. diſp. 11. & 12.* tunc autem contrahentes non eliciunt ſimul tempore conſenſum. In Sacramento item Pœnitentiæ poſt auditam confeſſionem, aliquando differtur abſolutio: non manet verò tantùm virtute conſenſus, ſed etiam actu, & formaliter, quando qui verè conſenſit exiſtimat contractum eſſe validum, & re per illum requiſita vtitur tanquam ſua, ille enim vſus, eſt veluti quidam continuus conſenſus in contractum matrimonium; igitur inualidum reſpectu alterius coniugis fictè, aut metu contrahentis, validum fiet, ſi deinde liberè conſentiat, quia tunc perficitur verè contractus, neque opus eſt alio ſigno, quàm vſu matrimonij, contra Henriq. *lib.11. cap. 12. num.2.* & Rebell. *2. part. lib. 2. quæſt. 9. num.1.* Neque monendus eſt alter coniux matrimonium fuiſſe nullum, contra Ponc. *cap.24. citato*, quia non exigitur nouus eius conſenſus, vti oſtendi, quare diſcrimen eſt inter hunc caſum, & illum in quo fuit impedimentum dirimens, & materia incapax; quia tunc neuter coniux verè conſenſit, ideóque vtriuſque nouus conſenſus exigitur. Non erit etiam opus aſciſcere Parrochum, & teſtes; quia non celebratur de nouo matrimonium, ſed ſolùm ſuppletur actus occultus, & iam omnia in externo contractu neceſſaria fuerunt obſeruata. Si autem vterque contrahens fictè, aut coactè conſenſit, exiſtimat ſapienter Sanch. *num.11. diſp.36. citata*, exigi ſignum aliquod externum, quod vtriuſque nouum conſenſum exprimat, quia neutra ex parte fuit inchoatus contractus, Leſſius verò *lib.2. cap. 17. num. 71.* diſtinguit, ſi enim vnus conſcius eſt defectus, qui in altero eſt, non poteſt præſumere validum eſſe conſenſum illius, cui ipſe ſuum adiungat, vnde debet ab illo exigere, & illi ſuum exhibere. Si verò vterque ignorat defectum alterius, quem putat validè conſenſiſſe, & vterque deinde conſentiret, vnus priùs, alter poſteriùs, fieret validus contractus; quia Titius v.g. putans Lucretiam conſenſiſſe, iam verè conſentit, & exprimit ſuum animum ſeruandi contractum, & vtendo re per ipſum acquiſita tanquam ſua: quare ſi illi deinde accedat Lucretiæ conſenſus, nihil deerit quo minus perficiatur contractus.

8 Idem dico de contractu inualido ratione doli, qui ipſi cauſam dedit, & ſubſtantiam ipſius affecit: nam non confirmatur niſi detecta veritate iterum etiam exteriùs; quia quamdiu non eſt ſcientia, & cognitio, non eſt conſenſus, cùm voluntas non feratur in incognitum. Materia etiam erat inhabilis ſi fuit impedimentum aliquod dirimens, etiam incognitum: quare nihil operatur vt diximus, & opus eſt nouo conſenſu: ſi tamen contrahentes ſciant ſublatum fuiſſe impedimentū, ſufficiet conſenſus internus quem exprimant ipſo rerum vſu, in quas cadebat contractus, modo nuper explicato. Si neſciant ceſſaſſe impedimentum, non ſufficiet ipſe rerū vſus, & conſenſus illo expreſſus, quia hic conſenſus nouus non eſt, ſed antiqui qui fuit inualidus repetitio; ideò enim volunt DD. in contractu permanere, quia putant priorem conſenſum valuiſſe, ſi enim fuit inualidus, non faciet modò ad contractum validum, cùm ſit idem qui priùs fuit inualidus, & modo virtualiter perſeueret, neque maiorem aliúmve habebit effectum, quàm dum formaliter, & actu poſitus fuit. Exemplum affert Leſſius *n.74.* in collatione beneficij, quæ ſi fuit inualida ratione alicuius impedimenti, v. g. irregularitatis, ſufficit quidem vt impedimento ſublato, collator vel ſummus Pontifex conſentiat retentioni, aut non contradicat; in donationibus ſimiliter, & cæteris contractibus dolo factis, ſi is cuius intereſt, non contradicat; cùm id tamen facilè poſſit, & certò fraudem detexerit, cenſetur ratum habere contractum, & nolle reſilire ab eo; quare nihil amplius ad eius confirmationem exigitur.

CAPVT IV.

De Diſſolutione pactorum & contractuum.

ARTICVL. I. *Quomodo pacta diſſoluantur per irritationem.*

II. *Quomodo pacta diſſoluantur per nouationem, & delegationem.*

III. *Quomodo diſſoluantur pacta, & contractus per reſtitutionem in integrum.*

NON ago hoc locu de diſſolutione obligationis ex contractu valido cōſequentis, illa enim tolli poteſt quamuis contractus à quo producta fuit, validus perſeueret; quia poſſunt dari aliquæ cauſæ, quæ liberent ab obligatione contracta, vel eius impletionem remorentur, & impediant, ac veluti ſuſpendant, vt mutuus conſenſus, impotentia; remiſſio debiti à creditore, & aliæ ſimiles de quibus agemus inferiùs, vbi de ſolutionibus, & de reſtitutione. Ago igitur de ipſamet pacti, & cōtractus diſſolutione, ex qua etiam neceſſariò ſequitur obligationis priùs contractæ extinctio; cùm enim

pactum vbi diſſolutum eſt, eodem modo ſe protſus habeat, atque ſi nunquam initum fuiſſet, nullam ampliùs vim habet, atque adeò nullam prorſus parit obligationem, quæ ſi aliquando fuit, perit funditus diſſoluto, & vt ita dicam infecto reddito pacto, ex quo nata erat. Hæc verò contractuum diſſolutio fit quidem contrahentium volũtate, qui mutuo conſenſu reſiliunt à contractu inito, & ſibi inuicem obligationem, & iura reciproca inde nata remittunt, quod æquè facere poſſunt, atque initio contrahere potuerunt, niſi ex illo contractu ius aliquod tertio quæſitum fuerit, cui renunciare abſq; tertij illius iniuria nequeant. Præter hanc contrahentium voluntatem qui liberè contractum celebratum diſcindunt, fit aliquando diſſolutio contractus, etiam inuitis contrahentibus, authoritate legis, aut Prætoris, alteriúſve contractum initum diſſoluentis, & inualidum eſſe iubentis, quod fit maximè dum contractus irritatur à Iudice, vel alter contrahens reſtituitur in integrum non obſtante contractu à ſe inito: quare Imperator *lib. 3. Inſtitut. titulo* 30. quatuor modos tollendi obligationem enumerat, ſolutionem, nouationem, acceptilationem, & nouum conſenſum contrarium: gloſſa verò *in §. vlt. illius tituli*, facit duodecim, quibus etiam aliquot ex variis iuribus excerptos addidit Comitol. 2. *part. de contract. cap.* 25. ex his de tribus duntaxat agemus, irritatione, nouatione, & reſtitutione in integrum; nam de ſolutione fuſiùs diſſeremus inferiùs.

ARTICVLVS I.

Quomodo pacta diſſoluantur per irritationem à Prætore.

Repetendum eſt hoc loco, quod pluribus diximus *in opere de vſuris & commerc. lib. 3. cap. 2. art. 4. in explicatione* 1. *regula, numer.* 5. irritationem actus fieri duobus modis, nam vel fit ab ipſa lege, vel fieri mandatur à Iudice, & actus ſiue contractus ita factus reſcindi iubetur à Iudice: eſtque magnum diſcrimen inter irritationem ipſo iure factam, & faciendam à Iudice, quia cùm lex irritat ipſo facto, contractus ab initio nullus fuit, & nunquam valuit: quare etiamſi aliquando fortaſſis opus ſit ſententia declaratoria Iudicis, irritatio retrotrahitur ad ipſum initium contractus, declaratur enim nullum vnquam fuiſſe; quare ſi propter eam nullitatem aliquid reſtituendum ſit, erunt quoque reſtituendi fructus toto tempore à celebrato primùm contractu percepti; quia contractus nunquam valuit, & nunquam per illum fuit tranſlatum dominium: quando autem irritatio tantùm facienda eſt, ſeu contractus eſt tantùm irritandus, ſiue irritabilis, & non irritus, valuit initio, valebitque donec per ſententiam condemnatoriam iuſtis de cauſis irritetur à Iudice: neque debent reſtitui fructus percepti à prima celebratione contractus, quia tunc valuit, licèt infirmus foret, & irritandus, veréque fuit tranſlatum dominium rei per eiuſmodi contractum traditæ, ſed reuocandum à Iudice.

De hac igitur tantùm irritatione contractus priùs validi diſputandi locus eſſet hoc capite; verùm de ea quantum fert noſtrum inſtitutum diſſeruimus in citato opere, vbi & regulas tradidimus, quibus dignoſceremus quandonam irritatio contractus ſit facta, aut facienda; ſiue quandonam contractus ſit ipſo facto, & iure irritus, quandonam verò irritabilis duntaxat. Denique quando irritatio indigeat ſententia tantùm declaratoria, & quandonam condemnatoria, & denique quando neutra opus erit, neque quidpiam addendum eſt traditæ doctrinæ hoc loco.

Obſeruo duntaxat nõ modò actum irritari poſſe à Iudice, cui eam facultatem lex tribuit, quæque id fieri mandat, aut quando grauibus de cauſis æquitas inter litigantes conſtituenda, id neceſſariò poſtulat, ſed etiam ab eo à quo vel materia contractus, vel voluntas contrahentis in eo actu omninò pendet, quod fuſiùs oſtendimus diſputantes de irritatione voti: nam aliquando promittens, & contrahens alteri ſubiicitur quoad ſuammet volũtatem, & conſenſum, quem legitimè, & validè ſine alterius authoritate præſtare nequit. Sic teſte Liuio *lib. 4. decade* 4. maiores noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine authore voluerũt, & in manu eſſe parentum, fratrum, virorum. Alius quiſpiam alteri ſubiicitur ratione rei promiſſæ, ſiue quæ eſt materia quæ alterius dominio ſubditur, ſaltem quoad aliquam conditionem neceſſariam, vt poſſit eſſe actus vel contractus materia: qui igitur habet eiuſmodi dominium vel in voluntatem contrahentis, & promittentis, vel in rem de qua contrahitur, poterit, eum contractum, vel promiſſionem irritare, directè quidem, & propriè totam obligationẽ elidendo, & contractum inualidando, quoties voluntas contrahentis illi ſubiecta eſt; quia ratione illius ſubiectionis nequit præſtare firmum conſenſum, ſed ſolùm ſubordinatum, dependentem, & cum ea tacita eſſentiali conditione *ſi ſuperior annuerit*, pater v. g. aut maritus: quare illo ſuperiore renuente, & contradicente ita contractus ſimpliciter irritatur, & extinguitur, vt nunquam reuiſcat: quando verò res promiſſa ſiue materia cõtractus ita pendet ab alterius dominio, vt ſine illius conſenſu, aut iniuria mandari nequeat executioni, indirectè contractum irritare poterit, eiuſque obligationem: quamdiu enim propter domini illius reſiſtẽtiam, & contradictionem res promiſſa mandari executioni non poterit, quin aut iuſtitia, aut honeſtas alia violetur, ceſſabit obligatio, & contractus, qui tamen non prorſus extinguitur: vbi enim ceſſabit illud impedimentum, quia v. g. materia deſinit eſſe ſub dominio alterius quàm contrahentis, qui illa modò poteſt vti pro arbitrio, reuiuiſcit obligatio contractus, & promiſſionis, quæ proinde ſimpliciter extincta non fuerat, ſed ſuſpenſa, & ſopita duntaxat. Hinc fit vt irritatio directa immediatè cadat in obligationem, aut in ipſum contractum, & actum quem inualidat, annullat, & extinguit per voluntatem Superioris à quo pendebat, qui efficaciter facit, ſiue vult, vt non ſit ampliùs ille actus, promiſſio, vel contractus. Irritatio verò indirecta, & tantùm ex parte materiæ non cadit in ipſam obligationem primò, & per ſe, ſed obliquè, & indirectè, quatenus eius materiam illicitam, inhoneſtam, aut impoſſibilem reddit, & conſequenter ipſam obligationem ſuſpendit, quæ omnia fuſiùs demonſtrauimus in irritatione voti.

ARTICVLVS II.

Quomodo pacta diſſoluantur nouatione, & delegatione.

Nouatio quid. 1.
Nouatio quotuplex. 2.
Delegatio quid. 3. 4.
Conciliantur iura antiquiſſima, & noua. 5. 6.

1 NOuatio, inquit Vlpian. *l.* 1. *D. de nouationib. eſt prioris debiti in aliã obligationem vel ciuilẽ vel naturalem transfuſio, atque tranſlatio, hoc eſt, cùm ex præcedenti cauſa ita noua conſtituitur, vt prior perimatur; nouatio enim à nouo nomen accepit, & à noua obligatione*: Græcis dicitur ἀνανεώσεως, nam καινοποιεῖν eſt nouari, dicitur & μεταγωγὴ μετάθεσις, quamquam hæc verius eſt delegatio, tranſlatio rei, & debitoris, vt ſtatim dicam. Nihil porrò intereſt, vt ibidem monet Vlpian. qualis præceſſerit obligatio ciuilis, aut naturalis, aut honoraria, verbis, an re, an conſenſu contracta fuerit, modò ſequens obligatio teneat, & valida ſit ſiue naturaliter, ſiue ciuiliter: nam prior obligatio prorſus perimitur, & noua eius loco exurgit, quod Baſilica dicunt ἐφ᾽ ᾧ τὴν πρώτην ἀναιρεθῆναι, & ἀφανίζεται ἡ προτέρα ἐνοχὴ, idcircò dicitur fieri per exſtipulationem, & ex promiſſionem; nam particula *ex*, ſignificat veteris obligationis interitum, & nouæ exortum. Eſt itaque nouatio veteris ſtipulationis, vel alterius obligationis in nouam ſtipulationem, vel obligationem tranſlatio, & confuſio, quo iure vetus obligatio, vt diximus, perimitur ipſo iure, quod vltimum addo ex *l. ſi vnus* 27. *§. pactus, D. de pactis*, & *l.* 3. & 5. *C. de nouationib.* vti exponit Cuiac. Duo igitur ad nouationem requiruntur, nempe, vt prior obligatio valida fuerit, & eius loco alia item valida ſubrogetur, quæ priorem omninò perimat, vnde fit vt qui neque ciuiliter, neque naturaliter obligantur, nouare non poſſint, ſicut neque qui noua ſua obligatione priorem non poſſunt perimere: quare ſeruus ſuſcipiens obligationem alicuius debiti ſoluendi nouationem præſtare nequit, *§. præterea, Inſtit. quibus modis tollat. obligat.* quia nec ciuiliter, neque naturaliter obligari poteſt, niſi, quod aduertit Gloſſa, ex domini facultate peculij quandam liberam adminiſtrationem haberet. Mulier quoque nequit perfectè nouare; quia licèt ſuſcipiat in ſe debitum alterius, poterit tamen vti beneficio Velleiani, & reuocare ſuam obligationem ex *l.* 1. *l. ſenatuſconſultum, l. ſi paternam, l. ſi mulier alienam. C. ad Velleian.* Cum igitur ea facta reuocatione prior contractus vim habeat, eius obligatio perempta non erat, ſed ſuſpenſa quamdiu mulier ſuam obligationem non reuocauerit. Minor verò & pupillus nouare poſſunt etiam abſque authoritate tutoris, ſi creditor illis contentus ſit, vt ait *l.* 1. *§.* 1. *De de nouation.* Vlpian. quia naturaliter obligari poſſunt, & ſibi creditor imputare debet, quod obligationem ita infirmam, vi beneficio reſtitutionis elidi poſſit, veteri obligationi ſubrogari paſſus ſit.

Obiicies ex Papiniano *l. ſi Titius* 48. *§. fin. D. de fideiuſſorib.* ſi minor dolo creditoris inductus alienam in ſe obligationem nouandi cauſâ ſuſceperit, & inanem eſſe hanc obligationem, & veterem extingui: falsò igitur requirebamus ad nouationem veteri validæ obligationi ſubrogari nouam validam, cùm in hoc exemplo habeamus nouationem in qua extincta veteri obligatione, poſterior inutilis, & nulla eſt: quod ipſum hoc eodem pupilli exemplo affirmatur *§. præterea, Inſt. quibus mod. oblig. tollat.* Deinde ſeruus nequit nouare, vt diximus, & traditur *l. in perſona* 30. *§.* 2. *D. de pact.* vbi qui quod alter debet à ſeruo nouandi cauſâ ſtipulatur, nec ius vetus tollit nec nouum inducit. Atqui videtur ſeruus æquè ac pupillus obligari naturaliter poſſe *leg. naturaliter* 13. *D. de cond. indeb.*

Reſpondet primò Hotman. in eo caſu non exurgere nouam obligationem, non nouationis, ſed nouare volentis vitio, qui dolo malo vtens huic actioni impedimentum attul t.

Reſp. in pupillo nouante naſci inanem, id eſt inefficacẽ obligationem, cùm neque pariat actionem in pupillum, neque exceptionem: quare licèt liberetur debitor hoc caſu, non tamen noua obligatio efficax in pupillum naſcetur: quare ſtultè agit, qui veterem obligationem vtilem mutauit in inutilem, & ſibi pupillum ſine tutoris authoritate obligare voluerit, qui tamen non poterat niſi naturaliter obligari, & cui fas erat beneficio reſtitutionis naturalem illam obligationem elidere: quare ſi Octauius à pupillo Titio ſine auctore tutore ſtipuletur id quod ſibi Mæuius debebat, neque pupillus vocari in ius poſſit, non poterit tamẽ Octauius agere in Mæuium, quaſi nihil actum ſit, & nulla noua exorta actio; quia non nouationis vitio, ſed ſolius Octauij vitio factum eſt, ideóque pro eo habenda eſt, ac ſi reuerà exorta eſſet obligatio. Licèt igitur nouatio cauſa efficiendæ nouæ obligationis inſtituta ſit, quoties tamen culpa, & vitio ſtipulantis impedietur eius effectus, pro facta aduerſùs ipſum inducenda erit; quoniam in omnibus cauſis pro facto accipitur id, quod per alium impedientem fit quominus fiat, & imputare ſibi creditor debet, quod minorem perſonam elegerit. Ex quibus tandem colliges omnes qui habent liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem, & ſtipulari poſſunt, nouare etiam poſſe.

Nouatio duplex eſt vna quæ fit mutata cauſâ, vel ſtatu prioris obligationis, non mutata tamen perſona debitoris, vel creditoris, vt ſi decem quæ mihi ex teſtamento, vel mutuo debes, de te ſtipuler nouandi animo. Altera fit mutata perſona vel creditoris, vel debitoris, vel vtriuſque: v. g. ſi quod tibi debeo, alij non creditori tuo ſtipulanti promittam: quia tamen delegaſti vt alij promittam, tunc eſt mutatio creditoris. Si vero quod tibi debeo ſtipuleris ab alio non debitore meo vltro ſe offerente, vltro ſuſcipiente nomen meum, & me liberante, erit nouatio mutata perſona debitoris. Denique mutatur perſona vtriuſque tum creditoris, tum debitoris ſi per debitorem meum tibi creditori meo delegauero, qui tibi promittat quod debeo, promittat inquam, non ſoluat: nam hoc caſu non fit nouatio *l. ſi debitorem* 21. *D. de nouation.* in alio autem & delegator ipſo iure liberatur à ſuo creditore, & delegatus à delegatore, *l.* 11. & *l.* 52. *D. de acceptilatione.* Nouatio igitur quæ fit ſine mutatione perſonæ, nomen commune nouationis ſibi retinet, vbi autem intercedit aliqua mutatio perſonæ, dicitur delegatio, quæ etiam magis propriè 2

exiſtit quando & debitor, & creditor ſimul mutantur.

3 Itaque delegatio eſt mutatio creditoris, vel debitoris, vel vtriuſque, qua de re vide Connanum *lib.6.cap.8. Delegare*, inquit Vlpian. *l.11.D.de nouation. eſt vice ſua alium reum dare creditori ſuo, vel cui iuſſerit*, & cùm nouatio ſit mutatio debiti, ſiue veteris ſtipulationis, vel obligationis in nouam ſtipulationem transfuſio, ſiue tranſlatio, delegatio eſt mandatum in ſtipulationem nouandæ & transferendæ prioris obligationis, quod fit v.g. creditore iubente debitorem ſuum id quod ſibi debet, alij creditori ſtipulanti, vel alij cui creditor illud nomen donatum vult, promittere. Hoc iuſſum ſiue mandatum, vt alij ſtipulanti promittat, quod mihi debet, delegatio nominatur; vnde inter delegantem, & delegatum naſcitur actio mandati *l.12.d.de nouation.* Perficitur delegatio ſecuta ſtipulatione, hoc eſt delegato nouandi causâ promittente, & qui delegatus eſt ſiue debitor ſit delegatus, ſiue non debitor, nam etiam non debitor delegatus ex ſtipulatu, ſequuta ſtipulatione conueniri, & exigi poteſt, licet mandator nondum ei ſatisfecerit, *l.5.C.de nouation.*

4 Alia quædam eſt delegatio non debitoris, ſed actionis, vt cùm aliquem procuratorem facio in rem ſuam, vel in rem meam, vt agat meo nomine cum alio. De hac delegatione agit *l.quod debetur. D. de pecul.* cùm ait delegationem pro procuratione eſſe, id eſt, ceſſionem actionis eſſe pro ſolutione ritè facta. Vera & propria delegatio quæ eſt nouatio, & de qua diſputamus hoc loco, non eſt mandatum, vt agas, ſed mandatum vt alij ſtipulanti promittas; inter quæ duo mandata, & delegationes multùm intereſt: nam delegatio actionis fit etiam inſcio debitore, delegatio debitoris non item; cùm ipſe alteri creditori ſtipulanti promittere debeat; quod diſcrimen explicat *l.1.C.de nouationib.* Deinde delegatione actionis, neque actio, neque obligatio tollitur: nam ſi te faciam procuratorem in rem meam demandata tibi, vel delegata actione mea, non idcircò amitto actionem meam: delegatione verò debitoris perimitur omninò & actio, & obligatio mea *l.3. C. de nouation.* Tertiò delegatione debitoris nouatio perfecta non poteſt reuocari à delegante, etiamſi is cui quis delegatus eſt nondum à delegato pecuniam exegerit, vel eam donauerit, aut acceptam tulerit: delegatio tamen ſiue ceſſio actionis reuocari poterit re integra *leg. ſi pater, C. mandati.* Dico *re integra*, cùm is cui delegata eſt actio nondum litem conteſtatus eſt, vel nihil exegit à debitore, vel nondum denunciauit debitori, vt ſolueret: in his tribus caſibus, quia res non eſt in integro, mandatum actionis reuocari nequit *l.3.C.de nouation.* Denique is cui quis ſpecialiter delegauit, vel ceſſit actionem in rem ſuam, non in rem delegati, non poteſt inuito mandatore ſiue delegatore nouare, vel alio modo ſoluere actionem: hæc omnia notat Cuiac. *ad C. de nouation.* vbi etiam præter duo illa genera delegationis enumerata, vnum ſi mandaui vt alteri promitteres, alterum ſi mandaui vt cum alio ageres, tertium aliud affert, ſi non mandaui vt ageres, vel promitteres, ſed ſi te debitorem meum delegaui, vt ſolueres Caio pecuniam mihi debitam: quod mandatum plurimùm diſtat ab eo quo quem delegaui vt alij promittat ſtipulanti, ſi enim iſte promittit, nouatur obligatio cùm id agitur, ille verò qui delegatur vt ſoluat alij quod mihi debet, ſi promittat vel conſtituat ſe ſoluturum, non nouatur obligatio; quoniam non actum eſt vt nouaretur, neque id voluit is cui delegatur *l.22. D.de nouation.* atque de hoc genere delegationis interpretatur *l.pen. C. de nouation.* quæ negat eum qui delegatus eſt vt ſolueret, conueniri poſſe niſi promiſerit ei, cui delegatus eſt, vel conſtituerit ſe ſoluturum: agit autem de debitore chirographario, nam hypothecarius iure hypothecæ generalis, ſi ei ſpecialiter illud nomen obligatum fuerit, etiam non delegatum debitorem conuenire poterit, *l.nomen. C.quæ res pignor. obligar. poſſ.* Vide tandem Cuiac. *lib.8. obſeruat.cap.19.*

Secundò diuiditur nouatio in voluntariam, & neceſſariam: priorem ita appello eam, quæ fit ſtipulatione, nemo enim ſtipulatur inuitus *l.1.& 6.C. de nouat.* & ſtipulatio cõſiſtit ex vtriuſque conſenſu *l.1.§.pen.D.de pactis,l.ſi ſtipuler,vlt.D.§.de verb. ſignificat.* nouatio & delegatio, quæ fit per litis conteſtationem iudicio accepto neceſſaria eſt *l.vlt. D. de ſeparationibus*, quia iudicium datur in inuitum *leg. inter ſtipulantem, §.1.D. de verbor. obligat.* v. g. ſi is cui vendidi nomen Titij mandato meo conteſtetur cum debitore ſuo, eumque Iudex condemnet, vetus actio nouatur, & transfertur in rem iudicati *l.1.C.de nouation.* & *l.nominis, C.de hereditate vendita*, & alibi. Nouatio igitur voluntaria de qua ſola agitur *in D. & C. titulo de nouationibus*, fit ſtipulatione, modo nuper explicato *l.1. & 2.D.de nouation.* & *§. præterea, Inſt.quib.mod.obligat.tollit.* ſi enim fieret per nudum pactum, tunc prius debitum deduceretur in conſtitutum, de quo *§. de conſtituta 9.Inſtit. de action.* deinde requiritur quod hoc expreſsè agatur, vt obligatio nouetur *l.2. in fin. D. de nouat.* alioquin duæ erunt obligationes, & ex vtraque dabitur actio creditori, veluti quando debitor pluries idem promittit, licèt tamen tunc vtraque maneat obligatio, ſemel tantùm fieri debebit exactio, cùm bona fides non patiatur idem bis exigi *l.bona fides 57.D.de regul. iur.*

Diſtinguenda verò ſunt tria tempora & iura: 5
nam iure antiquiſſimo nouatio fiebat quoties aliquid addebatur, vel detrahebatur priori obligationi, & quoties noua perſona interueniebat, vt colliges *ex l.fin.C.de nouationib.* Iure antiquo Digeſtorum etiamſi id non fuiſſet expreſſum, nouandi tamen animus requirebatur, & præſumi debebat, vt dicebamus ex *l.2.* cui adde *l. ſi Stichum 8.§.1.& 2. l.fundum 28. D.eod.l.duo ſocietatem 71.D.pro ſocio:* quam ob cauſam quoties de abſente per nouationem liberando agitur, addi ſolebat abſentis liberandi, nouandique causâ ſtipulatum eſſe *l. per iuſiurandum 13.§.penult.D.de acceptilat.* Quia verò dubiũ ſæpius erat an inter contrahentes actum eſſet, vt nouatio fieret; quæ quæſtio cùm facta eſſet, difficile ſoluebatur; quibuſdam coniecturis ex veriſimili ſtipulantium voluntate nouationem inducebant, etiamſi expreſsè id non agebatur; vt ſi ſecunda ſtipulatio continebat plus re quàm prima, v.g. promiſi tibi centum ex certa cauſa, deinde ex eadem cauſa promiſi tibi ducenta, quod idem non contingebat ſi ſecunda ſtipulatio continebat plus tempore, quàm prima, ſed idem re; promiſi tibi dare decem menſe Ianuario, deinde eadem decem ſpondeo me daturum menſe Maio. Præterà quando vtraque idem quidem continebat, interueniebat tamen noua perſona, niſi actum eſſet vt duo rei conſtituerentur, *l.3.in princ. D.de duob.reis*, quare dicebat Vlpian. *in l.ſcire debemus 29.D.de verbor. obligat.* non fieri nouationem ſi ab eo qui decem debebat, poſteà decem & quinque ſtipulet,

ex

ex diuerſa videlicet cauſa, quia tot ſunt ſtipulationes quot ſunt ſummæ, vnde poſterior ſtipulatio, non eſt priore vberior, & plenior. Secundò cùm id quod mihi Titius debet à Sempronio ſtipulor, id tacitè agi videtur, vt nouatio fiat, hoc eſt vt Titius liberetur, & ipſius obligatio in perſonam Sempronij transferatur *l. vlt. §. vlt. D. de nouation.* qua de cauſa Celſus dicebat in ea ſpecie, ita demùm fieri nouationem, ſi id actum ſit, vt nouetur, id eſt vt Sempronius debeat, quod Titius promiſit *l. ſi Stichum* 8. *§. ſiquis ita, D. eod.* quaſi differentia non ſit id agi, vt Sempronius debeat, quod Titius promiſit, & id agi vt nouatio fiat. Ex quibus colligit Anton. Faber *lib. 3. coniectur. cap. 3. num.* 2. quod ſæpiùs in Digeſtis dicitur, ita demum nouationem fieri, ſi id actum ſit, non ſic intelligendum eſſe, vt id expreſsè agi neceſſe ſit, ſed vt id tacitè agi videatur, niſi contrarium expreſsè actū ſit *l. ſi Stichum* 8. *§.* 1. *D. de nouat. iuncta l.* 1. *D. de prætor. ſtipulat. l. decem* 30. *D. de iure dotium, l. te hominem* 32. *D. de nouation.* in qua Paulus ait, cùm tu hominem, & Seius decem mihi debeat, ſi ego ſtipuler ab alio nouandi causâ, quod te & Seium mihi dare oporteat, vtramque obligationem tuam ſcilicet, & Seij nouari, quia vtraque in poſteriorem ſtipulationem deducta eſt. Vnde colligit Faber mendū in verbis illius legis irrepſiſſe *quod te, aut Seium*; legendum enim eſt *&* pro *aut*, quia in alternatiua ſtipulatione vtraque non continetur, niſi vt alterutra præſtetur, non etiam vt ex vtraque peti poſſit. Ex hac emendatione conciliabis Paulum cum Marcello cuius ſententiam refert & probat Vlpian. *in l. ſi Stichum* 8. *§. ſi decem. D. eod.* qui in caſu propoſito dixit neque te, neque Seium liberari, ſed in poteſtate promiſſoris eſſe vtrum liberare malit, cùm tamen Paulus dixerit, te, & Seium liberari; quia in propoſitione Marcelli ſtipulatio eſt alternatiua, in propoſitione Pauli ſtipulatio eſt abſoluta, & vna duntaxat coniungens extrema: nihil igitur mirum ſi in vna fiat nouatio, & non in altera. Eandem fuiſſe mentem Celſi *l. ſi is cui* 26. *D. de nouation.* eademque ratione particulam, *&*, ponendam eſſe loco *aut*, contendit *c. 3. citato* Anton. Faber, vti & plura circa eam *l.* 26. diſputat, indéque ſapienter conijcit etiam veteri iure Digeſtorum contingere potuiſſe, vt non aliter fieret nouatio, quàm ſi ſpecialiter id actum eſſet, nimirum in quibus nihil erat ex quo colligi iure poſſet eam contrahentium fuiſſe voluntatem, vt nouatio fieret; v.g. dum poſteriore ſtipulatione minus continetur quàm priore, qua de cauſa Iulianus ſcripſit *in l. qui vſumfructum* 58. *D. de verbor. obligat.* eum qui ſtipulatur actum, deinde vſum, vel fructum, deinde vſum, nihil agere niſi nouandi animo ita facere ſpecialiter expreſſerit; nempe quia minus eſt in vſu quàm in fructu, & minus in itinere, quàm in actu, tamque verum eſt priorem ſtipulationem non nouari per poſteriorem, quæ minus continet, vt licèt ſit delegatus is qui minus promiſit ab eo, qui antea plus promiſerat, non fiat tamen nouatio, *l. eum qui* 58. *§. ſi à te. D. de verbor. obligat.* niſi tamen ſtipulator ſe ab alio nouandi animo ſtipulari ſpecialiter expreſſerit. Quando verò tantumdem in priore, & poſteriore ſtipulatione continetur, videndum erit an idem in vtraque ſtipulatione promiſſor ſit, an verò delegatus is qui in ſecunda ſtipulatione promiſit. In priore caſu non fit nouatio, niſi id ſpecialiter fuerit expreſſum *leg. ſcire* 29 *D. de verbor. obligat.* in poſteriore fiebat nouatio, quia interueniebat noua perſona *leg.* 8. *§. ſi quis ita. D. de nouation.*

Ex his vides cur Paulus *in l. aliam* 29. *D. de* 6
nouation. dixerit poſt pubertatem tutelæ actionem nouari, & poſt diuortium actionem de dolo, ſi id ſpecialiter actum ſit, alioquin enim non nouatur, cùm nempe nihil ſit, vt diximus, vnde nouandi animus colligatur, immò verò præſumitur contrarius; quia non eſt veroſimile mulierem, quæ poſt diuortium dotem à marito repetet vel pupillum qui à tutore ſtipulatur, velle vt actio de dote aut tutela nouetur, & in ſtipulationem transfundatur. Cùm enim actio de dote, & tutela ſint actiones bonæ fidei, multò conſultius fuerit ex illis agere, quàm ex ſtipulatu, quia eſt actio ſtricti iuris. Et ſanè plura priuilegia ſunt actionis de dote, & tutelæ, quibus caret actio ex ſtipulatu. Hinc ait Pomponius in *l. ſi diuortio* 21. *D. de verbor. obligat.* ex Proculi ſententia, mulierem quæ centum duntaxat in dote habebat, ſi diuortio facto ducenta dotis nomine ſtipuletur, centum duntaxat ex ſtipulatu, alia centum illi dotis nomine deberi, ac proinde non fuit nouatio, neque prior obligatio perempta fuit, ſed illi noua ex ſtipulatu fuit adiuncta: quis enim dixerit mulierem quæ bonæ fidei actione de dote tuta eſt, agere ex ſtipulatu velle, vt bonæ fidei actio in ſtrictam tranſeat, veteri ſiquidem iure Digeſtorum duplex erat actio repetendæ dotis; vna quæ dicebatur rei vxoriæ, ſiue de dote, & erat bonæ fidei, *§. fuerat, Inſt. de action. l. vt bona* 36. *D. de pecul. l. ſed & ſi* 21. *D. ſoluto matrim.* altera ex ſtipulatu ſtricti iuris ante nouam conſtitutionem Iuſtiniani *l. vnica C. de rei vxor. action.* Actio autem de dote non cenſebatur nouari per actionem ex ſtipulatu, niſi id ſpecialiter actum eſſet, cùm contrarium eſſe contrahentium & ſtipulantium animum iure merito præſumeretur: quare quando dos debita eſt marito ex ſtipulatu, quia ab extraneo promiſſa, ſi eam deinde maritus ab vxore ſtipuletur, fiet nouatio, neque dos duplicabitur ex Vlpian. *l. ſi Stichum* 8. *§. vlt. D. de nouat.* quia nimirum actio ex ſtipulatu, ex qua primùm dos debebatur, non erat vberior ea, quæ modo ex ſtipulatu competit, & noua perſona interuenit, non incommodè neque ſine cauſa interpretamur ſtipulatorem nouandi animum habuiſſe, & à priore obligatione recedere voluiſſe; quæ & alia quædam affert Anton. Faber; & tandem imperitè argui Tribonianum quaſi ſuo more addiderit *leg. qui vſumfructum* 58. *D. de verbor. obligat. l. aliam* 29. & *l. ſi rem* 31. *§. ſi duo, D. de nouation.* hæc verba, *ſi id ſpecialiter actum ſit*: quaſi illo iure veteri nouatio non contingeret, niſi id ſpecialiter ageretur; quia etiam id temporis in quibuſdam caſibus id neceſſe fuiſſe oſtendimus.

Quia verò nouandi animus, quem variis ex circumſtantiis colligebat ius Digeſtorum, innumeras difficultates, & lites pariebat, placuit Iuſtiniano *corrigere nouationū nocentia volumina, & veteris iuris ambiguitates reſecare*; ideóque cōſtitutione, quæ refertur *l. vlt. C. de nouat.* ſanciuit ne facta cenſeretur nouatio, licet quis aliam perſonam adhibuerit, vel mutauerit, & vt Baſilica habent ἢ ἄλλο πρόσωπον προσλάβῃ ἢ ἐναλλάξῃ, pignus acceperit, quantitatem augendam, inualidámve crediderit, conditionem vel tempus addiderit, vel detraxerit, vel cautionem minorem, vel, vt rectè emendat Cuiac. *lib. 19. obſeruat. cap. 36. iuniorem* acceperit, aliúdve fecerit ex quo veteris iuris creditores nouationes inducebant, niſi ipſi ſpecialiter priorem obligationem remiſerint, & ſpecialiter expreſſerint ſe à

priori

prioti debito recedere, & poſteriorem obligationem pro anteriori eligere, niſi inquiunt Baſilica *lib.26.tit.4.cap.28.* *ἐν μὴ ἰδικῶς τοῦτο ῥηθῇ*; ſpecialiter expreſſum fuerit. Harmenopul. *ἐπὶ ῥητοῖς συμφωνήσωσι*, cū diſertis verbis ita conuenit. Hæc erat porrò formula *ὅτι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἀναχωροῦμεν χρέους*, quod à priori debito recedamus: *in Sinopſi* verò *Baſilic.* & Harmenop. *ἀφίημι τὸν πρώτερον τῆς ἐνοχῆς καὶ λαμβάνω σε*, priorem debitorem obligatione libero & te accipio. Definit igitur Iuſtinianus nouationem non præſumi, ſed probari factam oportere, neque intelligi factam niſi ſpecialiter dictum ſit vt à priori debito recedatur. Circa verba tamen quibus ſuam definitionem claudit imperator, aliqua difficultas eſt, quam expendit Gothofredus in notis: quamuis autem ideò perſpicua ſit conſtitutio Iuſtiniani, illam ita interpretantur DD. nullam nouationem ex variatione contractus præſumendam, niſi ea vel diſertis verbis exprimatur, vel ex circumſtantiis manifeſtò colligatur: ita Gutier. *de iuram. capit.*63. Anton.Gabriel. *lib.3.opinion.comm.conc.*1*.de nouation.* Molina *tract.* 2. *diſp.*559. Ferdinand. à Caſtro *de iuſt. diſp.*1. *punct.*16.§.1.*n.*5. qui omnes quænam ſint iſtæ manifeſtæ circumſtantiæ non ſine iurgiis diſputant. Quia verò forum tantùm externum iſtæ quæſtiones exercent, à nobis ſine iactura præteriri poſſunt, vt & cætera quæ ad nouationem per litis conteſtationem in iudicio factam pertinent.

Addo duntaxat, etſi nouo contractu diſceſſum fuerit à priore per hæc verba; *Qui demeure nul & de nulle valeur*; manet tamen hypotheca priori contractui appoſita, ſi res poſteriori tradita euincatur, eo quod reſolutio prioris contractus conditionata fuerit, ſi nempe poſterior contractus, illiuſque obligatio conſtaret, & firma foret, itaque iudicatum refert Louet. *litt. N.num.*7. vbi eius commentatorem adeas velim.

ARTICVLVS III.

De diſſolutione pactorum & contractuum per reſtitutionem in integrum.

Quid ſit reſtitutio in integrum. 1.
Eius æquitas. 2.

VTilitas *huius tituli*, inquit Vlpian. *l.*1. *D.de in integrum reſtitutione, non eget commendatione, ipſe enim ſe oſtendit: nam ſub hoc titulo plurifariam prætor hominibus vel lapſis, vel circumſcriptis ſubuenit, ſiue metu, ſiue calliditate, ſiue ætate, ſiue abſentia inciderunt in captionem:* ideoque non potuimus hanc diſputationem intactam præterire; pauca itaque ex iis quæ fuſiùs Iuris tum Cæſarei, tum Pontificij interpretes in titulos *de minoribus, & reſtitutione in integrum,* Couar. *lib.*1. *variar.à cap.*3. *ad* 7. Rebuff. *in conſtitution. regias, tractatu de hac ipſare,* Molin. *de iuſtit.tract.*2.*diſp.*573.*& ſequent.* Ferdinand. à Caſtro Palao *de iuſtitia, diſp.*1.*punct.*19.aliique ſuis locis afferendi fuſiùs diſſerunt, quantum inſtituti noſtri ratio patietur perſtringere viſum eſt.

1 Reſtitutio integri, ſeu in integrum definitur à Paulo 1. *ſententiar.* redintegrandæ rei, vel cauſæ actio; id eſt actio reſtitutoria ſiue cauſſaria qua res nobis certa, vel ius, vel quælibet alia cauſa redintegratur. Græci dicunt *ἀποκαθίσταται*. Competit autem in rem vel in perſonam: in rem quidem vt res ipſa qua de agitur, reuocetur: in perſonam vt rem nobis ipſa reſtituat. In materia verò contractuum dici poteſt reſtitutio in integrum iudicium, quo aliquis in contractu, aut quaſi contractu læſus ex æquitate quadam, beneficio legis in priſtinum ſtatum, ac ius reſtituitur; de hoc legis igitur beneficio diſſerimus hoc loco.

Eius æquitatem impugnant aliqui ex eo quod eiuſmodi reſtitutio non detur, niſi ad ea reſcindenda quæ ipſo iure tenent *l.*3.*C.ſi aduerſus libert.* & *l.*2.*&* 4.*in quibus cauſis reſtitut.neceſſaria non eſt.* 2
Et ſanè quoties quis mero iure & auxilio communi tutus eſt, non indiget auxilio extraordinario reſtitutionis, quod neque ipſi concedi debet, vt ait Vlpian. *l.in cauſa* 16. *D.de minorib.* Cùm igitur omnes iſtæ reſtitutiones in integrum ſint contra ius, iniquæ etiam erunt, & neceſſariò præterea odioſæ, vt conſtat ex toto titulo *C. ſi contra ius vel vtilitat. public.* Deinde ex his ſeruntur innumeræ lites, quibus quotidie fora perſtrepunt: nihil porrò magis noxium eſt Reipublicæ benè conſtitutæ eiuſmodi litium ſeminariis *l.*4.§.1.*D.de alienation. iudic. mut.cauſ. fact. l. quidam* 21. *D. de reb.credit.* Eliminandæ igitur videntur hæ reſtitutiones ad præſcindendas infinitas lites, quas pariunt. Verùm negamus eiuſmodi reſtitutionem eſſe ſimpliciter contra ius, ſed ſolùm contra ius ſtrictum, & ſummum, quod aliquando molliendum, & temperandum eſſe ipſamet æquitas perſuadet. Ius autem humanum quod eas reſtitutiones concedit, æquitate potiſſimum æſtimatur *l. placuit* 8. *C. de iudic.* Et ſanè nihil aliud eſt quàm ars æqui & boni *l.*1. §.1. *D.de iuſt. & iure*, hoc eſt diſcernendi id quod æquum, & iuſtum eſt ab eo quod iniquum, & iniuſtum eſt: æquum verò ſæpius eſt à rigore legis aliqua ratione deflectere, cùm *ſummum ius ſumma iniuria* aliquando, & *ſumma crux ſit*, atque in hoc ipſo negotio poſtulat æquitas, vt ſubueniatur miſeris, lapſis, & circumſcriptis, qui vel facilitate propria ratione minoris, & inexpertæ ætatis, vel calliditate, & dolo aduerſarij, vel metu, vel iuſto errore, vel abſentia, vel mutatione ſtatus in captionem inciderunt, vt loquebatur nuper Vlpian. atqui id vnum facit Prætor dum dat reſtitutionem in integrum, & ſi quæ inde oriantur lites non ex hoc beneficio, quo lex miſeris ſuccurrit, ſed ex eorū qui miſeros circumuenerunt, iniquitate ſeruntur.

§. I.

De perſonis quibus indulgetur reſtitutio in integrum; & primò de minoribus.

Quis ſit minor.
Quid ſi habeat veniam ætatis. 2.
Quæ ſit legitima ætas. 3.
*Quomodo computentur anni.*4.
*Quid ſi ſe fingat maiorem.*5.
*Quomodo probatur legitima ætas.*67.8.9.

NOn omnibus porrò, neque in omnibus caſibus, & ex quibuſcumque cauſis indulgetur hoc beneficio, quare deſignandæ ſunt perſonæ quibus indulgetur, & in quibus caſibus, quibuſve ex cauſis ſingillatim aperiendum.

Et

1 Et primò quidem indulgetur minoribus, hoc eſt nondum annum XXV. agentibus, ſi intereà temporis contractus celebrarint *l. ſi minorem 4. C de in integ. reſtitut.* poſſunt autem toto quadriennio poſt exactum annum 25. nempe vſque ad annum 29. hoc remedium implorare *l. vlt. C. de tempor. in integ. reſtit.* Si verò dubium fuerit an contractus in minore ætate celebratus fuerit, petenti reſtitutionem in integrum incumbit probare minorem ætatem, quod ex communi notat Molina *tract. a. diſp. 573.* ſi autem dubium duntaxat ſit an dum petitur ea reſtitutio, tranſactum fuerit quadriennium à completa minore ætate, ad defenſorem ſpectat probare elapſum fuiſſe quadriennium, non ad eum qui petit reſtitutionem, ſiue actorem *l. minorem. 4. C. de in integ. reſtitut.* & gloſ. *ibidem.* Si tamen toto illo quadriennio non potuit peti reſtitutio propter fraudem, & dolum, vel vim aduerſarij, vel minoris abſentiam, aliudue iuſtum impedimentum, non erit habenda ratio temporis elapſi, ſed ſupplendum erit, donec integrum quadriennium, in quo nullum vigeat impedimentum, habeatur, quia ex vniuerſali regula iuris: legitimè impedito non currit tempus. Hoc igitur quadriennium non eſt ex iure communi continuum, debetque eſſe vtile: quare tantùm incipit dum ſe minor læſum agnoſcit, ille enim qui ignorat, non dicitur negligens, vnde ſequi videtur poſſe aliquem poſt centum annos petere reſtitutionem iſtam, vt ait Bald. *in l. falſam. C. ſi ex falſo inſtrum.* Paul. Caſtrenſ. *per leg. fin. C. de dolo*, & *l. fin. C. de tempor. in integ. reſtitut. petend.* quod videtur incommodum, & immortalium litium ſemen.

Idcircò Franciſcus I. conſtitutione ſua anni 1539. art. 134. edixit neminem poſt annum XXXV. completum poſſe petere reſciſſionem contractus in minori ætate celebrati, neque litteras reſtitutorias impetrare ſolius minoris ætatis fauore, & non niſi ex illis ipſis cauſis in quibus conceduntur aliquando maioribus: quare ſic impetratas eiuſmodi litteras nullas eſſe ait Ioannes Gallus in ſuis arteſtis. *q. 115.* quia litteræ contra ordinationes ſcriptæ, nullæ ſunt. Rebuffus tamen *in tract. de reſtit. art. 2. gloſſa 5. n. 2.* exiſtimat poſſe peti poſt annum 35. confirmationem contractus facti à minore; quia lex illa non prohibet niſi contractus reſciſſionem, & annullationem, non confirmationem: poterit quoque minor poſt annum 35. agere contra tutorem; quia tunc non perſequitur contractus caſſationem, ſed eius prauam adminiſtrationem impugnat, quod obſeruat idem Rebuff. *citato artic. 2. gloſſa 6. num. 10.* hic verò terminus impetrandi litteras reſtitutorias à Principe ſapienter definitus eſt annus XXXV. à Franciſco Rege; quia eo anno completi videtur tota virilitas. *Quinta enim annorum hebdomas,* inquit Macrob. *lib. 1. in ſomn. Scipion. cap. 1. omne virium quantum vnicuique ineſſe poſſunt, complet augmentum, nulloque modo iam poteſt quiſquam ſe fortior fieri: inter pugiles denique hæc conſuetudo ſeruatur, vt quos iam coronauere victoriæ nihil de ſe amplius in incremento virium ſperent, qui verò expertes huius gloriæ vſque illò manſerunt, à profeſſione diſcedant.*

2 Si minor veniam ætatis obtinuerit à Principe, quadriennium, de quo agimus computandum erit ab obtenta venia ætatis, neque poterit petere reſtitutionem quoad contractus deinde celebratos, iam enim maior reputatur *l. 1. C. de his qui veniam ætatis impetr. Ne hi quibus cum contrahunt, principali authoritate circumſcripti eſſe videantur*: nam cùm Princeps ſit lex animata *νόμος ἔμψυχος*, vt ait *Nou. de Coſſ.* ab eo non debent naſci iniuriæ, à quo iura oriuntur. Deinde qui contrahit cum minore, cui Princeps veniam ætatis fecerit, habet quaſi fideiuſſorem, vindicemque totius contractus Principem, eius enim omnia verba legem eſſe dicebat Iſocrat. ad Nicoclem. *πάντα βασιλέως λόγον νόμον εἶναι*: quare ſapienter reſpondit Vlpian. *in l. 3. §. Diuus, D. de ſepulchr. violat.* oportere imperialia ſtatuta & reſcripta ſuam vim obtinere, & valere in omni loco. Tertiò certiſſima eſt illa iuris regula, fictionem tantùm operari in caſu ficto, quantum veritas operatur in caſu vero, *§. item per acceptilationem, Inſtit. quibus mod. tollit. obligat. l. ſingularia, D. ſi certum petatur, l. 2. D. de vſufructu earum rerum quæ vſu conſum.* iniquum foret, illum quem Princeps ſuo reſcripto maiorem 25. annuis finxit, haberi tamen perpetuò minorem curatore egentem, quo ſolùm authore contrahat, velut ſi ſui impos adhuc foret. Denique venia ætatis facta à Principe, non ſolùm minorem reſpicit, ſed eos omnes, qui cum ipſo ſunt contracturi, qui ſine eiuſmodi principali reſcripto cum ipſo non contraherent; neque cautiùs contrahi poteſt quàm authore Principe. Hæc porrò ætatis venia non conceditur maioribus niſi 20. annū compleuerint, fœminis cùm decimum octauum, morumque ſuorum probitatem apud Iudices, & ætatem iſti probauerint; has verò licèt propter pudorem, & verecundiam cœtui publico ſe exhibere non teneantur, morum tamen honeſtate, & mentis ſolertia commendari oportet *l. pen. C. de iis qui veniam ætatis impetrar. l. vnic. C. Theod. eod. titulo*; Leonis tamen conſtitutio, quæ eſt 18. ante eius Nouellas, ante XX. annos veniam ætatis indulget, fœminas autem idcircò ius ætatis legitimæ, citius quàm mares mereri voluit Principum conſtitutiones, *quia,* inquit Conſtantin. *l. vnica citata, earum ætas biennio viros non ſera pubertate præcedit.* Vbi etiam illi ætati maribus, & fœminis ad hanc veniam obtinendam præſcriptio: *Quoniam inter plenam perfectamque adoleſcentiam, & robuſtiſſimam iuuentutem media eſt, firmata ætatis appellationem impoſuit, vt prima ætas pueritia ſit, ſequens adoleſcentia, firmata hæc tertia, quarta legitima, quinta ſenectus habeatur*, iubet præterea vt in ipſis quoque ſcripturis, vel venditionum inſtrumentis honeſtos ſeſe & firmatos ætate conſcribant.

Alia fuit ætatum diſtinctio à Seruio Tullio, cuius ex primo libro Tuberonis hiſtoriarum meminit Agelli. *lib. 19. cap. 28.* conſtituta: Seruius enim Tullius cùm quinque claſſes iuniorum, cenſus faciendi causâ inſtitueret, pueros eſſe exiſtimauit qui minores eſſent annis XVII. atque ab eo anno XVII. quos idoneos iam eſſe Reipublicæ arbitrabatur, milites ſcripſit, eoſque ad annum XLVI. iuniores, ſupraque eum annum ſeniores cenſuit, ſed de his diuiſionibus vide Briſſon. *lib. 3. antiquit. cap. x.* firmata igitur ætas eſt annus XV. Virgil.

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas.

Et ſane hominia præſtantur ea ætate patronis feudalibus à ſuis vaſſalis minoribus, *in conſuetud. pariſ. art. 41.* Anno 18. eſt plena pubertas in maribus, & 14 in fœminis, atque vſque ad illam ſuppeditanda eſſe alimenta vſque ad pubertatem relata edixit Adrianus Imperator, vti refertur *in l. meta 14. §. 2. D. de aliment. legat.* Demùm legitima ætas ipſo Iuſtiniano interprete *l. vlt. C. de iis qui veniam ætatis impetrar. viginti quinque annorum curriculis completur non ab Imperiali beneficio ſuppletur.* Itaque

que intelligenda eſt in iure quoties legitimæ ætatis meminit, vt *in l. 17. D. de negotiis geſtis, l. 32. in fin. D. de teſtam. l. 1. D. de fideiuſſor. tutor. l. 20. de libertat. legat. l. vltim. §. 9. D. de publican. l. 41. D. de fideiuſſorib. l. vlt. in fine, D. de appellat. l. vlt. C. quando dies legat.* & alibi ſæpius.

3 Dicimr verò legitima ea ætas, quòd eius terminus adoleſcentibus ad res ſuas recuperandas præſcriptus fuerit lege aliqua, quam fuiſſe Lætoriam conijcit Gotoffredus *in notis ad l. 17. D. de negotiis geſtis*, ex Cicerone *lib. 3. officiorum*, Spartiano *in M. Antonio*, vbi minoribus XXV. annis ex ea lege curatores datos eſſe teſtatur ex Suetonio, qui ait minores ſtipulari probiberi ſine ſpondendo obligari. Plaut. *in Aulular. Tum lex me perdit quina Vicenaria, metuunt credere omnes* : *& in Rudente act. 5. ſcen. 3.*

—— Cedo qui cùm habeant Indicem
Ni dolo malo ſtipulatus ſis, néve etiam dum haud ſiem.
Quinque & viginti natus annos.

Vſque ad eam igitur ætatem adoleſcentes curatorum auxilio tegi, nec ante liberam bonorum adminiſtrationem eis committi debere, quamuis rem ſuam bene gerentibus, dixit Vlpian. *l. 1. §. 3. D. de minorib.* ex nouiſſima videlicet lege D. Marci, vti interpretatur Cuiac. ille enim iuſſit dari curatores adultis omnibus, etiam bene rem ſuam gerentibus, cùm antea lege Lætoria non niſi causâ cognita darentur curatores minoribus, & ita demùm ſi malis moribus præditi eſſent: quorum omnium cauſa eſt, quia ante hoc tempus non complent *vigorem virilem*, vt loquuntur Vlpian. *in eadem l. §. 2.* Iuſtinian. *l. vlt. C. de teſtam. milit.* vocat ſtabilem mentem, Cuiaci. *ad l. 1. D. de minorib.* ſtatum ætatis, & ἀχμὴν, quia tunc creſcendi finis; qua de re vide Macrobium: hanc tamen ἀχμὴν τῆς διανοίας, eſſe tantùm anno 50. ſcribit. Ariſtot. *lib. 7. politicor. cap. 6.* Stata quoque ætas anno 30. dicitur *l. vlt. D. de reb. dub.* Vulgò tamen legitima ætas XXV. annorum habita fuit, quia antea fragile, infirmum, multiſque captionibus ſuppoſitum, multorumque inſidiis expoſitum conſilium eſt, inquit Vlpian. in *l. 1. D. de minorib.* Nazianzen. *orat. 32.* ſapienter monet Comitem eſſe iuuentutis amentiam νεότητι μὲν ἄνοια παρέπεται: & Chryſ. *hom. 20. in Matthæ.* in prima ætate multum dementiæ, & imbecillitatis animi ἐν μὲν τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ πολὺ τὸ ἀνόητον καὶ μικρόψυχον: in ea autem quæ poſt illam eſt, impetuoſior, vehementiorque libido exiſtit. ἐν δὲ τῇ μετ' ἐκείνην σφοδροτέρα ἡ ἡδονή: & Saluian. *lib. 8. de gubernation.* perditorum hoc adoleſcentum ſpeciale conuitium eſt vt abuſores ſcilicet, & incurioſi, ac negligentes rerum ſuarum eſſe dicantur. Denique adoleſcentum effrænes, & indomitas amentias eleganter deſcripſit Alexis antiquus Poeta apud Athæneum *lib. 2. initio.*

Eſt natura, inquit, *homo vino ſimillimus*
Quodam modo, nam vinum ſicuti nouum
Neceſſe deferuere eſt, ſic prorſus & hominem:
Ac primum quidem veluti floreſcentem aliis eſſe iniurium:
Poſt durum fieri: hæc autem quæ dico omnia
Vigere cum deſierint, atque ille exhauſerit
Stultitiam amentem, quæ supernè innatat
Velut potuit, fit idoneus ætatem nactus bonam,
Ac in reliquum tempus degit gratus omnibus.

Sapienter igitur hanc ſtabilis mentis, & conſilij ætatem rerum ſuarum adminiſtrationi fixerunt leges, vt quod deinceps faceret, firmiter faceret, vt loquitur Auguſt. *ſerm. 50. de diuerſis*, agens de quodam Subdiacono qui nondum ſua bona vendiderat vt illa ſocietati Clericorum addiceret. *Expectabatur in illo etiam legitimæ ætatis acceſſus, vt quod faceret, firmiſſimè faceret.* Legitimæ igitur nomine ætatis, intelligenda eſt ætas XXV. annorum, in qua licet adoleſcenti pro arbitrio ſua bona adminiſtrare, abſque tutoris, curatoriſve authoritate, & ſi quid ante illam alienarit, feceritve, in quo læſus fuerit, agere reſtitutoria, & beneficio legis inexpertæ ætati ſuccurrentis vti poterit.

Dices permitti minori annis XXV. teſtamenti factionem ſi pupillares annos exceſſerit. *l. à qua ætate 5. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Dare quoque poſſunt libertates, inter viuos quidem poſt annum XX. ex leg. Ælia Sentia: in teſtamento verò poſt an. XVII. ex Iuſtiniani conſtitutione, de qua *in §. vlt. Inſtit. quibus ex cauſ. manum. non licet*; cùm tamen & libertas quidpiam inæſtimabile ſit, *l. libertas 106. D. de regulis iur.* & nihil maioris momenti quàm factio teſtamenti in Republica cenſeatur *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. illa inſtitutio 32. D. de hæred. inſtit.* Cùm igitur minori bonorum omnium diſpoſitio in teſtamento permittatur, & ius dandæ libertatis inter viuos, cur fragilis, & infirmi conſilij eſſe dicitur, cur illi non ſit etiam poteſtas de cæteris ſuis rebus pro arbitrio diſponendi ſine ſpe reſtitutionis, cùm neque eius teſtamentum poſt exceſſum infirmari, & libertas ſemel data defectu ſolius ætatis reuocari poſſint.

Reſp. conſtare ſatis de huius ætatis imprudentia, vt dixi, quare quæ illi circa teſtamenti factionem, & libertatis dationem permiſſa ſunt, ad alia in ipſorum minorum præiudicium trahenda non ſunt. Maneat igitur quod de legitima ætate diximus, quare vbi de ætate in genere fit mentio, v. g. ſi lex aut teſtator dicat, *de hoc ſtatu, & quando fuerit ſua, quando fuerit legitimæ ætatis*; quod gallicè vſurpamus, *pour en diſpoſer par luy quand il aura l'aage*, de vigeſimo quinto anno in quo fuerit completus animi vigor accipienda erit ea clauſula, quod ſentiendum eſſe etiam quando ſtatuta municipalia, aut conſuetudines inferiorem ætatem tanquam legitimam definiunt, exiſtimauit Molinæ. ad *l. vlt. C. de iis qui veniam ætatis impetrarunt*: v. g. licèt Andium conſuetudo, & ſtatutum annum vigeſimum legitimam ætatem eſſe voluerit, de ſola alienatione mobilium, & adminiſtratione immobilium; ita intelligenda erit ea lex, vt ſi immobilia alienauerit, inualida quidem ſit ea alienatio ex ſtatuto, ſi modò non ſit ante annum 25. reſtituitur minor in integrum, eo quod ante illum annum non ſit ſatis firmi conſilij, & animi ad firmam, & quæ reſcindi nequeat alienationem; idque verius videtur, quàm quod ait Paulus Caſtrenſ. ad *l. 3. C. de iis qui veniam ætat. impetrar.* in ſtatuto Florentino, quod legitimam ætatem definit ann. XVIII. minorem eo anno alienare poſſe bona immobilia, quia quando aliquid conceditur per modum legis, aut ſtatuti potentius eſt, quàm quod ſit fauore, & indulgentia ſolius reſcripti principalis: quare mirum videri non debet ſi cùm ij qui à Principe veniam ætatis impetrarunt, in integrum reſtitutionis auxilium non poſſint impetrare, neque etiam id illi queant quibus lex ipſa & ſtatutum illam fecit, cùm minorem ætatem quam ſolitam XXV. annorum pro legitima præſcripſit, cùm plura operetur ſtatutum quàm Principis, vt dixi, venia. Deinde quamuis ſentiat Iuſtinian. *l. 3.* veniam ætatis non conferre minoribus poteſtatem alienandi, obligandive

ſua

ſua immobilia ſine decreto Iudicis, quia Imperator ſua conſtitutione ita intelligendam eſſe veniam à ſe factam edixit, niſi idipſum velit ſtatutum patrium, dum definit ætatem legitimam minorum XXV. annis, non indigebit qui eam ætatem attigerit eiuſmodi Iudicis decreto ad ſua immobilia alienanda, neque ad ea reſtitui poterit ratione ſolius minoris ætatis, cùm reuerà iam maior ſit, & factus legitimæ ætatis contraxerit, cuius proinde defectu non poterit agere reſciſſoria: ſi enim lex Francica ſapienter indulſit reſtitutionem ad annum vſque XXXV. licèt poſt annum XXV. quis liberè, & validè contrahere, & alienare poſſit, & licèt ex iure communi quadriennium quod poſt annum XXV. conceditur ad implorandum beneficium reſtitutionis, debeat eſſe vtile, vti nuper docuimus, vnde fit vt aliquando poſt plures annos illud auxilium implorare fas ſit, eo quod quadriennio definito non potuerit implorari, tamen ex eadẽ Francica lege elapſo anno XXXV. id amplius non licet, cur ſtatuo municipali & conſuetudine recepta, maximè vbi ius illud Cæſareum circa legitimæ ætatis definitionem non viget, aut abrogatum eſt, non poterit definiri alia quædam ætas, quam XXV. annorum, ſiue maior, ſiue minor tanquam legitima ætas, & tempus quoque implorandi auxilij reſtitutionis præſcribi.

4 In hac porrò XXV. annorum ætate computandi ſunt anni biſſextiles, & dies, qui illis ſuperadduntur; quia reuerà illi dies pertinent ad illorum annorum complementum, & ius XXV. annos completos poſtulat, qui proinde a puncto natiuitatis ad punctum completi anni XXV. numerandi erunt: quare Celſus ſcribit nihil referre, ſi quis biſſexto anno natus ſit, ſiue priori, ſiue poſteriori die, cùm id biduum pro vno die habeatur, & poſterior dies Calendarum intercaletur *l. 3. §. ſcio, D. de minorib. l. cum biſſextus, leg. anniculus, D. de verb. ſign.* annos quippe a Iuriſconſultis accipitur qui cõtinuis diebus trecentis ſexaginta quinque conſtet, non quibuſlibet certò, nec intercalari die, inquit Chopin. *lib. 2. de morib. Pariſ. tit. 7. num. 17.* An verò in cæteris omnibus, in quibus certum tempus à lege definitur, ſeruari debeat eadem computandi ratio circa annos biſſextiles, intricatior eſt quæſtio commodiori loco pertractanda, ne longiùs ad alias materias digrediamur, interim adi Molin. *tractatu 2. diſp. 573.* Sanch. *lib. 2. de matrim diſp. 24.* Lugo *de iuſtitia, diſput. 22. ſect. 12.* Molinæ. ad conſuetud. Pariſienſ. §. 44. *num. 1. 2. & 3.* Mornac. *ad l. 3. D. de minor.* Annæum Robert. *lib. 3. rerum iudicat. capit. 17.* & alios. Idem quæri potuit cùm diebus decem in reformatione Calendarij à Gregorio XIII. facta, annum illum circumciderunt. Flauius vertente anno fundum vendidit natus quatuor & viginti annos, dieſque trecentos ſexaginta, iuuari ne debuit principali beneficio reſtitutionis in integrum: negabant plerique I C. Galli, nam licet Henric. III. ano. 1582. 3. Nonas Nouemb. ſuo diplomate Romanum illud Calendarium comprobaſſet, eodemque reſcripto ſtatuiſſet illam decem dierum contractionem nemini fraudi fore in iudiciis, nec annali, aut alij temporis præſcriptioni obfuturam, adiecit id duntaxat proceſſurum in illis quæ eo anno 1582. excurrent. Alienatorum igitur ſequente anno videbatur danda actio reuocatrix obtentu minoris ætatis. Contrarium tamen exiſtimauit Chopinus *l. c.* quia in reſtitutione in integrum ſpectatur tempus à momento in momentum, vt ſcribit Celſus in *leg. 3. D. de minorib.* mihi non liquet.

Non tamen ſemper conceditur hæc minori reſtitutio, nam ſi minor ſe maiorem dixerit, & talis ex aſpectu poterit iudicari, atque adeò ipſa aſſertione fallaci maioris ætatis, mendacio creditor à minore deceptus fuerit, non gaudebit priuilegio reſtitutionis ex *leg. 3. C. ſi minor ſe maiorem dixerit*, atque ita iudicatum vltimo Aprilis an. 1575. à PP. Pariſienſibus refert Chopin. *lib. 2. de morib. Pariſienſ. tit. 7. num. 14.* Quidam alius qui ſe maiorem dicere conſueuerat, & indicem ſui baptiſmi falsò annotarat, excidit eodem priuilegio ſolemni decreto ann. 1599. die 29. Martij in quinta Exedra quæſtionum, apud Louetum *littera M. num. 7.* fuitque vetus illa Francica iuriſprudentia, teſte Burelerio in ſua ſumma rurali *tit. de pupillis. Si vn pupille n'auoit ſon aage, mais bien ſembleroit qu'il l'euſt, & ainſin le maintinſt qu'il l'euſt, & le iuraſt & affermaſt, & ſur ce fit marché dont il fut perdant, & d'iceluy voluſt auoir reſtitution, ſçauoir ſi auoir la deuoit, ſçachez que ſelon l'opinion des ſages auoir ne la doibt.* Et ratio eſt quia quoties dolo, & in fraudem creditoris quis ſe maiorem dixit, præſumitur potius delictum, quam fragilitas ætatis & animi, quia non decipientibus, ſed deceptis iura ſubueniunt, inquit Cuiac. *ad C. ſi minor ſe maior. dixerit*: quare vt negetur reſtitutio minori, qui ſe maiorem dixerit, debet fuiſſe dolus, & fraus ad decipiendum creditorem. Damnatus eſt à Senatu in maiori Auditorio ann. 1575. minor, qui vt creditorem à quo mutuò petebat pecunias, deciperet, pingi ſe curauerat cum hac inſcriptione *anno ætatis* 25. licèt reipſa minor eſſet. Simile iudicium aduersùs minorem, qui deceperat creditorem falſo prolatis tabulis profeſſionis, & natiuitatis, refert Mornac. *ad l. 4. D. quod cum eo qui in aliena poteſtate.* In odium igitur mendacij quoties cum dolo, & fraude creditoris minor falsò ſe maiorem aſſeuerarit, ſiue falſas tabulas profeſſionis, & codicis in quem à Parochis referuntur nomina baptiſatorum, offerat, ſiue arrogatis ſibi dignitatibus, muneribus, aut aliis eiuſmodi, quæ ſi vera eſſent illum in maiorum gradu, & ſtatu conſtituerent; ſi deinde reſiliat à contractu, eiuſque reſciſſionem poſtulet, & reſtitutionem in integrum ratione minoris ætatis, à Prætore repelletur: quod ſæpius definitũ fuiſſe videbis apud Annotatorẽ Loueti nuper citatũ. Sic qui publicè paterfamilias pleriſque videbatur, ſic agebat, ſic cõtrahebat, ſic muneribus fungebatur, non gaudet beneficio Senatuſconſulti Macedoniani *l. 3. D. ad Maced.* quare qui ſe maiorẽ dicere conſueuit, atque ita ſæpius contraxerit, quãuis deinde in poſterioribus contractibus ſe maiorẽ non affirmet, in odiũ tamen mendacij aduerſus hos contractus non reſtituetur, fuitque illud thema decreti Senatus 12. Febr. an. 1613. quod Annotator Loueti refert, eſtque ea gloſſæ ſentẽtia *in l. de ætate 43. verſ. eiuſdem, D. de minor. Si minor*, inquit, *iurauit in vno contractu ſe eſſe maiorem, non præiudicat aliis.* Nihilhominus ſi qui cum minore contrahit ignarus eius ætatis non eſt, quia vel eum de fonte ſuſcepit, vel eius tutor fuit, vel conſanguineus, aliiſve de cauſis, decipi non videtur falſa ætatis aſſeueratione *leg. de tutela 7. C. de in integ. reſtitution.* quare *leg. 1. D. de action. empt. Non videtur deceptus qui ſciuit. & l. 1. §. fin. D. quod falſo tutore authore; Scienti non ſubuenit prætor, meritò, quoniam ſe ipſe decepit: l. cum donationis 34. C. de tranſaction. Nunquam ſcientibus, & volentibus dolus, fraus, aut iniuria infertur*: quæ omnia veriora ſunt in

in noſtro caſu, quoties creditor ille ſolitus fuit fœnerari filiisfamilias, & minoribus, à quibus falſas ætatis legitimæ declarationes idcircò extorquet. Vt verò dignoſcamus an fraus, & dolus minorem ad hanc ſimulationem induxerit, videndum eſt cum Caſſio integerrimo Iudice, quē ſcopulum reorum nominabat Cicero, cui bono minor ſe maiorem dicat. Si enim nullum ex contractu quem init, capiat emolumentum, ſanè non doloſè ſe maiorem ſimulauit. Sed qua animi leuitate contraxit, eadem ſe maiorem dixit: *nemo*, enim, *gratuitò malus eſt*, inquit Auguſt. *lib. 2. confeſſion. c. 5.* Theophylus *ad § ſin autem, inſtit. de pupill. ſubſt.* οὐδεὶς δὲ ἀκερδῶς ἐπιβουλεύει τῷ πουπίλλῳ; nemo ſine ſpe lucri inſidias pupillo molietur. Et Tullius in Philippic. *Sic vita eſt hominum, vt ad maleficium nemo conetur, ſine ſpe atque emolumento euadere:* quare 4. Februarij an. 1610. frequenti, & publico Senatu iudicarunt PP. Aduocatum in Curia ſuprema annis XXV. minorem, qui fideiuſſerat pro patre, & vadem ſe in magnam ſummam prius à patre acceptam præſtiterat, & idircò ſe maiorem dixerat, reſtituendum nihilominus eſſe, cùm ea fideiuſſio, & maioris ætatis ſimulatio ipſi potius obfuiſſet, quàm profuiſſet: vt verò frequentibus hac in re fraudibus occurreret Senatus, cauit ſuo decreto, ne deinceps Notarij cōtractibus apponerent declarationes minoris ætatis, & indices baptiſmales, vti videbis *in notis ad Louetum littera M. n. 7. ſub fin.*

6 Ætas porrò legitima probatur primò ex aſpectu corporis, vt ait *l. 32. D. de minorib. & l. 3. C. ſi minor maior. ſe. dixerit* διὰ τῆς οἰκεία θέας per proprium aſpectum, inquiunt Græci. Balſam. *ad can. 58. Concilij Carthagin. vbi de ætate ſacerdot. Sæpe in nonnullis aduerſatur aſpectus.* Ouid. *Facies tua ſupputat annos.* Tertulli. *lib. de veland. virginib. c. 12. Vis ſcire quæ ſit ætatis authoritas, propone vtramque immaturè compreſſam in habitu mulieris, & quæ maturitate progreſſa in virginitate duret cum ſuo habitu, faciliùs illa mulier negabitur quàm virgo credetur, tanta eſt adeò fides ætatis vt nec habitu obſtrui poſſit.* Indecora verò vſurpata fuit antiquo iure partium obſcœnarum inſpectio ad probandam maximè pubertatem, quare illud *l. 3. C. ſi minor ſe maiorem dix.* interpretatur Cuiac. ex aſpectu neceſſariæ partis, probatque ex Ariſtophane & Platone *lib. 11. de legib* Quintilian. *declamat. 279. Poſtea nudari filium, atque conſpectu Iudicum conſtitui cogit:* & in *inſtit* quæſtionem hanc centumuiralem eſſe ait, pubertas annis, an habitu corporis æſtimetur. Hanc habitū corporis Diocletianus *l. 4. C. qui teſtam. fac. poſſunt*, contingere dixit *cùm vigoris emerſere veſtigia.* Hanc inhoneſtam corporis indagationem ſuſtulit Iuſtinianus *§. 1. Inſtit. quib. mod. tut. fin.* & *l. vlt. C. quando tutores*, atque pubertatem in maribus an. XIV. & in fœminis XII. definiuit. Ræuard. tamen *lib. 4. variorum, c. 10.* negat vnquam à Romanis eam indecoram, & pudendā inſpectionem vſurpatam fuiſſe. Caſſiani quidem puberem ex habitu corporis deſignabant, Proculei quatuordecim annis definiebant; Priſcus verò puberem dixit in quem & habitus corporis, & annorum concurrit, quod refert Vlpianus in fragmentis, neque tamen iudicat quænam ex his ſententia obtinuerit; vſu tamen conſtat receptam fuiſſe ſententiam Proculeiorum, quod indicat Tertulianus *lib. de velandis virginib. c. 12. Tempus etiam Ethnici obſeruans, vt ex lege naturæ ſua iura ætatibus reddāt, nam fœminas quidem duodecim annis, maſculos verò à duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non ſponſalibus aut nuptiis decernentes.* Similia habet Macrob. *lib. 1. in ſomnium Scipion.* & *li. 7. Saturnal. c. 7.* Iuſtinianus igitur non primus pubertatē annorum certo numero definiuit, vt vides, falsóque ipſi Tribonianus perſuaſit, quod Caſſiani ex habitu corporis illam iudicabant, obſcæna corporis inſpectione id facere; nam per corporis habitum vniuerſi corporis formam, figuram, & diſpoſitionem, maximè ad procreationem liberorum idoneam intelligebant. Cic. pro Cælio de Q. Metello agens: *Cùm floreret integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus, ereptus eſt ciuitati.* Liuius *lib. 4. Obſita erat ſqualore veſtis, fœdior corporis habitus pallore, ac macie perempti.* Præterea ipſa ſpecie corporis deſignabatur pubertas; nam impuberum coma nutriebatur. Martialis *lib. 3. epigram. 58. verſ. 30.*

Et pædagogo non iubente laſciui
Patere gaudent villico capillati.

Et *lib. 10 Epigram. 62.*

Ludimagiſter parce ſimplici turbæ,
Sic te frequentes audiant capillati.

Cirrati dicuntur à Perſio *ſatyr. 1. & ſatyr. 3.*

——— Quibus indetonſa iuuentus
Inuigilat ſiliquis, & grandi paſta polenta.

Puberibus verò ſtatim præcidebantur comæ quas & Deo alicui fuiſſe conſecratas obſeruat Iulius Sabinus in Virgilium ſcribens: huius detonſionis meminit Porphyr. in Horatium, & Martialem *libro 6. Epigram. 52.*

Hoc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagatus, domini cura dolorque ſui.
Vix tangente vagos ferro reſecare capillos
Doctus, & hirſutas excoluiſſe genas.

Cùm igitur hæc capillorum abſciſio puberibus conueniret, & an. XIV. fieret, ex habitu & ſpecie corporis atque ex annorum numero pubertas indicari poterat, vti volebat Priſcus, qui ita Caſſij & Proculi conciliabat opiniones; nullus autem veterum Romanorum ad obſcænam inſpectionem recurrit, vt malè Iuſtinianus ſibi perſuaſit, qui tamen illam ſapientiſſimè prohibuit ne aliquando vſurparetur: illum æmulatus eſt Senatus Pariſienſis celeberrimo decreto an. 1608. 9. Februarij, quod refert Mornac. *ad l. 3. C. ſi minor. ſe maior. dixerit.* Cùm enim quidam Mattius puellam plenæ maturitatis, & annis prope iam geſtientibus deuirginaſſet, ex eaque filium ſuſcepiſſet, quod tamen poſtea negauit, puella litem mouit de agnoſcendo partu, cúmque ſubſidiis aliis deſtitueretur, ait infantuli ſui coxæ innatam eſſe illam notulam, quam Mattius ipſe ac ſinguli eius ex ſuperiore matrimonio liberi, in interiore, obſcænaque illa parte contegerent, poſtulauit itaque Mattij, natorumque ipſius intima fœmora nudari, vt verū eſſe cōſtaret, quod aſſerebat, idque malè cōſultus Carnutū Iuridicus indulſerat, ſed cùm delata cauſa eſſet ad Senatum, & plures ſeſſiones eloquentiſſimi Oratores tenuiſſent, tādem ampliſſimus Ordo inſpectionis pudendæ petitionem vt alienam, turpem, & infamem repulit.

Secundò probatur legitima ætas inſtrumentis 7 *l. 2. C. de iis qui veniam ætat. impetrar.* vt tabulis profeſſionum *l. 2. D. de excuſat.* & *l. 2. C. ſi minor ſe maior. dixerit.* Græcis dicuntur ἀπογραφαὶ τοῦ πατρὸς, quòd plerūque cōficiantur à patre natis filijs. Apulei. *lib. 2. Apolog.* Pater natam ſibi filiam more cæterorū profeſſus eſt, tabulæ eius partim tabulario publico, partim domo adſeruantur; ſed fidē faciūt etiā cōfectę à matre, vel auo. Fiebāt intra tres dies à patre, & matre; intra paucos dies apud præfectos ærarij: *Luſtrici dies infantium appellantur*, inquit, Feſtus, *puellarum octauus, puerorum nonus, quia his*

luſtrantur

luſtrantur, atque eis nomine impenuntur. Tertullian. *lib. de idololatria, nominalia* vocat. *Circa officia verè priuatarum, & communium ſolemnitatum, & togæ puræ, vt ſponſalium, vt nuptialium, aut nominalium, nullum putem periculum obſeruari de ſtatu idololatriæ.* Gloſſarium nominalia ὀνομαστήρια, Græci ἀμφιδρομία dixere: vnde alia apud Scaligerum *ad Feſtum.* De hoc profitendorum liberorum more vide Briſſon. *lib. 1. cap. 1. antiq. iur.* Harum tabularum profeſſionum vice habemus hodie codices baptiſterianos, vt vocant, quibus Parochus inſcribit nomen baptizati, atque diem quo ſolemnia baptiſmi peracta ſunt. De his conſule Chopin. *lib. 1. de domanio, tit. 10. & lib. 2. conſuetud. pariſ. tit. 7.* Rebuff. *lib. de regeſtis, ſeu libris baptiſmi, ſepulturæ, &c. ad conſtit. an. 1539. Art. 51.* in nouis conſuetud. Pariſ. *c. 291.* iubentur Curiones eiuſmodi codices apud acta, ſiue tabularia Iuriſdictionum Regiarum quolibet trimeſtri deponere.

Tertiò probatur ætas teſtibus *l. 7. C. de in integ. reſtitut.* per proximos conſanguineos, vt dicitur *cilata l. 7.* matrem, patrem, fratres, ſorores, auunculos, patronos, aliaſque ita coniunctas perſonas, vt difficillimè ætatem cuiuſque inter ſe ignorare poſſint. Frater dicitur in Ethymologico γνωτὸς, cognoſcibilis ὅτι τῶν ἄλλων γινώσκεται, quod præ aliis cognoſcatur. Sed maximè matris profeſſio de ætate filiorum admittitur *leg. etiam 16. D. de probation.* illa enim certius nouit, & vt ait Mænander, mater cognoſcit filium, pater autem putat ἡ γὰρ αὐτῆς οἶδεν υἱὸν, ὁ δ' οἴεται; illudque matris teſtimonium de ætate filij facere ſemiplenam probationem dicit Bald. *ad eam l.* cum gloſſa. Sanè non dubitarim eius authoritatem eſſe aliis præferendam hac in parte, licèt facilè quiſque conſcius ſit ſui generis, vt loquitur Capitolinus *in Maximino*, præſertim cùm veteri more cognati inuicem feſta, & conuiuia omnia celebrarent, mitterentque inuicem tunc munera quæ χαρίστια vocabant, eamque diem *lucem propinquorum*, quia eo die ſeſe inuicem agnoſcebant, nominauit Martialis *lib. 9. Epig. 56.*

Luce propinquorum qua plurima mittitur ales.

Fiebat & ea ætatis probatio per familiares ea fœdere, & amicitia, & non tantùm per eos quibus natura iniicit neceſſariam ex cognitione familiaritatem, vt loquitur Harmenop. *lib. 4. tit. 46.* tum etiam per eiuſdem Collegij ſodales, qui σύσσιτοι dicebantur, id eſt communi cibo vtentes, ex Caio *in l. vlt. D. de colleg. illicit.* Per vicinos quoque, & contribules, qui ex eadem tribu, vico, pago, & ſodalitate ſunt, qui συμφυλέται δημόται καὶ φράτορες dicuntur. Vide Euſtath. ad Iliadem β. ad illum verſum; Κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, &c. Denique per obſtetrices, commatres & compatres qui infantem de ſacro fonte ſuſceperunt. Obſeruat porrò Mornac. *ad l. 7. C. de in integrum reſtitut.* admitti probationes iſtas de ætate dum agitur de obtinendo aliquo munere publico, tunc enim omnia aguntur ἐν πλάτει. At verò quando agitur de reſcindendo contractu ratione minoris ætatis, codex parœcianus, manuſque patris ſiue παιδογραφία totam probationem abſoluunt, cùm de momento ad momentum obſeruentur tempora, quod iam monuimus ea *l. 3. D. de minorib. & l. 2. D. de diuerſ. temporum action.* De his probationibus circa ætatem, nobilitatem, aliaque huiuſmodi vide Expilium actione forenſi. 1.

Quartò denique iuramento probari ætatem plurimi voluerũt; quare Matthæus de Afflict. *deciſion.* 393. cenſet non eſſe reſtituendũ minorẽ qui tactis Euangeliis iurauerit ſe eſſe maiorem, aliud tamen hodie ſeruari monet Mornac. *ad l. 32. D. minorib.*

Atque hactenus de minore qui ſe maiorẽ dixerit, & de probatione legitimæ ætatis, pergo ad alias cauſas propter quas minori negatur, vel conceditur reſtitutio, ſapienter enim dixit Paul. *in l. 24. §. 1. D. de minoribus; non ſemper ea quæ cum minoribus geruntur, reſcindenda ſunt, ſed ad bonum, & æquum redigenda, ne magno incommodo eiuſmodi ætatis homines afficiantur, & nemine cum eis contrahente quodammodo commercio eis interdicatur: idcirco niſi aut manifeſta circumſcriptio ſit, aut negligenter in ea cauſa verſati ſunt, prætor interponere ſe non debet.* Duæ itaque ſunt cauſæ indulgendi reſtitutionem δόλος προφανὴς, καὶ μεγάλη ῥαθυμία: manifeſta fraus aduerſarij, & magna minoris, vel tutoris negligentia. Similia habet Pomponius *in l. 7. §. quæſitum, D. eod. non eſſe minori aduerſus emptorem occurrendum, niſi aut ſordes, aut euidens gratia tutorum, ſiue curatorum doceatur:* & Vlp. *in l. 11. §. 4. non paſſim minoribus ſubueniri, ſed cauſa cognita ſi capti eſſe proponantur:* quibus conſentiunt quæ ex eodem Iuriſconſulto referuntur *l. 44. D. eod.* quare in quibuſnam caſibus ſuccurratur minori, paucis perſtringendum eſt. Atque in primis contractus debuit eſſe validus, cùm aduerſus contractum nullum non ſit locus reſtitutioni, ſed agitur ex nullitate contractus, vel rei vindicatione, vel ad intereſſe, aut ſi nihil dum minor exequutus ſit, tuetur ſe, nec quidpiam exequitur exceptione quod contractus nullus fuerit. In Gallia Princeps releuat à nullitate, quia permittit, vt quis appellet à nullitate; alioquin ſine litteris regiis non admitteretur ad probandam nullitatem, Guido papæ *conſil. 83. §. non poteſt dominus.* Rebuff. *tract. de reſtitut. art. 1. gloſſa. 1. n. 23.*

Secundò ſiue contractus fuerit à ſolo minore celebratus, ſiue ab eius tutore, aut curatore, ſi tamen inde ſequatur læſio, dabitur reſtitutio, *l. tutor vrgentibus 57. D. de minorib* ita tamen, vt ſi culpâ tutoris læſus ſit minor, liberum ſit minori agere aduerſus tutorem ad intereſſe, aut petere reſtitutionem aduersùs eum, cui res fuit alienata, neque vbi vnam viam tentarit prohibetur ab altera, *l. etiam 3. & l. vlt. C. ſi tutor, vel curator interuen. l. intra vtile 39. §. 1. D. de minorib.* niſi vna via rem ſibi debitam obtinuiſſet, quod obſeruat gloſſa *in cap. monemus 12. q. 2.* agere tamen poterit aduersùs tutorem, curatorem, aliumve adminiſtratorem; etiam obtenta re ſua per reſtitutionem, non quidem ad intereſſe, ſed ad pœnam. Quod ſi minor quidpiam egit per procuratorem ſuum, non priùs reſtituitur in integrum, quàm egerit aduersùs procuratorem ſuum ad intereſſe; tunc enim ſi ſoluendo non ſit procurator, conceditur minori actio reſtitutoria in ſubſidiũ, *l. cum mandato 23. D. de minorib.* & ibi gloſſa *verſ. audiri.*

§. II.

In quibus contractibus concedatur minori reſtitutio.

An in venditione. 1.
An in mutuo. 2.
An in ſolutione. 3.
An ſi fideiuſſit. 4. 5.
Quid ſi procurator fuit. 6. 7.
Quid ſi malè defenſus in iudicio, aut ſi ſeipſum defendit. 8.

An ex quaſi contractu, aut in adeunda, aut repudianda hæreditate. 9.10.11.12.
Quid in promiſſionibus, & donationibus. 13.
Si mulier immodicam dotem dedit. 14.
In tranſactionibus. 15.16.
In manumiſſionibus. 17.18.19.
In indebiti legati ſolutionibus. 20.
Contra vſucapiones. 21.22. *vſque ad* 30.
An in venditione pignorum. 31.
Quid de adrogato. 32.
De reſtitutione aduerſùs iudicium. 33.

1 IN contractibus onerosis venditione, emptione locatione, condictione, permutatione & alia eiuſmodi vel læſus fuit minor quia non expediebat rem vendere, emere, locare, vel quia minus, aut maius fuit pretium eius: ratione primæ læſionis ſi res tradita exiſtat, reſtituitur minor, & alius quiſpiam qui hoc priuilegio gaudet ad rem ſuam repetendã, & reponendam in priori ſtatu, & ſi ei datum eſt, quod non expediebat ipſum habere, reddat quod accepit, & reſtituatur ipſi pretium: ſi autem læſio fuit ſolùm in valore & pretio rei, reſtituitur ad integrum valorem, ita vt ſi plus dedit quàm æquum erat, exceſſum illum recipiat, aut ſi minus vendidit quàm iuſtum erat, recuperet quod ſupererat ad iuſtum pretium. Ita gloſſ. *in l. ſiquidem ij, C. de prædiis minorum.* Panorm. *in cap. conſtitutus n. vlt. de in integrum reſtitution.* & alij paſſim, ſi autem minor ſimul læſus eſt, & quòd rẽ diſtraxerit, & quòd minori pretio, poterit pro arbitrio vti remedio reſtitutionis vel beneficio *leg.* 2. *C. de reſcind. vendit.* quod poſtremum ſi eligat, licebit emptori vel reſcindere contractũ, vel augere pretium. Si autẽ minor eligat reſtitutionis remediũ, aget vel ad pretium augendum, vel ad irritandum contractum: contractu autem venditionis per reſtitutionem in integrum reſciſſo, non tenetur qui lodium accepit illud reſtituere, ex Molina *tract.* 2. *diſp.* 573. *n.* 9.

Prætereà minor læſus in pretio rei, non reſtituitur aduerſùs tertium poſſeſſorem, qui ignorauit rem fuiſſe emptam, aut acceptam à minore, niſi in ſubſidium primi poſſeſſoris, qui immediatè accepit à minore, quique ſoluendo nõ eſt. Si verò ſciuit rẽ emptã à minore, poterit minor pro arbitrio reſtitutionem petere aduerſùs hunc tertium poſſeſſorem, vel aduerſus priorem *l. in cauſa.* 13. §. 1. *D. de minorib.* Ratio eſt quia licèt reſtitutio in integrum regulariter, & principaliter non detur niſi aduerſùs eum cum quo contractum fuit, aliquando tamen neceſſe eſt contra tertium poſſeſſorem, etiam bonæ fidei concedi; quia non poteſt aliter minor ſeruari indemnis, cùm is cùm quo contraxit vel rem ſuam amplius non habeat, vel ſoluendo non ſit, aut quia intereſt minoris rẽ ipſam potius habere, quàm eius æſtimationem, quod fieri nequit niſi reſtitutionem impetret contra tertium poſſeſſorem, cui is qui cũ minore contraxit rem illam alienauit. Vnde *in citata l.* 13. Vlp. dixit concedi tunc reſtitutionem, *ne rẽ ſuam perdat, vel re ſua careat minor;* alioquin ſi non intereſſit minoris aduerſùs tertium poſſeſſorem agere, nihil aduerſùs eum, ſi bonæ fidei ſit, conſtituendum eſſe, ſed aduerſùs primum emptorem, eiuſque hæredes, tradit Paul. *l.* 14. *ſequenti.* Poterit quoque vltimus poſſeſſor agere de euictione aduerſùs primum, quod notat Couarru. *lib.* 1. *variar. c.* 5. *n.* 7. In Gallia impetrantur litteræ reſtitutoriæ contra vtrũque poſſeſſorem, primum quidem qui à minore emit, & alteri vendidit, vt videat reſcindi venditionem, contra tertium autem, vt reſciſſa venditione rem reſtituat, & ſic vno iudicio reſcindens, & reſciſſorium commutatur, inquit Rebuff. *in conſt. regias, tract. de reſtitutione, in præfat. n.* 34.

Minor qui ex mutuo accepto læſus eſt, non poteſt denegare creditori, ſiue vſurario, ſiue ſimplici ſolutionem, ſed prius in integrum reſtituendus eſt, incumbitque creditori probare mutuum in rem minoris verſum eſſe, alioquin non impediet reſtitutionem *l.* 1. *&* 2. *C. ſi aduerſus creditor.* & *l. patri* 27. §. *ſi pecuniam, D. de minorib.* Reſtituet autem minor id quo fuerit factus locupletior: quam in rem decretum Senatus 12. Ianuar. ann. 1612. refert Mornac. *ad l.* 27. *citatam.* Cùm enim de cognatorum conſilio fundus minoris ſine decreto, ſoláque licitatione facta alienatus fuiſſet; infirmauit Senatus addictionem, & refundere minorem damnauit id, quod in ſuam rem verſum eſſet. Rarum verò eſt, vt probari poſſit mutuum illud in rem minoris verſum eſſe, cum ferè mutuò accipiant minores ad inutiles impenſas: quare qui quidpiam ab eiuſmodi prodigis adoleſcentibus accipit, ſubripuiſſe potius, quam ſibi comparaſſe dicitur à Caſſiod. *lib.* 1. *variar. epiſt.* 7. *Præſenti iuſſione cenſemus, vt quidquid à Nonberto fratre Plutiani, prodiga voluntate laſciue, te non tam comparaſſe, quàm ſubripuiſſe cognoſcitur, ſine aliqua dilatione reſtituas,* inquit Theodoric. Coniecturalem tamen probationem ſufficere, vt oſtendatur mutuum in rem minoris verſum eſſe, docet Bald. *in l.* 2. *C ſi minor aduerſus creditor.* puta ſi ex ea pecunia fuit empta res annonaria, aut prædia illi commoda, & vtilia, ſolutæ mercedes magiſtris, aut impenſæ paterni funeris, vel liberatio carceris, aliæque eiuſmodi. 2

Quartò minor cui facta eſt à debitore ſolutio abſque licentia tutoris, vel curatoris, poteſt reſtitui in integrum, ſi pecuniam perdidit *l. aut prætor* 7. §. 2. *D. de minorib.* quod intellige etiam de debitore qui bona fide ſoluit: cuius argumentum eſt quod maluit ſoluere quam litigare, & expectare vt conueniretur, cùm actiones non niſi in perfidos ſint comparatæ. Ratio eſt, quia minor qui à ſuo debitore pecuniam accepit ſine ſuo curatore, ſi eo careat, ita liberat omninò creditorem, vt amittat actionem quam aduerſus eum habebat, proque ea pecuniam accipiat, in qua conſiſtit emolumentum actionis, ideóque læſus intelligitur ab ipſo etiam initio, hoc eſt etiam priuſquàm perdiderit pecuniam, quia rẽ fragilem & caducam, qualis eſt pecunia accepit pro actione, quam ita paratam habebat aduerſùs debitorem, vt non facilè periret. Læditur igitur hoc caſu minor non quidem à debitore ſoluente, ſed à ſeipſo ſua facilitate, quæ cauſa ſufficit ad reſtitutionem in integrum *leg.* 1. *D. de reſtitut. in integ.* & *l.* 3. §. *etſi hæres. D. de minorib.* Id autẽ ſcire debuit debitor, ſibi igitur ipſi debebit imputare, quod in facienda ſolutione non adhibuerit curatorem, aut iudicem, ſi deinde minor eam pecuniam perdiderit: ſi enim eam adhuc habet, aut rẽ in ſuam conuerterit, non erit locus reſtitutioni, vt patet; alioquin minor ſimul haberet pecuniã, & actionem, quod foret iniquum: numquam enim ferendum eſt, vt quis ſiue pupillus ſiue alius, cum alterius iactura diteſcat. 3

Dices debitorem bona fide ſoluentem non poſſe teneri damno, quod poſt ſolutionem contigit creditori, cui ſoluit *l. ſi mulier* 11. & *l. bona fide* 27. *D. ad SC. Velleian.* neque inquirere obligatur in quam rem pecunia quam ſoluit, impendenda ſit à ſuo debitore, argumento *l. doli* 19. *in fine, D. de nouation.*

uation. In minore igitur euentus damni non debet indulgere reſtitutionem aduersùs debitorem, qui bona fide ipſi ſoluit, cùm damnum illud, non ſolutio debitoris, ſed minoris inconſulta temeritas, qua ſibi ſolutam pecuniam perdidit, pepeterit.

Reſpondeo debitorem potuiſſe, & debuiſbuiſſe attendere pecuniam, quam ſoluit minori, poſſe ex iuuenili imprudentia, & temeritate facilè perdi, ex eaque deinde reſtitutionem aduersùs illum impetrari. Expectare igitur debuit debitor, vt conueniretur à minore, qui tunc coactus fuiſſet accipere curatorem; quandoquidem non poteſt agere ſine authoritate curatoris *l. 1. C. qui petunt tutor. vel curator.* accepto autem curatore, iſtoque authore ſoluere minori tutò poterat: vel igitur minor curatorem habet, vel non habet: ſi primum poſtulare debet debitor, vt minor adhibeat curacuratorem ad accipiendam ſolutionem, vt ipſe ea liber maneat ſine metu reſtitutionis: ſi verò minor careat tutore, debebit ſolutionem debitor recuſare, vt ſi minor illam vrgere velit, cogatur litem intentare, atque ad id faciendum neceſſariò curatorem petere, cùm ſine ipſo nequeat agere. Inuito igitur dabitur ad litem, non ad ſolutionem, ad quam tamen proderit illa curatoris aſſignatio; alioquin ſine curatore nō compelleretur debitor minori ſoluere. Fateor quidem minorem curatore carentem, & ſe obligare, & debitorem ipſum liberare, ſed aduersùs vtrumque reſtitui poterit, ſi in ea obligatione, vel acceptione ſolutionis læſus fuiſſe oſtendatur, quia pecuniam acceptam perdidit, neque vtiliter in rem ſuam vertit, quamuis id ſua temeritate fecerit, non alia culpa debitoris quàm quod ei pecuniam debitam ſoluerit, neque authorem curatorem adhibuerit. Idcircò obſeruat. Vlpian. *in citata l. ait prætor 7. §. 2. D. de minor.* ex Pomponio, ſolitos fuiſſe debitores, quoties minor non adhiberet curatorem ad accipiendam ſolutionem, in æde ſacra, aliove tuto loco deponere, atque ita liberantur & ipſo iure, & ſine metu reſtitutionis *l. fideiuſſor qui minori 64. D. de fideiuſſor.* declarare tamen debet qui ita pecuniam deponit, ſe permittere, & velle, vt minor depoſitam illam & obſignatam pecuniam accipiat, dum libuerit, modò curatorem adhibeat; atque ita ea obſignatio erit pro ſolutione, quod contingit quoties creditor exiſtit in mora accipiendæ ſolutionis, *l. acceptam 19. C. de vſur. l. obſignatione 6. C. de ſolution.* vel quoties ſtat per creditorem ne ſolutio ei fieri poſſit, *l. nec creditores 10. l. vlt. C. de pignerat. action.* vt dicemus inferiùs, vbi de ſolutionibus. In noſtro autem caſu ſtat per minorem quominus ei ſolui tutò poſſit, & debitor liberari; quia licèt paratus ſit accipere ſolutionem, non tamen adhibet curatorem ſine quo authore non ei tuto ſoluitur, neque prorſus liberatur debitor, cùm reſtitutionem timere debeat. Æquum igitur fuit, vt ipſi liceret ſolutionem deponere, & obſignare, ne vt ait Vlpian. *vel debitor vſuris oneretur, vel creditor minor perdat pecuniam:* currerent nimirum vſuræ, ſi pecunia maneret adhuc apud debitorem, quamuis non ſtet per illum, quominus ſoluat, & ſolutionem obtulerit; quia licet cùm vſuræ debentur duntaxat ex mora, ſola oblatio poſſit earum curſum ſiſtere, quia mora purgatur per oblationem, vti diximus aliàs *lib. 2. de vſuris, & comm. c. vlt.* ex *l. quæ decem 72. D. de ſolution.* cùm tamē vſuræ debentur ex conuentione, vt in pecunia credita *l. 3. C. de vſuris, l. Titius 24. D. de præſcription.* non ſufficit ſola oblatio, niſi adiuncta ſit obſignatio ad ſiſtendū illarum vſurarum curſum, quia quod iure obligationis debetur, tamdiu debetur, quamdiu non tollitur obligatio: ea verò non tollitur, niſi ſolutione, aut aliquo ex iis modis qui ſolutioni æquipolleant, *l. pen. C. de ſolution.* Hinc intellige quo dicitur *l. ſi per te non ſtat 19. C. de vſuris,* debitorem qui minores vſuras congruo tempore obtulit tutoribus pupilli, qui illas accipere noluerunt, liberari à maioribus vſuris ſoluēdis; in ea enim ſpecie minores vſuræ ex conuentione ſimpliciter debebantur; maiores autem ſi in minoribus ſoluendis mora fieret, idcóque ſola oblatione non debentur maiores vſuræ, quia mora ex qua illæ debebantur, purgatur oblatione, debentur tamē minores vſuræ; quia cùm debeantur ex conuentione, ad tollendam earum obligationem requiritur vel ſolutio, vel aliquid quod habeat vim ſolutionis, quam vim habet obſignatio, & non ſola oblatio. Vt igitur minoris debitor ſe liberet vſuris, non ſufficit vt illi ſummā debitā offerat, quam ille recipere non vult, vel non poteſt ad omnimodam liberationem debitoris, niſi authore curatore, debebitque illam obſignare, alioquin continuò current vſuræ.

Poterit quoque debitor curatori minoris, ſi quis exiſtat, tutò, & ad plenam ſui liberationem ſoluere; quod *citata l. 7.* tradit Vlpian. vti ſubtiliter exponit Ant. Faber. Et ſane ex ſolutione tutori, vel curatori facta liberationem contingere ipſo iure habes *l. Lucius 46. §. tutela, D. de adminiſt. & per. tutor. l. quod ſi ſortem 10. §. 1. & pen. D. de ſolution.* Immò & bene ſoluitur creditori tutoris ipſo tutore delegante, *l. pupilli 96. D. de ſolution.*

Dices *l. 1. C. ſi aduerſ. ſolution.* aduersùs ſolutionem minori, curatore auctore, aut ipſi curatori factam datur reſtitutio, nam tutor, qui ſoluit curatori quod ex tutelæ cauſa debuit, poterit à minore inquietari per reſtitutionem, vt quod iam ſoluit, cogatur iterum ſoluere.

Reſp. huius conſtitutionis verum, germanumque intellectum eſſe, vt quamuis tutor videatur ea ſolutione conſequutus eſſe liberationem, non tantùm pro quantitate, quam ſoluit curatori, ſed etiam pro omni cauſæ debito, & adminiſtratione tutelæ, poſſit tamen minor implorare reſtitutionem, ſi cauſa cognita probauerit malè redditas eſſe tutelæ rationes, & amplius ſibi deberi ex cauſa tutelæ, quàm fuerit curatori ſolutum. Vide Anton. Fab. *lib. 17. coniectur. iur. c. 13.* vbi & de plena, pleniori, & pleniſſima liberatione, quam vulgus induxit, de qua nos iterum diſputantes de ſolutionibus, quidpiam monebimus.

Quod ſi Prætor decernat debitam pecuniā ſolui minori, etiam ſine curatoribus, liberabitur omninò debitor, & ſecurus erit, licèt minor pecuniam ſuam perdiderit, neque poterit in integrū reſtitui aduersùs eū debitorem; ita Vlp. *in citata l. ait prætor. 7. §. 2. D. de minorib.* quia qui iuſſu Prætoris quidpiā facit, neque dolo malo, neque cum culpa facere dicitur, cùm neceſſe habeat Prætori parere, *l. non videtur 161. §. 2. l. is damnum dat 169. D. de regul. iur.* quare mandato Iudicis licitè fieri, quod aliàs illicitè fieret, plurimis exemplis demonſtrat Accurſ. in *l. 7. citat.* abſurdūque omninò foret eum, quē ipſe compellit ſoluere, plecti quod ſoluat, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem. D. quæ in fraudem creditor.* Ideoque ſapienter per magiſtratum facies illa quæ alioquin non facere teneris, *l. ſi ſtipulatus 81. in fin. D. de ſolut. l. ei apud quem 5. §. 1. D. depoſiti.*

Dices ſi minor ſuam rem immobilem vendidit cum decreto, nihilominus ſi in ea læſus fuerit, reſtituetur ab ipſo Iudice *l. ſi quidem 11. C. de præd.*

minor. cur non igitur reſtituetur aduersùs debitorem qui ex prætoris decreto ſoluit, ſi pecuniam perdiderit?

Reſp. reſtitutionem in priori illo caſu venditionis fundi ita fieri vt vnuſquiſque rem ſuam recipiat, minor ſuum fundum, & emptor ſuum pretium, *l. quod ſi minor* 25. §. *reſtitutio, l. patri* 27. §. 1. *D. de minorib.* At verò in reſtitutione aduersùs ſolutionem minori, iubente prætore factam, is ſolus, quem Prætor ſoluere coegiſſet damnum pecuniæ deperditæ pateretur, quod foret iniquum, vt vides. Deinde Prætor quidem permittit aliquando minori rem mobilem alienare, numquam autem iubet: Nos verò agimus de ſolutione quam iubet Prætor minori fieri ſine curatore, quare illi debitori neceſſe eſt ſoluere; cur igitur ſuo damno ſoluet, ſi deinde creditor rem ſuam ſibi ſolutam perdiderit. Cùm igitur debitor iuſſus ſit ſoluere minori non adhibito curatore, quem adhiberi volebat, atque ita fuerit quandam iniuriam paſſus à qua poterat ad Præfectum vrbi appellare *l. Æmilius* 38. *D. de minorib.* non poterit idem Prætor aduersùs eum reſtitutionem minori concedere. Itaque hic debitor pleniſſime liberatur, & ſine periculo reſtitutionis. Plura vide apud Anton. Fab. *ad eam l.* 27. §. 2. *verſ. auditurum non eſſe, D. de minoribus.* Moneo duntaxat ſolutionem penſionis annuæ, & fructuum agrorum, quæ valorem centum ſolidorum non excedit, factam minori authore curatore, ita firmam perſiſtere, vt aduerſus illam non detur reſtitutio, quod monet Molin. *tract.* 2. *diſp.* 224. Ceterùm non peccabit minor, qui vſus beneficio legis, & obtenta reſtitutione aduersùs debitorem illum ad ſecundam ſolutionem compellet; quia iure ſibi à lege facto vtitur, debetque ſibi imputare debitor, qui non tutò ſoluerit, vti poterat, ita Rebell. 2 *part. lib.* 1. *q.* 8. *n.* 54.

4 Quintò minor qui fideiuſſorio nomine vel ſe, vel rem ſuam pro alio obligauit, in eaque fideiuſſione læſus fuit, reſtituetur in integrum *l. ait prætor* 7. §. 3. *D. de minorib.* Ratio eſt quia fideiuſſor licet pro alio ſe obligauerit, proprio tamen nomine conuenitur, & obligatur; ideóque differt à procuratore, qui alij, non ſibi contrahit, ſiue ſeipſum, ſiue aduerſarium obliget; vnde fit vt fideiuſſor ſi quas habet exceptiones, illas non ſolùm ex ſua perſona, ſed etiam ex perſona rei, inuito quoque ipſo reo, & principali debitore, proponere poſſit *l. ex perſona* 37. *D. de fideiuſſ.* modò non perſonæ, ſed rei cohæreant *leg. exceptiones* 7. §. *rei autem. D. de exceptionib. l. vlt. D. de pactis.* Procurator verò nihil omnino facere poteſt, ſiue agat, ſiue conueniatur, inuito eo cuius procurator eſt, cuiuſque nomine, & nō ſuo proprio agit, *l. ſi procurator* 28. *D. de procurator.* quare ſi minor maioris procurator reſtitueretur aduersùs contractum ſuum, ea obligatio prodeſſet maiori obligato ex ſui procuratoris contractu, quod contra mentem Prætoris fieret, *l. cùm mandatum* 23. *D. de minorib.* & *l.* 3. §. *ſed vtrum. D. eod.* Quamuis autem minor fideiuſſor reſtituatur in integrum aduersùs illam obligationem fideiuſſoriam, quam contraxit, eiuſmodi reſtitutio non prodeſt maiori, qui proprio contractu obligatur, quæ profectò non pendet ab obligatione fideiuſſoris, quia tantùm acceſſoria eſt, illa verò principalis *l.* 1. 2. 3. & *paſſim D. de fideiuſſor.* Cùm igitur læſus ſit in propria obligatione minor fideiuſſor, cur non æquè aduersùs illam obligationem, atque aduersùs aliam ex alio quopiam contractu ortam reſtituetur, cùm ex ea reſtitutione non ſequatur vllum incommodum maius, quàm ex alia quacumque, & communis illa ratio, quæ perſuaſit concedendam eſſe minori læſo ſua facilitate, aut aduerſarij circumuentione reſtitutionem, æquè valeat in hoc caſu. Neque dicas non lædi minorem qui pro maiore fideiuſſit, quia habet regreſſum contra reum principalem *leg. ex mandato* 20. §. 1. *& paſſ. D. mandati.* Nam ſemper intereſt minoris non ſoluere, potius quàm ſolutum deinde repetere *leg. ſi ſtipulatus* 15. *D. de fideiuſſ. l.* 23. *D. de compenſ.* Neque idcircò aliquis actionem pati cogitur ex eo quod ſit deinde recepturus ab alio quidquid præſtiterit *leg. nemo ideò* 171. *D. de regul. iur.* Quod verò de minore fideiuſſore diximus, idem omninò de mandatore, conſtitutore, & expromiſſore dicendum eſt, quia hi omnes interuentores ſunt, eorumque obligatio ſicut & fideiuſſoria, propria ſingulorum eſt, quamuis ad principalē obligationem acceſſoria exiſtat, dixitque in vniuerſum Vlpianus *citata leg.* 7. §. 3. *D. de minorib.* ſuccurri minori *in interuentionibus*, vbi idem Iuriſconſultus diſtinctionem illam quam probare viſus fuerat Pomponius, ſapienter reiicit; volebat enim ille, minorem fideiuſſorem, ſi probatus fuiſſet ab aduerſario, reſtituendum eſſe, vtpote ab aduerſario læſum; at verò ſi ab arbitris qui ex ea cauſa conſtitui ſolebant *l. arbitro*, §. 9. *& ſeq. D. qui ſatiſdare cogant.* non eſſe reſtituendum aduersùs aduerſarium a quo neque læſus, neque circumuentus fuerat, eam inquam diſtinctionem reiicit Vlp. quia minor reſtituitur à quocumque læſus ſit ſiue ab aduerſario, ſiue ab alio quopiam, ſiue à ſeipſo, & ſua facilitate, *l.* 1. *D. de reſtitution. in integ. l.* 3. §. *etſi heres. D. de minorib.* Læſio autem minoris fideiubētis ſua facilitate, aut alterius captione euidens eſt, cùm nullum ex ea lucrum ipſi poſſit accedere, poſſit verò damnum. Si tamen minor vel fideiuſſiſſet in rem ſuam, ideóque pro principali debitore haberetur, *l. de die* 8. §. 1. *D. qui ſatiſdar. cogant. l. ſed ſi fideiuſſor* 24. *D. de pactis, l.* 3. §. *Iulianus, D. de pecul.* vel ſi principali debitori ſucceſſit ſiue in ſolidum, ſiue pro parte, non reſtituetur, quia tunc non tenetur ex obligatione fideiuſſoria, quæ per confuſionem ſublata eſt, *l. debitori* 50. *D. de fideiuſſorib.* habeturque tamquam hæres maioris, quo caſu reſtitui nequit: vel denique ſi dum minor fideiuſſit, indemnitatem habuit præ manibus, vt loquuntur: v.g. ſi tantam pecuniam habuit ab eo pro quo fideiuſſit, quanta erat ea pro qua fidem ſuam obligauit, nemo enim dixerit eo caſu minorem fideiubentem læſum fuiſſe.

An verò reſtituto minore, eius fideiuſſor reſtituatur, dubiæ quæſtionis videtur propter quandam legum, vt videtur antinomiam: nam *l.* 51 *D. de procuratorib.* fideiuſſoribus minorum ſuccurritur reſtitutione, quod ipſum negatur *l.* 1. *&* 2. *C. de fideiuſſorib. minor.* Conſentiunt tamen hæ leges, Iuſtinianus enim *in l.* 2. *citata*, ait manifeſti iuris eſſe conſulendum eſſe minori, at eius fideiuſſori, vbi apparuerit dolo malo contractum eſſe, diſtinctione lis tota cōponenda eſt; cùm enim aliæ ſint exceptiones perſonales, aliæ reales, illæ perſonæ debitoris principalis cohærēt, neque tranſeunt ad fideiuſſorem, vt videmus in ſocio, parēte, patrono, marito, qui omnes exceptionē habent in id quod facere poſſunt; ea tamē exceptio fideiuſſori non cōpetit, reales verò exceptiones vt rei iudicatæ, & doli mali, competunt fideiuſſoribus: quæ omnia habentur *l.* 7. *D. de excep.* Cùm igitur dolus malus interuenerit in contractu minoris, tū minori, tū eius fideiuſſori cōpetet reſtitutio; quod idē dicendū eſt, ſi nihil inde creditori 5

minoris

minoris deperit, *l.89. D.de acquir.hæredit.* ſi ignorauit minorẽ eſſe *l.48.D. de fideiuſſorib.* ſi denique minori ſucceſſit *leg.95.§.3.D.de ſolutionib.* Quæ omnia ſi deſint reſtituto minore, eius fideiuſſor nõ reſtituitur *l.25.D.de fideiuſſorib.*& *leg.13.D.de minorib.* vbi rationẽ reddit Vlp.quia plurimùm intereſt creditoris, qui cum minore contraxit, & ob periculum, & incertum ætatis, atque reſtitutionis, fideiuſſorem accepit, vt loquitur Papinian. *in l.ſi Titius 48. D. de fideiuſſorib.* ne reſt tuto minore liberetur fideiuſſor, alioquin nemo cum minore contrahet. Nihil verò intereſt minoris, vt reſtitutio impetrata aduerſus creditorem, proſit etiam fideiuſſori; nam æquè poterit reſtitui aduersùs ipſum fideiuſſorem agentem mandati pro ſua indẽnitate, cùm non minus contra illum, quàm contra alium reſtitutio concedi debeat: quare fideiuſſor non habet regreſſum aduerſus minorem actione mandati, quæ actio deneganda illi erit vt ait Vlpian. *in citata l. 13.* & cauere debuit fideiuſſor, vt in rem minoris pecunia ipſi credita verteretur, cùm ſcire debeat minorem poſſe reſtitui non minus contra fideiuſſorem, quàm contra creditorem: quare niſi dolus interuenerit creditoris in circumueniendo minore, imputare ſibi debebit fideiuſſor, quod pro minore fideiuſſerit, niſi fideiuſſerit tanquam pro maiore, quia v.g. minor ſe maiorem dicebat. Addit denique Vlpianus, faciliùs debere ſuccurri fideiuſſori, quàm mandatori contra creditorem, quia licèt vterque ſit interceſſor, & acceſſoriè obligetur; mandator tamen eſt veluti ſuaſor, & adfirmator, vt creditor cum minore contrahat, qui nequidem de contrahendo quandoque cogitabat, ſiue quærit, & compellit creditorem, vt cum minore contrahat. E contrario verò fideiuſſor quæritur, & impellitur à creditore, vt fideiubeat; atque hactenus de minore fideiuſſore maioris, & de maiore ipſius minoris fideiuſſore.

6 Sed quæritur quid cenſendum ſit quando minor non agit fideiuſſorio, ſed procuratorio nomine, atque adeò non obligatur per ſe, ſed nomine mandantis ſibi procurationem, an tunc minor reſtitui debeat? Reſpondet Paul. *in l. cum mandata 23. D. de minorib.* minorem agentem tanquam procuratorem maioris, & ex eius mandato non eſſe reſtituendum, quia ſi minor ex eo negotio quod geſſit, aliquid præſtare cogatur, regreſſum habet actione mandati contra eum, qui mandauit, ſi externus eſt, ac proinde non læditur. Vt quid igitur reſtituetur in integrum. Neque mens prætoris eſt in ſuo edicto, vt per minorum perſonam conſula maioribus, vti tamen fieret; nam maioris damno tota res ceſſura erat per regreſſum, quem habet procurator actione mandati aduersùs eum, qui mandauit, quia non ſuum negocium egit procurator, ſed alienum. Minori igitur non ſuccurritur hoc caſu, ne indirectè ſuccurratur maiori, ſatiúſque eſt minorem cogi ſoluere, poſteà repetiturum, quàm prætextu damni, quod patitur, cùm cogitur interim ſoluere, reipſa fauere maiori contra mentem Prætoris: ſi tamen reipſa ex aliquo euentu minor damnum ſentiret, quia maior cuius nomine minor eius procurator egit, non eſt ſoluendo, neque poteſt præſtare indemnitatem actione mandati, ipſi ſuccurret Prætor, ne moretur in damnu, quod ſapienter monet Paulus *in ea l.23.*

Neque dicas etiam eo caſu, quo minor reſtituitur à Prætore, quia maior, cuius procurator fuit, non eſt ſoluendo, ad præſtandam illi indemnitatem actione mandati contraria, eiuſmodi reſtitutio minoris prodeſt maiori contra mentem edicti prætoriani. Reſpondeo enim primò in ea reſtitutione aliquid forte contingere præter mentem Prætoris, illud tamen minus incommodum fore, quàm ſi minor propter ſibi negatam reſtitutionem relinqueretur in damno, quod omninò contra mentem prætoris foret, non patitur enim vt minor, ſique læſus, ſuo edicto, aut ſententia relinquatur in damno.

Reſp. ſecundò nihil omninò intereſſe maioris qui ſoluendo non eſt, vt minor reſtituatur, quia ſua inopia actionem contrariam mandati ſuo procuratori minori competentem, & actionem eius, qui cum ſuo procuratore minore contraxit, facilè eludet.

Denique quando minor eſt dominus, eius verò 7
procurator eſt maior, negat Paul. *citata l. 23.* audiendum eſſe minorem, & reſtituendum, niſi eius mandato quidpiam geſtum ſit, & procurator rem ſeruare non poſſit. Ratio eſt, quia non impetrata, ſiue negata reſtitutione, res non poteſt cedere damno minoris, cum poſſit quidquid ex ea cauſa ſoluerit, repetere à ſuo procuratore per actionem directam mandati, quam vice rei, quam amiſit, habet *l.is qui actionem 11.D. de regul. iur.* Cum igitur eo caſu minor læſus non ſit, profectò reſtituendus non eſt.

Dices minorem ſi læſum ſe ſentiat, reſtitui aduersùs eum, qui cum ſuo tutore, vel curatore contraxit *l.fin.C. ſi tutor vel curat. interuen.* cùm tamen damnum pati non poſſit, eo quod habeat actionem paratam aduersùs tutorem, & curatorem.

Reſp. diſcrimen eſſe inter tutorem, vel curatorem, & procuratorem, quod tutor, & curator ita pupilli, vel adulti perſonam repræſentent, vt ſi illorum nomine contraxerint, nihil de ſuo ſoluere cogantur, nec in eos detur actio iudicati *l.2.D. de administrat. tutor*; ideóque reſtitutio conceſſa minori non prodeſt maiori contra propoſitum Prætoris, qui ſuo edicto ſolis minoribus prodeſſe voluit, & æque tutor, vel curator conueniri poterunt ab eo, cum quo contraxerunt, atque ſi nulla petita fuiſſet reſtitutio in integrum; non poterit tamen minor, vel pupillus id quod fuerit conſequutus per reſtitutionem in integrum, poſteà iterum petere per tutelæ, vel curæ actionem, id enim foret iniuſtum. At verò procurator qui licet procuratorio nomine contraxerit, poteſt conueniri, & damnari, ita vt de ſuo quoque ſoluere cogatur, licèt habeat ius, idipſum quod ſoluerit repetendi ab eo, qui ipſi mandauit *l. ſeruum Titij 49.D.mandati. l.eum qui 46. D. de minorib.* reſtitutio igitur conceſſa maiori, prodeſſet eius procuratori maiori contra mentem Prætoris, non proderit tamen tutori, & curatori eiuſdem minoris vti oſtendimus.

Quæres, an cùm aliquis ſponte ſua minorem
in iudicio defendit, & damnatus fuit, poſſit minor beneficium reſtitutionis implorare aduersùs eam ſententiam. 8

Reſp.cum Paul. *l.46.D.de minorib.* hunc defenſorem ex cauſa iudicati conueniri poſſe. Ratio eſt, quia alioquin impunè defenſor iſte illuſiſſet, & iudici, & iudicio; nemo enim eſſet contra quem poſſet iudicati actio dari, & executio fieri poſſet, non quidem contra defenſorem, vt volunt aduerſarij, neque etiam contra eum quem defendit; ille enim non modò abſens, ſed etiam ignorans ab

alio defenſus eſt, l.4. *D. de re iudicat.* ſibi igitur imputet defenſor, qui ſine mandato minorem, aliúmve defendere ſponte ſua noluerit, ac liti ſe vltro obtulerit, vt habetur *l.4. citata.*

Dices neque procuratori, neque in procuratorem dari actionem iudicati *l. ſi procurator 28. D. de procurator. l. item eorum 6. §. vtrum. D. quod cuiuſque vniu. nom. l. hoc iure 86. D. de ſolution. l.4. D. de re iudicat.* quia non ſuo, ſed alieno nomine litigat. Atqui defenſor, quamuis vltro ſe ad defendendum obtulerit, alieno tamen nomine litigat; igitur non magis causâ iudicati conueniri debebit, quàm procurator.

Reſp. defenſorem, vti iam dixi, vltro liti ſe offerre, non verò procuratorem, qui vbi mandatum ab altero acceptauit, litem ſuſcipere cogitur, ideóque poteſt actio iudicati dari in eum, cuius mandato procurator iudicium ſuſcepit, *l. ſi procurator 28. D. de procurator.* quod dici nequit reſpectu eius, qui & abſens, & ignorans defenſus eſt. Cur enim ſubibit aleam iudicij, quod non ſuſcepit, quamuis alius eius causâ ſuſceperit.

Ait Secundò Paulus, ætatem minoris, quem defendit, prodeſſe iſti defenſori ad impetrandam reſtitutionem, & ne actione iudicati conueniri queat, quia eadem æquitas quæ ſuadet ſuccurrendum eſſe minori in iudicio damnato, ſuadet quoque eius defenſori ſuccurrendum eſſe; non enim imputare licèt minori, cur minor ſit, & cur ſe conueniri, & condemnari paſſus fuerit, *l. petenda 6. C. de tempor. in integ. reſtitut. l. purè 5. §. vlt. D. de doli exceptione*, cùm quod iam monui, defenſori imputetur, quòd ſe liti vltro obtulerit.

Tertiò ait Paul. neque minorem, cuius nomine defenſor eius condemnatus eſt, poſſe aduersùs eam ſententiam reſtitutionem implorare, quia nihil minoris intereſt, cùm nulla in re teneatur defenſori, ſi malè rem ſuam geſſit, ſi verò bene geſſit, tenetur efficaciter illi minor, cui non niſi iniquè reſtitutionem concederet Prætor. Si verò ipſe minor ſponte ſua negotiis maioris interuenerit, reſtituendus erit inquit Paul. *lib. 1. ſentent. tit. de reſtitution. in integ.* vnde deſumpta eſt *l.24. D. de minorib.* quia damnum rei geſtæ ſemper cedit ei, qui geri mandauit. Si verò mandatum nullum interceſſit, damnum debet eſſe periculo geſtoris, ſi ab initio res malè geſta ſit, quãdoquidẽ nihil imputari iure poteſt ei, cuius abſentis, & ignorantis negotia malè geſta ſunt. Cùm igitur in hoc caſu, quo minor ſponte ſua negotiis maioris gerendis ſeſe immiſerit, nullum mandatum interuenerit, totum damnum rei malè geſtæ huic minori geſtori ſubeundum erit, niſi illi ſuccurratur per reſtitutionem, quia tenebitur actione negotiorum geſtorum, aut maior ipſe, qui ratum habuerit quod géſtum à minore fuit, morabitur in damno negotij illius geſti, cui tamen per reſtitutionem minoris ſuccurri poterit, & omninò debebit, quandoquidem ipſe nihil cum minore egit, aut contraxit. Reſtituendus igitur erit minor aduersùs eum cum quo contraxit, ne domino, cuius negotia geſſit teneatur, quia aduersùs dominum, cuius negotia geſſit reſtitui nequit, neque aduersùs actionem negotiorum geſtorum, vt ait ibidem Paulus ſapienter omninò, idcircò enim reſtituitur minor aduerſus eum cum quo contraxit, quia poteſt illi imputari, cur cum minore ad eum lædendum contraxerit, quod imputari nequit ei, cuius abſentis, & ignorantis negotia minor geſſit. Æquius itaque fuerit minorem damnum ſentire, quàm dominum cuius negotia vltro ſuſcepit, neque tunc aut conſilij, aut ætatis infirmitatem obtendere poterit, cùm nemo eum cogeret, ad alterius abſentis accedere negotia. Denique non caret doli mali ſuſpicione quiſquis aliena negotia ſponte ſuſcepit, ſi malè gerat, & deinde iudicium negotiorum geſtorum ſubire recuſet. Cæterùm in *hac l.24.* quam expendimus Triboniani manum Pauli verba interpolantis agnoſcit Anton. Faber, quem conſule.

Rectè igitur dixit Vlpian. *l. minor 51. D. de procurator. & deffenſ.* minorem non exiſtere idoneum defenſorem, ex cauſis ex quibus in integrum reſtitui poteſt, quia illi, & fideiuſſoribus eius per reſtitutionem ſuccurretur: ipſi quidem, ſi qua in re læſus, captuſque propter lubricum ætatis proponatur, vti diximus hactenus, fideiuſſoribus autem, ne vel regreſſum habeant contra minorem, vel in damno morari cogantur, quod & minoribus, & ipſis fideiuſſoribus graue prorſus foret: quare idem Vlpian. *in l.53. ſequenti*, ait defenſorem eſſe non poſſe, *niſi ſatisdare paratus fuerit*: ad quam tamen *l.* obſeruat Mornac. ex Curiæ placitis, quæ refert, poſſe procuratorem ad iudicia conſtitui minorem XXV. atque ita temperandam eſſe Henrici II. conſtitutionem, quæ annos XXV. in procuratoribus ſenatoriis, ac præſidialibus exigit.

Reſtat hoc loco difficultas de filiusfamilias, an illis ſit per reſtitutionem ſuccurrendum, ſic enim maioribus, nempe patribus eorum contra mentem Prætoris ſuccurreretur.

Reſpondet Vlpian. *in l. 3. §.4. D. de minorib.* quamquam plurima in eo §. aſſuta fuiſſe à Triboniano iure ſuſpicetur Anton. Fab. *in rationalib.* primò non eſſe reſtituendum filiumfamilias iure peculiari, ſi eius nihil interſit, ſed ſolius patris, vti contingit in peculio, quod magis patris eſt, quàm filij, vt *ibid.* dicit Vlpian. & Caius *in l. patri 27. D. de minorib.* Vt quid enim reſtituetur hic filiusfamilias, ſi eius nihil interſit? Tunc ſanè *maiori* duntaxat fauebit reſtitutio, *quod à mente Prætoris* alieniſſimum eſt.

Secundò ſi quando filius ipſe familias obligetur, illi ſubuenire licebit per reſtitutionem; nam perſona patris, cui vt pote maiori, non vult ſubuenire Prætor, non debet nocere filio, neque impedire quominus edictum Prætoris opem, quam ipſi pollicetur, præſtet: poſſe verò obligari filiumfamilias tum ex contractibus, tum ex delictis conſtat *ex l. tam ex contractibus 57. D. de iudic.* Ex omnibus denique cauſis præterquam ex S.C. Macedoniano *l.1. D. de S.C. Macedon.* & ex voto *l.2. §. voto, D. de pollicitat.*

Tertiò ſi filiusfamilias iuſſu patris contraxit de re peculiari, ſiue de peculio, vel de re merè paterna; priori caſu reſtituendus eſt filius, quia eius proprio nomine intereſt, & proprio nomine obligatus eſt, & proprio nomine in ſolidum inuito patre conueniri poteſt *l. ſi quis cum filiofamilias 44. D. de peculio.* Dum verò de re merè paterna iuſſu patris contraxit, non eſt illi danda reſtitutio *l. cùm mandatum 23. D. de minorib.* quia tunc non obligatur tanquam filius, & proprio nomine, ſed tanquam procurator patris, cui proinde, non filio prodeſſet reſtitutio contra mentem prætoris. Neque dicas etiam peculium eſſe patris; nam etiam eſt filij, licèt magis ſit patris, quàm filij, ac proinde in illo contractu lædi poterit ipſemet filius, & non tantùm ipſe pater: quare filio tunc ſuccurrendum eſt, quod non fit quando de bonis merè paternis contrahit, quia tunc tota læſio, &

obligatio

Digitized by Google

obligatio eſt patris, cuius iuſſu contraxit.

Quartò ſi tanquam procurato res paternas adminiſtret filiusfamilias, obligatur quidem, ſed tanquam procurator, ideóque reſtitui poteſt, & debet, ſi ex euentu damnum paſſurus ſit, putà ſi qood præſtiterit à patre, ſeruare non poſſit, quia fortaſſis ſoluendo non eſt, *l. cùm mandati, citat.* ordinariè tamen eo caſu non reſtituitur, non quod non obligetur, ſed quia potius tunc maiori conſulertor, cùm eius damno rem totam cedere neceſſe eſt, vt eadem lex dicit. Hactenus de contractibus minorom.

9 Quintò datur minori reſtitutio propter læſionem ex quaſi contractu, vt ſi minor in adeunda, vel repudianda hæreditate læſus ſit, etſi id fecerit authoritate tutoris. Si tamen agatur de deierenda hæreditate, debet probari læſio ex parte minoris, & defuncti creditores ſunt citandi, atque intereà aſſignari à Iudice curator hæreditatis, qoi iubeat inuentariom confici *authent. ſi omnes, C. ſi minor. ab hæreditat. ſe abſtineant.* Et ſi minoris facilitate aliquid perit, neque inde ditior euaſerit, perit hæreditati, non minori, *l. ait Prætor 7. §. 5. & ſeq. D. de minorib.* qoinimmò Molina *tract. 2. diſp. 573.* aduertit non eſſe obligatum minorem, ſi quidpiam ex hæreditate perit, quo tempore illam poſſedit, iodeque ditior non euaſit, illud ſoluere iis, qui capient eam hæreditatem, quam ipſe beneficio reſtitutionis repudiauit; qoia beneficium reſtitutionis exigit, ne ea teſtitutio fiat cum iactura reſtituti, cui fauere intendit Prætor, idque omninò vult Vlpian. *in l. 7. §. 5. D. de minorib.* ait enim reſtitutum, ſi qoid ex hæreditate periit propter ætatis imbecillitatem, non debere præſtare, ſecus verò ſi quid ad ipſum peruenit.

Dices fieri iniuriam creditoribus, & legatariis, ſi liceat minori abſtinere ab ea hæreditate, quam magna ex parte profligauit, vnde fit vt ex ea profligata non modò legatariis, ſed etiam creditoribus aliquid pereat. Et ſane quomodo res qoæ planè deſiit, poterit redintegrari. Quare ſapienter eo caſu negari reſtitutionem dixit Paul. *in l. minor 24. §. Scæuola, D. de minorib.*

Reſp. minorem, qui inconſultè damnoſam adiit hæreditatem, eademque imprudentia, citra dolum tamen, perdidit, reſtitui non tam contra aditionem hæreditatis, quàm contra ipſius inconſultam facilitatem; ſatiſque eſt quod ad illum nihil ex ea hæreditate peruenerit *l. vn. C. de reputationib. quæ fiunt in iudic. in integ. reſtitution.* vbi dicitur reſtitotum neque in damno morare, neque in lucro eſſe oportere *l. verò illam 24. D. de minorib.* & Scæuolæ dictum poſt paulò explicabimus: quod autem dixi de inuentario faciendo, videndum eſt ne eo prætextu fraudentur creditores ex beneficio, quod Imperatores indulſerunt liberis decoctoris aduerſùs ſæuitiam, rapacitatemque creditorum, repudiata paterna hæreditate. Iure enim antiquo filius non modò ſuus hæres, ſed etiam neceſſarius dicebatur, atque adeo obligabatur neceſſariò hæreditati, & creditoribus, æris paterni nomine, qui ſæpiùs auferebant quidquid penes infelicem filium erat, cui malo vt occurreret Prætor, indulſit aliquando liberis repudiare hæreditatem; quod deinde confirmarunt ſua conſtitutione Seuerus, & Antoninus, vt in appẽdice de teſtamẽtis dicemus amplius. Si quis igitur minor incõſultò hæreditatem aliquam paternam, aliámve acceptarit, aut repudiarit, reſtituetur in integrũ, vt abſtineat à malè acceptata, vel vt malè repudiatã acceptare valeat.

Dices, qui ſemel hæres fuit, ſemper hæres eſſe perſeuerat *l. ei qui ſoluendo 88. D. de hæredib. inſtit.* nec quis poteſt dare ius hæredi, aut adimere *§. quot autem, Inſt. de bonor. poſſeſſ.* non poterit igitur reſtituere Prætor minorem aduerſùs hæreditatem aditam, vt liceat ab ea abſtinere. Deinde ſera eſt repudiatio iuris iam acquiſiti. Denique Prætor dando beneficium hoc abſtentionis ab hæreditate, non aliud intendit, quàm liberare minorem ab oneribus hæreditatis non ſponte ſuſceptis, *l. ſi filius 12. de vulgar. & pupill. ſubſtit.* non autem ab illis quæ ſponte ſobierunt adeundo hæreditatem, quam non cogebantur adire *l. nec emere 16. C. de iure delib.*

Reſp. non poſſe quidem ſemel hæredem non eſſe hæredem, poſſe tamen non haberi loco hæredis beneficio abſtentionis *l. ſi filius 12. D. de interrogat. in iur. fac.* conceditur autem illa abſtenſio vel ex edicto citra decretum Prætoris, vt in ſuis hæredibus, qui nunquam ſe immiſcuerunt *l. ei qui ſe non miſcuit 12. D. de acquir. hæredit.* vel per reſtitutionem in integrum cauſa cognita, & decreto Prætoris interueniente *l. ait Prætor 7. §. quod Papinianus, D. de minorib. l. neceſſariis 57. D. de acquirend. hæredit.* Dat igitur Prætor reſtitutionem aduerſùs aditionem, non vt repudietur hæreditas, quæ fuit adita, ſed vt ab hæreditate abſtineatur; nam repudiamus res delatas, & nondum acquiſitas *l. 4. §. decretalis, C. de repud. vel abſt. hæred.* abſtinemus verò à noſtris, & iam acquiſitis.

Hinc fit primò etiam eum, qui hæredem ſe geſſit, & poſſeſſionem adiit, aduerſùs poſſeſſionem reſtitui poſſe *l. ait prætor 7. §. ſed etſi ſe abſtineat.* Ratio eſt, qoia bonorum poſſeſſor, quamuis non ſit hæres, hæredis tamen loco habetur per Prætorem, & ad omne æs alienum, vniuerſáque onera hæreditatis tenetur *l. 1. & 2. D. de bonor. poſſeſſ. l. Prætor 117. D. de regul. iur.* indiget igitur hic poſſeſſor minor reſtitutione, vt periculo & damno, quod ſubiit in petenda, capiendáque poſſeſſione liberetur. Secundò fideicommiſſarius vniuerſalis minor reſtitui poterit, quia is quoque habetur loco hæredis, *§. reſtitutio, Inſt. de fideicomm. hæred.* In eumque tranſeunt omnia iura hæreditaria tum actiua, tum paſſiua *l. 1, 2, 4. & 24. D. ad S C. Trebellian.* Tertiò eadem ratio valet in eo, cui bona ſunt addicta libertatum conſeruandarum cauſa, nam & iſte quaſi hæres eſt *§. pen. Inſtit. de eo cui libert. cauſ. bon. addic.*

Quartò non modò ſuis, ſed etiam neceſſariis 10
hæredib. aduerſùs aditam hæreditatem ſuccurritur à Prætore, ſed diuerſo modo: hæres neceſſarius eſt qui omnimodò hæres eſſe cogitur, ſiue velit, ſiue nolit *§. 1. Inſt. de hæred. qual. & differ.* eſt igitur ipſo iure hæres, etiamſi neque ſe pro hærede geſſerit, neque ſe hæreditati immiſcuerit. Sui hæredes dicuntur domeſtici, & familiares, qui viuo quoque patre quodammodo dominium habere exiſtimantur, & non tam in nouum ſuccedere, quàm vetus continuare, magiſque ad propria, & debita, quàm ad aliena vocantur, *§. ſed ſui, Inſt. de hær. qual. & differ.* Sibi ipſis igitur quodammodo ſuccedunt, cùm viuente quoque patre domini cenſeantur, *l. in ſuis, D. de liber. & poſthum.* & ex l. XII. Tabular. Qua de cauſa ſui hæredes illicò apparent, & ipſo iure, neque aditione egent: ſunt illi filij, & filiæ, ſiue naturales, ſiue adoptiui, nepotes, neptes, pronepotes, proneptes ex nepote, & omnes per virilem ſexum deſcendentes; ex filiabus enim progniti ſui eſſe non poſſunt. Sui quo-

quo

que ſunt poſthumi, qui ſi viuo patre nati fuiſſent, futuri erant in poteſtate patris. Vxor etiam quæ in manum viri conuenit, nurus quæ in manu filij eſt. Denique ille eſt ſuus hæres, quem Cicero *orat. pro Cluentio* hæredem familiæ nominat, de quibus dicemus in appendice de teſtamentis. Idcircò ſuitas quam Græci γνησιότητα, definitur ab Alciato hæredum qualitas, qui primum in poteſtate paterna locum obtinent, continuationem dominij, neceſſitatemque ſucceſſionis inducens. Hi hæredes ſimul quoque neceſſarij ſunt, quia omninò ſiue velint, ſiue nolint, ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento & lege XII. Tab. hæredes ſiunt, ſed Prætor eos hæredes ſuos, neceſſarios dixit. Alij ſunt neceſſarij, qui tamen ſui non ſunt, eiuſmodi neceſſarius hæres, eſt ſeruus hæres, qui ſiue velit, ſiue nolit poſt mortem teſtatoris liber fit, & hæres neceſſarius eſt. Dixi igitur hæredibus ſiue ſui ſint, ſiue neceſſarij duntaxat, ſuccurri à Prætore: ſuis quidem per beneficium abſtentionis ab hæreditate, vti fuit explicatum, iis verò qui neceſſarij quidem ſunt, ſed non ſui, per beneficium ſeparationis *l. ei qui. 12. l. neceſſariis 57. D. de acquir hæredit. l. 1. §. vlt. D. de ſeparat.* quod tamen vtrumque beneficium non conceditur, niſi ſint ſola iuris poteſtate hæredes, ita vt nullum eorum factum interuenerit; quia neque ſui ſe immiſcuerunt paternæ hæreditati, neque neceſſarij, ſiue ſerui hæredes bona patroni attigerunt, alioquin ſi eorum factum, & voluntas ad poteſtatem iuris acceſſerit, indigni ſunt, quibus ſuccurratur, niſi fauor minoris ætatis illis patrocinetur, quo caſu obtinenda erit reſtitutio ex Prætoris edicto *l. neceſſariis 57. D. de acquir. hæredit.* ſi ſunt puberes, ſi enim forent impuberes, poſſent, etiam poſtquam ſe immiſcuiſſent, ſe abſtinere vltro, & ſine ope reſtitutionis, ex eadem *l. neceſſariis*, licèt tutore auctore ſe immiſcuiſſent *l. ex contractu 44. D. de re iudicat. l. impuberibus 11. D. de acquirend. hæredit.* Quo poſtremo loco impuberibus liberis ſit poteſtas abſtinẽdi *omni modo*, hoc eſt ſiue ſe immiſcuerint, ſiue non immiſcuerint, tutore authore, vel non authore, ad differentiam puberum de quibus in eadem lege Pomponius ait, poſſe ſe abſtinere, ſi ſe non immiſcuerint, tunc enim beneficium abſtinendi non habebunt ipſo iure, ſed per reſtitutionem in integrum. Quintò minor reſtitutus vt hæreditatem, quam repudiauit, adeat, poterit etiam reſtitui, vt ſe abſtineat *l. 7. §. 9. D. de minorib.* neque propterea conceditur ſæpius reſtitutio in vna, eademque cauſa, cùm alia ſit cauſa adeundæ, alia repudiandæ hæreditatis. Neque dicas fieri nõ poſſe, vt quis lædatur adeundo, & repudiando eandem hæreditatem: nam ſi lucroſa eſt, læditur tantùm illam repudiando, ſi damnoſa, eam adeundo: nam licèt rerum æſtimatio pendeat plerumque ex ipſa rerum natura, & veritate, quædam tamẽ ſunt quarum æſtimatio ſita eſt in opinione illius, qui illas acquirere, vel reiicere vult, in his eſt lucrum, vel damnum ex hereditate adeunda, vel repudianda proueniens: nam quiſque æſtimare poteſt variis ex cauſis hæreditatem ſibi vel lucroſam, vel damnoſam eſſe, & quæ modò illi lucroſa erat, deinde damnoſam fieri, ac proinde, qua facilitate petiit reſtitutionem ad repudiandam hæreditatem, quam ſibi damnoſam putabat, eadem nunc aditionem illius, quam inconſultò repudiauit, per reſtitutionem petere illi licebit.

11 Sextò ſi minor hæreditatem idoneam repudiauit, vel intra legitimum tempus non adiit, reſtitui poterit ætatis iure *l. 2. C. ſi minor abſtinuit ſe ab hæred. l. 1. & 2. C. ſi vt omiſſam hæreditatem, l. cum non ſolùm 8. §. ſin verò pater, C. de bonis quæ liberis.* Ratio eſt, quia minoribus ſuccurritur non modò ſi damnum incurrant, ſed etiam ſi lucrum iuuenili leuitate omittant, vt dicemus ſtatim, modò nulli fiat iniuria; quæ in hoc caſu reſtitutionis ad adeundam hæreditatem vel repudiatam, vel omiſſam, non fit, in primis creditoribus, & legatariis, quorum intereſt vt habeant quem poſſint conuenire *l. cum hæreditate 55. D. de acquir. hæred.* neque etiã ſit ſubſtituto, aut proximo agnato, ad quem ex die repudiationis hæreditas pertinere videbatur, quia per reſtitutionem omnia reponuntur in eo ſtatu, in quo erant antequam minor læſus fuiſſet, tunc autem nullum ius competebat ſubſtituto, aut proximo agnato in ea hæreditate, quæ minori primo loco delata fuit, neque aliis delata fuiſſet ſi minor iuuenili leuitate eam non omiſiſſet; quod verò dicitur ius ſemel quæſitum poſteà inuito auferri non poſſe, verum eſt etiam hoc caſu, quia reſtitutio non facit, quin is qui adiit hæreditatem, hæres maneat, ſed vtiles actiones dantur minori qui reſtitutus eſt aduerſùs omiſſionem, aut repudiationem hæreditatis *l. 7. §. ſed quod Papinianus, D. de minorib.*

Hanc tamen reſtitutionem intelligendam eſſe ſi hæreditas ſit integra, monebat Scæuola *l. 24. §. ſcæuola, D. de minorib.* nam ſi res hæreditariæ ſint iam diſtractæ, & negotia finita, non debet audiri minor, ſi velit venire ad pecuniam partam laboribus ſubſtituti, quod ius conſtanter obtinuiſſe teſtatur Iuſtinian. *l. vlt. C. de repud. vel abſt. hæredit.* vbi tamen addit hanc exceptionem, niſi fortè durante minore ætate res venditæ fuerint: tunc enim per in integrum reſtitutionem non denegatur ei adire hæreditatem & res recuperare, & creditoribus paternis ſatisfacere. Itaque venditio illa rerum hæreditariarum, quam Iuſtinianus *ait impedire* reſtitutionem minoris in *integrum, facta* eſſe debuit à creditoribus, non à ſubſtituto in hæreditate; alioquin pugnaret Iuſtinianus cum Scæuola. Et ratio eſt euidens, quia creditoribus nihil intereſt, quod res hæreditariæ diſtractæ recuperentur, modò ipſis ſatisfiat, quanquam & alia ſit Iuſtiniani, & Scæuolæ, vtriſque antiqui, & noui conciliatio, quam explicat Anton. Faber *ad l. 24. §. 2. D. de minorib.* quem tu conſule, nobis enim ad iſtos iuris apices longiùs digredi non licèt.

Septimò qui hæres inſtitutus eſt, *ſi à patre in diebus centum ſit emancipatus*, & patrem ſuum non monuit de ea inſtitutione, à quo fuiſſet emancipatus, quamuis ſua culpa non fuerit emancipatus, reſtitui debet parato patre eum emancipare; *l. 3. §. 8. D. de minorib.* quia ſua facilitate, & imprudentia læſus fuit minor. Si tamen conſtaret patrem, quamuis certus fuiſſet de ea inſtitutione cõditionali filij, non fuiſſe eum emancipaturum, non poſſet reſtitui, non quod tunc minor damnum non ſentiat, qui iacturam facit hæreditatis ſibi ſub conditione delatæ, ſed quia illud damnum non patitur ob fragilitatem ætatis, ſed ob ſeueritatem patris, minuſque beneuolam voluntatem, quæ non eſt iuſta cauſa dandi reſtitutionem minoribus: cùm pater filium emancipare nunquam cogatur, cùm patria poteſtas ſit inæſtimabilis *l. filiusfamilias 114. §. ſed etſi liberis. D. de legat. 1.* Quod ſi pater deceſſerit ante petitam reſtitutionem, & filius probarit patrem fuiſſe emancipaturum, ſi ſciuiſſet inſtitutionem, non impeditur reſtitutio. 12

Octauò ſi minor legatum repudiauerit, vel in optionem legatus fuerit, locus erit reſtitutioni *l. ait prætor 7. §. hodie, D. de minorib.* & *l. 8. §. pen. C. de bonis quæ liberis.*

Nonò ſi minor filius paciſcenti patri ne legatum filio relictum petatur, conſenſit, poterit in integrum reſtitui *l. denique 3. §. ſi quid. D. de minorib.* quia eius intereſt propter ſpem legati, quod poſt mortem patris ei competit. Olim qui filiis volebant conſulere, ſi quid illis relinquebant, in tempus mortis patris, vel ſi aliter effecti forent ſui iuris relinquebant *l. quidam cùm filiumfamilias 46. D. de hæredib. Inſtit. l. mater 93. iuncta l. duos 70. D. de condition. & demonſtrat.* quia ſi quid purè filiis relinquebatur, hoc totum iure patri acquirebatur per filios, vt ne momento quidem conſiſteret acquiſitio in perſona liberorum *l. placet 79. D. de acquir. hæredit.* Hodie tamen filiusfamilias ſibi acquirit ex omnibus cauſis, præterquam ex peculio profectitio, etiam inuito patre, cui ſolus vſusfructus acquiritur *l. cum oportet 6. l. vltim. C. de bonis quæ liberis.*

13 Septima cauſa reſtitutionis minorum eſt læſio in donationibus, & promiſſionibus; quare ſi minor res ſuas alij donauit, vel donanti conſenſit, reſtituetur *l. 2. C. ſi aduersùs donationem*; quæ tamen propter nuptias minor vxori donauit, curatore præſente, non reuocabuntur prætextu ætatis *l. 1. C. eod.* hæc donatio intelligitur de mobilium donatione, quia immobilia ſine decreto donari, & alienari non poſſunt *l. prædia 1. C. de præd. minorum.* Obſeruat tamen Mornac. *ad C. ſi aduersùs donat.* etiam immobilia redigenda eſſe ad naturam mobilium in conſtituenda dote filiæ iure Gallico, & ſolum conſenſum cognatorum, qui enuntiantur tabulis dotalibus idem efficere, quod olim addictionum ſolemnia, vel familiare propinquorum authore prætore iudicium, ita vt nec adeundus ſit Iudex vt antea *ex l. ſiue generalis, D. de iure dotium*, nec toties repetendi conuentus neceſſariorum, vt aliquid ſtatuant authore Iudice. ſed de his conſule Chopin. *lib. 2. tit. . . n. 23. ad conſuetud. Pariſienſ.* & Louetum *littera M. n. 9.*

14 Secundò ſi minor cauit quid, vel promiſit, quo læſus eſt, reſtituetur à Prætore *l. in cauſa 16. §. Pomponius, D. de minorib.* vbi & exemplum affertur.

Tertiò ſi minor nouando deteriorem ſuam conditionem fecit, v. g. ab idoneo debitore ad inopem nouando tranſtulit obligationem, oportebit ipſum in priorem debitorem reſtitui, *l. patri 27. §. ex hoc intelligimus, D. de minorib.* quia licèt obligatio ſemel extincta nunquam reuiuiſcat, *l. qui res 97. §. aream, D. de ſolut.* & renouatio nihil aliud ſit quàm prioris obligationis peremptio, & in ſequentem transfuſio, vti nuper dicebamus *ex l. 1. D. de nouat.* nihil tamen vetat à Prætore obligationem extinctam reſtitui, vt eadem ſit, non numero, & ſpecie, ſed genere, & effectu, ideóque eiuſmodi actiones reſtitutæ, aut reſtitutoriæ, paſſim vtiles appellantur; cùm tamen obligatio quæ per nouationem, aut acceptilationem ſublata eſt, fuerit directa. Directæ actiones competunt ipſo iure vel ciuili ſi ſint ciuiles, vel prætorio ſi ſint prætoriæ, vtiles verò non competunt, ſed dantur à prætore, qui eas tunc primùm inducit cùm dat, ſiue per reſtitutionem in integrum id faciat, ſiue ex qua alia cauſa æquitatis. Hinc porrò fit quod *in eadem l. patri, §. 2.* dicitur, ſi minor ſine cauſa debitori acceptum tulerit, non ſolùm in ipſum, ſed in fideiuſſores & pignora, & actionem reſtitui debere, quia minoris intereſt, vt obligatum habeat etiam debitoris ſui fideiuſſorem, atque ita plures habeat debitores. Præterea vt ipſi eadem pignora maneant obligata poſt acceptilationem, quæ erant ante, ne ſit ei minus cautum *l. ſi mandat. 59. §. vlt. D. mandati.* Ne quid igitur damni attulerit minori acceptilatio, quod non reſarciat reſtitutio, reſtituenda ei erit actio in fideiuſſores, & pignora, nec tam inſpiciendum eſt, quod minor fecerit, aut cum quo contraxerit, quàm quid ex eo quod fecit, damni ſenſerit, vt aduersùs totum damnum reſtituatur: quare ſi ex duobus reis minor alteri acceptum tulerit, in vtrumque reſtituendam eſſe actionem minori pronuntiauit Caius *in citata l. patri.* Hinc etiam Vlpian. *in l. minor 40. init. D. de minor.* vult minorem cui fideicommiſſum ſolui pronuntiatum erat, cauerat tamen id ſe accepiſſe, & cautionem eidem debitori, quaſi creditæ pecuniæ fecerat, in integrum reſtitui poſſe, quia partam ex cauſa iudicati perſecutionem, nouo contractu ad initium alterius petitionis redegerat, nempe minoris intereſt non modò ne eius bona minuantur, ſed etiam ne litibus, & ſumptibus vexetur *l. minoribus 6. D. de minorib.* Atqui iudicatum finis eſt litium, creditum verò initium, & origo: plurimùm igitur minoris intereſt, vt reſtituatur, ſi partam ex cauſa iudicati perſecutionem, nouo contractu ad initiū alterius petitionis redegerit. Obſeruo dūtaxat cum Mornacio ad hanc *l. 40.* mendoſam fuiſſe vulgarem eius lectionem *paratam ex cauſa iudicati perſecutionem*, & rectè emendatam fuiſſe ex lib. Florentin. *partam*, quod nos dixerimus *contracter apres ſon iugement arreſté.* Ex vulgari tamen mendoſaque lectione inductam fuiſſe in vſum, forenſem appellationem paratæ executionis, aduertit Chopin. *lib. 1. conſuetud. And. tit. 4. cap. 43. n. 11.* Etiam apud pragmaticos nata eſt differentia inter executionem paratam, & parabilem, de qua *ibid.* Mornac.

Tertiò ſi minor ſocietatem iniuit, in eaque læſus fuit, reſtituetur, *l. ait prætor. 7. initio, D. de minor.* 15

Quartò ſi mulier immodicam dotem dederit vltra vires patrimonij, reſtitui poterit *l. ſi ex cauſa 9. §. in dotis, D. de minorib.* & *l. vnic. C. ſi aduersùs dotem.* Si etiam mulier minor pactum dotale ſibi damnoſum fecerit, reſtituetur, ſi reuocare illud velit *l. minor 48. §. fin. D. de minor.* quomodo verò mulier in dote, & pactis dotalibus lædi cenſeatur in Gallia, eaque de cauſa reſtitui queat, vide Mornac. *ad C. ſi aduersùs dotem*, Louet. *littera D. n. 21.* qui & alios dabunt, noſtrum non eſt eò digredi. Neque dicas decipi maritum à muliere, quæ reſtitutionem aduersùs dotem obtinet, quia vtitur iure communi, nam etiam inter maiores contracto matrimonio, ſi alter circumuentus eſt in dote danda, illi ſuccurretur, non quidem reſtitutione in integrum, ſed æquitate iudicij de dote, quod concipitur in æquum, & bonum per illa verba comparatiua; *quantò æquius melius.* Bono autem, & æquo non conuenit aut lucrari aliquem per alterius dānum, aut damnum ſentire per alterius lucrum, *l. ſuccurſum 6. §. vlt. l. ſi res 12. l. quoties 16. in fin. D. de iure dot.*

Quintò ſi cum aduerſario tranſegerit inconſulto tutore, vel curatore authore, vel ſi cum cohærede, aut ſocio diuiſionem fecerit *l. pen. C. communi diuidundo*, & *C. ſi aduerſ. tranſaction.* vbi tranſactioni diuiſio ſubijcitur, quaſi ſpecies generi,

quia

quia diuiſio plerumque fit tranſigendi cauſâ, & tranſactionem Græci vocant hoc loco *ἀναπληρωμὸν*, quaſi finem, & conſummationem negotij.

16 An verò puella quæ quatuordecim annos nata in contractu matrimonij renuntiauit bonis paternis, maternis verò modica dote accepta, atque ita cum patre tranſegit, poſſit reſtitui aduerſùs illam contractus connubialis partem, & tranſactionem cum patre factam, quoties eius plurimùm intererit; quod idem quæritur quando eum patre tranſegit cauſâ diuiſionis, modica ſorte à patre ſibi data contenta, vide Mornac. *ad l. Pomponius Philadelphus 35. D. familia erciſcunda*, & *ad C. ſi aduerſùs dotem*, quo poſtremo loco hæc vniuerſalia pronuntiata tradit. Primò filiam cogi non poſſe vt cõferat quod ei ex cauſa dotis à patre donatum eſt, dummodo hæreditate paterna abſtineat *l. Pomponius Philadelphus citata*, & *l. fuit quæſtionis, D. de collation. dot.* niſi aliud ferat contraria conſuetudo, vt Turonenſium, Cænomanenſium, & Andenſium. Secundò non poſſe filiam reſtitui, ne quidem prætextu minoris ætatis, ſi accepta dote renuntiauerit, quod Molinæus decidit *ad art. 161. conſud. Canoman.* & *ad art. 167. conſ. Bleſenſ.* Itáque ſeruatur in Gallia. Tertiò filia quæ renuntiauit numeratur inter liberos, partemque facit licèt non admittatur ad partem, illius enim portio remanet apud hæredem iure accreſcendi, vt cui parens vnicè proſpexerit, ita Boërius. *quæſt.* 104. Quartò nepotes poſſunt repetere bona auita ex ſua perſona, non obſtante renuntiatione ab eorum matre facta bonis paternis, modò ea deceſſerit patre adhuc ſuperſtite, vel ſi pater deceſſerit ante contractas filiæ nuptias, quæ ita renuntiauerat. Molinæ. *ad conſuetud. Borbonic. art.* 305. vide Papum *q.* 227. 228. *&* 229.

17 Sextò ſi ſeruum manumiſerit minor, licèt non poſſit à Prætore aduerſùs libertatem reſtitui in integrum, poterit à Principe, vt ſi temerè actorem bonorum ſuorum, & Columellã manumiſerit, cuius damnum ad totius domus euerſionem pertineat, ſic ſumma Cuiac. *C. ſi aduerſùs libertatem.* Et ſanè *l. 9. §. 6. D. de minorib.* dicitur impoſſibile eſſe ſubueniri minori aduerſùs libertatem, & deinde *conſequenti l. 10.* additur, id tamen magna ex cauſa minorem à Principe conſequi poſſe. Libertas igitur adeò fauorabilis eſt, vt quæ ſemel competiit, ſiue data eſt, nõ poſſit reuocari. Ratio eſt, quia cùm omnes homines naturaliter naſcãtur liberi, qui ſemel liber factus eſt & ad naturalẽ ſuum ſtatum rediit, non poteſt iterum fieri ſeruus niſi accidat aliquid ex quo placuit amitti libertatem iure gentiũ, aut iure ciuili. Vel igitur neceſſe eſt ab initio impedire ne libertas competat, in iis videlicet caſibus, in quibus alioquin ſi competeret, eſſet reuocanda: in caſibus v.g. l. Æliæ Sentiæ, vel ſi ſemel competat, irreuocabiliter cõpetet: quare ſi libertas data fuerit in fraudem creditorum, illam quidem reſcindit l. Ælia Sentia, impediendo ne cõpetat, nõ vt cõpetens reuocetur: ſiue impedit ne validè conferatur eiuſmodi libertas, cuius collationem irritat, & annullat hoc caſu, non facit autem vt ſemel collata, iterum tollatur, & liber factos denuò redigatur in ſeruitutem.

Dices primò libertates, quæ cõpetierunt ex teſtamento, reſcindi, vbi deinde teſtamentũ inofficioſũ pronuntiatũ fuit *l. Papin. 8. §. fin. & l. 9. D. de inoffic. teſt.* Reſp. non tolli in illo caſu directè libertatem, cùm enim ab initio valuerit teſtamentum, & per aditionem cõfirmatum fuerit, alioquin per querelam inofficioſi reſcindi non poſſet, *l. Papinian. 8. §. ſi conditioni. D. de inoffic. teſt. l. ſi quis filiũ 35. C. eod.* neceſſe fuit libertates eo teſtamento valido datas tunc cõpetiiſſe, vbi tamen ruptum fuit per querelã teſtamentũ, & is qui fuerat hæres, deſierit eſſe, *l. in ſubſtitutione 33. D. de vulg. & pup. ſubſtitut.* conſequenter libertates illo datæ teſtamento deſinunt, quãquàm & in illa *l. 8. §. fin. D. de inoffic. teſt.* & *l. 9. ſequenti*, ſatis euidenter ſoluitur hic nodus; ait enim *§. fin.* ſi poſt quinquennium, inofficioſum ſit pronũtiatum teſtamentũ, libertates, quæ competierunt, & præſtitæ ſunt, non eſſe reuocandas, ſed à ſingulis præſtandos eſſe viginti aureos victori. In ſequenti verò l. 9. Moleſtinus ait, ſi intra quinquenniũ egerit, libertates non cõpetere, quod ego interpretor, nõ cõpetiiſſe, quia ſicut nondũ firmum erat teſtamentũ, quidquid vi illius præſtitum, & actum erat, minimè firmũ erat, & pendebat à futuro euentu, ſi teſtamentũ intra quinquenniũ per querelam non rumperetur; erat enim illud tempus præſcriptum actioni de querela inofficioſi, ita libertates præſtitæ, & datæ fuerant ex conditione illa non rumpendi teſtamenti, quare eo rupto non reuocantur propriè, & directè ſed deficit cauſa, & conditio ſub qua competere debebant.

Dices ſecundò locum eſſe reſtitutioni, quoties libertas per vim aut metũ data fuit ex edicto *quod metus cauſa, l. metum 9. §. idem Pompon. D. quod metus cauſa.*

Reſp. ibi agi de manumiſſione facta per metum incuſſum, non ab ipſo ſeruo, qui manumiſſus eſt, ſed ab alio quodã extraneo, darique reſtitutionem non aduerſùs libertatem, vt reuocetur, ſed aduerſùs vim inferentis, ad pleniſſimã indemnitatẽ conſequendã, atque adeò ad quadruplum ſi ea indemnitas nõ præſtetur, cui reſtitutioni nullus locus eſſe poſſet contra ipſũ manumiſſum, ſi manumiſſio valeret.

Dices tertiò appellari poſſe à ſententia data pro libertate; *l. illud ſciendum, D. de appellat.* & *l. vlt. C. ſi aduerſùs libertat.* Atqui reſtitutio in integrum idipſum præſtat minoribus, quod appellatio præſtat maioribus, *l. præſens 42. D. de minorib.* eandemque vim habet *l. ſi cauſa cognita 3. C. de tranſact.* Ergo æquè per reſtitutionẽ, atque per appellationẽ poterit reuocari libertas. Reſp. appellationẽ à ſententia lata pro libertate reſcindere principaliter tum ſententiam, tum iudicatum *l. 1. § fin. D. ad SC. Turpil. l. furti 6. §. 1. D. de his qui notant. infam.* libertatẽ autem non reſcindit, niſi per conſequentias, quod & per reſtitutionẽ fortaſſis aliquando fieri poſſet.

Quamuis autem à Prætore non poſſit dari reſtitutio aduerſùm libertatem, quia nihil ille contra leges, aut Senatuſconſulta facere poteſt, *l. nec non 28. §. quoad eius, D. ex quibus cauſ. maior. l. cùm ſponſus 12. §. ſi res, D. de public. in rem action.* quia tamen Princeps eſt ſupra leges, poterit plura, quæ Prætor non poſſet, atque adeò ex graui cauſa minorem aduerſùs libertatem à ſe inconſultò datam reſtituere *l. 10. D. de minorib.*

Dabitur quoque actio vel de dolo, vel vtilis in id quod minoris intererit ſeruum nõ fuiſſe manumiſſum, illique præſtandũ erit, quidquid haberet, ſi nõ manumiſiſſet *l. verum 11. D. de minorib.* quamuis enim bonum libertatis æſtimari non poſſit, damnũ tamen quod minor incurrit manumittendo ſeruũ, æſtimari commodè poteſt, ſicut ſi ſeruus ille ab alio fuiſſet occiſus. In eo verò quod intereſt numeramus non modò pretium ſerui *leg. 1. D. de action. empt. l. in interdicto 6. D. vnde vi*, ſed etiam quidquid domino ſuo ſeruus fuiſſet acquiſiturus, ſi vel occiſus,

occiſus, vel manumiſſus non eſſet *l. ſi quis ſeruum 23. D. de action empti. l. 1. C. ſi aduerſ. libertat.* Competent quoque eidem domino actiones ad exhibendum, & furti, & condictio aduersùs ſeruum manumiſſum propter res quas manumiſſus contrectabat, ex delicto tamen in ſeruitute facto non competet domino actio aduersùs eum iam libertate donatum *l. verùm 11. §. 1. D. de minorib.*

18 Septimò ſi minor XXV. annis maior XX. ſe in ſeruum vænire patiatur, vt particeps pretij fieret, non poterit aduersùs eam venditionem reſtitui ex ſententia Papinian. *in l. 9. §. 4. D. de minorib* itaque conſtituit S.C. Claudianum, quia minor in proprijs delictis nõ reſtituitur, vt ſtatim dicemus; hîc autẽ interuenit dolus vẽdentis, qui bonam emptoris fidẽ circũuenit, & difficile eſt dignoſcere, an quis minor reipſa ſit, voluit autẽ Senatus aliquid in re tãti momenti certũ ſtatuere, ne vel minori cuilibet liceat impunè vſq; ad annũ XXV. circũuenire emptorẽ, qui ſe putaret emere ſeruum, vel nimiũ facilè imprudẽti adoleſcẽti libertas eriperetur cuius deinde impetrãdæ per reſtitutionẽ nulla ratio ſupereſſet.

19 Octauò minor viginti annis nequit ex lege Ælia ſentia ſeruũ manumittere, quod meritò Scæuola ita intellexit, vt eadẽ lege prohibeatur multò magis minor ſeruum vendere ea conditione, vt manumittatur, vti refert Vlp. in *l. 11. §. 2. D. de minorib.* Et ſanè alioquin fraus legi fieret, neque enim minor manumitteret ſeruum, ſed vẽderet vt manumitteretur, maiore minoris detrimento, cui tamen occurrere voluit lex Ælia Sentia, talis ſiquidẽ pacti adiectio facit, vt lõge minore pretio ſeruus vendatur, *l. ſi venditor 6. §. vlt. & l. vlt. D. de ſeru. export.* Deinde ſeruus ea conditione venditus, & ab emptore manumiſſus, fiebat emptoris libertus *l. ſi quis hac lege 13. D. de oper. libert. l. 3 u. D. qui & à quib. manum.* Si verò liceret minori illũ manumittere, illius eſſet libertus; hoc autem ius patronatus aliquãdo pretioſius eſt ipſo dominio, quod in ſeruo, & in ſeruũ dominus habet. Conſtitutio quoque Diui Marci ad Aofidiũ Victorinum, quæ ipſo iure liberũ facit eum, qui venditus fuit ea lege, vt intra certũ tempus manumittatur, ſi intra id tempus non fuerit manumiſſus, non cõprehendit minorẽ XX. annis, vti aduertit Vlp. *in citata l. 11. §. 2. D. de minorib.* quibus poſitis, quæritur, an minori XXV. annis, & maiori XX. qui hac lege ſe, vel aliũ vendidit, vt manumittatur, ſuccurratur per reſtitutionẽ in integrũ. Reſpondet Iuriſconſultus, ſi reſtitui poſtulet antequã libertas cõpetat, audiendum eſſe aduersùs cõpetiturã libertatẽ, non verò aduersùs iam competentẽ, etiam obtentã, quæ autẽ libertas ipſo iure, & nullo hominis facto competitura certo tẽpore eſt, vt in caſu conſtitutionis Diui Marci, non poteſt haberi pro iã competente, & reuerà competitura tantùm eſt, quamuis certò: quare aduersùs illam dabitur reſtitutio: quia verò poſt diem dandæ libertati præſtitutum cõpetit ipſo iure libertas authoritate conſtitutionis, non propter præcedens factum venditoris, qui ſeruum ea lege vendidit vt manumitteretur, ſed quia cùm emptor non fecit quod facere debuit, lex eius factum ſupplet, & perinde habet hunc ſeruum, atque ſi ab emptore manumiſſus eſſet, quo caſu non daretur reſtitutio aduersùs libertatem iam competentem, neque dabitur etiam aduersùs libertatem ſola iuris poteſtate competentem, cùm æquè competat atque ex facto hominis, & manumiſſione.

Huic difficultati affinis eſt alia quæſtio, an ſi minor emerit ſeruum ea lege, vt manumitteretur, minori ſuccurri poſſit? Reſpondet *in citato §.* Vlp. eadem diſtinctione; nempe ſi nondum libertas competat ei ſeruo, poſſe reſtitui minorem; non quidẽ aduersùs legem venditioni poſitam à venditore, qui aliter non fuiſſet vendituros, ſed aduersùs ipſã venditionem in qua fuit læſus, quòd ſeruum aut inutiliter, aut maiori pretio quam par erat, emerit, & adhuc integra ſint omnia, neq. libertas adhuc cõpetat ſeruo: ſi enim dies libertati præſtituta aduenerit, eaque iam ſeruo reipſa, ipſóque iure conſtitutionis principalis authoritate competat, non poterit reſtitui minor aduersùs venditionem, quia reſtitueretur aduersùs libertatem iam competentem, & vt loquitur Vlpian. *voluntas maioris venditoris libertatem imponit.*

20 Nonò reſtituitur minor ſi per errorem iuris ſoluerit indebitum legatum *leg. 2. C. ſi aduersùs ſolutionem*; exiſtimans iure factum teſtamentum, quod ipſo iure nullum erat, reſtitutus autem minor aduersùs ſolutionem à ſe factam, condicit id quod ſoluit: quomodo verò reſtituatur aduersùs ſolutionem ſibi factã, diximus nuper *n. 7.* obſeruo dũtaxat hoc loco ad eam pertinere *l. 1. C. ſi aduersùs ſolutionem*, & in veteribus codicibus, atque in Baſilicis non concipi Titulum vt in Vulgaris, ſed generalius *ſi aduerſus ſolutionem a ſe vel debitore factam*: ἐὰν κατὰ λύσιν διάλυσιν τὴν παρὰ τοῦ χρεώστου ἢ παρ' αὐτοῦ γεγενημένην.

21 Decimò ſi quis rẽ minoris vſucepetit, ei ſubuenietur *l. vn. C. ſi aduersùs vſucapion.* vſucapio vera eſt acquiſitio dominij per poſſeſſionem iuſtã iuſti temporis, quinimmò et qui prius quàm naſceretur vſucaptum amiſit, reſtituendam actionem Labeo ſcribit *l. etiam ei 45. D. de minorib.* quod mirum videri poſſit, cùm nemo amittere poſſit id, quod nunquam habuit, qui verò adhuc in vtero eſt, & nondum in hominum natura, nihil habere poteſt: adde quod cùm vſucapio fuerit inducta, vt domini diligentiores forent ad res ſuas inquirendas, vt ait Iuſtinian. *C. de vſucap.* nihil ei qui adhuc in vtero eſt poterit imputari: quare aduersùs eum non magis currere, quàm incipere poteſt vſucapio. Verùm cùm etiam nondum natus poſſit per tutorem adire hæreditatem, & habeatur pro nato quoad hæreditatem, quæ alioquin illi deferri non poſſet *l. 7. & 26. D. de ſtatu homin.* non poteſt autẽ haberi pro nato quoad hęreditatẽ, quin etiã habeatur quoad vſucapionẽ, quia verè amiſit rem quam alter vſucepit, ſicut iã natus amiſiſſet, nã vſucapio non eſt inducta ad plectendã dominorũ negligẽtiã, ſed ne dominia rerũ incerta manerent *l. 1. D. de vſucapion.* in eaque attenditur fauor poſſidentis, non odium negligentis, & æquè facit contra eum qui adhuc eſt in vtero, atq; contra iam natũ, quia is contra quẽ vſucaptum fuit, non amiſiſſe dicitur, niſi conſequẽter, quoniã is qui vſucepit, dominiũ ſibi acquiſiuit *l. 3. D. de vſuc. l. ſi finita 15. §. Iulian. D. de damn. infect.* dominiũ autẽ illud penes duos eſſe nõ poteſt *l. 5. §. ſi duobus, D. cõmodati.* Cũ itaq; vnus illud per vſucapionẽ acquirit, alter illud idẽ amittit, quod cùm æquè in vtero adhuc exiſtenti, & nondũ nato conueniat, indiget omninò reſtitutione, vt dominiũ illud ſibi ereptũ recuperare poſſit. Et ſanè cùm nihil imputari queat, ei, qui priuſquã naſceretur nõ vſurpauit, aut vſucapionẽ interrupit, cum nõ potuerit, dignus omnino eſt qui per reſtitutionẽ adiuuetur: qui verò iã natus rem ſuam per vſucapionẽ amiſit, alienaſſe quodãmodo videtur cum paſſus eſt rem ſuam vſucapi, *l. alienationem 28. D. de verbor. ſignific.* reſtitui igitur debet.

22 An verò reſtitui poſſit contra lapſum temporis conuentionalis, ſiue præſcriptionem rei quæ cæpit à defuncto, & completur in minore ſucceſſore, implicitæ quæſtionis eſt; docet quidem Gloſſa *in l.vnic. C.ſi aduerſus vſucapionem*, illam cæptam aduersùs maiorem currere contra eiuſdem hæredem minorem, ſed dari reſtitutionem, ſi compleatur, nihilominus præſcriptiones conuentionales, de quibus ſolis, non de legalibus eſt difficultas, cæptas cum maiore currere ἀδιαλείπτως, & continua ſerie, etiamſi in tempus minoris ætatis incidant, modò cum minore nihil geſtum ſit citra ſperatum reſtitutionis cuiuſque auxilium, indulto ſolum regreſſus aduersùs tutores, contra quos malæ adminiſtrationis, & vt vocabant Athenienſes κακώσεως actio, ſæpè tamen inanis conceditur; exiſtimauit eadem gloſſa ſibi contraria *in l. ſi ex cauſa* 10. *in princip. verſ. ſi grande*, & *in l. interdum* 20. *D. de minorib.* Cuiac. *in eandem l. ſi ex cauſa*, Molin. *in conſuetud. Borbon. art.* 33. Coquille *in conſuetud. Niuern. cap.*4. *art.*23. Anton. Theſaur. *deciſion.* 103. Expilli. *in ſuis arreſtis cap.*94. *ſub fin.* qui, aliique paſſim cenſent non eſſe ſuccurrendum minori aduersùs lapſum temporis conuentionalis, quod à maiore incipit, ſi iuris mentem ſequamur, & ſolius minoris ætatis, eiuſq; fauorem attendamus; quod apperto iure probatur; nam *l. Pella* 2. *C. de his quibus vt indignis*; hæres quantumuis pupillus, authoris facto aſtringitur: & *l.* 3. §. *Marcellus. D. quibus ex cauſ. in poſſeſſion. eat.* Marcellus notat *perquam iniquum eſſe, eum qui nihil cum pupillo contraxit, expectare eius pubertatem*: quā ſententiam ibidem Vlpian. habere rationem dixit, ideóque cùm contractus de quo eo loco agebatur, ex perſona patris deſcenderet, non eſſe expectandum pupilli pubertatem; eſtque ea vulgatiſſima regula factum maioris non retractari ex perſona hæredis minoris, qui omninò debet iure defuncti vti; alioquin meta rerum omnium induceretur confuſio. Cùm itaque vſucapio, vel præſcriptio lapſus, vi temporis contra maiorem incohata ſint, ex eiuſque perſona contractus deſcendat, nulla dabitur reſtitutio niſi forte communi iure, & ex qua cauſa defunctus in illo caſu reſtitui potuiſſet, cum eius perſonam & iura repræſentet. Verùm habemus, niſi fallor controuerſiam iſtam definitam *in l. Æmilius* 38. *D. de minorib.* Æmilius enim Larianus ab Obinio fundum Rutilianum emerat lege commiſſoria, data parte pecuniæ, ita vt ſi intra duos menſes reliqui pretij partem dimidiam non ſoluiſſet, fundus inemptus eſſet: item ſi intra alios duos menſes reliquum pretium non numeraſſet, ſimiliter eſſet inemptus. Intra duos priores menſes Lariano defuncto Rutiliana pupillaris ætatis ſucceſſerat, cuius tutores in ſolutione ceſſauerant. Vēditor Obinius denuntiationibus tutoribus ſæpè datis, poſt annum eandem poſſeſſionē Claudio Telemacho vendiderat: pupilla in integrum reſtitui deſiderabat, victa tam apud Prætorem, quàm apud Præfectū vrbi, prouocauit ad Imperatorē Antoninū, cui cùm Paulus Iuriſcōſultus aſſideret (moris enim erat vt nō Iudices, & Prætores ſolū, ſed & ipſi Imperatores conſilio Iuriſconſultorum vterentur qui aſſidebant in ipſo Tribunali, vnde vocātur ab ipſo Tullio comites ſedendi) cùm in hoc igitur iudicio Paulus aſſideret Imperatori, cenſuit rectè iudicatū fuiſſe, quamuis alia fuerit mens Imperatoris, & pupillā reſtituendā eſſe pronuntiarit, & quia lex commiſſoria ei diſplicebat, & quia dies committendi, in tēpus pupillæ incidiſſet, eaque res feciſſet ne pareretur legi venditionis; & quia priores tutores cùm non reſtitui deſideraſſent, ſuſpecti pronuntiati erant. Ex quibus vides in primis decretū imperiale de reſtituendo eo caſu pupillo, Paulo nō approbante, immò & quantum licuit contradicente, licèt rationem aliquam deinde illius ſuſtinendi excogitare viſus ſit, pronuntiatum fuiſſe, quod obſeruat Cuiac. *lib.*2. *obſeruat. cap.*26.

Secundò adnecte cum Anton. Fabro *de errorib. pragmaticorum decade* 25. *errore* 5. *n.*3. hanc Imperialē ſententiam non fuiſſe niſi de facto quodam particulari, in quo ob peculiares quaſdam circumſtantias indulſit Imperator reſtitutionem pro ſuo arbitrio, & nō ex iure cōmuni, quod aliter controuerſiā definiebat ſecluſis illis ſingularibus adiunctis, quæ Imperatorem promouerunt ex æquitate quadā, quæ cū rigore iuris omninò pugnabat; quod etiā Franciſ. Curtius *conſil.*58. *aliàs* 59. annotauit, idque ex rationibus quas pro ſua ſententia Paulus attulit, & iis quæ Imperatorē aliò traxerunt, facilè fuerit intelligere. Pauli ratio qua iudiciū Prætoris & Præfecti vrbi, qui pupillæ reſtitutionē negauerant, tuebatur, erat quia pater pupillæ, non ipſa cōtraxerat, nihilque prorſus cauſæ eſt, vt ſuccurri pupillo debeat ea in re de qua pater eius, non ipſe cōtraxerit; & iniquum omninò ſit, eum qui cū pupillo nullū geſſit negotiū, cogi expectare pupilli pubertatem, vti nuper ex Marcello probante Vlpiano referebamus: eſtque euidentiſſima ratio, quia quoties pupillus, aut minor in integrum reſtitui poſtulat propter ætatē, non ſufficit probare ætatē, niſi ſimul probet ſe læſum *l. quod ſi minor* 24. §. *non ſēper, D. de minoribus, & l. nā poſteaquā* 9. §. *ſi minor, D de iureiur.* quod fuſiùs explicabimus inferiùs: fieri verò, nec intelligi poteſt, vt minor propter lubricū ætatis læſus ſit, ſi ipſe nihil omninò contraxerit, ſed pater eius, licèt patris hæres ipſe ſit: idcircò edicti, de minoribus verba ſic concepta ſunt; *Quod cū minore quàm XXV. annis natu geſtū eſſe dicetur, vti quaque res erit animaduertam, l.*1. §. 1. *l. ait prætor* 7. *D. de minorib.* vt omnes intelligerent, ſi nihil omninò fuerit actum cum minore, ſiue pupillus, ſiue adultus ſit, neque enim diſtinguit quidquā Prætor, nullā cauſam ſubeſſe indulgendæ reſtitutionis. Volo autem contractum cum defuncto initum, ita perfectum, & impletum eo viuente fuiſſe, vt nihil omnino gerendum cum pupillo ſuperſit; ſi enim fuit talis ille contractus, vt eius implendi cauſâ neceſſe fuerit pupillū, minoremve ſuccedentē maiori, qui contraxerat, aliquid facere, poterit pupillus, & minor quilibet in integrum reſtitui, ſi damnū ſenſerit, eo quod non fecerit quod ad eius contractus impletionem facere ipſum oportuit. Si autem in perſona maioris contractus omninò impletus fuit, negamus minori ſuccurrendum eſſe contra lapſum temporis, ea ſolùm de cauſa, quod tempus elabi paſſus ſit, indeque damnum ſentiat.

Quæ eſt ferè diſtinctio Baldi *in l. Æmilius cit.* 23
& *in l.*2. *ſi aduerſ. vend. pign.* dum enim damnum emergit pupillo ex ſolo lapſu tēporis, reſtitui poterit aduersùs præſcriptionē conuentionalē, licèt cæperit in perſona maioris: quando verò damnū pupillus ſentit ex contractu quondā inito cū maiore, ratione lapſus tēporis in conuētione adhibiti, nulla ſubeſt cauſa cōcedendæ reſtitutionis minori ratione ætatis aduersùs lapſū tēporis, ſicut neque aduersùs ipſum contractum, cuius pars quædam eſt tēpus de quo conuentum eſt, neque poterit minor de lapſu tēporis conqueri, & aduersùs ipſū reſtitui, quin & de ipſo cōtractu cōqueratur, atq; aduersùs ipſum

ipſummet reſtituatur, quod iniquiſſimè fieret, alioquin nunquam liceret cum maiore contrahere, cui ſucceſſurum minorem aliquem ſuſpicaremur. Addit & aliam diſtinctionem eodem loco Baldus; nam ſi omiſſio eius quod intra tempus conuentum fieri debuit, & factum non eſt, tendat ad obſeruantiam & approbationem contractus cũ maiore initi, non debebitur minori reſtitutio, quia ex lapſu illo tẽporis non aliud ſequitur, quàm confirmatio contractus, qui & à maiore factus fuit, & in eius perſona perfectus, & completus: quare nihil intereſt quod ille lapſus temporis incidat in tempus pupillaris, aut minoris ætatis, cùm ex eo aliud non ſequatur, quàm vt contractus cum maiore factus, eoque viuente perfectus, confirmetur. At verò quando omiſſio illius, quod intra conuentũ tempus fieri debuit, tendit ad contractus cum maiore initi deſtructionem, ſiue reſolutionẽ, exiſtimat Baldus admittendum eſſe minorem qui id omiſit ad reſtitutionem in integrum. Exemplum affert in hærede emphyteutæ pupillo, vel minore, qui propter non ſolutum canonem annuum Domino iure ſuo cadere periclitatur; nam licèt totum ius Domini directe pendeat ex contractu quondam cum maiore emphyteuta celebrato, & ex parte minoris nihil aliud interueniat, quàm omiſſio illius quod intra tẽpus præſtitutum facere debuit, nimirum non ſolutio canonis; illa tamen non ſolutio, ſiue ceſſatio ſolutionis, eò pertinet, vt contractus emphyteoticarius reſoluatur, & pro non facto habeatur. Hanc tamen poſtremam Baldi diſtinctionem ſapienter reiicit Anton. Faber *errore 5. citato, n.* 12. *&* 14. nã in ſpecie *l. Æmilius*, quam verſamus, ea conuentio eſt, vt fundus qui emptus fuerat, inẽptus fieret, ſi pretium intra certa tempora ſolutum non fuiſſet; ea ſiquidem poteſtas eſt legis commiſſoriæ, vt ipſo iure reſoluat venditionem, ideóque ex omiſſione ſolutionis intra tempus conuentum, & ex non facto pupillæ hæredis deſtruebatur, ſiue reſoluebatur conditio, & tamen Paulus cenſuit non eſſe ſuccurrendum pupillæ aduersùs lapſum temporis conuentionalis, licèt illa conuentio, & pactio inter maiores facta, foret odioſa, talis enim habetur lex commiſſoria. Quod autem minor emphyteutæ hæres, qui in ſolutione canonis annui ceſſauit, reſtituatur in integrum aduersùs commiſſam legem, id non fit, quia ea ceſſatio tendat ad reſolutionem, & annullationem contractus; nam conuentio inter dominum directum, & emphyteutam, id non fert, vt ſi ſua præcisè die penſio non ſoluatur, contractus pro infecto habeatur, ſed vt quãdiu ſoluetur penſio, expelli non poſſit emphyteuta *l. 1. D. ſi ager vectigal.* Quare ſi propter non ſolutum canonem expellatur emphyteuta, id nõ fit ex conuentione expreſſa, ſed ex legis interpretatione à contrario ſenſu, minus verò eſt etiam expelli emphyteutam, quàm emphyteuſim reſolui, & haberi pro non facta, ſicut conuentio, vt intra certum tempus non ſoluto emptionis pretio, fundus ad venditorem reuertatur, minoris poteſtatis, & efficaciæ exiſtit, quàm lex commiſſoria, vt eo caſu fũdus inemptus ſit; quia in priori caſu venditor non rei vindicatione, ſi anteà tranſtulerit poſſeſſionem non precariam in emptorem, ſed agere duntaxat poterit ex vendito *l. 3. C. de pact. inter empt. & vendit.* At verò in caſu legis commiſſoriæ, in quo non impleta conditione, res inempta manet, poterit venditor fundum à ſe venditum, traditumque vindicare eodem modo, atque ſi nulla præcedente venditione ipſum tradidiſſet: cùm reipſa inemptus maneat, ſuperſitque nuda traditio ex qua dominiũ neque vnquam transferri poteſt, neque videri tranſlatum. Danda igitur erit venditori vindicatio, alioquin lex contractus non ſeruaretur, quam tamen omni modo ſeruandam eſſe conſtat, quamuis & ei quoque qui ſub lege commiſſoria vendidit, danda ſit actio ex vendito ex Antonini, & Seueri imperialibus reſcriptis *l. 4. D. de lege commiſſor.* quia ſæpiùs ea commodior eſt, quam rei vindicatio, cùm difficilior ſit dominij probatio, & quod venditor aliquando non ſit dominus, quẽ tamen æquũ eſt frui commodo iuſtæ conuentionis, quandoquidẽ aliquando res alienæ iuſtè vendi poteſt. Non abſimili ratione qui fundũ dedit in emphyteuſim, habet quidẽ actionem ex contractu ad expellendũ emphyteutam definita die, & prætereà vindicatio iure dominij directi illi competit, non poteſt tamẽ contendere contractũ emphyteuticariũ ipſo iure reſolutum, & pro infecto habendũ eſſe, ſi expreſſè ea lege non fuerit conuentũ, & tunc ceſſatio ſolutionis canonis annui nõ inducit cõtractus reſolutionẽ, ſed morã, quæ cùm inter maiores quoque purgari queat *l. vlt. C. de iure emphyt.* multò magis minori licebit ex eadẽ cauſa concedere reſtitutionẽ in integrũ, ſi negligẽs fuerit, vel in ſoluẽdo canone, vel in purganda mora. Deinde ea pẽſio neque pretiũ, neque merces vulgò eſt, ſed domini directi quædã agnitio, ad quam ſufficiet etiam ſola debiti profeſſio, non tamẽ ad liberandũ debitorẽ, & emphyteutã, ſed vt propter nõ ſolutionẽ expelli nequeat. Indéque liquet ex non ſolutione minimè reſolui contractũ ipſo iure, neque pro reſoluto haberi oportere. Nihil igitur intereſt, an ob non factum id quod fieri debuit à minore, contractus à maiore celebratus confirmetur, aut annulletur, vt lapſus tẽporis conuentionalis inter maiores minori, vel pupillo noceat, vti diſtinguebat Baldus, ſed abſolutè pronuntiandũ eſt lapſum tẽporis per conuentionem inter maiores factam præſcripti, perinde ſiue minori, ſiue pupillo nocere, atque maiori ipſi noceret, vt conuentio ſuum effectum nanciſceretur, neque locum eſſe reſtitutioni in integrum minori tunc indulgendæ, vti ſentiebat. Paul. *in citata l. Æmilius.*

Confirmatur à priori noſtra, & Pauli ſentẽtia: nõ 24
poteſt Prætor vel Princeps iuſtæ conuentionis cõditiones mutare, ita vt vni plus oneris imponat, alteri plus iuris tribuat, quàm habeant vi iuſtæ cõuentionis inter ipſos initæ, & conditionũ illi mutuò conſenſu appoſitatũ; quia & totam conuentionẽ, quæ ex contrahentium ſolo conſenſu conſtat, ipſis inuitis deſtrueret, nouamque, atque aliam efficeret, & illi cui plus obligationis imponeret, alterius ius augendo, grauem inferret iniuriam. Atqui ſi in venditione lege commiſſoria facta tempus ex conuentione communi definitum protogaret; v. g. biennium, vel bimeſtre ſolutioni pretij ita definitum, vt pretio intra id tempus non ſoluto, res vendita inempta ſit, protrahat in triennium, aut ſemeſtre, daret plus iuris emptori quàm haberet, nempe vt intra triennium ſolum, aut ſemeſtre teneatur ſoluere pretium, & conditionem emptionis implere, & venditor habebit obligationem expectandi triennium illud, vel ſemeſtre ad recipiendum pretium, totóque eo tempore ſtare contractui, qui reuerà niſi eo termino lapſo non reſolueretur, cùm prius venditor non niſi biennium, aut duos menſes expectare teneretur ad ſolutionem pretij, eóque tempore lapſo res eſſet inempta, totaque venditio eodem

modo reſoluta, atque ſi nunquã facta fuiſſet. Emptor quoque non habebat ius prorogandi ſolutionem vltra duos annos, aut duos menſes, quibus elapſis, abſque ſolutione res inempta erat. Quis verò neget ius prorogandi ſolutionem ad triennium, vel ad ſemeſtre ampliùs eſſe quam ius non ſoluendi per biennium, aut bimeſtre tantùm, & obligationem ferendi dilationem per longius tẽpus, grauiorẽ eſſe quàm ſi per breuius duntaxat tẽpus pretij ſibi debiti dilationẽ pati debeat. Fiet itaq; grauis iniuria venditori, ſi tempus in venditione facta ſub lege commiſſoria, mutuò conſenſu definitum, ipſo inuito prorogetur à Prætore, vel Principe: hoc verò totum fiet per reſtitutionem in integrum conceſſam minori aduersùs lapſum temporis conuentionalis, ſiue præſtituti in contractu facto cum maiori, cui minor tanquam hæres ſucceſſit, vt in caſu *l. Æmilius*, de venditione fundi ipſi facta ab Obinio lege commiſſoria, vt ſi intra certum tempus pretium non ſolueretur, fundus eſſet inemptus. Si enim, quia Æmilius exceſſit antequam ſolueret relicta pupilla hærede, cuius tutores etiam à ſolutione ceſſarunt, reſtituatur in integrum pupilla aduerſus lapſum illius temporis in contractu præſcripti, & prorogetur illud tempus, acquirit maius ius puella, quam antea haberet vi contractus, & Obinius emptor maiori premitur obligatione, quàm conditiones appoſitæ venditioni poſtularent. fit igitur iniuria Obinio vẽditori in eiuſque euidens damnum fauetur ſine cauſa emptori, cuius perſonam, & iura repræſentat pupilla hæres, quæque in toto illo negotio nihil prorſus egit, aut interuenit, ſed ſolùm omiſit facere, quod Æmilius emptor, in cuius iura, & obligationes ſuccedit, facere tenebatur ex lege contractus, quod iniquum eſt, vt vides. Immò & contra naturam reſtitutionis in integrum, vt ei qui reſtituitur plus iuris tribuatur, quam prius habuerit, debẽt enim omnia in integrum, & in eundem ſtatum, in quo antea erant, reſtitui, quod non fieret in hoc caſu, vt oſtendi. Sicut igitur Prætor facere non poteſt vt biennium quod effluxit, non effluxerit; aut vt in biennio triennium contineatur, ita neque concedere poteſt reſtitutionem aduersùs lapſum biennij, vt conditio quæ intra biennium impleri debuit, ad triennium vſque poſſit impleri; nam cùm minimo in tempore conditionis mutatio totam conditionem mutet, aliámque faciat ab ea, ſub qua venditor vendiderat, & reſolutionem venditionis, aut eius confirmationem fuerat ſtipulatus, ſi Prætor eiuſmodi reſtitutionem indulgeat, & nouam conditionem, & nouam obligationem inducet, quod omninò facere non poteſt, & cùm aduersùs extinctam obligationem in integrum reſtituit, id tantùm agit, vt veterem obligationem reſtituat, & quod neceſſariò ſequitur ſub iiſdem cõditionibus, & qualitatibus, non autem vt nouam obligationem inducat, quod neque ipſi Principi inuitis contrahentibus à quorum conſenſu, & obligatio ipſa contractus, & modus ac conditiones obligationis omninò pendent.

25 Ex quibus tandem omnibus vides Pauli ſententiam de non reſtituenda pupilla hærede aduersùs lapſum temporis conuenti cum defuncto maiore, rationi & iuri conformem, atque adeò prorſus firmam eſſe, quod amplius conſtabit expenſa leuitate rationum quibus motus fuit Imperator, vt in themate ſingulari propoſito Rutilianam pupillam reſtitueret: quam vel ex hoc ipſo quod Paulus in *l. Æmilius*, tam diligenter, tantiſque, contentionibus apud ipſum Imperatorem, atque adeò cum ipſo diſputatum eſſe refert, euidenter colligere licèt, non eſſe in Principis arbitrio tempus conditionis implendæ præſcriptum mutare, vel prorogare, etiam ex cauſa pupillaris ætatis, niſi is cuius intereſt ea prorogatio, conſentiat: vt quid enim neceſſarium fuiſſet tunc remedium reſtitutionis, quandoquidem facilior erat, & commodior iuſta prorogatio: in illa enim idem omninò contractus, qui ante fuit, manere intelligitur, quia tempus prorogatum idem cum priore, fictione iuris eſſe exiſtimatur, reſtitutio verò in integrum, extraordinarium remedium eſt, adeóque odioſum, quod non ſit vſurpandum vbi ordinarium, aut minus extraordinarium ſuppetit, *l. in cauſa 16. D. de minorib.* Remedium igitur prorogationis debuerat vſurpare Imperator potius, quam reſtitutionis in caſu propoſito, vel remedium prorogationis magis extraordinarium iudicauit, quam reſtitutionis. Atqui in reſtitutione de qua diſputamus includitur prorogatio temporis inter maiores contracti; igitur vſurpanda non fuit: ſed expendamus, vt dixi, rationes, quibus motus fuit Imperator, vt contra ſenſum Pauli ſibi aſſidentis pronunciaret, Rutilianam pupillam eſſe reſtituendam. Primò quod *dies committendi, in tempus pupillæ incidiſſet, eaque res feciſſet ne pareretur legi venditionis*: quæ ratio eſt ipſa quæſtio de qua diſputatur, an ſcilicet contra tempus à maioribus contrahentibus conuentum, vbi in diem minoris ætatis incidit, poſſet minor reſtitui, ne res committatur. Secundò motus eſt Imperator, quia illi diſplicebat lex commiſſoria, & eam pro odioſa habebat, quia per eam fit vt bonæ fidei contractus ipſo iure reſcindatur ob ſolã non ſolutionem pretij, quod tã odioſum eſt, quàm contractus fauorabiles ſunt, præſertim bonæ fidei; vox enim iuris & legũ eſt, vt dicebat Symmachus, bonæ fidei contractũ non reſcindi. Quamuis igitur lex commiſſoria non fuerit improbata in venditionibus, æquitas tamen fert, vt in dubio contra eam pronuntietur, ſed de ea lege inferiùs plura. In venditione verò propoſita nihil planè erat quod dubiã faceret eam legẽ, aut eius obſeruationẽ eximeret. Tertiò motus eſt Imperator, quod priores tutores ſuſpecti fuerant, & idcircò amoti, quæ ratio parum omninò efficax eſt, quia factum, aut dolus tutoris non debet nocere ei, qui cum pupillo rem habet, abſurdúmque eſt deteriorem fieri conditionem alterius ex eo ſolùm, quod tutor ſuſpectus ſit, ſine moribus, ſine facultatibus, cùm neque diuinare poſſit is qui cum tutore negotium habet pupilli nomine, quare neque ei quidquam imputari debet: *argum. l. cum plures 12. §. 1. D. de admin. tutor. l 4. §. illa quæſtio. D. de doli except. l. 4. in fin. D. de euiction.* quod autem ibidem dicitur ſuſpectos fuiſſe tutores, *qui non reſtitui deſideraſſent*; aſſumentũ eſſe imperiti interpretis, aut Triboniani obſeruat Fab. *errore 6. decade 25.* cùm enim tẽpus petendæ reſtitutionis nondũ lapſũ fuiſſet, imputari illis non potuit, cur reſtitutionẽ non petiiſſent, ſed cur tempus ſoluendi pretij labi paſſi eſſent, præſertim cùm iis denuntiatum eſſet, vt ſoluerentur. Quartò aliam ſubiit rationem Paul. qua Imperatoris ſententia probabilior reddi videretur, quod nempe *venditor denuntiando, poſt diem quo placuerat eſſe commiſſum, & pretium petendo, receſſiſſe à lege ſua videretur*: hæc tamen ratio ſi quid probaret, oſtenderet pupillam in hac ſpecie fuiſſe ipſo iure tutam, nec eguiſſe reſtitutione,

&

& multò maiori ratione, petenti concedendam fuiſſe à Prætore, aut præfecto vrbi, neque recurrendum fuiſſe ad Principem, qui nihil poteſt facere contra ius, maximè in damnum alterius. Quod itaque dicitur, venditorem renunciare legi commiſſoriæ, quoties pretium, aut totum, aut eius partem acceperit, vel petierit poſt diem præſtitutum commiſſioni *l. de lege 6. §. vlt.* & *l. ſequenti, D. de lege commiſſor.* intelligendum erit de acceptione, & petitione per Iudicem; in hac etenim ſignificatione verbum *petendi* vſurpant Iuriſconſulti in iſta materia *l. 4. §. eleganter,* & *l. pen. D. de lege commiſſor.* Vides igitur ex *l. Æmilius,* non probari pupillam in caſu de quo agimus, poſſe reſtitui à Principe, ſed ſolùm fuiſſe reſtitutam contra manifeſtam iuris rationem, & Pauli ipſi aſſidentis ſententiam: quare tandem Senatus Pariſienſis, Pauli, & communem Iuriſconſultorum ſententiam probauit ſuo decreto 14. Nouemb. an. 1571. quod integrum refert Louetus *littera P. n. 36.* quamquam deinde recentiores patronos ex quadam æquitate in aliam opinionem paſſim diſceſſiſſe dicat Mornac. ad *l. Æmilius.*

26 Dices primò, quoties quidpiam geſtum eſt cum minore, vel eius tutore, aut curatore, poſſe dari reſtitutionem minori, licèt non poſſit dari contra id quod cũ defuncto geſtum fuit, cum autem in ſpecie *l. Æmilius* denuntiationes factæ fuerint tutoribus à venditore, ceſſauerintque tutores à ſolutione, reſtitui poterit pupilla aduersùs eam ceſſationem, ne ipſi noceat, ac proinde ne tempore intereà lapſo committatur fundus, tempuſque fundi committendi ipſi prorogetur.

Reſp. vel hoc vno exemplo oſtendi vulgare dictũ de reſtitutione minoris, quoties aliquid vel minimum cum ipſo, vel eius tutore aut curatore geſtum fuerit, falſiſſimum eſſe: nam in ſpecie *l. Æmilius,* reſtitui debuiſſet a Prętore pupilla, quod tamẽ negat Paul. conſultiſſimus iuris, qui Imperatori aſſidebat. Ratio eſt quia quoties id quod cum pupillo, vel adulto, eiorve tutore, aut curatore geritur, pendet ex eo quod geſtum eſt cum defuncto maiore, & non continuatur, aut fit niſi per quandam conſequentiam; nulla ratio eſt cur minor beneficio ſolius ætatis reſtituatur aduersùs ea, quæ cum defuncto geſta ſunt; quia initium negotij ſpectandum eſt, non ea quæ fiunt in conſequentiam negotij iam geſti, & perfecti.

27 Dices ſecundò *l. ſi creditor 7. §. illud inſpiciendũ, D. de diſtract. pignor.* quæritur an ſi hypotheca vænierit, liceat debitori ſoluta pecunia eã recuperare.

Reſpondetur cũ diſtinctione; nam ſi ea conditione vænierit, vt intra certum tẽpus pecunia à debitore ſoluta, emptio reſcindatur, pecunia ſoluta debitor ſuam hypothecam recipiet: ſi verò non eo pacto vænierit, aut tempus in eo pacto præſtitutum præterierit, non reſcindetur venditio hypothecæ, quam proinde non recuperabit debitor, quamuis pecuniam offerat, *niſi minor ſit annis XXV. debitor, aut pupillus, aut reipublicæ causâ abſens, vel aliqua earum cauſarum erit, ex quibus edicto ſuccurratur.* Minor igitur reſtituitur aduersùs lapſum temporis conuentionalis, quod hactenus negauimus.

Reſp. cum Antonio Fabro *de errorib. pragmatic. decade 25. errore 6. n. 3.* totum illum §. Triboniani interpolatoris eſſe, nõ Marciani Iuriſconſulti, vti præfert inſcriptio, ſiue quæſtionem propoſitam, ſiue eius reſponſionem attẽdas: nam quæſtio, an videlicet ſi pignus legitimè à creditore diſtractũ ſit, vel hypotheca, liceat debitori eam ſoluta pecuniâ recuperare, ridicula eſt; cùm certiſſimi iuris exiſtat diſtracta legitimè hypotheca, nullũ amplius ſupereſſe ius debitori, ſiue creditori, ſiue ipſi pignoris emptori velit offerre *l. 2. C. ſi antiq. cred. pign. vend.* quare quæri poterat an vi, iocrlatis foret illa doctrina, & num liceret aliquãdo debitori offerendo pecuniã creditori, vel emptori, pignus recuperare. Quærere verò an ſoluta pecunia poſſit debitor pignus recuperare, ridiculũ eſt, ſi enim pecunia ſoluta eſt à debitore, neceſſe eſt fatearis acceptam ab emptore fuiſſe, ſi verò emptor pignoris pecuniã à debitore, & ſolutionẽ accepit, hoc ipſo ſe obligãt ad reddendũ pignus; etſi iã diu præterierit tẽpus intra quod ſoluendã eſſe pecuniã conuentũ fuerat. Reſponſio huic ineptæ quæſtioni reddita æquè & ipſa inepta eſt, cùm abhorreat à iure, vt ex pacto, quod creditor adhibuerit in vẽditione pignoris, detur actio perſonalis debitori contra emptorẽ, niſi prius impetrata ceſſione per debitorem, cui nimirũ in eam rem pignoratitia actio ſolet accomodari, & deberi, vti reſpondit Vlp. *l. ſi cum vẽderet 13. D. de pignor. action.* vbi, ſi conueniat inter creditorẽ, & emptorẽ pignoris, vt ſi pretiũ reddat emptori debitor, perinde illi rem ſuam recipere liceat, ait Vlpian. teneri creditorẽ actione pignoratitia, vt quã ex pacto ſuo acquiſiuit actionẽ ex vendito, eam præſtet, & cedat debitori: quare ſi emptor pignoris recipere recuſaret, in eamque rẽ debitor contra eum agere cogeretur, indigeret ceſſione actionis ex vendito, quam ipſi præſtare deberet creditor ad reſcindendã venditionem, cum inauditũ ſit alij competere actionẽ ex vendito, quàm ei ipſi qui vendidit *l. quæcumque 11. D. de obligat. & action.* & tamen illa actio ex vendito neceſſaria eſt ad reſcindẽdam venditionem *l. ex empto 11. §. is qui vina. D. action. empt. l. qui ea lege 3. & ſeq C. de pact. inter empt. & vendit.* ex qua etiam *leg. 3. & 4.* nullam hoc caſu vindicationem ſiue directam, ſiue vtilem poſſe competere ante reſciſſam venditionem, certum eſt, quod verius erit, vbi pactum non eſt in rem de reſcindendo, ſed in perſonam debitoris, vt liceat ei ſoluta pecunia rem ſuam recipere: qui eſt caſus *l. ſi cum venderet 13. D. de pignorat. action.* & *l. ſi creditor,* quam explicamus. Inde colligit quoque Anton. Fab. ad illam *l. ſi cum venderet,* addita eſſe iſta verba à Triboniano: *Sed & ipſe debitor aut vindicare rem poterit, aut in factum actione contra emptorem agere:* cum id falſum eſſe conſtet, & ſola actione pignoratitia poſſit agere in creditorẽ, vt ſibi cedat actionem ex vendito, quam acquiſiuit contra emptorẽ: qua facta ceſſione debitor aget contra emptorem ad reſcindendam venditionem. Cum igitur ex pacto creditoris in diſtractione pignoris adhibito, nequeat cõpetere actio perſonalis debitori contra emptorẽ, niſi per ceſſionẽ ex vendito ſibi factam à creditore, male dicitur *in l. ſi creditor,* ex pacto eiuſmodi creditoris reſcindi venditionem, & debitori ex illo pacto cõpetere actionem perſonalẽ in emptorem ad rem ſuã recuperandã. Neque quam adhibet eadẽ lex exceptio probari à Iuriſconſultis poterit: *Niſi,* inquit, *minor ſit viginti quinque annis debitor, aut pupillus:* quæ eſt inepta locutio; an enim deterior conditio pupilli, quàm iam adoleſcentis eſſe potuit? An poteſt eſſe pupillus, qui non ſit minor XXV. annis. Deinde quomodo vel minor, vel abſens Reipublicæ causâ reſtitui poterit ex ea tantùm cauſa, quòd non egerit ex conuentione aliena, & priùs docere debuit Tribonianus ex pacto creditoris pignus diſtrahẽ-

tis competere actionẽ debitori, quàm diceret eum ex edicto reſtituendam eſſe; quia reſtitutio hoc loco non poteſt eſſe niſi amiſſæ actionis, amiſſa verò non eſt, quæ nunquã competiit. Denique quamuis daremus, quod falſiſſimum eſſe conſtat, ex pacto creditoris pignus diſtrahentis dandã eſſe actionẽ debitori intra tempus in conuentionem deductũ, non tamen ſequeretur dandã eſſe eidem debitori, vel minori, vel Reipublicæ cauſâ abſenti reſtitutionem in integrum aduersùs lapſum temporis cõuenti, non enim plus iuris habere poteſt is qui nõ contraxit, quique ex alterius contrahentis perſona ius naciſcitur, quàm ille qui ipſemet contraxit. In noſtro verò caſu creditor, qui contraxit, cùm neque minor fuerit, neque abſens Reipublicæ cauſâ, neque eius quidquam interſit, reſtitui nequit. Illud igitur minori, qui totum ius habet ex conuentione creditoris, dare non poterit, quinimmò cùm ex pigneratitia actione non teneatur creditor, niſi quas habet actiones ex vendito aduersùs emptorem, debitori præſtare, & nullas habeat eiuſmodi actiones poſt lapſum tempus conuentione definitum, nullas præſtare poteſt debitori, qui proinde in illis reſtitui non poterit. Adde iniquum omninò fore, emptorem, qui ea lege emit à creditore legitimè diſtrahente pignus, vt ſi intra certum tempus debitor pretium ſolueret, venditio reſcinderetur, cogi poſt illud elapſum tempus pignus reſtituere, vel iure reſtitutionis in integrum, vel alio quopiam, cùm non fuiſſet illud alia conditione empturus, & temporis definiti quæcumque immutatio inducat diuerſitatem pretij, quæ nunquam induci poteſt poſt perfectam venditionem, alioquin fieret alia venditio *l. pacta conuenta 72. D. de contrah. emptien.* An non verò abſurdum eſt venditionem per creditorem factam immutari, & aliam fieri ex perſona minoris, vel abſentis Reipublicæ cauſâ, qui nihil ipſe contraxit. Confirmatur, quia ſi pignus à debitore maiore detur creditori, ea lege, vt non aliter illud creditor, quàm ſi intra certum diem pecunia ſoluta non eſſet, diſtrahat, licèt mortuo debitori ſucceſſerit pupillus, æquè poterit creditor elapſo praſtituto die pignus diſtrahere, atque ſi ipſe debitor viueret, quod tanquam certum ait Paul. *in l. Æmilius citata*; & tamen ante eam diſtractionem pignus illud factum erat pupillare, quale ante non erat, & reuerà alienari non poſſet, ſi aliquo pupilli facto, aut conſenſu ad eam alienationem opus foret. Non apparet autem maior ratio propter quam reſtitui debeat pupillus aduersùs lapſum temporis in conuentione adhibiti, quàm nec ipſe pupillus, nec in cuius locum ſucceſſit, ſed ipſe creditor fecerit, vti pro ſuo iure facere potuit. Cùm igitur ex his omnibus conſtet §. *illud, in l. ſi creditor 75. D. de diſtract. pignor.* non eſſe Marciani, ſed aſſumentum Triboniani, illudque ineptum, & contra iuris receptiſſimi mentem, ex illo nihil aduersùs noſtram aſſertionem de non reſtituendo minore aduersùs lapſum temporis definiti in conuentione facta à maiori, cui minor ſucceſſit, colligi poterit.

28 Dices tertiò cum Bartholo, cui paſſim Pragmatici inhæſere, non fuiſſe quidem reſtituendam pupillam *ex l. Æmilius*, contra lapſum temporis à patre Æmilio conuenti, ex edicto de minoribus, ſolo fauore ætatis, ſed aliunde, ex generali nempe clauſula, ſi qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur *l. 1. D. ex quib. cauſ. maior.* ac demũ tanquã maior propter iuſtam ignorantiam, quam poteſt obtendere quiſquis in alterius locum, & ius ſuccedit *l. qui in alterius 49. D. de regul. iur. l. vlt. D. pro ſuo*, & maximè pupillus qui illa etiam quæ videt, ignorat *l. vnic. C. de falſa monet.*

Reſp. cũ Franciſco Curtio *conſil. 58. aliàs 59.* & Ant. Fabr. *de errorib. Pragmatic. decade 25. errore 5. n. 15. & errore 7.* reiiciendam eſſe hanc Bartholi, & vulgi Pragmaticorũ diſtinctionem. In primis quia ex illa ſequeretur eum, qui cum maiore contraxit, priuari ſuæ conuentionis emolumento, propter ſolam perſonam minoris, cum quo non contraxit, ſi enim reſtituatur minor, ſiue tanquam minor, ſiue tanquam maior, auditur poſt elapſa tempora conuenta, qui tamen ſi maior foret, non audiretur, illius igitur ætas nocet ei qui cũ ipſo non contraxit, & qui de illo neque debuit, neque potuit contractus tẽpore cogitare, diuinare ſiquidem non potuit maiorẽ cum quo contraxit, ante lapſa conuentionis tempora deceſſurum, & hæredem pupillũ vel minorẽ relicturum. Sanè cùm hæredis ignorantia nõ excludat defuncti, cui ſuccedit vitia, vt ait Papinian. *in l. 55. D. de diuerſis tempor praſcription.* ideóque vſucapere non poſſit, quod defunctus non potuit, non poterit etiã ignorantia hæredis illi prodeſſe aduersùs ſcientiam defuncti, & aduerſus conuentionẽ ab ipſo validè, & legitimè factam, neque aduerſus illam ratione ſolius ignorantiæ reſtitui. Et ſanè ſi illi pupillaris ætas non faueat, vt reſtituatur tanquã minor, cur iuſta, quæ obtenditur ignorantia efficiet vt reſtituatur tanquam maior, præterquam quod iſta diſtinctio Bartholi ſeipſam deſtruit; nam in eo caſu non reſtitueretur, ſi foret maior: ergo ſi reſtituitur, reſtituitur vt minor, non ratione ſolius ignorantiæ, ſed ratione minoris ætatis, quæ dat locum ignorantiæ, quæ præſumitur. Prætor minori, furioſo, aut prodigo dat quidem curatorẽ, non quomodo iiſdem vitiis laboranti maiori daret, ſed tanquã minori, quaſi illud vitiũ ætatis foret, non hominis *l. 3. §. quia autem. D. de tutelis.* Si igitur danda eſt reſtitutio minori ex ea cauſa, ex qua etiã maiori ſi daretur, reſtituere eum debebit Prætor tanquam minorem, non tanquam maiorem. *Denique cùm* fateatur Bartolus, tempus præſcriptum in conuentione inter maiores facta, currere minori cum effectu, vt ipſe loquitur, & ſine ſpe reſtitutionis ex edicto *de minoribus*, non poterit reſtitui quaſi maior, alioquin tempus illud non curreret minori cum effectu: implicat enim contradictionem tempus currere minori cum effectu, & tamen reſtitui tanquam maiorem.

Reiecta porrò hac Bartholi ſententia, & diſtinctione de reſtitutione minoris in integrũ ex iuſta ignorantia, & ex generali clauſula, *ſi qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur*, facile fuerit alium vulgarem errorẽ Pragmaticorũ reiicere; quem accuratè præſtitit Anton. Fab. *decade 25. citata errore 7.* exiſtimant ſiquidem in noſtro caſu Pragmatici dandam eſſe electionem pupillo vel minori, vt aut contra tutorem, vel curatorem agat, vel poſtulet reſtitutionem in integrum contra eum cum quo non contraxit, ſed maiorem cui ſucceſſit: quod falſum omninò eſt: nam & iuris interpretes concedunt quidem minorem, vel pupillum reſtitui poſſe tanquam maiorem, ſi conueniatur ab alio, vt in *l. Æmilius* ſæpiùs citata, non ſi ipſemet agat, quia inauditum eſt, vt quis ex propria ignorantia ſibi comparet actionem; ſatis quidem fauetur ignorantiæ, quod præbeat excuſationem, quæ conuento reo ſuccurrere poſſit, quaſi per viam exceptionis, idque affirmat Caius *in l. qui in alterius 42. D. de regul. iur.* ait enim eos, qui in alterius locum 29

ſuccedunt,

ſuccedunt, iuſtam habere cauſam ignorantiæ, an id quod petitur, debeatur, idque ita demum in hærede obtinere, ſi conueniatur, non ſi agat: quamquam hæc poſtrema clauſula ineptè videatur aſſuta à Triboniano: ex primis enim verbis ſatis conſtabat non agi de aliis hæredibus, quàm qui conueniuntur, *Qui*, inquit, *in alterius locum ſuccedunt, iuſtā habent cauſam ignorantiæ, an id quod peteretur deberetur*. Igitur agit de reis nō de actoribus; actores ſiquidē, non rei petunt, & petitur à reis non ab actoribus. Ineptiſſimum verò eſt monere regulam, quæ manifeſtiſſimis verbis de reo tantùm agit, veram eſſe ſi is conueniatur, non verò ſi agat: quare nullus credet Caium ſuam ita regulam tradidiſſe. Malè etiam Tribonianus eam regulam ad ſolos hæredes reus reſtrinxit: nam iuſta ignorantia dat etiam actionem hæredi & ſucceſſori, ſi v.g. ex chyrographo hæreditario, & in inuentario reperto conueniatur, & non reperit apocham, quam defunctus ſcripſerat, habet iuſtam cauſam ignorantiæ hic hæres, qui in alterius ius ſuccedit, actor tamen eſt: quare ſi viſa deinde apocha, liti ſtatim cedat, non damnabitur in expenſas. Eſt igitur vniuerſalis illa regula contraquàm Tribonianus velit. Deinde ratio quam affert ibid. propter quam valeat in reo tantum, non in actore, non placet; nempe quod ſit in poteſtate actoris agere quando velit, ideóque de ſuo iure certus eſſe debeat, non reus, qui inuitus conuenitur; ea ſiquidem ratio valet ad quæſtionem de ſumptibus litis, an actor temerè litem inſtituerit, aut reus ſuſceperit. Ratio igitur regulæ eſt, quia ignorantia quantumuis iuſta, nunquam parit actionem, ſed probabilem excuſationem, excuſatio verò parit exceptionem ad vitandam condemnationem expenſarum litis, non verò, vt quod petitur, non debeatur: nam ignorantia debitoris facere non poteſt quominus id quod petitur, debeatur, quod colligunt *ex l. cùm filiusfamilias 49. §. in hac ſtipulatione. D. de verbor. obligat.* multò minus ignorantia actoris vt habeat actionem, quam ſecura illa ignorantia non eſſet habiturus.

30 Ex his ſequitur alia quæſtio, an reſtitutio aduerſùs legalem temporis præſcriptionem danda ſit minori à Prætore, qui vt diximus non poteſt illam concedere aduerſùs præſcriptionem conuentionalem, ſiue lapſum temporis in conuentione cum maiori facta definiti. Olim quidem currebat præſcriptio aduerſùs minores, ſed aduerſùs eam reſtituebantur. Nouo verò Iuſtiniani iure præſcriptiones breuiores annis triginta minoribus non currunt; itaque non modò exceptionem non numeratæ pecuniæ, de qua agebatur in ea Iuſtiniani conſtitutione, opponi poſſe per minores vniuerſo minoris ætatis tempore, & quadriennio poſt, ſed & alias exceptiones, quæ tempore ſolent præſcribi. Cur verò curſum illarum præſcriptionū aduerſùs minores prohibeat Iuſtinian. rationem reddit *l. vlt. C. in quib. cauſ. reſtitutio in integ. neceſſ. non ſit. Quia melius eſt intacta minorum iura ſeruari quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere:* quare de hydrope dixit Perſ. *ſatyr. 3.*

Elleborum fruſtra cum iam cutis ægra tumebit
Poſcentes videas. venienti occurrite morbo.

Et Seneca *in Thyeſte*;

Serum eſt clamandi tempus in mediis malis

Vult tamen Iuſtinian. exceptiones XXX. vel XL. annorum *in ſuo ſtatu remanere*, hoc eſt, vt interpretatur Gloſſa, vt currant poſt pupillarem ætatem, ſed reſtituantur minores, quia læſi. Vide *l. 3. C. de præſcript. XXX. vel XL. annor.* Cur verò reſtituantur minores aduerſùs has legales præſcriptiones, & non aduerſùs conuentionales, inquirit Anton. Faber *decade 25. de errorib. Pragmatic. errore 5. n. 9.* Addidit Mornac. *ad l. vlt. C. in quib. cauſ. reſtitut. in int. neceſſ. non ſit*, iure Gallico nunquam reſtitui minores aduerſùs retractum linearem, per emptionem inſtantiæ, & publicas bonorum addictiones, de quibus omnibus alibi commodiùs dicetur. De his vide Anton. Fabrum *in l. auxilium 37. verſ. ceſſabit in integrum reſtitutio, D. de minorib.*

Aduerſus venditionem pignorum à creditoribus factam ſubuenitur minoribus, ſi magnum, & enorme damnum patiantur *l. 1. C. ſi aduerſùs vendit. pignor.* quod intelligendum eſt de pignoribus, quæ ab ipſis minoribus, aut contra eos iudicibus data ſunt: nam ſi ab eo cui minor ſucceſſit, pignus datum fuerit, ſiue is pater, ſiue quis extraneus fuerit, non habet rationem deſiderium minoris, ſi ob ætatem ſuam velit reſcindi venditionem, quam creditor fecerit rei ab alio ſibi obligatæ, vti habetur *leg. 2. C. eod.* alioquin illa diſſideret à prima: in qua etiam obſerua nequidem cùm creditor dolum admiſit in diſtractione pignoris ab alio, quàm à minore accepti, minori poſſe ſuccurri aduerſùs emptorem, ſed ſolùm aduerſùs ipſum creditorem, qui dolum admiſit, aut aduerſùs minoris tutores, vel curatores, qui venditionem, quam impedire poterant, permiſerunt. Suppono verò res pignoratitias fuiſſe ritè diſtractas, alioquin non poterit ſecurus eſſe emptor, cuius titulus iuris ſolemnitate deſtituitur, vt docet Paul. *lib. 1. ſentent. tit. 9. § vlt.* 31

Minor adoptatus, & adrogatus, ſi in eo ſtatu ſentiat ſe læſum, obtinebit reſtitutionem à Prætore *l. 3. §. ſi quis minor, D. de minorib.* & *l. etſi pubes 33. D. de adoptionib.* Fiet autem ea reſtitutio, non quod adrogatus reponatur à Prætore in priſtinum ſtatum, & habeatur pro non adrogato, ſed quod iubeatur adrogator eum emancipare, cauſa tamen priùs cognita, etſi minor probauerit ſibi non expedire redigi in poteſtatem adrogatoris *l. nonnunquam 32. D. de adoptionib.* putà ſi minor locuples adrogatus ſit à prædone. 32

Quoad iudicium ſpectat, reſtituitur in primis minor ad probationem denuò faciendam, ſi in termino probatorio ſibi deſignato nullam, vel inſufficientem probationem feciſſet: ita Anton. Gomeſ. *tom. 2. cap. 14. num. 21. ex l. minor 25. annor. 36. D. de minorib.* & *l. minor magiſtratus 19. D. eod. l. 4. C. ſi aduerſùs rem iudicat.* Neque dicas minorem, qui omiſit in prima inſtantia quampiam allegationem, poſſe eam iure communi & via ordinaria proponere per appellationem, vbi autem ſuppetit auxilium ordinarium, non eſt concedendum extraordinarium, cuiuſmodi eſt reſtitutio. Reſpondeo enim reſtitutionem in integrum idem præſtare debere minoribus quod appellatio præſtat maioribus *leg. præſes 42. D. de minoribus*, & *l. vlt. D. de in integ. reſtit.* quia intereſt minorum reſtitui potiùs, quàm appellare, cùm fauorabilius ſit remedium reſtitutionis propter fauorem ætatis, & quia tunc minor non tam de Iudice, quàm de aduerſario, aut de ſeipſo conqueritur *l. præfecti 17. iuncta l. ſequenti. §. 1. D. de minorib.* Reſtituendus igitur erit minor aduerſùs omiſſam allegationem, ſicut & aduerſùs omiſſam exceptionem, ſiue dilatoria ſiue peremptoria ſit, quamuis exceptio differat ab allegatione. Obſeruat porrò Anton. Gomeſ. *loco citato*, in eo caſu quo reſtituitur minor, probationem de nouo fa- 33

ciendam eſſe, & eius aduerſarium nouam quoque approbationem facere aduerſus illum poſſe.

Secundò contra ſententiam latam reſtitui poteſt minor ſi læſum ſe ſentiat, *toto C. ſi aduersùs rem iudicatam, & l.minor.* 18. *D.de minorib.* Atque in primis ſententia contra minores indefenſos lata, nulla eſt ipſo iure: ſi verò legitimè defenſi fuerint, valida quidem erit ſententia, aduersùs illam tamen reſtitui poterunt; ſed iure Gallico opus fuerit ſupplicatione ciuili aduersùs Senatuſconſultum; ſi omiſſæ fuerint minorum defenſiones, licèt eius tutores, vel curatores aut procuratores, aliive defenderint, ſed malè, aut non ſufficienter. Ita *l.4. C. ſi aduersùs rem iudicatam*, ad quam Mornacius obſeruat Iure Gallico omnes alias, quas aliqui innexerunt diſtinctiones, & vt loquuntur Imperator Theod.& Honor. *l.17.C.de iure deliberandi*, ſcrupuloſas ſolemnitates, & Græci *ἀκριβοδικαίας*, reiici hoc loco, & iure merito, cùm ſuſpecta ſemper fuerit tutorum fides, ne ex bonis pupilli, vel minoris, & ipſi per ſordes, aut gratiam proficiant. Hinc aduersùs illos miſerorum querelæ; vide Homer. *Iliad. lib.* 22. vbi vxor Hectoris occiſi caſum ſuum, & filij Aſtianactis parente orbati miſeriam deplorat, qui omnium iniuriis expoſitus remaneat. Admittit itaque iuriſprudentia Gallica querelas minoris, ſi quacumque in parte litis ſe indefenſum eſſe pleniſſima cognitione oſtenderit, neque quidquam amplius inquiritur, vt ſupplicationi ad obtinendam reſtitutionem ſit locus.

Tertiò ſi ſententia incidit in tempus maioris ætatis, non erit locus reſtitutioni *l.* 1. *C. ſi aduersùs rem iudicat.* niſi tamen dolo, & fraude aduerſarij lis tracta fuerit in tempus longius, vt ſententia in tempus maioris ætatis incideret, ab eáque non eſſet prouocatio, vel aduersùs eam reſtitutio *leg.* 3. *§.* 1. *D. de minorib.* vbi rationem reddit Celſus, quia non extremo tantùm iudicij deceptus eſt hic minor, ſed toto tempore, quo dilatum eſt iudicium, vt maiore iam facto, firmior foret ſententia; quamuis enim iudicium habeat ſuas moras neceſſarias, *l. etiam* 15. *in princ. D. in legat. non can.* improbitate tamen, & tergiuerſatione litigantium longiores fiunt *l. ſi optione* 10. *D. ad exhib. l. tutor* 45. *D. de vſur. l. intra* 40. *D.de minor.* Si igitur aduerſarius minoris callidè moras iſtas trahat, vt ſententia feratur tantùm dum maior fuerit effectus, erit reſtitutioni locus, quia in iudicio non tantùm læditur aliquis cum vincitur, ſed tũ maximè cùm iudicium ſic exercetur, & ad rem iudicandam diſponitur, vt poſteà vinci eum neceſſe ſit; v.g. ſi cùm eſſet minor citatus per edictum peremptorium, & dolo aduerſarij abfuerit, poſtcáque tanquam abſens, & contumax victus fuerit iam maior factus, læſus omninò fuit minor tempore iudicati, & iam maior effectus reſtitui debet in iis in quibus adhuc minor læſus fuit, & in iis quæ geſta ſunt in iudicio, antequam maior effectus eſſet, & ex quibus neceſſariò factum eſt calliditate aduerſarij, vt maior effectus in ipſo iudicio vinceretur, & ſententia aduersùs illum ferretur. Ad hanc tamen reſtitutionem minoris, iam facti maioris aduersùs rem iudicatam, non ſufficit leuior tantùm ſuſpicio de calliditate aduerſarij extrahentis iudicium in tempus maioris ætatis, vt ait Celſus eo loco, quia licèt ordinariè in reſtitutione minoris non ſit neceſſaria probatio doli aduerſarij, id verum eſt quoties minor ea duntaxat reſcindi poſtulat, quæ geſſit in minori ætate; quando verò poſtulat tanquam minor reſcindi, quod contra eum iam maiorem factum geſtum eſt, neceſſaria erit probatio doli, quo aduerſarius litem contra minorem cœptam protraxit in tempus, quo maior factus, aduersùs eam reſtitui non poſſet, vt in noſtro caſu de ſententia prolata contra maiorem iam factum, neceſſaria eſt doli probatio, quo in maiorem ætatem protractum fuit iudicium. Vbi verò dolus probandus eſt, nunquam ſufficit leuis ſuſpicio, ſed perſpicuæ inſidiæ, vel perſpicua indicia neceſſaria ſunt *l.dolum* 5. *C. de dolo.*

Extra hunc igitur doli caſum aduersùs ſententiam latam contra maiorem iam factum, non datur reſtitutio, licèt cauſa in minore ætate cœpta fuerit, vt celſus conſuluit Flauio Prætori in ſimili caſu. Ratio eſt, quia is, qui vincitur in iudicio, læditur per ſententiam, non per ea quæ ſententiam præceſſerunt, niſi vt diximus per fraudem ita geſta ſint, vt inde neceſſariò ſequeretur ea ſententia. Si itaque poſt legitimam ætatem lata fuerit, non poteſt victus petere reſtitutionem propter id, quod iudicium cœptum fuerit in minori ætate, vti diximus ex *l.* 1. *C. ſi aduerſus rem indicat.* vbi quod vulgò legitur *ſi tempore iudicij*, emendandum eſt, & legendum *ſi iudicati tempore*; tempus enim iudicij eſt ex quo dictatum fuit iudicium, quouſque per ſententiam finitum ſit, finis & perfectio iudicij iudicatum eſt. Hinc fit, vt maior XXV. annis rarò admodum obtineat quidpiam vi ſupplicationum, aut requeſtarum ciuilium, vt vocant, propter omiſſas probationes ab Aduocato, qui causã dixit; cùm enim clientes patronos iſtos eligant, ſibi imputare debent, quod non adierint verſatiſſimũ aliquem in foro, & vt ait Sidonius, trebaciſſimum, atque vt in multis loquitur Iuſtinianus *πρὰ τῶν νόμων ϗ πείρας ἐπιστάμενον*, deinde cum liquidò conſtare non poſſit, quid omiſſum ſit à patronis, cùm actuarius qui Senatuſconſulta excipit ad pedes Iudicum, non obligetur præſcribere, quæ hinc inde ab Aduocatis diſſeruntur, immo ex veteribus Curiæ placitis prohibeatur id agere, vti obſeruat Mornac. ad *l.* 18. *D. de minorib.* ſatiſque ſit arreſto nudo & ſimplici, ſola patronorum qui dixerunt nomina inſerere, perpetua ſeruatur ea regula nihil de iudicatis mouendum eſſe.

Quartò vt minor aduerſus ſententiam reſtituatur, læſus eſſe debuit, vt diximus, quod contingit vel quia omiſit exceptionem peremptoriam, vel allegationem neceſſariam ad cauſæ victoriam, vel denique quia Iudex ex malitia aut ignorantia iniquè iudicauit. Difficilius autem conceditur reſtitutio ex errore ſolo Iudicis, quia ſemper ſtat præſumptio pro Iudice; vbi tamen iniuſta ea læſio à Iudice conſtabit ex actis, concedenda erit reſtitutio, vt ait Gomeſ. *tom.* 2. *cap.* 54. *n.* 5. neque ea tamen reſtitutio conceditur à quocumque Iudice: nam in primis *minor magiſtratus non reſtituet contra ſententiam maiorum*, inquit *l.* 18. *D.de minorib.* vnde colligunt Cuiac. & Anton. Faber, maiorem Magiſtratum reſtituere contra ſententiam minoris, v. g. Præfectus Prætorio aduersùs ſententiam Præſidis, Præfectus vrbi, aduerſus ſententiam Prætoris, quod idem dico de Conſule, qui maior Prætore eſt *l.* 3. *§. vlt.* & *l.* 4. *D. de recept. arbit.* vnde pleriſque in cauſis ceſſante authoritate Prætoris, ſi Princeps mandet dari reſtitutionem, id mandat Conſuli, non Prætori, vt *in l. ſiue quidam* 30. *in princ. D. de adquirend. hered.* An verò par reſtituat aduersùs ſententiam paris, vt putà Præſes aduersùs ſententiam Præſidis, dubiæ quæſtionis eſt, vt affirmat Accurſius, neque diſſentit Cuiac. quia fruſtrà moneret

Vlpian.

Vlpian. minorem Magiſtratũ non reſtituere contra ſententiam maioris, ſi neque par in parem id non poſſet. Deinde lex *præſes* 42. *D. de minorib.* ait Præſidem poſſe aduersùs ſui deceſſoris ſententiam reſtituere. Rectius tamen id negat Anton. Faber quia quod vnus aduersùs ſui deceſſoris ſententiam reſtituat, nihil probat, cùm tunc aduersùs propriam reſtituat, cùm vna, eademque ſit deceſſoris, & ſucceſſoris poteſtas, ac iuriſdictio. Quæſtio igitur eſſe poteſt, an Præſes vnius v. g. prouinciæ, poſſit aduersùs ſententiam Præſidis alterius prouinciæ reſtituere; quamuis enim omnium Præſidum æqualis ſit authoritas, ſeparatæ tamen ſunt integris prouinciis iuriſdictiones, cùm autem par in parem non habeat imperium, & iuriſdictionem; nullo modo fieri poteſt, vt ſententia per vnius prouinciæ præſidem lata, per alterius prouinciæ præſidem reſcindatur, quia id fieri nequit ſine Iuriſdictione, quam nemo extra ſuam prouinciam habet, *leg. vlt. C. de iuriſdiction.*

Quartò Princeps aduersùs omnium Magiſtratuum ſententias reſtituit, quia omnibus maior eſt *l.* 1. *C. vbi, & apud quem, & l.* 3. *C. ſi aduersùs rem iudicat.*

Quintò quando Princeps ipſe ſententiam dixit, perrarò reſtituit, *l. minor magiſtratus* 18. *D. de minor.* ne quid iniquè decreuiſſe videatur, aut paſſus eſſe minorem in ſuo auditorio circumueniri, ſiue propria facilitate, ſiue aduerſarij calliditate. Excipiuntur tamen *in l. citata* duo caſus, propter quos permittit Princeps in ſuum auditorium admitti eum, qui per infirmam ætatem captum ſe dicat. Primò ſi allegat quæ non ſunt dicta pro cauſa, ſed noua, & omiſſa proferat. Secundò ſi minor ſe ab Aduocatis proditum queratur, quia præuaricatio Aduocati non nocet minori *l.* 5. *C. de aduocat. diuerſ. iudic.* Cùm enim in iſtis duobus caſibus nihil poſſit imputari Principi, qui aduersùs minorem ſententiam dixit, faciliùs reſtitutionem concedit. Seuerus, & Antoninus non audierunt Glabrionem Acilium reſtitui deſiderantem aduersùs fratrem *poſt ſpeciem in eorum auditorio finitam*: quæ poſtrema verba, vti prudentibus iuris eo ſenſu non vſurpata, faciunt vt Triboniani eſſe ſuſpicetur Anton. Faber. Ratio recuſationis fuit quod Glabrio *incoloratè reſtitui* deſideraret, hoc eſt nullo colore, non allegando cauſam vllam ſpecialem, quod neceſſarium quoque eſſe iure Gallico ad impetrandas à Principe litteras reſtitutorias certum eſt. Vide Rebuff. *de reſtitutionibus art.* 1. *gloſſa vlt.* ad verba illa conſtitutionis Ludouici XII. *Et declare particulierement, & par le menu les cauſes par leſquelles elle demande eſtre releuée.* Iidem porrò Imperatores Peſcennio Seuero cõtra res bis iudicatas, in integrũ reſtitui poſtulãti, permiſerunt in ſuo auditorio examinari: licet autẽ concedatur reſtitutio contra res bis iudicatas, non idcircò tamen impetratur bis reſtitutio in eadem cauſa, ſed cùm prior ſententia per appellationem reſciſſa fuiſſet, deinde contra poſteriorem ſententiam reſtitutio poſtulata fuit: ſolus autem Princeps poteſt reſtituere poſt ſententiam vice ſua ex appellatione dictam §. 3. *eiuſdem l.* 18. *D. de minorib.* quare cùm Iudex à Principe datus cognouit, reſtitutio à ſolo etiam Principe concedi debebit *in l. citata* §. 4.

Sextò denique quæritur, an poſtulata reſtitutione aduersùs ſententiam, ſuſpendi debeat ſententiæ executio, id enim aliqui negant, ſed omninò malè, quia in vniuerſum proprium eſt reſtitutionis in integrum ſuſpendere executionem *l.* 5. *C. de in integ. reſtitut. poſtul.* Neque quidquam excipitur de ſententia definitiua. Deinde inutilis eſſet reſtitutio, ſi executionem non impediret. Neque dicas *Clem.* 1. *de re iudicata*, ſententiam mandandam eſſe executioni, non obſtante oppoſitione nullitatis, quia præſumitur calumnioſè obiecta. Reſpondeo enim eam calumniam non præſumi in reſtitutione in integrum, quia ex ignorantia, & imperitia minoris procedere poteſt: vide de hac quæſtione diſputantem pluribus Fachinæum *lib.* 12. *controuerſiar. cap.* 17. 18. *&* 19.

§. III.

In quibus caſibus negetur minori reſtitutio.

An in iis quæ rata habuit. 1.
An in criminibus. 2. 3.
An in matrimonij contractu. 4.
An in profeſſione. 5.

HActenus de caſibus in quibus conceditur minori reſtitutio in integrum, venio ad caſus in 1
quibus eiuſmodi reſtitutio negari ſolet, quamquam aliquos ex ſuperioribus colligere licebit: v.g. ſi negotium cœptum cum minore tractum habeat, perfectionemque ſuam accipiat ab eo quod cum eo maiore deinde factum eſt, reſtitutio locum habebit, inſpecto negotij initio: *Si l'acte eſtant commencé en minorité a ſuitte, & reçoit ſa perfection en maiorité, comme ſi vn bail ſe fait par vn mineur, & que le temps d'iceluy expire en maiorité, la reſtitution aura ſon effect tout entier*, inquiunt Pragmatici noſtri. Si verò quod cum minore geſtum eſt, tractum nullum habeat, & deinde ratum habeatur à maiore, non erit locus reſtitutioni: v. g. ſi fundum minor vendiderit, venditionemque maior factus ratam habuerit, valet venditio, neque per reſtitutionem cauſà imbecillioris ætatis reſcindi poterit, in hanc rem plurima dabit Tiraquell. *ad l. ſi vnquam, verſ. reuertatur*, *num.* 456. & Rebuff. *de reſtitutionib. art.* 2. *gloſſ. vlt.* vbi & affert exemplum permutationis factæ cum minore; licèt enim poſt annum 25. perceperit fructus rei permutatæ, non propterea videtur comprobare negotium, & affert in hanc rem Supremæ Curiæ decretum. Habemus verò Imperatorum mentem *in C. ſi maior factus ratum habuerit*, non dari reſtitutionem aduersùs geſta à minore, qui ea deinde maior factus rata habuerit. Eſt verò triplex ratihabitio. Prima verbis expreſſis, ſecunda rebus & factis, de quibus ratihabitionibus agit *l. Paulus*, *D. rem ratam haber.* Tertia ſi diuturnum fuerit ſilentium, quod tamen intelligendum eſſe ſecundum ſubiectam materiam, obſeruauit Molinæ. ad Alexand. *lib.* 6. *conſilio* 191. vbi agit de mandato. Debet tamen abeſſe ab hac ratihabitione dolus, quia illi nunquam fauent leges; quare Pindar. *in Pythic.* dixit δόλον ἀΐδοιμιν. Refert Mornac. *ad C. ſi maior. factus*, Senatum ann. 1606. 12. Decemb. admiſiſſe reſcriptum reſciſſorium obtentũ à minore tranſactionis à ſe factæ, quamquam ex parte mandauerat executioni, atque adeò facto ipſo ratam habuerat; quia conſtabat de dolo facto minori in ea ratihabitione; neque tantùm dolus abeſſe debet, ſed etiam, vt negotium connexum non ſit, & tractum habeat, vti explicuimus, non ſit συνημμένον. Vbi igitur maior XXV. annis ſecunda cogitatione maturo iudicio,

comple

completoque animi vigore, vt loquitur Vlpian. tabulis inſpectis, ſummotáque omni fraude comprobabit, quod minot geſſit, manifeſto indicio eſt, ipſum nihil egiſſe, qood prudentiſſimus paterfamilias non egiſſet, eſtque certiſſima Iuris Regula, quæ diuerſis temporibus fiunt certam animi deliberationem inducere, vnde vulgatum illud Euripidis.

——*Καὶ βροτοῖς*
Αἱ δευτεραίπως φροντίδες σοφώτεραι.

a Secundò in criminibus, ætatis ſuffragio minores non iuuantur, inquit *l.1. C. ſi aduerſus delictum*, quod & tradit *l.ſi ex cauſa 9. §.3.*& *l.auxilium 37. D.de minorib.l.ſed etſi 5.9.2. D.ad l.Aquiliam.* Rationem reddunt Impp. Seuerus, & Antoninus *in l.1.C.citato*, quia malorum mores infirmitas animi non excuſat, alioquin & maiores puniendi non eſſent, nullus enim niſi admodum infirmo animo, leuíque conſilio ad delinquendum accedit. Deinde multò magis intereſt Reipublicæ delicta puniri, quàm minoribus ſubeniri; quia illud publicam vtilitatem, & ſecuritatem ſpectat, iſtud ad minorum duntaxat ſeruanda patrimonia, & priuatorum vtilitatem pertinet: publica verò ſalus priuati vtilitati præferenda eſt *l. ita vulneratus 50. D.ad leg. Aquiliam*, & alibi, quia tamen delicta non eodem modo omnia committuntur, alia ex certo & deſtinato conſilio, ſiue conſulta opera, alia inuoluntaria ſunt quodammodo, & ex ignorantia, aut ex quodam potiùs externo caſu, & facto quodam fiunt, ideò illa duo diſtinguunt *l.citata* Impp.& in his poſterioribus locum eſſe reſtitutioni volunt, non in prioribus illis: nam ætatis illa infirmitas non excuſat malos illos mores, & peruerſa conſilia, ex quibus ſponte peccant. Eiuſmodi ſunt furtum, adulterium, homicidium, quæque dolo malo contra leges admittuntur: in iis minor per reſtitutionem non liberabitur à pœna commiſſi criminis. Eſt verò difficultas circa verba conſtitutionis Imperatoriæ, *Si tamen delictum non ex animo, ſed extra venit, noxia non committitur*: aliqui pro *extra* legunt *ex contractu*, nempe inuoluntario, & vt interpretatur Cuiacius ex reipſa; Græci verò *ἀλλ' ὅτε τὸ ἁμάρτημα μὴ ἀπὸ ψυχῆς πονηρᾶς ἀλλ' ἀποσυναλλάγματος ἔρχεται*. Synop. Baſil. *lib.10. tit. 17. εἰ μὴ ἐκ πονηρᾶς προαιρέσεως γένηται ψυχῆς, καὶ προαιρέσεως γένηται τὸ ἁμάρτημα*: denique Harmenopul. *μὴ ἐκ πονηρᾶς ψυχῆς, καὶ προαιρέσεως.* Vides itaque in conſtitutione per delictum ex animo, intelligi voluntarium, & ex electione factum, per delictum verò quod *extra venit*, ſiue ex contractu, intelligi non ex electione commiſſum, ſed ex caſu quodam, & reipſa aliter quàm ex deliberatione. Aduerſus pœnas itaque eiuſmodi criminis à minore commiſſi dabitur reſtitutio in integrum, non verò aduerſus illa delicta ex animo, & electione patrata: qoare ſi mulier minor XXV. annis, liberis impuberibus per errorem iuris, tutorem non petierit, non idcircò priuabitur eorum ſucceſſione, vti priuaretur, ſi maior fuiſſet, ne & hæreditatem, & filium ſimul amittat. Si verò mulier minor ſua culpa diuortium fecerit, non reſtituetur *l.9.§.3.D. de minor.* Etſi Romanis legibus libera forent diuortia, neque quiſquam inuitus cogeretur in coniugio remanere, non erant tamen impunita ſi ſine cauſa fierent, debebantque tunc pœnas, quas ſine cauſa diuertenti, vel legum authoritas, vel connubiales pactiones impoſuerant ferre. Minori quoque adulterium committenti non ſubueniebatur per reſtitutionem *§.3. citato.* Si minor in re depoſita, aut commodata dolo quidpiam fecerit, etiamſi ad illum nihil ex ea peruenerit, non ei proderit reſtitutio, ſicut neque ſi fructum fecerit, aut damnum iniuria dederit, ei non ſubuenitur, ait Vlpian. *in citata l.9. §.2.* ſi tamen cùm damnum datum negauit, indéque maiori pœna puniendus fuit, ipſi ſubuenietur, non quidem aduersùs delictum, ſed aduersùs id quod ex eius leuitate, & inconſulto mendacio accedere debuit pœnæ pecuniariæ delicto iam debitæ: quare non abſoluetur per eam reſtitutionem, ſed non in plus condemnabitur, quàm ſi delictum ab initio confeſſus fuiſſet, neque fiet iniuria aduerſario qui tantumdem capiet ex delicto minoris, quantum habuiſſet, ſi minor Prætori interroganti delictum non negaſſet: reſtituitur denique tunc minor vt pro confeſſo, non pro innoxio habeatur. Denique addit *§.2.citato* Vlpian. minori qui cùm poſſet *pro furto damnum decidere*, id eſt de furto trãſigere, maluit dupli vel quadrupli actionem pati, ſubeniri per reſtitutionem, quæ ſanè tantum ad hoc erit, vt quamuis ad duplum, vel quadruplum condemnatus fuerit, non plus tamen præſtare teneatur, quàm ex cauſa tranſactionis fuerat præſtiturus, ſi tranſigendi occaſionem non neglexiſſet; quare probare debebit quantitatem, qua cõtentus aliquãdo voluit eſſe aduerſarius, vt probet ſe læſum fuiſſe in eo quod non tranſegerit, neque ea ſumma definiri poteſt à Prætore, quia læſionis probatio non a Prætore, ſed à minore proficiſci debet. Poſt reſtitutionem autem à Prætore impetratam tranſigens, aut dans pecuniam pro furto, non erit infamis.

Tertiò ſi minor in commiſſum vectigalis inciderit; dabitur ei reſtitutio, modò nullus ipſius dolus interuenerit, inquit Vlpian. *citata l.9.§.5. D. de minorib.* dolum verò perpetuò præſumi etiam in minoribus, maximè ſi commercia ſoliti ſint exercere, obſeruauit Mornac. *ad citatum §.* Repetendum autem eſt quod ſuperiori libro diſputantes de vectigalibus diximus, fraudari vectigal. quando vel non ſoluitur, *cum debetur; vel* non fit profeſſio mercium, quæ tranſuehuntur, niſi qui eam profeſſionem omittit, miles ſit, *l.3. C.de vectigalib.& com.* Et denique cùm illicitæ merces tranſuehũtur *l.exceptis his vectigalib.13.C.de vectigalib.& com.* Multiplex porrò iſta fraus contingit, aut reipſa tantùm, vel etiam conſilio, & dolo malo, & quocumque modo quis fraudet vectigal, ſiue fraudandi animum habuerit, ſiue non habuerit, æquè punitur, & in commiſſum incidit: nam ſi probandus foret ille animus, publica vectigalia impunè fraudarentur, & quia publicorum vectigalium iuſtam ignorantiam vix vllus prætendere poteſt. Quoties igitur minor vectigal vel reipſa, vel dolo fraudauerit, & in commiſſum inciderit, opos habebit reſtitutione aduerſus eam pœnam, & ne res quæ vectigal debuit, committatur, quæ reſtitutio ei conceditur ſi nullo dolo malo vectigal fraudauerit: quod ſi pupillus duntaxat fuerit, remittetur illa pœna commiſſi, modò intra dies XXX. vectigal intulerit *l.Imperatores 7. D. de public. & vectigal.* 3

Temperandæ nihilominus ſunt pœnæ minorum delinquentium, & maximè Impuberum; qua de re vide Tiraquell.*tract.de pœnis temperand. cauſa 7. & 8.*& *cauſa 49.num.45.* Chopin.*de priuileg. ruſticor. lib.3. 3. parte capit.11.de accuſation.* Boër. *q.63.* Ioan.Bodin. *tract. de ſortiariis*, Libarium *declamt.22.* Mornac. *ad l.37. D.de minorib.*& *ad l.5. §.ſi impubes, D. ad l. Aquiliam*, mirumque eſt *in leg.*

l. excipiuntur 14. *D. ad Syllan.* pœnam capitis infligi impuberibus. Harmenopol. *lib.* 1. *tit.*6. minores quatuordecim annis torqueri poſſe equuleis, fidiculis, aliiſque tormentis affirmat, vbi agitur de coniuratione in Principem probandam. Quintilian. *lib.* 5. *cap.* 9. eapite narrat punitum puerum Athenienſem, quod quotidie cornicum oculos configeret. Refert Mornac. ann. 1591. menſe Nouembri, Carmelitam impuberem vix duodemnem ſoſpeodio necatum Senatus authoritate, quod cultellum tenens, ludenſque inter ætatis ſuæ pueros dixiſſet, poſſe ſe excecrandum Clementis dominicani parricidium ionouare: non tamen ſeruandus perpetuò fuit hic rigor in plectendis impuberibus, de quibus aliàs in appendice de iudiciis. Interim adi laudatos authores; nos modò agimus tantùm de reſtitotione aduersùs ſenteotiam, & pœnas decretas à Iudice, aduerſus quarum executiones non dator auxilium reſtitutionis in integrum, inquit Tryphoninus *in leg. auxilium* 37. *D. de minoribus*: quare neque iure Gallico locus eſt etiam ſopplicationi ciuili, vt in *eam leg.* obſeruat Mornac. Tryphonini porrò mens eſt denegari reſtitutionē minori, qui vel expreſsè actionem iniuriarum repudiauit, vel qui pœnam aduerſario impoſitam remiſit, ſiue ex pacto, ſiue tacite, quod fit cùm quis intra aonnm non experitur *leg ſi non conuicij* 5. *C. de iniur.* cuius idonea videtur illa ratio, quòd qui tempore ſemel excloſi vindictam adhuc expetunt, rem dignam odio graui, temerè, improbè, & calumnioſè facere videntur *l.* 1. *§. accuſationem. D. ad Turpillan.* quod multò verius eſt in eo, qui aduersùs propriam conuentionem viodictam repetit; improbius enim multò facit. Id tamen intellligendum eſt de pœna iniuriarum, non verò de pœna conuentionali: nam ſi minor eam remiſerit, reſtituetur, quia illa ad rem familiarem, & non ad meram vltionem pertinet, cum vt plurimùm promittatur in vicem eius, quod intereſt *l. vltim. D. de prator. ſtipulat. leg. prædia* 28. *leg. Lucius* 47. *D. de actionib. empti*, *l. duo ſocietatem* 71. *D. pro ſocio*, *leg. reſcriptum* 10. *§. ſi pacto*, *D. de pactis.* Quoties itaque pœna meram vindictam, & vltionem non continebit, minor reſtituetur, argum. *l. ait prætor* 7. *in princ.* & *§. hodie*, *D. de minorib.*

Addit Tryphoninus in *citata l. auxilium*, minorem, qui vxorem iure mariti de adulterio accoſare potuit intra LX. dies, ſi omiſerit accuſationem, non reſtitui. Reddit rationem, quia ſi tunc reſtitui vult, vt iure mariti accuſare poſſit, hoc ipſo videtur delicti, id eſt calumniæ veniam deprecari, cùm tamē in delictis aut calumniatoribus Prætores oportere ſuccurrere certi iuris ſit: quam Tryphonini rationem, vt intelligas, obſerua priuilegium mariti fuiſſe, vt cùm iure mariti accuſaret, poſſet vxorem ex ſuſpicione adulterij ream facere, quod extranei facere non poterant ſine periculo calumniæ *leg. quamuis* 30. *D. ad leg. Iuliam de adulter.* neque calumniam metuere debuit maritus, niſi euidenter calumniator foret. Qua ratione intelligenda eſt *l. is cuius* 14. *§. vlt. D. ad L. Iuliam de adulter.* cùm etiam in iis qui ex officij neceſſitate coguntur accuſare, calumnia nunqoā impunita ſit *l.* 1. *in fin. C. qui accuſ. non poſſunt* Verè igitur dixit Tryphoninus, eum, qui reſtitui poſtulat vt iure mariti poſſit accuſare vxorem, calomniæ veniam depreean. Adde in hac denegarione reſtitutionis, nullom damnum pati minorē, excluſus enim à iure accuſandi iure mariti, poterit accuſare iore extranei, idemque hoc accuſandi modo, quod alio conſequetur, neque calumniæ pœnam timere debet, ſi ſuæ accuſationi tanquam certæ confidat *leg. iure mariti* 6. *C. ad legem Iuliam de adulter.*

Quartò aduersùs propriam confeſſionem non reſtituitor minor, vt ſi adulterium falſos eſt, Gomez. *de delictis cap.* 1. *num.* 66. Sarmiento *lib.* 3. *ſelectar. cap.* 1. Fachinæ *lib.* 1. *contrcu. capit.* 72. *ex l. auxilium* 36. *D. de minorib.* quia minori voluntarie fateuri delictum, nulla infertur læſio, cum præſtet quod iure præſtare potuit. Si tameo falsò fateretur delictum, probata falſitate, ipſi, ſicut & minoribus daretur reſtitutio, quia in omnibus criminalibus licet in qualibet parte litis ſuam innocentiam probare *leg.* 1. *§. ſi quis vltrò. D. de quæſt.* & *l. ſi non defendantur. D. de pœnis.* Si tamen iniuſto metu præcepto Iudicis abſque ſemiplena probatione, & infamia delictum fateretor minor, reſtitui deberet aduersùs eam ſuam confeſſionem, per iniuſtitiam, & contra iuris ordinem exortam inquit Molina *tract.* 3. *diſp* 36. Vide & Menoch. *lib.* 2. *de arbitrar. caſu* 28. *num.* 3. Ferdinand. à Caſtro *diſp.* 1. *de inſt. punct.* 19. *§.* 3. *num.* 6.

Io matrimonij contractu non datur minori reſtitutio, quia cùm iure diuino vinculom illius ſit indiſſolubile, matrimonium ſemel validum, neque à Prætore, neque à Principe, vllâve mere humana authoritate, reſcindi poteſt, quod fieret ſi aduersùm eiuſmodi contractum concederetur reſtitotio; aliud verò dicendom eſt de quibuſdam matrimonij accidentibus, vt contractu dotali, aliiſque pactis quibuſdam, quæ ad matrimonij ſubſtantiam minimè ſpectant: nam aduersùs illa minorem reſtitui poſſe ſapienter concedunt Couarm. *lib.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 1. & 8. Molina *tract.* 2. *diſp.* 573. Ferdinand. Acaſtro *diſp.* 1. *de inſtit. punct.* 19. *§.* 3. *num.* 1. 4

Quæ eadem ratio demonſtrat non reſtitui minorem aduerſus profeſſiooem Religioſam, ſi valida fuit, ſolius ætatis beneficio, cùm ex ea ſtatus Religioſi ſuſceptione nulla illi contingat læſio. Vide Molin. *tract.* 2. *diſp.* 573. Rebell. 2. *parte lib.* 1. *q.* 8. *n.* 55. & alios.

Quintò minorem aduersùs permutationem, aut reſignationem beneficiorum ab ipſo inconſultè factam reſtitui poſſe Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 1. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 973. & alij concedunt, quia nulla eſt ratio propter quam hic caſus excipiatur à generali regula, quia non modò agitur de lucro ceſſante, ſed etiam de damno emergente, quod re etiam non integra reparari debet. Negant verò eam reſtitutionem, maximè ſi res integra non ſit, beneficio iā alteri collato, plures apud Couarr. *l. c.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9. *n.* 63. Ferdinand. Acaſtro *diſp.* 1. *citata, punct.* 19. *§.* 2. *n.* 20. quia eiuſmodi reſtitutio non eſt vſu recepta. Denique Layman. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *c.* 11. *n.* 2. permitti poſſe exiſtimat eam reſtitutionem, ſi beneficium nondum alteri collatom ſit, & ita poſtulet vtilitas Eccleſiæ. In Gallia verò eiurationes beneficiorum à minoribus ſine authoritate curatorum, vel parentum factas, oullas eſſe dixit Molinæ *ad cap. ſi annum, de iudic. in* 6. Benedictus *ad cap. Raynutius verſ. adiecta*, *n.* 62. *de teſtam.* Boër. *q.* 350. *n.* 5. & 6. Ioann. Selua *de benefic. q.* 4. Rebuff. *in praxi benefic. tit. ratione perſona & rei vitiatur reſignatio, in princip.* & *in addition. ad regul. cancellar.* 41. *§. etſi ex cauſa*, vbi citat. *c. vlt. §. ſi verè, de iudiciis in* 6. & *c. ex parte M. cum gloſſa verſ. declarat, de reſtit. ſpoliat.* atque hanc doctrinam, & praxim ſæpiùs ſuis decretis comprobauit Senatus. Duo inſignia refert Mornac. *ad l.* 7. *D.* 6

de

de minorib. alterum Turonibus an. 1593. 17. Ianuarij datum, alterum Pariſiis ſeptimo anno poſtquam Senatus Pariſios remigrauit. Addit & minorem in lite de beneficio, condemnari poſſe & in expẽſas & in carcerem eo nomine poſt quadrimeſtres inducias. Itáq; iudicatũ à Senatu an. 1607. 13. Octobris Præſide Antonio Seguerio. Denique filiumfamilias beneficiatium poſſe agere aduerſùs patrem fructuum perceptorum nomine, etſi ille filius abiecto beneficio iam duxerit vxorem, & aliquando ita pronuntiatum in quarta Inquiſitionum decuria.

§. IV.

De aliis perſonis quibus conceditur reſtitutio in integrum.

Eccleſia. 1.
Reſpublica & ſupremi Principes. 2.
Qui Reipublica cauſâ abſunt. 3. 4.
Aſſertores Iudicum. 5.
Milites. 6.
Domeſtici medici in militia exiſtentes. 7.
Abſentes iuſto metu mortis. 8.
In vinculis detenti. 9.
Liberi homines in ſeruitutem acti. 10.
Cuius ius ex neceſſaria abſentia læſum eſt. 11.
Qui agendi impotentia, vel impedimento laborant. 12.
Quomodo abſentia, de qua nuper, computanda ſit. 13.
Captiui ab hoſtibus. 14.

HVcuſque egimus de minoribus, nunc ad alias perſonas, etiam maiores, deueniendum, quibus aliquando conceditur eadem in integrum reſtitutio, quoad vitandum damnum, non verò lucrum acquirendum ex alterius pœna, vel damno, niſi quatenus lucrum ab alio factum, illi neceſſariò eripitur *l.* 18. *D. ex quib. cauſ. maior.*

1 In his in primis eſt Eccleſia per quadriennium à celebrato contractu, in quo læſa fuit. *cap.* 1. *de in integrum reſtitut.* & *cap.* 1. & 2. *eodem tit. in* 6. nomine verò Eccleſiæ intelliguntur hoſpitalia, & alia pia loca ad quæ extenduntur Eccleſiæ priuilegia. Læſioni porrò, quam Eccleſia in iure ſuo, rebuſque ſuis patitur, hoc beneficio reſtitutionis ſuccurritur, non autem ſi perſonæ Eccleſiaſticæ lædantur ſolùm in iis quæ ſibi ex Eccleſia, aut Eccleſiaſtica dignitate obueniunt: quare Capitulo ratione bonorum, & iurium, quæ illi toti conueniunt, in eóque perſeuerant, conceditur reſtitutio, non autem ratione eorum, quæ ſingulis obtingunt, vt quia malè elocauit ſua bona vnde minor ad ſingulos portio reddit. Sic etiam beneficiario agenti de iure beneficij, quatenus beneficium eſt, & talis Eccleſiæ læſio, ſuccurritur hoc remedio; non autem ſi agat de iure, quod habet in illud beneficium, aut de conductione redditnum facta viliori pretio, aliiſque eiuſmodi. Clericis quoque quoad bona patrimonialia non competit reſtitutio, titulo ſolius Clericatus, vt traditur *Clement.* 1. *de in integrum reſtitut.* nam priuilegia bonorum Eccleſiaſticorum non extenduntur ad patrimonia Clericorum, niſi in quibuſdam caſibus id fuerit expreſſum à iure, vt dixit Felinus *in cap. Eccleſia Sancta Maria n.* 10. *de conſtitution.* & Abbas *in cap. diligenti, de præſcription.* Et denique Gloſſa *in can. poſſeſſiones* 16. *q.* 4. ait res patrimoniales Clericorum eodem tempore vſucapi, quo res laicorum, neque illud patrimonium, quod datur Clerico ad ſuſcipiendos ſacros Ordines à reliquo patrimonio excipit Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 4. *num.* 4. cum Felino, Abbate, & aliis, quos allegat. Quoties Eccleſia læſa eſt in contractu, fraude, & dolo, aliaque grauis cauſa adeſt, conceditur illi reſtitutio, etiam vltra quadriennium ab inito contractu: ita Gloſſa *in cap.* 1. *de in integ. reſtitut. in* 6. Panorm. *in capit.* 1. *de in integrum reſtitut. n.* 2. Couarru. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *n.* 13. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 574. Lyman. *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 11. *circa fin.* Ferdinand. A caſtro *diſp.* 1. *de iuſtit. punct.* 19. §. 1. *num.* 14. qui omnes id concedunt quando fuit enormiſſima læſio; propter eam ſiquidem conceſſa fuit reſtitutio poſt quadriennium *cap. ad noſtram, de rebus Eccleſiæ non alienand.* vti fuſiùs habet Couarru. *cap.* 3. *citato, n.* 10. vbi etiam *n.* 13. contendit ob enormem læſionem, reſtitutionem concedi poſſe minoribus & Eccleſiæ, atque Reipublicæ poſt quadriennium: nunquam tamen auditum fuiſſe obſeruat Molina *diſp.* 574. *n.* 3. *citato*, minori poſt quadriennium à completa minori ætate conceſſam fuiſſe reſtitutionem, eóque duntaxat priuilegio gaudere Eccleſiam, quia maior qui toto illo quadriennio non reclamat, cenſetur ratum habere contractum in minori ætate factum: Eccleſia verò quia ſemper eſt in eodem ſtatu, ſemper minori comparatur: quare vbi ſuppetit iuſta cauſa, priuilegio reſtitutionis etiam vltra quadriẽnium gaudebit: quam rationem valere quoque in Republica aſſerit Molina. Cæterùm in Gallia actio, quæ competit ex *l.* 2. *C. de reſcind. vendition.* minoribus vtilis eſt intra decennium à venditione celebrata, & in iudicium deduci poteſt, quod obſeruat Molinæ. *in conſuetud. Pariſienſ. tit.* 1. §. 12. *num.* 47.

Secundò conceditur reſtitutio in integrum Reipublicæ, & ſupremis Principibus, quoad bona coronæ & Regni iuxta *leg. Reſpublica* 4. *C. quibus ex cauſis maior.* & *l.* 3. *C. de iure Reipublica.* Rationem reddit gloſſa in *l.* 4. quia ſicut minores ſunt ſub tutoribus, ita & Reſpublica ſub adminiſtratoribus. Nomine verò Reipublicæ ſapienter intelligit Molina *diſp.* 574. *n.* 4. non modò ſupremam, ſed etiam ciuitatẽ quamcũque, quæ Concilio, & Magiſtratu regitur circa bona communia, quod ex vſu quoque Gallico eſſe obſeruat Mornac. ad *eam l.* 4. idque in ſubſidiorum Curia paſſim ſeruari: quamquã Ordo ampliſſimus aliquando cauſas eas ad ſe tranſtulit, maximè vbi de Scabinis, aut aduerſùs Scabinos à Ciuitate agitur; ſunt enim illi velut *ἀςυναὶ* ciuitatum, & cuſtodes. Plura in eam rem Senatuſconſulta leges loco citato apud Mornac. hoc tamen priuilegium ne conceſſeris opificum, aliorúmve communibus cætibus, & ſocietatibus paſſim: nihilominus id ius tribuunt Vniuerſitatibus DD. cum Panormitan. *in cap.* 1. *D. de in integr. reſtitut.* 2

Quod verò dicebamus de ſupremis Principibus, qui minorum iure vtuntur, inſigne eſt quod narrat *ibid.* Mornac. cùm anno 1562. de promulgando edicto Ianuarij, quo fiebat cuique de Fide ſentiẽdi quod liberet facultas, & acerrimè Senatus illi reſiſteret, Carol. IX. tunc duodennis à quo inuito factiones, & arma hæreticorum edictum illud extorſerant, in frequentiſſimum Senatum venit, Ægidius

Burdinus

Burdinus eius procurator ſolus de Fiſcalibus Triũuiris ad genua illi procidit quaſi de edicti impetrã promulgatione peroraturus, ſed totam orationem tribus verbis abſoluit, & quaſi Princeps ipſe loqueretur, dixit: *Minor ego ſum, taceo:* & vt ferunt acta Curiæ. *Ie ſuis mineur ie ne dis mot.* Guido Papus *deciſion.* 302. narrat Carolum Regem minorem, & læſum, fuiſſe ſententialiter reſtitutum aduerſus remiſſionem quam fecerat Ludouico de Pictauia Comitatus Valentini, & Dienſis: nihilominus Ioann. Bodin. *lib.* 1. *de republ. cap.* 8. negat Principem vnquam reſtitui tanquam minorem, & perpetuò tanquam maiorem cenſeri, in eoque differre à Republica, quæ, vt diximus minor ſemper habetur, refertque Senatuſconſultum ann. 1419. quo Rex deiectus eſt à literis quibuſdam teſti utoriis. Chopin. *lib.* 3. *de doman. tit.* 9. *n.* 8. negat minori Regi etiam præſcriptioné impedimento, idque decretũ Pariſienſi Senatuſconſulto 4. Nonas Maias an. 1551. quia Rex Frãcus nullo tutore authore Rempublicam adminiſtrat, & ſuos habet actores publicos, ſiue procuratores, & alios, qui in Concilium Principis aſſumuntur. Secus verò in contractibus aduerſùs quos fuiſſe reſtitutum Galliæ Regem narrabamus ex Papo, ita ſi que etiam Boer. *deciſion. Burdigalenſ.* 265. Faber quoque *ad* §. *rurſus, Inſtit. de action.* exiſtimat ſi cum tanquam Rempublicam integri reſtitutione facile iuuari, & Alciat. *conſil.* 12. contra Cynum, & quoſdam alios: ratius tamen ſi eius ad contractum reſciſſionis reſtituitur ſpecie læſionis, remoto dolo, & fraude, quia decet Principem pactis ſtare ex fide, alioquin nulli cum illo contrahere vellent. De alienatione tamen bonorum Coronæ aduerſùs quam reſtitui poteſt Princeps, alibi dicemus.

3 Tertiò milites quo tempore militant, aliique, qui Reipublicæ cauſa abſunt, gaudent eo tempore priuilegio reſtitutionis *C. de reſtit. milit.* quæ etiam reſtitutio competit illius militis defuncti hæredibus intra annum vtilem, maxime filiis *l.* 1. *&* 2. *C. eod.*

Vxoribus quoque quæ cum maritis Reipublicæ cauſa abſunt, & peregrinantur, hoc beneficio reſtitutionis ſubuenitur, *leg.* 1. *C. de vxorib. milit.* has vxores interpretantur aliqui gregarias, & focarias, quæ milites maritos ſequebantur, vti videmus in Heluetianorum turmis. Olim quidem non licebat militibus vxores habere. illis tamen Claudius conceſſit ius maritorum teſte Dione *lib.* 60. fuerarque inſignis turpitudinis caſtra ſequi, & Pompeius vxorem in Leſbo reliquit, quod notat Seruius ab *lib.* 8. *Æneid.* Tac... *lib.* 1. *hiſtor.* narrat Caluiſij Sabini vxorem, cum militari habitu irruiſſet caſtrorum ſitum, in ipſis principiis ſtuprum auſam eſſe. Erant verò principia caſtrorum, ſancta, & ſacra, quia in iis Aquilæ, & ſigna, & Dij militares. Statius *lib.* 10. *Domumque ... erendam ſignorum.* Plutarch. quæ eſſent principia his verbis exprimit: *καὶ διέθηκεν ἐν τοῖς ἀρχαίοις ἃ πριγκίπια ῥωμαῖοι καλοῦσι.* Sed tandem ad demerendam militum gratiam Alexand. Seuer. Diocletian. & Maximiani iis vxoribus eadem quæ maritis militiæ iura indulſerunt, vt nimirum Reipublicæ causâ abeſſe nó minus dicerentur, quam ipſi mariti milites. Alij interpretantur has vxores militum, quæ in ſtatiuis, aut limitaneis arcibus maritos operiebantur. Alij vxores omnium qui Reipublicæ cauſâ abfuerant, v.g. Legatorum, Comitum, Conſiſtorianorum, omniúmque qui in ſacro comitatu, vel in prouincias iuſſu, mandatoque Regio exeunt. Ratio huius indulgentiæ eſt quia quibus officium publicum damno eſſe non debet *l.* 1. *D. ex quib. maior.* neque eorum vxoribus nocere oportet; ideoque *l.* 2. *C. de vxorib. milit.* ei quæ cum marito qui militiæ operam dabat diutiſſimè abfuit, non officit præſcriptio longi temporis, vt tamen fraudibus occurrant Imperatores, in illa conſtitutione decernunt, vt ſi talis mulier domũ ad ſe pertinere monſtrauerit, quia in eius abſentia vendita eſt, refuſo pretio, quod reuera ſolutum eſt, eandem recipiat. Refert Mornac. ad *citatum SC.* an. 1597. menſe Martio confirmatam fuiſſe mutuam donationem inter militem & vxorem factam, ſiue concubinam, quam per XV. an. continuam in expeditionibus bellicis comitem habuerat.

Vt verò paucis cauſam iſtam reſtitutionis in integrum, quæ non ſolis minoribus competit, abſoluam; dicendũ in primis eſt eos qui Reipublicæ cauſa abſunt, ſi quid interea aduerſus illos actum ſit, reſtitui oportere *leg.* 1. *D. ex quib. cauſ. maior.* & paſſim toto illo titulo, cuius edicti prætorij æquitatem iuſtiſſimam eſſe dixit Vlpian. *l.* 1. *citata.* Et ſane cùm qui Reipublicæ cauſa abeſt, id faciat quod iure, & ratione optimus quiſque facere tenetur, tãquam Reipublicæ non minus, quam ſibi natus *l.* 1. §. *generalis, D. de ventr. in poſſeſſion. mittend.* non debet inde damnum aliquod pati, & ſi quod patiatur, dignus eſt cui à Prætore ſuccurratur, ne officium publicum ipſi officiat *leg.* 29. *D. ex quib. cauſ. maior.* alioquin eo incommodo plerique deterrerentur à laboribus pro Republica ſuſcipiendis, quæ tamé priuatorũ vtilitatibus præferẽda omnino eſt.

Dices primò iſtum abſentem Reipublicæ causâ poſſe indemnem ſeruari à Republica, cuius mandato ea ſuſcepit negotia, ac proinde aduerſùs adminiſtratores Reipublicæ agere, vt ipſi ſatisfiat, nõ verò ſuam indemnitatem alterius periculo, & incommodo perſequi per reſtitutionem aduerſùs eũ, qui nihil dolo malo, aut mala fide fecit; alioquin præmium vnius, erit pœna alterius innocentis: v.g. quis rem abſentis pro Republica, bona fide, & legitimè vſucepit, ac proinde illius factus eſt pleno iure dominus, cur ipſi inuito ea auferretur contra iuris regulam *l. id quod noſtrum* 11. *de regul. iur.* & *l. ſi ego* 9. §. *ſi res, D. de iure dot.* ideóque & Prætoris beneficium captioſum erit, & liberalitas Principis iniurioſa.

Reſp. hoc edicto duntaxat agi, vt indemnitas ei præſtetur, qui alioquin iniquè moraretur in dãno, & lucrum eripiatur ei alteri, qui illud ex occaſione abſentiæ alienæ captauit, cui tamen abſentiæ fauor, & vtilitas Reipublicæ cauſam dedit, quódque non haberet ſi dominus rei, quæ vſucapta eſt, Reipublicæ cauſa non abfuiſſet, non poteſt verò hic pro ſua indemnitate aduerſus Rempublicam agere, tũ quia illa pro ſua authoritate potuit id illi impetrare, tum quia mandatarius nullam actionem mandati aduerſùs mandantem habet pro damnis, quæ extra cauſam mandati contigerint, quamuis nõ fuiſſent euẽtura, ſi mandatum minimè ſuſcepiſſet *l. inter cauſas* 26. §. *non omnia, D.* §. *mandati.* Itaque iſta quam Prætor concedit reſtitutio, non tam eſt hoc loco beneficium, quàm indemnitas, quam tamen plenam non præſtat; nõ enim impedit Prætor ne hic abſens rem ſuam, aut actionem amittat ipſo iure, ſed ſolùm poſt damnum acceptum, illi ſuccurrit per reſtitutionem in integrum, quæ tamen neque ſine lite, cuius euentus incertus erit, neque ſine magnis ſumptibus obtineri poterit.

Dices ſecundò potuiſſe iſtum antequam abeſſet conſtituere procuratorem in ciuitate, qui ſua gere-

ret negotia: quare ſua culpa patitur, ſi quid patitur, neque ex generali regola reſtituendus eſt, cui imputari poteſt damnum quod ſentit *l. quod quis* 203. *D. de regul. iur.*

Reſp. primò multa accidete potuiſſe propter quæ non licuerit illi procuratorem relinquere, aut propter quæ ignoſcendum eſt illi, ſi non reliquerit, *l. ab hoſtibus* 15. *D. ex quib. cauſ. maior* & *l. ſed etſi* 26. §. 1. *D. eod.* immò licèt reliquerit procuratorem, ei ſuccurreret Prætor *citata l. ſed & ſi, §. vlt.* vbi de eo qui pro ciuitate legatione functus eſt, & procuratorẽ reliquit. Neque repugnat *l. is qui* 39. *D. eod.* vbi Paulus negat eum qui Reipublicæ cauſa abfuturus, reliquit procuratorẽ à quo defenderetur, audiendum eſſe. Reſpondeo enim non eſſe quidem facile audiendum iſtum abſentem, cùm poſſit indẽnis ſeruari actione mandati aduersùs procuratorẽ, quoties tamen à procuratore indemnis ſernari non poteſt, ei omnino ſuccurrendum eſt: id autem variis ex cauſis contingere poterit: v.g. ſi procurator mortuus ſit, vel non idoneus deprehendatur, vel ſi non potuerit inueniri, qui mandata abſentis ſuſciperet.

Reſp. ſecundò, *leg. is qui*, non agere de reſtitutione danda præſenti contra abſentem, ſed de reſtitutione danda abſenti contra abſentem, quod ex ipſis verbis oſtendit Anton. Faber, quo caſu etiam inſpici debet, an abſens potuit defendi, v.g. contra abſentem Reipublicæ cauſâ datum fuit peremptorium edictum, quod ſine dubio nullius momenti fuit ſi abſens fuerit indefenſus *l. contra pupillum* 54. *D. de iudic.* nõ autem ſi vel defenſus fuit, vel defendi potuit per Procuratorẽ à ſe relictum, ſi aduersùs ſententiam tanquam nullius momenti, aut aduersùs rẽ iudicatam inſtar minoris, reſtitui velit, idque affirmat duntaxat *l. is qui.* Si verò reſtitui tantùm poſtulet, vt poſſet appellare, audiendus erit, licet procuratorẽ reliquerit per quem & defendi potuerit, & legitimè defenſus ſit: *l. vlt. D. de reſtitution. in integ.* vbi Macer Iuriſconſultus hoc diſcrimen inter minores XXV. annis, & abſentes Reipublicæ causâ conſtituit, quod minores licèt per tutores & curatores defenſi ſint, nihilominus in integrũ reſtituũtur *contra rem indicatã*: ſic enim lego cum Cuiacio, Goueano, & Antoniu Fabro, non vt habent vulgati Codices *contra Rempublicã.* Abſentes verò Reipublicæ causâ poſsũt duntaxat appellare, ſi per procuratores ſuos defenſi fuerint, & condemnati, neque alia ipſis eo caſu cõcedatur reſtitutio, cũ tamẽ minori qui à tutore, vel curatore defenſus eſt, & condemnatus, liceat ex integro cauſam agere; cuius inter minores, & iſtos abſentes diſcriminis ratio manifeſta videtur. Cùm enim reſtitutio omnia in priſtinum ſtatum reponat, id fit hoc caſu; nã abſens recuperat omnia in quibus fuit læſus, non fuit autẽ læſus in eo quod dederit procuratorem, aut quod non fuerit defenſus, ſed quod poſt condemnationẽ non appellarit, & labi paſſus fuerit tempus appellationi definitum, quod non feciſſet ſi præſens fuiſſet, idque vnũ tantùm tunc agere potuiſſet; non verò poſt condemnationem cauſam ex integro agere. Reſtitui igitur tantùm debet, vt poſſit appellare, nõ verò cauſam ex integro agere. At verò quia minor non eligit ſibi tutorem, vel curatorem, ſed eum accipit à Magiſtratu, etiam inuitus ad litem, ideóque pati non debet damnum ex alieno facto, quod ipſi nulla ratione imputari poteſt, æquiſſimè reſtituitur ad cauſam ex integro tractandam, quam vel per ſe vel procuratorem à ſe electum tractaſſet, ſi maior fuiſſet, eſtque multò æquius vt factum procuratoris noceat domino, quàm factum tutoris, aut curatoris minori. Si iſte abſens Reipublicæ causâ, non defendatur, Prætor non patietur bona eius vendi, donec abeſſe deſierit, ſed ſolùm vt poſſideantur, *l. ignorare* 4. *C. de reſtitution. milit. iuncta l. ſciendum* 18. & *l. ergo* 22. *D. ex quibus cauſis maior.*

4 Hæc porrò obſentia Reipublicæ causâ non debet eſſe affectata, & dolo captata *leg.* 4. *&* 5. *D. ex quib. cauſis maior.* Dolum malum interpretatur Calliſtrat. in *ea l.* 4. ſi cùm potuit reuerti, non reuerſus eſt, ſi alterius magni commodi captandi causâ id egit, vt Reipublicæ causâ abeſſet. Vlpian. autem in *leg.* 5. *citata.* qui vltro, & data opera abfuit, non vt Rempublicam iuuaret, ſed litis gratiâ, vel vt damnum aduerſario inferret, vel lucrum ei eriperet, vel reſtitutionis materiam, & cauſam ſibi pararet; hæc ſiquidem eſt doloſa machinatio quæ ſuo machinatori prodeſſe nõ debet *l.* 3. §. 1. *D. de minorib.* Denique idem Vlp. *in l.* 36. *D. ex quib. cauſ. maior.* eos ſolos Reipublicæ causâ abeſſe dixit, qui non ſui commodi causâ, ſed coacti abſunt, illud verò ab Vlpiano vſurpatum, *litis gratiâ*, nempe euitandæ interpretatur Petrus Faber *lib.* 1. *ſemeſtriũ c.* 20. eodemque ſenſu in iure, & ab Vlpiano alibi vſurpatum fuiſſe oſtendit, & à Græcis fluxiſſe, vt apud Demoſthenem *δίκης ἕνεκα ἀπεῖναι καὶ ἀποδημοῦντα*: quare malè ab aliquibus legi, dicis causâ, vti in multis aliis locis legendum omninò eſt: qua de re vide Anton. Auguſtin. *lib.* 2. *Æmend. cap.* 2. Victor. *lib.* 8. *variar. lection. cap.* 24. Cuiac. *lib.* 5. *obſeruat.* c. 43. Pythæum *lib.* 2. *aduerſ. c.* 8. nos vtramque expoſitionem amplexi ſumus, litis causâ ſiue inferendæ, ſiue vitandæ abſentiam non cenſeri Reipublicæ causâ factam. Hinc tamen arguas eos, qui publici negotij causâ abeſſe ambiunt, vt interea ſua ipſi negotia apud Principem, aut ſacrum comitatum alienis impenſis gerant: quare qui abeſt priuati ſui negotij causâ in legatione, non dicitur abeſſe Reipublicæ causâ *l. non verò* 42. *D. quib. ex cauſ. maior.*

5 Qui Romæ, aut alia in ciuitate Reipublicæ dant operam, vt Magiſtratus, non dicuntur abeſſe causâ Reipublicæ *leg.* 5. *&* 6. *D. quibus ex cauſ. mai.* quia tunc negotia Reipublicæ non ita illos occupant, vt de ſuis cogitare nequeant, & ſaltem per procuratorem ea tractare. Qui in prouincia ſunt, ſi vltra tẽpus à conſtitutionibus conceſſum adſident, non intelliguntur Reipublicæ causâ abeſſe, inquit Paul. *in l.* 37. *D. eod.* tempus autem quod ex conſtitutionibus adſeſſori conceditur, eſt quatuor menſium, *l. in conſiliariis* 10. *C. de adſeſſoribus*; quæ pœna proſcriptionis bonorum, & accuſationis publici criminis punit eos, qui in ſua Prouincia diutiùs adſidere præſumpſerint. Erant adſeſſores Iuriſprudentes, qui conſilio iuuarent iudicium, vel ſuis conſiliis Iudices iuuarent *l.* 7. *C. eod.* & *l.* 1. *C. Theod. de comitibus qui in luſtribus agentibus adſederunt*, Macar. hom. 5. *ὅταν γένηται ὁ ἄρχων λαμβάνει ἑαυτῷ βοηθὸν σύνεδρον.* Sanè Iudices nõ erant, nec libellis ſubſcribere poterant *l.* 2. *C. de adſeſſorib.* neque cauſas audire, aut iudicare abſente Magiſtratu *l.* 13. *&* *l. penult. C. eod.* habebantur tamen in iudicum partem apud Caſſiod. *lib.* 11. *l. omnis, C. Theodoſian. de iis qua adminiſtrantibus*, qui vniuſcuiuſque iudicio erant adſeſſores, chartis Iudicum ſua ſigna imponebant *leg. vlt. C. de adſeſſorib.* ideóque comites ſedendi ſcilicet, & participes, nempe conſiliariorum dicebantur, vel etiã conſiliarij, & cõſiliatores; ſic enim Fulgentius interpretatur *βουληφόρον ἄνδρα* conſiliatorẽ virũ. Hinc etiã adſeſſũ pro cõſilio dixit Propertius.

Turpior adſeſſu non erit illa meo.

Adſeſſorium erat liber, quo quæ ad ea conſilia

&

& iudicia pertinebant, explicabantur. Erant verò Iuris prudentes, quia tam ab illis, quàm à Iudice, & Magiſtratu, cui adſideant, prudentia iuris exigebatur, & imprudentia imputabatur adſeſſori, non Magiſtratui *l.2.D.quod quiſque iur.* Quare Cicero pro Plancio: *Pop. Roman. Magiſtratuum virtute,& innocentia contentus eſt, quotus enim quiſque diſertus, quotus quiſque iuris peritus eſt.* Iſtis igitur Iuriſprudentibus non licebat in ſua prouincia adſidère vltra quadrimeſtre ſub grauiſſimis pœnis, ne quid gratioſè, aut calumnioſè in ſuos admitterent: mirum igitur non erat ſi elapſo illo tempore ipſis præſcripto, non cenſeantur abeſſe Reipublicę causâ, qui propterea puniuntur, eo quod in illa abſentia crimen admiſerint, quæ eſt ratio Vlp. *in l.38. D. ex quib.cauſ. maior.* dum ait eum qui in ſua prouincia ſine permiſſu Principis adſidet, non abeſſe Reipublicæ cauſa; cum enim crimen admittat, non gaudet priuilegiis eorum, qui Reipublicæ causâ abſunt: ſecus verò ſi ſpeciali beneficio Principis adſideat per quatuor tantùm menſes, id eſt niſi ſuum beneficium Princeps prolixius eſſe voluerit: quare in vniuerſum pronuntiat Vlpian. *illa l.38.* vbi finitum eſt officium propter quod quis aberat Reipublicæ causâ, deſinere abeſſe Reipublicæ causâ; illi tamen dandum erit tempus ad reuertendum, quod lex præſcribit reuertentibus, nimirum ſingulos dies ad vicena paſſuum millia cõficienda ex *l.1.D.ſi quis cautiou.* & *l.3.D.de verbor. ſignificat.* quare ſi quò deflexerit rei ſuæ, & negotij causâ, tempus illud non ipſi proficiet, ſi tamen impeditus valetudine, aut hyeme, aut nauigationis difficultate, aliiſve eiuſmodi caſibus iter perſequi non potuit, *habebitur ratio humanitatis.* Denique monet Paul. in *l.44. D. eod.* non reſtitui abſentem Reipublicæ causâ in damno quod fuerat æquè paſſurus ſi Reipublicæ causâ non abfuiſſet, nam neque minoribus datur reſtitutio in iis, quæ fato accidunt *l.verum 11.§.ſciendum.D.de minorib.* quia tunc non inconſulta facilitate, aut ætatis lubrico læſus eſt, ſed maiori vi, & euentu, qui non potuit à maiore, eóque induſtrio præuideri, multóque minus impediri. Damnum igitur aduersùs quod reſtituitur abſens Reipublicæ causâ, ex ea abſentia prouenire debuit; & tunc etiam aduersùs eum qui Reipublicæ quoque causâ abfuit, reſtituetur *l.vlt.D.eod.* Neque dicas priuilegiatum non poſſe vti ſuo priuilegio aduersùs alium æquè priuilegiatum *l.verum 11. §. pen. D.de minorib.* Reſpondeo enim priuilegium de quo agimus non competere abſenti Reipublicæ causâ, quia abeſt, ſed quia per eam abſentiam læſus eſt *l. ſciendum 18. D. quib.ex cauſ.maior.* quare cùm ex duobus Reipublicæ causâ abſentibus, alter tantùm læſus eſt, ille ſolus priuilegiũ reſtitutionis habet etiã aduersùs alterum abſentem, ſed non priuilegiatum, eo quod ſua abſentiâ læſus non fuerit.

6 Diximus nuper milites gaudere hoc priuilegio, quia Reipublicæ causâ abſunt; quod verũ eſſe voluit Vlpian. in *l.7.D.ex quib.cauſ.maior.* etiam in iis qui Romæ militant; quia milites qui in caſtris agũt non dicuntur ibi domicilium habere, cùm parati ad omnẽ nutũ eſſe debeant aliò proficiſci, neque quiſquam ibi eſſe intelligitur, vbi ad tempus duntaxat, vel caſu reperitur, *leg. ſi fundus 44. leg. qui ſaltum 67. l.ſi chorus 79.§. 1. D. de legat.3.* Deinde iubentur milites non priuatis negotiis, ſed armis occupari *l.13.C.de locato*: quare milites omnes qui à ſignis ſine periculo diſcedere non poſſunt Reipublicæ causâ abeſſe intelliguntur ex Scæuola *leg. pen. D. eod.* Denique Gloſſa in *l.7 citatam* ſapienter ait officium militiæ remotum eſſe, immò & contrarium cauſis ac litibus, neque vacuum tempus aliis negotiis relinquere, atque hoc priuilegiũ extendit Mornac. ad cuſtodes corporis Principis, vt loquitur Liuius, & vt Martial. *lib.6.epigr. ſacri lateris cuſtodes*; Herodian. *lib. 28.* φυλακτῆρας τῆς βασιλείου αὐλῆς δορυφόρους σωματοφύλακας, καὶ πραιτωριανούς, quòd & Prætorium ſeruarent, & latus Principis legerent: *in Cod. Theodoſ.* & *Iuſtinian.* domeſtici protectores dicuntur, eſtque de iis titul. in vtroque Cod. quamquam inter domeſticos, & protectores videretur eſſe aliqua differentia, nam *l.6.C.Theod.* priuilegium domeſticorum ad protectores extendi iubet; *l.8.* ait domeſticos vt indicio nominis apparet, familiariùs militare; nimirum quia domi & in Aula militabant, & domeſtici protectores dicebantur: vide Suidam *verb.* Δομεστικοί. Socrat. *lib.1.c.13.* Zonar. *in Diocletian.* Caſſidor. *lib.1.variar.ep. qui noſtra aula videntur iugiter excubare.* Protectores verò perpetuò erant in acie, & armis; de his enim ſic habet *l.9.C.Theodoſ. Deuotiſſimos protectores qui armatam militiam ſubeuntes non ſolùm defendendi corporis ſui, verùm etiam protegendi lateris noſtri ſollicitudinem patiuntur, vnde etiam protectorum nomen ſortiti ſunt, inglorios eſſe non patimur*, ideoque honorem eundem cum domeſticis illis communicat; licebat vtriſque ſacrã purpuram adorare, vnde illud Caſſiodori in formulis: *Inter protectores, & domeſticos ſacram pupuram adoraturus accedat.* Nos iſtos nominamus, *Gardes du corps du Roy, le Regimen des Gardes*: quibus omnibus licèt non abſint ab Aula, aut Prætorio, priuilegium militum conuenit, vt cẽſeantur Reipublicæ causâ abeſſe, quibus & inngẽdi ſunt, qui in arcibus limitaneis excubant: *Mortes payes, garniſons*: non enim domeſticis ſui negotiis tunc vacare poſſunt. Qua etiam de cauſa inquilini caſtrorum à tutelis excuſantur *l. non tantùm, in fine, D.de excuſat. tutor.* Hinc quoque Conſiliarios Curiarum haberi pro præſentibus in Eccleſiis, in quibus obtinent beneficia, demonſtrat Boër. *q.17.* quẽ adi, & denique Mornac. *ad l.7.D.ex quib. cauſ.maior.* refert Senatuſconſulta quibus Decuriones vrbicæ militiæ Pariſ. à tutela excuſantur.

Horum porrò quæ de militibus vel Romæ, vel in caſtris exiſtentibus, ita vt à ſignis ſine periculo diſcedere non poſſint, diximus, nempe eos tanquam Reipublicæ causâ abſentes cenſeri; ratio eſt quia non tantum militat, qui cum hoſte pugnat, ſed etiã qui ſacramẽto ita obſtrictus eſt militiæ, vt ſine pœna defectoris, quæ capitis eſſe ſolet, ſigna nequeat relinquere; eodem igitur priuilegio gaudere ipſũ oportet. Quod idem dico de iis, qui ad milites ducendos, reducendos, aut legendos Reipublicę causâ dicuntur abeſſe *l.35.D.ex quib. cauſ. maior.* quia iſti omnes non militibus tantùm, ſed ipſimet Reipublicæ operam impendunt. Idem tribuit Mornac. tributariis illis iudicibus, quos Electos vocant, cùm mittuntur à Prouincialibus, vt foſſores militares ducant ad exercitum, & vrbes, arceſque quas obſideri neceſſe eſt.

Milites qui commeatu accepto domi ſuæ reſident noc abeſſe videntur Reipublicæ causâ *l.35.D.eod.* ſecus verò quamdiu domum vadunt aut redeunt cum eo commeatu *l. ſequenti 35. §. vlt.* quia is miles qui domi reſidet, nullam impendit Reipublicæ operam, quod ſecus contingit in eo, qui cum commeatu redit, cùm militaturo, & volenti militare eundum & redundum in caſtra ſit, & cui datus eſt ex cauſa domum eundi commeatus, neceſſe eſt redire in caſtra, vt militare poſſit.

poſſit. Iterum hac occaſione quærit Mornac. *ad* §. *vlt. l.* 35. *citata* de Cantoribus oratorij Regij, qui in Eccleſiis collegiatis præbendas obtinent, an præſentes haberi debeant, & non habendos eſſe, niſi dum Oratorio deſeruiunt per trimeſtre, aut ſemeſtre, & quanto tempore opus eſt ad profectionem & reditum, cenſuit ſæpiùs Senatus, cuius varia decreta ibidem refert Mornac. Redeo ad militem Reipublicæ operam dantem, cui ſi quæ eo tempore detur accuſatio, toto eo tempore non perimetur *leg.*40. *D. ex quib. cauſ. maior.* hoc tamen priuilegium militibus noſtris à veteri illa Romana militia plurimùm diſſidentibus, non competere mouet Mornac. præſcriptioni aut tempori ad accuſandum definito non eſſe ſubducendos annos, quibus actor in ſtatione, & caſtris manſiſſet ex Senatuſconſulto an. 1598. 18. Decemb. quod ibidem adducit.

7 Porrò non modò milites de quibus hactenus, ſed & militum Medici hoc priuilegio reſtituuntur, gerunt enim officium quod publico prodeſt *l.* 33. §. 2. *D. eod.* deputati vocabantur apud Leonem Imperat. *lib.* 2. *de bellico apparatu, c.* 3. *&* 11. nos dicimus *les medecins des bandes.* Id ipſum conſtituit Antoninus in *l.* 1. *C. de profeſſorib. & med. Cùm te medicũ legionis ſecũdæ adiutricis eſſe dicas, munera ciuila quãdiu Reipublicæ cauſâ abfueris ſuſcipere non cogeris.* Ex quibus vides eiuſmodi Medicos Reipublicæ cauſâ abeſſe cenſeri, quod non modò intellexerim de Medicis, qui vel deſtinatò ad legiones mittebantur *l. vlt. D. de munerib.* vel de Medicis in tabulas Medicorum relatis, quibus ſummus honor habitus, & ius ciuitatis datum fuit à Iulio Cæſare apud Suetonium *c.* 42. Auguſtus verò in gratiam ſui liberti à quo fuerat valetudini reſtitutus, immunitatẽ munerum teſte Dione *lib.* 53. quod deinde Veſpaſian. Adrian. & Antoninus confirmarunt, vt colliges *ex l. vlt. D. de munerib.* ideóque ne eo prætextu quiſpiam munera effugeret, placuit deinde numerum Medicorum definire *l.* 7. *D. de excuſat. tutor.* & *l.* 1. *D. de decret. ab ordine.* Dico igitur non modò cenſeri abeſſe reipublicæ cauſâ, ſi quis ex illo ordine Medicorum ad legiones, & vnà cum illis proficiſceretur, ſed etiam parabolanos, vti nominat *l.* 18. *C. de Epiſcop.* erant verò illi, vti Cuiacius & Turnebus interpretantur, temerarij quidam Medici, qui ſpretis quibuſcumque periculis, & contagione luis, ſeſe deuouebant curandis ægrotis; eſt enim *παράβολος* ex Turnebo *lib.* 13. *c.* 23. homo proiectæ audaciæ, & ad obeunda pericula præceps, & temerarius: quare Chryſ. *in cap.* 3. *ad Epheſ. hom.* 6. ſcribit Paulũ attuliſſe in Euangelizando *παραβουλίας ζωὴν καὶ παράβολον.* & *c.* 2. *ep. ad Philipp.* verbum *παραβολευσάμενος* reddit vetuſtiſſimus interpres *parabolatus animam ſuam.* Hi igitur parabolani Medici, qui ſeipſos magna audaciâ legionum miniſterio deuouent, quamuis in album Medicorum relati nõ fuerint, abeſſe tamen Reipublicæ cauſâ cenſeri debent. Eiuſmodi parabolanus chirurgus, quòd in Syluanectenſi obſidione milites Regios, ac ciues inſigni opera iuuiſſet, obtinuit à Senatu vt Chirurgiã citra vllũ aliud examẽ in ſuburbiis Pariſienſibus, & Reginæ noſcomio exercere poſſet; an. 1604. 3. Decemb. quod Senatuſconſultum refert Mornac. ad *l.* 33. §. *vlt. D. ex quib. cauſ. maior.*

8 Cæteras perſonas quæ Reipublicæ cauſa abſunt, ideoque reſtitui poſſunt in integrũ ſi ratione illius abſentiæ læſi ſunt, recenſet Paul *in l.* 35. *D. ex quib. cauſ. maior.* de quibus ſingulis longioris fuerit operæ diſputare; obſerua tamen inter eos fiſci patronũ numerari atque ita intelligendũ eſſe Modeſtinum in *l.* 33. inter eos qui generali clauſula iuuantur fiſci patronum numerari; non intelligit de generali clauſula *ſi qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur*, vti vulgus interpretum cenſet, ſed de ea quæ omnibus in vniuerſum Reipublicæ cauſâ abſentibus ſuccurrit: illa nempe comprehendi fiſci patronum, vt qui ſæpius Reipublicæ causâ abſit. De priuilegiis autem patronorum hodiernorum fiſci, & eximia illorum dignitate hîc obſeruat aliqua non contemnenda Mornac.

Qui verò in prouinciis præſidum acta notis excipiebant, non dicebantur abeſſe Reipublicæ cauſâ *l.* 33. *citata* §. 1. deligebantur enim à Præſide, & eorum erat officium priuatum, & vile: ſic hodie licet Senatoribus cũ in prouincias ad Curiæ placita executioni mandanda mittuntur, ſuis amanuenſibus vti, reiecta prouincialium actuariorum opera, ex conſtitutione Bleſenſi art. 56. non tamẽ vbi de crimine agitur, tunc enim neceſſaria eſt actuariorum cuiuſque tribunalis manus, inquit Mornac.

9 Præter hanc verò Reipublicæ cauſâ abſentiam, fuerunt & aliæ cauſæ, propter quas ipſi quoque maiores læſi in integrum reſtituebantur quæ enumerantur toto illo *D. ex quibus cauſ. maior.* quæ tamen tandem eò referuntur, quod propter illã cauſam, qua cogebantur, etſi non vt publicæ rei nauarent operam, non potuerunt agere, & ſuis rebus proſpicere, cujuſmodi eſt in primis abſentia ex iuſto metu mortis, aut cruciatus corporis *l.* 2. *&* 3. Iudicis tamen fuerit diſquirere an temerarius fuerit ille error, an legitimus: v.g. an minæ intentatæ tales fuerint, quæ cor prudentis conterrent, vt loquitur Salomon *Prouerb. c.* 17. an verò luſoriæ tantùm, vt vocat *l.* 4. *D. ſi cui per leg. Falcid.* Periculoſum verò eſſe monet Boër. *q.* 166. ex ſola minarum præcedentium ſpecie iudicare, ſed de his aliàs.

Secundò qui in vinculis eſt, & carcere detentus ſiue publica authoritate, ſiue à latronibus, & prædantibus, vel potentiore vi oppreſſus, vel à *militibus*, ſtatoribuſque, & municipalibus *miniſtris* adſeruatur, ſi probetur non potuiſſe ſupereſſe rei ſuæ, dignus eſt qui reſtituatur. In vinculis quoque intelligitur, qui ita alligatus eſt, vt ſine dedecore apparere in publico non poſſit *leg.* 9. *&* 10. *D. eod.* Horum omnium ratio eſt; quia ſiue nocens, ſiue innocens, quod interdum contingit, fuerit, qui publica cuſtodia & carcere detinetur, cùm toto eo temporo nullam habuerit agendi, & adeundi Prætorem facultatem, ſi intereà aliquid bonorum ſuorum amiſerit, non debet carere opportuno auxilio, neque ipſi deneganda eſt reſtitutio *leg. Papinianus* 20. *D. de minorib. l. iure ſuccurſum* 6. *D. de iure dotium.*

10 Tertiò ſeruitus hominis liberi, quæ eum agere, & experiri non ſinit, dat cauſam reſtitutioni *l.* 11. *D. ex quib. cauſis maior.* Si tamen de ſuo ſtatu litigat, & iam lis inchoata eſt, non iuuabitur hoc edicto, ſed ſolùm ſi lis nondum cœpta ſit, quia tunc videtur adhuc eſſe in ſeruitute *l.* 12. *D. eod.* cũ enim ordinata liberali cauſâ liberi loco habeatur is, qui de ſuo ſtatu litigat, vt aduerſùs omnes, ipsúmque dominũ experiri poſſit *l. ſi ordinata* 24. *D. de lib. cauſa, l. lite ordinata, C. eod.* nõ indiget auxilio Prætoris, cũ habeat facultatẽ experiẽdi quaſcũque actiones, ex euentu tamen iudicij liberalis conſtabit an eius actio fuerit vtilis, an nõ: ſeruus qui liber, & inſtitutus fuit, non continetur edicto Prætoris de reſtitutione; inquit Labeo, ex eóque Paul. in *l.* 13. *D. ex quib. cauſ.* quia Prætor de liberis ſolùm hominibus,

iiſque

iiſque qui aliqua bona haberent, loquitur. Atqui ſeruus cum libertate hæres inſtitutus, neque libertatem, neque vlla bona habet antequam ſit hæres. Non eſt verò ſemper poſt mortis teſtatorem ipſo iure, & neceſſarius hæres, cùm poſſint multa interuenire, quæ id impediant, vt ſi inſtitutus ſit ſub aliqua conditione, ſiue clauſula, ſiue poteſtatiua, ſiue mixta: ſi fuerit inſtitutus ſub conditione *ſi volet*, tunc enim ex neceſſario fit voluntarius, *leg. verba hac* 12. *D. de condit. inſtitut.* Si fuerit inſtitutus ab eo, qui non erat ſoluendo, qui & ipſi ſubſtituit hominem liberum, aut cum cui teſtator libertatem debebat ex cauſa fideicommiſſi, in iſtis enim caſibus, cùm teſtamentum incipiat a ſecundo gradu, non poteſt eſſe ſtatim hæres is, qui primo loco ſcriptus fuit *l. ſi is qui* 17. *D. de hæredib. inſtituend.*

Quoties neceſſariò abſentis ius ex eo læſum eſt, iuuari debet hoc remedio a Prætore *leg.* 26. *§. vlt. D. ex quib. cauſ. maior.* vbi Vlpian. hanc vniuerſalem Regulam tradit. *Quœcumque quis ex neceſſitate, non ex voluntate abfuit, dici oportet ei ſuccurrendum.* Itaque neceſſaria abſentia ſiue ex probabili, ſiue ex improbabili cauſa, verbi gratia ex delicto proficiſcatur, materia erit reſtitutionis, modò illi abſenti imputari non poſſit, quod non reliquerit procuratorem, *eadem l. §.* 1. quia licèt eiuſmodi reo abſenti imputari poſſit, quod deliquerit, vbi tamen deliquit, & condemnatus eſt, imputari ei non debet quod abſit. Idcircò delictum nihil commune habet cũ æquitate reſtitutionis *l. Papinianus* 20. *D. de minorib.* ſic meretrix turpiter quidem facit, quod ſit meretrix, turpiter tamen non accipit cum ſit meretrix *leg. 4. §. ſed quod meretrici, D. de condic. ob turp. cauſ.* Huius porrò vniuerſalis ratio regulæ a priori mihi eſſe videtur, quia cùm vnum hoc inquirat Prætor, an qui petit reſtitutionem, aliquid amiſerit, & an ei aliquid imputari poſſit, quoties videt nihil ei poſſe imputari, vt in abſentia neceſſaria, & tamen manſurum in damno, ſi non ei ſuccurratur, iure merito reſtitutionem indulget, neque iniuriam facit aduerſario, cui per eiuſmodi reſtitutionem lucrum tantùm eripitur, quod non haberet ſi actor non fuiſſet per abſentiam neceſſariam impeditus.

Hinc fit vt ſi eius, qui ſub fideiuſſorum datione abeſt, ius læſum ſit, reſtitui debeat *leg. nec non* 28. §. 1. *D. ex quib. cauſ. maior.* quia qui promiſit ſe non receſſurum, datis etiam in rem vadibus & fideiuſſoribus, non poteſt honeſtè, & citra perfidiam recedere, id autem dicitur non poſſe facere, quod honeſtè facere non licet *l. filius* 15. *D. de condic. inſtit. leg. in eodem* 10. *D. ex quib. cauſ. maior.*

Secundò relegato in inſulam ſuccurrendum eſt *ex l. 2. & 6. §. 1. D eod.* quia ille ita abſens eſt vt non modo in ciuitate eſſe non poſſit ſine dedecore, quod ſufficeret *ex leg. in eodem* 10. *D. eodem*, ſed etiam ſine metu grauioris pœnæ, *l. relegati* 4. *D. de pœn.* Contra eum igitur agi non poteſt, nequidem tanquam contra contumacem *leg. contra pupillum* 54. *D. de re iudic.* contumax enim dici nequit, qui licèt maximè velit, adeſſe non poteſt ſiue iure, ſiue facto aliquo impediatur. Reſtitutio igitur indulgeri illi debet, etſi enim indignus videatur, cui ſubueniatur, quia procuratorem in ciuitate relinquere potuit *l. Papinianus* 10. *D. de minorib.* & *l. 15. §. qui Republica* 39. *D. ex quib. cauſ. maior.* ex cauſa tamen ipſi ſuccurrendum dixit Vlpian. *citata l.* 26. §. 1. nimirum ex æquitate abſentiæ neceſſariæ *l. Papinianus* 20. *D. de minorib.* vbi ait exuli reuerſo non debere prorogari tempus ad in integrum reſtitutionem conſtitutum, eo quod abfuit, cum potuerit adire Prætorem per procuratorem, quem relinquere potuit: ei igitur ſi quid paſſus eſt imputatur, ex cauſa tamen ei ſuccurri poſſe non negatur; quia ſæpiùs procuratorem ad agendum, aut defendendum relinquere non potuit, vti diximus alias. Contra relegatum tamen, vti & contra alium abſentem, concedi poſſe reſtitutionem conſtat ex illa *leg. 26. §. 1. D. ex quib cauſ. maior.*

Tertiò ad hanc cauſam abſentiæ neceſſariæ, quæ impedit ne actor poſſit agere, refero aliam omnem ex qua ſimilis agendi impotentia, vel impedimentum proficiſcitur: v. g. quia aduerſarium inuitum ſine fraude, & impune non licet more maiorum in ius vocare, aut ſine facultate Prætoris, qui id prohibuit, vel quia per Magiſtratus, ſiue dolo malo actoris actio exempta eſt, & per gratiam aut ſordes ius non dixit Magiſtratus, reſtitutio erit concedenda, quia non ſtetit per actorem agere, & æquè impeditus eſt atque ſi neceſſariò abſens fuiſſet *l. 26. citata, §.* 2. Si tamen Prætor cauſa cognita denegauit actionem, non erit locus reſtitutioni *§. eodem*, quia ſi iniuſte id fecit Prætor, poterit actor aduerſus illam iniuriam ſibi conſulere per remedium commune appellationis; quare non indigebit reſtitutione, quia nunquam maiores reſtituuntur aduerſùs rem iudicatã, niſi vt poſſint appellare, *l. vlt. D. de reſtitut. in integ. iuncta l. 4. §. falſus procurator, D. rẽ ratam hab.* Quod ſi Prætor nõ denegauit quidem actionem, ſed duntaxat diſtulit, non licet aduerſus illam iniuriam appellare, neque enim in vſu fuiſſe illud appellationis genus, hodie frequẽtiſſimum *à denegata iuſtitia*, notat Anton. Faber *ad citatum §.* 2. vnde concludit neceſſarium eſſe auxilium reſtitutionis, etiam cum Prætor actionem diſtulit, ne alioquin maneat in damno, cùm neque appellando, neque vlla alia ratione ſuæ indemnitati proſpicere valeat. Requiritur tamen vt hæc actio exempta ſit ſine vllo actoris ipſius dolo: quare ſi diutiùs ſponte diſtulit, & deſiit poſſe agere, aut dum mauult apud ſequentem Prætorem agere, tempore fruſtratus eſt, aut decreto temporis non obtemperauit, non dabitur reſtitutio *§. 3. l.* 26. *citata.*

Eadem de cauſa quoties feriæ extraordinariæ indictæ fuerint, ac proinde nõ licuerit agere, reſtitutionem Caſſius Prætor edicebat *§. 6. l. 2. D. ex quib. cauſ. maior.* Et ſanè cum ſui copiam tunc non faciat Prætor, imputari nequit actori quod non egerit, alia verò ratio ſolemnium feriarum eſt, cùm enim illæ ſtatæ ſint, & certis diebus præſcriptæ, imputari poterit actori, cur non diligentior fuerit in agendo, ne in eas ferias incideret, quas proſpicere potuit, & debuit, quod non contingit in aliis, ſunt enim *repentinæ*, vti appellantur *l. 3. C. de dilat.* Eas Harpocratio ex Iſocrate in Areopagitico ait vocatas eſſe à Græcis ἐπιθέτους ἑορτάς, quòd non ſolitæ, ſed extra ordinem indictæ à Magiſtratibus; μὴ πάτριοι ἀλλ' ἐκ ψηφίσματος ἐπιψηφισθεῖσαι. Fit verò reſtitutio illorum duntaxat dierum, quos tenuerunt feriæ illæ repentinæ, non reliqui totius temporis, ne alioquin Prætor negligentibus, qui tẽpus elabi permiſerunt, opẽ velle ferre videatur; hocque in Gallia iure vtimur, licèt enim Tiraquell. *de retractu gentilitio à num. 78. ad* 82. videatur ſentire non eſſe detrahendum de curſu præſcriptionis ſubitaneum feriarum tempus, Senatus tamen aliter decreuit an. 1587. 14. Ianuar. Voluitque recidi tempus 13

quo decretis ab Epiſcopo publicis ſupplicationibus, operarum remiſſio data eſt per vniuerſam vrbem, vt ad eliciendos imbres Diuæ Genouefæ ferculum magna omnium ordinum pompa circumferretur, ſacratiori ſanè ritu quam illo ſuperſtitioſo quem vſurpabant in ſimili cauſa Ethnici, quos ridet Tertulian. *lib de ieiuniis aduerſus Phychicos, cap.* 16. Vide & Turneb. *lib.* 19. *c.* 24. *de lapidibus manalibus*: de hac quæſtione, & Senatus decreto fusè diſputat Annæus Robertus *lib.* 4. *rerum iudicat. c.* 15. idémque decretum retulit Molinæ. *ad conſuetudin. Pictanienſ. art.* 322. an. 1612. Aprili menſe, cum Lutetiæ indictæ fuiſſent feriæ toto triduo ob pactas nuptias inter Ludouicum XIII. & Annam Auſtriacam Philippi Hiſpani filiam; triduanæ illius celebritatis ratio habita eſt in Subſidiorum Curia, iudicatumque detrahendum eſſe triduarium illud iuſtitum ex octiduo, quod excluſionibus contumacium præfinitum eſt.

Præterea ad hanc abſentiam neceſſariam refert quoque Vlpian. *in l.* 26. *§. vlt. D. ex quib. cauſ. maior.* eam, qua aliquis ex prouincia euocatus eſt in vrbem, vel ad Principem. Primò teſtimonij dicendi causâ, quia nempe licèt ille non abſit Reipublicæ causâ, habet tamen neceſſariam ſuæ abſentiæ cauſam, cum Iudici parere debuerit, neque vllus dixerit æquum eſſe, vt teſti officium damnoſum exiſtat *l. ſed etſi quis* 7. *D. teſtam. quemadm. aperiantur*: tamque æquum eſt officium ſuum priuatum, quale eſt teſtimonium, quàm publicum nemini damnoſum eſſe, vt dicitur citata *l. ſed etſi quis*, & *leg. ſi quis*, & *l. ſi ſeruus* 61. *§. quod verò. D. de furtis, & alibi.* Secundò his qui peregrinati ſunt vel ad Principem cognationis gratiâ, vel ad Magiſtratum appellationis introducendæ, vel perſequendæ causâ, ſubuenitur, quia ea omnia ex neceſſitate fiunt, ideóque illa abſentia neceſſaria fuit.

Quando verò abſentia voluntaria duntaxat eſt, quia ſponte ſuſcepta, inquirendum erit Prætori, an illa probabilis, & laudabilis ſit, vt poſſit cum æquitate reſtituere; v.g. ſi ſtudiorũ causâ abfuit, intereaque deceſſerit eius procurator; quia non debet per iuſtiſſimam abſentiæ cauſam decipi. Ita Vlp. *in l. nec non* 28. *D. ex quibus cauſ. maior.* Ex quibus vides abſentiam ſtudiorum causâ fauorabilem eſſe, quod etiam habetur *l. quæſitum* 76. *in princ. D. de legat.* 3. & *l. Seia* 20. *§. Pamphilo, D. de inſtructo, &c.* & Nouella Friderici *C. ne filius pro patre.* Deficit tamen in multis caſibus hoc ſtudiorum priuilegium, & fauor. Primò ſi de patronatu, & ſuperioritate feudali contentio ſit, non poterit euocare abſens ſcholaſticus ad conſeruatorem Regium, vt admittatur in fidem regiam conſignando iure clientelari debito: *Eſtre receu par main ſouueraine en conſignant*: quia petitio illa, & oblatio iuriũ, reales ſunt, & priuilegia fori non conceduntur cauſis realibus. Ita Molinæ. *ad conſuetud. Pariſ. §.* 42. *n.* 24. & 25. Secundò ceſſat hic fauor in ceſſione bonorũ, quam nõ poſſe fieri ab ſtudioſo extero cenſuit Senatus an. 1608. 30. Iulij, cuius decreti ęquitatẽ demonſtrat Mornac. *ad citatam l. nec non.* Tertiò in iure peregrinitatis ceſſat hic fauor ſtudiorum, quia illi iuri etiam ſtudioſi exteri ſubiacent in Gallia; vide Bacquet. *de iure Albinatus, ſiue du droict d'Aubaine, part.* 1. *cap.* 13.

13 Quæſtio verò non leuis exiſtit, quomodo illa abſentia Reipublicæ causâ, & alia quæ cauſam dat reſtitutioni in integrum, computanda ſit. Primò quidem ſi quis ſæpiùs Reipublicæ causâ abfuit ex nouiſſimo reditu tempus reſtitutionis ei computandum Labeo putat, & ex illo Vlpian. *in l.* 28. *§.* 3. *D. ex quibus cauſis maior.* quod intelligendum eſt de tempore intra quod poſt reuerſionem petenda eſt reſtitutio, non autem de tempore quod reſtituendum eſt reuerſo; quia tempus præſentiæ quæ medio tempore plurium abſentiarum fuit, currit efficaciter, neque reſtitui poteſt ſubducto duntaxat modico illo interuallo, quod abſentiæ computatur, verum ſiquidem eſt toto eo tempore præſentiæ, neque abſentem, neque læſum fuiſſe eum, qui ſæpiùs interruptis vicibus Reipublicæ causâ abfuit: tempus tamen intra quod petenda eſt reſtitutio non poteſt currere niſi à nouiſſimo reditu, quia nouiſſima quoque abſentia damnum attulit, aduersùs quod nequit peti reſtitutio, antequam ex illa abſentia emerſiſſet: *l. Pannonius* 86. *D. de acquir. hered.* Neque obſtat quod abſens iam læſus fuerat per priores abſentias, ſola ſiquidem nouiſſima inſpicienda eſt, aliquin tot neceſſariæ forent reſtitutiones, quod fuerunt abſentiæ, & læſiones, quod nemo dixerit, cùm vna tantùm res amiſſa ſit, ſiue fuerit actio, ſiue fundus vſucaptus, quæ res proinde per vnicam reſtitutionem peti poteſt.

Secundò ſi omnes abſentiæ annum colligant, & ſingulæ minus anno, dandum vnum annum exiſtimat Vlpianus *citato §.* 3. hoc eſt annum dandum eſſe, non ad petendam reſtitutionem, ſed ad actionem, quæ amiſſa fuerat, exercendam poſt impetratam reſtitutionem, vti explicat Anton. Faber, qui iure ſuſpicatur poſtrema *illius §. verba* Triboniani eſſe, non Vlpiani.

Tertiò qui in prouincia quidem domicilium habet, eſt tamen in vrbe, ſiue Romæ, non poterit cauſari ſe extra patriam conueniri, ſi Romæ conueniatur, niſi cùm habet ius domum reuocandi, quia ſicut Roma cuiuſque Ciuis Romani communis patria eſt, ita & domus cuiuſque eſt, quare non reſtituetur is qui cùm poſſet Romæ aduerſarium conuenire, litémque cum eo conteſtari, maluit differre actionem, eamque interim amiſit *l.* 28. *§.* 4. *D. ex quib. cauſ. maior.*

Quartò ei qui Reipublicæ causâ, aut ex alia probabili cauſa abfuit, non modo reſtituenda erit actio, vti ferunt verba edicti Prætoris, ſed etiam danda exceptio, & quidem perpetua *l. cit.* 28. *§.* 5. eam ſiquidem extenſionem, atque interpretationem commodiſſimè ferunt verba edicti; quia cùm damus actionem, multò magis damus exceptionem *l.* 3. *§. pupillus. D. de negotiis geſtis, l.* 1. *§. ſi autem, D. de ſuperfic. l. inuitus* 156. *§.* 1. *D. de regul. iur. l. Papinianus* 8. *§. ſi filius, D. de inoffic. teſtam.* Si igitur Caius abfuit Reipublicæ causâ, & reuerſus nactus eſt poſſeſſionem rei durante abſentia ſua vſucaptæ, danda illi erit exceptio. Et ſanè ille actione non indiget, cùm ſit poſſeſſor *§.* 1. *Inſt. de action.* neque cogendus eſt dimittere poſſeſſionem ſuam, vt agere poſſit. Non indiget quoque reſtitutione, cùm iam poſſeſſionem ſuam recuperauit, vt ex eo tempore, ſi poſtea eius rei poſſeſſionem amiſerit, habeat actionem perpetuam, & non temporalem *leg. ſi is cuius* 31. *D. ex quibus cauſ. maior.* quam tamen non poſſet habere niſi temporalem ſi indigeret adhuc reſtitutione.

Quintò legatarius cui propter abſentiam Reipublicæ causâ ſuccurſum eſt per reſtitutionem, vt legatum caperet, præſtare cogetur fideicommiſſum, ſi quo fuit grauatus. *leg. eta Iulianus* 41. *D. ex quib cauſ. maior*, v. g. Caius legauit Titio *ſi mortis ſuæ tempore in Italia eſſet, aut in annos ſingulos, quod in Italia eſſet*: ille tamen, quia Reipublicæ

causâ

cauſâ aberat decedente Caio, excluſus fuit à legato, ei tamen ſuccurrit Prætor per reſtitutionem ad petendum legatum. Si tamen Titius de eo legato reſtituendo rogatus ſit, illum eo onere non eximit Prætor; itaque ad fideicommiſſum præſtandum cogetur. Ratio euidens eſt, quia reſtitutio omnia quidem in priori ſtatu reponit, non facit tamen meliorem conditionem eius, qui reſtituitur, quàm fuiſſet, ſi non eguiſſet reſtitutione, & ea non fauet maioribus, niſi in damno vitando, non verò in lucro acquirendo *l. 18. D. eodem.* Quia igitur ſi Caius legatarius non reſtitueretur ad petendum legatum a quo propter abſentiam Reipublicæ cauſâ ſuſceptam excluſus eſt, pateretur damnum, ideircò reſtituendus ad eam petitionem omninò eſt: ſi autem ita reſtitueretur, vt non cogeretur fideicommiſſum præſtare, conſequeretur ex ea reſtitutione lucrum, quod non feciſſet, ſi non fuiſſet læſus; atque ita reſtitutio non omnia reponeret in priori ſtatu, in quo erant antequam læderetur, qui reſtituitur.

Sextò ſi quis ſtipulatus fuerit in annos ſingulos, quod in Italia eſſet, & ipſe vel promiſſor, & alteruter Reipublicæ cauſâ abfuerit, officium Prætoris erit introducere vtilem actionem, inquit African. *in l. 43. D. ex quib. cauſ. maior.* officium, inquam, Prætoris, quia non eſt propria reſtitutio, cùm actio quæ nunquam fuit, reſtitui nequeat. Quia tamen æquiſſimum eſt, ne hæc abſentia Reipublicæ cauſâ abſenti, vel alteri noceat, ex eáque æquitate Prætor in ſuo edicto reſtitutionem concedit; non minùs æquum eſt vt noua introducatur actio, quæ nata fuiſſet, ſi hic poſtulator, aut promiſſor non abfuiſſet, quàm vt vetus actio, quæ amiſſa fuit, reſtituatur. Deinde qui facere poteſt vt actionem habeat parendo conditioni, iam actionem habere videtur *l. qui poteſt facere 174. D. de regul. iur.* hic autem poterat facere vt actionem haberet, ſi non abfuiſſet Reipublicæ cauſâ, tunc enim conditio requiſita poſita fuiſſet; non minus igitur dignus eſt, qui iuuetur à Prætore, data ipſi noua actione, atque ſi veterem amiſiſſet, quæ reſtitui poſſet, ac deberet. Spectabit igitur ad æquitatem & officium Prætoris illam actionem concedere, quam vtilem nominat Africanus; quia datur magis ex mente, quàm ex verbis edicti, ad exemplum reſciſſoriæ, & reſtitutoriæ actionis. Quæ omnia quoque valere vult ibidem Africanus, cùm ita concipietur ſtipulatio; *Si quinquennio proximo Romæ fuerit*, vel *ſi Romæ non fuerit, dare ſpondes?* Tunc igitur non reſtituet quidem Prætor elapſum quinquennium, ſed introducet nouam actionem, quæ propter defectum conditionis ex lapſu quinquennij nunquam nata fuerat, ſed nouam inducit quaſi impleta conditione, & habet abſentem ac ſi fuiſſet præſens, ſicut veterem actionem reſtituiſſet ſi fuiſſet amiſſa.

Septimò militem cui ſic legatum erat, *vel in annos quibus in Italia eſſet*; reſtituendum eſſe, vt capiat, atque ſi in Italia fuiſſet, cenſet Vlpian. ex Iuliano, Labeone, & Pomponio *in l. 17. D. ex quib. cauſ. maior.* ex æquitate nimirum, vti iam diximus, ne in damno moretur miles qui ſanè Reipublicæ cauſâ abeſt. Neque enim intereſt an lapſus temporis ademerit actionem temporalem ipſi competentem; an verò defectus conditionis impediuerit competituram, quandoquidem id totum naſcitur ex abſentia Reipublicæ cauſâ. Ad abſenſentiam neceſſariam quæ impediat agere, & cui ideò ſuccurratur per reſtitutionem, pertinet captiuitas ab hoſtibus. Itaque ei qui in hoſtium poteſtate fuit vbi poſtliminio reuerſus eſt, ſuccurrit Prætor *l. item ei qui 14. l. 15. D. ex quibus cauſ. maior.* licèt enim liberis tantùm, & non ſeruis ſuccurrat ex *l. 13. D. eod.* hic tamen & liber modò eſt, & ſemper fuiſſe intelligitur, quaſi ſemper fuerit in ciuitate, *D. de capt. & poſtlimin.* non tamen transfugis ſuccurritur, illi enim hoſtium loco habentur, etiam apud hoſtes mortuis in perſona hæredum ſuorum. Atque etiam natis poſtliminio reuerſis ſuccurritur *l. 15. citata*: quomodo verò nato apud hoſtes poſtliminium competat, ac proinde reſtitutio ad bona, quæ amiſiſſe dicitur, longioris, alteriúſve loci quæſtio eſt. Vide intereà Fabrum *ad l. 15. citatam*: neque reuerſo ab hoſtibus ceſſat ſtatim cauſa priuilegij reſtitutionis, cùm non confeſtim agere poſſit. Itaque tribuendum illi eſt aliquod tempus, vt agere poſſit, quod tempus definitum non eſt, ſed arbitrio prudentis diiudicandum erit, videndúmque an intra illud poſſit agere: nam ſi vel incuriâ, vel alia quapiam ex cauſa differt actionem quam inſtituere poterat, audiendus non erit: qua de re forenſes tricas omitto; conſule Anton. Fab. *ad l. 15. §. 3. D. eod.*

His omnibus cauſis reſtitutionis concedendæ maioribus adiicit & hanc vniuerſalem Prætor in ſuo edicto. *Si qua mihi alia cauſa iuſta videbitur, in integrum reſtituam*: de qua clauſula Vlpian. *in l. 26. §. 8. D. ex quib. cauſ. maior.* Et ſanè cùm ſinguli caſus definiri nequeant, plurimæ quæſtiones ex variis circumſtantiis æquitati, & integritati iudicum relinquendæ fuerunt, neque proinde generali illa clauſula abutendum erit.

§. V.

De modo petendæ & obtinendæ in integrum reſtitutionis.

Ratio petendæ reſtitutionis in integrum. 1.
A quibus perſonis petenda. 2.
Quo tempore petenda. 3.

RAtio petendæ reſtitutionis duplex eſt, alia directa, alia indirecta per viam exceptionis, 1
cùm quis aduersùs minorem agit ex aliquo contractu, ille enim excipit infirmitatem ætatis, & reſtitui poſtulat aduersùs illum contractum, non modò autem ipſe læſus, qui reſtitui vult, per ſe reſtitutionem poſtulat, ſed alij eius nomine, aut mandato. Tutor v. g. curator, prælatus, & cæteri adminiſtratores poſſunt petere reſtitutionem pro illis quorum bona adminiſtrant ſine vllo ſpeciali mandato, vt ait Couuar. *lib. 1. variar. cap. 6.* Alij verò indigent ſpeciali mandato, non enim ſufficit quod ſit generale ad omnes cauſas, & negotia, cum clauſula *licèt ſpeciale mandatum requiratur*, ex *cap. qui ad agendum, cap. qui generale; de procuratoribus in 6.* ſufficiet tamen mandatum de petenda reſtitutione, licèt non exprimatur in ſingulari, perſona, aut res aduerſus quam petenda erit. Addit Couuarru. ſi quis habeat mandatum ad agendum, defendendum, & ſupplicandum, poſſe admitti ad petendam reſtitutionem propter verbum *ſupplicandum*, dubitat tamen Molina *tract. 2. diſp. 573. numer. 27.* quare petendam putat cautionem à mandatorio *num. 5.*

& 6. neque obſtat cap. *conſtitutus, de in integr. reſtit.* Ad petendam igitur reſtitutionem requiritur ſpeciale mandatum, quod diſerte habet *l. illud, in fin. D. de minorib.* & cap. *coram, de in integrum reſtitution.* ibique omnes Interpretes: quod intelligendum eſt, quando ea reſtitutio principaliter petitur, ſi enim de ipſa incidenter agatur, minimè neceſſarium erit ſpeciale mandatum *cap. ſuſcitata, de in integ. reſtitut.* & ibi gloſſa, quam ſingularem ibidem appellat Abbas, eſſeque communem ſententiam tradit Couarru. *lib. 1. variar. cap. 6. numer. 1.* Dicitur autem incidens in integrum reſtitutio, primò quando interim dum cauſa principalis agitur, eam peti contigerit. Secundò quando finita cauſa principali per ſententiam, incontinenti, quod aiunt, nempe intra decem dies, & terminum appellandi petitur reſtitutio illa. Finita igitur cauſa per ſententiam, quæ tranſierit in rem iudicatam, non poterit peti in integrum reſtitutio abſque ſpeciali mandato: nondum autem finita cauſa principali, vtcumque incidenter actus, ſiue ſententia, inter litigandum poterit peti per generalem procuratorem in integrum reſtitutio, quamuis ſit lapſus terminus à iure conſtitutus ad appellandum ab eo actu, ſententiáve; poterit quoque procurator habens generale mandatum, petere incidenter in integrum reſtitutionem, quamuis in principali cauſa nondum fuerit lis conteſtata, quod tradit Couarru. *numer. 1. citato*, contra Innocent. Præterea procurator qui habet mandatum cum libera adminiſtratione, poterit petere in integrum reſtitutionem, quia licèt habens tantùm generale mandatum, non poſſit tranſigere, ſi tamen tale mandatum habet cum libera adminiſtratione, poterit tranſigere, & expedire ea quæ ſpeciale mandatum requirunt, *cap. qui ad agendum, de procuratorib. in 6.* affirmatque Bald. in *l. nam & nocere, notab. 1. D. de pactis*, æqualem vim habere, tam in contractibus, quàm in iudiciis ſpeciale mandatum; & generale cum libera adminiſtratione; quod ſaltem verum eſt, quando actus non cadit in graue præiudicium mandantis, alioquin ea clauſula, quæ ſæpius ex ſtylo Tabellionum potiùs, quàm ex mandantis voluntate ſcribitur, non habet vim inducendi ſpeciale mandatum, quod fuſiùs oſtendit Couarru. *in Rubrica de teſtament. 2. part. num. 4.* Æquiualebit quoque ſpeciali mandato conceſſio plenæ adminiſtrationis, & facultatis agendi quidquid ipſe mandans agere, & facere poſſet, neque contraria eſt *l. quam Tuberonis, §. alia, D. de peculio*, quæ negat liberam poteſtatem cenſeri conceſſam niſi exprimatur, nam illa expreſſio per ſpecialia, vel æquipollentia verba fieri poteſt, vt hoc loco.

Maioris quæſtionis videri poteſt, an ex generali mandato cum clauſula ratihabitionis, poſſit peti in integrum reſtitutio: verius tamen eſt eiuſmodi non ſufficere, vt ait Gloſſa ſingularis in *l. ſi procuratorem abſentem, D. de procuratoribus*, & communiter DD. quia ea clauſula non habet alium effectum, quàm vt procurator minimè teneatur cauere de iudicato ſoluendo *l. 1. C. de ſatiſd.* quare non eſt trahenda ad extenſionem poteſtatis mandatario factæ. Quoties tamen de mandato ſpeciali dubitatur, poterit peti in integrum reſtitutio, præſtita cautione rati, *l. quod ſi de ſpeciali, D. de minorib.* An verò conſanguinei ſaltem vſque ad quartum gradum poſſint ſine mandato petere in integrum reſtitutionem, præſtita ratihabitionis cautione, diſputat fuſiùs Couarr. *citat. c. 6. n. 5. & 6.* & verius cenſet id ſolum patrem poſſe *l. patri pro filio, D. de minorib.* neque obſtat *cap. conſtitutus, de in integrum reſtitution.* vbi frater pro fratre reſtitutionem iſtam obtinuit, quia frater ille conſors erat litis, & pro ſeipſo petebat reſtitutionem, fuerat enim læſus in eo contractu dum adhuc minor eſſet. Cùm igitur cauſa eſſet indiuidua vtrique concedi debuit reſtitutio, & ab vtroque peti potuit.

Quod attinet ad perſonas à quibus petenda eſt reſtitutio, tam Præfectus vrbi, quàm alij Magiſtratus pro ſua iuriſdictione in integrum reſtituere poterant *l. in cauſa 16. §. final.* & *l. 17. D. de minorib.* ac proinde quilibet Ordinarius *cap. cauſa reſtitutionis, de in integ. reſtitut.* In Gallia tamen Auguſti remedium implorandum eſt; nam ſolus Rex litteras reſtitutorias concedit, vt ait Rebuſ. *in præfat. de reſtitutionib. numer. 13.* Addit tamen *numer. 14.* quemlibet Cancellarium nomine Regio has litteras concedere ex generali regni conſuetudine, immò & à Curia filiam nonennem, quæ renuntiauerat hæreditati paternæ, abſque litteris Regiis an. 1539. menſe Maio fuiſſe reſtitutam narrat, eſt autem in poteſtate, & arbitrio actoris, vt impetret litteras Regias, vel coram Iudice domicilij defenſoris, vel loci in quo res reſtituenda ſita eſt, dummodo quilibet fuerit Iudex Regius, & ab eo proxime ad Senatum appelletur, vti conſtitutum eſſe videtur Regiis ordinationib. Rubrica de Seneſcallis, *des Senéchaux. ordinationis art. 18.* vbi conſule Rebuff. *numer. 20.* Iudex verò ad quem hæ litteræ reſtitutoriæ diriguntur, examinare debet, an iuſta de cauſa ſint impetratæ, & cauſa cognita iis vti permittit, aut negat; debent ſiquidem qui has litteras petunt, ſingillatim explicare cauſas ſuæ petitionis: ſic enim conſtituit *Ludouicus XII.* conſtitut. an. *1512. art. 58.* qua de re fuſiùs Rebuff. *tractatu de reſtitut. art. 1. Gloſſa 13. & vltima.* 2

Atque hactenus de Iure Gallico, iure verò Iuſtinianeo *leg. 2. C. vbi & apud quem cognit. in integ. reſtitut.* vult hanc cauſam agitari in foro eius aduersùs quem petitur reſtitutio, quia ex generali regula actor ſequitur forum rei, in quibuſdam tamen caſibus, non in foro rei hæc cauſa agitur, ſed in Conſiſtorio Principis, veluti aduersùs libertatem *l. 10. D. de minorib.* vel aduersùs rem iudicatam à Procuratore Cæſaris, vel ab eo qui vice ſua iudicat, veluti Vicario, aut Præfecto vrbi, vel à Iudice dato à Principe *l. 1. C. vbi, & apud quem cognitio reſtit. & C. ſi aduerſus rem iudicat. l. minor autem, §. pen. D. de minorib.* Non agitatur verò hæc cognitio apud Magiſtratum municipalem ſine mandatu Præſidis *l. ea quæ. D. ad municip.* neque Iudici compromiſſorio, neque arbitro electo nudo, & communi partium conſenſu, neque arbitro dato à Iudice pedaneo, habente ſcilicet notionem tantùm, & non iuriſdictionem, veluti arbitro rationibus excutiendis, aut bonis æſtimandis, aut fideiuſſoribus probandis. Poterit quoque diſceptari apud Iudicem loci in quo contractus fuit celebratus, ſi in eo tunc ſit reus, etiamſi ibi domicilium non habeat ex Couarru. *lib. 1. variar. cap. 4. num. 1.* Eccleſiam quoque petere poſſe coram Iudice Eccleſiaſtico reſtitutionem ex contractu cum

laico

laico celebrato, communis ſententia eſt, propter *cap.* 1. *de in integ.reſtitut.* & *cap. penult. de rebus Eccleſiæ non alienand.* Authores refert Couarruu. *lib.* 1. *variar. cap.*4. *numer.*4. illis tamen ſapienter aduerſatur, & ait in caſu capitis penultimi à communi ſententia citati, Iudicem Eccleſiaſticum fuiſſe Iudicem proprium, & temporalem illius loci; quia ea prouincia ſubiecta erat iuriſdictioni Eccleſiæ, petenda verò eſt reſtitutio præſentibus aduerſariis *l. in cauſa* 13. *§. cauſa autem, D. de minorib.* Quod ſi minor reſtitui petat aduerſus aditam hæreditatem, creditores hæreditarios præſentes eſſe oportet, niſi fortè vocati venire renuant *l. etiamſi patre* 29. *§. fin.* & *§.ad hæc. D.eod.*

3 De temporibus petendæ reſtitutionis, nonnulla diximus §.1. *num.*2. paucis omnia quæ diſputari ſolent hoc loco contraxit Cuiacius *in C. de temporibus in integrum reſtitutionis*: Olim quidem omnibus erat iure prætorio conſtitutus annus vtilis ad petendam reſtitutionen in integrum. Deinde leg.Conſtantini reſtitutionibus minorum conteſtandis, finiendiſque in vrbe, & intra centeſimum milliarium vrbis, præſtitutum fuit quinquenniom poſt legitimam ætatem; in Italia quadriennium, in prouinciis triennium continuum, vnde *in C. Theod. eodem titulo* dicitur *iuge tempus*, quod, vulgò legitur *iure*, & in Baſilicis *νομίμως*: qoia ſibi vindicat continoi temporis definitioné Ioſtinianus abrogata Conſtantini lege, & conſtituit, vt non obſeruata differentia locorum, vel ætatum intra quadrienmium continuum agatur, & peragatur cauſa reſtitutionis in integrum *l.vlt.C.de temporib.reſtit.* & *l.vlt.C.de repetit.hæred.* quod quadriennium numeratur minoribus ex die prima anni XXVI. in diem extremum anni XXIX. vel ex die quo inſinuauerunt veniam ætatis *l.* 5. *C. de temporib. in integ. reſtitut.* militibus verò ex die miſſionis *l.* 1. *C. eod.* aliis autem abſentibus Reipublicæ cauſâ ex die reditus, quod nuper explicuimus.

Quoad hæredes verò eorum qui in integrum reſtitui poterant, ſic definiendum eſt. Primò quando minor ſuccedit, datur huic minori hæredi ex defuncti perſona ad in integrum reſtitutionem totum quadriennium, poſt ſuam legitimam ætatem, non ſpectata tamen, aut computata ætate defuncti *l.interdum, D. de minorib.* & *l.*5. §.1. *C. de temporib. in integrum reſtitut.*

Secundò ſi minor ſuccedat maiori, qui nondum tamen compleuit legitimum quadriennium ipſi conceſſum, non datur huic poſt legitimam ſuam ætatem totum quadriennium, ſed ex perſona defuncti id duntaxat tempus, quod defuncto ſupererat: *l. interdum*, §. 1. *D. de minorib.* & *l.* 5. *§. quod ſi maioris, C. de temporib. in integr. reſtitut.* & *l. vltim. C. ſi maior fact.* v. g. dabitur annus ſi defunctus vixerit annis XXVIII.

Tertiò ſi maior minori ſuccedat, datur hæredi ſtatim ab adita hæreditate quadriennium ex perſona defuncti *l.*4.& *l.*5. *§. vlt. C. eod. de temporib. l.minor autem*, *§. vlt. D. de minorib. l.* 4. *D. de in integ. reſtitution.*

Quartò denique ſi maior maiori ſuccedat, hæredi datur ſtatim ab adita hæreditate id tempus quod defunctus habuit.

Obſeruandũ prætereà eſt *ex l.*1.*C.de temporib. iam cit.* minori circumſcripto, qui in militia exegit annum XXIX. aut XXX. tempora reſtitutionis in integrum non computari, niſi ex die miſſionis *l.ſemper*, *§. ſi quis reipublicæ, D. quod vi, aut clam*: quia ipſo iure continuatur beneficium reſtitutionis *l.* 3. *C. de temporib.* quod Baſilici libri interpretantur *συνεχῶς καὶ ἀδιαλείπτως φυλάττεται.* Si tamen maior qui temporalem aliquam actionem habuit, militiæ nomen dederit, actionis tempus ei cedit, ſed reuerſo cauſa cognita per reſtitutionem remittitur præſcriptio temporis *leg.* 1. *C. de reſtitut. milit.* Ita Cuiacius.

Monui verò §.1. *num.*2. iure Gallico pro quadriennio dari decemnium ad reſtitutiones quaſlibet, ex conſtitutione Regia an. 1539. ſcribit tamen Rebuff. *ad art.vnic. gloſ.*4. *de reſciſſione contractuum*, etiam Clericos non poſſe petere reſciſſionem contractus poſt decemnium, ſi agatur in Curia ſæculari, ſecus ſi in Eccleſiaſtica, quod Mornac. *ad l. vlt. C. de temporib. in integ. reſtitut.* intelligendum monet de perſonalibus; & iis quæ ſpectant ad ipſum Eccleſiaſticum, non verò de realibus, & bonis Eccleſiaſticis, cùm Eccleſia in rebus ſuis comparetur minoribus *leg.* 2. *C. de iure Reip.* & *gloſſa in Authent. quas actiones, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* in eamque rem decreta Senatus refert.

Obſeruat prætereà Rebuff. *in citato art. vnic. gloſſa* 19. poſſe agi etiam poſt IX. annos in contractibus ſimulatis, quoniam in illis non fuit animus obligandi. Adiicit quoque plures alios caſus, qui quia ſingillatim expendendi eſſent, & ad forum pertinent, à nobis prætermittuntur qui non tractamus ex inſtituto forenſio.

Denique non poteſt quis reſtitutionem ſibi negatam iterum petere niſi nouas proferat defenſiones, ne res ſemel ritè iudicata temerè retractetur, *C. ſi ſæpius in integrum reſtit. poſtulet.* & Paul. 1. *ſententiar.* dixit integri reſtitutionem pluſquàm ſemel non eſſe decernendam.

§. VI.

De effectibus reſtitutionis in integrum.

Pendente iudicio omnia manent integra. 1.
*Reſciſſio contractus.*2.
Vnuſquiſque ſuo iuri reſtituitur. 3.
An minor cogi poſſit vti ſententia reſtitutionis. 4.
An fructus ſint reſtituendi. 5.
Alia difficultates. 6. 7. *vſque ad* 12.

PRimò igitur pendente iudicio reſtitutionis in integrum omnia in eodem ſtatu manere debent, nec quidquam noui moliendum, aut mouendum erit *l. vnic. C. in integr. reſtitut. poſtulata ne quid noui fiat*: quod ſeruandum æquè eſſe in appellationibus gloſſa eo loco, & DD. obſeruant, donec de appellationis, vel reſtitutionis cauſâ pronuntiatum ſit: hoc ſiquidem præſtat appellatio maioribus, quod minores conſequuntur beneficio reſtitutionis aduersùs ſententias, ſi nolint appellare, *l.præſes*, *D. de minoribus*, & aduersùs quæcumque alia geſta, aduersùs quæ maioribus nullom patet auxilium. 1

Secundò reſtitutio in integrum cauſat reſciſſionem contractus aduersùs quem datur. De hac reſciſſione plura Rebuff. *in ordinat. regias, tract. pe-* 2

culiari

culiari de reciſſion. vbi *in præfat.* monet contractũ, etſi nullus iure ſit, non poſſe declarari nullum, neque ſi validus ſit, reſcindi abſque litteris Regiis. Sanxit verò Ludouic. XII. conſtitutione anni 1512. art. 46. reciſſiones omnium contractuum, diſtractuum, aliorumque omnium actuum, ratione doli, fraudis, violentiæ, metus, deceptionis, infra medium iuſti pretij, præſcribi ſpatio decem annorum continuorum, qui numerari debeant à die celebrati contractus. In eam ſanctionem plurima commentatur Rebuffus, quæ ad forum externum potiùs quàm ad noſtrum inſtitutum pertinent; nobis locum indicaſſe ſufficiat.

3 Tertiò reſtitutio in integrum vnicuique ſuum ius integrum reſtituit, ita vt & minor v. g. qui reſtituitur ſua recipiat, & is aduersùs quem reſtituitur, quod ſuum erat ante læſum minorem, retineat: ita *l. quod ſi minor* 24. *§. reſtitutio, D. de minorib.* & Imperator Antonin. *in l. vnic. C. de reputationib. quæ fiunt in iudicio in integrum reſtitution.* ſic edixit: *Qui reſtituitur in integrum, ſicut in damno morari non debet, ita nec in lucro*: nam omnis in integrum reſtitutio reciproca eſt, aut iniquiſſima, ſi ex vno tantum latere conſiſtat. Reputationes igitur in iudicio in integrum reſtitutionis ſunt ea quæ adoleſcenti petenti reſtitutionem in integrum imputantur, vt ea vel reddat, vel compenſet: v.g. ſi reſtitutus aduersùs venditionem, & traditionem fundi, deſideret etiam fructus ſibi reſtitui, quos emptor percepit, cum fructibus compenſare debet vſuras, vel pretium cum vſuris, & ſumptibus meliorati fundi. Similiter reſtitutus aduersùs emptionem, pretium recipit cum vſuris, & reſtituit fundum cum fructibus: reſtitutus aduersùs tranſactionem reddit quod accepit ex cauſa tranſactionis, & viciſſim ei reſtituitur, quod dedit cum acceſſionibus, & omni cauſa: reſtitutus abſtinendi causâ reddit id omne, quod ex hæreditate percepit, aut dolo malo fecit quominus percipere poſſet. Reſtituto quoque minore aduersùs expromiſſionem, vt cùm nouandæ obligationis gratia interceſſit pro alio, creditori reſtituitur vetus actio in veterem debitorem. Omnia igitur in reſtitutione in integrum ſunt reciproca, vt diximus, & quiſque rem ſuam ac ius integrum recipit: quare minor, vt omnia comprehendam vno verbo, reciſſo contractu aduersùs quem reſtituitur, reddere debet eodem momento id in quo locupletior factus eſt, niſi fortaſſis fuerit reſtitutus aduersùs tranſactionem cum tutore initam ſuper reddendis tutelæ rationibus, tunc enim non reddet pecuniam, quam accepit à tutore causâ tranſactionis, ſed eam tutor in rationes quas redditurus eſt referet, ex decreto Senatus anno 1609. die 29. Decemb. quod refert Mornac. *ad C. de reputationib. quæ fiunt in iudic. in integrum reſtitution.*

Circa hanc tamen reſtitutionem reciprocam nonnullæ ſuperſunt difficultates.

4 Prima eſt quam excitat Paul. Caſtrenſ. an ſi minor reſtitutus ad rem venditam, nolit vti ea reſtitutione; poſſit illum inuitum cogere emptor, vt rem emptam ſibi habeat, & reſtituat pretiũ. *Reſp.* cum eodem Paulo non poſſe, quia totum illud priuilegium in eo caſu eſt in fauorem minoris illius infirmiori ætati indultum; poteſt verò quiſque iura quæ in ſui ſolius gratiam inducta ſunt, contemnere, illiſque non vti *l. ſi iudex circumuento. D. de minorib. l. ſi quis in circumſcribendo, C. de Epiſcop. & Cleric. l. ſi quis in circumſcribendo C. de pactis* excipit tamen ex iudiciis Curiæ Mornac. *l. c.* cauſam retractus gentilitij. Cùm enim conſanguineus quiſpiam litem ratihabitionis nomine inſtituit, ſtatim atque lis conteſtata eſt, ſi emptor cedat illi, empto fundo, paratus accipere ſolutum à ſe pretium venditori, *deſlors qu'il luy à tendu le gyron, & qu'il l'a recognu à retraict*: conſanguineus ille regredi amplius non poteſt, neque renuntiare redimendi prædij familiari priuilegio; ſed prædium illud gentilitium ſibi habere compellitur, ac pretium emptori refundere; quia cùm retractus iſte linearis odioſus, & commercia impediat, omnia in illo ſummo iure aguntur.

5 Secunda difficultas eſt de reſtitutione fructuum, vtrum contractu cum minore facto, & beneficio reſtitutionis in integrum reſciſſo, non modò minori ſua res, ſed & eius fructus reſtitui debeant, fusè, & diligenter verſat hanc controuerſiam Couarru. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. & tandem *numer.* 4. concludit affirmatiuè, licèt excipiat fructus bona fide perceptos, & conſumptos vſque ad litem conteſtatam; ab eo enim die reſtitui vult; quia ex eo tempore emptor eſt poſſeſſor malæ fidei, eaque frequentior eſt pragmaticorum ſententia. Hanc tamen fructuum reſtitutionem faciendam eſſe negat Molina *tract.* 2. *diſp.* 575. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *numer.* 71. Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 11. *ſub fin.* Bonac. *diſp.* 3. *de reſtitut. quæſt.* 1. *numer.* 18. Ferdinand. *diſp.* 1. *de iuſtitia commutat. punct.* 19. §. 4. *numer.* 4. Agunt verò de contractibus onerosis in quibus res iuſto pretio fuit alienata; quia reuerà tunc minor non fuit læſus, neque ratione læſionis reſtituitur, ſed infirmioris ætatis commiſeratione. Quæ verò iura Couarruuias allegat, nihil probant, quia vel loquuntur de fructibus perceptis poſt reſciſſum contractum beneficio in integrum reſtitutionis, vel non ſunt rationi conſentanea, vt quod Caius in *l. patri* 27. *§. ſi pecuniam. D. de minorib.* iubet minori qui pluris emit prædium, quàm oportuit, reſtitui pretium cum vſuris. Delugo *diſp.* 22. *de iuſtitia, n.* 327. varias diſtinctiones adhibet ad vtramque opinionem conciliandam.

6 Mihi quidem videtur conceſſa reſtitutione in integrum minori, adeóque reſciſſo contractu, ab eo quondam celebrato, reſtituẽdam eſſe rem ſuam vnà cum perceptis eius fructibus, etiam à die poſſeſſionis, & non ſolùm à die litis conteſtatæ; minorem verò reſtitutum reddere oportere pretium, quod accepit vnà cum eius vſuris legitimis. Prima pars de reſtitutione fructuum perceptorum etiam ante litem conteſtatam habet aduerſarium tum Couarruuiam, tum alios omnes qui non aliorum fructuum reſtitutionem concedunt, quàm à die litis conteſtatæ. Itáque paſſim pronuntiant Iudices: noſtram tamen ſententiam acriter tuetur Anton. Faber *de errorib. pragmat. decade* 5. *errore* 6. Primò quia in integrum reſtitutio nihil aliud eſt, quàm actio extraordinaria ex beneficio, & edicto Prætoris ad id competens, vt vnuſquiſque ius ſuum integrum recipiat, in eumdemque ſtatum res reducatur, in quo erat priuſquam contractum eſſet, *l. quod ſi minor* 24. *§. reſtitutio, D. de minorib. l. vn. C. de reputat. quæ fiunt in iud. in integ. reſtitut.* & nos nuper explicuimus. At verò ſi contractus qui nunc per reſtitutionem reſcinditur, non fuiſſet à minore celebratus, minor percepiſſet fructus ſuæ rei, emptor

emptor verò pretium à ſe datum, & eius legitimas vſuras habuiſſet. Ergo per hanc reſtitutionem minor rem ſuam cum omnibus eius fructibus habere debet, & emptor viciſſim pretium à ſe datum cum omnibus legitimis ipſius *l. vſuris patri pro filio* 17. §. *ſi pecuniam*, *l. minor* 40. §. *prædia*, *D. de minorib.*

7 Secundò verbum *reſtituendi*, quo neceſſariò Iudices in ſententiis de in integrum reſtitutione vtuntur, pleniſſimam habet ſignificationem, & abſolutè poſitum tum rem, tum eius fructus reddendos continet, *l. videamus* 38. §. *in Fauiana*, *D. de vſuris*, *l. vlt. in fine*, *D. de verbor. ſignificat.* *l. in condemnatione* 173. §. *cum & verbum*, *D. de regul. iur.* Deinde in reſtitutione quæ fit ex cauſa metus, vel vis, fructus omnes, omnemque cauſam, ſine vlla temporis diſtinctione reſtitui debere ſcripſit Vlpian. *in l. ſed & partus* 12. *D. quod metus causâ*: & Paulus *in l. videamus* 38. §. *item ſivi. D. de vſur.* Adde quod cùm in integrum reſtitutionem dicimus, non ſolùm rei reſtitutionem ſignificamus, ſed & perſonarum, quæ in integrum reponuntur in priſtinum ſtatum, in quo erant priuſquàm contraheretur, & in quo nunc eſſent, ſi contractum non fuiſſet *leg.* 1. §. *antepenult. D. ne quid in loco public.* & *in leg.* 1. *C. de ſententiam paſſis & reſtitut.* quod non fieret ſi reſtitutus rem ſuam cum eius fructibus, quos percepiſſet, ſi non fuiſſet contractum, minimè reciperet.

Dices verbum *reſtituendi* non ſemper habere pleniſſimam ſignificationem, vt patet in ſententia Iudicis: ſi quem enim condemnauit ad rem reſtituendam, & nihil de fructibus adiecerit, non exiſtimabitur ad fructuum reſtitutionem condemnatus.

8 Reſp. Primò dubium fore an ea condemnatio ad fructus reſtituendos porrigatur, eo quod, vti iam oſtendi, in iure, ex cuius mente debet loqui Iudex, *reſtituendi* vox abſolutè poſita pleniſſimam habet ſignificationem, debuitque illam Iudex in ſua ſententia reſtringere, ſi in ſua & naturali, atque in iure vſitata ſignificatione noluit vſurpare.

9 Reſp. ſecundò plurimùm intereſſe, an *reſtituendi* verbum ponatur in lege, & prætoris edicto, an verò in ſententia Iudicis, quia lex, & edictum quoque Prætoris pleniſſimam interpretationem accipit à iure, neque enim lex mortua, neque edictum ſeipſum interpretari poteſt; quoties igitur in lege, vel edicto dicetur res reſtituenda, de fructibus quoque erit intelligenda reſtitutio, vt aiebat Paul. *l. in condemnatione* 173. §. 1. *D. de regul. iur.* niſi ex adiectis circunſtantiis, alia colligatur eſſe mens legis, vel edicti. At verò in ſententia Iudicis ſtrictius accipi poterit hæc vox, quia ſententia dicitur vulgò ſtrictiùs eſſe accipienda, ſiue ſtricti iuris eſſe; quia ſi quid in ea obſcurum, vel ambiguum occurrat, Iudex illud commodè interpretari poteſt, etiam poſtquam eam pronuntiauit, & videtur iam officio functus eſſe, non eſt enim noua ſententia, ſed prioris declaratio, & ſuæ mentis, quæ fuerat obſcuriùs expreſſa, quædam expoſitio. Itaque ſi quid in ſententia expreſſum non eſt, habetur pro omiſſo, quod etiam contingit in ſtipulatione *l. quidquid adſtringendæ* 98. *D. de verbor. obligat.* Quare ſi quis in ſtipulatione promiſerit rem reſtituere, nec quidquam adiecerit de fructibus, fructus nullos in ſtipulationem venire conſtat *ex l. hæc verba* 23. *D. de verbor. ſignificat.* vbi Vlpian. ſcribit, hæc verba; *eam rem rectè reſtitui*, fructus quidem contineri, ſed non propter verbum *reſtitui*, ſed propter adiectam dictionem *rectè*, quæ pro viri boni arbitrio eſt.

Tertiò probatur noſtra ſententia, quia hic 10
poſſeſſor non ſolùm ex die conteſtatæ litis, ſed etiam celebrati contractus, eſt poſſeſſor malæ fidei; talis enim omninò eſt ille, qui poſſidet rem aliquam ex contractu reſcindibili per reſtitutionem: nam Vlpian. *in l. in cauſæ* 13. §. *vlt. D. de minorib.* & Paul. *in l. ſequ. D. eod.* ſic appellant malæ fidei poſſeſſorem illum, qui rem emit ab eo contra quem minor poteſt reſtitui, ſi modò ea quæ inter minorem, & priorem emptorem geſta ſunt, non ignorauit, potiori multo iure malæ fidei poſſeſſorem diceret eum, qui ſic cum minore contraxerit, vt ſciuerit, aut ſcire debuerit futurum ſe reſtitutionis periculo obnoxium. Neque ſanè aliud eſt ſcire, poſſe locum eſſe reſtitutioni, quàm præuidere futuram, vt ſi quando reſtitutio impetrabitur, fructus omnes cum re ipſa reſtitui oporteat. Qui verò cùm ex periculo, & metu fructus percipit, etiam ante litem conteſtatam, dici non poteſt potiùs bona fide rem poſſediſſe, & fructus ex ea percepiſſe, quàm ſi poſt litem conteſtatam eos percepiſſet, ſi in illum vſque diem bonæ fidei poſſeſſor fuerit; nihil enim facit litis conteſtatio ante probationem, niſi vt intelligatur ex eo die fieri poſſe, vt ad fructuum deinceps percipiendorum reſtitutionem aliquando teneatur, *l. ſed etſi* 25. §. *ſi ante petit. D. de petit. heredit.* Dices qui cum titulo poſſidet, & iuſtam cauſam habet ignorandi, an actor reſtitutionem aliquando petiturus, aut obtenturus ſit, bonæ fidei poſſeſſor eſt, eiuſmodi verò exiſtit qui rem validè, & iuſto contractu à minore accepit, ac proinde, vt vides, iuſto titulo, habuit verò iuſtam cauſam ignorandi an reſtitutio aliquando aduersùs ſe petenda, aut obtinenda foret, ſiue propter incertitudinem reſtitutionis, & dubium exitum iudiciorum, ſiue quia plerumque ij, qui ſi vellent, reſtitui poſſent, nolunt tamen, quia ſecum melius agi exiſtimant ex certis quibuſdam cauſis, quàm ſi reſtitutionem implorarent. Quod ſi fateamur hunc aduersùs quem reſtitutio poſtulata, & tandem obtenta eſt, poſſeſſorem bonæ fidei fuiſſe, fateamur quoque neceſſe eſt ipſum fructus omnes lucrari quotquot ante litem conteſtatam percepit, bonæ ſiquidem fidei poſſeſſor fructus ſiue induſtriales, ſiue naturales ſuos facit, vt ait Paul. in *l. bona fidei* 48. *D. de acquir. rer. domin.* Confirmatur quia reſtitutio in integrum non datur, niſi in iis caſibus, in quibus contractus eſt ipſo iure validus; fieri enim nequit, vt contractus ipſo iure nullus, reſcindatur, *l. ſi curatorem habens* 3. *C. de in integ. reſtitut. minor. leg.* 2. *C. de præd. minor.* ſubſiſtente verò, & valido contractu, non poteſt non eſſe bonæ fidei poſſeſſor is qui bonum titulum habet, & ex titulo bonam fidem.

Reſp. iam nos oſtendiſſe poſſeſſorem hunc non 11
eſſe bonæ fidei, cùm contrahendo cum minore non potuerit ignorare ſe eſſe obnoxium periculo reſtitutionis in integrum, quam tamen ignorantiam requirebant ipſi aduerſarij ad bonam fidem, neque potuit ſcire contractum cum minore celebratum eſſe reſcindibilem, quin ſimul ſciret ſibi periculum reſtitutionis in integrum imminere, per quam omnia geſta in priſtino ſtatu reponeren

reponerentur, eodem modo atque ſi geſta nunquam fuiſſent: quare quamuis validus fuerit contractus, ex illoque poſſederit cum titulo, nihilominus cùm ſciret eſſe reſcindibilem illum contractum, non potuit ignorare ſe poſſidere eiuſmodi rem, eiuſque fructus cum periculo omnia reſtituendi, vbi aduersùs eum in integrum reſtitutio obtenta fuiſſet à minore. Et ſanè parum omninò intereſt ad bonam fidem, fructuſque percipiendos, an contractus non ſubſiſtat, aut ita ſubſiſtat, vt ſcias poſſe aliquando reſcindi, & ita reſcindi, vt omnia in integrum reſtitui oporteat.

Dices ſecundò *cap. conſtitutus, de in integrum reſtitut. in 6.* iure Pontificio Eccleſia reſtituta, exemplo minoris, non recuperat fructus: ergo neque minor illos recuperare debebit. Hic locus plus vexauit interpretes.

12 Reſp. comparari quidem Eccleſiam cum minore quoad rem, quæ fuerat alienata recuperandam, non verò quoad fructus; quia ius percipiendorum fructuum non ſpectat ad Eccleſiam, ſed ad Prælatum, aut beneficiatum, qui ratione fructuum eiuſmodi, domini loco vel vſufructuarij iure cenſetur, neque comparatur minori, & vix vnquam eiuſmodi reſtitutio competit Prælato illi, qui alienauit, ſed ſucceſſori eius, quia nec tempora præſcriptionis currunt contra Eccleſiam quamdiu viuit Prælatus, qui alienauit, ſucceſſor verò nullum ius habet percipiendorum eiuſmodi fructuum, neque enim ad ipſum, ſed ad prædeceſſorem pertinuiſſent, ſi alienatio illa facta non fuiſſet. Denique Prælatus, vel beneficiatus qui reſtituitur, non ſuo ſed Eccleſiæ nomine reſtituitur, vt rem Eccleſiaſticam malè alienatam ad Eccleſiæ patrimonium reuocet, fructus autem, ſi quos petat, non Eccleſiæ nomine, ſed ſuo petit, ipſe enim non minori comparatur, ſed ipſa Eccleſia, vti diximus.

Sunt & aliæ difficultates circa reſtitutionem in integrum, quæ ferè forenſes ſunt, vt de cumulatione reſcindentis & reſciſſorij iudicij, de actione in tertium poſſeſſorem, de reciſſione ex cauſa immodicæ læſionis, & aliis eiuſmodi, quas fusè excutit Antonius Faber *decade V. de errorib. pragmatic.* & noſtri lycæi non ſunt.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
Quæ in hoc priori Tomo de vniuerſâ Negotiatione continentur.

A

Abſens, & abſentia.

ABSENTIBVS Reipublicæ cauſâ indulgetur reſtitutio in integrum, & quæ abſentia ad hoc hoc priuilegium requiratur. 657. 3
an Abſens Reipublicæ cauſâ poſſit indemnis ſeruari à Republica. ibid.
Abſens Reipublicæ cauſâ non tenetur relinquere procuratorem in ciuitate qui tempore abſentiæ negotia ſua peragat. 658.*init.*
Abſentes Reipublicæ cauſâ à minoribus differunt quoad priuilegium reſtitutionis. ibid.
Abſentia Reipublicæ cauſâ non debet eſſe affectata, & dolo captata. 658.4
Abſens amplius Reipublicæ cauſâ non cenſetur is cuius finitum eſt officium propter quod dicebatur abeſſe Reipublicæ cauſa. 659.5
Abſens Reipublicæ cauſâ non reſtituitur aduerſus damnum quod fuerat æquè paſſurus ſi Reipublicæ cauſa non abfuiſſet. ibid.
Abſentia neceſſaria ſiue ex probabili ſiue ex improbabili cauſa naſcatur, dat materiam reſtitutioni in integrum. 660.9. & ſeqq.
Abſentia neceſſaria quæ dicatur. 662.*init.*
an Abſentia neceſſaria & ſponte ſuſcepta det cauſam reſtitutioni. ibid.
Abſentia ſtudiorum cauſa non ita ſemper eſt fauorabilis vt det cauſam reſtitutioni. ibid.
Abſentia Reipublicæ cauſâ quæ dat cauſam reſtitutioni in integrum, quomodo computanda. 662.13. & ſeqq.

Abuſus.

Abuſus omnes ſecludendi in venditione humanorum corporum. 70.verſ.*ſecludo*
Abuſus humanorum corporum ad libidinem crimen valde infandum. ibid.
Abuſus partium humani corporis ad varia magica opera. 70.3

Acceptilatio.

Acceptilatio differt à pacto de nõ petendo. 488.21
Acceptilatio conuenit cum pacto de non petendo in effectu, differt autem in modo. ibid.

Acetabulum.

Acetabulum eſt ſextarij pars octaua. 101.7
Acetabuli ethymologia. ibid.
Acetabulum menſura medicis familiaris. ibid.

Actio.

Actio inſtitoria quid ſit. 27.7
Actio inſtitoria aduerſus quos & quando detur. ibid. & ſeq. 28
Actio negotiorum geſtorum duplex eſt, vna directa, altera contraria. 30.5
Actio negotiorum geſtorum cui detur, & aduerſus quem. ibid. verſ. *contraria.*
Actio mandati duplex directa & contraria. 34.9
Actio mandati directa datur mandanti aduersùs mandatarium. ibid. verſ. *directa.*
Actio mandati contraria datur mandatario aduerſus mandatorem. 35.10
Actio duplex oritur ex mutua obligatione mandatoris & procuratoris. 37.7
Actiones aliæ ſunt ciuiles, aliæ prætoriæ. 241.5
Actio ciuilis naſcitur ex conuentione ciuili. ibid.
Actio quæ datur ex recepto aduersùs nautas eſt prætoria. ibid.
Actio ex recepto dicitur actio in factum. ibid.
Actio furti quibus & aduersùs quos competat, ſi in naui vel caupona commiſſum eſt. 241.6
Actio oneris auerſi datur actori aduerſus nautas, qui onera tranſuehenda ſuſcipiunt. 241.8
Actio oneris auerſi, ſicut & furti, cui eſt proxima, datur in duplum. ibid. & ſeq.
Actionis oneris auerſi caſus notabilis. ibid.
Actio iniuriarum non debet eſſe vaga, ſed ea agens debet certum quid dicere. 242.11
Actiones piraticæ ſunt annales. 259. verſ. *tertiò.*
Actio ex locato datur aduersùs magiſtrum nauis his qui pro mercibus iactatis ſoluerunt, ſi poſt contributionem appareant. 261. verſ. *ſeptimò.*
Actio exercitoria eſt actio perſonalis, prætoria & extraordinaria. 262.*init.*
Actio exercitoria non datur niſi de rebus ad magiſterium pertinentibus. ibid.
Actio quadruplex datur his quorum merces iactæ ſunt aduerſus magiſtrum nauis. ibid. verſ. *ſecundò.*
Actionis nomen quomodo intelligatur à Iuriſconſultis. 474.2
Actiones legis olim quid eſſent. ibid & ſeq.
Actionis verbo ſimpliciter prolato olim intelligebatur formula aliquem proſequendi in iudicio. 475.*init.*
Actionum veterum formulæ & exempla. ibid.
Actionum veterum præparatoriæ erant interrogationes. ibid.
Actionum formulæ quæ non ad ſubſtantiam earum ſed ad verbalem, & ſcrupuloſam formam pertinebant, à Conſtantino ſublatæ. ibidem & ſeq. 476
Actionum veteres, & veſanæ formulæ à Chriſtianiſſimis,

niſſimis Regibus ſublatæ. 476 *init.*
Actionis hodiernæ vera definitio. ibid.
Actionum ab exceptionibus diſtinctio. ibid
Actionis diuiſio multiplex. 476.4. & ſeqq.
Actionum diuerſarum explicatio; & cui,& aduerſus quos dentur. 477.verſ.*harum.*
Actionem tutelæ poſt pubertatem nouari quo ſenſu à Paulo I.C. dictum ſit; Sicut, & actionem de dolo poſt diuortium, ſi id ſpecialiter dictum ſit. 629.6

Actor.

Actores mercatorum, vtrum,& quando poſſint totam gabellam à ſuis dominis repetere, etſi partem dutamxat ipſi ſoluerin. 344.5
Actores mercatorum qui cum excubitoribus gabellariorum paciſcuntur vt partem ſolutionis gabellæ euitent, contra iuſtitiam peccant, illicitéque gabellã à dominis repetũt.ibid.2.& ſeq.
Actor mercatoris nequit iuſtè repetere à Domino partem gabellæ non ſolutæ pro mercibus non profeſſis. 345.verſ.*Tertiò.*
Actor mercatoris qui ſua induſtria fecit ne gabella deberetur, aut ſolueretur, poteſt à domino petere pretium ſuæ induſtriæ. ibid.
Actor qui pacta mercede in qua continebatur pretium vectigalis merces tranſuehendas ſuo periculo accipit;poteſt etſi vectigalia non ſoluat totum pretium conuentum repetere. ibid. verſ. *quintò.*
Actor qui merces ſuo nomine emit, eaſque omni onere liberas quocumque modo tranſtulit; eas deinde vendens poteſt æquè earum augere pretium acſi vectigal omninò ſolutũ fuiſſet.ib.246.

Actus.

Actus erat certus agri modus, & vnde ſic dictus. 173.verſ.*actus.*
Actus duplex. ibid.
Acti varia nomina & ſignificationes. ibid.

Adminiſtratio.

Adminiſtratio bonorum non debet ſpecialiter prodigo prohiberi vt talis cenſeatur, neque validè poſſit contrahere. 472.5
Adminiſtratio bonorum propter quæ vitia poſſit alicui prohiberi. ibid.verſ.*quæritur denique.*

Adraſor.

Adraſores monetarum lege Cornelia de falſis plectendi ſunt. 449.7
Adraſores qui pecunias grauiores ad legitimum pondus reducunt,an peccent,& pro falſariis habendi ſint. 450.8
Adraſores an & quomodo teneantur ad reſtitutionem ſi Princeps permittat pecunias adraſas licitè admitti. ibid.9. & ſeq. 451

Adſeſſor.

Adſeſſores Iudicum non dicuntur abeſſe Reipublicæ cauſâ. 658.5
Adſeſſores Iudicum erant quidam comites ſedendi, qui conſilio ſuo iuuabant iudicium, non erant tamen Iudices. ibid.
Adſeſſores erant quidam Iuriſprudentes à quibus prudentia iuris exigebatur,& imprudentia imputabatur. ibid.
Adſeſſoribus Iudicum vltra quadrimeſtre in ſua prouincia adſidere non licebat. ibid.659.

Ædificium.

Ædificia in mari & fluminibus non licuit cuicumque extruere. 220.21
Ædificia in loco publico nulli licet erigere,ne aliis noceat. ibid.

Ædiles.

Ædiles curam habebant fornicum & popinarum, & perſonarũ quæ in iis verſabantur. 505.v.*decimò.*
Ædiles pecunia mulctabant matronas ſtupri apud populum damnatas. ibid.

Ægyptij.

Ægyptij mumiam condiunt. 7.verſ.*Itaque.*
Ægyptij virorum corpora illicò à morte condiebant, non ita mulierum. 70.verſ.*Sanè.*
Ægyptiorum ſacerdotes exſecti. 76.3
Ægyptiis lepra familiaris. ibid. verſ.*Secundò.*
Ægyptij populus Barbarus vocati. 129.verſ.*ſecundò.*

Ægyptus.

Ægyptia tellus claudit odorato poſt funus ſtantia ſucco corpora. 73.verſ.*poſtrema.*
Ægyptus ſtipendiaria facta ab Auguſto perſoluit capitationem. 289.2
Ægyptus maius tributum in ſingulos menſes ſoluebat quàm Iudæa toto anno. 270.*init.*

Ærarium.

Ærarium quid erat apud Romanos. 45.2
Ærarium in æde Saturni deſignatum, & quare. ibid.
Ærarium Athenienſium erat quædam cella ponè ædem Mineruæ. 45.verſ.*Apud.*
Ærario præerant quæſtores. ibid.
Ærarij cura a quæſtoribus ad Prætores delata. 46. verſ.*Auguſtus.*
Ærarij pecunia præſentibus Tribunis, & aliis depromebatur. 46.verſ. *Erant.*
Ærarium fuit quoddam ſanctius, cuius aurum ob extremas tantùm neceſſitates depromebatur. ibid.
Ærarium militare ab Auguſto conſtitutum. ibid.
Ærarij multæ aliæ ſpecies. ibid.& ſeq.
Ærarium publicum confuſum cum fiſco.47. verſ. *fiſcus verò.*
Ærarium publicũ populi pecuniã continebat. ibid.
Ærarij abuſus eiuſque à fiſco diſtractio. ibid.verſ. *Octauus.*
Ærarium militare à quo primùm inſtitutum. 274. *init.*
Ærarium ſic dictum quia prima *pecunia ærea* fuit. 388.verſ. *ex eo.*

Æs graue.

Æs graue non eſt æs rude,ſed librales aſſes.405.6.
Æs graue, de ære rudi, & de ſignato dictum fuit quando leuiores aſſes percuſſi ſunt. ibid.

Ætas.

Ætas alia in maribus,alia in fœminis requiritur ad veniam ætatis obtinendam. 631.2
Ætatum diſtinctio à Seruio Tullio conſtituta. ibid.
Ætas firmata annus vigeſimus quintus. ibid.
Ætas legitima ætas viginti quinque annorum in iure intelligenda. ibid.& ſeq.
Ætas legitima in diſpoſitionibus eſt viginti quinque annorum intelligenda, licet ſtatuta municipalia, aut conſuetudo minorem ætatem legitimam definierint. 632. *in fin.*
Ætatem legitimam probandi varij modi; vnum tamen prohibuit Iuſtinianus, qui licèt à Romanis nunquam fuerit vſurpatus, vtiliter tamen fuit prohibitus ne aliquando vſurparetur: quem ſẽper denegauit Senatus Pariſiẽſis.634.6.& ſeq.

Æthyops.

Æthiopis Regibus Ægyptij ebenum, aurum, & ebur vice tributi pendebant. 327.17

Ager.

Agrorum triplex genus. 301.6
Agri ſcriptuarij quinam dicerentur. ibid.
Agri paſcuales ſaltus dicti ſunt. 302. *init.*

Agricola.

Agricolis prohibitum ſeſe clientes,& bona ſua defendanda potentioribus addicere. 292.8

Agricolæ

Agricoli ſeſe potentioribus elientes addicentes quam vitare volebant ſeruitutem ſponte incurrebant. ibid.

Agricolis ſuſceptis, ſuſceptoribus, & harum contentionum interceſſoribus indictæ pœnæ. ibid.

Agricolæ an teneantur præſtare operas tributarias proprijs ſumptibus, an Domini; & quid circa hoc in Pariſienſi Curia iudicatum. 294.11

Vide in verb. *Ruſtici.*

Ἀγορά.

Ἀγορά apud Græcos multiplicem habet ſignificationem. 376.2

Ἀγορά apud Græcos non tantum locum negotiationi deſtinatum ſignificat, ſed etiam ipſam rem vænalem, maximè annonam. ibid.

Alexandria.

Alexandriæ vrbis denominatio, vnde. 227.7

Alexandriam vocauit interpres vrbem No Amon, in qua deinde ædificata fuit. ibid.

Alienatio.

Alienatio bonorum immobilium minoris non ſemper requirit Prætoris decretum; & in quibus caſibus hoc verum ſit. 467.12. & ſeq.

Alumnus.

an Alumni collegij Anglicani licitè iurent ſe in Anglia fidei cauſa redituros. 613.1

Alumni quidam Itali validè iurant ſe non ingreſſuros Religionem niſi monito Superiore collegij in quo aluntur. 614.2

Ambitio.

Ambitio vniuerſæ monarchiæ, quam nullus comparare, nec comparatam retinere poteſt inſana valdè. 212.4

Amphora.

Amphora Romana vas liquidis, aridiſque menſurandis aptū, cæterarumque menſurarum norma. 159.1

Amphorarum vino legato legatæ quoque cenſentur amphoræ. ibid.

Amphorā aliud quam vinum continebatur. ibid.

Amphora vnde dicta. ibid.

Amphoræ materia erat diuerſa. 159. verſ. *Materia.*

Amphoræ capacitas erat diuerſa. ibid.

Amphora quadrantal dicta. ibid.

Amphoræ capacitas nauium quoque capacitatem deſignabat. ibid. 160

Amphora liquidorum menſura apud Græcos. 164.1

Amphora Attica eiuſdem capacitatis cum metreta. ibid.

Amphora Attica quæ eſt eadem cum metreta, dicitur cadus. 163.2

Amphora Attica deriuatur à voce Hebræa. ibid.

Amphoreus.

Amphoreus fuit certa menſura, quæ bis in metreta continebatur. 165.4

Amphoreus capit ſextarios. 36. ibid.

Anatociſmus.

Anatociſmus quid ſit 409.4

Anatociſmus à pluribus vſuris diſtinguitur. ibid.

Angaria.

Angariæ & parangariæ quid ſint. 326.16

Angaria fuit onus poſſeſſionibus & patrimoniis indictum. ibid.

Angariarum tam dura fuit neceſſitas, & nulli ab iis præſtandis excuſarentur. ibid. & ſeq.

Angelus.

Angeli, neque dæmones habent dominium rerum corporearum. 118. verſ. *ſanè*

Animal.

Animalia ſæpius apud diuerſas nationes pro tributo indicta ſunt. 318.13

Animalium & equorum curſui publico inſeruientium maxima habebatur cura. 323.12

Annona.

Annona, & frumentatio publica indictionis tributi cauſa. 276.4

Annonæ nomen in ampliori ſignificatione omnia eſculenta comprehendit. ibid.

Annonæ nomen vnde deriuatum. ibid.

Annonæ cura vbique maxima. ibid.

Annonæ plurimi præfecti adhibiti prout vrgebat neceſſitas. ibid. verſ. *neque*

Annonæ primus Præfectus aurato boue ante portam Tergeminam donatus. ibid.

Annonæ præfecturam viri nobiliſſimi exercuerunt. 277. verſ. *eam porrò.*

Annonæ magiſtratus ordinarius fuit & ius dixit, ibid. verſ. *Plinius.*

Annonæ curā ipſi Imperatores ſibi ſumpſerūt. ibid.

Annona reponebatur in publicis horreis, quæ fuere vinaria, olearia, frumentaria, & farrea dicta, 278.8

Annona & frumenta, in capitibus prouinciæ, & locis munitiſſimis ſeruari ſolita. ibid.

Annonæ totius militaris ratio iter facienti Imperatori exponebatur. 278. verſ. *Caſſiod.*

Annona aduecta, horreiſque condita munus præfecti erat illi pretium imponere, diuidere, certāque eius partē gratis populo diſtribuere. 279.9

Annonarij præfecti tria præcipua munera. ibid.

Annona à præfecto populo diſtributa. ibid. verſ. *diſpenſata.*

Annonæ erogatio non tantùm præcipuis & maioribus vrbibus, ſed etiam minoribus ab Imperatoribus conceſſa. 280. *init.*

Cætera vide in verbo *frumentum,* & *frumentatio.*

Antiquarius.

Antiquariorum ſcribendi modus. 129.12.

Antiquariorum & librariorum differentia. ibid.

Antiquariorū & librariorum ferè idē munus. ibid.

Annus.

Anni quare & quando inceperint per indictiones numerari. 266.4

Anno quinto, indictione quinta, fuſione quinta ſunt tria verba paria. ibid.

Aqua.

Aquarum deriuatio à veteribus vſitata. 219.19

Aquarum deriuatio erat communis vſus maris ac fluminum. ibid.

Aquam è fluminibus publicis haurire quidem licet, non tamen ducere, aut deriuare. 219.20

Aquarum ductui aut deriuationi edicta, & leges præſcriptæ. ibid.

Aquarum è mari deriuationes ad piſcinas ſalſas non erant in cuiuſlibet arbitrio, & vſu publico. ibid.

Aqua Nili frugum copiam prouocare, & in Ægyptiis mulieribus puerperia multiplicare dicitur 540. *init.*

Aquæductus.

Aquæductus ad nymphæa publica aquam mittebant. 220. verſ. *nymphæa.*

Aquæductuum publicorum maxima cura fuit. ibid.

Aquæductus eſt ius aquæ per fundum alienum ducendæ. 219.10

Aquæductus inuito fundi domino conſtitutus, ab eo interrumpi impunè poteſt. ibid.

Aquæductus alius eſt prædialis, qui ſequitur emptorem prædij, alius perſonalis. ibid.

Aquæ hauſtus.

Aquæ hauſtus eſt ius aquæ in alieno loco hauriendæ.

dæ. 216.12
Aquæhauſtus eſt ſeruitus prædialis. ibid.
Aquæhauſtus eſt intelligendus de iis aquis quæ duci non poſſunt. ibid.
Aquæhauſtus conſtitui poteſt interueniente via, vel locó publico. ibid.

Aqua iter.

Aquæ iter eſt ius aquæ ducendæ per alienum prædium, qua facto riuo, aut poſitis fiſtulis vtimur. 216.11
Aquæ iter differt ab aquæductu. ibid.
Aquæ iter totum fundum ſua ſeruitute afficit, niſi pars certa fuerit deſignata. ibid.

Arbor.

Arbores quædam in inſulis fortunatis certo anni tempore inciſæ ſequenti deinde anno plount lachrymas. 525. verſ. *falli tamen.*
Arbores grandiores dominicalium nemorum, ſiue Regiorum alienari prohibentur. 304.9

Arca.

Arcæ in prouinciis diuerſæ. 48.7
Arca Pontificum, & arcarius Pontificialis. ibid.
Arca diluuij à Noë ex lignis Gopher fabricata. 223. verſ. *deinde.*
Arcæ reliquiæ diutius perdurarunt quia fabricata fuit ex materia imputribili & cupreſſina. ibid. & ſeq. 224
Arca Noë ſubſidentibus aquis diluuij quo in loco quieuerit. 224.5
Arca Noëmica quieuit in montibus Armeniæ. ibid.

Arcarius.

Arcarij, capſarij dicti apud negotiatores. 48. verſ. *negotiatoribus.*
Arcarius eſt ſeruus præpoſitus arcæ in qua domini pecunia repoſita eſt. 48.7
Arcarij tenentur rationes reddere ſicut rationales. 53. verſ. *porrò.*

Arenarius.

Arenarius apud Romanos præceptor erat pueros methodũ calculos ducendi edocẽs. 423. & ſeq.

Argenteus.

Argenteus fuit nummus frequens apud Romanos. 408.1. & 410. verſ. *alius.*
Argentei nominæ abſolutè ſumpti intelligitur denarius. ibid. 408.1
Argenteus nummus quare à Romanis dictus quinarius. ibid. 410

Armilla.

Armillæ matronarũ ornamentum. 106. verſ. *Arnob.*

Artaba.

Artaba Barbara menſura non Græca. 166. v. *artaba.*
Artaba Perſica, Medica & Ægyptia. ibid.
Artabæ capacitas. ibid.

As.

As & libra idem fuere. 150.3
As pro libra vſurpatum. ibid.
As dicitur quaſi æs. ibid.
As & libra in duodecim partes æquales diuiſa. ibid. verſ. *aſſem.*
Aſſis pars prima eſt vncia. ibid.
Aſſis dictio in omnibus rebus ſub partitionem cadentibus apud Romanos vſurpata. 151.5
Aſſis nomen in re agraria vſurpatum. ibid. 6. & ſeqq. 152
Aſſis nomen in pluribus aliis rebus vſurpatum. 152. verſ. *ex quibus.*
Aſſis nomine poteſt etiam ſextarius deſignari. ibid.
Aſſes quandiu librales extiterunt dicti ſunt graue æs. 387. *in fin.* & ſeq.
Aſſem elephanto dare; quale prouerbium. 404.4
As primus æreus nummus. ibid. 5
Aſſis pondus quando mutatum apud Romanos. ibid.
As ſiue libralis, ſiue leuior, ſiue leuiſſimus, & ſemuncialis in ſuas partes eaſque duodecim diuiſus fuit; & quas. 406.7. & ſeq.
Aſſis ſingulæ partes recenſentur, & explicantur. ibid. & ſeq. 407
Aſſis multiplicatio per adiectionem. 407.9

Aſſipondium.

Aſſipondium & aliæ voces ab aſſe dictæ. 151. verſ. *obſeruat.*

Aſmodæus.

Aſmodæi nomen vnde. 512. verſ. *quid amabò.*
Aſmodæus demonium malum. ibid. verſ. *ſanè.*
Aſmodæi opera communia cum dæmonibus. ibid.
Aſmodæus fera terreſtris. ibid. verſ. *quanam.*

Athenienſes.

Athenienſis populus diuiſus in duodecim tribus, & ſingulæ tribus in tres phratrias. 46. in fin.
Athenienſium leges damnantes lupanaria, & omnem proſtitutionem. 101.7
Athenienſes non patiebantur ornatam fœminam prodire in publicum. 106. verſ. *Arnob.* in fin.
Athenienſes eorum qui in bello pro patria certantes occidebantur cadauera in arcis cupreſſinis condebant. 223. verſ. *qua.*
Athenienſes præter *ἀγορανόμους* qui forò, & vniuerſis rebus vænalibus præficiebantur, conſtituerunt *ὀψονόμους*, qui foro piſcario ſpeciali cura inuigilarent. 377. & ſeq. 378
Athenienſes olim ex puro probatoque argento pecuniam cudendam curarunt, vt exterorum mercatorum frequentia ſua ciuitas abundaret. 397.3

Aureus.

Aurei valor apud Romanos. 415.2
Aurei quot in libram imputarentur. ibid. 3. & ſeq.
Aureorum multiplex mutatio. ibid. & 416.4
Aurei quare ſolidi dicti. 417. verſ. *colliges.*
Aureus, & ſtater differunt vt genus, & ſpecies. 420. 10

Auris.

Aurium perfoſſio apud Hæbreos vſitata 121. verſ. *quintò.*
Aurium perfoſſio mos in oriente vſitatus & ad Romanos deriuatus. ibid.
Aures ambæ puellis, pueris tantum dextra perforabatur. 121. *init.*

Aurum.

Aurum copioſè reperiebatur in Ophir Arabica prope Sabæos. 234. verſ. *illuſtre.*
Aurum in Ophir Arabica repertum valdè purum. ibid.
Aurum *ἄπυρον*, & *ἄπεφθον* idem ſunt. ibid.
Aurum obryſum quale ſit. ibid.
Auri glebæ minimæ in Ophir Arabica repertæ nucleum æquabant maximæ nucis Baſilicæ. ibid.
Aurum in Ophir Arabica copioſiùs repertum quàm in tota Arabia. 235. *init.*
Aurum coronarium fuit initio ſponte oblatum, deinde tamen indictum. 265.3
Aurum coronarium quid, quibus, & quare oblatum. ibid.

Authentica.

Authentica *Sacramenta puberum*, quid ſit. 615.1
Authentica prædicta de quibus contractibus agat. ibid. 2.3
Authentica prædicta iubet iuramenta de contractibus non retractandis cuſtodienda eſſe. 616.3

Authen

Authentica *Sacramenta puberum*, alia eſt à Conſtitutione Alexandri. 616.3
Authentica prædicta vbi obſeruatur extenditur ad donationes à minoribus factas. 617.5
Authentica prædicta non habet locum niſi minor ſuo iuramento renuntiet expreſsè beneficio reſtitutionis ratione minoritatis ſibi competenti. ibidem 6

Authoritas.

Authoritas publica in conſtituendo nummo, eiuſque valorem definiendo habere debet rationem materiæ quam ad id eligit, & pro eius vtilitate, ac pondere æſtimationem conſtituere. 399.6
Authoritas publica ita æſtimationem nummi vt ſic definit, vt ſimul quoque æſtimet metallum ex quo coditur. 402.8
Authoritas conflandæ, & ſignandæ monetæ ſummi imperij prærogatiua eſt. 438.1
Authoritas cudendæ monetæ ſolis ſummo, & optimo iure Principibus conceſſa, & quare. 439. verſ. *Ratio verò.*
Authoritas cudendæ monetæ variis Dynaſtis Franciis à ſupremo Rege conceſſa. 439.2

B

Baphei.

Baphei & gynæciarij quinam. 191.8
Baphei tingendæ purpuræ Imperatorum propriæ vacabant. ibid.

Baphium.

Baphium & gynæcium textrinum Imperatorium. 190.8
Baphij procuratores quinam. ibid.

Barbari.

Barbaris & Romani Imperij hoſtibus nefas fuit arma deferre. 189.6

Batus.

Batus ſiue badus liquidorum prima menſura ac veloti cæterarum norma. 168.16
Batos & ephi an ſint æqualis capacitatis. ibid.
Batus maior & minor. ibid.
Batus maior, batus minor & amphora quam inter ſe proportionem habeant. ibid.
Batorum tria genera. ibid.
Batus triplex inæqualis capacitatis. 169.17
Batus maior æqualis menſuræ cum ephi & eiuſdem cum Romana amphora capacitatis. 170. verſ. *probat.*
Bato maiori datur nomen congij. 171. *init.*
Batos prima menſura. 149. verſ. *ex quibus.*
Bati maioris & minoris diſtinctio. ibid.
Batum duplicem fuiſſe colligitur ex mari æneo. ibid.

Bellum.

Bellum, ſeu militia eſt cauſa publica indicendi tributa. 273. verſ. *tertia.*
Bellum ferè prima origo vectigalium in Gallia, & in Hiſpania. ibid.

Blanca.

Blanca Comitiſſa optima negotiatrix. p.2

Bonum.

Bona Principis ſunt duplicis generis. 47.5

Brachia.

Brachia Chriſti nomine & Crucis ſigno inuſta. 122. verſ. *Decimò.*
Brachiis Fabricenſium notæ publicæ inuſtæ. ibid.

Breuicula.

Breuicula nauigatoris conceſſa nunc ſunt magni proventus, & inter fiſci redditus numerantur. 117. & ſeq. 118
Breuicula à Ducibus obtinentes ad nauigandum, nullum ſuis rebus à fiſco periculum metuebant. 256. 16

Bulla.

Bullæ ſiue metallicæ, ſiue cereæ, notæ exteriores. 126.10
Bulla aurea fuit quondam puerorum prætextatorum inſigne. ibid.
Bulla fuit etiam triumphantium inſigne. ibid.
Bulla aurea quis primus fuerit donatus. ibid.
Bullæ Pontificum, & Imperatorum vnde dictæ. ibid.
Bullæ diuerſæ materiæ. ibid. & ſeq.
Bullæ cereæ & metallicæ diſcrimen. 157. verſ. *Ex quibus.*
Bullæ aureæ vſus. ibid. & ſeq.
Bullæ cereæ & aliarum vſus. ibid. & ſeq.
Bulla cœnæ tantum damnat vt plectit exigentes vectigalia prohibita, ipſa verò nulla plectit. 316. verſ. *venio.*

C

Cabus.

Cabus minima aridorum menſura. 168.15
Cabi quanta capacitas. ibid.

Cadus.

Cadi etymologia. 163.2
Cadus certa menſura, eaque ſatis ampla. ibid.

Cadauer.

Cadauera humana tribus cauſis vendi ſolent. 68.1
Cadauera humana poſſunt vendi ad ſepulturam. 73. verſ. *De hoc*

Callis.

Callis quænam agri ſpecies, & vnde ſic dicta. 301. verſ. *dicebantur*, & ſeq.

Campſor.

Campſores an dici poſſint mercatores. 23.4

Canon.

Canon eſt vectigal, & tributum ordinarium immutabili forma & eodem tenore inferri ærario ſolitum. 264.2. & ſeq. 265
Canon vnde ſic dicatur. ibid.
Canonica illatio pro omni iuſta & legitima oblatione ſumitur. ibid.
Canon frumentarius ſicut erat in Roma veteri, & noua, ita in Alexandria. 280. *init.*
Canon publicus dictus anniuerſaria penſitatio, functio, præſtatio. 281. *init.*
Canon annonarius à prouincialibus præſtitus in annonam populi Romani, Alexandrini, & Conſtantinopolitani. ibid.

Canonicarius.

Canonicarij canones, & illationes exigebant, inferebantque in horrea. 361.3
Canonicarij ad quid mittebantur in prouincias, & à quo. ibid.
Canonicarij ſuo, & eos mittentium periculo aurum quod inferebatur ſuſcipiebant, & tranſmittebant. ibid.

Capitatio.

Capitatio in iure ſic dicta quæ tributi ſpecies. 289. 1
Capitatio exigebatur à cenſu & prædiis carentibus. ibid.
Capitationis indictio antiquiſſima. ibid. 2
Capitatio à Moſe indicta in templi vſum. ibid.

Capitationis à pluribus indictæ variæ ſpecies. ibid. 290
Capitatio quædam celebris apud Rhutenas. ibidem.
Capitationes omnes io Gallia abrogatæ. ibid.
Capitatio ſoli plebi ruſticæ extra vrbanos muros poſitæ indicta. 290.3
Capitatioois inſignis releuatio à Valentiniaoo facta. 291.verſ. *Hanc itaque.*
Capitatio tributum graue, & mortis cuiuſdam ciuilis inſtat. ibid.
Capitatio prædiorum, & iugorum, & animalium. 291.5

Capitulum.

Capitulo ratione bonorum, & iurium quæ illi toti conueniunt conceditur reſtitutio in integrum, non autem ratione bonorum quæ ſingulis obtingunt. 656.1

Captiuus.

Captiui, aut quóquo modo in vinculis detenti poſſunt obtinere beneficium reſtitutionis. 660.9
Captiuo ab hoſtibus vbi poſtliminio reuerſus eſt ſuccurrit prætor beneficio reſtitutionis io integrum. 663.*in med.*

Capſarius.

Capſarij quid ſint ſecundum veteres Iuriſconſultos. 48.verſ. *negotiatoribus.*
Capſarij dicuntur qui pueris in ſcholam euntibus libros deferunt. ibid.
Capſarij nominantur à capſa. ibid.

Caput.

Caput *cum contingat, de iureiur.* quid ferat, explicatur. 618.1.& ſeq.
Caput prædictum in pluribus Galliæ prouinciis locum non habet. 619.3
Caput *quamuis pactum, de pact. in 6.* quid contineat, & præſcribat. 619.4

Caro.

Caro vnde dicta. 71.1
Carnibus humanis aliqui aliti. ibid.
Carnis humanæ venditio extra extremam neceſſitatem illicita. 72.2
Catoium humanarum comeſtio an intrinſecus mala. ibid.3
Carnium humanarum comeſtio vrgente extrema neceſſitate abſque peccato vſurpari poteſt. 72.4
Carne humana veſci nullus tenetur, etiam ad vitandam mortem. 73.5
Carnium humanarum quæ venditio ſit licita. ibidem 6
Carnis humanæ eſus vix licitus. ibid. verſ. *Adde nihilominus.*
Carnis humanæ variæ & ferinæ comeſtiones. 71.1. & ſeq.
Carni humanæ pretium impoſitum. ibid.
Carnis humanæ comeſtio ab aliquibus approbata. 72. verſ. *Reſpondetur.*
Carnis humanæ comeſtio vehementer punita. 72.3
Carnis propriæ dilaniatio & tunſio quælibet an veteri lege prohiberetur. 128.verſ. *ſtatò.*

Caſati.

Caſati ab agricolis ſuſceptis prodiere. 293.9
Caſati vnde dicti. ibid.

Caſſanitæ.

Caſſanitæ Ophir Arabicæ iocolæ omnium rerum rudes & imperiti. 234.verſ. *Caſſanitæ*
Caſſanitæ aurum cum populis vicinis permutantes illud tam vile habuerunt, vt pro pondere alterius metalli maius auri poodus rependerent. ibid.

Caupo, Cauponarius.

Caupones quid ſint. 10.6
Cauponariæ artis variæ ſpecies. ibid.

Cautio.

Cautio Mutiana quandonam locum habere poſſit in diſpoſitionibus conditionatis conditione negatiua perpetua. 516.verſ. *quærimus.*
Cautio Mutiana non habet locum in contractibus, & aliis ſimilibus diſpoſitionibus conditionalibus cum vera, & propria conditione negatiua perpetua. ibid.

Centenarij.

Centenarij, & ducenarij quidam miniſtri exactioni vectigalium deſtinati: & vnde ſic vocati. 363. verſ. *ſeptimò.*

Centeſima.

Centeſima Romanorum quid ſit. 428.3
Centeſima Romaoorum Græcis recentibus eſt ἑκατοστὴ; & quæ prior fuerit. ibid.
Centeſimæ nomen à Græco ἑκατοστὴ ad verbum fuit conuerſum. 429.*init.*
Centeſimæ binæ, ternæ, quaternæ, &c. quid ſint. 419.4
Centeſimæ quando primùm Romanis cognitæ. 429.5.& 431.8
Centeſimæ nota quæ. 430.6
Centeſimæ apud Romaoos fuere maiores vſuræ, minores apud Græcos. 430.7
Centeſimæ fuere vſuræ antiquæ, vſitatæ io ære graui & nondum ſignato. 431.8

Centuria.

Centuria modus agri diuerſus. 173. verſ. *centuria.*
Centuria quadratæ ſeu in vtramque partem bina, eſt ſaltus. ibid. verſ. *ſaltus.*

Cenſitio.

vt Cenſitio ritè facta eſſet quid requireretur. 300. verſ. *cenſitio.*
Cenſitio definiebatur pro quantitate iugerum, iugerum, & capitum. ibid.

Cenſitor.

Cenſitores erant agrimenſores, aut peræquatores, qui de cuiuſque cenſu & facultatibus iudicabant: quibus etiam adiungebantur inſpectores. 299.4

Cenſuales.

Cenſoales tabulæ, quæ aliquando libri cenſuales dicuntur, propriiſſimè cenſus vocantur; maximámque fidem faciunt. 300.5
Cenſuales tabulæ quomodo fieri, & conſcribi debeant vt fidem faciant. ibid. & ſeq.

Cenſus.

Cenſus eſt tributum pro menſura facultatum, & præcipuè prædiorum cuique impoſitum. 298.1
Cenſus à quo primò inſtitutus. ibid.2
Cenſus opus fuit inſuetum Gallis. ibid.
Cenſus alio fine inſtitutus Romæ quàm io Galliis. ibid.
Cenſus quando & quomodo fieret. 299.3.
Cenſus non inibatur toties quoties tributum. ibid.

Ceramium.

Ceramium Italicum eſt cadus, vel amphora Romana. 165.5

Ceratium.

Ceratium quis nummus fuerit, eiuſque valor exponitur. 414.10

Cham.

Cham, ſiue Ham in Africæ ſteriles terras oblegatus ibi nomine Iouis per multa ſæcula cultus

fuit

fuit. 227.11
Cham cultus in Ægypto Chamiam, vel Chemiam, vel terram Cham denominauit. ibid.
Cham nomen in Africa claruit. ibid.
Cham, & Iouis comparatio. ibid.

Chananæi

Chananæi Phœnices dicti. 228.verſ.*poſt eam*,
Chananæorum & Phœnicum nomen in ſacris paginis promiſcuè vſurpatum. ibid.verſ.*primò*
Chananæa mulier à Matthæo dicta, quare à Marco Syrophænißa vocata. ibid.
Chanaam Hebraïcè mercatorem ſonat. ibidem 229
Chananæus & Hebræus ſermo non multùm differebant. ibid.verſ.*vides*.
Chananæi commentarij vtiles Phœnicarum rerum ſcriptoribus. ibid.230
Chananæi colonias omnium antiquiſſimas duxerunt, earumque occaſio. 230.15
Chananæi in ſcripturis paſſim pro mercatoribus vſurpantur. 233.verſ. *hoc ipſum*
Chananæi plus ſexcentis annis ante Alexandrum cœperunt Aſiæ littora luſtrare, & Indiam vſque negotiationis causâ nauigare. ibid.

Chriſtiani.

Chriſtiani in ſeruitutem redacti non debent ſeruire infidelibus, & hæreticis. 68.4
Chriſtianorum ianuæ corollis ornari prohibitæ, & quare. 99.6
Chriſtiani ob non ornatam ianuis domum lætitiæ causâ, Romanorum hoſtes habebantur. 100.verſ. *& Apules*.
Chriſtianorum diſciplina ſeuera in prohibendis lupanaribus & libidinum officinis. ibidem & ſeq.
Chriſtianis non licet ſpectare theatra. 100. verſ. *quare*.
Chriſtianæ ancillæ prohibentur tradi lenonibus. 102. verſ.*Sed habemus*.
Chriſtiani crucem pecudibus inoſſerunt, vt ab eis luem auerterent. 120.6
Chriſtiani ſæpius Chriſti nomen & Crucis ſignum manibus inoſſerunt. 122. verſ. *decimò*, & ſeq. 127.
Chriſtianis fœminis aureus annulus datus non ad ornatum, ſed ad ſignanda ea quæ domi cuſtodienda ſunt. 131.13
Chriſtiani tenentur ne Principi Infideli, ad cuius Ditionem appellunt, & per eam qualibet de de cauſa tranſeunt, vectigalia ſoluere. 288.3
Chriſtiani ex conſilio Pauli omnia vænalia in macello emebant, nihil interrogantes propter conſcientiam. 375.verſ.*vltima*.

Chus.

Chus eſt liquidorum menſura apud Græcos. 165.5
Chus eſt idem Græcis quod congius Romanis. ibid.
Chus capacitas ex illius cum Romanis menſuris comparatione dignoſcitur. ibid.

Cinnabaris.

Cinnabaris adhibebatur epiſtolis ad fidem faciendam. 125.verſ.*aliquando*.
Cinnabaris eſt ſanguis draconis. ibid.

Circumciſio.

Circumciſio ſignum diuinum auctore Deo hominibus impreſſum. 119.verſ.*& quidem*.
Circumciſio fuit ſignum à Deo inſtitutum, vt Abrahæ genus à cæteris omnibus dignoſceretur. ibid.

Claſſis.

Claſſis frumentaria inſtituta, vt ſtatis temporibus deueheretur annona. 271.1
Claſſis Alexandrina celebris inter frumentarias; in cuius locum ſubſtituebatur Africana. ibidem.
Claſſes annonariæ & frumentariæ magna pompâ effuſo in littus populo, illuſtribus viris, ipſoque etiam Senatu excipiebantur. 278.verſ.*claſſis*.
Claſſes tum publicæ, tum priuatorum deuehendæ annonæ adhibitæ. ibid.verſ.*vide*

Clauis.

Clauis S. Huberti quare hominis & cæterorum animalium fronti imprimitur. 121. verſ.*certius*.

Clericus.

Clericis beneficiatis tum cæteris omnibus, tum etiam religioſis prohibetur negotiatio. 18.1
Clericus negotiator excommunicationem incurrit. 19.2
Clericorum negotiationem & mercaturam agentium aliæ pœnæ. ibid.
Clerici negotiantes nequeunt diſponere teſtamento de acquiſitis per negotiationem & mercaturam. ibid.3
Clerici negotiantes incidunt in peccatum mortale. ibid.4
Clerici qui poſſunt redire ad ſæcularia non prohibentur tractatione negotiorum ſæcularium. 20.4
Clerici religioſi grauiùs puniendi quoties ſe negotiis ſæcularibus immiſcent. ibid. verſ. *Clericorum*.
Clericos & religioſos negotiationem agentes excuſat à culpa grauis neceſſitas. 20.5.& ſeq.
Clericus poteſt exercere negotiationem per aliam perſonam, modò non fiat nomine ipſius Clerici. 20.verſ.*Ad extremum*.
Clericis non prohibetur negotiatio non lucratiua. 20.6
Clerici & religioſi poſſunt exercere omnia opera & artes quæ cum negotiatione coniunctæ non ſunt. 21.7
Clerici & monachi licitè poſſunt ſua opera vendere & ex ſuo labore negotiari. 21.8
Clerici nequeunt exercere artem ex qua ſequatur officij diuini neglectus. ibid.9
Clerici tenentur lege iubente frumentum pauperibus incolis certo pretio vendi, vrgente annonæ penuria. 196.verſ.*monet*.
Clericis prohibetur vectigalium, & aliarum rerum publicarum conductio. 368.verſ.*deinde*.
Clerici poſſunt ipſi vel per ſe colere, & conducere villas, & prædia Eccleſiarum, quæ ipſis in aliquod tempus pro portione Eccleſiaſtica dantur. ibid. 369
Clericis æquè ac laïcis licuit ante Concilium Laodicenum, & Nicænum fœnerari. 428.2
Clericus gaudet præſcriptione fori, non obſtante pacto in contrarium. 491.*init*.
Clericus vbi de crimine agitur nequit renuntiare priuilegio clericali. ibid.
Clericis non competit reſtitutio in integrum quoad bona patrimonialia ratione ſolius Clericatus. 656.1

Cociones.

Cociones ſunt qui credito vendunt, & non numerata pecunia. 10.5

Cochlear.

Cochlear menſurarum omnium minima dicitur. 161.8

Index Rerum.

Cochlearis nomine duplex menſura deſignata. ibid.

Cælebs, & Cælibatus.

Cælibes legibus Romanis coniugibus non adæquabantur. 517.verſ.*Vide.*

Cœlibatus probroſus fuit apud Rumanos. ibid.

Collatio.

Collatio nummorum à paucis benè, & clarè pertractata. 437.1

Collatio nummorum in quo conſiſtat. ibid.

Collatio in nummis eiuſdem generis & materiæ quomodo facienda. ibid.2

Collatio nummorum diuerſi generis. 438.3

ad Collationem nummorum monita generalia. ibid.

Colonus.

Coloni Thracenſes per vniuerſam diœceſim à capitatione releuati. 290.3

Coloni tantum deſcriptitij capitationem ſoluebant. ibid.

Coma.

Comam Abſalonis puellæ Solymitanæ emebant ducentis ſiclis. 73.2

Coma Samſonis à Philiſtæis empta. ibid.

Coma Niſi Megarorum Regis Minoi à Sylla oblata. ibid.& ſeq.74

Coma hominum & mulierum non tantum, ſed etiam aliæ corporis partes venales habentur. 74. 2.3

Comæ magni habitæ. 74.3

Comes.

Comites portuum quare inſtituti. 176.*init.*

Comes portus Romæ inſtitutus, alter Rauennæ. ibid.

Commercium.

Commercij variæ acceptiones. 7.6

Commercium eſt ius vendendi emendique inuicem. 8.6

Commercia turpia ratione materiæ non ſunt idonea materia negotiationis. 11.2

Commercium poteſt exerceri circa res futuras & in ſpe tantum exiſtentes. 56.5

Commercium mancipiorum quæ ex Indiis orientalibus & occidentalibus in Europam tranſuehuntur in Gallia infame & illicitum. 68.3

Commerciorum æquitas pendet ex legitimo ponderum & menſurarum vſu. 176.1

Commercia veterum impio fœnore, vitiatis mercibus, iniuſtiſque mediis agitata, atque à Deo damnata. 177.verſ.*apud.*

Commercia cum Turcis, Sarracenis, aliiſque Fidei Chriſtianæ hoſtibus, tum ab Eccleſia, tum à Chriſtianis Principibus prohibita. 190.7

Commercium alicuius rei, vel artem aliquam prohibitam exercens, an peccet, & ad reſtitutionem teneatur. 196.1. & ſeqq.197

Commercium alicuius rei alicui vni ex priuilegio, vel in compenſationem conceſſum, exercens peccat violando ius alterius. 197.3

Commercia maritima non ſunt cuilibet genti libera. 218.17

Commerciorum & negotiationis auiditas in Phœnicibus antequam Chananitide pellerentur. 233.verſ. *hoc ipſum.*

Commercia maritima Salomonis. 234.*init.*

Commercia, & commutationes ante inuentam monetá maximis difficultatibus agitabantur. 386.1

Commercij difficultas cum maximo Reipublicæ damno aliquando naſcitur ex mutatione monetæ. 445. 3

Concilium.

Concilium Nicænum omnibus Clericis fœnerari ob dignitatem ſtatus vetuit. 428.2

Concilium Laodicenum vſuram hemiolicam a Conſtantino latam prohibuit. 432.10

Conditio.

Conditio in vniuerſum eſt aliquid negotio, aut diſpoſitioni appoſitum vnde effectus eius pendet. 506.1

Conditionis prima diuiſio in conditionem de præſenti, de præterito, & de futuro, & aliæ plures eius diuiſiones. 506.2

Conditio poteſtatiua, fortuita, & mixta quid ſint. ibid.

Conditiones per quas particulas explicentur. ibidem 3

Conditio opponitur contractui, & cuicumque diſpoſitioni tribus modis. ibid.4

Conditiones de præſenti, vel de præterito, diſpoſitioni alicui adiectæ non ſuſpendunt, infirmant, aut mutant contractum. 507.1

an Conditio de re præſenti, vel præterita, quæ tamen credebatur eſſe de re futura ſuſpendit diſpoſitionis effectum. 508.1

Conditio de futuro quotuplex ſit. 509.1

Conditio de futuro ſemper ſuſpendit effectum contractus cui apponitur, & quomodo. ibidem 2

Conditio de futuro neceſſario contractui appoſita non ſuſpendit conſenſum, ſeu obligationem in euentum conditionis, niſi ita conſtet de intentione contrahentium. ibid.

Conditio de futuro contingenti eatenus ſuſpendit conſenſum & obligationem in euentum ipſius quatenus eius futuritio incerta eſt contrahenti. 509.3. & ſeq.

Conditiones quæcumque merè contingentes ſuſpendunt diſpoſitionem cui adiiciuntur vſque ad euentum conditionis. 511.4

Conditio tacita quid ſit. ibid. n.1

Conditio tacita non facit diſpoſitionem cui adiicitur conditionalem. ibid. 3

Conditiones tacitæ nocent diſpoſitioni ſi contra prohibitiones legis exprimantur. ibid.

Conditiones quæ tacitè inſunt diſpoſitioni non faciunt illam conditionalem etiamſi exprimantur. 512.3

Conditio quæ aliter exprimitur quàm quomodo tacitè ineſt facit diſpoſitionem conditionalem. ibid.4

Conditionum quæ tacitè inſunt diſpoſitioni expreſſio prohibetur à lege, & ſi exprimantur nocent diſpoſitioni. ibid.5

Conditionum quarundam ſingularium exempla. ibid. & ſeq.

Conditiones quæ obligant ad aliquid contradictoriè oppoſitum obligationi radicali actui cui adiiciuntur, illum deſtruunt. 513.1

Secus verò ſi adiiciantur actui per modum pacti, & obligationis, ſed ſuſpenſiuæ tantùm. 513.2

Conditio contra ſubſtantiam actus contractui appoſita per modum pacti aut obligationis aliquando mutat contractum in alium. 514.3

Conditiones impoſſibiles licet contradictoriè non opponantur actui cui adiiciuntur, illum tamen vitiant, & anullant omni iure. ibid.4

an Conditiones impoſſibiles adiectæ matrimonio illud inualident. 515.6

Conditiones turpes idem ſunt ac impoſſibiles; & quædam alia circa illas notanda. ibid.

Condi

Conditio directè nuptias prohibens adiecta contractibus illos vitiat & irritat. 516.1
Conditio indictæ viduitatis adiecta teſtamentis reiicitur à iure. 517.*init.*
Conditio indictæ viduitatis cur contractus irritet, cùm teſtamenta non inualidet. 518.*init.*
Conditio indictæ viduitatis teſtamentu appoſita irritat illum ſi certò conſtet talem fuiſſe mentem teſtatoris, qui omninò voluerit ſuam diſpoſitionem à tali conditione pendere. ibid. verſ. *atque.*
Conditionis indictæ viduitatis,& à liberis quoquo modo abertentis varij caſus. 518.2
Conditio non nubendi abſolutè ſumpta non eſt turpis,ſed quatenus omnes nuptias directè prohibet. 519.3
Conditio prohibens nuptias viduis valida eſt & reiicitur à iure. 519.4
Conditio non nubendi poteſt in aliquibus caſibus validè diſpoſitioni alicui apponi. 520.5
Conditio ſi caſtè & honeſtè vixerit quid ſit & quomodo violetur. 520.6
Conditio caſtè viuendi an violetur per occultam fornicationem. 521.7.& ſeq.
Conditio non tranſeundi ad ſecundas nuptias non datur per fornicationem. ibid.
Conditio non conuolandi ad ſecundas nuptias quandonam cenſeatur apponi legato, ſi illa diſertè non exprimatur. 521.8
Conditio ſi nupſerit legato, aut teſtamento adiecta,valida eſt; & an poſſit remitti fauore Monachiſmi, aut Clericatus. 522.10
Conditio a Religione retrahens non reiicitur à iure. 523.11.& ſeq.
Conditio nuptias cum certa perſona præſcribens ſeruanda eſt. 523.12
Conditio præſcribens certas nuptias non poteſt apponi legitimæ. ibid.13
Conditio certas nuptias cum perſona indigna præſcribens nulla eſt. 523.13
Conditio certi matrimonij quæ mixta eſt, & pendens ex duorum contrahentium voluntate,quoties non impletur abſque culpa eius cui impoſita eſt, valet legatum, & conditio habetur pro impleta. ibid.verſ.*quoties.*
Conditionum diuerſæ ſpecies diuerſimodè implendæ. 527.1.& ſeq.
Conditiones hypotheticè impoſſibiles duplicis generis. 528.2
Conditio implenda in ſpecifica forma debet impleri iuxta mentem potiùs quàm verba diſponentis, & vbi de mente non conſtat verbis herendum. 519.4
Conditio implenda in forma, tota, & non ex parte eſt implenda. ibid.5
Conditionibus diuerſis coniunctim adſcriptis ſingulis parendum eſt, ſecus ſi diuiſim adſcriptæ ſint. 530.6
ex Conditionibus diuiſim adſcriptis ſufficit vnam impleri vt omnes cenſeantur impletæ. ibid.
in Conditione implenda receditur à verborum rigidori ſignificatione, vbi euidenter conſtat de mente diſponentis. 530.7.
Conditio non cenſetur impleta ſi verba in proprio ſenſu non accipiantur vbi de mente diſponentis non conſtat. 531.8
in Conditione *ſi nupſerit*, ſubintelligitur ſi *rectè* nupſerit. ibid.9
in Conditione *ſi ſine liberis*, an veniant adoptati, aut naturales. 551.10.& ſeq.
Conditiones ſecundùm exactam verborum ſubtilitatem impoſſibiles implendæ ſunt per æquipollentiam. 532.11
Conditio impoſſibilis in ſpecifica forma non facit ceſſare diſpoſitionem ſi impleatur per aliquid æquipollens. ibid.533
Conditio falſa pro impoſſibili habita. ibid.
Conditioni emancipationi ſatisfit quocumque modo liberi ſui iuris efficiantur. 534.*in med.*
Conditiones in ſpecifica forma impoſſibiles impleri poſſunt per æquipollens licet ſit certus appoſitus modus. 535.12
Conditio impoſſibilis tantùm ex ſuppoſitione non vitiat diſpoſitionem, ſi quoties poſſibilis foret, illam non vitiaret. 536.14
Conditio impoſſibilis in ſpecie ſemper vitiat actum, quando ipſum factum, eiuſque poſſibilitas ponitur implicitè, vel explicitè in conditione. 536.15
Conditiones cuiuſuis generis quo tempore implendæ. 537.*init.*
Conditio *ſi primum marem pepereris*,impletur,licèt eodem partu fœmina prior edatur. 541. verſ. *Reſp.*
Conditio non debet neceſſariò eſſe impleta, quando quod ſub ipſa relictum eſt ſtatim ſine nouo hominis facto poteſt impleri. 541.21
an Conditione impleta dies ſit expectandus quando diſpoſitioni adiecta fuit conditio, & dies ſimul. 542.22
Conditio alicui diſpoſitioni adiecta à quibus ſit implenda. 541.23.& ſeq.
Conditioni in plures perſonas collatæ, ſingulæ parere debent. 543.verſ.*octauo*
Conditionis implendæ,ius in vltimis voluntatibus ad hæredes non tranſmittitur. 543.24
Conditionis non perſonalis adimplendæ ius poteſt tranſmitti ad heredes in contractibus. 544.verſ. *his obſeruatis.*& ſeqq.
Conditione pendente non receditur licitè à contractu. 548.4
Conditio adimplenda eſt vt obtineatur diſpoſitionis effectus, non debet autem neceſſariò eſſe adimpleta. 540.10
Conditiones de futuro poſſunt apponi contractui ſponſalitio. 553.1
Conditio verè de futuro adiecta voto ſuſpendit eius obligationem. 559.2
Conditio impoſſibilis annullat,& vitiat votum,non ſemper condito turpis. ibid.3.4
Conditio voto adiecta implenda eſt in ſpecifica forma. 562.7
an Conditio alternata alieni diſpoſitioni adiecta tota impleri debeat. 565.3

Conductor.

Conductor rei dominicæ,aut fiſcalis, vtrum ab emptore aut donatario illius rei ante finitam conductionem expelli poſſit. 370. verſiculo *quartò.*
Conductor Domanij Regij, aliorumque redditutum, non poteſt ſibi retinere fructus quoſdam extraordinarios, qui debentur Regi in ſignum cuiuſdam præcellentiæ, & prærogatiuæ perſonalis. ibid. 371
Conductores publicorum vectigalium, aliorumque bonorum fiſcalium, tenentur dare fideiuſſores. ibid.
Conductoris nomen aliquando locatoribus aptatur. 243.2
Conductor quis verè dicatur. ibid.
Conſeſſa

Index Rerum.

Confeſſarius.

Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat circa pœnitentes gabellam aut vectigal retinentes. 346. *confeſſ.*7

Confeſſarij monentur inquirere cauſam nullitatis matrimonij ob impedimentum occultum. 623. 4. & ſeqq.

Congius.

Congius octaua amphoræ pars & vrnæ quarta. 160.3

Congius vini & olei menſura. ibid.

Congiarium munus erat populo ab Imperatore datum. ibid.

Congariæ principales liberalitates. ibid.

Congij menſura Nouellium Torquatum Mediolanenſem Tricongium vocari fecit. ibid.

Coniux.

an Coniux ignarus nullitatis matrimonij ob impedimentum occultum moneri debeat illius nullitatis, vel ceſſationis impedimenti, vt denuò conſentiat. 623.5

Coniux vterque conſcius eſſe debet nullitatis prioris matrimonij, vt in nouum denuò, & validè contrahant. 624.6

Contractus.

Contractum eſſentialiter perfici, & impleri diuerſa ſunt. 346.1

Contractus diuerſis mediis eſſentialiter perficiuntur. ibid.

Contractum re perfici, obligationemque re contrahi, & actionem ex re proficiſci differunt. 454. verſ. *Reſp.*

Contractus in quo differat à pacto. 455.3

Contractuum diuiſio ex Ariſtotele. 456. 4

Contractuum aliæ diuiſiones magis inſtrinſecæ. ibid.5. & ſeq.

Contractus alij lucratiui, alij oneroſi. 458.10

Contractus bonæ fidei, & qui ſtricti iuris dicantur. 459. *init.*

ad Contractum validè celebrandum requiritur conſenſus liber; & perſona habilis ad contrahendum. 459.1.& ſeq.

Contractus aliqui à iure filiisfamilias prohibiti. 461. 5

Contractus pro primo effectu habet obligationem naturalem, ciuilem, aut mixtam. 474.1

Contractus aliqui re perficiuntur, alij ſcriptura, alij verbis. ibid.2

Contractus dubius interpretandus eſt iuxta conſuetudines loci in quo celebratus fuit. 500.3

Et hoc etiam verum eſt in ſoluenda gabella. ibid. 501

Contractus purus & abſolutus quis ſit. 503.1

Contractus conditionatus nullam parit obligationem conditione pendente. 324.1

Contractus aut conditio conditionata parit obligationem expectandi euentum conditionis, licèt non ſtatim pariat obligationem ad rem promiſſam. 525.3

Contractus conditionatus ita fit abſolutus impleta conditione ac ſi ab initio ſine vlla conditione celebratus fuiſſet. 527.verſ. *horum.*

Contractus aut alterius diſpoſitionis conditionatæ effectus quandonam obtineatur, an quando impletur conditio, an cùm impleta eſt. 537. 16. & ſeqq.

an Contractus conditionales indigeant nouo conſenſu poſt conditionis euentum. 545.1

Contractus quilibet conditionalis neceſſariò & formaliter includit conſenſum aliquem præſentem, quamuis à futura conditione pendentem. 546. 2

Contractus quidam qui quando fiunt ponunt tantùm obligationem, non autem obligationis executionem. 547.3

Contractus alij ſunt qui ſolo conſenſu perficiuntur, alij traditione rei indigent. ibid.

in Contractu conditionato nunquam licitè reuocatur conſenſus pendente conditione altero contrahente inuito. 548.4

in Contractu conditionato aliquando validè reuocatur conſenſus; inualidè verò ante conditionis euentum. 548.5

Contractus conditionati qui ſolo conſenſu perficiuntur adueniente conditione purificantur, & obligant abſque nouo conſenſu, ſtante priore, neque validè reuocato. 548.5. & ſequentib. 549.

in Contractibus qui traditione rei indigent vt perficiantur validè poteſt reuocari conſenſus ſi conditionatè fiant. 550.8

Contractus qui traditione perficiuntur ſi conditionatè fiant indigent nouo conſenſu poſita conditione; ſecus verò ſi ſufficiat traditio virtualis, & interpretatiua tantùm. 551.9. & ſeq.

Contractui ſponſalitio poſſunt apponi conditiones de futuro. 553.2

Sicut etiam contractui matrimonij. 554.1

Contractus in diem dicitur ille cui executioni mandando præfitur certum tempus. 567.1

Contractus alternatiuus ratione rerum in quas cadit affectio ita liberam relinquit electionem debitori vt non obligetur niſi ad minorem ſummam, & longiori tempore ſoluendam. ibid.

Contractus in quo alternatiua inſeritur inter res in quas cadit, dat electionem debitori vtram velit ſoluere. ibid. 3

Contractus annuus quid ſit. 572.1

Contractus annuus vnam tantum inducit obligationem puram, ſimplicem, abſolutam, & perpetuam in ſingulos annos. 573.2

Contractus annuus, & legata annua in pluribus differunt. ibid. & ſeq.

Contractus diuidui, & indiuidui quinam ſint, & ratione cuius tales dicantur. 574.1

Contractuum diuiſio aut indiuiſio deſumenda eſt ex natura rei quæ in contractum deducitur, & in quam cadit obligatio, radicaliter deſumenda eſt. ibid.3

Contractus dici poteſt diuiduus vel indiuiduus quatuor tantùm modis. 575.4

Contractus omnes qui pro materia habent quantitatem, ſiue res in pondere, numero, & menſura conſiſtentes, omni prorſus modo diuidui ſunt. ibid.6.& ſeq.

Contractus diuiduus ratione quantitatis, eſt etiam diuiduus ratione ſolutionis. 576.9

Contractus diuiduus ratione ſolutionis eſt etiam diuiduus ratione liberationis. ibid.

Contractus quilibet quo res aliqua particularis certa, & determinata deducitur in obligationem in ſpecie, eſt omni ratione diuiduus; ſi verò res illa ponatur in genere, vel alternatiuè, contractus erit indiuiduus ratione liberationis, in reliquis verò diuiduus. 576.*in fin.*& ſeq. 577.11. & ſeq.

Contractus de re particulari in genere diuiduus eſt ratione obligationis diuiſionis inter heredes, indiuiduus tamen ratione liberationis. 578. 12

Contractus alternatiui diuidui ſunt ratione obligationis, diſtributionis inter hæredes, & ſolutionis ſicut pacta rei in genere. 579.13

Contractus circa ſeruitutes reales omni ratione indiuiduus eſt; circa ſeruitutes verò perſonales diuiduus eſt, vel indiuiduus prout eiuſmodi ſeruitutes diuiſionem pati, aut non pati poſſunt. 579.14. & ſeq.

Contractus aliquam ſeruitutem realem promittens eſt omni ratione indiuiduus. 580.*init.*

Contractuum diuiduorum, & indiuiduorum circa ſeruitutes perſonales exempla. ibid. num.15. & ſeq.

Contractus circa factum aliquod præſtandum ſemper indiuiduus eſt. 581.16.& ſeq.

Contractus incertus vnde ita dicatur. 583.1

Contractus dupliciter confirmari poteſt iuramento. 588. 6

Contractus quomodo dicatur confirmari quoad eff ctum. 589.verſ.*Reſp.*

quinam Contractus directè, quinam indirectè confirmentur. 589.7

Contractus naturaliter nullus nulla ratione confirmatur iuramento. 590.8

Contractum factum obligare, & obligationem quæ illi deerat contractui propter eius nullitatem, fieri materiam, & obiectum alterius contractus diuerſa ſunt. ibid.

Contractus à prodigo factus nequit firmari iuramento. 591.verſ.*quare.*

Contractus ciuiliter nullus non confirmatur directe per iuramentum illi ſuperadditum, indirectè tamen poteſt iuramento confirmari. 591.9

Contractus non cenſetur ritè confirmatus per denegationem actionis ad illius reſciſſionem. 595.12

Contractus non magis confirmatur iuramento ſuperaddito promiſſioni de illo non violando, quàm ſi tale iuramentum caderet directè in contractum. 599.16

Contractus irriti propter vtilitatem priuatam ſecundum aliquos poſſunt confirmari iuramento, niſi cauſa irritationis fuerit turpitudo creditoris: contractus verò irriti propter bonum publicum non poſſunt confirmari iuramento. 605. 1. 2. & ſequent.606. Quæ communis doctrina impugnatur. ibid.606.5

Contractus irriti ob vtilitatem publicam quinam dicantur. 608.7

Contractus inualidus factus contra priùs iuramentum nullatenus poteſt confirmari iuramento ipſi adiecto, ſiue poſterius iuramentum ſit contrarium priori, ſiue non ſit. 609.3.4

Contractus aliáue diſpoſitio inualidatur ex tribus præcipuis capitibus. 620.verſ.*obſerua.*

ad Contractum defectu alicuius ſolemnitatis ſubſtantialis inualidum reualidandum ponenda eſt ſolemnitas omiſſa, neque ſola ratihabitione reualidari poteſt. 620.2

Contractus inualidus ratione incapacitatis materiæ quomodo reualidandus. 625.5

Contractus nullus defectu veri, & liberi conſenſus quomodo reualidetur. ibid.

Contractus inualidus ratione doli quid requirat ad ſui reualidationem. 625.8

Contrahens.

Contrahens cum minore obligat ſe illi ciuiliter, non ſibi tamen obligat minorem. 462.2

Contrahens cum minore non tenetur illi reſtituere quod ab eo vi illius contractus accepit, ante ſententiam iudicis. 465. 8

Contrahens tribus modis ſe habere poteſt circa appoſitionem conditionis. 507.4

Contrahens ſtatim impleta conditione poteſt petere rem ſibi contractu conditionato debitam. 550.7

Contributio.

Contributio mercatorum & nautarum quo caſu facienda ſit. 258. verſ.*quo caſu.*

Contributio debet æquè fieri in vno caſu atque in alio. ibid.

Contributio ab omnibus fieri debet ad nauim à piratis redimendam. 258.verſ.*ſecundò.*

Contributioni non eſt locus cum merces a piratis deprædantur. 259.verſ.*tertiò.*

Contributio fieri debet ſi quoties nauis non poteſt appellere portum, merces aliquæ oneris leuandi causâ in ſcapham mittuntur, & ipſa ſubmergitur, non è contra. 259. verſ. *quartò quoties.*

Contributioni locus eſt ſi iactus mercium ſemel nauem ſaluam fecerit, quamuis deinde perierit. 259. verſ. *quintò.*

Contributioni locus eſt propter primum iactum mercium, quo leuata fuit nauis, non propter naufragium. ibid.

Contributioni locus eſt quando merces alicuius propter iactum deterioratæ ſunt. 260. verſ. *ſextò.*

Contributio debet fieri præſente pretio. ibid.

Contributio ita fieri debet, vt cuiuſcumque contribuentium portio præ æſtimatione rerum quæ ſaluæ factæ ſunt, & earum quæ amiſſæ ſunt præſtari debeat. 261.verſ.*reſtat modus.*

Contributioni non eſt locus pro liberis capitibus. 261.verſ.*ſecundò.*

in Contributione non habetur ratio ponderis mercium, ſed æſtimationis. 261.verſ.*reſp.*

in Contributione fieri debet æſtimatio veſtimentorum, annulorum aliorumque eiuſmodi. ibid. verſ.*quartò.*

in Contributione non habetur ratio eorum quæ conſumendi causâ naui impoſita ſunt. ibid. verſ. *quintò.*

Contributio exoneratur quoties res quæ iactæ fuerunt apparuerint, vel recuperatæ fuerint. ibid. verſ.*ſextò.*

in Contributione facienda Regi, quo iure quibuſve moribus vtendum. 262. verſ. *ad extremum.*

Conſtitutio.

Conſtitutiones diuerſæ aduerſus lenones. 101.8. & ſeq.

Conſtitutio Iuſtiniani de lenonibus arcendis. 102. 9

Conſtitutio Sancti Ludouici de prohibendis lupanaribus & fugandis meretricibus. 103.10

Conſtitutiones aliæ poſteriores plurium Regum. ibid.

Conſtitutionis Iuſtiniani de lenonibus arcendis concluſio. ibid.103

Conſtitutionis Conſtantini, legis 7. C. de *ædific. priuat.* comparatio, & explicatio. 188. verſ. *ſextò.*

Conſtitutiones Regiæ in ius grænatiæ, ſiue grairiæ. 302.8.& ſeq.303.304

Conſtitutionis Valentinianæ perſpicua ſententia. 435.verſ. *his notatis.*

Conſtitutio Alexandri Florentino militi reſtitutionem in integrum denegantis, qui venditionem à ſe minore factam, & iuramento adiecto

firma

firmatam reſcindi poſtolabat. 616.4.& ſeq.

Conſuetudo.

Conſuetudo iuſta retineri debet. 270.11

Conſuetudine an poſſit præſcribi ius exigendi tributum, ſicut etiam noua imponendi. 271. 10

Conſuetudine, etiam immemoriali nequeunt præſcribi iura Regalibus ſceptris, ac ſupremæ iurisdictioni teneaciſſimè infixa. 271. verſ. *dicendum.*

Conſuetudo exigendi tributum, & illud imponendi valdè differunt. 272.

Conſuetudo immemorialis plurimùm valet in exigendis imponendiſque tributis. 272.11

Conſuetudo poteſt dari quæ ita legem interpretetur, vt non obliget ad pendenda vectigalia niſi petantur. 330. verſ. *venio.*

an Conſuetudo ita legum tributariarum obligationem explicet, vt non niſi petita tributa ſoluantur. 330.*per tot.* & ſeq.331

Conſuetudines & mores loci maximè attendendæ in contrahendo. 500.2

Conſuetudo realis, & perſonalis maximè attendendæ in iudicio contractus. 501.7.& ſeq.

Conuentio.

Conuentio de re turpi & illicita ſemper eſt turpis & illicita. 82.1

Conuentionum aliæ ſunt turpes natura, aliæ ciuiliter. ibid.2

Conuentio rei turpis non ita iure naturali inualida eſt, vt opere prauo commiſſo, & re turpi poſita nefas ſit pretium conuentum retinere. 83.3

Conuentio de re turpi iure naturali eſt inualida ante eius executionem inchoatam. 89.10.11

Conuentio rei turpis aliquando iure poſitiuo inualidatur. 89.12

Conuentio vt quis faciat aut omittat quod facere aut omittere tenetur, eſt inualida. 92. verſ. *quartò*, & ſeq.

Conuentio turpis eſt pretium dare vel accipere ne opus ex aliqua virtute debitum ponatur. 94. verſ. *Aio ſecundò.*

Conuentio dandi pretij pro opere ex alia virtute, quàm ex iuſtitia debito non eſt neceſſariò turpis. ibid. verſ. *Aio quartò.*

Conuentio vt pacto pretio fiat aut omittatur ius ab eo qui illud facere aut omittere tenebatur ex charitate vel alia virtute præterquam ex iuſtitia, licèt ſit turpis, non tamen eſt inualida, neque ex ea naſcitur obligatio reſtituendi pretij ex iuſtitia. 93. verſ. *vltimò*, & ſeq. 94

Conuentionum diuiſiones ex Vlpiano. 457.6

Conuentio nuda aliquando opponitur cauſæ generaliter, aliquando traditioni rei. ibid.8

Conuentiones cauſariæ quæ, quarum aliæ nominatæ, aliæ innominatæ dicuntur. 458.*init.*

Conuentiones aliæ expreſſæ, aliæ tacitæ, pluresque earum diuiſiones. 458.9

Corona.

Corona ſignum captiuorum vænalium. 132.14

Corona eſt vniuerſarum hyperaſpidum auguſtiſſima, & illuſtriorum honorum index. 136.3

Corona aurea plus longè Dynaſticæ dignitatis habet galeata hyperaſpide. 136.3

Coronæ faſtigiariæ plurima exempla. ibid. & ſeq. 137

Corpus.

Corporis humani præſegmina vendi poſſunt. 74.2. 3 4 & ſeq. 75

Corporis humani partes vendi poſſunt, modò id fieri poſſit abſque mutilatione aut periculo vitæ. ibid.4. & ſeq.

Corporis humani partes quæ ſine ſcelere nequeunt diſtrahi in commercium venire non poſſunt. 75. verſ. *Denique.*

Corporis humani variæ partes ſtigmatiſatæ. 122. verſ. *Nonò.*

Cortalini.

Cortalini omnibus curſus publici miniſtris ſubiiciebantur. 314. verſ. *ſubiiciunt.*

Cortalini curſus publici quinam, & eorum cura. ibid.

Corueæ.

Corueæ quibus indictæ. 291.6

Cornea eſt munus perſonale. ibid.292

Corueærum diuiſio. 291.7

Corueæ non vigent in tota Gallia. ibid.

Corueærum origo vnde. 292.8

Corueæ à clientibus debitæ vtrum poſſint reliquari. 295.13

Corueærum obligatio quomodo tranſeat ad hæredes. ibid.14.& ſeq.

Corueæ quandonam, & quomodo debeantur. 296. 15

Coruea eſt opera vnius diei; aliquando tamen non finitur vnica die. ibid.

Corueærum numerus vbi non eſt definitus, an, & quomodo poſſit definiri. 296. verſ. *quaad.*

Corueæru mius vtrum poſſit, & debeat cenſeri in dominij prouentibus. ibid.16

Corueærum ius diſtinguendum ab ipſis corueis. ibid.

Corus.

Corus maxima menſura Hebraïca aridis metiendis apta. 167. verſ. *ordior.*

Cori capacitas variè aſſignatur à diuerſis authoribus. ibid.

Corus alius maior, alius minor. ibid.

Cotyla.

Cotyla vas concauum continens dimidiam ſextarium. 161. verſ. *Cotyla.*

Cotylà eſt vſus Diogenes. ibid.

Cotyla hemioa dicta. ibid.

Creditor.

Creditor Principis poteſt debitum ſuum occulta vectigalium defraudatione compenſare, modò conditiones ad id requiſitæ ſeruentur. 339.1

Creditor Principis vtrum prædictum ius habeat quando Princeps ita gabellam à ſe abiecit, vt neque dominium directum, neque indirectum retinuerit. 340.2.& ſeq.

Creditor Regis licitè poteſt retinere gabellam in compenſationem debiti Regij, etiamſi rex illam vendiderit alicui, qui eius iam ſit factus abſolutè dominus. 343.7

Creditor contractu conditionato alium ſibi obligans non eſt verè creditor pendente conditione. 524. 1.& ſeq.

an Creditor poſſit exigere debitum ſub conditione aliqua ſibi acquiſitum præſtita priùs cautione Motiana. 526.5

Creditor conditionalis tantùm præferendus eſt abſoluto, ſi fuerit prior. 527.6

Cubitus.

Cubitus ſex palmis conſtat, digitis. 24. 172.4

Cubitum ſeſquipedem Latini dixere. ibid.

Cubitus eſt menſura in ſacris litteris frequentiſſima & variis vocibus ſignificata. 175.8

Cubiti menſura & extenſio. ibid.

Cubitus quis maior, quis verò minor dicatur. ibid.

Cubitus alius legalis, alius ſacer apud Hebræos. ibid.

Cubiti pro menſura in ſacris litteris vſurpati variæ interpretationes. ibid.

Cubitus Regius, & verè Hebræus. ibid.

Culleus.

Culleus omnium Romanarum menſurarum maxima. 162.9

Culleus ex Corio factus erat menſura vinaria & frumentaria. ibid.

Curioſus.

Curioſi curſui publico deſtinati quinam; & quodnam eorum officium. 323.13

Curioſi alij agentes in re militari. ibid.

Curioſi curſus publici ita dicti ſunt à cura. ibidem.

Curſor.

Curſores varij alij priuati, alij publici, de quibus omnibus dantur illuſtria exempla. 318.3

Curſores publici quinam apud antiquos, & eorum officium. ibid. 4.& ſeq.

Curſores publici aut erant pedites, aut equites, aut vehicularij, & quomodò inuicem ſe gererent proprium munus obeundo. 319.5

Curſores publici ad quid primùm inſtituti. ibid.

Curſores ſine euectione, aut ſupra tempus ipsâ comprehenſum iter agentes olim coërcebantur, & retinebantur. 325.*init.*

Curſus.

Curſus publici prima inſtitutio. 319.verſ. *atque.*

Curſus fiſcalis à quo primùm inſtitutus, & ad quid, & quibus ſumptibus perageretur. 320.6

Curſus publicus quid & quomodo fieret. ibid. num.7

Curſus publicus quondam importunus Eccleſiæ Saſimorum. 321.verſ.*quod attinet.*

Curſus publicus inſtituendus erat via publica, & aliæ illius circumſtantiæ. 321.8.& ſeq.

Curſus publicus non omnibus, & quibus tantùm concedebatur. 321.9

Curſus publici ius certo euectionum numero definiebatur; & qui amplius vſurparet ſecundam tranſgreſſionem puniebatur. ibid. 10

ad Curſum publicum plures efficiales occupabantur. 323.13.& ſeqq.

Curſus publici mancipes ſiue redemptores qui, & vnde eligerentur. 314.verſ.*reſtant.*

Curſum publicum facere, & animalia illi deſtinata mouere ſine euectione non licebat. ibid.14.

Curſus publici onera, & vectigalia qui ferre tenerentur. 326.15

Cyathus.

Cyathus eſt duodecima pars ſextarij. 162. verſ. *cotyla.*

Cyathis in conuiuiis hauriendo vino vtebantur Romani. ibid.verſ.*ex his.*

Cyathi partes nominabant calices. ibid.

D

Dardanarij.

Dardanarij variis pœnis mulctantur, & à negotiatione prohibentur. 18.8

Dardanarij vnde tales dicti. ibid.

Dardanarius eſt cociator, & ariblator. ibid.

Debitor.

Debitoris duas res alternatiuè debentis melior eſt conditio quàm ſi vnam tantùm debeat. 487.*init.*

Debitor ſob contractu conditionato obligatus debet præſtare cautionem de ſoluendo debito adueniente conditione, ſi poſt contractum eiuſmodi debitum ſuſpicio ſit fore non ſoluendo. 525.4

Debitor contractu conditionato obligatus non eſt propriè debitor pendente conditione. 524.2

Debitor ad diem certum poteſt ante diem ſoluere, ſi dilatio ſit appoſita in fauorem debitoris, ſecus ſi in fauorem creditoris. 569.verſ.*tertiò.*

Debitor in diem certum non poteſt repetere ſolutum ſi errore iuris vel facti ſoluat ante diem præfixum. ibid.

Debitor principalis rei genericæ, & eius partiarij heredes in quo differant. 578. verſ.*quinimmò.*

Debitores pecuniam minori debitam deponentes, & obſignantes liberantur, venia minori facta illam accipere adhibito curatore. 637.3

Debitor minoris ſoluendo eius curatori plenam liberationem conſequitur: Sicut & ſi ſoluat minori Prætoria decreto, etiam curatoribus non adhibitis. ibid.p.637.*in fin.*

Debitum.

Debitum in frumento, aut hordeo contractum an poſſit à debitoribus perſolui in pecunia pro ratione pretij, vrgente annonæ penuriâ. 202. & ſeq. 204

Dæmon.

Dæmon illudit nebulonibus qui eius ope aurum & diuitias ſibi comparare poſtulant. 117

Dæmon aliquando pauculos, ſed veros tribuit nummos. ibid.

Dæmon voluit æmulari honorem quem Eccleſia exhibet ſacris martyrum exuuiis. 127.11.& ſeq.

Delegatio.

Delegatio quid ſit. 628.3

Delegatio tantum perficitur ſecuta ſtipulatione. ibid.

Delegatio vera, & propriè dicta quid ſit. ibid. 4

Delegatio actionis quid ſit, quomodo fiat, & eius effectos. ibid.

Demenſum.

Demenſum erat quod in cibum ſingulis menſibus dabatur ſeruis. 164.15

Demenſum nequaquam fuit certum menſuræ genus. ibid.

Demonſtratio.

Demonſtratio in futurum concepta vim conditionis habet. 529.3

an Demonſtratio in tempus præſens relata poſſit ſubire locum conditionis. ibid.

Denarius.

Denarius S. Petri vnde ſic dictus. 290.*init.*

Denarius Romanus quid, eiuſque figura, & nota 408.1

Denarius intelligitur argentei nomine abſolutè ſumpti. ibid.

Denarius eſt nomen adiectiuum quod ex ſe nihil ſignificat. 408.2

Denarius apud Latinos idem eſt quod drachma apud Græcos. ibid.3.& ſeq.409

Denarius valuit ſexdecim æris aſſibus. 410.5

Denarij aurei apud Romanos cuius valoris.414.1.

Denarij nummi diuiſio. ibid.6

Denarij vox æquiuoca apud monetarios. 442.*init.* & ſeq.

Deſcriptio.

Deſcriptio orbis vniuerſi quæ prima fuerit. 298.2. & ſeq.

Deus.

Dij, Lares, & Penates vendebantur & oppignerabantur apud Romanos. 54.2

Deorum genera duo. ibid.

Dij venales, & tributarij dicti. ibid. verſ. *venales.*

Deorum fana proſtibula quædam & meretricij fornices fuerunt. 98. verſ. *Reſp.*

Deus noluit Religionis ſpecie impiari ſuum cultum & templum. 98. verſ. *noluit.*

Deus æquè abominatur munus meretricium atque canis pretium. ibid.

Deus exprobrans ſinagogæ idololatriam, eam fornicationis nomine deſignat. 99. verſ. *reſpond.*

Dij Viales & Semitales. 281.15

Deus Æſculanus Argen·ini Dei pater. 387.2

Dictum.

Dicta quædam Martiani de rationibus ad denarium explicantur. 422.2.& ſeq.

Dicta Hirtij, & Senecæ emendantur; ex quorum emendatione ſimiles loquendi modi in antiquis Scriptoribus poſſunt explicari. 425.3.& ſeq. 456

Dies.

an Dies ſit expectandus impleta conditione cum qua fuerat præfixus. 545.22

Dies certa quomodo capienda. 467.3

Dies à quo præfigitur terminus non computatur in termino. 569. verſ. *hinc.*

Dies incertus facit quamcumque diſpoſitionem conditionalem. 569.5

Dies certus, & incertus contrarios pariunt effectus. 570. *init.*

Dies biſſextilis camputandus eſt in legitima ætate definienda: vbi afferuntur caſus notabiles. 633.4

Digitus.

Digitus alius eſt rotundus, alius quadratus. 175.3

Digitus Hebræus Romano amplior. 174.7

Digitus in ſcriptura non reperitur pro certa menſura. ibid.

Diœceſis.

Diœceſis Thracenſis humanæ capitationis tributi immunis. 290.3

Diœceſis Thracenſis ſex prouinciæ. ibid.

Diætarij.

Diætarij nauibus præpoſiti quinam ſint. 239.2

Diætarij cuſtodes mercium naui impoſitarum. ibidem.

Diſpoſitio.

Diſpoſitio quæcumque dicitur in diem, cui exequutioni mandandæ præfigitur aliquis dies. 567.1

Diſpoſitio in diem obligat à die cui exequutioni mandandæ præfigitur. ibid.

Diſpoſitio in diem ſtatim parit actionem in reum, licet tueri ſe poſſit exceptione nondum decurſi temporis. 568. *init.*

Diuiſio.

Diuiſio terrarum orta occaſione linguarum confuſarum. 225.7

Diuiſio terrarum duplex inducta. ibid.

Diuiſio terratarum quo tempore contigerit. ibid.

Diuiſio terrarum facta à Ioue antequam Rhodus Inſula è mari emerſiſſet, eſt diuiſio à Noëmo eiuſque filiis facta. 238. *init.*

Dolium, Doliarium.

Dolium non eſt menſuræ genus, ſed vas variæ amplitudinis. 565.10

Dolium eſt vas rei cuiuſuis capax. ibid.

Dolia ſunt vaſa diuerſæ materiæ. ibid.

Doliarium non eſt locus vbi dolia ſeruantur, ſed vas quoddam ampliſſimum. ibid.

Doliare vinum. Vide verb. *vinum.*

Dolus.

Dolus malus ſemper reiicitur à iure ſiue ab initio, ſiue ex poſtfacto pactioni contigerit. 495.26

Dominium.

Dominium maris nullum eſſe quomodo, & à quibus probetur. 206.1

Dominium maris ineptè mortales ſibi vendicare velle illuſtri exemplo oſtenditur. 207. *init.*

Dominium iuriſdictionis poteſt haberi in maria particularia, & flumina publica, quod ad Principem, cui reliqua ditio ſubiacet, pertinet. 515.4

Dominium iuriſdictionis quod Princeps habet in maria, & flumina publica, an ſit cum proprietate coniunctum. ibid.

Dominium iuriſdictionis quod Princeps habet in mare, reſtringitur ad maria particularia. ibid.

Dominus.

Domini inferiores alicuius ſuperioris beneficiarij, nequeunt ſubditis quarundam rerum commercia inhibere, ſimiliaque onera illis imponere. 199.3

Domini non ſupremi neque ciuitates poſſunt condere ſtatuta, indirectè aliquarum rerum commercia omnibus communia prohibentia. ibid.

Dominus tenetur de culpa ſerui qui illum minus idoneum præpoſuit. 251.6

Domini fiduciarij ſummo iure non pollentes, an poſſint indicere vectigalia. 568.3

Dominus inferior, vel Dynaſta priuilegiario principis obtento diplomate, vectigalia poteſt exigere. ibid. 5

Domini obtinentes priuilegium capiendi vectigalia debent exhibere diplomata, eorumque vium & antiquam poſſeſſionem. ibid.

Dominus inferior nequit alia vectigalia exigere quàm quæ ſupremus Princeps exigebat tempore conceſſi diplomatis. 269. verſ. *in hac porrò.*

Domini inferiores in Gallia portoriorum & vectigalium iure gaudentes, tenentur ad reparationem viarum, pontium, aliaque eiuſmodi. ibid.

Domini inferiores debent conſulere conceſſionis tenorem in exigendis minuendis, vel augendis tributis. ibid. verſ. *aio quintò.*

Dominis inferioribus competunt quædam iura, præſtationes, & ſeruitutes quibus eorum vaſſalli ſunt obnoxij. 270.8

Domino ab hoſtibus capto vaſſalli tenentur de propriis fortunis contribuere ad illum redimendum. 285.19

Domini poſſunt ſubditis tributum imponere quando ad nouum, & ſummum militiæ gradum eue-huntur. 286. verſ. *Altera cauſa.*

Domino vxorem ducente eiuſque filiam in matrimonio collocante poſſunt cogi ſubditi ad tributum pendendum. ibid. verſ. *tertiò quando.*

Domino ad bellum cum Rege migrante, tenentur vaſſalli ſoluere hoſtenditias. ibid. verſ. *quarta.*

an Dominus ſibi debitas clientelares operas aliis cedere poſſit. 295.12

Dominis vtrum liberũ ſit cotueas reliquare. ibid. 13

Domini partiarij communis ſerui tenentur ſinguli in ſolidum ratione noxæ, aut damni quod ſeruus intulerit. 579.13

Domus.

Domus Orci meretricis ianua fluuiúſque rapidus vbi tutò tranſiri non poteſt. 108.13

Domus meretricis viæ inferi penetrantes in interiora mortis. ibid.

Donatio.

Donatio.

Donatio omnium bonorum poteſt confirmari iuramento. 624.9

Dorſum.

Dorſo inſcruntur aliquando aliquæ notæ. 123. verſ. *Decimotertiò.*

Dotalia.

Dotalia an veniant mercis appellatione. 62. verſ. *ſecundò.*

Drachma.

Drachma proprium Græcorum pondus & numiſma. 153. 2

Drachma nulla à Latinis cognita quàm Græca. ibid.

Drachma dicta holce. ibid.

Drachma ſic dicta quod ſit manipulus. 153. verſ. *libra.*

Drachmæ ethymologia. ibid.

Drachmæ & oboli diuiſio. ibid.

Drachma apud Græcos idem eſt quod denarius apud Latinos. 408. 3. & ſeqq.

Drachmæ valor eiuſque partes. ibid. & 409. 3

Ducenarij.

Ducenarij & centenarij quinam, & vnde ſic denominarentur. 363. verſ. *ſeptimò.*

Dynaſtæ.

Dynaſtæ poſſunt permittere excitari noua molendina in ripa alicuius fluminis non nauigabilis in aliquo tractu ſuæ iuriſdictionis. 201. verſ. *dicendum.*

Dynaſtæ Cæſarum, & Principum antiquo exemplo ius excubiarum ſibi ſumpſerunt. 297.17

Dynaſtæ aliqui Galli ius cudendi monetam auream poſt Ludouicum Hutinum à Supremis Regibus obtinuerunt; quod ante ipſum nulli indultum fuerat 440. 3

Dynaſtæ aliqui acceperunt à Supremo Rege ius cudendæ monetæ cum monetali lege, qua nummorum ſpecies, forma & modus præſcribebatur. ibid.

E

Eccleſia.

Eccleſia viam periuriis occluſit iuramento tantùm vim obligatoriam tribuendo non confirmatoriam contractus. 593. verſ. *reſpondet.*

Eccleſia gaudet priuilegio reſtitutionis in integrum per quadriennium à celebrato contractu; quod priuilegium extenditur ad alia pia loca, ad quæ extenduntur Eccleſiæ priuilegia. 656. 1

Eccleſia ſola gaudet priuilegio reſtitutionis in integrum poſt quadriennium à celebrato contractu, quoties læſa fuit fraude, vel dolo. ibid.

Eccleſiæ læſæ, contractus reſciſſio per beneficium reſtitutionis indulgetur, non tamen reſtituuntur fructus vnà cum re à die poſſeſſionis percepti. 668. 12

Edictum.

Edicta plurima tum prohibitoria, tum reſtitutoria circa maris & fluminum vſum, & dominium. 217. 15

Edicta plurimorum Regum de lupanaribus, & lenonibus arcendis. 103.10

Eleemoſyna.

Eleemoſyna in qua Deum fæneratorem habemus optima eſt negotiatio. pag. 2

Emptio.

Emptio conditionata eſt æquè pura impleta conditione ac ſi ab initio pura fuiſſet. 550.7

Emptor.

Emptor emens iactum retis, an captum omnium rerum ſibi comparet. 55. verſ. *ambigui.*

Emptor rei, aut artefacti ad nullam tenetur reſtitutionem, etſi talis quid emerit ab aliquo, cui talis ars, aut commercium prohibitum erat, aliunde ſeruata æquitate. 198. verſ. *& quidem.*

an Emptor alicuius rei, qui nouit venditorem defraudaſſe gabellam teneatur illam ſoluere. 338. 1. & ſeq.

Vide cætera in verb. *venditor.*

Encauſtum.

Encauſto pingendi genus triplex. 125. verſ. *fuit.*

Encauſte ſcripturæ genus. ibid.

Encauſtum quid ſit & quomodo conficiatur. ibid.

Encauſtica ab encauſticis an diſtinguantur. ibid.

Ephi.

Ephi eſt menſura aridorum, & cori decima pars. 168. 12

Ephi capacitas. ibid.

Epiſcopus.

Epiſcopi Madaurenſis aduerſus Optantium Epiſcopum querela. 483. 12

Epiſcopi Carthaginenſis, & Innocentij Præfecti querela ad Gregorium Pontificem. ibid.

Equus.

Equi, & iumenta, & alia quædam animalia vice tributi cuiuſdam exigebantur, ad curſum publicum. 318. 3

Equi curſorij, ſeu curſuales, veredarij dicti ſunt, & vnde hoc nomen ſortiti ſint. 321. verſ. *iſti equi.*

Equorum veredorum numerus, curſui publico deſtinatorum, ſicut & eorum onus definitus erat, quod tranſgredi non licebat. 323. 11

Equorum, & animalium curſui publico inſeruientium maxima habebatur cura. 323. 12

Error.

Error vulgaris Pragmaticorum circa diſtinctionem *l. Æmilius.* reiicitur. 650. 28

Euectio.

Euectiones erant codicilli quibus curſu publico vtendi poteſtas dabatur. 324. 14

Euectiones curſui publico inſeruientes dicebantur diplomata. ibid. & ſeq.

Eunuchiſatio.

Eunuchiſatio licita in omnibus caſibus in quibus alterius membri mutilatio licita foret. 78. 8

Eunuchiſatio à Iudice poteſt imponi in pœnam criminis. ibid. verſ. *Deinde.*

Eunuchiſatio dedecus. ibid.

Eunuchiſationis prima origo. 78. 5

Eunuchiſatio naturæ iniurioſa. ibid. verſ. *quod.*

Eunuchiſatio tantum licita ad vitam tuendam, & vbi alterius membri mutilatio licita foret. 79. 9

Eunuchiſationis cauſæ reiiciuntur. 79. 10. & ſeq. 80. 11. 12. & ſeq.

Eunuchiſatio duas cauſas requirit. 81. 13

vocis ſuauitas an reddat Eunuchiſationem licitam. 81. 13. 14

Eunuchus.

Eunuchis potius quam aliis quædam munia credebantur. 76. 3. & ſeq.

Eunuchorum nundinatio veteribus vſitata eaque quæſtuoſa. 76. 7

Eunuchi pretioſiores cæteris pueris. ibid.
Eunuchiſandi pueros cauſæ. ibid.2.& ſeq.
Eunuchorum habitus totus in fœmineum degenerat. 76.2
Eunuchi à pluribus corporis morbis liberi quibus cæteri ſunt obnoxij. 76.verſ. *ſecunda.*
Eunuchi frigidi & humidi. ibid.
Eunuchi in ſacris caſtimoniam præferentes erant tamen ſpurciſſimi. 77.verſ. *hi verò.*
Eunuchi vnde dicti. ibid.verſ. *ſecundum.*
Eunuchi Reginis famulabantur. ibid.
Eunuchi muneribus ab aulicis honorabantur. 77.4
Eunuchi poteſtate pollebant apud Reges. ibidem.
Eunuchorum fidelitas peruulgata. 78.verſ. *cauſa.*
Eunuchorum vox acuta & ſuauis. 78.6
Eunuchorum genera duo. ibid.7
Eunuchi deliciæ fœminarum. 78.5
Eunuchi Pontificali dignitate ornati, vnde rumor fœminam in eam ſedem inuectam fuiſſe. 79. verſ. *ius Eccleſiaſticum.*
Eunuchorum genus omnibus gentibus abominandum, exceptis Perſis & Aſſyriis. 79. ibidem.
Eunuchi tertium genus hominum. ibid.79
Eunuchorum nundinatio aliquando licita & honeſta, aliquando è contra. 81.15.& ſeq.

Exactio.

Exactio omnis tributorum, & capitationum facta fuit ad ſolidum, vel aureum. 414. verſ. *inclinante.*

Exactor.

Exactores vectigalium quinam, & eorum munus. 362.5
Exactoribus vectigalium quid præſcriberetur. ibid.
Exactores malè munus gerentes quibus pœnis, & benè gerentes quibus priuilegiis donarentur. ibid. & ſeq.
Exactores vectigalium proferre debebant tabulas cenſuales quoties poſſeſſores poſtularent. 364.7

Excubiæ.

Excubiæ debentur ex generali operarum & coruatarum promiſſione. 297.10
Excubiarum ius à Senatu Pariſienſi probatum. ibid.
Excubiarum ius perit, diruto caſtro cui excubiæ debentur; neque poteſt vendi niſi vendito caſtro. ibid.

Exercitor.

Exercitor nauis is eſt ad quem omnis quæſtus qui in exercenda naui fit, pertinet. 235.2.& ſeq.
Exercitor nauis poteſt eſſe maſculus, vel mulier, liber, aut quilibet alius. ibid.236
Exercitoris nomen, naui, pecuniæ, aliiſque multis nominibus poteſt adiungi. ibid.
Exercitor aurum & argentum apud ipſum depoſitum per mercatores tutum præſtare debet. 241.7

F

Fabricenſes.

FAbricenſibus ſolis licebat arma facere, cæteris priuatis prohibitum erat. 189.6
Fabricenſes ſoli in publicis fabricis arma conficiebant, iiſque peractis in publico armamentario reponebant. ibid.

Fabula.

Fabula Græca de Noëmo, in qua attendenda ſunt aliqua veritatis veſtigia. 227.10. & ſeq.
Fabula Rabbinica de quatuor nummorum apud Hæbreos percuſſoribus reiicitur. 394. verſ. *ex his.*
Fabula de nummis coriaceis in Gallia, reiecta. 399.6

Facultas.

Facultas eligendi alicui competens propter aliquam diſpoſitionem alternatiuam tranſmittitur ad illius heredes. 572.6

Fames.

Fames coegit Hebræos filios vendere vt egeſtati ſuccurrerent. 65.3
Fames adeò dira Italiam vexauit vt parentes venderent filios ad cibos emendos. 66. verſ. *& ſanè.*
Fames auri & diuitiarum tanta fuit, vt nonnulli ope dæmonum ea ſibi comparare non vererentur. 117

Femur.

Femoribus hominum & animalium notæ, & litteræ inuſtæ. 123.verſ. *decimoquartò.*

Feriæ.

Feriæ extraordinariæ indictæ dant cauſam reſtitutioni. 661.12

Ferrum.

Ferrum aceto temperatum ad omnes vſus inutile. 389.6
Ferrum poteſt liqueſcere ac ductile fieri æquè ac æs ad cudendam monetam. ibid.390
Ferrum fuſile quodnam. ibid.
Ferrum non ita eſt aptum ad cudendam monetam ſicut æs, & quare. ibid.

Feudum.

Feuda quomodo poſſint omnia dici feuda periculi. 294. 10

Fideiuſſor.

Fideiuſſor Religioſi an & quomodo obligetur ex contractu Religioſi. 468.3.& ſeqq.

Figulus.

Figulis habetur religio ſalinum in menſa cum ſale ponere. 251.6

Filia.

an Filia quæ contractu connubiali renuntiauit bonis paternis, maternis autem modica dote accepta, poſſit reſtitui aduerſus poſtremam contractus connubialis partem. 644.16

Filius.

Filij antiquo iure neceſſarij hæredes erant. 641.9

Filiusfamilias.

Filiusfamilias non iuuatur exceptione SC. Macedoniani ſi mercaturæ cauſa mutuò acceperit. 18.7
Filiusfamilias ſub patria poteſtate exiſtens poteſt ſe tum ciuiliter, tum naturaliter obligare; & in hoc differt à minore ſub tutoris authoritate exiſtente. 461.1
Filiusfamilias nequit de bonis aduentitiis, aut profectiis contractus vllos celebrare; quod tamen licitè faciet adueniente tacito patris conſenſu. ibid.2.& ſeq.
Filiusfamilias liberè poteſt abſque patris conſenſu de bonis caſtrenſibus aut quaſi caſtrenſibus contrahere. 462.verſ. *reſtant.*
Filiusfamilias impubes nihil poteſt irreuocabiliter vouere. 462.3
Filiusfamilias poteſt ſuas operas artificiales alteri inuito patre locare. ibid.
Filiofamilias de bonis paternis viuente patre paciſcenti non prodeſt pacti exceptio. 499.5
Filiusfamilias non tenetur etiam in foro conſcientiæ ſoluere pecuniam quam mutuam accepit; quā tamen

tamen ſi ſoluerit nullatenus poteſt repetere. 595. verſ. *illuſtre habemus.*

an & quando Filiusfamilias beneficio reſtitutionis ſuccurrendum ſit in rebus malè geſtis. 640. verſ. *reſtat*, & ſeq.

Fiſcus.

Fiſcus eſt lien. 47. verſ. *Traianus.*

Fiſcus quid ſit. ibid.

Fiſcus pecuniam Principis illiuſque patrimonium continebat. 47. verſ. *fiſcus.*

Flumen.

Fluminum genera duo. 214.6

Flumina poſſunt ab aliquo occupari dominio iuriſdictionis & proprietatis. ibid.

Flumina publica quænam dicantur. ibid.

Flumen vel fluuius à fluxu dicitur. ibid.

Flumen publicum neque perennitas, neque fluxus facere poteſt. 215. verſ. *ſeptem.*

Flumen differt à torrente. ibid.

Fluminum publicorum duo ſunt genera. 215.8

Flumina publica Regalia quare ſic dicta. 215. verſ. *nominantur.*

Flumina publica bannalia, ſiue proſcripta quænam ſint. ibid. verſ. *alia.*

Fluminum priuatorum, riuorum, fontium, puteorum, lacuum, ſtagnorum, & paludum vſus priuatus eſt illius in cuius dominio ſunt illæ æquæ. 216. 9

Fluuius.

Fluuij gignendo ſale fœcundi Religioſi habiti ſunt. 306.2

Fodinæ.

Fodinæ metallicæ ſiue lapidicinæ ſunt in eius dominio, qui agri in quo naſcuntur dominus eſt. 307. verſ. *dico.*

Fodinæ etſi pretioſſimæ ſemper cedunt ſolo in quo naſcuntur. 308. verſ. *neque*

Fodinæ metallicæ, ſiue earum pars quo iure cedat dominio Principis. 309.5

Fœcunditas.

Fœcunditas, & prolis augmentum præmio donatum. 517. verſ. *ſecunda.*

Fæmina.

Fæminæ Diis, Deabuſve dicatæ, quæ ſui corporis proſtitutione Numina ſua colebant. 97.3

Fœminæ in publicum abſque ſtola prodeuntes tanquam ſtupri reæ plecti poterant apud antiquos. 105. verſ. *decimò.*

Fœminæ cuilibet fas fuit vulgare corpus, ſed priùs depoſita omni dignitate, & iure matronali. ibid.

Fœminarum libido coërcita grauibus Senatus decretis. ibid.

Fœminæ corpus vulgantes & in libidinem proſtitutæ infames. 107.12

Follis.

Follis nummus eſt cuius neque materia, neque æſtimatio aut pretium nota ſunt. 414.12

Formula.

Formula antiqua proſcribendi leges. 26.4

Formula proſcriptionis ne cum inſtitore agatur debet palam à domino fieri. ibid.

Formulæ proſcriptionis plura requiſita. ibid. & ſeq.

Fortuna.

Fortuna ſola vtramque paginam facit. 49. verſ. *hinc.*

Forum.

Fori ſextuplex acceptio ſecundum Feſtum. 373.1. & ſeqq. 374

Fori ſignificatio pro loco rerum venalium vſitatiſſima eſt. 375. verſ. *vltima.*

Fora apud Romanos coniungi Baſilicis ſolita erant. 376. verſ. *fora.*

Forum vænalium rerum ad vſus publicos aliud erat à iudiciaali foro. ibid.

Fori vænalitij maxima cura apud Romanos. 378. 4

Fraus.

Fraudem legi facere quid ſit. 491. verſ. *tertiò.*

Fraus tantùm quæ dolum malum adiunctum habet coërcetur in pactis. 492.26

Fraudans.

Fraudans vectigalia rebus victualibus impoſita peccat niſi de eorum iniuſtitia conſtet. 316.2

Fraudatio.

Fraudatio vectigalis quale crimen ſit. 371.1. & ſeq.

Fraudatio vectigalis ratione criminis commiſſi transfertur ad hæredem: quæ quæſtio finitur quinquennio. 372.2

Fructus.

an Fructus percepti ſint reſtituendi contractu reſciſſo per beneficium reſtitutionis. 666.5

Frumentum & Frumentatio.

Frumentatio, & annona publica indictionis tributi cauſa. 276. 4

Frumentum aliæque annonariæ ſpecies in capitibus prouinciæ, & locis munitiſſimis ſeruatum. 278.8

Frumentatio, & gratuita collatio frumenti, aliarumque ſpecierum annonariarum, populo fieri ſolita. 279. verſ. *reſtat collatio.*

Frumentatio non incerta, ſed perpetua, certaque ſtatuta. ibid.

cætera. Vide in verbo, *annona.*

G

Gabella.

Gabella Italis omnem indictionem & præſtationem pro mercibus & rebus ſe mouentibus indicat. 264. verſ. *moneo.*

Gabellæ, & omnia alia vectigalia iuſta fraudari non poſſunt, neque retineri abſque culpa; ſed omnino ſoluenda ſunt etiam non petita, niſi vſus aut recepta conſuetudo aliud ferat. 328.1

Gabella tempore quo erat debita, non petita amplius non debetur. 337.1

Gabella debito tempore non petita vtrum ſemper debeatur, ſi nullum ſit ſolutioni præfinitum tempus. ibid. 2

Gabella eſt onus perſonale, quod ſolum venditorem afficit ratione mercis quam vendit. 339. 2

Gabellæ ſolutio licitè poteſt euitari venditione occulta, ſi non debeatur niſi petita; ſecus dicendum ſi debeatur non petita. ibid 3

Gabella amplius non poteſt exigi à conductore, aut emptore quando ceſſauit ius illam exigendi in Principe. 342.4

Gabella poteſt retineri in compenſationem debiti tum à Rege, tum à publicano debiti, & in aliis quibuſdam caſibus. ibid. 5. & ſeq.

Gabella non poteſt licitè retineri in compenſationem debiti regij, quando tale debitum contractum eſt poſtquam gabella abſolutè debebatur. 343.6

Gabella licitè poteſt retineri à creditore Regio in compenſationem debiti, etſi eius dominium

Rex nullo modo retineat. ibid.7

Gabella iuſta vtrum poſſit retineri in compenſationem alterius quam alius publicanus iniuſtè extorſit. 343.8

Gabella debetur vbi perficitur eſſentialiter contractus, quando ipſe eſt abſolutus. 348.5

Gabella debetur gabellario exiſtenti tempore quo eſſentialiter perficitur contractus vectigali obnoxius. ibid.

Gabella, & laudimium in quo differant quoad ſolutionem. 349.verſ.*Reſp.*

Gabella non debetur pendente conditione quando contractus eſt conditionatus; ſed quoties retrotrahitur ad tempus quo fuit celebratus contractus, ipſa debetur gabellario exiſtenti tempore contractus. 349.4.& ſeq.351

Gabella ſoli contractui impoſita ibi debetur vbi contractus perficitur. ibid.5

Gabella impoſita traditioni rei ibi ſoluenda eſt vbi traditio peragitur. ibid.

Gabella impoſita bonis de quibus contrahitur, ibi ſoluenda eſt vbi bona ſita ſunt. ibid.& ſeq.

Gabella debita ex venditione peti poteſt tanquam debita, vbi de pretio, & merce conuentum fuit inter partes, nondum re, aut pretio traditis, niſi conſuetudo aliud ferat. 350.verſ.*primò.*

Gabella impoſita venditioni, debetur venditione perfecta eſſentialiter, licet non impleta per traditionem. 351.verſ.*vnde rectè.*

Gabella venditioni conditionali impoſita nulla debetur deficiente conditione. ibid.351

Gabella venditioni conditionali in nundinis quibus non debetur gabella, celebratæ impoſita, nulla debetur, etſi tranſactis nundinis conditio impleatur. 351.verſ. *hinc etiam.*

Gabella in venditione fructuum futurorum non debetur niſi natis fructibus. 351. verſ. *venditio.*

Gabella nulla debetur ex venditione nulla. ibidem.

Gabella debetur ex venditione abſoluta neque includente diſſolutionem; ſicut & ex eius diſſolutione, quoties nouum contractum includit; ſecus verò ſi ſit mera prioris venditionis diſſolutio. 352.1

Gabella non debetur ex contractu re integra per merum diſſenſum reſoluto. 353.2

an Gabella debeatur ex diſſoluto contractu re amplius non integra. 353.5.& ſeq.

Gabella vnica debetur quoties venditio reſoluitur ex pacto retrouendendi; & gabella debetur ex venditione, non autem ex reuenditione. 355.5

Gabella noua non debetur ex pacto legis commiſſoriæ, aut addictionis in diem in ipſo contractu incontinenti appoſito. ibid.6

Gabella debetur ex priori venditione quæ perfecta fuit, neque deinde vllo modo annullatur, ita vt omnia in ſtatu reponantur atque ſi nunquam poſita fuiſſent; ex ipſa autem reſciſſione nunquam debetur. 356.7

an Gabella debeatur ex venditione reſciſſa per reſtitutionem in integrum minori conceſſam. ibid.

Vide cætera in verb.*vectigal, & tributum.*

Galea.

Galeata hyperaſpis hyperaſpidum omnium gentili ſcuto maximè affinis. 136.3

Galeatum faſtigium quò pluribus foratum eſt luminibus, eò nobilius eſt & auguſtius. ibid.

Galea vndeforis, nouemforis, &c. quibus ſecundum nobilitatis & excellentiæ gradus attribuantur. ibid.

Galea coronaria cæca peculiaris eſt nobilibus viris quibus in neminem competit iuriſdictio. ibid.

Galeæ faſtigiatæ plurima exempla. ibid. & ſeq. 137

Galeato & coronario faſtigio accedit aliquando aliud faſtigium & cimatij acroterion. 137. verſ. *verum.*

Vide cætera in verb. *ſymbolum, & teſſera.*

Galli.

Galli aliquando ſuam libertatem vendidere, & ſeruorum conditionem ſortiti ſunt. 64. verſ. *& primò.*

Galli vocem *foire*, à vocabulo Græco φορὰ deſumpſerunt. 381.*init.*

Galli Romanis olim capitationem penſitarunt. 290. *init.*

Galli, vt ſe Imperij Romani poteſtate non teneri teſtarentur, Arelate nummum ex metallo Gallico percuſſerunt, ipſique ſuam non Romani Imperatoris imaginem inſcripſere. 439.*init.*

Gallia.

Gallia tributis leuata, deinde tamen inſtituto cenſu grauiſſimè vexata. 299.2

Geometria.

Geometriâ æquè diuiſum fuit mare ac tellus. 213. verſ.*Græci.*

Geometriæ commendatio, vnde. ibid.

Genua.

Genua in planctu incidi ſolita. 123. verſ. *decimoquintò.*

Genus.

Genus & ſpecies apud Iuriſconſultos eſt idem quod apud Logicos ſpecies & indiuiduum. 180.1

Genus apud Iuriſconſultos perire non poteſt. ibidem.

Genus eſt quid ſpiritnale quod interitum non patitur. ibid.

Germani.

Germani vbi ludo omnia perdidiſſent nouiſſimo iactu de libertate & de corpore contendebant. 64. verſ. *Et primò.*

Gomor.

Gomor menſura continens decimam partem ephi. 168.14

Gomor quanta capacitas. ibid.

Græci.

Græci Noëmo eiuſque tribus filiis varia falſorum numinum nomina dederunt, quos primos nauigationis auctores fecerunt. 227. 10. 11.& ſeq. 228

Græci ante Alexandrum ignorarunt remotiores Aſiæ partes. 232.verſ.*vides.*

Gruaria.

Gruaria eſt ius percipiendi partem fructuum, ex nemoribus prouenientium. 303. *init.*

Granaria, & grairia in quo differant. ibid.

Gruariæ ius magna iura cuſtoditum. ibid.

Gruariæ ius ex nullis ſyluis poteſt concedi priuatis. ibid.

Granaria eſt potiùs fundi quàm fructuum pars. 303.verſ.*ſextò.*

Gynecium.

Gynecium eſt textrinum conficiendis veſtibus imperatoriis. 191.*init.*

Gynaciarij addicti erant contexendis, conficiendiſque

diſque veſtibus imperialibus. ibid.
Gyneciariorum officia, & pœnæ. ibid.

H

Hæres.

HEredes alij dicuntur ſui, alij neceſſarij, alij voluntarij; & quinam ſint. 498.5
Heredes cumulnis generis ſtatim adeundo hereditatem obligantur ære alieno hereditario. ibidem.
an Heredi qui cum creditoribus hereditariis quodammodo pactus eſt, proſit ſubſidiaria duli exceptio. 499.1
Hæres poteſt pro ſua parte ſoluere debitum hereditarium inuito creditori. 576.7
Hæredes partiarij alicuius legatarij poſſunt pro parte agnoſcere legatum, & pro parte repudiare, licèt legatarius id non poſſit. ibid.
Heres non poteſt pro parte redimere cenſum impoſitum hereditati. ibid.
Hæres non tenetur ſoluere pro cæteris cohæredibus qui non ſunt ſoluendo, neque in foro conſcientiæ neque in foro externo. 576.8
Hæredes partiarij non tenentur in ſolidum ad debita realia defuncti ſupra vires partis hereditariæ, ex iure canonico. ibid.
Hæredibus partiariis debitoria rei in genere, diſſentientibus in electione facienda, quid agendum. 579.verſ.*difficultas.*
Hæres ſemel hæres non poteſt non eſſe hæres, poteſt tamen non haberi loco hæredis beneficio abſtentionis. 641.verſ.*Dices.*
Hæres minor qui poſſeſſionem adiit hæreditatis damnoſæ poteſt reſtitui aduerſus poſſeſſionem. ibid.
Hæredibus neceſſariis diuerſo modo ſuccurrit Prætor aduerſus aditam hæreditatem ac ſuis. ibid. num.10
Hæredes ſui vocantur à Cicerone heredes familiæ. ibid.641
Hæres minor nequit reſtitui aduerſus lapſum temporis in conuentione cum maiore inita adhibiti. 648.25

Hebræi.

Hebræi carnem abſque culpa in planctu aliquando dilaniauerunt. 128.verſ. *Sextò.*
Hebræi cum cæteris gentibus permixti. 129. verſ. *ſecundò.*
Hebræus ſermo vnde corruptus. ibid.
Hebrææ linguæ & Punicæ nota cognatio. ibid.
Hebræus ſermo penè idem cum Chananæo. 129. verſ. *vides itaque.*

Hemina, Heminarium.

Hemina vnde dicta. 561.verſ.*cotyla.*
Heminarium dictum quod heminæ menſuram habet. ibid.
Heminarium eſt quid exiguum & tenue, & modicæ menſuræ. ibid.
Heminæ diuiſio in quartarios. 561.7

Hin.

Hin eſt ſextarius. 575.18
Hin capit duodecim ſextarios Hebraicos. ibidem.
Hin ad alias menſuras comparatio. ibid.19

Homo.

Homo ſibi alterius hominis dominium comparare poteſt. 64.1
Homo ſui iuris ſe alterius dominio ſubiicere, atque in ſeruum ſe illi vendere poteſt. 64. verſ. & *primo.*
Hominis viuentis partes veniunt in commercium. 73.1
Homines, & tyrones aliquando ſub ſpeciebus vectigalibus exigebantur. 317.2
Homines liberi in ſeruitutem acti gaudent priuilegio reſtitutionis. 660.10

Homagium.

Homagium ſeu hominium quid ſit. 294.10

Horreum.

Horrea publica alia vinaria, olearia, frumentaria, alia farrea dicta. 278.8
Horreorum duo genera. ibid.
Horrea multa populi Romani in vrbe. ibid.
Horrea alia publica populi alia fiſcalia. ibid.
Horrea portuenſia erant in portubus. 279.*init.*
Horreorum curatores alij comites alij præpoſiti. ibid.
Horreorum effractores, & temeratores qua pœna puniréntur. ibid.

Hoſtenditiæ.

Hoſtenditiæ à Dominis, ſubditis indictæ. 286. & ſeq. 287
Hoſtenditiæ ſunt pœna deſertæ militiæ. ibid.
Hoſtenditiæ ab heriliſtio diuerſæ. ibid.

I

Iacobitæ.

IAcobitæ & alij quidam contenti baptiſmo Ignis. 125. verſ. *eodem.*

Iactus.

Iactus retis in flumine, & iactus retis in mari in quo differant. 56.verſ.*vnde.*
Iactus mercium aliquando faciendum, & quomodo in eo faciendo gerere ſe debeat nauclerus. 257. verſ. & *quidem.*
Iactu mercium pro omnium ſalute facto, damnum inde ſequutum omnium contributione reſarciendum eſt. 247.18
Iactus mercium earumque deprædatio differunt. 259. verſ. *tertiò.*

Iaphet.

Iaphet Neptunus dictus, & quare. 118.11
Iaphet à dilatione dictus. ibid.

Idolum.

Idolis meretricius quæſtus oblatus. 97.verſ.*confirmatur.*
Idolorum deſtructio à Deo ſtatuta. ibid.

Iephte.

Iephte ex meretrice natus, & ideò à fratribus domo pulſus. 97.3

Immunitas.

Immunitas vectigalium quid ſit & quomodo differat ab indulgentia. 357.1
Immunitas propria erat populorum qui ſuis legibus viuebant. 358.5
Immunitas tributorum à ſuprema tantùm poteſtate poteſt dari. ibid.n.4
Immunitas quibus ex cauſis concedenda. 359.5
Immunitas alicui indulta cui debeat imponi. ibidem 6
Immunitas alicui indulta titulo exiſtimatæ nobilitatis, an ipſe ſciens ſe verè non eſſe nobilem poſſit tuta conſcientia hoc iure frui. 359. 8. & ſeq.
Immunitas liberorum cauſa parentibus conceſſa. 517.verſ. *vide.*

Immunitas Eccleſiaſtica non violatur legibus Principum, quibus prohibetur ne contractibus accedat iuramentum eiuſque obligatio nulla ſit. 602. verſ. *quod porrò.*

Imperator.

Imperatores Romani ab initio nummis ſuam effigiem inſculpi voluerunt, & quare. 438. 1. & ſeq.

Imperatores Romani cum primùm ad Imperium eleuabantur priorum nummos antiquabant, vt recentes propria effigie notatos cuderentur. ibid. 11

Imperatores Romani duplici ratione nummos ſua effigie notabant. 439. *init.*

Imperatores Romani nummis cum ſua effigie propria ſibi ſymbola inſcribi curabant. ibid.

Imperium.

Imperium Phænicum in Africa ſtabilitum. 131, *init.*

Imperium terreſtre abſque maris dominio vix ſtare poteſt. 207.2

Imperia ampliſſima nec perpetua, nec diuturna eſſe poſſunt. 212.4

Impubes.

Impubes ſiue maſculus ſiue fœmina qui dicantur. 460. 1

Impubes nondum ſeptennis ſiue maſculus ſiue fœmina non poteſt contrahere. ibid. 2

Impubes poſt ſeptennium validè poteſt contrahere. ibid. 3

Impuberum ſponſalia à iure ciuili & Eccleſiaſtico probata. 461. *init.*

Impubes quare poſſit ſe ciuiliter obligare authore tutore. 461. 1

Impubes ſub patria poteſtate exiſtens nihil poteſt irreuocabiliter vouere. 462. 3

Impuberi qui ſe damnoſæ hereditati immiſcuit etiam tutore authore poteſt fieri poteſtas ſe abſtinendi omni modo. 642.10

Incertitudo.

Incertitudo qualiter poſſit accidere contractibus. 583. 1

Incertitudo ratione perſonæ in cuius fauorem ſit diſpoſitio poteſt contingere variis modis. 583. 2

Incertitudo perſonæ cui fauetur vnde naſcatur. 584. & ſeqq.

Incertitudo diſpoſitionis propter verborum obſcuritatem, aut ambiguitatem quibus exprimitur vitiat diſpoſitionem. 585.5

Incertitudo quantitatis in rebus quæ pondere, numero & menſura conſtant, vitiat diſpoſitionem, niſi ex tractatu præcedente certa quantitas colligatur. ibid. 6

Incertitudo propter indeterminationem rei quæ indefinita promittitur vitiat contractum qui ita diſponitur. ibid. n. 7

Incertitudo rei in ſpecie quæ ſit certa in genere ſubalterno, more loquendi Iuriſconſultorum, non vitiat diſpoſitionem. 585.8

Indictio.

Indictio propriè eſt annonaria, & tributaria functio rebus, non perſonis impoſita. 266.4

Indictionis initium, & auctores. ibid.

Indictio, annus, & fuſio idem ſignificant. ibidem.

Indictiones aliæ canonicæ, aliæ extraordinariæ, & veluti ſuperindictiones. ibid.

Indictioni conſentire conſultius eſt, quàm vim & coactionem expectare. 284. verſ. *ideoque.*

Indulgentia.

Indulgentia vectigalium quid ſit; & in quo differat ab immunitate. 357.1

Indulgentia vectigalium quibus ex cauſis daretur. ibid.

Infans.

Infantis ſanguinolenti venditio patri licita. 63. verſ. *huic.*

Infantes Chriſtianos Iudæi occidunt vt ſuis puerperis conſulant. 70.2

Infantium apud Gnoſticos viſcerationes. 71. 1. & ſeq.

Infantes eunuchiſati vt pretioſiores fierent. 76.1

Inſtitor.

Inſtitor eſt qui negotiationi, vel tabernæ, vel cuicumque negotio præponitur. 25.1

Inſtitor differt à procuratore. ibid.

Inſtitor debet præponi à domino negotij, cui perficiendo præponitur. ibid. 2

Inſtitor poteſt præponi à domino alicui negotio dupliciter. 26.3

Inſtitorum munus quomodo ceſſet, & quando. ibid. 4

Inſtitoris obligationes diuerſæ. 27.5. & ſeq.

Inſtitoris facto dominus tenetur. ibid. 6, & ſeq.

Inſula.

Inſulæ in mari naſcentes erant olim iure Romano primi occupantis. 111.12

Inſulæ in fluminibus naſcentes in Gallia ſunt dominicæ. ibid.

Interdictum.

Interdictum indictiuæ coctionis, aut molituræ multipliciter fieri poteſt. 198.1

Irritatio.

Irritatio contractus, vel alterius diſpoſitionis duobus modis fieri poteſt. 626. *init.*

Irritatio contractus quando cenſeatur facta aut facienda. ibid.

Irritatio actus à quibus ſit facienda. ibid. *in med.*

Irritatio directa immediatè cadit in obligationem, vel actum ipſum quem inualidat, *annullat,* & extinguit. ibid.

Iſraelita.

Iſraëlitæ Chananæorum imitatores fraudes in commerciis committentes. 176. 1. & ſequent. 177

Iudæi.

Iudæis non licuit vllum animal emaſculare. 79. verſ. *Ius Eccleſiaſticum.*

Iudæis exprobratum quòd ſeruitutem perpetuam profiterentur literis corpori inuſtis. 127.11

Iudæis à Deo prohibitum notas loctus aſſumere, ne ea in re Gentium morem imitarentur. 128. verſ. *Sextò.*

Iudæi qui in Chananitide habitarunt poſt transfretatum mare Rubrum, Phœnices dicti ſunt. 219. verſ. *fides.*

Iudex.

Iudex pretium accipiens pro iuſta ſententia ferenda ad illius reſtitutionem tenetur. 93.6

Iudices pecuniam accipientes puniti. ibid.

Iudices pecuniam accipientes ob ſententiam dicendam iniuriam faciunt danti. ibid.

Iudex in aliquibus caſibus poteſt accipere pretium ad cauſam dicendam. ibid. verſ. *ſi tamen.* & ſeq. n. 7

Iudicibus omnibus prohibetur aliquid emere auctione publica. 473.4

Iudex Eccleſiaſticus poteſt cogere pacto obligatum ad ſtandum ſuo pacto. 484. *init.*

Iudicium.

Iudicium.

Iudicium de contractu ad quod forum pertineat. 501.7. & ſeq.

Vbi circa hoc optima traditur regula & varia exempla. ibid.

Iupiter.

Iupiter Saturni minimus filius, ſicut Noëmi Chamus 228. *init.*

Iupiter cœli dominus Saturnum Patrem exſecuit, ſicut Cham Noëmi verenda nudauit. ibid.

Iuramentum.

Iuramentum validum, & confirmatorium diuerſa ſunt. 586.2

Iuramenti validi, & confirmatorij plura diſcrimina. ibid.

Iuramentum confirmatorium poteſt ſolùm præſtari à pubere. 586.2

Iuramentum impuberis licet obliget non eſt tamen confirmatorium contractus. ibid.

Iuramentum impuberis relaxari poteſt ſolius infirmoris ætatis intuitu. 587.*init.*

Iuramentum confirmatorium contractus præſtari poteſt per procuratorem habentem ſpeciale mandatum iurandi. 587.3

Iuramentum aliquando confirmat contractum alioquin inualidum. 587.4

Iuramentum non eſt ex natura ſua, ſed ex ſola iuris diſpoſitione confirmatorium contractus. 588.5

Iuramentum ex natura ſua nullam aliam vim aut obligationem inducit quàm ſolius religionis. ibid.

Iuramentum dupliciter confirmare poteſt contractum. 588.6

Iuramentum confirmatorium contractus confirmat etiam formalem promiſſionem non contraueniendi contractui cui adiicitur. 589. verſ. *hinc.*

Iuramentum quandonam directè, quando verò indirectè confirmet contractum. 589.7

Iuramentum neque directè neque indirectè poteſt confirmare contractum naturaliter nullum. 590.8

Iuramentum nullam vim tribuere poteſt contractui à prodigo facto. 591. verſ. *quare.*

Iuramentum indirectè poteſt confirmare contractum ciuiliter nullum, non tamen directè, & in ratione contractus. 591.9

Iuramentum non firmat actum iure prohibitum. ibid. & ſeq. 592

Iuramentum cadens in obſeruationem contractus non validat illum. 597.13

Iuramentum poteſt confirmare contractum impropria admodum confirmatione. ibid.14

Iuramentum validum requiritur ad confirmationem licèt indirectam, & impropriam contractus. 598.15

Iuramenta contractibus ipſo iure inualidis adiecta ſæpius quoque, & ipſa inualida ſunt. ibid.

Iuramentum cadens in promiſſionem formalem contractus non habet maiorem vim quàm ſi cadat in ipſummet contractum, ad illum confirmandum. 599.16

ad Iuramenti indirectè contractus confirmatorij validitatem quid requiratur. ibid.17.& ſeq.

Iuramentum promiſſorium quomodo à iure inualidetur. 600.18

Iuramentum confirmatorium, obligatorium & promiſſorium differunt in modo obligationis. 603.1

Iuramento obligatorio validè relaxato contractus, cui appoſitum fuerat irritatur; Iuramento verò confirmatorio relaxato validus remanet contractus. ibid.3

Iuramenti confirmatorij relaxatio non eſt inutilis, licèt contractus remaneat validus. ibid.602

Iuramenti confirmatorij relaxationem non licet petere, bene tamen obligatorij. 604.3

Iuramentum confirmatorium dat actionem parti in iudicio, quod non poteſt facere ſi ſit tantùm obligatorium. ibid.4

Iuramenti confirmatorij, & obligatorij differentia quoad obligationem. 605.5.6

an Iuramentum appoſitum contractibus irritis propter vtilitatem publicam differat à iuramento oppoſito contractibus irritis propter vtilitatem priuatam. ibid. n. 1.2.& ſeq.

Iuramentum licitum, & validum, & in aliquid à iure prohibitum non cadens, nunquam confirmat contractum. 607.6

Iuramentum nullos contractus confirmare poteſt ratione vtilitatis publicæ, vel priuatæ. 607.7

an Iuramentum poſterius poſſit eſſe confirmatorium contractus contra priùs iuramentum celebrati. 608.1.2.& ſeq.

Iuramentum poſterius priori contrarium nullatenus poteſt obligare contrahentes ſtare contractui contra prius iuramentum celebrati. 610.5

Iuramenti promiſſorij obligatio quomodo dignoſcenda. ibid.

an Iuramentum poſſit aliquando eſſe confirmatorium contractus, aliquando autem obligatorium tantùm; & quomodo hoc ſit dignoſcendum traduntur regulæ. 610.1.& ſeqq.

Iuramentum alumnorum Collegij Anglicani quodnam, & an validum. 613.7

Iuramentum à quibuſdam Italiæ Scholaſticis emiſſum ſe non ingredi Religionem niſi priùs monito Superiore collegij in quo aluntur, validum eſt. 614.2

an Iuramentum iuſtè exigatur in quibuſdam Hiſpaniæ Collegiis, dum iurare coguntur Scholaſtici ſe laturos auxilium collegis, quotieſcumque poterunt ferre ſuffragium pro eis. ibid.3

Iuramentum iniuſtè exigitur à promotis ad Parrochialem, dum iurant ſe non dimiſſuros beneficium in fauorem tertiæ perſonæ. ibid.4

Iuramentum de eo quod poteſt præbere occaſionem peccati nullum eſt. ibid. 5

Iuramentum præſtitum ab eo qui incitat ad furtum, ſe pœnam illius, ſi deprehendatur luiturum, obligat illum. ibid.6

Iuramentum adiectum ſtipulationi pœnali, adiecta promiſſione de non reuocando contractu, validum eſt, & obligatorium. ibid.7

Iuramentum appoſitum ſtipulationi pœnali de contrahendo matrimonio, validum eſt, & inducit Religionis obligationem. ibid.8

Iuramentum appoſitum donationi omnium bonorum confirmat illam. ibid.9

Iuramentum accidens contractibus iure propter bonum publicum inualidis affert obligationem religionis quoties in illis celebrandis nullum committetur peccatum. 614.10

Iuramentum accidens contractui iure inualido, quâ conſiſtit in actione quæ reſpicit tempus præſens, neque eſt confirmatorium neque obligatorium. 615.12

Iuramentum à muliere appoſitum contractui nullo à ſe celebrato obligat illam. ibid.12

Iuſtitia

Iuſtitia.

Iuſtitia cæterarum virtutum obſonium. p.3.
Iuſtitia aliis potius quàm ſibi nata. ibid.

Ius.

Ius patriæ poteſtatis à quo inſtitutum, & à quo abrogatum. 65.2
Ius Cæſareum poteſtatem vendendi liberos ſoli patri conceſſit, matri negauit. 66.4
Ius Eccleſiaſticum irregulares facit tum qui mares exſcindunt, tum qui exſcindi volentes patiuntur. 79.verſ. *Ius Eccleſiaſticum.*
Ius poſitiuum aliquando inualidat conuentiones rei turpis. 89.12
Ius poſitiuum quid ſtatuat de pretio dando vel accipiendo pro opere debito. 95.verſ. *hactenus.*
Ius Eccleſiaſticum ſtrictiſſimè prohibet meretricium lupanaria, & omnia eiuſmodi fœda opera. 99.6
Ius ſeculare lupanaria, & libidinum fornices à ciuitatibus exulare ſeuerè mandat. 101.7
Ius vt alij tua molendina vel furnos adeant præſcriptione temporis poteſt acquiri, modò ad alia molendina, vel furnos accedere prohibiti ſint, eiuſmodique prohibitioni acquieuerint. 200.7
Iuris merè poſitiui, & iuris ſimpliciter negatiui acquiſitio diſtinguuntur. 201.*init.*
Ius aquæ ducendæ nulli vſurpare licebat, niſi cum venia principis, & certis conditionibus. 219.20.& ſeq. 220
Iura maritima ad leges nauticas pertinent. 258.3
Ius indicendi, exigendive vectigalia, an conſuetudine præſcribi poſſit. 271.10
Ius humanum poſitiuum non prohibet vectigalia rebus ad victum tantùm pertinentibus impoſita. 316.verſ.*venio.*
Ius ſtrictum quid ſit. 459.*init.*
Ius ciuile nullam actionem pacto nudo concedere voluit, & quare. 480.6
Ius canonicum conſentit cum ciuili nullam dando actionem ex pacto nudo; vbi aliqua afferuntur exempla quæ videntur aliquo modo contrarium probare. 483.52.& ſeq.
Iuris Canonici, & Ciuilis circa pacta nuda, concordia. 484.*init.*& ſeqq.
Ius & boni mores ciuitatis in quo differant. 489.25
Ius prætorium dicitur viua vox iuris ciuilis. 491.25
Ius nullum tribuit remedium malè eligenti ſemel facta electione. 571.5.& ſeq.
Ius ciuile nullam vim confirmatoriam contractus tribuit iuramento. 595.verſ.*in primis.*
an Ius canonicum aliquam vim confirmatoriam contractus tribuat iuramento. 592.10
Ius ciuile in quo differat ab ædilitio edicto. 598.15
Ius aliquando reddit iuramentum promiſſorium inualidum. 600.18
Ius ciuile prohibuit iuramentum adiici contractibus attendendo ſolùm quid ſequatur ex natura contractus prohibiti. 602.20

L

Labia.

Labia fœminis Æthiopum circulo aureo inſerto notabantur. 122.verſ.*ſeptimò.*
Labia blaſphemis in Gallia iuſſu S. Ludouici perforata. ibid.

Lapidicina.

Lapidicinæ & aliæ quæcumque fodinæ pertinent ab dominum fundi in quo naſcuntur. 507.verſ. *dico.*
Lapidicinarum fructus, quæ naſcuntur in fundo dotali, an ad vxorem vel maritum pertineat. ibid.

Laudimium.

Laudimium differt à gabella quoad ſolutionem. 349.verſ.*Reſp.*
Laudimia in pluribus Franciæ municipalibus legibus taxantur 40.denariis. 437.*init.*

Legatum.

Legata an veniant mercis appellatione. 62. verſ. *tertiò.*
Legatum fœminis maritandis relictum vtrum dari poſſit viduis. 512.9
Legatum abſolutè relictum vxori, an debeatur vxori quam teſtator viduus poſt conditum teſtamentum duxit. ibid.
Legatum maritandis puellis relictum non poteſt dari religionem ingredientibus. 512.10
Legata ſub conditione relicta acquiruntur incipiente conditione, licèt nondum impleta, ſi ipſo iure acquirantur, ſecus ſi indigeant nouo hominis facto. 538.18.& ſeq.
in Legatis alternatiuis electio eſt penes legatarium. 571.4
Legatum annuum, & contractus annuus in pluribus differunt. 573.1.& ſeq.
an Legatum certæ quantitatis in diem iterabilis præſumendum ſit vno anno finiri, aut eſſe perpetuum, ſi non clarè conſtet de mente teſtatoris. 573.4
Legatum, aut alia diſpoſitio vitiatur ratione incertitudinis perſonæ cui fauet, niſi fiat in fauorem cauſæ piæ. 583.3

Legiſlator.

Legiſlator legem ferendo poteſt ad ſolam pœnam, vel culpam pro arbitrio obligare. 193. verſ. *ſuppono.*
Legiſlatoris mentem inueſtigandi vbi illam non expreſſit præcipua indicia. 194.4
Legiſlator ſemper obligat ad culpam conſcientias ſubditorum, niſi ſignificet ſe ita nolle obligare. ibid.

Lena.

Lenæ atque libidinum victimæ matronalibus habitibus ornatæ. 106.verſ. *Arnob.*
Lenarum veneficia. 111. verſ. *filtrix.*

Leno.

Lenonum nomen odibile Romanis. 101.7
Lenonum, mœchorum, & omnis libidinis proſtitutionis pœnæ & prohibitio. ibid.
Lenones, & lenæ vocantur qui mulieres quæſtuarias proſtituunt. 101.8
Lenonis definitio. ibid.
Lenonis domum ſuam locans aut in ea lenocinium committi patiens decem auri libris mulctabatur. 101.9
Leno & meretrix ante finitum locationis tempus è domo locata poſſunt pelli. 102.9
Lenonis & latrinarum antiſtitis cura. 106. verſ. *Arnob.*
Lenones nihil teſtamento capere poſſunt, & ob turpitudinem inteſtabiles. 108.verſ.*ſextò.*

Lex.

Lex Thebanorum non admittebat ad dignitates eos qui foro & negociationibus per decemnium non abſtinuiſſent. 8.4

Legis

Legis 2. *C.mandati*. emendatio. 42.19

Legis *ſi tibi mandauero,D. mandati.* ibid. 20. & ſeq. 21

Legis *qui negotia* 34. *D.mandati* 43.22

Legis *inter cauſas* 26.§.*ſed cum ſeruus,D.mandati.* ibid. 23

Legis *ſi fideiuſſor* 29. *D.mandati.* 44.24

Legis *idemque* 10. §. *ſi procurator. D. mandati.* ibid. 25

Legis *ſi defunctus* 15.*D.de procuratorib.* ibid.26

Legis *actio* 47.*D.de negot.geſt.* ibid.27

Lex lata à L.Mario, & M. Catone minans pœnam Imperatoribus falſum numerum ciuium amiſſorum aut hoſtium occiſorum Senatui deferentibus. 46. verſ. *Inuitatus.*

Lex humana poteſt irritare contractus & reddere perſonas inhabiles ad contrahendum.89. verſ. *certum*,& ſeq.

Lex humana denegat repetitionem eius quod propter ſcelus committendum datum fuit. 90. verſ. *ſecundò.*

Lex denegans danti repetitionem, non idcirco dat ius accipienti. 90.verſ.*tertiò.*

Lex de redimendis primogenitis pretio ſiclorum quinque ad homines tantùm non ad cætera animalia pertinebat. 98.verſ *noluit.*

Leges prohibentes meretricium aliquando, violatæ.98. verſ.*qua verò*.in fin.

Lege Deuteronomij prohibentur publicanæ mulieres & meretricum profeſſæ. 99.verſ.*reſpond.*

Leges plurimæ damnantes lupanaria, & omnem libidinem. 101.7

Leges humanæ fraudes in commerciis commiſſas impunitas non relinquunt. 177.verſ. *neque.*

Legis *Iulianus* 13.§.14. *D. de actionib.*intellectus. 184.1

Legis *ſi in venditione* 19. §. 1. *D. de peric.& comm. rei vendit* explicatio. 185.13

Lex 7 *C.de ædific. priuat.* vetans moueri & auferri marmora, an aduerſetur conſtitutioni Conſtantini aliquam tranſlationem permittenti. 188. verſ.*ſextò.*

Leges Athenienſium mercium quarundam exportationem prohibentes. 189.5

Leges & ſtatuta, quibus aliqua extrahi, aut inferri prohibentur, vt priuatorum damna vitentur, & ciuitatis annonæ,copiæ atque defenſioni prouideatur, iuſta & æqua ſunt. 192.1

Leges vetantes quarundam rerum commeatum importationis & exportationis, an obligent ad ſolam pœnam violationis reum,an etiam ad culpam, qua deinde illa pœna caſtigetur. 193.3

Leges aliquæ vetiti commercij capitalem pœnam infligunt facientibus quod prohibent. 186. & ſeq.

Leges quædam pœnales mixtæ, quæ ſimul & ad imperata facienda ſub peccato, & ad pœnam pro ea culpa ſubeundam obligant.193. verſ. *in primis.*

Legem ferendi facultatem habens, poteſt etiam ad ſolam pœnam, vel culpam pro arbitrio obligare. ibid.verſ.*ſupra.*

Leges, mercium, aliarumque rerum commeatum, aut negotiationem prohibentes aliquando merè & abſolutè pœnales ſunt, aliàs verò mixtæ ad culpam,& ad pœnam ſimul ſi violentur obligantes. 194.5

Leges prohibentes mercium quarundam inuectionem, aut euectionem obligant aut ad pœnam, aut ad culpa ſecundum materiæ grauitatẽ.ibid.6

Legum pœnalium violatio non arguit pœnam ante ſententiam ſaltem declaratoriam. 195.7

Lex præſcribens pretium annonæ, & modum eam diſtribuendi,eſt æqua ſub quibuſdam conditionibus. 195.1

Lex iubens abundantibus frumento illud certo pretio pauperibus incolis vendere vrgente annonæ penuria, obligat ad culpam. 196.2

Lex nautica duplex Romana, & Rhodia. 237.1

Leges nauticæ Romanæ à Rhodiis diuerſæ. ibidem.

Legum Rhodiarum primus collector. ibid.

Legum omnium nauticarum vetuſtiſſimæ Rhodiæ. ibid.

Lex Rhodia, vel Romana ſemper conſulendæ ſunt in omnibus caſibus nauticis. 248. verſ. *ad extremum.*

Lex Rhodia æquiſſima. 254.verſ.*vnum.*

Lex Gallica ſimilis Rhodiæ, de incurſu duarum nauium, vel vnius in molendinum. ibid.

Lex Rhodia cauit omnibus incommodis & difficultatibus quæ inter nautas, vectores & mercatores contingere poſſunt. 254.13

Legis Rhodiæ primus inuentor. ibid.

Leges Hiſpaniæ volunt in mari ablata, aut deperdita ſolis mercatoribus reſtitui. 256.16

Lex Rhodia æquiſſimè prouidit, vt leuata naue,& communi periculo ſuperato, commune damnum contributione ſubleuaretur. 258. verſ. *dices.*

Lex Rhodia non vult contributionem fieri niſi ad ſumptus qui primò & per ſe fiunt mercium ſeruandarum causâ. ibid.

Lex Francica de ſeruanda conſuetudine triburorum. 272.11

Lex Thoria mulctabat eos quorum pecora publicos agros depaſcebant. 301.6

Leges vectigalium, & tributorum non ſunt tantum pœnales, ſed etiam morales. 329. verſ. *quare.*

Leges punientes mercium occultatores ſunt leges merè pœnales. 337.3

Legis Cenſoriæ initium. 367.11

Leges ad forum & annonæ rationem pertinentes apud Athenienſes; quarum prima erat ſine dolo malo agere in foro. 377.3

Lex XII. Tabularum de obæratis, qui eùm ſoluendo non erant, habebantur in vinculis dies ſexaginta,& inter hos dies tribus continuis nundinis ad Prætorem in comitium ducebantur; explicatur. 380.5

Lex XII. Tabularum, *ſi iniuriam alteri faxit*, &c. quæ videtur iniqua, explicatur. 388.*init.*

Lex 88. *D. de verb.ſign.* emendatur, & explicatur. 433.1

Legis 4. §. 1.*D. de ſtatulib.* emendatio. ibid. 2

Legis 97. D. *de legat.*3. macula eluitur. ibid.3

Legis 1.§. 12. D. *de extraord. cogn.* vulgata lectio defenditur. 433.4

Lex Voconia quæ fuerit, eiuſque explicatio perdifficilis. ibid.5

Lege Voconia vetitum erat mulieres inſtitui hæredes hominis cenſi. 434.*init.*

Lex Valeria lata vt debitoribus quadrans ſolueretur; ibique eius interpretatio. 434.6

Legis cuiuſdam nummariæ, cuius meminit Cæſar *lib.*3 *de bell. Gall.* explicatio. ibid.& ſeq.

Lex 2. *C.de veter. num. poteſt.* explicatur. 435.8

Lex Iulia Miſcella vnde ſic dicta, & qui eius Author. 516.1

Leges

Leges quæ mulcta cœlibes notarunt parentes præmiis honorarunt. 517. verſ.*caducum.*
Legis Areſcuſa,fuſa explicatio. 539.verſ.*ex his.*
Lex Cornelia plectens nummorum deraſores. 449.7
Lex *ſi fuerit* 10.*D.de reb.dub.* explicatur, & emendatur. 541.verſ.*obiicies.*
Legis 4. §. *vlt.D de cond.inſt.*difficilis intelligentia enodatur. 563.1.& ſeq.
Lex *ſi cui* 31.*D.ad SC.Trebell.*illuſtratur,& emendatur. 564.2.& ſeq.
Lex *hac ſcriptura* 26. *D. de cond & dem.* emendatur. 565.3
Lex prohibens iuramentum contractibus adhiberi illius etiam obligationem remittere videtur. 600. 18
Leges prohibentes ne contractibus adiiciantur iuramenta, eorumque obligationem irritantes, iuſtæ ſunt, licèt eo fine ferantur ne contractus ciuiles ratione iuramenti trahantur ad forum Eccleſiaſticum. 601.verſ.*his addo.*
Leges Galliæ in prouinciis quæ iure Romano reguntur, caput *cùm contingat, de iureiur.* abrogarunt. 619.9
Lex *ſi creditor.* §. *illud inſpiciendum,D.de diſtract. pignor.* emendatur. 649.27. & ſeq.

Libido.

Libidinis flamma copiâ aut licentiâ voluptatum nequit extingui. 110.15
Libido cæterarum turbulentarum animi paſſionum incendium. 11x.verſ.*quanam.*
Libido in homine plurima creat incommoda. ibid.
Libido ignis vſque ad perditionem deuorans & omnia eradicans genimina. ibid.verſ.*Iob.*
Libidinem fouere & non extinguere eſt incendium excitare. 11x.verſ.*ſimilia.*
Libido maior vbi permiſſa lupanaria. 115.23

Libra.

Libra eſt determinata menſura, & certa omnium ponderum Romanorum. 149.1
Libra eſt inſtrumentum non modo examinandis ponderibus, ſed etiam interuallis & altitudinibus rerum aptum. ibid.150
Libra menſuralis quid. ibid.
Libræ nomen vnde ductum. ibid.2
Libra occidua quid ſit; vbi explicatur Author actorum Marcellini. 416.1
Libra ſepticiana quid ſit. 427.2
Libra auri, & argenti diuerſa apud veteres Francos. 436. verſ. *diſtinguendum.*
Libra hodierna apud Gallos quæ, eiuſque origo. ibid.

Librarius.

Librarij noua & vetera ſcribebant. 119.12
Librarij libros ſcribebant & ſcriptos vendebant. ibid.
Librarius eſt ſcribendi magiſter. ibid.
Librarij litterarum initia tradebant. ibid.
Librarij graphio & ſcalpro vtebantur. ibid.

Limenarchæ.

Limenarchæ quare inſtituti. 275.5
Limenarcharum munus, & officium. ibid.
Limenarchæ piratas in portu inſectabantur, aliaque pro munere præſtare tenebantur. ibid.

Lingua.

Lingua tribus clauis confixa, & quare. 122. verſ. *octauò.*

Locator.

Locatores nonnunquam dicuntur conductores. 243.1
Locator quis propriè dicatur. ibid.

Locus.

Locus in pactis aut contractibus celebrandis maximè attendendus. 500.2
quis Locus attendendus in contractu dotali tam circa celebrationem quàm executionem. 501.6
quis Locus attendendus in iure communionis bonorum ſuperlucratorum. ibid.

Log.

Log menſura & vox Hebraïca. 171.19
Log ad alias menſuras comparatio eiuſque capacitas. ibid.

Lucrum.

Lucrum turpi negotiatione partum quid & quale ſit. 15.1.& ſeq.
Lucrum moderatum in negotiatione quæri poteſt. ibid.
Lucrum ex re furtiua partum ad quem pertineat. 12.1.63.2
Lucrum ex adulterina teſſera captum quale ſit. ibid. 3
Lucrum partum ex negotiatione cum dæmone an licitè retineri poſſit. 117

Lupæ.

Lupæ à voracitate ſic dictæ. 108.13
Lupæ vocabantur nutrices infantium in ſyluis expoſitorum. 108.13
Lupæ quare quæſtuoſæ aut quæſtuariæ dictæ.109. verſ. *Illum.*

Lupanar.

Lupanaria publica non ſunt ferenda in Republica. 96.1
Lupanaria Iure Eccſiaſtico ſub grauiſſimis pœnis prohibita. 99.6
Lupanaria & loca falſorum Deorum cultui dicata excitata in tota Iudæa. ibid.verſ.*reſpond.*
Lupanaria lauris coronabantur. 100.6
Lupanarium apud Ethnicos prohibitio maiorem arguit eorum apud Chriſtianos prohibitionem. ibid.verſ.*quare*,& ſeq.
Lupanarium cum theatris comparatio. *ibid. verſ. neque.*
Lupanarium inuentor diabolus. 108.13
Lupanarium permiſſio fons vitiorum & ruina ciuitatum. ibid.
Lupanaria in Romana Republica etiam moribus corruptiſſima omninò impunita non remanſeſerunt. ibid. verſ. *ſeptimò.*
Lupanarium publicorum permiſſio & tolerantia impugnatur. ibid.13
Lupanaria apud plurimas gentes prohibita. 101.7
Lupanar à lupa dictum. 108.13.& ſeq.109
Lupanarium publicorum permiſſio omnis ætatis interitus & annis conditionis ruina. 110.15
Lupanaria tolerare eſt Aſmodæi regnum ſtabilire. 112. verſ. *quid amabò.*
Lupanaria nequeunt permitti & tolerari abſque peccato. 113.18
Lupanarium prohibitio Principibus & aliis ciuitatum moderatoribus facilis. 114.verſ.*reſp.*
Lupanarium permiſſio nullum poteſt ciuitati afferre bonum. 115.verſ.*neque.*

Luxuria.

Luxuria Reges à rerum publicarum faſtidioſa adminiſtratione auertit. 110. 14
Luxuria quantum malum. ibid.15
Luxuria ſæpè perdit quod congregauit auaritia. 109. verſ. *quantum.*
Luxuria fons & origo omnium vitiorum.112.verſ. *ſanè.*

Luxuria

Luxuria facit homines molles & effœminatos, & inhabiles ad grandiora ſuſcipienda. 112. 17

M

Magia, Magicus.

Magica opera ex partibus humani corporis patrata. 70. 3
Magiæ origo. ibid.

Magiſter nauis.

Magiſter nauis eſt, qui ab exercitore naui exercendæ præponitur. 136.5
Magiſter nauis omnium mercium naui impoſitarum curam & rationem gerere debet. ibid.
Magiſtri nauium erant ſerui exercitorum; aliquando tamen fuere liberi homines. ibid.
Magiſter nauis, ipſeque nauta qui domino nauis ſuas locarunt operas, an teneantur præſtare culpam leuiſſimam. 242.15
Magiſtri nauis peritia debet explorari coram duobus antiquioribus nauarchis. duobus decurionibus, & aliis quos Almyralius elegerit. 251.6
Magiſter nauis conuenitur condictione indebiti quoties exigit ſolutionem rerum iactarum, quæ poſt contributionem apparent. 261. verſ. *ſeptimò,*

Magiſtratus.

Magiſtratus vt publicæ inopiæ ſubueniat poteſt cogere ingenti frumento abundantes, illud certo pretio pauperibus incolis, & ciuibus vendere, & exteris recuſare, ipſiſque recuſantibus poteſt tale frumentum auferre, & in foro ad vendendum exponere. 195.1

Manceps.

Mancipes, & redemptores publicorum vectigalium quinam eſſent. 365.9. & ſeq.
Mancipi non licebat ab aratoribus pecunias pro frumento exigere. ibid.
Manceps publicorum vectigalium priuſquam ſatisfecerit priori conductioni ad nouam non admittitur. 370. verſ. *tertiò.*

Mancipium.

Mancipia quæ ex Braſilia, Æthiopia & Indiis orientalibus & occidentalibus in Europam tranſuehuntur an poſſint licitè vendi. 68.5
Mancipia bello capta coronis induta venibant. 132. 14
Mancipia nullam obligationem ciuilem cum quopiam ex propria perſona poſſunt contrahere. 473. 2

Mandator.

Mandator & mandatarius ad quid teneantur. 348. & ſeq.

Mandatum.

Mandatum eſt gratuita ſuſceptio negotij quod alius vel formaliter, vel virtute imperat. 31.1
Mandatum nulla requirit verba. 31. verſiculo *nulla.*
Mando verbum precarium eſt. ibid.
Mandatum poteſt fieri multipliciter. ibid. 31
Mandatum differt à locatione, & conductione. ibidem.
Mandatum ſuſcipitur & perficitur periculo mandatoris. 32. verſ. *dixi.*
Mandatum, conſilium, & commendatio quomodo differant. ibid. 2
Mandatum aliud eſt expreſſum, aliud tacitum. ibid. 3
Mandati aliæ ſubdiuiſiones. ibid. 3. & ſeq.
Mandatum dare & accipere quænam perſonæ poſſint. ibid. 4
Mandatum in quas perſonas cadere poſſit. 33. verſ. *mandatary.*
Mandati materia eſt alienum negotium. 33.5
Mandatum rei turpis, iniuſtæ & contra bonos mores nullum. ibid. verſ. *ſecundò.*
Mandati ſolutio quibus modis poteſt euenire. 35. 31. & ſeq.
Mandati effectus par mandantis, mandatariique poteſtas, & quomodò. 33.6
Mandati ſecundus effectus, mandatarius non ſibi ſed mandanti acquirit. 34.7
Mandati tertius effectus, reciproca mandantis & mandatarij obligatio. 34.8
Mandatum vulgare & procuratorium in quo conueniant. 37.1. & ſeq.
Mandati vulgaris & procuratorij variæ differentiæ. 38.2
Mandatum & negotium geſtum in quo conueniant. 38.3
Mandatum an ſit impletum ſi mandatus ſoluere, non ſoluit, ſed debitori tantum ſe ſoluturum promiſerit. ibid.
Mandati cuiuſdam exemplum, merces certa quadam naui tranſmittendi. 41.13

Mango.

Mangonum artificia in rebus venalibus. 61. *init.*
Mangones mercium interpolatores. ibid.

Manus.

Manus frequentiùs aliquibus notis ſignatæ. 121. verſ. *vndecimò.*
Manus militum Imperatoris Mauritij ſignatæ. ibidem.

Marcheta.

Marcheta mulieris quid ſit. 311.13
Marchetæ mulierum quomodo accedente Chriſtiana Religione redemptæ. ibid. & ſeq.

Mare.

Maris Ænei capacitas. 169. *init.*
Maris Ænei duplex impletio ineptè ficta. ibidem.
Mare Æneum erat perfectum hemiſphærium. 169. 17
Mare Æneum non fuit cylindrum. ibid. 170
Mare Æneum paulò plus capiebat quàm quinque lateres. ibid.
Mare Æneum quomodo caperet duo millia batorum vel ter mille metretas. ibidem verſiculo *probat.*
Maris natura fluxilis, perpetuóque mutabilis eſt. 206. verſ. *his accedit.*
Maris imperium nullum eſſe à multis illuſtribus tum poëtis, tum Iuriſconſultis probatur. 206. 12 & ſeq.
Maris imperium illuſtri exemplo, mortales ſibi vindicare velle oſtenditur. ibid.
Maris nulla fuit habita partitio, quæ alicui tanquam pars ceſſerit, in communi rerum diſtributione. ibid.
Maris imperium eximio quodam iure ſoli Deo tribuendum cenſet Scriptura. ibid.
Maris dominium aliquod acquiri poſſe, & reipſa poſſideri contendit communior opinio. 207.2
Maris vſus an in alicuius dominio eſſe poſſit, qui illum ſibi vindicare poſſit, & aliis ea iure prohibere. 211.1
Maris vſu aliqua ex parte ab aliquo occupato, an poſſeſſor inuitus ab eo deiici valeat. ibid.

Maris dominium nullum eſſe probantia veterum Iuriſconſultorum teſtimonia explicantur. 209.6
Mare inter publica, non inter communia commonione dominij numeratur ex mente Vlpiani. 210.7
Maris dominium Græci Imperatores ſibi magno cum ſtudio quæſierunt. ibid.
Maris aliquod dominium eſſe, atque adeò habitum fuiſſe apud omnes gentes optimè oſtenditur, 210.8. & ſeq. 211
Maris imperium ſemper magnis curis affectarunt qui aliis dominari voluerunt. 208.*init.*
Maris dominium mortalibus non tribuendum nulla ſcripturæ teſtimonia arguunt. ibid.
Maris dominium nullus mortalium ſibi arrogat. ibidem.
Maris dominium non ſubmit libertatem commerciorum. 208.3
Mare poſſidetur ſicut poſſideri poteſt. ibid.
Mare proprium dominium habere poteſt ſicut flumina & lacus quæ publici iuris eſſe dicuntur. 209. *init.*
Mare vniuerſum ab aliquo vno occupari nequit, benè tamen aliquod partiale ſuis terminis limitatum. 212.& ſeq.213
Maris immenſi partes, etiam diffuſæ terminari facilè poſſunt, ac perinde occupari. ibid.
Mare in varias portiones diuiſum, eiuſque diuiſionis termini in aëre & cœlo poſiti. ibid.
Mare nequit menſuris terminari ſicut terra. 213. verſ. *vides.*
Maris & fluminum præcipuus vſus maioreſque prouentus. 217.verſ *precipui.*
Maris & fluminum præfecturæ, quale ſit eorum dominium euidenter euincunt. 221.24
Mare commendatur ob plurimas eius vtilitates & commoda, ſed maximè propter nauigationem. 221. 1
Mare ſpatioſum manibus quomodo intelligendum. ibid. & ſeq.
Maris vaſtitas propter nauigationem. ibid. 222.
Maria, inſulæ, & litora fruſtra eſſe viderentur, niſi quis ea adiret. 222.2
Mare Rubrum non fuit vocatum à puniceo colore, ſed ad Erithrea Rege. 229.verſ.*vides.*
Mare Pacificum Aſiam alluit, & ab eius lenitate occeanus dicitur. 233.verſ. *mare.*
Mare certis quibuſdam temporibus claudi & aperiri ſolitum. 249.1

Materia monetalis.

Materia monetalis tum aurea, tum argentea duplex eſt. 440.4
in Materia monetali duo potiſſimum attendenda. 441. 5
Materiæ monetalis tum aureæ tum argendeæ puritatis gradus. ibid.
Materiæ monetalis pondus marca examinatur. ibidem 5
Materiæ monetalis legitima puritas ac pondus præſcribitur à Rege. ibid.7
Materia monetalis legitimæ puritatis & temperaturæ Gallis dicitur *alay.* ibid.
Materiæ monetalis aureæ gradus explicantur ſine amphibologia. 442.*in med.*

Matrimonium.

Matrimonium ſub conditione de preterito, aut de præſenti contractum validum eſt poſita conditione. 508.3.& ſeq.
Matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum nullum, & inualidum eſt. 515.6
Matrimonium poteſt contrahi ſub conditionibus de futuro. 554.2
Matrimonium ſub conditione de futuro contractum validum eſt, neque indiget nouo conſenſo poſita tali conditione. ibid 2.& ſeq.
in Matrimonio conditionatè contracto reperitur traditio corporum poſita conditione præſcripta. 555.verſ. *iam verò.*
in Matrimonio conditionato non eſt conſenſus abſolutus de præſenti, ſed conditionatus de futuro; qui adueniente deinde conditione fit virtualiter præſens. 555.3.& ſeq.
Matrimonij ab aliis Sacramentis differentia. 557.6
Matrimonij conditionalis cum duabus ſimul aut ſucceſſiuè contracti, ſingulares caſus. 558. *init.*
an Matrimonium propter aliquod impedimentum dirimens, & occultum, nullum, debeat ad illius validitatem iterum coram Parrocho & teſtibus ſublato tali impedimento celebrari. 621.*per tot.* vbi exemplum affertur. ibid.
Matrimonium ex aliquo impedimento occulto nullum, in facie tamen Eccleſiæ cum ſolemnitate à Tridentino præſcripta celebratum; non indiget ad ſui reualidationem iterum cum eadem ſolemnitate coram Parrocho, & teſtibus celebrari. 621.3.& ſeq.
Matrimonium nullum ob impedimentum publicum, aut ſaltem probabile debet ad ſui reualidationem iterum coram Parrocho, & teſtibus celebrari. 623.verſ. *egomet.*

Matrona.

Matronæ corpus vulgantes, vt ſuæ libidini indulgerent, apud ædiles ſtuprum & lenocinium procaciter profitebantur. 105. verſiculo *decimò.*
Matronæ apud ædiles ſtuprum profitentes dignitate ac iure matronali ſe exuebant. ibid.
Matronæ ſine ſtola in publicum prodeuntes tanquam reæ ſtupri plecti poterant. ibid.
Matronæ & virgines nunquam in publicum ſine comite prodibant. 107.*verſ.tertiò.*
Matronalia ornamenta quæ. ibid.

Medicamentum.

Medicamenta varia ex humano corpore. 69. 1.& ſeq.70
Medicamenta ex humanis carnibus conficienda, earum licitam reddunt venditionem. 70.2

Medicus.

Medici militum qui cum illis proficiſcuntur ad caſtra, dicuntur abeſſe Reipublicæ cauſâ. 660. 7
Medici parabolani eodem priuilegiô gaudent, & quinam ſint. ibid.

Medimnus.

Medimnus fuit Græcorum menſura. 163.13
Medimni capacitas. ibid.
Medimnus aridorum menſura. ibid.
Medimnus Atticus minor medimno Siculo.166.v. *medimnus.*
Medimni in plures partes diuiſio. ibid.
Medimna ſeptingenta, apud Ciceronem quid ſit. 425.2

Menſis.

Menſes quatuordecim in anno inſtituti, & quare. 299.3

Menſura.

Menſurarum tria genera. 148.1
Menſurarum tria genera maximè inter ſe connexa. ibid. 2

Menſa

Menſurarum prima inuentio, eiuſque primus author. 149.verſ.*ex quibus.*

Menſurarum notitia vix poteſt intelligentiâ ſeparari. ibid.

Menſurarum Romanarum liquidis metiendis aptarum index. 163.12

Menſuræ aridorum duæ tantum apud Romanos fuerunt. 163.13

Menſurarum plebiſcitum vetus. 164.16

Menſuræ Græcæ liquidorum minores. 165.6

Menſurarum Atticarum liquidis metiendis inſeruientium index. 166.7

Menſurarum liquidis metiendis inſeruientium maxima cypſele. ibid.

Menſuræ Græcæ aridis metiendis aptæ. 166. verſ.*quamuis* & ſeq.

Menſuræ Hebraïcæ quomodo à L X X. Interpr. explicatæ. 167.10

Menſuræ Hebraïcæ capacitas non perpetuò colligitur ex natura menſuræ Græcæ & Latinæ. ibid.

Menſurarum Hebraïcarum compendium. 171. 19

Menſuræ interuallorum & linearum ſumptæ ex proportione quam habent inter ſe humani corporis partes, apud omnes gentes. 171.1

Menſuræ variæ longitudinum. 173.5. & ſeq.

Menſuræ agrariæ Romanorum. ibid. 5. & ſeq.

Menſuræ vniuerſæ à Romanis ad pedem reuocatæ. ibid. 6

Menſuræ longitudinum & interuallorum eædem apud Græcos, quæ apud Latinos. ibid. & ſeq. 174

Menſuræ Hebraïcæ interuallorum, quarum minima eſt ezbagh. 174. 7

Menſuræ Hebraïcæ ampliores Romanis. ibid.

Menſurarum tum aridorum, tum liquidorum, ſicut & ponderum generalis reductio. 176.3

Menſurarum fraudes à Deo damnatæ. 176.1

Menſuræ in ſacris locis, & cuiuſque ciuitatis Eccleſiis aſſeruatæ, vt ſecundùm eas de aliis indicaretur. 177.verſ *edixit.*

Menſurarum æquitas in commerciis agitandis ſumma cum ſeueritate ſeruata. 178.3

Menſurarum omnium ac ponderum modus & forma Chriſtianiſſimorum Regum edictis præſcripta. 178. verſ. *in hoc porrò.*

Menſuræ quædam Hebraïcæ indefinitæ. 175.9

Menſuræ ponderibus & pondera menſuris cognoſcuntur. ibid. 1

Menſura vel pondus alicuius rei, poteſtne minui, quando pretium definitum eſt minus æquum. 179.2

Menſura conuenta fieri in venditione, ſolutione, & alio quolibet contractu, quamdiu non fit pendet ſub conditione contractus. 185.4

Menſurâ aliqua prohibita an aliæ quoque menſuræ cenſeantur prohibitæ. ibid 5

Menſura interuallorum in fundis, vel itineribus, aut aliis locorum differentiis, an fieri debeat per lineas rectas, vel obliquas. ibidem 6. & ſeq.

Mercator; Mercatura.

Mercator differt à negotiatore. 7. 4

Mercator eſt qui mercibus negotiatur, non qui ex aliis rebus. 7.5

Mercatura eſt negotiatio ex mercibus. 7. 5

Mercatorum variæ ſpecies. 10. 4

Mercatores æquè damnandi videntur ac fœneratores. 12.3

Mercator vnde dicatur. 21.1

Mercatoris definitio & variæ acceptiones. ibidem.

Mercator quis cenſeatur, vel non cenſeatur. ibidem 2

Mercator qui non exercet mercaturam non fruitur immunitatibus eiuſmodi muneri conceſſis. 23. 2

Mercator is eſt qui mercium negotiationi incumbit. ibid. 3

Mercatorum immunitatibus non gaudent vſurarij & fœneratores. ibid. 3

Mercatorum fides diligentia & æquitas quæ debeat eſſe. 23.6

Mercatores præcipui inter negotiatores. 60.1

Mercatori ſicut cuilibet opifici licet ſignum & notam ſibi propriam aſſumere, qua merces & propria opera deſignet. 146.verſ. *venio.*

Mercatorum genera quinque, quorum propriè dicitur ἔμπορος qui peregrè & mari mercaturam facit. 239.verſ.*in naui.*

Mercatores omnes quorum intereſt iactum fieri debent contributione reſarcire damnum. 258. 19

Mercator non tenetur ſoluere gabellam tempore quo erat debita non petitam. 337.1

Mercator poteſt eodem pretio rem ſuam vendere vectigali non ſoluto ac ſi ſolutum fuiſſet. 338. verſ.*ipſe tamen.*

Mercator occultans merces cum conſenſu excubitoris, ad euitandam gabellam iniuſtam, iniuriam facit gabellario; non tenetur tamen ad reſtitutionem; ſecus ſi ſit iuſta gabella, vel ita eſſe præſumatur. 345.3

Mercator nummos grauiores ſeruans, & leuiores expendens, an peccet contra iuſtitiam, etiamſi legitimi ponderis ſint. 450. 9

Mercator, & quilibet alius nummum adulterinum expendens, an peccet, & ad reſtitutionem teneatur. 451.11

Mercatores externi, & forenſes tenentur leruare pragmaticam loci in quo emunt, vendunt, & negotiantur. 500. 4

Mercurius.

Mercurius facundiæ præſes, mercimoniis quoque præfuit apud veteres. 12. 3

Mercurius mercatorum dominus vocatus. ibidem.

Mercurius furibus, & mercatoribus præſes factus. ibid.

Mercurius mercibus præfuit. 229.*init.*

Mercurius ſeruilibus miniſteriis addictos. ibidem.

Mercurius eloquentiæ præeſt. ibid.

Mercurius Aſtronomiæ inuentor. ibid.

Mercurio & Phœnicibus plurima tribuunt, quæ Chanaano gentis auctori maximè propria ſunt. ibid.

Mercurius laſciuiæ miniſter, amorumque patarius. ibid.

Meretrix.

Meretrices corruptiſſima diſciplina ciuitates penetrarunt, in fornicibus habitarunt, vilia mancipia fuerunt & clanculo ad fornices ſederunt. 103. 11

Meretrices ſemitariæ dictæ. 104.11

Meretricum varia nomina. ibid.& ſeq.

Meretrices in corruptiſſima quoque ciuitate deſpicabiles. 105.verſ.*decimò.*

Merettices habito diſtinguebantur à pudicis. 106. verſ. *en tibi igitur*.
Meretrices colore flauo ob tectæ. 206. verſiculo *nempe*.
Meretriciæ veſtis ſignum pallium lineum. ibidem.
Meretrici actio iniuriarum aduerſus eum qui illam libidinis cauſa interpellarit nulla datur. 108. verſ. *ſeptimò*.
Meretrix non poteſt cogi in lupanari quemcumque oblata iuſta mercede admittere. ibidem.
Meretricia, lenocinia, lupanaria non fuerunt impunita in republica Romana etiam corruptiſſima. 108. verſ. *ſeptimò*.
Meretricem facit libido & auaritia. 109. verſ. *quare*.
Meretrix fouea profunda & latro in via inſidians. 109. verſ. *quantum*.
Meretrix plurimum ferarum naturam præ ſe fert. 109. verſ. *nec vnam certam*.
Meretrix omnes facultates & diuitias etiam regias exhaurit. 110. verſ. *ne dederis*.
Meretricum cauendæ blanditiæ & lenocinia inenitabilia. 111. verſ. *quanam*, & ſeq.
Meretrix fouea & ſepulchrum in quo libidini deditι computreſcunt. 113. verſ. *quid dicam*.
Meretrices tranſacto ætatis flore lenæ fiunt, quæ mille nocendi artibus inſtructæ adoleſcentes in omne ſcelus pertrahunt. 115. & ſeq. 116. *inst*.

Meretricium.

Meretricium publicum apud Iudæos non tolerauit Deus. 96.2. & ſeq.
Meretrices aliquæ an fuerint apud Iudæos. 96.3
Meretricium cum impietate coninnctum prohibuit Deus in gente Hebræa tolerari. 97.3
Meretricium & proſtitutio fœminarum Babiloniearum. ibid. verſ. *Addit deinde*.
Meretricius habitus apud Romanos. 106. verſ. *Arnob*.

Metallum.

Metallorum effoſſio quo iure antiquitus licita, vel prohibita. 309.6. & ſeq.
Et quid hodie circa hoc obſeruetur. 310. verſ. *quod attinet*.
Metallum triplex. 383.1
Metallum ſignatum veteres dixere monetam, nummum, & pecuniam. 383.2
Metallum ſignatum cur moneta dicatur. ibid.
Metalli ſignati & infecti proportionalis æſtimatio ſemper habita fuit. 400. *per tot*.
Metalli puritas & bonitas maximè confert ad valorem nummi qui ex eo cuditur. 401. verſ. *huic*.
Metallum ſignatum vbique plus valuit quàm non ſignatum. ibid. 7
Metalli impuritas alia fabris aurariis, argentariis, alia monetariis permittitur. 442. *in med*.

Metreta.

Metreta ſic dicta quaſi aliarum menſurarum prima. 163.1
Metreta certa menſura. ibid.
Metreta eiuſdem capacitatis cum amphora Attica. ibid.

Metrocomia.

Metrocomia quid ſit. 290.3
Metrocomiæ à capitatione liberantur. ibid.

Merx. Merces.

Merx præcipua negotiationis materia. 60.1
Mercis appellatione quid intelligatur. ibid.
Mercis appellatione non continentur omnes res mobiles, quamuis venales. ibid. 2
Mercis appellatio an ad pecuniam extendenda. 61.3
Mercis appellatione an comprehendantur dos & legata. 62. verſ. *ſecundò*, & ſeq.
Merces ſicut & cætera venalia an comprehendantur ſub generali bonorum omnium hypotheca. 61.4
Merces promiſſa ob rem turpem retineri, & exigi poteſt. 83.7
Merces promiſſa ob aliquod ſcelus poteſt exigi ex vi promiſſionis. 85.8. & ſeq.
Merces operis continentis crimen à Iudice puniendum nequit eorum ipſo peti. 90.13
Merces data ob turpem cauſam an reſtitui debeat. ibid. & ſeq.
Merces ex meretricio parta ab impiis in ſacros vſus impenſa. 97. verſ. *confirmatur*.
Merces & res venales certis notis conſignatæ. 131.14
Merces externæ vbi Lugdunum peruenerunt ibi liliorum ſigillo & Lugdunenſi notantur. 132. *in fin*.
Merx poteſt ſignari alia de cauſa quam demonſtrandæ traditionis & poſſeſſionis. 133. verſ. *poterit*.
Merx communi ſocietatis ſigno ſignata ad quem pertineat. 133.3
Merces notantur aliquo ſigno quo vel patria, vel opifex, vel pretium, vel menſura, vel denique dominos deſignantur. ibid.
Merces illiciti commeatus exportans quando, & qua pœna puniri debeat. 201
Merces liciti comercij ſi ſimul cum interdictis reperiantur, an confiſcari debant. 201. verſ. *quod*.
Merces vetiti commercij exportans in quibus caſibus poſſit excuſari. 202. & ſeq. 203
Mercis cuiuſcumque, commeatus, hoc eſt euectio, inuectioque non licita. 186.1
Mercium è mari extractarum diſtributio. 156.16
Merces pereunt dominis ſuis, neque poſſunt petere contributionem ſi à piratis rapiantur. 159. verſ. *tertiò*.
Mercium æſtimatio non pondus ſpectatur in contributione. 161. verſ. *reſp*.
Mercium occultatio poteſt eſſe licita ad vitandam vectigalium occultationem; cum limitatione tamen. 336.3. & ſeq.
Mercium, & rerum omnium caritas aliquando ex mutatione monetæ naſcitur. 445.3

Miles.

Milites armatæ militiæ prohibentur negotiari à Iuſtiniano. 16.2
Milites priuatis negotiis aliquando occupari permittebantur. ibid.
Milites negotiatores carent priuilegio fori. ibid.
Miles Chriſti nō debet ſe implicare negotiationi, tum quia maximè negotioſa eſt, tum quia periculo peccandi maximè obnoxia. 19.1
Milites Romani vendi, ſoliti, & ob quas cauſas. 66.6
Milites Romani quamuis agros militares poſſiderent, à tyrocinij tamen præſtatione liberabantur. 313. verſ. *tirocinium*.
Militibus prohibita eſt vectigalium, & rerum publicarum conductio. 369. verſ. *tertiò*.

Milites non incidunt in commiſſum propter omiſſam profeſſionem mercium, modò vectigal ſoluant. 372.4
Milites Romani in caſtris non verſabantur diſcincti. 539.verſ.ex his.
Milites aliique qui Reipublicæ cauſâ abſunt, gaudent priuilegio reſtitutionis. 657.3.& ſeq.
Milites omnes qui à ſignis ſine periculo diſcedere non poſſunt, Reipublicæ cauſâ abeſſe intelliguntur; quod priuilegium ad alias perſonas extenditur. 659.6
Milites qui commeatu accepto domi reſident, non dicuntur abeſſe Reipublicæ cauſa. ibid.

Milliarenſis.

Milliarenſis nummus fuit inductus cùm Imperium Conſtantinopolim tranſlatum fuit. 413.9
Milliarenſis exactus ab reparandas ruinas quas terræ motus Conſtantinopoli intulerat. ibid.
Milliarenſis dictus à millenario numero. ibidem 414.

Mina.

Mina ſolemne Græcis pondus. 154.8
Minæ deriuatio. ibid.
Minæ Atticæ pondus. ibid.
Mina Athenienſibus duplex, maior & minor. ibidem.
Minæ diuerſæ diuerſi ponderis. ibid.
Mina medica ſexdecim vnciarum. ibid.
Minæ diuerſæ ſpecies apud diuerſas gentes. ibidem.
Minæ pondus & æſtimatio incerta. 157.9
Mina vox Hebræa. ibid.
Minæ nomen non ſolum 60. ſiclorum ponderi, ſed etiam ſingulis illius partibus, tribuſque ponderibus tribuitur. 158. 10
Mina diuerſa apud Hebræos. ibid.
Mina poteſt diuidi in duodecim partes æquales. ibid.

Minor.

Minor ſua authoritate ſine tutoris conſenſu contrahens obligatur naturaliter, etſi non obligetur ciuiliter. 563.4
Minor qui non poteſt propter graues difficultates obtinere contractus iure iriti reſciſſionem, nequit vti compenſatione occulta. ibid.5
Minor in quibus caſibus indigeat ſententia Iudicis ad alienandum ſua bona. 466.init.
Minor ex aliquibus cauſis poterit ſine Prætoris decreto bona ſua alienare. 466.10.& ſeqq.
an Minor poſſit ſua immobilia in fauorem matrimonij, aut dotis conſtitutionem ſine Prætoris decreto alienare. 467.verſ.maior.
Minor qui non poteſt validè contrahere, non poteſt validè contractus obſeruationem promittere. 599.init.
Minor poſt completum annum 35. amplius nequit petere reſtitutionem in integrum, conſtitutione Franciſci I. 631.1
Minori qui veniam ætatis obtinuit à Principe computandum eſt quadriennium ad petendam reſtitutionem conceſſum à die obtentæ veniæ ætatis, neque minor poterit petere reſtitutionem quoad contractus deinde celebratos. 631. 2
Minoribus ante vigeſimum quintum annum quamuis rem ſuam bene gerentibus non datur bonorum ſuorum adminiſtratio. 631.3
Minori poſt pupillares annos exactos permittitur factio teſtamenti, aliorum tamen contractuum celebratio prohibetur, & quare. ibid.
Minor qui ſe maiorem dicit & talis ex aſpectu poteſt iudicari: aut quoquo modo creditorem decipit, non gaudet priuilegio reſtitutionis in integrum; vbi varia afferuntur exempla. 635.5
Minor reſtituitur in contractibus onerosis ratione læſionis quam paſſus eſt. 636.1
an Minor læſus in pretio reſtitui poſſit aduerſus tertium poſſeſſorem ignorantem. ibid.
Minor qui ex mutuo accepto læſus eſt reſtituitur in integrum aduerſus creditorem, cui tamen non poteſt denegare ſolutionem eius in quo locupletior factus eſt. 636.2
Minor cui facta eſt ſolutio abſque licentia tutoris, vel curatoris poteſt reſtitui in integrum ſi pecuniam perdidit. ibid.3
Minor beneficio reſtitutionis vtens, & debitorem ad ſoluendam compellens non peccat. 638.init.
Minor qui fideiuſſorio nomine vel ſe vel rem ſuam obligauit, ſi in ea fideiuſſione læſus fuit reſtituitur in integrum; idem dicendum de minore mandatore, conſtitutore, & expromiſſore. 538.4
an Minore reſtituto eius fideiuſſor reſtitui etiam debeat. ibid.5
Minor qui procuratorio tantùm nomine agit non eſt reſtituendus. 639.6
Minor qui eſt dominus, ſi eius procurator ſit maior, non eſt audiendus ad in integrum reſtitutionem obtinendam. 639.7
an Minor poſſit implorare reſtitutionis remedium aduerſus ſententiam quam aliquis maior defendendam ſuſcepit. 639.8
Minori indulgetur reſtitutio propter læſionem ex quaſi contractu. 641.9
Minor in integrum reſtituitur propter malè acceptatam, vel malè repudiatam hæreditatem. ibid.
Minori ſuccurritur non ſolùm vbi damnum patitur, ſed etiam quando lucrum iuuenili ætate omiſit. 642.11
Minor inſtitutus hæres ſub conditione in diem poteſt reſtitui ſi ſua facilitate talis conditio poſita non fuerit. ibid.12
Minor qui paciſcenti patri ne legatum ſibi à patre relictum peteret, conſenſit, poteſt in integrum reſtitui. ibid.643
Minor qui res ſuas alteri donauit, vel donanti conſenſit, reſtituitur in integrum. 643.13
Minor læſus propter cautionem vel promiſſionem reſtituitur. ibid.14
Minor qui nouando, obligationem tranſtulit in inopem debitorem, reſtituitur aduerſus priorem debitorem. ibid.
Minor an & quomodo reſtitui poſſit aduerſus manumiſſionem. 644.17
Minor viginti quinque annis, maior autem, 20. qui ſe in ſeruum vænire paſſus eſt, non poteſt reſtitui aduerſus eam venditionem. 645.18
Minor viginti annis nequit ſeruum ex lege Ælia Sentia manumittere, neque ea lege vendere vt manumittatur. ibid.19
an Minori poſſit ſuccurri qui ſeruum ea lege emit vt manumittatur. ibid.
Minori per errorem iuris ſoluenti indebitum legatum exiſtimanti iure factum fuiſſe teſtamentum indulgetur reſtitutio. ibid. 20
Minori prodeſt beneficium reſtitutionis aduerſus vſucapientem res ſuas. 645.21
an Minor poſſit reſtitui contra præſcriptionem aut lapſum temporis, qui cœpit in maiore defuncto, & completur in minore ſucceſſore, vbi affertur & explicatur caſus notabilis. 646.22.& ſeq.

Minor non ſemper reſtituitur in integrum quoties aliquid vel minimum cum ipſo vel eius tutore, vel curatore geſtum eſt. 649. 26. & ſeq.
Minor non ſemper reſtituitur ex generali clauſula: *Si quæ mihi iuſta cauſa eſſe videbitur.* 650.28
an Minor poſſit reſtitui à Prætore aduerſus legalem temporis præſcriptionem. 651.30
Minor qui paſſus eſt damnum ex venditione pignorum à creditoribus facta, aduerſus illam poteſt reſtitui. ibid.31
Minor adoptatus, & adrogatus qui in eo ſtatu ſentit ſe læſum à Prætore poteſt obtinere reſtitutionem. ibid.32
Minor aduerſus iudicium reſtitui poteſt, & in quibus caſibus. 651.33.& ſeq.
Minor non reſtituitur aduerſus ea quæ in minore ætate geſſit, quæ deinde maior factus rata habuit. 653.1.& ſeq.
Minores non iuuantur ætatis ſuffragio in criminibus quæ ex deſtinato animo committuntur. 654.2
Minori qui ſine dolo in commiſſum vectigalis incidit, reſtitutio indulgetur. ibid.3
Minores ob crimina ſeuerè puniri. ibid. & ſeq.
Minor qui iure mariti vxorem de adulterio accuſare potuit intra 40. dies, ſi accuſationem omiſerit non reſtituitur. ibid.p.655
an Minor aduerſus propriam confeſſionem poſſit reſtitui. ibid.
Minor nequit reſtitui aduerſus contractum matrimonium vel profeſſionem religioſam. 655.6
Minor aduersùs permutationem aut reſignationem beneficiorum ab ipſo inconſultò factam poteſt reſtitui. ibid.6
Minor validè contrahit, & obligatur tum ciuiliter, tum naturaliter adueniente tutoris ſui authoritate. 462.1
Minor ſine tutore contrahens non obligatur ciuiliter. ibid.
Minor contrahens ſine tutoris ſui authoritate obligat ſibi illum cum quo contrahit ciuiliter, cui tamen vicissim non obligatur. 462.2
Vide in verb. *Pupillus.*
an Minor cogi poſſit vti ſententia reſtitutionis. 666. 4
Minori læſo per contractum cum maiore inito, contractu reſciſſo reſtituuntur vnà cum re fructus à malæ fidei poſſeſſore percepti. 667.10.11

Modius.

Modius ita dictus à Romanis à modo quo frumenta diſpenſantur. 164.14
Modios vox antiquis ſcriptoribus frequens. ibid.
Modius certa Latinis menſura. ibid.
Modius menſura lignea. ibid.

Modus.

Modus diſpoſitioni adiectus quid ſit, & in quo differat à conditione. 565.2
Modus quid operetur, & ab quid obliget. ibid.2. & ſeq.
an Modo poſſibili, & honeſto non ſubſecuto inualidetur diſpoſitio cui appoſitus fuit. 566.*init.*
Modus poteſt apponi donationi ante acceptationem, non autem poſt. ibid.
Modus diuerſimodè poteſt apponi diſpoſitioni. ibid.

Monachus.

Monachus validè poteſt acceptare legatum, aut donationem factam in fauorem Monaſterij, abſque eiuſdem Monaſterij licentia. 469.verſ.*hinc tamen.*
Monachus exiſtens abſque licentia extra Monaſterium non poteſt pro ſuis expenſis conueniri in Monaſterij detrimentum. ibid.verſ.*tertiò.*
Vide in verb. *Religioſus.*

Monaſterium.

Monaſterium non tenetur ex contractu Monachi ſine eius licentia celebrato; ſicut neque ex eius delicto. 469.5
Monaſterium tenetur ex contractu ſui Prælati, quoties ſuæ poteſtatis, vel adminiſtrationis limites non exceſſit. ibid.
Monaſterium non tenetur de delicto Prælati. 470. verſ. *quintò.*
Monaſterium tenetur reſtituere pecunias quas Prælatus mutuò accepit ad Monaſterij neceſſitatis expenſas, licèt deinde eas in alios vſus malè conſumat. ibid.
Monaſterium in Religioſi bona ſuccedens tenetur omnibus contractibus ipſius ante profeſſionem celebratis; ſecundùm vires hæreditatis illius Religioſi. 470.6
Monaſterium tenetur ſeruare ea quæ Religioſus diſpoſuit circa pias cauſas. ibid.
Monaſterium ſuccedens in bona coniugis Religioſi non tenetur alere coniugem in ſæculo relictum quamuis inopem. ibid.

Moneta.

Moneta eſt metallum ſignatum, & vnde hoc nomen. 383.2
Monetæ nomen aliquando ſumitur pro ipſa forma, & typo in quo cuditur moneta. ibid.384
Monetæ Regiæ apud Francos ſemper ſeruata ſua prærogatiua. 440.3.
Monetæ cudendæ totum ius pluribus Dynaſtis conceſſum à ſapientiſſimis Francorum Regibus ſenſim recuperatum. ibid.
Moneta maior in metalli pretio, & minor in pondere continet æquiualenter illam quæ in pretio minor eſt, & maior in pondere. 403.2
Moneta aliquando cuditur deterior duabus ex cauſis. 442.verſ.*claudo.*
Moneta in officinis monetalibus, & à Rege præſcriptis locis tantum cudi debet. 443.8
Monetam cudendi induſtrioſa methodus, variique in eam artem operarij. 443.9.& ſeq.
Monetæ variis modis mutatæ. 444.*init.*
Moneta ab eo poteſt mutari qui pro ſua authoritate poteſt eam cudere. ibid.1
Monetæ mutatio cum impoſitione tributorum ſæpè comparatur, & ab vna ad aliam argumentum ducitur. ibid.
Monetæ mutatio inconſultis ſubditis poteſt ab eo Principe induci, qui imponendi tributa poteſtatem habet. 444.1
Monetæ in deteriorem ratione ponderis, aut materiæ, mutatæ varia incommoda. 445.& ſeqq.
Monetæ adulteratio per impuritatem materiæ. 449. 6
Monetæ tertia adulteratio conſiſtit in illegitimo pondere. ibid.
Monetæ mutatio cedit in detrimentum Principis. 446. *init.*
Moneta non debet mutari pro arbitrio principis, & vt diuitias ſibi pro libidine compararet. 446. 4
Monetæ inſignis mutatio poteſt à Principe fieri ingruente magna neceſſitate; ea tamen conditione vt præterita neceſſitate Princeps compenſet damnum ex illa conſecutum. ibid. 5
Monetæ mutatio facta à Caluiniſtis ad bellum

proto

protogandum contra Catholicos; & viciſſim à Catholicis facta. ibid.
Monetæ mutatio extra ingruentem belli neceſſitatem ex certa regula non eſt licita. 446.6
Moneta externa vix poteſt recuſari, aut prohiberi ſaluis commerciis. 447. *init.*
Moneta falſa dicitur adulterina. 447.1
Monetæ adulteratio variis modis fit. ibid.2
an Moneta grauior poſſit ab aliquo adradi, & ad legitimum pondus reduci abſque peccato, & obligatione ad reſtitutionem. 450.8.& ſeq.
an Moneta adulterina poſſit aliquo caſu à quoquam expendi abſque peccato, & obligatione ad reſtitutionem. 451.11.& ſeq.
Monetalis materia, Vide *Materia monetalis.*

Monetarius.

Monetarij falſi apud Romanos pœnis mulctati. 438.1
Monetarij falſi quinam. 447.2
Monetarius falſus qui legitimam ratione ponderis & materiæ pecuniam cudit vtrum ad reſtitutionem teneatur, & cui. 448.3
Monetarius falſus qui probam cudens monetam illi imponit externi Principis typicum monetarium ſignum, cui ſatisfacere teneatur. ibid.4
Monetarij falſi cudentes monetam in illegitima materia grauiter peccant, & ad reſtitutionem tenentur. 449.6
Monetarij falſi nullibi impuniti; eorumque variæ pœnæ. 452.12

Mortales.

Mortales in ſeculo degentes cuiuſcumque dignitatis ſint, negotiatores ſunt. p.2

Mos.

Mos Germanorum in venditione corporum & libertatis. 64.verſ.*& primò.*
Mos idem apud Gallos obſeruatus. ibid.
Mos Romani Populi in venditione militum. 66.6
Mos adhibendi humana corpora ad menſam. 73. verſ. *De hoc.*
Mos impiorum per meretricium numini ſe initiare & conſecrare credentium. 97. verſ. *confirmatur.*
Mos quid ſit. 489.23
Mos propriè ſumptus differt à iure. ibid.
Mos iuramenti ſolemnis antiquitus præſtandi. 616.4
Mos antiquus profitendorum liberorum. 634.7

Mulier.

Mulieres grauidæ diſſectæ, & fœtus inde abſtracti pabulo vorati. 71.1
Mulieres grauidæ pica laborantes, humani corporis partibus veſci optantes. 74.2
Mulieres Hypocratis ætate vix podagra laborabant. 76.verſ.*ſecundò.*
Mulieres Aquilenſes colebant Venerem Caluam. ibid.
Mulier licitè poteſt retinere mercedem datam ob ſui corporis copiam factam, & promiſſam exigere. 90.1
Mulier retinere nequit pretium acceptum cum pacto copiæ corporis ſui faciendæ. 91.2
Mulier aliquando corrupta licèt non meretrix non poterat nubere ſacerdoti. 98.verſ.*quæ verò.*
Mulierum impudicarum à pudicis diſcrimen apud Romanos. 107.verſ.*denique.*
Mulieres honeſtæ vittis crines ſuos coërcebant, non impudicæ. 107.verſ.*vittis.*
Mulieres impudicæ & infamia proſtibula à ſacris præcluſa. 108.verſ.*quintò.*
Mulieres ſagæ fœminæ ad libidinem virorum indagatrices. 111.verſ.*ipſe.*
Mulier cui data eſt libertas ſi primum marem pepererit, acquirit eam licet eodem partu fœminam edat priorem. 541.verſ.*reſp.*
Mulier minor quæ vltra vires patrimonij immodicam dotem dedit, aut aliquod pactum dotale ſibi damnoſum fecit, iuuatur beneficio reſtitutionis. 643.15
Mulier quæ ſe obligauit contractu nullo, iuramento tamen firmato, tenetur ſuo iuramento. 615.12
Mulier vndecimo menſe poſt mortem mariti pariens parit ex ſtupro. 521.*init.*

Mumia.

Mumia quid ſit. 69.1.& ſeq.7
Mumiæ conficiendæ modus. ibid.

Munus.

Munerum ciuilium triplex genus. 289.1

N

Naſus.

NAſus aliquando notis & ornamentis inſignitus. 122.verſ.*ſed neque.*
Naſo applicantur circuli aurei ab Hebræis & Africanis puellis. ibid.
Naſi perforatio apud Barbaros vſitata. ibid.

Naufragium.

Naufragium aliquando prouenit culpâ hominis aliquando fortuito caſu. 249.*init.*
Naufragium ferendum eſt ab illo cuius culpâ contigit, ſiue nauta ſiue mercator exiſtat. ibid.
Naufragium tribuitur culpæ naucleri, ſi vetita, aut minus idonea tempeſtate nauigarit. 249.1
Naufragio res expulſæ pro deperditis habentur, non pro derelictis. 261. verſ.*octauò.*

Naufragus.

Naufragi ex arca Noëmica egreſſi vnde, & quò profecti. 225.6
Naufragi ex arca Nëmica relictis Armeniæ montibus diutiùs inter Tigrim & Euphratem habitarunt. ibid.
Naufragi debent oſtendere naufragium contigiſſe diuina tempeſtate. 254.14. & ſeq.255
Naufragus homo cæterorum mortalium inania vota deſcribit. ibid.
Naufragorum calamitas fecit, vt nulli, neque etiam fiſco liceat eorum res è naufragio extractas apprehendere. ibid.verſ.*hæc porrò.*

Natans; Natare.

Natantes in mari quàm longè transfretare poſſint. 257.16
Natandi peritia militibus vtilis & vſitata. ibid.

Nauicularius.

Nauiculariorum corpus in vrbe. 236.5
Nauicularij immunes à cæterorum munerum præſtatione. ibid.
Nauicularij iuris fundum vel domum emens non fit ideircò nauicularius, ſed canonem nauiculariùm pro modo fundi tenetur agnoſcere. ibidem.
Nauicularij annonam publicam transferentes, ex ea negotiari vetantur. 242.9
Nauiculariorum ſecuritati maximè prouiſum. ibidem.
Nauicularij proprias diœceſes & prouincias deſignatas habebant, ſibique inuicem auxilium præſtabant. ibid.

Nauicularij tenentur tempore conuento nauigare, & aperti maris tempeſtates ſeruare. 242.10

Nauicularius non eſt ita arctandus, vt ipſo momento aſſignati temporis ſoluat è portu. 250.3

Nauigatio.

Nauigatio agricolis infenſa, negotiatoribus in comparandis diuitiis percommoda. 205

Nauigatio mercatoribus & commerciis maritimis maximè propria. ibid.

Nauigatio exteris, atque etiam incolis certa tantùm eſt lege permiſſa. 217.verſ. *nauigationem.*

Nauigatio citra belli tempora, maximè propter commercia maritima inſtituta non fuit ſemper libera. 218.17

Nauigandi artificium tam ſapiens eſt, vt diuina induſtriâ excogitatum videatur. ibid.

Nauigantes mirabiles elationes maris & mirabilem in altis Dominum experiuntur, quod alij ne mente quidem aſſequi poſſunt. 222.2

Nauigationis vſum aliquem fuiſſe ante Noëticum diluuium nulla certa coniectura demonſtrat. 222.4

Nauigationis primus ortus. 228.13

Nauigationi excogitandæ, vſurpandæque tres fuerunt præcipui fines. ibid.14

Nauigationes Chananæorum ſiue Phænicum celeberrimæ. 228.verſ. *poſt eam.*

Nauigationis finis ſecundus Imperij propagatio. 233.16

Nauigationis tertius finis eſt negotiatio, & commercia cum exteris agitanda. 233.17

Nauis.

Nauis, aut quodlibet inſtrumentum quo merces vetiti commeatus deferuntur, an ſimul cum illis poſſit confiſcari. 202.verſ. *idem.*

Nauium primus inuentor quis. 222.3

Nauium grandiorum nullus vſus ante Noëmum. 223.verſ. *vndecumque.*

Nauis à Noëmo auctore Deo fabricata, potiùs arca dicta, & quare. 224.5

Naues ſunt marinagi cum lineis alia nautarum turtus. 235.1

Nauium, ſingularumque earum partium plurimi inuentores. ibid.

Nauium genera duo in vniuerſum. 239.1

Naues ampliùs duorum millium modiorum capaces non excuſantur ab onere tranſuehendæ annonæ publicæ. 242.9

Naue conducta pro certo numero amphorarum, aut modiorum. ſi eorum vel capax non ſit, vel non ſint tot impoſiti, an tota merces conuenta debeatur. 243.2

Naue certæ capacitatis conducta certo & determinato pretio ſimpliciter & abſolutè debetur totum conuentum pretium. 244.3

Naue certæ magnitudinis conducta, nullaque certa vectura conuenta, debetur tota vectura ſi ita conſuetudo ferat. ibid.4

Naue ad vehendam aliquam familiam, aut mancipia conductâ, an ſi antequam appellat ad portum perierint aliqua animalia, vel mancipia, debeant tota vecturæ merces conuenta. ibidem 5

Nauem alienam locanti, an eius domino conductor pactam mercedem dare poſſit. 245.8

Nauis dominis diſſentientibus, quorum alter opportuno tempore vult nauigare, alter vult nauem otioſam manere; prioris illius potiores ſunt partes. 247.verſ. *primò.*

Nauis dominis diſſentientibus in præponendo magiſtro quid agendum. ibid. verſ. *ſecundò.*

Naue refectione indigente, ſi vnus dominus communem nauem refici curarit communi nomine, altero domino negligente, & expenſarum partem recuſante, poterit illam ſibi ex ſolido vindicare poſt aliquod tempus. ibid. verſ. *tertiò.*

Naui cum ſuis inſtrumentis empta, non intelligitur empta ſcapha. ibid. verſ. *quartò.*

Naui publicata non cenſetur ſcapha publicata. ibid.

Naui vendita, an laudemium regi debeatur. ibid. verſ. *quintò.*

Naui à piratis redempta omnium quorum intereſt contributio fieri debet. 258.verſ. *ſecundò.*

Nauium capacitas ex capacitate amphorarum colligitur. 260.*init.*

Nauis amiſſæ damnum non ſarcitur collatione, per eos qui merces ſuas e a naufragio liberarunt. ibid.

Naui depreſſa, vel deiecta, quod quiſque ſuum ex illa ſeruabit, ſibi ſeruauit. 261.verſ. *Octauò.*

Nauis magiſter, vide in verb. *magiſter nauis.*

Nauta.

Nauta propriè eſt qui nauis nauigandæ causâ in naui eſt. 239.*init.*

Nautæ nomine intelligitur exercitor, magiſter nauis, aliique qui aliquid agendi gratiâ naui præponuntur. ibid.

Nautæ rem ſibi commiſſam ſaluam fore recipere debent. 239.2

Nautis non licet onus auertere neque diſtrahere. 241.8

Nautæ tenentur de dolo, lata, & leui culpa mercatoribus & vectoribus, non tantum de leuiſſima. 242.11

Nauta qui ſuam nauim locauit, quia tamen eam amiſit, aut ob alium caſum munere vehendi functus non eſt, an poſſit petere totam vecturam pactam. 245.7

Nautæ ad mercatorem obligatio in quibuſdam caſibus. 245.& ſeq. 246

Nauta poteſtne cogi nauigare ei oblato *iuſto* pretio. *ibid.*246

Nautis in nauia miniſterio laborantibus non datur tacita hypotheca pro præſtitis operis. ibid.

Nauta nauigans clauſo mari culpâ ſua cauſam dediſſe naufragio præſumebatur. 249.1

Nauta eſt reus ſi intra certum tempus quo nauigare promiſit non nauiget. ibid.2

Nauta eſt in culpa ſi neglecta proſpera tempeſtate & aura ſine graui cauſa in portu quiſcat. ibid.3

Nauta qui ſolita nauigatione contempta, & dimiſſo recto itinere littora deuia ſectatur, damnum reſarcire tenetur. 250.4

Nauta qui littora deuia ſectatur vt euitet iniuſtum vectigal, vel in portu diutiùs moratur, vt cum publicania de minuendo vectigali tractet, non tenetur naufragium reparare ſi accidat. ibid.

Nauta eſt in culpa, ſi merces quas certa naui vehēdas conduxerat, in aliam deteriorem tranſtulerit, & quomodo ſit intelligendum. ibid.5

Nauta impeditus morbo nauigare non tenetur præſtare periculum ſubſequutum ad intempeſtiuam nauigationem. 252.verſ. *addit.*

Nauta eſt in culpa qui naui regendæ minus idoneos miniſtros adhibuit. 251.6

Nauta non caret culpâ ſi nauim plus æquo onerarit, indeque naufragium contigerit, vel nauis leuandæ causâ iactus mercium. 251.7

Nauta culpâ non caret ſi per loca manifeſtè periculoſa, & non tuta nauigarit. 252.8

Nauta

Nauta tenetur mercatoribus, qui quòd illicitas merces in nauim immiſerit cauſa fuit quod cæteræ inciderint in commiſſum. 252.9
Nauta non eſt in culpa ſi noctu lumine piſcatorum deceptus ea iſtimans nauis portum appellere, ipſa in vada & ſcopulos incidit & naufragium facit. ibid. verſ. *non erit.*
Nauta tenetur mercatoribus, ſi eius culpa capta fuerit nauis, & merces direptæ. ibid. 10
Nauta non caret culpa ſi nauis aut merces perierint ex eo quod nauigium armamentis neceſſariis non inſtruaerit. ibid. 12
Nautæ non tenentur præſtare damnum ſi naufragium contingat diuina tempeſtate. 254.14
Nautæ quomodo debeant procedere in oſtendendo naufragium contigiſſe diuina tempeſtate. ibid. & ſeq. 255

Negotiatio.

Negotiationes humanæ difficilè, atque improbis laboribus peraguntur. pag. 1
Negotiationis vniuerſæ prima naſcente orbe origo. pag. 2
Negotiatio noſtræ ſalutis neceſſario facienda. ibid.
Negotiatio ſalutis noſtræ facilius fit in religione quàm in ſeculo. ibid.
Negotiationes plurimæ variis ex cauſis iniquiſſimæ redduntur. p. 3
Negotiatio deriuatur à negotio, atque pluries negotium pro negotiatione vſurpatur. 6.2
Negotiatio accipitur à Græcis pro qualibet cura ſtodio atque etiam moleſtia. ibid. 3
Negotiationis in vniuerſum definitio. ibid. 4
Negotiatio an ſit quid vniuerſalius mercatura. 7. 4
Negotiatio eſt quælibet lucratiui commercij & negotij exercitatio. 7. verſ. *negotiatio.*
Negotiationis variæ ſpecies, & negotiandi, acquirendi, & quæſtus faciendi varij modi. 9. 1. 2. 3
Negotiatio duplex. 10.7
Negotiationis variæ diuiſiones. 11.8.9.10
Negotiatio locratiua à quibusnam damnetur. 11.1
Negotiationis turpitudo deſumitur ex ipſius natura. 11.2
Negotatio eſt expoſita periculis peccandi. 12.3
Negotiatio ex ſeſe & obiecto ſuo ſpectata licita & honeſta eſt. 12.4
Negotiatio pluribus periculis eſt expoſita, & ex variis circumſtantiis illicita reddi poteſt. 13.5
Negotiatio ciuitatibus & rebuſpublicis vtilis & maximè neceſſaria. 13.1
Negotiatio ignobilis, & inter artes ſordidas ab aliquibus Doctoribus annumeratur. 13.2. & ſeq. 14
Negotiatio & mercatura ſecundum aliquos nobilitati non repugnant. 14.3
Negotiatio maior non pugnat cum nobilitate, maximè quando per alios exercetur. ibid. 5
Negotiationis triplex finis conſtitui poteſt. 15.1
Negotiatio prohibetur non ſolum nobilibus, ſed & omnibus magiſtratibus, & officialibus regiis etiam infimis. 17. 5
Negotiatio generaliter prohibetur quibuſcumqoe rerum ſuarum adminiſtrationem non habentibus. ibid. 6
Negotiatio an ſit licita palatinis. 17. 4
Negotiatio poteſt prohiberi à Iudice aliquibus in in locum pœnæ. 18. 8
Negotiatio non prohibetur ſeruis, neque fœminis. ibid. 9
Negotiatio eſt prohibita clericis aliquo ſacro ordine initiatis, vel beneficiatis, tum religioſis. ibid. 1
Negotiatio poteſt ſolum exerceri circa res pretio æſtimabiles. 54.1
Negotiatio debet fieri in re exiſtente, certa, & ſub poteſtate negotiantium. 55. 3
Negotiationis materia quomodo ſit certa. 56. 6. 57. 7
Negotiatio inualidatur ob defectum materiæ idoneæ negotiationi. 59.9
Negotiatio eunuchorum aliquando licita & honeſta, aliquando illicita & inhoneſta. 81.15. & ſequent.
Negotiatio de re turpi & illicita, an ſemper ſit turpis & illicita. 82. 1
Negotiatio lenonum & lupanarium turpis. 96.1
Negotiatio quorumdam ſporcorum maritorum ex vxorum ſuarum proſtitutione, damnanda. 117. 25
Negotiationis tota exercitatio pactis & contractibus conſtat. 443. *init.*

Negotiator.

Negotiatores omnes non dicuntur ſemper mercatores. 7.4
Negotiatoris & mercatoris plura diſcrimina. ibidem.
Negotiator ex quiſquis ea aliquo negotio lucrum captat. ibid.
Negotiator vix vitare poteſt delictum. 12.3
Negotiatores pro magnitudine periculi diligentiam in periculis adhibere debent. 13. 5
Negotiatores ditiores & per alios mercaturam exercentes, inter nobiliores cenſentur ea more regionis. 14.4
Negotiatores poſſunt eſſe quilibet rerum ſuarum adminiſtratores. 16. 1
Negotiator debet expendere proportionem ponderum quæ eſt inter varias fruges & liquores, vt ex ponderibus metiatur menſuras, & ex menſuris pondera. 176.2
Negotiatoribus Romanis non licebat aurum perſoluere Barbaris pro mercibus emptis, ſed alias ſpecies reddebant. 190. verſ. *prohibuit.*
Negotiatoribus Romanis non licuit ſericum à Barbaris emere ſine comite commerciorum. 191. 9

Negotium.

Negotium opus quodpiam ſignificat, & ex vi dictionis otij negationem. 5.1
Negotij multiplices acceptiones. ibid. & ſeq.
Negotium geſtum quid ſit. 28.1
Negotiorum geſtor quis dicatur. ibid.
Negotiorum geſtoris obligationes diuerſæ. 28. 2. & ſeq. 29
Negotiis vtiliter geſtis ad quid teneatur is cuius negotia geſta ſunt. 29.3. & ſeq.

Nemrod.

Nemrod non fuit ex turris Babylonicæ conditoribus. 226. 8
Nemrod in terra Sennaar varias vrbes ædificauit. ibid.
Nemrod in ipſo loco in quo erecta fuerat Babylonica turris vrbem Chalanem ædificauit. ibidem.

Neptunus.

Neptunus dominus maris exiſtimatus, & quare. 228.12
Neptuni nomen quale. ibid.
Neptunus quare lato pectore denominatus. ibid.

Nobiles

Nobiles.

Nobiles vetantur mercimonia & negotia exercere. 17.3

Noëmus.

Noëmus quo in loco conſcendit nauim. 223. verſ. *deinde.*

Noë iuſſus ſabricare arcam ex lignis Gopher, & quare. ibid.

Noëmus primus grandius nauigium, quod orbis reliquias, & ſemen conſeruaret, auctore ſummo Deo conſtruxit. 224.5

Noëmus à Græcis Saturnus factus. 227.10

Noëmus vir terræ. ibid.

Noëmus execratus chamum. ibid.

Noëmici.

Noëmicorum diſperſio in varias terras quando contigit. 225.7

Noëmicorum diſperſio contigit occaſione confuſarum linquarum. ibid.

Noëmici è patrio ſolo,& à ſuis ægrè profecti. ibidem.

Noëmici ante profectionem in varias regiones communi conſilio illuſtre nominis ſui monumentum poſteris ſuis reliquerunt. ibid.

Noëmicorum duplex in varias regiones diſtributio quare inducta. ibid.

Noëmicorum in varias regiones diſtributio nauigiis facta. 226.9

Nota.

Nota eſt id quo quidpiam dignoſcitur, & ab aliis rebus diſtinguitur. 118.1

Notæ plurimæ diuiſiones. ibid.

Notæ natiuæ fœtui adnaſcuntur, & genitiuæ nominantur. ibid. 2

Notæ genitiuæ quorumcumque animalium fœtibus contingere poſſunt. ibid.

Notæ genitiuæ aliquando ſunt alicui ſingulari propriæ, aliquando vero ſunt notæ gentilitiæ,& in omnes eiuſdem gentis poſteros tanquam certa quædam hæreditas transferuntur. ibid.

Notæ naturales ſunt eæ quæ non in fœtu, ſed poſt ortum ex aliquo morbo vel alio caſu naſcuntur, & perpetuò manent. 119.verſ.*aliæ.*

Notæ artificiales aliæ diuinæ, aliæ dæmoniacæ,aliæ humanæ. ibid. 3

Nota Caïno poſt peccatum diuinitus impreſſa. 119.verſ. *& quidem.*

Nota aliqua ſeruis & ancillis Hebræis Dei iuſſu impreſſa. 120.*init.*

Notis diuinis annumerantur eæ quæ licèt genitiuæ ſint, diuina tamen virtute impreſſæ fœtui videntur. 120.verſ *his quoque.*

Notæ demoniacæ ſunt quæ ab ipſo dæmone vel eius ſuaſu imprimuntur. ibid.verſ.*nota.*

Notæ humanæ ab hominibus imprimuntur. ibid. verſ. *notas.*

Notarum humanarum illuſtria exempla. ibid.verſ. *illuſtria.*

Notæ diuinæ Epiſcopis ad Nicænum Synodum conuenientibus impreſſæ. ibid.

Notarum humanarum ſubiectum duplex. 120.6

Notæ ſingulis rebus impreſſæ. 121.*init.*

Notæ diuerſæ faciei impreſſæ. ibid.

Notæ toto corpori inflictæ. 123. verſ. *decimooctauò.*

Notarum forma erat vel expreſſa alicuius animalis effigies; vel quædam alia res omnis ferè generis, vel littera & ſcriptura. 123.verſ. *explicato.* & ſeq.

Notarum varia exempla à diuerſis nationibus hominibus, animalibus, cæteriſque rebus inuſtarum. ibid.verſ.*& primum.*

Notarum imprimendarum modus quadruplex. 124.verſ.*octauò.*

Notæ pictura encauſtica impreſſæ non ſemper inciſione & inuſtione fiebant. 125. verſ. *tandem.*

Notas imprimendi humanis aliiſque corporibus alij modi. 225.verſ. *alter modus.* & ſeq.

Notæ quibuſnam inſtrumentis, humanis & cæteris corporibus impreſſæ fuerint. 126.9

Notarum tum hominibus, tum animantibus impreſſarum finis. 127.11

Notæ vſurpatæ ad diſtinguendas gentes, profeſſiones & cultus. ibid.

Notæ religioſæ vſurpatæ ad aliquid impetraodum à Deo. 128.verſ.*tertiò.*

Notis corporibus infixis ſtatus & cuiuſque conditio deſignabatur. ibid.verſ.*quartò.*

Nota infami, & criminis admiſſi tanquam pudendo indice dehoneſtabantur rei. ibid. verſiculo *quintò.*

Notæ inſignes ad luctum teſtandum aſſumptæ. ibid.verſ.*Sextò.*

Notæ quibus Romani ſcribendo vtebantur non erant litteræ, ſed ſigna quædam & figuræ à notariis pro arbitrio excogitatæ. 129. verſ. *ex quibus.*

Notæ à ſiglis Romanis differebant. ibid.

Notæ erant ſigna, & figuræ quæ litteras voceſque & aliquando orationem integram ſignificabant. ibid.

Notis & figuris in ſcribendo qui priores vſi fuerint. ibid.& ſeq.

Notis in ſcribendo duplici de cauſa vſi ſunt antiqui. ibid.

Notarum vſus maximam in ſcribendo claritatem præſtabat. ibid.

Notarum vſus frequentiſſimus ad ſcribendum. 129.12

Notis ſcaturiebant veterum Iuriſconſultorum libri. 130. verſ.*his notis.*

Notæ in foro vſurpatæ, & quare. ibid.

Notarum reliquiæ aliquot in libris Pauli Diaconi. ibid.

Notis ſcribere, & perſcriptis verbis ſcribere ſæpius in iure comparantur, & inter ſe opponuntur. 131.*init.*

Notæ ſunt caſtigationes & animaduerſiones libri alicuius. ibid.

Nota non eſt infamia; notati & infames differunt. ibid.

Notis vtimur veterum exemplo ad rerum cuſtodiã dominium & proprietatem. 132.13. & ſeq.

Notarius.

Notarij à notis nominati. 130.verſ. *ab his.*

Notarij docebant pueros celeriter ſcribere. ibid.

Notariorum nomen ad Principum ſecretarios deriuatum. ibid.

Nouatio.

Nouationis definitio. 627.1

ad Nouationem duo præcipua requiruntur. ibid.

Nouatio perfecta nequit à muliere vel ſeruo fieri. ibid.

Nouatio perfecta ab his tantùm fieri poteſt qui liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem habent, & ſtipulari poſſunt. ibid.

Nouatio duplex, & quomodo fiat. 627.2

Nouatio ſecundaria diuiſione diuiditur in voluntariam, & neceſſariam. 628.4

Nouatio

Digitized by Google

Nouatio quomodo fieret iure antiquiſſimo, quomodo verò iure antiquo Digeſtorum; vbi referuntur plura loca. 628.5
Nouationum nocentia volumina à Iuſtiniano correcta. 629.6
Nouatio ſecundum Iuſtiniani mentem non præſumi debet, ſed factam eſſe probare oportet. ibid.

Numerarius.

Numerarij à numerando & ſupputando dicti ſunt. 49.9
Numerariorum nomen de tabulariis rectorum prouinciarum vſurpatum. ibid.

Nummus.

Nummi antiquitus potius pondere quàm numero examinabantur. 155.verſ.*& quidem.*
Nummi quare naui ſignati. 217.10
Nummus an ſit vocabulum Græcum, an Latinum. 384.3
Nummi vocabulum propriè, & ſtrictè ad pecuniam argenteam pertinet. ibid.
Nummus eſt vox omnibus monetis communis. ibid.
Nummus aliquando pro certa monetæ ſpecie vſurpatur. ibid.
in Nummo quolibet quatuor conſideranda ſunt. 385.5
Nummus originem duxit ex neceſſitate commerciorum. 386.1
Nummus quomodo inductus, & quid eius loco eſſet ante metallum ſignatum. ibid.1.& ſeq.
Nummi materia triplex. 387.2
Nummi argentei ſicut ærei initio cuſi fuere grauiores. 388.verſ. *ephorus.*
Nummorum argenteorum primus inuentor ignotus. ibid.& ſeq.
Nummi vſus frequens, & percommodus apud Phænices. ibid.
Nummorum argenteorum prima inuentio ignota. 389.5
Nummorum communis materia. ibid.6
Nummus ferreus apud Lacedæmonios, & alias gentes. ibid.
Nummus quare non æquè ex ferro cuſus ſicut ex ære. 390.*init.*
Nummi ſtannei argenti loco fuere aliquando apud Siracuſios. 390.7
Nummi ſtannei prohibiti Romanis. ibid.
Nummi electrini. ibid.
Nummi coriacei apud varias gentes. 391.9
Nummi Græcorum, & Athenienſium proprij qui & qua figura notati. 394.4
Nummi Romani figuræ. ibid 5
Nummus aſper & ſerratus quid ſit. 395.3
Nummi pondus quid ſit. ibid.1
Nummi pondus varium. ibid.2
Nummi valor quid ſit. 396.1
Nummi publici æſtimatio, & pretium certum eſſe debet. ibid.
Nummus ex Ariſtotele eſt μέσος, mediator, & conciliator permutationum. ibid.
Nummi valor ex publica authoritate, à materia aut forma deſumitur. ibid. 2. & ſeq.
ad Nummi valorem etiam vt nummus eſt plurimum confert materiæ bonitas & puritas. 397.3. & ſeq.
in Nummo admittendo vel recuſando attendi bet materiæ bonitas, & pondus. ibid.398
Nummi legitimus valor ex pondere probatur. ibid.
Nummi valor formalis, extrinſecus, & impoſitiuu ac legalis quis ſit. 399.verſ.*alter*
Nummus cuiuſque valor eſt à publica authoritate; non à ſe. ibid.
Nummi puriſſimi in Gallia ſub Ioanne Rege cuſi. 399.6.& ſeq. 340
Nummi valor vbique maior quàm maſſæ metallicæ. 401.7
inter Nummum ſignatum, & maſſam metallicam debet haberi æqualitas congrua, quæ non conſiſtit in indiuiſibili. 402.7
Nummi æſtimatio, & valor totus eſt à lege, & authoritate publica; non tamen arbitrarius exiſtit. ibid.9
Nummi plures eodem nomine ac pondere deſignati. 403.1
Nummorum plurima nomina à ponderibus deſumpta. ibid.
Nummorum pleraque nomina tum æreis, tum argenteis, tum aureis communia. ibid.
Nummus ratione nominis ponderi communis, diuiditur in partes ſicut ipſum pondus. ibid.
Nummorum quædam nomina ſignificant tum certam quandam ſummam, collectionem, & numerum nummorum, tum ſingularem aliquem nummum. 404.3
Nummi diuerſæ qualitatis, ſiue diuerſi, ſiue eiuſdem generis eodem nomine deſignati. ibid.4
Nummi aſſe minores, quorum partes recenſentur. 406.7.& ſeqq.
Nummi aſſe maiores, qui ſunt eius multiplicatio per adiectionem, explicantur. 407.9.& ſeqq.
Nummi proprij Græcorum. ibid.10
Nummorum aureorum variæ ſpecies apud Romanos. 414.1
Nummi Francici in vniuerſum. 435.1.& ſeqq.
Nummorum collatio à plurimis non ſatis fœlici euentu tentata. 437.*init. art.*
Vide in verb. *collatio.*
Nummorum varietas in Gallia vnde orta. 439.1.& ſeq.
Nummi multi viliores metallicis. ibid.& ſeq.
Nummi ex lupinis cuſi. 391.verſ.*Romanis.*
Nummorum ex lupinis cuſorum meminit Cicero. 391. *init.*
Nummi materia alia pura, alia mixta. ibidem.
Nummi forma quæ ſit. 392.1
Nummi forma quibus conſtare debeat. ibid.
Nummi Hebraïci qua forma notati. 393.3
Nummorum Hebraïcorum ante diſceſſionem regni Iſraëlitici cuſorum deſcriptio. ibid.
Nummus in figura virgam Aaronicam repræſentans. ibid.
Nummi initio in figura deſignabant authorem, tempus pondus, & qualitatem. ibid.
Nummi Hebræi nunquam animalis alicuius forma inſculpti ſunt. 394.verſ.*ex his.*

Nundinæ, Nundinatio.

Nundinæ quaſi nouemdinæ à nono die nominatæ ſunt. 378.1
Nundinæ à quo inſtitutæ apud Romanos. ibid.2.& ſeq.
Nundinæ, apud Romanos erant idem quod πανηγύρεις apud Græcos. 379.3
Nundinæ apud Romanos ferè ſolius mercimonij cauſa celebratæ ſunt. 379.4
Nundinæ domeſticæ per metaphoram ſic dictæ. ibid.
Nundinæ quondam feriæ fuerunt. 380.5

Nundinæ tantùm habendæ in locis in quibus eas habendi ius datum eſt. 381.6
Nundinarum ius à ſupremo tantum Principe concedi poteſt, & quare. ibid.7
Nundinarum ius olim à Senatu poſtulabatur, nunc authoritas regia requiritur; & alia requiſita ad nouas nundinas inſtituendas. ibid. & ſeq.
Nundinarum immunitates tum ab Imperatoribus, tum à Francorum Regibus conceſſæ. 382.8
Nundinarum vox pro epulis quæ nundinarum tempore celebrari ſolebant, aliquando vſurpata fuit. ibid.9
Nundinæ, & mercatus licitè poſſunt agitari diebus feſtis. ibid.
Nundinatio cum dæmone ab omnibus damnata. 117

Nuptiæ.

Nuptiæ primæ legem, ſecundæ permiſſionem dictæ. 519.4

Nutrix.

Nutrix Romuli & Remi lupa dicta. 108.13
Nutrices infantium in ſyluis expoſitorum lupæ dictæ, & quare. ibid.

Nymphæa.

Nymphæa ſunt ædes publicæ celebrandis choreis aptæ, in quibus nuptias celebrabant qui domibus carebant. 220.verſ.*nymphæa.*
Nymphæa balnea, ſeu lauacra, non valetudinis, ſed voluptatis causâ. ibid.
Nymphæa publica aquam ab aquæ ductibus publicis deriuabant. ibid.

O

Oblatio.

Oblatio eſt voluntarium tributum. 265.3
Oblationes quædam ita Romanis voluntariæ, vt impunè omitti non poſſent. 265.3
Oblationes aliquæ initio voluntariæ, oblationum nomine retento tributariæ factæ. ibid.

Obligatio.

Obligationes conductorum publicorum vectigalium, & aliarum rerum publicarum variæ, eæque graues. 369.13
Obligationem re contrahi, & actionem ex re proficiſci in quo differant. 454.verſ.*reſp.*
Obligatio naturalis orta ex contractu à minore ſine tutoris authoritate celebrato, nullum habet effectum. 464.verſ.*reſpondet.*
Obligatio naturalis nanciſcitur tres ſibi proprios effectus quando pacta conuenta non ſunt contra iuris ciuilis regulas. 464.7. & ſeq.
Obligatio ſiue naturalis, ſiue ciuilis, ſiue mixta eſt primus pacti & contractus effectus. 474.1
Obligatio ciuilis eſt mater actionis. ibid. 2
Obligatio contractus purè & abſolutè celebrati quomodo tranſeat ad heredes, ſi eius materia ad illos ſit tranſmiſſibilis. 503.2
Obligatio contractus à quo expreſsè excluduntur heredes, ad illos non tranſit. 504.3
Obligatio contractus de re ad heredes non tranſitoria celebrati ad illos non tranſit. ibid.4
Et quid ſentiendũ in contractu de re ad heredes non tranſitoria, cuius tamen mentio fit vt ad illos tranſeat. ibid. & ſeq.
an Obligatio multiplex ſimul poſſit reperiri in puro contractu. 505.5
Obligatio contractus conditionati ſuſpenditur pendente conditione. 524.1
Obligatio conditionalis non habet pro effectu poteſtatem retrahendi rem debitam. 527.6
Obligatio ſoluendi tributa eſt ſub leui vel graui culpa pro conditione vectigalis retenti, quod ſub eadem quoque pœna reſtituendum erit, non tamen ante ſententiam. 331.6
Obligatio vectigal ſoluendi irritatur propter iniuſtitiam tributi, & impotentiam ſoluentis. ibidem 7
Obligationem, & obligationis executionem ſuſpendi diuerſa ſunt. 347.3
Obligatio diſpoſitionis in diem naſcitur ex die præfixa, ſuſpenditur tamen executio rei promiſſæ in diem & tempus definitum. 567.2
Obligatio diſpoſitionis in diem incertum tunc primùm naſcitur cùm dies incerta aduenit. 570. verſ.*adueniente.*
an Obligatio cadat in rem ſuperſtitem pereunte vna re ex duabus alternatiuè debitis. 572.7

Officialis.

Officiales qui quidpiam ex iuſtitia debent non debent accipere pretium ad munus obeundum. 93.8.9

Obiectio.

Obiectiones libidinem propugnantes parum tutæ. 113.19.& ſeq.114.1

Ophir.

Ophir regio duplex. 234.*init.*
Ophir Arabica prope Sabbæos. ibid.
Ophir, vel Auphar, locus ita dictus ab opulentia. ibid.
Ophir Indica ad quam nauigabant Salomonis naues. 235.verſ.*altera.*

Opifex.

Opifex & eiuſdem artis negotiator diſtinguebantur apud Latinos. 104

Opus.

Opera clientelaris quid ſit, & in quo differat à profeſſione clientelæ. 294.10
Opera clientelaris non debet præſtari ſumptibus vaſſalli ſicut hominium. ibid.
Operæ, & obſequij clientaris, quod Baro Ceſſacus exhibet Epiſcopo, & Comiti Carducenſi, illuſtre exemplum. ibid.

P

Pactum.

Pacti nomen vnde, eiuſque ethymologia. 454.1
Pacti ſeu pactionis definitio. ibid.
Pactum quolibet eſſentialiter requirit conſenſionem & conuentionem. ibid.verſ.*reſp.*
Pactum in quo differat à contractu. 455.3
Pacta quæ ex vna tantum parte paciſcentium obligationem contrahunt, non ſunt proprij contractus. ibid.3
Pactorum diuiſio ex Ariſtotele. 456.4
Pactorum aliæ diuiſiones magis intrinſecæ. ibid.5. & ſeq.
Pacta quæ dicantur legitima, & quæ conuenta. 457.7
Pactorum conuentorum diuiſio in nuda & cauſaria. ibid.8
Pacta alia ſunt tacita alia expreſſa, pluresque aliæ diuiſiones. 458.9.& ſeqq.
Pactorum cauſa efficiens eſt conſenſus liber, & perſona habilis ad contrahendum. 459. & ſeq.

Pacta nuda tantùm pariunt obligationem naturalem,& exceptionem,& ſi legitima ſint,vel inſint contractui formant actionem in bonæ fidei iudiciis. 478.1
Pactum nudum quid ſit, & quotuplex. ibid.2.
Pactum quod continet in ſe negotium non eſt pactum nudum. ibid.3
Pactum nudum aliud eſt ſimplex, aliud abſolutum, aliud relatum. 478.4
Pactum nudum relatum aliud eſt adiiciens, aliud detrahens. ibid.
Pacta nuda alia ſunt in perſonam, alia in rem, & quomodo dignoſcatur an ſint in rem,vel in perſonam. 479.5
Pactum nudum in perſonam non eſt tranſmiſſibile ad hæredes. ibid.
Pacti mixti quædam ſpecies. ibid.
Pacta nuda niſi ex aliquo alio defectu inualida exiſtant, obligationem naturalem pariunt. 479.6
Pacta omnia bona fide inita, & ſecundum æquitatem naturalem olim apud Græcos, nunc in vniuerſa Gallia valida ſunt. 480.*init.*
Pacta nuda nullam obligationem ciuilem pariunt, neque actionem, ſed exceptionem tantum. 480.6
Pacta aliqua nuda priuilegata quæ actionem pariun. 481.7
Pacta nuda quæ inſunt contractui ex parte actoris aliquando formant actionem contractus cui inſunt. ibid.8
Pacta tribus modis poſſunt adiici contractui, & quænam illi dicantur ineſſe. 481.9
Pacta ex interuallo, aut incontinenti contractui adiecta,in aliquo differunt. ibid.10
Pacta incontinenti contractui adiecta aliquando formant illius actionem. ibid.11
Pactum aliquod ineſſe iudicio, & formare actionem idem eſt. 483.verſ.*quod.*
Pactum perſonale alteri quàm paciſcenti neque prodeſt neque nocet. 484.13
Pacta in rem concepta alteri quàm paciſcenti proſunt, aut nocent, quatenus intereſt paciſcentis, vbi explicatur Sabini dictum circa hoc.ibid.14. & ſeq.
Pactum in rem conceptum prodeſt ei qui pactus non eſt, quando ipſius intereſt. 485.15
Pactum de vna re factum non poteſt extendi ad aliam rem niſi vtraque comprehendatur in obligatione, & quot modis hoc poſſit contingere. 486.16.& ſeq.
Pactum de non petenda vna re ſub aliquo genere contenta non extenditur ad aliam eiuſdem generis ſpeciem, quando obligatio fuit generaliter concepta. 487.19
Pactum de non petendo Sticho valdè differt à repudiatione Stichi à legatario facta. 488.20
Pactum de non petendo in quo differat ab acceptilatione. ibid.21
Pactum quod lege vetante aut reſiſtente fit, propriè fit contra ius ciuile; impropriè verò ſi ius ei non aſſiſtat, licet non reſiſtat. 490.*per tot.*
Pactum quo Clericus renunciat præſcriptioni fori pugnat cum legibus Pontificiis. ibid.
Pacta contra ius publicum & leges facta non debent ſeruari à Prætore. 491.25
Pacta in fraudem legis aut dolo malo inita reiiciuntur à Prætore. ibid.492
Vbi ſoluuntur obiectiones contra vniuerſalem regulam de pactis contra ius, bonos mores, aut dolo malo factis. 491.26.27.& ſeq.
Pacta quæ turpem cauſam continent ſeruanda non ſunt. 493.28
Pactum de turpi cauſa duplex poteſt eſſe. ibidem.
Pacta quæ inuitant ad delinquendum, aut aliquid contra bonos mores committendum, non valent ante facinus admiſſum, licèt admiſſo ſcelere valeat pactum de pœna illi debita remittenda. ibid. & ſeq.
Pactum ne quis depoſiti agat, valere poteſt. 493.29. & ſeq.
Pacta contra bonum publicum aut publicam vtilitatem inita ſeruanda non ſunt, ſecus verò ſi fiant contra priuatam tantùm vtilitatem, aut leges quæ eiuſmodi priuatam vtilitatem ſpectent. 494.30. & ſeq.
Pactum prius eliditur per poſterius vel ipſo iure, vel per exceptionem, aut replicationem. 495.31
Pactum poſterius quomodo reſcindat prius, an ipſo iure, an prætoris auxilio. ibid.n.32
Pactum heredis ante aditam hereditatem vt creditoribus minus ſoluat quàm debitum ſit, valet. 498.2
Pactum filiifamilias de bonis paternis cum creditore paterno viuente patre initum, nullum eſt. 499.3.& ſeq.
Pactum de non petendo ſiue tacitum ſiue expreſſum conuenit in effectu cum acceptilatione, differt autem in modo. 488.21
Pactum contra ius & bonos mores & dolo initum, non ſeruatur à Prætore. 489.22.& ſeq.
Pactum purum quodnam ſit. 503.1
Pactum in diem eſt illud ad quod executioni mandandum præfigitur aliquod tempus. 567.1
Pactum alternatiuum eſt quod plura ſub disiunctione reſpicit. 571.1
Pactum de facto aliquo, ſiue opere faciendo, eſt prorſus indiuiduum. 582.17
Pactum incertum quid ſit. 583.1
Pacta iuramento firmata de non agendo id cuius omiſſio præbet occaſionem peccati, vel ruinæ nulla ſunt. 614.5

Pagenſes.

Pagenſes quid ſint. 293.9
Pagenſes interpretantur aliqui, pueros de pago domini, quos *Pages* dicimus. ibid.

Palmus.

Palmum faciunt quatuor digiti. 171.3
Palmus vulgaris diuiditur in tres vncias. ibidem.
Palmus Hebræus ſicut & aliæ menſuræ, maior eſt Romano, & ideò ſeſquiromanus. 174. verſ. *palmus.*
Palmus alius maior, Hebraïcè zereth, & eſt ſemicubitus. ibid.

Panis.

Panum propoſitionis quanta magnitudo. 168.14

Πανηγύρεις.

Πανηγύρεις apud Græcos erant conuentus omnium celeberrimi,qui ex omni Græcia quinto quoque anno celebrabantur; in quibus magnifica, & ſplendida agebantur;& cum pompæ ambitione. 379.3

Paragauda.

Paragaudæ quid eſſent. 191.verſ.*ex quibus.*
Paragaudæ vox pro veſtibus vſurpata. ibid.
Paragaudæ veſti prætextura intexta erat vel aurea, vel ſerica aurata. ibid.

Paragandæ ethymologia. ibid.
Paragandæ veſtes in ſolis textrinis imperatoriis conficiebantur, quia ſericæ. ibid.

Parens.

Parentes antiquis temporibus habebant ius in vitam liberorum, non in libertatem. 63. verſ. *tertiò.*
Parentibus licet aliquando Romæ vendere liberos. 64. 2
Parentibus omnis poteſtas in liberos à Romulo conceſſa. ibid.
Parentum in liberos poteſtas maior quam dominorum in ſeruos. ibid.
Parentibus permittitur vendere infantes ſanguinolentos. 65.verſ.*huic.*
Parentibus an liceat liberos adultos vendere. 66. verſ.*ex hoc.*

Partus.

Partus ſub finem menſis vndecimi editus naſcitur ex ſtupro, ſi ſub initium naſcitur legitimus habetur. 521.*init.*
Partus numeroſi à variis fœminis editi. 539. & ſeq.
Partus vnicus dicitur licèt plures liberi eodem impetu naſcantur. 541.verſ.*dices.*

Pater.

Pater nequit diſtrahere filios in ſeruos, ſed ſolum in famulos vendere. 66.4
Pater nequit vendere filios emancipatos. 66.verſ. *neque.*

Patrimonium.

Patrimonij fiſcalis & Cæſaris diſcrimen. 48.5

Pecunia.

Pecunia an deſignetur mercis appellatione. 61.3
Pecunia dictum eſt metallum ſignatum; & vnde hoc nomen. 385.4
Pecunia, & pecunia numerata differunt vt genus, & ſpecies. ibid.
Pecunia ærea antiquiſſima. 387.2
Pecunia ærea eo quod prima fuerit, multis rebus nomina impoſuit. 388.*init.*
Pecunia argentea acceſſit æreæ, primùm rudis, deinde ſignata. 388.4
Pecuniæ argenteæ inuentio. ibid.
Pecunia numerata aliquando habuit eandem æſtimationem cum argento certi ponderis legato, ex Pomponio. 400.& ſeq.
Pecuniæ ſignatæ, & maſſæ metallicæ ex qua nummus conflatur, valor neceſſariò non debet eſſe æqualis. 401.7
Pecunia ſignata debet habere cum maſſa metallica æqualitatem congruam, quæ non conſiſtit in indiuiſibili. 402.7
Pecuniæ varietas nata ſecundùm varias ætates eiſdem retentia nominibus. 404.5

Pecus.

Pecoris appulſus, eſt ius ſui pecoris in alieno prædio adaquandi. 236.13
Pecoris appulſus eſt ius prædiale. ibid.

Pertica.

Perticæ ſunt agri colonis aſſignati. 173. verſ. *quia.*
Pertica vocatur ſolum quodcumque cuilibet coloniæ aſſignatum. ibid.

Pes.

Pes omnium Romanarum menſurarum norma. 172.2
Pedis Romani magnitudo triplex. ibid.
Pes verè Romanus quiſnam. ibid.
Pedis in vncias digitos & palmos diuiſio. ibid.3
Pes Hebraïcè pagham, neque in diuinis libris, neque in rabinis pro certa menſura vſurpatur. 174. verſ. *pedem.*

Phœnices.

Phœnices pro Chananæis in ſacris paginis promiſcuè vſurpantur. 228. verſ.*primò.*
Phœnices orti à Chananæis. ibid.& ſeq.229
Phœnicia vocatur Chna, & Phœnices Chnai. ibid.
Phœnicibus & Mercurio plurima tribuuntur quæ Chanaano gentis auctori maximè propria ſunt. ibid.
Phœnicum nomen Iudæis qui in Chananitide habitarunt poſt transfretatum mare rubrum, datum. 229.verſ.*vides.*
Phœnicius ſermo idem fuit cum Chananæo qui merus Hebræus erat. ibid. verſ.*Secundò.*
Phœnicum à Chananæis originem ipſi Phœnices Hiſtorici demonſtrant. ibid.
Phœnicum hiſtoriæ conſcribendæ vtilea Chananæorum commentarij. ibid.230
Phœnicum coloniæ antiquiſſimæ, earumque ducendarum occaſio. 230.15
Phœnices in alias regiones profecti ſunt, & colonias duxerunt, etiam ante occupatam à Ioſue regionem ſuam. 231.*initio.*
Phœnicum primi & præcipui nauigatores. ibid. 131
Phœnicibus innatum ſtudium in omnes orbis partes vela facere, & colonias ducere. ibid.
Phœnicum omnium nauigationum celeberrima. ibid.
Phœnices Chananæi dicti quare nomen mutarint. ibid.
Phœnicum nomen vnde. 231. verſ.*vbi agit.*
Phœnices relicto Chanæorum inuiſo infauſtoque nomine dici voluerunt Phene-Anax. ibid.
Phœnicum nauigationes omnium antiquiſſimæ. ibid. 132
Phœnices priores Græcis in varias regiones nauigio migrarunt. 232. verſ.*vides.*
Phœnices in nouum orbem & Americam non nauigarunt. ibid.
Phœnices commerciorum cupiditate nauigationi ſtuduerunt. 233.17
Phœnicibus nummi vſus percommodus fuit, & frequens ſicut commercia maritima. 389.*init.*

Phratria.

Phratria quid ſit. 46.verſ.*Phratrias.*
Phratria vnde dicta. ibid.
Phratriæ decem in ſingulis tribubus. ibid.

Pictura.

Pictura vtebantur plurimæ nationes vt corpori notas imprimerent. 124.verſ.*octauò.*
Pictura ſimpex ex ſucco herbarum ad quid conficiebatur. ibid.
Pictura encauſtica infectione & inciſione perficiebatur. ibid. verſ.*Erat porrò.*
Pictura encauſtica viris potius quam mulieribus inſeruiebat. ibid.
Picturæ encauſticæ authores. ibid.

Piſcaria.

Piſcariæ inter vetera vectigalia fiſci Romani fuerunt olim numeratæ. ibid.

Piſcatio.

Piſcatio in mari iure gentium omnibus communis, eam tamen Principes, Domini, & ex illorũ venia priuati quidã ſibi vindicarunt. 218.18
Piſcatio in certa maris, aut fluminis parte, pacto conſtitui, & continenti multorum annorum vſu acquiri poteſt. ibid.

Piſcatio

Piſcatio thymnaria quæ ſit. ibid.
Piſcarionum vectigales & prouentus immenſi. ibid.
Piſcatio non vbique omnibus gentibus licita, ſed certis legibus definita. ibid.

Piſcina.

Piſcinarum duo genera. 219.15
Piſcinæ maritimæ nobilium, potiùs marſupium domini exinaniunt quàm implent. ibid.
Piſcinæ fabricandæ locus conſiderandus, quia in quouis littore nequit haberi omne genus piſcium. ibid.
Piſcinæ plures maximè celebres. ibid.
Piſcinæ in ipſomet mari coniectis molibus extructæ. ibid. verſ. *erant.*

Pithagorei.

Pithagorei ſepulchro cupreſſino abſtinebant, & quare. 225. verſ. *qua fine.*

Plebs.

Plebs vrbana immunis fuit à capitatione. 290.3
Plebs vrbana in cenſibus pro capitatione conueniri non poteſt. ibid.

Pœna.

Pœnæ variæ eunuchos facientium. 79.9
Pœnæ minorum maximè impuberum delinquentium temperandæ. 164.5
Pœna non debetur quoties id quo non facto pœna promiſſa eſt, fieri nullo modo poteſt. 251. v. *addit.*
Pœnæ rapientium bona naufragorum naufragio extracta. 255. verſ. *hac porrò.* & ſeq. 256
Pœnæ piratarum.] 259. verſ. *tertiò.*
Pœna, vel mulcta, vltima cauſa indicendi tributa. 282. 14
Pœnæ temerè litigantium. 510.9
Pœnæ falſariorum variæ apud varias gentes. 452. 12

Pondus.

Pondera & numiſmata à Romanis, Græcis, Hebræiſque iiſdem nominibus exprimi ſolita. 153. 1
Pondera & numiſmata Græci à Romanis, tum Romani à Græcis mutuati ſunt, iiſdem nominibus deſignata. ibid.
Ponderum aliquorum tum Græcorum tum Latinorum valor & diuiſio. 153. & ſeq. 154
Pondus quod lance & libra appendebatur talentum dictum fuit. 155. verſ. *hinc deriuatur.*
Pondera Hebraïca quatuor præcipua. 155.6
Pondera menſuris, & menſuræ ponderibus cognoſcuntur. 175.1
Pondus aliquod certum, minorque aliqua menſura eligenda ad quam cætera reducantur. 176.3
Ponderum, & menſurarum æquitas quanta diligentia & ſeueritate à diuerſis gentibus culta. 178. 3
Ponderum ac menſurarum omnium à Chriſtianiſſimis Regibus modus ac forma præſcripta. 178. verſ. *in hac.*
Pondera & menſuras corrumpere eſt crimen violans iuſtitiam commutatiuam, eiuſque grauitas petenda à maiori, vel minori damno alteri illato. 179. *init.*
Pondus, aut menſura alicuius rei poteſtne immutari quando pretium publica lege definitum, eſt minus æquum. 179.2

Pondo.

Pondo & libra coniunguntur. 150.2
Pondo vox indeclinabilis. ibid.

Pontifex.

Pontifex nunquam abrogauit Principum leges.

592.10. & ſeq. 595
Pontifex magis prouidit reuerentiæ iuramenti illi tantum vim obligatoriam tribuendo, non confirmatoriam contractus. 593. verſ. *reſpondet.*

Populus.

Populus Romanus ſingulis luſtris cenſebatur, & quare. 298.2

Portus.

Portus Romani commoda, & vtilitates. 276. *init.*
Portuum cura compenſabatur portorio. ibid.

Præceptor.

Præceptor triplex adhibitus apud veteres, iuuentutis edocendæ cauſa. 425.4. & ſeq.

Præfectus.

Præfectus Prætorio curam gerebat fori ſuarij apud Romanos. 578.4

Præſes.

Præſidibus prouinciarum tria prohibebantur. 17.5

Præſtatio.

Præſtationes annuæ ſiue ex contractu ſiue ex teſtamento debeantur exigendæ ſunt adueniente præfixo termino. 575.3

Prætor.

Prætor nihil contra leges ſtatuere poteſt quamuis aliquid præter leges ſtatuere poſſit. 491.25
an Prætor non poſſit reſtituere minorem aduerſus legalem temporis præſcriptionem, cùm non poſſit illum reſtituere aduerſus conuentionalem. 651.30

Pretium.

Pretium acceptum ob turpem operam præſtitam retineri poteſt. 85.4
Pretium alicuius rei poteſt retineri, licèt res nequeat vendi ſine peccato. 84. verſ. *quorum.*
Pretium admiſſi ſceleris non modò retineri, ſed etiam exigi poteſt. 85. 7
Pretium à muliere acceptum cum pacto abuſus corporis retineri nequit. 91. 2
de Pretio accipiendo vel non accipiendo caſus ſingulares. 93.8.9. & ſeq.
Pretium acceptum pro aliquo opere ex alia virtute quàm ex iuſtitia debito numquam eſt reſtituendum. 94. verſ. *ait in primis.*
Pretium canis Deo offerri prohibetur. 98. verſ. *noluit.*
Pretij canis interpretatio. ibid.

Princeps.

Princeps optimo, & ſupremo iure gaudens poteſt quarumdam rerum commercia probibere, loca in quibus exerceantur deſignare, cogereque ſubditos vt ad furnos à ſe deſignatos, & molendina frumentum deferant. 199.2
Princeps ſupremus poteſt concedere inferioribus Dominis, ciuitatibus, aut rebuſpublicis ius & facultatem indicendi ſubditis, aut ciuibus plurima onera, prohibitiones, interdictioneſque faciendi. 100.6
Principes aut ciuitates ſupremæ poteſtatis poſſunt ſuis commerciis quam voluerint legem apponere. 202. verſ. *quoad alios.*
Principes poſſunt abſque iniuſtitia concedere Dynaſtis ius exigendi tributa & vectigalia. 269. v. *in hac porrò.*
Princeps ſupremus poteſt concedere inferiori Dynaſtæ ius imponendi ſubditis ſuis noua vectigalia, in illis caſibus in quibus poſſet ipſe ſummus princepes talia vectigalia indicere, ſi vellet. 269. 6
Princeps ſupremus nequit poteſtatem indicendi tributa ita inferiori Dynaſtæ communicare, vt
 ipſe

ipſe ſeipſum eadem poteſtate priuet. 269.verſ. *aio quartò.*

Princeps ſupremus poteſt cogere inferiorem Dynaſtam ad mitigandum tributum quod à vaſſallis tempore conceſſi diplomatis percipiebat 270. verſ. *poterit.*

Princeps ſupremus accuratè debet expendere proportionẽ inter tributum indictum, & illius cauſam finalem. 283.15

Principes quo iure ſibi arrogent fodinas metallicas, & alias quaſdam, ſiue earum partem ſibi vindicare poſſint. 309. 5

Principes quoties æſtimationem numi taxant, metalli quoque quo conſtat pretium definiunt. 402. 8

Princeps cui ius eſt cudendæ monetæ, an poſſit illam alterius Principis marculo notare. 448.5

an Principes poſſint contractibus cum ſuis ſubditis, initis obligari. 473.3

Princeps laïcus non tantùm poteſt ſua lege non aſſiſtere iuramento, ſed illi quoque reſiſtere, & impedire eius obligationem. 601.10

Princeps poteſt reſtituere aduerſus ſententias omnium Magiſtratuum. 653.*init.*

Princeps qui ſententiam dixit perrarò reſtituit. ibid.

Princeps reſtituitur in integrum quoad bona coronæ & Regni, & quomodo; vbi notabile exemplum. 656.2. & ſeq.

Vide cætera in verb. *Rex.*

Probatio.

Probatio pacti, & contractus duplex, & quænam ſit. 502.8

Procurator.

Procurator eſt qui & alterius negotiis gerendis vicariam præſtat operam. 35.verſ.*eſt igitur.*

Procurator multiplex eſt. 36.2.& ſeq.

Procuratot à quibus conſtitui poſſit. ibid. verſ. *omnes.*

Procurator non quilibet paſſim conſtitui poteſt. ibid. 4

Procuratoris erga dominum variæ obligationes. 37. 5. Item domini in procuratorem. ibid.6.

Procurator quando & quare ceſſet ab executione mandati. 37.8

Procuratores an poſſint accipere pecunias ad cambia. 39.5

Cæteros caſus de accipienda pecunia vide. ibidem.

Procuratur ad vendendum nequit ſibi ipſi vendere, & eſſe ſimul venditor & emptor. 41.14

Procurator ad emendum, ſi emat proprio nomine, fidem frangit, & de dolo tenetur. 41. 15

Procuratot ad tranſuectionem mercium debet præſcriptum tranſuectionis modum ſeruare. 41. 13

Procuratoris falſi geſta an à Domino rata haberi poſſint par latam ſententiam in fauorem ſuum. 41. 18

Procurator patrimonij & rei priuatæ à quo inſtituius. 48. 5

Procurator qui ſcienter vel dubitans nomine alterius falſum iurat, grauiter peccat. 587.3

Procurator minoris in quo differat à tutore, vel curatore quoad adminiſtrationem bonorum. 639. 6

Prodigus.

Prodigus cui à Iudice interdictum eſt bonorum ſuorum adminiſtrationi, & datus curatot, validè nequit contrahere. 471.1

Prodigus notoriè talis cui non eſt interdicta à Iudice bonorum ſuorum adminiſtratio, poteſt teſtari, & validè contrahere. ibid. 2

an Prodigus ipſo iure priuetur bonorum alienorum adminiſtratione. ibid. 3

Prodigus falsò talis Iudicis ſententia declaratus, cuique datus eſt curator, interdictaque bonorum ſuorum adminiſtratio, an poſſit nihilominus validè contrahere. 472.*init.*

Prodigo ſufficit talem declari, illique dari curatorem, ne validè poſſit contrahere. 472.5

an Prodigus obligetur ad pœnam impoſitam delicto quod cummiſit. ibid.6

Profeſſio.

Profeſſio clientelæ, & opera clientelaris quomodo differant. 294.20

Profeſſione clientelaris addictionis non præſtitâ, die dicta, amittitur feudum. ibid.

Profeſſio mercium quomodo facienda apud publicanos, & quàm neceſſaria. 372.3

Profeſſio religioſa conditionatè fieri poteſt, ita vt poſita conditione ſtatim abſque vllo alio nouo conſenſu fiat abſoluta, & valida reddatur. 562. *in fin.*

Promiſſio.

Promiſſio mercedis obligat promiſſorem, licèt dum facta fuit foret illicita. 86. verſiculo *colligitur.*

Promiſſio non obligat promiſſorem quoties impleri nequit abſque peccato. 87.verſ. *inde.*

Promiſſio prodiga ad patrandum ſcelus eo peracto impleri debet. 91.3

Promiſſio facti alieni non obligat etiam ad compenſandum intereſſe omiſſionis illius, ſi factum ſit omnino extraneæ perſonæ. 58. *in fin.*

Promiſſio pecuniæ in ordine ad factum eſt indiuidua ſicut ipſum factum. 582. verſiculo *ex his.*

Promiſſio formalis & virtualis quæ accedit contractui de ipſo non violando, in quo differant. 588.6. & ſeq.

Promiſſio ſuperaddita contractui iure inualido quoties ſit contra legem irritantem actum vel contractum, toties illicita, & irrita redditur eadem lege qua contractus ipſe irritatur. 599.verſ. *atque.*

Proſecutor.

Proſecutores equorum quinque diebus poterant remanere in ſtatiuis, & proſecutores feratum ſeptem. 325.verſ.*non poterant.*

Proſecutores qui propriè dicerentur; eorúmque variæ ſpecies. ibid.

Protector.

Protectoribus Principum idem quod militibus priuilegium conuenit, vt dicantur abeſſe Reipublicæ cauſa. 459.6.

Prouinciæ.

Prouinciæ omnes præter Italiam vectigales. 264. verſ. *tributum tamen.*

Prouincarum celebris diuiſio in tributarias, & ſtipendiarias. 274. 4

Prouinciæ tributariæ, an grauius onus ſtipendiariis penderent. ibid.

Prouinciæ Proconſulares grauiùs premebantur ibid.

Prouinciis deuictis, an illis, & incolis iuſtè imponantur tributa. 282.14

Proxe

Proxeneta.

Proxeneta vel pararius quid ſit. 24. 1
Proxenetarum varia genera. ibid.
Proxenata in gerendo officio ad quid teneatur. ibid.2
Proxenetis quale ſtipendium detur. 25.3
Proxenetarum ſtipendio nullus modus definitus erat. ibid.4
Proxenetarum nuptialium præmium definiebat præſes prouinciæ. ibid.
Proxenetica quid ſit. ibid.

Pubes.

Pubes aduersùs aditam hæreditatem damnoſam tutore authore aliter reſtituitur quàm impubes. 641. 10
Puberibus olim ſtatim à pubertate præcidebantur comæ, & alicui Deo conſecrabantur. 634. 6

Publicani.

Publicani apud Romanos à mercatoribus diſtinguebantur. 7.verſ.*negotiatio.*
Publicani apud Romanos qui fuerint. ibid.
Publicani verè fuere neceſſarij, nihilominus in omnibus prouinciis ad quas mittebantur variis ex cauſis incredibili odio habebantur. 366.10
Publicani erant conductores publicorum vectigalium, quæ deinde valde crudeliter exigebant. 366.10.& ſeq.
Publicanis publica exactio præda fuit peculiaris;& variæ in eos inuectiones. 367 *init.*

Publicum.

Publicum & commune ſæpius in iure confunditur, & vnum pro alio vſurpatur. 209.4

Puer.

Poeri arte mangonum ſecti. 61. verſ.*ſolebant.*
Puerorum ſectio mangonibus prohibita. ibid.

Pupillus.

Pupilli non incidunt in commiſſum propter omiſſam profeſſionem mercium, modò vectigal ſoluant. 372.4
Pupillis, & minoribus ætas in damnis ſubuenit, non rebus proſperè geſtis. 462 2
Pupillus ſuas authoritate, & ſine tutoris conſenſu contrahens obligatur naturaliter. 463.4
Pupillus poteſt petere reſciſſionem contractus iure ciuili irriti. ibid. 5
Pupillus contrahens ſine tutoris authoritate licèt obligetur naturaliter, huius tamen naturalis obligationis nullus eſt effectus. 464.6
Pupillus qui ſine tutoris authoritate aliquid promiſit etſi deinde illud tutore authore ſoluat; poteſt illud repetere. ibid. verſ.*reſpondet.*
Pupillus ſine tutore authore, & filiusfamilias ſine patre parere poſſunt conditioni. 543. verſ. *ſeptimò.*
Pupillus cui emergit damnum ex ſolo lapſu temporis, reſtitui poteſt aduerſus præſcriptionem conuentionalem, licèt in maiore cæptam; non item ſi damnum ſentiat ex contractu cum maiore inito, ratione lapſus temporis in conuentione adhibiti. 646.13
Pupillus neque reſcripto Principis neque auxilio Prætorio poteſt reſtitui aduerſus lapſum temporis in conuentione cum maiore inita adhibiti. 647.14. & ſeq.
cætera. vide in verbo *Minor.*

Purpura.

Purpuræ commercium Principi reſeruatum. 190.8
Purpura ab omnibus expetitur propter inſignem eius colorem. ibid.
Purpura pretioſior conchylio. ibid.
Purpura & conchylium ſolo tingendi modo differunt. ibid.

Q

Qualitas.

QValitatis appellatione quid intelligatur in rebus venalibus. 57.7

Quæſtor.

Quæſtores vnde dicti. 45.verſ.*apud.*
Quæſtores bini fuerunt populi ſuffragiis creati, imperante Romulo & Numa. ibid.
Quæſtores à quibus primùm in Rempublicam inducti ſunt. ibid.
Quæſtores varij generis fuerunt. ibid.
Quæſtorum militarium dignitas & officium. ibid.
Quæſtorum vrbanorum officium. 46. *init.*

R

Ratihabitio.

RAtihabitionis definitio. 650.1
Ratihabitio nequit validare contractum nullum defectu alicuius ſolemnitatis ſubſtantialis. ibid. 2
Ratihabitionis triplex genus. 653.1

Ratio.

Rationum conficiendarum modus, & illarum partes. 49.15
Rationum priuatarum conficiendarum methodus. 50. 18
Rationes conficere qui maximè teneantur. ibid.
Rationibus earum cauſa adiungenda eſt. ibid.verſ. *dixi.*
Rationum conficiendarum alia requiſita. ibid. & ſeq.
Rationes edere & rationes reddere differunt. 51. 13
Rationibus ſolebant puncta præfigi. ibid.
Rationes expunctæ ſunt rationes perfectæ. ibid.
Rationibus diſpungendis adhibebantur periti calculatores. 51.verſ.*ad ſubducendas.*
Rationes reddentium prima obligatio. ibid.14
Rationes reddentium reliquæ obligationes. 53.15. & ſeq.
Rationes vſitatæ ad denarium apud veteres Romanos. 411.& ſeqq.412
Rationes ad quinarium, victoriatum, atque etiam ad ſeſtertium eodem modo conficiebantur ſicut rationes ad denarium. 413. 4
Rationes per aſſes, æs, denarios, & ſeſtertios vſitatæ apud veteres. 414.6
Rationes ad ſolidum. ibid.
Ratio eſt negotiatio. 45.1
Rationum tria genera. ibid.2.

Rationalis.

Rationales apud negotiatores quid ſint. 45.1
Rationalis vox in iure non eſt inſolita. ibidem.
Rationales qui adhuc ſunt ratiociniis obnoxij ad clericatum tranſire prohibentur. ibid.
Rationales Cæſaris. ibid.
Rationales Principis & fiſci adminiſtrabant publica iura Principis. 46.3
Rationalis & fiſci procurator indicabat de rebus ad fiſcum pertinentibus. 47. verſ. *hic porrò.*
Rationalis aliquando vice Præſidis prouinciæ fungebatur. ibid.

Rationalis etiam fuit ſummæ rei. ibid. 4

Rationales ſuos quiſque priuatus habebat. 48.6

Receptum.

Receptum neque eſt pactum nudum, neque contractus, ſed ea eo naſcitur actio prætoria. ibid.

Recepti conuentio ciuilis nullo modo dici poteſt. ibid.

Receptum eſt conuentio quæ fit inter mercatores & nautas. 240.5

Recepti conuentio quas actiones pariat. 241. 6

Recipere.

Recipere res, eſt earum in ſe periculum ſuſcipere, & omnem dolum ac culpam commiſſam præſtare. 240.4

Recipiendi verbum non tam ad res commiſſas, & receptas, quam ad recipientium perſonas refertur. ibid.

Recipiens præſtat omnem dolum & culpam etiam leuiſſimam. ibid.

Rector.

Rectori prouinciæ fiſcalium tributorum exactio credebatur; & qui hoc nomine donarentur. 361.2

Redditio.

an Redditio cautionis ſit pactum tacitum de non petendo. 496.1

Redditio pignoris à creditore vel ipſius iuſſu facta inducit pactum tacitum de non petendo pignore, non tamen de non petendo debito. 497.2

Regula.

Regulæ oſtendentes inualiditatem negotiationis ex vitio materiæ. 59.10.& ſeq.

Religio.

Religio amplectenda ad opus ſalutis noſtræ peragendum. pag. 2

Religio Mendeſionum ſpurciſſima. 119.verſ.*aliæ.*

Religioſus.

Religioſi poſſunt negotiationem exercere ſi grauis neceſſitas vrgeat. 20.5

Religioſi poſſunt exercere omnia opera & artes quæ cum negotiatione coniunctæ non ſunt. 21.7

Religioſi licitè poſſunt ſua opificia vendere, & ex ſuo labore, atque opere negotiari. ibid. 8

Religioſus aliquid mutuò sumens non gaudet beneficio Macedoniani. 467.verſ.*quartò*,& ſeq.

Religioſus cum licentia tacita, aut expreſſa ſui Superioris contrahens, obligatur tum ciuiliter, tum naturaliter. 467.1

Religioſus contrahens ſine licentia ſui Superioris non obligatur naturaliter, neque ciuiliter circa res temporales, bene tamen circa actiones perſonales. 468.2

Vide in verb. *Monachus.*

Reliquia.

Reliquiæ ſanctorum furtiuæ diſtractæ, earumque diſtractores puniti. 68.1

Reliquiæ ſuppoſititiæ pro veris ingenti pretio venditæ. 63.verſ.*Quinimmò.*

Reliquiarum omnium & corporum Sanctorum prohibita venditio. 69.2

Reliquiarum vice aliquid eas donanti poteſt gratitudinis ergo rependi. 69.verſ.*quod.*

Renunciatio.

Renunciatio paternæ ſucceſſionis à filia facta, vtrum confirmari poſſit iuramento. 619.4

Renunciationes filiorum quæ tabulis nuptialibus fiunt, iure Gallico validæ, & legitimæ exiſtunt. ibid. 5

Res.

Res ſola pretio æſtimabilis poteſt eſſe materia negotiationis. 54.1

Rerum publicis vſibus attributarum prohibita negotiatio. ibid. verſ.*præter.*

Res ſacræ nequeunt ſub commercium cadere. ibidem 2

Rerum in ſpe tantùm exiſtentium licita, & valida negotiatio. 55.4

Res vendita non debet eſſe aliena. 58. 8

Res fit aliena dupliciter. ibid.

Res aliena poteſt eſſe, materia venditionis validæ non tamen validitate abſoluta. 58.verſ.*primò.*

Res venalitiæ quæ ſint. 60. 2

Res menſurabiles, ponderabiles, & numerabiles duplici modo vendi, & quapiam alia ratione, aut contractu alienari poſſunt. 181. 2

Rei venditæ quantitas non tantum apponitur venditioni, aliiſve contractibus per modum reſtrictionis, ſed etiam tanquam modus rei. ibid.

Rerum quæ ad corpus, & quæ ad menſuram venduntur duo venditionis modi. 182. verſ.*hoc porrò.*

Re aliqua donata vel legata, aut aliquo contractu non oneroſo alienata, donator, vel teſtator non tenentur ad ſupplendum defectum quantitatis expreſſæ in donatione vel teſtamento. 183. 7

Rei expreſſa quantitas nunquam opponitur contractui ſolius demonſtrationis causâ, niſi id certis coniecturis appareat. 184.8

Rei cuiuſcumque commeatus, aut commercium non licitum. 186.1

Rerum illiciti commercij, & interdicti commeatus tria genera. 186.2

Rerum noxiarum, vt venenorum quibus non eſt adempta nocendi vis, interdicta commercia. ibid. 2

Rei litigioſæ ante latam ſententiam venditio illicita. 187.3

Rerum aliquarum propter bonum commune totius Reipublicæ vetitum commercium. 187.4

Rerum quarumdam commercium prohibitum ad ornatum ciuitatis ſeruandum. 188.verſ.*ſextò.*

Rerum inuectionem prohibentes rationes, earum quoque exportationem *prohibent.* 189.5

Rerum quarumdam exportatio prohibita ne eâ noſtros hoſtes iuuemus. ibid.6

Rerum quæ præcipuo quodam, & eximio iure Principi reſeruantur commeatus, & commercium interdictum. 190.8

Rerum quarundam pro more gentis ſolis Principibus licitum commercium. 191.10

Rem aliquam communem eſſe, & publicam eſſe, ſeu publici iuris, differunt. 209.4

Res aliquæ ſunt communes iure naturali, aliæ ſunt publicæ iure gentium, aliæ aliis titulis. ibid.

Res dicuntur in iure nullius eſſe quatuor modis. 209. 5

Receptarum rerum nomine quid veniat. 240.3

Receptarum rerum cuſtodiam recipit magiſter nauis, earumque periculum præſtat. ibid.

Res illatæ in nauim conductam obligatæ manent pro tranſuectionis mercede. 245.9

Res noſtra ſemper noſtra manet quamdiu recuperari poteſt. 261.verſ *denique.*

Res ab inquilino in conductas ædes illatæ, an tacita pignoris conuentione pro mercede obligatæ intelligantur. 497.9.& ſeq.

Reſpublica.

Reſpublica Romana vendebat incenſos. 67.7

Reipublicæ licuit aliquem in ſeruum hoſtibus dedere. 66.5

Reipublicæ lex iniquiſſima. 99.5

Reſpubli

Reſpublica vel communitas ſupremo iure carens nequit ſtatuta obligatoria ſtatuere, ciuibuſque aliqua onera imponere. 199.4
Reſpublica nequit condere ſtatuta, commercia omnibus communia indirectè prohibentia. ibidem 5
Reſpublicæ & ciuitates nequeunt ciuibus tributa imponere abſque ſummæ poteſtatis indulgentia. 271.9
Reſpublica reſtituitur in integrum quoad bona ciuitatis. 656.2
Reſpublicæ nomine quid in hoc caſu veniat. ibid.

Reſtitutio.

Reſtitutionis in integrum definitio à Paulo tradita. 630.1
Reſtitutionis in integrum æquitas defenditur. ibid.
Reſtitutio in integrum non omnibus, neque ex quibuſcumque cauſis indulgetur. ibid.
Reſtitutio in integrum indulgetur minoribus ſi ante annum 25. contrahendo læſi fuerint. 631.1
ad Reſtitutionem in integrum petendam minori conceſſum eſt quadriennium ab anno 25. completo; & à quo tempore ſit computandum tale quadriennium. ibid.
Reſtitutio in integrum conceditur ex duabus potiſſimùm cauſis quæ referuntur. 635.8.9
an Reſtitutione in integrum poſtulata aduersùs ſententiam poſſit eius executio ſuſpendi. 653. verſ. *ſextò.*
Reſtitutio in integrum conceditur Eccleſiæ etiam poſt quadriennium à celebrato contractu; quod priuilegium ſoli Eccleſiæ competit. 656.1
Reſtitutio in integrum conceditur Principi, & Reipublicæ quoad Bona coronæ, & Regni. ibidem 2
Reſtitutio in integrum indulgetur abſenti ex iuſto metu mortis, aut cruciatus corporis. 600.9
Reſtitutionis in integrum aliæ diuerſæ cauſæ. 661. 12. & ſeq.
Reſtitutio in integrum directè vel indirectè peti poteſt. 663.1
an Reſtitutio in integrum poſſit peti ex generali mandato cum clauſula ratihabitionis. ibid. 664.
Reſtitutio in integrum à quibus petenda ſiue iure Gallico, ſiue iure Iuſtinianeo. 664.2. & ſeq.
Reſtitutioni in integrum petendæ quodnam tempus definitum. 665.3
Reſtitutionis in integrum iudicio pendente omnia manent integra. 665.1
Reſtitutio in integrum cauſat reſciſſionem contractus. ibid. 2
Reſtitutio in integrum vnicuique ſuum ius reſtituit. 666.3
Reſtitutione in integrum conceſſa minori, & reſciſſo contractu, res ſua minori cum perceptis fructibus reſtituenda eſt. 666.6

Reſtituere.

Reſtituendi verbum abſolutè poſitum in ſententiis de in integrum reſtitutione pleniſſimam habet ſignificationem. 667.7
Reſtituendi verbum ſtrictiùs interpretari ſolet in ſententiis iudicum, quàm in lege aut Prætoris edictis. ibid. 8.9

Rex.

Reges ipſi ſunt negotiatores. p. 2
Reges Chriſtianiſſimi in prohibendis lupanaribus, & damnandis meretricibus ſemper fuere Religioſiſſimi. 103.10
Reges multos Regno, facultatibus, & denique vita eſſrenis libido priuauit. 110. v. *Hæc aptior.*
Reges an teneantur prohibere lupanaria, & meretrices fugare. 114. verſ. *quare.*
Regi & Principi licet alicui operi ſiue publico ſiue priuato teſſeraria ſcuta in notam ſubiectionis apponere. 143.10
Regi non debetur cenſus ex nauibus, licet concedere tur inter mobilia debere numerari. 248. *init.*
Reges Galliæ tributa populo imponere, & vectigalia indicere coacti. 267.2
Reges Galliæ poſſunt indicere tributa & vectigalia abſque populi conſenſu. ibid.
Rex vendens, aut alienans gabellas, aliaſque indictiones, non poteſt illas abſtrahere à conditione eſſentiali; & quando ceſſaret ius illas exigendi in Principe, ceſſabit quoque in conductore. 341.3. & ſeq.
Reges Galliæ ante Ludouicum Hutinum non dabant ius cudendæ monetæ Dynaſtis beneficiarijs niſi cum certis legibus. 440.3
Vide cætera in verb. *Princeps ſupremus.*

Rhodanus.

Rhodani nomen vnde. 238. *init.*
Rhodani, ſeu Rhodanini ex Iauane oriondi fluuium Rhodanum, adiacentemque regionem Rhodanuſiam denominauerunt. ibid.

Rhodus.

Rhodus imperium maris diu obtinuit, & omnibus maritimis viribus præeſt. 237.1
Rhodus Clara dicta, & quare. ibid.
Rhodus nobilis ob ſtudia & nobiles profeſſores. ibid.
Rhodum maximè commendauit naualis diſciplina legeſque nauticæ. ibid.
Rhodus vna è Cycladibus. ibid.
Rhodus neque condita, neque denominata ab vno è filiis Iauan. ibid. 2
Rhodi diuerſa nomina. ibid.
Rhodi nomen a Rhodo puella, vel à roſis. ibidem.
Rhodus diu in mari latuit. ibid.
Rhodios imitati Maſſilienſes leges & ipſi nauticas condiderunt. 238. verſ. *Rhodiæ.*

Romani.

Romani colere Veterem Caluam. 76. verſ. *Secundò.*
Romani ciues ob admiſſum Capitale crimen ſi deinde Romæ eſſent, trans Tyberim venundabantur. ibid.
Romanis permiſſa lupanaria, illis tamen lenonum nomen odibile fuit. 101.7
Romani triplici modo ſcribebant. 129. 12. & ſeq.
Romani Cæſaris nomine à Iudæis tributum exegerunt. 157.8
Romani cudebant numiſmata pro ratione tributi imperati. ibid.
Romani ante primum bellum Punicum nauigandi artem penitus ignorabant. 233.16
Romani artem nauigandi parum educti, perfectiſque nauibus mare ingreſſi in vndis periculum fecere. ibid.
Romani belli gerendi cauſâ artem nauticam primùm didicere. ibid.
Romani veteres quomodo conficerent rationes ad denarium; vbi Martiani ampla explicatio. 421. & ſeqq. Vide v. *rationes.*
Romani æquè ſtudioſi pueros edocendi artem calculandi, ac modum voces enunciandi, ſcribendi, aut legendi. 424. verſ. *cum.*

Romani non tantum annuum fœnus, ſed etiam menſtruum fœnus exegerunt. 427.1
Romani non ſemper eodem modo vſuras definierunt. 428.2
Romani odio habuere cœlibatum; vnde præclarum Adriani Imperatoris dictum, & leges de matrimonio maturè contrahendo latæ. 517. verſ. *ſecunda*.
Romani pœnas aliquas ſecundis nuptiis præfeſtinatis impoſuerunt. 519.4

Ruſtici.

Ruſticis in Gallia, dementiâ Dominorum perſonalis ſeruitus remiſſa. 293.9
Vide in verb. *Agricola*.
Ruſtici confringentes inſtrumenta quibus laborant præſtando operas clientelares Domino, non tenentur reparare damnum, ſed Dominus. 295. *init.*

S

Sabbatum.

Sabbatum Hebræis fœneratoribus optata dies. 117. verſ. *apud*.
Sabbati alia acceptio & interpretatio. ibid.
Sabbaticus annus in quo non licebat exigere debita. ibid.
Sabbatico menſe licebat pauperibus quicquid inculta tellus protuliſſet ſibi colligere. ibid.

Sacerdos.

Sacerdotibus prohibetur grandiores arbores ſacrorum fundorum abſcindere. 304.9

Sacramentum.

ad Sacramenti rationem non requiritur neceſſariò conditio ſenſibilis quando ſub conditione fiunt. 557. verſ. *ad confirm.*

Sal.

Sal munus diuina manu porrectum hominibus ad omnia vitæ alimenta, exiſtimatur ab aliquibus. 305.2
Salis factitij mirabilis concretio. 306.1
Salis ad humanam vitam neceſſitas. 306. verſ. *ἄνευ*; quæ vita humana ſine ſale prorſus ferina. ibid.

Salina.

Salinarum vectigal antiquiſſimum. 305.1
Salinæ variæ in diuerſis locis. ibid.
Salinæ aliæ priuatæ, aliæ publicæ. ibid.
Salinæ priuatæ cenſuales quoque fuerunt. ibid.
Salinarum vectigal quo tempore apud Gallos inceperit. 306.3
Salinæ omnes in Gallia propriæ ſunt Principis. ibid.

Saltuarij.

Saltuarij Regij maxima potentia, & gratia valent apud Regem. 303.verſ.*ſextò.*
Saltuarij Regij ab Ariſtotele inter Magiſtratus Reipublicæ neceſſarios numerantur. ibid.
Saltuarij Regij originem ducunt ex nemorum cura quam Romani valdè commendatam habebant. ibid.

Saltus.

Saltus continet quatuor centurias. 173.verſ.*ſaltus.*
Saltus vigentiquinque centuriarum. ibid.

Satum.

Satum fuit certa menſura non aridorum tantùm, ſed etiam liquidorum. 108.13
Sati capacitas an eadem cum modio. ibid.

Saturnus.

Saturno in Italia regnante nullum furtum commiſſum fuit. 45.verſ.*ærarium.*
Saturnus à Græcis totius orbis parens dictus. 217.10
Saturnus Tellurem ſiue Rheam vxorem habuit. ibid.
Saturnus vini vſum & vitis cultum docuit. ibid.
Saturnus tulit legem, ne quis Deos nudos impunè contemplaretur. ibid.
Saturnus & vxor eius Rhea, & qui cum illis fuere ex Oceano & Thetide nati dicuntur. ibid.
Saturnus ſicut Noëmus tres tantùm liberos habuit. ibid. 11

Scapha.

Scapha poteſt dici ſeruaculum à rebus quibuſdam in ea ſeruari ſolitis. 253. verſ. *verùm.*
Scapha ad nauim immiſſa, vel è contra, quis periculum vel naufragium præſtare debeat. ibid.
Scapha ſalua & naui pereunte non tenentur domini mercium in ſcapham traiectarum ad contributionem naufragij nauis. 259. verſ. *quod verò.*

Sem.

Sem pietati conſtanter adhæſit, ideircò reliquis vnà cum Noëmo fuit inuiſus. 218.12
Sem Plutonis atque *Ἅδης* nomine donatus. ibidem.
Sem, ſemania, vel ſamma vaſtitatem & deſolationem ſignificat. ibid.

Sententia.

Sententia lata contra maiorem licet in minore ætate cœpta non reſcinditur niſi ſolius minoris doli cauſa. 652.verſ.*extra.*
Sententia lata contra minorem non reſcinditur niſi fuerit læſus. ibid.
Sententia minoris Magiſtratus poteſt reſcindi à maiore, & an par in parem poſſit reſtituere. ibid.&ſeq.653

Sepulchrum.

Sepulchra corporum humanorum non tuta. 70.3

Sericoblattæ.

Sericoblattæ & metaxæ ſpecies elotæ, puræ & mundæ ſacris largitionibus inferri præcipiuntur. 190.8
Sericoblata eſt ſericum in purpuram tinctum, metaxa verò eſt ſericum rude. 191.9

Sericum.

Sericum à Barbaris emere ſine comite commerciorum olim fuit Romanis vetitum. 191.9
Sericum quodlibet ſiue coloratum ſiue rude priuatorum commerciis ſubducebatur. ibid.
Serici conficiendi ratio Romanis incognita fuit, aut nondum vſu pata Gratiano, ideoque tam pretioſum vt auro contrauenderetur. ibid.

Seruaculum.

Seruaculum ad nauem ducere quid ſit. 253.*init.*
Seruaculum variè à variis denominatum. ibid.
Seruaculum poteſt dici ſcapha. ibid.

Seruitus.

Seruitutes vrbanæ non omninò pereunt non vtendo, ſed amplius requiritur, vt qui ſeruitutem debet, libertatem vſucapiat, ædificium ponendo. 200.7
Seruitus aquaria quadruplex. 216.10
Seruitus aquaria nauigandi quid ſit. ibid. 14
Seruitus piſcandi an aliqua imponi poſſit. ibidem.
Seruitus quid. 579.*in fin.*
Seruitus duplex alia realis, alia perſonalis; & vnde ita dictæ. ibid.&ſeq. 580

Seruitus hominis liberi quæ eum & agere, & experiri non ſinit, dat cauſam reſtitutioni. 660.10

Seruus.

Seruus poteſt fieri aliquis eius, qui oblato pretio illum à mutilatione, aut morte liberauit. 67.2
Serui pedibus ſignati. 123.verſ.*decimoſeptimò.*
Serui tantùm aut rei, aut fugitiui inſcripti, & non alij. 528.verſ. *quartò.*
Serui dominorum notis ſignati, vt illos domini repetere poſſent. 131.verſ.*quam ſibi.*
Serui nauis munus. 236.4
Serui nauis merces. ibid.
Seruorum qui in mari ſæuiente tempeſtate perierunt non eſt habenda ratio. 261.verſ.*tertiò.*
an Seruo manumiſſo proſit doli exceptio ex pacto in ſeruitute interpoſito. 499.4

Seſtertius, vel *Seſtertium.*

Seſtertius fuit nummus argenteus, & cuius valoris. 410.7
Seſtertij vſus maximè frequens. ibid.
Seſtertij nota quæ. 411.verſ.*erat.*
Seſtertius in maſculino, & ſeſtertium in neutro, an diuerſa nummorum genera conſtituant. 411.8. & ſeq. 412
Seſtertium eſt nomen adiectiuum. 413.*per tot.*
Seſtertium Romæ ad Æſquilinam portam locus fuit ſepulchrorum, in quo ſceleratorum, viliumque corpora cremabantur. ibid.413
Seſtertio centies viuere quid ſit. 425.5

Sextarius.

Sextarius ſexta congij pars. 160.4
Sextarius liquidorum & aridorum menſura apud Romanos. ibid.
Sextarij in binas heminas diuiſio. ibid.161
Sextarius à Romanis ſicut as & libra in duodecim partes diuidebatur. 161. verſ.*ex his.*

Siclus.

Siclus Hebræus quid. 155 6
Siclus pro pondere & numiſmate accipiebatur. ibid.
Siclus, vox Latina & Græca. ibid.
Sicli pondus & quantitas. 156. 7
Siclus Sanctuarij. ibid.
Siclus alius didrachmus, alius tetradrachmus. ibid.
Sicli alij maiores, alij minores cuſi. ibid. & ſeq. 157
Sicli variæ partes. 517.8

Signum, Signatio.

Signum alicuius merci impoſitum non continuò arguit illum eſſe eius mercis dominum. 132.1. & ſeq.
Signatio mercis non ſignificat eam fuiſſe traditam emptori. ibid.& ſeq.133
Signi communis appoſitio an totam ſocietatem & ſingulos ſocios obliget. 133.3
Signum emptoris rei alicui appoſitum ſciente & patiente venditore, an continuò captam poſſeſſionem annuat. 534.verſ.*quæritur.*
Signum & vexillum apud omnes gentes certiſſimum fuit excellentiæ & principatus hieroglyphon. 141. verſ. *ſignum.*
Signa & notas proprias poteſt quilibet pro arbitrio mutare, modò ea mutatio non ſit alteri iniurioſa, aut ex ſe captioſa. 147. verſ. *ſecundò.*
Signi & notæ alienæ vſurpatio poteſt eſſe nociua, & ideò prohiberi poteſt. 147.verſ.*idem.*
Signa alicuius artificij deſignantia locum in quo exercetur; poſſunt retinere illius loci incolæ. 147. 19
Signum alicuius ſocietatis an extincta ſocietatè apud aliquem ſocium remanere debeat: an verò diſſoluta ſocietate diſſoluatur quoque ſignum. 147. 20

Siliqua.

Siliqua eſt viceſimaquarta pars aurei: vnde tributum ſiliquaticum. 414.11

Solidus.

Solidus aureus apud Romanos erat denarius. 417. verſ. *colliges.*
Solidus argenteus Romanis ignotus. ibid.5
Solidi quadraginta in libra continebantur tempore Plinij. 417.6
Solidi ſenſim leuiores inclinante Imperio percuſſi. ibid.
Solidorum pondus idem non fuit ſub Conſtantino, & Valentiniano. ibid.& ſeq.
Solidorum duo genera à quo inducta. ibid.
Solidi ſub Conſtantino cuius ponderis. 418.7. & ſeq.
Solidi tum veterum, tum recentiorum Principum vultu inſigniti recuſari prohibebantur. 418.8
Solidi aurei diuiſio in ſuas partes. 420.9
Solidis aureis inductis ſeſtertiaria ratio antiquata eſt. 424.verſ.*inclinante.*
Solidus argenteus apud Francos ſimilis ſolido aureo Romano. 436.2
Solidus aureus Francicus quis, & cuius valoris. ibid. 3

Species.

Species vectigales ſunt fruges, & aliæ quæ ad annonam publicam & priuatam pertinent. 317. 1
Species vectigales aliquando ipſæmet præſtantur, aliquando tamen adærantur, neque tamen liberum eſt exactori vtrum voluerit ex iſtis ſoluendi modum eligere. ibid.
Species aliæ vectigales, præter fruges. 327.17
Species vectigales ſæpius adærabantur. ibidem 18

Sponſalia.

Sponſalia impuberum à iure ciuili, & Eccleſiaſtico approbata. 461.*init.*
Sponſalia poſſunt calebrari ſub conditione de futuro. 553.1
an Sponſalia conditionata valeant, & obligent ſtatim poſita conditione. ibid.2

Stater.

Stater duplex alter ponderalis, alter monetalis. 450. 10
Stateris nomen idem valuit apud Græcos, quod pondo apud Latinos. ibid.
Stater non tantum pondus, ſed etiam nummi genus eſt. ibid.
Stater & aureus differunt vt genus & ſpecies. 420. 10
Stater auri, & ſtater aureus in quo differunt. ibidem.
Stateris aurei valor. ibid.
Stater argenteus quid. 411.*init.*

Stationarius.

Stationarij quinam, & ad quid deſtinati. 313. *in fin.*
Sationarij curſui publico inſeruientes ſuberant curioſis. ibid.& ſeq.

Statutum.

Statutum in damnum priuatorum non debet fieri,

etſi priuata vtilitas debeat cedere neceſſitati puplicæ. 199.verſ.*neque dicas.*

Statota rerom aliquarum commercium & commeatum in aliqua ciuitate, aot regione prohibentia, au ſimul ligent externos. 202.verſ.*ſtatutom*

Sterilitas.

Sterilitas, & prolis orbitas opprobriom & magna calamitas fuit apod Hæbræos. 517. verſ. *ſecunda.*

Stipendium.

Stipendiom fuit æs quod militibus impendebatur. 264. verſ. *tributum.*

Stipendium, tributum, & vectigal, aliqualiter differunt. ibid.

Stipendiom aliquando ſumitur pro tributo capitis. 266. 6

Stipulatio.

Stipolatio dolo facta valet, paritque actionem; non tamen pactum dolo malo initium. 493. *init.*

Stipulatio pœnæ ad contrahendom matrimonium interpoſita, inualida eſt. 5.4.14

in Stipulationibus conuentionalibus commiſſa pœna nunquam euaneſcere, aut reſolui poteſt, qood non ſemper contingit in prætoriis. 568. verſ. *reſp.*

Stipolatio pœnalis de contrahendo matrimonio poteſt confirmari iuramento. 614.8

Subceſiuus.

Sobceſiouus, vel ſubſciſiuus agrariæ dimenſionis peculiare verbum. 151. verſ. *quod autem.*

Sobceſiui vox ad qoæuis ſucciſa ex ſondo corpore minutiora membra traducitor. ibid. 152

Superindictio.

Superindictio quid ſit, & quando fieret. 365.7

Sopetindictio potiſſimùm inualuit Ioſtiniani temporibus. ibid.

Suſceptor.

Suſceptores qoos hodie receptores nominamos qoinam fuerunt. 49. 8

Suſceptorum officium, & ad quid tenebantur. ibid.

Sylua.

Syluæ, & arbores apud Gallos non ſunt immunes à tributis. 302.8

Syluarum Regiarum cura, & de pecore in eis paſcendis. 304.9

Symbolum.

Symboli ſcutarij Francici corruptio vnde deriuata. 135.verſ.*id verò.* & ſeq.

Symbola ſcutaria per gentis capita ad poſteros tranſcribuntur hereditario iure. 135. verſiculo *&* *ſane.*

Symbolom ſcutariom à qoonam excogitari debeat. 135. verſ. *quare.*

Symboli ſcutarij diuerſa genera. 135.2

Symbola ſcutaria quare à Principibus aliqoibus collata. 135.2.& ſeq.136

Symbola ſcutaria ab aliquibus ad arbitrium aſſompta. 135.verſ.*præter.*

Symbolo ſcutario à Principe donatos præferri debet eandem teſſeram ſponte aſſomptam vſorpantibus, cæteris paribus. ibid.

Symbola teſſeraria alia ſunt nobilia alia ignobilia, ſiue plebeia. 136.3

Symbolom ſcutariom aliod eſt germanom ac legitimum, aliod adulterinom. 137.4

Symboli ſcutarij alia diuiſio in poſtulatitiom & non poſtulatitiom. ibid.verſ.*quintò.*

Symbolica parma pura & integra maioris nobilitatis inſigne. 138.verſ.*Sextò.*

Symbolicarom imaginum infractio indocta diſtinguendis & dignatione minuendis minorum & ſpuriorum fratrom teſſeris. ibid.

Symbola ſcutaria illuſtriorum familiarum Gallicarum ſimpliciſſima. ibid.

Symboli ſcutarij aliæ diuiſiones. ibid.& ſeqq.

Symboli gentilitij deſcriptio, & origo. 139. *per tot.*

Symboli ſcutarij ac teſſeræ gentilitiæ vſus ſub Octauiano Cæſare Augusto initium habuit. 140.6

Symboli gentilitij ſecundum Gallicam conſuetudinem formati origo debet referri ad teſſeras ſcutarias ab Octauiano Cæſare inſtitutas. 141.verſ. *atque.*

Symbola aliena ſuis rebus, an alienis rebus propria liceat apponere. 141.7

Symbolum alicuius proprium quaodonam poſſit operi poblico apponi. ibid.

Symbolum proprium ſacris ædibus, & pio operi apponens an perdat meritum. 142.verſ. *diſplicet.*

Symbola gentilitia alicuius ab opere publico eius impenſis ædificato non licet abradere. 142.8

Symbola ſcutaria alicui rei priuatæ ab eius emptore poſſunt apponi. 143.9

Symbolum regium, & Principis poteſt alicui operi ſiue poblico ſiue priuato in notam ſubiectionis apponi. 143.10

Symbolum alicuius dignitatis nemini eius dignitatis experti licet aſſumere. ibid.11

Symbola gentilitia propria alicuius familiæ nequit ab eius agnatione alieous aſſumere. 144. verſ. *aio ſeptimo.*

Symbolum proprium aut alienum rei litigioſæ nondom lite finita apponere, quo aduerſarius terreatur, illicitum eſt. 144.verſ.*aio nonò.*

Symbola ſcutaria alicuius ſibi aſſomere nefas eſt. 145.15

Symbola gentilitia poſſunt tranſire in extraneum donatione, venditione, & alienatione, ſed in quiboſdam tantùm caſibus. ibid. 16

Symbola alicuius propria poſſunt quibuſcumque rebus apponi. 146.17

Vide cætera in verb. *teſſera* & *galea.*

Synallagma.

Synallagmata duplicis generis ſunt, alia voluntaria, alia inuoluntaria. 8. 6

Synallagma & commercium non ſunt ſynonima. ibid.

Synallagma latius patet quam commercium. ibidem.

Synallagma ad omnia commercij genera productum. ibid.

Συνάλλαγμα aqud Græcos quid ſit. 455.3

Συναλλάγματος variæ acceptiones. ibid.

Συναλλάγματα proximo iniurioſa, quomodo iniurioſa ab Ariſtotele dicta. 456.4

Syri.

Syris fuit liberorum natiuitas minus chara, & frequentes fœminarum partus odioſi, propter nouam capitationem. 290.3

T

Tabularij.

Tabolarij ciuitatum & prouinciarum chartas ac rationes tractabant atque ſupputabant. 49.10

Tabularij initio ſerui publici fuerant; quod deinde ab Arcad. & Honor. abrogatum fuit. ibid.

Tabularij antiquitus quod munus exercebant. 165. 3
Tabularij Principales facilè poterant alios à diſpendio vindicare, aliis indebitum munus imponere. ibid.
Tabularij, ſeu curiales quid ſint. 300.4
Tabulariorum falſa in ſuas tabulas redigentium pœnæ. ibid.
Tabularij in quo differant à peræquatoribus ſeu inſpectoribus. ibid.

Talentum.

Talentum Iudaïcum omnium menſurarum maxima. 155.5
Talentum indefiniti ponderis apud Hebræos, Græcos & Romanos. ibid.
Talentum vſitata ſignificatione rem ingenti ponderis deſignat. ibid.
Talentum maximum omnium ponderum Hebraïcorum. 158. 11
Talentum Hebræum erat trium mille ſiclorum. ibid.
Talentum Sanctuarij & talentum Congregationis. ibid.

Temonaria functio.

Temonaria functio quid; quibus præcipuè indicta; & à quibus exigebatur. 289.1

Tempus.

Tempus pactis & contractibus celebrandis aptum. 500. 1
Tempus de iure currit à momento ad momentum, ita tamen vt dies cui præfigitur terminus non computetur in termino. 569. verſ. *hinc*
Tempus longiſſimum appoſitum teſtamento reiicitur tanquam inutiliter appoſitum, ſi heres, aut legatarius ad illud naturaliter peruenire non poſſint. 5; 6. verſ. *quares.*

Teſſera.

Teſſeræ Gentilitiæ definitio. 134.1
Teſſeræ Gentilitiæ materia, & colores. ibid.
Teſſeræ Gentiliæ quare inſtitutæ. 135. *init.*
Teſſeræ ſcutariæ diuerſa genera. 135. 2
Teſſeræ ſcotariæ quare à Principibus aliquibus collatæ. 135. 2. & ſeq. 136
Teſſeræ ſcutariæ ab aliquibus ad arbitrium aſſumptæ. 136. verſ. *præter.*
Teſſeræ ſymbolicæ à Principe collatæ, & ſponte aſſumptæ differentia. ibid.
Teſſeræ & ſymbolici clypei plurima exempla. 136. 3
Teſſera ſcutaria alia germana ac legitima, alia adulterina. 137.4
Teſſeræ ſcutariæ aliæ diuiſiones. ibid. & ſequent. 138
Teſſeræ ſcutariæ planæ ac potiores maiorem nobilitatis gradum arguunt. 138. *init.*
Teſſeraria ſcota alia vocalia, alia non vocalia. ibid. verſ. *ſeptimò.*
Teſſeræ gentilitiæ origo. ibid. & ſeq.
Teſſeræ gentilitiæ deſcriptio. 139. *per tot.*
Teſſeræ gentilitiæ vſus ſub Octauiano Cæſare Augusto initium habuit. 140.6
Teſſeræ gentilitiæ prima origo ex imitatione vexillorum Romanorum. 141. verſiculo *qua etiam.*
Teſſera ſymbolica alicuius propria quandonam poſſit operi publico apponi. 141.7
Teſſerarium zophorum patroni, & conditoris alicuius ædis ſacræ, an poſſit in illa apponi. 142. verſ. *ex his.*
Teſſerarium ſcutum ſingularis alicuius dignitatis maximè ſupremæ, nemini licet aſſumere. 143. verſ. *aio ſexto.*
Teſſeram ſcutariam rei ſuæ qui impeditur apponere, actione iniuriarum poteſt agere in impedientem. 144. 13
Teſſeram ſcutariam rei litigioſæ qua aduerſarius terreatur, apponentium pœna. 145. *init.*
Vide cætera in verb. *ſymbolum* & *galea.*

Teſtamentum.

an Teſtamentum irritetur per appoſitionem conditionis impoſſibilis. 514.15

Tibia.

Tibiarum pulpa pertuſa & inciſa in ſacris idolorum. 123. verſ. *decimò ſextò.*

Toga.

Toga meretricium ornamentum, togata meretrix. 106. verſ. *nempe.*
Toga apud Romanos communis habitus virorum, & fœminarum, puerorum & puellarum. ibidem.
Toga meretricia ab aliis diſtincta. ibid. 107

Tractoria.

Tractoriæ euectiones quid ſint. 325. verſ. *erant denique,* & ſeq.
Tractoriæ in quo ab euectionibus differrent. ibidem.
in Tractoriis commeatus definiebatur pro conditione & dignitate perſonarum. ibid.
Tractoriæ apud Romanos à Præfecto Prætorio poterant dari; apud Francos verò à ſolo Rege dabantur. ibid.

Traditio.

Traditio corporum quæ eſſentialiter includitur in matrimonio, reperitur poſita conditione præſcripta in matrimonio conditionatè contracto. 555. verſ. *vnde.* & ſeq.

Traianus.

Traianus improbas exactiones damnauit. 47. verſ. *Traianus.*
Traianus maiori ſeueritate fiſcum quàm ærarium cohibuit. ibid.

Tributum.

Tributum, vel tributus ea pecunia quæ populo imperabatur appellata quondam eſt. 264. *init.*
Tributa alia ſunt in capita, alia in ſenſu. ibidem.
Tributi collatio alia eſt in capite, alia in ſenſu. 264. 2
Tributum aliud temerarium, aliud certum, prudenter perſonis & rebus impoſitum. ibid.
Tributum aliud ordinarium, aliud extraordinarium. ibid.
Tributum poteſt diuidi in canonem, oblationem, & indictionem. ibid.
Tributorum tria genera in Gallia. 266. 5
Tributum annonæ quid, & in quo conſiſtebat. ibid. 5
Tributum annonæ quid ſit. ibid. 6
Tributum capitale tam diuites quàm pauperes ſoluere cogebantur. ibid.
Tributum certum & incertum quid ſint. ibid.
Tributa & vectigalia plurima militiæ & belli causâ prouinciis maximè Præſidialibus indicta. 274.4
Tributa à Principibus indicta propter quædam publica

publica onera, quæ ratione ſui muneris ſubire tenetur. 275.5
Tributi à Principe exacti æquitas non pendet ex bono vel malo vſu illius, modò ſuo munere fungatur. 273.3
Tributum creuit vel imminutum fuit antiquitus prout belli ratio poſtulauit. ibid. verſ. *tertia.*
Tributum propter publicam annonam & frumentationem indictum. 276.6
Tributa ſubditis propter ſeditionis & rebellionis crimen in perpetuum indicta, iuſta ſunt, niſi aliunde quam ex diuturnitate crimen commiſſum ſuperent. 281.14
Tributi iuſtitia requirit proportionem inter tributum indictum, & illius cauſam finalem. 283.15
Tributi iuſtitia, aut iniuſtitia in ancipiti remanente, poteſt haberi fides Principi illud indicenti de eius iuſtitia. 283. verſ. *aio igitur.*
Tributi iuſtitia, & iniuſtitia æque vtrimque probabiles ei eſt conſentiendum. 284. verſ. *aio ſecundò.*
Tributo conſentiendum etſi ſuffragatori probabilior eius iniuſtitia appareat, quàm iuſtitia. ibid. verſ. *aio tertiò.*
Tributa plurima quæ præſentem tantùm ſtatum attendentibus iniuſta videntur, iuſta nihilominus ſunt. ibid verſ. *ad extremum.*
Tributum eſt expendendum in vſus propter quos fuit impoſitum. 285.27
Tributi cauſa & fine ceſſante, eius quoque obligatio ceſſat. 285.18
Tributi cauſa & fine ceſſante an propter conſuetudinem ſemper exigi poſſit. ibid.
Tributa alia ſunt perſonalia, alia cenſus, alia mixta. 289.1
Tributum capitis & ſoli ſæpius in vno eodémque coniunctum. 291.5
Tributum perſonale operarium, quas corneas dicimus. ibid. 6
Tributum cenſus quid ſit, & vnde ſic dictum. 297.1. & ſeq.
Tributum metallicum apud Romanos. 306.4
Tributum vini, & fructuum hæreditatum. 310.8
Tributum litigantibus impoſitum. ibid. 9
Tributum legitimo etiam connubio à Caligula impoſitum. 311.13
Tributum cenſus agris impoſitum multiplex fuit ſecundùm diuerſitatem agrorum. 301.5
Tributum cenſus paſtionibus impoſitum, quodnam. ibid.
Tributa alia pacta, alia commercia dicta. 315.18
Tributa quæ antiquitus fuere impoſita, an omnia fuerint licita. ibid. 19
Tributa, & pedagia rebus victualibus, ad proprios vſus, non ad negotiationem pertinentibus impoſita, an ſint licita. ibid. 20
Tributorum duæ ſunt ſpecies Pariſiis circa vinum & alias eiuſmodi res. 316. verſ. *venio.*
Tributa iuſta eſſe ſoluenda probatur exemplo Chriſti, Petri, & Pauli. 329. *init.*
Tributa iuſta debentur etiam non petita. 330.3
Tributa non debentur priuſquam petantur quoties lex illa imponens id ſignificat; vel conſuetudo ſic eam legem interpretatur. ibid. 4
Tributi iniuſtitia vnde poſſit colligi. 332. verſ. *Et quidem,* & ſeqq. 333
Tributi iuſtitia, & iniuſtitia in æquilibrio exiſtentibus, vtrum poſſit ſubditus abſque culpa ab obligatione illud ſoluendi ſe eximere. 334. verſ. *maior difficultas,* & ſeq.
Tributum ſoluendum eſt eo modo quo petitur quando iuſtè debetur; & ſi ſummo rigore petatur totum pendendum erit, neque licebit potentem eludere. 335.2
Tributum vxorium dictum quodnam. 517. verſ. *ſecunda.*

Triens.

Triens fuit tertia pars aſſis, & quare ita dictus. 406.7
Triens iacet familiæ Seruiliæ. ibid.

Tripus.

Tripus aurea ex mari iactu retis extracta. 55. verſ. *ambigui.*
Tripus aurea per ſeptem ſapientes delata, & denique Apollini conſecrata. ibid.

Turris.

Turris Babylonica, quando & à quibus ædificari cœpta. 225.7
Turris Babylonicæ auctor præcipuus Nemrodus. ib.
Turris Babylonicæ inſana ædificatio imperfecta relicta. ibid.
Turris Babylonicæ ædificatoribus pœnas inflixit Deus. ibid. & ſeq. 226

Tutor.

Tutor & curator nequeunt vectigalia, & alias res publicas conducere antequam rationem tutelæ minoribus reddiderint. 369. verſ. *quartò.*
Tutori non licet abſque Prætoris authoritate bona minoris alienare, vel ſaltem oppignerare. 466. verſ. *ex hac.*
Tutor & curator in quo differant à procuratore in adminiſtratione rerum minoris. 639.7

Tyro.

Tyrones aliquando indicti fuere poſſeſſoribus agrorum. 317.2. & ſeq.

Tyrocinium.

Tyrocinium quæ vectigalis ſpecies. 313. *init.*
Tyrocinij diuerſa taxatio. ibid.
à Tyrocinij præſtatione nullus præter milites eximebatur. ibid.

V

Vaſſallus.

VAſſali debent ex propriis fortunis, & bonis ſubuenire Dominis tribus de cauſis. 285.19
Vaſſalli Dynaſtarum quibus à Principe conceſſum eſt ius exigendi vectigalia, non ita poſſunt cogi ad noua vectigalia Principi ſoluenda ſicut cæteri vaſſalli. 270.7

Vectigal.

Vectigal, & tributum lupanaribus & meretricibus impoſitum. 116.14
Vectigal lupanaribus impoſitum medium quærendi lucri illicitum. ibid.
Vectigalia quæ mari aut fluminibus imponuntur, euidenter oſtendunt eius vſum ita eſſe publicum, vt tamen à dominio alicuius Principis pendeat. 221. 23
Vectigalia antiquiſſima, & cum regibus nata. 267.1
Vectigalia poſſunt tantum indici à ſuprema poteſtate. ibid. 2
Vectigalium in Gallia prima exordia. 267.2
Vectigalia indicendi auctoritas, an fiduciarii à Dynaſtis competat. 268.3
Vectigalia indicendi auctoritas primario iure, & poſitiuo ad ſupremam poteſtatem ſpectat. ibid. 4
Vectigal, aut portorium ſibi arrogantes, terreſtres, ac fluuiatiles vias reficere tenentur. 268.5

Vecti

Vectigalium æquitas debet de ſumi ex æquitate cauſæ mouentis Principem ad illa indicenda. 272. 11
Vectigalium finis bonum commune. ibid.
Vectigalia & tributa poſſunt indici ad inducendam ſummæ poteſtatis agnitionem, & in illam clientelaris obſequij, & ſubiectionis publicam profeſſionem. 273.2
Vectigalia & tributa poſſunt indici propter Regiæ dignitatis & familiæ honorificam ſuſtentationem, ratione muneris quo defungitur. ibidem 3
Vectigal quare indictum propter annonæ publicæ digreſſionem. 280. verſ. *nobis*.
Vectigalia indicta propter refectionem viarum publicarum. 281.11
Vectigalia indicta propter alia publica opera. 282. 12
Vectigalia indicendi duæ cauſæ vulgares. ibid. 13
Vectigalium & tributorum triplex proportio. 287. num. 1.
Vectigalium & tributorum cauſa materialis multiplex. 288.1
Vectigalium & tributorum indictio ſolis ſubditis fieri poteſt. 288.2
Vectigalia ab omnibus poſſunt exigi, etiam exteris pro inuectione, & euectione mercium. ibid.
Vectigal paſcuis impoſitum fuit antiquiſſimum. 302.6
Vectigal alabarchiæ, ſeu arabarchiæ quid ſit. ibid.
Vectigal arboribus, & ſyluis impoſitum. ibid.7
Vectigal ſalinis impoſitum. 303.1
Vectigal ſalinis impoſitum, aliquibus iniquum viſum fuit. ibid. & ſeq.
Vectigal ex eduliis & macello collectum. 310.8
Vectigal iuſtum iniuſtè litigantibus impoſitum. ibid.9
Vectigal fluminibus, lacubus, & piſcinis impoſitum. 311.10
Vectigal ex meretricio quæſtu Athenis quondam impoſitum. ibid.11
Vectigalia ſordidis quibuſque artibus indicta. ibidem 12
Vectigal collectum ex mancipiis, manumiſſis, & libertis, & pro mortuis imperatum. 312.14
Vectigalia ædilitia apud Romanos quæ fuerint. ibi. 15
Vectigal pro ſolario, habitatione, apoſtole, & monopolio indictum. 312.16. & ſeq. 313
Vectigal collectum non modò ex ſtercore & vrina hominum, ſed etiam brutorum omnium, quod ἀρυσάγυρον dictum fuit. 313.16. & ſeq.
Vectigal vmbræ, fumi, & aëris valde fuit importunum. 314.17
Vectigal vmbræ ex arboribus vmbræ tantùm gratia quæſitis colligebatur. ibid.
Vectigalia varia quæ ex variis circumſtantiis proprium nomen ſortita ſunt. 315. 18
Vectigalia, & pedagia rebus ad vitam tantùm pertinentibus imponi licitè poſſunt. ibid. 20
Vectigal omnino ſoluendum eſt ſub peccato, vbi de eius iniuſtitia non conſtat. 316.2
Vectigalia quæcumque iuſta fraudari, aut retineri nequeunt abſque culpa; ſed omnino ſoluenda ſunt etiam non petita, niſi aliud vſus, aut recepta conſuetudo ferat. 328.1
Vectigalium obligationem eludit ſubditi inopia, & extrema neceſſitas. 334.8. & ſeq.
Vectigal iuſtum ſoluendum eſt eo modo quo debetur; & qui petentis interrogationem, falſa reſponſione eluderet, non modò eſſet periurus ſed peccaret contra iuſtitiam 333.1
Vectigalium ſolutio licitè poteſt vitari per mercium occultationem. 336.3. & ſeq.
Vectigalia ſemper ſumma curâ, & diligentia fuere exacta tum libera Republicâ, tum Imperatoribus eam adminiſtrantibus. 360.1
ad Vectigalium exactionem varij officiales deſtinati. 361.4
Vectigal non tantùm accipitur pro eo quod Principi pro mercibus importandis exportandiſque ſoluitur, ſed plures alias ſignificationes habet. 263.1
Vectigalia quomodo, & qua forma exigerentur fusè deſcribitur. 364.6. & ſeqq.
Vectigalium publicorum exactio quomodo ſtante Republica fieret, & quomodo ſub Imperatoribus. 367.11. & ſeq.
Vectigalia, & alij redditus fiſci poſſunt locari omnibus, qui peculiari iure non prohibentur. 368. 12
Vectigalium conductio prohibetur Iudæis, & Sarracenis; & pluribus aliis perſonis. ibid. & ſeqq.
Vectigalis quantitas varia, aliquando aucta, alias diminuta pro Reipublicæ neceſſitatibus, aut Principum libidine. 327. verſ. *ex quibus*.
Vide cætera in verb. *tributum* & *gabella*.

Vectura.

Vectura debeturne pro omnibus iis quæ naui imponuntur, ſiue ſciente, ſiue inſcio nauta vehantur. 244.1

Venalitiarij.

Venales quinam ſint. 60.2. & ſeq.
Venalium nomen ad ſeruos nouitios in iure reſtringitur. ibid.
Venalitiarij dicebantur ſeruorum venalium negotiationem exercentes. ibid.
Venalitij à mercatoribus diſtinguuntur. ibid.
Venalitij peculiari voce dicuntur mangones. ibid. & p.61
Venalitiorum ſiue mangonum cautelæ. 61. *init.*

Venditio.

Venditio inualidatur propter dolum & errorem ſubſtantialem. 57.7
Venditionis validæ vel inualidæ plures caſus. 58.8. & ſeq.
Venditio filiorum aliquando apud Romanos parentibus licita. 64.2
Venditio hominis nonnullas debet habere leges ſine quibus non ſubſiſtit. ibid. verſ. *& primò*.
Venditionis liberorum cauſa præcipua. 63.3
Venditioni liberorum modus præſcriptus. 63. verſ. *huic deinde*.
Venditio trina liberorum à patribus facta pertinebat ad emancipationem. ibid.
Venditio infantis ſanguinolenti non modò parentibus, ſed etiam aliis permiſſa. 65. verſ. *huic*, & ſeq. 66
Venditio corporum & Reliquiarum Sanctorum arguit ſimoniam. 68.1
Venditio humanorum corporum propter medicamenta. 69.1
Venditio rei in genere poteſt fieri duobus modis. ibid.
Venditio rei ad corpus fit quando non fit mentio quantitatis rei venditæ, niſi demonſtrationis cauſa, vel quando ad perficiendam venditionem quantitas non refertur ad menſurationem, niſi propter ſignum, & demonſtrationem ſenſibilem. 181.

Venditionem fieri ad corpus vel ad menſuram plurimùm intereſt. ibid.3

Venditione facta ad menſuram, teique menſuratione facta, illius rei periculum ſpectat ad emptorem, etſi ipſa maneat apud venditorem. ibid. & ſeq. 182

Venditio in genere quid ſit. 180.1

Venditione facta ad corpus, eo ipſo quo celebrata eſt venditio, perfecta quoque cenſetur, totumque rei venditæ periculum & commodum pertinet ad emptorem. ibid.182

Venditio tribus modis dicitur perfecta. ibid.

Venditionis ad corpus, & venditionis ad menſuram altera differentia. 182.5

Venditione facta ad corpus in qua res tota venditur, an minuendum ſit pretium, vel augendum, ſi non reperiatur expreſſa quantitas. 183.6

Venditione facta ad corpus, venditor non poteſt propter exceſſum quantitatis expreſſæ augere rei pretium, tenetur tamen in conſcientiæ foro illud minuere propter eiuſdem quantitatis defectum. ibid.verſ.*placet.*

Venditione incipiente à corpore, cuius deinde additur menſura vel quantitas; venditio cenſetur facta ad corpus. 184.9

Venditione incipiente à quantitate cui deinde adiicitur res, venditio fit ad menſuram. ibid. verſ. *ſecunda*

Venditionum variæ formulæ. 184.1

Venditio ſeruorum crimìnoſorum, vel fugitiuorum interdicta propter illius turpitudinem. 187. verſ. *ad hoc.*

Venditio, & quilibet contractus duobus modis poteſt diſſolui. 352.& ſeqq.

Venditio poteſt diſſolui per pactum in illa contentum, quod triplex eſſe ſolet. 354.4.& ſeq.

Venditionis reſoluendæ, aut nullæ varij modi. 356. 7. & ſeqq.

Venditio conditionata conditione impleta æquè pura eſt ac ſi ab initio abſoluta fuiſſet. 550.7

Venditor.

Venditor minuens pondus aut menſuram alicuius rei, ſeruata æquitate pretij publica lege definiti peccat, & ad reſtitutionem tenetur, etiam ſciente emptore. 179.1

Venditor apud Iudæos non tenebatur in perpetuum euictionis nomine. 500.2

Venditor rei alienæ an teneatur reſtituere pretium ex re vendita captum. 63.5.6

Venditor bonæ fidei non tenetur reddere pretium rei ſuæ, etiamſi furtiuum ſit. 654

Verbum.

Verbi incarnatio, & tota Incarnati vita, optima fuit negotiatio. pag.2

Vexillum.

Vexillum apud omnes gentes excellentiæ & principatus prototypon. 141.verſ.*qua etiam.*

Vexillum nobilibus quadratæ figuræ. ibid.

Vexilli obtinendi ius in ſua familia germanæ eximiæque nobilitatis legitima nota. ibid.

Vexillorum diſcrimen ſecundum diſtincta nobilitatis genera. ibid.

Via.

Viarum publicarum, & itinerum reparatio cauſa indictionis vectigalis. 481.11

Viarum & itinerum publicorum cura maxima. ibid.

Viæ extra vrbem glarea, in vrbe ſilice ſterneban-tur. ibid.verſ *denique.*

Viarum primi ſtratores. 482.verſ. *Iſidorus.*

Vinum.

Vinum ſicut alia omnia in cauponis notis [illegible]tum. 152.verſ.*C[illegible]*

Vinum doliare eſt illud quod in dolio recondi[illegible] necdum diffuſum eſt. 162.[illegible]

Vinum doliare differt à vino non doliari. ibi[illegible]

Vinum pendens in vuis impropriè dicitur vinum. ibid.

Vini doliaris, amphorarij, aut vaſarij differentia. ibid.

Vino legato aut vendito an debeantur omnia vaſa quibus continetur. ibid.163

Vino cum vaſis legato, an vinum doliare cenſeatur legatum. ibid.

Vinum, oleum aut aliud liquamen extra Romani Imperij fines deferre non licuit, & cur. 189. verſ. *quæ eadem.*

Virgo.

Virgines aperto capite, deſponſatæ velato incedebant, vnde nuptæ dictæ. 110.15

Virgines maturæ viro etiam velata facie incedere debent. ibid.

Virgines Chriſtianæ ornari prohibitæ, ne imprudentes concupiſcentiæ præbeant occaſiones. 111.verſ. *ea de cauſa.*

Viria.

Viriæ ſeu viriolæ armillæ manuum. 57.*in fin.*

Viriæ ornamentum muliebre. ibid.

Viriæ Rebeccæ datæ. ibid.

Vita.

Vita humana negotioſa, eaque de cauſa moleſtiſſima. pag.1

Vita humana moleſtiſſima atque incertis fatigationibus inquieta. pag.2

Vncia.

Vncia eſt duodecima pars aſſis. 150.verſ.*igitur.*

Vncia pars aſſis duodecima in alias partes ſubdiuiditur. 151. verſ.*præter.*

Vncia agri eſt duodecima pars iugeri. ibid.6

Vncia tantum Latina apud Græcos. 153.2

Votum.

Votum fieri poteſt cum conditione turpi pluribus modis. 87. verſ. *reſp.*

Votum turpe & ſacrilegum reſultat ex mala ordinatione vouentis. ibid.

Votorum diuerſa genera. ibid.& ſeq.88

Votum non ineundi matrimonium non violatur per fornicationem. 521.7

Votum conditionale, quomodo, & quando obliget. 558.1

Voti obligatio ſuſpenditur per veram conditionem. 559.2

Votum cui adiecta fuit conditio impoſſibilis nullum, & inualidum eſt; quando verò adiecta eſt conditio turpis, poteſt obligare; & quomodo, 559.34

in Voto conditionato conditio in ſpecifica forma implenda eſt. 562.7

Votum impleta conditione ſtatim abſque nouo conſenſu obligat. ibid.8

Vouens.

an Vouens ſub conditione teneatur expectare conditionis euentum; neque poſſit ſe inhabilem ad executionem voti reddere adueniente conditione. 559.5.& ſeq.

Vouens qui ſincerè non agit cum Deo peccat contra voti religionem. 560.*in fin.*

an Vouens qui per fraudem & vim impediuit euentum conditionis, teneatur voto ſuo eodem modo atque ſi impleta fuiſſet conditio. 561.6

Vrinator.

Vrinatores ſunt qui ſubter aquam natantes in illa aliquanto tempore ſpiritum continent. 256.16. & ſeq.

Vrinatoribus datur tertia pars rerum è naufragio extractarum, ſi intra annum & diem repetitæ non fuerint à naufragis. ibid.

Vrinatores quam maximo periculo ſcrutentur profunda maris. ibid.

Vrna.

Vrna media pars amphoræ. 160.2

Vrna quòd vrinet ſic dicta. ibid.

Vrnæ erant vaſa fictilia. ibid.

Vrna non vino tantùm & aquæ hauriendæ, ſed ipſis etiam mortuorum cineribus capiendis & ſortibus verſandis inſeruiebat. ibid.

Vſura.

Vſuræ menſtruæ apud Romanos. 427.1.& ſeq.

Vſura centeſima apud Romanos erat omnium grauiſſima. 428.2

Vſuræ centeſimæ ſolemnes, atque legitimæ exiſtimatæ fuere. ibid.

Vſuræ centeſimæ omnibus clericis ſacris Ordinibus initiatis à Concilio Nicæno prohibitæ. ibid.

Vſura centeſima quid ſit. 428.3

Vide *centeſima.*

Vſuræ centeſimæ quando primùm Romanis cognitæ. 429.5.431.8

Vſuræ Romanorum minores centeſimis. 430.7.& ſequent.

Vſuræ, fœnus vnciarium, & vnciæ vſuræ malè confunduntur. 431.8

Vſuræ Græcorum quæ. 431.9

Vſuræ frugum ſemper fuere maiores. 432.10

Vſura in Scriptura dicitur abundantia. ibidem.

Vſura hemiolica à Conſtantino permiſſa, à Concilio Laodiceno prohibita. ibid.

Vſus.

Vſus priuatus fluminum, fontium, ſtagnorum illius eſt, in cuius dominio ſunt illæ aquæ. 216.9

Vſus maris & fluminum hodiernis moribus cohibitus, & ad certum modum reſtrictus. 217.16

Vſus rei alicuius eſſe poteſt vel publicus, vel communis. 211.2

Vſus rei publicus vel communis eſſe poteſt iure naturali, vel iure gentium, vel iure ciuili. ibidem.

Vſus communis alicuius rei ex iure naturali primæuo, & vſus communis iure gentium valdè differunt. ibid.212

Vſus maris eſt multiplex. 212.3

Vxor.

Vxoribus quæ cum maritis Reipublicæ causâ abſunt indulgetur reſtitutio in integrum. 657.3

Vxoribus militum eadem quæ maritis militiæ iura à quo conceſſa. ibid.

Vxores militum quæ dicerentur. ibid.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google